Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
13 . b

6 . A . 23 .

6.A.23.
6
A
23

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SPECVLVM AVREVM VITÆ MORALIS, SEV TOBIAS AD VIVVM DELINEATVS, EXPLICATVS, ET PER SELECTIORA MORALIA ILLVSTRATVS.

TOBIAS MINOR BIBLIOTHECA

AVCTORE
DAVIDE A MAVDEN, Theologo ac Iurisconsulto, Ecclesiæ Bredanæ Decano, & Beatæ MARIÆ de Capella Bruxellis Pastore.

Cum quadruplici Indice, videlicet Sectionum cuiusque Capitis, Scripturarum, Rerum memorabilium, & pro Concionibus super Euangelia Dominicalia, festiualia, ac Quadragesimalia totius anni.

ANTVERPIÆ,
Apud IOANNEM MEVRSIVM.
ANNO M. DC. XXXI.
Cum Gratia & Priuilegio.

Coll. Rom. Societ. Jesu Cat. indulg.
B. S.
Digitized by Google

Digitized by Google

ISABELLÆ
CLARÆ EVGENIÆ,
HISPANIARVM INFANTI,
IVSTISSIMÆ ÆQVE AC PIENTISSIMÆ
BELGII MODERATRICI.

SERENISSIMA DOMINA,

Diuinum illud ſapientiæ pelagus, & Regum Iſraëliticorum famoſiſſimus, publicæ ſtudens vtilitati, *quæſiuit verba vtilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos.* Eccle.12. His amplius fidelem noluit requirere, quin etiam ab inutilium librorum lectione iuſſit abſtinere. Nihil excellentius, nil verius, nil vtilius, quàm ex verbis & libris Sapientum, requiri poſſe iudicat: inde haurienda ad vitæ & morum doctrinam præſtantiſſima documenta; non ex profanis doctrinis, & peregrinis præceptoribus.

Huic rei plurimum intendit cælitùs illuſtratus Rex. Quidni? Alios namque vtiliter docere, ſublime planè, & diuinum eſt. Iſaias Vates nomine Dei apertè pronuntiat Iſraëlitis: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia.* Isa.48. Ego ſum, inquit, qui illa doceo, quæ tibi, quacumque ratione cõſideres, futura ſunt ex vſu. Longè abſum à Gentilium conſuetudine, qui in ſummam calamitatem te duxerunt, cùm inutilia docuerunt. Diuinus ille Apoſtolus valedicens Epheſianis, ac proteſtans ſe muneri ſuo non defuiſſe, inquit: *Vos ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, &c. quomodo nihil ſubtraxerim vtilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem.* Act.20. 20.

Nouerunt viri eminentes quantopere hoc Deo gratum: hinc clauo Reipublicæ dirigendo implicati tam Pontifices, quàm Imperatores, ac ceteri Principes erga Scriptores munificentiſſimi, non minus quàm in vniuerſam Rempublicam, ad ſcribendum viros doctos benignâ exhortatione inuitarunt, & quodammodo inſtigarunt. Vir nobilis Ambroſius, cuius meminit Hieronymus, nec minus elegantis ingenij, ſuâ induſtriâ, ſuo ſumptu, & inſtantiâ compulit Origenem infinita dictare volumina: ſuis enim ſumptibus Epiſt. 18. ad Marcellam, & in catal. Script. Eccleſ.

Digitized by Google

ISABELLÆ
CLARÆ EVGENIÆ,
HISPANIARVM INFANTI,
IVSTISSIMÆ ÆQVE AC PIENTISSIMÆ
BELGII MODERATRICI.

SErenissima Domina,
Diuinum illud sapientiæ pelagus, & Regum Israëliticorum famosissimus, publicæ studens vtilitati, *quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.* His amplius fidelem noluit requirere, quin etiam ab inutilium librorum lectione iussit abstinere. Nihil excellentius, nil verius, nil vtilius, quàm ex verbis & libris Sapientum, requiri posse iudicat: inde haurienda ad vitæ & morum doctrinam præstantissima documenta; non ex profanis doctrinis, & peregrinis præceptoribus. Eccle. 12.

Huic rei plurimum intendit cælitùs illustratus Rex. Quidni? Alios namque vtiliter docere, sublime planè, & diuinum est. Isaias Vates nomine Dei apertè pronuntiat Israëlitis: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia.* Ego sum, inquit, qui illa doceo, quæ tibi, quacumque ratione cõsideres, futura sunt ex vsu. Longè absum à Gentilium consuetudine, qui in summam calamitatem te duxerunt, cùm inutilia docuerunt. Diuinus ille Apostolus valedicens Ephesianis, ac protestans se muneri suo non defuisse, inquit: *Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, &c. quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem.* Isa. 48. Act. 20. 20.

Nouerunt viri eminentes quantopere hoc Deo gratum: hinc clauo Reipublicæ dirigendo implicati tam Pontifices, quàm Imperatores, ac ceteri Principes erga Scriptores munificentissimi, non minus quàm in vniuersam Rempublicam, ad scribendum viros doctos benignâ exhortatione inuitarunt, & quodammodo instigarunt. Vir nobilis Ambrosius, cuius meminit Hieronymus, nec minus elegantis ingenij, suâ industriâ, suo sumptu, & instantiâ compulit Origenem infinita dictare volumina: suis enim sumptibus Epist. 18. ad Marcellam, & in catal. Script. Eccles.

Digitized by Google

bus eum aluit ſimul cum ſeptem Notariis,& puellis quamplurimis ſcribendo exercitis. Carolus Craſſus Gallorum Rex, vt refert Egnatius, in hoc etiam eminuit, vti & Nicolaus Quintus, aliiq; Principes clariſſimi. Hinc profectò ab Abauis Tuis, Proauis, Auis, parentibus,& Ser.^mo Alberto felic. memor. Tibi lectiſſimo coniuge; imò & à Te, Virorum Theoſophorum fautrice æquè ac fotrice, tot ſtudiorum ſeminaria, variarum ſcientiarum domicilia, ingenti & proprio ære publicæ vtilitati funditus erecta, dotata, & aucta, atque honoribus, titulíſve quamplurimis decorata, ceu Louanienſia, Duacenſia, vt cętera aliarum Prouinciarum ſilentio præteream.

Sanè tanti valet apud Deum, erudire alios vel per ſe, vel per
Dan. 12. alios, cùm verbo, tum ſcripto, vt Angelus pronuntiet: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Ex eo capite D. Hieronymus, vir in diuinis litteris & linguis verſatiſſimus, publico bono vſque adeò ſcribendo intendit, vt numquam manum de tabula retraheret, etiamſi calumniatores obſtreperent. Inuitatus à Domione & Rogatiano, vt Eſdræ librum de Hebræo transferret, ſe magis animari ad ſcribendum eorum inſtinctu, quàm inuidorum ſtudio deterreri apertè pronuntiat: *Legant*, inquit, *qui volunt; qui nolunt, abiiciant.*
In fine Prologi lib. Eſdræ. *Euentilent apices, litteras calumnientur, magis veſtra charitate prouocabor ad ſtudium, quàm illorum detractione, & odio deterrebor.*

Idipſum in me expertus ſum, cùm nuper aduerſus Montes Pietatis, quos ſummo zelo ad Reipubl. bonum Ser.^mus & piiſſimus Princeps Albertus in Belgio erexerat, debaccharetur quidam, impiorum crumena fotus; calamus ſcripturiebat, ſed mens vacillabat ob calumniantium ſtudium: verum cùm intelligerem per litteras Veſtræ Celſitudinis, ſibi gratum fore, ſi manum admouerem calamo, eò audacior compoſui, & publicæ lucis feci Antidotum, cerebro malè ſano opportunum; hoſtis proſtratus, quaſi fundâ Dauidis, clamat quàm id Reip. fuerit vtile, cùm præter calumnias nullum compererit refugium. Mox in Decalogum volumen edidi, in quo vtilia illa ad longum deducuntur, de quibus ſuprà Iſaias Vates. Nunc in Tobiæ librum communico laborem, à quo nec hydra ſibilans, nec priſcorum in eam rem calamus me deterruit. Quorumdam enim ſcripta ſola memoria viuunt, temporis iniuria aut exciderunt, aut perierunt. Ante annos fermè centum ſcripſit vir eximius, & Antiſtes Vienenſis præclariſſimus, enarrationes quaſdam in Tobiæ librum; ſed huic ſæculo non ſatis opportunas. Alia tempora, alios fœtus deſiderant. Doctiſſimos verò ab annis viginti edidit commentarios in hanc hiſtoriam vir diſertiſſimus Nicolaus Serarius, Societatis IESV Theologus, in quibus quæſtionibus aliquot

Digitized by Google

quot diſcutiendis præcipuè impendit operam: reliqua digito libat. Iuſtinianus Fabianus ex Oratorio Romano, Epiſcopus Adiacenſis ante annos vndecim plura documenta moralia eidem hiſtoriæ attexuit.

Verùm nihil horum me à ſuſcepto labore retardare potuit: *Quotidie*, inquit Seneca, *aliquid ſubtilius, aliquid elegantius cogitat luxuriæ furor, vſitata contemnens.* Et teſte Damaſceno, Racemulus aliquis poſt vindemiam relictus; aut poma aliquot poſt collectos arborum fructus obliuione tranſmiſſa, ſæpè gratiora ſunt. Inſoliti quoque cibi non eos tantùm, qui fame laborant, ad edendum attrahunt, ſed ſubinde etiam eos, quos iam ſatietas cepit, extimulant. Diuus Auguſtinus omnem ſcrupulum remouet. *Vtile eſt*, inquit, *plures à pluribus fieri libros diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat; ad alios ſic, ad alios autem ſic.* Cicero de optimo genere dicendi, Ariſtotelis exemplo eruditos ad ſcribendum hortatus: *Nec verò*, ait, *Ariſtotelem in Philoſophia deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis.*

Lib. 6. nat. queſt.

1. de Trinit. c. 3.

Porrò meditanti mihi, cui hoc opus inſcriberem, non diu penſandum fuit: ſtatim occurrit Ser.ma Veſtra Celſitudo, cui hos labores multis modis conſecrare obligabar; neque vtilius rebar, vt ponderis plurimum & auctoritatis acciperet. D. Cyrillus Alexandrinus libris, quos aduerſus Iulianum edidit, patronum quæſiturus, non alium optauit, quàm Auguſtiſſimum, & Chriſtianiſſimum Imperatorem Theodoſium Secundum. Ad quem litteris datis: *Igitur*, inquit, *ô Theodoſi, Rex Chriſtianiſſime, dum vobis alij exhibent victorias, coronas, gratulatoriaſque voces, & alia, quibus Regis potentia iure honoratur: noſtri, qui diuino funguntur ſacerdotio, muneris fuerit, offerre libros, ad diuinam potiſſimum gloriam compoſitos.* Scilicet, non habuit Cyrillus munus, quod Theodoſio offerret, aptius, quàm libros: neque potuit libris excellentiorem quærere patronum, quàm Theodoſium. Huius enim pietas nihil libentius, quàm ſacros libros in ſuam gratiam recipiebat: huius poteſtas nihil impenſius, quàm eoſdem libros ab iniuriis vendicabat.

Non exigua iudicatur fuiſſe Cyrilli felicitas, habere, cui præſtaret obſequium, & à quo patrocinium ſperaret, inuictiſſimum Imperatorem, Theodoſium Secundum. Nihilominus Cyrillo felicitatem ſuam non inuideo, confiſus, mihi non imparem contigiſſe: dum te, Sereniſſima Domina, priſtino illi Imperatori nihilo ſecundam ſortior, cui meos labores conſecrem. Tanta fuit olim in illo Theodoſio Secundo probitas, & religio, vt eius regia, Socrate auctore, *monaſterio ſimilis*, & tota eius ciuitas *vna Eccleſia*, diceretur: in qua nihil frequentius, quàm hymni in diuinam laudem, Impera-

tore præcinente, vel alternante choros, decantari conſueuerint. Quid minus pietatis redolet, quid minus religionis ſpirat tua Curia: tuis non ſolùm decretis, ſed etiam exemplis ad diuinum cultum ſingulariter inſtituta? in qua pietas primas tenet: religio chorum ducit: fides, iuſtitia, veritas, concordia, ceteræq; virtutes ex tuo palatio quoddam veluti ſacrarium architectantur. Quod in femina moderatrice tantò mirabilius, quantò ſexus ille ad regendum ordinariè cenſetur imbecillior. Sacra pagina illuſtrium mulierum præclara nobis prębet exempla, quarum copiam, ne dicam ſpeciem, non obſcurè præbes, & refers. Numquid Tu ſapiens illa mulier Debbora (quam Ambroſius viduam vocat) cui Deus liberationem populi Iſraëlitici commiſit? Numquid Tu vidua illa Iudith, à nobilitate & pietate maximè illuſtris, in cuius manu ſalutem populi diuinum Numen mirè conſtituit? Numquid Abigail prudentior, optimum rebus gerendis ſuggeris conſilium? Numquid Eſtherem piè æmularis, quæ continuò, præter bonum publicum, in deplorato hoc rerum ſtatu, nihil cordi habes? Numquid & Tu Annam illam viduam, Phanuelis filiam, de qua Lucas, quantum res publicæ permittunt, pro virili imitaris, dum à pietate, & religioſo cultu vix auelleris, dum quamplurimis ſacris locis pretioſis ornamentis Dei cultum exornas, aliaq; officia Chriſtiana ad prodigiem exerces? Profectò non aberrarit, qui Te, Princeps religioſiſſima, his reſpectiuè aſsimilarit: neque adulationis vitium incurret, qui veritatem ſectatur. Nihil enim in Te conſpicio, quod non laude dignum. Si genus ſpectem; numquid Imperiali, & Regio ſtemmate clara fulges? Nónne illuſtrem proſapiam virtutibus magis ornas? Vrbi, & Orbi hoc palam eſt.

Ambroſ. lib. de viduis.

Luc. 2.

Alterum me à temeritate excuſare debet, quòd veterum Scriptorum vnanimi ſententia vtilius nihil ad fidem, bonos mores, ac religioſam vitam, hac Tobiæ hiſtoriâ, publico bono conuenire apertiſsimè affirmetur: vſque adeò vt inter receptiſsimos Eccleſiæ Doctores non defuerint, qui peculiari nomenclatura, Tobiam appellare ſoliti fuerint, SPECVLVM VITÆ MORALIS. Cùm enim nõ ſolùm nobis nati ſimus, teſte Cicerone, ſed ortus noſtri partem patriam, partem parentes, partem amicos ſibi dixerit vendicare. Melius, ac diuinius, meo iudicio, ſi religionem annumeraſſet. Oportuit, vt bono publico neceſſaria, & publicarem, & ſub nominis Veſtri auſpicio ac protectione diuulgarem. Quemadmodum enim in Regum Imperiis varij variè pro ſalute Principis, pro felici rerum ſtatu, pro re augenda publica laborãt, inſudant, nil pati reformidant. Quidam armis, aſtu, viribus, conatibus generoſis; alij prudentia, conſiliis, vigiliis, auctoritate, rerum experientia, dominatu; omnes tandem

Cyprian. Auguſt. Beda.

tandem omni neruorum & communi animorum contentione, communi bono ſtudent,& Imperio inuigilant promouendo. Sic & in Chriſti regno , quod Eccleſiam vocitamus, omnibus omni ſtudio,& qua poſſunt induſtria, & quo pollent ingenio, incumbit laborare. Qui Doctrina,qui Virtute,qui votis,qui ſtudiis,qui ſublimium rerum contemplatione, qui inferiorum contemptu; omnibus tandē modis omnes decet hoc in opus curas,ſollicitudineſq; conferre.Ego ad hoc me natum ratus, nihil aptius & commodius vel ad ſingulas,vel ad vniuerſas Reipubl. partes conſummatiſsimè inſtruendas produci poſſe exiſtimaui. Quis enim, obſecro, librorum ſub mirabiliore breuitate omnium mortalium officia pulchrius ſubmonet,quàm liber Tobiæ,vt qui totius perinde tam veteris,quàm noui Teſtamenti planè quoad mores pios commonſtrandos videatur Epitome:nam quidquid & virtutum,& morum aliàs plurimis & libris & prolixis voluminum capitibus deſcribitur,idipſum in libro Tobiæ pauciſsimis, & iis quidem breuiſsimis capitulis ad aſſem, & quaſi ſub oculos ſitum viuo perinde ſimulachro perdocetur.Hoc experientia didici, in deplorato Reip. ſtatu, nullo exemplo magis contineri in ordine ſubditos, quàm Tobiæ, qui belli & pacis tempore,rebus proſperis,& aduerſis,ac in quouis rerum ſtatu conſtantiſsimè docuit verbo & exemplo pietatem ſectandam,Religionem non deſerendam; ſed potius vſque ad focos & aras propugnandam.

Præter hæc humanitas, quam plurimis erga me beneficentiæ argumentis declaraſti, & qua me iam pridem complexa es, induſtriam qualemcumque animi mei tenuit obæratam: quapropter in auſpicando opere hoc Tobiæ, nihil habuit antiquius, quàm vt obſequium,& grati animi indicium in Veſtram Celſitudinem exprimeret.

Accipe igitur ſerenâ fronte tenuem hanc grati animi ſignificationem,ab animo obſeruantiæ ac ſtudij pleniſsimo profectam: & placido illam lumine aſpicias. Nam etiam æternæ mentis Numini fuit aliquando accepta ſimplicitas eorum, qui cùm ampla donaria,magnificaſq; faces inferre in templa non poſſent, ramos ac rudes coronas intulerunt. Valere Te diu ac feliciter, Princeps religioſiſsima, ad Tuum & publicum bonum Sacroſanctis Sacrificiis apud Deum inſtanter vrgebo.Bruxellis 10.Martij 1631.

Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ

Clientium minimus

DAVID A MAVDEN.

BENEVOLO LECTORI S.

CVM *ante annos tres publicaſſem Diſcurſus morales in decem Decalogi præcepta, ijdemque calculo præclariſſimorum ac doctiſſimorum virorum non ſolùm probarentur, tamquam publico bono perquam vtiles; ſed etiam ſtimulus accederet, qui ad alia conſcribenda vrgeret, vt ex copiis ſubiunctis videre licet: auſpicari cœpi hiſtoriam vtriuſque Tobiæ; idque ob tres potiſſimum rationes, quarum prima eſt, quòd ad omnem vitæ partem, fortunam, & officium documenta & exempla pulcherrima ſuppeditet; in proſperis, in aduerſis, erga Deum, erga proximum, erga viuos, erga mortuos quid agendum ſit clarè demonſtret: bonorum operum efficaciam, & apud Deum gratiam ad vitium reuincat; aliaque homini Chriſtiano facienda exemplariter præſcribat.*

Tobiæ liber moribus reformandis, & vita rectè inſtituenda aptiſſimus.

Ita cenſuerunt Catholici Doctores, cùm teſtimoniis huius hiſtoriæ, ad virtutem fideles inſtigarunt. D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, vt eumdem erudiret breuiarium præceptorũ cæleſtium, iſque haberet ad ſouendam memoriam ſuam ſalubre & grande compendium, inter alia cap. 3. verba Tobiæ allegat, quibus ad religioſam diſciplinam filium inſtruxit cap. 4. Omnibus, *inquit,* diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe: & noli præterire præcepta eius. *Et cap. 62. inquit Matrimonium non ineundum cum Gentilibus apud Tobiam:* Vxorem accipe ex ſemine parentum tuorum, & noli ſumere alienam mulierem. *Lib. verò de opere & eleëmoſynis exemplo Tobiæ vrget parentes docere filios, patrimonium minus amare, quàm Chriſtum.* Eſto, *inquit,* liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da vtilia & ſalutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: manda filiis tuis, quod & ille filio mandauit, dicens: Et nunc fili mando tibi, ſerui Deo in veritate, & fac coram illo, quod illi placet, & filiis tuis manda, vt faciant iuſtitiam, & eleëmoſynas, & ſint memores Dei, & benedicant nomen eius omni tempore. *Ibidem oſtendit, quanti valeat oratio cum ieiunio, & eleëmoſyna, ex Tobiæ 12. cap. Sic enim ait:* Raphaël quoque Angelus paria teſtatur, & vt eleëmoſyna libenter ac largiter fiat, hortatur dicens: Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleëmoſyna: quia eleëmoſyna à morte liberat, & ipſa purgat peccata. Oſtẽdit orationes noſtras, ac ieiunia minus poſſe, niſi eleëmoſynis adiuuentur. Deprecationes ſolas parum ad impetrandum valere, niſi factorum & operum acceſſione farciantur. Reuelat Angelus, & manifeſtat, & firmat eleëmoſynis petitiones noſtras efficaces fieri, eleëmoſynis vitam de periculis redimi, eleemoſynis animas à morte liberari. *Breuiter frequens eſt, ex hiſtoria Tobiæ, D. Cypriano, ad virtutem impulſus.*

Ita cenſuerunt

Catholici Doctores

Tobiæ liber moribus reformandis, & vita rectè inſtituenda aptiſſimus.

Adſtipulantur priſci Patres.

D. *Hylarius in Pſal. 29. D. Chryſoſtomus hom. 15. ad Hebræos, D. Auguſti-*

nus

nus lib.2.de doctrina Christiana cap.8.& serm.226. varia testimonia cùm ad fidem, tum ad mores, ac religiosam vitam spectantia, ex illa historia in medium adducunt. Venerabilis Beda paucis multa complectitur, cùm initio Expositionis allegoricæ in Tobiam, inquit: Liber S.Patris Tobiæ, vt in superficie litteræ, salubris patet legentibus, vtpote qui maximis vitæ moralis & exemplis abundat, & monitis.

Porrò teste S.Hieronymo, testimonia inimicorum accedente suffragio validiora ad rem probandam censentur: Scribunt, *inquit epist.61. quæ est ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani*, sæculi litteræ, amantium cæca esse iudicia.Numquam de amicorum iudicio glorieris. Illud verum est testimonium, quod ab inimica voce profertur. *Moyses planissimè hoc olim testatus est, cùm discrimen poneret inter Deum verum, quem colebat, & falsos, quos execrabatur:* Non enim, *ait Deuter.* 32.est Deus noster, vt Dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. *In eo verus Deus à falsis distinguitur Dijs, quòd his testimonium perhibetur tantùm ab amicis; illis autem etiam ab inimicis. Et Saluator noster non obscurè idipsum confirmauit. Rogatus vtique Ioannis 18. de discipulis, & de doctrina sua, respondit:* Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt.Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. *Disertè, & verè Chrysostomus:* Fretus veritate,ait, me de meis rogas? Roga inimicos insidiatores, qui me ligarunt,vt testificentur.Id enim veritatis maximum est argumentum, cùm quis inimicos in eorum, quæ dicit, testimonium adducit. *Eapropter quædam hostium Ecclesiæ testimonia, ad propositum nostrum visum est vtiliter subnectere. Primum igitur accipe Munsteri testimonium. Is præfatione in Melecetb haddikdouk sic loquitur de libro Tobiæ.* Libellus, *inquit*, est verè aureus,& iuuentuti accommodatissimus. Ediscendus esset à pueris, haud secus quàm Decalogus, & in imo pectoris diligentissimè condendus, in quo non nisi mera pietatis semina, imò flores& fructus inueniuntur.*Rursum*:In quo,*ait*,Biblico libro veteris instrumenti inuenies tam efficaces, ad opera pietatis monitiones, quæ habent tam viuidissima adiuncta exempla, vt in hoc libro? Vbi vsquam locorum inuenies tam sinceras, paternas, & omni acceptione dignas instructiones, qualiter te geras erga Deum, erga parentes,erga pauperes,præsertim domesticos fidei,erga coniugem,denique erga cunctos mortales, atque erga defunctos ipsos, vt in Tobia? *Accipe secundo loco testimonium Bullingeri. Is tractatu de libris sacris sic ait:* Inter historias in plerisque exemplaribus, primum locum tenet liber Tobiæ, qui mea quidem sententia felicius Xenophonte,& Aristotele œconomiam tradit.Nam & exemplis viuis omnia demonstrat, & præceptis salutaribus. *Tertiò audi & Lutherum. Is nouus Apollo sic loquitur.* Si Tobiæ liber gestum quoddam est, præclarum & sanctum gestum est: si verò commentum est, verè est

Adstipulantur & hæretici.

eſt bonum, pulchrum, ſalutare, & vtile commentum, ac luſus Poëtæ cuiuſdam Spiritus pleni. *Et nonnullis intermediis, ſubiicit:* Hic liber nobis Chriſtianis lectu eſt vtilis, & bonus, tamquam boni cuiuſdam Hebræi Poëtæ, qui leue nihil, ſed bonas res tractat, eaſdemq; ſupra modum Chriſtianè vrget, ac deſcribit. *Sic ille.*

Mittamus iſta. Vir præclariſſimus & Doctor eximius Fredericus Nauſea anteannos quaſi centum, ſcripſit enarrationes in librum Tobiæ, in quarum præfatione, ex nullo ſacrorum librorum planius ac melius quem intellecturum dicit, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non; & quid virtus, quid ſapientia, quid pietas poſſit, *quòd ſit vitæ, morumque lucidiſſimum exemplar, quem qui non amet, vix ſit quod amare poſſit. Et ad particularia deſcendens ſic philoſophatur:* Vbi, obſecro, quàm in Tobia exemplarius veræ in Deum pietatis, quæ fide conſtat, & ſpe, atque charitate, admonemur? Vbi quàm in Tobia ſuperiores ſui muneris erga inferiores, & inferiores erga ſuperiores ſuccinctius cohortantur? Vbi quàm in Tobia pulchrius traditur qualis liberorum debeat eſſe inſtitutio? Vbi quàm in Tobia, qualis eſſe debeat charitas parentum in liberos, amabilius edocemur? Vbi quàm in Tobia decentius de indulgentia & amore coniugali tractatur? Vbi quàm in Tobia filiorum pietas & obedientia abſolutius addiſcitur? Vbi quàm in Tobia, qualis eſſe debeat mutua fratrum conuerſatio, rectius declaratur? Vbi quàm in Tobia caſtius inſtruuntur Virgines? Vbi quàm in Tobia qua via ſint contrahendæ nuptiæ felices, ſanctius conſulitur? In ſumma nullus eſt neque vitæ ſtatus, neque ſexus, qui in Tobia non ſimul breuiter atque honeſtè ſui officij & decoris admoneatur, & quidem expreſſius quàm vſquam aliàs.

Tobiæ liber vitæ moralis cuiuſque ſtatus & ſexus exemplar ſingulare.

Et immediatè pòſt Eccleſiam laudat Catholicam, quòd idcirco in catalogum ſacrorum librorum eumdem librum recenſuerit: Hinc, *inquit,* iuſtiſſima quidem cenſura Tobiæ librum, Catholica Eccleſia inter libros ſacrarum Scripturarum recipiendum cenſuit, vt inde mores ad piè beateq; viuendum breuius & abſolutius, quàm aliunde, mortales ſuſciperent. *Triginta & amplius annis ante Concilium Tridentinum in lucem prodierunt hæ enarrationes.*

Accedat Salianus huius æui Catholicus Scriptor hiſtoricus, qui autumat vtrumque Tobiam illam hiſtoriam, veluti prouidentiæ diuinæ erga ſuos argumentum, ex præcepto Angelico conſcripſiſſe. Cùm enim egregia huius libri documenta & monita in compendium redegerat, hæc ſubijcit: Quæ tota hiſtoria tamquam diuinæ prouidentiæ erga ſuos, ac beneficentiæ argumentum, vt omnibus deinceps ætatibus ac ſæculis nota fieret, ambo hi ſancti viri (*videlicet vterque Tobias*) eam ſcribendam cenſuerunt, accedente præſertim Angelico præcepto. Nam in textu Græco ita legitur: Et nunc confitemini Deo, quoniam aſcendo

ad

ad Deum, qui misit me; & scribite omnia, quæ consummata sunt, in libro. Quod etiam in Hebraico esse dicitur.

Secunda verò ratio, quæ me impulit salutaria ex hoc libro deprompere, est, quòd olim à priscis & Christianis Patribus eius libri auctoritas, vtpote canonica, plurimum iudicata fuerit valere ad Christianam disciplinam, & morum reformationem. D. Cyprianus epist. 52. contra Nouatianos hinc fidei dogma probat dari posse lapsis pœnitentiam. Miror autem, *inquit*, quosdam sic obstinatos esse, vt dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam, cùm scriptum sit: Memento vnde cecideris, & age pœnitentiã, & fac priora opera. Quod vtiquè ei dicitur, quem constat cecidisse, & quem Dominus hortatur per opera rursus exsurgere, quia scriptum est: Eleemosyna à morte liberat; & non vtique ab illa morte, quam semel Christi sanguis extinxit, & à qua nos salutaris baptismi, & Redemptoris nostri gratia liberauit, sed ab ea, quæ per delicta postmodum serpit. *D. Hylarius loc. cit. ex Raphaële ad Tobiam loquente probat Angelos esse, & pro hominibus intercedere. Præclarè D. Cyprianus lib. de oratione Dominica:* Citò, *inquit*, orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic & Raphaël Angelus Tobiæ oranti semper, & semper operanti testis fuit, dicens: Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu & Sarra, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectum claritatis Dei. Et cùm sepelires tu mortuos simpliciter: & quia non es cunctatus exsurgere, & derelinquere prandium tuum, sed abisti & condidisti mortuum, missus sum tentare te; & iterùm me misit Deus curare te, & Sarram nurum tuam. Ego enim sum Raphaël, vnus ex septem Angelis iustis, qui assistimus & conuersamur ante claritatem Dei.

Tobiæ liber est Canonicus.

D. Augustinus in Canone Scripturarum recenset librum Tobiæ lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. Et ex eodem libro ad populum concionatur serm. 226. Ait enim lectione ex illo libello in Ecclesia recitatâ, Patienter lectione perceptâ, quæ nuper est recitata, admirabamur patris filiiq; tractatum, quemadmodum Angelus monet, quem æstimabant terrenum sub cælesti gloria mercenarium. *Sic illi, cùm necdum ab Ecclesia definitum esset librum hunc esse Canonicum. Quanto magis nos eiusdem libri argumentis Christianã disciplinam fouere & augere obligamur, cùm auctoritas Ecclesiæ nobis præstò sit, quæ in Tridentina Synodo sess. 4. litem diremit, quæ olim aliquando extitit apud Christianos nonnullos. Sicutique clarissimè decernens pronuntiat:* Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, *&c.* orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quàm noui Testamenti, cùm vtriusque vnus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam

vel

vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, & veneratur. *Et immediatè pòst, Catalogum sacrorum librorum subiiciens, in eo numerat librum hunc Tobiæ.*

Tobiæ historiæ explicatio populo gratissima, & maximè proficua.

Tertia ratio instigans fuit, quòd ipse experientiâ didiceram nullius historiæ sacræ explicationem & enucleationem auidius & libentius audiri, quàm vtriusque Tobiæ. Adhæc, non tam proficua esse apud populum documenta ex aliis libris Scripturæ deprompta, quàm ex libro Tobiæ, in quo nunc versamur.

Hisce de causis in varias Sectiones morales hanc historiam diuisi. In quibus nedum litteram explicui, difficultates occurrentes enodaui; sed & moralia adiunxi documenta Christiano homini scitu tam vtilia, quàm necessaria. Fruere ergo, mi benevole Lector, hoc meo qualicumque labore, & comperies vtilem esse non ad huius dumtaxat historiæ explicationem, sed etiam ad quoscumque Scripturæ libros morali doctrina illustrandos, quinimo ad Euangelia in Ecclesia per totum annum legi solita. Qua de causa in vsum Concionatorum quartum Indicem adiunxi.

Copia litterarum Reu.mi in Christo Patris, Michaelis, Episcopi Buscoducensis.

R.de admodum ac doctissime Domine Licentiate ac Decane. Fateor quòd ex litteris ad me datis à V.D. cognoscere non potui, à quo & vnde essent datæ, donec opus præclarissimum in Decalogum mihi per aurigam esset consignatum, quod & Auctorem eiusque eruditionem tum in speculatiua, tum practica Theologia clarissimè indicabat. Gaudeo tam fertili & commodo stylo Pastorum ac Concionatorum omnium labores subleuari, & occasionem dari, vt vanis speculationibus reiectis, seria & necessaria populo Christiano proponant, quæ fidem stabiliant, & mores forment ac reforment; quod ex huius operis lectione & vsu futurum confido. Atque adeò non deero, vt omnibus meis Pastoribus & Concionatoribus sit commendatissimum. Interim tamquam assumptus in partem sollicitudinis Ecclesiæ Dei, eius nomine gratias ago V.Clariss.mo ac Dig.mo Precorque Deum Opt.Max. vt tale lumen super candelabrum Ecclesiæ exaltet, & quàm diutissimè conservet, gratiisque ac fauoribus cælestibus augeat, & honoribus amplificet. Salue & vale R.de admodum & doctissime Domine. Sylvæducis 20. Ian. 1628. Infrascriptum erat, V.Dig.mo ac R.A.D. humilis conseruus Fr. Michaël Episcopus Buscoducensis. Inscriptio erat, Reuerendo adm. ac Eruditissimo Domino D. Dauidi à Mauden, Ecclesiæ Bredanæ Decano, Theologo ac Iurisconsulto Viro Clarissimo, &c.

Copia

AD LECTOREM.

Copia litterarum R.di admodum Patris Ægidij de Coninck, Societatis Iesu Louanij S. T. Professoris.

R.de Domine. Misit ad me ante aliquot dies Typographus Hasſtenius, Exemplar vnum Diſcurſus veſtri Moralis in decem præcepta. Munus certè mihi gratum. Tum quòd inde cognoſcam Dominationis veſtræ in me ſtudium; tum etiam ex ſe. Nam ſtatim atque librum accepi, cœpi aliqua euoluere, quæ ſanè mihi placuerunt, & aliis placitura ſpero. Vtile omninò eſt opus Concionatoribus, vt inde ſuos auditores poſſint inſtruere, quid ipſis ediſcendum, quid credendum, quæ ſequenda, quæ fugienda ſint. Gaudeo D. veſtram ita vtiliter bono publico laborare: & quantum poſſum, vt progrediatur hortor. Ceterum pro ipſo munere habeo ex animo gratias, paratus ſicubi ſe occaſio obtulerit, referre. Interim rogo Deum Opt. Max. vt D. veſtram quàm diutiſſimè Reip. incolumem ſeruet, eiuſque tam vtiles labores foueat. Louanio 30. Iulij anno 1627. Infraſcriptum erat, Dominationis veſtræ ſeruus in Chriſto Ægidius de Coninck. Inſcriptio erat, R.do Domino D. Dauidi à Mauden Decano Bredano ac S. Mariæ Capellæ Paſtori Bruxellis.

APPROBATIO CENSORIS.

ENarrationes R. D. Dauidis à Mauden I.C.ac Theologi in librum Tobiæ, quibus contenta in eodem monita, documenta & exempla ad omnem vitæ ætatem, conditionem & ſtatum, ac officium hominis verè Chriſtiani ſpectantia egregiè & doctè ex ſcriptis præcipuè SS. Patrum illuſtrantur & dilucidè amplificantur, magno Reipub. Chriſtianæ bono & diuini Verbi Concionatorum commodo, typis euulgandas cenſeo.

P. Coens S.T. Licentiatus, Canonicus Cathed. Eccleſiæ, ac librorum Cenſor Antuerpiæ.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS *Dei gratia Hiſpaniarum, Indiarum,* &c. *Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ,* &c. *Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis* SPECVLVM AVREVM Vitæ Moralis, ſeu TOBIAM ad viuum delineatum, explicatum, & per ſelectiora moralia illuſtratum, Auctore DAVIDE A MAVDEN, Theologo ac Iuriſconſulto, Eccleſiæ Bredanæ Decano, & Beatæ MARIÆ de Capella Bruxellis Paſtore, *præter Ioannis Meurſij Typographi Antuerpienſis voluntatem, vllo modo in Belgio intra ſeptennium imprimat; aut alibi terrarum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XV. Iunij,* M. DC. XXX.

Signat.

I. COOLS.

ELENCHVS
SEV
SYLLABVS SECTIONVM
Rerúmque ſummariè ſub qualibet Sectione cuiuſque Capitis contentarum.

Capitis primi

SECTIO I.

Quare Deus hanc hiſtoriam conſcribi voluerit?

IN qua ad longum recenſentur rationes admodum vtiles conſcriptionis vitæ Sanctorum.

SECTIO II.

Quare dicatur de nobili familia, ſeu tribu Nephtalim ortus?

Num. 1. ratio traditur litteralis. Num. 2. Tropologica. Et num. 3. 4. & 5. reprehenduntur nobiles, qui pietatem minus ſectantur. Num. 6. laudantur, qui virtutem nobilitati prætulerunt. Nu. 7. oſtenditur Apoſtolus Paulus in ſemine non gloriari.

SECTIO III.

An patrium ſolum alicui gloriam conciliet.

Num. 1. diuerſæ proprietates certarum prouinciarum recenſentur, vti & num. 2. & 3. non exiguum ad diiudicandos mores inde duci argumentum refertur. Num. 4. 5. 6. & 7. docetur pluribus argumentis à nobili patria nemini conciliari gloriam, niſi adſit illuſtris vita, quod latius explicatur n. 8. vſque finem per ſolutionem obiectorum.

SECTIO IV.

Qua ratione pueri ſubinde citò ab infantilibus iocis abſtineant, & ad cæleſtia aptentur.

Nu. 1. 2. 3. 4. oſtenditur error Nouantium volentium infantem fideli parente natum, etiam non baptizatum eſſe ſanctum, & aliæ aſſignantur rationes, vti & n. 5. vſque finem.

SECTIO V.

Pueros in iſta ætate viriles induere mores, præſaginm eſſe eos aliquando ſingulares euaſuros.

A n. 1. vſque finem illud variis exemplis, tum ex S. Scriptura deſumptis, tum aliunde, illuſtratur.

SECTIO VI.

Licet ſenieres ordinariè in ſapientia iuniores ſuperent, tamen iuuenilem ætatem non eſſe contemnendam, ſi virilis adſit maturitas.

Num. 1. 2. 3. tres aſſignantur rationes, cur ſenes præferendi iuuenibus. Num. 4. 5. 6. aſſeritur argumentum, item Deum etiam iuuenes donare dono prophetiæ. Et n. 7. docemur, non attendendam eſſe in homine ætatem, ſed dona & mores.

Mauden in Tobiam.

SECTIO VII.

An neceſſum ſit Chriſtianos omnes eſſe paruulos inſtar Tobiæ.

A n. 1. vſque 3. dantur varia puerorum exercitia, & quæ reprehendenda, oſtenditur. Num. 3. & 4. docemur, omnes Chriſtianos malitiâ pueros eſſe debere. Deinde n. 5. & 6. variis exemplis probatur, peſſimam regni adminiſtrationem ſub Rege ſenſu puero; & contrà.

SECTIO VIII.

Quomodo intelligendum quòd Tobias ſolus fugerit conſortia omnium aliis declinantibus ad vitulos? & cur Scriptura id tradat.

In hac ſectione à nu. 1. vſque 4. explicatur varia ſignificatio vocum *omnis*, & *ſolus*. Et à n. 4. vſque finem tres dantur rationes conſcriptionis conſtantiæ Tobiæ. Et ſimul malæ conuerſationis pericula; & quanti ſit apud Deum vnius iuſti conſortium.

SECTIO IX.

An non feciſſet opportunius Tobias ſe conformando Regi?

Num. 1. monſtratur, Zeloſos vulgò dici turbatores. Num. 2. 3. 4. 5. docetur non obediendum Regi contraria Deo præcipienti. Num. 6. laudantur, qui imperia regia diuinis poſtpoſuerunt. Nu. 7. docemur prauam religionem temporis longitudine non firmari.

SECTIO X.

Quæ mala moliatur ambitio & libido dominandi.

In qua ad longum per varia exempla tam ſacra, quàm profana lucidè exponuntur mali effectus ambitionis.

SECTIO XI.

Cur in laudem Tobiæ Scriptura commemoret eius iter in Hieruſalem?

Num. 1. datur cauſa litteralis. Num. 2. 3. 4. & 5. recenſentur tres rationes, cur obligari fideli ter in anno concedere Ieroſolymam. Nu. 6. concluditur inde, Impium eſſe varias modò pullulare hæreſes.

SECTIO XII.

Vtrum peculiaribus locis Deum orare pietatem redoleat? Et an Chriſtiani ex eo capite Hieroſolymam peregrinentur, quo Tobias?

In qua prima pars argumenti variis Scripturæ locis affirmatiuè & affatim probatur à n. 1. vſque 6. A n. 6. vſque finem ſecunda pars

argumenti negatiuè illuſtratur, & vnà dantur cauſæ peregrinationis Chriſtianorum verſus Hieruſalem.

SECTIO XIII.

An ex hoc loco Tobiæ inferre liceat, Chriſtianos Deum offendere, cùm Sanctos inuocant, aut ad memorias Sanctorum peregrinantur.

A num.1. vſque finem non ſolum refutatur error hæreticorum, adeoque licitum id eſſe; ſed pium eſſe, imò meritorium deducitur cùm ex ſacra pagina, tum ex veteribus Patribus.

SECTIO XIV.

Quenam fuerint ha primitiæ, & decimæ. Et quid hîc ad Tobiæ laudem, noſtramq; inſtructionem.

Num.1.2. aſſignantur tria genera primitiarum apud Hebræos ſoluenda, earumque datur differentia, vti & trium generum primogenitorum. Num.3. & 4. oſtenditur, tria etiam fuiſſe genera decimarum. A n.5. vſque finem monſtratur in quo laudandus Tobias, & ſimul reprehenduntur Chriſtiani Deo peſſima offerentes, decimaſque negantes.

SECTIO XV.

Quid ſignificet in ſacra Scriptura, Virum eſſe.

A n.1. vſque ſextum refertur triplex ſignificatio vocum, *virum eſſe*. Deinde n.6. deploratur quod pauci ſint, qui verè viri dici poſſint.

SECTIO XVI.

An rectè Matrimonium ſit amplexus Tobiæ.

Num.1. dantur duo motiua, quare Apoſtolus omnibus conſulat virginitatem colere. A n.2. vſque finem aſſeritur, rectè motum fuiſſe Tobiam ad matrimonium. Et vnà refutatur ſententia hæreticorum de obligatione nubendi.

SECTIO XVII.

An præter hiſtoriam aliquid faciat ad bonorum cumulum, genuiſſe filium. Et cur impoſita ſint filiis nomina.

Num.1.& 2. refertur ex ſacro textu, natalis filiorum marium tum matribus, tum patribus iucundiſſimus. A n.3. vſque 8. dantur tres rationes impoſitionis nominum. Num. 8. & 9. excitamur Chriſtiani ſolo nomine ad virtutem, & imitationem Chriſti.

SECTIO XVIII.

Quid ſit timere Deum? & an inſtructio Tobiæ quid contineat ad eius peculiarem laudem.

A num. 1. vſque 5. prima pars argumenti quadrupliciter explicatur. A num.5. vſque finem ſecunda pars illuſtratur. Item quàm vtile ante vſum rationis pueros inſtruere.

SECTIO XIX.

Quid ſit abſtinere ab omni peccato.

Num.1.2.& 3. traditur triplex ſignificatio vocis *peccatum*, duæ impropriæ, tertia propria. A n.4. vſque finem recenſentur rationes, quæ mouerunt Tobiam ad hoc præceptum, & nos mouere debent ad abſtinendum à peccato omni.

SECTIO XX.

An & quare etiam venialia vitare filium voluerit peccata Tobiæ.

In hac per totum dantur rationes admodum proficuæ, quare peccata venialia omninò vitanda, illudque mirificè illuſtratur ſimilitudinibus.

SECTIO XXI.

Quo tempore captus ſit Tobias.

In qua aſſeritur Tobias ſub Salmanaſar rege captus eſſe, non ſub Theglathphalaſar.

SECTIO XXII.

Quenam ſit via veritatis. Et quid inde ad laudem Tobiæ, & noſtram inſtructionem?

Num.1.2.3. & quarto enucleatur triplex ſignificatio verborum, *via veritatis*. Num.5.6. 7. & 8. declaratur ſeruitutis & captiuitatis grauitas; item quod eâ non obſtante manſerit Tobias conſtans. Deinde n.9. vſque finem mouemur ad conſtantiam ſeruandam, etſi inter prauos conuerſemur; perdoceturque malum conſortium non excuſare peccatorem.

SECTIO XXIII.

Quis fidelium hiſce temporibus conſtantiam Tobiæ imitetur.

Num.1. proferuntur duo genera fidelium inter Chriſtianos. Nu.2.3.4. variis argumentis ſolidè demonſtratur, Chriſtianos Romanos eius conſtantiam imitari.

SECTIO XXIV.

Cur laudabile fuerit in Tobia abſtinere à cibis gentilium.

In hac dantur tria argumenta, cur Iudæi abſtinerent à cibis Gentilium. Et ſimul indicatur cauſa cur Chriſtiani tempore Apoſtolorum abſtinuerint ab idolothytis.

SECTIO XXV.

An tempore Euangelij aliqui laudem mereantur per abſtinentiam à certis cibis.

Num.1.2.3.& 4. quæ abſtinentiæ cauſæ ſint, diſcutitur, & quæ licitæ, quæve illicitæ. Num.5.6.7.8.& 9. egregiè declaratur abſtinentiæ vtilitas & præmium per plura S. Scripturæ exempla, & Patrum ſententias.

SECTIO XXVI.

Prodeſſe etiam ad rem temporalem, Deum diligere ex toto corde.

In qua à n.1. vſq; 6. ex ſacro textu vtiliter & ſolidè aſſeritur, Dilectionem Dei eſſe cauſam omnis felicitatis temporalis. Nu.6. inde probatur Tobiam regi Gentili chariſſimũ, ab eoque ditatum fuiſſe. Nu.7.8.9.&10. è contra

tra pronuntiatur, Dei mandatorum contemptus omnis calamitatis fons.

SECTIO XXVII.

Iustos fieri alijs formidabiles. Et Deum non indigere operâ hominum ad conuertendos homines.

Prima pars argumenti ſtabilitur à n. 1. vſque 5. argumentis cùm ex nouo Teſtamento, tum veteri decerptis. Num. 5. & 6. probatur ſecunda pars ex eadem Scriptura.

SECTIO XXVIII.

Fruſtrà nos conqueri de Deo, quod à tribulatione non liberet, quando ipſum obliuiſcimur.

In hac à num. 1. vſque tertium aſſignatur vtilitas, quam parit iugis memoria Dei. A n. 3. vſque 9. habentur perplura S. paginæ loca, quibus enuntiatur obliuionem Dei cauſare omnia mala; idque nu. 7. inſigni & familiari oſtenditur ſimilitudine. Num. 8. & 9. habentur non pauca exempla animalium irrationalium, quæ iuſtis mirificè ſubſidio fuerunt.

SECTIO XXIX.

Quid hic verſus ad laudem Tobiæ, noſtramq; inſtructionem documenti ſuppeditet.

Num. 1. & 2. declaratur bonitas Dei, qua ſemper conſtituit iuſtos tamquam exemplaria inter impios. Num. 3. 4. & 5. docemur exemplo Tobiæ libertate nactâ non abutendum; Item quæ ſit libertas Chriſti quam nobis meruit. Num. 6. vſque finem declaratur, quantum præmium maneat aliorum ſaluti inuigilantes, eiuſque quanta ſit obligatio & neceſſitas.

SECTIO XXX.

Quæ monita dederit Tobias ſuis contribulibus.

Num. 1. & 2. demonſtratur D. Paulus, ſe omnibus conformando, longè abeſſe à vitio Politicorum. Num. 3. 4. & 5. aſſeritur, Tobiam, ſecundùm triplicem ſtatum contribulium triplicia adhibuiſſe monita ſalutis.

SECTIO XXXI.

An Tobias cùm ſæcularis eſſet, ad huiuſmodi exhortationem & correptionem teneretur.

Num. 1. & 2. docetur ad Sacerdotes & Propheras ordinariè ſpectare ignorantes docere, & peccantes corrigere; defectu verò illorum etiam ſæculares teneri; & quouſque. Nu. 3. 4. 5. 6. & 7. præſcribuntur quædam neceſſariò obſeruanda corripienti, vt eius correctio ſit vtilis. Num. 7. & 8. dantur duæ rationes, quare correptor debeat culpâ vacare, vti Tobias.

SECTIO XXXII.

Quid contineat ad encomium Tobiæ ſub chirographo Gabelo conceſſa pecunia; & an prudenter tantam ſummam mutuarit.

Nu. 1. docetur, legem fuiſſe apud Iudæos, qua iubentur cauere ne ſint pauperes. Num. 2. laudatur Tobias ab impletione eius præce-

pti, & quòd immunis fuerit ab vſuræ vitio, ac huius oſtenditur grauitas. Et n. 3. 4. 5. ab imprudentia excuſatur. Num. 6. & 7. deſcribuntur homines auari, à quo alienus fuit noſter Tobias.

SECTIO XXXIII.

Qua de cauſa oderit Sennacherib Iſraelitas. Et vnde contingat impios Principes regnare.

Quo ad priorem partem argumenti, tres referuntur cauſæ, num. 1. & 2. vnde n. 3. 4. 5. colligitur fideles infidelibus, vti & Catholici hæreticis, ſemper fuiſſe odio. Quoad poſteriorem partem n. 5. 6. 7. 8. latè deducitur Reges impios permitti à Deo in pœnam peccatorum ſubditorum.

SECTIO XXXIV.

Cur Scriptura hic addat Tobiam ſua conſolatione dolentes animos recreaſſe. Et quanti meriti ſit apud Deum nudos operire.

A nu. 1. vſque 5. vtiliter declaratur, quanto præmio digni ſint tribulatis condolentes, quantumque beneficium vinctis & afflictis habere conſolatorem. Num. 5. & 6. per exempla & aliàs aſſeritur magna merces operientibus nudos.

SECTIO XXXV.

Quàm Deus in blaſphemos excandeſcat eoſq; acerrimè puniat.

Num. 1. & 2. oſtenditur, olim blaſphemum lapidationi fuiſſe obnoxium. Et n. 3. 4. referuntur plurium exempla ex S. pagina, qui miſerè ob blaſphemiam perierunt. Num. verò 5. & 6. reprehenditur mala inter Chriſtianos conſuetudo blaſphemandi.

SECTIO XXXVI.

Quàm execrabilis fuerit ira Regis Sennacherib vindicans Dei plagam in Iſraelitas. Et quàm neceſſarium iram tempeſtiuè deponere.

Num. 1. oſtenditur quare execranda ira. Et n. 2. 3. 4. 5. 7. & 8. exaggeratur rationibus pluribus ira Sennacherib. Et n. 9. & 10. docemur tempeſtiuè iram deponere.

SECTIO XXXVII.

Quam crudele ſit in mortuorum cadauera ſæuire. Et cur tantopere infeſtus fuerit Tobiæ Sennacherib, quòd ſepeliendis Iudæis vacauerit.

Nu. 1. & 2. docetur, Inimicis vix vnquam denegata ſepultura. Num. 3. & 4. grauiſſimũ eſſe ſcelus in mortuorum cadauera ſæuire. Et n. 5. 6. aſſignatur cauſa poſterioris partis argumenti. Num. 7. 8. 9. 10. & 11. additur morale de perſeuerantibus in peccato. Num. 12. & 13. recenſentur tres rationes, cur Deus Sennacherib, & alios impios tam diuturna donet vita.

SECTIO XXXVIII.

Nuſquam magis inſperatam, quàm apud Aulicos contingere mutationem. Et quare?

In qua fusè & doctè proditur incõſtantia,

pronitas ad omnia peccata, aliaque Aulicorum mala. Vnde n.16.17. & 18. consulitur fuga Aulæ.

SECTIO XXXIX.

An laudabile aliquando sit fugere?

In hac per plura Scripturæ loca affirmatur id non solum licitum, & decorum, sed & meritorium aliquando esse.

SECTIO XL.

Cur seruatus à cæde Angelica Sennacherib ad dies quadraginta quinque, tandem à filiis occiditur. Et quæ ex motiuis filiorum documenta.

Num.1.2.3.& 4. recensentur rationes tres dilationis vindictæ Dei erga Sennacherib, valde vtiles. Num.5.6.7.8.& 9. edocetur periculosum esse, si parentes vnum filium alteri præferant. Et n.10. asseritur aliquando excellentiorem posse esse parentum amorem erga vnam prolem, quàm aliam. Num.11.12.13. docetur, Promouentes se iniquis modis, iisdem perire.

SECTIO XLI.

Regni vim sine Deo esse inualidam. Et vnde plerumque Regum tam breuis vita.

Prior pars argumenti, fusè ex Scripturæ exemplis probatur à n.1. vsque 5. Num.5.6. asseritur, peccata in Regibus causare repentinam mortem. Vnde num.7. traditur modus Principibus benè moriendi; idque confirmatur pluribus profanis exemplis.

SECTIO XLII.

Quod Deus variis modis iustos ab iniustitia Principum, ac tyrannide liberet, eosque restituat.

In hac à n.1. vsque 7. variis exemplis & historiis prædicatur Dei prouidentia in suis liberandis à tyrannorum sæuitia. Et n.7. docemur, Deum tyrannos plus æquo sæuientes in iustos tandem punire. Vnde n.8. concluditur, Hæreticis manere funestum exitum, si nimium in Catholicos sæuiant, idque exemplis fulcitur.

Capitis secundi

SECTIO I.

Quid in hoc conuiuio exhibito in die festo ad laudem Tobiæ? Et vnde ortum quod Hebræi diebus festis conuiuia extruerent.

Num. 1. traditur mos fuisse Hebræis conuiuia lætitiæ diebus festis extruere. Num.2. ostenditur magni meriti esse recreare afflictos. Num.3.4.5. docemur, conuiuia extruenda ad fouendam mutuam charitatem, vti hic Tobias. Num.6. instruimur, laude dignum esse, & meritorium pios & pauperes inuitare; quod n.7.& 8. latius commendatur. Num.9. dantur causæ posterioris partis argumenti.

SECTIO II.

An necessarium inuitare pauperes? Et an alias licitum fidelibus adornare conuiuia.

Quoad prius quæsitum n.1.2.3. respondetur negatiuè, sed asseritur summè meritorium esse, eos inuitare; ac pauperum contemptores Deo esse odibiles. Quoad posterius quęsitum doctè ostenditur, non damnari conuiuia, sed eorum abusus; idque variis & concinnis similitudinibus illustratur, à n.4. vsque finem.

SECTIO III.

Quale contineat hæc sedulitas sepulturæ encomium Tobiæ.

Num.1. traditur ratio, cur priscis Patribus tanta cura sepulturæ. Num.2. grauiter peccare asseritur hoc pietatis officium negligentem. Hinc n.3.& 4. prædicatur Tobias, quod huic operi vacauerit cum periculo vitæ; & ea de causa reliquerit prandium. Num.5. docemur, Deum non relinquere Sanctorum corpora insepulta. Num.6. assignantur quædam crimina, quæ priuatione sepulturæ puniuntur.

SECTIO IV.

Quàm sit gratum Deo, expeditum esse ad opus bonum.

Num. 1. varius ostenditur mos Hebræis fuisse accumbendi mensę. A n.2. vsque 12. admonemur exemplo Tobiæ, & aliorum non segniter procedere ad opus bonum; & simul proponitur, magni meriti esse promptitudinem in opere bono. A num. 12. vsque finem arguuntur tardi in spiritualibus.

SECTIO V.

Veram prudentiam homini esse necessariam.

In qua à n.1. vsque 7. eius necessitas in omni opere per varia exempla ex sacro textu desumpta, ostenditur. Num.7.8.9. Superiores verâ prudentiâ diu florere, & imprudentiâ perire. Num.10.11.12.13. animantur Christiani ad prudentiam spiritus amplectendam, & prudentiam carnis repudiandam.

SECTIO VI.

De quo pane hic loquatur Tobias, & quid sit, cum luctu eum manducare.

Num. 1. traduntur variæ significationes vocis, *panis*. Num.2. recensentur tres causæ, cur Iobus horruerit cibum sumere cùm necessitas cogeret. Num.3.4. instruimur quod inter epulas & delicias mortis acerbitas sæpè sese misceat, adeoq; semper timenda rerum vicissitudo sit. Item enucleatur cur adducatur hic locus Amos 8.

SECTIO VII.

Non curandos amicos, qui dehortantur à bono. Et magis timendum Deum, quàm Regem, cùm Deo contraria præcipit.

In qua à nu.1. vsque 4. docetur, repudiandos esse amicos cum à bono auocare conantur. A n.4. vsque 9. Regi in licitis obediendũ esse, in contrariis Deo non curandum ad mortem

mortem vſque, exemplo Tobiæ,& alionum plurimorum Sanctorum hic allatorum. Vnde n.9.10. declaratur, iuſſionem Regis non excuſare obedientem à peccato.

SECTIO VIII.

An apertis oculis dormierit Tobias, an clauſis? Qua ratione ſtercora hirundinum alias medicabilia valuerint excæcare Tobiam, & cur id permiſerit Deus.

Prima pars conceditur vtroque modo potuiſſe fieri,n.1. Et n.2.3.& 4.docemur Deum rebus minimis mole, & virtute admodũ infirmis effectus grandes producere. A num.5. 6.7.8. 9.& 10. traduntur quinque rationes valde morales cur Deus ſuos aduerſitatibus agitet; item fructus tribulationum.Num.11. vſque finem enũntiatur per plura Scripturæ exempla, Deum ſæpius iuſtos conſtituere tamquam portentum inter impios.

SECTIO IX.

Nihil caſu contingere in hoc mundo. Et Deum iuſtorum patientiam exercere ad aliorum inſtructionem.

A num.1.vſque 12.declaratur per exempla Scripturæ, quæ maximè caſualia videntur, omnia à Dei prouidentia proficiſci, nihil caſui adſcribendum. A nu. 12. vſque finem traditur generatim & ſpeciatim cuilibet afflicto materia ſe conſolandi, ſeſeque componendi ad patientiam, ex ſacro textu.

SECTIO X.

Quo ſenſu dicatur Tobias non contriſtatus contra Deum, cæcitatis cauſa.

Num.1. oſtenditur, leuem aliquam triſtitiam poſſe inueniri in viris ſanctis afflictis ſine culpa.A num.2.vſque7.aſſignatur alia triſtitia, quæ dicitur murmuratio, quæque abfuit à Tobia, & aliis Sanctis in aduerſis, & à Chriſtianis abeſſe debet.Deinde a n.7.vſque finem vtilibus rationibus retunditur conſuetudo murmurandi,& ſuggillandi opera Dei.

SECTIO XI.

Nihil vtilius, quàm Deo gratias agere in aduerſis.

In hac plurimorum virorum Sanctorum exemplis ex ſacra pagina, & elegantibus Patrum ſententiis demonſtratur, ingentem theſaurum ex gratiarum actione in aduerſis prouenire.

SECTIO XII.

Quam graue ſit irrideri ab amicis, maximè in cauſa religionis.

Num.1.2. probatur durum eſſe ab inimicis derideri. Num. 3. latè deducitur, durius eſſe amicis eſſe riſui.Num.4.5.6.&7.aſſignatur ſimilitudo, qua Tobias & Iobus ſimiles dicuntur,&c. Num.8.9.10.duriſſimum aſſeritur irrideri in cauſa religionis. Num.11.coronam cæleſtem manere irriſiones patienter ſuſtinentes.

SECTIO XIII.

Quid doceat Tobias noſter poſt irriſionem amicorum, non inſultans, ſed potius de graui correptione ſollicitus.

Num.1.2.3.4.& 5.docemur, raram eſſe fratrum gratiam & charitatem.Num.6.lenitate inimicos eſſe lucrandos, ſolidè demonſtratur.

SECTIO XIV.

Exempla Sanctorum, cæleſtia meditantium acrem eſſe ad virtutem ſtimulum.

Num.1.2.& 3. inſtruitur, quinam impropriè,quinam propriè Sancti appellandi. A num.4. vſque finem longè lateque probatur præmium cæleſte maximum eſſe calcar ad virtutem amplectendam.

SECTIO XV.

An nulla pœna maneat irriſores.

A n.1.vſque 6. oſtenditur variis hiſtoriis deriſores ſemper fuiſſe à Deo grauiter punitos.Num.6.diſcutitur quare Tobiæ irriſores non legantur puniti.Et num.7.8.9.&10.latè probatur Deum ſi ſtatim non puniat deriſores, tarditatem ſupplicij grauitate compenſare.Num.11.& 12.declaratur ex ſacro textu, grauem offenſam Dei eſſe nouitios in fide irridere.

SECTIO XVI.

Quæ de cauſa vxor Tobiæ ad opus textrinum quotidie proceſſerit.

Num.1.2.3.dantur duæ cauſæ, cur homines aliqui laborare teneãtur. Num.4.5.multiplex eſſe ars texendi, eaq; mulieribus communis fuiſſe,oſtenditur. Vnde n.6. laudatur Anna, aliæque mulieres ob maritorũ curam.

SECTIO XVII.

Cur tam attentè Tobias caverit à re furtiua.

A n.1.vſque 5.datur prior ratio,nempe iuſtos damna temporalia modeſtiſſimè ſuſtinere, ſpiritualia moleſtiſſimè. Num.5.datur poſterior,nempe rem furtiuam ſuo detentori eſſe nociuam.Num,6.mouetur vnica quæſtio, An mediatori qui rem alteri emit decem florenis, liceat computare duodecim, eò quòd alibi minoris non potuerit emere.

SECTIO XVIII.

An rectè ſuſpicatus fuerit Tobias hœdum illum eſſe furtiuum.

A n.2. vſque 7. diſtinguuntur ſuſpiciones maleuolorum à bonorum ſuſpicionibus. Et nu.7. aſſeritur, licitè quandoque Superiores malè ſuſpicari de ſubditis. Ac nu.8. demonſtratur, Tobias non ſine cauſa malè ſuſpicatus de vxore.

SECTIO XIX.

An conueniat vxori ita agere cum marito, vti hîc vxor Tobiæ, & quo ſpiritu illa agitata tam inſulsè reſponderit.

Num.1.2.3. docetur,mulierũ eſſe obedire

maritis,eosque reuereri. Num.4.5.& 6.ostenditur impudentia vxoris Annæ. Num.7. 8.9.& 10. latè proponitur, impias feminas esse instrumenta Diaboli ad quæque mala feminanda.

Capitis tertij

SECTIO I.

An Tobias nihil respondendo vxori obedierit contra voluntatem Dei.

Num 1.referuntur mariti nimium vxoribus obtemperantes vulgò prouerbio notari. Num.2.3.4.docetur, prudentiæ esse,si maritus in domesticis simulat cum vxore pacis causa. Num.5. iudicatur impium, maritum obedire vxori in illicitis & malis. Num.6. redarguuntur similes mariti. Et nu.7.8.9.& 10.laudantur ij, qui in malis, vxoribus restiterunt. Num.11. propugnatur Tobias vxori maledicæ non obloquens: & simul docetur non respondendum esse linguæ blasphemãti.

SECTIO II.

Cur Tobias vir iustus oret veniam pro peccatis suis, ac parentum? Quodq; documentum praclarum exhibeat superioribus mala à suis subditis ac domesticis auertendi.

Num.1. latè probatur Deum alicuius recordari , idem esse quod propitium esse. Num.2. describitur iuuentutis inconstantia. Num.3. docetur,morem viris esse sanctis sua & prædecessorum peccata fateri. Num. 4. vsque finem pluribus inculcatur Superioribus cura in auertendis plagis ab impiis subditis.

SECTIO III.

Pios agnoscere in pœnis iustitiam & clementiam Dei;impios autem blasphemare:& quo exitu?

A num.1.vsque 7.pluribus Scripturæ locis docetur,eamdem afflictionem diuersimodè afficere iustos & iniquos. Num.7.probatur, in pœnis patientes , Dei misericordiam mereri. Num.8. 9.& 10. reprehenduntur qui instar Gẽtilium,calamitatibus affecti,Deum blasphemiæ verbis petunt. Num.11.& 12. proponuntur rationes , quare se afflictus ad patientiam componere debeat.

SECTIO IV.

Quanta res sit se subiicere diuinæ voluntati.

Num.1.2,assignatur duplex Dei voluntas, signi nempe & beneplaciti. A nu.3. vsque 7. ostenditur,in omnibus Dei voluntati acquiescendum. A nu.7. vsque finem variè docemur, nihil præstantius esse, quàm diuinis beneplacitis esse conformem.

SECTIO V.

An rectè petierit Tobias , morte mediante liberari ab incommodis,quæ patiebatur.

Num.1.2.3.probatur, licere Dei beneplacitum auertere mediis conuenientibus. Num. 4. 5. 6. tribus de causis esse licitum mortem optare.

SECTIO VI.

Quare Scriptura hoc loco recenseat improperium, quod passa filia Raguelis.Et quod sit primum peccatum procacis ancillæ.

Num.1. & 2. definitur improperium; & simul dantur duæ rationes immixtionis improperij Saræ hoc loco Tobiæ. Num.3.declaratur durissimum esse à sibi subiecta persona aliquid pati. Num. 4. ostenditur ancillam Saræ in iudicium temerarium impegisse; quod & num.5.6.7.8.9.10.& 11.maximè iniquum esse,inculcatur. Num.12. plurimi iusti calumniam passi proponuntur in solatium afflictorum.

SECTIO VII.

In quo viterius peccarit hæc Sara ancillula.

A num.1.vsque 9.ostenditur primùm maledicentiæ ream esse , deinde maledictionis grauitas proponitur,& variis funestis exemplis auertimur à maledictionisvitio.Num.9. declaratur exemplo huius ancillæ,maledicus plurium vitiorum reus. Num.10. & 11. demonstratur Dauid non peccasse maledicendo domui Ioab.

SECTIO VIII.

Quid docuerit suo exemplo Sara, dum nullas contumelias regerens ad cœnaculum superius se recipit?

Nu.1.2.3.4.assignantur insignes vtilitates silentij, quas affert, dum aliquis contumeliis affectus patienter tacet. Et num.5.reprehenduntur, qui ad primum verbum contumelioſum,plura referunt. Nu.6.doctè demonstratur,Silentium quandoque supplere vices reprehensionis asperæ. Nu.7.8.9.eleganter ostenditur, Fortitudinem consistere in patienter ferendis cõuitiis,& domando animo.

SECTIO IX.

In quem finem adhibuerit Sara in sua afflictione ieiunium & orationem?

Num.1.dantur diuersæ ieiunantium causæ. Nu.2.datur prima ratio ieiunij Sarę,nempe, quòd ieiuniũ motuum iræ sit frenum. Nu.3. ratio secunda habetur , quæ consistit in ieiunij efficacia. Nu.4. vsque finem longè lateq; ostenditur, Orationem cum lachrymis in luctu conueniens esse remedium.

SECTIO X.

Cur Sara hoc loco benedixerit Dominum ? quodque doceat quanis mala nobis euenire Deo permittente.

Num.1.2.3.4.5.6.docemur exemplo Saræ, & aliorum sanctorum virorum , consolationem esse efficacissimam in omni tribulatione , si cogitemus nihil euenire nobis , cuius Deus auctor non sit,excepto peccato. Nu.7. & 8.ostenditur , Deum mala permittere , vt inde bona eliciat.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO XI.

Quid boni gignat perſuaſiſſimum ſibi habere, Deo permittente in hoc ſæculo omnia fieri?

Nu.1. aſſeritur, inprimis facere hominem diuinę ſeſe conformare voluntati. Nu.2. excitare ad gratiarum actionẽ in aduerſis. Num. 3.4.& 5. probatur, Dei iram non ſæuire in iuſtosvſque ad mortem, ſed tandem miſericorditer agere; Idque illuſtratur ingenioſa ſimilitudine.

SECTIO XII.

An rectè Sara huiuſcemodi oratione Deum interpellet, cùm ex meditatione ſua perſpectum habeat, Deo permittente, ancillulam opprobriis ſupradictis eam laceſſere.

A n.1. vſque 6. docetur Voluntati ſigni neminem obſiſtere poſſe; voluntati verò beneplaciti reſiſtere licere, imò aliquando neceſſariũ, vt à malis liberemur. Nu.6. oſtenditur, calumniæ ſenſum eſſe tenerrimum. Nu.7.8. inculcatur, non reſiſtendum voluntati beneplaciti, cùm certò ea conſtat.

SECTIO XIII.

An rectè poſuerit in bonis operibus, & tranquilla conſcientia fiduciam Sara.

Num.1.2.3.& 4. aſſignantur tres caſus, quibus liceat recenſere bona opera, & in iis fiduciam ponere; idq; Deo gratum eſſe, nobiſve vtile probatur. Nu.5. commendatur efficacia bonæ conſcientiæ.

SECTIO XIV.

An omnes omninò ludos vitare debeant femina & puella inſtar Sarę?

Num.1. oſtenditur recreationes ludicras, ſi honeſtæ, licitas eſſe & vtiles. Num.2.3. quæ ſaltationes, & choreæ licitæ, quæve illicitæ. Num.4.& 5. prædicatur modeſtia Saræ. Nu. 6.7.8.& 9. deploratur puellarum modò libertas; & vnà dehortantur rationibus vtilibus ab inhoneſtis choreis.

SECTIO XV.

Animus cum Deo cõpoſitus ne quidem in manifeſtis proximum culpat, ſed totum quale eſt, quod eum afficit, tamquam dubium Dei iudicio relinquit.

Nu.1.2. oſtenditur moris eſſe Sanctis aliorum culpas reprimere in excuſatione impoſiti criminis. Nu.3.& 4. docemur vitia aliorũ licet manifeſta, excuſanda, Deoque relinquenda. Nu.5.& 6. declaratur vix vllum liberũ reperiri à temerario iudicio. Nu.7. variis & ſolidis rationibus reprimitur ea temeritas; idque n. 8. duobus exẽplis magis inculcatur.

SECTIO XVI.

Qua certitudine iuſtus anguſtiatus certò ſcire poſſit ſe coronatum iri?

Nu.1. declaratur iuſtos anguſtiatos manere in hoc & alio ſæculo præmium. Nu.2.3.4.5. docemur variis Scripturæ locis, quædam ſciri poſſe alia & alia certitudine. Vnde n.6.7.& 8. concluditur iuſtum certò, nempe certitudine fidei, coronandum nobis conſtare.

SECTIO XVII.

Signum eſſe diuini amoris, quando à Domino corripimur.

In hac doctè & ſolidè per totum docemur, Deum, quos punit peccatores, diligere; infelices verò exiſtere, quos ſinit impunè peccare.

SECTIO XVIII.

Multis argumentis probatur, Deum non delectari in perditionibus noſtris.

Num.1. probatur id inprimis ex ſacra Scriptura. Num.2.& 3. ex eo, quod Deus ſempet præueniat, antequã puniat. Nu.4. probatur ex eo, quod Deus lentè & gradatim ad plagas procedat. Tandem n.5. ex eo, quod Deus poſt triſtia ſemper læta concedat.

SECTIO XIX.

Quomodo prolixa hac oratio Sara placuerit Deo.

Nu.1. & 2. determinatur quænam oratio prolixa Deo diſpliceat. Et num.3. quę oratio prolixa placeat.

SECTIO XX.

Ad quid vtilis ſit ſolitudo.

Hæc ſectio ad longum optimè profert vtilitates ſolitudinis, eiuſque neceſſitatem.

Capitis quarti

SECTIO I.

Cur Deus non reuelauerit Tobiæ, qualiter exaudita eſſent eius preces? Cur denuo inſtruat filiũ Tobiæ: iubeat honorare matrem, deq; eius ſepultura.

In qua à n.1. vſque 5. prius diſcuſſis rationibus, cur Deus Iſaacum non fecerit conſcium, æquè ac Rebeccam de electione Iacobi ad primogenituram, aſſignantur nu.5. rationes ptioris partis argumenti. Num.6.& 7. quoad poſteriorẽ partem oſtenditur, viros ſanctos morituros ſolere ſuorũ curam gerere. Nu.8. & 9. docetur matribus à filiis deberi honorem. Item n.10. Coniugalis fidei eſſe ſignum commune ſepulchrum.

SECTIO II.

Quomodo & quare oporteat Deum ſemper habere præſentem.

Nu.1.2.& 3. oſtẽditur, tres eſſe gradus perfectionis. A n.4. vſque finem longè lateque variis ſimilitudinibus, lepidiſque exemplis inculcatur, recordationem præſentiæ Dei euehere homines ad ſummam ſanctitatem; eiuſque obliuionem, peccatorum fontem.

SECTIO III.

An de illicitè acquiſitis non poſſit fieri eleemoſyna.

Num.1. triplicia eſſe bona illicitè acquiſita refertur. Et n.2. vſque 7. aſſeritur eleemoſynam ex alieno erogatam Deo diſplicere. Nu.7. eleemoſynam ex lucris turpibus meritoriam eſſe.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO IV.

Quo caſu cenſeatur quis auertere faciem ſuam à paupere, ita vt timendum ſit Deum auertere faciem ab homine.

A n.1. vſque 4. docemur quanta ſit crudelitas diuitum in pauperes immiſericordium. Nu.4. probatur grauiter peccare, qui contumelia afficit pauperẽ. Nu.5. grauiter peccare oſtenduntur, qui nimis rigidè à paupere debitore ſolui volunt. Num.6. excitamur iuxta eleemoſynas adiungere benigna verba. Nu. 7. docemur nullam habendam eſſe rationem perſonarum in benefaciendo. Nu.8. & 9. dicitur, auerſionem diuinæ faciei ab homine, grauem eſſe pœnam.

SECTIO V.

An Dei iram incurrat Magiſtratus, qui ex ciuitatibus pauperes peregrinos expellit.

A num.1. vſque 6. diſcutitur quid lex naturæ, lex Moſaica, ac gratiæ de ſubleuandis pauperibus ſtatuat. Num.6.7.8. & 9. tres aſſignantur caſus, quibus excuſatur magiſtratus. Num.10. exaggerantur mala otiolitatis. Num.11. declaratur, priſcos Patres etiam excuſare magiſtratum.

SECTIO VI.

Quare Tobias tam impensè commendet filio eleëmoſynam.

In hac à num.1. vſque 9. commendatur pluribus efficacia & fructus eleëmoſynarum. Num.9. præcipitur, pauperibus ſana danda, non putida. Num.10. docetur eleëmoſynam non ex pretio, ſed voluntate dantis æſtimandam.

SECTIO VII.

Qualiter eleëmoſyna à peccato & morte liberet, aliaq; præſtet à Tobia commendata.

Num.1. iterùm inculcatur vtilitas eleëmoſynæ. Num.2.3. docetur tripliciter eleëmoſynam liberare à peccato; quod n.4.5.6. & 7. latius explicatur. Num.8. vſque finem oſtenditur, quibus eleëmoſyna data non proſit largitoribus.

SECTIO VIII.

Cur Tobias mandet tantopere filium ante coniugium ab omni fornicatione abſtinere?

Num.1. traditur verbum *Attende*, ſolere ad res graues adhiberi ſignificandas. Num.2.3. traditur enormitas fornicationis. Num.5.6. 7.8. latè probatur libidinem omnium vitiorum compendium; quod n.9.10. & 11. mira tragœdia libidinoſi iuuenis confirmatur. Num.12.13. & 14. reprehenduntur mulieres proſtituentes filias, nec occaſiones ſuccidentes.

SECTIO IX.

Quare Tobias filium vſque adeò benè inſtructum, ab adulterio tantopere dehortetur.

In qua à num.1. vſque 10. oſtenditur enormitas, mala, pœnaque in adulterium conſtituta. Num.10. docetur, Niniuitas olim ad libidinem & maleficium pronos. Num.11. excitantur patresfamilias, imitari exemplum Tobiæ.

SECTIO X.

Quare Tobias tantopere dehortatus eſt filium ab omni ſuperbia.

Num.1.2. & 3. oſtenditur, quid ſit ſuperbire in ſenſu, quamque Deo odibilis ſuperbus; quod num.4.5.6. altiùs declaratur. Nu. 7. vſque 12. ſolidè oſtenditur, ſuperbiam in verbis vitandam, Deoque execrabilem. Nu. 12. vſque finem, vtiliter commendatur Chriſtianis humilitas.

SECTIO XI.

Quorſum tam ſollicitus fuerit de mercede operarij Tobias ſenior.

Num.1. traditur quis ſit operarius. Num.2. declaratur apud Iudæos legem fuiſſe de ſoluendis operariis ante ſolis occaſum. Num.3. operario indigenti eadem die etiam modò ſoluendum. Num.4.5.6. longè demonſtratur, defraudationem mercedis eſſe illicitam, & à Deo ſeuerè puniri.

SECTIO XII.

Quid præſcribat filio ſuo Tobias ſenior hiſce verbis: Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri aliquando facias.

Num 1. ponitur prima opinio finis huius præcepti. Num.2. opinio ſecunda. A num.3. vſque 7. doctè oſtenditur præuaricationem huius legis dediſſe cauſam præſcriptioni ceterarum legum. Num.7. vſque finem, occaſione huius legis tractatur de dilectione inimicorum.

SECTIO XIII.

Qua de cauſa Tobias filio commendet pauperes conuiuas, nudoſq; operire.

Hæc Sectio ſeſe refert ad dicta Sectione 3. cap.2. & Sect.34. capitis 1. n.5. & 6.

SECTIO XIV.

Quid ſit panem & vinum ſupra ſepulturam iuſtis conſtituere, & qua de cauſa hoc ipſum præcipiat Tobias filio.

Poſitâ num.1. Munſteri hæretici de hoc loco expoſitione, traditur num.2.3.4. & 5. variam fuiſſe olim conſuetudinem de cibis ſuper mortuorum ſepulchra conſtituendis, ſeu epulis exſtruendis in exequiis. Num.6. vſque 14. aſſeritur Tobiam id feciſſe, & hodie fieri pro ſalute defunctorum. Num.14. vſque finem redarguitur impietas hominum erga animas defunctorum, & ſimul ſtimulantur ad pia opera pro iis præſtanda.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO XV.

Qua de cauſa Tobias inhibuerit filio iniuſtos ad menſam, defunctorum cauſa inſtructam, inuitare.

Num. 1. & 2. admonemur vitioſorum conſortium fugere. Num. 3. præſtare, eleëmoſynam elargiri piis, quàm impiis.

SECTIO XVI.

Qua de cauſa moneat filium Tobias conſilium à ſapiente perquirere.

Num. 1. 2. & 3. aſſignantur tres rationes moribus omnino congruæ, huius Tobiani præcepti. Num. 4. 5. 6. 7. oſtenditur magni faciendus bonus conſiliarius. Et nu. 8. 9. probatur, conſiliarios impios tam reipublicæ, quàm priuatæ ſummopere nociuos. Num. 10. 11. 12. docetur, quinam conſiliarij tam perſonis publicis, quàm priuatis ſint adhibendi, qui reiiciendi.

SECTIO XVII.

Quid neceſſum ſit homini ad hoc, vt conſilium ſalubre accipiat.

Num. 1. 2. 3. & 4. latè inculcatur, conſulendam prius eſſe propriam conſcientiam, deinde virum timoratum adeundum. Num. 5. 6. & 7. docetur, Deum etiam orandum eſſe à conſulente, vt bonum conſilium percipiat. Num. 8. 9. & 10. datur aliud documentum, nempe Deum impiorum conſilia contra pios, caſſa reddere, & in piorum bonum conuertere.

SECTIO VLTIMA.

Quorſum tam parcè de re temporali agit Tobias ſenior cum filio, de re ſpirituali vſque adeò liberaliter.

A num. 1. vſque 3. traditur prima cauſa, vbi docemur, bona danda pauperibus, cùm viuitur, non differendum vſque articulum mortis, vti Tobias. Num. 3. traditur ſecunda cauſa, nempe exemplum priſcorum Patrum. Et num. 4. vſque finem, longè latéque docetur, ex timore Dei temporalia abundè prouenire, nec diffidendum de neceſſariis, modò timeamus Deum.

Capitis quinti

SECTIO PRIMA.

Vnde tam obedientem ſe exhibuerit Tobias iunior.

Num. 1. 2. 3. 4. & 5. dantur duæ rationes huius obedientiæ, vbi docemur, bonum exemplum parentum plurimum proficere in filiis; quod deinceps pluribus exemplis, & à contrario num. 6. vſque finem affatim confirmatur.

SECTIO II.

Ad quid Scriptura ſacra teſtatum reliquerit Tobiam voluiſſe virum fidelem filio ſuo comitem.

A num. 1. vſque 4. docemur, filiis adſciſcendos eſſe ſocios morigeros & pios ob periculum. Vnde num. 4. reprehenduntur, qui liberos collocant apud homines non bonæ vitæ.

SECTIO III.

Quanam Scriptura ſacra ex hoc ſchemate Angeli ſeſe iuniori Tobiæ ad iter comitis opportuni ſiſtentis, nobis ſuppeditet documenta?

Num. 1. 2. 3. 4. pulchra & docta habentur de prouidentia Dei, qui ſuos miraculosè protegit. Vnde num. 5. 6. pluribus declaratur, non eſſe formidandum hominibus, cùm aliquid arduum aggrediendum, ſed ſperandum in Deo. Num. 7. & 8. agitur de ſingulari præſidio Angelorum erga homines, eorumque mira ſubmiſſione, qua noſtra ſuperbia confunditur.

SECTIO IV.

An bonum ſit alios ſalutare.

Num. 1. tractatur de variis ſalutandi formulis. Num. 2. ponuntur dubia quædam circa ſalutandi modum ex ſacra Scriptura. Num. 3. aſſeritur id licitum & pium eſſe, ex conſuetudine Angelorum. Et num. 4. ex conſuetudine ſanctorum virorum. Num. 5. & 6. ſoluuntur obiectiones. Et num. 7. prohibentur ſalutationes illicitæ.

SECTIO V.

An homo queat ſemper in tribulatione gaudere.

A num. 1. vſque 10. aſſignantur tres rationes morales, quare in tribulationibus ſit gaudendum. Num. 10. 11. recenſentur cauſæ, cur quidam homines tribulati ſtatim decidant animis. Vnde à num. 12. vſque finem variè excitamur ad tribulationes hilariter perferendas.

SECTIO VI.

An Tobias incredulus fuerit verbis Angeli gaudium in tribulatione apprecantis.

Poſitis num. 1. diuerſis huius loci expoſitionibus, datur num. 2. expoſitio probabilis. Num. 3. expoſitio probabilior. Et num. 4. probatur aliorum exemplis Tobiam non fuiſſe incredulum. Num. 5. idem confirmatur ex eo quòd interrogationes in ſacra Scriptura multiplici ſenſu exponendæ ſint.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO VII.

Vnde potuerit Angelus scire quòd breui curaretur à Deo Tobias senior; similiter quòd filium duceret & reduceret incolumem, & quæ ex horum notitia documenta.

Num. 1. 2. 3. præpositis quibusdam de scientia Angelorum circa futura contingentia, tandem asseritur Angelum Raphaëlem ea prædixisse ex Dei reuelatione. Num. 4. & 5. docemur veridicos nullo modo à nobis esse consulendos. Num. 7. & 8. instruimur, nihil tentandum, nisi Dei directione imploratâ.

SECTIO VIII.

An liceat alicui parenti instar Tobiæ senioris, cuipiam committere filium, ex eo quod optimo parente natus sit, absque vlteriore exploratione.

A num. 1. vsque 3. latè ostenditur, manifesta morum indicia à genere desumi in sacra pagina. Num. 3. & 4. docemur, ex piis parentibus sæpius impios liberos procreatos. Nu. 5. & 6. asseritur, virtutem patriam nihil prodesse filiis. Num. 7. concluditur, non de genere, sed virtute pædagogi esse parentibus inquirendum. Num. 8. excusatur Tobias à leuitate.

SECTIO IX.

Cur mercenarius hic de cœlo missus se Angelum esse celet. Et an absque mendacio dixerit se Azariam magni Ananiæ filium?

Num. 1. datur ratio primæ partis argumenti. Num. 2. probatur, dissimulare quandoque veritatem non tantùm licitum, sed prudentiæ esse. Num. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. examinatur secunda pars argumenti, & verba Raphaëlis excusantur à mendacio; ac soluuntur obiectiones. Num. 10. & 11. ostenditur per exempla, mendacia etiam leuissima punita fuisse.

SECTIO X.

An hominum homini apprecata benedictio sit vllius efficacia.

Num. 1. 2. & 3. recensentur tria genera hominum, qui olim aliis benedictionem impertiri solent. Num. 4. vsque 10. ex Scriptura asseritur, huiusmodi benedictiones fuisse efficaces. Vnde num. 10. & 11. traditur benedictiones Sacerdotis noui Testamenti esse efficaciores. Et num. 12. inde hortantur filij ad obedientiam præstandam parentibus.

SECTIO XI.

Quare huius Annæ imperfectionem Spiritus sanctus æternitati mandarit?

Num. 1. 2. & 3. assignantur tres causæ generales, ob quas Scriptura sacra Sanctorum recenseat vitia & imperfectiones iuxta eorum virtutes. Num. 3. 4. & 5. docetur, parentes ab immoderato amore erga liberos abstinere debere. Et num. 7. celebrantur parentes, qui Dei causa, aut ob aliam piam causam, patiuntur libenter filios suos à se diuelli. Num. 8. & 9. probatur pluribus, femineum sexum maximè esse querulum. Et num. 10. tractatur de mobilitate feminarum, vti & num. 11. ac 12. de instabilitate vulgi.

SECTIO XII.

Quare Tobias vxorem deplorantem filij decessum non increpauerit, sed bonis verbis consolatus sit.

In qua docemur exemplo Tobiæ, optimum consolandi afflictos modum esse, modestia vti, eamque maximè conuenire maritis.

Capitis sexti

SECTIO PRIMA.

Quare Scriptura sequelam canis commemoret?

Num. 1. 2. narrantur aliqua exempla, quibus commendantur officia canum erga homines. Num. 3. vsque finem ratione fidelis huius canis, agitur de fidelitate sibi inuicem seruanda, & infidelitas reprehenditur. Item hominum ingratitudo mutorum animalium exemplis arguitur.

SECTIO II.

Qua ratione seruatus sit Tobias iunior, à læsione immanis belluæ eum inuadere conantis, dum conscenderet lauatum pedes.

Num. 1. agitur de vsu lauandi pedes, eiusque causa. Num. 2. discutitur quis sit ille piscis. Num. 3. asseritur, Tobiam propter iustitiam euasisse periculum, vbi de Dei protectione erga iustos. Num. 5. adscribitur illæsio Tobiæ Angelorum opi; vbi simul de prouida Angelorum erga homines custodia, quod nu. 6. 7. 8. & 9. latius probatur. Nu. 10. 11. & 12. discutitur, quomodo Angeli plurimos siuerint à feris interimi.

SECTIO III.

Quenam vlterius hæc Tobiæ & Angeli dicta & facta nobis documenta suppeditent.

Num. 1. docetur, etiam inferiores honorandos in necessitatis articulo. Num. 2. docemur, tutores vt parentes in honore habendos. Num. 3. instruimur, Deo ita fidendum, vt humana præsidia non negligamus. Et num. 4. si desint media, Deum orandum esse, eique soli relinquendum. Num. 5. ostenditur, promissiones Dei habere quidem

dem felicem exitum, ſed non eximere à periculis, & moleſtiis intermediis. Num.6.&7. enodatur, quid per illum piſcem carniuorum ſignificetur myſticè.

SECTIO IV.

In quem finem Angelus indicaris Tobiæ, quæ ad rem medicam ſpectant?

Num.1.2.3.& 4. agitur de medicina, eius origine, ſcientia ac neceſſitate. Num.5.6.7. docetur, ad Deum prius confugiendum, deinde ad medicum. Num.8. ratione carnium huius piſcis oſtenditur, quędam dum viuunt, nocere, mortua prodeſſe.

SECTIO V.

Quare ſalierit reliquum piſcis Tobiæ. Et cur Deus diuerſo & vili cibo ſuos pauerit?

Num.1. datur litteralis & genuina prioris partis argumenti. Num.2. datur ratio primæ particulæ poſterioris quæſiti. Num.3.4.5.6. & 7. dantur aliquot rationes quoad ſecundam particulam, inter quas agitur de ieiunij vtilitate. Num.8.9.10.& 11. diſertè docemur, numquam diffidendum eſſe de Dei prouidentia.

SECTIO VI.

Quis ſit ſalis vſus, & qualem oporteat Chriſtianum ſecum deferre ſalem.

In hac diſertè tractatur à num.1. vſque 5. de ſalis vſu, naturali virtute, & communi ſignificatione. Et num.5. agitur de virtutibus Chriſtiano homini neceſſariis, per ſalem ſignificatis, vt ſunt prudentia & conſtantia, quemadmodum latius explicatur num.6.7. 8.& 9.

SECTIO VII.

An liceat quorumuis ſcientiam curiosè ſcrutari, vt hic Tobias de virtute iecoris, & fellis piſcis, quem extraxerat è fluuio.

Num.1.2.& 3. per exempla Scripturæ declaratur inueniri homines ſciendi cupidos, ſed non ſine culpa. Et num.4.5.& 6. inculcatur ſcientia eorum apperenda, quæ ad ſalutem conducunt. Num.6.& 7. commendatur etiam ſcientia eorum, quæ proximi vtilitati expediunt. Num.8.9. docetur, curioſitatem fugiendam eſſe.

SECTIO VIII.

Quid ſignificet dæmonium? quæve genera dæmoniorum? & qua ratione per fumum extricari queant.

Prima pars tractatur num.1. Et num.2.3. diuerſimodè diſtinguitur genus dæmoniorum. Num.4. traditur, maſsâ piceâ naturaliter à Daniele draconem occiſum, adeoque dæmonem fugatum. Num.5.6.7.8.& 9. pluribus & diſertè oſtenditur, res ſenſibiles & corporeas in dæmones, aliaſque res ſpirituales nihil poſſe, niſi à Deo eleuentur. Num.10.11.& 12. vtilia habentur de præſtantia nominis IESV, Reliquiarum, ſigni Crucis, & aliorum remediorum in Eccleſia Catholica vſitatorum.

SECTIO IX.

Quid doceat nos Tobias, credulus verbis Angeli, abſque vlteriore inquiſitione.

Num.1.2.& 3. docetur, quænam ſcientiæ ſuperuacaneæ non inquirendæ. Num.4. vſque finem præclarè & fusè oſtenditur, diuina myſteria ſeu fidei non eſſe curiosè indaganda.

SECTIO X.

An matrimonia à Deo deſtinentur.

Num.1. ex Scriptura docetur, quædam matrimonia à Deo deſtinata. Num.2. oſtenditur, vxorem bonam à Deo accidere viro. Num.3. diſcutitur, an etiam mala vxor à Deo proueniat; & ſimul agitur de matrimonio Oſeæ cum fornicaria, cuius cauſæ tractantur vſque finem.

SECTIO XI.

An conducat ad matrimonij ſtatum reſpicere pulchritudinem, & bona fortuna in coniuge futura.

In qua à num.1. vſque n.13. ex variis capitibus probatur, ſecundariò licitum eſſe in coniuge reſpicere pulchritudinem, aliaque externa, vbi ſimul agitur de pulchritudinis efficacia. Num.13. Patres explicantur circa hanc materiam. Num.14. vſque finem enarrantur incommoda, quæ viris accidunt, qui duntaxat ad externa ea reſpiciunt.

SECTIO XII.

An bonum ſit alicui conſulere matrimonium? Et cur filia petenda à patre?

Num.1.2.& 3. oſtenditur, caſtitatem ſeruare, viſum fuiſſe impoſſibile. Num.4.5.& 6. declaratur, cælibatum eſſe præſtantiorem matrimonio. Num.7.& 8. agitur de variis incommodis coniugij. Num.9. afferitur, rem arduam eſſe alicui, alterutrum conſulere. Num.10.11.& 12. excuſatur Angelus à temeritate. Num.13. præſcribuntur quædam obſeruanda nupturientibus. Num.14.& 15. enodatur poſtrema pars argumenti.

SECTIO XIII.

Quorſum Tobias hanc de Sara mortuis maritis famam aperuerit?

Num.1. oſtenditur, diuerſimodè poſſe inquiri in alterius vitam. Et num.2.3.& 4. excuſatur à peccato Tobias. Num.5.6.& 7. agitur de pulchritudinis præſtantia & virtute,

& ſimul reprehenduntur mulieres abutentes forma. Num.8.docemur,ex auditis facere profectum. Num.9. reprehenduntur detractores. Num.10. vſque finem eleganter inſtruuntur homines alieno periculo eſſe cauti.

SECTIO XIV.

Quare aliqui Sanctorum præmaturam aut repentinam mortem formidarint.

Num.1.2.& 3. tres aſſignantur rationes, cur Deus patiatur viros etiam pios intempeſtiuè eripi ex hac vita. Num.4.5.& 6. naturale eſſe cuique homini, etiam iuſto, mortem inſtantem timere, oſtenditur pluribus argumentis. Num.7. datur ratio,cur Tobias adeò horruerit mortem. Et num.8.& 9. inculcatur perennis memoria incertitudinis mortis, quam infinitos habere aditus, probatur tam ex ſacra Scriptura, quàm hiſtoriis profanis.

SECTIO XV.

Quam ob cauſam damoni poteſtas conceſſa in nuptias coniugis, dedq; inſana libidinis incommodis.

In qua ad longum variè reprehenditur immoderatus vſus coniugij, qui ſæpiſſimè à Deo modo inſolito punitur.

SECTIO VLTIMA.

An ſit practicabile coniuges ſimul degentes à copula abſtinere? & ad quid orationem præcipiat Angelus.

Num.1. oſtenditur difficile eſſe, in coniugio abſtinere à copula. Num.2.3.& 4. aſſeritur non niſi diuina adiuuante gratia, coniuges poſſe abſtinere à commixtione. Num.5. probatur, Deum non ſolere etiam promiſſa concedere ſine præuia oratione. Num.6. 7.& 8. aſſignantur fructus, quos parit triduana continentia coniugalis adiuncta orationi.

Capitis ſeptimi

SECTIO PRIMA.

Qua de cauſa Raguel ignotos peregrinos cum gaudio ſuſceperit?

In hac planiſſimè & ſolidè tractatur de hoſpitalitate priſcorum Patriarcharum, & mulierum,eiuſque meritis. Item de hoſpitalitate Gentilium, & maximè primitiuæ Eccleſiæ; ad quam ſectandam deinceps animamur.

SECTIO II.

An aliquid efficiat ſimilitudo hominis erga alium. Et cur Deus homines plurimum diſſimiles fecerit.

Num.1. oſtenditur ſimilitudinem generare amorem. Num.2. eleganter agitur de præſtantia modeſtiæ. Num 3. aſſignantur varia motiua,quæ Deum mouerunt ad creandos homines diſſimiles.

SECTIO III.

An ex vultu mores alicuius dignoſci queant? Et quare Raguel dicat Tobiam potius patri, quàm matri ſimilem.

A num.1. vſque 5. planiſſimè demonſtratur,externam faciem indicium eſſe probabile interni animi, adeoque probabiliter coniecturam feciſſe Patres ex habitudine corporis de internis. Num.5. probatur liberos magis imbibere mores & habitudinem corporis matrum, quàm patrum. Num.6.7.& 8. datur ratio poſtremæ partis argumenti, & ſimul preſſius enucleatur, quomodo ſimilis fuerit patri.

SECTIO IV.

Ad quid vtile ſit, alios interrogare de loco natiuitatis aut habitationis, quemadmodum hic facit Raguel per verba: Vnde eſtis iuuenes fratres noſtri?

Num.1.2.3. & 4. traditur tripliciter illud eſſe vtile. Num.5. pluribus oſtenditur,ex patria mores alicuius innoteſcere. Num.6.& 7. dupliciter illud eſſe neceſſarium, refertur.

SECTIO V.

Quando vtile ſit alium laudare.

Num.1.2.3.4.& 5. egregiè oſtenditur,neminem dici poſſe beatum ante mortem, adeoque imprudenter aliquem laudari in vita. Num.6.& 7. tres aſſignantur caſus,quibus vtiliter abſens proximus laudatur. Num. 10.11.12.& 13. alij duo traduntur, quibus vtiliter aliquis laudatur in præſentia. Num.15. reprehenduntur,qui in laudando proximum peccant. Num.16.17.& 18. piè inculcatur deteſtatio vanæ gloriæ.

SECTIO VI.

An alicui contingat benedictio, eò quòd ſit filius viri boni, ſeu ob patris merita? Et quis ſit dicendus vir bonus?

Num.1. datur triplex ſignificatio vocis benedictio. Num.2.& 3. declaratur,ex optimis parentibus peſſimos filios aliquando naſci, & contrà. Num. verò 4.5.& 6. diſertè probatur,patriam virtutem nihil prodeſſe degeneris filiis. Num.7. concluditur, merita patris prodeſſe filiis parentum moribus inſiſtentibus. Num.8. oſtenditur, variè apud vulgus dici viros bonos,ſed falsò. Num.9. vir bonus dicitur,qui eſt iuſtus.

SECTIO VII.

Qua de cauſa ſic precatus Tobias? Quidve in verbis ipſius documenti.

Num.1.2.& 3. dupliciter excuſatur Tobias ab

ab inciuili & ruſtica procatione. Num. 4. primò docemur, oblatam alicuius boni occaſionem non eſſe prætereundam. Num. 5. datur ſecundum documentum, videlicet, res magnas ante pocula eſſe tractandas, vt ſunt matrimonium, &c.

SECTIO VIII.

An rectè timuerit Raguel filiam dare in coniugem ob infortunium, quod aliis ſeptem maritis contigerat? Et quantum mali cauſet vanus timor?

Num. 1. 2. 3. & 4. oſtenditur ſimplicitas Raguelis, & quàm deteſtabilis doloſa lingua. Num. 5. affirmatur, iuſtè Raguel timuiſſe. Num. 6. tribus exemplis ex ſacra Scriptura deſumptis, quàm ſtolidus ſit vanus timor. Nu. 7. 8. & 9. reprehenduntur qui timent, vbi non eſt timendum.

SECTIO IX.

Qua ratione perſuaſus fuit Raguel tam liberali animo conſentire in coniugium Sara cum Tobia. Quæ ex reciproco ſermone Angeli & Raguelis documenta.

Num. 1. 2. 3. 4. & 5. aſſignantur tres cauſæ tam facilis conſenſus Raguelis. Num. 6. oſtenditur, Deum dubiis & anxiis dare intellectum. Num. 7. tractatur de efficacia precum lachrymis irroratarum.

SECTIO X.

An non potuerint Iudæi cum alienis tribubus inire connubia? Item an nullo caſu licuerit Iſraëlitis alienigenam ducere, aut etiam Catholico hoc tempore hæreticam.

Num. 1. probatur aliquibus perſonis fuiſſe vetitum dumtaxat, cum alienis tribubus inire connubia. Num. 2. & 3. aſſeritur, prohibitum fuiſſe cum quibuſuis alienigenis contrahere. Num. 4. 5. & 6. tres ſpecificantur caſus, quibus licitum erat, cum iis contrahere, & modò licitè contrahit Catholicus cum hæretica. Num. 7. excuſatur Raguel, quòd dederit filiam Gentilibus. Num. 8. probatur, motiuum Raguelis fuiſſe inſufficiens apud Deum.

SECTIO XI.

Quibus cerimoniis olim tum apud Gentiles, tum apud Hebræos iniri aut celebrari ſolita matrimonia.

Num. 1. vſque 8. perquàm eleganter tractatur de triplici modo olim contrahendi matrimonium, vbi ſimul agitur de dextræ conſertione, & pallij expanſione. Num. 8. commendatur benedictio ſuper contrahentes adhiberi ſolita. Num. 4. determinantur quatuor caſus, quibus licitè initur matrimonium abſque parentum conſenſu.

Mauden in Tobiam.

SECTIO XII.

An matrimonia nunc per ſimiles cerimonias validè contrahantur, per quas olim ſolebant conciliari.

Num. 1. 2. docetur, matrimonia clandeſtina olim valida, nunc per Concilium Tridentinum irrita iuſtiſſimis de cauſis. Num. 3. & 4. probatur, Eccleſiam dupliciter potuiſſe irritare clandeſtina. Num. 5. concluditur argumentum negatiuè.

SECTIO XIII.

Quare ſolius conuiuij nuptialis cum benedictione Domini hîc fiat mentio; non autem aliorum paramentorum cum gaudio apud Hebræos in vſu, ſed lachrymarum & conſolationis.

Num. 1. affirmatur, conuiuium nuptiale apud omnes gentes vſitatum. Num. 2. vſque 7. agitur de benedictione menſæ. Num. 7. 8. aſſignantur variæ ſolemnitates & ſigna lætitiæ in nuptiis adhiberi ſolita. Num. 9. & 10. datur duplex cauſa, cur horum hîc non fiat mentio, vbi ſimul agitur de tripudiis à Chriſtianorum nuptiis arcendis, & quare.

Capitis octaui

SECTIO PRIMA.

Quorſum non timuerit Tobias mortem ſibi imminere, quam experti fuerant ſeptem eiuſdem Sara mariti?

Num. 1. & 2. ac 3. aſſignantur duæ huius rei rationes, vbi agitur de bonæ conſcientiæ ſecuritate inter pericula, quod num. 4. confirmatur. Num. 5. & 6. oſtenditur, pluribus malam conſcientiam vbique afferre timorem.

SECTIO II.

Quibus funibus ligatus ſit Aſmodæus ab Angelo? & quare adhiberi voluerit fumum iecoris? & penes quos nunc ſit poteſtas dæmones expellendi: quin etiam an remediis veteris Teſtamenti modò vti liceat?

Num. 1. aſſeritur, dæmones poſſe ligari. Num. 2. 3. & 4. recenſetur triplex ligandi modus. Num. 5. tres aſſignantur cauſæ adhibitionis fumi iecoris ad pellendum dæmonem. Num. 6. 7. & 8. tractatur de vſu apud Chriſtianos expellendi dæmones, & facultate, ac remediis adhibendis ad eum vſum.

SECTIO III.

Quare ad orationem prius procedit Tobias, cùm diuinitus illi ſciat Saram deſtinatam vxorem.

Num. 1. datur duplex ratio. Num. 2. inculcatur coniugatis ſtudium puritatis & ſanctitatis. Num. 3. aſſeritur, continentia triduana propter orationem Deo gratiſſima, homi-

nibuſque vtilis. Nu. 4. reprehenduntur Chriſtiani, qui ante ſolemnizationem matrimonij congrediuntur. Num. 5. probatur, Deum iuxta miſericordiam ſuam velle & noſtram cooperationem.

SECTIO IV.

Quare Tobias orans, à laude Dei incipiat, ſuamq; intentionem ad matrimonium aperiat?

Num. 1. & 2. præclarè oſtenditur, optimam & vtiliſſimam eſſe orationem, quæ incipit à laudibus eius, à quo quid poſtulas. Num. 3. 4. 5. 6. & 7. docetur, opus bonum etiam intentione bona aggrediendum, ab eaque opus bonum mereri, vel non; quæ n. 8. latius commendatur.

SECTIO V.

Qua documenta viterius Tobiæ oratio, & Sara ad orandum incitatio ſuppeditet? An etiam hoc tempore huiuſmodi obligatio ſit orandi.

Num. 1. commenditur obedientia Saræ in re minus vſitata: & num. 2. oſtenditur, licitam eſſe orationem pro rebus priuatis. Num. 3. & 4. diſertè declaratur, vtiles eſſe plurium iuſtorum preces ſimul conſpirantes. Num. 5. reprehenduntur qui aliorum preces contemnunt, ſibi ſuas ſufficere præſumentes. Et num. 6. 7. & 8. larè oſtenditur, ad iuſtorum orationem requiri etiam virtutem eorum, pro quibus oratur. Num. 9. 10. aſſeritur non obligari nouos coniuges triduò orare ante matrimonij conſummationem.

SECTIO VI.

Quid inſtruat nos Raguel dum tempeſtiuè parari iuſſit foueam Tobiæ ſepeliendo; & vnam ex ancillis ante lucem miſit ad cubiculum nouorum coniugum? Et quàm Deus ſuorum fama conſulat.

Num. 1. 2. & 3. præclarè docetur per Scripturæ ſacræ exempla, quanta cura habenda de bono nomine. Num. 4. & 5. oſtenditur, non ſatis eſſe noſtram vitam Deo probari, ſed etiam hominibus probari debere. Num. 6. traditur, ad patresfamilias ſpectare primùm ſcire, quæ ſui agunt. Num. 7. 8. 9. 10. & 11. reprehenduntur, qui prępoſterè in ſuorum actiones inuigilant. Num. 12. & 13. oſtenditur variis exemplis Dei bonitas in ſuorum famæ conſulendo.

SECTIO VII.

Quare Raguel & Anna hanc liberationem ab infeſtatione dæmonum ſoli Deo adſcripſerint; cùm certum ſit ex cap. 7. Raguelem preces & lachrymas in illum finem effudiſſe.

Num. 1. commendatur breuiter valor precum & lachrymarum. Num. 2. & 3. datur duplex cauſa argumenti; ex poſteriori docemur, Deo tribuendam omnem victoriam, vti latius num. 4. & 5. inculcatur. Et num. 6. 7. & 9. laudantur viri ſancti, qui ſua merita & coronas Deo adſcripſerunt. Et num. 10. 11. 12. & 13. ex variis capitibus arguuntur, qui ſibi aliquid arrogant. Vnde num. 14. concluditur, de ſe humiliter ſentire, apud Deum multum auereri.

SECTIO VIII.

An gaudere liceat hoſte proſtrato victoriam adepto, aut beneficium conſecutis, ſimul cum explicatione verſus 19.

Num. 1. & 2. poſita triplicis hoſtis diſtinctione, aſſeritur de priuato non licere gaudere; de publico tam humani generis quàm alicuius nationis, licere. Num. 3. 4. 5. enucleatur preſſius oratio Raguelis & Annæ: vbi ſimul traditur, miracula ſeruire ad conuerſionem infidelium ad fidem, ſeu flagitioſorum ad ſanam mentem, vti etiam num. 6. docetur. Num. 7. inuehitur in eos, qui nacto aliquo beneficio, ſe voluptatibus dedunt.

SECTIO IX.

Quid documenti nobis Raguel ſuppeditet ex repletione foſſæ, duabus vaccis, & quatuor arietibus dumtaxat occidendis in epulum, ac confectione tabularum.

Num. 1. & 2. docemur, prouidè ſemper timere, donec periculum euaſerimus. Num. 3. & 4. vſque 13. multis rationibus & ſcripturis inculcatur deteſtatio luxus plurium ciborum, ſeu deliciarum. Num. 13. docetur, parentes non debere dare omnia bona ſua filiis ante mortem; quod num. 14. lepido exemplo illuſtratur.

Capitis noni

SECTIO PRIMA.

In quem finem tam obnixè rogarit Tobias Angelum, quem mercenarium ſuum putabat, eius nomine ſubire iter, & commiſſionem ad Gabelum.

Num. 1. & 2. traditur conſentaneum eſſe, ſuperiores humiliter obſecrari ab inferioribus. Num. 3. datur cauſa humiliationis Tobiæ iunioris, ex qua docemur, per manſuetudinem facile obtineri, quod petitur, vti latius exprimitur num. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. Num. 10. vſque finem agitur de humilitate virorum ſanctorum in ſuis laudibus tegendis.

SECTIO II.

Qualis fuerit adiuratio Raguelis, quam Tobias dixit nefas eſſe contemnere? Et an eâ fuerit obligatus ſatisfacere deſiderio Raguelis?

A num. 1. vſque 7. aſſignantur diuerſimodæ adiurationes, quæ exemplis ſacræ paginæ illuſtrantur. Num 7. probatur, quænam ex iſtis afferat obligationem implendi ea, quæ eâ deſideratur. Num. 8. aſſeritur, Tobiam minimè fuiſſe obligatum ſatisfacere deſiderio ſoceri.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO III.

Quare Scriptura hanc Angeli commiſſionem nobis ſcripto reliquerit.

Num.1.& 2. aſſeritur id factum, vt doceret hominem, quæ accepit à Deo dona, in aliorum vſum tempore neceſſitatis expendere, quod nu.3. vſque 7. tam ſanctorum virorum, quàm Gentilium exemplis longè lateque commendatur. Num.7. traditur etiam id factum, vt diſcat homo Angelos non ſolum in ſpiritualibus adeſſe generi humano, ſed etiam temporali neceſſitate; quod deinceps vſque finem tam ſacris hiſtoriis, quàm profanis & recentibus magis ſtabilitur.

SECTIO IV.

An vir iuſtus ſine nota vſuræ nihil recipere poſſit ſupra ſortem pecuniæ mutuò datæ? Et an aliquid laude dignum exiſtat ex parte Gabeli in pecuniæ redditione.

Num.1. oſtenditur, vſura eſſe graue peccatum. Num.2.3.4.5.& 6. agitur de Montibus pietatis. Num. 7. laudatur Gabelus, quòd ſtatim reddiderit acceptam pecuniam, nec præſtiterit moleſtiam, vt modò quamplurimi.

SECTIO V.

Quare Gabelus in felici apprecatione nouorum coniugum addiderit, Dicatur benedictio, *&c.* ſuper parentes veſtros? *Et cur de ſobole bona tam ſolicitus?*

Num.1. 2. 3. & 4. fusè agitur de efficacia boni conſortij. Num.5.& 6. aſſeritur, præcipuam parentum benedictionem fuiſſe numeroſam prolem, & contrà. Num. 7.& 8. traditur, parentes fortunatos dici à pia prole.

SECTIO VI.

Quid ſit conuiuium exercere cum timore Domini.

Num.1.2.3.& 4. oſtenditur, quid ſit conuiuari cum timore Dei. Num.5.6.docetur, gulam & ebrietatem abeſſe debere à conuiuiis,& vnà dantur exempla horribilia guloſorum & ebriorum. Num. 7. epulare quoque debere impuros ſermones & impura cantica, imò abeſſe debere pauperum oblitionem. Et num.7.omiſſo, commendantur honeſtæ exercitationes peracto conuiuio.

Capitis decimi

SECTIO PRIMA.

Quare Tobiam & Annam ita paſſus ſit affligi Deus.

Num.1. datur prima cauſa, qua docetur, Deum nimios Sanctorum amores per aduerſa reſecare, nec leuiá eorum peccata relinquere inulta, vti latius num.2.& 3. Num. verò 4. traditur altera cauſa, qua docemur, fiduciam poſitam in homine eſſe quàm maximè vanam, vti & fusè aſſeritur num.5. Sed num. 6. & 7. eleganter inculcatur, in omni periculo ponendam fiduciam in Deo.

Mauden in Tobiam.

SECTIO II.

Quando lachryma vtiles ſint?

Num.1.2.& 3. probatur quem flere ex vario motiuo. Et num.4.5.& 6. aſſignantur tres caſus, quibus vtiles ſunt lachrymæ. Num.7. & 8. triſtitiam ſeu fletum, peccatorum proprium & conuenientiſſimum eſſe pharmacum. Num. 9.10. & 11. diſertè oſtenditur, qualis & quantus debeat eſſe dolor de peccatis.

SECTIO III.

Quid deceat nos Tobias mutato animo vxorem conſolans?

Num.1 laudatur Tobias, quia motus ſenſitiuos ſubiecit rationi. Num.2.3.4.& 5.cùm aduerſa ingruunt, docemur de neceſſitate facere virtutem. Num.6.aſſeritur diuinum eſſe mœſtos conſolari.

SECTIO IV.

Quàm neceſſaria ſit humanitas & ſeueritas in quouis ſuperiore.

In hac elegantiſſimè probatur per exempla Scripturæ admodum appoſita, omnibus ſuperioribus cuiuſque conditionis, ineſſe debere aſperitatem cum lenitate, vt rempubl. & rem priuatam ritè dirigant.

SECTIO V.

Quòd homo compoſitus Deo facilè paſſionibus reſiſtat.

A num. 1. vſque 5. perbellè diſtinguitur anima planè ſpiritualis ab anima carnali in conſolationibus admittendis. Num.5.& 6. reprehenditur nimius amor erga liberos.

SECTIO VI.

Vnde tam fortunatus extiterit Tobias iunior?

Num.1. prædicatur Tobiæ anxia cura pro parentibus, & facilitas Raguelis in dotanda filia. Num.2. exploſis Gentilium de fortuna, & Aſtrologorum de ſtellis,& Auguium opinionibus de cantu auium tamquam fatuis, aſſeritur num.3. Deum felicitatis & infelicitatis eſſe auctorem. Et num.4. ideo probatur induſtriam Ducis ſeu artificis eſſe inanem ſine Deo. Num.7. ad maiorem lucem oſtenditur plures è vili ſtatu ad regnum euectos. Vnde num.8. concluditur, Deum homines fortunatos reddere, alios infortunatos.

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO VII.

An expediat in omnibus prosperitatem experiri.

Num.1.2.ostenditur Sanctos nimiam prosperitatem horruisse. Num.3.4.5. docetur, nimiam felicitatem plurimorum vitiorum esse fontem. Num.6. enucleatur, cur ergo Raguel Tobiæ genero optet omnia felicia.

SECTIO VIII.

Quorsum parentes Sara eam alioquin bonam praui exhortatione dimiserunt?

Num.1. affirmatur, hominem licet bonum exhortationibus opus habere. Num.2. 3.4.& 5. ex variis capitibus ostenditur soceros honorandos & tractandos vt parentes. A num.6. vsque 17. fusius explicantur monita connubialia, quæ dedit Raguel Saræ filiæ. Num.17. reprehenduntur mulieres nimium mundanæ.

Capitis vndecimi

SECTIO PRIMA.

Rectè aliquando superiorem ab inferiori doceri.

In qua à num.1. vsque 6. planissimè explicantur exempla sacra summorum virorum, qui se subditorum sano consilio conformarunt. Num.6.docetur, extremæ dementiæ esse, non velle doceri ab inferiori.

SECTIO II.

Quemuis monitorem, iuste corripientem, libenter esse audiendum.

Argumentum mirificè cùm ex veteri Testamento, tum ex nouo illustratur à num.1. vsque 9. Num.9. & 10. asseritur salutem nostram in correptionis admissione esse sitam, & contrà.

SECTIO III.

Cur statim acquieuerint verbis Angeli Tobias & Sara; & quare vxorem cum suis, Angelus, ad locum destinatum non transtulerit?

Num.1.& 2.probatur, non fuisse inurbanum hoc Tobiæ factum. Num.3. 4. & 5. commendatur Tobiæ & Saræ, & aliorum sanctorum virorum cæca obedientia, nempe quòd præcepto diuino obtemperantes, eius non examinarent rationes. Num.6.dantur rationes, quare Deus Tobiam præcedere voluerit. Num.7.enucleatur posterior pars argumenti; & num.8. 9. ea assignatur præcipua ratio, quòd Deus non soleat miracula facere sine necessitate.

SECTIO IV.

An consultum præpropere nouarum adferre rerum nuntia? Et qua ex hisce verbis documenta.

Num.1.2.& 3. ostenditur ex sacra pagina, id quandoque necessarium, quandoque scrupulosum esse ac inutile. Num.4. nuntios lætitiæ causare aliquando repentinam audientibus mortem, refertur. Num.5. docemur, Deo agendas esse gratias post accepta beneficia, antequam iis fruamur. Num.6.7.8.9. & 10. agitur de donis acceptis in aliorum commodum conferendis, vbi simul commendatur bona voluntas benefaciendi proximo, si desint nobis media. Num.11. breuiter ostenditur ad orationem efficacem requiri fiduciam.

SECTIO V.

An in hac historia otiosè positum sit, canem aduenientem blandimento suæ caudæ fuisse gauisum.

Num.1.2.& 3.probatur fusè nihil in Scriptura sacra contineri otiosè, sed vel minima habere multum documenti. Num.4. 5. 6. & 7. explicantur quædam loca, quæ primo intuitu, nihil vtilitatis complecti videntur. A num.8.vsque finem plures dantur rationes conscriptionis canis Tobiæ.

SECTIO VI.

An miraculosè sanatus sit à cæcitate corporali Tobias? Et an remedium reperire sit in sacra Scriptura, cæcitatibus spiritualibus quibusdam, aliisq; morbis?

Num.1.2.3.& 4.dantur duæ opiniones de curatione cæcitatis Tobiæ. Num.5.6.7.& 8. agitur de diuersis causis cæcitatis, eiusque curatione. Num.9. asseritur ratione, Tobiæ cæcitatis curationem fuisse miraculosam. Num.10. docemur, non tam medicinis fidendum esse, quàm Deo. Num.11. vsque 15. latè probatur in Scriptura contineri remedium curandis animi morbis aptissimum. Num.15. vsque finem assignantur specialiter tres cæcitates spirituales, earumque ex sacra pagina remedia.

SECTIO VII.

An ad morem Tobiæ iunioris, liceat cuiusuis suadentis remedia, morbis applicare.

Num.1.& 2.suadetur, medicinæ periti esse remedium adhibendum. Num.3. 4. & 5. specificantur conditiones requisitæ in curante non medico. Num.6.vsque 12.grauissimè inuehitur in homines superstitiosis ad curationem vtentes, eorumque explodituꝛ obiectio. Num.12.excusatur Tobias à temeritate. Num.13.iterùm minitatur grauis pœna superstitiosis.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO VIII.

Quorſum dicat Tobias in gratiarum actione, Tu caſtigaſti me, *cùm ſtercus hirundinum oculos eius excæcauit*, Et tu ſaluaſti me, *cùm Tobias filius ſelle piſcis eum curaret? Et quare hoc tempore?*

Num.1. oſtenditur, priſcorum Patrum fuiſſe morem, aduerſa ſua diuinæ adſcribere voluntati. Num.2. reprehenduntur, qui in aduerſis indignantur cauſis ſecundis. Nu.3. docetur, omnem curationem à Deo eſſe. Num.4. & 5.probatur, Deum ſuos in modico exercere vt liberalius erigat. Num.6. vſque finem, præclarè commendatur afflictis longanimitas, & Dei auxilium lentè expectandum.

SECTIO IX.

An rectè gauiſus de reſtituto viſu Tobias ſenior.

Num.1.2.3. 4. datur ratio, cur cæcitas aliquibus grata, & leuis viſa fuit. Num.5.aſſeritur, Tobiam rectè gauiſum fuiſſe de reſtituto viſu. Num.6. inculcatur cæcis cuſtodia puritatis oculorum mentis. Num.7.reprehenditur abuſus oculorum.

SECTIO X.

Quare ſacra Scriptura aduentus Sara incolumis, poſt ſeptem dies, faciat mentionem.

Num.1. traditur cauſa litteralis. Num.2. tropologica, vbi docemur, Deum eſſe protectorem derelictorum; vti & num.3.4.& 5. ac 6. per exempla tam ſacra quàm profana latius oſtenditur. Num.7. oſtenditur Deum vltra vota hominum eſſe munificum. Nu. 8. probatur, rem eſſe piam, diuinis beneficiis recenſendis vacare.

SECTIO XI.

An Achior & Nabath rectè amici Tobiæ dici queant, qui in rebus ſecundis nunc gratulantur ei?

Num.1.2.3.& 4.oſtenditur verorum amicorum, & iuſtorum eſſe non tantùm congaudere gaudentibus, ſed & afflictis condolere. Num.5.& 6.ſcitè probatur, amicos Tobiæ, & ſimiles non eſſe veros amicos. Num.7.8.& 9. dantur exempla veræ amicitiæ ex ſacro textu. Num.10. inuehitur in inuidos.

Capitis duodecimi

SECTIO I.

Quomodo vterque Tobias oſtendat quod ſit officium gratitudinis? Et qua documenta ex mercenarij ope, & Tobiæ recognitione vlterius reſultent.

Num.1.2.3.& 4. dantur ex Scriptura exempla gratitudinis, quâ num.5. confunditur noſtra ingratitudo in benefactores. Num.6. laudatur vterque Tobias à prodigioſa liberalitate. Num.7.8.reprehenditur Regum & Principum in res illicitas prodigalitas, & in mercenarios, milites, &c. parcitas. Num.9. & 10. docetur, præclarum eſſe in honore priſtinam ſeruare comitatem. Num.11.& 12. oſtenditur, Deum quandoque per viles perſonas magna patrare.

SECTIO II.

Quid doceat Angelus hiſce verbis, Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei.

Num.1. docetur, omnem gloriam Deo adſcribendam. Num.2.preſſius examinatur prima pars verſus ſexti. Num.3.4.5.& 6. tractatur de gratiarum actione erga Deum. Num.7.8.9.reprehenditur hominum negligentia in Deo gratiis agendis.

SECTIO III.

Cur viri ſancti à muneribus tantopere abſtinuerint.

Num.1.2.3. probatur ſcitè & clarè, opus eſſe ſummi meriti ab omni munere abſtinere. Num.4.5.6.7. pluribus oſtenditur iudicibus illicitum eſſe accipere munera, & talibus grauem pœnam manere referrur. Nu.8. etiam Prædicatoribus, aliiſque Præfectis Eccleſiaſticis inculcatur deteſtatio munerum.

SECTIO IV.

An Regis ſecreta ſemper celanda; Dei ſemper reuelanda.

Num.1.2. traditur varia ſignificatio vocis Sacramentum. Num.3.docetur, ſecreta Regum ad tempus neceſſariò quandoque celanda; & reuelatores grauiter puniendos. Num.4.5.6.7.& 8.oſtenditur etiam Dei myſteria neceſſariò aliquando celari, aliquando pandi. Num.9.10.& 11. fusè tractatur de reuelatione ſecreti amicorum, eiuſque frequentia, & enormitate.

SECTIO V.

Quenam iuſti oratio ſit efficax.

In hac latiſſimè agitur de comitibus neceſſariò adiungendis orationi, vt ſit efficax, vt ſunt fides, fiducia, ieiunium, & præcipuè eleëmoſyna, vbi ſimul de miſericordiæ fructibus pulchra moralia habentur.

SECTIO VI.

Qua ſit differentia inter virum iuſtum & peccatorem?

In qua clariſſimè depinguntur merita & fructus iuſtitiæ, & contrà demerita & mala peccati.

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO VII.

Quòd Angeli obſeruent hominum preces, & bona opera, & quo fine.

A num.1.vſque 7. variis exemplis probatur argumentum; idque eorum munus eſſe, nempe ea Deo offerre. Num.7.traditur, eos ea obſeruare, vt reddant magis efficacia. Num.8. reprehenduntur, qui malo fine obſeruant proximi actiones. Num.9. dæmonem ſimiliter humanas actiones obſeruare, ſed iniquo fine, traditur.

SECTIO VIII.

Quare Angelus ſubiungat hæc verba: Quia acceptus eras Deo, neceſſe erat, vt tentatio probaret te; *quæ ſit illa neceſſitas.*

Num. 1. explicatur connexio verſ.12. cum 13. Num. 2. agitur de multiplici neceſſitate. Num.3.4.& 5.optimè probatur, tentationes eſſe ſignum filiationis. Num. 6. referuntur commoda tentationum, vti & num. 7.& 8. Num.9. vſque finem oſtenditur, iuſtorum eſſe in hac vita variis afflictionibus concuti; impiorum, abundantiâ frui, ac omnibus proſperis.

SECTIO IX.

Quare Deus ſæpè differat poſt preces remedium. Et cur per Angelum vnum ex ſeptem tandem, curati Tobias & Sara.

Num. 1. 2.3.& 4. traduntur tres rationes planè morales. Num.5. docemur, Deo non eſſe ſtatuendum tempus exaudiendi & ſuccurrendi, ſed ſperandum in eo, vti num.6.7. oſtenditur. Num.8.& 9.explicatur, quænam diſtinctio ſit inter Angelos miniſtrantes, & aſſiſtentes. Num.10.11.12.13.& 14. explicantur verba Angeli, *Ego ſum vnus ex ſeptem*, &c. Num. 15. docemur, preces noſtras ad Dei voluntatem dirigere.

SECTIO X.

Quare vterque Tobias poſt cognitionem Angeli ſeſe proſtrauerit in terram. Et quid ex hac humilitate reportauerit conſolationis.

Num. 1. oſtenditur, ſupplices ante faciem cadere, & terræ os apprimere. Num.2.3.4. docetur, Dei cognitionem parere humilitatem. Num.5.6.probatur, Chriſti & Sanctorum præſentiâ acriter torqueri in iudicio impios. Num.7.8.9. & 10.aſſeritur, Deum familiarem eſſe cum humilibus. Num.11.& 12. affirmatur, Angelos bonos primò terrere, deinde tranquillare; eiuſque terroris datur cauſa.

SECTIO XI.

Quænam documenta nobis ſuppeditent Angeli Raphaëlis verba, quæ de cibo & potu ſuo dixit vtique Tobiæ.

Num.1. & 2. docetur, Angelos non exercere propriè actiones vitales. Num.3.aſſeritur, Angelicum cibum eſſe, hominum bona opera. Num.4.& 5.oſtenditur, Deum ſolum poſſe ſatiare animam. Num.6. agitur de ſpiritualium bonorum ſublimitate. Num.7.8. & 9.ſcitè & clarè tractatur de virtute & præſtantia Euchariſtiæ.

SECTIO XII.

An animæ Beatorum, aut in Purgatorio exiſtentium, ad nos aliquando veniant, rebus humanis iuuandis, Deo iubente, vel permittente, ſicut Angelus Raphaël venit ad Tobiam.

Num. 1. probatur, Angelos ſæpè hominibus cuiuſuis conditionis & vbiuis apparuiſſe, rebus humanis iuuandis. Num.2. aſſeritur, animas Beatorum ad vitam mortalem reuerſas eſſe. Num.3.4.5.6.7.& 8.adſtruitur per varia exempla, non eſſe ſuperſtitioſum animarum apparitiones credere. Num.9.10. 11.& 12.diſcutitur apparitio Samuelis ad vocem Pythoniſſæ. Num.13. ſoluuntur obiectiones contra apparitiones allatæ. Num.14. & 15. eliciuntur aliquot documenta ex animarum apparitionibus.

SECTIO XIII.

Peculiares aliquos Angelos præter Angelum cuſtodem, ad hominis vtilitatem aliquando mitti. Et an rectè crediderit Tobias hunc Angelum eſſe bonum.

Num.1.2. 3. 4. ex variis capitibus probatur prior pars argumenti. Num.5. docetur, non ſtatim credendum eſſe cuique ſpiritui. Num.6. & 7.quoad poſteriorem partem argumenti, aſſeritur vtrumque Tobiam prudenter ſibi perſuaſiſſe Angelum eſſe.

Capitis decimitertij

SECTIO PRIMA.

Quid ſignificet, Tobiam aperire os ſuum. Et ab æternitate Dei magnitudinem verè eſſe prædicabilem.

Num. 1. vſque 5. multis oſtenditur, *aperire*, idem eſſe quod aliquid præclari proferre. Num.5. vſque 9. commendatur egregiè Dei æternitas reſpectu futilitatis & breuitatis mundanorum. Num. 9. ſuademur Deo ſeruire ob præmij æternitatem, & huius mundi fugacem vanitatem.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO II.

Quid doceat nos Tobias, benedicendo Deum, qui flagellat & ſaluat, ducit ad inferos & reducit.

Num.1.prædicatur Dei potentia. Num.2. 3.4. aſſeritur Deum principium eſſe tam boni, quàm mali. Num.5. vſque 11.pluribus inculcatur bonitas Dei; qui inſtar Medici primò vulnerat, deinde ſanat. Num.11.12. & 13. probatur tum ex veteri Teſtamento, tum ex nouo æternos eſſe damnatorum cruciatus. Nu.14.15.& 16. ſoluuntur obiectiones contrariæ. Num. 17.18. & 19.doctè explicantur verba Tobiæ, *Ducit ad inferos*, &c. Num.20. vſque finem, Deum ſemper auxilio eſſe in extremis, eleganter oſtenditur.

SECTIO III.

Quam Dei manum velit Tobias, neminem poſſe effugere. Et quomodo illam effugere aliquando queat homo.

Num.1.2.explicatur, quid ſit manus Dei. Num. 3. 4. 5. pluribus oſtenditur, Dei vindicem aut probantem manum à peccatoribus, vel hominibus etiam potentiſſimis effugi non poſſe. Num.6.ſoluitur obiectio contraria ex Scripturis deſumpta. Num. 7. 8. eleganter docetur, Iuſtis æquo animo probantem manum, Peccatoribus vlciſcentem ferendam patienter eſſe.

SECTIO IV.

Quare Tobias tantopere commendet ſuis contribulibus concaptiuis, Deum in captiuitate laudare.

A num.1.vſque 10.planiſſimè demonſtratur, Iuſtorum diſperſionem à Deo permitti, ad aliorum ſalutem. Num.10.11.12. & 13.latè docetur, calamitates, clades, &c. non ignauiæ Ducum, aliiſque cauſis ſecundis, ſed noſtris peccatis imputandas eſſe. Vnde nu.14. vſque finem vtiliſſimè excitamur ad emendationem vitæ, tempore perſecutionis.

SECTIO V.

Quare velit Tobias ſuos contribules Domino confiteri cum timore & tremore, eumque in ſuis operibus exaltare.

Num.1.2.3.& 4.præclarè oſtenditur multis argumentis, timorem tam iuſtis, quàm peccatoribus eſſe vtilem ad ſalutem conſequendam. Num. 5. agitur de triplici modo exaltandi Deum. Num.6.7.docetur, Deum exaltare bonis operibus non ſolùm efficax ad ſalutem, ſed bonum temporale, & Deum contemnentes, ab ipſo contemni. Num.8.& 9. probatur Dei promiſſiones eſſe conditionatas.

SECTIO VI.

Quid ſit oſtendere diuinam maieſtatem in gentem peccatricem. Et qualem deſideret Tobias peccatorum conuerſionem, vt miſericordiam Dei conſequantur.

Num.1. oſtenditur magnum eſſe opus in laudibus Dei verſari. A num.2.vſque 12.latiſſimè & diſertiſſimè docetur, Deum quadrupliciter oſtendere ſuam Maieſtatem in gentem peccatricem. A num.12.vſque finem per exempla Scripturæ commendatur vera conuerſio peccatoribus ad Deum, & aſſignatur eius vtilitas.

SECTIO VII.

Quare Tobias ſenior ſolos electos ad Dei laudem, dieſq; latitiæ agendos inuitet.

Num.1.2.oſtenditur, iuſtorum morem eſſe, in laudando Deo multos excitare ſocios laudationis. Num.3.4.5. & 6. probatur, Iuſtorum dumtaxat laudem eſſe Deo gratam. Num.7. vſque finem oſtenditur, Iuſtis olim legitimum dies lætitiæ Deo perpetuò decernere, obtentâ victoriâ, aut beneficio.

SECTIO VIII.

Quorſum dicat Tobias, peccatum eſſe cauſam Hieroſolymitanæ ruinæ, ciuium exilij, & ignominiæ, & ad pœnitentiam hortetur.

Nu.1.2. agitur de priſtino ſplendore Hieroſolymæ, eiuſque prodigioſa ruina. Num.3. 4.5.6.7.8. latiſſimè oſtenditur cladis Hieroſolymæ, terræ ſterilitatis, deſolationis, aliarum calamitatum cauſas eſſe, peccata. Num. 9. docemur, ex emendatione vitæ proficiſci omnem felicitatem. Num.10.11.12. ex dilata pœnitentia pullulare maiora infortunia.

SECTIO IX.

Remp̃licam maximè à pietate reddi florentem.

In qua pulcherrima habentur de florenti reſtitutione Hieroſolymæ in priſtinum vigorem. Num.8.9.oſtenditur, firmum eſſe hoſtis teſtimonium. Num.10. agitur de efficacia terræ ſanctæ.

SECTIO X.

Qualiter maledictionem experiantur maledicentes Hieroſolyma vel templo, & benedictionem ei benedicentes.

Num.1.aſſeritur, Deum triplicem ob cauſam creaturis irrationalibus maledicere. Nu. 2.3.4. & 5.probatur exemplis hoſtes Hieroſolymæ malè periiſſe. Num.6.7. idem aſſeritur de Eccleſiæ hoſtibus & perſecutoribus. Num.8.9.10. & 11.oſtenditur, Deum benedictione donare propugnantes Eccleſiam.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO XI.

An hic Scriptura ſenſus de ſola Hieroſolyma terrena intelligi queat, an verò etiam de Eccleſia militante & triumphante? Et quare eiuſmodi verbis ſplendor cæleſtis Hieruſalem deſcribatur.

Num. 1. oſtenditur ſenſus litteralis huius loci conuenire Hieruſalem terreſtri. Num. 2. ſenſus allegoricus accommodatur Eccleſiæ. Num. 3. 4. Anagogicus Hieruſalem cæleſti. Nu. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. agitur de ineffabili gloria regni cæleſtis, quantaque cura ea nobis procuranda.

SECTIO XII.

Quid ſignificet vox Alleluia. *Et quantus fuerit olim huius vocis vſus. Ac de vtilitate Cantus.*

Nu. 1. 2. 3. pulchra & mira habentur de vocis *Alleluia* vſu & præſtantia. Num. 4. 5. 6, 7. 8. & 9. comtnendantur Spiritualia cantica, eorumque recenſetur varius fructus & vtilitas. Nu. 10. reprehenduntur modernorum conuiuiorum turpia cantica. Num. 11. & 12. agitur de Pſalmodiæ in Eccleſiis vſu & fructu.

Capitis demiquarti

SECTIO PRIMA.

Hominem, qui interioribus motus ſignis exiſtimat ſe aſſecutum Dei voluntatem & ſenſum, ordinariè decipi, cùm certus eſſe non queat, niſi Deus reuelauerit.

In qua tribus ſolidiſſimis argumentis declaratur, neutiquam conſultum eſſe, facilè credere internis ſuggeſtionibus & ſignis, aut ex ſenſu in oratione accepto, Dei voluntatem & conſilium velle percipere.

SECTIO II.

Deum vltra vota in hominem eſſe munificum. Et tribulationem patienter ferentes in hac vita claros reddere.

Prior pars illuſtratur pluribus exemplis à num. 1. vſque 5. vnde docemur, non deſperandum eſſe, ſi illicò non concedat poſtulata. Num. 5. vſque finem poſterior pars probatur.

SECTIO III.

Tobiam non ſolùm in aduerſis & proſperis eumdem eſſe, ſed proſperitate gaudentem incrementa facere virtutum.

Num. 1. 2. 3. 4. aſſeritur artem maximam eſſe, æque in felicitate Deo placere, atque in paupertate. Num. 5. 6. 7. plurium exemplo reprehenditur inconſtantia hominum, quos proſperitas à priſtina pietate deturbauit. Nu. 8. prædicatur Tobias à perſeuerantia in virtute. Num. 9. datur diuerſa pacis ſignificatio. Num. 10. vſque finem commendatur pulchris ſimilitudinibus perſeuerantia in bono.

SECTIO IV.

Quare Tobias ſenior inſtante morte ratione interitus Niniuæ rurſum ad pietatem hortetur filium, & iuxta ipſum Nepotes omnes.

Num. 1. 2. probatur, morem viris eſſe cordaris, inſtante morte vltima præcepta dare filiis. Num. 3. 4. & 5. docetur honorem & merita filiorum redundare in parentes, & contrà. Num. 6. 7. oſtenditur, iuuentutem benè educatam in ſenectute fructificare, & contrà. Num. 8. aſſeritur bonam puerorum educationem Reipub. perquam vtilem. Num. 9. 10. & 11. probatur pluribus exemplis, Superiorum eſſe officium, non ſolùm ſuam curare ſalutem, ſed & totius familiæ. Reprehenduntur num. 12. ſuperiores ad domeſticorum peccata conniuentes. Num. 13. & 14. doctè demonſtratur, vnius priuati, & maximè ſuperioris peccata in totam communitatem redundare.

SECTIO V.

Quid ex Tobiæ prædictione, de qua verſus ſextus loquitur, doceamur?

Num. 1. vſque 5. laudatur Tobias, quòd eximius fuerit Propheta. Num. 5. vſque 11. planiſſimè docetur, recidiuos in peccata multò grauiùs peccare, durius à Deo puniri, & difficillimè emendari. Num. 11. & 12. datur aliud documentum, nempe Deum non punire, niſi præmonuerit. Num. 13. 14. & 15. accommodatur illud populo. Num. 16. ſpecificatur tempus exciſionis Niniues.

SECTIO VI.

An filium & nepotes Tobiæ cum fundamento credideriut illi, futura præſertim proſpera prædicenti.

Argumentum probatur affirmatiuè multis argumentis; & ſimul aſſignatur diſcrimen, quo olim diſcernebantur veri Prophetæ, à falſis.

SECTIO VII.

Quare Tobias ſenior tam benignè hortetur filios ſuos, ſibi aures præbere. Et quid ſit Deo ſeruire in veritate.

Num. 1. vſque 5. docentur ſuperiores cum bonis ſubditis ſuauiter agere, cum malis duriter. Num. 5. 6. variæ dantur ſignificationes, verbi, *veritas*. Num. 7. & 8. agitur de neceſſitate bonorum operum iuxta fidem. Num. 9. & 10. docetur, opus bonum debere omnibus numeris eſſe abſolutum, vt Deo placeat. Num. 11. 12. & 13. tractatur de recta intentione adhibenda ad opus bonum.

SECTIO VIII.

Quàm ſalubris ſit illa monitio, qua voluit Tobias ſenior filios inquirere qua Deo ſint placita. Et qua ratione quis de placito Dei queat eſſe ſecurus.

In qua à num. 1. vſque 3. docetur, officium

eſſe

esse viri Christiani, sua studia dirigere ad Dei voluntatem agnoscendam. Num. 3. vsque 10. assignantur aliquot regulæ agnoscendi diuini beneplaciti. Num. 10. & 11. ostenditur, Deum suæ volũtatis notitiam concedere sincerè petentibus. A num. 12. vsque finem animantur Christiani ad inquirendam Dei voluntatem, & ostenditur, à quibus quærendum sit.

SECTIO IX.

Quas & quare iustitias, & eleëmosynas velit Tobias senior posteros suos inculcare filiis.

Num. 1. & 2. ostenditur variè sumi nomen *iustitiæ*. Num. 3. & 4. discutitur quas iustitias hîc intelligat Tobias; & simul asseritur omnem iniustitiam Deo odibilem, quod latius explicatur num. 5. Num. 6. 7. 8. 9. pressius explicantur verba Tobiæ, *Audite filij mei patrem vestrum*. Num. 11. commendatur Christianis iustitia, & eleëmosyna. Num. 12. & 13. asseritur, optimam esse praxim augendi gratiam Dei, requisitionem diuinæ voluntatis.

SECTIO X.

Quare voluerit Tobias senior pronepotes suos esse memores Dei, Deoq; gratias agere ex intimo corde tam in aduersis, quàm prosperis.

A num. 1. vsque 10. scitè tractatur de memoria præsentiæ Dei, eiusque vtilitate, & contrà de obliuione Dei, eiusque incommodis. Num. 10. 11. & 12. agitur de gratiarum actione in aduersis.

SECTIO XI.

Qua ratione Tobias senior videre quiuerit peccata Niniuitarum esse in eo statu, vt Deus vrbem peßumdaret. Et quatenus colligi queat ex Scripturis excidium alicui Genti imminere.

Num. 1. 2. 3. & 4. præmißis aliquibus de tarditate Dei in puniendis impiis, tandem concluditur Tobiam illud excidij tempus præcisè non prædixisse, nisi Deo reuelante. Num. 5. ostenditur Tobias dupliciter fuisse Propheta. Num. 6. vsque finem dantur aliqua indicia, ex quibus certissimè colligi queat alicui ciuitati, aut genti excidium imminere.

SECTIO XII.

Quenam ex hisce versibus 12. & 13. vlterius documenta resultent.

Num. 1. 2. docemur, amorem coniugalem Deo gratissimum. Num. 3. suadetur maritis, vxorum imperfectionem moderatè ferre, vti & num. 4. & 5. Num. 6. probatur bonorum dissensiones esse iudicij, non voluntatis. Num. 7. deprædicatur Dei benignitas in obstruendo vias peccatorum. Num. 8. docemur Deum eximiè iustos extraordinariè à communi clade seruare.

SECTIO XIII.

Quare Scriptura commemoret grandem hanc Tobiæ ætatem, eiusq; honorificam sepulturam in Niniue.

A num. 1. vsque 4. declaratur, Deum ob pietatem extraordinariè prorogare vitam alicuius. Num. 4. vsque 9. dantur particulares causæ longitudinis vitæ Tobiæ senioris, vbi simul agitur de sobrietate conseruatrice vitæ. Et num. 9. 10. 11. 12. & 13. dantur aliæ causæ prorogationis vitæ, & simul ostenditur non esse dubitandum de salute Tobiæ. Num. 14. vsque 18. probatur per plura exempla Scripturæ, prauitatem vitæ, eam ordinariè abbreuiare. Num. 18. vsque finem agitur de honorifica sepultura Tobiæ, & in quo consistat honor sepulturæ.

SECTIO XIV.

Quare Scriptura sacra promptam hanc iunioris Tobiæ obedientiam commemoret. Et vnde contingat alios monita Superiorum non audire.

Num. 1. & 2. dantur huius narrationis duæ rationes, vbi simul agitur de vera obedientia. Num. 3. & 4. probatur pluribus, maximè vtile esse Patrum dictis obtemperare; inutile ea negligere. Num. 5. vsque finem asseritur, causam inobedientiæ hominum erga Superiores esse primò peccatum, deinde subtractionem efficacis auxilij Dei.

SECTIO XV.

Quanam dicatur senectus bona.

In qua tripliciter senectutem dici bonam, asseritur. Et impios longæuos non esse verè senes, docemur.

SECTIO XVI.

Quare Scriptura memineris curæ, quam gessit Tobias socerorum senum.

Num. 1. 2. 3. 4. & 5. dantur huius narrationis duæ causæ. Num. 6. & 7. agitur de supremo officio claudendi oculos parentum. Nu. 8. 9. & 10. reprehenduntur filij qui parentum senum curam negligunt.

SECTIO XVII.

Cur addiderit Spiritus sanctus Tobiam omnem hereditatem socerorum recepisse. Et an aliquando filios, aut filias exheredare liceat.

Num. 1. docetur, quæ sit legitima portio hereditatis, filiis à parentibus debita. Num. 2. ostenditur, filios degeneres ab hereditate olim exclusos. Num. 3. dantur quatuordecim causæ, ob quas liceat parentibus exheredare liberos. Num. 4. vsque finem probatur tam apud Græcos, quàm Hebræos cautum fuisse non solùm filios degeneres exheredare, sed etiam à familia, & censu omnino deiicere.

SE-

ELENCHVS SECTIONVM.

SECTIO XVIII.

Quæ documenta ſuppeditet nobis ſacra Scriptura ætatem extremam Tobiæ iunioris recenſens, in qua religiosè mortuus eſt. Et quid ſignificet, cum gaudio ſepultum eſſe.

Num. 1. 2. 3. & 4. docemur, neminem ſibi patris annos ſpondere poſſe. Num. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. admonemur libenter mori, cùm Domino viſum fuerit; vbi ſimul agitur de mortis incertitudine, & perenni eius meditatione nobis perquam vtili. Num. 14. vſque 17. exponitur tripliciter quòd Tobias iunior ſepultus ſit cum gaudio. Num. 17. vſque finem eleganter oſtenditur gaudendum eſſe in iuſti morte.

SECTIO XIX.

Quorſum Spiritus ſanctus recenſeat perſeverantiam totius Tobianæ cognationis in bona vita, & ſancta converſatione.

Num. 1. & 2. laudi vertitur Tobiæ progeniei, quòd à parentis ſanctitate non defecerit, cùm ſanctorum filij ſæpè peſſimi ſint. Num. 3. 4. & 5. probatur laude dignum eſſe quòd Tobiana cognatio & generatio permanſerit inter impios in bona vita. Num. 6. & 7. aſſeritur, quòd quatuor modis parentum ſanctitas filiis prodeſſe ſoleat. Num. 8. doctè probatur, matrimonium non officere ſaluti coniugum. Num. 9. deploratur paucitas canonizatorum ex ſæcularibus.

SECTIO VLTIMA.

Quomodo quis placere poſſit Deo & hominibus.

Num. 1. 2. & 3. agitur de obſcuritate ſacræ Scripturæ. Num. 4. oſtenditur impoſſibile eſſe, Deo & omnibus hominibus abſolutè placere. Vnde tripliciter exponitur hic locus Tobiæ à num. 5. vſque finem.

Capitis

Capitis primi Libri TOBIÆ

SYNOPSIS.

TOBIAS ante captiuitatem adhuc iuuenis nihil meditatur puerile. Cùm omnes vitulos adorant aureos, præstat, quod antiqua Religio exigebat. Captiuus sub Rege Salmanasar vitam nactus non solùm liberam, sed etiam honestam, multorum subleuat inopiam, & per latissimam regionem discurrens, alios verbo, alios necessario vitæ subsidio solatur. Sub Sennacherib multa patitur, tum ob prædicta misericordiæ opera, tum quòd sepeliendis mortuis operam piam & assiduam daret: vnde fugere cogitur, & latere vsque ad mortem eiusdem Sennacherib.

CAPVT I. TOBIÆ. PARAPHRASIS.

Tobias ex tribu Nephtalim, quæ est in superioribus Galileæ suprà Naasson post viam, quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens ciuitatem Sephet.

TOBIÆ genus & patriam describens Scriptura, ortum eum declarat è tribu Nephtali, ac ciuitate eiusdem nominis, sita in Galilæa superiori, alio nomine Gentium dicta, quia Tyriorum finibus vicina.

SECTIO PRIMA.

Quare Deus hanc Historiam conscribi voluerit?

1. SAIÆ 8. iubet Deus Prophetæ, *Sume tibi Librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, Velociter spolia detrahe, citò prædare.* 1. In grandi membrana in cylindrum convolvili (tales enim erant veterum, libri vnde alibi vocantur Volumen) scribe magno charactere & litteris apud homines vsitatis hæc quinque verba, *Velociter spolia detrahe, citò prædare.* 1. quod Christus celeriter spoliabit, & prædabitur regnum Diaboli, dum ascendens in altum captiuam ducet captiuitatem. Similiter mandatur Tobiæ ab Angelo cap. 12. huius libri benedicere Deum, & narrare omnia mirabilia eius. Hæc autem, narratio vt perfecta sit, & vt ad absentes & posteros dirigatur, debet non tantùm verbo, sed etiam scripto fieri: Et hoc clarè innuit Græcus textus & Hebraicus, qui sic habet: *Scribito omnia hæc quæ contigerunt*, in libro. Existimat Sanctius loco *Narrate*, Hebraicè esse verbum quoddam, quod etiam, scribere, significet.

Tobias ab Angelo scribere iubetur hanc historiam.

Quæritur in quem finem hanc historiam Angelus conscribi iusserit. D. Paulus hoc verbo videtur expedire, dum ait: *Omnia quæ scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt:* Rom. 15. adeoque ad instructionem nostram vt aliorum exemplo ad virtutem strenuè animemur. Vt clarè etiam exprimit. D. Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysis: *Idcirco*, inquiens, *credendum est præstantissimorum virorum vitas exquisitissimè præscriptas: vt vita nostra imitatione ad virtutem, ac bonum rectius deducatur.* Cùm D.

2. *Cur Deus voluerit hanc historiam conscribi. Sanctorum vita nobis in exemplū proposita est.*

Mauden in Tobiam.

Gregorio consentit eius frater D. Basilius, non minus ambo spiritu quàm sanguine coniuncti. Nam in Epist. 1. ad alterum Gregorium Nanzianzen. Episcopum sibi amicitiæ iure coniunctissimum: *Maxima*, inquit, *via ad officij decentis inuentionem est meditatio, ac studium Scripturarum diuinitus inspiratarum. In his enim & actionum precepta inueniuntur, & beatorum virorum vita litteris tradita velut imagines quadam viuæ; diuinæ reipublicæ ad bonorum operum imitationem proposita sunt.* Nec ab vtroque dissentit sapientissimus ille Hebræorum Philosophus in lib. de Abraham, vbi veterum Patriarcharum Historias, appellat leges sanctas. *Meritò*, inquit, *quis dicere possit leges scriptas, nihil aliud esse, quàm vitarum Patrum commentarias, in quibus eorum dicta factaue narrantur.* Vt enim legibus ad pietatem homines obligantur; ita Sanctorum historijs ad virtutem non modò admonentur, sed etiam compelluntur.

3. *Veteres ab exemplo hortantur.*

Vnde veteres ad quiduis pro Religione subeundum exemplo antiquorum, qui pro Dei causa laborarunt, constanter hortantur. In quo singularis fuit strenuus ille Dux Machabæorum Mathatias, qui morti proximus, zelator legis & paternæ Religionis amator, dum Antiochus sæuiret in fideles, sic ait: *Nunc ergo ô filij æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum. Et memento operum patrum, qua fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Abraham nonnè in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam? Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus AEgypti. Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum Sacerdotij æterni. Iesus, dum implèuit verbum, factus est dux in Israël. Caleb, dum testificatur in Ecclesia, accepit hereditatem. Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula. Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in celum. Ananias & Azarias & Misael credentes liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. Et ita cogitate per generationem, & generationem: quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur, &c.*

Iudith. 8.

Sic Iudith. c. 8. vt ad ardua languentes suorum animos excitaret, antiquorum patrum exempla produxit. D. etiam Paulus ad Hebræ. 11. fidem magnificè commendans ex actis Patrum à mundi exordio vsque ad Dauid ac Prophetas quanta patrarint, ac passi sint per fidem speciatim, & ad longum enarrat. Iacobus quoque Apostolus pauperes & afflictos hortatur ad patientiam exemplo Iob & Prophetarum. *Exemplum*, inquit, *accipite Fratres exitus mali laboris & patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt sufferentiam Iob. Audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est & miserator.*

Hebr. 11.

Iacob. 5.

Vita enim & mors Sanctorum est quasi lex viua, quæ suis factis & moribus edicit, quid facto opus est, quid lex, quid Deus, quid Religio velit, teste S. Gregorio hom. 10. in Ezechiel. vbi sic ait: *In SS. vita cognoscimus quid in Scriptura legere debeamus.* Et D. Basilius, *non enim nostris*, supple Sancti, *indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione imitationis gratiâ indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex vnguento quoque præstanti diffunditur odor; sic è Sanctorum commemoratione gestorum ad omnes proueniit vtilitas.* Et paulò superiùs. *Cùm in sacris voluminibus Moysis vitam morumq; lenitatem nostræ naturæ magnopere optatam narrante Spiritu Sancto audimus, statim æmulamur. Ioseph dum audimus, aut legimus vitam illius, assequi castitatem magnopere cupimus. Si verò Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur.* D. Chrysostomus hom. 11. in Genes. declarat Sanctorum vitas nobis scripto relictas, vt ignauiam excutiamus. *Propterea*, inquit, *Sanctorum omnium vitas & conuersationem in diuinis Scripturis præscriptam Spiritus Sancti gratia reliquit, vt discentes, quod licet eiusdem fuerint naturæ, virtutibus tamen studuerunt, ne simus nos ignaui & desides in ijs exercendis. An non natura nostra fuit & beatus Paulus? Flagro amore huius viri, & propterea continuò versatur ipse in ore meo, & quasi in archetypum aliquod exemplar, ita in illius animam respiciens, obstupesco in hoc viro miram affectionum supplantationem, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum feruorem, & arbitror quòd vnus homo omnes virtutes congregarit & perfecerit.*

Vita & mors Sanctorum, quasi lex viua est hominibus. Homil. in Gordium Martyrem.

Sanctorum historia ad excutiendã ignauiam facimus.

4. *Iob cur quadam stylo ferreo descripta optauit*

Immò S. Iob optabat conscripta, quæ diuina ipsi affulgebant solatia in extremis cruciatibus: quia dicturus erat aliquid, quod alijs ad mores formandos videbatur idoneum, cùm in se propositum crederet sinceræ & puræ Religionis exemplar: vt haberent in quod intuerentur posteri, quibus languentes reficerent animos, ac desperantes confirmarent: *Quis*, inquit, *mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* 1. Sed iam quando humana desunt, hoc ipso articulo diuina mihi affulsere solatia: qualia, ô Deus bone! solatia? ô vtinam liceret mihi, quas à Domino nunc accepi, quæque in auribus meis adhuc resonant, voces, monumentis tradere ad omnem æternitatem duraturis. Fœlicem me putarem si quæ nunc meditor, possem exarare, non in charta, non in cera aut linteo, sed in ære aut silice, aut in ea materia, quam consumere aut soluere nulla posset æternitas. Tum subdit: *Scio enim quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum meum.*

Iob. 19.

Quem

Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. q. d. Hoc mihi nouas addit vires & reficit animum, & vitam hanc quam antè cum morte libens commutarem facit eſſe, vitalem, & iucundam. Scio enim Redemptorem meum Chriſtum, cuius ego patientiæ imaginem in præſentia refero, poſt ſimilem ſtatum ſuſcitandum ad glorioſam vitam, ad cuius exemplar ego quoque reſurgam in die ſæculorum nouiſſimo. Quo tempore reſumam hanc carnem nitentem, & integram, quam nunc exulceratam, & penè mortuam video, & quæ deinde redigetur in puluerem, & ea pelle circumdabor, quam nunc vermes, & tabes diſſoluunt & perforant, in qua glorioſum ego Saluatorem meum glorioſum aſpiciam, hunc ego ipſe, & non alius à me ipſo in hoc ipſo corpore viſurus ſum. Hanc ſpem in præcordijs perpetuò conſeruabo, quæ omnem mihi mœrorem ex animo deterget.

5. Quod amplius eſt Iſaias Propheta, cum vellet inculcare Iudæis, quod Deus Eccleſiam è paucis Iudæis ad Chriſtum, conuerſis conſtantem, gentium omnium ſupplemento ita benediceret & multiplicaret, vt totum orbem complecteretur, inquit: *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum & ad Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum & benedixi ei, ac multiplicaui eum.* Ad quem locum ſic auctor non contemnendus. Ad vnius Abrahæ, Saræque exempla veteri in hiſtoria conſcripta reſpicere monebat Iſaias. *Attendite*, inquit, *ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Iſa. 51. Quaſi vnius viri ac fœminæ recordatio neceſſaria eſſet, ac ſufficiens, vt totus ille populus; imò & totus orbis ad pietatem inſtrueretur. Nam vt benè D. Gregorius Nyſſenus in lib. de vita Moyſis. *Quemadmodum, inquit, qui tempeſtate, ac vi ventorum longè à recta ſua nauigationis via in pelagus exacti ſunt, ſi vel ignem, vel cacumen montis proſpexerint, facile ſe ab errore in tutum reducunt. Sic quicumque huius vitæ fluctibus oppreſſi à virtute aberrant, exemplo Abrahæ ac Sara, quaſi quodam gubernaculo ad diuinæ voluntatis portum reuocantur.* Vbi egregia ſimilitudine priorum exempla, poſteriorum gubernacula appellat; quia non minus requirit vita noſtra Sanctorum exemplum, vt ad virtutem informetur; quam nauis in medijs fluctibus gubernaculum, vt ad portum dirigatur. Et vt gubernaculum nauem, ita & vnius viri exemplum vitam noſtram ſoſpitat, & è naufragio eripit, in portumque ſalutis fœliciter deducit. Vnde D. Gregorius citatus. *Simus*, inquit, *vnius probati vitam in exemplum ſumpſerimus; oſtendemus, quomodo poſſibile ſit, hos vitæ fluctus abſque naufragio ſuperare; animamq; noſtram perturbationum vndis minimè*

Vnius Abrahæ & Sara recordatio proponitur Iudæis, vt emendetur.

Priorum exempla ſunt poſteriorum gubernacula

Mauden in Tobiam.

ſubmerſam in tutiſſimum virtutis portum deducere.

Hæc ſummopere attendenda ſunt: vt enim ait Auguſtinus lib. Meditat. c. 4. *Tot iudicibus inops aſtabo, quot me præceſſerunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi prohibuerunt benè viuendi exempla. Tot conuincar teſtibus, quot me monuere proficua ſermonibus, ſeq; imitandos iuſtis dederunt actionibus.* Hinc igitur conſcriptam voluit vitam, actiones, & geſta Tobiæ Angelus, cuius hiſtoriam iam auſpicor. Et quandoquidem in S. Scriptura ne jota vel apex gratis exiſtat, Quæro primò.

Tot iudicibus aſtabis peccator, quot habuiſti prædeceſſores bonos.

SECTIO II.

Quare dicatur de nobili familia ſeu tribu Nephtalim ortus.

1. PRimum id factum iuxtà morem Scripturæ. Ea enim de Moyſe dictura inquit Exod. 2. *Egreſſus eſt poſthac vir de domo Leui, &c.* Samuelis vitam & geſta perſtricturа, vnde & à quibus ille fuerit oriundus parentibus edocet, inquiens: *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim.* De Prophetis ſimiliter præponitur titulus, nempè Iſa. 1. *Viſio Iſaiæ filij Amos.* Cap. 1. Ierem. *Verba Hieremiæ filij Helciæ de Sacerdotibus qui fuerunt in Anatoth in terra Beniamin.* Ezech. 1. *factum eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem in terra Chaldæorum.* Et ſic de cæteris. Atque in hunc modum affirmat Scriptura Tobiam, fuiſſe progenie Nephtalenſem, adeoque nobilem.

1. *Ratio ob morem Scripturæ.*

Verùm tropologicè & ad mores exiſtimo cauſam eſſe, vt deſignet, qui nobiles Deo placeant. Ad cuius intelligentiam nota in ſæculo nobiles quidem eligi & præferri ad grauiſſima & maximi ponderis negotia, vt ad educationem Principum & negotia Regia. Sic enim legitur de Antiocho. 1. Machab. 3. v. 32. *Reliquit Antiochus Lyſiam hominem nobilem de genere regali ſuper negotia regia à flumine Euphrate vſque ad flumen AEgypti: & vt nutriret Antiochum filium ſuum donec rediret.* Saul quoque 1. Reg. 9. ad Regnum aſſumitur. Sed apud Deum eiuſmodi nobilitas nihil prodeſt, niſi adornata virtutibus. Vnde Scriptura tunc præcipuè eorum mentionem facit, vt videre eſt 1. Reg. 9. vbi nobilitas Samuelis non à maiorũ claritate, ſed à veritate oraculorum, ſanctitate operum, & quod caput eſt à comiunctione cum Deo declaratur: *Ecce vir Dei,* inquit puer Saulis, *eſt in ciuitate hac vir nobilis, omne quod loquitur ſine ambiguitate venit.* Et Act. 17. de Beröenſibus, ſic ait ibidem Lucas v. 10. *Fratres verò confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum & Sylam in Beroeam: Qui cùm veniſſent, in Synagogam Iudæorum introierunt: Hi autem erant*

2. *Ratio ob deſignat qui nobiles Deo placeant.*

Nobiles præſapiũ ad officia cæteris præferuntur.

nobiliores eorum qui sunt Thessalonica. Qui susceperunt verbum cum omni auiditate quotidiè scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum gentilium honestarum, & viri non pauci. q. d. Beroenses nobiliores Thessalonicensibus tam genere & prosapiâ, quàm generositate & indole magis fuerunt dociles, magisque cápaces & prompti ad capessendam Euangelij doctrinam, quam libenter & propensis animis susceperunt. Nobilitas enim generis sæpè adfert nobilitatem animi. i. sinceritatem, ciuilitatem, qui ad hoc scrutabantur scripturas, vt in doctrina à Paulo tradita & fide suscepta se magis confirmarent, eiusque mysteria, melius & profundius penetrarent. Illi enim, qui virtute maxima, & præclaris gestis noti fuerunt, reputati sunt nobiles, vt incipientes à filijs Adam inueniemus Abel iustum, & virtuti deditum, nobilem fuisse; Cain verò ex malis operibus ignobilem. Et posteà cùm omnes homines in diluuio perierint, saluis tandem Noë, & tribus eius filijs, ex quibus duo, Sem-, & Iapheth maiorum virtutem & nobilitatem retinuerunt, & in posteros propagauerunt; tertius verò Cham ob nudum patrem ebrium derisum ab ea decidit, audiuitque à patre suo: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Genes. 9. 25. Sic exaltatur Isaias quod ad mandatum Domini, licet vir nobilis esset è regia stirpe, non erubuerit ex toto nudus, per triduum celeberrima vrbe concionabundus incedere media die. Licet enim hoc per se indecorum & fœdum sciret, tamen credidit firmiter per mandatum Dei honestari, qui volebat eundem eo facto & incessu suo representare Ægyptum & Æthiopiam omnibus rebus nudandam fore, & homines inde abducendos ad ignominiam, vt habetur Isaiæ c. octauo. Sic Ezechiel nobilis prædicatur, quod paradoxa illa promptus executioni mandarit, quæ habentur Ezechiel. c. 4. Similiter Ieremias, quod catenâ ligneâ ad collum concionabundus quindecim annis Deo obtemperauerit Hieiem. 15.

Exemsla.

3. *Nobiles impy reprehenduntur.*

Reprehenditur verò Heli, quòd in filijs sustinenter corripiendis Deum non glorificauerit. 1. Reg. 2. Et Saul regno priuandus declaratur, quòd non exspectato Samuelis aduentu obtulerit Holocaustum. 1. Reg. 7. Idem missus ad delendum funditus Amelech, Achab eorum Regem, multamque prædam reseruans contra Domini mandatum, inobedientiæ arguitur, & abijcitur à Domino, ne sit Rex. 1. Reg. 13. & 15. Et S. Ioannes Baptista acriter increpat Iudæos confidentes se posse sine pœnitentia euadere vēturam iram, eò quòd essent filij Abrahæ nobilis scilicet Patriarchæ, (cuius semini & posteritati Deus promiserit benedictionem ac salutem) dicens: *Ne cœperitis dicere patrem habemus Abraham.* In quæ verba auctor imperfecti homil. 3. in Matth. *Quid enim prodest ei, quem sordidant mores generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham quod filius fuit Nöe, nonne separatus de medio filiorum? qui secundum carnem frater natus fuerat, secundum animum factus est seruus. Nec familia eius sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrem habuerit luteorum deorum cultorem? Nonne separatus à genere suo, positus est in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? Nec potuerunt gloriam eius sordidare paterni errores: Nam & aurum de terra nascitur, & non est terra. Et aurum quidem eligitur, terra autē contemnitur. Et stagnum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum seruatur, stagnum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci.*

1. Reg. 1. 2. Reg. 7.

1. Reg. 13. & 15.

Luc. 3.

Gen. 6.

Gen. 11.

4. *Triplex nobilitatis genus.*

Hinc D. Gregor. Nazianz. orat. 28. facit hanc distinctionem. *Triplex genus est nobilitatis; vnum, quod supernè originem traxit, quod quidem si consideremus, omnes peraquè nobiles sumus, quippe ad imaginem Dei creati. Alterum, quod à sanguine proficiscitur, cuius ratione haud quidem scio, an quisquam nobilis dici possit, cùm corruptione constet. Tertium à virtute, aut vitio agnoscitur, cuius vel vberius vel exilius participes efficimur, prout, opinor, diuinam imaginem, vel integram seruauerimus, vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatem amplectetur quisquis verè sapiens, ac Philosophus fuerit, &c.*

5. Nos verò miselli affectamus nomen magnorum dumtaxat qui sunt in terra. Nos magni appellari volumus, Grandes de Hispania, summum decus existimamus, de virtute parum solliciti, quæ sola magnos facit apud Deum. Audi quid de Samuele nobili puero sacra pagina prædicet: *Magnificatus est,* inquit, *puer Samuel coram Domino.* Nobilis prosapia in pueritia grandis effectus est in oculis Dei, apud quem nemo dicitur magnus, nisi qui & iustitia & sanctitate magnus est. Verè dixit S. Gregorius Magnus in hunc locum: *Notandū,* inquit, est, *quod puer Samuel, & magnificatus. Cur ergo puer, nisi quia humilis? & cur magnificatus asseritur nisi quia ad perfectionis, erat celsitudinem sublimatus?* Sic iusti coram Deo magni dicuntur. De Ioanne Baptista testatur Lucas: *Erit magnus coram Domino*, cap. 1. de Christo Domino: *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Luculenter Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in leuiticum. *Ostende mihi de scripturis, vbi aliquis peccator, aut parui meriti, magnus appellatus sit. Nusquam opinor inuenies. Audi verò, qui sunt, qui magni appellantur. De Ezechia dicitur, qui proficiebat valdè, quousque factus est magnus valdè.*

1. Reg. 2.

Iusti coram Deo, magni dicuntur.

4. Reg. 18.

Exod.11. Luc.1. *valde. Moyſes dictus eſt magnus, & Ioannes Baptiſta magnus dictus eſt: nunc autem Ieſus magnus dicitur, & poſt hunc iam nullus appellatus eſt magnus. Priuſquam enim adeſſet, qui verè magnus eſt ad comparationem reliquorum hominum magni appellati ſunt ſancti, quorum ſuperiùs fecimus mentionem. Vbi verò aduenit ipſe, qui non ex comparatione cæterorum, ſed ſui magnitudine verè magnus erat, de quo etiam ſcriptum eſt. Quia exultauit vt gigas ad currendam viam: vltrà iam magnus nullus eſt appellatus.* E contrà verò, qui in virtute ſunt infirmi, in Scriptura puſilli appellantur; Matt.18. *Videte ne contemnatis vnum de puſillis iſtis, Marci.9. & Luc.17.* Veriſſimè igitur Cyrillus loc. cit. *Peccatum hominem paruum facit & exiguum: virtus eminentem præſtat & magnum: Sicut enim aegritudo corporis exile & exiguum facit corpus hominis, ſanitas verò latum reddit & validum: ita intellige quia & animam quidem aegritudo peccati humilem facit & paruam: ſanitas verò interioris hominis & virtutis opera, magnam eam faciunt & eminentem: & quanto magis in virtutibus creſcit, tantò proceriorem reddet magnitudinem ſui.* Vnde prudenter D. Hieronymus in epiſt. ad Celantiam ſciens ſeruum & nobilem de moribus pronuntiari, ſic monet Celantiam. *Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas, neque obſcuriores quoque humiliori loco natos te inferiores putes. Neſcit Religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos ſuſpicit ſingulorũ. Sola apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis. Summa apud Deum nobilitas eſt clarum eſſe virtutibus. Quid apud Deum nobilius Petro, qui piſcator & pauper fuit? Quid in fœminis B. Mariâ illuſtrius, quæ ſponſa fabri deſcribitur? Sed illi piſcatori, & pauperi, cœleſtis regni à Deo creduntur claues. Hac ſponſa fabri meruit eſſe mater illius, à quo ipſi claues datæ ſunt.* Et ſic Dominus Deus ipſe 1.Reg.2.dixit. *Quicumque honorificabit me, ego honorificabo eum, & quicumque contempſerint me, erunt ignobiles.*

Qui ſunt in virtute infirmi, parui dicuntur.

6. Quod & plurimi nobiles animaduerterunt, qui data occaſione Martyrij, noluerunt ratione nobilitatis proſapiæ ſibi parci, ſed illud ſtrenuè appetierunt. Teſtes ſunt Romanus martyr, qui, cùm Galerius Imperator & Aſclepiades Præfectus Antiochiæ Chriſtianos inuaderent, flagris & plumbatis cæſus noluit ſibi nobilitatis nomine ignoſci: *Abſit*, inquit, *vt me nobilem ſanguis parentum præſtet, aut lex curiæ: generoſa Chriſti ſequela nobilitat viros.* Iuſſit ergo Aſclepiades latera eius mucronibus ſcindi. tum ille: *Gratias ago tibi, ô Præfecte, quod amplioris mihi oris patefeciſti meatus, quibus Chriſtum prædicare poſſim; tot ecce laudant ora, quot ſunt vulnera.* Autor eſt Prudentius in hymnis περὶ στεφάνων. Ita & S. Agatha Quintiano præfecto obijcienti, *Non te pudet nobili genere natam, humilem & ſeruilem Chriſtianorum vitam agere? Reſpondit: Multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſeruitus Regum opibus & ſuperbiâ.*

Nobiles maluerunt martyrium quàm reſpectu nobilitatis non pati.

Mauden in Tobiam.

Dices tamen D. Paulus gloriatur ſe eſſe Iſraelitam, & de ſemine Abrahæ, cum 2. Corinth.11.dicit: *Hebræi ſunt, & ego; Iſraelitæ ſunt & ego; Semen Abrahæ ſunt & ego.* Reſpondeo. D. Paulum nullam vim per ſe conſtituere in proſapia, quaſi illa per ſe, apud Deum valeret, quandoquidem ſciret Iudæos à lege Dei recedentes, multis modis reprobatos, & ſpeciatim etiam Eſau primogenitum Iſaac, & in lege Euangelica non eſſe diſtinctionem Iudæi neque Græci, vt fuerat olim quoad externum cultum Dei: Sed propter aliorum ſalutem ſe talem prædicaſſe. Cùm enim Pſeudoapoſtoli Corinthianos peruertentes mirum in modum ſe exaltarẽt, coactus fuit propter infirmorum confirmationem in fide ſuas prærogatiuas in medium producere, vt ipſemet ſeſe explicat, cùm ſubiungit: *Inſipiens factus ſum, vos me coëgiſtis.* Vt autem firmius id credas, attende eius verba Philippen. 3. v. 7. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* Quod idem eſt ac ſi diceret: Carnis excellentias, quas olim cùm Iudæus eſſem, plurimùm ponderaui, videlicet quòd ſim circumciſus, quòd ſim ex genere Iſrael, quòd de Tribu Beniamin, quòd Phariſæus, &c. poſtquam Euangelij veritatem & dignitatem agnoui, habeo vt nullius pretij. 7.

In quem ſint alleges Paulus ſe nobilẽ.

SECTIO III.

An patrium ſolum alicui gloriam conciliet.

1. TOBIAS noſter natus dicitur ex ciuitate Nephtalim, quæ videtur fuiſſe ciuitas ſatis opima. Cũ enim Moyſes benediceret Iſraëli, & ſingulis tribubus, eiſque ventura prædiceret, de Nephtalim dicit Deutron.33. *Nephtalim abundantiâ fruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem poſſidebit.* Quaſi dicat: Nephtali abundantiâ fruetur fructuum & opum, ac ibidem præcoces matureſcent fructus ex quibus primitiæ offerentur Deo in templo. Ad Nephtalitas merces & opes aduehentur ex meridie, & ex mari, quia contermini Phœnicibus videlicet Tyrijs, Sydonijs, & alijs, à quibus totius orbis merces facilè haberi poterunt. Ciuitas autem præcipua huius tribus vocata fuit Nephtalim, ex qua oriundus Tobias noſter. Quæritur an locus natiuitatis aliquod encomium homini concedat? Certum eſt in primis vnam quamque Prouinciam diuerſas habere proprietates ab alia, vt ſunt nobilitas, ignobilitas, mala vel bona indoles, vrbanitas, ruſticitas, & id genus alia, ſecundum quas indigenæ ex opinione vulgi commendantur. Nam nautæ, inter quos Ionas nauigabat, vt eius vitam agnoſcerent, patriam inquirebant. *Qua*, inquiunt, *terra tua? & quo*

Nephtalim fuit ciuitas opima.

Ex proprietatibus patriæ mores alicuius eruuntur.

vadis? vel ex quo populo tu es? Ion. 1. v. 8. In quem locum Theodoretus: *Iubent*, inquit, *hæc dicere, vt ex communibus Gentis studijs, & institutis vitam agnoscerent.* De qua re latius agam Sect. 4. cap. 7. huius historiæ. Cùm Ioannis cap. 1. Philippus inuenisset Nathanael sibi familiarem & amicum, virum in scrutandis scripturis diligentissimum, dixit illi; *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Qui admirans, & dubitans respondit interrogando: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Quasi diceret: A loco tam ignobili & Barbaro potest ne Christus esse. Dubitabat Christum de Bethlehem Iudæ venturum, sicut Ioan. 7. Iudæi, licet dissimili mente, qui dicebant: *Numquid à Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine Dauid, & de Bethleem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* Et Pharisæi Nicodemo: *Scrutare scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non surgit*, id est, nullus Propheta extitit, nec vllus extare debet. Hi omnes propter vilitatem loci natiuitatis non admittebãt Christum, & maledicebant, eum tanquam Prophetam Dei recipientes. Quod ex maleuolo animo procedebat: quia Scriptura nusquam dicit non futurum Prophetam de Galilæa, quamuis nullus fuisse legatur. Nathanael verò alio longe animo de hoc dubitat; nam audiens ab homine illiterato rem nouam, & summi momenti, non omninò negat, nec exprobrat Philippo ipsum deceptum esse, sed cum admiratione quadam dubitando interrogauit: vnde meruit à Domino illuminari.

2. Hinc etiam Paulus Act. 21. & 22. dicit se in Tarso Ciliciæ non ignotæ Ciuitatis municipem natum. Idem Apostolus ad Titum 1. vitia Cretensium notans: *Dixit quidam*, inquit, *ex illis proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est*, nimirum vt illorum mores Titus acriter corrigat: Dixerat enim v. 5. *Huius rei gratia reliqui te Creta, vt ea quæ desunt, corrigas.* Tertullianus lib. de anima cap. 20. rationales animas comparat cum frugum seminibus. Quemadmodum enim ex seminibus, *Alia*, inquit, *integro statu euadunt, alia etiam meliora respondent: alia degenerant pro conditione cæli, & soli: pro ratione operis, & cura: pro temporum euentu, pro licentia casuum: ita & animam licebit semina vni formem, seu multiformem* (scilicet, appellari, vel censeri.) *Nam & hic etiam de loci interest.* Vbi planè docet pro genio patriæ diuersa hominum ingenia nasci. Quod statim exemplis illustrat: *Thebis*, inquit, *bebetes, & brutos nasci, relatum est. Athenis sapiendi, dicendique acutissimos: vbi penes Colytum* (suspicor esse tractum aliquem, seu plagam, Athenarum) *pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua.* Et statim refert ex Platone in Timæo, Mineruam, cùm vrbem illam moliretur, ex regionis natura, felicia ingenia promisisse. Ac tandem subdit: *Vulgata res gentilium proprietatum. Comici, Phrygas timidos illudunt: Salustius vanos Maures, & feroces Dalmatas pulsat: mendaces Cretas etiam Apostolus inurit.* Iacobus Pamelius in adnotation. huius loci hæc interpretationis ergò adijcit, num. 261. *Thebas Bœotiæ intelligit. Vsque adeò autem id verum est, vt ex pinguine ingenij quidam Bœotes dicti patent, & in Prouerbium abierint, sus Bœotica, Aurin Bœotica, & quod proprius huc accedit, Bœoticum Ingenium; de quibus latè Erasmus in Chiliadibus; qui etiam inde derivatum putat, quod bebetes & brutos homines, Germanica & Britannica lingua, Boc, id est, Bœotes appellemus.* Ad verba; *Athenis sapiendi, dicendique, &c.* hæc addit: *Huc pertinet illud Ciceronis in Orat. pro Flacco: Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributa putantur. Item quod à Platone in Protagora: Athenæ Prytaneum sapientiæ appellentur. Denique quod idem Dialog. 1. de Legibus, vetet ciuitatem eloquentia, & multi sermonis studiosam. Est autem peculiare Auctori quod addit: penes Colytum pueros mense citius eloqui.*

Bœoticum idem quod stupidum.

Diuersa ex diuersis patrijs ingenia prouenire, ostenditur elegantissimilitudine.

3. Ex patria verò, non exiguum ad indicandos mores duci argumentum postea etiam latè docuit D. Hieronymus lib. 2. in epist. ad Galat. c. 3. sub initiũ: *Vnaquæque*, inquit, *prouincia suas habet proprietates. Cretenses semper mendaces, malas bestias, ventres pigros, verè ab Epimenide fuisse dictos, Apostolus comprobat. Vanos Maures, feroces Dalmatas, Latinus pulsat historicus: timidos Phrygas, omnes Poëta lacerant: Athenis expeditiora nasci ingenia Philosophi gloriantur: leues Græcos suggillat Tullius pro Flacco: Ingenita*, inquit, *leuitas, & erudita vanitas: ipsum Israël graui corde, & dura cervice omnes scriptura arguunt.* De Cretensibus non mirum aliqui putãt, quod apud eos viguerint Iudaicæ fabulæ, & obseruantiæ ciborum, ac Iudaismi; de quibus argui eos vult Apostolus: quia magna per maris viciniam communio erat Iudæorum cum Cretensibus. Et Iosephus testis est in sua vita, Iudæos nobiles in Creta habitare solitos, eaque de causa se vxorem ex Creta accepisse narrat.

Ex patria mores inuestigant.

4. Nihilominus dico resolutè neminem à nobilitate patriæ verè gloriari posse; cum etiam in nobili patria vitia regnent, & in meliori vrbe deteriores ciues aliquando commorentur. Quod in primis parentibus videre est. Nam Adamum condidit Deus extra paradisum: Euam in paradiso formauit: cum tamen vir muliere potior censeatur. Qua de re D. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 4. *Aduerte*, inquit, *quod extra paradisum vir factus est, & mulier in paradiso: vt aduertas quòd non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam sibi conciliat. Nam extra paradisum factus, hoc est,*

Ex patria nobilitate non superbiendum.

in

in inferiori loco, vir melior inuenitur: & illa qua in meliori loco, hoc eſt, in paradiſo facta eſt, inferior reperitur. Quare quando nobilitas patriæ nobis non confert ad virtutem, non eſt cur de illa gloriemur. Vnde D. Chryſoſtomus homil. 9. in Matthæ. inducit Chriſtum Dominum ita nobiſcum loquentem: *Cur tu*, inquit, *de nobilitate patriæ tumeſcis, cùm te ego totius mundi inbeam eſſe peregrinum: cumq; talem eſſe te liceat, vt ad comparationem tui totus hic orbis indicetur indignus?* vbi alludit ad locum illum Apoſt. Hebr. 11. v. 38. vbi locutus de ſanctiſſimis Patriarchis, ſubdit: *Quibus dignus non erat mundus.* In quem locum Theophilactus, *Si vniuerſam*, inquit, *mundi ſtructuram, cum hominibus, qui in eo ſunt, opponas his ſanctis, non inuenies tamen, quid illis dignitate reſpondeat.* Si igitur totus mundus noſtris meritis inferior eſſe debet: cur de vna exigua patria inſolenter gloriemur?

5. *Patria nobilitas ignobilitati non deprimenda.*

Quod ſi gloriamur de nobili patria, ignobilem in ea vitam multis ſceleribus abiectam non ducamus. Ad quam rem D. Gregorius Nazianſenus orat. 27. ad finem, ciues Conſtantinopolitanos adhortatur: *Vos*, inquit, *magna vrbis ciues, qui primi ſtatim poſt primam* (ſcilicet Romam) *eſtis, aut ne id quidem ei concedatis, ita vos gerite, vt primi, non improbitate, ſed virtute: non morum diſſolutione, ac mollitie, ſed optimis legibus ſitis. Turpe enim fuerit, ſi hac vrbs, ita vrbibus alijs præſtet, vt tamen voluptatibus cedat: aut cetera quidem grauis, & moderata ſit: verùm circa ludos Circenſes, & ſpectacula, & curſus, ac venationes, adeò inſaniat: vt hæc pro vita, & ſerio quodam inſtituto habeat: atque vrbs inter vrbes principatum tenens, ludentium vrbs ſit: quam alijs quoque virtutum omnium exempla præbere, multo æquius erat, & congruentius.* vbi vides rem eſſe indigniſſimã in nobiliſſima ciuitate viliſſimos mores reperiri, & bonos mores ciuitatẽ maximè illuſtrare.

6. *Illuſtris vita indigenarũ nobilitat ignobilis ciuitatẽ.*

Facit ad hoc, quod illuſtris vita perſonarum viles ciuitates nobiliret. Sic Bethleem ciuitas ignobilis, facta illuſtris eſt, quòd ex ea prodierint plures Principes, & viri illuſtres, videlicet Abeſſan iudex, id eſt, princeps Iſraëlis, qui habuit triginta filios & totidem filias, Judic. 12. Elimelech maritus Noëmi; cuius filio nupſit Ruth, & eo mortuo nupſit Booz, ex quo genuit Obed patrem Ieſſe, ex quo natus eſt Dauid, vt patet ex libro Ruth. Dauid Rex, à quo tota familia Regum Iſraël & Iuda deſcendit, vſque ad vltimum regẽ Sedeciam. Et Bethleem facta eſt totius regiæ & Dauidicæ ſtirpis ſeminarium, & cõmunis patria: cùm par eſſet eam, quæ Regem cælorum editura eſſet, iam ante ſe probare tot heroibus, illiſque ei præludere, vt tandem vel hominum iudicio digna hæc patria cenſeretur, quæ extremo virtutis opere edito, aliquid ſuper heroas & homines omnes, puta ipſum Dei filiũ, mundo exhiberet adorandum. Inſuper Samuel in Bethleem Danidem fratrum minimum vnxit in Regem, 1. Reg. 16. & hinc Bethlehem vocatur ciuitas Dauid. Hinc & Roboam Davidis ex Salomone nepos Bethlehem inſtaurauit, nouiſque domibus & muris exædificauit. 2. Paral. 11. 6.

Imò Chriſtus Dominus, qui potuiſſet Romæ, vel Ieroſolymæ, vel alio in loco illuſtri naſci, elegit Bethleem duabus de cauſis. Prima eſt litteralis, vt Bethlehem demonſtraret Chriſtum eſſe filium Dauidis Bethlehemitæ, cui à Deo promiſſus fuerat, ac proinde ipſum eſſe verum Meſſiam. Hanc cauſam indicat S. Lucas cap. 2. dicens: *Eò quòd eſſet de domo & familia Dauid.* Altera moralis, vt oſtenderet patriæ vilitatem neminem impedire à virtutis culmine. Relictâ ergo Româ, & Ieroſolymâ, ampliſſimis emporijs, voluit Chriſtus Dominus naſci in Bethlehem vrbe exiguâ. De qua Michæas vates cap. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Ad hæc concipi & educari voluit in Nazareth tam vili oppidulo, vt dubitauerit Nathanael, an inde poſſet aliquid boni eſſe, Ioan. 1. Imò Chriſtus Dominus hac de cauſa diſcipulos elegit ex Galilæa. *Omnes iſti Galilæi ſunt.* Act. 2. Galilæa verò adeò erat bonorum virorum infecũda, vt de illa prouerbij loco diceretur, *Propheta à Galilæa non ſurgit.* Ioan. 7. Quorſum hæc omnia? *Vt vbique*, inquit D. Chryſoſt. *Occaſiones amputaret, deſidiâ, & corpore languentibus, ac doceret, quod nullius rei indigeamus externæ, ſi voluerimus ſtudere virtuti.* Eandem ob cauſam Chriſtus Dominus ex illa peſſima Bethſaida, cui tam acriter exprobauit, Matth. 11. Ex illa, inquam, quinque diſcipulos elegit, Petrum, & Andream: Ioannem, & Iacobum, & Philippum: vt patet Ioan. 1. v. 44. Cur obſecro, ex vitioſiſſima vrbe optimos ſibi diſcipulos cooptauit, niſi, vt oſtenderet, fieri poſſe, vt in mala ciuitate optimi ciues naſcerentur? Quod rectè expẽdit D. Chryſoſt. hom. 38. in Matth. nam locutus de peſſimis illis ciuibus Bethſaidæ. *Vt*, inquit, *videas, non naturâ illos tales fuiſſe, nomen illius vrbis poſuit Chriſtus: vnde quinque emicuerunt Apoſtoli. Nam Philippus, & duo illa paria, qua Apoſtolatus verticem tenuerunt, inde fuiſſe dicuntur.* Non potuerunt igitur miſeri ciues ſuorum morum culpã in patriam conferre, quæ ſanctiſſimos Apoſtolos genuerat, & proinde nec de vilitate patriæ, ſed de ſua iniquitate erubeſcere debuerunt.

Cur Chriſtus natus in Bethlehem.

Patriæ vilitas non nocet volenti virtutis culmen.

Chriſtus & Apoſtoli ex humili patria.

Illuſtratur itaque patria aliqua ab incolarum virtute, aut quod viros illuſtres in pietate producat. De Homeri natali ſolo certant ſeptem nobiles Græciæ vrbes, ſingulæque eum ſibi ciuem arrogare conantur: quàm ergò glorioſa Bethlehem, quæ omnium conſenſu, & confeſſione, toti Orbi dedit Meſſiam,

7. *Bethlehem glorioſiſſima ob nativitatem Domini*

siam; puta Deum hominem natum! in qua Christus in mundum prodiens, primò lucem, cælum & solum hoc aspexit: vtique Bethlehem omnes regias, omnes metropoles, omnia orbis emporia nobilitate, æque ac sanctitate vincit: quàm glorioſa vbi Iobi, vbi Tobiæ, aliíque heroes primùm lucem hanc aſpexerunt? D. Chryſoſtomus aſſerit Romam illuſtrem, factam illuſtriorem ob martyrium Apoſtolorum Petri, & Pauli in ea ſepultorum, dum ait: *Ego & Romam propterea diligo, tametſi & aliunde queam illam laudare, nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter geſtis. Sed relictis iſtis omnibus, ob id illam beatam deprædico, quòd erga illos Paulus dum viueret, adeò fuit benevolus, adeò illos amauit, coram diſſeruit, & poſtremò apud eos vitam finiuit. Vnde & ciuitas iſta hinc facta eſt inſignior plus quàm à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum ac validum, duos habet illuſtres oculos, ſanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cælum ſplendeſcit, quando radios ſuos Sol ex ſeſe dimittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Conſiderate, & horrete, quale ſpectaculum viſura ſit Roma, Paulum videlicet repentè ex theca illa cum Petro reſurgentem in occurſum domini ſurſum ferri. Qualem roſam Chriſto mittet Roma; qualibus coronis duabus ornatur vrbs iſta? Qualibus catenis aureis cincta eſt? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam: ſed propter columnas illas Eccleſiæ.* Sic olim Caleb Ioſue cap. 14. terram promiſſionis ingreſſus à Ioſue poſtulauit *ciuitatem Cariatharbe*, quod in ea, vt refert Lyran. quatuor Patriarchatum patria vixerint, & obierint. Nempe Adam & Eua: Abraham, & Sara; Iſaac, & Rebecca: Iacob, & Lia. Cur hanc verò præ cæteris, ad habitandum elegit? Reſpondet Theodor. quæſt. 16. *Quia cum*, inquit, *pietate polleret, cæteris omnibus anteposuit hanc vrbem, in qua quàm optimi Patriarchæ habitauerunt, & ſepulti ſunt.* Terra Hus commemoratur in Scriptura ſacra propter pietatem Iobi in ea nati, quòd miraculo ſimile ſit, in mala patria bonum incolam reperiri. Adeoque prima Iobi commendatio, miraculi loco non eximenda illa fuit, vt ipſe vir ſanctiſſimus de terra ſceleratiſſima naſceretur. Vir erat in terra Hus. Iob. 1. v. 1. Exprimitur enim Hus eius patria, regio profana, qualis Eſau, qui eam incolebat, *vt Prouinciam*, inquit, D. Chryſoſt. hom. 2. de patientia Iob, *ex qua tantus fructus floruit, verè mireris, qualiſq; roſa in ſpinarum medio germinauerit.*

Roma illuſtris, illuſtrior facta ob Petrum & Paulum in ea ſepultos.

Credo hoc loco, patriam Tobiæ noſtri commemorari, quòd ipſe in fertili loco natus, vbi & abundare ſolent vitia; nam vbi abundantia, ibi luxus; tam ibi, quàm in captiuitatem redactus, vbique pietatem coluerit; ſciens abundare, & pænuriam pati.

Viden' ex virtute incolarum maximè nobilitari patriam: neque obeſſe malam indolem à patrio ſolo, quando quis virtutem ſectari cupit; licet prauitas morum aliquando ex patria colligatur, vti nautæ Ion. 1. ex eius patria vitam agnoſcere volebant. vnde & D. Paulus de patria gloriari non voluit, ſed quæ antea magnificauit, poſt notitiam de Chriſto faſtidiuit: *Quæ*, inquit, *mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* q.d. Carnis excellentias, quas olim in pretio habui, quòd ſim de tribu Beniamin, quòd in Tarſo Ciliciæ natus, quòd homo Romanus; poſt notitiam Euangelicæ veritatis & dignitatis habeo vt nullius pretij. Quod autem Actor. 21. diceret: *Ego ſum homo quidem Iudæus à Tarſo Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps.* Fuit, quia volebant illum occidere. Et quia Tribunus rogabat, An non ille Ægyptius eſſet, qui ante hos dies, id eſt, triennium, tumultum concitaſſet, & eduxiſſet in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum? Propterea, inquam, cogebatur allegare ſe Iudæum eſſe natum in Tarſo Ciliciæ metropoli, loco valde celebri. Ex quo facilè colligi poterat, ipſum non eſſe Ægyptium illum, quem putabat Tribunus, quem deſcribit Ioſephus lib. 20. Antiquit. cap. 20. *Eodem*, inquit, *tempore quidam ex Ægypto venit Hieroſolymam, vatem ſe eſſe profitens, & plebi ſuadens vt ſecuta ſe in montem Oliueti aſcenderet, qui è regione vrbis ad quintum abeſt ſtadium: illic enim viſuros ſuo iuſſu cadere Hieroſolymorum mœnia, ita vt per eorum ruinas aditus in vrbem pateat. Quo cognito Felix iubet milites arma ſumere: ſtipatúſque multis equitibus ac peditibus erumpens, irruit in turbam ſeductam ab Ægypto: quorum quadringentis occiſis, ducentos vivos cepit: Ægyptius ipſe pugnâ elapſus diſparuit. Poſt hæc latrones rurſum ad rebellandum Romanis incitabant populum, dictitantes excutiendum illorum imperium, & non aſſentientium vicos direptos abſumebant incendijs.* Porrò Ægyptij olim malè audiebant, tanquam malarum auctores artium, vnde prouerbium; *Nectunt ſtupendas machinas Ægyptij*, de verſutis, &, vt ait Plautus, conſutis dolis dictitatum: &, *Lydi improbi poſt hos ſecundi Ægyptij, tertijq; Cares perditiſſimi omnium.*

8.

D. Paulus quare ſe dicit ex Tarſo natum.

Ægyptij impoſtores.

Capite verò 20. obtentâ facultate loquendi à Tribuno, ad populum rurſum dixit: *Ego ſum vir Iudæus natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta ciuitate ſecus pedes Gamalielis! eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, ſicut & vos omnes eſtis hodie.* Hoc, inquam, repetijt Apoſtolus, eò quòd Iudæi, quando ipſum perorantem ad populum, ſuamque de cælo vocationem, conuerſionem & miſſionem enarrantem

rantem silenter audijssent, & adderet se missum etiam ad Gentes ex Dei mandato; iudicantes se per hoc contemni, conclamarint, eum de terrâ tollendum, proijcientes vestimenta sua, & puluerem iacientes in aëra, quasi in turbatorem non tantùm terræ, sed & aëris ac cæli, & quasi vi à Tribuno extorquentes sententiam condemnationis Pauli, quibus ille obsecutus fuit: necesse habuit sese defendere iure ciuilitatis Romanæ, quo particeps erat priuilegiorum, siue prærogatiuarum, quibus gaudebant ciues Romani, inter quas erat vna, vt verberibus cædi, & in crucem agi non possent (qua de causa cum S. Petrus Romæ crucifixus est, S. Paulus vt ciuis Romanus capite plexus est) vt sic liberiùs prædicationi Euangelicæ operam dare posset. Sit ergo concluſio, neminem posse culpam prauorum morũ in patriã conferre, nec de patriæ vilitate, sed de sua iniquitate debere erubescere; gloriari autẽ posse, quando nobilẽ patriã nobilioribus moribus condecorat, aut à prauitate famosam suis virtutibus illustrat. Quod in Tobia nostro & B. Iobo omninò emicuit.

VERSVS IV.

Cumque esset junior omnibus in Tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere.

PARAPHRASIS.

Cùm esset ætate omnium videlicet post abductam tribum relictorum minimus, nemini tamen fuit modestiâ, pietate & in puerilibus annis senili moderatione secundus.

NOTA hîc, benevole lector, quod in explicatione huius historiæ non sequar ordinem versuum prout continentur in Biblijs, sed ordinem rei gestæ: adeoque differens versum 2. & 3. vsque ad versum 11. præpono versum 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Ratio est quòd in hoc capite tria constituantur tempora, in quibus Tobiæ emicuit in homines innata misericordia, & in Deum perfecta Religio. Primum ante captiuitatem, dum in patria vixit, & tribu Nephtali. De quibus agitur à versu 4. vsque 11. Secundum tempus fuit, cùm in captiuitate vixit sub Assyriorum Rege Salmanasar, de quo, Tobiæque gestis agunt versus 2. 3. 11. & seqq. vsque 18. Tertium tempus fuit sub Sennacherib, cuius sæuitiam, ac Tobiæ actus eminentes tractant versus 18. 19. & seqq. vsque finem capitis, vnde necessum fuit à versu 1. descendere ad versum 4. vt rectus ordo seruetur ad intelligentiam populi; eò quòd versus 2. & 3. per anticipationem dumtaxat præponantur, juxta frequentem Scripturæ morem.

SECTIO QVARTA.

Qua ratione pueri subinde citò, ab infantilibus iocis abstineant & ad cælestia aptentur?

1. DIVVS Paulus 1. Cor. 13. dicit: *Cùm essem parvulus loquebar vt parvulus, sapiebam vt parvulus, cogitabam vt parvulus: Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant parvuli.* Quibus verbis significat Apostolus, quod de gloria cælesti in hoc mundo cognoscamus, quantum parvuli hic percipiunt de grauioribus negotijs. In cœlo perfectius nos eandem percepturos, sicuti viri ob maturitatem penitus negotia temporalia in hoc sæculo penetrant. Atqui vtens hac comparatione exprimit Iuuenes paulatim matureſcere, ac tandem virile assequi ingenium & mores. De Tobia tamen hic narratur, quòd cùm minimus esset omnium ætate, nullus maiorum natu vitam suam & mores instituerit vt ipse, quæ horum ratio? 2. Nouantes aiunt id contingere, quòd ex fideli parente nascantur. Idque probare nituntur 3. *Nouantes volunt ex*

fideli parente natum etiam non baptizatum esse Sanctũ.

ex verbis Apostoli 1. Cor. 7. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* q. doceret Apostolus fidelium filios propriè esse sanctos, & sine Baptismo saluari: quia hoc ipso quo fidelium sunt filij censeantur esse in Ecclesia nati iuxta fœdus diuinum: *Ero Deus tuus, & seminis tui.* Genes. 17. v. 7. Quemadmodum iure ciuili censentur liberi, qui ex altero parente libero nascuntur.

4. *Error Calvinistarũ.*

Sed errant: quia pariter ait Apostolus, sanctificari virum infidelẽ per vxorem fidelem: talis autem vir per coniugem suam præcisè & propriè non sanctificatur vt patet; ergo nec filius. 2. Ecclesia non est ciuilis Respublica, sed supernaturalis, & in ea nemo nascitur Christianus, sed Baptismo, vti & olim circumcisione, Genes. 17. spiritualiter renascitur quisque, & fit sanctus non carnaliter, sed realiter per fidem, spem, charitatem animæ infusam. Ita Patres & tota Ecclesia. 3. quod Ioan. 3. v. 5. absolutè dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vnde falsum dignoscitur, quod aliquis siue adultus (dummodo scilicet queat habere qui eum Baptizet, & materiam seu aquam) siue paruulus ex aqua non renatus, scilicet, qui natus est ex parentibus fidelibus, possit introire in regnum Dei. Sensus enim Apostoli est manente fideli cum infideli in coniugio, filij facilè, conuenientè infideli, parentis fidelis fide, & diligentia, ac cura sanctificari, Baptizari & Christianè educari possunt. Vt explicat S. Augustinus lib. 3. de peccator. meritis cap. 12. Et ex Tertull. Hieronym. epist. 153. ad Paulinum. Et confirmatur, quia Ioann 1. dedit Dominus potestatem filios Dei fieri, *his, qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Planissimè igitur Ioannes significat eos qui Christum recipiunt iterum nasci, non quidem ex sanguinibus, id est carnali generatione, neq; ex voluntate carnis, id est ex inhonesto concubitu, neque ex voluntate viri, id est ex legitimo concubitu, si enim sic nascerentur iterum, filij hominum essent, sed qui ex Deo renascuntur per Baptismum, illi sic fiunt filij Dei iuxta locum citat. Ioannis 3. Vnde de talibus infantibus prædixit Isaias cap. 65. *Non erit ibi amplius infans dierum.* q.d. renati, adulti, quales erant primi Christiani per Baptismum, non erunt infantes paucorum dierum, sed instar virorum gratia & virtutibus erunt pleni & validi. Primò, ergo per Baptismum.

5.

Institutio parentum

Secundò, ex institutione Parentum. Ita Samuel 1. Reg. 1. puer ex matris Disciplina Deo consecratus magnus euasit. Ita Tobias noster parentibus iam orbatus, à Debbora auia sua instructus in fide constantiam, in aduersis patientiam; in lætis & prosperis humilitatem, seruauit. Tobias junior ex patris cura & disciplina in omni vita sua talis effectus est, vt Deo placeret & hominibus. Timotheus, ex auia sua Loide & matre Eunice fidem illam hausit quam Apostolus magnoperè prædicat. Et hinc plures in iuuentute excelluisse produnt historiæ. Sic enim S. Placidus quinquennis traditus S. Benedicto efformandus à puero vitæ monasticæ assuefecit, factusque est illustris Religiosus & Martyr. Ita S. Felicitas septem filios educauit, & perduxit ad martyrium, teste S. Greg. hom. 3 in Euang. Ita fecit etiam Heroina illa, quæ sub Dunaan tyranno duas filiolas suas piè educando, consecrauit & virginitati & martyrio; De quibus vide Procopium, & ex eo Baronium tom. 7. anno Christi 522. n. 4. 5. vbi modus martyrij earum sic describitur, *Tunc.* Id est cũ minaciter Tyrannus dixerat se matrem Heroinam nobilem & constantem dilaceraturam, *execrandi Tyranni verba non ferens, &c.* Reliqua verba inuenies ad vs. secũdi capitis Sect. 7. Rursum vt alios prætermittam, ita fecit sub eodem tyranno glorioſa illa matrona, quę filium suum à lacte educauit ad martyrium: cùm enim Dunaan in Nagran Arabiæ ciuitate Christianos persequeretur, matrona hæc se & filiolum quinquennem martyrum sanguine perungebat: quare à tyranno damnata fuit & rapta ad ignem; & ecce filiolus eius, matrem raptam deflens, à Dunaan rogatus, *an secum in Regno, an cum matre in rogo esse mallet?* Respondit, *Cum matre esse volo, vt ipsa me quoque assumat ad martyrium: ad hoc enim ipsa me sæpè hortata est.* Cumque Dunaan ex eo quæreret: *Quid est martyrium?* respondit puer: *pro Christo mori, & rursum viuere.* Dunaan rursus, *Quis est Christus? Veni*, inquit, *puer in Ecclesiam, & eum tibi ostendam.* Rursus Dunaan ei blandiebatur: cui puer, *Apage*, inquit, *Iudæe, non te, sed matrem quæro.* Cumque vidisset matrem inijci in ignem, momordit Dunaan tyrannum in femore, & cursu contendit ad matrem, atque insilijt in fornacem, matremque amplexus, factus est cum ipsa hæres martyrij. Rem fusiùs ex Procopio narrat Baronius tom. 7. Anno Christi 522. num. 58. Sic factum est quod ait Propheta Psalm. 8. *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem tuam, vt destruas inimicum & vltorem.* Mater quoque S. Edmundi, Archiepiscopi postea Cantuariensis, cùm eum puerum Parisios ad studia mitteret, duo ei Cilicia dedit, iussitque vt bis vel ter illa in hebdomada gestaret, ac deinde alia & alia illi submisit; tum vt ijs iuuenilem ardorem, & libidinem edomaret, tum vt cruci assueſceret. Vnde & ipse matris consilia secutus cilicijs loricam addidit, ijsque mirè corpus afflixit, vt patet ex vita eius cap. 9. & tantus euasit.

puero tale apta. c. 1. & 4. Tobiæ. 2. Timoth. 1.

Magna

Magna ſanè eſt felicitas ſedulos parentes nanciſci: Vnde gratias exinde agit Deo Paulus 2. Timoth. 1. dicens: *Gratias ago Deo, cui ſeruio à progenitoribus in conſcientia pura*: quia licet aliquándo Iudaizarit, Chriſtumque Deum ad breue tempus oppugnarit, tamen retinuit ſemper cultum & amorem vnius veri Dei. Et ſimiliter laudat ibidem fidem Timothei quam quaſi hæreditariam habebat ex auia ſua Loide & matre Eunyce.

6. *Diuinus impulſus pueritiam ad cælestia promouet.*

Tertio, ex inſtinctu diuino. Sic Sampſon Iudicum 13. de quo ſic diuinum oraculum ad Matrem *Concipies & paries filium, cuius non tanget caput nouacula, erit enim Nazareus Dei ab infantia ſua & ex matris vtero.* Et rurſum, *Peperit itaque filium*, vxor Manue, *& vocauit nomen eius Sampſon, creuitq; puer, & benedixit ei Dominus.* Fuit autem hæc benedictio non ſolùm ad corporis vires, ſed etiam ad animi dotes diuinamque gratiam. *Cùm enim*, inquit Serrarius, *veteris legis Sacramento Circumciſionis ſcilicet initiatus fuiſſet, à ſanctiſq; parentibus ſanctè inſtitueretur, ac educaretur, & totus Domino deuotus atque conſecratus, Nazaræorum inſtituto, viueret, ipſum vt corpore ac ætate, ſic etiam gratia & virtute apud Deum & homines creuiſſe, per Domini benedictionem hanc monſtratur.* Appositè Ambroſius epiſt. 70. *Temperantiæ & ſobrietatis iam inde à pueritia, vini abſtemius præclara inſignia dedit, & intonſo capite Nazareatum ſacra diu ſeruauit cuſtodia.* Nazaræorum ſtatuta, quæ à Moyſe deſcribuntur Numer. 6. erant hæc: Abſtinebant à vino, & ab omni potu, qui inebriare poteſt: ab aceto, & vuis tam ſiccis quàm recentibus. Alebant comam toto tempore ſeparationis ſuæ. Non ibant ad funus vel cadauer mortui ne quidem patris aut matris, & generatim non debebant ſuper mortuo contaminari. Hæc verò omnia infantiles mores omninò dedecebant. Quod enim viui aut veri ac germani, aut factitij ac noti potus illis interdiceretur, erat vt non voluptatem modò, hilaritatemque omnem, quæ ex vino percipitur fugerent, ſed maiori ſiccitate vitæque auſteritate Deum colerent, illique ſeruirent. Cibos etiam qui ex vino, aceto, vuis, earumque acinis & folliculis, condiri poſſent, eaſdem ob cauſas remouit Deus. Promiſſus verò capillus maieſtatem redolebat, illum vero eâ de cauſa fuiſſe nutritum in Dijs Sacerdotibus & Regibus, videre eſt apud Agathiam lib. 1. de bello Getico, Turonenſem lib. 6 cap. 16. Venerationis ergò in Cretenſium Magiſtratibus vſitatum fuiſſe, prodit Seneca lib. 9. Controu. 4. Religionis etiam fuiſſe indicant Cenſorini verba præf. de die Natali: *Sacrum Deo crimen plerique paſcebant.* Funerum, quoque Nazarenis indicta vitatio, vt omni tempore, ſacri, intereſſe poſſent, ſacris, à quibus ob funus Iſraelitæ omnes hebdomade tota polluti reddebantur, Leuit. 10. Sic vt interea Dei tabernacula, & ſacra nulla poſſent adire. Hæc vna cauſa. Altera erat, vt ex hac cærimonia intelligerent, quantum maiore cura ab operibus mortuis cauendum. Cæterùm tanta erat maieſtas in eo poſita, vt Sacerdotibus minoribus, qui parentum, fratrum ac ſororum exequi poterant funera, ſuperiores eſſent Nazaræi, Pontifici autem maximo pares, Leuit. 21.

Ex his facilè liquet, Sampſonē non ex natura ſua, ſed ex diuino inſtinctu ab infantilibus iocis ſeſe cōtinuiſſe, & ad cæleſtia aptaſſe. 7.

S. Ioannes Baptiſta non aliunde quàm diuino ſpiritu vix bimulus iuit in Eremum veſtitus cilicio, locuſtis victitans; ita vt meruerit fieri Chriſti paranymphus & martyr, & ab ipſo Saluatore elogium; *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* D Nicolaus à puero ieiunabat feria. 4. & 6. Ita S. Paulus 1. Eremita, S Antonius & S. Hylarion anno. 15. ætatis relictis omnibus eremum, & vitam auſteram adierunt. Quod non obſcurè prædixit Iſaias Prophera v. 8. cap. 11. in verbis: *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis.* i. Infantes vix ab vbere depulſi non horrebunt aſpides, ſed cum eis ludent, in eorumque antra manus immittent. Hoc eſt, recenter conuerſi, etiam iuuenes & pueri liberè & fiducialiter agent cum idololatris & tyrannis, cum Regulis intrepidè congredientur, ijſque fidem annunciabunt, nec horrebunt ſed ambient mortem & Martyrium.

Memoratu dignum eſt, quod in hanc rem ſcribit Victor Vticenſis lib. 3. Wandalorum, videlicet duodecim paruulos ſymphoniacos, ſegregatos per vim à Confeſſoribus orthodoxis, tentatos fuiſſe ab Arrianis, primùm blanditijs, deinde iteratâ fuſtigatione; ſed conſtantes illi conſtiterunt, vt Arriani erubeſcerent ſe ſuperatos à pueris, & orthodoxi exultarent & confirmarentur. *Hos pueros*, inquit, *nunc Carthago miro colit affectu, & quaſi* 12. *Apoſtolorum conſpicit puerorum. Vnà degunt, ſimul veſcuntur, pariter pſallūt, ſimul in Domino gloriantur.* 8.

SECTIO V.

Pueros in iſta ætate viriles induere mores præſagium eſſe eos aliquando ſingulares euaſuros.

LICET ordinariè via adoleſcentis ſit incerta, iuxta illud Sapientis Prou. 30. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adoleſcentia.* Solet tamen aliquid portendere, de qua re ſic Muretus: *Solent*, inquit li. 13. variarum lectionum cap. 9. *pueri interdum colludentes imitari ea quæ maximè* 1. *Geſtus puerorum viriles futuram conditionem*

portendunt insignem.

maximè seria sunt: neque rarò animaduersum est, eorum ludicris quondam futura sortis & conditionis significationem contineri. Ac recenset ille profanos ac gentiles Romulum, Cyrum, Septimium Seuerum, è nostris verò S. Athanasium sanctumque Ambrosium, qui puerilium lusionum præsagitionem re & factis comprobarunt, quibus addi possent quàplurimi, quorum primis statim annis emicuit indoles, vt apud Plutarchum Themistocles, apud Capitolinum M. Antonius Philosophus ac Imperator, *qui duodecimum*, vt illius verba retineam, *annum ingressus habitum Philosophi sumpsit, & deinceps tolerantiam, cùm studeret in pallio, & humi cubaret: vix autem matre agente, instrato pellibus lectulo cubaret.* Nostri etiam Diui S. Nicolaus, de quo suprà dictum, S. Rempertus apud S. Auchatium, in Surij tom. 1. Sed omnium instar ille, qui dicebat Job 31. 18. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Quod inquit magnus eleëmolinarius sim grandior factus pauperibus, viduis, pupillis, hoc mirum non est, nam ex Dei munere ex materno vtero miserationem illam hausi. Præsagiit illa quodam-modo qualis futurus essem, creuit illa mecum. Verè S. Gregorius eo loci, *Nonnulli quoad ætatem crescunt, quoad innocentiam decrescunt. Electi verò cùm foris ætas corporis, intus, si dici liceat, crescit ætas virtutis.* Ne mireris, mi homo, Esaías Vates c. 28. affirmat Deum à mundi nugis abstractum magis illuminare: *Quem*, inquit, *docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab vberibus*, q.d. Deus solet scientiam & sapientiam infundere iis, qui avulsi à deliciis puerilibus, à vita imperfecta & carnali, quasi viri capaces sunt solidi cibi, id est, veræ sapientiæ. Euentus clarissimus testis est eos, quos gratiâ aliquâ præuenit Deus, etiâ iuuenes ad magna destinasse. Ita Samuelem citò Prophetâ & iudicem constituit, vt videre est 1. Reg. 3. vbi Dominus illi adhuc puero reuelauit quæ facturus erat erga Heli, ipseque Samuel eadem aperuit Heli, Ita *vt cognouit vniuersus Israel, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini.* De quo sic Chrysostom. l. 3. de prouidentia ante medium. *Is*, inquit, nempe Samuel, *à puero nutritus in templo, Deo semper charus, & gratissimus fuit, tantaq; virtutis indicia à prima statim ætate pratulit, vt antequam ad viriles annos euaderet, inter mirabiles Prophetas inscriberetur: idq; cùm ea res tunc defecisse omninò videretur. Non enim erat*, inquit, *visio dirimens, verbumq; pretiosum.* Nec minus disertè loquitur idem D. Chrysost. l. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ. *Adeò*, inquit, *magnus & strenuus adolescens factus est, vt Deum, cùm illam Hebræorum Gentem ob effusam latè malitiam execraretur, nec iam illis vteretur nec visionem vllam eis reuelaret, rursus eximiæ virtutis merito attraxit, perspexitq; ea omnia, quæ antea solebat exhibere, prophetiamq; quæ diu anxerat, restituere. Nec ista tunc modò valuit, cùm ad maturam ætatem peruenisset; sed etiam cùm puer adhuc esset. Non enim erat*, inquit, *visio comprimens, & verbum pretiosum non erat. Cùmq; ista talia, ac tanta essent, illum Deus iugiter alloquio familiari dignabatur; ac per illum frequens oracula edebat.* Hæc Chrysostom.

2. Samuel adolescens factus est iudex.

Quod autem adolescens factus sit iudex & præfecturam inierit, reuincunt illa verba 1. Reg. 12. vbi Samuel orationem habens ad populum, dixit: *Nunc Rex graditur ante vos*, supple Saul, *quem desideraſtis. Ego autem senui & incanui, porrò filij mei vobiscum sunt. Itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea, vsque ad hanc diem ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim &c.* Hæc enim planè indicant eum ab adolescentia ad grauem vsque ætatem remp. administrasse; quia ab ea explorari iubet, num vnquam abusus fuerit potestate, an oppresserit alios, abstulerit boues & asinos, acceperit munera, vt iudicia corrumperet, vt solent quamplurimi, ad hoc iudicem suæ vitæ vult esse Deum, cuius intelligentiam nihil latet, & Regem ipsum tum vnctum publicè atque adeò Christum Domini, cuius neque censuram respuit, neque imperiũ recusat. Imò mores suos in publico illo conuentu ad seueriſſimam amussim examinari instanter sategit. En quàm citò in virum euasit puer magnificatus à Domino ab adolescentia ad clauum Reipublicæ constitutus. Quantus, quantus! qui Dei iudicio securus etiam hominum censuram non respuit. Ieremiam verò sanctificatum in vtero 14. aut 15. anno; Danielem 24. annorum Prophetas & postremum quoque iudicem super senes constituit. Ita Samsonem iudicem constituit, & ad debellandos Philistinos, de quo 13. Iud. prædictum legitur, *Ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum*, & vers. 24. *Cùm iam natus esset*, additur: *crescitque puer, & benedixit ei Dominus: capitq; Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa & Esthalon.* Scribit de eo insigne elogium huic loco congruum Ambrosius ep. 170. *Cùm*, inquit, *diuturna iniuria longa subiectionis ita essent depressa Hebræorum pectora, vt nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Sampson diuino oraculo prædestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantissimus, & quod sine vlla controuersia sit, viribus corporis omnium facilè primus, eoq; ingenti admiratione nobis spectandus à principio, non illa, quæ temperantiæ & sobrietatis inde à pueritia vini abstemius præclara insignia dedit, nec illa quæ intonso capite Nazaræus sacra diu seruauit custodia: sed ab adolescentia, quæ in alijs ætas mollior, in hoc egregia, atque supra humanum modum perfecta virtutis stupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem,*

dem, quod non perfunctorie tanta eum antecesset gratia, vt descenderet Angelus, per quem ortus eius prater spem parentibus annunciaretur, futuri regimen & præsidium suis. Nam grauibus iam diu Palæstinorum imperijs afflicti abantur.

Ioannem Baptistam ad magna destinauit, de quo Patet eius Luc. 2. *Tu quoque puer Prophetaltissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.* Et Bernardus serm. de Natuit. eiusdem: *Considera*, inquit, *hominem Angelico premissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ mirare feruorem. Victum & vestitum (ait Apostolus) habentes, his contenti simus. Apostolica perfectio ista est, sed Ioannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in Euangelio; Venit*, inquit, *Ioannes non manducans, nec bibens, planè nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus, nisi forte aliquorum irrationabilium animalium, sicut nec pilus Camelo humanum est indumentum.* Reliquus eius progressus strenuus & memorabilis, à D. Luca c. 3. & 7. describitur.

De S. Malachia Archiepiscopo Hyberniæ sic scribit idem Bernardus in eius vita: *A principio fortitum est spiritum bonum, per quem puer erat docilis & amabilis valde, mitis admodum omnibus per omnia gratiosus. Bibebat autem pro lacte de pectore materno aquas sapientiæ salutaris, & fiebat indies sensibus prudentior: Prudentior dicam, an sanctior? Vtrumque si dixero, non mepœnitebit: Veritatem enim dicam. Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciuiæ puerilis. Cumq; ex hoc cunctis esset reuerentiæ & stupori, non tamen inde (vt assolet) insolentior inuenichatur: sed magis quietus, & subditus in omni mansuetudine, non impatiens magisterii, non fugitans disciplina, non lectionis fastidiens, non ludorum denique appetens, quod vel maximè illa ætas dulce ac familiare habere solet. Et proficiebat suprà omnes coætaneos suos in ea quidem litteratura, quæ competebat illi ætati. Nam in disciplina morum, profectuq; virtutum, etiam super omnes docentes se in breui enituit: non tam matre, quam vnctione magistra.* Ita vt & in vita & post mortem miraculis sit factus præclarus, vt testatur D. Bernardus in eius vitæ descriptione. Tobiam verò, nostrum, Deus destinauit, vt esset lucerna lucens & ardens inter quos degere necessitas cogebat, & qualis euaserit paulatim explicabimus.

SECTIO VI.

Licet Seniores ordinariè in sapientia Iuniores superent, tamen iuuenilem ætatem non esse contemnendam si virilis adsit maturitas.

1. *Ob tres causas senes præferendi iuuenibus.*

OB tres rationes præsumendum est seniores in prudentia, & sapientia, Iuniores superare. Quarum prima est, prudentiam præualere in seni-

bus, quod ordinariè prudentia, & sapientia, & in vniuersum animæ virtutes; viresque cum ætate crescant, vt quo quisque senior est, eò præsumatur prudentior, & animi virtutibus ornatior, iuxta illud Iob. 12. v. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et rursus cap. 32. vers. 7. *Annorum multitudo docet sapientiam.* Et de Christo Domino dicitur Luc. 2. vers. 52. *Proficiebat sapientia & ætate.* & D. Hieronym. ad Nepot. de vitâ Clericorum. *Omnes*, inquit, *pene virtutes corporis mutantur in senibus; & crescente solâ sapientiâ, decrescunt cætera virtutes. Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte ætate fit doctior, vsu certior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.* 1. *Ratio quod anima virtutes in senio magis aucta sunt.*

2. 1. *Ratio quod in honoribus præferendi iudicentur.*

Secunda, quod ex communi vsu absolutè loquendo seniores in muneribus & honoribus Iuuenibus præferendi iudicentur. Plato enim lib. 9. de legibus præcepit, quod quicumque maior per viginti annos appellandus sit pater, si fuerit vir, aut mater, si fuerit mulier, & vt tali debere reuerentiam præstari. Et lib. 4. de Repub. iubet iuniores cedere locum senioribus & assurgere. Vnde Alexander Magnus Imperator Iurisconsultum Vlpianum propter eius ætatem & sapientiam, patrem appellare non dubitauit, vt refertur in l. *ex Diui.* C *locati*, ibi: *Ad Domitium Vlpianum Præfectum Prætorio, & parentem meum vos remittere curaui.* Immò vniuersalius Imperatores Valentinus, Theodosius, & Arcadius in l. 2. C. de officio diuersorum Iudicum, sub arbitraria pœna prohibuerunt, ne Iudices superiores quicumque audeant seniores, fratres appellare, sed patres; ibi: *Neque in proscriptionibus suis fratres audeant nominare: apparitiones mutanda, cuius hæc est cura.* Vnde in sacra Scriptura honorare præcipiuntur, vt leuit. 19. *Coram cano capite consurge & honora personam senis.* Cuius rationem assignans Callistratus Iurisc. in lib. 5. in princ. ff. *de iure immunit.* dicit: *Semper in ciuitate nostra senectus venerabilis fuit; namque maiores nostri eundem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant.* Et propterea etiam Paulus 1. Cor. 5. præcipit quo loco iuxta ætatem, quiuis habendi, dicens: *Senioremne increpaueris; sed obsecra vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuencülas vt sorores in omni castitate.* *Seniores vocandi patres non fratres.*

3. *Ratio quod seniorum consilium semper præferatur iuniorum.*

Tertia, quod consilium senum communi iudicio & exspectatione censeatur melius. Hinc Innocentius Papa relatus in c. finali distinct. 20. sic ait: *Seniores prouincia congrega, & eos interroga: facilius namque inuenitur, quod à pluribus senioribus quæritur.* Quod augustissimo exemplo confirmatur in Salomone, 3. Reg. 12. Qui cum seniores quosdam sibi delegisset, quibus suum regnum gubernaretur, feliciter se habuit; Verùm cùm filius eius

Roboam eorumdem ſenum conſilio non acquieuiſſet, ſed iuniorum potius, quibuſcum nutritus fuerat, regnum turpiter amiſit. Adhæc ſignum eſt indignationis diuinæ, defectus virorum ſenum, à quibus conſilium peti queat, vt patet Ezech. 7. vbi Deus Iudæorum populo proximum minans exitium, inter alia dicit: *Lex peribit à Sacerdote, & conſilium à ſenioribus.* q.d. licet in grauibus aliquod ſolatij genus ſit, habere à quo conſilium petas, quid in rerum ſtatu Reipub. turbulento facto opus ſit; nihil horum aderit, cùm illa Hieroſolymæ tempeſtas ingruet. Non enim erunt docti Sacerdotes, & ſenes, qui poſſint ſua ſapientia cladem auertere, vel dare conſilium euadendi.

4. *Iuuenis moribus ſenis magni faciendi. Deus aliquando delectatur in iuuenibus, moribus maturis.*

Licet, inquam, ob tres haſce rationes ſenes præferendi; tamen aſſero puerilem ætatem non contemnendam, vt dixi in argumento, ſi adſit virilis maturitas; Deus vtique talibus ſæpè delectatur, & iuuenilem aliquando ambit ætatem, vt doceat virtutem ſenectuti non reſeruandam. Eleganter hoc expendit D. Chryſoſt. in Pſal. 14. vbi de hac re diſſerens, inquit: *Omnis vir erat, vt filium ſuum non in finem diceret; nec vt quando fuerit ſenex, prudens euadat: ſed vt diuitiæ & prudentia, & authoritas cum eo ab initio, & ab iuuente ætate verſantes, eiconites ſint vſque ad ſenectutem. Propterea dicebat etiam Beatus Ieremias: Bonum eſt viro, quando iugum tulerit ab adoleſcentia ſua. Ab adoleſcentia, & non in finem: ab initio, & non ad ſenectutem.* Et ad propoſitum noſtrum rem ſimilitudine illuſtrat: *Si enim nullus noſtrum vult poſſidere ſeruum ſenem, nec qui habet delectum exercitus, ſenes refert in numerum: imperante autem neceſſitate, & vi impellente, tunc ſenes etiam ad bellum proficiſcuntur: multò magis regnans virtus mauult adoleſcentiam quàm ſenectutem, & tanquam intactam virginem, & nihil probri paſſam adoleſcentiam ſecum iungit neceſſitudine, vt cum vita primitias ambiat. Quoniam ergo hic propoſitum Pſalmus eſt columen virtutum, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam: propterea non complectitur in finem, ne cùm iuuentutem peccato exhauſerit, languidam & enervatam ſenectutem virtuti referat & vitæ facem temperet ſapientia.*

Tom. 3.

Egregia ſimilitudo ab ſeruo ſene.

5. *Deus iuuenes ſæpe donat ſpiritu prophetico.*

Imò tanti facit Deus iuuenilem ætatem, quæ *in adoleſcentia ſenilem grauitatem induit, & iuueniles annos veteranâ quadam continentiâ regit, feruoremq; viuentis corporis in vna morum maturitate componit* (verba ſunt Ambroſij ſerm. 16. in Pſal. 118.) vt ægrè ferat, eiuſmodi ad munus aliquod vocatos, ab ipſo ſeſe excuſare. Iuuenis enim erat Ieremias videlicet quatuordecim, aut quindecim annorum, cum aduocat illum Deus ad prophetale munus, & illi ait: *Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te.* Antequam in materno formareris vtero, dicit Dominus, noui te conſiliorum meorum nuntium, & interpretem: & prius quàm in lucem & communem auram emergeres, Prophetico te miniſterio deſtinaui: neque ſolum ad contribules tuos, & Iſraëlitici ſeminis conſortes, ſed ad exteros etiam populos Prophetam te, ac nuntium eſſe volui. Sed cũ Ieremias ſubitò cohorrens infirmas ætatis teneræ vires diceret, *A, A, A, Domine Deus ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Reſpondit illi Dominus: *Noli dicere: Puer ſum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & vniuerſa, quæcunque mandauero tibi, loqueris.* q.d. Non eſt, cur dubites, ô Ieremia, ac timeas aut de ſermonis facultate, aut de conſtantia aut robore ad obeundum Prophetale munus; quæ à puerili ætate abeſſe ſolent. Ego enim linguam tibi largiar, vt poſſis mandata mea ad populum exprimere, & robur ad ſuperandas, quæ ab aduerſarijs difficultates occurrent.

Cùm Suſanna Daniel. 13. de vita periclitaretur, & malignantium ſenum iudicio condemnata ad mortem duceretur, Deumque inuocaret, abſconditorum cognitorem; non elegit ille annoſum aliquẽ, aut ſenem maturum, qui alios ſenes reuinceret, & Suſannam à periculo vendicaret: ſed iuuenem Danielem, de quo Scriptura: *Cùm duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus Spiritum ſanctum pueri iuuenis; cuius nomen Daniel:* puta Spiritum Prophetiæ, quo illuſtratus Daniel cognouit ſenes falsò accuſare Suſannam. Rurſum ſpiritum audaciæ & induſtriæ ad heroicum illud opus aggrediendum, ad reuincendos illos ſenes, & Suſannam liberandam. De hiſce duobus ſic Chryſoſt. hom. in 3. Iſaiæ. *Hieremia inſuper munus propheticum deprecanti, ob rerum teneriorem ætatulam non conſenſit, neque approbauit Deus: ſed emiſit ad Iudæorum plebem, pronuncians hinc nihil illi eſſe impedimento teneritudinem ætatis, modò mens fuerit ſana, & confirmatus animus. Hanc agens ætatem, quin potius etiam illa inferiorem Daniel in preſbyteros illos ſententiam ferebat damnationis.* Sanctus Ignatius mox citandus, & ex eo Theodoretus in cap. 1. Ezech. putant Danielem eo tempore fuiſſe duodennem.

Timotheus iuuenis eligitur ad Epiſcopatũ.

Apoſtolus Paulus quoq; oſtendit non eſſe paradoxum iuuenes ad grande munus eligere, & alijs in exemplum conſtituere, quandoquidem Timotheum iuuenem creauit Epiſcopum, & ab eo ſenilem exegit grauitatem: *Nemo*, inquit, *adoleſcentiam tuam contemnat*, 1. Tim. 4. Iuuenis ergo erat, qui necdum ſtatam ætatem, & perfectam, Epiſcopo dignam attigerat; & ſubdit: *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* q.d. O Timothee, eſto ſis iuuenis, tuere tamen auctoritatem tuam, & imperio vtere,

vbi

vbi res, & animarum ſalus id exigit. Aut melius. Eſto ſis iuuenis, ita tamen ſanctè & grauiter te gete, vt non contemnaris imprudens, & leuis inuenis: ſed potius, vt omnes te quaſi patrem amantiſſimum, & ſenili prudentia, ac maturitate præditum reuereantur. Et rectè: Non ſunt vtique hominum ingenia à vetuſtate, vt vinum, aut aurum æſtimanda, vt ait Diuus Hieronymus epiſt. centeſimaquarta, quæ incipit, *Deſiderij mei*: ſed à probitate. *Erat iuvenis Timotheus, non tamen in eo quidquam inuenile, aut cenſurâ dignum, vel Moyſes ipſe reperiretur ante annos & ſenium, prudentia ſenex erat, in iuuenis etate non levitas, ſed gravitas & maturitas elucebat ſenilis, ſi quis ergo metuis velit, inquit Apoſtolus annis adoleſcentia tua, debitum Epiſcopo honorem; hunc tu iniquum æſtimatorem confuta, non tam verbis, quàm morum probitate, & factorum pondere. nemo adoleſcentiam tuam contemnat.*

Ingenia hominũ non à vetuſtate æſtimanda.

Timotheus adoleſcens ætate, moribus ſenex.

Secutus hanc Apoſt. doctrinam B. Ignatius Epiſt. 6. ad Magnetianos, quorum Epiſcopus iuuenis erat, ita ſcribit: *Et vos oportet non contemnere etatem Epiſcopi, non propter iuuentutẽ, qua in eo videtur, arbitrantes contemnendum, ſed in ſapientia Dei cedite, quandoquidem non longi temporis ſunt ſapientes, neque ſenes ſciunt prudentiam; ſed ſpiritus qui eſt in hominibus. Daniel duodecim annorum ſapientiſſimus effectus, Spiritu ſancto repletus eſt, & illos ſenores canitiem vanam habentes, calumniatores, & aliena pulchritudinis appetitores eſſe manifeſtauit. Samuel etiam cùm eſſet puſillus nonagenarium Heli Sacerdotem per increpationem redarguit, quòd filios ſuos honorificaret ſupra Deum; ſimiliter & Hieremias audit à Domino: Noli dicere, quia puer ego ſum. Salomon duodecimo anno etatis regnare incipiens, meretricũ pro parvulis quæſtionem diſſoluit. Ioſias verò octo annorum aras & monumenta ſubuertere cœpit, lucos excidere, templa dejicere, quæ damonibus fuerant conſecrata. Nam & falſos Sacerdotes interfecit, vt corruptores, non Deo, ſed diabolo feruentes.* Deinde ſubiungit: **Non eſt contemnenda juventus, cùm Deo adhæſerit; ſed illa ætas, quæ ex ſententia nocet, etiamſi inueterata fuerit dierum maiorum, iuuenis fuit etiam Chriſtophorus Timotheus, ſed audite quid ei ſcripſit magiſter: Nemo,** inquit, *juventutem tuam contemnat, ſed forma eſto fidelium in verbo, & in converſatione. Dignum eſt ergo vos obedire Epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere.* Hæc B. Ignatius, Apoſtoli ſenſum præclarè nobis aperiens: cui ſuffragatur illud Sap. 4. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata, &c.* De Tobia hìc adhuc puero ſcribitur, *Cumq; eſſet iunior omnibus in tribu Nephtalim, nihil tamen puerile geſſit in opere, &c.* Quid de Eleutherio dicam? de quo agit Nicephorus lib. 3. ca. 29. hiſtor. Eccleſ. Natus is fuit matre Anthiâ, quam Paulus ad fidem conuerterat: poſtea verò ab Aniceto Papa ſacras litteras edoctus, ſacro cleri numero adoptatus eſt; ita nimirũ, vt quintodecimo ætatis anno ob eminentem virturem Diaconus factus, triennio pòſt Sacerdotii gradum ſit aſſecutus: ac tandem vigeſimo primo anno, vitâ priore miraculis factisque præclariſſimis transactâ, in Epiſcopũ conſecratus, Illyrici prouinciam laudabiliter adminiſtrauerit, & ſanguine ſuo martyr conſecrauerit.

Sapientia magis quàm ætas ponderanda.

Eleutherius 21. annos natus eſt diaconus factus ab Aniceto Papa.

Diſertiſſimè Bernardus ep. 42. *Nec dicimus quacunq; ætatem Dei gratia præmaturam, ſicut nec feram: cùm multos videamus junioribus ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies, præuenire tẽpora meritis, & quod ætati deeſt, compenſare virtutibus.* Quod Samuelis, Ieremiæ, Danielisque exemplis confirmat, dicens: *Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. ac ſi diceret? Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. Bonus & Hieremias, qui antè ſanctificatus quàm natus, cùm ſe excuſaret de pueritia, nihilominus conſtitutus eſt ſuper gentes & ſuper regna. Bonus quoque Daniel, cuius ſpiritum ſuſcitauit Deus, vt condemnaret iniqua iudicia, & ſanguinẽ innoxium liberaret. Denique cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.*

Omnis ætas virtutibus apta.

1. Reg. 3.

Ierem. 1.

Daniel. 13.

Sapientia 4.

Et immediatè pòſt notat, quod non prætermittendum, videlicet mirandum eſſe, quãdo ex inſtinctu Dei puer tanquam ſenex, promotus inuenitur; ſed non imitandum eſſe ab illis, qui tales non ſunt, vt videlicet citò promoueri velint. Vnde acriter taxat, quòd pueri ad Eccleſiaſticas dignitates promoueãtur: *Scholares*, inquit, *pueri & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promouentur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſubſcrula transferuntur ad principandum presbyteris: latiores interim quòd virgas euaſerint, quàm quòd meruerint principatum, nec tam illa blanditur adeptum, quàm ademptum magiſterium. Et hoc quidem in initio. Proceſſu verò temporis paulatim inſoleſcentes, docti ſunt in breui vendicare altaria, ſubditorum marſupia vacuare, magiſtris nimirum in hac diſciplina vtentes idoneis, ambitione & auaritiâ.* 6.

Iuuenes immaturi non admittendi ad eccleſiaſticas dignitates.

Quapropter ad dona Dei tam in ſene, quã in iuuene attendendum inſinuat vnus amicorum Iob Elihu nomine, dum ait Iob 32. *Sperabam quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam: ſed vt video, ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Non ſunt longævi ſapientes nec ſenes intelligunt judicium.* q.d. Eouſque tacere volui, quia juvenem coram ſenibus loqui ingenua verecundia prohibebat; ſed vt video, inquit, neque in ſenibus vbique eſt ſapientia, neque vbique in adoleſcentibus ignorantia. Homo enim etiam in iuuẽtute ſapientiæ eſt ac diſciplinæ capax, quam Dominus hominibus inſpirat & indulget. Quare non ſolùm ſenes de 7.

sapientia, quasi de propria possessione, gloriari possunt, neque iuuenes semper excludendi aut promouendi.

Non ætas, aut canities facit senes, sed virtus.

Et hinc Salomon Sap. 4. non ex materiali canitie & ætate vult iudicari senem, sed ex virtute, maturitate & prudentiâ, vti docet D. Gregorius citans eius verba, lib. 19. moral. cap. 8. vbi ait: *Iuuenes dici solent, qui nulla consilij grauitate fulciuntur, senes verò non eos sacra Scriptura vocare consueuit, qui sola temporum quantitate, sed qui morum grandeuitate maturi sunt. Vnde Sap 4. dicitur. Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et D. Chrysost. super epistolam ad Hebræos serm. 7. *Canities tunc est venerabilis quando tegerit, quæ canitiem decent, cùm verò iuueniliter senex conuersatur, plus iuuenibus ridiculus erit.* Et in diuina etiam Scriptura iuuenes virtute pręditi, senes appellantur. Glossa ordinaria super illud Nu. 11. *Dixit Dominus ad Moysem, congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri, &c.* adducens D. Gregorium, sic interpretatur: *Sicut plerumque iuuenes dicuntur, qui nulla consilij grauitate premuntur; ita senes non eos Scriptura vocat, qui sola grauitate temporum, sed morum grauitate maturi sunt.* Vnde Sap. 4. dicitur. *Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis & ætas senectutis vita immaculata, &c.* Itaque semper habenda ratio, an verè nomen senis mereantur, qui ad ardua adspirant.

SECTIO VII.

An necessum sit Christianos omnes esse parvulos instar Tobiæ.

1. *Quæ sint parvulorum exercitia.*

PARVVLORVM exercitia sunt varia. Alij enim delectantur puerilibus nugis, crepundijs, nucibus & alijs, quæ cum in adulta ætate reprehendas, & meritò fastidias, in infantili tamen ætate commendes & probes. Quod lib. 2. Satyr. 3. dixit Horatius:

AEdificare casas, plastello adiungere muros,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia versat.

Et Chrysostomus: *Pueri parui magna non desiderant, vilia solent admirari, currus, equos, aurigas, rotas luto factas, hoc aspectu delectantur. Quod si regem in curru aureo sedentem, & mulos albos ornatos, & eximium cultum viderint, ne respiciunt quidem. Præterea & puellas ex creta ornant, veras autem & pulchras nesciunt, & in multis alijs rebus itidem efficiuntur.* Homil. 81. in Ioannem. Neque in his vlla est culpa; iuxta enim Diuum Paulum, *Cùm quis est parvulus, sapit vt parvulus.*

Aliquando vero pueri, qui & in adolescentia sic nominari solent, meditantur ludicra & vana, à quibus abesse culpa non solet: qualia sunt pergræcari, comessari, indulgere genio minus temperatè, quàm ingenuos & modestos deceret, insultare alijs petulanter, & libero exagitare conuitio, aleæ dare operam, & tempus in otio, aut inutili negotio consumere. Ab his & similibus, Tobias in ætate iuuenili prorsus abstinuit. Prius autem dedecet adultos Christianos; posterius in omnibus vitiosum est.

2. *Quæ iuuenili studia reprehendenda.*

Requirit præterea Dominus, Matth. 18. vt *simus sicut parvulus iste*; cùm enim contenderent Apostoli, quis eorũ videretur esse maior, constituens paruulum in medio eorum dixit: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum.* In quem locum S. Hilarius *Nonnisi reuersos in naturam puerorum introire in Regnum cælorum Dominus docet, id est, in simplicitatem puerilem, vitia corporum nostrorum animiq; renouanda. Pueros autem omnes credentes per audientia fidem nuncupauit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt verum habent. Et hac omnium affectionum assumpta nobis & consuetudo & voluntas, cælorum iter perunum præstat.* His consonat D. Paulus 1. Cor. 14. dum monet Corinthianos: *Fratres nolite pueri fieri sensibus, sed malitia parvi estote, sensibus autem perfecti estote.* q.d. Mentis iudicio ac ratione nolite fieri pueri; sed in malitia estote simplices, vt illa sit vobis incognita quasi infantibus. Vnde Tertullianus lib. contra Valent. cap. 2. *Repuerascere*, inquit, *nos Apostolus iubet secundum Deum, vt malitia infantes per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus simus.* Talis fuit Saul initio regni, vt habetur 1. Reg 13. *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare capisset.* Tales pueri erant illi tres in Babylone ad Regis Nabuchodonosoris seruitium assumpti, qui annis nati 5 -. in historia Danielis pueri vocabantur. Tales nos vult Petrus 1. Pet. 2. vers. 2 dicens: *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite.* id est, vobis fidelibus iam renatis in Christo, etiam veteranis & canis cõmendo, vt infantium innocentiam, puritatem, & humilitatem, obedientiam, docilitatem, facilitatem & sinceritatem imitemini, concupiscentes doctrinam Euangelicam. Esto enim hæ in infantibus ratione carentibus, non sint virtutes, sed virtutum dumtaxat imagines; in baptizatis tamen sunt veræ virtutes, quia per Baptismum eis induuntur.

3. *Malitiâ pueri esse debent omnes Christiani.*

Eam ob causam baptizari tempore Apostolorum vrebantur veste candida, vt illa internum candorem Baptismo receptum significaret. Hinc quoque Clemens Alexandri-

4.

nus

nus scripsit librum Pædagogi, in cap. 5. & 6. docet omnes Christianos in Script. vocari pueros, puellos & pullos, eò quòd debeant æmulari puerilem sinceritatem, puritatem & humilitatem. Christus enim edixit: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum cælorum.* Vnde lib. 6. Pædag. ca. 5. *Qui*, inquit, *hoc modo infantes sumus, humi non amplius volutamur, neque vt antea serpentum more in terra serpimus, toto corpore in stultis cupiditatibus prouoluti; sed mente sursum erecti, mundoq;, & peccatis renuntiantes, suspenso pede tatenus terram tangentes, quatenus in mundo, esse videamur, sanctam prosequimur sapientiam.* Bene igitur sub virili prudentia puerilis innocentia fouetur, puerilis nihilominus stultitia penitus iugulatur.

2. *Quæ mali studiosi prohibenda.*

3. *Malum puerum esse debere omnes Christianos.*

Sic Paulus dicit se factum parvulum Thessalonicensibus: *Cùm possemus*, inquit, *vobis oneri esse, vt Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos.* i. Cum possimus vobis esse graues in accipiendo sumptu & alimonia, factus sum vobiscum quasi paruulus, comis, blandus, imo quasi nutrix, aut mater, quæ cum infante suo balbutit, & colludit, eumque alit ac fouet: sic enim & ego quasi nutrix blandissima & amantissima balbutiens de deitate, & humanitate Christi, & blanda cæli præmia quasi lac vobis ingerens, & promittens, vobis quodam modo collusi, ac vobis me meaque omnia impendi, adeò vt cuperem cum Euangelio animam vobis tradere.

5. Tales nos esse oportet, & vt alio loco dicit Dominus, *Prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, non autem paruulos sensu, nam etsi regiâ quis dignitate fulgeret talis existens à Domino reprobaretur, quoniam paruulos sensu etiam abominatur, vt ait Sapiens Eccles. 10. in verbis: *Va tibi terra cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedũt* i. miseranda est regni conditio sub Rege sensu puero. Is enim plane stultescit, qui puerilibus vitijs, immaturo de rebus iudicio, petulanti sensu, effrenata libidine omnia moderatur. Eodem modo miserabile regnum est, quando Principes Regis administri, & Consiliarij ita puerliter viuunt, vt serijs, neglectisque negotijs, quæ ventris, & cum ventre sunt, curant: nam non sibi tantum, sed & Regi, & Regno vniuerso exitium, adferunt. Itaque non damnatur Rex ætate puer, Nam sæpe sub Principibus ac Regibus ætate pueris, probè tamen ac sanctè institutis, nec non sapientium Consiliariorum ope ac ministerio munitis, regnandi initia felicissima extitisse, exempla docent sacra in Ioas septenni, qui ex directione, & consilio Ioiadæ Pontificis, cui se formandum tradiderat, & à quo acceperat publicæ administrationis formam, il-

Pessima Regni administratio sub Rege puero.

Optima regni administratio etiam sub Principe puero.

Exemplum Regis Ioa.

la egit, quæ bonum & religiosum principem decebant. Curauit instaurari templum, quod sub Athalia, Ochosia, & Ioram fuerat neglectum, & penè collapsum, liberauit Ierusalem à periculo obsidionis. Misit enim Hazaeli Regi Syriæ magnam pecuniæ summam partim ex thesauro templi, partim ex Palatio Regio, vt non obsideret Hierusalem, cum ad eam obsidendam appropinquaret, aut cum, vt loquitur Scriptura, *dirigeret faciem suam, vt ascenderet in Ierusalem*, vt videre est 4. Reg 12.

Item Iosia.

In Iosia octenni; Octo annorum erat Iosias, inquit facer textus 4. Reg. 22. cum regnare cæpisset. Is sic instituit viuendi modum, vt Deum vbique locorum præsentem habuerit, & ad ea animum intenderet, quæ existimabat illi placitura, neque quoquam à Dauidis vestigijs deflexerit, *fecitq;*, ait sacra pagina, *quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui; non declinauit siue ad dexteram, siue ad sinistram.* Primum non solum ex Ierosolyma, sed etiam ex tota Iudæa quidquid Gentilicum, aut impium oleret relegandum curauit, excelsa sustulit, lucos excidit, simulachra confregit, execratus tam vana idolorum portenta, quàm illorum, qui illa aut conflauerunt, aut coluerunt, insaniam, vt ostenderet ea, quibus delusa gentilitas honores impendit diuinos, nihil habuisse maius, aut honestius, quàm ossa grauiter olentia, aut putrida membra, confracta simulachra in illorum tumulos per ludibrium coniecit, in quibus illa clausa compurruerant. Et vbi idolorum sacrificuli victimas immolauere nefarias, illorum ossa ignominiosè combusta redegit in cineres: vt altaria, quæ priùs in idolorum cultum sanguine victimarum imbuerant, suis postea cineribus inuiti polluerent. Hoc modo religiosus princeps expiauit Ierusalem, & Iudam, quæ suo subserant imperio, vt legimus, 2. Paralip. 34. ver. 6. Illis ablatis curauit per Helciam Sacerdotem instaurari templum Domini. Porrò in instauratione templi inuẽtus est liber legis, seu Deuteronomij, quem Helcias misit Regi legendum. Rex autem lecto libro, scidit vestimenta sua, & exterritus est propter maledictiones, quæ in illo libro habebantur contra transgressores legis sciebat enim multos Reges ex suis antecessoribus, vna cum populo, deseruisse legem Dei, & coluisse idola: ac proinde meritò timebat, ne omnes istæ maledictiones venirent super Iudam, & Ierusalem. Itaque misit Helciam, & alios primarios, vt orarent Dominum ad auertendas huiusmodi maledictiones: Et simul consulerent; quid facto opus esset. Quod cum Regi nunciatum esset, conuocauit vniuersum populum, & lecto publicè libro Deuteronomij, pepigit fœdus cum Deo, & adiurauit omnes, vt

vt idem facerent ac promittebant, se seruaturos præcepta legis, quæ in illo libro continebantur. Quod etiam factum est. Aliáque peregit ad religionem spectantia, vt decore exercerentur; vide 4. Reg. 22. & 2. Paral. 34.

In Salomone duodenni, vt plerique eius ætatem computant, quâ ad regnum peruenit, is initio precibus à Deo sapientiam & intelligentiam obtinuit singularem, & in iudicio duarum mulierculârum litigantium super prole vna ex duabus superstite, cuius esset? internorum viscerum se ostendit cognitorem, cùm illi assignauit infantem, quæ viuum noluerat diuidi in duas partes: Date, inquit, huic infantulum viuum, & non occidatur: hæc est enim mater eius. Ex quo timuerunt Regem populares, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium. Antea quasi puerile eius iudicium ridebant, postea reuerebantur, cùm rem vsque adeò implexam, & obscuram, vbi nulla extiterant animi latentis indicia, eo tentamine sine errore & facilè expedijsset. De qua re sic Ambros. 2. Officior. 8. *Non immeritò æstimatus est intellectu Dei esse in eo, in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius quàm internorum viscerum testimonia, in quæ sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, & velut quandam genitalis alvi vocem eruit, quâ maternum patuit affectum? qui elegerat filium suum apud alienam viuere, quàm in conspectu matris necari?* Colligit verò plura alia Chrysost. in 3. cap. Isaiæ super illa verba. *Dabo pueros Principes eorum.* Vbi pueritiæ & inuenioris ætatis elegantem instituit Apologiam.

Verùm ille damnatur, qui puer est improbitate, vt benè Salonius ad locum Eccles. citatum explicat, *Ve terræ, &c.* Hoc est, in quo parua & infirma est sapientia, & carnalis prudentia, qui iuuenilia desideria sequitur, odit iustitiam, veritatem & iudicium. Talis fuit Roboam, de quo dixit eius filius Abia puerum fuisse, in verbis: *Roboam erat rudis & corde pauidus.* Quod in Hebræo est, *Haiach Neghar.* i. erat puer, non quidem ætate, nam 41. ætatis suæ anno regnare cœpit, vt ex 3. Reg 14. cap. constat: sed sensu. Et reipsa ostendit se puerum, quando iuuenum, quibuscum nutritus fuerat, consilium secutus est, magno Reip. malo, derelicto consilio senum 3. Reg. 12.

6. *Puer improbitate damnatur.*

2. Paral. 13.

Sic Isaiæ 65. senex vitam ad legem Dei minimè instituens, vocatur puer centum annorum, iis verbis: *Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Quibus Isaias dat causam cur dixerit in Ecclesia non fore senem, qui non impleat dies suos moribus & virtutibus, quia scilicet, si quis senex esset, qui moribus esset puerilibus, esset que puer centum annorum, id est, ætate esset centum annorum, sensibus verò, & vitiosa vita esset puer; is non perseuerabit in Ecclesia; vt ex militante eat ad triumphantem, sed punietur morte æternâ, ac maledicetur à Deo, ibitque ad tartara, vt socius sit dæmonum & damnatorum. Idem ergo est puer centum annorum morietur, quod Peccator centum annorum maledictus erit.

VERSVS V.	PARAPHRASIS.
Denique cùm irent omnes ad Vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium.	Cùm omnes pro Deo vero, quem Nephtalitæ prodiderant, vitulos adorarent aureos, quos Ieroboam erexerat, puer Tobias numquam adduci potuit à populi turba, vt vitulis supplicaret; sed incedebat solus, & illorum auersabatur consortia, quos videbat in Gentilium sacra ferri præcipites.

SECTIO OCTAVA.

Quomodo intelligendum quod Tobias solus fugerit consortia omnium aliis declinantibus ad vitulos? & cur Scriptura id tradat?

1. CVM Helias Propheta videret omnes ad sacra Gentilium confugere, desiderauit è viuis excedere 3. Reg. 19. ratus se esse solum Prophetam, qui verum Numen coleret. Sed Tobias noster, cùm videret omnes ad vitulos aureos latriæ causa concedere, solus fugit. Hic igitur inquirendum est quâ ratione id subsistat. Moueor ex loco 2. Paral. c. 11. v. 16. vbi dicitur: *De cunctis tribubus Israël, quicumque dederant cor suum, vt quærerent Dominum Deum Israël, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum.* Ex quo constat, etsi tribus Nephtalim sic esset corrupta, vt ad aureos vitulos tota defluxerit, ex alijs tamen tribubus vicinis fuerunt non pauci, qui patriam retinerent & colerent religionem. Immò secundum textum Græcum constat ex cognatione Tobiæ aliquos 2.

aliquos cum ipso peregrinatos Ierosolymam, & victimas ibi Deo patrio ritu sacrificasse. Nam cap. 5. legitur Tobias dixisse Angelo, qui se Azariam simularat Ananiæ filium, & cognatione Tobiæ, *Tu es frater meus, expulcra, & bona progenie, cognovi enim ergo Ananiam, & Ionathan filios Semei magni, quomodo ibamus una in Hierosolymam ad adorandum, offerentes primogenita, & decimas geminimum, & non erravimus in errore fratrum nostrorum.*

6. *Puer impubes dicitur laborare.*

Paul. 3.

3. *Omnes, pro maiori parte accipiuntur.*

Itaque necesse est intelligere hunc morem Scripturæ, cùm pauci excipiuntur, *omnes* pro maiori parte tantùm vsurpari. Sic Genes. 7. 2. vers. 22. dicuntur mortui esse omnes homines, præter Noë, & eos, qui erant in Arca; & tamen Enoch, adhuc superuixit, vt patet Genes. 5. vers. 24. Item Genes. 46. venit Iacob in Ægyptum cum omni semine suo, & tamen non venit cũ Ioseph, qui iam erat in Ægypto, 1. Reg. 1. v. 21. dicitur: *Ascendit autem vir ille Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino*: cùm tamen non omnis omnino domus simpliciter ascenderit, quandoquidem Anna cum Samuele domi remanente, necesse fuerit aliquas saltem ancillas remanere. Sic etiam Christus Matth. 10. dixit Apostolis: *Eritis odio omnibus hominibus*; cùm tamen aliqui Apostolos diligerent. D. Ioannes dicit: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre*: non quod omnes omnino, sed quod pauci viam rectam salutis ingrediantur. Et idem est ac si diceremus; Tota illa aqua fluit in Schaldim, cùm tamen multa exhauritur ad lotionem, aliumque vsum domesticum.

Atqui hoc modo etiam Tobias solus fugisse intelligendus est, licet enim vocabulum *solus* in Scriptura diuersam habeat significationem, nam Hieren. 15. vers. 17. significat abstractum esse, in verbis: *Solus sedebam quoniam comminatione replesti me*, aliquando desolatum esse aut statu excidisse, sic rogat Hieremias ciuitatem Hierosolymam, *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo*? sed hîc significat non omnino solũ fuisse vt de Mardochæo dicitur Esther. 3. quia solus noluit honorem diuinum impendere Amano, sed vt Iudith dicitur fuisse sola in cubiculo remotis arbitris, licet adesset Holofernes, Iudith. 13. id est quod pauculos habuerit socios: nam sic dicitur nudus, qui malè vestitus est; ieiunus, qui modicum gustauit cibum, vt socij Pauli Act. 27. illiteratus, qui in litterarum studio progressus est parum. Sic Seneca lib. 5. de beneficijs cap. 15. *Quadam*, inquit, *si vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo cõprehensa sunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum: sic qui malè vestitum & pannosum videt, nudum se vidisse dicit.* Eodem modo, qui pauculos habuit discipulos, solum se in gymnasio fuisse dicit, & solus dicitur iter facere, qui vnum, aut alterum comitem habet in via, & ideò fortassis sola tribus Iuda secuta dicitur domum Dauid, 3. Reg. 12. & 4. Reg. 17. quia ex alijs tribubus, qui adhærerent Roboamo, fuerunt perpauci.

Cur autem Scriptura huius faciat mentionẽ tres cõperio rationes instructioni nostræ congruas. Prima est, vt nobis insinuet constantiam eius in fide, & religione, quâ Deo contemptis idolis, adhęsit inter prauos existens. Nam vt rectè Bernardus Serm. 48 in Cant. *Non mediocris titulus virtutis est, inter prauos viuere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, versari inter spinas, & minimè lædi: Diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.* Hoc est illud quod Scriptura prædicat Genes. 6. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis*, hoc est, Cùm omnis generatio, & omnis caro corruperat viã suam, tunc Noë mentem suam ab omni noxa illæsam seruabat: ita vt testimonium Dei cõsequeretur, *Te enim vidi iustum coram me.* Vnde Chrysost. hom. 23. in Genes. *Est*, inquit, *virtus per se ipsam admirabilis. Quod si quis eam in medio prohibentium colat, multò admirabiliorem se ostendit, & propterea diuina Scriptura, quasi admirando, iustum, dixit, quòd in medio eorum, qui indignationem Dei censuri erant, Noë inuenerit gratiam coram Deo.*

4.

Eandem ob causam de B. Iob sic incipit Scriptura, *Vir erat in terra Hus, nomine Iob*, vt ostenderet quàm ille esset celebrandus, cuius mores, neque maiorum impietas, neque sociorum aut gentilium improbitate, neque vllius quasi naturalis, & inverecundâ in peccando licentiâ corrumpere potuerunt. Diuus Chrysost. hom. 1. de patientia Iob his elogiis eum amplificat, *Columba*, inquit, *in medio accipitrum, oris in medio luporum, stella in medio nubium, lilium in medio spinarum, germen iustitiæ in oppido iniquitatis.* Hoc ipsum argumentum D. Greg lib. 1. moral. c. 2. verbis & exemplis illustrat: *Sanctus*, inquit, *vir vbi habitauerit, dicitur, vt eius meritum virtutis exprimatur: vt hoc eius laudibus proficiat, quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis; sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse.* Et cõfirmat exemplo eiusdem Iob de se dicentis: *Frater fui draconum & socius struthionum*, Iob 30. 29. Hoc est, inter homines belluis crudeliores, meam non exui humanitatem. Item exemplo Lot, de quo D. Petrus: *Aspectu*, inquit, *& auditu iustus erat, habitãs apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* 2. Petri 2. v. 8. Et reuera admirabile est, & rara in terris auis, à visis auditisque non tangi, audire quotidie sibillantem anguem, basiliscum videre, aut vi-

deri à baſiliſco, & nihil ab angue & baſiliſco pati : aut ſic obſeruare duo hæc animi oſtia, nempe viſum & auditum, vt cùm paſſim occurrant, non tamen in animum irrumpant turpes rerum imagines. Tandem & exemplo Epiſcopi Pergami, ad quem Dominus dixit Apoc. 2. v. 13. *Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam*, cùm videlicet morareris in loco, vbi Sathan partim per gentes, partim per Nicolaitas dominatur. Talis & fuit noſter Tobias, cui meritò elogia virorum ſanctorum competunt, quæ Origenes aſſcribit S. Iob lib. 1. parum à principio, dicens: *Qualis fuit Melchiſedech in medio Cananeorum, ſicut Abraham in medio Chaldæorum, ſicut Noë iuſtus inter gigantes ſceleratos, tanquam columba inter raptrices Aquilas, tanquam agnus in medio luporum diripientium, tanquam ſtella in medio nubium teterrimarum, erat iuſtus inter iniuſtos, inter profanos ſanctus, inter obſcœnos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tãquam Smaragdus in luto, tamquam margarita in arena.*

5. *Innocentiæ conſeruandæ remedium ſingulare eſt fugere malũ conſortium.*

Secunda ratio eſt, vt oſtendat innocentiæ conſeruandæ remedium ſingulare eſſe, fugere iniquorum conſortium. Hinc Dominus Geneſ. 12. iuſſit Abrahamum exire de Chaldæa, vbi erant homines idololatræ, dicens: *Egredere de terra tua & de cognatione tua.* Dominus quoque Exod. 34. & Deuteron. 7. vetuit amicitiam & connubia inire cum Cananæis, vt indicat 3. Reg. 11. in verbis: *certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini deos earum.* Et Ozeas Propheta cap. 7. hiſce verbis: *Ephraim in populis ipſe commiſcebatur*, q. d. quòd Ephraimitæ ad vitulorum aras ſupplices accederent ex vicinarum gentium minus familiari commercio, ac quotidiana conſuetudine ortum eſt. Et Dauid Pſalm. 105. idipſum cauſam fuiſſe ruinæ Iudæorum exprimit; *Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.*

Ruina Iudæorum ex prauo conſortio gentilium.

Ieroboam ex prana conſuetudine cũ Ægyptiacis didicit vitulos pro Dijs colere.

Quinimò ipſe Ieroboam non aliunde didicit vitulos erigere latriâ colendos, quàm ex conſuetudine cum Ægyptiacis: cùm enim initio eſſet bonus, vt teſtatur Auguſtin. 17. de Ciuit. cap. 21. & Bellarm. lib. 2. de amiſſion. gratiæ c. 13. Et à Salomone propter verba Ahiæ Propheræ peteretur ad mortẽ, ſicut Dauid à Saule; fugit in Ægyptum ad Regem Seſac, ibique manſit ad biennium, ſeu vſque ad mortem Salomonis, ac illic vidit populum ad impias aras conuolare. Tandem regno obtento, licet ſecurus eſſet ex parte Dei de eodem conſeruando, ſatius tamen iudicauit per iniquum cultum more Ægyptiaco, regnum ſibi aſſerere, quàm Dei verbis fidem adhibere. Vide plura in hanc rem Diſc. 16. in 4. præcepta circa finem.

Diſertè Cyprianus lib. de Singular. Cleric. *Mala*, inquit, *conuerſatio, corruptionẽ ſeminat, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, inſciniam paſcit, petulantiam nutrit, caſus exaltat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fouet, confuſionem mercatur, thezaurizat opprobrium, crimmationes exaggerat, accuſationes inflammat, & cateruatim in faſcem glomerans numeroſas indagines captionum, per infinita dedecora ſimplices mortes inuehit in perniciem perditorum.* Veriſſimè dixit Siracides: *Qui communicauerit ſuperbo, induit ſuperbiam*, Eccleſ. 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Eleganter Romanus Sapiens, Seneca lib. 3. de ira, cap. 8. *Sumuntur*, inquit, *à conuerſantibus mores: & vt quidem in contactos corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus conuictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem quoque & ſilicem virum emollit: auaritia in proximos virus tranſtulit.* Vti ſpeculum etiam terſiſſimum maculam trahit ab anhelitu: ſic homo cætera optimus & caſtiſſimus, à malorum ſocietate nævos recipit. In quibuſdam corporis morbis vehemens eſt contagio, ſed nihil contagioſius eſt corruptis moribus; facillimè hi addiſcuntur, adhæreſcunt, transfunduntur ab vno in alterum, mali mores, contagioſiſſima lues, nec vllus efficacius perſuadet, quàm qui vitiũ docet exemplo.

Impiorum conſuetudo quàm periculoſa.

Homo etiam optimus à malorum ſocietate nævos recipit.

Experientia docuit ægrum à ſano non curari, ſed ſanum multoties ab ægro morbum contrahere. Eſt ſententia Nazianz. orat. 20. *Facilius eſt vitium contrahere, quam virtutem impertire: quemadmodum etiam facilius eſt morbo alieno inſici, quàm ſanitatem largiri.* Inter malos bonum eſſe, eſt contra torrentem natare; quod tam difficile ſit quàm rarò: Propterea Dauid magno improborum ſatellitio circumfuſus, & exiguo proborum ſodalitio ſtipatus grauiſſimam ſibi ruinam à perfectionis ſtatu metuebat; quàm vt præcaveret, in preces effuſus exclamabat: *Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus.* Hanc Dauidis in via ſpirituali difficultatem rectè D. Chryſoſtom. nauigantium ſimilitudine expreſsit. Vt enim nihil eſt difficilius quàm reſtante vento, & renitente æſtu nauem in contrarium impellere: ita nihil operoſius, nihil laborioſius, quàm malis in malum impellentibus ſtrenuè reluctari, & in bonum promoueri.

Malorum ſocietas ſine honorum auxilio nexia.

Electis ſimilitudo.

Idem Regius Propheta Pſalm. 140. *Cum hominibus*, inquit, *operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.* Cuſtodi me, inquit, ô Deus, à familiaritate impiorum; fac vt non conſentiam operantibus iniqua, neque communicem cum electis cibis eorum. Sciebat vtique malorum cõuerſationem nuſquam magis, quàm in conuiuiis & compotationibus nocere. Proclamat Moyſes Num. 16. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent: ne involuamini in pec-*

Malorũ cõpotationes maximè nocent.

in pec-

in peccatis eorum, ne in pœnis peccatorum eorum fiatis participes. Idem vrget Isaias vates cap. 52. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere; mundamini, qui fertis vasa Domini.* Exite ô Judæi, è Babylone: Leuitæ sacra vasa secum asportent, ne immundum iuxta legem tangatis, quo polluamini. Rursum vlterius aciem figens Propheta, ad Apostolos hæc verba dirigit: Exite, inquit, de polluta & blasphema Ierusalem mox à Romanis vastanda.

Quare vitanda coniugia cum infidelibus.

Iubet Apostolus Corinthios nimia infidelium commercia, vt sunt coniugia, euitare, 2. Corinth. 6. *Nolite*, inquit, *iugum ducere cum infidelibus*: separate vos ab infidelium cœtibus, templis, sacrificijs, conviuijs, coniugiis, omnique eorum commercio, vel per se impio, aut iniusto vel periculoso aut scandaloso. Non sit vobis durum abstinere à coniugijs Ethnicorum, cùm sitis Christiani, etiamsi inter fideles nec genere, nec opibus, nec statu, neq; alijs dotibus pares inueniatis: *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos estis templum Dei viui.*

6. Minuta quædam animalia, vt ait Phædon, cùm mordent non sentiuntur, adeò tenuis illis & fallens in periculum vis est: tumor morsum indicat. Idem plerisque omnibus in conuersatione malorum euenit, non deprehendunt quemadmodum, aut quando sibi nocuerunt, nocuisse deprehendũt. Ideò Beatus Paulus seuerè interdicens: *Ne*, inquit, *commisceamini fornicario: scripsi vobis cum eiusmodi nec cibum sumere.* 1. Cor. 5. Idcirco antè circumspiciendum est, quibuscum edas aut bibas, quàm quid edas bibas. *Nescitis*, addit Paulus, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Omni ævo sic fuit, cum peruerso peruerteris. Quid miraris? Noluit Dominus Deuter. 17. Regem multiplicare sibi equos: causam aliqui arbitrantur fuisse, vt omnia Hebræorum cũ Ægyptiis aliisque Ethnicis commercia amputarentur. Nam cùm Iudæa non esset equorum ferax, necesse erat, vt ex Ægypto & Coâ, aliisque Ethnicorum plagis per negotiationes afferrentur: vt reuera Salomonis tempore afferebantur. 3. Reg. 10. 28. Vnde hæc cum Gentilibus commercia ad pristinos idololatrarum ritus facilè reuocarent Israëlitas ad illud peccatum suopte ingenio procliues.

Quare multitudo equorum Iudæis interdicta.

Apollonius Thyanæus sapienter hoc vnum à Diis petiisse fertur: *Nosse bonos, malos vitare.* optimæ preces. Nos idem, sed à Deo precemur: bonos & nosse & imitari, improbos & odisse & fugere. Et rectè, cùm vel vnius impij hominis consortium sufficiat ad ruinam. Socium enim improbum aut imiteris necesse, aut insecteris. Petrus Apostolus aulam Pontificis impij ingressus, vbi Christi causa discutitur, impiorum mixtus consortio ab ancilla ostiaria conspicitur, quæ ad ipsum conuersa dixit: *Tu cum Iesu Galilæo eras*, testibus Matthæo & Marco: & prosecuta vlterius, dixit: *Numquid tu discipulus es hominis istius? Ipse autem negauit, dicens: Nescio quid dicis. Et rursum negauit cum iuramento, quia non noui hominem.* En Apostolorum primus verbulo sternitur, quæstiuncula vna deijcitur, ad fœminæ vocem virum exuit, & ex animoso in timidissimum mutatur. Negat enim sibi notum, pro quo paullò antè millies mori obstinârat: *Etsi*, inquit, *omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*, &c. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth 26. Cuius ante pauculas horas sanguinem hauserat in mensa, cuius corpus epulatus fuerat, nosse negat. Quem illamet ipsa hora ferro propugnauerat, neque destitisset vlterius defendere, nisi à Seruatore ipso prohibitus, audacter negat sibi notum: *Ecce*, inquit Euangelista Matthæus, *vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Cùm autem sic constitutus esset, ait illi Iesus: *Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quod non possim rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri.* Sic coërcendus erat Apostolus ille, qui ad lotionem pedum paratus erat illi balneo manus & pedes offerre, qui carceris, & mortis societatem pollicitus fuerat; & paulo post negauit cum iuramento, *quia non noui hominem.* Disertè Augustinus Tract. 113. in Ioan. *Ecce*, inquit, *columna firmissima ad vnius auræ impulsum tota contremuit. Vbi est illa promittentis audacia; & de se plurimum præsumentis? vbi sunt verba illa? Quare non possum te modò sequi? animam meam pro te ponam? hoccine est sequi Magistrum, se negare discipulum? siccine anima pro Domino ponitur, vt hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur?* Sed aliud est aula Caiphæ, aliud cænaculum Messiæ; aliud Apostolorum, aliud sunt colloquia sicariorum: inter illos noscitur Christus, inter hos negatur. Tantum habet momenti societas bonorum vel improborum; illa virtutis, vitiorum hæc magistra est, & nunc etiam verissimum hoc, *cum electis electi, cum peruersis perversi sumus.*

7. Quid dico nonne vnius tantum impij consortium sufficit ad multorum virtutem concutiendam? Nauicula, in qua Christus Dominus cum discipulis nauigabat, quatiebatur & operiebatur magnis fluctibus. Matth. 28. Huius procellæ causam inquirit D. Ambrosius serm. 11. de mirabilibus, & hanc reddit. *Hæc est*, inquit, *causa periculi: erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Iudas. Quamuis illum*

Impiorum consortium quàm periculosa.

Ceps mixtus malo consortio, Christũ negat, quem anteà professus fuerat.

Malorum societas bonorum vitam corrumpit.

Vnius impij hominis societas sufficit ad ruinam.

Petrum Apostolorũ principem mixtus impiorum consortio ab ancilla ostiaria conspicitur.

7. Vnius mali consortium sufficit ad multorum virtutẽ concutiendam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

illius fides fundaret nauiculam, huius tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est, vbi solus Petrus habitat. tempestas vbi Iudas adiungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. Nonne occasione Achan, qui tulerat de anathemate, seu furatus erat, quæ Dominus sibi consecrauerat, populus in prælio superatus legitur, Iosue 7? Nonne propter quosdam malos de domo Saul, factam esse famem triennalem in terra prodit Caput 21. lib. 2. Reg?

8. *Quorum consortium vitandum.*

Erige ergo aures, mi Christiane, ne serius dicas, Societas me perdidit: fuge eos, qui idolis, qui hæresi subscribunt: fuge etiam Catholicos, qui piorum librorum lectionem, conciones, Sacramentorum frequentationem negligunt; qui popinas, & ganeas, qui conuiuia, & sympoſia, qui mulierum amicitias, saltationes, choreas sectantur, non sine certo salutis dispendio. Audi præceptum Domini: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te.* Matth. 18. Quid sibi coniunctius quis habet, quàm sua membra? ea tamen sæpè sunt amputanda, immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. Sic & amicus, sic & sodalis aut socius quicumque amputandus est, si tibi noxius est: & quid hîc cunctandum? multò melius est, familiaritatem amico quàm Christo renuntiare, & iacturam facere amicitiæ potius quàm animæ. Optimè citatum locum explicat sic Hieronymus: *Igitur omnis truncatur affectus, & vniuersa propinquitas amputatur: ne per occasionem pietatis vnusquisque credentium scandalis pateat. Si,* inquit, *ita est quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & est vtilis, atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum: scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit ad gehennam: melius est, vt ex propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas: ne dum vis lucri facere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum. Itaque non frater, non vxor, non filij, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere potest à regno cælorum, amori Domini præponatur: nouit vnusquisque credentium quid sibi noceat; vel in quo sollicitetur animus & sæpè teneatur. Melius est vitam solitariam ducere, quàm ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere.*

Potius vtilis amicus vitandus, quàm pietatis iactura facienda.

Risus improborum floccipendendus.

Ridearis vt inhumanus & agrestis; nil cura. Rideant qui tales sunt, quod eos fastidias: contemne. Hoc dumtaxat caue, ne noceant. Charior sit nobis vitæ integritas, quàm, ob eorum risum fieri velimus fletu & lachrymis dignissimi. Habeas etiam famæ nominisque rationem. Inualuit iam opinio, ab alijs viuendi nos accipere similitudinem, quibuscum versandi hauserimus cupiditatem, nec falluntur, qui sic opinantur; testem habent Salomonem Prouerb. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* Et vti vinum dilutum colorem mutat, etsi non omnem vini virtutem perdat: sic boni nominis & famæ colorem amittit, qui admittit socios tam dilutæ probitatis Hieronymus ad Nepotianum. *Tales,* inquit, *habeto socios, quorum contubernio non infameris: non ornentur velle, sed moribus, non calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Talis quisque censetur, qualis est, quicum versatur: Nosti, aues concolores simul volant. Vis nosse hominem? attende quorum familiaritati assuescat; amicitia pares aut accipit, aut facit.* Ergo qui probus, qui honestus vult videri, & proborum & honestorum, amicitiam amet, & ambiat, qui pensi non habet famam, & omnium indiscriminatim amicus fit, breui plurimos numerabit titulos, sed parum speciosos.

9. *Homo æstimatur talis, qualem habet socium.*

Augustinus senex, de seipso iuuene quæritur, lib. 2. Confess. cap. 3. 9. & 10. *Præceps iebam,* inquit, *tantâ cæcitate, vt inter cutaneos meos puderet me minoris dedecoris quàm audiebam eos iactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent: libebat malum facere, non solum libidine facti, verum etiam laudis, quid dignum est vituperatione nisi vitium? ego ne vituperarer, vitiosior fiebam: fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abiectior, quò eram innocentior, & ne vilior haberer, quò eram castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cæno, tanquam in cinnamomo & vngentis pretiosis.* O nimis inimica amicitia!

10. *Tertia ratio quod Deus pluris faciat vnum pium quàm multos impios.*

Tertia ratio huic non absimilis est, quod Deus pluris æstimet vnum pium, quam multos impios: Vt enim ait Sapiens Eccles. 16. *Melior est vnus timens Deum quam mille filij impij.* Chrysost. hoc perpendens homil. 8. in Acta circa finem, *Melior,* inquit, *est vnus faciens voluntatem Domini, quàm innumeri peccatores.* Et paulò post. *Educite in bellum centum myriades, & vnum sanctum, scimus, quia plura operetur. Exijt Iesus Naue in bellum, & solus omnia operatus est strenuè, & ita alij nihil proficiunt: multitudo, quando voluntatem Domini non facit, nihil differt ab his, qui non sunt.*

Et rectè, vt enim ait Philo: *Apud homines iniusta multitudo pluris quàm vnus iustus æstimatur; apud Deum verò bonitas rara præfertur iniquis innumeris.* Patet exemplo Eliæ; Cùm enim totus quondam populus Israël fame ingrauescente absumeretur, vnus tantum Helias à Deo misericorditer sustentabatur, 3. Reg 17. vers. 6. Quid vnius salus, multorum saluti antefertur? Nempè quia hi iustitiam deserebant? ille colebat. Vnde D. Chrysost. homil. 40. ad popul. *Helias,* inquit, *vnus erat, sed totus mundus non erat dignus, qui rependeretur ei. Et mundus quidem innumera millia sunt, cùm nec ad vnius mensuram perueniant.*

Magis olim Hebræi vnius Dauidis incolumitati,

mirati, quàm multorum millium ſaluti prouidebant, vt patet ex illis verbis, quibus eum à bello ſubeundo retrahebant. Tu, inquiunt, *vnus pro decem millibus computaris*, 2. Reg. 18. v. 3. Quod quamuis illi dicerent propter Regis dignitatem, nos maiori iure dicere poſſemus propter viri ſanctitatem.

11. *Multitudo in malo non curanda.*

Ex quo diſcimus multitudinem in malo non curandam, vt Dominus præcepit Exod. 23. Imò prauos & impios aduerſarios propter multitudinem nihili faciendam; ſi nos boni ſumus, dicente Domino Deuteron. 20. *Si videris maiorem, quàm tu habes, aduerſarij exercitum multitudinem, non timebis eos.* Præterea pluris faciendam rerum magnitudinem, quàm multitudinem, obſeruauit Philo de Abrahæ migratione ad verba Dei Geneſ. 12. *Faciam te in gentem magnam*, dicens: *Magnam* dixit, *ſciens multam per ſe imperfectam eſſe, niſi accidat vis intelligentiæ, ſcientiæque. Quid enim proſunt multa contemplationes, niſi ſingula conuenienti incrementum accipiant? Namque ager quidem probatur, in quo innumera plantæ ſint humiles, nulla ſtirps ſatis exculta, quæ iam fructum proferre poſſit.*

SECTIO IX.

An non ſeciſſet opportunum Tobias ſe conformando Regi?

1. *Zeloſi vulgò dicuntur turbatores.*

Dicere poſſet forſitan aliquis, numquid melius feciſſet Tobias qui particularis erat nobilis, ſequendo mandatum Regis, eique cum alijs ſeſe conformando, eò magis, quòd zeloſi ſtatim dicantur turbatores: Vt Elias, quem ſic affatus eſt Achab eo tempore, quo Idololatria plurimorum animos occupauerat: *Tùne tu ille, qui conturbas Iſrael?* Vti & Thomas Cantuarienſis Epiſcopus tempore Henrici octaui Regis Angliæ, qui ſchiſmaticus exiſtens conquerebatur ſe in ſuo regno propter vnum Sacerdotem, immunitatem videlicet Eccleſiæ defendentem, non poſſe pace frui.

2. *Non licet obedire Regi contra præceptum Dei naturalis.*

Reſpondeo. Ipſi neutiquam licuiſſe Regi in hoc morem gerere, quia eſt contra primum præceptum Decalogi, adeoque naturale Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me.* Moyſes nomine Dei planiſſimè dixit Iſraelitis, *videte quòd ego ſum ſolus & non ſit alius Deus præter me.* Deuteron. 32. Elias ait ad populum, *Vſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi Baal, ſequimini illum* 3. Reg. 18. Apoſtolus clamat *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Id abſurdum eſt: *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?* Quis tu es, qui cenſes Regi annuendum? Edoce prius ad Regem ſpectare negotium Religionis, ſi vis Tobiam tibi aurem præbere. Non poterit: Oraculum diuinum manifeſtè docet ſpectare ad ſummum Sacerdotem. Illi vtique Deus non Regi omne iudicium commiſit de fide & Religione: vnde Deuteron. 17. Dominus, ab illo vult veritatem inquiri, & pertinaces pœna mortis puniri, in verbis: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis moriatur homo iſte, & auferes malum de Iſraël, cunctuſq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ.* Et ſic Reges ipſi in veteri Teſtamento poteſtatem eius interpretati ſunt, vt expreſsè patet, 2. Par. 19. vbi Rex Ioſaphat diſtinguens officium Regis ab officio ſummi Sacerdotis, ſic ait principibus familiarum Iſraël: *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmaël, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.*

3. *Daniel maluit mortis periculum ſubire quàm orationem intermittere.*

Hinc etiam Daniel cùm Rex Darius crudele illud Edictum publicarat, vt omnis, qui peteret aliquam petitionem à quocumque Deo & homine, niſi ab ipſo Rege, vſque ad triginta dies mitteretur in lacum leonum, noluit obtemperare: ſed palàm in parte domus maximè ſublimi & apertis feneſtris, flexiſque genibus, ne quis dubitaret illum intentum precibus, conſuetum otium impendebat orationi; ter nimirum in die conuerſus ad Hieruſalem laudans & adorans nihilò quàm anteà ſegnius; vt indicant verba cap. 6. *Quod cùm Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua, & orabat, confitebaturq; coram Deo ſuo, ſicut & antè facere conſueuerat.* Ratio autem erat, quod edictum, aut vitæ periculum non curaret, nec vitaret maleuolos & curioſos oculos, quod firmiter crederet ſe ea lege non teneri, quæ ipſum repellebat ab eo conſortio, quod homo in terris habere poteſt cum Deo, & per quod mille quotidie capit à diuina liberalitate beneficia. Præterea credebat nefas eſſe, omiſſa oratione, quam habebat ad Deum familiarem, profiteri in Dario, licet obſcurè, aliquid eſſe diuinum. Omitto quod decretum fuerit nimis crudele, quo incolæ centum viginti Prouinciarum vetabantur, ſiue laborarent morbo, ſiue premerentur inſtante morte, aut egerent pluuiâ, nemini ſupplicare triginta diebus, niſi Regi, qui non poterat in tam anguſto rerum ſtatu vbique eſſe præſens.

4. *Documentum nulli nationi licitum à Religione propter Principes,*

Ad hunc modum Tobias iudicauit omne periculum propter honorem Dei, parui pendendum, ſuo exemplo condemnans Germanos, Anglos, Hollandos, qui ad libitum Principum mutarunt fidem & Religionem inſtar arundinis, & doctrinam amplexi ſunt contra

vel latum vnguem ſecedere.

contra Chriſti & Apoſtolorum inſtitutionem. Eo minus excutabiles, quòd Chriſtus Matth. 22. dixerit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo*, id eſt, hoc illi reddite, quod ex vi Cæſareæ ſeu Regiæ poteſtatis debetur; & quæ Religionis ſunt, Deo. Pulchrè in hæc verba Chryſoſt *Cùm audis reddenda eſſe Cæſari quæ ſunt, illa ſolum deo non dubita, quæ pietati ac Religioni non officiunt Nam quod fidei ac virtuti obeſt, non Cæſaris, ſed diabolo tributum ac vectigal eſt.* Clarùs Ambroſius in epiſt. 14. alias 33. ad Marcellinam Sororem, *Allegatur*, inquit, *Imperatori licere omnia, ipſius eſſe diuerſa.*

Ad Sacerdotes ſpectat regimen Eccleſiæ.

Reſpondeo, noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere: noli extollere, ſed ſi vis diuinitus imperare, eſto Dei ſubditus; ſcriptum eſt: Quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris; Cæſari. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſia, publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum. Idque patet Act. 20. & Eph 2. vbi Eccleſiæ regimen ſacerdotibus, non Principibus ſecularibus commiſiſſe legitur in verbis: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Et Epheſ. 2. Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Et ibidem cap. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Quæ loca videbis clarè explicata diſc. 10. Operis mei moralis in 4. præc. num. 9.

Reprehenduntur politici, qui diuina præcepta poſtponunt Regij.

Audiet hæc forſitan politicus aliquis, & perfrictâ fronte ſuſtinebit Dei iniperia violari parum eſſe, cùm ſtatus politici conſeruatio id exigit. Itane? Siccine ludimus in diuinis, vt ea temporalibus poſtponamus? Audi Sirachidem Eccleſ. 7. *Noli*, inquit, *facere mala, & non te apprehendent dedede. diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Audi diuinum vatem Amos cap. 5. *Quærite*, inquit, *bonum, & non malum, vt viuatis.* Apoſtolus clariſſimè proclamat Epheſ. 4. *vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus.* & Galat. 1. *Licet Angelus de cælo Euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Et Regi ex aduerſo Deos plures aſtruenti aſſentiri licebit? Si politici regni ſtatus id exigere videatur, Apoſtolo renuntiabo, imò Deo, vt Regi ſim conformis? Abſit. *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Si licet ſtatus cõſeruandi cauſa à Deo vel latum vnguem deſciſcere, cur audit Saul à Samuele, cuius præceptum violauerat vt videbatur in re exigua, *Stultè egiſti*, &c. *nequaquam regnum tuum vltra confurget.* Monuerat Samuel Saulem, vt in Galgala ſecederet, ibique expectaret ſeptem dies, vt propitiato Domino, ab ipſo diſceret, quid facto opus eſſet. Fecit Saul, quod à Samuele in mandatis acceperat, exſpectant ſeptem dies; ſed cùm populus exſpectatione fatigatus, & impendente proximè periculo perterritus deflueret, antequam ſeptimus compleretur dies, non expectato amplius Samuelis aduentu ipſe ſtatuit operatus ſacris placare Deum, atque conſulere. Quod tandem fecit oblatis holocauſtis, victimiſque pacificis. Verebatur enim ne populus totus ab acie diſcederet, neque haberet quid hoſtibus Philiſtinis opponeret, qui extrema omnia minabantur; & nihilominus durum audit illud Samuelis verbum, *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum: ſed nequaquam regnum tuum vltra conſurget.* Regni iactura Saulis inobedientia multatus: quia expediebat, vt Reges quotquot futuri erant in Iſraël, intelligerent in adminiſtranda Republica, à Dei ducis, & auſpicis præſcripto tantillum diſcedendum non eſſe.

1. Reg. 13. Saul ob exiguã Dei inobedientiã priuatur regno.

Populum ob ſecutam Ieroboami idololatriã, cum ipſo grauiter, multatur.

Cur vxor Ieroboam conſulentis Ahiam Prophetam ſuper euentu filij ægrotantis, ab illo propter perfidiam Ieroboanis nefandam, audit duros exitus tam ipſius familiæ, quàm populo aduenturos, qui ad eius imperium nefariam religionem amplexus erat? *Conſtituet*, inquit, *ſibi Dominus regem ſuper Iſraël, qui percutiet domum Ieroboam in hac die, & in hoc tempore.* Et ad propoſitum noſtrum ſubiungit: *Et percutiet Dominus Deus Iſraël, ſicut moueri ſolet arundo in aqua, & euellet Iſrael de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen, quia fecerunt ſibi lucos, vt irritarent Dominum. Et tradet Dominus Iſrael propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Iſrael* Duo ibidem minatur Propheta Iſraëli; quia ſecutus eſt Ieroboamum, & abiurata religione patria Gentilicam profeſſus. Primum eſt diu futurum in perpetuo quodam metu, & ab hoſte vicino, atque etiam longiori variè vexarum; atque ideò non leuius agitatum iri perturbatione, ac metu, quàm arundo concutitur, aut carex, ſeu iuncus, qui in alueo naſcitur torrentis, & magno impetu decurrentis aquæ, qui nunquam non mouetur, quia vis ei ſemper adiungitur externa, quæ nec puncto temporis illum quietum eſſe patitur. Eadem, aut certè non admodum diuerſa ſimilitudine expreſſit Iſaias c. 7. metum, quo Achaz Rex Iuda cum populo toto commotus eſt, cùm armatas contra ſe inimicorum acies imminere vidit: *Et commotum eſt cor eius, & cor populi eius, ſicut mouentur ligna ſyluarum à facie venti.* Poſterius, quod vbi diu ſtatus fuerit populus, quaſi arundo à flatibus, & ventis, tandem à patrijs finibus eſſe ad terras quàm longiſſimè diſſitas abducendum,

Similitudo, qua optimè magna ſignificatur perturbatio, & motus.

dum, non ſecus atque quercus, vbi ſæpè fuerit à lignatoris percuſſa ſecuri, & ſuo ſæpè pondere nutauerit, tandem à ſuo ſtipite abſciſſa, aut à vento vehementiùs incitato ſtirpitus auulſa, aut foco deſtinatur, aut vile cogitur ſubire miniſterium.

6. *Laudantur in Scriptura, qui imperia regia poſtpoſuerunt diuinis.*

Si, inquam, liceat violare imperia Dei, vt Regi obtemperes, ſeu religionem aptare policiæ; cur Iſraelitæ nunc & tunc ſecuti imperantes Reges, regiam fidem, ſeu idololatriam colentes, maiorum deſerentes, cæli & ſoli ſui fiunt exortes? Cur ad Babylonia flumina lugere coguntur alij? Qua de cauſa Mathathias & filij, Iudas Machabæus cum ſuis, ne à patriis legibus imperante Rege diſcederent, tam ſtrenuè egerunt, ad arma decurrerunt, regioſque exercitus & duces fuderunt, regiumque Legatum in ipſa ara, Iudæumque Diis ſacrificantem, populo inſpectante, obtruncarunt. Legari Regis Antiochi blanditiis & muneribus conabantur Mathathiam ad gentilicos ritus perducere, ſed ipſe ijſdem *Reſpondit*, vt inquit Scriptura, *& dixit magna voce:* 1. *Machab.* 2 *Et ſi omnes Gentes Regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnuſquiſque à ſeruitute legis patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius: Ego & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum noſtrorum. Propitius ſit nobis Deus: non eſt nobis vtile relinquere legem, & iuſtitias Dei. Non audiemus verba Regis Antiochi, nec ſacrificabimus tranſgredientes legis noſtræ mandata, ■ eamus altera via. Et vt ceſſauit loqui verba hæc, acceſſit quidam Iudæus in omnium oculis ſacrificare idolis ſuper aram in ciuitate Modin, ſecundum iuſſum Regis. Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius ſecundum iudicium legis, & inſiliens trucidauit eum ſuper aram: ſed & virum, quem Rex Antiochus miſerat, qui cogebat immolare, occidit in ipſo tempore, & aram deſtruxit. Et zelatus eſt legem, ſicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.* Eleazar famoſus ſenex vnde tantopere laudatus, quàm quòd poſtpoſitis iniquis Regis medijs, in mortem non iuerit, ſed conuolârit, potiùs quàm porcinam carnem, aut aliam ſimulatè contra Dei leges cum aliorum ſcandalo comederet? Matrem in ſeptem Machabæorum filijs, & in matre filios, cur tantis laudibus facta Pagina, tormenta perferentes, niſi quòd à patria fide tranſire nollent ad imperatam Regiam fidem; ad contemptum legis diuinæ, & potius per omnem carnificum manum, omnibus ſpectantibus minutim ſecari, torreri, & excoqui in ſartagine deligerent, quàm vel latum vnguem à patrijs legibus diſcedere? Imò tantùm abfuit, quod Regem truculentum horrerent, vt etiam in illum digna ſtuporis, atque inſaniæ tantæ conuitia, ludibriaque iactauerint. Neque minus conſtans fuit inuicta mater, quæ & filios ad honeſtam illam mortem adhortata eſt, & eos vri, torreri, ac laceraci ſiccis oculis vidit. Et quod memorabile eſt, cùm matrem aduocaſſet Rex, vt adoleſcentiorem omnium ſuaderet in Regiam fidem, & iuratam promiſſionem condeſcendere, illa *irridens crudelem tyrannum ait* 2. *Machab.* 7. *patriâ voce: Fili mi, miſerere mei, quæ tem vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Peto, nate, vt aſpicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus, ita fiet, vt non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipere mortem, vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adoleſcens: Quem ſuſtinetis? non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per Moyſen. Tu verò, qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.* Poſt hæc filiorum palmæ commoriens particeps fuit & mater.

Si veniamus ad nouum Teſtamentum! quis fatuos Martyres dixerit, qui maiorum fidem per eculeos, per tormenta, per ſecures, per ignes, & carnificum manus gaudentes & ſtrenuè, etiam effuſo ſanguine profeſſi ſunt? Nemo; niſi ſine ratione inſaniat. Nam eos regno cæli aſſcribit Chriſtus Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt.* Hæc Tobiæ noſtro fuerunt cordi. Sciebat Deum non eſſe diuiſum, Dagon & Arcam Dei in eodem loco non potuiſſe ſubſiſtere 1. Reg. 4. Hunc tu imitare, mi Chriſtiane; memento te baptiſmo Diabolo renuntiaſſe, & omnibus operibus eius. Politicis ipſius aſſeclis ne communices. Abhorret Deus tanquam peſtem. Nam de illis dicit, quod ſubiungit Matth. loc. cit. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, &c.*

7. *Documentum, prauâ religionem temporis longitudine non firmari.*

Docuit rurſum hac ratione Tobias prauam Religionem longitudine temporis non firmari: quamuis enim à ducentis annis incœperit inſana hæc inſtitutio Ieroboami colendi vitulos, nihilo tamen hiſce permotus fuit. Sciebat enim quàm execrabile erat veri Dei cultu derelicto gentilitijs dijs adhærere, quæ mala etiam Moyſes eiuſmodi hominibus prænuntiaſſet imminere à Dei vindice manu, & ſpeciatim quantopere Deus in ipſum Ieroboam animaduertiſſet, cùm aureis vitulis ſacrificalem operâ daret in Bethel, vbi primùm erat huius impiæ Religionis, maximumq; ſacrarium, vt videre eſt 3. Reg. 13. vbi Prop. *exclamauit contra altare* (vbi Ieroboam thus iaciebat) *in ſermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus, Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet. Dedítque in illo die ſignum, dicens, Hoc erit ſignum, quod locutus eſt Dominus; Ecce altare ſcinditur, & effundetur cinis,*

qui in eo eſt. Cumq; audiſſet Rex ſermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum ſuam de altari, dicens: Apprehendite eum, nec valuit retrahere eam ad ſe. Altare quoque ſciſſum eſt, &c. Id eſt, vt ſcias ſcelus tuum eſſe immane, contra altare, cui nihil eſt mentis, & ſenſus: exclamo tum quia in illo futurum eſt ſignum contra te, tum quia in eo immolandi Sacerdotes, qui vitulis immolarunt victimas, aut incenderunt odores. Et ne exiſtimes meas minas tanquam nugaces, aut numquam habituras pondus, in ſignum confirmationis meæ Prophetiæ, altare ſcindetur, & cinis de altari effundetur, vti reipſa contigit. Sciebat etiam Tobias, quod Deus audacem manum, quam cum ſuperba voce extenderat in Prophetam, arefactam à Deo: ita vt neque contrahere poſſet illam, ad omnem iam vſum prorſus inutilem.

Sciebat inſuper Tobias Ahiam Prophetam 3. Reg. 14. vxori Ieroboami eum de filij Abiæ infirmantis ſalute conſulenti exprobraſſe primùm Roboami perfidiam, duros annunciaſſe exitus, tam ipſius familiæ, quàm populo, qui ad eius Imperium nefariam religionem amplexus erat, ac tandem filij mortem, quæ tunc accidit, quàm primùm vxor reuerſa eſt. Ac demum functâ morte Ieroboamum poſt viginti & vnum annos de medio ſublatum. Sciebat denique Deum per Prophetas quamplures contra hoc malum diras indixiſſe plagas. Neque credendum eſt eum latuiſſe, quòd Deus ob peccata populi permittat ſæpè hæreſes & ſchiſmata, iuxta id Apoſtoli 1. Cor. 11. *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant*, id eſt, vt probi, integri ac ſinceri manifeſti fiant in Eccleſia, dum ſectis ſe non iungunt, nec ab vnitate (quamuis multorum exemplis tentati) recedunt, ſed fidei ſinceritatem cum charitate retinent.

Hæc maſtica, mi Chriſtiane, cum Tobia, nunquam Politicisæ iunges, nunquam Idololatris. Perpende Hæreſiarcharum infelices exitus; numquam hæreſi ſubſcribes, Lutheri, & Caluini dogmata impia dignoſces, quamuis ad tempus inualuiſſe videris. Arrij hæreſis authoritate Principum ad trecentos annos mundum corrupit, neque longitudine temporis firmata, ſed euanuit orbi vix nota. Doctrinis varijs & peregrinis ne patiaris te abduci.

SECTIO X.

Quæ mala moliatur ambitio & libido dominandi.

RATIONE huius Ieroboam, qui erexerat vitulos in Dan & Bethel, vt ſecurius dominaretur in decem tribus; libet annotare, quantum mali pariat libido dominandi.

Scriptura ſacra inſinuat primò cauſare detractionem. Nam 1. Reg. 15. dicit Abſalonem, cùm primùm tentaret patris inuadere regnum, à detractione incœpiſſe. Sic enim aiebat, ſtans manè in introitu portæ ad virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium, eumque interrogabat vnde eſſet, eoque audito reſpondit: *Videntur mihi ſermones tui boni & iuſti, ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege* q. diceret, laudare debeo cauſam tuam à iuſtitia, nihil tamen æquum ſpectare potes, cùm nemo ſit, qui cauſas curet publicas, aut ſupplices audiat, & iudicia ſint omnino corrupta, cùm non iam religio & æquitas, ſed largitio & priuata commoditas dominetur in foro. Indeque concludebat iuſtitiam non priùs ſibi in ſuam rediturum ſedem, quàm ipſe populi moderaretur habenas, & legum eſſet, & æquitatis vindex. Addebat ad hæc & arctum amplexum, & oſculum plus ſatis molliter impreſſum, & ſic populum ad rerum nouarum ſtudium inſtigabat. 1. *Ambitio cauſat detractionem.*

Conſideremus rem penitiùs. Videte, obſecro, regium hunc iuuenem Abſalonem, quàm is humanus, quàm obſequioſus, quàm & modeſtus fuit! Primò diluculo ſtatit ad portam regiam velut ianitor, vt videretur ad communes cauſas, & publicum ciuitatis commodum inuigilare. Frequentes enim illicerant populorum conuentus, & publicè diſceptabantur cauſæ; vbi quemlibet, qui cauſam habebat ad Regem, ſiue ad Magiſtratum, & miniſterium foret eſe, amicè ſalutabat: *Extendebat*, inquit Sacra pagina, *manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum, faciebatque hoc omni Iſrael venienti, ad iudicium, vt audiretur à Rege: & ſolicitabat corda virorum Iſrael.* Quis vnquam regij ſanguinis iuuenem æqualis vidit humanitatis? Si quis enim in Aula negotia tractaturus veniſſet, eum benigniſſimè ad ſe vocatum interrogabat, è qua ciuitate adeſſet? *Et ſummens*, inquit Scriptura, *virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Abſalon ad ſe, & dicebat: De qua ciuitate es tu?* Quod cùm cognouiſſet, familiariſſimè ſolatus hominem, reſpondebat: *Videntur mihi ſermones tui boni & iuſti; ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege. Dicebatque Abſalon: Quis me conſtituat iudicem ſuper terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuſtè iudicem?* Sic blanditijs captat, atque promiſſis populum, qui frequens veniebat in Hieruſalem, & parentem ſuum quaſi ignauum, & regij muneris oblitum in inuidiam trahit. Ego, inquit, tam laboris, quàm iuſtitiæ amantiſſimus, nihil habeo, quod magis in votis ſit, quod vſque ad præcordia delectet, quàm ſupplices audire, & rationes curare publicas, ad Regni gubernaculum ſedere, & imperare, non mei, ſed publi-

publici boni causa dumtaxat ambio, vt videlicet iudicia sint incorrupta, & iusta. Optima sanè verba; sed quis non videt sub hoc lapide scorpionem latere, qui vniuersas Absalonis actiones insidiosissimè venenet? Quorsum enim omnis illa mansuetudo, & prolixa humanitas? quorsum tot blanda obsequia? quorsum tam manè surgit, aduentores & hospites manu prensos osculatur, se iudicem promittit, nisi vt coronam regiam parentis capiti decutiat, & imponat suo?

3. Alcymus quoque, qui volebat fieri summus Pontifex coram Demetrio Rege detrahebat Iudæ Machabæo & fratribus eius 1. Machab. 7. in verbis: *Et venerunt ad eum viri iniqui & impij ex Israel: & Alcymus dux eorum, qui volebat fieri Sacerdos. Et accusauerunt populum apud Regem, dicentes: Perdidit Iudas, & fratres eius omnes amicos tuos, & nos dispersit de terra sua*, id est, Cùm nihil, vt apparet, hostile contra Iudæos moliretur Demetrius, neque cogitaret, vt opinor, ad illum accesserunt viri infideles impij ex Israelitico semine, qui Regium animum contra Iudæos instimularunt, quorum dux, & princeps fuit quidam Alcymus homo ambitiosus, qui ad sacerdotium summum aspirabat; quod obtinere volebat à Demetrio (nam illo tempore summa illa sacerdotij dignitas erat venalis) aut retinere, quia, vt docet Iosephus lib. 12. cap. 15. Menelao, qui non multò antea sacerdotio fuerat, vitaque perfunctus, in ea sacra dignitate successerat. In tali rerum articulo impij suis commodis magis, quàm publicis intenti, aut sacræ religioni, quibus obstabat plurimùm Machabæi & eorum, qui cum illo sentiebant, fides, & constantia; adeunt Regem, docentque per Iudam, & illius amicos seditiosos homines stare, quominus populus Israeliticus Regis imperium suscipiat nō grauatè; & propter illos, aut occidi crudeliter, aut vexari turpiter, à suis denique sedibus extorres agi, qui Regis partibus adhæserunt: obsecrantique Regem vt per viros fideles & gnaros videat, quantum Regijs rationibus Iudas detrimentum attulerit, quòd facile sit: persuadere Demetrio, tum quòd nondum illi senilis aduenerat maturitas, tum quòd rerum Iudaicarum erat ignarus, quandoquidem diu apud Romanos obses à Syria procul abfuerat.

4. *Ambitio procurat & perpetrat homicidia.*

Secundò, causat crudelem sanguinis effusionem, vt patet Iud. 9. vbi Abimelech, qui se procurauerat eligi per amicos in Principem; vt regnum obtentum firmaret, *occidit fratres suos filios Ierobal, septuaginta viros super lapidem vnum.* Collimauit veterator ille Absalon ad facinus magis horrendum, vt ferretur in scopum. Patris coronam capiti suo imponere omnibus modis studebat. Cùm enim per aliquot dies hominum animos, & studia implo-

Mauden in Tobiam.

rasset, & speraret tempus cogitationibus suis efferatis immaturum non esse, rem aggreditur religionis speciem consilio scelerato prætendens. Vorum simulat emissum, quo tempore apud alium lōgum traxit exilium, nempe offerendas Deo victimas in Hebron, si quando in patris gratiam, & ad aspectum redire contingeret: *Post 40. autem annos dixit Absalon ad Regem Dauid: vadam, & reddam vota mea, quæ vouī Domino in Hebron. Vouēs enim vouit seruus tuus cùm esset in Gessur Syriæ dicens; Si reduxerit me Dominus in Hierusalem, sacrificabo Domino.* Obtinuit autem facilè ab homine religioso, & pio, quod volebat. *Dixitque ei Rex Dauid, vade in pace. Et surrexit, & abijt in Hebron.* Omnia laude dignissima videbantur, sed finis furtiuus, peruersus, & impius erat, vt optimum patrem solio pelleret, & ipse imperaret. Hebronem vtique profectus, conuentus agit, & coniurationem in parentem adornat. Accersit ex Hebrō per legatos ex Israēle toto illos, quos varijs antè captarat illecebris, & plures alios, quibus & aliorum oratio, & nouitatis studium in noui Regis desiderium perpulerant. Inter hos etiam fuit Architophel Galonites, vir inter alios omnes facile princeps, cuius consilio pater in rebus quibusque dubijs, vti solebat; quem antea, vt credibile est, tum promissis largiter, tū etiam oblatis officijs sibi obligarat Absalon. Cui ad faciliorem successum visum fuit, ex vsu fore cōiuratorum partibus, vt spectante populo ad parentis ingrederetur concubinas, & ea ratione, paterno violato thalamo, omnem sibi aditum ad veniam præcluderet, vt sic audacius ipsius iniquas partes fouerent. Tandem post fugam patris, & varia consilia ad bellum, & arma proceditur, vt breui opprimatur cum suis Rex Dauid, & sibi Regnum cum multorum strage vendicet. Eleganter de Absalonis improbitate Saluianus lib. 2. de Prouiden. *Iam*, inquit, *hinc iuxta verbum Dei inæstimabilis malī cumulus insidias dū pater à filio patitur, regno pellitur, & ne occidatur, profugus abscedit. Imperitor nescias, an cruentior filius: quia interficere patrem non potest parricidio, fœdat incestu; & quidem incesti nefas per industriam accumulandi sceleris elato. Cùm vtique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, perfector parentis publicè perpetraret: scilicet, vt feralissimo crimine non pater tantum absconsus deformaretur, cùm oculis etiam totius orbis publico fœdarentur incestu.* *In qua scelera perpulerit Absalonem ambitio.*

Huic consonat Chrysostomus, qui optimè de eadem re hom. de Absalone patrem persequente philosophatur: *Quis te*, inquit, *ô Absalon, in hoc facinus prosilire, parricida teterrime, docuit? Quis te furor audere tam immane facinus prouocauit? Si offendit, pater est; si læsit, genitor. Quinimò neque offendit, nec læsit. Vincat timorem pietas, affectus infamiam superet, crudelitatem na-*

tura debellet. Et paulò post. *Bestiæ, & mutæ pecudes pietatis iura conseruant, & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem. Innocentem perimere nefas est, patrē occidere scelus. Prophetam iugulare facinus inauditum, & ante hoc tempus mortalibus omnibus ignotum. Cessa iam ab isto scelere, cessa, cessa, inquam, ne te boni omnes semper abhorreant, ne audaces ex te, quod non nouerant, discant. Cessa, inquam, ne qui post te tantum facinus perpetrauerit, se vltatur auctore. Cur mundo nouum facinus tradis? Cur doces quod natura non nouit? Cur audes perficere, quod nouo supplicio cogatur Deus vindicare?* Respondeo, vt patri sceptrum eripiat, ipse obtineat.

Mirum dictu, quid ambitio non audeat. Attalia Ochoziæ mater, quæ vt proprium haberet, atq; perpetuum regnum Iuda, quod occupauerat post filij mortem, omnes Ochoziæ filios, ad quos hæreditario iure paternum Regnum pertinebat, quorumque orbitatem tuscipere atque tueri debuisset, tanquam suorum nepotum, de medio sustulit, excepto Ioade, quem Iosaba filia Regis Ioram soror Ochoziæ, furabatur de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & abscondit à facie Attaliæ 1. Mach. 16. Ptolomæus, vt regionem Antiochi vendicaret sibi, Simonem socerum illi præsidentem, duosque filios ad conuiuium à se inuitatos, incautos oppressit, necique tradidit. Res planè dolosa, & toti Israeli ignominiosa, & lugubris, quam gener molitus est in socerum, à quo consecutus fuerat insigne decus, & beneficijs cumulatus ingentibus.

5. *Ambitio hominem ad insana perpetranda redigit.*

Sed quid? In cuius animum ambitio intrauit, ad illa rapitur, quæ neque in amentes & cæcos cadere possent. Exemplum aliud Scriptura suppeditat in Saule Rege, qui ambitionis lue infectus, nullatenus ferre potuit Dauidem prædicari, eumque de medio sublatum voluit: *Et quem*, inquit Chrysostomus hom. 46. in Genes. *Oportebat, vt saluatorem & benefactorem agnoscere, eum interficere quærebat. O excellentem insaniam, & stuporis magnitudinem! Eum, qui vitam sibi seruarat, & omnem suum exercitum ab alienigena Goliath furore liberarat, vt hostem despexit, & immemor beneficij ab affectione vincebatur; sed mente sua obtenebratus ab inuidia, perinde ac ab ebrietate quadam, benefactorem vt hostem spectabat.* Cantus mulierculorum hanc illi stultitiam peperit: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* In quo se maximè offensum ostendebat, ita vt multoties Dauidem quæreret ad mortem; iam lanceâ niteretur configere, iam hostibus circumdare, imò nunquam sine manifesto vitæ periculo alicubi commorari permitteret. Et quid magis à sana mente alienum, quàm dolere, quod res tuæ felicem sortiantur effectum, quia ex tuis commodis alteri aliquid accedit nobilitatis, & gloriæ? Hoc accidit olim Philippo Macedoni, de quo Demosthenes ait, vsque adeò gloriæ fuisse cupidum, vt omnia præclara sua facinora esse videri vellet, & magis indignaretur ducibus, ac præfectis, qui prosperè, & laudabiliter aliquid gessierant, quàm his, qui infeliciter, & ignauè. Cui quàm simillimus fuit filius Alexander, qui vt refert Curtius lib. 6. *vinci quidem hostes volebat, Antipatrum vicisse vt tacitum indignabatur, sua demptum gloriæ existimans, quidquid cessisset alicui.* Habemus Saulis ambitioso, inuidoque consilio exemplum quàm simillimum in quodam Assyriorum Rege, de quo Xenophon lib. 4. Cyropædiæ, qui Gobriam, cui propter egregias corporis animiq; dotes, filiam suam desponderat. *Cùm igitur illum secum venatum mitteret, ratus se illi longè equitatione præstare: Vrsa verò oblata est, cùm vtrique illam persequerentur, misso Rex iaculo illam frustratus est: at Gobrias spiculum vibrans, illam prostrauit. Quam rem ægrè, moleste q; Rex tulit, inuidiamq; clam recondit. Sed & obiectum est leo, quem itidem à Rege irrito conatu insecutum idem Gobrias confecit. Hic Rex secum aliquid mussitans arreptâ à quodam ministro lanceâ, pectus Gobriæ transadigit, atque ita adolescentem, cuius strenuitatem ægrè tulerat oculis, vitâ spoliauit.* Miramur Regis stupidam inuidiam, & ambitionem à sana mente omninò præcipitem: sed sanè multo magis miranda est in Saule in omnem partem excors, & præceps ambitio, cui dolori est in re longè grauiori, in qua de Regis, regniq; libertate certamen erat, sibi rem cecidisse feliciter, & eam ob rem in bene de patria meritum ciuem consilium mortis iniisse. Vnde rectè ambitionem sic describit Bernardus in Psal. 90. *Ambitio*, inquit, *subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens vitiorum origo, criminum fomes, virtutum erugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina liuorem.*

Quidam de sua victoria doluerunt, quia eam aliorum strenuitate comparata.

Quid dicam? Quantum possibile est, Deum ipsum bello petit: Nulla enim alia causa mouit Ieroboamum ad diuersitatem Religionis, quàm finis politicus, siue ambitio. Timens enim ne decem tribus, quas sibi subiecerat (si singulis annis irent Hierusalem ad offerēdum sacrificium, iuxta legem à Deo præscriptam Exod. 16.) iterum se coniungerent duabus tribubus, & se deserto, ad Regem Roboam tanquam legitimum Dominum delaberentur: Hinc enim excogitauit medium, quò populum aliò cogeret & efficaciter impediret, quod timebat; illud fuit conflare duos vitulos, quorum alterum in Bethel, alterum in Dan collocauit, & per sacrificia pro Dijs adorari iussit. Et sic factum est, quòd pauciſſimi deinceps Ierosolymam sacrificij offerendi causa cogitarent.

6. *Ambitio Deo bellum mouet.*

Notum

Notum etiam est, Henricum octauum Angliæ Regem anno 1527. libidinis causa schismaticum effectum. Cùm enim in Annæ Bouleniæ pellicis amorem effusus, à Clemente Pontifice impetrare nequijsset, vt repudiatâ Catharinâ coniuge, Bouleniam duceret, à Pontifice defecit, & Lutheri sectam, quam scripto confutarat, magna ex parte vitæ amplexus, vexare Catholicos cœpit rapinis & cruciatibus, & postmodum se publico edicto, Anglicanæ Ecclesiæ caput & esse, & dici voluit; Imbutus Catholicorum sanguine, Cœnobiorum, sacrarumque ædium inuasit opes, nihili pendens, quod Christus Paulum ignoranter Christi fideles persequentem percunctatus sit, *Quid me persequeris?* Act. 9.

Cæterùm quid Regis Hispaniarum aduersarios mouerit Caluinianam pestem introducere in partes ab ipsis vendicatas, palàm est, cùm omnes sectas libenter admittant, quantumuis à Caluiniana discrepantes; Catholicam, Apostolicam & Romanam Religionem è prouincijs suis penitus eliminét: ne videlicet eius efficaciâ, vi, & exteriorũ ceremoniarum eius splendore allecti, & inescati populares, tandem ad illam accedant, & consequenter Religionis eiusdem, quam & Hispani profitentur, potentiâ & adminiculo pristini sui Principis Hispaniarum Regis recordentur, & erga eum animis propensi, colla submittant. Hæc est summa rerum, quam latiùs videre licet dilatatam in Batauica Apocalypsi nuper edita. 8.

VERSVS VI.

Sed pergebat in Hierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.

Vers. 7. *Ita vt in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.*

Vers. 8. *Hæc & his similia secundum legem Dei puerulus obseruabat.*

PARAPHRASIS VERS. 6. 7. ET 8.

Verùm cùm illa regio, in qua ætatem agebat primam, sic esset corrupta, vt oblita paternæ religionis, vitulos adorandi causa concederent, alij in Dan, alij in Bethel extrema confinia, ipse tamen statutis à lege temporibus, templum obibat Hierosolymitanum, præstabatque diligenter, cùm illi exigua esset ætatis accessio, quod à viro Israelita exigebat antiqua Religio, id est, primitias & primogenita, & bonorum decimas fideliter offerebat. Adeò vt in tertio anno non solùm offerret decimas pro sacrificijs, atque epulis, ac leuitis debitas: sed etiam tertias decimas, quæ ex duabus supererant, tertiam aliam decimam singulis triennibus soluit pro illis, quos paupertas premebat, quocumque essent loco ac ordine, siue Israelitæ, siue proselyti, siue etiam peregrinæ religionis ac loci, Hæc omnia, & quæ deinceps lex & Religio, & ingenua modestia exigunt ab animo optimè instituto, licet hîc minús specificata, Tobias puer existens præstitit, qua erat ingenij bonitate, quæ vix solent, qui ætate sunt graui, & maturo iudicio.

SECTIO VNDECIMA.

Cur in laudem Tobiæ Scriptura commemoret eius iter in Hierusalem?

PROPHETA Dauid Psal. 102. *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.* Quibus verbis significat Propheta in omnibus locis Deum adorari posse, Tobias verò hîc dicitur perrexisse in Hierusalem, neglectis Dan, & Bethel, ad templum Domini, & ibi adorasse Dominum Deum Israël. Si causam quæris cur hinc laudetur, ea est, prima quod Dominus Deus voluerit, vt omne masculinum ter in anno conciderent Hierosolymam, videlicet in festo Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, vt illic, seu in Hierusalem, Exod. 34. & Deutron. 16. respectiuè Deo gratias agerent pro liberatione ex Ægypto, pro receptione legis datæ in monte Sinai, & quod in tabernaculis ex frondibus 1.

Mauden in Tobiam.

Deus Iudæos fouerit quadraginta annis in deserto. Ratio autem seu anima huius legis erat, vnum dumtaxat esse Deum, teste Philone Hebræo lib. 2. de Monarchia, *Prospectum est*, inquit, *ne vel passim, vel vno loco plura templa dedicarentur, aquissima ratione: quandoquidem vnus Deus, non nisi vnicum sibi dicari, postulare videtur.* Ionas Aurelianensis lib. 3. de cultu imag. idipsum docens vult etiam in sensu allegorico per hoc significasse Deum, vnam fore Ecclesiam tempore Euangelij; sic enim ait ad illum locum Deuteron. 16. *Vbi quamquam subtiliori intellectu sancta Ecclesia vnitatem per vnius loci voluerit significare positionem: attamen Deus pensans humani generis mentem, nequaquam cultum sum voluit per multorum vilescere ac tepescere multitudinem locorum, sed potius commendabilem reddere per vnius loci conuentum celebrem.*

Altera ratio fuit, vt omnis idololatrandi occasio Iudæis amputaretur. Id exprimit Chrysost. in Psal. 95. ad illa verba: *Cantate Domino canticum nouum*, dicens: *Quoniam populus ille segnis erat, & incredulus, vt facilè gentium abominationibus seductus se submitteret, vno loco septus est, quo posset solus apud se exercere pietatis legem.* Et statim à simili rem declarat: *Idem facit*, inquit, *& maritorum hominum quisque quoties vxorem habet suspectam; circumscribit illam vno loco, thalamisq; includit, Eunuchos adhibet, & omnem apponit custodiam*: in summa, nihil non facit, curatque eorum, quæ seruant pudicitiam: eo quod illa non habet verum amorem, pudicæ mentis custodiam. Et hinc non licebat in altioribus locis, vt in montibus, & collibus, ad colendum Deum verum, sacella vel altaria ædificare, aut sacrificium offerre: quia Deus expressè mandauerat Iudæis, vt non offerrent sacrificia in montibus, aut collibus more gentilium, qui solebant aras extruere in præaltis montium fastigijs, & locis quos arborum tum vmbra diffusior, tum lætior amœnitas opacaret; idque vt solitaria templa, & locus nemorosus commoda essent diuerticula libidinum, quibus dæmoni illic seruiebant: sed tantùm in vno certo loco, vbi tabernaculum esset vel templum. Nam Deuteron. 12. præcipitur ijsdem, *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes Deos suos super montes excelsos, & colles.* Et paulò post sequitur: *Non facietis ita Domino Deo vestro: sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras.* Et infrà vers. 13. *Caue, vt offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo quem elegerit Dominus.* Hinc Salomon fuit reprehensus, quod antè templi ædificationem immolaret in excelsis 3. Reg. 3. Et reliqui Reges, qui illum secuti sunt, similiter fuerunt reprehensi, quòd excelsa non abstulerint: tum ea, quæ facta erant ad cultum veri Dei, quam reliqua, quæ facta ad colendos falsos Deos.

Ea obligatio adeò grauis fuit, vt non legatur vllus Sanctorum virorum ausus fuisse alibi sacrificare, nisi cessante periculo idololatriæ, ex dispensatione diuina. Qualis fuit Manue pater Samsonis Iudic. 13. 19. Sic & Samuel, qui sacrificauit in Maspharh 1. Reg. 7. 9. & in Galgala 1. Reg. 11. 15. & in Bethlehem 1. Reg. 16. 2. sic & Dauid in area Oman immolauit, 2. Reg. 24. 18. & Elias in monte Carmelo, 3. Reg. 18. 23. Eiusque dispensationis indicium colligunt DD. ex eo, quod Manue offerente, Angelus inter flammas sacrificii cælum ascendebat, Iudicum 13. 20. Dauide sacrificante, plaga pestis, quâ populus torquebatur, cessauit 2. Reg. 24 Heliâ immolante, ignis è cælo decidit, qui sacrificium inflammauit, 3. Reg. 18. v. 38. quod erat manifestum diuinæ acceptationis argumentum, vt patet tum ex aliis locis, tum ex illo Gen. 4. v. 4. & 5. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain verò & ad munera illius non respexit.* Vbi Theodosio vertit: *Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius: super Cain verò, & super sacrificium eius non inflammauit.* Ex quo loco SS. Patres colligunt, maiorem Dei erga Abelem, quàm erga Cainum benevolentiam in eo apparuisse, quòd Abelis, non Caini sacrificium cælestis flamma depasceret.

3. *Sæpè dispensatum in sacrificiis loco.*

Ostenditur hæc dispensatio Dei in Sacrificij dispensatione.

Ignis de cælo Sacrificium cum numen, diuina acceptationis signum.

Tertia ratio insinuatur à Iosepho fuisse, vt charitas & fraterna cõmunicatio inter omnes conseruaretur, dum ter in anno, vnum tamen in locum, conuenirent. Sic enim ait lib. 4. antiqu. cap. 6. *Conueniant in ciuitatem, in qua templum constituunt, ter in anno, quatenus Deo, & pro his quæ possident, gratias referant, & de futuris proces effundant, & conuenientes ad inuicem, & epulantes amici sint. Bonum est enim, vt semetipsos alterutrum contribules non ignorent, sed sua studia sibi communicent. Hoc autem eis ex hac societate proueniet, vt & aspectu & loquelâ memoriam sui semper obtineant. Si enim alterutris impermisti sint, extraneis sibimet ipsis putabuntur.* Hæc Ioseph. Nec immeritò. Nihil enim magis fouet amicitias, quàm frequens consuetudo. vnde Salomon: *Melius est vicinus iuxtà, quàm frater procul.* Prou. 27. 10. Nam propter vicinitatis cõmercia, fraterna sæpè charitas inter extraneos induitur: quæ propter locorum intervalla aliquando exuitur inter fratres. Et propterea Iobi filij postquam è paterna domo excesserunt: & suam quisque gubernandam suscepit, *Ibant & faciebant conuiuium per domos vnusquisque in die suo.* Iob. 1. 4. vt eam charitatem, quam in paterna domo hauserant, in plures domos postea distributi retinerent: si in vnum omnes statutis saltem temporibus conuenirent.

4. *Tertia ratio vt fraterna charitas inter ipsos conseruetur.*

Nihil magis fouet amicitias quàm mutua consuetudo.

Adeo-

5. *Diligentia Tobiæ in profectione ad Ieroſolymam.*

Adeoque mirum non fuit tanto zelo Tobiam petrexiſſe Hieroſolymam, qui ne latum vnguē à mādatis Dei recedere volebat; quòd ſciret antiquitus fideles magno concurſu ob dictas rationes eò confluxiſſe. Quod confirmari etiam poteſt ex lamentatione Ieremię cap. 1. v. 4. *Viæ Sion*, inquit, *lugent, eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem*, ideſt, luctum excitant conſiderantibus tum veterem frequentiam, & concurſum Iudæorū ad ſolemnitates, ſcilicet Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum, quibus omnes Iudæi, non tantùm ex Iudæa, ſed ex toto orbe confluebant Ieroſolymamrum præſentem ſtatū, quo ſublato templo, vias antè hominum veſtigio contritas ſpinis obgeri, & herbis obduci inuebantur. Lugere enim dicitur aliquid, cùm ab eo ceſſat deſtituiturue, quòd illi gloriæ, atque ornamento eſt. Quomodo dicuntur lugere ſcholæ, cùm academicorum frequentia non feruent, & domus, cùm conſpergitur ſale, neque vllus in ea habitare poteſt ſine dedecore; aut templum pollutum, in quo ſacrum celebrari netas. Sic, quia maximum, & pene ſolum viarum ornamentum eſt, viatorum cōcurſatio, cùm ſibi paſſim ingredientes, & egredientes occurrant, ſi id abſit, lugere dicuntur viæ. Neque vulgaris eſt populorum laus, cùm ciues ſeſe multitudine comprimunt, neque effuſam turbam quantumuis lati calles admittunt, ſicut res plane iudicatur triſtis, cùm graſſante peſte, aut fame vehementer vrgente, vix in vrbe magna vnus apparet, aut alter.

Hæc igitur cauſa mouit Tobiam, ſedulò viam tetere Hieroſolymitanam ex religione præceptam, non obſtantibus idololatris frequentantibus Dan & Bethel.

6. Attende hæc, mi Chriſtiane: quemadmodum enim Deus hæc præcepit olim vt doceret populum vnum eſſe Deum, arceret à cultu idololatriæ; ita in nouo Teſtamento Deus diuerſitatem Religionis ſuſtulit, vnum voluit eſſe ouile, vnum paſtorem. Paulus clamat; *Vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus.* Omnes in idipſum ſapere voluit. Nos verò ab hac vnitate non diuellimur, ſed vltrò recedimus, hæretibus heri ac hodie naris ſponte ſubſcribimus. In tot hæreſes diuidimur, quot ſenſus. Fides ſit potùs temporum, quàm Euangeliorum, dum & ſecundum annos ſcribitur, & ſecundum confeſſionē non tenetur. Cùm enim ab aurea Catholica & Apoſtolica fide recedimus, in Dan & Bethel pergimus, diabolo rurſum ſacrificamus, cui cum omnibus pompis eius in Baptiſmo renūtiauimus. Hinc contingit nos Atheos potius eſſe quàm fideles. Diſertiſſimè ac veriſſimè id ſcripſit olim Sanctus Hilarius ad Conſtātium Auguſtum: *Periculoſum*, inquit, *nobis admodum atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas eſſe quot mores: & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt: dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus, aut ita vt volumus intelliguntur. Et cùm ſecundū vnum Deum & vnum Dominum, & vnum Baptiſma, etiam fides vna ſit, excidimus ab ea fide, qua ſola eſt: & dum plures fiunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit.*

Quàm impium ſit, vnum eſſe modò hæreſin.

Caue, ô Chriſtiane, ne in te cadat hæc cenſura. Dominus Exod. 23. ſæuerè prohibet: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum.* Currant qui velint in Dan & Bethel, tu Tobiam imitare, ſectare pietatem.

SECTIO XII.

Vtrum peculiaribus locis Deum orare, pietatem redoleat? Et an Chriſtiani ex eo capite Hieroſolymam peregrinentur, quo Tobias?

1. *Certo aliquo loco Iudæis præceptum erat ſacrificare.*

LANISSIME hoc oſtendit Moyſes, quipoſtquam populum Iſraël docuerat, Domini eſſe terram, & plenitudinem eius, cælum & cęlos cęlorum, nihilominus nomine Dei præcepit Iudæis, ne in omni loco, qui eis placuiſſet, victimas & hoſtias offerrent, ſed ad illum locum aſcenderent, quem Dominus Deus illorum elegiſſet, vt ibidem coleretur, & nomen eius invocaretur, quemadmodum traditur Deuteron. 16. Ex quo cap. Tobias noſter Hieroſolymam conceſſit, Dominum Deum adoraturus. Diſcuſſione dignum eſt, an extra præceptum, maiorem pietatem redoleat, peculiaribus locis Deum orare? Quis dubitat? Compertum enim eſt, fideles magnificeciſſe loca illa, quæ Deus noua quadam declaratione ſingularis gratiæ & virtutis ſuæ illuſtrarat, etiamſi ſcirent Deum vbique eſſe ſecundum ſuam potētiam, ſcientiam & eſſentiam. Sic Abraham montem illum Moria, in qua Dominus viderat afflictionem, obedientiam, & ſacrificium ipſius, eiq; prouidit per angelum ſiſtentē gladium ſuum, ne extenderet manum ſuam in filium, & per arietem pro Iſaac ſubſtitutum: hunc inquam montem appellauit *Dominus videt*. In quę verba Chryſoſt. hom. 48. in Geneſ. *Vide*, inquit, *iuſti religioſam mentem, quomodo vndequaque ex his quæ acciderant appellationes locis imponit. Viſitationem enim à Deo factam, volens quaſi in columna ærea inſculpere loco per appellationem, vocauit nomen loci, Dominus vidit. Sufficiebat quidem iuſto pro præmio, quòd vivus rediret Iſaac, & quòd meritus erat illam eximiam laudem, nempe quod dicit: Nunc cognoui, quòd times Deum tu.*

Fideles ſemper magni fecerunt loca à Deo ſingulariter illuſtrata.

Mons Moria quare vocatus, *Dominus videt.*

Sacer textus aſſerit, non ſolùm tempore Abrahæ, tali nomine appellatum eſſe montem illum, ſed per annos propè quadringen-

tos. tot enim fermè anni à tempore immolationis Abrahæ ad id vſque temporis, quo hiſtoriam ſcripſit Moyſes, prętetierant. Quod declarat Moyſes Geneſ. 22. hiſce verbis: *Vnde vſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* quaſi dicat, vſque hodie hoc dicto Abrahæ, *Dominus videbit & prouidebit*, quaſi prouerbio vtimur, dum in anguſtijs conſtituti, ſperamus & inuocamus Dei auxilium. Speramus enim, quod ſicut in monte hoc Moria Dominus vidit, tam afflictionem, quàm pietatem, & obedientiam Abrahæ & Iſaac, eorumque miſertus eſt: ita pariter nos poſterosque noſtros, præſertim in hoc eodem monte & templo Moria orantes, in qualibet afflictione, videbit, reſpiciet, exaudiet & liberabit.

2. Iacob Geneſ. 28. pedes & inops, ſine comite miſſus in Meſopotamiam, *cùm veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere, poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo dormiuit in eodem loco.* Videt in ſomnis mirabilem illam viſionem. qua Deum intuitus eſt. innixum ſcalæ, per quam angeli aſcendebant & deſcendebant ipſum conſolantes, Dominumq; audiebat dicentem: *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: Terram in qua dormis tibi dabo, & ſemini tuo, &c.* Et euigilans de ſomno, locum illum dixit valde religioſum, & colendum, *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* & rurſum: *Quàm terribilis eſt locus iſte: non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli.* Locum illum terribilem, & maximè religioſum, ac ingenti eum animi ſubmiſſione, reuerentia ac tremore colendum aſſerit, propter Dei & Angelorum præſentiam, ſingulariter & mirabiliter illi oſtenſam, quâ diuina prouidentia illi manifeſtè declarata fuit in rebus, quæ videntur aduerſæ. Præterea Iacob erexit ibidem lapidem illum, ſiue ſaxum, in quo dormierat, in titulum, vt eſſet monumentum viſionis & apparitionis ſibi factæ, vtque in reditu ex Haran in patriam eodem loco illud Dei beneficium recoleret & veneraretur. Quod eum feciſſe conſtat c. 35. vbi familiam ſuam ab idolis expurgat (habitarat enim in domo Laban idololatræ per viginti annos) dixitq; ſuis: *Surgite & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei.* Et paullò pòſt: *Ædificauitq; ibi altare, & appellauit nomen loci illius, Domus Dei.* Ibi enim apparuit ei Deus, cùm fugeret fratrem ſuum. Si verum eſt quod aiunt Hebræi, Lyranus & Caiet. Bethel eſt mons Moria, in quo ædificatum eſt templum à Salomone, & vbi poſitus fuit Iſaac ſuper altare immolandus Deo: quo religionis cauſa ſeceſſiſſet Iacob, ſperans ibi propter loci ſanctitatem aliquid ſibi diuinitus reuelandum.

Bethel aliquibus idem quod Mons Moria.

3. Moyſes Exod. 13. iuſſus fuit ſoluere calceamenta de pedibus ſuis propter loci ſanctitatem, quòd Angelus perſonam Dei repræſentans è rubo ardente, & non comburente illic præſens eſſet. Iudæi eadem de cauſa plurimùm æſtimarunt Arcam & Propitiatorium quod de eo loqueretur Dominus ad Moyſem, vt habetur Exod. 25. ad conſulta reſpondendo, & crebra miracula edédo præſentiam ſuam declararit. Sic Ioann. 5. magnopere æſtimata fuit probatica piſcina, ad quam confluebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum, quia Dominus ſingularitatem virtutis ſuæ per Angelum ibidem certo tempore oſtendebat; ita vt *qui primus deſcendiſſet in piſcinam, ſanus fieret à quacunque detinebatur infirmitate.* Præterea antequam templum Hieroſolymis eſſet edificatum, Deus oranti Dauidi, vt Angelus Dei ceſſaret ab inflictione peſtilentiæ, non contentus fuit, vt quouis loco illi placationis ſacrificium offeret? ſed per Prophetam Gad præcepit aſcendere, & conſtituere altare Domino in area Areuna Iebuſæi, quo loco obtulit holocauſta & pacifica, quibus *propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael.* 2. Reg. 24. Imò volens ire ad tabernaculum Domini in Gabaon, vt oraret pro auertenda peſte à populo, non prævaluit eò ire ad altare, vt obſecraret Dominum, perculſus nimiùm aſpectu Angeli, habentis gladium euaginatum in manu, vt habetur 1. Paralip. 21. Quod ſine dubio factum eſt, quia Dominus voluit placari per Sacrificium & orationem in area Arenna.

4. *Secundò ex vſu fidelium patet Deum certis locis coli velle.*

Secundò ex vſu fidelium id liquet, qui precaturi non putarunt ſat eſſe, ſi quouis loco orarent, quando aliqua difficultas ob orieba-tur; ſed ad altare aut tabernaculum, aut templum conceſſerunt; vt patet Geneſ. 25. vbi Rebecca iam impregnata ſentiens in vtero parvulos collidere, legitur perrexiſſe vt conſuleret Dominum, hoc eſt, iuxta Theodoretum, Diodorum, Procopium, animo conſternata iuit ad vicinum & domeſticum altare, ibique Deum orauit, qui per Angelum reſpondit, quod ſequitur, *Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & maior ſeruiet minori*, ex quo intellexit Rebecca, quòd Iacob præferretur Eſau, eique primogenituram, & benedictionem paternam præriperet. Anna etiam afflicta, quòd ſterilis eſſet precatura Deum, conceſſit ad tabernaculum in Silo, vbi erat arca Domini 1. Reg. 1. ibique orans exaudita eſt. Dauid quoque 2. Reg. 7. intelligens pacem, quam Dominus daturus eſſet in Iſraël, ſtabilitionem domus ſuæ, aliaque beneficia exultans & gratulabundus, ingreſſus eſt anguſtum & venerabile ſacrarium, vbi arcæ Domini religioſus cultus impendebatur, vt gratias ageret pro ſingulari illa liberalitate, & aliquid præte-

prætetea ſupplicaret, quod ad promiſſionis illius rata & certa complementa pertineret, vt verſu 18. habetur in verbis: *ingreſſus eſt autem Rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit.* Itaque læta audiuit illa nuntia, tamen ibi non orauit, ſed in tabernaculo, forſitá humi ſtratus & ſupplicátis more, aut diu orans: vtrumque verbum, *ſedit*, innuit. At certè niſi magis pium putaſſet ibi orare, domi ſuæ manſiſſet. Inſuper Daniel oraturus, cùm in Babylone captiuus, non poſſet ingredi templum, aperta feneſtra non oraſſet ad eam partem conuerſus, vbi fuerat templum; niſi in eo quid amplius eſſet efficaciæ, Daniel. 6. Petrus etiam Act. 3. Fruſtra non aſcendit in templum ad horam orationis nonam. Eunuchus Act. 8. & Gentiles Ioann. 12. gratis non perrexerunt Hieruſalem ſacrificandi cauſa. Denique non ſine cauſa feſtinauit Apoſtolus, vt diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis. Si eam aues ſcire, fuit, vt eo loco Deum oraret, quia illic Spiritus ſanctus primitus in Apoſtolos cum plenitudine donorum ſuorum deſcendit. Eſt enim Pentecoſte feſtum proprium Spiritus ſancti, eiuſque iubileum. Sicut enim annus quinquageſimus erat iubileum, in quo ſerui fiebant liberi, omneſque redibant ad auitas hæreditates, etiamſi millies fuiſſent diuenditæ, ita per Spiritum ſanctum redimus ad gratiam & amicitiam Angelorum, ad libertatem gloriæ filiorum Dei, ad hæreditatem, & regnum cœleſte. Vnde maioris deuotionis cauſa omnem diligentiam adhibebat Apoſtolus, quòd locus ad maiorem pietatem excitaret. Id reuincunt verba: *Feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, vt diem Pentecoſtes faceret Ieroſolymis.* Sciebat enim alias Deum vbique coli poſſe, & quemuis locum ad feſti iſtius celebrationem eſſe opportunum. Neque id mirum quandoquidem plurima loca propter illuſtres Patriarcharum memorias à fidelibus frequentari, & viſitari aſſueuerunt. In montem Moria religionis cauſa ſeceſſit Iacob, cùm iret in Meſopotamiam Geneſ. 28. vt Hebræi, & Catholici apud Lyranum affirmant: ſperans ibi propter loci ſanctitatem aliquid ſibi diuinitus reuelandum: nec ſua ſpe fruſtratus eſt, vt ſupra dictum eſt. In Hebron, ſeu Cariatharbem ire voluit Abſalon, voti reus, 2. Reg. 15. 7. vt in vrbe quatuor Patriarcharum monumentis inſignita, gratioſam ſe Deo hoſtiam offerre velle ſimularet.

Pentecoſte eſt feſtum Spiritus S. & iubilæi.

Helias in cælum transferendus priùs diuerſa loca peragrauit, 4. Reg. 2. à verſ. 1. nempe Galgalam prima populi circumciſione inſignem, Ioſ. 5, verſ. 9. Bethel nocturna Iacobi reuelatione illuſtrem, Geneſ. 28. 19. Ieticho celebri Ioſuæ triumpho nobilem, Ioſ. 6. verſ. 20. Iordanem pedibus Sacerdotum arcam deferentium conſecratum, Ioſ. 3. verſ. 16. Has, inquam, vrbes luſtrauit Helias, antequam in cælum raperetur: vt loca redolentia, & ſpirantia ſanctitatem, poſtremùm ſalutaret. Hoc videntur planiſſimè inſinuare migrationes de loco ad locum, quando ſtatuerat Deus, Eliam eleuare de terra per turbinem in cælum: *Ibant*, inquit Scriptura, *Elias, & Eliſæus de Galgalis. Dixitq; Elias ad Eliſæum: Sede hic, quia Dominus miſit me vſque in Bethel*, &c. *Cumq; deſcendiſſet Bethel*, dixit iterum: *Sede hic, quia Dominus miſit me in Iericho*, &c. *Cumq; veniſſent Iericho*, dixit rurſum Elias Heliſæo: *Sede hic, quia Dominus miſit me vſque ad Iordanem.* Et cum Heliſæus illum relinquere nollet, *ierunt ambo pariter*, & pallio aquas percuſſit & diuiſit Elias, ita vt ambo tranſirent per ſiccum. Poſt tranſitum Iordanis illis ſimul ſermocinantibus, *currus ignens, & equi ignei diuiſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cælum.* Quorſum hæ peregrinationes Eliæ anté ſublationem? quare toties mutauit ſolum? Non videtur alia ratio, quàm vt loca ſancta, vt dixi, poſtremùm inuiſeret, & ſalutaret. Denique petijt Samuel 1. Reg. 7. congregari vniuerſum Iſraël in Maſphath, vt ibi oraret pro idololatris Dominum, quem locum ſua oratione Samuelem conſecraſſe, non obſcurè colligitur ex 1. Machab. 3. verſ. 46. Quia quamplurimis poſt hanc orationem, annis Iſraelitæ bellicis cladibus attriti, *venerunt*, inquit textus, *in Maſphath contra Hieruſalem: quia locus orationis erat in Maſphat, antè in Iſrael*, vbi ſcilicet Samuel orauit & ſacrificauit pro idololatris pœnitentibus, eoſque liberauit mediante miraculo à manu Philiſtinorum.

Helias ante tranſlationē in cælum plurima loca viſitauit.

Ex his exemplis facile videre eſt, magis pium eſſe, quædam particularia loca miraculis illuſtria petere deuotionis cauſa. Nam ſuperuacaneum fuiſſet prædictis omnibus ad illa loca accedere ad orandū, ſi nihil efficaciæ & pietatis præ cæteris omnibus locis obtinerent. Vide, ſi placet, plura de hac re Diſc. 46. in primum præceptum.

Magis pium eſt loca peculiaria viſitare, deuotionis cauſâ.

5. *Veteris quædam loca illuſtriora indicarunt.*

Quantum ad poſtremam partē argumenti attinet, extra controuerſiam eſt, Chriſtianos diuinó poſitiuo veteris Teſtamenti Exod. 34. & Deuteron. 16. Iudæos ſolùm concernente, nulla ratione obligari; iſque licere non vno tantum loco ſacrificio noui teſtamenti intereſſe, ſeu rem ſacram audire: ſed quolibet loco illud Sacrificium offerri poſſe. Prædixit enim Malachias, Sacrificium noui Teſtamenti vbiuis terrarum offerendum ſeu totum mundum fore Deo templum, vt omnes gentes vbique eum colant victimis & Sacrificijs. *Ab ortu enim ſolis*, inquit, *vſquè ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* q. d. Nolo, ó Sacerdotes Iudaici, veſtra ſacrificia, ſed breui ea abolebo, tum quia

6. *Chriſtiani non obligātur vno tantum loco ſacrificare, vti Iudæi; ſed poſſunt vbiuis locorum.*

quia impura & polluta ſunt, tum quia vno in loco à pauculis Iudæis offeruntur: & per Chriſtum ſubrogabo ſacrificium aliud, quod in ſe puriſſimum erit, & ſanctiſſimum, quodúc vbiuis terrarum à quibuſlibet gentibus offeretur.

Idem prædixit Saluator noſter Ioann. 4. reſpondens Samaritanæ aquam haurienti ad quæſtionem de controuerſia inter Samaritanos & Iudæos, quoad ſacrificium propriè dictum, quam propoſuerat Chriſto, illis verbis: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis: Quia Hieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet.* Vide pleniorem horum locorum explanationem, Diſc. 39. in 1. Præcep. Operis mei moralis, à num. 3. vſque 6.

Verùm aſſueuerunt Chriſtiani deuotionis cauſa poſt Chriſti aſcenſionem, ad terram ſanctam peregrinari, quia Chriſtus Dominus ibi mirabilia ſuæ potentiæ exercuit, ſol obſcuratus eſt, terra tremuit, ſepulchra aperta ſunt, & triumphauit de inimicis, & vt verbo dicam, ibi noſtri cauſa glorificatus eſt. Vide Hieron. qu. 9. ad Hedibiam. Et ad eam triplici de cauſa mouebantur. Primò, vt intenſiùs Chriſti crederent myſteria. Fides enim tribus modis creſcit, & perficitur: Primò extenſiuè, vt plura credantur: ſic intelligendum eſt, quod Ioann. 2. poſt miraculum mutationis aquæ in vinum, dicitur de diſcipulis Chriſti, *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Non enim ante fuiſſent diſcipuli, niſi priùs in eum credidiſſent, iam verò propter illud miraculum additur de eorum fide, quia plura de ipſo credidetunt, videlicet non ſolùm eum eſſe meſſiam, ſed etiam veri Dei filium incomparabili potentiâ præditum, qui ſine vllo verbo, inuiſibiliter, ſola voluntate ſua potuit ſubitò vnam ſubſtantiam conuertere in aliam, ſiue aquam in vinum.

Tribus de cauſis ſolent Chriſtiani Hieroſolymâ concedere.

Secundò creſcit fides intenſiuè, quando virtus ipſa fidei augetur circa vnam eandemque rem, ita vt firmiùs credatur. Hoc modo loquitur Hieronymus epiſt. 154. de adorando Chriſto in loco ſancto, dum ait: *Adoraſſe vbi ſteterunt pedes Domini, pars fidei eſt, & quaſi recentia Natiuitatis, & Crucis, & Paßionis vidiſſe veſtigia.* Magis enim mouetur homo viſu, quàm auditu. Atqui fidem ſic augeri poſſe oſtenderunt diſcipuli Luc. 17. vbi cùm Dominus docuiſſet, puſillos in Chriſtum credentes, non eſſe ſcandalizandos, dixerunt: *Domine adauge nobis fidem*, id eſt, concede nobis augmentum fidei, vt ad implenda præcepta tua, atque ad impetrandum quiduis à Deo, ſimus aptiores.

Tertiò perficitur adiunctione aliarum virtutum, quæ ipſam fidem viuificant, & ornant, ac perficiunt, vt eſt virtus humilitatis, & charitatis, ac deuotionis. Hac de cauſa teſtatur D. Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam, plurimos in primitiua Eccleſia viros eminentiſſimos Hieroſolymam petiſſe, ſic aiens: *Longum eſt nunc ab aſcenſu Domini vſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica virorum venerint Hieroſolymam, putantes ſe minus religionis, minus habere ſcientiæ; nec ſummam, vt dicitur, mannum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruſcauerat.*

Tertia cauſa, ob beneficia quæ ibi conferebantur.

Denique eò Chriſtiani concedebant ob beneficia, quæ illic conſequebantur, teſte Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi 13. Quem vide, & plura in hanc rem in fine Diſcur. 46. in primum Præceptum.

SECTIO XIII.

An ex hoc loco Tobiæ inferre liceat, Chriſtianos Deum offendere, cùm Sanctos inuocant, aut ad memorias Sanctorum peregrinantur.

1. *Hæretici Sanctis inuocandis calumniantur.*

ARRIPIT me ſatis ſuperque differuiſſe ſuper priorem partem verſus ſexti; ſed Nouantes plenis faucibus ex hoc & ſimilibus locis inferunt Catholicos peccare cum ad Sanctorum memorias, & reliquias oraturi concedunt: & libertimè debachantur è pulpito ad populum in ipſos Catholicos, quaſi Gentilicam Religionem amplecterentur. Rebecca, inquiunt, dum neceſſitas vrſit, perrexit ad Dominum, Geneſ. 25. Elcana 1. Reg. 2. cum Anna vxore ſua conceſſit in Silo ad Tabernaculum ibidem exiſtens precaturi Dominum. Tobias profectus eſt Hieroſolymam, ibiſque adorabat Deum Iſraël. Porrò hi omnes nuſquam peregrinati ſunt ad aliquem Sanctorum veteris Teſtamenti: Ergo malè faciunt Catholici, qui ad reliquias Petri & Pauli, ac memoriam MARIÆ, alioſque Sanctos ſuffragij cauſâ concedunt. Hæc cogunt rem penitius examinare. Quid dicitis, ô boni viri? quid infertis ex fidelium peregrinatione ad orandum Deum per interceſſionem Sanctorum peculiaribus locis? An putaris ſine Dei iniuria MARIAM, Petrum, Paulum, & alios, ſi eo rerum articulo ad Cælites è viuis migraſſent, certo reſpectu inuocari non potuiſſe? Si ita eſt, fallimini grauiſſimè, & populum fallitis argumento, quod nihil concludit. Licet enim Rebecca, Elcana, Anna, Tobias, alij ad peculiaria loca Deum precaturi conceſſiſſe legantur, non ideò ſequitur vetitum fuiſſe ſanctos Cælites inuocare tanquam patronos & interceſſores ad Deum. Hoc breuiter vobis demonſtrabo, primùm ex conſuetudine illius temporis, quam indicauit Eliphaz

2.

Probatur 1. in veteri Teſt. vſitatum inuocare SS. patrocinia.

phaz vnus amicorum Iob, cùm putaret Iobum iam se agnoscere peccatorem, & de scelerum suorum indulgentia laborare: *Voca ergo*, inquit, *si est qui tibi respondeat; & ad aliquem Sanctorum conuertere*, Iob. 5. Dixerat Eliphaz sibi diuinitus reuelatum, siue simulatè, siue verè & oblatum sibi fuisse oraculum, ex quo didicerat ab homine prorsus abesse iustitiã, si compararetur cum Deo. Pergit nunc & vlterius instat, quod si de illius dubitet veritate, ac fide, Deum ipse inuocet, vt ab illo quid verum sit, factuque dignum doceatur. Quod si id à Deo sine adiutore obtinere desperet, ab aliquo Sanctorum imploret auxilium, qui suam apud Deum causam suscipiat, & eius intercessione optata consequatur. Quos Sanctos velit implorari Eliphaz, indicat translatio LXX. quę sic habet: *Inuoca si quis tibi respondeat, vel si quem Angelorum, Sanctorúmue aspicias.* Id certum est, tunc temporis non raras fuisse Angelorũ apparitiones, aut nocturnas visiones, quibus Deus ignaros, & sui dãni securos illuminaret. Quod paternæ humanitatis officium non solùm cum populo suo, sed etiam cum alienis præstat. Nam ante illud tempus occurrit Angelus ancillæ Agar Genes. 16. quam sui officij admonuit, cùm fugeret à facie Satæ: *Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Et illo eodem tempore loquutus est cum Laban, qui persequebatur Iacob, cùm ille fugisset cum vxoribus, & prolibus ab eius domo, intendens acriter contra ipsum expostulare; cui præcepit Angelus: *Cane ne quidquam asperè loquaris contra Iacob.* Quod etiam postmodum illi obiecit Iacob, cùm anxiè scrutaretur omnem eius supellectilem: Nisi, inquit, *Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modò nudum me dimisisses. Afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri*: monens scilicet, ne quid grauius mihi diceres, aut faceres, quodque posset mihi displicere. Loquutus item est Angelus cum Esau, cuius furentem in fratrem animum, & inueteratum odium ita temperauit, vt quæ priùs hostiliter oderat, fraternâ humanitate complecteretur, vt videre est Oseæ cap. 12. Idumæi id facile potuerunt scire ab Esau progenitore suo, cum Angelus parentibus suis, & fratri Iacobo, & alijs ante illud tempus sæpè apparuerat. Ergo ex his verbis Eliphaz satis probatur fuisse consuetudinem inuocandi Sanctorum patrocinia.

Angeli olim malis apparere soliti.

Elius alius amicorum Iob, ex hac consuetudine etiam dixit cap. 33. *Si fuerit pro eo Angelus loquus vnus de millibus, vt annuntiet hominis aequitatem, miserebitur eius.* q. d. Si quem grauem peccatorem doleat peccasse, isque religioni studeat, & aliquis ex Angelorum millibus pro illo Deum oret, & quid bonorum egit, ante oculos ponat, facilè illum ad misericordiam inflectet. Qui locus abundè testatur Angelos bonos de hominum salute fuisse solicitos, & eorum causa laborasse, vt satis docebitur ad verba Angeli Tobiæ cap. 12.

3. *Probatur 2.*

Secundò ostendo fuisse consuetudinem ad Sanctos sese conuertere, ex eo quòd viri sanctissimi veteris Testamenti, cùm necdum cælum esset reseratum morte & resurrectione Christi, sanctorum virorum merita, qui è viuis excesserant, Deo obtulerint. Moyses enim, cùm Deus vellet populum disperdere, vitulum aureum adorantem, primùm orat pro eis, & quia se sufficientem non existimabat ad placandum Deum, adhibuit etiam patrocinium Patriarcharum: *Recordare*, inquit, *Domine Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum.* Et Daniel. 3. tres pueri in Babylonia fornace sic orabant Dominum: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Et meritò. Deus enim ob memoriam iusti illo tempore multa faciebat, vt videre est Isaiæ cap. 37. vbi Isaias vates nomine Dei inquit ad Ezechiam Regem anxiè orantem propter minas & blasphemias Sennacherib pro conseruatione Ierusalem, quòd nulla vis Assyriorum eam læderet, & subiungit: *Ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus, & protegam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Expendit Chrysostomus hæc verba, & ex ijs colligit merita Dauidis iam diu defuncti pluris fecisse Deum, quàm preces Exechiæ Regis iusti adhuc superstitis. Sic enim ait hom. 2. in Psal. 50. *Videtis charissimi, quanta est pœnitentia virtus, & conuersionis ad Deum ab operibus malis. Hic enim S. Dauid non solùm, cùm in corpore esset, placuit Deo, sed & post mortem suam, vnus inuenitur magnum præstitisse solatium. Contigit namque Exechiæ Regi inimicas in temporibus Iudæorum gentes circumuallasse Hierosolymam. Et cùm esset Exechias vir iustus, rogabat Deum, & prostratus lachrymis deprecabatur, vltionem de aduersarijs postulans. Venit ad eum Isaias Propheta, & dicit: Ne putaret ille quia iustitia sua exauditus est; & certè iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requiescens. Quid ergo dicit ei? Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum. Dauid mortuus est, & merita eius viuunt: O rem admirandam! O ineffabilis Dei clementia! homo mortuus viuo patrocinatur. O infelicem, & post consummationem inexpugnabilis pugnæ virorum!*

Viri sanctissimi piorum virorum defunctorum merita in oratione Deo offerebant.

Plutes vtilitates apud Deum merita Dauidis defuncti, quàm preces instantis Exechiæ viuentis.

4. *Olim Deus aliquibus voluit indulgere, nisi Sanctis intercedentibus.*

Quid dico? vt palam esset Deo non fieri iniuriam per intercessionem Sanctorum, aut superstitionem redolere, eos suffragij causa interpellare, misit Deus Abimelechum Regem ad Abraham inter viuos existentem, vt à plaga sanaretur, inflicta eius domui propter arreptam Saram vxorem Abrahæ: *Reddite*,

ait, *viso suo vxorem, quia Propheta est*, vir videlicet sanctus, cum quo Deus familiariter agit, & loquitur, *& orabit pro te, & viues.* Exorabit Deum, vt cesset ista plaga tua. Et Iob c. 42. noluit Deus amicis eius peccatũ remittere, quo non erãt rectum locuti coram Deo, nisi Iob pro eis sacrificante, & orante. Iussit ergo, vt septem tauros, & totidem arietes ad Iobum adducerent, qui illos sacrificali ritu in holocaustum immolaret. Vt oraret pro ipsis ne suæ stultitiæ, & orationis, neque rectæ, neque piæ pœnas expenderent; promittitque auditurum se Iobum, & eius precibus concessurum, ne id ipsi ferant, quod suorum scelerum grauitas postulabat. Ille est sensus verborum versus octaui. Quod cùm ad vnum cum socijs suis complêrat Eliphaz, annuit Dominus oranti Iobo, & amicos eius ab eo quod merebantur supplicio liberauit, vt indicat versus 9. & 10.

Genes. 20.

5. Accedebant ergo tunc temporis fideles, quantum licebat ad sanctos vitâ functos; eos autem non inuocabant sicut Angelos, quia visione Dei beatificâ necdum fruentes, intelligere nequibant preces nostras. Videtis quantum hallucinemini viri apud vosmetipsos prudentes, præsertim qui tempore noui Testamenti rideris peregrinationem ad Sanctorum memorias, & idololatriæ nos insimulatis, quando eorum intercessionem postulamus ad Deum. Nunc enim cælum patet, teste Apostolo Hebr. 9. *Ides*, inquit, *noui Testamenti mediator est* (nempe Christus) *vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æterna hæreditatis.* Et cap. 10. vers. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen*, id est, *carnem suam*. q. d. Christus paranit nobis viam nouam ad cælum, quod antea clausum erat propter præuaricationem Adæ. Quòd Sanctis veteris Testamenti non contigit, vt idem Apostolus exprimit ad Hebr. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes.* Et infrà versu 39. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.*

Cultus Sanctorum licitus.

Sanctus V. T. non patuit cælum ante Christi resurrectionẽ ob duas rationes.

Ex quibus verbis manifestè constat, Noë, Abraham, & alios Sanctos veteris Testamenti, non statim post hanc vitam accepisse præmium æternæ beatitudinis, quod illis promissum erat, sed debuisse expectare aduentum Christi. Et ratio duplex est. Vna, quia Deus non voluit quemquam admittere ad statum beatitudinis, nisi prius persolutum esset pretium, quo per Christum redempti sumus è statu seruitutis, & ad statum filiorum Dei adoptati. Hoc autem pretium non fuit persolutum, nisi in morte Christi: tunc enim sanguis eius pro nobis effusus est. Altera verò ratio est, quia non decebat, vt Sancti veteris Testamenti prius adirẽt hæreditatem, quàm Sancti noui Testamenti. Nunc purè Sancti statim à morte ad Deum conuolant. S. Stephanus videbat *cælos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei*, vt illum videlicet à certamine statim reciperet in gloriam. Nunc ergo Ecclesia vtiliter inuocat Sanctos pro fidelium intercessione, vide Discursum 50. in 1. Præcep. Nunc piè ad Sanctorum reliquias, & memorias concedunt fideles; imò Deus per miracula, quæ ibidem facit, illos eò vocat, non superstitio. Nam eo ipso, quo illis locis signa præsentiæ suæ per operationem miraculorum ostendit, designat eadem loca, & memorias à se esse selectas, vt magis piè & vtiliter frequententur à fidelibus: atque adeò sicut Iacob olim dignouit locum esse sanctum propter visionem illi factam Genes. 28. Sicut Iudæi Numer. 21. crediderunt se non aliter sanandos, nisi aspiciendo æneum serpentem erectum in deserto: Sicut paralytici exspectabant ad triginta octo annos ad Probaticam piscinam, Ioan. 5. quod ibi Dominus per miracula præsentiam suam ostenderet. Sicut 4. Reg. 5. non in fluuiis Damasci, Abanar, & Pharphar, sed in fluuio Iordanis septies se lauando curari debuit à lepra Naaman Syrus, sic iubente Propheta Helisæo: ad eundem modum antiquitus nouerunt certa hæc loca visitanda esse: vbi Deus miracula faciendo signa suæ præsentiæ ostendebat. Certè cum ad vmbram Petri viuentis multi concurrerent curationis gratia, nemo eos redarguit; sed Scriptura vt signum fidei posteris eam deuotionem, & curationem scripto reliquit Act. 5. Quantò minus redarguendi venient, qui Cælitum memorias colunt, ibique eorum intercessionem implorant. Vide dicta Disc. 53. in prim. Præcep. vbi latè reperies hoc negotium discussum.

6. *Loca miraculis illustrata quomodo honoranda.*

Quid igitur blateras Hæretice, quid insano more in Catholicos debacharis! Nos inuocamus, & adoramus Deum Israël, tanquam donorum omnium gratiæ & gloriæ auctorem & datorem: Sanctos Dei amicos, vt intercessores & patronos ad ipsum Deum inuocamus. Agnoscimus illos Deos non naturâ, sed gratiâ: quia Deus vnus & solus, tamen alios facit Deos, vt Moysen, cui dixit: *Ecce constitui Deum Pharaonis*, Exod. 7. item primores & principes; *Dijs non detrahes*, Iud. 22. 28. pios quoque; *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes*; Psal. 18 6. de quo Christus: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura, &c.* Ioan. 10. vers. 35. Sic Sanctos tanquam diuinitate quadam à Deo glorificatos participatione diuina, non naturâ Deos agnosci-

7. *Deus vnus & solus alios facit Deos.*

agnoſcimus. Nemo hic ceu paruulus pueriliter labatur, ceu magnus hoſtiliter malignetur. Scimus Deum aliter eſſe Deum, aliter Moyſen, alios aliter: Deum alio modo poteſtatem exercere ſuam, alio eius miniſtros. Eundem in modum fatemur longè alia ratione colendum Deum, aliter Sanctos. Deum, vt totius boni & fontem & auctorem: Sanctos vt riuulos à Deo profluentes. Quos cùm veneramur & colimus, non tam ipſos honoramus, quàm gratiam & gloriam, ſiue illam diuinitatem, quæ in ipſis à Deo eſt. Vt herbas & vniones amamus propter inſignem virtutem; flores propter pulchritudinem illis à Deo naturæ auctore inditam: ſic illos quoque propter gloriam, quâ Dominus illos dignatur, cultu colimus congruente, adoratione inuocamus competenti, Deum latriâ, duliâ Sanctos. Adoratur Deus, Angeli, homines, ſed alia atque alia ratione. Aliquis adoraturus Deum procidit in genua: ſimiliter vapulaturus puer quando culpam deprecatur. Idem geſtus in vtraque adoratione, ſed alius ſenſus. Idem puer aliâ mente Deo geniculatur, aliâ parenti, aut præceptori. Similiter eſt in Dei adoratione, & inuocatione, ſiue adoratione Sanctorum: eadem vox, eadem geniculatio, & geſtus; ſed longè mens diuerſa. Vellemus, illam ſoli Deo adorationem debitam, tum etiam Sanctorum inuocationem proprio vocabulo exprimere & diſcernere ab illa: non habemus, non poſſumus proprio verbo. Ipſa ſacra Scriptura non diſtinguit; *Benedixit omnis Eccleſia Domino Deo patrum ſuorum: & inclinauerunt ſe, & adorauerunt Deum, & deinde Regem*, 1. Paral. 29. Idem geſtus, alius ſenſus.

6. Vtamur illo ad quos legenda.

Adoratio non ſoli Deo ſed aliis tributa.

Sed aliter Deus, aliter illis.

Itaque *nemo offendatur in adorationis vocabulo: ſiquidem & homines & ſanctos Angelos adoramus, non autem quod λατρείαν, hoc eſt, cultum diuinum exhibeamus. Inquit enim Moyſes, Deum tuum adorabis, & illi ſoli λατρεύσεις præſtabis.* Verba ſunt Anaſ. Epiſc. Theopol. Act. 4. 7. Synod. ca. 2. Audi, ſi placet, & Damaſcenum orat. 1. *Adoratio*, inquit, *eſt ſubmiſſionis, & honoris nota: atque huius item duplex eſt ratio. Altera enim eſt, quam Deo, qui naturâ ſolus adorandus eſt, latriáque dicitur: altera, quam propter ipſum Deum, qui naturâ ſolus adorandus eſt, exhibemus vel amicis, & ſeruis illius; vt cùm* IESVS *filius Naue, & Daniel Angelum adorauerunt; vel quibuſlibet Dei locis; Adorabimus*, inquit, *Dauid, in loco vbi ſteterunt pedes eius. Vel templis eius; vt, Omnis Iſraël tabernaculum adorabat; & in circuitu templi, quod erat in Hieruſalem, ſtantes, aut vndique ad ipſum reſpicientes adorant ad hunc vſque diem vel principibus ab ipſo conſtitutis; vt Iacob tum Eſau fratrem natu maiorem, tum Pharaonem principem à Deo declaratum, & Ioſephum fratres ipſius. Ad hæc mutui honoris gratiâ adorationem exhiberi non ignoramus; qualis inter*

Adoratio quid, & quotuplex.

Ios. 5. 14. Dan. 10. 9. Pſ. 131. 7. Geneſ. 33. 3. Iud. 13. 20.

Abraham & filios Emmor interceſſit. Proinde aut auſert omne genus adorationis, aut omnes pro conuenienti cuique ratione & modo ſuſcipe. Iud. 23 7.

His attentis ſat intelligis, mi Chriſtiane, inſaniam eſſe huiuſmodi faſcinatoribus aurem præbere; peius eorum ſubſannantium voce ſe pati à vero abduci. Cõmonet te acriter Chriſtus: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad te in veſtimentis ouium, intrinſecus ſunt lupi rapaces.* 8. Matth. 7.

SECTIO XIV.

Quænam fuerint hæ primitiæ, & decimæ. Et quid hic ad Tobiæ laudem, noſtrámque inſtructionem.

PRIMITIÆ quæ ſoluendæ erant in V. T. ter in anno ſolis Sacerdotibus & Pontifici, videlicet in Paſchate, Pentecoſte, & in feſto Tabernaculorum in Septembri; erant primò, ſpicarum ſcilicet hordei primitiæ, quæ in Paſchate offerebantur, quòd illo tempore, puta in Martio vel Aprili, ſub Paſcha hordeum matureſceret in Palæſtina, quas præceperat Dominus Leuit. 23. dum ait: Dum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis veſtræ, ad Sacerdotem, qui eleuabit faſciculum coram Domino, vt acceptabile ſit pro vobis, altero die Sabbathi, & ſanctificabit illum. 1. *Tria genera primitiarũ apud Hebræos.* *Prima ſpicarum hordei.*

Secundò, erant primitiæ panum, quæ offerebantur in Pentecoſte, iuxta illud Leuit. 23. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ*, id eſt, *quinquagintæ dies: & ſic offeretis ex omnibus habitaculis veſtris, panes primitiarum duos de duabus decimis ſimile fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini*, &c. 2. *Panũm.*

Tertiò, erant primitiæ nouorũ fructuum, quæ offerebantur in Septembri, iuxta illud Numer. 18. *Vniuerſa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vſus tuos: qui mundus eſt in domo ſua, veſcetur eis.* Et Deuter. 18. 4. *Dabunt Sacerdoti primitias frumenti, vini & olei.* Et Deuter. 26. 2. *Tolle de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergeſq; ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, accedeſq; ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis*, &c. 3. *Nouorum fructuum.*

Eſt autem magna differentia inter hæc tria genera primitiarum. Primò, quia primitiæ in Paſchate erant ex ſolis ſpicis: in Pentecoſte ex ſolis panibus: in Septembri, ex varijs terræ fructibus. Secundò, primitiæ ſpicarum dabantur in ipſa collectione fructuum terræ, nec vlli licebat quidquam comedere de nouis fructibus, antequam primitiæ ſpicarum Deo oblatæ eſſent, Leuit. 23. At primitiæ in 1.

Pentecoſte & Septembri, offerebantur ex fructibus iam collectis, & domi aſſeruatis, D. Auguſt. quæſt. 23. ſuper Numeros. Tertiò primitiæ panum & fructuum cedebant integrè in vſum Sacerdotum; primitiæ verò ſpicarum non integrè. Nam vnus manipulus ſpicarum conſumebatur per modum ſacrificij, reliqui comedebantur à Sacerdotibus.

Porrò, ſicut primitiæ, ſic etiam primogenita dabantur Pontifici & Sacerdotibus, Exod. 13. Numer. 3. Erant autem tria genera Primogenitorum: alia hominum, alia pecorum mundorum, alia immundorum. Igitur ſingula primogenita primi & tertij generis redimebantur pretio quinque ſiclorum, quod dabatur Sacerdotibus: Primogenita ſecundi generis, per ſe illis offerebantur, Numer. 18. 15.

Tria genera primogenitorum.

3. *Tria erant decimarum genera apud Hebræos.*

Quantum ad decimas, apud Hebræos erant tria decimarum genera. Primum earum, quas cæteræ tribus ſingulis annis tenebantur dare tribui Leuiticæ in ſuſtentationem: has enim Deus illis aſſignarat iuxta illud Numer. 18. *Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Alterum earum erat, quas ſinguli patres familias debebant quotannis apud ſe ſeruare, & poſtea cum Leuitis comedere, in loco vbi erat Tabernaculum vel templum, idque tribus anni temporibus, nempe in Paſchate, Pentecoſte, & feſto Tabernaculorum. De his intelligendum eſt illud Deuter. 14. 22. *Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis, qui naſcuntur in terra per annos ſingulos, & comedes in conſpectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, &c.* Tertium earum, quas tertio anno ſinguli ſeparare debebant in proprijs domibus, & cum Leuitis, peregrinis, pupillis & viduis communicare, iuxta illud Deutero. 4. 28. *Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus, quæ naſcuntur tibi in tempore, & repones intra ianuas tuas. Veniétque Leuites, qui aliam non habet partem, nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, quæ intra portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus.* Et Deuteron. 23. 12. *Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Leuitæ & aduenæ, & pupillo, & viduæ, vt comedant intra portas tuas, & ſaturentur.*

4. *Obligatio Iudæorum de ſoluendis decimis.*

Has autem, obligabantur Iudæi ſtatim perſoluere, vt habetur Exod. 22. in verbis; *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.* Hac de cauſa ait Philo, lib. de ſacerdotum honoribus: vt dum Hebræi aſſueſcunt, ſemper alimenti ſui partem Deo decidere, nunquam in eius obliuionem veniant, ſed recordentur hæc ſibi à Deo donata eſſe, vtque hoc teſtentur, dent, imò reddant Deo frugum eius decimas & primitias. Et ſi aliquando contingeret illos aut decimas negare aut primitias, aut magnam ex illis partem defraudarent, ſterilitas ex vindicta Dei imminebat, vt Deus declarauit ſe in hoc configi & affligi, vt patet Malach. 3. vbi Dominus dat cauſam, cur fame & inopiâ viſitarit Iudæos, dicit fuiſſe denegationem & ſubtractionem decimarum & primitiarum, in verbis: *Et dixiſtis: in quo configimus te? In decimis & primitijs. Et in penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionẽ vſque ad abundantiam.* q. d. Inferte decimas quæ debentur ex lege, in horreum meum, ſine vlla diminutione ac fraude, vt pro ſacrificijs, ſacerdotumque victu neceſſaria ſuppetant; & tunc cognoſcetis, vndenam profecta fuerit tanta penuria, & quàm fuerim in præſtãdis promiſſis, fidelis, & conſtans. Quòd ſi non immiſero vobis illam aquarum copiam, vt cataractæ nubium apertæ videantur; & eam rerum abundantiam, quam horrea, & vaſa cellaria capere poſſunt, illum me eſſe exiſtimate, cui deinceps fides haberi non debeat. Vbi plura ſubiungit in hanc rem. In his omnibus nullo defectu laborauit Tobias noſter. Iam verò libet inquirere an in hoc aliquid exiſtat ad Tobiæ laudem noſtramque inſtructionem.

Ratio inquiſitionis eſt, quòd Lucæ 17. dicatur: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus.* Certum eſt, quod hic aliquid lateat ad encomium Tobiæ, & ad aliorum inſtructionem ſcitu vtile, adeoque meritò publicandum, videlicet quod puerulus exiſtens, in iſta ætate de optimis frugibus & primitijs reddiderit Domino primitias & decimas: hoc indicat vocabulum *fideliter*, vt animaduertit, Ambroſius, vti refertur cap. *Quicumq;* 16. quæſt. 7. *Quid eſt fideliter dare, niſi vt nec peius nec minus aliquando offerat de grano, aut de vino, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipſa venatione ſua.* Hoc autem reſpicere Deum, inſinuat Scriptura Geneſ. 4. dum ait: *Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ Domino; Abel quoque de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit.* q. d. Contigit poſt multos annos à partu Caini & Abelis, Cain ſecundos & viliores fructus terræ (hi enim in Scriptura vocantur fructus terræ) Deo offerre, meliores ſibi reſeruare: Abelem verò, quia ingenti fide, & reuerentiâ, & amore proſequebatur Deum, optima & pinguiſſima gregis ſui, ac Deum externo quodam ſigno oſtendiſſe oblationem

5. *Tobias puer de optimis frugibus primitias & decimas ſoluit.*

nem sibi placuisse. Quòd tradunt Patres, igne de cælo misso in sacrificium Abelis, quo illud consumptum fuit; Caini verò intactum mansit. Et in lege Moysis tenebantur Leuitæ sub pœna mortis decimas decimarum suarum optimas, & selectissimas offerre Pontifici & Sacerdotibus, vt expressè habetur Num. 18. *Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima, & electa erunt, &c. ne polluatis oblationes filiorum Israel. & moriamini*, id est, ne decimam partem seligentes, eamque dantes Sacerdotibus, ingratam reddatis Deo oblationem vestram, & ab ipso occidamini.

6. *Christiani vt les decimas persoluere tenentur, puniuntur à Deo.*

Notent hoc Christiani ij, qui in decimis, primitijs, alijsque oblationibus vilissima dant Deo, ac proinde & vilissima ab eo accipiunt, meritoque frugum & sterilitate & paupertate puniuntur; sicut puniti sunt Iudæi, vti testatur Malachias capit. 1. vers. 14. & capit. 2. versic. 2. atque in simili casu eosdem punitos esse, docet Aggæus cap. 1. versic. 6. & seqq. Nam in noua lege requirit Dominus eandem fidelitatem, vt videlicet sincere agant, offerendo monetam sub ea ditione vtilem, non autem peregrinam, vilem, & exoletam, dicentes: Si nolet Pastor, volet custos. Similiter in decimis agant, si velint dici fideles; Teste enim Abulensi in cap. 23. Matth. 207. *tunc decima pars fructuum, aliorumq; prouentuum, adeoq; nec minus, nec pejus offertur, quàm debeatur: si non de industria deteriora seligantur, ad decimationem; sed mediocria saltem, aut cùm deterioribus meliora admisceantur, & vno verbo, vt bonâ fide agatur, quo moraliter rem æstimando, decima pars proueniat.*

Quæ dicatur decima pars fructũ.

7. Secundò, quòd in ista ætate, quâ magnorum operum administratio credi nemini solet, vt erat instituturus ab auia sua Debbora, statim iugo Domini assueuit.

8. *Periculum non vereretur Tobias à solutione decimarum.*

Tertiò, est verosimile hîc addi fideliter, quod posthabitis periculis & molestijs itineris, crediderit Deũ eum saluum perducturum, cùm obediret eius præceptis, sicut de Abraham dicit Apostolus, quod Deo obediens promptus ad offerendum filium vnicum in sacrificium, arbitratus sit, *quia & à mortuis suscitare potens esset Deus*, Hebr. 11. Non enim legitur, quòd Tobias ex primitijs & decimis redegerit pecunias, neque quòd emerit ea, quæ vel ad templi sumptus, vel domesticos Leuitarum vsus pertinebant, vti licebat procul à Hierosolyma habitanti, ex cap. 14. Deuteron. 24. vbi sic habetur: *Cùm longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibiq; benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare, vendes omnia, & in pretium rediges, portabisq; manu tua, & proficisceris ad locum quem eligerit Dominus Deus tuus: & emes ex eadem pecunia, quidquid tibi placuerit, &c.* Et fortè animos

Tobias ne decimas fructus primitias & decimas solueret.

Mauden in Tobiam.

sumpsit ab eo, quod Dominus dixit Israelitis Ierosolymam peregrinaturis, *Nullus insidiabitur terræ tuæ*, id est, ne metuas hostes, cum obedis legi meæ, vt ascendas, seu vt eas ad sanctuarium meum, quasi illi te absente vrbes masculis; & bellatoribus vacuas inuasuri sint: ego enim illos frænabo & diuertam, vt eas nec concupiscant, nec cogitẽt. Aut etiam à grege Prophetarum, qui secum ascendebant in Bethel cum psalterio & tympano, alijsque instrumentis laudes Dei canentes licet Philistini infestissimi hostes Israelitarum illic haberent stationem, Deo nimirum homines continente & compescente. 1. Reg. 10.

9. *Mira Tobiæ inuenis misericordia in proselytos, viduas & orphanos.*

Quartò videtur hoc Tobiæ factum à Scriptura prædicari, quòd cum infantia creuerit eius miseratio, sicut dicitur de Iob cap. 31. Quod ipse ostendit, cùm non solùm proselytis, id est, qui antiquam abiurarant religionem, & Israeliticam profitebantur, tertias decimas impertiebatur; ne ob defectum necessariorum ad vitam reuerterentur ad pristinas sedes, aut gentili Domino seruire cogerentur parum in noua religione confirmati, adeoque cum periculo defectionis: Sed etiam viduis & pupillis; quam Iacobus Apostolus dicit esse religionem mundam & perfectam, dicens cap. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Illæ enim personæ ab omnibus derelictæ cæteris afflictis miserabiliores sunt. Et quia in prima illa Iudæorum & gentilium persecutione multi viri Christiani partim occidebantur, partim in exilium, aut carceres tradebantur, bonisque priuarentur, adeoque multos filios relinquerent orphanos, & vxores viduas, hinc derelictorum causam suscipiebat S. Iacobus tanquam eorum Episcopus, eosque Christianorum charitati commendat, tanquam in illo rerum articulo maximè necessarium.

10. Vt autem intelligas vocabulum *fideliter*, eam significationem in Scripturis habere, audi S. Ioannem Epistola tertia dicentem Caio: *Charissime fideliter facis, quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos*, id est, Mirè Christi fidem illustras, hospitando, alendo, fouendo fratres fideles, præsertim peregrinos. Et quia hoc singulari affectu & commiseratione egit Tobias, hinc etiam meritus est hoc elogium. Quia verè res perfecta est, in tali necessitate ijs aperire viscera misericordiæ, etiamsi ex præcepto, & magnam adfert fiduciam & gratiam. In vita S. Luciæ scribitur, quod cùm opes suas in pauperes, viduas, & pupillos distribuisset, eaque sponsus per Paschatium Præfectum reposceret, respondit: *Sacrificium vnum & immaculatũ apud Deũ & Patrem hoc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum: &*

quia nihil ſupereſt, offeram meipſam in ſacrificium Deo hoſtiam viuentem, nimirum per martyrium, quod ipſa paulò poſt heroicè ſubijt. Vltimis hiſce ſæculis in hac virtute eminuit S. Iuo, quem proinde eius merito Clemens Sextus Pontifex, retulit in Sanctorum numerum anno Domini 1347. die 29.

11. *Decimas nõ ſoluens fruſtratur benedictione Dei.*

Nos verò, quia ſanctos piosque viros in hoc non imitamur, benedictione quoque Dei fruſtramur, teſte D. Auguſtino homil. 48. ex quinquaginta. *Maiores noſtri*, inquit, *ideò omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant: modò autem, quia diſceſſit deuotio Dei, acceſſit indictio fiſci: Noluimus cum Deo partiri decimas; modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus.* & ſermone 219. de tempore, *Hac eſt Domini iuſtiſſima conſuetudo, vt ſi tu illi decimas non dederis, tu ad decimam reuoceris.*

Rurum exemplum.

Addam dumtaxat rarum de hiſce decimis Exemplum, quod narrat Eugypius in vita S. Seuerini Noricorum Apoſtoli cap. 17. contigitque ſub annum Domini 475. Lauriacenſes ciues moniti à S. Seuerino decimas dare pauperibus, id facere diſtulerant, ideoque ſegetes eorum, aliàs pulcras, inuaſit rubigo: illi ad cor redeuntes culpam confeſſi, veniam petierunt à S. Seuerino, qui eis reſpondit: *Si decimas obtuliſſetis pauperibus, non ſolùm aeterna mercede fruteremini, ſed etiam commodis poſſetis abundare præſentibus: ſed quia culpam propria confeſſione caſtigatis, de Domini pietate polliceor, quod rubigo præſens, licet tam valida, non nocebit: tantum fides veſtra viterius non vacillet.* Inde hortatus eſt indici ieiunium, quo expleto placidus imber deſperatæ meſſis amputauit incommoda. Hucuſque Eugypius S. Seuerini diſcipulus, & oculatus rei geſtæ teſtis. Si Iudæi triplices, quidni Chriſtiani vnas & ſimplices Deo dent decimas? ſi Iudæi decimis ſuis alebant pauperes, quidni idem faciant Chriſtiani? Præclarè Nyſſenus lib. de beatitud. *Si*, inquit, *miſericordiæ appellatio Deum decet, ad quid aliud te ſermo Chriſti hortatur, niſi vt Deus fias, tanquam inſignitus propriâ notâ Deitatis?* Et Nazianz. in orat. de pauperum amore: *Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.* Et Chryſoſtom. homil. 33. ad pop. *Melius eſt hanc artem dandi ſcire, quàm eſſe regem. Hæc enim domos ædificat in cœlo ſemper manſuras, hac decet quomodo Deo poſſis ſimilis fieri.* Et Homil. 36. *Magna res eſt homo, & pretioſa, vir miſericors. Hæc maior eſt gratia, quàm mortuos reſuſcitare: nam hîc tu de Chriſto bene meretis: illic autem ipſe de te. Miracula enim Deo debet.*

12. *Laudandus Tobias, quòd hæc fecerit in ætate, quæ non obligabatur.*

Denique ad cumulum laudis facit, quod illa ætate hæc & ſimilia ſecundum Dei legem obſeruarit, id eſt, iam dicta, & pleraque alia hîc non expreſſa: quandoquidem certum ſit pueros & decrepitos ſenes non obligatos fuiſſe eâ lege, quæ mandabat omne maſculinum ter in anno apparere coràm Deo Hieroſolymis. Ætatem autem fuiſſe cõpetentem ad illam obligationem, veroſimile fuiſſe annum vigeſimum; nam ab illo definiebatur ætas robuſta ad bellum paſſim Num. 1. & anno 50. ob ætatem deficientem Leuitæ eximebantur à miniſterio Sanctuarii, Num. 4. à militia etiam & cenſu annuo ſemicicli immunes erant quinquagenarii, vt teſtis eſt Ioſephus, 3. Antiq cap. 9. Et ſecundum haſce Scripturas veroſimile eſt etiam infra & ſupra illas ætates maſculos fuiſſe exemptos tot itinerum moleſtiis, quæ ætatem robuſtam poſtulant. Itaque exemplo ſuo commonſtrauit Tobias, quod poſtmodum docuit Jeremias Thren. 3. *Bonum eſſe viro, cùm portauerit iugum Dominis ab adoleſcentia ſua*, id eſt, iugum legis & mandatorum Dei, vt ipſi obediat, & ipſius voluntati colla ſubmittat. Qui enim huic iugo legis aſſuetus eſt, hic facilè in aduerſis erit patiens, mitis, & humilis, vt fuit Tobias noſter.

CAPI-

CAPITIS PRIMI

VERSVS IX.

Cùm verò factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei.

10. *Quem ab infantia timere Deum docuit & abstinere ab omni peccato.*

PARAPHRASIS.

Cùm autem illi accessit virile robur, & ætas rebus sapienter administrandis idonea, vxorem ex sua familia iuxta legem accepit, & ex ea filium, quem de suo nomine Tobiam appellauit.

Illum autem ab infantia instituit, & docuit summam quandam, aut finem religiosæ vitæ, nempe, ne vnquam à se Dei timorem abiiceret, neque spiritum suum ad vllum peccati genus temerè laxaret.

11. *Laudatur Tobias, quòd hæc fecerit, & non aliàs.*

SECTIO DECIMAQVINTA.

Quid significet in sacra Scriptura, Virum esse.

1. *Triplex significatio Viri primo significat fortem.*

SPIRITVS sanctus, descriptâ Tobiæ adolescentiâ, pergit ad eam ætatem, in qua vir factus dicitur. Vt autem intelligas, quid Scriptura hoc vocabulo insinuet, libuit præmittere idipsum variam habere significationem. Primò enim significat fortem. Sic 1. Reg. 4. vers 9. milites Philistini cùm audijssent in castra Hebræorum venisse Arcam Domini, indeque sibi timentes, inuicem adhortati dixerunt: *Confortamini, & estote viri Philistiim, ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis: confortamini & bellate.* Vt enim, inquit Philo lib. *Quod omnis probus sit liber*; *Imperatores nullam cohortationem habent efficaciorem in præliis, quàm estote viri.* Non opus est, Estote Hectores, estote Hercules, nam viri nomine significat virtutem Hectoreâ & Herculeâ maiorem: adeoque prudenter Philistini non alio inuicem, quàm viri nomine adhortati sunt. Imò, vt notat D. Chrysost. hom. 3. in Iobum, *In communi consuetudine quando quis, vel filium, vel domesticum ad destinatum opus transmittit, modum dat dicens: Sicut hominem decet, hanc & illam actionem aggredere: communeque nomen, proprium facit admiratio.* Quod confirmari potest ex Scripturis. Nam 1. Reg. 18. ait Saul ad Dauid, cùm debellauerat gigantem Goliath, eique promitteret filiam suam maiorem nomine Merob dare in vxorem. *Tantummodo esto fortis, & præliare bella Domini.* Et ipse Dauid ad Galaaditas 2. Reg 2. *Confortentur manus vestræ, & estote filij fortitudinis* 2. Reg. 10. ait Ioab ad Abisai fratrem suum, eum animans, *Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro.* Et clarius ipse Dauid iam moriturus, cùm regni pondus Salomon filius exspectaret, quod Athlæos humeros desiderabat, sic hortabatur eum, *& esto vir.* id est, licet iuuenis sis, neque ætate adhuc confirmatus, spiritus assume nihilominus viriles, neque medite-ris, quæ iuuenilis sunt ætatis, aut studij, sed quæ regium animum, & seniles cogitationes decent.

Solennis exhortatio ad militem, Estote viri.

Sic Angeli propter fortitudinem in Scriptura dicuntur viri, nempe Genes. 32. vbi de Angelo luctante cum Iacob, ait: *Et ecce vir luctabatur cum eo, usque manè.* Iosue 5. Archangelus Michael ipsi apparens in locis campestribus Iericho dicitur vir, *Cùm autem esset Iosue in agro vrbis Iericò leuauit oculos, & vidit virum stantem cõtra se, euaginatum tenentem gladium.* Sic quoque Gabriel, qui fortitudo Dei interpretatur, dicitur vir, Daniel 9. *Ecce vir Gabriel*, inquit Daniel, *quem videram in visione à principio, tetigit me.* In quem locum D. Hieronymus: *Videtur Gabriel non Angelus, vel Archangelus, sed vir, vt nequaquam sexum, sed nomen fortitudinis ostenderet.*

2. *Angeli dicuntur Viri propter fortitudinem.*

Secundò, significat eum, qui maturitate iudicij, & prudentiâ præ cæteris pollet, vt patet 1. Reg. 7. vbi Assorii considerantes Philistinos grauioribus plagis afflictos propter Arcam, & super eo deliberantes, quid facto opus esset, dicuntur viri, in verbis: *Videntes viri Assorij huiusce modi plagam, dixerunt: Non maneat Arca Domini &c.* Non enim viri dicuntur solùm à primaria dignitate, sed etiam à matura prudentia, quâ videntes morbos & mures, quibus opprimebantur, apud se ratiocinari cœperunt, vndenam illa plaga nasceretur, an ab astro aliquo, an ab Arca Dei. Et quia videbant non ab astro, quia illo redeunte sæpius

3. *Secundò vir significat maturum & prudentem.*

piùs rediiſſet plaga, tum quia aſtro circumuicinas vrbes patiter aſpiciente, illæ quoque ſimili infortunio laboraſſent: indeque conſilium inierunt, de remittenda Arca Domini.

Et iuxta Iſidorum in Geneſ. cap. 15. *Vir ſignificat eum qui virtute habilis eſt, cui regimen committatur.* Certum enim eſt, quod nemo debeat quærere, aut admitti ad officium gubernationis, niſi vir, qui videlicet maturitate & virtute valeat difficultates ſuperare, iuxta conſilium Spiritus ſancti Eccleſ. 7. dicentis: *Noli quærere fieri iudex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates.*

Nulli niſi apto debet credi regimen.

4. *Maxima ſollertia adhibenda in deligendo ſtatu matrimonij.*

Talis fuit Tobias noſter, qui ſtatum matrimonialem aggreſſurus, non temerè, neque leuiter eò proceſſit; ſed omnibus maturè perpenſis vxorem duxit. Cùm enim matrimonium grauiſſimum ſit negotium, & ex eo pendeat totius vitæ ratio, neceſſum eſt ſingula priùs ponderare iuxta Sapientem Eccleſ. 37. vbi textus Græcus ſic habet, *Fili in vita tua tenta animam tuam, & vide quid illi malum ſit; & ne des ei: non enim omnia omnibus expedit.* q.d. Cùm de ratione vitæ ſtatuque deligendo deliberas, propenſiones & facultates ingenij, doctrinæ, artium, quibus inſtructus es, diligenter explora quæ ad matrimonium neceſſaria, quæ difficultates paſſim ſuperueniant, quæ ab amicis proponantur, quæque tibi tanquã placida, aut contraria veniant, in mentem ſolerter diſcute & perpende: nam alia alios decent, & quædam, cùm quibuſdam vtilia ſint, aut decora, aliis ſunt nociua & perniciosa. Vnde ſæpè conſideramus, pluribus religioſam vitam magis fuiſſe conducibilem, aut cœlibatum, quàm ſtatum matrimonialem, & è contra. Vtinam hæc multi ſatis trutinarent!

5. *Tertiò, Vir, ſignificat hominem virtuoſum.*

Tertiò ſignificat eum, qui omni virtutum genere animam ornat. Hinc enim Scriptura Iobum ſimplicem, rectum, ac timentem Deum, non à genere, aut patria, aut tempore, quo vixit, prædicat, ſed à viri nomine, *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille ſimplex. Vir erat,* inquit Chryſoſtomus hom. 23. in Geneſ. *cui hoc nomen pro ſummo encomio contigit.* Et ſtatim poſt, quanto iure hoc nomen promeruerit, *Beatus,* inquit, *Iob pugilpietatis, athleta orbis, qui ſolus intolerabilia ſuſtinuit, & acceptis innumeris à diabolo telis, vulnus non accepit, ſed ſicut adamas quidam omnes impetus ferre potuit, & prænaluit.*

Ioſeph ætate puer, prudentiâ vir.

Vis apertiùs id dignoſcere? Scriptura ſacra Geneſ. 37. inquit, *Ioſeph cùm ſedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer.* Sequenti anno à fratribus venditus relegatur in Ægyptum. Vnde cap. 39. dicitur: *Igitur Ioſeph ductus eſt in Aegyptum, emitq; eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, &c. fuitq; Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſperè agens.* Et Dauid Pſalm. 104. de illo locutus: *Miſit,* inquit, *ante eos virum, in ſervum venundatus eſt Ioſeph.* Quare dicit virum; erat enim iuuenis ſeptemdecim annorum? Reſpondet Rupertus lib. 8. in Geneſ. c. 33. *Quia licet iuuenilem ætatem ageret, prudentiam tamen virilem præ ſe ferebat.* Bellarm. ad prædicta verba, *Miſit ante eos virum,* ſic ait, *Id eſt, occaſionis illius ſamis venturæ præmiſit Deus in Aegyptum ante filios Iſrael, virum magnum, id eſt, Ioſephum, qui liberaret ab ea fame Iſraelem cum omni familia ſua. Hiſtoria Geneſis teſtatur cap. 37. S. Ioſephum venditum fuiſſe à fratribus ex inuidia mercatoribus peregrinis in Aegyptum: ſed Dauid veluti dicit eum miſſum fuiſſe à Deo, quia Dei prouidentia permiſit eum vendi, & aſportari in Aegyptum, vt per eum mirabili ratione, & modo introduceretur Iacob cum filijs in Aegyptum.*

Ipſa, quæ Ioſephi ſanguinem adultera ſitiebat, illum, cùm adhuc puer eſſet, virum appellauit. Cùm enim Ioſephum ad nefarium opus adducere non poſſet, & veſtimentum apprehenſa lacinia, ipſo fugiente, in manibus videret, ſeque contemptam deprehenderet, *vocauit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos: Ecce introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis. Ingreſſus eſt ad me, vt coiret mecum. Cùmq; ego fuclamaſſem, & audiſſet vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras.* Cur obſecro, appellat virum, quem conſtabat nondum è iuuenili ætate exceſſiſſe? An profano amore obcæcata, alium cernit, alium ſibi cerneret videtur? Certè improba fœmina aliud machinabatur ex propria malitia: aliud conuicta ex Ioſephi innocentia fatebatur: & quem dicere volebat leuem, inconſtantem, præcipitem, temerarium, ac denique adulterium iuueniliter ambientem; eundem planè dixit, neſcio an diuino acta conſilio, grauem, ſerium, maturum, ac planè virum, omnium virtutum præſidio circumſeptum; vir enim erat ſine dubio; qui iuuenilibus illecebris non ſuccumbebat; ſed maiora animo negotia, quàm per ætatem liceret, ſpectabat. Nam ſi Ioſephus vim dominæ voluiſſet inferre, non fugiſſet relicto pallio in manibus adulteræ. ſed facilè veſtem ſuam, vtpote fœminâ robuſtior ſeruaſſet, imò & fœminæ extorſiſſet: ſed fugit: quia præſentiſſimum remedium contra tentationes libidinis non eſt colluctatio, ſed fuga. Vnde Apoſtolus: *Fugite fornicationem.* Id fecit ipſe, ne vel mulierem tangeret, vel ab ea tangeretur, quia vel ipſe mulieris tactus, quaſi contagioſus & venenatus viro fugiendus, non minus, quàm rapidiſſimi canis morſus, inquit S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum.

Tales viri inueniuntur pauci, iuxta illud Herodoti in Polyhymnia, *Multi ſunt homines, viri pauci.* Diogenes, teſte Laërtio in eius vita, in

6. *Pauci, quæ Viri nomine digni ſunt.*

ta, in foro & meridie viros quærebat, accensa face. Quærebat in foro, vbi ingens hominum multitudo circumcursat. Et acensâ face in meridie; vbi omnia clarissima Solis luce perfunduntur: vt ex vtroque capite virtuosorum hominum raritatem designaret. Et fortasse paucos inueniebat. Sed pauciores inuenit oculatior Ecclesiastes cap. 7. num. 29. *Virum*, inquit, *de mille vnum reperi*, nempe virtute, & integritate præstantem. De eius raritate conquestus quoque est Dominus Isaiæ 50. vbi causam dans, cur Iudæi crudelium dominorum seruituti alligarentur, inquit, *Quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret.* Veniebat Deus loquens in Prophetis, neque vir erat vllus, qui animum ad illa prophetarum verba sic aduerteret, tam quam si illis aliquid esset veritatis aut ponderis. Et Isaiæ 59. conqueritur Dominus causam esse, cur è Babylone, suisque hostibus, & calamitatibus non liberentur Iudæi, non Dei potentiam, quòd non posset, nec surditatem, quòd nolit eos audire & liberare; sed ipsorum grauia peccata, quæ illud flagellum exigunt: *Vidit*, inquit textus, *quia non esset vir*, videlicet, qui tã esset iustus, ac Moyses aut Samuel, qui intentum iam ad vindictam animum retardaret, & districtum gladium in vagina reconderet. Vnde D. Chrysost. hom. 25. dicta: *Audi*, inquit, *clamantem in media Ierosolymitanorum metropoli, vbi tot millia millium, & tot multitudines innumeræ: veni, & non erat homo &c. non dicit, quia non aderant, sed quia præsentes nihilo meliores erant, quàm si non fuissent.* Et ne quis diceret, nõ inueniſſe, quia breuiter, & leuiter inquirebat, subdit Ierm. 5. *Circuite vias Ierusalẽ, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* quasi diceret: Parcerem vtbi, si in ea reperirem vel vnum virum, id est, insignem & eminentem in lege complenda, & veritate tuenda, qui populo suo exemplo & auctoritate præiret, & in officio contineret, & Deo irato quasi sepem se opponeret, vt optauit in casu non dissimili Dominus apud Ezechiel. cap. 22. apud quem cùm narrasset fraudes & calumnias populi, subnectit: *Quæsiui de eis virũ, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* Vnde rectè Chrysost. loco citato: *Vidisti*, inquit, *quomodo illum solum Scriptura sancta hominem vocare solet, qui virtutem colit: cæteros autem neque esse putat?* Quod conforme est Eccles. cap. 12. *Deum time, & mandata eius serua; hoc est enim omnis homo*; vel vt LXX. vertunt: *In hoc consistit omnis homo*; nam alij vel ficti tantùm hominis laruam gerunt.

Viri minùs virtuosi sunt Deo quasi nihil.

Pilosi etiam è-tiam viri Deo

Vnde colligitur Deum nihili facere viros quantumuis barbatos, qui pilosi tantùm viri sunt, & barbatenus sapientes, id est, qui extrinsecus præ se ferunt habitum viri cordati & sapientis, cùm intrinsecus nil habeant viri, nil cordis & sapientiæ. Tales erant Iudæi illi, propter quos mandat Deus Ezech. cap. 5. *Sume tibi gladium acutum: radentem pilos, & assumes eum, & ducs per caput tuum, & per barbam tuam. & assumes tibi stateram ponderis, & dividet eos.* q.d. Sicut vinctus, & mutus, & tenui ac sordido cibatus pane inopiam & famem tuæ ciuitatis portendisti, ô Ezechiel; sic nunc eiusdem in te ipso ignominiæ ac luctus signum exhibebis. Sume igitur cultrum tonsorium, & ex barba, & capite pilos rade; & vbi in statera exactè ponderaueris, varie dispergas. Culter autem tonsorius erat Chaldæorum Rex Nabuchodonosor: nõ enim aliter Deus offensus, & iratus Iudæis pilos abrasit, combussit, ac dissipauit, quàm vsus Chaldæis ad excidium eorum administris, & quasi nouacula, quâ Deus abradit eos, qui barbatenus viri tantùm sunt, nihil virtutis habentes. Audi Hieronymum in illum locum: *Quomodo autem in cæsarie & barba pulchritudinis ac virilitatis indicium est, quæ si radantur, fœda nuditas appareat, & vniuersi corporis pars extrema, atque, vt ita dicam, emortua in capillis & pilis est: ita Ierusalem. & populus eius emortuus, & à viuo Dei corpore separatus, fami ac pestilentiæ, & cædi, & gladio, ac dispersioni, & captiuitati traditur.*

Homo à Deo separatus, vilissimus.

Absalon talis etiam vir erat, cui cæsaries admodum pulchra, *Sicut Absalon*, ait Scriptura 2. Reg. 14. *Vir non erat pulcher in omni Israel:* quia tamen interfecerat Amnonem fratrem suum, noluit eum videre Dauid. Et cùm tandem ad instantiam Ioab interueniente muliere Thecuitide crimen illi condonaret, & à Ioab abduceretur Absalon in Hierusalem, non tulit eius præsentiam Dauid: *Reuertatur*, inquit, *in domum suam, & faciem meam non videat.* In quo elucebat Dauidis virtus, & æquitatis amor, atque iustitia, qui per biennium videre noluit filium, cui tantus esset à natura decor, vt alieni etiam cum magna voluptate & studio ipsum spectarent, & puellæ Solymitanæ magno pretio emerent capillos: quia videlicet, quod virum facit, in eo non cemeret, neque ex coma virum indicaret. Rectè Plutarchus in Sympos. *Neque*, inquit, *barbam alere, aut gestare vile pallium Philosophum facit: neque lineis vestiri Isiacos*, hoc est, Isidis Sacerdotes. Nos dicimus prouerbialiter: Non omnes esse coquos, qui longos gestant cultros. Inde ridebat Lucianus Philosophorum profundam barbam, in Eunucho Bagoas dicens, *si Philosophum oporteat ex barba metiri, hircos primam laudem ablaturos.*

Barba non facit virum.

Hinc igitur Tobias vir factus dicitur, quòd in omni virtutum genere esset præclarus, ex cuius matrimonio nihil nisi bonum sperari

Tobias fuit vir id est, virtuosus.

poterat : at quamplurimi hac in re vſq; adeò ſegnes & negligentes reperti ſunt, vt etiam neceſſaria fidei (cum ad Matrimonij ſtatum vix togâ puerili depoſitâ, conuolant) ignorent : vnde contingit illos timore Dei deſtitutos, ſibi inuicem eſſe laqueos, ac Matrimonium deploratos habere exitus : qui profecto viri nomen non merentur.

SECTIO XVI.

An rectè Matrimon amplexus ſit Tobias?

1. *Virginitas nulli præcipitur, ſed omnibus conſulitur.*

DIVVS Paulus 1. Cor. 7. conſultus à Corinthianis, an illæ, quæ virgines conuertebantur ad Chriſtum, manere deberent virgines? Reſpondit, virginitatem nemini præcipi, ſed omnibus conſuli, quaſi Matrimonio meliorem : *De virginibus*, inquit, *præceptum non habeo; conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis*, id eſt, tanquam is qui miſericorditer aſſumptus ad gratiam Apoſtolici numeris apud gentes, vt fideliter illis conſulam. Eiuſque conſilij varias ſubdit rationes. Prima eſt, *propter inſtantem neceſſitatem*, id eſt, breuitatem temporis, quod nobis datum eſt ad æternitatem : vt ſicut formica ſibi tota æſtate colligit grana in hyemem, ita colligat merita in æternitatem. Quibus difficile coniugati intendunt, cùm per onera coniugij nimiùm diſtrahantur, cùm coniugio quaſi vinculo alligentur; cælibes ſint liberi. Altera ratio eſt, quòd virgines cogitent, quomodo placeant Deo, coniugati diuiſi ſint, habentes cor & curam in vxorem, & Deum : vnde S. Aldhelmus occidentalium Saxonum Epiſcopus in libello de laudibus virginitatis, ſcribit ſe ex Angelica reuelatione didiciſſe, quis ordo conſtitui debeat in ſtatibus Eccleſiæ : *Cùm*, inquit, *tres ſint ſtatus in Eccleſia, virginitas, cælibatus, & coniugium, ex angelica reuelatione didicimus : ſi meritorum ratio habenda eſt, cum has inter virtutes conſtituendum eſſe ordinem, vt ſit virginitas aurum, cælibatus argentum, coniugium æramentum.* Plures alias ſubnectit Apoſtolus rationes, cur virginitas præſtet coniugio.

Prima ratio propter inſtantem neceſſitatem.

2. Quod Deo ſoli virgines vacent cogitationi Dei.

2. *Cur Tobiæ matrimonij ſit amplexus*

Itaque cùm Matrimonium non ſit de meliori bono, tot tantiſque ſalutis periculis expoſitum ſit, mirum eſt, quòd Tobias illud ſit aggreſſus. Si Nouantes conſulamus, quid eum mouerit, ſtatim allegabit illum ex præcepto diuino fuiſſe obligatum : idque quia Deus Geneſ. 1. 28. dixit primis parentibus : *Creſcite & multiplicamini.* Idque repetit, Geneſ. 9. cùm Noë & filij eius eſſent ex Arca egreſſi. Deinde, quia Deuteron. 7. dicitur : *Non erit apud te ſterilis vtriuſq; ſexus.* Sed errant. Nam in veteri Teſtamento ſinguli neque naturali, neque diuino præcepto obligabantur ad matrimonium. Ratio eſt, quia tametſi tota communitas naturali præcepto fuerit obligata, ſicut etiam nunc eſt, conſeruare ſe per procreationem prolis, & conſequenter per matrimonium; hoc tamen præceptum non obligabat ſingulos de communitate, ſed totam communitatem generatim, vt docet D. Thomas in ſupplemento, quæſt. 41. a. 2. Simile eſt de agricultura. Nam præceptum naturale eſt, colere agros ad conſeruandam naturam humanam, non minus, quàm procreare prolem : & tamen præceptum illud non obligat ſingulos : alioqui ſinguli deberent agros colere, quod eſt contra communem hominum ſenſuum ac conſuetudinem.

Nullus in particulari obligatur præcepto naturali ad matrimoniũ

3. *Nemo obligatur præcepto diuino poſitiuo ad Coniugium.*

Vnde ſequitur quod neque Tobias; eò magis, quòd in veteri Teſtamento nullum exiet præceptum diuinum, quod obliget ſingulos ad matrimonium, neque obſtant verba iam prolata, Gen. 1. & 9. Nam illa dixit Deus primis parentibus Noë, & filijs eius poſt matrimonium iam contractum. Primi enim parentes matrimoniũ inierunt, quãdo Deus ex coſta Adæ dormientis formauit Euam. Tunc enim euigilans ex ſopore dixit Adam : *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Quibus verbis tria indicat 1. Euam eſſe vxorem ſuam. 2. maius eſſe vinculum inter virum & vxorem, quàm inter parentes & filios; tertiò, hanc coniunctionem coniugalem, quæ tunc inter ipſum & Euam facta eſt, fuiſſe figuram coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. Sic enim verba Adami interpretatur Apoſtolus, ad Epheſ. 5. 32. cùm ait : *Sacramentum hoc magnum eſt : Ego autem dico, in Chriſto & Eccleſia.* Noë quoque, & eius filios, antequam Arcam ingrederentur, habuiſſe ſuas vxores, certum eſt ex Geneſ. cap. 7. *Ingreſſus eſt Noë, & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquas diluuij.* Deinde certum eſt, eundem Noë, & filios eius cum ſuis vxoribus, peracto diluuio, egreſſos ex Arca. Sic enim habetur, Geneſ. 8. *Egreſſus eſt ergo Noë, & filij eius vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo.* 3. Certum eſt, poſtquam cum ſuis vxoribus egreſſi ſint ex Arca, tunc illis dictum eſſe à Deo, *Creſcite & multiplicamini*, hoc enim diſertè habet hiſtoria. Vnde euidenter ſequitur, his verbis non contineri præceptum de matrimonio ineundo, quia iam initum erat : ſed benedictionem in propaganda poſteritate, quam Deus illis impertiebatur, vt copioſam ſobolem procrearent ad multiplicandum genus humanum, quod tunc valde exiguum erat : idque clarè indicant verba textus : *Benedixit Deus Noë, & filijs eius, & dixit ad eos : Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Quod pariter ſignificauit, quando

Quando matrimoniũ contractum inter primos parentes.

Noë & filij eius habuere vxores antequam ingreſſum in arcam.

Nouantium ſententia.

dò primis patentibus dixit eadem verba. Neque ex verbis citatis Deuteron. 24. aliud poteſt colligi. Nam Deus promittens benedictionem temporalem Iudæis, tam in procreatione liberorum, quæ non minima erat iſtius temporis benedictio; quàm in aliis rebus, ſi cuſtodierint eius præcepta, his verbis vſus eſt: *Si poſtquam audieris hæc iudicia, & cuſtodieris ea, & feceris, cuſtodiet & Dominus pactum tuum, & miſericordiam, quam iurauit patribus tuis: & diliget te. ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ouium tuarum ſuper terram, pro quæ iurauit patribus tuis, vt daret eam tibi.* quibus prolatis ſubnectit: *Benedictus eris inter omnes populos; non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, tam in hominibus, quàm gregibus tuis.*

Et ſanè niſi hæc verba hunc haberent ſenſum, Melchiſedech, Ioſue, Helias, Heliſæus, Hieremias, non coluiſſent illo tempore cœlibatum, neque Ioannes Baptiſta, de quo id teſtatur. S. Ignatius in Epiſt. ad Philadelphos Neque Abel frater Cain, de quo id tradunt Hieronymus, Baſilius, Ambroſius, & alij; imò Chriſtus erraſſet & Apoſtoli.

Cùm igitur Tobias ex præcepto ad hoc non fuerit obligatus, cur laudatur Tobias, quòd matrimonium inierit: poterat enim cœlebs Deo diuiniſque rebus meliùs vacare. Eam ergo cauſam eſſe reor, quòd matrimonium non inierit, in remedium concupiſcentiæ, neque prolis cauſa ſimpliciter: ſed quia amans caſtitatis, iniit matrimonium, vt relinqueret prolẽ, quæ ruinas impleret Angelorũ, eſſetque alijs ſpeculum vitæ moralis, quod ſatis indicant verba verſus decimi, vbi omiſſis ijs, quæ ad generationem carnalem ſpectant, Scriptura dicit, quod generationi perfectæ omnem operam nauarit, in verbis. *Quem ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Adeoque laus eſt Tobiæ reſpectu aliorum, qualis Abrahæ reſpectu Ioannis Baptiſtæ, apud Auguſt. lib. de bono coniugali. c. 21. *Non eſt*, inquit, *meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias; & in Abraham, qui filios generauit: & illius enim cœlibatus, & illius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militarunt.* Egregium documentum. Licet enim per ſe virginitas maior Matrimonio, ſicut aurum comparatione argenti; tamen iam & tũc aliquibus præſtat matrimonium. Vnde Doctores docent votum eſſe licitum, & meritotium quod fit de matrimonio ineundo, quando quis ex charitate teneretur Matrimonium inire, videlicet, quando commune bonum, vel pax alicuius regni id poſtularet: illius enim reſpectu, eſſet votum de meliori bono. Quod etiam Pontifices docuerunt, quando cum quibuſdam Religioſis ea de cauſa in votis diſpenſarunt, de quibus exempla exſtant apud Scholaſticos Doctores in materia de voto.

Nullo in particulari obligatus præceptum habuit ad matrimonii

Tobias matrimonium iniit, vt filios generaret ſanctos.

Quando matrimonii contrahendi inita præpon.

Non ſi dimittendi vxorem ingreſſus in eum.

Aliquando Matrimonium præſtat virginitati.

SECTIO XVII.

An præter Hiſtoriam aliquid faciat ad bonorum cumulum, genuiſſe filium. Et cur impoſita ſint filijs nomina.

IOBIAS dicitur hoc loco genuiſſe filium. Eam narrationem requirebat hiſtoria. An quid præterea beneficij ſit, quod filius, quod maſculus, qui in lucem prodijt, dubitabit forſitan aliquis. Dum S. Scripturæ ſeriem percurro, inuenio quod me in illam ſententiam cogat. Nam matribus natalem filiorum iucundum eſſe prodit Eua prima mortalium mater: *Adam*, inquit ſacer textus, *cognouit vxorem ſuam Euam, quæ concepit, & peperit Cain, dixens: Poſſedi hominem per Deum.* Nato filio ſuo maſculo lætabunda exclamat. *Poſſedi virum, & Dominum*, vt vertit Oleaſter illum locum Geneſ. 4. quaſi Deum ſibi propitium habere videretur, quod ei prolem maſculam conceſſiſſet, vt idem Oleaſter aduertit: Rachel Geneſ. 30. à marito reprehenſa, quòd ab eo imprudenter liberos vrgeret, dixit: *Habeo famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat ſuper genua mea, & habeam ex illa filios:* Accipe, inquit; Balam ancillam in vxorem, & ex ea ſuſcita prolem maſculam, quam ego natã accipiam pro meo filio, vti ſolent matres in genibus ſuis filios ſtatuere, iuxta illud Iſaiæ vatis; *Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis.* Sermo eſt de fidelibus, quos prædicit tam blandè & largiter fouendos, & nutriendos, tum à gentibus diuitibus, & potentibus, imò regibus & principibus; tum à Deo, & Eccleſia, quàm ſolent paruuli à matribus, quos ſolent ad vbera portare, ſtatuere ſuper genua, ijs blandiri, eos exoſculari. Subdit textus: *Dedit-q; illi Balam in coniugium: quæ, ingreſſo ad ſe viro, conceptu, & peperit filium. Dixitque Rachel: Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium. Et idcirco appellauit nomen eius Dan.* q. d. Contendi hactenus cum ſorore mea de prole & fœcunditate. Eâ fui inferior, nunc verò ſuperior euaſi; Filium dedit mihi Deus, quem iudicium nomino, quia litem adiudicauit mihi Deus. Tanta fuit Racheli lætitia, cùm filium matrem audiret natum, vt exultaret, & inſolito nomine eum inſigniret. Cumque alterum peperiſſet Balam filium, *ait Rachel: Comparauit me Deus cum ſorore mea, & inualui: vocauitque eum Nephtali*, id eſt, colluctantem: Ego, inquit, cum Lia pro fœcunditate, & prolis gloria quaſi contendi, & colluctata ſum, iamque callidè eam amplius non pariẽtem

1. *Natalem filiorum matrium iucundiſſimum eſſe.*

Iſaiæ 66

tem vici, dum pro me ſterili ingeniosè & aſtutè ancillam meam fœcundã marito meo ſurrogaui; vnde & filium vocaui Nephtali, id eſt, colluctantem, & concertantem, idque aſtutè, & callidè: Lia quoque cum parere deſiſſet, ad exemplum Rachelis, ſubſtituit ancillam ſuam Zelpham marito in coniugem. Qua poſt conceptum edente filium, dixit: Feliciter. q. d. Affulſit mihi benignius aſtrum: tot iam genui filios, vt ex eis aciem poſſim inſtruere. *Et idcirco vocauit nomen eius, Gad*, id eſt, bonam fortunam.

Solatium eſt parturientibus, nuncinare ma; eium natum.

Cùm Rachel Geneſ. 35. ob difficultatem partus periclitari cœpiſſet, dixit illi obſtetrix: *Noli timere, quia & hunc habebis filium*; quaſi ſummum id foret ſolatium, nunciare filium maſculum, in partu præ dolore tabeſcenti. Hac ratione vxorem Phinees mulieres quædam conſolatæ ſunt, cùm captâ Arca Dei, mortuo Heli, & marito ſuo pareret, & morti vicina exiſteret: *Dixerunt*, inquit ſacer textus, ei, quæ ſtabant circa eam; *Ne timeas, quia Filium peperiſti*, inſinuantes natales maſculorum matribus eſſe iucundiſſimos, & aptiſſimos ad quamlibet earum moleſtiam abſtergendam: Chriſtus Dominus, cùm vellet conſolari ſuos diſcipulos, de morte ipſius futura triſtiores, mortem ſuam partui aſſimulauit, nata i maſculi reſurrectionem: *Mulier*, inquit, *cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſure propter gaudium; quia natus eſt homo in mundum*. Ioan. 16. Ac ſi præſentia prolis maſculæ præteritam triſtitiam penitus ſepeliret. Porrò in filiarum natalibus non ſolet huiuſmodi lætitiæ fieri ſignificatio, vt videre eſt Geneſ. 30. cum nata eſt filia, Dina nomine; vbi nihil tale legitur. Quid dico? Experientiâ teſte, ſcimus etiam viris gratiorem eſſe maſculum, quàm filiam; fortè quia promouet nomen patris, propagat familiam, reddit que immortalem; quod & ſacra pagina videtur inſinuare, quandoquidem Lia, poſtquam peperetat maſculum, nomine Ruben, dixerit: *Vidit Dominus humilitatem meam: nunc amabit me vir meus*. Et rurſum cùm tertium filium genuiſſet, dixit: *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eò quod peperierim ei tres filios*. Sic opinandum eſt, Tobiæ accidiſſe non minimum à Deo beneficium, cùm ei conceſſit filium, qui inter impios Gentiles eius familiam protraheret.

1. *Reg.* 4.

2. *Maximum natalis etiã patribus gratiſſimus.*

Et quemadmodum in lege naturæ, & Moyſis conſuetudo erat prolibus recèns natis imponere nomina; ſic Tobias filium ſuo nomine inſigniuit. Aliqui problematicè diſputant munus imponendi nomen pertinere ad matrem, ducti exemplis Scripturæ, in qua à matribus liberi nomen accepiſſe leguntur, vt Geneſ. 4. Geneſ. 19. 38. & alibi. Alij ad patrem pertinere ſuſtinent, quòd Enoh, Geneſ. 4. Noë, Geneſ. 5. Iſaac, Geneſ. 25. & alij à patribus nomina acceperint. Sed quia de hac re nullum ius exiſtit, ſeu naturale; ſeu poſitiuum alterutrum obligans: & quod aliquando alter tantum parens, aliquando vterque ſimul; idque parum referat, dumtaxat inquiram, Cur ſiue pater, ſiue mater nomen recèns nato imponere ſoleat. D. Chryſoſtomus cenſet id fieri ſolitum, vt per illud aliqua futura pater præſignificaret. *Sive* inquit, *mater, ſive pater nomen impoſiturus erat, rarum quoddam & nouum imponebat, vt per illud aliqua futura præſignificaret.* Verùm id quidem; ſed præciliùs alias rationes addo.

Hom. 51. in Geneſ.

3. *Ambiguum eſt ad quem ſi eſſet filius nomina impoſuit.*

4.

1. *Ratio, cur nomen imponatur filijs in circumciſione, vel baptiſmo, quod Deo aſcribantur.*

Prima fuit, vt Deo aſcriberentur. Vnde olim eodem die, quo circumciſionem accipiebant, etiam nomen imponebatur; vti & nunc baptiſmus cum eadem nominis impoſitione coniungitur. Ratio eſt, quòd æquum ſit, quod quis eo die, quo Deo naſcitur per gratiam, eodem die nominetur & in cæleſtis militiæ album referatur. Nam qui in peccato viuit, indignus nomine cenſetur. Vnde non ſine diuina prouidentia factum puto, vt Atlantes, Africæ populi, qui ab omni cultu pietatis alieni in montibus, ac ſiluis vagabantur, nullis proprijs nominibus diſtinguerentur: vt Herod. lib. 4. Plinius lib. 5. cap. 8. Solinus cap. 24. alijque teſtantur. Nam ſicuti more pecudum viuebant, ita more pecudum nullis nominibus vtebantur. Et quid mirum indignos eſſe nomine, qui res diuinas non curant: cùm eodem indigni cenſeantur, qui ſunt in rebus humanis negligentes? Tres filij Saulis in Scriptura proprijs nominibus diſtinguuntur: Fuerunt autem, inquit textus, filij Saul, Ionathas, & Iesſui, & Melchiſua, 1. Reg. 14. 49. Imò non ſolùm filij; ſed etiam filiæ, & vxor, & duces, & illorum omnium parentes proprijs nominibus commemorantur. Vnus tamen Iſboſeth, qui etiam erat filius Saulis protſùs tacetur, non nominatur: Cur ita? Reſpondet Lijranus: *Non nominatur*, inquit, *Iſboſeth, propter defectum magnanimitatis, quia fuit puſillanimis, & ineptus ad prælium*. Atque idem repetit 1. Reg. 31. 2. Vbi iterum alijs filijs Saulis nominatis, ſolus Iſboſeth non nominatur, *Quia non erat*, inquit Lyran. *multum aptus ad regnum*. Si igitur non nominatur ineptus ad regnum temporale, quo iure nominetur, qui ineptus fuerit ad cœleſte.

Atlantes, quia ab omni Dei cultu alieni, ſine nomine.

Puſillanimes & vecordes ſine nomine.

5.

2. *Ratio, vt beneficij diuini recordarentur.*

Secunda ratio, vt beneficij diuini recordarentur. Veteres enim Patriarchæ ab eventu vel inſigni aliquo Dei beneficio, nomina filijs imponebant. Sic enim Lamech filium ſuum appellauit Noë, id eſt, *requiem*, dicens, *Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum*, Geneſ. 5. 29. Sic Moyſes appellauit vnum filium Gerſam, id eſt, *aduenam*, dicens:

cens: *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum*, Genes. 5.29. Sic Moyses appellauit vnum filium Gersam, id est, *aduenam*, dicens: *Aduena fui in terra aliena*: alterum Eliezer, id est, *Dei adiutorium*, dicens: *Deus patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis.* Exod. 2. 22. sic Ioseph appellauit primogenitum suum Manassem, id est, *oblitionem*, dicens: *Obliuisci me Deus fecit omnium laborum meorum, & domus patris mei*; alterum, *Ephraim*, id est, *frugiferum*, dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis mea*, Genes. 41. 51. & 52. Sic Lia Genes. 29. parto secundo filio nomen indidit Simeon, id est, exauditio, eò quòd Dominus, cum Rachel despiceret Liam vtpote sterilem, exaudiuerat eius afflictionem & orationem; perennem memoriam beneficij sibi à Deo concessit in nomine ipsius prolis constituens, vt quoties prolem videret, & nominaret, toties recordaretur, & gratias ageret diuinæ erga se beneficentiæ; idem ageret & proles, compos rationis effecta. Ita Anna suum Samuelem Deo retulit, & obtulit, vocauitque Samuelem, id est, postulatum & impetratum à Deo, 1. Reg. 1. 26.

6. 3. *Vt excitarentur ad virtutem.*

Tertiò, vt excitarentur ad virtutem imitandam eorum, quorum nomine donati erãt, vt notat Chrys. hom. 21. in Genesim super verba Gen. 4. *Seth natus est filius, quem vocauit Enos, iste cœpit inuocare nomen Domini*, id est, vt sentit Thomas Waldensis, & ex eo Bellarm. l. 2. de Monach. cap. 5. instituit peculiarem aliquem cultum, & sublimiorem inuocandi Deum, quàm erat religio vulgi, ex eo quòd ante Enos, Abel, & Seth & Adam Deum inuocauerunt: Super ea igitur verba sic philosophatur Chrysostom. *Vidisti appellationem diademate clariorem, purpurâ nobiliorem? Quid fuerit illo beatius, qui inuocatione Dei ornatur, idq; pro nomine possidet? Vides id quod ab initio dicebam, & in paruis appellationibus magnas sententiarum diuitias reconditas esse? Non solùm hic parentum monstratur pietas, sed & magna erga pueros diligentia. Et quomodo statim & à principio erudiebant pueros, qui ipsis nascebantur, admonentes appellationibus, quas illis imposuerant, vt virtutem exercerent? Et non sicut nunc fortuitò, & absque causa nomina fiunt. Dicunt enim, iuxta nomen auí vel abaui nominetur puer; at prisci non ita, sed omnem operam adhibebant, vt talia natis imponerent nomina, quæ non solùm illos, qui nomina sortiebantur, in virtutes adducerent, sed & alios omnes etiam, qui sequentibus seculis futuri sunt, nullam non sapientiam docerent.*

7. *Cur Tobias idem nomen filio imponat*

Ad hunc modum Tobias filio nomen paternum impositi, vt recordatus pietatis, patientiæ, ac constantiæ paternæ caldé virtutes imitaretur. Tobias enim idẽ est, quod *bonus Dominus*: vt hoc, perpendens, in angustijs & afflictionibus sic bonum præberet, cogitaretque quod fidelem semper cogitare decet, ac Deum in bonam finem omnia permittere. Idem Hieronymus Paulæ afflictæ super obitum Blæsillæ filiæ ad consolationem proposuit, cùm admiratus esset senes impios sæculi diuitijs perfrui, sine peccato pueritiam immaturo flore meti, bimulos sæpè trimulosque, & vbera materna lactantes à dæmonio corripi, repleri lepra, morbo regio deuorari: *Iudicia enim Domini abyssus multa.* & *O profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Bonus est Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona sint necesse sit.*

8. *Solum nomen strenui ducis roborat milites ad pugnam.*

Vnde & modò Sanctorum noui Testamenti nominibus ornamur, vt illorum virtutes strenuè æmulemur. Refert Plutarchus in vita Alexandri, quod cùm Magnus Alexander in cuiusdam expeditione belli, in rupem quandam inexpugnabilem impetum facere conaretur, grauissimis his verbis præuium quemdam Ducem Alexandrum etiam nominatum, hortatum esse: *Recordare, recordare nominis Alexandri, vt fortiter, strenuè, & laudabiliter agas.* De magno etiam illo Scipione refertur, solitum fuisse frequenter dicere, *Nihil magis eum ad virtutem, & heroica opera exercenda commouere, quàm suorum maiorum imagines, & antiquas statuas, quas egregijs gestu meruerant, contemplari.* Quantò ergo magis nos excitari debemus ad Sanctorum fidem, constantiam, humilitatem, castitatem, cæteraque virtutes exercendas, qui non solùm illorum nomina, sed à Christo Christianum nomen sortiti sumus? *Non ergo*, ait D. Greg. Nyss. in tractatum de professione, *vacuum Christiani nomen sufficiet, sed operibus dignis, plenum, vt sic verè, & perfectè Christianus mereatur appellari.*

9. *Christiani nomen non debet incitare ad virtutem.*

Audi Chrysostomum hom. 18. in Ioannem: *Hac Christiani appellatione cæteris omnibus vehementius excitari, & promptiores ad virtutem exercendam fieri, neque eâ quidquam indignum facere, conari debemus, cùm eodem, quo Christus, nomine vocamur, cuius excellentiam nos intelligere oportet. Quod si is, qui Principis cuiusplam, aut alterius clari viri nomen sortitus est, cùm id audit, tumet, & magna id sibi gloria arbitratur; atque ne illi à quo nomen accepit, suâ negligentiâ infamia inuratur, pro viribus admittitur; quid nobis faciendum, qui non terrena alicuius potestatis, sed ipsius omnium Regis nomine appellari dignati sumus? Nonne ita animam nostram instituemus, vt non afficiatur infamia, qui tanto nos honore prosecutus est?* D. Augustinus lib. de vita Christiana, dicit eum frustra Christiani nomine appellari, qui opera eius non facit. *Christiani*, inquit, *nomen ille frustrà sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari, quod non es, & nomen vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt, gere, & meritò tibi nomẽ Christiani assume.* Nomina enim rebus consona esse debent.

Vnde

Vnde D. Bernardinus Senenſis, Auguſtinum referens to.1. ſerm.49.poſt Dominicam in Paſsione art. 3. cap.1. p.142. ſic ad præſens propoſitum ait: *Quis tam vanus & miſer eſt, qui ſe aduocatum, cùm litteras neſciat, audeat profiteri? Quis tam inſanus & excors, vt profiteatur ſe militem, qui neſcit arma geſtare? Nemo enim quodcunque nomen ſine cauſa ſortitur, ſutor vt dicatur, neceſſe eſt, vt calceamenta conficiat. Quis faber vocetur, & aurifex, niſi qui peritiam artis & nouit, & facit? Negotians nuncupatur, qui, quod vilius emit, carius diſtrahit. &c.* & ſubdit, *Talibus exemplis cognoſcimus, nullum nomen ſine actu, ſed omne nomen ex actu cauſſari. Ergo tu quomodo Chriſtianus diceris, in quo nullus Chriſti actus apparet? Chriſtianus iuſtitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, caſtitatis, prudentiæ, humilitatis, innocentiæ, & pietatis eſt nomen. Ergo tu quomodo hoc nomen tibi defendis, & vendicas, cui de tam pluribus rebus nec pauca ſubſiſtunt.* Contra huiuſmodi nominetenus dumtaxat Chriſtianos rectè inuehitur D. Chryſoſt. ſuper Matthæum, dicens: *O Chriſtiane delicatus es miles, ſi putas, ſine pugna te poſſe vincere, ſine certamine triumphare: ſortiter dimica, atrociter in prælio certa, conſidera pactum, conditionem, attende, malitiam noſce: pactum, quod ſpopondiſti, conditionem, ad quam acceſſiſti, militiam, cui nomen dediſti. Hac enim pacto, quos miratis, omnes pugnauerunt, hac conditione vniuerſi vicerunt, hac militia triumpharunt.*

SECTIO XVIII.

Quid ſit Timere Deum? & an inſtructio Tobiæ quid contineat ad eius peculiarem laudem?

HOc verbum, Timere Deum, variam habet in Scriptura ſignificationem. Primò quidem ſignificat Deum verum colere. Sic Deuteronomij 10. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſeruies, ipſi adhærebis, iurabisq; in nomine illius: ipſe eſt laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia, quæ viderunt oculi tui.* Hac phraſi loquendi vſus quoque eſt Ionas, quando rogatus à Gentilibus (qui per ſortem deprehenderant illum eſſe, cuius causà ſummâ tempeſtate turbatum erat mare) quod eſſet opus eius, quæ terra, quò iret, vel ex quo populo eſſet? Reſpondit: *Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.* q. d. Aliũ Deum non agnoſco, neque colo, præter illum, qui terræ ex qua ſoluimus, & maris variis nunc agitati fluctibus eſt conditor. Et Iſaiæ 8. cùm populus monetur à Propheta Deum vnum religioſo & externo cultu ſanctificare, dicitur *Dominum ipſum exercituum ſanctificate, ipſe pauor veſter.* quia videlicet, iuſti timoris, & religioſæ obſeruantiæ obiectum eſt, iuxta illud Iacobi Geneſ. 31. ad Laban: *Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac adfuiſſet, forſitan modò nudum me dimiſiſſes.* id eſt, Niſi Deus, quem colnit Abraham, & quem timuit ac reueritus eſt Iſaac, quaſi ſummum Numen, tibi in ſomnis prohibuiſſet aſperius loqui contra me, omnia ſuſtuliſſes. Timor ergo Dei ſumitur metonymicè pro obiecto timoris. Sic Iacob hoc capite Geneſ. ver. 44. iurauit per timorem patris ſui Iſaac, æquè ac Abraham per Deum Abræ, & Deum Nagor. Sic Deus in Pſalmis dicitur ſæpè *Spes mea, patientia mea*; id eſt, in quem ſpero, & propter quem patior. Sic Iouem Ethnici vocabant *Timorem hominum*, quem ſcilicet homines teſtem, iudicem, & vindicem metuebant, cuius iurare timent, & fallere Numen. Sic Hierem. 10. dixit Propheta. *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* q.d. Nolite tanquam Deos obſeruare ac colere ſigna cæleſtia, Lunam, Solem, & aſtra, quæ obſeruant gentes, & reuerentur.

1. *Timere Deũ primò idem quod colere Deum.*

Secundò ſignificat admirari. Hoc modo recipitur 3.Reg.3. in verbis: *Audiuit itaq; omnis Iſrael iudicium, quod iudicaſſet Rex, & timuerunt Regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium* inter duas meretrices de prole coram ipſo diſceptãtes. Item Abacuc 3. ſignificat admirari Dei prouidentiam: ait enim Propheta: *Audiui auditionem tuam, & timui*, id eſt, putabam te Domine, neque de pauperum, neque de Iudæorum iniuriis vlciſcendis curare, & ideò liberiùs, quàm pateretur religio, de tua prouidentia locutus ſum. Nunc autem cùm audio, qualiter à Chaldæis accipiendi ſint, qui pauperum fortunas exhauriunt; & deinde Chaldæi, à quibus Judæi grauibus quotidie vexabuntur incommodis, vehementer cohorrui, prouidentiãque tuam admiratus ſum. Sic multi fideles variis locis in Scriptura dicuntur timere, quando ex reuerentia Dei miracula & virtutes contemplantur, vt Luc. 1. vbi nato Ioanne dicitur: *Factus eſt timor ſuper omnes vicinos.* Luc. quoque 7. ſuſcitato filio viduæ, *Timor omnes accepit, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Et Matth. 9. ſanato paralytico, *Videntes turba timuerunt.* Denique Act. 3. ſanato claudo ab vtero matris, dicitur de plebeis id adiurantibus, *Impleti ſunt ſtupore, & extaſi in eo quod contigerat illi.*

2. *quod admirari.*

Tertiò ſignificat, filiali timore Deum diligere, ſic intelligenda ſunt verba Deuteron. 6. *Hæc ſunt præcepta, & cæremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter, vt docerem vos, & faciatis ea in terra, ad quam tranſgredimini poſſidendam, vt timeas Dominum Deum tuum, & cuſtodias omnia mandata & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi*: vt patet ex verbis paulò pòſt ſequentibus, *Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt.*

3. *quod filiali amore Deum diligere.*

eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, &c. Quæ verba latiùs explicata inuenies Diſc. 31. in 1. Præcept. à num. 5. vſque ad finem. Et ſic Eccleſ. 12. dicit Sapiens: *Time Deum, & obſerua mandata, hoc eſt enim omnis homo.*

4. *4. quod ſeruilis timore Deum diligere.*

Quartò ſignificat timore ſeruili Deum timere, hoc eſt, ex eo moueri ad rectè agendum, quia timet pœnas à Deo cõſtituras peccatoribus, adeoque ex amore ſui: Et quia ſeruorum eſt obſequi dominis, ne vapulent ab iis, vocatus eſt timor ſeruilis. Talis fuit Iudæorum Exod. 20. dicentium Moyſi: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Timebant enim à terribilibus quæ fiebãt in monte Sinai, cùm legem Decalogi traderet Dominus Moyſi. Hæc autem facta fuiſſe ad deterrendos eos à peccato, clarè indicat Moyſes, dum reſpondet: *Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.*

Porrò Tobias iuxta primam & tertiam ſignificationem præcipuè docuit filium timere Deũ; nihil enim magis cordi habuit quàm dilectionem Dei ſuper omnia. An autem hæc Tobiæ ſenioris inſtructio ad eius laudem aliquid faciat, indagandum eſt.

5. Videri poſſet alicui in inſtructione Tobiæ nihil eſſe peculiare ad eius encomium, quod paſsim in ſacra Scriptura tum Moyſes, tum Dauid, tum alij quamplurimi docuerint ſuos timere Deum. Verùm illud ſingulare fuit in eo, quòd non expectauerit adoleſcẽtiam, ſed à primis cunabulis ſiue infantia filium ſuum hac lege imbuerit. Tunc enim remota dum taxat eſt obligatio pueros inſtruendi: & hinc videtur Scriptura adoleſcentiæ tantũ meminiſſe Thren. cap. 3. vbi dicitur, *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua.* & Prouerbior. 22. *Prouerbium eſt, Adoleſcens iuxta viam ſuam, cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Verùm admodum vtile eſt etiam ante perfectum vſum rationis pueros inſtruere propter facilem impreſſionem, vt notauit D. Baſilius: *Animus*, inquit, *dum adhuc tener eſt, & rituceræ, quæ impreſſas in ſe formas quaſcumq; facillimè recipit, conſeſtim ab initio omni rerum bonarum imbui exercitatione debet; quo videlicet, vbi poſtea vſus rationis acceſſerit, & habitum rerum iudicandarum ei attulerit, pietati iam ab ineunte ætate aſſuetus, nullo impedimento curſu vtatur facili, cùm & ratio quid expediat, admoneat, & ad id aſſequendum facilitatem præbeat conſuetudo.*

Vtile eſt ante perfectum rationis vſum pueros inſtruere.

Et hinc laudatur Anna 1. Reg. 1. quod filium adhuc infantulum obtulerit Heli. Pulchrè in hanc rem Chryſoſt. hom. 21. in epiſt. ad Epheſ. *Peperiſti*, inquit, *filium? Imitare Annam. Diſce quid fecerit illa. Mox illum ſubduxit, atque obtulit in templum. Quis veſtrum non innumeris modis mallet filium ſuum Samuelem fieri po-*

tius, quàm totius orbis regem: Et paulò poſt: *Primum pepererat hunc, & ſolum, nec ſciebat an alios eſſet paritura. Neque dicebat, expectabo, donec creſcat puer, vt rebus mundanis antea vtatur, permittam vt paululum puerili ætati immoretur: ſed veteſtus his omnibus mulier, vnum dumtaxat intendit, quomodo ſtatim ab ipſis vitæ exordijs ſpiritualem imagunculam Deo fingendam offerret. Pudorem nobis virũ incutiat muliebris huius philoſophia. Obtulit ipſum Deo, illicq; reliquit. Propterea & coniugium illius factum eſt illuſtrius, quoniam primitias Deo obtulit, & huius gratia aluus eius facta eſt fœcunda, viditq; puerum hunc in mundo celebrem eſſe, atque alios etiam fratres illi acquiſiuit.*

Eandem laudem tribuit D. Gregorius Nazianzen. orat. 19. matri ſuæ: *Fuit*, inquit, *illuſtre illud eius facinus, quod nos prius etiam quàm naſceremur; Deo, nihil futuri euentus metu exterrita, promiſit; vitaq; lucem ingreſſos protinus conſecrauit.*

6. *Inuentus bona Deo gratiſſima.*

Vtut eſt, certum eſt Deo nihil gratius eſſe; quàm iuuenturem bonam, vt notauit Chryſoſt. in Pſalm. 14. dicens: *Si nullus veſtrum vult poſſidere ſeruum ſenem, quantò magis Deus vult adoleſcentiam, & tanquam intactam virginem eam ſibi iungit, vt eius vitæ primitias ambiat: ne quis eam iuuentutem peccato exhauſerit, languidam, & enervatam ſenectutem virtuti reſeruet: & vitæ facem temperet ſapientia.* Imò in tota vita recogitare huius ætatis inſtructionem, in grauibus occaſionibus virilem addit animum & ſtrenuam conſtantiam, vt patet in ipſo Tobia, cui cap. 2. huius hiſtoriæ Spiritus ſanctus dat hoc elogium, *Cùm ab infantia ſua, ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus Deo contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei: ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.* 3. Reg. 18. dicitur Abdias in perſecutione Iezabel abſcondiſſe de Prophetis Domini centum viros in ſpeluncis, & pauiſſe eos pane & aqua. Cautam autem huius pietatis & zeli ipſe inſinuat Eliæ, volenti eum mittere ad Achab, à quo verebatur interfici dum ait: *Serum tuus timet Dominum ab infantia ſua.* Eleazarus quoque prænobilis ille ſenex Machab. lib. 2. ca. 6. hac ratione ſe confortauit. Cùm eum à tyranno Antiocho ac ab amicis, ac denique ipſis cruciatibus coram poſitis ad diuinam legem violandam cogeretur, & vt ſimularet ſe eſu alteriùs carnis, ſuillam ex lege vetitam comediſſe, vt euaderet præſentem mortem. Contra hæc tela nequitiæ vnica recordatione vitæ à puero bene inſtitutæ quaſi firmiſſimo præſidio ſe obarmauit: *Cogitare cœpit*, inquit, *textus, ætatis ſuæ ac ſenectutis eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimè conuerſationis actus, & ſecundum ſanctæ & à Deo conditæ legis conſtituta* (quod non niſi ex præuentione inſtructionis prouenire potuit) *reſpondit*

Recogitare inſtructionem bonam ab infantia virilem addit animum in rebus arduis.

citò dicens, *Præmitti se velle in infernum.* Ne videlicet adolescentibus etiam simulando esset causa scandali. Apostolus quoque, cùm Timotheum ad labores totius vitæ facile deuotandos hortaretur, bonam à prima infantia institutionem illi in mentem reuocat: *Tu verò,* inquit, *permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris: & quia ab infantia sacras litteras nosti.* Non latuit quoque huius institutionis vtilitas Gentiles, Plato enim l. 6. de legibus ait: *Affero eos, qui præstantes viri in aliquo euasuri sunt, ab ineunte statim pueritia oportere ad ipsum tam ludendo, quàm studendo in singula ei negotio conuenientibus meditari.*

2. Timoth. 3

7. Iuuentutis anni præueniendi bonis monitionibus.

Præclarè D. Ambrosius: *Præueniamus*, inquit, *iuuentutis annos correctione congrua, vt magis discamus singuli, Deus qui pascit me à iuuentute mea* (sicut dixit Iacob Genes. 48. *quam recordationem habentes Lapsum, defleamus dicentes: Delicta iuuentutis meæ* (sicut dixit Dauid Psalm. 24.) *ne memineris*, & subdit, *Hoc debilitatis est remedium, illud robur salutis*, D. Chrysostomo teste, Deus magis prouidebit filios, quos à primis annis aliis efformandos tradiderimus: Prorsus, inquit, *si vellemus in ipsis statim instar effingere ac reformare liberos nostros, atque eis erudiendos tradere, qui illos regere & moderari scirent, fieri satis posset, vt in primo castrorum starent ordine. Numquam enim profectò Deus sperneret tantam deuotionem, & alacritatem animi, tantumq; studium: sed ad hanc formandam perficiendamq; statuam, manum quoque suam adiecisset, qua operante, possibile non esset quidquam ex his quæ fierent, cadere: imò contra, esset impossibile illam non ad summum splendoris & gloriæ culmen peruenire, si modò quod nostra partis munus est, non negligeremus. Nam si mulieres impetrare à Deo valuerunt, vt ad curam liberorum adiutor sibi & fautor accederet: longè id magis nos, si voluerimus, consequi poterimus.* Et vlteriùs digrediens confirmat id ipsum exemplo Annæ & filij Samuelis, qui traditus Heli instruendus, tantus Propheta factus est. Verba eius inuenies ad ea quæ diximus versu 4. Huius capitis.

l. 3. aduersus vituperat vitæ monast.

SECTIO XIX.

Quid sit abstinere ab omni peccato?

1. Peccatum triplicitèr accipitur in scriptura.

PECCATVM in sacra Scriptura accipitur quandoq; pro hostia pro peccato, vt Leuit. 4. iuxta Hebraicum textum Et Ozeæ 4. vbi dicitur de Sacerdotibus, *Peccatum populi mei comedent*, id est, hostias pro peccato oblatas. Peccatum enim hominis impositione manus in hostiam morali æstimatione quasi transferabatur. Et sic Paulus 2. Corinth. 5. de Christo dicit, eum *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*, id est, Deus fecit Christum pro nobis hostiam pro peccato nostro, licet ipse per experientiam peccatum non sciret, ne nos quasi victimæ piaculares illud æterna morte & igne lueremus; vt effectus iustitiæ Dei increatæ nobis per creatam & infusam Christi iustitiam communicaretur.

2. Pro hostia pro peccato.

2. 1. Pro concupiscentia.

Secundò concupiscentia ab Apostolo vocatur peccatum Roman. 7. in verbis: *Si quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, quasi dicat: Si concupisco repugnante voluntate, non ego censeor facere, sed concupiscentia, quæ meam rationem & libertatem anteuertit. Vocat autem illud peccatum diuersis de causis. Primò quia ipsa est materiale peccatum, cum concupiscentia sit contra Dei legem, cui ad rationem formalem peccati nihil deest nisi consensus voluntatis. Secundò, quia ipsa incitat ad peccatum. Hinc tendunt verba Patrum Concilij Tridentini sess. 5. cap. 4. *Concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Tertiò, quia ipsa est effectus peccati. Quod pulchrè explicat Diuus Augustinus libro primo, de nuptijs & concupiscentia cap. 23. *Sicut*, inquit, *lingua vocatur locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus: ita concupiscentia vocatur peccatum, quia peccato facta est. Item sicut frigus vocatur pigrum, quia facit pigros: sic concupiscentia vocatur peccatum quia facit peccatum, si vincat.* Quartò dicitur, quia est pœna peccati, quia à Christo hominibus concupiscentia relicta est in pœnam peccati ad agonem, vt cum ea assiduè colluctantes inertiam depellamus, vigilesque simus in Dei obsequio, ac crescamus in virtute, victoria, & meritis, atque à terrenis mentem auocantes suspiremus ad cœlum, ingemiscentes cum Apostolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* vt expressè declarat Synodus Tridentina Sess. 5. *Manere*, inquit, *in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur & sentit, quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesv gratiam repugnantibus, non valet; quinimo qui legitimè certauerit coronabitur.* Et inde est quod D. Paulus vocet eandem legem membrorum contrariam spiritui, *Video aliam*, inquit, *legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Ita vt homo duplicem in se voluntatem experiatur, vnam conformem voluntati Dei, alteram bono honesto, & rectæ rationi repugnantem.

Dantur rationes quare concupiscentia vocetur peccatum.

Rom. 7.

Tertiò itaque peccatum propriè dictum dicitur illud, quo quis quid agit, dicit aut concupiscit contra legem Dei. A primo non dehortatur filium Tobias, quia vtile est hostiam

3. Quid sit propriè peccatum.

stiam offerre pro peccato, imò tunc temporis secundum legem Moysis necesse erat pro peccatis quorumdam certas hostias Deo immolasse. Neque à secundo, quia concupiscere non est in nostra potestate, non magis quàm non esurire, non frigere, non calere, sed illi assentiri, quod omninò vetat Eccles. 18. Sapiens dicens: *Post concupiscentias tuas non eas.* Et Apostolus ad Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Nam vt ait Iacobus cap. 1. Concupiscentia primò tentat hominem, secundò succedit delectatio præueniens plenam deliberationem; tertiò accedit plenus consensus, & sic consummatum generat mortem.

4. *Ab omni peccato propriè dicto dehortatur filium. Peccatum reddit hominem abominabilem Deo.*

Ab hoc igitur siue facto, siue concupito, siue quocumque modo inducente mortem animæ, (de quo vide Disc. 2. præuium in I. Præcep. à n. 2. vsque 6.) dehortatur Tobias filium. Neque vnam mouit Tobiam ratio, sed plures. Prima est, quòd peccatum reddat hominem abominabilem Deo. Oseas vates cap. 9 id planissimé adfirmat de Iudæis Idololatrantibus: *Facti sunt abominabiles, sicut ea idola, quæ dilexerunt.* Sapiés proverbior. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et ibidem vers. 20. *Abominabile Domino cor prauum.* & c. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabile est vterque apud Deum.* Et sic de cæteris. hac de causa dicebat bonus ille senex Eleazarus, se præmitti velle in infernũ, quàm carnem suillam verè vel fictè contra legem Dei comedere: *Nam etsi,* inquit, *in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam.* Et B. Anselmus, *Si,* inquit, *hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò vnicorum immergi deberem; prius infernum, quàm peccatum appeterem.* Et lib. de beatitud. cap. 19. *Mallem* inquit, *purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus celorum regna tenere.* similiter S. Edmundus Cantuar. Archiep. ait: *Malo insilire in rogum ardentem, quàm peccatum vllum sciens admittere in Deum meum.*

Malueruns aliqui viuam exuideliter fieri, quàm peccatum admittere.

D. Paulus volebat Hebræos, qui amissionem bonorum cum gaudio sustinuerant, vsque ad cruorem, sanguinem & mortem, peccatum apostasiæ, ad quod sollicitabantur, cauere, dum ait: *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes,* id est, Qui hucusque in fide constantes perstitistis, perpendite probra, irrisiones, verbera, tormenta Christo innocenti illata: Et eius exemplo vos obarmate ad futuros agones; vt licet sanguinem, vitamque profundere necesse esset, peccato quasi generosi milites & athletæ Christi resistatis.

Hebr. 12.

Peccatum est summum naturæ, mundique malum tam natura quàm morale.

Est enim peccatum summum naturæ, mundique malum, adeò vt nec homo, nec dæmon, nec Deus ipse, tantum mali inferre possit homini, quantum homo sibiipsi infert, dum peccat. Illi enim tantum inferre possunt malum pœnę, quod malo culpæ, siue peccato longè minus est. Rectè Chrysost. *Quid est, ait, peccatum? Est voluntarius dæmon, & spontanea insania.* Viderunt eminus illud idem Gentiles. Vnde Seneca: *Licet,* inquit, *scirem homines ignoraturos, & Deum ignoscaturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem.*

Peccatum est spontanea insania.

5 *Deus nulli peccatori parcit.*

Altera ratio est, quod Deus nemini peccatori parcat, sed puniat siue in hoc siue in alio seculo. Hoc probat Petrus quoad continuantes peccata, exẽplo Angelorum, at peccatorum tempore Noë & Sodomorum epist. 2. cap. 2. *Si Deus,* inquit, *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari,* supplendum reliquit, Et nobis non parcet. *Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens. Et ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt imponens.* Hoc ipsum Dominus per quam sæpè testatus apud Prophetas, videlicet & Isai. 1. 3. & 5. varias desolationes & plagas intentans; vti per Hieremiam & Ezechielem captiuitatem Babylonicam iam instantem ob peccata populi. Amos 4. siccitatem & sterilitatem. Oseæ 4. similiter pestem & luem tam in hominibus, quàm bestijs, volucribus, & piscibus; dum ait: *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucri cæli, & pisces maris congregabuntur.* Vide plura in hanc rem in Discursibus meis Moralibus in Decal. ad singulas species peccatorum quouis Præcepto veritas.

6. *Per quæ quis peccat, per ea punitur.*

Tertia ratio est, quod iuxta Sapientem cap. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Sic Genes. 9. dicitur, *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius,* nimirum vel facto vel merito; quia aut reipsa interficietur, aut ei hoc supplicium debebitur à Iudice. Et sic Dominus, ad Dauidem per Prophetam Nathan, *Vriam Hetheum percussisti gladio* (videlicet cum ipsum confecisti loco maximè periculoso in prœlio, vt manu hostium interiret) *quamobrem non recedet gladius à domo tua.*

Exempla.

Tempore Pharaonis primam Ægyptij plagam passi sunt, per Nili in sanguinem conuersionem Exod. 7. cuius prodigij duplicem rationem reddit Theodoretus ibidem quæst. 19. vtramque ad præsens institutum accommodatam. *Quia,* inquit, *valde gloriabantur Ægyptij de flumine suo, & hunc pro Deo habebant. Deinde propter pueros Iudæorum in illum demersos, fluuius enim ille mutatus in sanguinem, velut quo-*

rebatur de cade puerorum per AEgytios commissa. In hanc posteriorem concinit D. August. q. 9. in Exod. *Iusto*, inquit, *Dei iudicio factum est, vt de illo fluuio sanguinem biberent, in quo infantium Hebræorum sanguinem fuderant.* Propter idem peccatum demersionis infantium in fluuio, docet Theod. q. 25. in Exod. demersos fuisse Ægyptios in mari rubro: *Tradidit*, ait, *iustissimus index exitio aquarum Pharaonem cum toto exercitu, quia per aquam interemerat infantes Hebræorum.*

Sic olim Adonibezech captus in prœlio à Iudæis, eandem pœnam, quam alijs intulit, passus est, vt ipsemet fatetur, *Septuaginta*, inquit, *reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebãt sub mensa mea ciberum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Dominus*, Iud. 1. v. 7. Rex Agag. 1. Reg. 15. seruatus à Saule, audiuit à Samuele, *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua, & in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* Ieroboam, quia extendit manum contra Prophetam 3. Reg. 13. per eiusdem arefactionem sensit vindictam Domini. Asa rex Iuda, postquam Prophetam, qui eum ex diuino instinctu reprehenderat, ad vincula, & compedes mulctauit, *egrotauit dolore pedum vehementissimo, & mortuus est*, 2. Paral. 16. Absalon nimiùm de suis crinibus gloriatus, eisdem miraculosè ad quercum suspensus interijt. De superbis filiabus Syon dicit Propheta Esaias cap. 3. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*, fortè quòd in ijsdem nimiùm superbierint. Caueant & sibi hoc tempore puellæ, quæ & fictis crinibus tanquam filiæ Babylonis superbè incedunt vt animas fidelium irretiant.

7. *Apud omnes nationes iudicatum est iustum earum partem deformare, quâ quis peccauit*

Iustum & æquum in omni pene natione iudicauit antiquitas, vt in supplicijs illa pars deformetur, aut puniatur corporis, quæ flagitij aut sceleris instrumentum fuit: hinc etiam Iob sibi imprecatus barbaræ crudelitatis supplicium, si nudum hominem & rigentem, ac pereuntem frigore non fouerit, cùm ait: *Humerus meus, à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus cõfringatur.* id est, volo vt illa manus obrigescat, & torpeat; imò vt brachium confringatur, & humerus à sua sede, & colligatione diuellatur, & excidat, neque sit vlla pars, quæ tantæ crudelitati seruiuit, quæ non luat immanitatis suæ pœnas.

8. *Sedulitas Tobiæ in auertendo peccato à filio.* *Eccles.* 15. *Iob.* 7. *Huic rei etiã studuit Iob.*

Sedulus igitur fuit Tobias, vt à filio prorsus auerteret, quod Dei prouocaret vindictam. Agnoscens enim nos in medio laqueorum ambulare, & vitã hominis militiam esse super terram, secutus est exemplum Iob, qui in lege naturæ filios suos apprimè instructos, dum cõuiuia inter se per orbem frequẽtarent misit nuncios, & assidua mandata dabat per seruos, vt ab illo loco, in quo lapsi sunt primi, illi se integros sanctosque seruarent; ita indulgerent epulis, ne temperantiæ transgrederentur fines; sic gustarent vinum, ne quisquam in illis sobrietatem requireret; ne esset vlla in verbis incauta libertas; denique vigilans esset modestiæ, continentiæque custodia. Neque satis se paterno officio fecisse existimabat, si his monitis seruaret à lapsu, nisi etiam illos, quoad fieri posset, oblatis sacrificijs, & interpositis precibus expiaret à culpis, quod indicant verba: *Cumq; in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos. Consurgénsq; diluculo, offerebat holocausta pro singulis.* Ex quibus clarè perspicitur, quòd non solùm illos monuerit, neque sacrificium obtulerit, iuxta morem illius temporis, pro peccatis occultis filiorum, siquæ esse poterant, sed etiam illos sanctificauerit, seu disposuerit, vt interessent holocausto, quod pro ipsis diluculo offerre constituerat. Sacris enim quibusdam ex gentilium populo, non nisi puri interesse poterant: vnde tritã illud in gentilũ sacris: *Procul hinc, procul este profani.* Imò apud Hæbræos hoc etiam moris fuisse prodidit illud Samuelis, 1. Reg. 16. *Sanctificauit Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.* Iob. 1.

De hac sedulitate Iobi sacrificantis pro filijs, hoc modo philosophatur Chrysost. hom. 3. ad Philipp. *Pro liberis suis sacrificabat Iob, & à peccatis illos liberabat, Ne quid, inquit, fortè peruersi cogitauerint in cordibus suis. Ita prouidendum est liberis: Non dicebat, quemadmodum plurimi solent, relinquo illis, quam habeo substantiam: non dicebat, dabo illis gloriam: non dicebat, emam illis principatum: non dicebat, emam illis agros: sed quid? ne fortè cogitauerint aliquid in cordibus suis. Quæ namque poterit esse vtilitas eorum, quæ in hac vita sunt? Nulla. Reges, inquit, omnium principum illos efficiam, & nihil erit amplius, quod desiderare queat. Dominum, inquit, pascit me, & nihil mihi deerit. Is namque diuitiarum, is thesauri loco est; quod si timor esset Dei, nulla re destitueremur. Hic verò si non fuerit, etiamsi regnum habuerimus, omnibus tamen pauperiores sumus. Nihil illis adaquari poterit, qui timore Dei priuatus est.*

Sic Tobiæ nostro nihil magis cordi fuit, quàm filium instruere de præceptis vitæ. Nec dubito quin aduerterit ad Samuelẽ, qui malebat filios regno deijci, quàm peccare. Non enim displicuit, quòd Israëlitæ filios suos repudiarent, sed quòd peterent Regem, ex quo offendebant Deum. Ita Abulensis quæst. 4. in cap. 8. 1. Reg. *Samuel*, inquit, *cùm vir iustus esset, non curasset nimis de filiorum suorũ deiectione, dum tamen prouideretur publicæ vtilitati.* Et iterum q. 6. *Samuel*, inquit, *libenter tulisset, quòd filij sui perderent principatum; & transiret dignitas ad extraneos, dummodo Israelitæ non petiissent Regem.* Scilicet, multo ægriùs ferebat Samuel suos subditos incidisse in peccatum; quam suos filios 9.

filios de principatu cecidisse. Vnde D. Hieronym. lib. 1. contra Iouinian. rectè notat, *Moysen & Samuelem filios suos alios praetulisse; nec putasse liberos, quos videbant Domino displicere.* Sapiens Eccles. 21 hunc ad Iuuenes sermonem instituit. *Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te: Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphea bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas.* sic & Tobias ad filium.

SECTIO XX.

An & quare etiam venialia vitare filium voluerit peccata Tobias.

1. *Nemo immunis à peccato veniali sine speciali Dei auxilio.*

VENIALIA peccata neminem, sine speciali Dei auxilio declinare posse propter humanam fragilitatem, satis insinuat Sapiens, cùm ait: *Septies in die cadit iustus.* & Ioannes 1. 3. *Si dicimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ac Iacobus cap. 3. *In multis offendimus omnes.* Nihilominus iustus hic vir tam sedulò monuit ab omni, etiam quamtumuis minimo peccato abstinere, ne illa contemneret, seu ne magnis tantum præceptis obseruandis, & paruis contemnendis assueseeret. Ait enim Syracides Eccles. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Et teste D. Gregorio lib. 1. pastoral. cap. 34. ex assuetudine, incuria, contemptu, & frequentia incidendi in minima, assuescit animus non perhorrescere grauia. D. Thomas quoque 2. 2. q. 14. art. 4. *Non arbitror*, inquit, *quod aliquis ex his, qui in summo, perfectoq; gradu constiterint, ad subitum euacuetur, aut decidat; sed paulatim ac per partes eum decidere necesse est. Muscae enim morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Eccles. 10. v. 1.

2. *Prima ratio, cur Tobias monuerit filium abstinere à venali.*

Minima contemnens ad maiora cadit.

Elegans similitudo à vinea & vulpeculis.

Sponsus Cant. 2. descripserat hortum elegantem, & placidum; curat deinceps, ne ipsius species ac fructus defloreseat, pereatue. vnde inquit ad vinearum custodes: *Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas; nam vinea nostra floruit.* q. d. O vos, qui meorum studiorum socij estis, aut curarum administri, agite iam ne vulpes istae paruulae vineam, ad quam egressura est Sponsa, spolient, aut morsu pestilenti tabefaciant: eas omninò capite. Meminit potiùs vulpecularum, quia Palaestina illis mirè abundat; quare in ruinis Ierusalem Threnor. 5. habitare dicuntur vulpes: & Sampson trecentas vulpes breui venatus esse commemoratur Iudic. cap. 15. Sunt autem vulpes arboribus infensae, & noxiae, quia maturis fructibus insidias, & arborum truncis pestilenti morsu perniciem, & rabem moliuntur. Eas omninò capi vult dum adhuc paruae sunt, & extingui possunt,

Vulpeculis Palaestina abundat.

ne vsu atque aetate confirmatae, plus negotij custodibus, & plus periculi vineae moliantur. Principijs igitur obstandum, ne morâ inualescat malum, quae principio facilè deinceps aut nullo possint modo, aut nisi difficili de pelli, aut frangi.

Christiano à minimis cauendum.

Quod vineae necessum est, hoc etiam est animae Christianae. Nam in re spirituali à minimis quoque cauendum est, maximè si eius sint naturae, vt augeri possint. Praeclarè D. Chrysostomus hom. in Psal. 6. *Quando paruam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quòd parua sit, sed cõsidera, quòd id, quod ex ea alitur, maxima mala parit. Etenim postquã in domo aliqua parum stuppa accensum viderimus, conturbamur, & tumultum mouemus: non enim attendimus initium; sed ex initio finem considerantes, mouemur, & concurrimus, vt totum camium extinguamus. Hoc igne vehementius animam exedit vitium. Oportet itaque praeuenire: nam si fuerimus negligentes, id correctu euadet difficilius. Hoc viderit quispiam euenire in nauigio, & conturbari nautas, non quando mare iam superare, sed quando id facturum esse viderint. Ne simus ergo in paruis peccatis socordes, sed ea reprimamus cum magna vehementia, vt liberemur à maioribus, & bona futura consequamur.* Eodem modo Philosophatur D. Hieronymus ad Eustoch. de custodia virginitatis: *Dum parvus est hostis*, inquit, *interfice: nequitia, ne vitia crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam dicentem: Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam tribuisti nobis: beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem; ille laudatur, ille praedicatur beatus, qui vt coperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram: petra autem Christus est.*

3. *Prouidendum diligenter virtuti, dum adhuc tenera.*

Quemadmodum flori, in quo aliquid est tenerum, prudens hortulanus semper cauet, ne à vento excussus, aut exustus gelu, vim amittat vbertatis futurae: sic etiam animae sedulò cauendum est, vbi tener est adhuc virtutis flos, vel incipit fructum Christi sanguis producere. D. Chrysostomus cõsiderans diabolum à paruis incipere, singularem requirit in homine Christiano obseruantiam, & cautelam, ac omnem prorsus contemptum rei vitiosae, quantumuis minimae, explodit. Sic enim ait hom. 87. in Matth. *Nullus*, inquit, *frivola se illa ratione consoletur, quâ vniuersa peruersitas in animam inducitur, dicens: Quid hoc est, aut illud? mille certè hinc mala oriuntur. Vetustator enim malorum Diabolus, à minimis plerumque incipit.* Quod deinde pluribus exemplis illustrat. Nam vt Diabolus Saulem in extremam cum Deo inimicitiam, detestandamque sub Pythonissa seruitutẽ redigeret, 1. Reg. 18. 7. eum paulatim à Samuelis obedientia prius abstraxit, 1. Reg. 13. 9. & 1. Reg. 15. 9. *Dum*, inquit,

Diabolus à minimis ducit hominem ad maiora.

quit, *Samueli non obtemperauit, paulatim atque paulatim labens non ſteterit; quouſque ad ipſum perditionis barathrum ſeipſum immiſit.* Quaſi diceret: Dum Prælatum vicem Dei tenentem in leuioribus præceptis non audiuit; Pythoniſſam Diabolum in corde geſtantem in grauiſſimis obſeruauit.

Cainus contemnendo minora patrauit maiora.

Deinde alterum exemplum à Caino deſumit, modica primùm ſpernente; ſed poſtea in profundam ſe malorum voraginem præcipitante. *Non enim*, inquit, *confeſtim eadem fratris illi Diabolus ſuggeſſit, ne magnitudine rei commotus tam ſceleſtum facinus abominaretur; ſed prius perſuaſit deteriora offerre, nullum id dicens eſſe peccatum: deinde inuidiæ veneno ſuccedit, nihil etiam hinc mali ſecuturum perſuadendo: ita ſenſim in eum illapſus, ad eadem fratris, & ad negationem ſceleris impulit, nec prius ceſſauit, quàm malorum omnium verticem impoſuit.* Vides vt minorũ tranſgreſſio ad tranſgreſſionem maiorũ viam muniat? & ex inobedientia in paruis, inobediẽtia in magnis ſubſequatur? Tandem ab exemplo Iudæ ac Iudæorum argumentatus oſtendit, eos primùm in facilium præceptorum obſeruantia claudicaſſe; poſtea in maximorum deſpicientia penitus perijſſe: *Niſi enim*, inquit, *Iudæi putaſſent, paruum eſſe peccatum, pecuniam inopum ſubripere; in tantam proteruitatem non deuenijſſet. Iudæi quoque niſi putaſſent inanis gloriæ delictum mimmum eſſe; vſque ad eadem Chriſti lapſi non fuiſſent. Nemo enim repentè ad extremam improbitatem inſilit. Habet enim anima inſitum quendam pudorem atque innatum, quem ſubitò calcare atque proijcere non poteſt, ſed ſenſim ex negligentia perit.*

Iudæi, & Iudæi in minimis claudicantes, in maiora ceciderunt.

Periculoſius quandoque in paruis, quàm in magnis peccatur.

Vides, mi Chriſtiane, periculoſius aliquando, in paruis, quàm in magnis delinqui. Audi Chryſoſtomum, *Mirabile*, inquit, *quiddam, atque inauditum dicere audeo: ſolet mihi nonnunquam non tanto ſtudio magna peccata videri euitanda; quanto parua & vilia: illa enim vt auerſemur, ipſa peccati natura efficit; hæc autem, hæc ipſa re, quia parua ſunt, deſides reddunt; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentia noſtra.* In eundem modum de hac re Philoſophatur D. Gregor. Magnus 3. parte Paſtor. admon. 34. *Nonnunquam*, inquit, *deterius in parua, quàm in magna culpa peccatur: maior enim quo citius agnoſcitur, eò etiam celerius emendatur: minor verò, dum quaſi nulla creditur, eo peius, quo & ſecurius in vſu retinetur.*

4.

Repeto ſponſi ſedulam cautelam: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineam.* Per *vulpes*, hæreticos intellige, quibus propter fraudulentiam, ac nequitiam ſimiles ſunt; per vineam, Eccleſiam. Arceantur illi quàm primum ſponſam Chriſti, animam fidelem arrodere incipiunt. Caueat ſibi quicumque fidelis ab eorum conſuetudine, ſimulatque eos, tales eſſe deprehenderit. Appoſitè ad rem noſtram Hieronymus lib. 3. Comm. in epiſt. ad Galat. cap. 5. *Scintilla res parua eſt, & penè dum cernitur, non videtur: ſed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta ſui, quamuis paruus ignis inuenerit, manat, vrbes, latiſſimos ſaltus, regioneſq; cõſumit. fermentum quoque res modica videtur, & nihili; ſed cùm farinæ conſperſum, etiam ex Apoſtoli teſtimonio ad Corinth. ſcribentis, totam maſſam ſuo vigore corruperit, in illius vim tranſit omne, quod mixtũ eſt. Ita doctrina peruerſa ab vno incipiens, vix duos, aut tres primùm in exordio reperit auditores: ſed paulatim ſerpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium vnius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Et ſcintilla ſtatim vt apparuerit, extinguenda eſt; & fermentum à maſſa vicinia ſubmouendum. Reſecanda ſunt putrida carnes, & ſcabioſa ouis à cauis repellenda: ne tota domus, corpus, & pecus ardeat, corrumpatur, putreſcat, & intereat. Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit; ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totam orbem eius flamma populata eſt*, &c.

5.

2. Cauſa, quod ea quæ nobis videntur, parua apud Deum grauia ſint.

Alteram cauſam reor fuiſſe, quòd ſæpe exiſtimemus parua, quæ apud Deum grauia exiſtimantur, vt in tranſgreſſione Adam veſcentis de fructu vetito. Quod ratione materiæ videtur paruum, ratione tamen Dei, quia eà obedientiâ tanquam tributo volebat Adamum agnoſcere Deum, erat magnum: ita vt pœnam mortis tam in ipſo, quàm in poſteris iuſtiſſimè mereretur. Item Sabbatho colligere, ligna, numer. 15. non videbatur cenſurâ dignum; ſed conſultus Deus à Moyſe reſpondit: *Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra.* Quod factum donec ſecuta mors. Quæ acrior punitio? & quæ leuior tranſgreſſio? Deo verò erat grauis ex eo, quod Sabbathum propriè dictum, præfigurabat cæleſtem gloriam, in qua nihil erit ſeruile. Item in Saule 1. Reg. 13. vbi ipſe reijcitur à Deo ne ſit rex, quòd neglecto Samuelis præcepto, non exſpectarit eius aduentum ad offerendum holocauſtum, ſed tantum aliquot horis præuerterit. Denique in numeratione populi procurata à Dauide 2. Reg. 24. Quia enim bello non inſtante populum recenſuit citra iuſſum Dei, ex tribus plagis grauioribus Deo cogente, vnam ſelegit, peſtilentiam nimirum trium dierum, quâ ſeptuaginta millia hominum interierunt. 2. Regum 24.

Sabbathum præfigurabat cæleſtem gloriam.

6

3. Cauſa quod Deus venialia graviter aliquando puniat.

Poſtremam credo fuiſſe, quod ex ſacra Scriptura apprimè ſciret, Deum ſubinde venialia peccata grauiter in hominibus punire, ex poteſtate, quàm in nos habet, vitæ & necis. Sic filij Aaron Nadàb & Abiu Leuit. 10. alieno igne, ſeu non ſacro vtentes ad ſacrificia, ſecundum aliquos venialiter tantum peccarunt, vtpote perculſi nouitate miraculi, quod Deus ignem de cælo mittens ſacrificium Aaronis abſumebat, eaque de cauſa non audentes accedere ad altare, vtinde ſacrum

Fidelibus ſtatum hæreticorum cõſortium cauendum. Quare.

crum ignem acciperent, aliunde festinanter igne rapto, incensum Domino pro gratiarum actione obtulerunt, & tamen morte puniti leguntur, in verbis: *Egressusq; ignis à Domino devorauit eos, & mortui sunt coram Domino*, id est, ex altari Thymiamatis, quod erat obuersum propitiatorio (quod erat quasi thronus Dei) erupit vltor ignis, qui eos deuorauit instar fulminis afflando & occidendo.

7. *Moyses & Aaron ob leuissimam culpã morte damnantur.*

Plures damnati sunt morte, quorum vitam nulla mortalis culpæ labes infecerat. Moyses & Aaron damnati sunt morte propter culpam, vt est communis Patrum consensus, leuissimam. Ob sitim murmurat populus aduersus Moysen & Aaronem. Intercedunt ipsi pro populo apud Deum, qui promittit ex petra aquas: Moyses verò congregatâ multitudine ante petram, inquit: *Audite rebelles & incredduli, Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Populum tam rebellem, Deumque adeò irritantem, indignum iudicabat eo miraculo, dubitans an Deus illud esset facturus, & an id verè promisisset, an tãtùm per ironiam & sarcasmum; vel conditionatè, si videlicet Hebræi cessarent murmurare, & crederent Deum ex petra daturum aquas. Inde dubitanter petram percutit: ex qua cùm egressæ essent aquæ largissimæ ita vt populus biberet, & iumenta, audiunt Moysen & Aaron à Domino: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Quia, inquit, dubitanter & diffidenter circa aquam à me promissam locuti estis, neque ostendistis me sanctum esse, veracem & clementissimum, qui etiam impijs & ingratis præsto ea, quæ promisi, non ingrediemini terram promissam, lacte & melle manantem, singulariter concupitam, sed antea priùs vitam finietis, Numer. 10. Vnde mortem subierunt, Moyses in monte Nebo, Deuteron. 34. Aaron in monte Hor, Num. 33.

Alia exempla.

Vxor Loth in statuam salis conuersa est, neque videtur tam grauiter peccasse, dum ardentem ciuitatem respectat, vt in eo appareat mortalis culpæ pondus. Oza 2. Reg. 6. percussus à Deo interijt, quòd festinatè aduolarit, & inconsideratè ad sustentandam Arcam, cùm rei necessitas non exigeret, & leuis esset inclinatio plaustri. Conatus autem ille, qui ex religione & pietate natus, non videtur tam graue meruisse supplicium, vt temporariæ morti adiuncta esset sempiterna, 3. Reg. 13. Vir Dei, & Propheta sanctus occisus est à leone iussu Dei, quod contra illius præceptum licet deceptus ab alio Propheta, qui quasi ex instinctu Dei eum inuitauerat, in ipsius domo cibum gustaret.

D. Chrysostomus serm. *de leuium peccatorum periculis, è quibus maiorum peccatorum pernicies possit agnosci*: secundam & tertiam hanc causam simul complexus est, vt nos à leuibus peccatis abducat; nam Adam, & vxorem Loth in medium adducit: *Quoniam*, inquit, *leuium delictorum proposuimus causas, gustus vel visus leue quidam & inane forsitan videtur. Gustus primo leuis non est, qui Adam protoplastum in origine mundi decepit, & cum eo genus humanum sententiæ mortis addixit. Nec etiam immunis est visus, qui interdicta videre Loth vxorem de Sodomis proficiscentem non finit; qua statim incurrit quod enaserat, dum eam diuina vindicta in salis materiam transmutauit: vt ex hoc non appareat qualitatem delicti debere quempiam intendere, sed diuina iussa tota veneratione seruare: nec debere hominem quid iubeatur, expendere, sed magis iusserit, cogitare: neque enim leue dicendum est, quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit, cùm scriptum sit: Qui modica spernit, paulatim decidit.* Et Paulò post: *Si commissa venia impunitatem habere non possunt; quid de grauibus æstimabimus? Cesset igitur, cesset humana temeritas, & omnia omnino delicta omni cautela, ac solicitudine amputet.* Horum haud dubio exactam rationem habuit Tobias noster, ideoque principijs obstare voluit paternâ monitione. Quem fidelis paterfamilias imitetur, necesse est, si suis consultum velit.

CAPITIS PRIMI

VERSVS XI.

Igitur cùm per captiuitatem deueniſſet cum vxore ſua, & filio in ciuitatem Niniuem cum omni tribu ſua.

Verſ. 2. *Cùm captus eſſet in diebus Salmanaſar Regis Aſſyriorum: in captiuitate tamen poſitus, viam veritatis non deſeruit.*

Verſ. 3. *Ita vt omnia quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.*

PARAPHRASIS.

Contigit his ita peractis abactum fuiſſe Tobiam cum vxore & filio in Niniuem tempore Regis Salmanaſar, ibique ſe cum alijs contribulibus ſuis de tribu Nephtalin conjunxiſſe, quos ante id tempus Theglath Phalaſar in eandem ciuitatem captiuos abduxerat.

Verſ. 2. Cùm autem ad has anguſtias carceris Niniuiticæ ciuitatis à prædicto rege Aſſyriorum eſſet redactus, licet nullus eſſe videretur ibidem virtutis locus, ſed vitiorum omnium fœdiſſima proluuies, viam tamen veritatis, quàm à patria religione dedicerat, nunquam deſeruit.

Verſ. 3. Vſque adeò, vt viſcera miſericordiæ non ſolùm aliquando; ſed ſingulis diebus concaptiuis fratribus aperiret, neque etiam contractâ manu eleemoſynas largiretur, ſed quidquid vndecumque iuſtè & licitè accumulare poterat, in vſum eorum liberaliter profunderet.

SECTIO VIGESIMA-PRIMA.

Quo tempore captus ſit Tobias?

Tribus Nephtalim captiua ſub Theglathphalaſar; Tobias, & cæ.

MISSIS varijs opinionibus, verius videtur tribum Nephtalim à Theglathphalaſar captam fuiſſe, qui 4. Reg. 15. verſ. 29. dicitur tuliſſe Galilæam, & vniuerſam terram Nephtalim, & tranſtuliſſe ad Aſſyrios. Quo tempore Tobiã non abduxit, quòd tunc aut quia paruulus, relictus fuit ab hoſte victore, quaſi inutilis futurus, videlicet oneri potiùs, quàm adiumento. Erat enim conſuetudo etiam apud hoſtes barbaros, vt infantibus ignoſcerent, & ſenibus, aut vilioribus perſonis, quæ bello nec prodeſſe multum ſuis, nec obeſſe poſſent alienis. Sic enim in regno Iuda legimus à Nabuchonoſore abductos omnes in captiuitatem Babylonicam exceptis pauperibus terræ 4. Reg. 24. & Hierem. 52. dicitur: *De pauperibus verò terræ reliquit Nabuzardan Princeps militiæ vinitores & agricolas.* Et eò ſpectant, quæ in libro Eccleſ. cap. 48. poſt irrita Heliſæi miracula ad Iſraelitarum conuerſionem ſubduntur: *In his omnibus non pœnituit populus, & non receſſerunt à peccatis ſuis, vſque dum eiecti ſunt de terra ſua, & diſperſi ſunt in omnem terram, & relicta eſt gens perpauca.* Aut fortè, inquam, non abduxit, quod tunc aberat, aut ſubductus à patre Aſſyriorum inſolentiæ aut quia vt antea ſæpè ipſe religionis gratiâ Hieroſolymam abierat eaque ratione victoris manus, & potentiam effugerat. Et cùm parentes, & cognati in alienam deportarentur terram, ipſe tamen ad tempus Salmanaſaris in ea regione permanſit, quo non peruenit exercitus Theglathphalaſar exercitus prædator, & victor; & in ea tamdiu hæſit, donec poſt aliquot annos veniret Salmanaſar, & quidquid erat reliquum è decem tribubus, ad alienum ſolum procul abducere.

SECTIO XXII.

Quænam ſit via veritatis. Et quid inde ad laudem Tobiæ, & noſtram inſtructionem.

SCRIPTVRA ſacra ad Tobiæ laudem nobis narrat, eum extorrem à patria, verum & religioſum viuendi modum, quem à primis annis aggreſſus erat, & in patria ad captiuitatis vſque tempus perpetuò conſeruarat,

narat; in ipſa etiam captiuitate numquam deſeruiſſe. Qualis autem fuerit ille veritatis curſus & modus, ex aliis Scripturæ locis non erit inutile eruere.

1. *Veritatis etiam non deſerere, idem quod veram fidem retinere.*

Viam veritatis non deſerere, Primùm, idem eſt quod retinere veram Dei cognitionem, & cultum ſiue fidem, vt clariſsimè patet ex verbis Apoſtoli 1. ad Timotheum 2. vbi poſtquam cõmendauerat orationem pro *Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt*, ſubdit: *Hoc enim bonũ eſt, & acceptũ coram Saluatore noſtro Deo qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* quaſi dicat, Non tantùm orandum eſſe pro Regibus, vt per eos pace fruemur, & quietam vitam ageremus: ſed etiam vt ipſi ab impietate traducantur ad fidem & pietatem. Sic Ioan. 1. dicitur Chriſtus *Plenus gratiæ & veritatis*, id eſt, cognitionis Dei. Sic ipſe Saluator Ioann. 19. dicit ſe veniſſe vt teſtimonium veritati perhibeat. Et Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.*

2. *Veritati reſiſtere, idem quod fidei reſiſtere.*

Econtra verò, qui veræ fidei reſiſtunt, aut contra eam agunt, dicuntur vias Domini peruertere, aut veritati contrauenire, vel ab ea excidiſſe. Sic Paulus dixit Elymæ mago quærenti auertere proconſulem Sergium à fide, *O plene omni dolo, & omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas.* Et Galatis, qui ab Euangelio à ſe prædicato ad Iudaiſmum, ſeu circumciſionem abduci ſe ſinebant per Pſeudoapoſtolos, dixit: *Quis vos fascinauit non obedire veritati?* quaſi dicat: Quis oculus & nequã & inuidus vos in fide Chriſti teneros & nouellos, ô Galatæ, in hanc fraudem, cœcitatem & errorem induxit? Et 2. ad Timoth. 2. monet vt hæreticos viteт, Hymenæum nempe & Philetum, *qui à veritate exciderunt*, id eſt, à vera fide, cùm docent reſurrectionem eſſe iam factam, *& ſubuerterunt quorundam fidem.* Et ad Hebræos 10. monet eoſdem, vt in fide Chriſti conſtantes maneant ob terrorem vindictæ Dei. *Voluntariè enim*, inquit, *peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur propeccatis hoſtia. Terribilis autem quædam exſpectatio iudicij.* quaſi dicat, Deſciſcentibus voluntariè à fide vix relinquitur hoſtia pro peccato, qua nimirum illam Apoſtaſiam expient, tum quia tales Apoſtatæ planè indigni ſunt veniâ, tum quia certa malitiæ ſuæ, & infidelitate claudunt fontem diuinæ miſericordiæ: vnde illos terribilis Dei vltio manet.

3. *Idem quod iuxta Dei mandata actiones ſuas moderari.*

Secundò idem eſt quod Dei ſeruare mandata, aciuxta ea mores & actiones conformare. Hoc modo accipit Pſalmiſta Dauid Pſal. 118. cùm dicit: *Omnia mandata tua veritas.* Et Pſal 85. *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.* Ioan. 3. *Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera illius, quia in Deo ſunt facta*, id eſt, Qui operatur ſecundum leges iuſtitiæ, venit ad lucem, vt per eam cognoſcat, opera ſua diuinæ voluntati eſſe conformia. Et Ioannes epiſt. 3. ſcribit ad Caium ſibi familiarem: *Gauiſus ſum valde venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas*, id eſt, Gauiſus fui audire teſtimonium ex fratribus, te viuere iuxta fidem & normam Euangelij, ac mores tuos conformes eſſe fidei ac Euangelio, quod profiteris. Et immediatè poſt de alijs Chriſtianis dicit: *Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare*, id eſt, nihil mihi gratius accidere poteſt, quàm eos ſecundum fidem benè operari.

Cùm Iſaias vates cap. 38. Ezechiæ Regi hæc à Deo deferret mandata, Res tuas domeſticas ac regias compone, quia iam iam impendet inluctabilis mortis neceſſitas, Hæc dicit Dominus: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Ille conuerſus ad parietem, & preces, diuinam his verbis miſericordiam, ſollicitat: *Obſecro Domine, memento, quaſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto: & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Recordare, inquit, obſecro, quomodo eo loco te ſemper habuerim, vt nihil mihi potius fuerit, aut antiquius, quàm vt verè, & ſeriò tuam voluntatem exquirerem; quodque tibi gratum fore cognoſcerem, ad illud præſtandum tota animi contentione, ſtudio, atque impetu contenderem. In veritate ergo ambulare coram Deo, eſt ſecundum Dei voluntatem viuere.

4. *Idem eſt quod eleemoſynas impertiri.*

Tertiò idem eſt, quod miſericordem eſſe, & eleemoſynas erogare in pauperes. Sic ſumitur 1. Ioan. 3. vbi ad eas exhortans, inquit: *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate*, id eſt, reipſa impertiamur neceſſe habentibus eleemoſynam. Et epiſt. 3. inde laudat Caium, quod mirè Chriſti fidem illuſtraret fouendo fideles, præſertim peregrinos.

5. *Tobias conſtans manſit in fide, licet captiuus.*

Veniamus modò ad Tobiam noſtrum, quem hîc ſacer textus aſſerit, viam veritatis non deſeruiſſe. Quid hic ad encomium Tobiæ? Primum igitur, quod laude dignum in Tobia Scriptura inſinuat, exiſtimo eſſe, quod conſtans fuerit in religione, operibuſque bonis illo rerum ſtatu. Ad cuius clariorem intelligentiam prius obſerua mi Chriſtiane, ſeruitutem ſub Aſſyrijs eſſe ipſa morte grauiorem, vt palam eſt ex clamore Iſraelitarum in Ægypto exiſtentium, qui ad Dei aures aſcendit, pro eorum liberatione, cùm nimium grauarentur à Pharaone, Exod 3. filij Iſrael Numer. 14. timidi & puſillanimes, quia ſeruietant quaſi mancipia in Ægypto, non habebant animos ad bella gerenda cum Chananæis, veriti ne rurſum apud eos cum ſuis captiuitatem ſubirent, & libertatis amore inflammati,

Seruitus eſt ipſa morte grauior.

flammati, clamabant in solitudine. *Vtinam pertransiuus, & non inducat nos Dominus in terram istam, &c. ne vxores, ac liberi nostri ducantur captiui.* Quasi potius ducerent mori in deserto, quàm seruire in terra Promissionis (vt sine fundamento verebantur.) Sic & Saul, non verbo tantùm, sed etiam facto testatus est, decoram mortem ignominiosæ morti præoptandam. Nam & ipse *arripuit gladium suum, & irruit super eum.* 1. Reg. 31. vers. 5. Rationem reddit D. Ambrosius in Psalm. 37. *Ne captiuus,* inquit, *senex viueret filiis & regno superstes.* Quasi voluntariam mortem violentæ præponeret seruituti. Imò, vt refert Cointus Smyrnæus lib. 13. Paralip. seu Derelictorum in fine Priami filia Laodice, ruente Troia, ad æthera manus sustulit, Deos immortales precata: *vt terra ipsi dehisceret, priusquam seruilia ad opera manum admoueret.* Et voti compos facta, subitò terræ hiatu absorpta euanuit. Refert etiam Iosephus lib. 7. de bello Iudaico ca. 28. quemdam Eleazarum Iudæum, Castellum munitissimum Massadam, tanquam ducem, cùm strenua facinorum manu aduersus Romanorum obsidionem fortiter tuentem, cùm de victoria desperaret, certoque intelligeret, omnes se à Romanis expugnandos, & in seruitutem abducendos; longam orationem præmisisse de immortalitate animæ, ac de gloriosa morte ignominiosæ seruituti præferenda: qua sic omnes excitauit, vt sexaginta viri supra nongentos in mutuas cædes coruerent, & omnes se ad vnum interimerent; ne Romanorum seruituti subderentur: malentes mori liberi, quàm serui viuere; ipsis Romanis admirantibus obstinatos animos tam faciles ad mortem, quàm difficiles ad seruitutem.

6. *Tobias immobilis stetit viliori loco apud Assyrios esset.*

Rursum quod Athleta noster Tobias, etsi viliori loco haberentur apud Assyrios captiui, immobilis permanserit, flocci penderit, nec minimam impatientiæ notam ostenderit. Solent enim Gentiles ita abominari hos captiuos, vt quasi gentem odiosam, vilem, putidam, & grauiter olentem extra vrbem prope flumina, eos vellent commorari; vti constat ex 4. Reg. cap. 8. vbi propterea Assyrij Iudæos ad ripas fluminum contidere iusserunt: *Transtulit,* inquit textus, *Rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocauitq; eos in Hara, & in Habor fluuio Gozan.* Et Ezechiel cap. 1. dicit se Prophetam factum, cùm esset in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar; Et cap. 3. clarius indicat Iudæos illic habitasse, cùm ait: *Veni ad transmigrationem ad acerbum nouarum frugum, ad eos, qui habitabant iuxta flumen Chobar; & sedi vbi illi sedebant, & mansi ibi septem diebus, maerens in medio eorum,* id est, Veni, vt imperata facerem ad contribules meos, qui captiui migrarant è patria ad locum, qui nouarum frugum aceruus appellatur, in quo consederant iuxta fluuium Chobar, & sedi inter illos, posuique ibi septemdialem moram. Qui luctus erat familiare quoddam acerbi doloris indicium & beneuolentis animi legitimum argumentum, quo à miseris initur aliqua gratia, & quasi beneuolentia captatur, quia exules pro mortuis habentur.

Captiui apud Gentiles extra vrbem, quasi fetentes habitabant.

7. *Laudandus Tobias, quòd in captiuitate aliorum curam gesserit, supra constantiam.*

Tobiam nostrum nihil horum labefactare potuit. In omni virturum genere sese exercuit. Quidquid in tam angusto rerum articulo corradere valuit, in vsum egentium liberaliter expendit. Nil eum à bono retardauit. Non minima hæc laus est, & propterea sacra pagina clamat de captiuo nostro: *In captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit.* Hieremias vates prædicatur, quòd è carcere populum hortetur obedire Dei voluntati; quòd post verbera, post neruum, post cenosum lacum illa rursum prophetet, ob quæ dira passus. Tres pueros potius elegisse fornacem plus solito incensam, quàm à Dei cultu vel latum vnguem discedere, Scriptura non silet: Danielem, Darij decreto contempto, ter in die statis horis Deum orantem celebrat, Daniel. 3. & 6. Ioannes Baptista à Christo Domino laudari meruit, cùm ab Herode in carcerem coniectus, curam gerit discipulorum, sollicitus vt fide Christi eos imbueret, Matth. 11. Diuinus ille Apostolus Paulus constantiam in carcere existimauit plurimùm valere ad lucrandos animos. Hinc Ephesianos commonens, hoc titulo tanquam validiori vsus est: *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis.* Præclarè Chrysostomus de Pauli catena agens: *Non frustra,* inquit, *illam, & præter causam more suo profert ac prætendit, sed tanquam qui per illam grauiter permouerat auditorem, & quod hortatur persuadeat. Vt digne,* inquit, *ambuletis vocatione qua vocati estis.* Et paucis interiectis: *Vinctum esse simpliciter, in se bonum non est; sed propter Christum vinctum esse. Propterea dicit: vinctus ego propter Christum. Nihil est quod huic aquari possit.*

Ephes. ca. 4. hom. 9. ad Ephes.

8. *Iusti in vinculis sunt feruentiores.*

Notat idem Chrysostomus homil. 8. ad Ephes. tum maximè feruere iustos, quando in afflictionibus, & vinculis sunt: *In quibus,* inquit, *gloriatur* nempe Paulus: *In vinculis, in afflictionibus, in catena, in stigmatibus.* Ego, inquit, *stigmata* IESV CHRISTI *in corpore meo gesto, velut magnum quoddam tropheum.* Et iterum: *Propter Israel,* inquit, *catena ista circumdatus sum, & in qua legatione fungor in catena.* Et paulò post: *Vbi vincula sunt, illic necesse est magnum quid fieri: vbi afflictio, illic omninò & salus est, illic magna omninò fiducia, illic prorsus magna sunt virtutes. Diabolus enim quando calcat, tum potissimùm percutitur: quando seruos Dei ligat, tum maximè sermo Dei crescit. Et vide quàm istud vbique sit factum: vinctus erat Paulus, & tamen illa in carcere operabatur.*

Galat. 6. Actor. 28. Paulus in vinculis plurimum boni fecit.

In

In ipſis enim, inquit, *vinculis meis vinctus erat Roma, & plures adducebat. Non enim ipſe ſolus confidenter agebat, ſed & per ipſum multi alij: vinctus Hieroſolymis, & vt erat ligatus, concionando regem terrabat, ac principem in timorem conjiciebat. Nam terrefactum abſoluis ipſum, non pudefactus is qui ligaueras de futuris ab eo, qui vinctus erat, diſcere. Vinctus nauigabat, & naufragium ſoluebat, & tempeſtatem ligabat: in vinculis exiſtentem mordebat beſtia illa, ſed nullo illato damno decidebat. vinctus Roma, & vt ligatus erat, concionando innumeros attrahebat. hoc ipſo quod pro omnibus catenam prætendebat.* Et longè poſt digreditur ad alios, qui in vinculis vtiliter operati ſunt, *Vult is*, inquit, *vobis mentionem, & alterius cuiuſdam carcerem faciam; Neceſſe eſt vt ab hac catena ad alium carcerem ſermonis tranſlatio fiat. Quem vultis? An in quo Hieremias fuit? An in quo Ioſeph? An qui Ioannem habuit? Gratia Pauli catena, quæ ſermoni noſtro carceres aperuit? Ioannis carcerem vultis? vinctus erat & ille propter Chriſtum, legemq; Dei. Quid autem in carcere conſtitutus fecit? otioſus, ibi fuit? An non ex illo miſſis diſcipulis ſuis dixit: Euntes dicite Chriſto, Tu es venturus ille, an alium expectabimus. Itaque & illic exiſtens docuit: non enim erat negligens. Et Hieremias numquid de Babyloniorum Rege in carcere prophetauit, omnia & illic quæ ſe concernebant exequens? Quid vero Ioſeph? An non tredecim annis in vinculis fuit. Quid ergo? Nec illic virtutis ſuæ oblitus eſt.*

Aliorum exempla qui captiui in bona perſeuerarunt.

9. Sic planè Tobiæ noſtri conſtantiam in captiuitate poſiti hac oratione prædicat ſacra pagina: *In captiuitate tamen poſitus viam veritatis non deſeruit. Ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.* Quid mirum? Tanti enim facit Deus conſtantiam in fide, & religione, ac operibus bonis, vt propterea miracula operetur: vt patet in Ezechia Pſalm. 38. cùm Deus ſanitatem ſubitò illi oranti, & in bono perſeueranti conceſſit, & Solem, in ſignum quod tertia die aſcenderet ad templum miraculosè fecit decem gradibus retrocedere. Eliam per coruum ſuſtentauit, Danielem in lacu leonum mirabiliter conſeruauit, & Chananææ filiam ob perſeuerantiam matris à dæmonio liberauit, Matth. 15. & Marci 8. triduò ſuſtinentes ſe miraculosè pauit. Quinimo ex hiſtorijs conſtat, Deum fideles ipſum confitentes, linguis & manibus dexteris abſciſſis radicitus, ita diſertos reddidiſſe, Spiritu ſancto præſtante, vt loquerentur quemadmodum anteà, vti teſtatur Victor Vticenſis libr. 3. Wandalorum, de ciuibus Tympanenſis Mauritaniæ oppidi, Arianiſmum execrantibus, Chriſtumque Deum confitentibus, ac publicè diuina miniſteria in vna domo congregatis celebrantibus, iuſſu Hunerici Regis amputatis prædictis partibus factum eſſe in medio foro.

Deus quandoq; conſtantiam aliquorum miraculis illuſtrat.

Quantum abſumus à Tobiæ & aliorum heroicis animis. Exemplis non mouemur. Puſillanimes & deſides agnoſcimur ſi quid infortunij, ſi carcer, ſi vincula, ſi quid malorum contingat: & quod peius eſt à recto tramite deflectimus, noſtro malo; ſimiles Sauli Regi, feruemus aliquantulum. Cùm regnum iniſſet, ipſe tam erat animo ſimplici, ac puro, vt vnius anni infantulo non eſſet abſimilis: ſed diu in illa ſimplicitate, ac vitæ candore non permanſit. Inobediens factus eſt præcepto Samuelis 5. Reg. 13. Vnde meruit audire, *Nequaquam regnum tuum vltrà conſurget.* Magnus ille Gregorius illic vim perſeuerantiæ cognoſcit, quæ ſi deſit, quæcumque prius comparata fuerant, nullo ponuntur in numero; ſed quaſi diſſoluto, aut potiùs non adhibito nodo effunduntur, aut diſſipantur è ſæculo: *Ecce*, inquit, *quàm magna perdidit, qui, vt putabat, nulla contempſit. Ecce ſeptem diebus prophetam ſuſtinuit, ſed dum præſtolari eum in fine diei deſiit, gloriam tante dignitatis amiſit. Vnde & per Prophetam dicitur: Va his, qui perdiderunt ſuſtinentiam. Eccleſ. 2. Suſtinentiam quidem perdunt, qui bona, quæ inchoant, non conſummant. Quibus nimirum væ eſſe dicitur, quia non ſolum incepti laboris mercedem perdunt, ſed etiam apoſtatando ſui pœnâ feriuntur. Pœna autem ſuperbi, & inobedientis Regis declaratur. Quod ſi non feciſſes, præparaſſet iam Dominus regnum tuum*, &c.

10. *Plurimi hominum inconſtantes leui de cauſa.*

Sine perſeuerantia, acquiſita pereunt.

Caueamus à ſimilibus. Alieno periculo cautiores ſimus, imitemur Tobiam, conſtantiam æmulemur. Saluator noſter planiſſimè dixit Matth. 10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Senior ille in vitis Patrum lib. 5. cap. 7. *Sicut canis venaticus*, inquit, *videns leporem ſequitur, nec impeditur propter illos canes, qui poſt ſe reuertuntur, ſed neque de præcipitijs, neque de ſiluis, neque de vepribus cogitans, raditur & pungitur, & non quieſcit, donec comprehendat: ita & qui Dominum Chriſtum quærit, cruci indeſinenter intendit, quæ occurrunt ſcandala omnia prætereat, donec ad Crucifixum perueniat.*

11. *Perſeuerãtes dumtaxat coronantur.*

Ne dixeris, fruſtrà perſeuerantiam laudari in homines, quia Dei donum eſt; licet enim verum hoc ſit, neque vllus ex condigno perſeuerantiam mereri valeat, eſt etiam liberi arbitrij, adeoque in tua poteſtate partim eſt, & tuo arbitrio perſeuerare, nec ne. Barnabas Apoſtolus id manifeſtum facit. Conſiderabat Gentiles Antiochiæ per gratiam Dei excitatos, auidè amplecti fidem Chriſti: cernebat eos conſtantiores, deuotos, & feruentes, vnde hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino. Actor. 13. fruſtrà monuiſſet, niſi fuiſſet in eorum arbitrio. Chriſtus Dominus planius rem edocet, dum monet Angelum ſeu Epiſcopum Smyrnæ, vt conſtanter ſe gerat erga præſentes tentationes: *Eſto*, inquit, *fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam*

12. *Refelluntur non perſeuerantes, quod dicant perſeuerantiam Dei eſſe donum.*

Perſeuerare pendet partim à libero arbitrio.

coronam vitæ, Apocal. 2. & Episcopo Philadelphiæ declarat victoriam in proprijs manibus, & propria potestate existere, cùm monet, vt coronam constanter retineat, nec sibi ab alio eripi toleret: *Tene*, inquit, *quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Apostolus Corinthianos vrgens ad felicẽ vitæ cursum, inquit: *Sic currite, vt comprehendatis*, 1. Cor. 9. Alludit ad morem Antagonistarum, qui ex eminentiore loco appentam coronam, incitato quàm ocyssimè cursu manibus corripiebant. Ieronymo teste, *non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finiuit. Iuda laudantur exordia, sed exitus proditione damnatur.* Et alibi. *Incipere*, ait, *plurimorum est; perseuerare paucorum.* Vnde & grande præmium eorum, qui perseueraueri nt. Si præmium ergo voluntatis, & liberi arbitrij.

Epist. 10. ad furiam.

13. *Societas malorũ non excusat peccatorem.*

Nolo mihi obijcias, perseuerare inter malos perquàm esse difficile, & vix posse hominem in hoc orbe agentem, virturum candorem retinere; *Nemo enim coronabitur, teste Apostolo, nisi qui legitimè certauerit*: neque quid valet apud Deum, excusare peccata ob prauam aliquorum societatem: nostra solùm, ignauia culpanda venit. Tobias in captiuitate apud Assyrios, homines barbaros, & impios viam veritatis non deseruit. Beatus Ephrem sic quemdam prius feruentem in timore Domini, postea tepescentem aggreditur: *At fortè cupis dicere: Homines isti cogitationem meam peruerterunt. Ergo nostri ventris mancipia facti sumus, & propria voluntatis. Vis, ostendam tibi, charissime, ex nostra ignauia id ortum esse. Loth in Sodomis habitabat, & non cum eis periit.* (Alij legũt: *Et non cum eorum malitia periit.*) *Giezi Propheta Eliseo seruiebat, & peccauit. Similiterq; Samuel apud Heli permanebat, & simul cum filijs ipsius versatus est: & illi ceciderunt, hic autem saluatus est; quia in veritate dilexit Dominum. Iudas porrò Iscariotes, cum discipulis sequebatur Dominum: & tradidit magistrum ac Dominum gloriæ in manus impiorum. Ne igitur cedamus inimici consilio suggerentis, videlicet honestas prima fronte causas, ad animas nostras exerrendas. Ex diuinis enim Scripturis exempla habemus, quomodo vnusquisq; sibi ipsi attendere debeat; siue cum iustis conuersetur, siue cum peccatoribus. Inter iustos ergo ac bonos dum commoramur, iustè & sanctè viuamus: at si peccatoribus cohabitemus, demus operam, vt à nobis illi ad viam salutis pertrahantur, diuinâ aduuante gratiâ. Quòd si vis dicere, debilem te esse & pusillanimem? Audiamus sacras Scripturas, & Sanctorum Patrum viuendi normam imitemur, vt sanetur anima nostra.*

Paræmi 35.

1. *Prauitas communitatis non contaminat nisi volentem.*

Idem S. Patriarcha nactus fuit aliquando Religiosum quemdam, vt apparet, scrupulis distractum, ita vt à mundanis hominibus vitæ religiosæ metueret noxam, cuius vulneri hoc malagma apposuit lib. de pœnitentia ante med. *Non iniuriam Danieli intulit Babylon: neque tibi ciuitatis viuendi ratio obesse poterit, si verè pium ac religiosum tegesseris. Non combussit tres pueros caminus ignis: neque ille nocebit tibi, si causa præcepti, aut ministerij ad communem vtilitatem pertinentis, in ciuitate, & in pago, ac castello versaturus es, si cum temperantia ac fide teipsum componas & compares. Non lapsus est Tobias cum Ninuitis: neque ex inuenum consuetudine factus est vlla ex parte remissior. Non contaminauit inculpatam atque irreprehensibilem vitam iusti Loth, iniquitas Sodomorum: neque firmam ipsius immutauit fidem effrenata ipsorum lasciuia atque incontinentia. Et tu si frugi fueris ac sedulus: non tibi obfuerit ad forum accessisse propter Deum.*

D. Augustinus epist. 162. aliorum exemplis rem illustrat, qui inter malos viuentes non solùm non inquinabantur, sed etiam laudabiliter sustinebant: *Tolerat*, inquit, *Aaron multitudinem idolum exigentem, & fabricantem, & adorantem. Tolerat Moyses aduersus Deum tot millia murmurantia, & toties offendentia nomen eius sanctum. Tolerat Dauid Saulem persecutorem suum, sceleratis moribus cælestia deserentem, magicis artibus inferna quærentem, occisum vindicat, Christum etiam Dominus propter sacramentum venerandæ vnctionis appellat. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, peruersosq; filios suos, quos populus quia tolerare noluit diuina veritate accusatus, diuina seueritate correptus est. Tolerat denique ipsum populum, superbum contemptorem Dei. Tolerat Isaias in quos tam multa vera crimina iaculatur. Tolerat Hieremias à quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Pharisæos & scribas, quales illo tẽpore fuisse scriptura testatur. Scio me multos prætermisisse, legant qui volunt, legant qui possunt diuina eloquia, inuenient omnes sanctos Dei seruos & amicos semper habuisse, quos in suo populo tolerarent.* Subnectit immediatè post quod nostro proposito congruit: *Cùm quibus tamen illius temporis sacramenta communicantes, non solùm non inquinabantur, sed etiam laudabiliter sustinebant, studentes, sicut ait Apostolus, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.*

2. *Plurimorum exempla, qui inter malos boni fuerũt.*

SECTIO XXIII.

Quis fidelium hisce temporibus constantiam Tobiæ imitetur?

INTER Christianos duo sunt genera fidelium; vnum eorum, qui iuxta fidem in Christum omnia credunt, quæ sancta Dei Ecclesia, tanquam à Deo reuelata nobis credenda proponit. Et hi vocantur Catholici. Alterum eorum, qui præter fidem in Christum, nihil credunt, nisi quod illis lubet: Et hi vocantur hæretici, qui in varias classes seu sectas sunt dissecti. Vtrique ergo credunt in Christum, vtrique prætendunt ex perseuerantia in sua

1. *Duo sunt genera fidelium inter Christianos.*

sua fide laudem, & salutem: sed alterum eorum in errore versari necesse est, quia Christus non est diuisus.

2. *Apud eos vera ecclesia, apud quos est antiquitas.*

Hoc dissidium sic sopiri posse videtur: vt à qua parte deprehenderetur stare antiquitas, illic etiam adsit triumphus. Dicebat enim Moyses Deuteron. 32. præuidens ex Dei instinctu, quòd Hebræi post mortem suam à Deo desciscerent: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & annunciabit tibi maiores tuos, & dicent tibi.* Et Hieremias cap. 6. dum ad meliorem frugem hortatur Iudæos, *State*, inquit, *super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris*, quasi dicat, Speculamini, & considerate vias, id est, viuendi rationes, & *semitas antiquas*, id est, quomodo vixerint maiores tui ac Patriarchæ, & imitamini fidem Abrahæ, Isaaci obedientiam, Iacobi labores, Iobi patientiam, Danidis sanctitatem, vt explicant S. Hieron. Theodor. & alij. Aut rursum. Speculamini quasi ex edito loco, quæ sit optima via, ac viuendi ratio, considerate maiorum vestrorum & malorũ & bonorum malos vel bonos, infelices vel felices; exitus & videte, an bonos sequi cum bono exitu, an malos cum malo velitis. Hæc quoad Iudæos.

4. *Apud Catholicos stat antiquitas.*

De Ecclesia Catholica scripsit olim Isaias vates c. 35. *Erit ibi semita & via, via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus: & hæc erit nobis directa via; ita vt stulti non errent per eam*, quasi dicat, Tempore Christi erit semita, nõ quam serpens terat, aut reptantium genus, sed quam viri ingrediantur sancti, & quæ ad religiosum locum, & habitationem sanctam deducat; neque transibit per eam gentilis & peccator in sua infidelitate, aut sceleribus pertinax: illis enim non patet via ad Ecclesiam, sed resipiscere & conuertere volentibus, qui ab omni pollutione & sorde in hac via per lauacrum baptismi emundabuntur: quæ tam erit inuenibilis, vt eos etiam, qui tardi sunt ingenij, & mentis imbecillæ ad destinatum finem facile atque sine errore deducat. Id verum esse facilè reperies, si consideres veritatem disciplinæ & fidei Christianæ. Christus enim Dominus, *quamdiu in terris agebat, ipse pronunciabat, suæ populo palam, suis discentibus seorsum, ex quibus duodecim præcipuos Lætri sui adlegerat destinatos nationibus magistros*, quos videlicet post Resurrectionem, suam iussit ire & docere nationes baptizandas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quibus *palam edixit, sine vlla significatione alicuius tacitæ sacramenti, ipse præceperat: si quid in tenebris, & in abscondito audissent, in luce & tectis prædicarent. Ipse per similitudinem præfigurauerat: ne vnam vnam*, id est, *vnum verbum eius, sine fructu in abdito reseruarent. Ipse docebat lucernam, non sub modio obstrui solere, sed in candelabrum constitui, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Hæc Apostoli aut neglexerunt, aut minimè intellexerunt, si non adimpleuerunt abscondentes aliquid de lumine*, id est, *Dei verbo, & Christi sacramento. Neminem quod scio verebantur, non Iudæorum vim, non ethnicorum: quo magis vtique in Ecclesia liberè prædicabant, qui in synagogis & in locis publicis non tacebant.*

3. *Eadem est modò Ecclesia doctrina, quæ fuit Apostolorũ.*

Videamus quid docuerint. *Age*, inquit Tertullianus cap. 37. iam *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsa cathedræ Apostolorum adhuc suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusq. Proximè est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ adiaces habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu infelix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Aphricanis quoque Ecclesiis contesserarit. Vnum Deũ nouit creatorem vniuersitatis, & Christum* IESVM *ex virgine* MARIA *filium Dei creatorũ, & carnis resurrectionem: Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis litteris miscet, & inde potat fidem eam: aquâ signat, sancto spiritu vestit, Eucharistiâ pascit, martyrio exhortatur, & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio, non dico iam quæ futuras hæreses prænunciabat, sed de qua hæreses prodierunt.*

Vna est fides

Ipsi itaque docuerunt vnam fidem Ephes. 4. nec in vllo puncto errorem admiserunt, vt Galat. 3. ita vt Paulus diceret fidem in Christum illis Galatis non profuturam si circumcisionem iuxta illam admitterent. Illi docuerunt fidem sine operibus inanem esse & vacuã Iac. 5. Septem asseruerunt sacramenta. Scripturam non solùm scripto, sed verbo traditã tenendã præceperunt esse Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis. Hæc omnia ad admussim credunt, & admittunt Catholici. Hæretici verò omnino ab hac doctrina dissentiunt, vt latè deduxi Discursu 17. in I. Præc. à n. 5. vsque 7. Adeoq; nouam doctrinam amplectuntur Apostolis incognitã.

Fides sine operibus infructuosa.

Catholici igitur Tobiæ cõstantiam imitantur; ab eorum parte stat veritas, stat antiquitas: à parte hæreticorum mendacium, & nouitas. Catholici nunquam fidem mutarunt, hæretici ad libitum. Vide dicta Discursu 16. operis mei moralis in I. Præceptum num. 4. A veritate exciderunt hæretici, mendacium amplexi, idipsum pertinaciter sustinent. fidem fingunt absque operibus iustificantem; nolunt iustitiam hominis concinnari ex virtutibus

Mandata in Tobiam.

tutibus Theologicis, fide, ſpe, & charitate, quæ animam ſuo nitore conueſtiant; ſed dũtaxat occultationem eſſe delicti. *quam qui ſolâ fide præhenderit, ille tam de ſalute certus eſt ac ſi iam pridem interminato cœli gaudio frueretur.* Ita Caluinus inſtit. lib 3. ca. 2. num. 28. & 42. Eorum fides, niſi incertam aliàs perſeuerantiam firmè homini pronuntiet, tanquam inanis & languida ſpernenda venit. Sic idem Caluinus, Lutheri verba ſunt, *Chriſtianus etiam volens non poteſt ſalutem perdere, niſi nolit credere*, de captiu. Babylon. De ſeptem Eccleſiæ Sacramẽtis, gratiæ inſtrumentis, quid dicam? Diſertè Edmundus Campianus: Non duo, nõ vnum, ô ſancte Chriſte, reliquerunt. Ipſorum quippe panis venenum eſt. Baptiſmus, etſi adhuc verus, tamen ipſorum iudicio, *nihil eſt, non eſt vnda ſaluti, non eſt canalis gratiæ, non derivat in nos Chriſti merita, ſed ſignificatio duntaxat ſalutis eſt. Itaque nihilo pluris baptiſmum Chriſti, quoad naturam rei, quàm Ioannis fuêre cæremoniam. Si habeas, rectè ſi careas, nihil damni: crede, ſalvus es, antequam abluare.* Quid ergo paruuli, qui niſi iuuentur virtute Sacramenti, ſua fide miſelli nihil aſſequuntur. *Potius quàm Sacramento Baptiſmatis tribuamus*, inquiunt Magdeburgici, *demus ineſſe fidem ipſis infantulis, quâ ſeruentur, cuius fidei pulſus quoſdam abditos intelligant*, ipſi; qui viuant, nec ne nondum intelligunt. Durum. Si hoc adeò durum eſt, Lutheri pharmacum auditore: *Præſtat*, inquit, *emittere, quandoquidem niſi credat infans nequaquam lauatur.* Hæc illi quidem, ancipites animo, quidnam enuncient cathegoricè. Ergo Balthaſar Pacimontanus, diribitor interueniat: qui parens Anabaptiſtarum, cùm paruulis motum fidei non poſſet affingere, Lutheri cantiunculam approbauit, & pædobaptiſmum eijciens è templis, *neminem niſi adultum fonte ſacro decreuit abluere.* Ad reliqua Sacramenta quod attinet, quamuis illa beſtia multiceps horrendas eiecet contumelias; tamen quia quotidianæ iam ſunt, & callum auribus obduxerunt, hîc prætereo. Hactenus Campianus.

Abſurda quædam Hæreticorũ de fide, & Sacramentis.

Caluin. Inſtit. lib. 4. c. 15. n. 2. & 10.

Cent. 2. l. 1. c. 10.

Luth. lib. de Capti. Babyl.

Magd. cent. 2. & 5. c. 4.

Luth. aduerſus Cochlæ.

Apoc. 13.

Quæ præter hæc aſſerunt, recitare non licet, niſi des veniam recitanti. *Quantò ſceleratiores ſumus*, inquit Lutherus, *tantò vicinior gratia. Decalogus nihil ad Chriſtianos. Opera noſtra Deus nequaquam curat.* Huic conſonat Caluinus; bona opera ad ſalutem nihil facere, audacter, aſſerit. Signa tantùm præſentis fidei vult eſſe. Hæc mordicus ſuſtinent. Quod non eſt conſtanter perſeuerare, ſed perfricta fronte, obſtinatâ mente deteſtandæ ſectæ dogmata tueri. Quid? Num Chriſtus diuiſus eſt? num Chriſtum Lutherus, num Caluinus, & Chriſtum Catholici loquuntur? Aut nos, aut illi falſum Chriſtum loquimur. Chriſtus ergo illis ſit, & illorum ſit, quo inuicto Dagon ceruices fregit. Catholici Ioues, Mercurios, Dianas Phœbadas, & illam noctem ſæculorum atram, Erebumque triſtem è multorum populorum cordibus relegarunt: Hæretici diabolo patrocinantes in locum idololatriæ hereſes inuexerunt. Quas etiamſi vſque ad mortem pertinaciter amplecterentur, & tuerentur, palmam non aſſequentur fidei, ſed pœnam perfidiæ. Autem præbe peruetuſto Authori Cypriano. Is diſertè hoc ipſum aſſerit: *Cùm Deo manere non poſſint, quia eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt; ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti beſtijs animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Sic ſe Chriſtianum profitentur, quomodo & Chriſtum diabolus ſæpe mentitur, ipſo Domino præmonente & dicente: multi venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Sicut ille Chriſtus non eſt, quamuis fallat in nomine illius: ita nec Chriſtianus videri poteſt, qui non permanet in Euangelij eius & fidei veritate.* Ad hæc D. Bernardus inſtruit eos, qui mirabantur hæreticos gladio coercendos, ne in ſuum errorem alios traijcerent, & tamen lætos, vt videbatur procedere ad mortem: *Mirabantur*, inquit, *aliqui, quòd non modò patienter, ſed & læti, vt videbatur, ducerentur ad mortem: ſed qui minus aduertunt quanta ſit poteſtas diabolo non modò in corpora hominum, ſed etiam in corda quæ ſemel permiſſum poſſederit. Nonne plus eſt, ſibimet hominem injicere manus, quàm id libenter ab alio ſuſtinere? Hoc autem in multis potuiſſe diabolum frequenter experti ſumus, qui ſeipſos aut ſubmerſerunt, aut ſuſpenderunt. Denique Iudas ſuſpendit ſeipſum diabolo ſine dubio immittente. Ego tamen maius exiſtimo magiſq; admiror quod potuit immiſiſſe in cor eius, vt traderet Dominum, quàm vt ſemetipſum ſuſpenderet. Nihili ergo ſimile habet conſtantia martyrium, & pertinacia horum quia mortis contemptum in illis pietas, in iſtis cordis duritia operatur. Et ideò propheta martyris forſitan voce dicebat: Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ego verò legem tuam meditatus ſum: pro eo videlicet, quod etſi pœna eadem videretur, longè diuerſa eſſet intentio, illo vtique durante cor contra Dominum, iſto in lege Domini meditante.*

Licet hæretici in hæreſi ſua conſtanter ſint, tamen fidei palmam non aſſequuntur.

Bernard. ſerm. 66. in Cant.

CAPI.

CAPITIS PRIMI

VERSVS XII.

Cùm omnes ederent ex cibis Gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum.

PARAPHRASIS.

Cùm omnes Iudæorum religionem parum curarent, & legis veteris obseruantiam, sed liberè vescerentur cibis Gentilium, quos Iudæorum religio prohibebat; Tobias animæ suæ rationem habens, strictissimè cauit ne per escam contaminaretur.

SECTIO VIGESIMA-QVARTA.

Cur laudabile fuerit in Tobia abstinere à cibis gentilium.

1. *Insanum est dicere, non licere abstinere à certis cibis.*

RATIO inquisitionis est, quia CHRISTVS Matth. 15. dixit: *Non quod intrat in os, coinquinat animam, sed quod procedit ex ore, hoc inquinat animam.* Quâ Scripturâ plerique abutentes persuadent tibi per cibum nullâ ratione animam contaminari. Quod magis est, Caluinus videt Danielis abstinentiam, eiulq; metum pollutionis, quasi puerilem, illamque superstitioni & zelo indiscreto ascribit. Nec dubium est, quin similiter blasphemasset, si de Tobiæ abstinentia illi quid in mentem veniisset. Insania manifestissima. Christus vtiq; duntaxat docuit per se cibum non inquinare animam, si nullum adsit præceptum: sancti viri non sine graui causa à certis cibis abstinuerunt. Restat argumenta in medium adducere cur sacra pagina recenseat, laudabilem Tobiæ abstinentiam.

2. *Iudæi per discretionem ciborum distinguebantur à Gentilibus.*

Primum sit, quia ex diuino instinctu per discretionem ciborum Iudæi distinguebantur à Gentilibus, vt satis colligitur ex ordinatione Leuit. 11. & Deuteron. 14. vbi Dominus postquã vetuerat incisionem super mortuo, subdit: *Quoniam populus sanctus est Domino Deo tuo, & te elegit, vt sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram.* Et immediatè pòst subijcit: *Ne comedatis quæ immunda sunt.* reficans legem de cibis mundis & immundis, præscriptam Leuit. 11. Et ex hoc capite patet Iudæis non licuisse, communem cum Gentibus habere mensam, Petrus Act. 10. iuxta illum morem (seruans cum fidelibus, vtpote Iudæo-Christianis legem Moysis, & differentiam ciborum mundorum & immundorum) dicebat: *Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam*; nempe mensæ atque conuictus gratiâ: nam doctrinæ causa, & poterant & faciebant sæpè. Vnde est illud Christi Matth. cap. 26. *Circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum.* Et clariùs cap. 11. vers. 3. *Disceptabant cum eo* (nempe Petro) *qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare intrasti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Quod vsque adeò ipsis etiam Gentibus notum erat, vt mulierecula quædam Christum reprehenderet Ioann. 4. quia ab alienigena potum petijsset. *Quomodo*, inquit, *tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?*

3. *Per immundorum ciborum abstinentiam, docebantur Iudæi abstinere à vitijs.*

Secundum erat, quia Deus per discrimen ciborum immundorum, in quibus prauæ quædam inerant conditiones, & proprietates vitiorum, crudelitatis, ingluuiei, rapinæ, impietatis, superbiæ, luxuriæ, & aliorum, volebat docere populum suum, ab illis vitijs esse abstinendum; quod alioquin coram Deo immundi iudicarentur, & cælo arcerentur, vt Tertullianus, alijque veteres testantur, & inter alios S. Augustinus libr. contra Adimantum cap. 15. dicit hos cibos Iudæis non fuisse vetitos, quòd per se mentem coinquinent: sed hæc de eis præcepta populo carnali fuisse posita, ad significationem humanorum morum, & vt futuram disciplinam spiritualis populi Christiani prophetarent. Hinc etiam vt notat S. Cyrillus lib. 14. de Adoratione in spiritu, quædam hîc vetantur, quæ comedi non solent, quæq; omnes naturaliter respuimus & abhorremus, vt stellio, mustela, mus, &c. Et quia in cibis gentilium variè ex coquorum arte conditis internoscere non potuisset Tobias carnes quæ permittuntur ab his, quas prohibet religio, maximè cùm ex concessis à lege, nefas esset attingere morticinum & suffocatum, & id à quo sanguis expressus non erat; hinc laudi illi vertitur, quòd ad conseruandam conscientiam immunem à transgressione legis, quoslibet Gentilium cibos abhorruerit.

4. *A cibis Gentilium idolis immolatis*

Tertium verò est, quia multa comedebant gentes, quę prius fuerant idolis immolata, aut super quę idolorum implorabantur nomina,

abſtinebant Iudæi, & quare.

quomodo Chriſtiani implorato Dei nomine menſæ benedicant: quæ ſi comediſſet, non obſcuro ſigno ſe patriam religionem abiuraſſe profeſſus fuiſſet. Hac enim de cauſa, qui ſui iuris erant etiam inter alienos, religioni legibuſq; diſſimilibus addictos, ſuis tamen legibus, atque arbitratu viuere ſolent, cibis vti à lege aut conſuetudine permiſſis. Iudith c. 10. proficiſcens ad Holofernem apud Aſſyrios Principem militiæ, *Impoſuit Abra ſuæ aſcopram vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt.* quaſi dicat Scriptura, Quia timebat Deum, neque ſe Gentilium cibis contaminare volebat, ad pauculos dies, quibus in Aſſyriorum caſtris commorandum ſibi exiſtimabat, cibos ſibi & potum aſportauit: atque ideò aſcoperam ſumpſit, id eſt peram ex pelle, quæ nihil erat aliud, quàm vtriculus, quam impleuit vino, & quia illis diebus, quod faciebat domi, ieiunare conſtituerat, carnem ſibi parauit puram, id eſt, quæ vacua erat ab animalium carnibus. Ad quã nihil tulit aliud, quàm quod ſine igne condiri, & eſculentum fieri ſine opera culinaria poſſet. Polenta enim eſt hordeum madefactum, deinde ſiccatum & toſtum, & molâ in farinæ modum comminutum. Et cap. 12. cùm Holofernes eximiâ ipſius Iudithæ pulchritudine captus, in Theſaurorum cubiculum illam introduxiſſet, ac ex ſuo conuiuio penaque, quod daretur illi ad veſcendum conſtituiſſet, reſpondit Iudith: *Non non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio: ex his autem quæ mihi deſunt, manducabo.* Sic Daniel, c. 1. cùm Rex Nabuchodonoſor ipſi & tribus pueris conſtituiſſet *annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino, vnde bibebat ipſe, vt enutriti tribus annis regijs cibis, poſtea ſtarent in conſpectu Regis:* ipſeque Daniel propoſuiſſet, vt loquitur textus, *in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius*, adijt Eunuchorum præpoſitum, eumque ſupplex orauit, ne pateretur quidquam ſibi de regio luxu atque delicijs adferri, à quibus niſi abſtinerent polluti cenſerentur.

§. *Etiam etiam Gentiles Dijs ſuis immolabant priuſquam biberent.*

In quibus aduerte non ſolum Danielem horruiſſe cibum, ſed etiam vinum Iudæis à lege non prohibitũ; quod etiam vinum prius ex more gentilico ritu ſacrum fiebat, aut potius execrabile; quod ex ſacra Scriptura probare non eſt difficile. Vnum ſit nobis pro multis teſtimonium ex cap. 32. Deuteron. v. 38. *Vbi ſunt Dij eorum in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* inſinuat Moyſes, quod Deus per Prophetas, quos mittet ad Iudæos, vt reſipiſcant, & ad Deum redeant, inſultando dicet, vbi ſunt idola veſtra in quibus ſperaſtis, & victimarum eorum adipem comediſtis, & vinum libaminum, id eſt, diis veſtris conſecratum, bibiſtis: nam in vero Dei & ordinato cultu, adeps omnis victimarum à nemine comedi, ſed ſoli Deo adoleri debebat, vt patet Leuit. 3. verſ. 17. Sic & vinum libaminum, id eſt, quod ſoli Deo libari & effundi debebat, ipſi ſacrilegæ, more Gentilium comediſtis & bibiſtis, eaque cæremoniâ vos ſocios dæmoniorum declaraſtis. Quod clarius explicat Paulus 1. Cor. 10. cùm de iis, quæ idolis immolata erant, ſic loquitur, *Videte Iſrael ſecundum carnem, Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatum ſit aliquid; ſed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*, id eſt, Videte, o Chriſtiani, carnales Iſraelitas, nonne ipſi dum comedunt hoſtias Deo oblatas cenſentur participes eſſe ſacrificii in altari Deo oblati, & conſummare ipſum ſacrificium, ac per hoc quodammodo ſacrificari, quaſi dicat, Eodem modo qui comedunt de pane Euchariſtico, participes ſunt ſacrificii Euchariſtici, & qui comedunt idolothyta, participant de Sacrificiis idololatricis, illaque conſumunt, ac per hoc ſacrificant quaſi idolis. Adeoque probat ab exemplo Iudæorum, eos, qui cibis veſcuntur idolo immolatis, ſimul ſacrificare Deo & dæmoni. Et S. Cyprianus ſermone de lapſis maximè inuehitur in Chriſtianos ſui temporis, quòd ad primas ſtatim verba hoſtis minantis idolis ſacrificauerint, & voluntario lapſu ſeipſos proſtrauerint. Item quòd iam ſacrificijs idolorum maculati contra Euangelii legem ante expiata delicta ante confeſſionem criminis factam, communicando vim inferrent corpori & ſanguini Domini. *A diaboli*, inquit, *aris reuertentes ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedant. Mortiferos idolorum cibos adhuc pænè ruſtantes exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus inuadunt, quando oceurrat Scriptura diuina & clamet, & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque manducauerit, ex carne Sacrificij ſalutaris. quod eſt Domini, & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo. Apoſtolus item teſtatur & dicit: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum. Idem contumacibus & pernicacibus comminatur & denuntiat, dicens: Quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori eius & ſanguini: & plus modò in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt.* Ex poſtea multa exempla adducit eorum, qui poſtquam cibos idolis immolatos comediſſent, acce-

Comedentes Gentilium hoſtias, ſeu idolothyta, participabãt de ſacrificijs idololatricis.

Leuitic. 22.

1. Corint 10.

1. Cor. 11.

Multi olim fuere puniti, qui comeſtis

Idolothytis accedebant ad Eucharistiam.

accedentes ad Eucharistiam à Deo grauiter puniri sint. Nec mirum. Cùm enim terrenus Imperator, non ferret aliquem ex militibus suis per fugam in castris aduersariorum agere, multo minus permittit Deus, vt sui accedant ad epulas dæmoniorum. Quod seriò animadtit nobilis ille senex Eleazarus, 2. Machab. 6. vt mori eligeret, quàm vesci suillâ carne legevetitâ, aut aliâ per legem licitâ, simulando se manducare illicitam.

SECTIO XXV.

An tempore Euangelij aliqui laudem mereantur per abstinentiam à certis cibis.

1. IVDAICAM illam quorumdam ciborum abstinentiam per Christum esse sublatam, prodit cap. 10. Act. Abstinentiam tamen coli inter Christianos extra dubium est. Vt autem dignoscas quando laudem mereatur, nota quem diuersis de causis posse à cibis abstinere: vel enim abstinet à certis cibis tanquam venenosis & mortiferis, ad quod teneretur ex lege naturali, ne suiipsius fiat homicida. Vel rursum abstinet quis à vino & carnibus tamquam natura sua malis, & is hæreticus est, cosque sequitur, quos notat Paulus, 1. ad Tim. 4. dicens: *Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus, discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione recipitur.* Ibi loquitur contra Simonianos, Saturninum (qui tempore Apostolorum vixit) Ebionem, Manichæos, Marcionitas, Eucratitas, qui dicebant nuptias, vinum, carnes, &c. non esse à Deo bono sed malo, puta diabolo, creata, ac proinde hæc natura sua esse mala & cauenda, eorumque esu & vsu hominem inficì & maculari. Illos carpit Apostolus, quia indirectè mysterium Incarnationis per dogma huiusmodi satagebant euertere; & propterea Apostolus cùm egisset de veritate Incarnationis Dominicæ tenenda c. 3. subjicit has hæreses à diabolo procedere, quibus volebant carnem Christi non esse bonam, nec à bono Deo; quandoquidem ex eorum sententia caro suâ naturâ esset mala. Non igitur contra Catholicorum institutum, eò loci egit Apostolus, vt prætendunt Nouantes. Diserte Hieronym. lib. 2. aduersus Iouinianum: *Reprobat quidem Apostolus eos, qui prohibebant nuptias, & iubebant cibis abstinere, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarũ actione. sed Marcionem designat, & Tatianum, & cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda & contemnenda & abominanda opera Creatoris. Nos autem & creaturam omnem laudamus Dei, & maciem ſagina, abstinentiam luxuria, iciunia preferimus saturitati: vir quippe in laboribus laborat sibi, & vim facit in interitum suum. Et à diebus Ioannis Baptistæ, iciunatoris & virginis regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Timemus enim, ne ab aduentu æterni iudicii, sicut in diebus diluuij, & euersionis Sodomæ & Gomorræ, deprehendamur manducantes & bibentes, & nubentes; & nuptui tradentes. Nam & diluuium, & ignis de cælo saturitatem pariter & nuptias, quas deleret, inuenit.*

2. *Hæreticus est qui abstinet ab aliquibus cibis, quia natura sua malis.*

3. *Abstinens à carne, &c. ex præcepto aut deuotione præmio dignus.*

Hinc cernis euidenter eum qui ex præcepto Ecclesiæ à carne, aliisque cibis abstinet ad domandum prauos sensualitatis affectus laudem & præmium mereri, quia iuxta Apostolum, *castigat corpus suum, & in seruitutem redigit.* 1. Cor. 9. Et quia præcepto Ecclesiæ sese conformat, quæ ad vtilitatem salutis humanæ hanc legem sanxit, ex authoritate Christi dicentis: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Vel denique abstinet ex deuotione, vt fecerunt olim Daniel, qui proponens *in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius*, petebat ab eunucho vt darentur ipsi & tribus pueris legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum. Idque partim ne Princeps eunuchorũ impensas in nouis cibis coëmendis faciendas prætenderet, partim ob religionem ieiunij, quo & veteres Sancti carne & vino abstinebant, atque leguminibus & oleo vtebantur, vt patet c. 10. cit. Daniel. quo habetur, quòd illo tempore, quo lugebat pro salute populi, per tres septimanas abstinuerit à delicato pane, carne, & vino, dicens: *Panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.* Per quam abstinentiam, iuxta Chrysostom. hom. 13. de incomprehensibili Dei natura, meruit celebrem illam visionem, & reuelationem Angeli, eo cap. & seq. enarratam, vt satis probant verba Angeli vers. 12. huius cap. *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.* quasi dicat, Absit à te metus, nam ex quo primùm applicuisti animum, vt intelligeres, & eius rei gratiâ ieiuniis te, atque aliis corporis molestiis affligeres in conspectu Dei, exauditæ preces tuæ, quæ obtinuerunt à Deo, vt ego ad te legatus descenderem.

4. *Abstinentia meruit insignem deuotionem.*

5. *Sine abstinentia impossibile vacare sapientiæ.*

Quod, si quis, inquit Hieronymus loc. cit. *existimat, & abundantia ciborum, potionumq; se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, versari in deliciis, & deliciarum vitijs non teneri, seipsum decipit.* Et longè post: *Moyses quadraginta diebus*

Moyſes ieiunus legem accipit, populus ſatur ad idola deflectit.

& noctibus in monte Sina, etiam tunc probans non in pane ſolo viuere hominem, ſed in omni verbo Dei, cum Domino loquitur: populus autem ſatur idola fabricatur. Ille vacuo ventre, legem accipit, ſcriptam digito Dei; iſte, manducans & bibens, conſurgens ſq; ludere, aurum conflat in vitulum, & AEgyptium bouem præfert Domini maieſtati. Tot dierum labor vnius horæ ſaturitate perit. Frangit audaciter Moyſis tabulas; ſciebat enim Dei ſermonem non poſſe audire temulentos. Incraſſatus eſt, & pinguefactus, & dilatatus, & recalcitrauit dilectus, & dereliquit Dominum, qui fecerat eum, & abceſſit à Deo ſalutari ſuo. Vnde & in eodem Deuteronomio præcipitur: Ne, cum manducaueris & biberis, & domos optimas ædificaueris, ouibus, & bobus tuis multiplicatis, & argento, & auro, extollatur cor tuum, & obliuiſcaris Domini Dei tui. Denique manducauit populus, & incraſſatum eſt cor eius, ne videret oculis, & audiret auribus; & corde conijceret: & vultũ ieiunantis Moyſis, & iuxta Hebraicam veritatem, Dei cõfabulatione cornutum, paſtus & pinguior populus ſuſtinere non potuit. Quamobrem & Dominus noſter, atque Saluator, non ob differentiam virginitatis, & nuptiarum, vt quidam putant, ſed ob ieiunorum conſortia, Moyſen & Eliam transfiguratus in monte ſecum oſtendit in gloria.

Elia viſionẽ Dei peperit abſtinentia.

Et paucis interpoſitis aliud Eliæ producit exemplum, Deum videntis poſt ieiunium, & diſtinctionem facit inter apparitionem factam Adamo, & Eliæ: *Elias*, inquit, *quadraginta dierum ieiunio præparatus, Deum vidit in monte Horeb, & audit ab eo: Quid tu hic Elia? Multò familiarior iſta vox, quàm illa in Geneſi: Adam vbi es? Illa enim paſtum terrebat, & perditum: hæc ieiunanti famulo blandiebatur.* Plurimorum deinde ſubijcit exempla, quibus abſtinentia & ieiunium Dei patrocinium, & gratiam conciliauit. Inde ad Danielem properat, & tres pueros: *Daniel*, ait, *& tres pueri reuelationem merentur ieiunio, & paſſi leguminibus, pulchriores ſunt, & prudentiores ijs, qui de menſa Regis carnibus veſcebantur. Deinde ſcriptum eſt, quòd Daniel tribus hebdomadibus, ieiunauerit panem ſuauem non comederit; caro, & vinum non intrauerit in os eius, eleo vnctus non ſit; & venerit ad eum Angelus, dicens: Daniel, homo miſerabilis es. Qui Deo miſerabilis apparuerat, poſt ieiunium leonibus in lacu fuit horribilis. Quàm pulchra res? quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret.*

6. *In N.T. plurimi abſtinentiâ Dei gratiam meruerunt.*

Aliiſque recenſitis ad Euangelij venit tempora: *In foribus Eccleſiæ*, inquit, *Anna, filia Phanuelis, vnuira inducitur, ſemperque ieiunans: Et Dominum virginem longa caſtitas, longaq; ieiunia ſuſcepere. Præcurſor eius, & præco Ioannes locuſtis alitur, & ſilueſtri melle, non carnibus.* Diſertè de eodem Bernardus ſerm. de eius natiuitate: *Conſidera*, inquit, *hominẽ angelico promiſſum oraculo, conceptum miraculo, ſanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ mirare ſeruorem. Victum & veſtitum*, ait Apoſtolus, *habentes, his contenti ſimus. Apoſtolica perfectio eſt, ipſa eſt: ſed Ioannes etiam hæc contemſit. Denique audi Dominum in Euangelio: Venit*, inquit, *Ioannes non manducans, neque bibens, plane nec veſtiens. Sicut enim non eſt locuſta cibus, niſi forte aliquorum irrationabilium animalium; ſic nec pilus camelis humanum eſt indumentum.*

Chryſoſtomus hom. 10. in Matth. cenſet neceſſarium fuiſſe vt Ioannes ſymbola illa geſtaret, quandoquidem Iudæi in ipſo magnum illum Eliam cernerent: *Itaque*, inquit, *non aratro curum incubuit, nõ in ſulcos campum ſcidit, non in ſudore faciei ſuæ panem comedit: ſed erat illis impræparata menſa, & tali menſâ facilior amictus, & habitatio facilior amictu. Neque enim vel tecto indiguit ille vel lecto, non menſam vel aliqua huiuſmodi requiſiuit, ſed angelica quædam vita mortalis in carne reſplenduit. Propterea etiam veſtimentum de pilis camelorum habuit, vt habitu quoque ipſo mundi contemptum doceret: ſuadens cæteris nil cum terra habere commune, ſed ad priorem nobilitatem reuerti, quam certè habuerat Adam priuſquam de victu, veſtituque curaret. Ita ille tunc habitu pœnitentiæ pariter & regni indicia præferebat.*

7. *Abſtinentia Ioannis baptiſtæ neceſſaria erat ad Iudæos trahendos ad fidem.*

Quid dico? Ipſe Dominus baptiſma ſuum quadraginta dierum ieiunio dedicauit, & actiora dæmonia docuit non niſi oratione & ieiunijs poſſe ſuperari. Cornelius Centurio, vt Spiritum ſanctum acciperet ante quam baptiſma, eleëmoſynis meruit, crebriſque ieiunijs, Act. 10. Paulus Apoſtolus poſt famem, & fitim, & ceteros labores ſuos, & periculà latronum, naufragia, ſolitudines, crebra ieiunia enumerat, 2. Cor. 11. Et diſcipulo Timotheo dolenti ſtomachum, & infirmitates plurimas ſuſtinenti, ſuadet vini modicam potionem: Iam *noli*, inquit, *aquam bibere*, oſtendit eum aquam antea potaſſe. *Sed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* 1. Tim. 5. Quod non concederet, niſi crebræ infirmitates, & dolor ſtomachi poſtulaſſent.

8. *Alia exempla. Matt. 17.*

Quæ certè omnia, ſiue ex præcepto fiant, ſiue ex deuotione propter bonum finem, Deoque gratum, grande præmium merentur; tum quia viam parant ad ſapientiam iuxta illud Eccleſ. *Cogitaui*, inquit, *in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum transferrem ad ſapientiam, deuitaremq; ſtultitiam.* Et illud Iſaiæ cap. 28. *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Vide alibi alias vtilitates ieiunij: tum quia non fiunt ex cauſa, quâ hæretici, quos carpit Apoſtolus, abſtinent: Nam Eccleſia & ſanctiviri eam omninò faſtidiunt. Audi deſuper Bernardum ſerm. 66. in Cantica, vbi ſic ait: *Et ego interdum abſtineo, ſed abſtinentia mea ſatisfactio eſt propter latus, non ſuperſtitio pro impietate. Num redarguimus Paulum, quòd caſtiget corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit?*

9. *Abſtinentia via eſt ad ſapientiam.*

Quâ intentione Chriſtiani abſtinuerint ab aliquibus cibis.

Abſti-

Abſtinete à vino, quia à vino luxuria eſt: aut ſi infirmus ſum, modico vtor, iuxta conſilium Pauli. Abſtinco à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia. Panem ipſum cum menſura ſtudebo ſumere, ne oneranie venire, ſtare ad orandum cedeat, & ne impropetet mihi etiã Prophe-
Ezech. 16. *ta, quia panem meum comederim in ſaturitate. Sed ne ſimplici quidem aqua ingurgitare me aſſueſcam, ne diſtentis ſanè ventris vſque ad titillationem pertingat libidinis. Hæreticus aliter. Nempe horret lac, & quidquid ex eo conficitur, poſtremò omne quod ex eius procreatur.*

Audiſtis Chriſtiani, quantum bonum, quæ vtilitas per abſtinentiam rectâ intentione ſuſceptam promanet. Si deſideratis præmia Sanctorum, ſectamini abſtinentiam eorum.

CAPITIS PRIMI.

VERSVS. XIII.

Et quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo, dedit illi Deus gratiam in conſpectu Salmanaſar Regis.

Vers. 14. *Et dedit illi poteſtatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluiſſet.*

PARAPHRASIS.

Quoniam Tobias Deum dilexit ſuper omnia, tam ſingularis fuit etiam Dei erga eum, & verè paterna prouidentia, vt eum propter fidelem conſtantiam, gratamque memoriam fecerit plurimum & auctoritatis, & gratiæ apud alienum & barbarum principem obtinere. Quæ fuit, vt eum captum in Niniue tam fortunatum redderet, quàm liber fuiſſet in patria; quandoquidem animum Regis ita commouerit, vt facultatem illi concederet, ſine vllo interpellatore, quocumque vellet proficiſcendi, eaque faciendi, quæ animo eius colliberent. Quæ omnia procul abeſſent à conditione captiui & ſerui.

SECTIO VIGESIMASEXTA.

Prodeſſe etiam ad rem temporalem, Deum diligere ex toto corde.

1. *Omnis felicitas temporalis manat à dilectione Dei ſuper omnia*

PLANISSIMÈ hoc aſſeruit Dominus Leuit. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur: Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſque pauore habitabitis in terra veſtra. Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas beſtias: & gladius non tranſibit terminos veſtros*, &c. Quod & Moyſes refricat cap. 28. Deuter. *Si*, inquit, *audieris vocem Domini Dei tui, vt facias, atque cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra*; vt ſcilicet omnes ſuperes tum felicitate, tum opibus, tum honore, tum robore, tum imperio: *Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro*: Abundabis, inquit, omnibus rebus neceſſarijs, tam in re vrbana, quàm ruſtica. Vide ibidem cæteras benedictiones à verſu quarto vſque 14.

2. *Abraham factus dilectiſſimus ex obſeruatione præceptorũ Dei.*

Et quid, quæſo, magnos illos Patriarchas tantis opibus cumulauit? Nonne mandatorum Dei obſeruatio, & cultus erga eum ſingularis? Audi Siracidem Eccleſ. 44. Abrahæ gloriam peculiariter prædicantem: *Abraham*, inquit, *magnus pater multitudinis gentium, & non eſt inuentus ſimilis in gloria, qui conſeruauit legem excelſi*, quaſi dicas, Abraham Deus magnificauit, & ditauit, propter eximiam eius fidem, & ſanctitatem, per quæ Deo inſigniter placuit, obſeruando non ſolùm legem naturalem Decalogi, ſed etiam iuxta illam præcepta quædam ei peculiariter facta, vt Geneſ. 12. de egrediendo terra ſua & cognatione. Geneſ. 17. de circumciſione ſuſcipienda; Geneſ. 22. de immolatione filij, & alia ſimilia. Ob quæ non ſolum ſingularem gratiam conſecutus eſt apud Deum, ſed etiam cumulatam compenſationem in temporalibus: vt vel ex promiſſione ſatis conſtat, quam illi fecit Deus Geneſ. 17. dum illi apparens ait: *Ambula coram me, & eſto perfectus, ponamq; fœdus inter me & te, & mul-*

multiplicabo te vehementer nimis, quasi dicat, Ego sum Deus copiosissimus, sufficientissimus, ditissimus, munificentissimus, qui te ditare, bonisq; omnibus cumulare possum, & volo: ambula ergo coram me, vti seruus coram Domino, discipulus coram magistro, miles coram duce, filius coram patre, mihi per omnia obsequès & fidelis, vt capax sis harum opum, vtque dignus sis ijs bonis, quæ tibi promisi. Pari modo dixit Iacob Deus Genes. 35. v. 11. *Ego Deus omnipotens*, ideoque ex me cresce, & multiplicare.

3. *Deus non solum se diligentibus, sed eorum posteris prosperu concedit.*

Imò Prophera Dauid Psal. 102. declarat tam gratam esse Deo memoriam diligentium se, vt non solùm misericorditer agat, cum eis, sed etiam cum filijs eorundem: *Misericordia*, inquit, *Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum: & iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendu ea*. Sic Iacobum consolatus est fugientem à facie Esau: vt illi obedienti parentibus, ac timenti Deum seipsum communicauerit per visionem, & promiserit multiplicationem seminis eius, eique prosperitatem, dicens: *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Eritq; semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem: benedicentur in te, & in semine tuo cuncte tribus terræ. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam, nisi compleuero vniuersa, quæ dixi*, Genes. 28. Eidem profecturo in Ægyptum, & timenti ne filij vitia imbiberent Ægyptiorum, aut illic sedes figerent sui posteri (quibus promissa erat terra Chanaan) adeoque Deum offenderent, dixit Deus: *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere: Descende in AEgytum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem.* Ego tibi viæ comes, imò dux ero; ducam te, tuosque in Ægyptum, indeque suo tempore reducam, te mortuum, tuos verò posteros viuos.

4. *Summum thesaurus est, obseruatio legum Dei.*

Dauid Psal. 22. apertissimè fatetur sibi nihil defuturum, quamdiu sub tutela Dei fuerit, vt maximè sunt iusti: *Dominus*, inquit, *regit me, & nihil mihi deerit*: Quandoquidem, inquit, sub tutela Domini sim, si esuriero, non deerit mihi panis, quia Deus, qui abundè præstat omnibus electis suis, in pascuis vberrimis, vbi salubrium herbarum est maxima copia, ouiculam suam collocabat: vnde subdit: *In loco pascuæ, ibi me collocabit.* Salomon summum thesaurum proclamat esse sapientiam, illam videlicet, quam nactus erat de cultu Dei: *Præposui*, inquit, *illam* (sapientiam) *regnis, & sedibus: & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius*. Eam autem in custodia legum consistere docent Regius Prophera, Psal. 100. vbi ait: *Initium sapientiæ timor Domini*, Et Iob cap. 28. vbi sic ait: Dixit homini (Deus) ecce timor Domini est sapientia, & recedere à malo intelligentia: Dixit, inquit, Adamo Deus, quem vera, salutarique scientiâ instructum esse voluit, timorem Domini Dei, & religiosam ipsius obseruantiam, veram esse sapientiam, & à peccato procul recessisse sanam esse intelligentiam. Valorem autem eius non silet. *Non dabitur*, inquit, *aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis India coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel Sapphiro*, quasi dicat, Sapientiæ tantum est pretium, vt illius comparatione vilescant omnia, quæ admirantur homines, captantque cum immenso labore, vitæque periculo. Quæ cum auro summæ notæ, quale est obrizum, comparari non debet, neque cum argento, alióve pretioso metallo permutari, neque cum sardonycho, vel sapphiro, alijsque lapidibus pretiosis, qui varijs tincti, notatique coloribus adnehuntur ex India. Ecclesiastes c. 12. in ea totam vim ponit: *Deum*, inquit, *time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo: Si hoc est omnis homo, ergo*, inquit, S. Bernardus, *absque hoc nihil est homo.* Nec homo est, sed aut saxum, aut bestia. Propterea Moyses Deuteron. 4. ca. dixit Iudæis, Custodia legum diuinarum ostendet vos esse sapientes & prudentes, atque à sapientissimo legislatore Deo edoctos, ab eodem per omnia regi, exaudiri, & defendi, dum post inculcationem preceptorum Dei, inquit: *Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc dicant: En populus sapiens, & intelligens Gens magna.*

Vera sapientia consistit in custodia legum.

5. Regius Propheta Psal. 36. inquit: Si vis beatus & felix esse, *spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pascêris in diuitijs eius*. Expendit hæc verba Auctor Oper. imperf. hom. 19. in Matth. *Vis*, inquit, *ostendam tibi causam, vt in omni necessitate nunquam desperes? fac benè, & operare iustitiam, vt spem habeas apud Deum, & non desperabis in terra. Bona enim opera sunt quæ sperare facunt, & mala opera desperare compellunt. Propterea non dixit Propheta: Spera in Deo, & inhabita terram, & pascêris in diuitijs eius: sed, Spera in Deo, & fac bonitatem, & inhabita terram.*

Ionas interrogatus à Nautis de patria, de causa itineris, de studio, de negotiatione, quasi ille, vt ceteri qui adnauigabant, esset mercator, & per mare negotiaretur quæstus gratia respondit iuxta LXX. *Seruus Domini ego sum, & Deum cæli ego colo.* Quæ sic interpretatur Thophylactus: *Hoc studium meũ, hæc mea negotiatio est, seruire Deo vero per mea opera, & colere ipsum per fidem in ipsum.* Ecce, inquit, vnicam, eamq; ditissimam, felicissimã negotiationem meam, mirum *seruus Domini ego sum, & Deum cæli ego colo*, ego timeo. In Deo colendo sum totus, quâ nulla negotiatio ditior. Quis enim Deum

Negotiatio ditissima est, seruire Deo.

Deum ex animo coluit, & non habuit sibi cum propitium, & viriliter sua promouentur? Hierosolymitani Hebræi hoc primum felicitatis fundamentum suis fratribus exoptabant 2. Machab. 7. dicentes: *Benefaciat vobis Deus, & memineris testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob seruorum suorum fidelium: & det vobis cor omnibus vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti.* Hac de causa dicebat Regius Propheta: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*, etiam cùm tu modum & viam ignorabis. Audi Hebræum Sapientem Prouerb. 22. *Qui*, inquit, *diligit corde munditiam amicum habebit Regem.* Quid illi deesse poterit, qui tam potentem habet amicum? an victus, an amictus, an honor, an aliquid huiusmodi? Nihil prorsus. Amicitia illa, Deo cooperante, omnia suppeditabit imò alieniſſimorum & barbarorum principum tibi conciliabit gratiam, & animos. Intuere Iosephum, is diligens Deum non solum in lacu, & venditus à Deo conseruatus est, sed *inuenit gratiam coram Domino suo*, & cùm seruus esset in aliena domo non secus, ac Dominus agebat: *Inuenitque Ioseph*, inquit textus, *gratiam coram Domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat vrbitatem sibi domum.* Et iterum eodem cap. v. 21. cùm esset in vincula coniectus, agente Domino, gratiam inuenit apud Principem carceris, à quo sic est acceptus benignè, vt custodem illum crederes carceris, non vnum è vinctis; fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius: & dedit ei gratiam in conspectu Principis, qui tradidit in manu eius vniuersos vinctos.

Iuſti etiam idololatræ Regis ſeruiunt.

Exempla.

Idem expertus est Mardochęus, qui solium regio proximum, quia vnum Deum adorare voluit, in Persarum regno consecutus est, Esth. cap. 6. Sic Daniel inuenit gratiam & misericordiam in cóspectu Principis Eunuchorum, vt liceret illi non solum abstinere à cibis regijs, sed etiá frugalibus vesci, quibus à Deo assequeretur intelligentiam omnium visionũ & somniorũ, seu eorũ, quæ assequi non potest quantumuis sedula humana solertia: ita vt Regi Nabuchodonosori somnium interpretatus, ab eo plurimis muneribus cumulatus, in sublimem dignitatis gradum euectus fuerit, vt habetur Daniel. 2. v. 47. & 48. Adeò vt Nabuchodonosor illum cap. 4. v. 5. vocaret suum collegam, seu regium socium, quique parem eum ipso potestatem haberet, iuxta morem, quo Consules, quibus æqua est in administratione facultas, vicissim se collegas appellant. Imò idem Daniel cap. 6. postquam missus fuerat in lacum leonũ, & illæsus exijsset: *quia credidit Deo suo*, perseueranit in Regum gratia, & in honore apud omnes vsque regnum finitum Darij, & quamdiu eo vitâ functo sub Cyro illius successore vixit, vt indicant verba vltima istius capitis: *Porrò Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnumq; Cyri Persæ.*

Similiter contigit Tobiæ nostro, qui eo loco fuit in conspectu Salmanasar, qualem nemo forsasse obtinuit ex Assyrijs. Dedit enim illi potestatem quocumque libêret, liberè proficiscendi. Græcus Textus hanc gratiam apud Regem magis exprimit, & amplificat, dum inter aulicos, & regios ministros non postremum illi locum assignat: *Dedit altissimus gratiam, & formam in conspectu Enemessari* (sic Græcus codex, vbi vulgatus Salmanasar) *& fuit eius emptor.* Vbi Latinus *emptor*; Græcè, ἀγοραστὴς. quod nomen latiùs patet, quàm latinum, *emptor*. est autem, quod hîc optimè obseruauit Serarius, qui ea curat, quæ ad Regiũ victum, & cultum, imò & quæ ad Regium splendorem & dignitatem spectant. Quod ex eo codice probat Serarius, qui sic habet: *Constituens super omnia, quæ habuit Salmanasar.* Athanasius dicit præfectum fuisse annonæ; quod debuit fuisse quæstuosum munus. Cùm nihil secum ab expugnata atque direpta patria deportasset Niniuem: quia omnia victor hostis abstulerat, in exilio tamen tantum habuit vel ex illo officio, vel ex regia liberalitate, facultatũ, vt infinitis propè ex gente Israëlitide captiuis, alimenta præbuerit, aliaque vitæ necessaria, & Gabelo decem talenta argenti tradere potuerit absque eo, quod apud se ad suos, & miserorum vsus retinuit.

6. *Tobias Regi Salmanasar charissimus.*

In exilio etiam ditissimus.

Nos autem labori qualicumque nostro confidimus, de dilectione Dei super omnia parum aut nihil solliciti. Erramus, & ruimus in omnia mala præcipites Moyses Leuit. 26. & Deuter. 27. maledictiones pessimas non obseruantibus Dei mandata prædixit. Quem tu consule. Baruch, Propheta cum Hebræi versarentur in Babylone, velut in sepulchro, ob legis Dei contemptum, ait: *Audi Israel mandata vitæ, auribus percipe vt scias prudentiam. Quid est Israël, quod in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum.* Cogita, inquit, quid sit causa mali, tam longi exilij tui, quod in terra inimicorum tuorum consenuerit, & quasi cum mortuis deputatus sis: Ego tibi pandam: *Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace sempiterna*: Quod si viam, inquit, diuinæ legis inijsses, quæ fons est, vnde cælestis disciplinæ, & sapientiæ veræ eructant iuges, & pellucidæ scatebræ, vixisses vtique non in squalore, & rerum omnium indigentia, sed in perpetua pace, & tuta bonorum omnium abundantia. Et mox subiungit: *Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus: vt scias simul vbi sit longitudo vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum,*

7. *Dei mandata negligentes manent grauissima infortunia.*

oculorum, & pax. Ex hac morte, inquit, quæ te iamdudum in exilio vexat, atque cõsumit; ex hac cæcitate, quæ te iampridem tenebris alligauit Babylonicis, disce vbi sit virtus, vbi prudentia, vbi intelligentis animi constans, & vera disciplina, vt etiam cognoscas, vbi sit vitalis, ac diuturna vita, vbi fortitudo, vbi perspicax oculorum acies, vbi denique quies, & bonorum omnium pacifica possessio.

8. *Populus Dei ob contemptam Dei legem maximis plagis obnoxius.*

Isaias vates cum Hebræorum aliqui mirarentur populum Dei ab hostibus sæpè & durè iactari, asseruit felicitatem populo illi non aduenisse, quod vtilia illa, quæ à Deo edocti erant non essent amplexi: *Vtinam*, inquit, *attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris; & fuisset quasi arena semen tuum, & stirps viscerum tuorum vt lapilli eius. Non interisset, & non fuisset attritum nomen eius à facie mea*, quasi dicat, Quod tibi nunc tam ignominiosa ac dura pendent infortunia, inde natum est, quia Dei consilijs regi te non finis. nam si mandatis meis obsecutus fuisses: sanè in sinum tuum instar maris influxissent, quæ optari possent; vniuersa bona, & præmia, quæ iustitiæ tuæ merita compensarent, tam essent ampla, ac plena, quàm pleni sunt, & ampli gurgites maris. Pacem hic comparat Propheta torrentibus & fluctibus, qui ita violenti sunt, vt nihil eis resistere possit; quin etiam mõtes & rupes defringant & sternant. Iustitiam assimilat mari, pacem fluuio, quia sicut flumina oriuntur ex mari Eccles. 1. ita pax oritur ex iustitia, iuxta illud Isaiæ c. 32. *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium.*

Isaia 48.

9. *Cœlestia quærenti non deerunt temporalia.*

Ita est. Sectare igitur veram sapientiam, mi Christiane, quæ consistit in custodia Dei legum, & commodis temporalibus affluet: *Vir sapiens*, inquit Siracides, *implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt*, Eccles. 37. Saluator noster seriò dixit solicitudinẽ tuam absq; Dei cultu vanam; ab illo prospera omnia manare; *Quærite*, inquit, *primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* In quæ verba Gregorius: *Se magis Dominus, quàm ea quæ condidit, vult amari, æterna potius quàm terrena postulari, sicut scriptum est: Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Quia enim non ait, dabuntur vobis, sed adijcientur; profectò indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in vsu verò temporalitas esse debet, & illud datur, & hoc ex abundanti superadditur.* S. Chrysostomus hom. 23. in Matth. *Considera*, inquit, *quàm bonas spes ipse nobis ministret: quando vtique ipse testatur, quoniam vita ista sic misera, atq; ita erumnis varijs onusta, vt in afflictionem, contritionemq; nostri vnius quoque diei cura sufficiat* Et immediatè post, perfidiam nostram taxans: *Et tamen*, inquit, *cùm nobis tanta dicuntur, ac talia, nos nihilominus horum solicitudinem gerimus: de cœlo autem nihil omnino curamus, sed rerum crassiem per cuncta peruertimus, contraq; præcepta Christi pugnamus vtrimque. Itaq; diligenter hæc ipsa considera. Nolite*, ait, *præsentia ista prorsus inquirere, nos hæc sola etiam absq; intermissione flagitamus. Quærite*, inquit, *& semper & sola cœlestia. Nos verò ne vnius quidem horæ spatio illa perseueramus inquirere: sed quantam in his quæ ad corpus necessaria sunt, curam ostendimus, tantam in spiritualibus habemus incuriam, immò longè etiam maiorem: sed nequaquam nobis semper prospere ista prouenient, nec perpetuò impunita huiusmodi licentia relinquetur. Ecce enim contemnimus decem diebus, ecce triginta, ecce iam centum: nonne iam prorsus erit necesse in manus inducis incidere?*

Reprehenduntur qui solum temporalia sectantur.

Author operis imperfecti nos maledictione primi parentis Adæ ad sapientiam trahit: *Dictum*, inquit, *est ad hominem: Maledicta terra in operibus tuis. Vides quia propter peccata hominum maledicitur terra, vt non germinet: benedicitur autem, cùm bona opera fecerimus? Tu ergo quære iustitiam, & non tibi deerit panis: quoniam sicut propter mala opera fructus terræ subducitur, sic propter bona abundat. Propterea dicit: Quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis* Certè si nobis præpotens Rex talia promitteret, nonne meritò nobis succenseret, si eo contempto, in alio fiduciam poneremus? Hoc nos facimus, & longè deterius. Ille enim promisit, qui fallere non potest.

10. *Deum primùm quærens, vtroq; bono donatur.*

Enuclea hæc, mi homo fidelis, & elige quod melius. Temporalia si quæras neglecto Deo, eisdem priuaberis: Deum quærens primùm, & super omnia, vtroque bono gaudebis. Habes verbum Saluatoris: Qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in hac vita, & vitam æternam possidebit, Matth. 19. Appositè Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 16. *Dominus, vt præsentium fructu cumularetur deuotio discipulorum, dixit: Quoniam qui dimisisset omnia sua, & Deum secutus esset, centies tantum reciperet, & hic, & in futurum.* Succinit Apostol. dum ait: *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Hæc spectauit Tobias, sperauit, credidit, & gaudens est: illum imitare, si libet.

SECTIO XXVII.

Iustos fieri alijs formidabiles. Et Deum non indigere operâ hominum ad conuertendos homines.

Iusti alijs formidabiles.

TANTI valet, Diligere super omnia, vt non solùm iustos locupletes reddat, sed etiam ijs, qui resistere volunt, formidabiles. Quod & Moyses prædixit Israëlitis Deut. 28. vbi post varias

varias promissiones, inquit: *Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iuravit tibi, si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis eius, videbuntq; omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te, & timebunt te*, quasi dicat, faciet Deus, vt sis, vt voceris populus sanctus, qui vicissim te defendat, prouehat, & glorioſum reddat, & apertissimè intelligent omnes gentes, quod Deus sit vobiscum, vos protegendo, & res vestras augendo: vnde timebunt vos, considerantes illum esse vobiscum.

2. *Exempla Scripturæ, nempe Abrahami,* Exempla Scripturæ clarissimè id testantur. Hinc enim legitur 21. cap. Genes. Abimelech dixisse ad Abraham: *Deus tecum est in vniuersis, quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpiq; meæ, sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es aduenigena.* Considerauerat enim eum esse virum iustum, eò quòd Dominus defenderet eum, puniendo ipsum Abimelech, per sterilitatem domus, quod abstulisset Abrahami vxorem, ac tandem sanando per preces Abraham. Vnde idem est ac si dicat: Ego aduerti te iustum esse, ac proinde Deum causam tuã suscipere: quapropter rogo, vt sicut ego de te bene meritus sum, dando tibi, postquam cognoueram, Saram esse vxorem tuam, oues, boues, seruos, ancillas, & mille argenteos, insuper electionem habitandi quouis terræ meæ loco; ita quoque studebis de me meisque bene mereri. Similiter factum est cum

Et Isaaci, Isaac, Genes. 27. vbi cum eo inierunt fœdus, quia viderant cum ipso esse Dominum; *vt non faciat nobis quidquam mali, sicut & nos nihil eorum attigimus*, licet hoc falsum esset: nam ipso & Ochohat, & Ficol duce militum conniuentibus pastores puteos Isaaco ademerãt.

Item filij Israël, Ægyptij etiam insequentes filios Israël Exod. 14. considerantes quòd Dominus respiciens super castra Ægyptiorum, per columnam nubis & ignis, quæ sese aperuit, vt Angelus in ea latens per lumen coruscum se ostenderet, & intueretur castra Ægyptiorum, ac mox in ea eiacularetur tonitrua, fulmina, lapides, aut ignita tela, quibus rotas equites & curribus

Item Dauidis. excuteret; dixerunt: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis, contra nos.* Videns Saul quod Dominus esset cum Dauid, 1. Reg. 18. cœpit timere eum. Cùm enim aduertisset se Dauidem (quem summo odio prosequebatur ob victoriam contra Goliath) non potuisse configere lanceâ; quod secundo tentarat, dicit Scriptura: *Timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset.* Et v. 14. & 15. *In omnibus quoq; viis suis Dauid prudenter agebat. & Dominus erat cum eo. Vidit itaq; Saul, quod prudens esset nimis, & cœpit cauere eum.* Recreare potius debuisset animum Saulis sollicitum, & timidum, Dauidis in rerum administratione prudentia, & in bellorum euentu secundo, ac facili exploratæ felicitatis: sed hausit è medicina venenum, & contra se armari putauit prudentiam illam, & robur quæ pro ipsius, suique populi salute, ac gloria laborabant: neque minùs sibi à Dauide, quàm ab infenso Palæstinorum agmine cauendum existimauit. Sic fortè aliquo terrore perculit animum Regis Salmanasar erga Tobiam, sicut olim Labani erga Iacob: aut animaduertere fecit, se esse cum Tobia, vt propterea super omnia sua eum constitueret, quemadmodum Pharao egit cum Ioseph.

3. *Matth. 14. Exempla nouæ testamenti. Act. 5.* Herodes quoque legitur timuisse Ioannem, sciens eum esse iustum, sanctum, & amicum Dei. Post mortem terribilem Annanæ, & Sapphyræ defraudantium de pretio agri, *factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.* Cogitabant enim Iudæi non credentes in Christum, si Petrus ita perculit fideles & occidit; ergo etiam nos poterit percellere & occidere, si eum offendamus. Præterea, cum Apostoli essent in porticu Salomonis, quæ erat in atrio gentium, vt ibi liberius prædicarent, cùm omnibus etiam immundis & gentilibus illic parebat aditus, dicit Scriptura: *Cæterorum autem nemo, audebat se coniungere illis.* Sensus est, Apostoli soli degebant in porticu Salomonis, nemo cæterorum audebat se ijs adiungere, se ijs inferere, se profiteri Apostolum, aut Apostolis familiarem; idque partim metu magistratuum, partim ex admiratione & reuerentia Apostolorum, quòd ad eorum dignitatem & virtutem se assurgere diffidebant. Erant enim, inquit, Chrysost. *sicut angeli ita admirabiles*, intrepidi ad minas & pericula, diuitijs & delicijs superiores, spirantes ignem diuinum, grauitate & vultu venerabiles, affabilitate amabiles, charitate feruidi, oratione cœlestes, moribus diuini. Vnde sequitur, *Sed magnificabat eos populus.* Actorum etiam c. 16. Paulo & Sila orantibus, & laudantibus Deum, *subitò terræ motus factus est magnus: ita vt moverentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, existimans fugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi malifeceris: vniuersi enim hic sumus. Petitoq; lumine, introgressus est, & tremefactus procidit Paulo & Sila ad pedes: & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt salvus fiam?* Conuersus est hic custos per terræ motum, quodque Paulus & Silas soluti vinculis, in ijs tamen perstitissent laudantes Deum; inde enim videbat Deum pro Paulo & Sila, quasi legatis suis pugnare.

Ex his etiam aduertimus Deum in extremitatibus

mitatibus mirabiliter opitulari iuſtis in eum ſperantibus. Vide dicta Diſc. 24. in I. Præceptum de Spe in opere meo morali, vbi per exemplа id explicatum inuenies.

5. *Deus ſæpè ſuos propugnat abſque hominum opera.*

Quantum ad ſecundam partem argumenti pertinet, euidentiſſimum eſt, Deum, licet aliquando per Moyſen & Aaronem impulerit Ægyptios ad dimittendũ populum Iſraël; ac ordinariè hominibus vtatur tanquam inſtrumentis ad voluntatis ſuæ executionem, tamen ſæpè abſque opera hominum ſuos peculiariter propugnare conuertendo cor ſuperiorum. Vnde eſt illud Salomonis Prou. 21. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini quocunque voluerit, inclinabit illud.* Sicut enim riui aquarum ſine humana opera, ſiue ex ſua natura in diuerſas partes feruntur, & diuiduntur; ita cor Regis per manum Domini, eiuſque potentiam, ac prouidentiam huc illucque fertur pro illius libitu? Quod multis exemplis confirmatur. Primò exemplo Iacobi Geneſ. 31. quem cum inſequeretur Laban clam fugientem cum tota familia, eumque deprehenderet, dixit: *Et nunc quidem valet manus mea vobis reddere malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Iacob quidquam durius.* Similiter ita compeſcuit Eſau, qui minatus fuerat fratri mortem propter anti ipſi in occurſum cum quadringentis viris, vt nihil illi mali inferret, ſed permitteret ſe ſubmiſſione & muneribus Iacob placari. Ita rurſum conuertit cor Cyri Perſarum Regis in populum Iſraëlitidem, vt facultatem concederet omnibus, qui ex Iſraëlitico genere in regionibus ſibi ſubiectis morabantur, in patrios fines remigrandi liberè, & inſtaurandi templi, quod Chaldæorum manus antea ſubuerterant, vt patet 1. Eſdræ in verbis: *Hæc dicit Cyrus rex Perſarum, Omnia regna dedit mihi Dominus Deus cæli; & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius. Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendant in Hieruſalem, quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Iſrael, ipſe eſt Deus, qui eſt in Ieruſalem*, &c. Item Aſſueri, eiuſque furorem & terrorem ſicurauit, emolliuit, & in omnem beneuolentiam, & dilectionem erga famulam ſuam Eſther ita conuertit, vt eam lege mortis eximeret, & vniuerſa quæ vellet eidem polliceretur, vt patet Eſther. 15. verſ. 11. in verbis: *Conuertitq; Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus, & mœrens exiluit de ſolio: & ſuſtentans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere: Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt* Et cap. 5. verſ. 3. *Quid vis Eſther regina. Quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Quòd & idem repetitur cap. 7. verſ. 3. Eodem modo animum Nabuchodonoſoris conuertit in tres pueros, vt eos Daniel 3. (quibuſcum ita videbat Deum eſſe, vt nihil læderentur in fornace accenſa, ſed potius ambulantes in medio laudarent Dominum) accederet, & ab oſtio fornacis ignit ardentis iuberet egredi, quos antea eâ pœnâ condemnauerat, dicẽs: *Serui Dei excelſi, egredimini & venite.* Ita Darij animum in Danielem, & Salmanaſaris in Tobiam noſtrum flexit, vt beneficijs eos reſpectiuè cumularent.

Exempla.

6. Ratio eſt, quòd cùm faueat Dominus, inſpiret ſana conſilia principibus, atque ad ea implenda impellat. Et licet peculiariter loquatur Sapiens Prouerb. 21. de corde Regis quod illud maximè ſit liberum, & alienæ poteſtatis minimè ſubiectum: tamen certum eſt omnium hominum corda eſſe in manu Dei, illumque ea poſſe flectere in quamcumque partem. Ita vt Scriptura teſtetur Deum per prouidentiam ſuam effeciſſe, vt etiam ipſi hoſtes, qui captiuos duxerant Hebræos, eorum miſererentur in Babylone exiſtentium, iuxta illud Pſalm. 105. *Dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui rexerant eos.*

SECTIO XXVIII.

Fruſtra nos conqueri de Deo, quod à tribulatione non liberet, quando ipſius obliniſcimur?

1. MOYSES Deuteron. 8. inculcabat Hebræis ſingulariter Dei ſui iugem memoriam, dicens: *Recordare Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum.* Sciebat enim eam omnium bonorum eſſe cauſam; obliuionem verò Dei omnium malorum. Vnde ſubnectit: *Sin autem oblitus Domini Dei tui, ſecutus fueris deos alienos, coluerisq; eos, & adoraueris: nunc prædico tibi quod omnino, diſpereas. Sicut gentes quas deleuit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, ſi inobedientes fueritis voci Domini Dei tui.* Ea propter Sancti viri ſummopere ſtuduerunt Deum aſſiduè habere præ oculis. Sic Dauid Pſ. 15. dixit: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Enoch. Gen. 5 & 6. ambulaſſe cum Deo fertur Bãruch cap. 5 v. 5. *Exurge Ieruſalem, & ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente ſole vſque ad Occidentem, in verbo ſancti gaudentes Dei memoria*, quaſi dicat, Vide filios tuos Babylone redeuntes iuxta verbum, id eſt, iuxta promiſſum, & ordinationem Dei, gaudentes & lætabundos ex memoria Dei ſui liberatoris, & ex recordatione diuinæ beneficientiæ, quæ eis hanc liberationem præſtabit. Loquitur de futuro bono, quaſi præſens illud ſpectet, digitoque alijs oſtendat, more prophetico.

Ingis Dei memoria, omnium bonorum eſt cauſa.

2. Sola enim Dei memoria verum & plenum facit

Dei memo-

via verum cordis pacis gaudium.

facit cordis gaudium. Vnde exinde ſe gaudio perfuſum ſignificat Pſaltes Pſal. 76. 4. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Et Pſal. 144. v. 7. *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt.*

3. *Dei memores à periculis liberati.*

Alij Dei memoriam habentes à tribulationibus, aut liberari confidebant, aut liberabantur. Sic Pſal. 24. Dauid, *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo, pedes meos.* Sic Anna recordante & inuocante Dominum quia merces ſubditur: *Recordatus eſt eius Dominus*, vt conciperet, & pareret Samuelem 1. Reg. 1. v. 19. Sic Eſther memorante & orante Dominum, dicitur cap. 10. 12. *Recordatus eſt Dominus populi ſui, ac miſertus eſt hæreditatis ſuæ*; vt per eã liberaret Iudæos neci deſtinatos ab Aman. Ex aduerſo Iſaias Damaſco excidium & deſolationem intentat cap. 17. 10. *Quia*, inquit, *oblita es Dei ſaluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata.* Et Ezechiel Hieroſolymæ cap. 23. 25. *Quia*, inquit, *oblita es mei, & proiecisti me poſt corpus tuum, tu quoque porta ſcelus tuum.* Et Oſeæ cap. 1 6. iubetur filiæ ſuæ nomen imponere, *Abſque miſericordia*: *Quia*, inquit, *non addam vltra miſereri domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eorum*, quia obliti ſunt mei, Etc. 4. 6 *Oblita es legi Dei tui, obliniſcar filiorum tuorum & ego.* Quocirca Sancti & ſapientes ſummè cauerunt obliuionem Dei, ac in iugi Dei memoria, cogitatione, inuocatione, amore, & laude ſe exercuerunt, tam in aduerſis quàm proſperis.

Dei obliti excidium intentatur.

4. *Vani ſunt hominum de infortunijs querelæ, cùm Dei oblinoſcimur.*

Nos verò conquerimur, cùm aduerſi caſus inſurgunt, & miramur vnde nobis huiuſmodi infortunia: ſed ſcitotè à Dei manu illa prouenire, qui obliuionẽ legis diuinæ acriter ſæpè punit. Magnus ille dux Ioſue, cùm tria millia pugnatorum, miſſa ad expeditionem vrbis, Hai, terga verterent, & à viris vrbis præfatæ triginta ſex homines percuſſi corruerent, cæteriſque perſecutionem paſſi, ſummo timore affligerentur, Ioſue, inquam, cecidit pronus in terram coram Arca Domini per diem integrum cum ſenioribus Iſraëlis, *miſeruntq; puluerem ſuper capita ſua, & dixit Ioſue*, admirans: *Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Hamorrhæi, & perderes* &c. Et reſpondit illi Dominus: *Surge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſraël, & prænaricatus eſt pactum meum, tuleruntq; de anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua. Nec poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eóſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate: non ero vltrà vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.* Ioſue cap. 7.

Oblitio legis diuinæ malorum omnium mater.

5. Hebræi 1. Reg. 4. mirantur poſt cædem quatuor millium virorum quam à Philiſtinis paſſi erant, rogantes: *Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſthiim*: ſed peccata Heli & filiorum ſtragem illam cauſarunt. Iſaiæ cap. 58. mirabantur Hebræi, quod non aſſequerentur pacem. Putabant vtique ſanctè ſe viuere, quod impoſita à Deo, vel voto concepta obijſſent ieiunia, *Quare*, inquit, *ieiunauimus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?* Sed Dominus contra illos clamare iubet Prophetam, & annunciare quàm vanum ſit illorum ieiunium: *Ecce*, inquit, *in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.* Ad illos itaque reſpondet Propheta: In ieiunijs veſtris veſtra vobis quæritur voluntas nõ mea; veſtra vos commoda & priuata cõſilia magis trahunt, quàm religionis ſtudium; tunc enim contrà quàm à me præceptũ eſt, iudicio vrgetis ſeuero, & inhumano debitores, qui ſoluendo non ſunt. Ecce tempus ieiunij ſic obitis, vt non tam illud ad placandum Deum ciborum abſtinentia, quàm ad contentionem, & rixas, & infligendos colaphos miſerorum maxillis conceſſum eſſe videatur. Malachias Vates cap. 2. ſimiliter reſpondet populo conquerenti, cur Dominus ad eorum ſacrificia non reſpiceret: *Et dixiſtis*, inquit; *quam ob cauſam.* Accipite eam. *Quia Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti: & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui*: quaſi dicas, Ea eſt cauſa veſtræ afflictionis, & inefficaciæ veſtrarum precum & ſacrificiorum, quod præceptum habeatis à Domino, quomodo, & quâ fide ſeruare debeatis coniugale conſortium cum vxore veſtra, quam à primis, & florentibus annis vobis ſociaſtis; quam tamen, connubiali prodita fide, deſpexiſtis; hinc ergo Deus ad veſtra non mouetur ſacrificia.

Sic nos prorſus, dum inceſſanter ab hoſte laceſſimur, quotidianas deponimus querelas, cauſam percunctamur admirantes qua de cauſa tam diuturnis, & inteſtinis conteramur bellis: *Quis*, inquit, Ieremias, *eſt vir ſapiens qui intelligat hoc, & ad quem verba oris Domini fiat, vt annuntiet iſtud, quare perierit terra, & exuſta ſit, quaſi deſertum, eo quod non ſit, qui pertranſeat*: Quis erit, inquit, ita ſapiens, qui intelligat, aut ita forti animo, qui annuntiare audeat, cur terræ ſolitudo, & vaſtitas inducta ſit cur nemini vlterius viatori pateat. Reſpondit autem Dominus, & aſſeruit tantæ cladis cauſas eſſe, quia traditam à ſe legem contempſerunt, & non tam Propherarum voces, quàm ſuam prætulerint, vt inxta eam vitæ ſuæ rationes moderarentur, cùm, inquit: *Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea.* Ierem. 9. v. 13. & v. 15. ſubdit: *Idcirco ecce ego cibabo populum iſtum abſinthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Sic populum iſtum, inquit, excipiam amarè, ſic affligam ſeuerè, vt videri poſſim paraſſe illi ex abſynthio cibum, & potum ex felle propinaſſe.

6. *Terra vaſtitatis cauſa eſt. Dei mandatorũ non obſeruatio.*

Plagæ illatæ peccatores; culpas earum cauſas non emendant.

Contemptus itaque imperiorum Dei, hanc nobis duram & amaram afflictionis fabam cudunt. Sed quid? Ea eſt mortalium deplorãda conditio, vt de pœnis conquerantur, peccata, earum cauſas, non reijciant; vt incendi nolint, & incendij fomitem non ſubtrahant; ægrotare recuſent, & ægritudinis cauſas non remoueant; diuinitus puniri formidant, & culpas, ob quas punimur, non abiurent. D. Chryſoſtomus hanc rem perpendens ſerm. 2. de Elia, nempè poſt plagas nullam fieri correctionem, ſic exclamat: *Proh nefas! nulla ex pœna correctio: & quaſi aduerſis hominum malitia prouocetur, ſic creſcit quotidie, quod punitur. Amant pœnam, ſupplicium diligunt, nolũt recordari, vt viuant; nolunt corrigi, vt euadant: & quaſi frugẽ mentis, ſterilitas arefecerit ſiccitate ſic areſcẽte terra, aruerunt & hominũ corda.* Vides id in Hebræis 1. Reg 4. qui malum culpæ non agnoſcunt, ſed pœnæ, & adducunt Arcam Domini in caſtra; ſed in vanum, nam iacturam faciunt triginta millium peditum, & ſic plaga creſcit, dum peccata non emendantur. Pharao, quia Deũ punitorem non agnouit, diuinæ iuſtitiæ pœnas in dies auxit. *Miraris*, inquit, Cyprianus, *in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cùm creſcat quotidie, quod puniatur? Hoſtem quereris excurgere, quaſi ceſſi bellis deſit, eſſe pax inter ipſas eſſe togas poſſit? Quaſi non, ciſi externa de Barbaris arma comprimantur; ferocius intus, & grauius de calumnijs & iniurijs potentium ciuium, domeſtica impugnationis tela graſſentur? De ſterilitate, aut fame quereris, quaſi famem maiorem ſiccitas, quàm rapacitas faciat; quaſi non de captatis annonarum incrementis, & pretiorum cumulis, flagrantior inopia excreſcat ardori? Querris claudi imbribus cælum, cùm ſic horrea claudantur in terris? Peſtem & luem criminaris, cùm peſte ipſa, & lue, vel detecta ſint, vel aucta crimina ſingulorum? dum nec infirmis exhibetur miſericordia; & defunctis auaritia inhiat, ac rapina: idem ad pietatis obſequium timidi, ad impia lucra temerarij: fugientes morientium funera, & appetentes ſpolia mortuorum. Tantus cladium terror diſcere non poteſt innocentiæ diſciplinam: & inter populum frequenti ſtrage morientem, nemo conſiderat, ſe eſſe mortalem.* Locis ſupracitatis Deus non ſemel inculcat obliuionem Dei Creatoris malorum omnium eſſe fomentum.

Effunditur ſupplicia, ſed peccata non refrenantur

7.

Cur Deus iuſtos à tribulationibus eripiat, iniuſtos perdat. Simile.

Miramur, cur Deus etiã iuſtiores & exemplares viros in hoc tribulationum Oceano aduerſis fluctibus agitari & fluctuari ſinat, nec obrui, ſed ad portum quietis tandem perducat; peruerſos verò & iniuſtos illis obrui, & immergi. Dicam tibi, quod ſentio. Dominus habet ſe inſtar Ludimagiſtri, qui puerulos litteras formare docet, quandoquidem manum vnius ducit, alterius vix vllam habet curam. Permittit illum ad exemplar, quod ſolet pueris imitandum exhiberi, collimare. Quid cauſæ? Ille puerulus bonæ indolis eſt, ingenuus, obtemperans, docilis, & à quo magnum quid expectari poteſt: iſte immorigerus, indocilis, & aſinus ad liram, in quo ferè oleum & operam perdis. Sic Deus voluntatem timentium ſe, ſeu obſeruantium mandata ſua facit, ſicque illos cuſtodit, ac regit, per ſingula rerum & temporum momenta, vt omnia in eorum bonum cedant; immorigeros iſtos ſecundum naturæ curſum agitari permittit. Planiſſimè hoc indicat Regius vates: *Vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum*, Pſal. 33. Vultus, inquam, indignatione plenus. De iuſtis verò dicit: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum*, Pſal. 33. & *voluntatem timentium ſe facit.* Illis promiſit Iſaiæ 43. v. 2. *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te*, quaſi dicas, Sicut parentes tuos olim, ô domus Iuda, ex aqua, atque igni incolumes eduxi, ſic cum per aquas tibi tranſeundum fuerit, efficaciam ne te vaſtus aquarum guſtes abſorbeat, aut fluctus obruant marini. Si in ignem, & fornacem vis te aliqua violentior iniecerit, neque te flamma comburet, & ignis vehemens calor tibi proximus erit innoxius. Similiter Iſaiæ 58. inquit: *Tunc inuocabis, & Dominum exaudiet te: clamabis, & dicet: Ecce adſum. Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum, & loqui quod non prodeſt*, quaſi dicas, Cùm ſyngrapharum faſciculos, quæ miſerorum catena ſunt, abieceris; cùm iraſci, aut diſceptare, extentoque digito alijs terrorem & minas intendere deſieris; ac tandem verba, quæ alijs contumelioſa ſunt, & grauia, tibi verò nullo modo vtilia, longè abire iuſſeris, tunc clamans & orans ſtatim à propitio, & liberali Domino audies; En præſto ſum.

8.

Mirum eſt, quod aliter Angelus iubetur Zachariæ Vati indicare ſi Hieroſolymitani parentum diſſolutos mores abiurent, Deique imperia exequantur, nempe tantam foreſeliciratem Hieruſalem, vt ea non capiet Iudæos è captiuitate redeuntes, tantamque eorum multitudinem, vt per ſuburbia, & villas vrbi vicinas, domos aut tabernacula conſtruere neceſſum erit; Et ne fortè perturbaret Prophetæ animum, partem aliquam ciuium, muroru[m] præſidio nudam, obiectam videri inimicorum iniuriæ ſubijcit: *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius*, quaſi dicas, ne metuas ô Zacharia, illi ciuitatis parti, quæ ſine muro erit, ego inſtar muri ignei cingã, & tutabor Hieruſalé, ac ſolo aſpectu hoſtes fugabo, & ciues lætificabo. Igneum verò dicit, vel quia Angelos præficiet cuſtodiæ vrbis, qui Pſ. 103. dicuntur *ignis vrens*: & 4. Reg. 6. Samariam igneis curribus eſſe vallatam, nihil aliud exiſtimatur eſſe, quàm vigili, & ſedulâ Angelorum cuſtodiâ eſſe munitam,

nitam; de qua Isa. 62. *Super muros tuos Ierusalem posui custodes.* Vel certè in igneo muro singularis indicatur custodia, atquè protectio, quæ quàm simillima est illi, quâ Deus cauit ne vllus in Paradisum introiret. Nam quemadmodum Deus custodem Cherubim cum igneo gladio in aditu constituit, sic etiam nunc igneum murum promittit. Quod si, vt Abulensis putat, & Lyra, & historia scholastica, gladius igneus Cherubim, ignis erat instar coronæ paradisum ambiens, nihilo infirmior custodia Ierusalem promittitur, quàm olim Paradiso data est. Mirus sanè amor Dei in populum suum, sibiquè obsequentem, mira prouidentia, quam agnoscebat Dauid, cùm canebat Psal. 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui*; ac sic diceret, non tam montium ambitu, quàm Domino custode tutam futuram esse Ierusalem. Et Isaiæ cap. 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Subijcit Zacharias: *Et in gloria ero in medio eius*, id est, glorificabo Hierusalem, eique gloriam afferam mea præsentia. Deus enim habitans in Hierusalem pet sui cultum, legem, oracula, miracula, tutelam & protectionem, eam reddebat celebrem, & gloriosam apud omnes Gentes, teste Iosepho lib. 12. Antiquit. cap. 26. Atqui Deus hominis iusti animum vt lut solium suum occupat, & in eo tanquà Rex residet, & ab iniuria eà protegit. Sic vidimus actum cum Tobia, vt Deus vbique, & in medio hostium ipsius partes susciperet, animumque Regis inimici in eius gratiam conuerteret. Vnde verum reperitur quod Salomon Prou. 16. prædixerat: *Cùm placuerint Domino vie hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.*

9. *Deus compellit creaturas irrationales seruire iustis.*

Exod. 15.

Dan. 3.

Exempla. Gen. 8.

Dan. 6.

Iosue 10. & cap. 4

1. Reg. 12.

3. Reg. 18.

4. Reg. 2. Act. 2.

Ad hæc tanta est Dei in suos bonitas, & potentia, si voluntati eius obtemperes, vt etiam elementa, aliasque creaturas irrationales contra naturam suam tibi seruire compellet. Sic fecit aquam hiscere Israëlitis, vt transitum eis pararet, per mare rubrum. Sic seruire fecit ignem tribus pueris in fornace Babylonia, vt eis emitteret suauem auram, & quasi ventum toris refrigerantem; impios verò Chaldæos combureret: Ita seruire fecit aquas diluuij Noë, cum in arca vectando & conseruando, impios verò submergendo. Ita seruire fecit leones Danieli in lacu; Solem Iosuæ ad prosequendam victoriam, Ios. 10. 13. Iordanem Hebræis ad transeundum in Chanaan, Ios. 4. 16. tonitrua Samueli, 1. Reg. 12. 18. coruos Eliæ, vt panem ei afferrent; vrsos Elisæo, vt ei conuiciantes punirent, laniarentque. Ita Christo & Apostolis seruiuit ignis in Pentecoste; aër & venti cùm eo iubente siluerunt; mare cum super illud ambulauit, & cùm eo iubente Petro piscanti copiam piscium dedit; terra, & saxa cù in passione scissa sunt; angeli, cùm stellam Christi nati indicè Magis dederunt, cumque cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo.* ita seruierunt pisces & aues sancto Francisco, cùm ei concionanti applauserunt, & cantillarunt, eoque rursum iubente siluerunt: ita satyri & fauni iter ad S. Paulum ostenderunt S. Antonio, & leones vnguibus effoderunt sepulchrum, in quo S. Paulum sepeliret. Ita Gregorio Thaumaturgo seruiuit mons, dum eò cessit, vt Ecclesiam ædificaret; item Lycus fluuius, dum se contraxit, ne in agros exundaret. Ita Theodosio pio Imper. seruiuerunt venti, dum tela hostium in ipsosmet retorserunt in pugna contra Eugenium tyrannum. Ita aranex seruiuerunt S. Felici Nolano, dum eum subitò sua tela texerunt, ne à persequentibus inueniretur. Memoria eius agitur 14. Ianuarij.

10. *Aliud non antiquum exemplum.*

Licet hic multa exempla in medium adduxerim, quæ probant Deum adesse suis, tamen silentio prætereire non licet, quod narrant publica monumenta de Iosepho Anchieta. Fuit hoc æuo vir iste nouus in Brasilia Thaumaturgus. Anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto Iosephus ad sinum Ianuariensem redijt. In reditu Canoam (nauis genus est) conscendit, vnà cum comite. Erat tunc æstus ingens, & molestus, malacia summa, nec aurx quidquam afflabat. Ægrè hanc cæli grauitatem ferebat comes. Fortè fortuna tunc arborem insederant tres quatuórue grandiores aues, quas incolæ Quaracies nominant, sunt ex gallinarum magnitudine, colore purpureo in flauum vergente, aspectu pulcherrimæ. Has Iosephus idiomate Brasilico allocutus: Ite, inquit, & cognatas vestras huc accersite, nostrumque iter volatu vestro inumbrate. Illæ collo extenso vocem, velut accepti imperij signum misêre, indeque auolantes magno agmine paullò post redierunt, densatæque in nubem tamdiu Canoam superuolantes vmbram fecêre, donec vnius milliaris decurso spatio, lenis afflare expirantra fauonij. Hîc Iosephus missionem dedit tam fido comitatui, iussitq; aliò secedere. Illæ quasi imperio perfunctæ officiosa crocitatione, & multis lætitiæ signis auolarunt. Hoc comes, post obitum Iosephi multis grauibus viris præsentibus iureiurando interposito publicè affirmauit. Neque mirum ad hominis voluntatem cum Dei voluntate coniunctissimi naturas omnes se attemperare. Ita refert Sebastian. Beretarius in eius vita lib. 4. pag. 358.

CAPITIS PRIMI

VERSVS. XV.

Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita ſalutis dabat eis.

PARAPHRASIS.

Perpendens diuinæ prouidentiæ, atque diſpoſitionis admirandam ſuauitatem, quæ illam regi idololatræ & barbaro mentem iniecerat, vt facultatem ipſi Tobiæ concederet, quocumque vellet, liberè abeundi: eam libertatem impendit in ſalutem ſuorum contribulium, & omnia loca obiens, in quæ contribules ſui fugerant, ab Aſſyrio diſperſi ſalutaribus inſtruebat documentis.

SECTIO VIGESIMA-NONA.

Quid hic verſus ad laudem Tobiæ, noſtramque inſtructionem documenti ſuppediter?

ISAIÆ cap. 30. dicit Deus: *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem, & non faciet auolare àte vltra, doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, quaſi dicat, Patiemini quidem, ô Iudæi, ſub Sennacherib, æquè ac in Babylone inopiam aliquam, famem, ſitim &c. verùm Deus vobis aderit, vos proteget, dabitque doctores & præceptores, Eſdram ſcilicet, Ieremiam, & alios prophetas, qui vobis ſemper præſentes erunt, imò à tergo monere opportunè, importunè non ceſſabunt, vt viam Domini rectam ingrediamini, nec deuietis ad idola: tumque pro arcto pane ſiue modico, & aqua exigua dabit vobis Deus rerum abundantiam, vti cum feciſſe cum Iudæis Babylone redeuntibus patet Zachar. 8. 10. & Aggei 2. 17. tum Ezechiæ ſub Sennacherib, patet 4. Reg. 19. v. 29. Vt cum explicant S. Thomas Lyranus, Procop. & alij.

2. *Deus concedit quouis deſperato rerum articulo viros inſignes. Tobias liberi ſaluti alterius ſtuduit.*

Tantopere enim Deus ſuos amat, vt numquam permittat quantumuis deſperato ſæculo, aut occaſione, quin aliquos iuſtos inter medium peccatorum relinquat, qui vel exemplo, vel verbo alios præeant ad ſalutem. talis fuit Noe, Loth, alij. Talis fuit hic Tobias noſter, qui inter captiuos omni virtutum genere excellens, naſtam libertatem non impendit in vſum carnis, ſed ad Dei gloriam.

3. *Plurimi hominum libertatem ſuam in carnis vſum conuertunt.*

Contrarium paſſim videmus in fidelibus, qui hæretici dicuntur, & in ipſis, proh dolor! qui Catholici. Illi enim libertatem, quam nobis commeruit Chriſtus ſuâ morte, in vſum carnis conuertunt, dicentes legem perfectam libertatis, de qua Iacobus capit. 1. *Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus; ſed factor operis: hic beatus in ſuo facto erit.* Hanc, inquam, libertatem, ſeu Euangelicam legem Chriſtianos liberos reddere dicunt ab obſeruatione mandatorum Dei, vt nullâ lege teneantur; ſed perpetrare poſſint, quidquid lubet: ſolam fidem iuſtificare, quâ credimus Chriſtum omnia pro nobis conſummaſſe. Sed errant grauiſſimè, nam libertas illa quam nobis attulit Chriſtus, non eximit nos ab obſeruatione præceptorum Decalogi, ſed perfectiùs potius imperat, exequi, vt patet Matth. 5. vbi Chriſtus latè explicat, quòd velit Chriſtianos penitius obſeruare legem naturalem, quàm Iudæi obſeruarũt: adeò quòd illa libertas, quam nobis Chriſtus cõmeruit, nos eximat dũtaxat à præceptis iudicialibus, & cæremonialibus in lege veteri ad ſolos Iudæos ſpectantibus. Deinde à peccato & poteſtate dæmonis, & inferni Rom. 6. v. 20. Nam *ſola apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis*, vt ait S. Hieronymus ad Celantiam 3. à coactione & metu, vt legem impleamus nõ ex amore vindictæ, ſed ex amore iuſtitiæ iuxta illud 2. Corinth. 3. 17. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* & 1. Tim. 1. 9. *Lex iuſto non eſt poſita.* Chriſtiani enim non ſunt ſerui, vti Iudæi, ſed filij, nõ ſub ſpiritu ſeruitutis in timore, ſed ſub ſpiritu adoptionis in amore. Gal. 4. 5. Apoſtolus rem planiſſimè determinat monet vtiq; Galat. c. 5. *Vos in libertatem vocati eſtis fratres; tantummodo libertatem in occaſionem detis carni, ſed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem*, id eſt, Cauete, & prouidete, ne occaſione huius libertatis volentes

4. *Libertas quam meruit nobis Chriſtus, qua ſit.*

lentes eam nimiùm extendere (vt faciunt Nouantes) liberè ruaris in omnia carnis deſiria, liberè quidquid concupiſcendi & carnaliter viuendi, quaſi iam nullis præceptis teneamini, ſed velut equi indomiti facere poſſitis quidquid libuerit. Pulchrè in hanc rem D. Auguſtinus tract. 91. in Ioannem: *Noli libertate abuti ad liberè peccandum, ſed viure ad non peccandum: erit enim voluntas tua libera, ſi fueris pia: eris liber, ſi fueris ſeruus; liber peccati, ſeruus iuſtitiæ.* Vide hæc latius explicata Diſc. 1. prænio in Decalog. à n. 6. vſque 12.

5. *Catholici libertate ſtatim abutuntur.*

Catholici verò ſi aliquam libertatem nanciſcantur, veluti cum à tributo alioque onere hoſtibus impendi ſolito liberantur, aut facultatem obtinent quouis liberè ſine ſaluo conductu & ſecurè commeandi, libertatem illam impendunt in vſum carnis, vt vidimus nuper, cùm Rex Hiſpaniarum induciis iniiſſet cum Hollandis, quando tanta frequentia populus foras confluxit ad pocula, tabernas, venerem, vt Eccleſiæ quodammodo vacarent, & rectè cani potuiſſet lamentabile illud Hieremiæ Threnor. 2. *Viæ Sion lugent, & non eſt qui veniat ad ſolemnitatem.* hic locus explicatur ſuprà. non ſic Tobias noſter, ſed contrarium ſuo exemplo docuit.

6. *Deo eſt charißimus, qui alterum ſaluti inuigilat inſtar Tobiæ.*

Alterum eſt, quod dans monita ſalutis, omni encomio dignus ſit: Qui enim alium ad viam ſalutis promouet, os Domini dicitur, id eſt, Deo chariſſimus. Ieremiæ capit. 15. dicit Dominus: *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris*, id eſt, Si dederis operam, vt ex vilibus, impijs, incredulis, & rebellibus facias credentes & obedientes, ac iuſtos; ſicque ſeparet, & vt hebraicè eſt, educas à ſua præterita impietate, eris mihi curæ, charus, & coniunctus, quaſi os meum, vt vulgò dicimus ei, quem valde diligimus, amo te quaſi oculos meos, cor meum, &c. Amplificat hanc rem Chryſoſt. hom. 3. in Geneſ. dicens: *Nihil ita gratum eſt Deo, & ita curæ, vt animarum ſalus, ſicut clamat Paulus*, dicens: *Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et iterum Deus ipſe ait: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Et propter hoc etiam omnem creaturam produxit, & nos formauit, non vt pereamus, neque vt ſupplicijs nos, torqueat: ſed vt ſaluet, & ab errore liberatos, regno frui nobis concedat. Et immediatè poſt horum argumento nos ad proximorum curam incitat & vrget. Talem igitur habentes*, inquit, *Dominum, tam miſericordem, tam benignum, tam manſuetum: cùm noſtra, tum fratrum noſtrorum ſalutis curam: geramus nam & hoc noſtræ ſalutis argumentum erit, & occaſio, ſi non ſolum pro nobiſipſis, ſolliciti, ſed & proximo vtiles fuerimus, ipſum ad viam veritatis manuduxerimus. Et vt ſciatis quantum bonum ſit, cum ſalute noſtra & alios lucrari, audi Prophetam ex perſona Dei dicentem: Qui educit pretioſum à vili, quaſi os meum.*

1. *Tim.* 2. *Ezech.* 18.

Mendex in Tobiam.

erit: Quid hoc eſt? Qui aberrore ad veritatem, ait, *manduxerit vel à peccato ad virtutem proximum induxerit: pro virili humano me imitatur. Etenim ipſe cùm Deus ſit, propter nihil aliud noſtram induit carnem, & alia omnia humana ſuſtinuit, & crucem quoque ſuſcepit, niſi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat*, dicens: *Chriſtus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Si igitur ipſe, qui Deus eſt ineffabilis eſſentiæ, ob miſericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos, & ſalutem noſtram ſuſcepit: cur non & nos erga fratres iuſti ſumus, agnoſcenteſq; eos, vt membra noſtra, & eripientes ex diaboli faucibus, in viam virtutis inducimus? Nam vt anima corpore melior eſt: ita hi, qui indigentibus pecunias & facultates ſuppeditant, maioribus præmijs digni ſunt hi, qui admonendo, & continuè docendo in viam rectam ſupinos & deſides inducunt, monſtrando eis diuinarum virtutum, fragrantiam, & vitiorum malevolentiam. Hæc omnia cum ſciamus, pro omnibus alijs huius vitæ curis, de ſalute animarum loquamur proximis, eandem illis ſolicitudinem ingerentes.* Hæc Chryſoſtomus. Lirin. 15. Galat. 3.

Opus diuinum eſt, curare proximi ſalutem.

S. Dionyſius Cæleſt. Hier. cap. 3. docet hoc opus eſſe non tantum Angelorum (horum enim eſt purgare, illuminare & perficere) ſed Dei ipſius: quare omnium diuinorum operum, diuiniſſimum eſſe Deo cooperari in conuerſione impiorum ad eum: Dei enim *adiutores ſumus*, ait Paulus 1. Cor. 3. verſ. 4.

7. *Talis quomodo ſuam & proximi animam ſaluat.*

Clariùs oſtendit Iacobus cap. 5. verſ. 20. quantum præmium conſequatur ſaluti inuigilans proximorum, dicit enim: *Si quis ex vobis erraverit à veritate.* videlicet fidei & morum, ſeu declinans à fide Orthodoxa, & à veritate morum ruerit in peccata & ſcelera, is *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, id eſt, qui docendo, corripiendo, incitando, & ſanctæ vitæ exemplo conuertit peccatorem, à præſenti & æterna morte animam eius ſaluabit: ita vt rectè *Saluator* dici poſſit iuxta illud Abdiæ, *Et aſcendent ſaluatores in montem Sion, iudicare montem Eſau, & erit Domino regnum.* Quem locum licet Authores ſecundum litteram explicent de Iudæis, qui armis ſibi Idumæos ſubiugarunt: & quia ab hoſtibus, humanaque vexatione ac cæde gentem ſuam liberarunt, rectè *Saluatores* dicuntur, vt Iudicum 3. Othoniel verſ. 9. & Aod verſ. 15. Alius 4. Reg. 13. item Eſdræ lib. 1. cap. 9. tamen Hieronymus etiam explicat de Apoſtolis, dicens: *Ipſe Saluator Apoſtolos ſuos mundi eſſe voluit ſaluatores.* Nec mirum, quàdoquidem hoſte ſuperato etiam religio floret, quod & innuunt illa verba, *& erit Domino regnum.* quaſi dicat ad illud vſque tempus, ex quo ab Iſraelitis atque Iudæis deſerta fuit terra promiſſionis, non tam regio illa, quàm Gentium idolis ſeruire videbatur, quia

quia aut à populo colebatur gentilico, aut ab his, qui à gentilicis moribus non longè aberant. at vbi rediit populus, & exacti sunt ab Israeliticis finibus alieni, Deus quoque suum sibi regnum, eousque sublatum recuperauit. Idem, opinor, dixit Ezechiel in extremis verbis suæ prophetiæ, sicut etiam nunc Abdias. *Et nomen ciuitatis ex die illa, Dominus ibidem*, id est Deus in Ierusalem, tamquam Dominus illius, & sicut antea benevolus habitabit. Sicque Deus in peccatore conuerso sedem suam collocat, animam illius reuiuiscere facit. Sicut enim vita corporis est anima, ita vita animæ est Deus Deique gratia, ait August.

8. Deinde locus ille Iacobi, sicut olim fuit in Græco, significat, quòd ille qui saluat animam alienam saluabit & suam; seu qui saluti alterius inuigilat, & saluti suæ consulit: quia si iustus sit, de condigno promerebitur opere tam pio gloriam cœlestem; si iniustus, de congruo merebitur gratiam & iustitiam. Et hoc explicant verba sequentia, *operiet multitudinem peccatorum*, scilicet cùm eius, quem conuertit, tum suorum. *Vniuersa enim delicta operit charitas*, vt est Prouerbior. 10. nam sicuti lux tegit tenebras eas abolendo, sicut pallium tegit nuditatem, eam tollendo; sicuti fossa tegitur iniectâ terrâ; dum eâ impletur: sicut color niger inductus albo, eum tegit, non abscondendo, sed abolédo; sicut aqua obruit ignem & extinguit; sic & charitas abolet omnia peccata.

Ingens præmium manet alios saluantes.

Addit Daniel cap. 12. præmium & aureolam illustrem, quæ manet alios erudientes, dicens: *Qui docti fuerint fulgebunt vt splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas aeternitates.* Et Christus: *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Matth. 5. 17. Odo Cluniacensis ser. de S. Benedicto, asserit fidelem esse opinionem, quod quilibet refurget cum illis, quos Domino acquisiuit. *Cùm igitur*, inquit, *vniuersi huiusce eius instituti eius sequaces in vnum coacta fuerint, quale signum Apostolatus S. Benedicto tunc copiosus ille exercitus exhibebit?* Sic Apostolus fideles à se conuersos vocat suam coronam, suam gloriam & gaudium in die Domini, Philip. 4. 1. & 1. Thessal. 2. 19. Et S. Gregorius homil. 17. in Euang. ibi, ait, *Petrus cum Iudæa conuersa, quam post se traxit, apparebit: ibi Paulus conuersum, vt ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreus post se Achaiam, ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Iudicis conuersam ducet. Ibi omnes gregis Dominici aretes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt.*

9. *Non solum sua, sed & saluti aliorũ inuigilandũ.*

Hæc omnia ostendunt, quàm apud Deum sit animam saluare seu liberare à peccato & gehenna. Vnde noster Tobias parum existimauit, si solus saluaretur, nisi & alios saluaret: *Si enim Mercator*, inquit Chrysostomus hom. 60. in Matth. *Vt rem familiarem amplificet, terreris plena maria nauigat: si opifices, vt rebus suis quidquam adijciant, duros tolerant labores: & nos pariter salutis nostræ salutem proximorum adijciamus, præsertim cùm qui sua contentus negligit alienam, nec suam quidem consequi potest.* Illud confirmat militis exemplo: *In prælio*, inquit, *ac expedita acie, qui sibi solum consulit miles, nec aliud respicit, quam quomodo possit fugiendo animam suam seruare, is cæteros quoque milites ad perniciem trahit: quemadmodum è contra, generosus miles, cùm alios cuare conatur, se quoque ipsum defendit.* Et hom. de habenda cura salutis proximi 10. 1. exemplo Nautæ secundò vento nauigantis amplificat: *Nauta*, inquit, *Licet nauis secundo vento feratur, cùm tamen videat alios vel à longè naufragium facere, non ad propriam spectantes vtilitatem illorum contemnunt calamitatem; sed sistunt nauem, detrahunt vela, ejciunt anchoram, proferunt funes, projiciunt tabulas vt ille qui à fluctibus mergitur, fortè aliquo illorum arrepto emergat.* Et hinc dicta hom. 60. sic perorat: *Quoniam igitur bellum nobis indictum est, & prælium agitur amarissimum, & acie instructa iam pugnamus, sic magno animo, vt nostet iubet Imperator, ad sanguinem, & ad necem simus parati, vt ad salutem omnium pugnemus, alios cohortatione, alios auxilio iuuantes. Multi enim in hac acie fratres perfossi, atque sanguinolenti iacent, nec vllus inuenitur, qui medicetur, non è vulgo aliquis, non presbyter, non pontifex, non amicus, non frater, non alius quispiam: sed singuli quæ nostra ipsorum sunt, quærimus: ac propè rea nostra diminuimus. Atqui non ignoramus magnam inde ad Deum fiduciam, magnã approbationem comparari, si quis quæ sua sunt, non quærat. Cum rei oppositum facientes, tam prauis hominibus, quam diabolo captu faciliores, imbecilliorésque nosmetipsos constituimus: non enim alter pro altero arma capimus, nec Dei charitate nos communimus, sed alius quasdam amicitiæ prætextus quærimus: sic alius affinitate, alius consuetudine, alius consortio, alius victimâ, alius aliâ quadam ratione, nemo fidei, ac religionis pietate nobis amicus est.* Et dicta hom. de habenda cura: *Imitare & tu nautas, cùm videris nauigantium aliquem naufragare in fluctibus, etiam submergi: relictis negotijs tuis statim illius prouide saluti,* ne videlicet ire clamet Deus, quod olim per Amos Prophetam cap. 5. *Virgo Israel proiecta est in terram suam non est qui suscitet eam.*

incalcatur diuersis similesque habuit.

10. *Deus à nobis rationem proximi exigit.*

Certè perniciosum est, non alium esse zelum erga proximorum salutem, cùm semel periisse æternum sit, semel damnatum irreuocabile sit. Si puerum ruere in ignem, in aquam videamus, statim accurrimus, omnique conatu carrahimus; ruentes verò animas in incendia gehennæ, vix pedem mouemus, ad eas eripiendas: cùm tamen, vt, inquit, Chrysostomus lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ, *iudex pari, & eadem fere diligentia & nostram*

nostram, & proximorum nostrorum salutem requirat à nobis; & Sancti viri propterea alios corripiendis alijs magnoperè instigarunt, vt ibidem subiungit Chrysostomus: *Idcirco*, inquit, *Paulus semper & vbique monet singulos, non quæ sua sunt quærere, sed quæ proximorum: idèo in Corinthios vehementer inuehitur, quod nullam prouidentiam, nullámque curam habuerant eius, qui in grauissimum crimen fornicationis inciderat, sed magis eius vulnus tumidum obduratúmque contempserant.* Galat. 6. *Galatas quoque eadem scribens aiebat: Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, eiusmodi corrigite.* 1. Thess. 5. *Thessalonicensibus item eadem monita edebat, dicens: Itaque exhortamini inuicem & ædificate. Itemque: Corripite indisciplinatos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos. Ne quis enim diceret, quid mea interest etiam alienum curare salutem? Qui perit, pereat: & qui seruatur, seruetur: nihil horum pertinet ad me, mei tantum ipsius curam habere mihi imperatum est. Ne quis, inquam, illa diceret: immanem hanc, & prorsus inhumanam cogitationem ingulans, legibus illis illam sepsit & circumclusit, quibus plurima subeat nostrorum commoderum negligere, vt proximorum saluti consulerentur, atque omnibus in locis vna eandem diligentiam habendam definiuit.* Quod ibidem alijs Scripturæ locis latius extendit.

SECTIO XXX.

Quæ monita dederit Tobias suis contribulibus.

1. D. Paulus quomodo omnibus omnia factus.

DIVVS Paulus 1. Cor. 9. dicit: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege sunt, lucrifacerem: iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*, quasi dicat. Cùm nemini essem obstrictus, nec Iudæo, nec gentili, sed meæ potestatis, meique iuris, tamen in omnibus me vt seruum subieci; vt quamplures acquirerem Christo, & saluos facerem. Iudæis factus sum quasi Iudæus quoad actiones quasdam externas & obseruationes, veluti circumcidens Timotheum, Act. 16. tondens mihi caput cum voto secundum legem, Act. 18. ac rursus ex voto me purificans, dieíque purificationis in templo cum oblationibus annuntians, Act. 21. & 24. Item abstinens, à cibis secundum legem immundis & vetitis, vt facilius Iudæos ad Christum attraham: idque secundum externam faciem, non secundum internam fidem, quâ certissimè tenebat legis Mosaicæ cæremonias esse per Christum abolitas, proindeque non amplius cuiquam ad salutem obseruatu necessarias; quamuis eo tempore necdum mortuferas. Gentilibus, quibus lex scripta data non fuerat factus sum similis in eo, quod legem scriptam apud eos non seruaui, sed naturam tantum ducem & lucem sequerer, vt faciunt Gentiles. Idque ne meo exemplo viderer eos inducere ad subeundum iugum legis Mosaicæ, tum ne legis obseruatione eos alienarem à Christo. Infirmis factus sum infirmus, id est, infirmis similis; animo quidem per affectum commiserationis; opere verò per hoc quod infirmis accommodauerit sese, similia quædam faciens; veluti legales obseruationes exercens, ab idolothytis abstinens, & omnino offensiones illorum & scãdala diligẽtissimè cauens. Quemadmodum dicere solemus nutricem puerascere cum infantulo quadam actionum similitudine: & medicum ægrotare quodammodo cum ægroto, dum se eius infirmitati quoad potest attemperat. *Omnibus omnia factus sum*, id est, omnium moribus & affectibus me contemperaui, quantum honestas & lex Dei patitur, vt omnium morbis mederi possem, iuxta D. Augustinum epist. 9. & 19. vbi ait: *Non mentiendo, sed compatiendo; non simulantis astu, sed commiseratis affectu omnibus omnia factus est Paulus*, insinuans Apostolum hic nihil suffragatum politicis, qui per fas & nefas omnibus se accommodant, & simulant se cum hæreticis hæreticos, cum Turcis Turcas, cum Catholicis Catholicos, cum castis castos, cum obscœnis obscœnos: Id enim reprobat Paulus ad Galat. 2. scribens se nec ad horam cessisse falsis fratribus, in hoc vt Titum qui gentilis erat circumcideret; ipsíque Petro cum reprehensione restitisse in faciem, quod simulatione quadam vsus non rectè ambularet ad veritatem Euangelij. At neque cum ebriosis inebriatus est Paulus, neque cum rapacibus aliena rapuit, neque cum idololatris idola coluit, aut aliud tale fecit: sed omnibus omnia se factum dicit, vt antè dictum est, partim commiserando, partim similia quædam cum illis agendo: quæ tamen cum lege Dei minimè pugnarent: alias enim finem non potuisset consequi, quem in fine exprimit, *vt omnes facerem saluos.*

2. D. Paulus longè abfuit à vitio Politicorum.

Hoc idem egit Tobias noster. Cùm enim ad omnes pergeret contribules ab Assyrio dispersos, & inter eos essent, qui timerent Deum, & sacræ religioni constantes adhærescerent, alij qui peccantes & tepidi lapsum & ruinam in religione penè minarentur, alij denique, qui gentilicam superstitionem, seu vitulorum à Ieroboam erectorum cultum iam amplexi erant, necesse fuit vt singulis monita illis congrua adhiberet. Primus itaque existimo similia dedisse monita, ac Hieremias

3. Capitum promissum accommodauit Tobias.

Constantes adhuc in side perse-

reuerentiam incutiunt.

suis in Babylonem captiuis abducendis, per Epistolam Baruch cap. 6. vbi cùm timeret propter illius gentis in omnem partem varium & multiplex ingenium, ne proditâ verâ ac paternâ ad Chaldæorum religionem, & sacra diffluerent, epistolam dictauit Amanuensi suo Baruch, quâ deterret contribules suos ab idolorum cultu, & multa in eam rem affert argumenta grauissima, quæ ad Lectoris fastidium tollendum, in quædam capita breuiter contraham. Docet igitur indignos esse Chaldæorum deos (quod idem etiam intellige de mutis Gentilium simulachris) quos homines venerentur, & timeant. Primùm, quia à se nihil habent amplius, quàm ligna, quæ cæduntur è syluis, aut saxa, quæ effodiuntur è montibus; nam reliqua acceperunt vel ab insana hominum liberalitate, vel ab accurata artificum industria. Tum quia nihil opis afferre possunt hominibus, cùm nec seipsos possint, aut à latronum manibus, aut ab incendio, aut ab alio quouis infortunio liberare. Deinde quia sacrificijs coluntur obscœnis, & meretricijs donarijs exornantur. Vnde ad extremum concludit, solem & lunam, & bestias esse longè illis præferenda; cùm & ipsa habeant aliquid speciosum, & vtile; à dijs autem illis nihil sperari possit à natura pulcrum, neque humanis vtibus opportunum. Hæc summa est, breuisque complexio eorum, quæ in hac Epistola latè digesta sunt. Item quæ Barnabas Act. 11. cùm videret Gentiles Antiochiæ per gratiam Dei excitatos audè arripere fidem Christi, in eaque constantes, deuotè agere hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino, id est, in fide Christi, amore, & gratia. Et Act. 13. vbi Paulus & Barnabas Christianis iam factis *suadebant vt permanerent in gratia Dei.* Item Apocalyps. 2. Deus monet Angelum siue Episcopum Philadelphiæ Ecclesiæ ad constantiam, dicens: *Ecce venio citò. Tnet quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Hoc acri stimulo eum excitans ad virtutem continuandam. Similibus argumentis vero simile est Tobiam nostrum suos adhuc in religione Iudaica constantes instruxisse documentis, proposuisse Idololatriam Deo detestabilé & exosam, perseuerantiam omnium virtutum esse reginam ac coronam, ac sine ea neminem ad optatum finem, puta cœlestem gloriam peruenire posse, adeoque hasce tribulationes & afflictiones patienter pro Deo esse subeundas, breuique habituras finem, & similia.

4. Tepidis periculum cassus proposuit.

Tepidis autem siue illis qui inter virtutes & vitia fluctuant vero simile est, proposuisse periculum in quo versentur, quod graue esse constat ex verbis Christi ad Angelum Laodiceæ Ecclesiæ Apocal. 3. *Scio*, inquit, *opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, neque calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Sensus est: Scio te ex virtute quidem viuere velle, & peccata vitare, adeò quòd sciens & volens, nolles Deum mortaliter offendere: quia tamen ex tepiditate non vides magnitudinem periculi tui, & in peccatum lapsus ob teporem miseriam tuæ conditionis non agnoscis; hinc opto vt labaris potiùs in peccatum aliquod graue & manifestum, ex quo lapsum tuum cognoscas, seriò resipiscas, & saluetis, quàm per negligentiam in occulta peccata ruens, non animaduertas te excidisse ex Dei gratia. Nam perfectioris vitæ studium negligens, se facilè proprijs concupiscentijs permittit, & quæuis grauia peccata deuorat, quæ sibi parua & venialia tantum videntur, & graui tentatione occurente facile in peccatum mortale ruit. Vnde sic admonet Deus Episcopum Laodicenum, qui in peccatum graue inciderat, neque illud aduertebat: *quia tepidus es*, &c. *incipiam te euomere ex ore meo*, id est, Tuo tepore prouocas me ad nauseam, vt statim incipiam te enumere, & repellere à familiaritate mea: vide ergo vt in tepore tuo non hæreas, sed illicò eum excutias, & feruorem induas. Hac ratione haud dubiè suos animauit contribules Tobias, sicut & Iudithá cap 5. Bethulienses, qui fermè desperantes cogitabant se infra quinque dies, si Deus non mitteret auxiliares manus, subdere Holoferni.

5. Apostatas pœnis & beneficijs conatus ad resipiscentiam reuocare.

Alios tertio loco positos, quorum maximus erat numerus pœnis & beneficijs à Deo respectiuè exspectandis exemplo Moysis Deuteron. 32. Iosue 24. cap. Samuelis 1. Reg. 7 ac Prophetarum ex gentilica superstitione studuit eruere. Sciebat enim magnam esse in exhortatione vtilitatem: nam ad Samuelis admonitionem Israëlitæ idololatrantes resipuerunt, & in signum contriti cordis, *hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini: ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt, Peccauimus Domino.* Ad exhortationem Nehemiæ vsurarij reddiderunt vsuras, & vlterius non acceperunt, Nehemiæ cap. 5. Ioanne Baptista exhortante populi multi baptizabantur confitentes peccata sua Matth. 3. cap.

SECTIO XXXI.

An Tobias cùm sæcularis esset ad huiusmodi exhortationem & correptionem teneretur. Et quis vtiliter alium corripiat?

VAMVIS ordinariè ad Prophetas & sacerdotes spectet, ignorantes docere, & peccantes corrigere; nam *labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius:* tamen

1.

Secularis seu Laycus tenetur corripere proximum in necessitate.

tamen certum est vnumquemque secularem non solùm in sua domo teneri ad correptionem subditorum: sed etiam ad quoslibet alios in necessitate spirituali existentes, dum videlicet Propheta aut Sacerdos abest, ad cuius officium illud spectat ex iustitia; si vero simile sit eum cum fructu id facturum. Quòd contigit tempore Tobiæ, quando non patuit Sacerdotibus ad suos accessus. Si enim lex obligabat bouem aut asinum inimici ex fouea extrahere, & charitas omni tempore præcipiat in necessitate corporali proximum iuuare, vt; licet Sacerdos & Leuita transiret, Samaritanus obligatus fuerit curare vulnera semi-mortui, quemadmodum Christus docet Lucæ 10. multò magis in spirituali necessitate tenemur, etiam cum periculo vitæ corporalis quando alias proximus periret. Huc seruit illud Io. 1. ep. c 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* quasi dicat, Deus pro hominibus peccatoribus vltrò & liberaliter vitam suã posuit, eoq; simul nobis tacitè præcepit, vt ipsum imitemur pro fratribus animam seu vitam temporalem, cùm ad salutem proximi comparandam necessarium est, prodigere, vel periculo exponere: hoc enim dictat & iubet ordo charitatis. Ita S. Paulus & Paulinus pro fratribus animas posuerunt: ita S. Sebastianus vitam suam exposuit morti & martyrio, vt S. Marcum & Marcellianum ex tentatione parentum nutantes in fide confirmaret. Ita S. Vitalis Vticinum medicum in martyrio nutantem corroborans, mortem & martyrij laudem adeptus est. Similia legimus in actis aliorum Martyrum & Sanctorum. Diuinus ille Apostolus dicebat Ephesianis Act. 20. *Mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minùs annunciarem vobis omne consilium Dei vobis.* Sic etiam ratiocinabantur primi illi Christiani, & reos se credebant, si illo rerum articulo titerent, ac occidere, si quos ad mortem ire tepidos viderent, sermone non confirmarent. Vide alios casus necessitatis spiritualis. Disc. 7. præuio in IV. Præceptum n. 3. & 6. eiusdem Disc. quando priuatus teneatur corripere, à quo non speratur emendationem.

Eoisem tenetur vitã temporalem exponere periculo mortis pro salute proximi.

Exempla.

Similit.

Tenetur vitã temporalem exponere periculo mortis pro salute proximi.

3. *Correctio ad peccatoris ingenium, & affectum attemperanda.*

Ad quæsitum, Quando quis vtiliter alium corripiat, breuiter dico, illum qui clementis & prudentis Medici imitatur exemplum, & pro correptione tale adhibet remedium, quale exigit & morbi natura, & ægrotantis affectus. Sic Nathan vtiliter corripuit Dauidem, quando inducta parabola hominis, qui vt suis parceret, vnicam pauperculi cuiusdam ouem occidit, vt peregrino cuidam conuiuium extrueret, illiq; peccatum proprium expressit in alieno, tecuq; vt in eo, quem reum capitis esse iudicarat, ignarus artificij seipsum condemnaret. Quod si aliter rem non obliquè, sed directè foret aggressus, irritasset Regem, neque ab illo aliquid extorsisset præteriniuriam. Hisce terminis celat artificium Nathan Propheta: *Duo*, inquit, *viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oues, & boues plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omninò, præter ouem vnam parunlam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filijs eius simul, de pane illius comedẽs, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: erátque illi sicut filia.* Ad quæ sic Rex iratus aduersus hominem illum nimis; *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Onem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud: & non pepercerit.* Inde Nathan accomodans parabolam ad Regem, *Tu es*, inquit, *ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Israël*, &c. *Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon.* Quis autem, quam homo ille barbarus & rusticus, de quo Nathan agebat, de sinu abstulisset cuiusdam pauperis, erat Bethsabee, quam de sinu, id est, de legitimo Vriæ thalamo abduxerat Dauid, quam Vrias nuptiali more, vt dicam cap... huius historiæ, emerat, sicut Dauid ipse cum sui capitis periculo centum Palæstinorum præputijs emit Saulis filiam, & Iacob septem annis duræ seruitutis emit spõsam Rachel. Neque fortasse parno steterat Vriæ Bethsabee coniugium, propter eximiam illam venustatem, quã primùm oculos, deinde animum cepit Dauidis. Diues verò, qui habebat boues & oues plurimos valdè, erat Dauid, cui satis vxorum erat, vt amatoriam sitim ad satietatem expleret, & caueret ex virorum sinu vxores abducere alienas, præsertim cùm esset Rex, cui propriũ esse debebat, vt legũ & æquitatis esset custos & vindex, nõ euersor & proditor, eo magis quòd peccatũ ipsius alijs ad peccandũ & ianuã aperiret, & ingereret atq; aleret audaciã. Illa verò reprehẽsione artificiosa id consecutus est, vt & Rex suum agnosceret peccatum, & vocẽ ederet doloris ac pœnitentiæ testem, *Peccaui*, inquit, *Domino.*

Exemplum Nathan artificiosè corripientis Dauidem.

Simili artificio vius est quidam Propheta 3. Reg. 20. correpturus Regem Achab, quòd in gratiam recepisset Regem Syrorum Benedad, quem interficere debuisset propter blasphemiam, quã erga Deum vius erat, quem volebat tantum in montibus suos iuuare posse, non in collibus. Percussus enim, & vulneratus Propheta abijt. *& occurrit Regi in via, & mutauit aspersione pulueris os & oculos suos. Cumq; Rex transisset, clamauit ad Regem, & ait: Seruus tuus egressus est ad prælandum cominus: cumq; fugisset vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Custodi virum istũ, qui si lapsus fuerit, erit anima tua*

pro

pro anima eius, aut talentum argenti appendet. Dum autem ego turbatus huc illuc, me verterem, subitò non comparuit. Et ait Rex Israel ad eum: Hoc est iudicium tuum quod ipse decreuisti. Suo se iudicio Rex artificij ignarus condemnabat. At Prophera eam occasionem nactus, *statim abstersit puluerē de facie sua, & cognouit eum Rex Israel, quod esset de Prophetis. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Sic itaque detraxit alienam personam, & ostendit suam, dixitque Regi Achab, & eius populo, subeūdam esse pœnam, quam subire debuisset Benedab, & Syrorum populus, nisi in illos Achab egisset negligenter nimis, & molliter, cùm ignorare non potuit, quid agere debuisset ex diuino præcepto, quandoquidem dixerat Deus multitudinem illam Syrorum esse subiugandam, quia in tam impiam vocem, sacrilegam linguam acuisset.

4. Diuina quoque Maiestas cùm vtiliter cor-ripere vellet Ionam Prophetam fastidientem concionari Niniuitis, quibus pœnitentibus à misericorde Deo ignoscendum credebat, præparauit illi hederam, quæ ascendit super caput Ionæ, cùm vmbraculum contra orientalem ciuitatis plagam excitasset, vt inde Niniuitarum pœnitentiæ, & vaticinij minacis euentum spectaret. Eamque hederam, quæ Prophetam incredibili affecerat voluptate, quia caput ipsius à Solis inclementia defendebat, cū subitò corrosam à vermibus videret, summâ indignatione & dolore affectus est, ita vt mori desideraret: occasionem inde sumpsit Deus, vt ipsi suam in Niniuitis Clementiam probaret, & indiscretum zelum Ionæ redargueret. Dixit enim ad illum: *Putasne bene iracundè tu super hedera.* Et dixit: *Bene iracor ego vsque ad mortem.* Iustissimam ego omnino, inquit, & grauem causam habeo, vt ad mortem vsque adigat me. Audax dictum, quod peruersus, & indiscretus zelus peperit. Cogitare vtique debebat, seque consolari quòd magis hîc ageretur honor Dei, à quo missus erat, quàm proprius; ac Deo curæ fore honorem suum, ne haberetur mendax. Rursum cogitare debuisset oracula Dei minacia solere esse conditionata, ideoque præmitti à Deo, vt homines inducant ad pœnitentiam, eisque parci possit, sed indiscretus zelus & finis vanus hominem à vero abduxerunt. Vnde modò applicat correptionis artificium Dominus: *Tu doles*, inquit, *super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt. Et ego non parcam Ninive ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram, & sinistram suam, & iumēta multa*, quasi dicat, Tu doles, ô Iona, propter hederam, quæ neque abs te plantata est, neque tuâ, vt vides, adoleuit industriâ, quæ vsque adeò futilis est, vt vnâ nocte nata sit, & eadem nocte viriditatem omnem, imò & vitam amisit. Et ego non doleam de tantæ ciuitatis interitu? Non parcam Niniuæ antiquissimo, amplissimo, ac nobilissimo populo: in quo, vt aliam innumerabilem hominum multitudinem omittam, plura sunt, quàm centum ac viginti parnulorum millia, qui nihil admisere cur perire debeant, quique adeò rerum ignari sunt, vt nullum habeant dextræ, sinistræque discrimen; multa denique iumenta, quibus, vrbe cadente, simul cum hominibus pereundum esset. Qua correptione eò adduxit, vt est verosimile, licet Scriptura sileat, Prophetam, vt suum ipse vanum & indiscretum zelum agnosceret, & seipsum deinceps diuinæ voluntati præstaret morigerum.

5. *Indiscretus zelus Deo displicet.*

Sic solet Deus indiscretum zelum redarguere. Iacobus & Ioannes Apostoli Luc 9. 54. cùm Samaritis indignantes, eò quòd recipi nollent Christum, dixerunt: *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Quocirca reprimens eos Christus: *Nescitis*, ait, *cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Simili zelo laborabat S. Carpus, cuius hac de re visionem longam, sed memorabilem recenset, S. Dionysius ep. 8. ad Demophilum. Simili laborabat Acacius Episcopus in Conc. Nicæno, qui cùm duriorem se præberet in recipiendis ad pœnitentiam ijs, qui à fide aberrauerant, audiuit à Constantino Imper. *O Acaci, scalam à terra in cælum constitue, soluq; per illam in cælum conscende*, ita refert Histor. Eccles. p. 2. cap. 4.

Christus per parabolas vitiator corripuit Iudæos.

Ille ergo vtiliter & prudenter alium corripit, qui tempore opportuno, & artificiosè, perspectis corripiendi moribus & qualitatibus, ad veritatis cognitionem, fœditatem criminis agnoscendam, & in seipso puniendam pertrahit. Quod & Christus solet per parabolas facere, vt passim videre est in Euangelio, quia sic iuxta ingenium & mores istius gentis vtilior fiebat correptio, teste Hieronymo, *familiare*, inquit, *est Syrō, & maximè Palestinis ad omnem sermonem suum parabolas iungere, vt quod per simplex præceptum teneri ab audientibus non potest, per similitudinem, exemplaq; tentetur.* Optimum modum Tobiam seruasse, nemo dubitabit, qui pro artificio vsus fuit eleēmosynarum adminiculo: beneficentia enim viam struit ad conciliandos sibi aliorum animos.

6. *Quæ obseruanda corripienti.*

D. Gregorius dilucidè hanc rem enucleat, & ostendit necessum esse ad vtilem correptionē, vt huic rei operam daturus recogitet quid loquatur, quādo, cui loquatur qualiter, & quātum: *Si enim*, inquit, *vnum horum defuerit, locutio apta*

apta non erit. Scriptum quippè eſt: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti. Rectè autè offerimus, cum bono ſtudio bonum opus agimus. Sed rectè non diuidimus, ſi habere diſcretionem in bono opere poſtponamus. Conſiderare etenim debemus, quid loquamur, vt iuxta Pauli vocem, ſermo noſter ſemper in gratia ſale ſit conditus. Penſandum verò nobis eſt, cui loquamur, quia ſæpè increpationis verbum, quod hac admittit perſona, altera non admittit. Et ſæpè ipſa eadem perſona ſecundum factum ſit altera. Vnde Nathan Propheta Dauid poſt adulterium furti increpationis ſententia percuſſit. Qui cum de raptore ouis diceret: Filius mortis eſt vir qui fecit hoc: ei protinus reſpondit dicens: Tu es ille vir: Cui tamen cum de Salomonis regno loqueretur, quia culpa defuit, ei ſe humiliter in adoratione proſtrauit. In vna ergo eademq; perſona, quia cauſa diſpar extitit, etiam ſermo propheticus diſſimilis fuit. Penſandum quoque eſt, quando loqui debeamus, quia ſæpè etſi differtur increpatio, poſtmodum benignè recipitur. Et nonnunquam langueſcit, ſi hoc quod ante proferri debuit, tempus amiſerit. Nam & ſapiens mulier Nabal, ebrium videns, increpare de culpa tenacia noluit, quem digeſto vino increpationis ſuæ verbis vtiliter percuſſit. Et paulò poſt: Penſandum quoque nobis eſt, qualiter loquamur: Nam ſæpè verba, quæ hunc ad ſalutem reuocant, alium vulnerant. Vnde Paulus quoque Apoſtolus qui Titum admonet dicens: Argue cum omni imperio: Timotheum exhortatur dicens: Argue, obſecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Quid eſt, quod vni imperium, & alij patientiam præcepit, niſi quòd vnum lenioris, alterum verò feruentioris ſpiritus eſſe conſpexit? Leni per auctoritatem imperij iniungenda erat ſeueritas verbi: is autem qui per ſpiritum feruebat, per patientiam temperandus fuerat: ne ſi plus iuſto inferueſceret, non ad ſalutem vulnerata reduceret, ſed ſana vulneraret. Curandum quoque quantum loquamur, ne ſi ei qui multa ferre non valet, per verbum vel exhortationis, vel increpationis longius trahimus, auditorem noſtrum ad faſtidium perducamus. Vnde idem prædicator egregius Hebræis loquitur dicens: Obſecro vos fratres, vt ſufferatis verbum ſolatij. Etenim perpaucis ſcripſi vobis. Hoc tamen infirmis præcipuè congruit, vt pauca quidem, & quæ prævalent capere, audiant, ſed quæ eorum mentem in pœnitentiæ dolorem compungant. Nam ſi eis vno in tempore exhortationis ſermo fuerit multipliciter dictus: quia multa retinere non valent ſimul amittunt omnia. Vnde & medici corporum pannos, quos infirmantibus ſtomachis ponunt, apto quidem medicamine, ſed ſubtiliter liniunt: ne ſi repleti multo medicamine fuerint, infirmitatem ſtomachi non roborantes adiuuent, ſed opprimentes grauent. Deinde egregiè docet verecundas mentes leniter arguendas; aſperas & impudentes duriùs; rationē addit: ne videlicet illę frangātur potius, quā erudiantur: hæ ad maiores culpas ipſa lenitate prouocentur. Et ſtatim rem exemplo illuſtrat Apoſtoli leniter corripientis Corinthios, & duriter Galatas. Cognoſcens vtique Apoſtolus quoſdam inter Corinthios omni gratiâ repletos, quoſdam in perſonarum fauoribus exciſos, eorum verecundiæ conſulens, locutionem ſuam à gratiarum actione & laudibus cœpit, dicens: Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto IESV: quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis. Qui adhuc adiungit, & dicit: Ita vt nihil deſit vobis in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini noſtri IESV Chriſti. Queſo te, Paule, ſi iam nihil deeſt, cur eis ſcribendo fatigaris: cur in longinquo poſitus loqueris? Penſemus ergo fratres chariſſimi quantum laudet. Ecce gratiam Dei datam aſſerit: factos in omnibus diuites dicit, in omni verbo, & in omni ſcientia: Chriſti teſtimonium, id eſt, quod de ſemetipſo moriendo & reſurgendo teſtatus eſt, in eorum vita confirmatum eſſe perhibet, & nihil eis deeſſe in vlla gratia teſtatur. Quis rogo, credat, quia paulò poſt eos corripiat, quos ita laudat? Nam poſt catera ſubiungit: Obſecro autem vos fratres per nomen Domini IESV Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata. Quod enim potuit tam perfectis, támque laudabilibus ſchiſma ſurrepere? Significatum enim eſt mihi de vobis fratres mei, ab his qui ſunt Cloës, quia contentiones inter vos ſunt. Hoc autem dico, quod vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Ecce quos in omni verbo, & in omni ſcientia laudauerat, quibus nihil deeſſe in vlla gratia dixerat, pauliſper loquens, ad increpandam leniter veniens, diuiſos erga ſeipſos reprehendit. Et quorum prius ſalutem narrauerat, poſt modum vulnera patefecit. Et immediatè pòſt à Medici ſimilitudine idipſum confirmat: Peritus, inquit, medicus vulnus ſecandum videns, ſed ægrum timidum eſſe conſpiciens, diu palpauit, & ſubitò percuſſit. Prius blandâ manu laudes poſuit, & poſtmodum ferrum increpationis fixit. Niſi enim verecunda mentes fuerint palpando reprehenſa, ita vt ex alijs rebus audiant, quod in conſolationem ſumant, per increpationem protinus ad deſperationem cadunt. Et ne quis affigeret nævum aliquem Apoſtolo, & notam adulationis veritæ, ſubiungit: Sed numquid mentitus eſt Paulus, vt prius eis nihil deeſſe in omni gratia diceret, quibus poſt modum dicturus erat vnitatem deeſſe? Abſit hoc, vt quis de illo talia, vel ſapiens credat. Sed quia erant inter Corinthios quidam omni gratiâ repleti, & erant quidam in perſonarum fauoribus exciſi, cœpit à laudibus perfectorū, vt modeſtâ inuectione ad reprehenſionem pertingeret infirmorum. Et in hoc quoque ad medicinam cordis, à medicina corporis vſum trahens. Nam cùm ferendum vulnus medicus aſpicit, prius ea membra, quæ circa vulnus ſana ſunt, palpat, vt poſt ad ea quæ vulnerata ſunt, leniter palpando perueniat. Cùm ergo Paulus perfectos in Corinthijs laudauit, ſana membra iuxta vulnus tetigit. Cum verò infirmos de diuiſione reprehendit, vulnus in corpore percuſſit. Ac deinde modum correptionis erga Galatas in me-

Luc. 1.

Coloſſ. 4.

1. Cui loquatur.

2. Reg. 12.

3. Reg. 1.

2. Quando loquendum.

1. Reg. 25.

3. Qualiter loquatur.

Tit. 2.

2. Tim. 2.

4. Quantū loquamur.

Hebr. 13.

Verecundi leniter corripiendi.

1. Cor. 1.

Ibid.

Duri duriter increpandi.

in medium producit: *Videamus*, inquit, *hunc ipsum, qui tantâ modestiâ atque mansuetudine ad corripiendos Corinthios ducitur, qualiter contra Galatas, qui à fide discesserant, erigitur. Nulla enim modestia in exordio, muchendo redarguit. Nam præmissâ salutatione, sic cœpit: Miror quod sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratia Christi. Quibus etiam in apertâ increpatione post cætera subiungit: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit? Mentes etenim duræ, nisi apertâ essent increpatione percussæ, nullo modo malum cognoscerent quod egissent. Nam sæpè hi, qui impudentes sunt, tantum se peccasse non sentiunt, quantum de peccatis quæ fecerunt, non increpantur. Minores culpas suas æstimant, quas minor inuectio castigat. Et quas vehementer obiurgari viderint, maiores esse deprehendunt.*

Galat. 1.

7.

2. Correctio vtilis debet fieri à iusto.

Denique necesse est, vt vtiliter quis aliquem corripiat, vt ipse culpâ vacet. Licet enim peccatores quandoque ex charitate teneantur alios corripere, cùm videlicet commodè, & cum spe fructus id facere queant. Nam peccatores, vt peccatores ratione sui status non excusantur quominus teneantur Deum & proximum opere & veritate diligere, prout præcipitur Ioan. 1. epist cap 3. v. 18. Eodem modo non excusantur, quominus Dei & proximi mala teantur impedire, quando commodè possunt; quia si hoc non faciunt, non diligunt opere & veritate. Tamen multò vtilius est à viro iusto admoneri, Primò quia sanctitas plus valet ad conuertendum peccatores, quàm concio: est enim optima dispositio, & via ad curandum & sanctificandum alios. Sicut enim mater, quo maiores & meliores cibos comederit, eo plus generat lactis proficui, quod infantibus impertiatur: sic fit cum corripiente; Et ideò Paulus primò sui curam gerebat, *ne fortè*, inquit, *cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Et ratio, id dictat: Quia peccator est ineptus qui alium corripiat, qui eius peccatum nouerit; nam non mouebitur eius auctoritate ad emendationem; sed eius dicta, tanquam ridicula excipiet. Si enim ebrius velit alteri persuadere abstinentiam; risum potius quàm ebrietatis odium concitabit. Imò correptus sæpè putabit alterum id facere ex hypocrisi, vnde offendat sanctiorem, atque ita eum potius scandalizabit quàm corriget. Nec enim facile poterit cogitare eum hoc facere ex charitate, aut zelo honoris Dei; nam si his ageretur, seipsum prius corrigeret, cùm ad hoc magis obligetur, & facilius sit seipsum corrigere, quàm alium.

Hinc D. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, alludens ad verba Saluatoris Matth. 7. *Hypocrita vide Scripturam*, inquit: *Bene ait Hypocrita; accusare enim vitia officium est bonorum virorum & benevolorum: quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt: sicut hypocrita, qui tegunt sub persona quod sunt, & ostentant in persona, quod non sunt.*

Secundò, quod facile sibi periculum creet peccator volens peccatorem corripere; Sicut enim qui naufragos è periculo, eripere volunt, nisi ipsi in tuto sunt, idem sæpe periculum adeunt, ac cùm illis immerguntur: ita nonnulli fragiles dum peccatores conuertere moliuntur, ab ijs peruertuntur, & in eandem cum eis peccati & gehennæ charybdim inuoluntur. Excipe nisi quis se iam emendauerit; sic Apostolus Paulus 1. Tim. 1. *animamabat desperantes*, dicens: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Christus* IESVS *venit in hunc mundum peccatores saluos facere; quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus, omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam*, quasi dicat, iuxta Augustin. serm. 10. de verbis Apostoli, *Quid timetis? quid trepidatis? Quorum primus ego sum. Ego*, inquit, *vobis loquor, sanus ægrotantibus, stans iacentibus, securus desperantibus: ideo enim misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus* IESVS *omnem longanimitatem. Morbum meum diu pertulit, & sic abstulit, tanquam bonus medicus phreneticum patienter tolerauit, sustinuit me ferientem se, donauit mihi feriri pro se. Omnem*, inquit, *longanimitatem ostendit in me ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Nolite ergo desperare.* De Tobia verò nostro dubium non est. quin vtiliter adhortari poterit suos contribules, quandoquidem in omnibus actibus suis nil nisi charitatem spiraret vir ad prodigium exemplaris.

8.

CAPI-

CAPITIS PRIMI

VERSVS XVI. ET XVII.

Cùm autem veniſſet in Ragues Medorum, & ex his quibus honoratus fuerat à Rege, habuiſſet decem talenta argenti.

Verſ.17. *Et cùm in multa turba generis ſui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, ſub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.*

PARAPHRASIS.

Cùm Tobias luſtraret ciuitates omnes, vbi agebant Hebræi, quos varia bellorum fortuna diſperſerat, & penes ſe haberet decem talenta argenti, quibus à Rege donatus fuerat.

*Verſ.*17. Contigit illum incidere in Gabelum, ſibi generis communitate coniunctum, cui vim illam argenti maximam credidit, mutuam tamen: ita vt ſibi accepto chirographo fiduciario de ea caueret.

SECTIO TRIGESIMA-SECVNDA.

Quid contineat ad encomium Tobiæ ſub chirographo Gabelo conceſſa pecunia, & an prudenter tantam ſummam mutuârit?

1. *Inter Iudæos cauendū erat ne eſſent pauperes.*

PRÆCEPTVM exſtat Deutero 15. quo Iudæi iubentur cauere ne inter ipſos ſint indigentes, & mendici, in verbis: *Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos*, quaſi dicat, Curate pro poſſe veſtro, vt non ſint inter vos indigentes & mendici, mutuando videlicet pauperibus, præſertim infirmis & inualidis ea quibus indigent, illiſque ea remittendo anno ſeptimo, ſi antea ſoluere & reddere nequeant. Quod in primis ita obſeruauit Tobias, vt cuilibet egeni pro facultatibus ſuis hilariter largiretur, & à nullo eorum quid expectaret, niſi à Deo mercedem: verum etiam illis, quibus vſus bonorum ſuorum ſuſpenſus erat, largiter ſubſidium ſubminiſtrauit, ſicuti Gabelo hìc ſummam tam grandem credendo ſine lucro: ita vt rectè illi competat encomium Pſalmiſtæ Pſal.111. *Iucundus homo qui miſeretur, & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio quia in æternum non commouebitur.*

2. *Tobias omnino docti nauit v tiū vſura.*

Adhæc illi laudi vertitur quòd legem obſeruauerit Deuteron.23.latam: *Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et Ezechiel cap. 18. verſ.17. dicitur. *Qui vſuram & ſuperabundantiam non acceperit, non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita viuet*, quaſi dicat, Qui parentem habuit mutuantem ad vſuram, illud odiens, eiuſque exemplum faſtidiens gratis mutuat, non punietur, morte ſicut parens ob illam impietatem; ſed feliciter viuet, ſicut Ezechias, & Ioſias parentum iniquorum pij filij felices & glorioſi vixerunt. Itaque Tobias, cùm ex tanta ſumma, quâ honoratus fuerat à Rege, ingens ſibi, alio etiam iuſto titulo, potuiſſet comparare lucrum, maluit tamen in egentis vſum ſubminiſtrare; ac ſummopere ſtuduit illud, quod gratum Deo executioni mandare, vſuram omnino, abhorrens, quod rationi naturali repugnet, rei non fructiferæ, videlicet pecuniæ, exigere fructum. Quod & Gentiles ex ratione naturali animaduerterũt, qui eam omnino ex illorum ditionibus exulare voluerunt. Nam Romani lege duodecim tabellarum caue-

Apud Gentiles exulabat quoque vſura.

runt, ne quis plus vnciario fœnore fœneraret: mox Tribunitia ratione ad ſemiunciũ fœnus redactum eſt, ſtatim ad ſemiſſem, poſtea trientem: demũ L. Gemutius Tribunus plebis tulit ad populum, ne omnino fœnerari liceret: paulatim iterũ ſuccreſcẽs fœnus Cæſar ſuccidit. Laudari ſunt Lucullus, quòd Aſiam, Cato quòd Siciliam fœnore liberaſſent. Cornelius Tacitus narrat, Germanis fœnus omne ignoratum, & execratũ fuiſſe. Indi numquam admiſerunt fœnus. Agis Athenienſis adeò vſuram deteſtatus eſt, vt facto igne in foro tabulas omnes fœneratorum exurendas curauerit, quo præclariorem, luculentioremque ignem numquam ſe vidiſſe exclamauit Ageſilaus. Sic de vſura cenſuerunt Gentiles.

Sanctus Ambroſius lib. de Tobia cap. 10. *Nihil intereſt*, inquit, *inter fœnus & fœnus, nihil in-*

Mauden in Tobiam.

ter mortem distat, & fortem. Gregorius Nyssenus hom. 4. in Ecclesiast. *Fœnus*, inquit, *qui aliud latrocinium, & parricidium nominauerit, non procul ab eo, quod dicet, aberrauerit. Quid enim refert, an clanculum perfossis muris prædonis mori aliena habeas, & prætereuntis cadere te eorum, quæ habeat, Dominum constituas, an fœneris necessitate acquirenda, quæ ad te non pertinent?*

3. *An prudenter mutuauerit Tobias.*

Abfuit autem quàm longissimè hoc vitium à Tobia nostro. An verò prudenter fecerit, tantam summam mutuando, meritò discutiendum venit. Non enim minor decem talentis exstitit illa summa, quæ grauis est, quocumque modo talentum conderes. De quo

Dubium est valor huius summæ.

variè loquuntur Auctores: ita vt quidam summam illam suo calculo ad 13. millia septingentos & quinquaginta coronatos Gallici æris censeant: alij ad sexies mille, cùm talento cuilibet coronatos dent sexcentos. Alij ad summam Belgicam triginta millium florenorum. Sed prætiũ debet esse incertũ, quia incertum an de talento Persico, an Hebræo, an Babylonico sermo sit. Vt vt est, certum est, grauem fuisse summam. Vnde videri alicui posset imprudenter factum, huiusmodi summam adeò simpliciter Gabelo mutuare sub chirographo. Hebræus vtique Sapiens pro alijs dumtaxat spondere, scopulum arbitratur euertendæ familiæ satis opportunum, indeque detenet alumnum suum, Prouerb. 6. *Fili mi*, inquit, *si fideposueris pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus*, & immediatè pòst iungerit, quantopere laborare debeat, vt ab huiusmodi obligatione se eximat. *Fac ergo quod dico tibi fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis.* Nec hoc tantum loco Salomon Auctor est, vt pro alijs non spondeamus, sed frequenter idem præceptum inculcat, vt cùm ait: *Noli esse cum his, qui defigunt manus, & qui vades se offerunt pro debitis.* Et rursus: *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo. qui autem cauet laqueos*, vel vt in Hebræo est, *defigentes manum, securus est.* Et alibi: *Stultus homo plaudet manibus cùm spoponderit pro amico suo*; ex Hebræo ad verbum: *Homo carens corde, defigens manum, spondens sponsionem.* Mutuare autem alicui summam tam grandem, non apparet minoris difficultatis & imprudentiæ; nam constituit seipsum totamque familiam in periculo paupertatis; quia facilè mutatur vel mens, vel mutuatarij status, ita vt postea soluendo non sit, vnde plurimos vidimus in summa paupertie, antea locupletes, vixisse, prolemque miseram reliquisse, quæ alioquin opulenta fuisset, si pecuniam, quam alijs imprudenter mutuaucrant, sibi reseruassent.

Patrisfamilias fideiussiones euitanda.

Prou. 22.

Prou. 11.

Prou. 17.

Verùm ab imprudentia liberandus venit Tobias noster. Vel enim mutuauit Gabelo pecuniam, vel eandem apud ipsum deposuit. Si prius, sciebat Tobias Gabelum virum iustum domi locupletem, & tutius ac diuinius existimabat eo rerum articulo subuenire, quàm immisericordem esse; quandoquidem vel simpliciter eleemosynam dare, melius sit, quàm thesauros recondere, vt loquitur Angelus huius historiæ ca. 12. Præclarè de hac misericordia Chrysost. hom. 53. in Matth. *Hæc*, inquit, *vberiores nobis affert fructus, quàm imperia huius vitæ ac regna. Non enim hæc res solum cæteris præstat, quia alijs artibus non indiget, verùm etiam quia multa nobis, & varia sola construit. Nam & domos perpetuas in cælo condit, & facit vt professores eius immortali morte non moriantur, & thesauro locupletat inexhausto, qui nec à latronibus, nec à vermibus, nec à tinea, nec à longis temporum spatijs violatur.* Et immediatè pòst sic philosophatur: *Si quis*, inquit, *te docere polliceretur, quo artificio ad longiora tempora fruges terra posses reseruare: quid non dares, vt tibi frumenta magis temporibus illæsa permanerent? Ecce autem hæc non vt frumenta solum, sed vt cuncta quæ habes in æternum conseruet, docet & pollicetur, & potest: nec solum, quemadmodum externa res tua, verùm etiam quomodo tam corpus, quàm anima perpetua integritate fruantur, diligenter instituit. Cur tempus conteritur in exponendis figillatim artis huius officijs? Hæc erudire solet quo pacto possis Deo similis esse, quod omnium bonorum caput & summa est.* Hæc Tobiæ cordi fuisse, nemo ambigat.

4. *Excusatur Tobias ab imprudentia.*

Misericordia magna virtus.

5. Vel deposuit summam illam apud Gabelum, vt textus Græcus insinuat, qui sic habet: *Et iui in Mediam, & deposui Gabelo fratri Gabrix in Ragues Medix argenti talenta decem.* Si ita? Egentium ac miserorum gessit curam, vt videlicet, cùm eam regionem perlustraret, paratam haberet ibidem pecuniam, quâ aliorum necessitatem opportuno subleuaret remedio. Duo itaque præstitit, miseris in tempus prouidit, & ipsi Gabelo non minorem impẽdit misericordiam. Nam illud ipsi oneri non fuit, nec periculosam habuit argenti custodiam. Ita enim fuerunt deposita prædicta talenta, vt necessitate ingruente illi fuerit facultas vtendi, non minus ac si res fuisset accommodata, & mutua. Ea enim est natura rei depositæ, vt sine expressa, vel præsumpta Domini licentia ea vtens, illámue alienans, furtum committere censeatur ex lib. 3. Cod. *Depositi*, instit. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, §. *furtum*: tamen si Dominus pecuniam numeratam, non clausam, non obsignatam alteriùs custodiæ committat, censetur ipsi mutuò dare, potestatemque facere alienandi, eà negotiandi, arg. l. *si sacculum*. ff. *depositi*. & l. 1. §. *Si pecunia*. §. *depositi*: vt proinde ex eo tempore, quo mutui, aut quasi mutui

Quando depositum alienare non licet, & quando licet.

mutui contractus interueniſſe cenſetur, Dominium, ideoque etiam periculum rei ad depoſitarium ſpectet. Itaque cùm depoſitarius certus eſt, ſe tantumdem eiuſdem generis ac bonitatis, atque depoſitum alienatum, præſto habiturum cùm Dominus repetierit, grauis peccati condemnandus non eſt. Ratio eſt, quandoquidem ſi res depoſita apud depoſitarium manens caſu, vel ſine dolo eius periiſſet, deponentis id damno fuiſſe, vti notauit Molina diſp. 514. Leſſius dub. 3. num. 8.

6. *Tobias ab auaritiæ labe immunis.*

Sic prudenter Tobias de pecunia ſua diſpoſuit, vt promptior, & expeditior ad diuina. Maluit pecuniam à ſe ablegare in aliorum vſum, quàm auaritiæ labe maculari. Plerique verò noſtrum malunt incurrere iacturam vitæ, quàm pecuniæ. Similes ij ſunt Hebræis, qui de Ægypto fugientes maluerunt vitas ſuas in periculum adducere, quàm opes, quas de Ægypto aſportauerant, Ægyptijs renuntiare. Suis opibus tenaciter adhæſerunt, parum ſolliciti de periculo, quod eis de illarum retentione proueniret. Si enim illas Ægyptijs remitterent; facilè poſſent ſperare, fore vt cùm eis ad pacem & concordiam admitterentur. Sed maior pecuniæ, quam vitæ amor auaros impulit, vt mallent pecuniam, quàm vitam retinere. Sic Philiſtini in bonis temporalibus flagellati, ſtatim ſaniores effecti Arcam Hebræis reſtituere decreuerunt, 1. Reg. 5. quaſi ſuas diuitias etiam incolumitati ſuorum corporum præferrent.

Auari malunt incurrere iacturam vitæ, quàm pecuniæ.

Nec tales homines conſiderant, quantum boni præſtet liberalis bonorum temporalium elargitio, nec perpendunt, illorum retentionem cupidis ſcopulum naufragandæ ſalutis. Elegantèr Chryſoſtomus hom. 6. in Epiſt. ad Titum: *Quemadmodum*, inquit, *eos, qui nudi effugiunt, nemo facile tenere poteſt; qui verò veſtimenta poſt ſe trahit, eum quilibet citò apprehendit: eadem ratione, & diues, & pauper exiſtimandus eſt. Nam ille quidem, etiamſi capiatur, diſſugere facillimè poterit; hic autem, etſi non teneatur, ſuis compedibus irretitur.* Imprudentiores ſunt huiuſmodi, quàm experres rationes elephanti. Hi enim, cùm à venatoribus vrgentur, nec euadendi locum nanciſcuntur, ſcientes, totum certamen eſſe de eburneis dentibus diripiendis; eos, vt loquitur Plinius lib. 8. nat. Hiſtor. cap. 3. *impactos arbori frangunt, prædaq; ſe redimunt.*

Auari Elephantis imprudentiores.

Iſraëlitæ poſt immenſas viarum ambages ad terram Galaad, quæ Iordanis ripis adiacebat, acceſſerunt, & ecce tibi Ruben, & Gad, & dimidia Tribus Manaſſe, quæ habebant pecora multa, & in iumentis infinitam ſubſtantiam Regionis illius fertilitatem admirati, Moyſen adeunt; & renuntiantes, illam plagam alendis gregibus eſſe valde opportunam, *Precamur*, inquiunt, *ſi inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in poſſeſſionem, ne faciatis nos tranſire Iordanem.* Nu. 32. v. 5. Nauſeant à beata illa Palæſtina, ad quam pridem auidi currebant, & inſanâ appetentiâ illius regionis Galaaditicæ nullis partibus cum altera conferendæ, tenentur. Attendite, quæſo, vtramq; plagam. Illa quidem à Deo promiſſa cæleſtibus benedictionibus abundat, exornãdo tabernaculo fœderis, nobilitanda templo Salomonis, & quod caput eſt, Chriſti Domini veſtigijs conſecranda: hæc autem terrenis tantùm fructibus opulenta, & ſolis gregibus ſaginandis opportuna, nullam partem continet ſanctitatis. Dicite, vtra præſtet. Nonne illa tantò gliſtior excellit; quãtò cæleſtia terrenis ſublimius attolluntur. Ita planè. Et tamen cupidi homines veris illius terræ opibus renuntiant, vt falſis huius diuitijs perfruantur. *Hi*, inquit Procopius, *ſimiles nonnulli ſunt; qui cum huius vitæ vitii ſtudio erga Deũ elanguerunt. Etſi enim vocati ad fidem fuerint, tamen propter voluptates in numero proborum permanere nolunt.* Illis nos ſimiles ſumus, qui minus expendimus theſauros prouenientes ex impenſa miſericordia, adeoque afficimur erga temporalia, vt nullo etiam rerum articulo, quantumuis vrgente, proximorum neceſſitati ſubueniamus.

7. *Auari cæleſtibus renuntiant, vt fruantur terrenis.*

CAPITIS PRIMI

VERSVS. XVIII. XIX. ET XX.

Post multum verò temporis mortuo Salmanasar Rege, cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israël exosos haberet in conspectu suo.

Vers. 19. *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatque vnicuique prout poterat de facultatibus suis.*

Vers. 20. *Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis & occisis sepulturam sollicitus exhibebat.*

PARAPHRASIS.

Postquam Salmanasari parenti mortuo successit in regno Sennacherib, multo deterior facta est captiuorum conditio: illos enim rex nouus Sennacherib hostili ac prorsus barbaro prosecutus est odio.

Vers. 19. Nihilominus Tobias ad suorum contribulium leuandum merorem, & subleuandam, quàm patiebantur, grauem inopiam, toto animo bonus senex incubuit: ita vt recrearet languentes & dolentes animos, & quidquid de suis facultatibus poterat abundè largiretur.

Vers. 20. Neque vllum omittebat quod miserorum necessitas exigeret: esurientes enim refocillabat cibo, operiebat nudos, & vitâ functos, sepulturæ mandabat.

SECTIO TRIGESIMA-TERTIA.

Qua de causa oderit, Sennacherib Israelitas. Et vnde contingat impios Principes regnare?

1. EXOD. 1. ca. Mortuus Pharao surrexit super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph, id est, longè diuersi & noui ingenij, consuetudinis, morum, & gubernationis à regibus præcedentibus, qui Ioseph, & Hebræos benignè tractauerant. Simile quid dici posset de Sennacherib, qui discrepans à benignitate parentis exosos habuit filios Israël: ita vt in conspectu suo eos ferre non posset. Quænam huius odij causa? Tres comperio fuisse causas, quare Pharao exarserit in Israelitas, nempe metum, inuidiam, & odium metuebat enim, ne si fortè ingrueret contra se bellum, Israelitæ, qui soli non auderent conflare exercitum, stare in acie, & contra Ægyptios arma conuertere, hostibus sese Ægyptiorum adiungerent, eisque sic expugnatis & spoliatis egrederentur de terra Ægypti. vt clarè exprimit Textus v. 10. *Venite, sapienter opprimamus eum*, videlicet Ioseph, *ne fortè multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra Aegypti.* Altera causa erat inuidia, quòd numero plurimi essent, & corporibus animisque ferè Ægyptijs præstabant. *Ecce*, inquit, *populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est.* Tertia causa erat odium, metui atque inuidiæ cognatum; de quo v. 12 dicit Scriptura. *Oderantque filios Israel Aegyptij, & affligebant illudentes ei.* De quo & Propheta Psal. 104. *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.* Quod explicans D. Augustinus inquit: *Non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo benefaciendo cor illorum sponte malum conuertit ad odium, non illos malos faciendo, sed istis bona, quibus mali facillimè possent inuidere, largiendo*, nimirum Deus vsus est iure suo, nec suis benefacere destitit, & si videret Ægyptios occasionem peccandi inde sumpturos, & præbendo malis obiectum odij dicitur cor eorum ad odium conuertisse: quoniam obiecta, facultates huc illucque mouent, atque conuertunt. Esau etiam propter benedictionem Patris odio habuit Iacob. Fratres Iosephum ob somniũ, quod illis aperuerat de suo principatu aliquando futuro, Saul Dauidem ob victoriam Deo auxiliante contra Goliath obtentam, & accessorias fœminarum laudes.

2. *Ob tres causas Pharao fuit iratus Hebræis. Et quæ?*

Verùm

3. *Ex ſola malevolentia infectatus ſunt Sennacherib in Iſraelitas.*

Verùm in hoc Rege Sennacherib nihil cauſæ reperio, quàm ſolam malevolentiam, quâ ipſos inſectaretur, ſicuti Iudæi Chriſtum Dominum ſine cauſa & ratione vlla, ſed ex pura malitia & temeritate, ſicut ipſe explicat Ioan.15. *Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me & patrem meum: ſed vt adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratis.* Sic ſolum Gentiles propter ſolum odium, quo flagrabant aduerſus Deum, & cultum eius, nomen Iudæorum adeò deteſtati ſunt, vt de hoc funditùs delendo, & opprimendo frequenter conſultarent: *Venite, inquiebant, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſraël vltra*, Pſal. 82. Sic Eſth.30. Aman cùm denegaret ſibi Mardochæus Iudæus honorem ſoli Deo debitum, totam gentem Iudaicam in iſtis partibus exiſtentem penitus voluit extirpare. Antiochus 2. Machab. 2. in eandem gentem ita exarſit, vt præ tormentorum formidine nemo ſe ſimpliciter Iudæum palàm auderet profiteri. 2. Machabæor. cap. 6.

Ea de cauſa Hebræi Gentilibus exoſi.

4. *Hoc odium excitauit etiam diabolus in Diſcipulos Chriſti.*

Tale odium excitabat diabolus in initio naſcentis Eccleſiæ in diſcipulos Chriſti: ita vt tempore Tertulliani ſolum nomen Chriſtiani ſufficiens eſſet ad mortem. *Odio*, inquit, *publico eſt confeſſio nominis, non examinatio criminis. Vociferatur homo, Chriſtianus ſum, quod eſt dicit: tu vis audire quod non eſt. Cæteris nocentibus adhibetis tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum. Idèò torquemur confitentes, punimur perſeuerantes, & abſoluimur negantes, quia hominis pralium eſt. Solius nominis crimen eſt.* Et Iuſtinus martyr Apolog.2. ad populum ſenatumque Romanum: *In nobis*, ait, *nomen arripitis pro crimine, quod tamen indignum eſt odio*, &c. An non etiam ab aliquot annis iſtud diabolicum & paganicum artificium vidimus inſtaurari ab hæreticis, horumque fautoribus, quando veri Catholici, Monachi, Sacerdotes, Romanæ Eccleſiæ filij, & Catholicæ fidei zelo præditi appellationes, ſimpliciaque nomina illis tam exoſa ſint, vt propterea pios omnes deteſtentur, perſequantur, paſſimque trucident & mactent? Ita enim impius ille Satanas ſemper ſtuduit pios & veri Dei cultores affligere. Quale autem peccatum ſit tale odium in proximum, vide Diſc.11. in V. Præceptum nu. 8. & 9. vbi reperies quantum hoc nocumentum fidelibus adferat.

Apolog. 2.

5. *Tali odio inflammatur modò hæretici Catholicos.*

6. *Omnis poteſtas à Deo eſt, ſive ordinante, ſive permittente.*

Cæterùm diſcuſſione dignum eſt, cur Deus permittat Reges vſque adeò impios regnare, cùm abſque diuina permiſſione id fieri nequeat ſacra pagina teſte, Prouerbior. 8. dicit Hebræus Sapiens: *Per me reges regnant.* & Apoſtolus Paulus ad Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, Anaſthaſius Nicenus quæſt.15. in Scripturam ſuper hæc verba ponit hãc quęſtionẽ. *Cùm dicat Apoſtolus, quòd omnes poteſtates ſunt à Deo ordinatæ; An omnis Princeps & Rex, & Epiſcopus à Deo præficiatur? Reſpondet: Cùm Deus dicat in lege, Dabo vobis Principes ſecundum corda veſtra, eſt euidens quòd ex Principibus & Regibus, alij quidem à Deo præficiuntur tamquam digni eo honore; alij autem rurſus, cùm ſint indigni, Dei permiſſione aut voluntate præficiuntur populo digno eorum indignitate.* Et hoc dixit per Oſeam Prophetam cap.8. Dominus de Ieroboam, *Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes exſtiterunt, & non cognoui*, id eſt, me incõſulto, ſuo tantùm libitu Regem conſtituerunt Ieroboam decem tribus, & quod ipſe abuſus ſua poteſtate fecit, ego neque cognoui, neque probaui. Et iterum Oſeæ 13. *Dabo tibi Regem in furore meo*, id eſt, quia offenſus peccatis populi, hinc in pœnam peccatorum dabo populo Reges, qui ſciſma faciant à Iuda & Deo, eumq; ad vitulos aureos adducant. Hoc etiam aliquando dixit auctor non bonus vnus amicorum Iob Eliu, cùm eius poteſtatem non volebat eſſe à Deo, dicens: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* id eſt, Quod ſi aliquando tyrannum & impium in excelſum tulerit locum & publico aliquo ornauerit magiſtratu, non eo facit conſilio, vt extollat & ornet, ſed vt per illius inſanum & barbarum ingenium ſubditorum peccata coerceat & puniat. Id quod rurſum confirmatur ex Iſaiæ 3. vbi Dominus dicit, quòd non tantùm auferet ſenes, & propheras, & prudentes principes, ſed pro eis dabit principes pueros, non tam ætate, quàm impudentia, ſtultitiâ & moribus, puta, temerarios, fatuos, imbelles, laſciuos, diſſoluros, & qui animo erunt effæminato, timido, infirmo, puſillanimo, & iuxta fœminarum imperium procedent, in verbis: *Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

Reges impij à Deo permittuntur in pœnam populi peccatorum.

Iob 34.

7. *Ingens Reip. eſt pœna, nã eſſe prauos ſuperiores.*

Quæ ſanè ingens Reipublicæ eſt pœna, vt patet Eccleſ.10. vbi dicitur: *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt.* Idipſum non latuit Plutarchum, qui libro de ſera Numinis vindicta cap.4. docet impios principes, & tyrannos dari à Deo quaſi carnifices ad ſumendum de impio populo pœnas. Sicut enim fel hyænæ vtile eſt ad morbos ſanandos, ſic & fœuitia tyranni vel magiſtratus valet ad expurganda vitia populi; & deinde aliqua exempla ſubnectit. Addam eius verba, quæ lectori nolui deeſſe: *Deus*, inquit, *quibuſdam in alijs tanquam carnificibus vſus eſt ad ſumendum de aliis malis pœnam: quod verum eſſe de pleriſque tyrannis arbitror. Quemadmodum fel hyænæ & phocæ, aliorumq; fœdorum animalium coagula aliquid habent ad ſanandos morbos vtile: ſic nonnullis morſu & pœnâ indigentibus Deus iniciens tyranni alicuius fœuitiam implacabilem, aut magiſtratus moleſtam aſperitatem non ante id quod excruciabat, ac turbabat, ſuſtulit, quàm vitioſo morbo liberaſſet, ac purgaſſet. Tale medicamentum ſuit*

Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis, Orthagoras Myro, & Cliſthenes Sycionijs. Hæc Plutarchus.

8. *Exempla prauorum Regum ad punitionem populi ordinatorum.*

Talis etiam in ſacris Scripturis fuit nouus ille Rex Pharao, qui ignorabat Ioſeph Exod. 1. quem Deus permiſit ad punitionem Hebræorum, quia nonnulli eorum imbiberant impios mores, & idololatriam Ægyptiorum, vt patet Ezechielis capit. 23. verſ. 28. Talis fuit Saul 1. Reg. 8. à Deo permiſſus ob peccata populi contemnentis Samuelem. Et 3. Reg. 11. Ieroboam, vt puniret idololatriam Salomonis, vt prædixerat Dominus 3. Regum 11. His annumerandus eſt Sennacherib, quem peiorem Salmanaſar parente permiſit Deus regnare, quòd populus in idololatria perſeuerans grauiorem à Deo mereretur pœnam. Anaſtaſius Nicenus loco citato ad deciſionem tunc datam duo ſubdit exempla, quibus confirmat eam ſententiam eſſe veram, nempe Phocæ Imperatoris tyrannicè regnantis, de quo quidam Religioſus, poſtquam Deum pluries rogauerat & conſuluerat, cur eum conſtituiſſet Imperatorem, reſponſum accepit: *Quoniam non inuenì peiorem.* Aliud exemplum eſt de quodam Epiſcopo ſuperbiente, cui Angelus Domini dixit eum non ex dignitate factum Epiſcopum, ſed quia ciuitas (quæ erat in Thebaide iniqua) tali erat digna Sic Iudæis & improbis dabit Deus in fine mundi Antichriſtum regem in furore ſuo, vt docet Gregorius lib. 25. Moral. Imò S. Paulus, 2. Theſſalonicenſ. 2. in verbis: *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideò mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio,* id eſt, quia Iudæi noluerunt recipere Chriſtum veracem in pœnam eius peccati, mittet eis Deus Antichriſtum mẽdacem: adeò quòd ſcelera impiorum, quæ in fine mundi erunt maxima, parturient quaſi Antichriſtum, eumque à Deo Regem extorquebunt.

Hinc concludit Anaſtaſius Nicen. loco cit. *Quamobrem quando videris indignum aliquem & ſceleratum Regem, aut Principem ac Magiſtratum, & Epiſcopum, ne mireris neque Dei accuſes prouidentiam: ſed diſce & crede, quòd propter noſtras iniquitates tradimur eiuſmodi tyrannis, & ne ſic quidem à malis abſtinemus.* In hunc quoque ſenſum conſonat D. Gregorius loco citato, dum ait: *Culpam ergo proprij magis accuſet operis, quàm iniuſtitiam operantis: ſcriptum eſt enim, Dabo Reges in furore meo.* atqui hæc eſt cauſa quare etiam Deus voluerit populum pro Nabuchodonoſor & Balthaſare offerre ſacrificia & preces, ac Paulum præcepiſſe orationem pro Regibus infidelibus & Ethnicis, puta Nerone & ſimilibus. 1. Tim. 1. Vide dicta Diſc. 12. in IV. Præceptum, numer. 10. vbi hæc reperies latiùs explicata.

SECTIO XXXIV.

Cur Scriptura hic addat Tobiam ſuâ conſolatione dolentes animos recreaſſe. Et quanti meriti ſit apud Deum nudos operire?

1. *Condolentes tribulatis magno præmio digni.*

ECCLES. 7. dicit Syracides: *Non deſis plorantibus, & cum lugentibus ambula.* Et Paulus ad Roman. 12. præcipit *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* Hoc egit Tobias noſter, cùm compatiens captiuis, eos conſolabatur; quod magni meriti eſt: nam ſacra Scriptura recenſet condolentes tribularis & afflictis, eosque conſolantes verbis & factis, tanquam laude dignos; ſic inter immiſericordes fratres Ioſephi noluit omittere compaſſionem Rubeni & Iudæ, qui tribulatum Ioſeph nitebantur liberare Geneſ. 37. Heſteris etiam meminit, c. 5. quòd audita afflictione populi ſui Iudaici cum vitæ non dubio periculo Regem adieris non vocata, 3. Reg. 18. meminit compaſſionis Abdiæ erga prophetas Domini, qui in anguſtiſſimo rerum articulo, centum ex illis abdidit & pauit. 2. Mach. 3. prædicat Oniam Sacerdotem, qui magnum dolorẽ hauſit, quando vidit ab Heliodoro templum ſpoliari, in quo erant depoſita viduarum. Laudat quoque Apoſtolus ad Hebræos 13. ſuos, quòd vinctis eſſent compaſſi; imò inde fiduciam eorum auget. Iob olim inſinuauit compaſſionem fiduciam parere apud Deum. *Flebam* inquit, ca. 30. *quondam ſuper te, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Expectabam bona, & venerunt mihi mala; præſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ*, id eſt, Si quando afflictus meam fidem aut opem implorarer, occurrebam illico, & illi ſtipem impendebam, & lachrymas. Qua in re illam, ô Deus, videbar apud te gratiam promeritus, vt vicem mihi pro paupere rependeres, dolorem meum, & inopiam leuares. Sed contrà mihi accidiſſe video, nam in tenebris iaceo, & malis vndecumque circumfluo. Hæc autem Iobi dicta ſunt per modum querimoniæ: ſciebat vtique Deum differre mercedẽ, non denegare. Cõpaſſionis valor à contrario magis eminebat. Prophetæ Ezechiel, Jeremias, & Iſaias Moabitis & Ammonitis, Philiſthinis, Tyriis, aliiſque gentibus excidium intentarunt, quòd in Judeorum clade non doluerint, ſed exultarint. Vide vel ſolùm cap. 6. Amos de iis, qui non compatiebantur ſuper contritione Joſeph.

2.

3. *Magnum beneficium eſt captiuos, conſola-*

Deinde Scriptura recenſet & celebrat hoc Tobiæ factum, quod non exiguum ſit beneficium captiuis aliiſque miſeris habere conſola-

Vere consolatorem. & contrà

solatorem, vt patet Thren. 1. vbi Jeremias inducit Jerosolymam, id est paucos eiues relictos Jerosolymis à Nabuchodonosor tempore captiuitatis, nocte plorantes, & sine consolatore existentes: *PloranS*, inquit, *ploranit in nocte, lachryma eius in maxillis eius: omnes amici eius sprenerunt eum, & facti sunt ei inimici*, Tria recenset captiuitatis mala; quòd de die non liceret captiuis flere: alterum, quòd consolatorem amicum non haberent. Tertium, quòd Idumæi & Ægyptij antea Judæis amici, nunc hostes facti, eos deserant imò irrideant. Prioris mali ratio erat, quòd alijs subacti interdiu plorare non auderent: sicut enim seruis nefas queri de dominorum imperio, licet crudeli & acerbo; sic etiam coram lugere, aut animi languorem ostendere, capitale crimen. Sic coram Arioui sto rege, *nemini in dolore fuisse motire, nedum lachrymari licuit*, ait Cæsar lib. 1. de bello Gallico. Ita Hierusalem hîc subacta & serua coram Chaldæis interdiu plorare non audebat; plorat ergo nocte. Sic apud Sophoclem Electra fœlicem vocat Niobem, cui plorare filiorum mortem permissum est. Et præter lachrymas, quæ iugiter ex oculis per maxillas decurrebant, ad cumulum doloris accedebat, quòd non haberet consolantem. Cùm enim tristitia sit quasi onus quoddam infirmum animum prægrauans; vbi amici lugenti condolent, videntur eum quasi iuuare in onere portando, ipseque alleuiatus sentiens se non solùm onus suum portare, præsertim quia inde videt se ab eis amari: ex quo tacitâ quadam delectatione afficitur, quæ tristitiam minuit: ita ex Aristotele S. Thomas 1.2. q. 38. art. 3.

4. *Dolentis visitatio est doloris subleuatio.*

Hinc & S. Gregorius lib. 5. Mor. 3. ait: *Laborantis visitatio est laboris subleuatio*: multò magis dolentis visitatio & consolatio, est doloris subleuatio. Quocirca Dauid in persona Christi queritur Psalm. 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.* Et in inferno vna ex maximis damnatorum pœnis est, quòd neminem in cælo, vel in terra habeant, qui extremis eorum tormentis vel motu compatiatur; sed omnes laudent in eis iustum Dei iudicium, eosque his & maioribus pœnis dignos esse censeant. Vnde & eadem Propheta loco citato vers. 9. vt insinuet esse admirabilem casum Hierosolymæ, repetit eam non habere consolatorem: *Deposita*, inquit, *est vehementer, non habens consolatorem.* & vers. 17. lamentans subiungit, *Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandauit Dominus aduersus Iacob in circuitu eius hostes eius.* id est, Expandit præ dolore Sion manus suas, vt sibi auxiliatorem & consolatorem accerseret: neque tamen accurrit vllus, qui illam auxilio, seu consolatione leuaret: quia Deus Babylonicas atque vicinas gentes contra Hierosolymam inuexit.

Manuum expansio quid significet.

Ad planiorem intelligentiam huius loci nota expansas manus variorum affectuum esse signa. Primò enim solent victi expandere manus, quibus se neque velle, neque posse iam vlterius repugnare profitetur, & à victoribus misericordiam implorant: vide Virgil. l. 12. Æneidos. Signum etiam est implorati auxilii, cùm eum, qui laborat, & mœret, aut liberum spiritum non habeat, quo auxiliatorem clamando accersere possit, aut longiùs absit, quàm vt ab hominibus audiri queat, quod commodè tùm & vtiliter facere permittitur, manus expandit supplices, quas videre magis possunt absentes, quàm accipere, aut intelligere vocem clamantis. Est præterea hæc manus expansio doloris argumentum graue, quali affici solent partutientes, & quos viscerum mortus, aut vis alia vehementior excruciat. Sic Isaias c. 25. de Moab sub plaustro, seu dentata tribula: *Extendet manum suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum.* & Jeremias cap. 4. *Vocem enim quasi parturientis audiui, angustias, vt puerpera. Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisq; manus suas.* Longè alia fuit Tobiæ mens. Is planctum concaptiuorum magni fecit, consolationem impendit & verbis & re; opere & veritate; abstit quòd in tristiori fortuna amicos sperneret. De eleëmosynarum distributione erit cap. 4. latiùs differendi occasio. Nunc dumtaxat assero perquam magni meriti esse apud Deum nudos operire. Id affatim insinuauit in lege naturæ Iobus, qui cap. 31. innocentiæ suæ reddens testimonium dicit: *Quia ab infantia mea mecum creuit miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* quasi dicat, Nemini mirum videri debet, quòd aliquè miserorum necessitati subuenerim, cùm ex materno vtero, id est, ex conditoris munere, non ab acquisita virtute hauserim illam ad leuandam miserorum inopiam pronitatem. Et ad rem præsentem subiungit: *Si despexi pereuntem, eò quòd non haberet indumentum, & absque operimento pauperem: Si non benedixerunt mihi latera eius. & de velleribus ouium mearum calefactus est*: id est, numquam nudum aut pannosum hominem fastidiui, aut pauperem & sordidum à meo conspectu conuictuque reieci. Quin potiùs illum complexus sum humaniter, & de vestimento, quàm potui ocyssimè commodaui, & rigentibus membris ex mearum ouium vellere tegumenta dedi: qui ideò humanitatem meam gratis commendarùt, mihique omnia secunda precati sunt. Quibus inlinuat sibi potiùs ex merito deberi præmium, quàm flagellum. In lege Ezechiel. 18. dicitur quòd iustus, qui *nudum operuerit vestimento*, &c. *vitâ viuet.* Et Mat. 25. addicit Dominus gloriam cælestem ei, qui nudum operuerit.

Magni meriti est apud Deum nudos operire.

6. *Ob eam virtutem ali qua ad vitam reuocatis.*

Quod ſciens Tobias noſter ſingulariter huic operi miſericordiæ incubuit: vnde Sanctus Spiritus hęc nobis reliquit in exemplum. Quod propterea magis amplectendũ, quòd non ſolùm à priſcis frequentatum fuerit: ſed etiam Deus ipſe mira in gratiam pauperes ſic ſubleuantium præſtiterit. Nam primùm legitur Thabitam Actor. 9. per Petrum ad vitam reuocatam (quæ iam defuncta erat) in gratiam viduarum, quæ eam ob miſericordiam ſibi præſtitam reſuſcitari expoſtulabant. Simile quid ſcribit Abdias in vita Joannis Euangeliſtæ, ſcilicet viduas oſtendiſſe ei ex Pathmo reuerſo veſtes quas eis faciebat Druſiana Epheſina iam defuncta; quâ re commotum S. Ioannem, eam ad vitam reuocaſſe.

Plurimos ob hanc miſericordiã Deus ſuâ præſentiã dignatus eſt.

Aliis verò ſeipſum ob eam miſericordiam exhibere magno ſolatio dignatus eſt. exempli gratia S. Martinus in porta Ambianenſi dimidium chlamydis diſcindens, dansque pauperi nudo, meruit nocte ſequẽti videre Chriſtum, illud ipſum fruſtum chlamydis oſtentantem, eumque audire coram Angelorum choris gloriantem: *Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit*, vti refert Sulpitius in eius vita. cap. 2.

Ita Martyrius ſuo pallio inuoluens leproſum & humeris aſportans ſenſit ſe Chriſtum inuoluiſſe & portaſſe: ab eo enim audiuit *Martyri tu non erubuiſti me ſuper terram, ego te non erubeſcam ſuper cælos*: vti fusè narrat S. Gregorius hom. 39. in Euang.

Ita S. Franciſcus ſuis veſtibus ſe exuens, iiſque induens pauperem, nocte ſequenti vidit palatium ſpecioſum & magnum cum militaribus armis, Crucis Chriſti ſignaculo inſignitum, audiuitque hoc ſuum fore militumque ſuorum, vti refert Sanctus Bonauentura, capite 1. vitæ eius.

S. Catharina Senenſis tunicâ ſe ſpolians, eamque dans pauperi, nocte proximâ vidit Chriſtum geſtantem hanc tunicam, margaritis iam & corruſcantibus gemmis conſpicuam, ab eoque audiuit: *Dabo tibi veſtem inviſibilem, quæ à te arceat omne noxium vtriuque hominis frigus.* Ab eo tempore numquam hyemis intemperiem ſenſit; quare iiſdem hyeme, quibus æſtate, veſtibus vtebatur: atque eius promiſſo cognouit, ſe præcellenti in cœlis gloriâ ſine fine perfruiturum. Ita habet eius vita. quare meritò dicebat S. Iob cap. 31. v. 19. *Si deſpexi perentem*, &c. vt ſuprà.

Nudos ope rium compos vit regni cæleſtis.

His addo Agapiti Pontificis ſanctimoniâ clari ſententiam in epiſt. parænet. ad Iuſtinum Imperatorem nullatenus omittendam: *Veſtimentum*, inquit, *non veteraſcens eſt beneficentia amictus, & incorrupta ſtola eſt miſericordia erga pauperes: Eum igitur oportet, qui piè regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Auxerit enim in egenos qui induxit eſt purpuram, cæleſtis quoque regni compos efficietur.*

De mortuorum ſepultura dicam capite ſequenti.

CAPITIS PRIMI

VERSVS XXI. & XXII.

Denique cùm reuerſus eſſet Rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blaſphemiam ſuam; & iratos multos occideret ex filiis Iſrael, Tobias ſepeliebat corpora eorum.

Verſ. 22. *At vbi renuntiatum eſt Regi, iuſſit eum occidi, & tulit omnem ſubſtantiam eius.*

PARAPHRASIS.

Cùm iam dudum alienus eſſet Sennacherib ab Hebræorum ſtudiis, & quamdiu cum poteſtate fuit multis illos affeciſſet incommodis multò tamen acrius in illos exarſit, cùm conciſo funditus exercitu ad ſuos, ſe fines turpi fugâ corripuit: Tunc enim manifeſtius, & ardentius, quàm antea in genus Iſraëliticũ, quod abundè conceperat, totum acerbitatis virus evomuit. Quare multos occidit ex illis, quos alii Aſſyriorũ Reges abduxerant, quorum corpora licet non dubium proponeretur vitæ periculum, ſepeliebat Tobias.

Verſ. 22: Cùm verò Rex ab aliquo Niniuita didiciſſet cadauera Iudæorum ſublata eſſe à Tobia, & illata ſepulchro, indixit ei ſupplicium capitale, & fortunas eripuit.

SECTIO

SECTIO TRIGESIMAQVINTA.

Quàm Deus in blaſphemos excandeſcat, eoſq; acerrimè puniat.

1. *Blaſphemi morte puniuntur.*

ECCLESIASTICI cap. 23. dicit Siracides: *Eſt & alia loquela contraria morti; non inueniatur in hereditate Iacob.* id eſt, peccatum blaſphemiæ, quod omninò cupio exulare, ignotum Iſraëlitis, quia vitium eſt pœnâ mortis dignũ, & præſertim id quod in Deum tendit. Exploratum id eſt Leuit. 24. vbi viri Ægyptij, & mulieris Iſraëlitidis filius iurgatus in caſtris cum viro Iſraëlita, blaſphemauit nomen Domini; eiq́ue maledicens, adductus eſt ad Moyſen. Delatus haud dubiè ab auditoribus ad ipſum tanquam ad Iudicem, & quidem ſupremum, à quo miſſus in carcerem. Qui rem tanti æſtimauit, vt auctoritate ſua nil auſus decernere, cauſam omnem ad diuinum tribunal detulerit, inde reſponſum acceptarus. Deus ipſe loquutus ad Moyſem hanc ſententiam tulit per ipſum exequendam: *Educ*, inquit, *blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus.* Saxeus ille & ſceleſtus homo lapidandus fuit, vt omnes lapidis iactu teſtarentur quàm oderint blaſphemiam, & quàm faueant illi puniendæ: *Merito*, inquit Theodor. quæſt. 53. *Blaſphemia aptauit legem & pœnam homicidij, eiuſq; reum lapidari iuſſit, quia blaſphemator creatorem cum interficere non poſſit, lingua ferit.* Teſtes manus ſuas impoſuerunt lapidando capiti. Moris vtique erat apud Iudæos, vt teſtes ſuper caput rei manus imponerent, quaſi ſignificantes hoc caput eſſe impium contra quod ferant teſtimonij, ideoq́ue mortis eſſe reum. Addit Liran. eos dicere ſolitos: *Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos*, quaſi dicerent. Tuo capiti mortem tuam imputa, non nobis. Vnde ſuper caput alicuius manus imponere eſt contra eum ferre teſtimonium. Blaſphemia enim, idololatria, & ſimilia grauia crimina niſi vindicentur, videntur ſui enormitate aſſiſtentes & vicinos, adeoq́ue totam regionem polluere, & reddere obnoxiam diuinæ vindictæ, quam vt auertant, Deo nocentem & reum dedunt, manuſque ei imponunt, quaſi hoc ritu reipſa precentur, vt Deus in eum omnem peccati pœnam deuolnat, nec in regionem aut populum crimen admiſſum vindicet. Simili modo idololatræ manus imponi iuſſit Deus Deuteron. 17. v. 7.

Teſtes imponebant manus ſuas ſuper blaſphemum. Cur?

2. Vnum eſt quod præterire non licet, quia notatu dignum, videlicet blaſphemi hominis parentes ſtudiosè ſcribi, qua gente, quo ortu, qua domo fuerit: *Ecce autẽ egreſſus filius mulieris Iſraëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſraël* Mater etiam nominatur: *Vocabatur autem mater eius Salumuth, filia Dabri de tribu Dan.* vero ſimiliter vt vtrique æternum eſſet dedecus, quòd filium in timore Domini non educaſſent, & moribus non imbuiſſent ſanctioribus. Cæterùm accipit Moyſes mandatum, omnibus Iſraëlitis edicere pœnam mortis blaſphemos manere: *Ad filios Iſraël*, inquit, Deus Moyſi, *loquêris: Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum*, condignam luet pœnam blaſphemiæ. Eamq́ue exprimens, ſubnectit: *Et qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſiue ille ciuis, ſiue peregrinus fuerit. Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur*, quaſi dicas, Non ſolum ille, qui declinauit ad Ægyptiam patris impietatem, & faſtidito ritu materno Deum blaſphemauit, ſaxeâ grandine perimendus ſimul, & ſepeliendus venit, ſed & omnis quicumque etiam Gentilis, & inciſi circumciſus. Is enim ex more & iure gentium, ſortietur forum Iudaicum ratione delicti ibi commiſſi, non minus quàm hic blaſphemus, licet Ægyptius ex patre patris ſupplicio affectus eſt. Hoc proclamabis, ô Moyſes, vt omnes intelligant ſtudioſiſſimè cauendam maledicentiam in Deum, ſeu verbum prolatum in contumeliam Dei.

Blaſphemus lapidari ſub obtutum

3. Diuini voluminis ſeriem ſi percurramus, vbi non blaſphemia repreſſa & punita? Non fert Deus peccata contra diuini Numinis reuerentiam. Numquid Pharao Rex Ægyptius cùm Deum vilipenderet, & contemptim de eo hæc verba effuriret ad Moyſen: *Quis eſt Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam*; maximis calamitatibus affectus eſt, & tandem cum exercitu ſuo funditus & miſerè deletus?

Blaſphemi ſemper à Deo repreſſi Exemplum, Pharaonis.

Nabuchodonoſor Rex Chaldęorum, cùm irâ incenſus tres pueros, qui ſtatuam ab ipſo erectam adorare recuſabant, in ardentem fornacem immitteret ſimili modo Deum blaſphemauit, ſuam potentiam illius potentiæ præferens: *Quis*, inquit, *eſt Deus, qui vos eripiat de manu mea?* Et niſi paulò poſt agnouiſſet, & confeſſus fuiſſet diuinam potentiam, viſo ſtupendo illo miraculo, quo illi in medijs ignibus illæſi manebant, illicò Dei vindicem manum expertus fuiſſet. Verùm cùm poſtea rediret ad ingenium, & rurſum ſe ſuperbè efferret, ſuam potentiam & gloriam tanquam nulli ſub-

Item Nabuchodonoſor

li subiectam vel obnoxiam iactando, subitò à Deo punitus est, huiusmodi voce ad eum cælitus ruente: *Tibi dicitur*, Nabuchodonosor Rex: *Regnũ tuum transibit à te, & ab hominibus ejcient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Hac voce completâ è vestigio ille mente captus est, & in furorem versus. Vnde ab humano contubernio expulsus, inter feras in siluis commorari cœpit, & ferarum more per septennium duxit vitam. Quo exacto mens illi restituta est, & ipse potentiam diuinam præclarè confessus. Hoc illi obuenturum Deus mirabili viso in somnis ante annum præmonstrarat, Daniele visum interpretante.

& Agrippa. Agrippa senior, cùm Cæsareæ in splendido amictu, & sublimi sella ad populum verba faceret, ei ab adulatoribus, tanquam Deo cuidam acclamatum est: quas voces cùm ille libenter admisisset, sibique de tali honore in animo blandiretur, repentè ab Angelo percussus est, & putrescente carne ac visceribus, morbo pediculari consumptus. Sic diuinum honorem vindicauit Angelus Domini.

ac Syrorum. Syri prælio ab Israëlitis in locis montanis superati, cladem suam Dijs montium acceptam referebant, quos aiebãt Israëlitis fauere. Itaq; in vallibus cum illis pugnandũ, in quos Deo Israël nihil iuris competeret; ibique se fore victores. Quam ob causam Deus per Prophetam ita locutus est ad Regem Israël: *Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem hãc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.* Itaque directis vtrimque aciebus, Israëlitæ etsi exiguo numero, *percusserunt de Syris centum millia peditum vna die.* Remanserant in loco vicino viginti septem millia, qui omnes cùm in ciuitatem confugerent, muri ruinâ oppressi perierunt. Manifesta blasphemiæ vindicta.

atque Nicanoris, Ductor exercitus Demetrij Regis Nicanor cùm Iudæos Sabbatho pararet inuadere, monitus vt in honorem Dei omnia conspicientis sacro die abstineret, arroganter respondit: *Est ne potens quispiam in cælo, qui imperauit agi diem Sabbatorum?* Cui cum diceretur: *Est Dominus vnus, ipse in cælo potens, qui iussit agi diem septimam.* subiecit: *Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri.* Quam ob causam commisso prælio, etsi maximum, & omni genere armorum instructissimum haberet exercitũ, à paucis cæsus est, triginta quinque millibus armatorum amissis, eiusque linguâ blasphemâ excisâ, & auibus particulatim obiecta, & manus, quam contra templum extenderat, à regione templi suspensa.

4. *nec non Senacherib.* Veniamus ad Sennacherib blasphemorum signiferum, cuius ratione de hoc vitio dissendum fuit. Is potentissimo exercitu Iudæam inuadens, Ezechiæ Regi per suos Duces renuntiari iussit, frustrà ab ipso spem in ope diuina poni. Aliarum gentium Deos non potuisse suos cultores aduersus Regis Assyriorũ potentiam tueri: quare nec Deum Israël posse: *Hæc dicetis*, inquiebat, *Ezechiæ Regi Iudæ loquentes:* *Isa. 37.* *Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis dicens, Non dabitur Ierusalem in manu Regis Assyriorum. Ecce tu audisti omnia quæ fecerunt Reges Assyriorum omnibus terris, quas subuerterunt, & tu poteris liberari: Nunquid eruerunt eos dij Gentium, quos subuerterunt, patres mei Gozam, & Haram, & Reseph, & filios Edem, qui erant in Thalassar? Vbi est Rex Emath, & Rex Arphad, & Rex vrbis Sepharuaim, Ana, & Ana?* quasi dicat, Caue ne tibi fraudi sit Deus tuus, in quo tibi fiducia est, dum te securo animo esse iubet, quasi nunquam Hierosolyma in hostium potestatem ventura sit. Perpende, quo successu bella tentauerint Assyrij Reges, quemadmodum se gesserint in omnibus prouincijs, quas suo subiugarunt imperio. Peruolue nationes omnes, quæ nostris armis colla submiserunt, & quas domestici Dij non potuerunt contra maiorum meorum potentiam tueri: & tu similiter, nullum à Deo tuo sperabis subsidium, qui mea arma à tuo Regno neutiquam declinare poterit. Ezechias his auditis orauit Dominum, vt audiret quid contra tantam maiestatem blasphemiæ non effutiret Sennacherib. Quid contigit? Per legatos responsum diuinum illi communicat Isaias vates: *Pro quibus rogasti me de Sennacherib Rege Assyriorum, hoc est verbum quod locutus est Dominus super eum. Despexit te, & subsannauit te virgo filia Sion, post te caput mouit filia Ierusalem. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & leuasti altitudinem oculorum tuorum Ad sanctum Israël*, &c. quasi dicat, Hæc tibi, ô Ezechia, ad ea, quæ de Sennacherib interrogasti, per me respondet Deus. Hoc itaque contra Sennacherib accipe diuinum oraculum. Derisit te libero, atque procaci conuitio Sennacherib, ô filia Sion, à nullo hactenus hoste subiugata: contra te, inquam, cùm amaro ludibrio caput iactauit, ô filia Ierusalẽ. At tu, ô Sennacherib, contra quem acuisti maledicam, atque sacrilegam linguam? Contra quem clamores insanos, & barbaros sonitus sustulisti? Contra quem eleuasti superbum, & graue supercilium? Sanè contra sanctum, & terribile numen, quod veneratur, & colit Israël. Alia plura sacra pagina prodit illum perperam sibi adscripsisse, quæ Deus permiserat in Gentes istas mala, subtrahendo illis virtutem, & audaciam ad resistendum. Sed carò stetit illi huiusmodi iocus. Ducenta penè millia suorum militiæ amisit, quos omnes vnicus Angelus nocte vnâ necauit. Rex ipse crudeliori fato seruatus, tanquam indignus

qui

qui ab Angelo interficerentur, à proprijs filijs in templo dum studet placare idola, necatur; de quo postea ad versum 24. huius capitis.

5. *Pax & victoria exulat, vbi blasphemare gaudes.*

Perpende mi Christiane hanc Dei vindictam, & cogita seriò in castris Christianorum minus stare posse victoriam, vbi tantopere exuberat blasphemia. Beatus Paulus seueriorem se ostendit in hoc crimine: reos enim non carnifici, sed diabolo tradidit. Ipse hoc affirmat, 1. Tim. 1. cùm ait: *Ex quibus est Hymenaus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare*. Robertus Galliarum Rex laudatissimus Hugonis Capeti filius, regni sui pacem à Deo potijt. Huic Christus visendum se præbens: Pacem inquit, non impetrabis, Roberte, priusquam blasphemias & flagitia omnibus nota, regno extirpaueris. Hinc liquet non tantum à Deo puniri hos maledici oris homines, sed totas sæpè domos, vrbes, prouincias totos, exercitus horum sceleribus inuolui: ideò nusquam tolerandi, à nemine hospitandi, multò minus ad officia & dignitates extollendi sunt. Ratio est: Blasphemi Turcis & Iudæis deteriores, qui saltem aures obturarunt, & vestes lacerarunt, cùm talia audierunt, tanquam si lugubri hoc gestu profiterentur cor sibi præ dolore pœnè rumpi. Blasphemi peiores hæreticis; qui loquuntur de Deo quæ vera credunt, at illi contra conscientiam de Deo effutiunt, quæ sciunt æterno silentio sepeliendâ. Sed & idololatris peiores subinde Blasphemi: idololatria suum Deo honorem aufert, blasphemia insuper etiam infert contumeliam, vti Romani mortalem Christum crucifixerunt, quem non agnouerunt, hi configunt regnantem in cælo quem agnoscunt. Illi *si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, inquit Paulus 1. Cor. 2. vers. 8. Blasphemi nec sno quidem Domino parcunt, & altricem Dei manum, quæ panem porrigit, commordent. Christi tormenta renouant, vulnera ampliant, corpus & sanguinem maligni oris spurnâ contaminant. Spiritus blasphemiæ non remittetur. Ideo Deo amicus non erit, qui non his inimicissimus fuerit. Et hîc verissimum illud: Qui non corrigit resecanda, committit.

6. *Blasphemi pessimum hominum genus.*

7. *Deplorandus est inter Christianos blasphemiæ malum, & grauiter puniendus.*

Sed ô quantum inter Christianos huius flagitij foret resecandum, si seriò res ageretur? Reperias non solùm huius criminis reos Nautas, Caupones, Stabularios, tria genera Candidatorum hominum non solùm impios milites, ciues dissolutos, nec Bellonæ, sed Minerue & literarum alicubi alumnos, qui tam immanes euomunt exsecrationes, vt nemini mirum videri posset, si terra illos dehisceret. Omnia Christi sacramenta, Orbis elementa, omnia Christi vulnera, crucem, angores, cruciatus, omnia cæli fulgura & fulmina in eos cogunt numeros, vt illis Indus & locus sit centies centena, aut tricies millies millia vel fulminum, vel sacramentorum, vel vulnerum ore impio iactare. Et cùm numeri deficiunt, stellas & sidera ad numeros vocant, & ijs triremes, turres, maria, imò & tartarum implent, vt nemini non seriò improbi videantur. Audi Apostolum, *Deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam*. Coloss. 3. Hæc Christianam viuendi rationem fuligine inspergunt. Populus Israëliticus quando vnius Ægyptij audiuit blasphemiam Leuit. 24. non tacuit, sed eadem ipsâ horâ reum ad Moysem detulit. Rex Nabuchodonosor cùm vidit tres pueros liberos in fornace Dei laudem prædicare, blasphemos tantæ Maiestatis virâ priuandos illorumque ædes diruëdas edicto sanxit. Omnibus incumbit hoc malum è sedibus suis eliminare. Nos diuinum honorem conuelli frigidissimè simulamus, & tacentes alieno sceleri nos inuoluimus & proptèrea patimur. Quid dico? Variis modis ipsi hoc crimen perpetramus, de quibus dixi Discur. 6. in II. Præceptum; quem tu consule, vt intelligas in quibus blasphemia consistat, quantisque hominem inuoluat malis, & longè sis ab ea. Et hîc repetere non videtur necesse, dum ad alia pergere nos cogit Historia.

SECTIO XXXVI.

Quàm execrabilis fuerit ira Regis Sennacherib vindicans Dei plagam in Israëlitas. Et quàm necessarium iram tempestiuè deponere.

1. *Iob 36.*

VRus amicorum Iob, Eliu nomine, hortatur ipsum si ad priorem statum aliquando redierit, in re iudiciali nullo habito personarum delectu æquitatem seruet, traditque præcepta ad iudiciorum integritatem opportuna valde, & inter alia: *Non te superet ira, vt aliquem opprimas*, Ne, inquit, irâ præceps, aut conturbato animo ad iudicandum accedas. Fieri enim non potest, vt quis sui impos de aliorum causa rectè iudicare possit, & æquum se præbeat, quem cæca animi violentia amentem præcipitat. Propè autem est, vt innocentes opprimat, qui in illos incurrit, quando furore cæco æquum ab iniquo discernere non potest. Hebræus Sapiens proinde vtiliter monet, *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit*, Eccles. 7. Iacobus Apostolus planissimè hoc ipsum docet, cùm ait cap. 1. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram*. Causam addit: *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur*. Ira non operatur

Ira iustitia inimica.

ratur id quod iuſtum, æquum, rationi conſentaneum & ſanctum eſt; ſed multa perpetrat contra manſuetudinem, charitatem, patientiam, prudentiam, æquitatem, cæteraſque virtutes, quas exigit & complectitur iuſtitia Chriſtiana.

Appoſitè S. Gregorius l. 5. Mor. c. 30. *Ira viri*, inquit, *iuſtitiam non operatur; quia dum perturbata mens iudicium ſuæ rationis exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat.* Ira ergo pro iuſtitia ſubſtituit furorem, eumque cenſet eſſe iuſtitiam: quia adeò cæca eſt, mentemque excæcat, vt vnum contrariorum pro altero cernat; velut ſi quis turbato viſu, id quod album eſt cerneret nigrum, & vice verſâ.

Ira hominem reddit amentem.

2. *Exemplum Sennacherib.*

Id euidentiſſimè liquet in Rege Sennacherib, qui cùm plagam expertus fuiſſet ſuorum militiæ centum octoginta quinque millium ab Angelo vna nocte interfectorum propter blaſphemiam ſuam, iram ſuam in Dei populum conuertit, multos ex filijs Iſraël occidendo, quia in Deum furorem ſuum non poterat euomere. Quid facis, ô miſer, recognoſce quàm ſine ratione inſanias. Deus ſubiecit quidem tibi Iſraëlitas aliquot, & in alienam patriam permittit duci captiuos: tu autem alia longè à mente diuina tentare auſus, & Ieruſalem omnibus ornamentis atque opibus exuere conans etiam cum horrenda blaſphemia, multis tuorum millibus ipſe inglorius & nudus in patriam reuerſus, vltricem Dei manum in filios Iſrael internecione plurimorum vindicas. Recogita te, ſi, quòd diù ſtabit hic furor & inſania. Dominus per Iſaiam vatem hoc prædixit: *Va*, inquit, *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe, in manu eorum indignatio mea:* Væ, inquit, Sènacherib, quo ego tanquá virgâ vſus ſum in furore meo, in cuius manu oſtenſionem & indignationem meam conſtitui, qua vterer pro mea. *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita exiſtimabit, ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum*, quaſi dicat. Ipſe autem non tam meo conſilio, quàm ſuæ ſibi libidini obſecutus, plus ſibi iuris in illum aſſumet, dum ſtatuet illum non ſolùm ſpoliare, atque deprimere, ſed etiam copioſum illum populum ad internecionem vſque delere. Idque non tam indignationi meæ, aut potentiæ tribuet, quàm viribus ſuis, atque prudentiæ. Et verſ. 8. dicit quod ſeuerè eum puniet, quia plura tentauerit, quàm Deus deſtinauerat.

Tyranni puniendi quando excedunt metam punitionis diuinæ.

3. Eandem ob cauſam minatur Deus Regi Babylonis cap. 47. quia videlicet in eundem populum, dum captiuus eſſet, duriùs ſæuijt, quàm ipſi à Domino fuerat conceſſum: *Iratus*, inquit, *ſum ſuper populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua: Non poſuiſti eis miſericordias. Super ſenem aggrauaſti iugum tuum valde*, quaſi dicat, dignas plantè pendis, ô Baby'on, meritis pœnas; cùm enim ego populo meo ſuccenſerem, & à contaminato vellem pœnas exigere, eum tuæ potentiæ tradidi non perdendum, ſed à contractis ſordibus expiandum. Tu verò illius vſque adeò miſerta non es, vt neque à ſenili ætate manus abſtinueris violentas, & duras. Graue etenim iugum incuruis à ſenectute ceruicibus impoſuiſti. Propter quam cauſam minatur ſe ſupplicium ſumpturum de Babylone, quodque nullus erit, qui ſuis ſe conſilijs atque armis opponat.

Similiter loquitur Dominus Zachar. cap. 1. cùm ſe iratum denuntiat Chaldæis, quòd in populi ſui punitione metam exceſſiſſent. *Ira*, inquit, *magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum: ipſi verò adiuuerunt in malum*, quaſi dicat, Vehementer me populi mei dolor tangit, & ad furorem inflammat contra gentes, quæ ſibi in illum, plus quàm à me conceſſum eſt, iuris, & ſæueritatis aſſumpſerint. Ego enim, vt pater, licet ſeuerè, modicè tamen pro meritis populo meo ſuccenſui: neque quidquam meæ ſeueritati propoſui tanquam optimus medicus, niſi vt inueterato morbo commodam adhiberem medicinam. Iam verò Chaldæi, quibus populum meum à patrijs eiectum ſedibus in ſeruitutem dedi, vlterius ſæuierunt, quàm poteſtatem conceſſi. Vnde de illorum ſtrage & exitio cogito. Ita Deus iraſcitur illis, qui plus æquo in ſuos ſæuiunt. Intolerabile enim eſt, diuinam excedere metam, grauemque Dei vindictam expoſtulat: Quemadmodum, vt dicit Hieronymus, ſi pater in filium ingenuum pædagogo poteſtatem dederit, vt illum corrigat, caſtigetque moderatè, atque opportunè, vt in officio, pudore, atque obſeruantia contineat, ipſe verò omnibus horis ſæuiat, concidat flagris, ac tandem perimat. Aut ſi ſanandus ægrotus commenderetur Chirurgo, ipſe verò, & arte, & poteſtate abuſus, illum aut plus æquo excruciet, aut omninò mutilet, aut debilitet, is ſanè digniſſimus eſt, qui non minore ſupplicio ab irato parente puniatur.

4.

Reges & potentes inſtrumenta Dei ad correctionem, non ad exitium. Simil.

Ecce Sennacherib, quantum mali tibi acerſas, dum publicâ poteſtate abuſus, tuo furori, aut ſtomacho indulges, & ſæuiùs animaduertis in populum Dei, ubi in ſeruitutem traditum, quàm æquitas, aut humanitas patitur. Verum in te comperio quod aliquando dixit Eliphaz quidam amicorum Iob: *Verè ſtultum interficit iracundia.* Stultus homo, inquit, impatiens eſt, ſibique ipſi dum minus res attentè conſiderat, doloris, imò & mortis aculeos admouet; Animorum immoderatis affectibus certa correſpondent vitia, quaſi quædam illorum naturalis infirmitas, ſicut etiam ſingulas ætatis partes ſuæ quoque peſtes

5.

Suæ quibuſque rebus contraria, & peſtes.

stes infectantur. Iuuentutem temeritas rapit, & inflammat libido: virilem ætatem occupat ambitio, senectutem retardat inertia, & sordes auaritiæ contaminant. Sic etiam, vt dicit Augustinus, singulis terræ fructibus suus est familiaris vermis, & labes, à quibus arroduntur, & putent: *Omne*, inquit, *pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum; & alius vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici, vermis diuitiarum superbia.* Eliphaz autem ait, stulti vermem & tabem esse iracundiam. Cùm enim minus considerat quodnam singularum rerum natura secum ferat necessarium, & naturale, facile indignatur, si quid minus ad suum votum, & voluptatem accidat: neque considerat, an id necessariò, aut hominum iniuriâ, & iniquitate contingat. Sic contra solem, si paulò sit feruentior; contra ventum, si perflet concitatiùs; contra frigus, & æstum, si magis videantur acuta, quàm ipsius mollities, aut ratio postulabat, indignantur, atque etiam, si possent, ab illis sumerent pœnas, quas, si ratione verentur, pendere debuissent. De his Augustinus. *Non hominibus tantùm, sed calamo irascimur in scribendo, eumq; collidimus, atque frangimus, & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuicumq; instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitrantur.*

Ira stultitia omnis.

6. At Sennacherib longè similes superat; nam in Deum ipsum iram acuit, cùm in suos internecione animaduertit. Graue est homicidium, quod in proximum perpetratur, & clamat à diuina maiestate vindictam. Sic ad Cain Deus: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Benè ait, inquit Ambrosius, *vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia & gratia germanitatis, etiam in ipsa morte seruat: non accusat frater, ne videatur parricida; non accusat vocem ipsius, non animam eius, sed vox sanguinis accusat. Simul querela criminosa admittur, non potest de alieno testimonio queri qui crimen proprio facinore confitetur. Minor est sermo, quàm factum: Est tamen etiam terra testis, quæ cepit sanguinem. Et benè ait: Vox sanguinis fratris tui clamat de terra: non dixit, de fratris clamat corpore. Etsi frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat; ipsa est in te testis & index. Testis acrior, quæ adhuc parricidij tui sanguinis madet: index asperior, quæ tanto scelere contaminata est, vt aperiret os suum, & reciperet sanguinem fratris tui de manu tua.*

Homicidiũ Deum cogit ad vindictã

7. Absalonis parricidium exaggerat quàm plurimum Chrysostomus, cùm illum nulla aut diuina lex, aut naturalis vis à tumultuando, ac rebellando in parentem refrænaret: *Vbi iam*, inquit, *solatium patris, vbi præsidium genitores inuenient, si filios senserint parricidas? Aut quando externa tuta sunt, si domestica nobis obsistunt? Bestia & minæ pecudes pietatis iura conser-*

uant: & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem. Atque hinc optimum exemplum ad illum contumacem animum emolliendũ mutuatus, *Cessa iam*, inquit, *ab isto scelere, cessa: ne ii boni omnes semper exhorreant: ne audaces ex te, quod nõ nouerant, discant. Cessa, inquã: ne qui post te tantum facinus patrarit, te vtatur auctore. Cur mundo nouum facinus tradis? Cur doces, quod natura non nouit; Cur cupis, quod pietas ipsa horruit?* Verùm tota hæc in vanum abijt persuasio. Vnde pergit D. Chrysostomus: *Parricidæ furor non minuitur, non franatur. Ardescit in pœnis, in maius accenditur. Cupit facinus conceptum festinanter implere: desiderat scelus dispositum instantissimè perpetrare. Properanti ad nefas tarda sunt cuncta: properantem ad facinus videntur remorari disposita. Cupit parricidium ante complere, quàm gerat: festinat patrem ante intercipere, quàm occidat. Timet differre vel modicum: ne aut ira remorata deficiat, aut furia dilata langueſcat.* Hæc ille, sicubi aliàs, elegantissimè.

Natura parricidã optimè describitur.

8. Sed crimen tuum, ô Sennacherib, Absalonis longissimè superat, qui in Deum ipsum armatâ manu procedis. Dicebat Paulo Christus, cùm spirans minarum & cædis discipulos suos persequeretur; *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Id tibi dictum puta: lentò gradu procedit Dei ira, sed grauitate tarditatem compensat. Cain longo tempore custoditus fuit ad vitam, vt conscientiæ suæ igne duriùs torqueretur: tu vt grauiùs puniaris. Heli dicebat filijs suis populum scandalizantibus, 1. Reg. 2. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Certus esto, quòd te vsque adeò insanum ira interficiet, & gladius erit, qui te perfodiet. Xerxes Persarum Rex qui cùm videret classem, quam adornarat in Græciam, tempestate fuisse dissectam, sic in mare, ac ventos impatiènter insanijt, vt non aliter tractarit, quàm Domini ferocientes solent in fugitiua, vilissimaque mancipia. De quo sic Herodotus libr. 7. *Cùm audisset Xerxes* (dissectam classem) *indignè ferens, iussit trecenta Hellespontо verbera infligi, & in eius pelagus par compedum dimitti. Iam audiui mississe quoque eum his etiam, qui stigmata Hellespontо inurerent; certè mandauit, vt colaphos Hellespontо inuterent, dicentes barbara verba, ac vesana. O aqua amara! Dominus hanc tibi irrogat pœnam, quòd eum lasisti.* Idem refert Satyra 10. Iuuenalis, & Valerius lib. 3. capitul. 2. & addit ad hæc minatum esse in cælo tenebras, quod sibi inimicus esset & iniurius. Et quid magis barbarum ac stolidum? quasi peccasset mare, aut venti, aut ille à colaphis, & vinculis ignominiæ aliquid, aut doloris acciperet. Verùm non miror: solent enim Gentiles in Deos suos omnem furiam euomere, si quid

Xerxis iratã incredibilis stupor.

contra votum & voluntatem acciderit. Sed tu, miraculosam Dei manum sentiens, in ipsum iratus, populum eius interficis, omnibus modis es stultior. Canibus similis es, qui dum in hominem nihil valent, in lapidem proiectum, passionem ostendunt.

9. Vides, quantum hoc malum, mi Christiane. Pharao dirè luit tyrannidem, quàm exercuit in filios Israel. Sennacherib seruatur manu filiorum occidendus. Compesce iram tempestiuè: *nam per iram*, inquit, Gregor. 5. Moral. cap. 30. *sapientia perditur, vt quid quóue ordine agendum sit omninò nesciatur: quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cùm mentem permouendo confundit*. Vnde Athenodorus Philosophus abiens vltimum hoc monitum dedit Augusto Cæsari: *Iratus nil dicas, aut facias priusquam alphabetum integrum recitaueris*, teste Plutarcho in vita Augusti: Sapientiùs S. Ambrosius Theodosio Imp. qui ità, licet ex parte iustâ, commotus Thessalonicenses iusserat necari, præcepit vt legem conderet, quâ nec à se adiudicatos vetaret plecti ante trigesimum diem à lata sententia elapsum. Efficacissimum enim remedium iræ, est vindictæ, vel operis in ira concepti dilatio, ait Seneca lib. 3. de ira. Dominus Deus etiam ostendit necessum esse lanco pede ad punitionem progrediendum, cùm de Sodomitis ita peccantibus, vt peccatum eorum vindictam è cœlo accerseret, ait: *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerit: an non est ita, vt sciam*, intimuans stultum esse ac fatuum, dum ira feruet, cæco furore ad vindictam pergere.

Ira statim deponenda, Cur!

Genes. 18.

10. Da locum rationi, etiamsi quis hominum te læserit: Dauid cum Nabal homo potens & diues negasset sibi per legatos subsidium, legatosq; conuitijs oneratos dimitteret, iratus dira meditabatur. Sic enim ait pueris suis: *Accingatur vnusquisq; gladio suo. Et accincti sunt singuli gladijs suis, accinctusq; est Dauid ense suo: & secuti sunt Dauid quasi quadringenti viri.* Et paulò post, iuramento execratorio affirmat se vltimum de domo Nabal in viris ne quidem relicturum: *Hæc faciat*, inquit Deus inimicis Dauid, *& hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque mane mingentem ad parietem.*

Dauid valde iratus Nabali, ab gail rationibus placatur.

Verùm cùm Abigail ei iam spiranti necem Nabal, totiusque eius familiæ oblatis donis, & oratione graui ac eleganti occurreret, eum sibi ac marito Nabal placat. Argumenta erant egregia, & apprimè ponderanda, quibus ad meliorem mentem Dauidem redegit Abigail. Primum erat, quòd non deceret eum, qui publicam personam sustineret, priuatas iniurias vlcisci: *Faciens enim*, inquit, *faciet Dominus domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, Domine mi, tu præliaris*, quasi dicat: Tu futurus es rex Israel, ad quem spectat prælia inire pro Dei gloria, non autem priuatas vlcisci iniurias. Notum est illud Hadriani, qui renuntiatus Imperator, à vindicta destitit illius, quem priuatus insectabatur: quare cùm illi occurrisset, dixit, *Enasisti*, quasi diceret, hoc vnum efficere potuit, ne mihi pœnas dares, cùm Imperator iniurias suas persequi honestè non posset. Seneca lib. cit. de ira cap. 25. *Proprium est magnitudinis veræ non sentire percussos. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit. Sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat. Qui non irascitur, inconcussus iniuria perstitit: qui irascitur, motus est.* Et quidem vix Princeps videtur tolerabilis, qui ab ira rapitur, & furori succumbit. Benignitas & clementia conciliat animos; difficile, inexorabile, quodque sibi non temperat, ingenium alienat.

11. *Rex alterum esse debet à priuata vindicta.*

Alterum argumentum erat, quod clementia, & misericordia Regis aliorum clementiam parit: *Si enim*, inquit, *surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium*, quasi dicat: Nemo qui vitæ tuæ insidiabitur, optata consequetur. Nam Deus te ab omni vi, atque hostili machinatione ob tuam clementiam in alios, præstabit incolumem. Custodiri enim *in fasciculo viuentium*, nihil est aliud, quàm inter viuentes numerari, & à morte eximi, quæ hominem à viuentium fasciculo dissoluit. Tertium erat, quod dimittens quod erat peccatum ex parte Nabal, rex tandem inauguratus Israel non sentiret stimulos conscientiæ dum aiebat: *Cùm ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ locutus est bona de te, non erit tibi hoc in singultum & scrupulum cordis, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fuerit*, quasi dicat, Rex existens inauguratus doleres grauiter, cùm à te reperires admissum aliquid vel crudele, vel iniustum: difficile enim illa, in quibus aliquid turpitudinis est, exuri possunt ex aliorum memoria, qui non omninò fidendum putant illi, cuius ingenium aut nimium præceps esse nouerunt, aut parum clementiæ & pietatis amans. Id verò faciens priuatâ auctoritate profundes sanguinem innoxium Nabal, eiusque domus. Licet enim ille ingratus fuerit, homini supplici negans subsidium, & maledicæ linguæ, non tamen ea fuit vtriusque grauitas, vt cùm tam seuero supplicio comparata inclementia, & sermonis inurbani libertas, iudicari non possit innoxius, præsertim in propria causa, & cum omnes de familia, in quos suam offensionem & iram expresserat, huic pœnæ non poterant esse obnoxij, cum illi nihil iniuriæ in Dauidem intorserant.

Benignitas Regis aliorū clementiam parit.

Hisce

Hisce tribus egregijs argumentis se siuit placari Dauid, & iram, quam altè concepe-rat in Nabalem, eiusque familiam, statim de-posuit, non fastidiens attentas aures præbere verbis Abigail. Tu etiam siquid in fratrem habeas, ne des iræ locum, sed rationi, neque il-lius vnquam pœnitebit, vt seriùs fortè Senna-cherib, qui cæco furore in populum Dei sæ-viens, filiorum manu, Deo vindicante, & per-mittente vt grauiùs puniretur, è medio sub-latus est. De iræ grauitate latissimè dixi Disc. 12. in V. Præcep. vbi plura inuenies fidelium in-structioni congrua.

SECTIO XXXVII.

Quàm crudele sit in mortuorum cadauera sæuire. Et cur tantopere infestus fue-rit Tobiæ Sennacherib, quòd sepelien-dis Iudæis vacauerit.

1. SENNACHERIB irâ intumes-cens non solùm sæuijt in viuos, sed etiam in mortuos. Simularque enim ad aures eius peruenit To-biam sepulchralem operam impendere cada-ueribus Iudæorum apud Assyrios degentium, illicò iussit eum occidi, & de facto abstulit omnem eius substantiam, ratus quòd suo malo edoctus abstineret à sepultura eorum, quos exosos haberet. Mirum ter mirum, etiam in mortuos sæuire. Facinus paradoxum, & penè inauditum; nam teste Tacito lib. 1. Annal. *Ne hostis quidem sepulturam inuidet.* Sacra pagina abundè id testatur. Philistini Iudic. 16. permiserunt Sampsonẽ & à fratribus, & à co-gnatis liberè sepeliri, quem viuum peius cane & angue oderant: *Descendentes*, inquit sacer textus, *fratres eius, & vniuersa cognatio tulerunt corpus eius, & sepelierunt inter Saraa, & Esthaol in sepulchro patris sui Manue.* Ipse per vulpium multitudinem Philistæorum segetes viuus in-cenderat, & ab ipsis ligatus, fractis funibus mille Philistæos asini maxilla prostrauerat; imò in illorum potestatem, Dalilæ perfidiâ, redactus, & Philistæis epulantibus, ac ventri indulgentibus in ludibrium positus inter duas columnas cuiusdam domus plenæ virorum ac mulierum, in cuius *tecto ac solario circiter tria millia vtriusque sexus erant spectantes ludentem Sampsonem*, collisis ambabus columnis, Deo cooperante, domum illis innitentem cadere coëgit super omnes Principes, aliamq; multi-tudinem, quæ ibi existebat: *multòque plures in-terfecit mortuos, quàm antè viuus occiderat*: nihi-lominus Philistini pariũr honorificè cada-ueri ipsius à fratribus & cognatis inhumati. Sæuijt autem Sennacherib in Tobiam propter defunctorum sepulturam, qui nihil in eum

Mendax in Tobiam.

2. *Proinuitis vix vnquàm denegata sepultura.*

Exemplum Sampsonis.

peccauerant. Quod summæ crudelitatis & inhumanitatis signum est. Sedecias Rex du-rum audit vaticinium à Ieremia Vate, captiui-tatem illi minante, & mortem; Illud verò consolationis habuit admixtum, videlicet quod non in acie gladij cadèt, sed postquam bellicus ardor & strepitus consederit, quod-que funebrem inter hostes consequetur ho-norem, qualem parentes quondam ipsius florente Republicâ: *Non morieris*, inquit Ie-remias vates, *in gladio, sed in pace morieris, & secun-dum combustionem patrum tuorum, Regum prio-rum, qui fuerunt ante te, sic comburent te, & va Do-mine, plangent te*, quasi dicat, Etiamsi inter Babylonios moriturus sis, illi tamen patien-tur te secundum ritum Iudaicum more Re-gum sepeliri, in quo moris erat accendere aromata. Hæc est combustio, de qua loqui-tur Propheta. Comburebantur enim in fu-nere regio magnificentia aromata varia, & cadauer vnguentis deliburum inferebatur sepulchro. Vnde est illud Ioan. cap. 19. *Venit autem Nicodemus, qui venerat ad* IESVM *nocte pri-mùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloës quasi li-bras centum*: quòd esse quasi legitimum Iu-dæis, docet statim, dum addit: *Sicut mos est Iudæis sepelire.* Et de Asa 2. Paral. 16. vers. 14. *Et sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid; posuerunt-q; eum super lectum suum plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusse-runt super eum ambitione nimiâ.* Quare non cre-mabantur Iudæorum cadauera, sed in eorum exequijs, & funere thura cremabantur, & suf-fimenta alia. Quando verò huiusmodi se-pulturâ carebant, hoc modo Scriptura ex-primebat, *Mortuus est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat maioribus eius*, vt de Ioram loquitur 2. Paralip. ca. 21. Hæc omnia abun-dè promittit Sedeciæ Regi Ieremias, quæ in-genuis animis ærumnosæ vitæ & necessariæ mortis solent esse solatio. Addit insuper, quod inter Babylonios non solùm varia cre-mabuntur suffimenta, sed etiam voces con-crepabunt lamentorum, atque lamentatri-cum, *Va, Domine*, qua prosequentur funus ipsius supra reliquorum nomen, & statum il-lustre. Quâ lamentatione caruit Ioacim, sicut etiam sepulturæ honore.

Sedecias in-ter hostes honorificè sepelitur.

Apud Iu-dæos in fu-nere aroma-ta cremaba-ntur, non cadauera.

Addam aliud ex sacro fonte, quod cru-delitatem Senacherib magis prodet. Rex I-dumææ obsederat Moabitas, eosque in tan-tam desperationem coëgerat, vt ipse Rex Moab proprium filium Dijs suis, id est, ido-lis suis immolaret, quatenus sic eorum opem in tãta necessitate implorãs experiretur. Hac de causa Moabitæ summũ odium in Regem Idumææ conceperunt, & postea in mortui cadaver ita insultarunt, vt sepulti ossa effode-

3. *Moabita excidio di-gni propter effossa ossa Regis Idu-mæa sepul-ti.*

rint, cremarint, & in cineres redegerint. Sed quid? Dei iustitiam in se prouocarunt hac insolitâ impietate, qui hoc facinus exitio dignum iudicauit absq; vlla misericordia: *Super tribus sceleribus Moab*, ait, *& super quatuor non conuertam eum, eò quod incenderit ossa Regis Idumææ vsque ad cinerem.* Amos 2. Propter alia multa scelera, inquit, non eximerem ab excidio Moab, sed præcipuè propter quartum, quia incendio tradidit exhumata ossa Regis Idumæi.

4. *Grauissimè sceleratus, sauire in cadauera, etiam hostium.*

Graue scelus esse oportet illud, propter quod tantopere Deus indignari se dicit in Moabitas. Et verè, summæ non solum videtur immanitatis, sed etiam impietatis sæuire in mortuos, aut illorum sepulchra violare: id enim est, illorum insultare cineribus, & cum illis dimicare rursum, & illum honorem eripere, quem dedit vinorum pietas, & qua id ratione fieri potest, rursus interficere. Quod vsque adeò natura ipsa abhorret, & Deus execratur, vt si id hostibus inferri contingat, abire non sinat impunitum. Hostis quidem erat populi Dei, imò & Dei ipsius Rex Idumææ; at illius vlciscitur iniurias, quia creator omnium, & Dominus est; & vt omnium gerit curam, sic etiam omnium rationibus consulit, & naturæ leges violari non patitur. Ita penè Hieronymus in cit. loc. Amos. *Vt ostendat se Deus omnium Dominum, & cunctas animas ad suum, qui earum conditor est, imperium pertinere, regis quoque Idumæorum iniuriam vindicat; imo & scelus, quod in eum à Moabitis perpetratum est, &c.*

Detractores mortuorum quasi canes.

In mortuos verò sæuire, & cum morte non etiam inimicitias extingui, belluini esse animi, & parum ingenui, sapientes & honesti viri iudicarunt. Quare mortuis maledicere, aut illis detrahere, illiberale putarunt, & turpe. Id enim dicebant esse canum, quia à carnibus putridis non cohibent rabidâ famem, & quæ terra tegit, foras effodiunt. Et hinc apud omnes malè semper audierunt, qui aliorum sepulchris, ac cineribus irrogarunt iniuriam, imò, & sibi vulgus hominum persuaserat illos ardentibus turiarum tædis agitari, quibus minus essent religiosi parentum cineres, & sepulchra. Ita Horatius, epist. ad Pisones in fine. Pessimè apud omnes audiuit Cãbyses, vt auctor est Herodotus lib. 3. qui Amasis Regis Ægypti iam defuncti effodi iussit cadauer, flagris cædi, vellicari, & stimulis pungi, & omni contumeliarum genere vexari. Quis non horreret, execrareturque, si modò verum est, & non merum Rabbinorum figmentum, quod exhumarit parentem Euilmerodach, & illum cõtumelioseè tractarit? Quàm sancta fuerint barbaris etiam hominibus, quique vitam alioqui degunt siluestrem, & vagam, parentum cineres, & sepulchra, docuerunt illustri quodam exemplo Scythę pleriſque alijs in rebus prorsus imperiti. Cùm enim cætera despicerent omnia, pro parentum tamen sepulchris ad mortem vsque certandum putarunt. De quibus Herodotus lib. 4. & Valer. Maxim. lib. 5. ca. 4. Nam cùm illis Darius metũ, aut inertiam exprobraret, quòd bellum semper declinarent, respondêrunt ipsum cùm ad parentum suorum sepulchra venissent, cognoturum quemadmodum Scythæ præliari solerent. Hæc de re profani plurima, quæ libens omitto.

Cambysis impietas in mortuum.

Religiosa ac venranda mortuorum sepulchra.

Crudelitas Sennacherib in Iudæorum cadauera.

Ex his apparet, quantæ crudelitatis & impietatis facinus Regis Sẽnacherib fuerit, cum Iudæis, qui nihil in eum patrauerant morte dignum, à se necatis, noluerit sepulturæ officium impendi, imò Tobiam ea de causa omnibus bonis, quibus eum donauerat pater spoliauerit, & morti iussserit tradi.

5. *Cur iustitia in cadauera Sennacherib.*

Libet hisce positis penitiùs examinare, quid mouerit Sennacherib contra omnium Gentium consuetudinem in Iudæorum cadauera ita sæuire. Respondet Salianus anno mundi 3324. fuisse in vindictam. Volebat enim manere insepulta cadauera, & volucribus exposita, sicut suis contigerat circa Hierosolymã. Vt rem intelligas penitius, lege historiam 4. Reg. 19. adeoque cùm iram in Deum cladis auctorem effundere non posset, in populum eius id retorquebat: vt membra illius persequens sic bellum moueret Deo.

Henricus Spondæus in libello suo de expiationibus sacris, vult potiùs fuisse in odium Religionis, cuius compendium ex Gallico translatum non grauabor Lectori communicare. *Quandoquidem*, inquit, fol. 12. verso, *particulariter spretâ*, supple sepultura, *ad distinctionem Religionis vnius contrariæ alteri. Videmus in S. Scriptura, quod Reges Assyriorum denegantes Iudæis tempore captiuitatis, publicum suæ Religionis exercitium, simul & prohiberent illorum particularem & sacram sepulturam, quasi esset pars, & appendix Religionis, vti constat ex magno periculo, quibus se Tobias ratione huius facti exposuit. Quod non fiebat in odium sepultura (Assyrij enim tanti faciebant, & æstimabant sepulturam, quanti cætera nationes) sed solum in Religionis Iudæorum odium, secundum leges, ob quas Tobias in hoc opere pietatis se exercebat. Imò generaliter hoc visum fuit, vt ille qui studuit violare vnam Religionem, simul abrogauerit leges, & prophanauerit loca sepultura destinata: & contra, qui vnam vigere, simul & alia voluerit vigere. Ita vt Imperatores Pagani, cùm persecutionem moliuntur in Christianos, primò illis interdicerent cœmeteria, quæ propria & particularia habebant, distincta que ab omnibus aliis, & quæ illis seruiebant (vti modò adhuc seruiunt) tanquam templa, & loca orationum. Contrarium verò fiebat, cùm pacem & Religionem restituerent. Primò enim reddebant cœmeteria: non quòd simpliciter redderent ius inhumandi*

sandi

tionis, ſed illis darent facultatem inhumandi in locis propriis & particularibus Chriſtianorum, ſeorſim ab aliis omnibus. Eo modo, quod cùm legimus in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Chriſtianos denuptas eſſe ſepulturas, ſit infallibile ſignum perſecutionis: & contra cùm leguntur reſtituta, indicium ſit pacis & tranquillitatis. Cuius rei ſufficiet nobis ſola authoritas Euſebij, ne vexemur aliunde quærere. Plura addit in hanc rem, quæ breuitatis causa omitto.

Euſeb. 7. hiſt. 10. & 11. & l. 9. 6. 2. & de vita Conſtant. l. 2. c. 42.

6. Hoc tantum addo ſolitos aliquando fuiſſe Hebræos, Græcos, & Romanos cadauera comburere ad vitandum eorum fœtorem, putrefactionem, tabem & luem, ne ſcilicet illa peſtem viuis afflarent. Verùm Iudæi fideles, veriqué Dei cultores corpora defunctorum terræ mandabant, vt Dei ſententiæ in Adam, eiuſque poſteros latæ, *Puluis es, & in pulueres reuerteris*, magis ſe conformarent; tum vt naturam ſequerentur, quæ ſponte corpora defuncta in elementa ſua reſoluit: tum maximè, vt fidem, & ſpem reſurrectionis ſuperſtitibus ingererent. Hinc Geneſ. 50. Ioſ. 8. 3. Reg. 12. hoc loco Tobiæ, Ioan. 19. legimus cadauera terræ mandata, videlicet in depoſitum, quod in die reſurrectionis ea repetiturus ſit Deus, vt reſuſcitet, & viuificet. Et vt verbo dicam, repete antiquiſſima tempora ab Abrahamo & Sara, & inuenies omnes vno ordine Hæbraici generis progenitores & principes ſepulchro conditos. Hunc morem ſequuntur Chriſtiani, quem omninò oderat Sennacherib, quod aliter in Deum belligerare non poſſet, cuius tam eximium ſpectarat miraculum in defenſione ſuorum, quo blaſphemiam eius punierat.

Cur Iudæi ſemper corpora defuncta terræ mandarint.

7. Siſte hîc parumper, mi Chriſtiane, & conſidera infelicem ſtatum in peccato morantium: *Grauius*, inquit, Ambroſius, *eſt ad peccatum viuere, quàm in peccato mori, quia impius quamdiu vivit, peccatum auget, ſi moriatur, peccare deſinit.* Huic concinit Gregorius dicens: *Peccatum, quod penitentia non diluit, ipſo ſui pondere mox ad aliud trahit. In terra*, inquit Regius vates de huiuſmodi, *iniuſtitias manus veſtræ concinnant*, Pſal. 57. Colligationem, inquit, peccatorum faciunt tanquam lignorum, ſiue faſciculorum ad comburendum.

7. *Moralis. De perſeuerantibus in peccato.*

Lib. de bono mortis c. 7.

25. Moral. cap. 9.

Concinnatores cauſarum quos.

Concinnatores cauſarum Iuriſconſulti *l. nequicquam* §. circa aduocatos D. de offic. procur. nominant eos, vt Alexander ab Alexando ſcribit lib. 4. cap. 15. qui nouas lites ſimularis captionibus, & cauillis improbis in longum ducere moliuntur, cùm ſibi agere non licet: quia concinnare dicitur, qui rem efficiis mendacijs omnibus lenocinijs perpolit.

Exemplificat ſic Auguſtinus in eit. Pſal. *Quid eſt hoc. Furtum fecit, peccatum eſt. Viſus eſt. Occidere quærit eum à quo viſus eſt. Connexum eſt*

Mauden in Tobiam.

peccatum peccato. Permiſerit Deus occulto iudicio occidere tum, quem voluit occidere. Senſit ſciri, quæſiit & alterum occidere, connexuit tertium. Dum ea molitur, fortè ne inueniatur, aut quia fecit ne conuincatur, conſulit mathematicum, additum eſt quartum. Reſpondet fortè aliqua dura, & mala mathematicus, curritur ad haruſpicem vt expietur: reſpondet haruſpex, non ſe poſſe expiare, maleficus quæritur. Et quis omnia poſſit numerare, quæ connectuntur peccata peccatis? Bellarminus exemplo Dauidis: Nam, inquit, adulterio perpetrato concinnauit Dauid dolum, quo adulterium tegeretur, aduocato ſcilicet Vriâ marito, atque ad vxorem miſſo, vt ex eo concepiſſe videretur. Et quia hoc non ſucceſſit, adiunxit adulterio homicidium, atque hoc etiam dolo alio concinnato, vt in prælio perijſſe dici poſſit. Ego exemplo impij Sennacherib, qui primum incidit in blaſphemiam, inde punitus internecione ſuorum in iracundiam, deinde in homicidia quamplurima, denique in ſpoliationem bonorum Tobiæ viri iuſti.

8. Ieremias Vates cap. 9. maximè deplorat hanc peccatorum concatenationem, eamque in diuitibus reperiri: *Quis dabit*, inquit, *me in ſolitudine diuerſorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis quia omnes adulteri ſunt, cœtus prauaricatorum. Et extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis: confortati ſunt in terra, quia de malo ad malum egreſſi ſunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus.* Quis dabit, inquit, mihi, vt in extremam ſecedam ſolitudinem, ibiqué viatorum more in diuerſorio commorari potiùs, quàm in ea ciuitate degere, vbi ciuium peccata oculis continenter occurſant? Nihil enim in ea niſi adulterantium, & prævaricatorum conuentus intueor. Nam video ibi linguam fallacem, quæ non minùs configit, ac lacerat, quam acuta ſagitta à bene curuato arcu. Hi verò, quibus lingua mendax abundant opibus, & ſublimem obtinent dignitatis gradum, & de malo quotidie ad malum progreſſi, nouis ſemper cumulantur peccatis: neque me, dicit Dominus, in vitæ ſuæ moderando curſu magiſtrum, ac ducem agnouerunt.

9. Iſaias Vates cap. 5. extrema omnia minatur perſeuerantibus in peccato: *Væ*, inquit, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: & quaſi vinculum plauſtri peccatum*, quaſi dicat, væ vobis quibus plane inſedit ambitio, cupiditas, ebrietas, libido, aliorumque peccatorum catena: qui dum vana, atq; fugacia conſectamini, iram Dei in caput veſtrũ diſtringitis: & ſicut boues fortibus alligati loris plauſtrum poſt ſe trahunt, cuius ſe iugo implicuerunt, à quo extricare ſe nullo modo poſſunt, quantumcumq; contendant: ſic vos ſupplicium,

Impij trahunt peccatorum ſimes.

quòd veſtra ſcelera conſequitur, à veſtro depellere capite non poteſtis; quod vos quaſi plauſtrali conſtrictum loro ſemper comitatur, & vrget à tergo? Sicut ergò aranea è ſuis viſceribus longa ducit fila, & inutilem orditur telam; qua poſtea denſata quaſi funè & reti ſeipſam implicat. ita peccator ſeſe euiſcerat vanis laboribus, & curis, in ijſque vires, ſpiritus, ſuccum & ſanguinem ſuum impendit & exhaurit, vt ſuæ voluptati ſatisfaciat; ijſque tandem ſe implicat, vt quaſi laqueo & funibus conſtrictus videatur, vt veriſſimè Hebræus Sapiens Prouerb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.*

10. *Accumulantes peccata, quæ pœna maneat.*

Oſæas Vates nomine Dei graues intorquet minas in decē Tribus, quòd peccata peccatis accumulent: *Audite*, inquit, *verbum Domini filij Iſraël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ*: Grauis mihi eſt, inquit, cū terræ veſtræ habitatoribus diſceptatio, nihil eſt cur amplius iudicij huius ſuſpendā, aut temperem grauitatem ac ſæueritatem: *non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*, quaſi dicat, Clamant enim pro veritate iam omninò ſublata mendacium, & dolus; auaritia, atque crudelitas miſericordiam relegauit è populo, neque vlla eſt ſæuitia, quæ homines nimium aut genio, aut voluptati deditos, aut ad ſtudium pietatis impellat, aut deterreat paululū à peccando, Imò maledictum, conuitium, contumelia, mendacium, & fucus, adulterium & furtum, & homicidium ſic compleuerunt ciuitates, publicoſque conuentus, vt inſtar fluminis, quod ripas excedens latè campos oblimat, & inundat: ſic ipſa vbique latè & impunitè graſſantur, *& ſanguis ſanguinem tetigit*, ſcelera ſceleribus accumulantur. Veriſſimè Greg. hom. 11. in Ezech. *Sanguis ſanguinem tangit, quando peccatum peccato adducitur; vt ante Dei oculos adiūctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus Apoſtolus ait: Vt impleant peccata*
1. *Theſſal.* 2. *ſua ſemper. Ioanni quoque per Angelum dicitur: Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*, quaſi dicat, Domus, vici, fora, templa, muri, agri peccatis inundant, & exundant.
Apoc. 22. Quapropter ſubiungit Propheta: *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in beſtia agri, & in volucre cæli: ſed & piſces maris congregabuntur*: Hæc, inquit, erit pœna, quæ manebit accumulantes peccata. Vaſtabitur, & deſolabitur terra, tabeſcet, & morietur homo in ea, beſtiæ, aues, & piſces ſimul interibunt.

11. Audiſti hæc fulmina, illicò cogita de remedio. Nam *qui in malo perſeuerat*, inquit Baſilius,
Rom. 2. *habet vulnus immedicabile.* Et iuxta Apoſtolum, *theſaurizat ſibi iram in die iræ*, nullo videlicet tempore exhauriendam. Neq; enim in medicinam punitur, qui huiuſmodi eſt, vt curetur, ſed in vindictam, vt iam hinc æterna ſupplicia exordiatur. Vnum enim peccatum alterius peccati eſt pœna.

12. *Non quærendum de iudicio Dei quæ permittit cumulari peccata impiorum.*

Muſſitabit hîc forſitam aliquis, cur Deus permiſerit Sennacherib tam diu viuere, & cum illo mille alios impios. Ita ſolemus iudicia Dei ſcrutari, & ad amuſſim examinare. Piaculum hoc eſt, & à Chriſtiano penitus exturbandum. Quis mæchanicus opifex eſt, quis fartor ſui opificij exactè peritus, qui ferat ſibi ab imperitiſſimis quibuſque ſuæ artis regulas dictari? Nos autem quotidie Deo orbis gubernandi ordinem ac formam præſcribere volumus. D. Hieronymus apertè profitetur ſæpiùs in mentem ſuam fluctum huncilliſum: *Quare ſenes impij ſæculi diuitijs perfruuntur? Quare adoleſcentia rudis, & ſine peccato pueritia immaturo flore metitur?* &c. *& è contrario, Impij, adulteri, homicidæ, ſacrilegi vegeti atque ſecuri de ſua ſanitate in Deum blaſphement?* Sed componit ſe, & querulas voces compeſcit hoc modo. *Cùm hæc cogitarem, ſtatim didici cum Propheta: & ſuſcepi, vt cognoſcerem: hic labor eſt in conſpectu meo, donec ingrediar ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſima eorum. Iudicia enim Domini abyſſus multa. Et, ô profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Bonus eſt Deus, & omnia quæ bonus facit, bona ſine neceſſe eſt.* Hunc imitemur.

13. *Cauſa huius permiſſionis Dei.* *Prima.*

Verùm vt te nōnihil in ordinem redigam, aliquas rationes in medium adducam, è quibus Deum iuſtum & bonum manifeſtiſſimè colliges, quando impijs ad tempus parcit. Prima ſit, vt pijs det materiam patiētiæ, conſtantiæ, & virtutis, dum eos ſinit per impios vexari, affligi, cruciari. Quo circa Seneca lib. de Prouidentia: *Nihil*, ait, *infelicius eo cui nihil accidit aduerſi: quia malè iudicauerunt Dij de ipſo.* Et rurſum, *Illos meritò dixeris miſeros, qui nimiâ felicitate torpeſcunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet.*

Secunda. Altera, quia Deus impios longa & diuina patientia ad pœnitentiam expectat. Duas haſce rationes complectitur D. Auguſtinus in Pſal. 59. ad Verſ. 1. *Neputetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò viuit, vt corrigatur: aut ideò viuit, vt per illum bonus exerceatur.*

Tertia. Tertia eſt, vt impœnitentes tandem grauius puniat. Diſertè hac de re Gregorius 25. Moral. cap. 11. *Quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad vſum ſuæ iniquitatis interquet, iuſto Dei iudicio augeri culpa permittitur, vt ad feriendum altius quandoque cumuletur. Ob hoc enim aliquibus per Ioannem dicitur: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.*

SECTIO

SECTIO XXXVIII.

Nusquam magis insperatam, quàm apud Aulicos contingere mutationem. Et quare?

1. *Plin lib. 31. cap. 2. med.*

TOBIAS vni Regi gratus, alteri exosus, magnam apud Aulicos prodit inconstantiam. Fons est in Idumæa, vt refert Isidorus, qui ter in anno mutat colorẽ. Parum est hoc humanę inconstantiæ, subinde ter in die sinceri animi colorem immutamus, sicut lacus ille, qui apud Troglodytas esse dicitur, ob maleficam vim insanus appellatus. Is ter de die fit amarus & salsus, ac deinde dulcis, totiesque etiam noctu mutat, & scatet albis serpentibus vicenorum cubitorum. Ab illius aquæ genio non multum dissi dent aulicorum mores. Præclarum est illud Polybij l. 5. *Sicut calculi modò arei sunt modò aurei, sic & Aulici ad nutum Regis nunc beati sunt, nunc miseri.* Eadem est ratio de his qui illis subijciuntur.

Inconstans Aulicorum fauor.

2. *Exemplum Ioſephi.*

S. Scripturæ seriem si examines, ita comperies. Ioseph venditus à fratribus Madianitis, ab illis Putipharo, gratiam inuenit coram Domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa, quæ ei tradita fuerant. Sed breuis fuit hic aulicus fauor. Post multos enim dies quàm plurimùm sollicitatus ad stuprum à domina sua, noluit operi nefario acquiescere. Vnde illa nacta occasionem, apprehensâ laciniâ vestimenti, eum, quantum in se fuit, coëgit secum peccare. Cumque relicto in manu eius pallio fugisset, seq; mulier contemptam deprehenderet, adulterij accusauit Ioſephum apud domesticos, retentumque pallium ostendit marito, qui Ioſephum redegit in strictum carcerem compedibus vinciendum. Nec hîc sistit inconstans Aulicorum fortuna. Nam post triennium ad Regis imperium educitur è carcere, somnium septem spicarum & vaccarum Pharaoni explicat de septennio fertilitatis, & sterilitatis futuræ; hinc à Rege toti Ægypto præficitur: *Tu*, inquit, *eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantum Regni solio te præcedam.* Et rursum: *Ecce constitui te super vniuersam terram AEgypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius; vestiuitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem aureum circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ Terræ Aegypti. Dixit quoque Rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti. Vertitq; nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca, Saluatorem mundi.* En quanta mutatio: è maleficiorum fœdo carcere ad summum dignitatis Ægyptiacæ culmen euehitur. Sed inconstans fuit hæc Aulæ gratia, nam successori Regi ignotus legitur cap. 41. Genes. de quo postea.

3. *Dauid ignoratur à Saule, cui regnum conseruauit.*

Dauid quanti fiebat apud Saulem? Sæpiùs psallente Dauide à spiritu malo laxabatur, & ab ingentibus animi, ac corporis angoribus, 1. Reg. 16. v. 23. Cum autem Dauid fundâ superasset Philistæum, eique caput amputasset gladio cum totius regni incolumitate & applausu, ignorat eum Saul, à quo tot beneficia acceperat. Ait enim ad ipsum Saul: *De qua progenie es ô adolescens?* 5. Reg. 17. Cùm ignominiam à regio capite, & Israëlitarum nomine depulit, immò & libertatem illis peperit, ignorare vult Saul, quis sit Dauid. Obserua hîc Christiane Philosophe, quàm leuem gratiam pro suis benefactis quis ab Aulicis sperare debeat, cùm illum ignoret, cui debebat Regni incolumitatem. Tãdem illa Gigantis interfecti gloria, tũ ingenij suauitas, & species externa sic populo, populique Principibus commendarunt Dauidem, vt magno apud omnes esset in amore, & pretio: quare Rex illum secum retinere voluit, quem etiam præposuit mille viris. Ionathas verò eo illum studio atque amore complexus est, vt vnam putares animam in geminato corpore: quam gratiam quotidie nouę victoriæ à Dauide iam Chiliarcho comparatæ magis augebant. Sed quid? *Egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, choréisque ducentes in occursum Saul Regis in tympanis lætitiæ, & in sistris*, cũ videlicet reuerteretur Dauid percusso Philistæo: *& præcinebãt mulieres ludentes, atque dicentes Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Hæc puellarum gratulatoria cantilena tanto Saulis animum affecit dolore, vt Scriptura subiungat: *Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste, dixitque: Dederunt Dauid decem millia & mihi mille dederunt: quid ei super est nisi solum regnum?* Quocirca non solum toruis ex illa die, atque intensis oculis spectabat Dauidem, quia præferri sibi quemquam à populari turba, & regni successorem iam se habere ferebat iniquiùs: sed etiam propter mulierculares ingrata verba in triumphali plausu, sic illum animo insecutus est hostili, vt æternas in eum ad mortem vsq; inimicitias aluerit. Cùm verò longo vsu didicerat Dauid Saulem nulla ratione placari posse, statuit, excedere ab omni loco, ad quem Saulis sese porrigeret imperium; quare tam ipse, quàm viri sexenti, qui se iam antea adiunxerant socios, cum eorum familijs in terram Philistinorum commigrarunt: Accessit Dauid ad Achis Regem Geth, & certum locum ab eo impetrauit, vbi cum suis seorsim ageret. Porrò assumptus aliquando Dauid à Rege Achis in custodem capitis

ſui, cum bellum adornaret contra Iſraëlitas, mirificè illi placuit, vt ad illum diceret: *Scio quia bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei*: ſed propter diſſidentiam Principum Philiſtinorum coactus fuit illum dimittere è caſtris, vt Scriptura teſtatur 1. Reg. 29. *Vocauit ergo*, inquit, *Achis Dauid, & ait ei: viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecũ eſt in caſtris: & non inueni in te quidquam mali ex die qua venisti ad me, vſque in diem hanc: ſed ſatrapis non places. Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos ſatraparum Philiſtiim.* Hic eſt mos Curiæ, non poſſe omnibus placere.

Impoſsibile omnibus in aula placere.

Exemplum Danielis,

et Danielis.

Daniel Dario Regi gratiſſimus, Principibus placere neutiquam potuit. Conſtituerat Rex ſuper regnum centum viginti Præfectos ad componendam Rempublicam in totidem Prouincijs conſiſtentem. Ne verò publica adminiſtratio à tot capitum conſilijs varia atque confuſa laboraret, centum illos ac viginti Præfectos, trium Principum imperio, ac voluntati ſubeſſe voluit, vt certis anni temporibus ſuorum conſiliorum atque functionum redderent rationem, vt deriuatâ in alios publicâ curâ ipſe moleſtiam declinaret. Ex his tribus vnus erat Daniel, qui, vt inquit ſacer textus, *ſuperabat omnes Principes, & ſatrapas, quia ſpiritus Dei amplior erat in illo* Dan. 6. Diuino itaque inſtinctus atque illuſtratus ſpiritu, datâ ſibi diuinitus ſapientiâ, facilè ſuperabat alios. Cumque Rex hinc cogitaret conſtituere Danielem ſuper omne regnum, inuidia vſque adeò ſtimulabat Principes & ſatrapas, vt occaſione quæſitâ illum ad locum leonum redegerint, à quo omnis Darij gratia eum ſeruare non potuit. Dolente enim ac repugnante Rege capitale ſubire debuit à lege ſupplicium, quod iuxta legem Medorum atque Perſarum Regibus nullam in leges à ſe latas facultatem eſſe prætenderent Satrapæ. Sic fortuna variat apud Aulicos, alternatque caſus. Nullibi latiùs dominatur æmulatio ac inuidia, quàm in aula Principum. Hæc, quamuis meritis tuis ad ſummum honoris gradum aſcenderis, ſtatim ad ima leuiſſimâ de causâ te deijcit. Fatale malum, quod & Reginas inceſſit.

4.
Vaſthi ad ſumma euecta, ad ima breui deuoluitur.

Aſſuetus Rex Perſarum, vt ſuas populi diuitias, & potentiam oſtenderet, conuiuium inſtruxit luculentum, & varium dierum 180. in quo nihil ad elegãtiam, nihil ad copiam, & ordinẽ requireres. Ad quod vt ille principes viros, ſic Vaſthi Regina heroides fœminas inuitauerat ad conuiuiũ quod ipſa à viris ſeparatum ornauerat: ſed totam gloriam & lætitiam funeſtus cepit, & miſerabilis exitus. Nã Vaſthi euocata à Rege vt ſuam populis venuſtatem oſtenderet, parere noluit, quòd paradoxum videretur eiuſmodi præceptum, quia pudicum, ac nobile fœminarum genus in Perſarum conuiuia non ſolet induci; ſed circa conuiuij finem, cùm iam conuiuæ temulenti pudorem exuiſſent, & æſtuante vino æſtuaret quoque inflammata luxuries, inducebantur concubinæ & pellices, & perfrictæ atque inuerecundæ mulierculæ, quæ languentem excitarent libidinem, quiduis pati, aut agere paratæ, teſte Macrobio. lib. 7. Saturnal. cap. 1. Earum morem imitari nefas duxit Vaſthi, noluitque alijs ſcandalo eſſe, neque tali articulo ſuam & Regis indignitatem in diſcrimen ponere. Quod Rex tulit indignè, & vocato ſeptem virorum Concilio, ne illius exemplo reliquæ vxores coniugum ſuorum mandata contemnerent, è regno eiecta eſt. Bellum decretum. Laudem commerita erat, cùm igni fomentum ſuberaxit: & regno eijcitur. Exeat ab aula, qui vult eſſe pius.

Veniamus ad prophana. Quis, quæſo, Beliſarius ſub Iuſtiniano, tot victorijs illuſtriſſimus Dux? tandem non gratiam tantùm, ſed & oculum vtrumque perdidit, ad extremam mendicitatem deuolutus. Quis ſub Tiberio Seianus? iam pœnè alter Tiberius, & gratiam ſimul amiſit, & vitam, vnco tractus, & in Tiberim abiectus eſt. Dies prius finiret, quàm inconſtantiæ tragœdias iſtas obiter recenſere valerem. Satis verè Poëta Apollod. 5.

Fortuna magna non caret formidine,
Nec ſplendor eminens vacat periculo:
Et quidquid altum eſt, haud tutum diu manet,
Vt quod ruat vel inuidiâ, vel tempore:

Vnde optimè Aulicus quidam iuuenis apud Auguſtinum lib. 8. Confeſ. cap. 6. lectâ vitâ S. Antonij, cœpit aulicas gratias ſpernere, religioſam vitam amplecti; quare dixit ſocio ſuo: *Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei cauſa militamus? Maiórne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus? Et tibi quid non fragile, plenumque periculi? Et per quot pericula peruenitur ad grauidum periculum? Et quandiu iſtud erit? amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio.* Et paulò pòſt: *Te ſi piget imitari, noli aduerſari. Reſpondit illi adhærere ſe ſocio tantæ mercedis, tantæque militiæ.* Optima reſolutio: Quãtumlibet enim boni egeris in aula, nihilominus aliquando patieris. Dauid Regi Achis multo tempore gratus, cogitur tandem propter Principes, vt dixi, eius caſtra deſerere. Miphiboſeth Dauidi primùm perquam gratus, à ſeruo Siba perperam accuſatus, tantam Regis indignationem incurrit, vt omnia eius bona Rex eidem ſeruo temerè adiudicaret: *Tua*, inquit, *ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth.* 2. Reg. 16. Herodes Marci 6. cap *metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Quid amplius requireres? Coli, libenter audiri, & Regem ſecundùm tuum iudicium plu-

6.

plurimum se conformare? Sed quid? In cœna, quam adornarat *Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ in die natalis sui*, comparet filia Herodiadis, saltat, placet Regi & discumbentibus, offertur illi petere quod optet quamtumuis opimum, suasu matris petit caput Ioannis Baptistæ, qui ægrè tulerat Regis cum vxore fratris contuberniũ, & illicò affertur caput ipsius in disco: *Quis non*, inquit, Ambrosius lib. 3. de Virginibus, *cum è conuiuio ad carcerem cursari videret, putaret Prophetam iussum esse dimitti? Quis inquam, cùm audisset natalem esse Herodis solemne conuiuium, puellæ optionẽ eligendi quod vellet datam missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum delitijs? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam Propheta conuiuali tempore, conuiuali præcepto, quo non cuperet vel absolui: perimitur gladio, caput eius affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.* Hæc est Principum gratia. Arundines sunt, quæ omni vento agitantur.

7. *Probatur exemplis, breuem esse aulæ gratiã. Exod. 5.*

Qui dico? Si vno Principi sis ex toto gratus, alteri eius successori eris exosus. Ioseph post tot discrimina rerum mirificè placuerat Pharaoni, non autem successori: *Surrexit*, inquit sacra pagina, *interea Rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph*, & ait ad populum suum: *Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est: venite, sapienter opprimamus eum.* Rex, inquam, nouus surrexit diuersi & noui ingenij, consuetudinis, morum, gubernationis; diuersi, inquam, à Regibus præcedentibus, qui Ioseph, & Hebræos benignè tractauerant. Is nouas leges inducebat, & populũ Dei omninò satagebat opprimere. Ioseph seruatam in fame Ægyptum debebat Rex, & Ægyptij. Præterea Ioseph quintam partem prouentuum totius Ægyptij Regi iure perpetuo in me populum alendo, coëmerat, sed *celeriter non visum &* (vt Pindarus ait) *vetus beneficium oblitum, & quasi somno traditur.* De oppressione Hebræorum tantùm meditatur Rex Tobias noster, cùm vsque adeò placuisset Regi Salmanasæ; vt illi libertatem faceret, quocumque vellet, eundi, quin etiam faciendi, quæ liberent; imò præficeret annonæ regiæ; successori Sennacherib planè fuit exosus. Daniel placuit Regi Nabuchodonosori, & auditâ somnij interpretatione, ipsum magnis cumulauit muneribus, & in sublimẽ extulit dignitatis gradũ, præficiẽs ei omnibus Imperij Babylonij prouincijs, Daniel, 2. Idẽ placuit Balthasari, audita explicatione litterarum, quas viderat articulum manus in pariete scribere; vnde ornari iubet eum amictu purpureo, & torque aureo, & publica atque legitima voce tertius à Rege pronuntiatur. Succedit in locum Darius, à quo sublimatus etiam Daniel, Principum & satraparum incurrit inuidiam, qui aliquid moliuntur, quo Regem vel inuitum cogant in eum sæuire.

Quænam tantæ inconstantiæ ratio? Philippus Author egregius, qui floruit circa tempus D. Hieronymi, & scripsit commentarium in Iob, quærens causas inconstantiæ cordis humani, hæc verba refert consideratione digna: *Animus hominis, quia stare noluit, cùm potuit, iã non potest stare cũ velit, sed semper desiderijs variatur, vt quietus actionem desideret, occupatus quietem.* Et quamuis omnes homines experiantur effectus huius instabilitatis, nihilominus illa maximè dominatur in aulis Magnatum. Hîc plurimi reperire sunt Endymiones, qui Lunam mobilem amplectuntur; hîc plurimorum animi intricantur rerum labyrinthis, argento viuo, & atomis minime stabilibus onerati; hîc hominum ingenia semper student nouitatibus, præterita fastidientes, futuris inhiantes, & numquam quieti, sed semper occupati. 8. *Inconstantia humana datur ratio*

Causæ generales huius defectus manifestæ sunt. Quibusdam contingit hæc instabilitas ex leuitate naturali, & spiritu semper vagante & fluctuãte circa quęuis obiecta, instar auis de ramo arboris saltantis in alterum, aut papilionis errantis inter flores. Locustæ inter herbas alijs ex quadã facilitate, quâ statim fastidiunt res maximè delectabiles. Alijs ex quadã auiditate, quâ præsentia contemnunt, futura æstimant: *Humanæ mentis vitium*, inquit, Saluianus libr. 1. *magis semper velle quæ desunt.* Alijs ex nimiâ felicitate, & hi similes sunt illis, quibus somnus deest, vtque dormiant, eousque se vertunt in hanc & illam lecti partem, donec ex propria lassitudine somnum ascisc ant. Alij alias rationes comminiscuntur. Sed ad rem. Hæc inter alias potissima causa inconstantiæ Aulicorum, quòd pietas apud eos exulet. Hoc vidimus in vxore Putipharis, quæ suo honori consulens, Dei & omnis æquitatis oblita, maritum valde propensum in Iosephum, falsâ accusatione coëgit in eum sæuire. In Saule, qui inuidiâ stimulatus nihil non tentauit, vt Dauidem è medio tolleret, cui mille modis deuinctus erat. In Dario, qui crudeli edicto temerè subscripsit: qui Deum & idola coluit; à quo quis boni quid expectet? 9. *Causæ generales.* 10. *Pietas apud Aulicos exulat.*

Tam exigua enim inter Aulicos est pietatis ratio, vt potiùs Deum ceruices offenderent in puncto ad infernum descensuri, quàm proprio honori quidquam detraherent. Saul iam reprobatus à Deo, cùm de futuro successu belli contra Philistinos nihil responsi obtineret à Deo, *neq; per somnia, neq; per sacerdotes, neque per Prophetas*, accersit Pythonissam, cuius opera quamuis illicitum esset & impium studuit per Samuelem de futuro successu audire iudicium. Ieroboam vt rebus suis consuleret, duos vitulos aureos erigit in Dan & Bethel, extruxit altare in Bethel: constituit nouos Sacerdotes ex infima plebe, qui non

in

erant

erant de filijs Leui: instituit solemnitatem, mense octauo, die 15. mensis celebrandam, similem ei, quæ celebrabatur in Ierusalem. Et in ista solennitate, ipse tanquam Pontifex obtulit solennes victimas, & incensum adoleuit, 3. Reg. 12. Ochozias Rex 4. Reg. 1. ex casu quodam de loco sublimi grauiter afflictus legatos misit, qui de morbo Beelzebub Deum Accaron cõsulerent, spreto vero Deo.

Aula omnium vitiorum officina

Tempus deficeret, si Aulicorum vitia ex ordine recensenda forent. Achab & Iezabel, vt vineam obtineant vsibus suis peropportunam Naboth per fas nefas de medio tollunt, 3. Reg 21. Vitium nullum aulâ exulat. Elegantiæ quoddam genus est, omnia spondere; nil largiri, aulicæ comitatis est. commodis, opibus, honoribus suis, quacumque viâ, æquâ aut iniquâ, studere, etiam cum amicorum euersione, sodalium depressione, bonorum deiectione, innocentium damnatione, viri est ad rempub nati: priuata sua publicis anteponere, adeoque hæc perdere, vt tua euehas, industriæ est: omnes infra se habere, neminemque superiorem, hæc demum summa felicitas est. Quacumque demum ratione hoc consequaris, iustâ an iniustâ, piâ an impiâ, probâ an improbâ, iuxtà habendum. Satis est consecutum esse. Et quis inter tales diu versans, probitatem quam intulit, extulit. Nonne Petrus in domo Principis ad vnius ancillulæ vocem negauit Christum? Vbi Christus alapâ cæditur? Vbi innocens damnatur? In palatio Annæ id factum est. In domo Caiphæ blasphemijs & spuris obruitur, cæditur palmis. In domo Herodis ludritur vt fatuus: in domo Pilati cæditur flagris, coronatur spinis, adiudicatur morti. Horreo cùm audio Siracidem dicentem Eccles. 49. *Praeter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda.* Reges verò Israël omnes præuaricati sunt. Si hæc Reges, quid reliqui, cùm Regum mores, aulam sequentium regula sunt? Quid ab huiusmodi aulicis sperabimus, à quibus omnis pietas exulat.

12. *Adulatoribus facilis aditus apud Principes.*

Altera ratio est, quòd adulatoribus & detractoribus Principes maximè aures præbeant; quorum in Curijs vbique abundans est numerus. Miphiboseth filius Saul à Siba seruo suo affectati imperij, & infidelis animi ad Dauidem falsò delatus, qui occurrens *Dauidi cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuapassa, & centum massis palatharum, & vtre vini*, in vsum domesticorum eius, illam fidem obtinuit apud Regem, vt crederet Miphiboseth eius affectasse regnum, & illum bonis suis spoliaret, licet contrarium sibi omninò debuisset persuadere, cùm sese excusaret, seruum fuisse in culpa, quòd Regem non sequeretur, qui claudo alinum sternere non voluerat; nihilominus adhæsit sententiæ perperam latæ: *Fixum est*, inquit, *quòd locutus sum: Tu & Siba diuidite possessiones.* Non omninò mutat sententiam, sed inter vtrumque possessiones diuidit. En quàm facilè Reges alioqui pij adulatoribus aures præbeant! Dauid ad falsam vnius serui accusationem hominem antea sibi gratissimum, inauditum condemnat.

Ioas Rex Iuda primò bonus, quamdiu videlicet Ioiada Pontifex vixit, eo mortuo delinitus obsequijs Principum interfecit filium Ioiadæ Pontificis Zachariam, qui pro defuncto patre summum iam Sacerdotium inierat, quòd spiritu afflatus diuino tam Regem, quàm Principes idololatriam amplexos, impietatis arguerent. Neque puduit Regem illius filium, virum innocentem, neque de Rege ipso malè, & Republica meritum, atrociter extinguere, à cuius patre habuerat, non solum vt regnaret, sed etiam vt viueret. Cùm enim Attalia mater Ochosiæ, mortuo filio occupasset regnum; vt sola posset regnare, interficiebat omnes masculos stirpis regiæ, Ioas autem filium non potuit, quia eius futori ab vxore Ioiadæ Pontificis occultè subtractus, & absconditus fuit, & auctoritate eiusdem Pontificis anno septimo publicè promulgatus rex. Quæ omnia partim habentur 2. Paral. 24. & 4. Reg. 11. ac 2. Paralip. 22. En quid faciat adulatio.

Dicam amplius. Esther is ca. 1. contigit Reginam Vasthi repudiari. Cùm enim considerarent septem Cõsiliarij Assueri velle Regem illam Reginæ repulsam, & responsum, vt ipse existimabat, obstinatum & impudens graui aliquo supplicio mulctari, id decreuerunt quod magis videbant ad Principis palatum. Nam quidam eorum, Manuchan nomine, dixit: *Non solum Regem læsit Regina Vasthi, sed & omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis prouincijs Regis Assueri.* Et paulò pòst: *Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & scribatur iuxta legem Persarum atque Medorum, quam præterire illicitum est, vt nequaquam vltra Vasthi ingrediatur ad Regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illâ, accipiat.* Quod consilium placuit Assuero. Sanè, si quod Rex proposuerat expenderetur accuratè, & seriò, haberet Mamuchan, & alij, qui Regi à consilio aderant, vxores, & honestum, atque pudicum fœminarum genus in virorum conuiuia, liberosque conuentus admitti non debere, & ideò laudarent potiùs Reginæ pudorem, & honestæ consuetudinis, quæ legis instar obtinet obseruantiam, quàm dãnarent, quòd stulto Regis imperio nõ paruisset. Sed hoc principũ pernitiosum ac familiare malum, vt numquam verum: neque quid deceat, aut liceat, sed quid libeat ab assentatoribus

13.

tribus audiant. Dira patitur, & carcerem Michæas Vates quod verum diceret Regi Achab, & falsis prophetis adulantibus minimè se conformaret. Darius Daniel. 6. maluit iniquis suis Consiliarijs adstipulari, quàm impium suum decretum rescin lere, quòd illud ipsum inter Deos illum recenseret. Suadent enim Regi, vt diuinitatis nomen & munus sibi arroget: vt Deo omni excluso ipse quasi Deus, & solus supplicum vota excipiat, nec patiatur alium Deum adiri vel inuocari, & decretum desuper latum vrgent executioni mandari; licet in illo rerum articulo de Prophetæ libertate non esset dubius: *Deus*, inquit, *tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.* Quod sperare eum faciebat & opinio iam ante concepta de Danielis sanctitate; & quod non multo antea tres alij pueri de flammarum incendio incolumes euaserãt, qui tamen nihilo existimabantur Daniele meliores.

Si noua priori coniuge defuncta Regi contingat vxor, mutatur ex integro, & blanditijs irretitus vxoris deponit potentes de sede, & exaltat humiles. Charybdis fit & scylla Regis noua vxor, quæ pro libitu vult mutari quadrata rotundis. Hæc sæpè regem & regna euertit.

14.

Tertia sit, quod Principibus placere magis satagamus, quam Deo. Fallacem & incertissimæ fidei gratiam summis desiderij ac votis expetimus, laboribus ambimus, sudoribus quærimus, & Deo contempto, placere Principibus conamur; sed nostro malo. Volsæus quidam Henrico octauo Angliæ Regi diuorij cum Catharina Bolena fuit causa, & postea summam Regis indignationem incurrit: *Ego*, inquit, *quia non Dei se: Regis fauorem quæsiui: hinc Dei gratiã amisi, & Regis non acquisiui.* Leuis offensiuncula magnã læsè causat apud Principes indignationem. Miramur vnde? & non agnoscimus Dei vindictam. Aman inuenerat gratiam apud Assuerũ Regem, vt penè alter esset Assuerus: sed per hos aureos gratiæ gradus altissimũ patibulũ conscendit. Quid ita? Vt Regi placeret, Deo displicere non timuit. Crudele edictum procurauit ad Iudæorum omnium excidium: Deus non ferens hanc innocentium ruinam, occasionem permisit inueniri, quæ desolatos eximeret, crudelem cum suis pessumdaret. Verissimè exclamat Bernardus: *O seculum nequam, quod soles tuos sic soles beare amicos, vt Dei facias inimicos! inuenit Aman gratiam apud Regem Assuerum; hæc illi gratia crucem peperit. Inuenit gratiam apud Absalonem Achitophel; hæc illi suspendium attulit.* Desertor & transfuga Deum & Regem deseruit Danidem, & partes rebellis illi suscepit, in suam perniciem.

15. *Qui Regi tantũ studet placere contempto Deo, facile Regis amittit gratiam.*

16. D. Augustinus hinc optimè asserit nusquam inueniri posse quietem, nisi in Deo: *Ex quo*, inquit, *me ab vnitate bonitatis tuæ summo & vno bono, temporalium rerum multiformitas lapsum me per carnales sensus dissipauit, & ab vno in multa diuisit, facta est mihi abundantia laboriosa, & egestas copiosa.* Vtiliter ergo Regius Propheta Psal. 145. *Nolite*, inquit, *confidere in Principibus aut filijs hominum, in quibus non est salus*, hoc est, qui nec se, nec alios saluare possunt. Pulchrè in eum locum Chrysostomus: *Audiant*, inquit, *hoc consilium, & hanc admonitionem, qui fixis oculis & ore hianti intuentur admirantes præfecturas humanas, & magistratus, qui sunt corrupti, & in quos mox cadit interitus. Quid est autem, In quibus non est salus? Ne propria quidem salus est in eorum potestate, nec se possunt defendere. Si enim mors aduenerit, iacebunt magis muti, quàm lapides. Hoc enim est quod infert dicens: Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Moyses tempestiuè aulam Pharaonis deseruit Ioan. Manl. tom. 3. Collectan. scribit, viro nobili in aula Wirtenbergensi canem fuisse, qui vbi vel semel tantùm ab aulicis canibus malè acceptus est, iniuriæ damnique memor, deinceps herum suum ad vestibulum tantùm arcus aulicæ comitatus est, & mox domum se recepit in tutum. Obseruauit Dominus sui canis tam circumspectum obsequium, &: Verè, inquit, meus canis plus me sapit: ego in aula toties pessimè habitus, indies tamen vsque redeo. Scripsit Æneas Syluius, qui postea creatus Pontifex, vocatus est Pius II. ad quemdam Aulicum librum de miseria Curialium, id est, aulicorum, in quo ostendit quanta in aulis sit vanitas, ambitio, inuidia, hypocrisis, impuritas; quot curæ, distractiones, seruitutes, sollicitudines, metus: quanta inconstantia, mutabilitas, casus, ruinæ, pericula corporis & animæ. Ac tandem ita concludit: *Quæ cùm ita sint, relinquamus hoc pelagus inquietum, nósque in aliam vitam rediganus. Nam si pacem cupimus, si tutum diligimus, si nobis viuere volumus, si salutem animæ quærimus, fugienda nobis sunt atria Regum, & aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis amor aliquis regnat: sed auaritia tantum: libido, crudelitas, crapula, inuidia, & ambitio dominantur. Quibus vitijs qui sit deditus, nullo se poterit argumento tueri, quin apud viros doctos malus esse censeatur, & stultus. Vale vir, nisi ex curialibus vnus esses, meo iudicio prudens. Anno salutis* 1445.

Nulla est fiducia ponenda in Principibus.

Hebr. 11. Aulam fugit canis, quia semel ictus.

Aula fugienda, & cur.

17. Idem lib. 1. de gestis Alphonsi prudenter monet, quid facto opus sit in aula degẽtibus, si rebus suis velint bene consulere: Illi, inquit, lici plurimùm sapiunt, qui accepto aliquo beneficio vel mediocri, aulæ valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, & periculo se subducunt, in quod curiales frequenter incidunt; qui veluti fucs, vbi saginati sunt, in cœnam Domini mactantur: *Est apud*

Indos

Principum aula primò allectant, deinde fastidiunt.

Indos, inquit Plinius, *herba quadam præcipui odoris, referta minutis serpentibus, quorum ictu protinus moriendum sit. Ita habent Principum aula quod allectent, sed occultant herbale venenum in cauea.* Rursum: *Indica testudines meridiano tempore blandientes, gaudent toto dorso per tranquilla fluitare, donec obliti sui, Solis vapore succetur cortex, vt mergi nequeant, iamque inuita natent opportunæ venantium præda. Ita quidem spe rerum magnarum allecti, in Principum aulas se conijciunt, & adeò deliniuntur aulæ delicijs, donec imprudentes eò redigantur, vt non possint, etiamsi velint, in suum otium se recipere.* Ita Plinius lib. 9. cap. 10.

Notatu dignum est, quod scriptum reliquit Antonius in Melissa serm. 59. *Sicut*, ait, *qui valde febricitant, appetitum & robur amittunt: sic qui Principum aulas inhabitant, mentem & bonos mores perdere solent, nisi frequenter repetant animo hoc dictum: Nosce teipsum.* Hocegit Tobias noster, & inde contigit illum ad residuum quod supererat suarum facultatum regressum habuisse. Inde contigit Mardochæum, Esthere mediante à summis periculis eximi, quæ Aman illi & suis susciterat. 18.

CAPITIS PRIMI

VERSVS. XXIII.

Tobias verò cum filio suo, & cum vxore fugiens nudus latuit, quia multi diligebant eum.

PARAPHRASIS.

Tobias ergo non solum ab omnibus ornamentis, sed necessarijs vitæ subsidijs spoliatus, cum vxore & filio regijs oculis sese eripuit: quem occultarunt non solùm, qui erant ex Hebræorum genere; sed etiam Assyrij, quorum sibi animos beneficijs, opinione sanctitatis eximiæ, & morum suauitate deuinxerat.

SECTIO TRIGESIMA-NONA.

An laudabile aliquando sit fugere persecutores?

1. TOBIAS, persequente cum Sennacherib, cum vxore & filio fugit, & latuit apud Assyrios. Timiditatis id habet vmbram, non fortitudinis. Et sic maleuoli de fuga Sanctorum iudicant. Compertum id est in Arrianis, qui vt obiiciebant Athanasio fugienti eorum furorem, scripsit magnus ille Præsul Apologiam pro fuga sua ad Imperatorem Constantium, in qua quàm plurimis sacræ Scripturę locis fugam in persecutionibus honestam ac decoram esse, abundè probat. Intellige, quando nec fidei dispendia, nec animarum detrimenta inde subsequuntur: aut clariùs, quando à prudentia, imò & à fide, & religione, & charitate, ac similibus virtutibus fuga imperatur. Præclarè Bernardus Epist. 1. 2. *Fugere persecutionem non est culpa fugientis, sed persequentis. Age*, inquit Athanasius loco citato, *iam quid sacra Scriptura de ifiusmodi re loquantur, inspiciamus. Inde enim patebit eos potissimùm cum sacris literis pugnare, & Sanctorum virtutes calumniari: nam si vituperant eos qui sese, dum ad necem quærentur, occultant, & calumniantur eos, qui vitant persecutores, quid, quæso faciens, cùm viderint Iacob à fratre suo Esau fugientem? Moysemq; ad Madianitas, metu Pharaonis secedere? aut quid isti qui huiusmodi garriunt, respondebunt Dauidi è suis adibus Saulem ob percussores summissos fugienti & occultanti se in spelunca, faciemq; immutanti, quoad euaderet Abimelechum, & insidias declinaret; aut quid dicent isti qui vbique temerè deblaterant, si videant magnum Eliam, Deum quidem inuocare, ac mortuum excitare, sed propter Achab sese abdere, & profugere ob minas Iesabel, quo tempore filij etiam Prophetarum quæsiti ad necem sese in speluncis Abdia subsidio recluserunt?* & immediatè pòst: *Forsitan*, inquit, *nec de istis vt nimis priscis quicquam legerunt, neque quæ in Euangelio sunt, meminerunt. Sed quid? num hoc ignorant, & discipulos ob metum Iudæorum latebras & recessus quæsiuisse? & Paulum Damasci in sporta è mœnibus demissum esse, dum à gentis Præfecto quæreretur, & quærentis manus effugisse? Idcirco cùm sacra Scriptura de Sanctis ista commemoret, quo animo, quæso, ista de Sanctis legunt? aut quem tandem prætextum sua temeritatis reperire possunt? si enim illis timiditatem exprobrent, furunt: sin contra Dei voluntatem eos fecisse calumnientur, sacra-*

Fugere persecutores quando licitum & decorum.

Fuga exempla ex S. Scriptura.
Genes. 28.
Exod. 2.
1. Reg. 19. 20. 21. 22. 23.
3. Reg. 19.
3. Reg. 18.
Act. 9.

ſacrarum litterarum ſe prorſus ignaros oſtendunt. Nam & in lege præceptum eſt, vt conſtituerentur ciuitates refugiorum, pro ijs qui ad eadem quærebantur, vt aliquo modo perſecutorem euaderent.

Veriſſimè S. Hieronymus tractans locum Jeremiæ 26. vbi Vrias Prophera fugiſſe à facie Regis Ioachim legitur; *Quod fugit*, inquit, *non infidelitatis, ſed prudentiæ indicium eſt, ne fruſtrà nos opponamus periculo.* Addo, ne aliis ſubtrahamus auxilium neceſſarium. Sic Tobias non ex timiditate, ſed charitate maluit fugere, quàm præmaturè ſe mortis periculo obiicere, videns neceſſarium illi eſſe propter alios perſecutionem ſuſtinere. Inter mille & mille ſolus exiſtebat qui alios in Religione foueret, præcipites ſuſtentaret, lapſos erigeret, & ſuo exemplo firmaret. Quis eum timiditatis arguere audebit, præſertim cùm legamus in nouo Teſtamento Saluatorem noſtrum ob cauſas fugiſſe, & fugam perſuaſiſſe. *Simul enim*, inquit Athanaſius, *vt natus erat, atque etiam dum puer eſſet, per Angelum Ioſepho mandauit, vt excitatus puerum aſſumeret, & matrem eius, futurum enim eſſe, vt quæreret Herodes animam pueri: Idem mortuo poſtmodum Herode, metuens Archelaum in Nazareth ſecedit. Deinde etiam tum, quum ſanatâ aridâ manu, ſe Deum oſtendebat, conſiliumq; ſui occidendi à Iudæis iniretur, non ignarus inſidiarum, ex iis locis receſſit, Siquidem ex quo Lazarum è mortuis excitaſſet, ab illa deinceps hora (vt refert Euangelium) conſilium ineuant, vt eum occiderẽt, quapropter Ieſus non palam ambulabat inter Iudæos, ſed abiit ad locum vicinum deſerto. Ac deinde cùm dixiſſet Saluator: Antequam Abraham fieret ego ſum, Iudæi tollentibus lapides, vt in eum mitterent, ipſe abſcondit ſe, & exiuit de templo, & tranſiens per medium eorum, euaſit.* Optimè Petrus Chryſologus ſermone 151. *Fratres*, inquit, *quod fugit Chriſtus, fuit myſterii, non timoris: fuit liberatio non periculum creatoris: diuina virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: non fugit propter autoris mortem, ſed fugit propter ſæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Chriſtus totam cauſam noſtræ ſalutis occiderat, ſi ſe paruulum permiſiſſet occidi.*

Nec minùs eleganter Athanaſius in hanc rem: *Quæ humanitus de Saluatore ſcripta ſunt, ea par eſt ad commune genus hominum referri: nam & ille corpus noſtrum geſtauit, & humanam imbecillitatem oſtendit. Cauſa autem quam Ioannes ſcripſit talis erat: Quærebant eum comprehendere, nec tamen quiſquam in eum manus intulit, eò quòd nondum eius hora veniſſet, quippe qui & antequam illa veniret, matri ſuæ dixerit, nondum ſuam horam venisse, dixit idem & fratribus ſuis, Tempus meum nondum aduenit. Cæterùm cùm iam tempus veniſſet, ita allocutus eſt ſuos diſcipulos, Dormite iam, & requieſcite, Ecce venit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum. Ille enim, quatenus Deus, & Verbum Patris, nulli tempori addictus erat, cùm ſit ipſe temporum opifex, poſtmodum homo factus, hoc genere ſermonum vſus eſt, oſtenditque vnicuique mortalium tempus dimenſum eſſe, nec tempus iſtud fortuito caſu, vt nonnulli Ethnicorum fabulantur, ſed prout ipſe conditor patri voluit, vnicuique definitum eſſe.*

Suaſit etiam Saluator noſter, vt dixi, Diſcipulis ſuis fugam: *Cùm vos*, inquit, *perſequentur in ciuitate iſta, fugite in aliam*, Matth. 10. & Matth. 24. loquens de Jeroſolymæ deſolatione, inquit, *Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Petrus duce Angelo ſe è carcere proripuit; Act. 12. Apoſtolus Paulus à Gentis Præfecto quæſitus, à fratribus per murum demiſſus eſt in ſporta, Act. 19. Expedit enim ſæpè tum perſecutorum cauſa, tum melioris boni gratiâ fugam capeſſere: *Perſecutores*, inquit Petrus Chryſologus *qui prouocat, facit: corrigit, qui declinat. fugere debemus ergo, prouocare non debemus, ſi ſaluari perſecutores noſtros volumus, pro quibus præceptum eſt nos orare: Orate*, inquit, *pro perſequentibus vos. Orandum eſt, fugiendum eſt, vt ille qui per ignorantiam furit, ſanetur, & ille qui patietur, de patientiæ palmam ſubeat, non ſubeat de temeritate diſcrimen. Fratres, ſi Paulum martyres non fugiſſent, Paulum non feciſſent.* Et paulò antè, *Martyr comprehenſus debet tenere conſtantiam, non comprehenſus debet fugere perſequentem: vt & perſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ſibi tempus non auferat ſupplicanti, dicente Domino, Si vos perſecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam.* Hanc cauſam mouiſſe Tobiam noſtrum quis dubitat, qui aliorum ſalutem tantoperè promouere ſatagebat? Timiditatis hîc nulla ratio, ſed prudentiæ & charitatis.

Clariſſimè D. Athanaſius probat potiùs à fortitudine imperatam Sanctorum fugam, quàm à timiditate. *Ipſi beati Patres*, inquit, *in perſecutione non timuerũt, & robur animi ſui oſtenderunt, cùm ita ſe in tam anguſtis & tenebricoſis locis recluderent, duriterq; & laboriosè viuerent, neque è diuerſo, cùm dies mortis aderat, fugæ ſeſe mandarunt. Siquidem illis cura fuit, neque præſentiam eius temporis reformidare, neque decretũ à prouidentia terminum antecapere, aut diſpenſationi diuinæ repugnare, ad quam ſe reſeruari certi erant, temere agendo, ipſi ſibi periculi authores redderentur. Sic enim ſcriptum eſt, cum qui præceps eſt labris, ſibi ipſi cauſam ruinæ eſſe. Tanto robore fortitudinis inſtructi erant, vt nemo ne vulgaris quidem homo de ea re dubitauerit. Siquidem Patriarcha Iacob, qui antea fugiebat Eſau, idem vbi mortem præſentem videbat, minimè expauit, quin eo potiſſimùm tempore ſingulis Patriarchis pro cuiuſque meritis omnia, benedictionesq; irrogauit. Magnus itidem Moyſes ille, qui ſe antea Pharaoni occuluit, & ad Madianitas abijt, acceptis Dei mandatis ſine metu in Aegyptum rediit eodem cùm rurſus iuſſum ſibi eſſet, Aſcende in monte Abari, & morere, non per metum inde remanſit, ſed libenter eò contendit; Dauid quoque qui priùs Saulem*

3. *Tobiæ fuga non adſcribenda timiditati, ſed charitati.*

Chriſtus Iudæorum inſidias fugit? & quare. Matth. 2.

Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6. Ioan. 11.

Matth. 13.

4. *Qui perſecutorem non fugit, fa. B.*

5. *Sancti fugientes non timuerunt mortem.*

ilem fugerat, non expauit antesignanus esse in belli periculis pro populo subeundis. Quin cùm optionem de morte & fuga audiuisset, cùm liceret illi & fugere, & viuere, mortem præoptauit. Sapiens itidem & magnus ille Elias, qui dum Iesabelem latuerat, non extimuit, cùm illi à Domino iniunctum esset, vt occurreret Achabi, & Ochoziam redargueret: Petrus quoque, qui ob metum Iudæorum in latebris se habuit, & Paulus Apostolus in sporta demissus, & ita fugiens, cùm audissent oportere se Romæ martyrium subire, non abiecerunt eam profectionem, sed potiùs cum gaudio abierunt, & alter etiam antea cùm Iudæos fugeret, gestiebat se mactari, alter verò præsens tempus non exhorruit: sed gloriabatur, dicens: Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Ista nimirum documenta exhibent, fugam nequaquam metu susceptam esse, aut quippiam vulgare in ea, sed magnam vim fortitudinis contineri. Huius animi fuisse Tobiam satis proclamat Scriptura; cùm declarat eum non obstante mortis decreto mortuos sepeliisse, & magis timuisse Deum, quàm Regem.

Cæterùm nemo dubitare debet fugã Tobiæ in persecutione fuisse laudabilem, quæ à pluribus virtutibus fuit imperata; quandoquidem in præliis fuga passim indecora, vt Iosue cap. 7. si ab huiusmodi virtutibus imperetur, laudabilis euadat: *Bellicosus*, inquit, Chrysologus serm. 150. *quod in bello fugit, artis est non timoris.* Sic Dauid Saulem duodecies fugit, licet strenuissimus esset, eaque ratione magis labefactauit Saulem, quàm præliando valuit, eumque fugiendo redditus quodammodo fuit Sacerdos, vt insinuare videtur D. Hieronymus in cap. 2. Sophoniæ: *Dauid*, inquit, *non erat de Sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes Propositionis: sed, quia per singula crescebat opera, & persecutio Saul, virtutum illius profectus erat. Propterea in fuga sua, dum nescit, subitò Antistes efficitur, & accipit panes propositionis, & non violat mandatum Dei.* Maiorem laudem meruit, quòd ex charitatis imperio eum fugerit, quem potuisset occidere. Sperabat vtique animam ipsius lucrari. Accidit 1. Reg. 24. vt Saul ventris leuandi gratiã ad speluncam intraret, quam tunc Dauid cum suis fortè subierat: instant socii hortanturque Dauidem ne oblatam diuinitus occasionem perire sinat? negat ille fas esse illius corpus temerari ferro, quod sacrũ oleum imbuisset; satis autem habuit, vt suam postea Regi probaret innocentiam, extremam oram chlamydis abscindere, quam deinde Regi, vbi paululùm esset abs spelunca progressus ostendit, docuitque ipsum facilè in eo articulo potuisse confici. Ex quo Saul magnopere commotus dixit: *Nunquid vox tua est fili mi Dauid?* En quantum mutatus à seipso Saul. Quem modò quærebat ad cædem, insidiatorem appellabat, & vt illum venaretur vt feram, vitam ipse ducebat ferinã, & agrestem: iam filium appellat paterno blandimento, & quasi vocem illius suauiter resonantem audiret, de vocis authore & moderatore rogat, quasi nõ credat eius esse vocem, quem ipse amore deperiret ardenti. Tanta animi mutatio facta est, vt nunc cum suauitate audire videatur illius vocem, quam antè euasi leoninum fremitum horrebat. Ex cognitione Dauidis innocentiæ & suæ iam pridem obstinatæ malitiæ, quâ illum tot modis exquisierat ad cædem, *leuauit Saul vocem suam, & flevit.* Maximè cùm accederet modesta illa atque humilis oratio, quâ se canem appellaret mortuum, & vnum è culicibus; cùm tamen ipse iam experientiâ sæpè didicisset, illo in Israële toto robustiorem esse neminem; neminem in re bellica magis aut fortunatum aut industrium. Nullam ergo Dauid, Saulem potiùs fugiendo quàm occidendo, infamiam incurrit, sed maiorem laudẽ meruit, cùm eum eâ ratione permouerit, vt laudaret potiùs Dauidem, & quia illum postea regnaturum nouerat, suam illi familiam commendaret. Vtinam propositi sui fuisset tenax!

6. *Fuga ex præliis quando decora.*

Dauid fugiendo facerdos quodam modo efficitur.

Dauid rursum cùm à facie filii sui fugeret, nihil illiberale iudicauit, sed alios ad fugam excitabat. *Surgite*, inquit, *veniamus, neque enim erit nobis effugium à facie Absalon: festinate egredi; ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij.* Mirum alicui videri posset, quòd Rex bellator, neque omnino ab auxilio militari desertus, & in ciuitate adeò à natura munita, vt putaretur à cæcis & claudis posse defendi; deinde ab ipso Rege egregiè ad repugnãdum instructa, & ad illam magnitudinem & formam erecta, vt appellaretur *Ciuitas Dauid*, (sic enim vocari cœpit, quæ priùs dicebatur *Arx Sion*) desperarit in illa arce resistere se posse filij conatibus, atque idoò statuerit, quamprimùm esse abeundum ex vrbe, & in desertis locis quærendum esse perfugium. Sed pius Rex, qui nunquam victus fuerat à mortali manu, nunquam se in fugam dedisset, si cum hoste mortali futurum esset certamen: at videbat cum Deo sibi fore pugnandum, cuius vltricem virgam in Absalonis manu cõsiderabat. Audierat enim à Nathan cap. 12. vers. 11. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua*, &c. Quare Diuinæ voluntati non putabat esse repugnandum, sed illa arma esse capienda, quæ magis diuinam potentiam, quàm humanam obtunderent. Itaque fuga ista timor non fuit, sed solers prudentissimi ducis stratagema; quo diuinum sibi comparauit auspicium & vires. Non enim tã Absalonis, quàm diuinam iram fugit, cui si restitisset, neque Deum habuisset placatum & mitem, neque tam facilem atque illustrem de tam copioso exerci-

Dauidis fuga à facie Absalonis decora, quia causa humiliatis facta fuit.

Item cauſa charitatis.

exercitu victoriam. Deinde fuga illa à charitate imperabatur. Timebat vtique optimus Princeps & ciuitatis amans, nequid ab hoſte infeſto ſiue obſidente, ſiue iam ſui conſilii ac deſiderii compote, ciuitas pateretur: atque ideò maluit ipſe fugam ſubire, quàm ciuitatem exponere periculo.

7. Aliam rationem caritatis in medium producit D Chryſoſtomus in Pſalm. 3. *Fugiebat*, inquit, *Dauid, non vt qui timeret, ſed vt qui filium cauere occidere*: ac ſi mallet ipſe à regno expelli quàm filium in gehennam præcipitari. Non multò aliter D. Ambr. in priori Apol. pro Dauide c. 6. *Cedebat*, inquit, *pater eius furori, & locum prælii declinabat; vt vel ſic impius à furore reſipiſceret*. Neque enim indecoram putabat ſuam fugam, quâ vtilitati ſpirituali ſui filii conſulebat. Id reuincit quod Principibus ſuis mandarit in caſtris ſeruare puerum ſuum Abſalon, 2. Reg. 18. Pulchrè Chryſoſtomus 1. homil. de Abſalone patrem perſequente: *Parcite*, inquit, *filio meo Abſalon. Inde dementia contra genitorem exurgit: hinc clementia vt parricida parcatur, expoſcit. Inde furor, hinc pietas operatur; inde inſania, hinc miſericordia interponitur; inde crudelitas, hinc bonitas oſtentatur. Parricida non laſus inſanit; Dauid ledutur, & miteſcit. Debellatur ab impietate pietas, nec mouetur; pietas patris nec gladio vincitur, nec terrore mutatur.* Id etiam reuincit Dauidis lamentatio, intellectâ Abſalonis morte: *fili mi Abſalon, Abſalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Abſalon fili mi, fili mi Abſalon?* Diſertè Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 21. *Rex*, inquit, *Dauid cùm hoc ab impio, atque immani filio paſſus eſſet, non ſolùm ferocientem tolerauit, ſed etiam planxit extinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo, iniuria ſua, ſed peccata filij commouebant. Nam ideò, ſi vinceretur, eum occidi prohibuerat, vt edomito ſeruaretur pœnitendi locus. Et quia non potuit non orbitatem doluit in eius interitu, ſed quia nouerat, in quales pœnas tam impiè adultera, & parricidalis anima pateretur. Nam qui alio primo filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus eſt.*

Sic ſollicitus erat Tobias, vt charitatis gratia fugam libenter capeſſeret, & propterea credibile eſt ab Aſſyrijs liberalius exceptum, ſicut vicina regio recepit Dauidem Saule perſequente; Eliam domus viduæ. Hinc datum fuit illi aliquo mediante, occiſo Rege in domum ſuam reuerti, omnemque facultatem eidem reſtitui, vt habetur verſ. 24. huius capitis. 8. *Tobia fuga laudabilis.*

Hunc igitur imitare, mi Chriſtiane, cùm cauſa ſimilis ſubeſt, aut propria ſalus vrget. Veriſſimè enim Chryſologus ſerm. 150. *In perſecutione melius eſt fugere, quàm negare. Petrus qui fugere noluit, abnegauit; Ioannes, ne abnegaret, aufugit.* Dominus Iſaiæ cap. 26. reſurrectionis ſpe conſolatur iuſtos, quibus hæc vita, grauis eſt, & dura: *Vade*, inquit, *populus meus, intra cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſconde modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio*, quaſi dicat: Ergo ô populi mi, quem manet glorioſa poſt mortem reſurrectio, intra ſepulchrum, perinde atque ille; qui cubiculum dormiturus ingreditur: is enim clauſo oſtio modico tempore requieſcit in tenebris, vt tandem poſt ſomnum orto ſole lumen iterum videat. Sic tibi in ſepulchro dormiendum eſt, donec à tabe, & puluere te cadauer vindicet, quod illi propter primum parentis peccatum à Dei indignatione contigit. Hæc verba S. Athanaſius ad fugam ſuſtinendam accommodat. 9.

CAPITIS PRIMI

VERSVS XXIV.

Poſt dies verò quadraginta quinque occiderunt Regem filij ipſius.

Verſ. 25. *Et reuerſus eſt Tobias in domum ſuam, omnisque facultas eius reſtituta eſt ei.*

PARAPHRASIS.

Quadrageſima-quinta die, poſtquam in patriam redijt, filiorum manu interfectus eſt: vix dum imperium cum vita finierat Sennacherib, tum in domum ſuam, quam habebat in Niniue, reuerſus eſt Tobias, & facultates omnes, quibus pepercerat, aut quas non conſumpſerat Aſſyriorum vis & auaritia recuperauit.

SECTIO QVADRAGESIMA.

Cur ſeruatus à cæde Angelica Sennacherib ad dies quadraginta-quinque, tandem à filijs occiditur. Et quæ ex motiuis filiorum documenta.

1. SENNACHERIB ſeruatus ab Angelica cæde ad quadraginta quinque dies ſuperſtes tandem à filijs occiditur Tradit idipſum Scriptura dum hoc loco ait: *Poſt dies verò quadraginta quinque occiderunt Regem filij eius.* Et 4. Reg. 19. ac Iſaiæ 37. filios nominat, & locum quo id contigit. *Et egreſſus eſt*, inquit ſacer textus, *& reuerſus eſt Sennacherib Rex Aſſyriorum, & habitauit in Niniue. Et factum eſt cùm adoraret in templo Neſroth Deum ſuum, Adramelech, & Sarasar filij eius percuſſerunt eum gladio.* Mirum quid! Militum caterua centum octuaginta quinque millium ab Angelo cæſa ruit: anteſignanus & blaſphemus Rex euadit. Quid eſt hoc Domine? Audio Prophetam dicentem, *Iudicia Domini abyſſus multa.* Ita eſt. Paulum intueor exclamantem: *Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles vie eius!* Inueſtiganti Samaritanæ verba inſonant: *Puteus altus eſt, & in quo hauries, non habes.* Nihilominus ſcio iudicia Domini iuſta. Vnde ſciam eius conſilium? Adeſt D. Hieronymus, qui illico nobis nodum ſoluet: *Idcirco*, inquit, *ſeruatus eſt, vt ſciret potentiam Dei, & blaſphemantia ora contineret, fieretq; teſtis illius maieſtatis, quam paulò ante contempſerat.* Interfeciſſet Sennacherib Deus æquè Angelicâ manu, ac octuaginta quinque millia fortiſſimorum virorum, & abſque vulnere ſæuam mortem in eius interitum coëgiſſet diſcurrere; ſed voluit illum ſupereſſe, vt crimen nefandum blaſphemiæ dignoſceret, & Dei Iſraëlis ſuper omnes fateretur maieſtatem.

Datur rationes cur ſeruatus Sennacherib. Prima.

2. Addo ideò ſeruatum, vt ignominiam ſubiret fugæ tum in ſuis, tum in aliorum regnis, quæ victor non multò antea luſtrauerat, quæ ſuperbo Regi multò erat ipſa morte acerbior. Denique ſupervixiſſe autumo, vt ſuorum cæde magis cruciaretur. Clade enim ſuorum vnuſquiſque acerbiùs, quàm propriâ affligitur. Inſinuat hoc Hieremias vates capite vigeſimo, cùm deplorat eo tempore ſe natum, quando recuſare non potuit, quin videret ciuitatis ſtragem, templi ruinam, & ſuorum exilium: *Maledicta*, inquit, *dies, in qua natus ſum*; qui primus mihi videlicet lucem oſtendit. Potiùs enim iudicabat nullam habere lucis vſuram, quàm lugubrem habere illam ſpeciem propoſitam. Sic etiam exiſtimabat 1. Machab. 2. Mathathias: *Va mihi*, inquit, *vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ?* Verba ſunt illius, quem valde alicuius infortunij aſpectus, aut memoria diſcruciat. Infelicem ſe putabat Mathathias, quòd eo tempore natus eſſet, in quo videre potuit in ciuitate ſancta populum contritum, exultantem hoſtem, calcari ſacra, & eodem loco haberi atque profana.

2. Angelus pepercit Sennacherib, vt atrocius puniretur, ſpectans ſuorũ funera.

3. Sanè ſi Scripturæ ſeriem percurras, inuenies ad maiorem plagam complures ſuis ſuperuiviſſe. Exod. 12. interfectis primogenitis Ægypti ſuperuixit Pharao; quem tamen credibile eſt fuiſſe quoque primogenitum, neque alia de cauſa exiſtimatur aliorum funeribus ſuperſtes manſiſſe, quàm vt multiplicis mortis reus, non vnam ſimplicem ſubiret; ſed quò plures ſpectaret, eò acerbius puniretur. In tetra enim nihil fit ſine cauſa, vt quidam amicorum Iob, ait, cap. 5. Idem Pharao, iuxta Hebraicam traditionem, perijt in mari rubro omnium poſtremus, Exod. 14. videlicet vt priùs ſuorum calamitate cruciaretur, & tandem ſpectatâ eorum clade cùm maiori doloris ſenſu interiret.

3. Hac de cauſa ſuperſtes fuit primogenitis.

Heli qui plurimarum culparum auctor fuit, cùm filios, vt oportuit, non caſtigauit, poſtremus ad mortem euocatur. Arca Dei capitur, duo filij eius Ophni & Phinees in prælio moriuntur, is tandem audito nuntio de Arca capta, & filiorum morte, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt. Summus erat Pontifex, Iudex regni Iſraël, in filiorum malis culpabilis, cætera bonus, æternùm ſeruatus temporaliter debuit luere, & poſtremus omnium, vt tam filiorum ac aliorum mortes contemplando ſæpiùs mortem ſubiret.

Heli vltimo loco punitus eſt, vt grauiùs puniretur, videns ſuorũ cladem.

Nabuchodonoſor mediante exercitu ſuo cepit captiuum Regem Sedeciam fœdifragum, *occiditque Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis eius: & omnes nobiles Iuda*, inquit ſacer textus, *occidit Rex Babylonis. Oculos quoque Sedeciæ eruit: & vinxit eum compedibus vt duceretur in Babylonem.* Satuerat Nabuchodonoſor eruendos eſſe oculos Sedeciæ, non tamen

Ierem. 39. Hac de cauſa non prius obcæcatus eſt Sedecias, quàm videret filios ſuos mactatos.

men illos priùs effodit, quàm liberi forent ante paternos oculos occiſi, vt non tam ex luce, cæliq́ue conſpectu voluptatem, quàm ex crudeli filiorum nece dolorem hauriret. Vbi verò patris oculos acerbiſſimo filiorum ſpectaculo pupugit, ſtatim non magis crudeliter, & ſtylo, aut alio quouis ad opus illud idoneo inſtrumento oculos exſculpſit. Vt autem ſcias in maiorem vindictam hoc fieri, audi Dauidem ea de cauſa perorantem. Numerauerat ipſe populum, & in populum dumtaxat ſæuijt Dei manus. Duriùs ex eo Dauid ſuperſtes, quàm populus occiſus cruciabatur, dum omnibus ſuperfuit ſpectator, omnes omnium mortes toleauit. Veriſſimè D. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 14. *Ira quæ corporaliter populum percutit, regem quoque dolore proſtrauit.* Vnde videns Angelum cædentem populum dixit ad Dominum: *Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi: iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Non ignorabat Dauid peccaſſe etiam populum, quòd dimidium cycli non ſoluerit vnuſquiſque eorum, debitum iuxta legem Exod. 30. verſ. 12. ſed quia ipſe ex ambitione recenſens populum, huius quoque mali præcipua erat cauſa, & acerbiùs, intuendo ſuorum mortes, per ſingulos cruciaretur, obſecrat, vt gladius in aliorum capita hoſtiliter intentus, in ſuum caput conuertatur. Neque enim, inquit, alij quicquam admiſere tantum, quod tam ſæuero ſupplicio expiari debeat; omnem dicit ſe ſuſtinuiſſe culpam, atque ideò ſibi vni deberi totum ſupplicium. Quare non recuſat quiduis ab irato Deo, quantumuis dirum, & horribile pati, dummodò calamitatis illius populum exortem videat eſſe.

Dauid cum ſuòditis ex ciſis ſuperſtes ſpectator, omnium mortes toleranit.

4. Sic Sennacherib in tanta ſuorum militum ſtrage, omnium profligatiſſimus ad tempus parcitur, vt atrociùs puniatur, totidem in ſe vulnera recipiens, atque ſuorum funera ſpectabat. Sic lento gradu diuina procedit ira, ſed tarditatem grauitate compenſat. Ponderat S. Hieronymus loc. cit. quod tandem filiorum manu clauſulam vitæ fecerit blaſphemus Rex: *Contempter*, inquit, *veri Dei in fano falſi numinis trucidatur, nec Angeli perit gladio, quod erat commune cum pluribus; ſed parricidio filiorum in conſpectu idoli, in quo omnem ſpem ponebat, interijt.* Quod dirum nimis, & auditu paradoxum. Percurre quaſlibet hiſtorias. In hiſtorijs legitur Iulius Cæſar inuator imperij poſt triennium in Curia à Senatoribus confoſſus interijſſe. Cyrus à monarchia ſua, id eſt, à capta Babylone à Tomyri Regina Scytharum cæſus, capiteq́ue amputato, ac in culeum ſanguine plenum coniecto, ab ea inſultante audiuit: *Satia te Cyre ſanguine, quem tãtopere ſitiuiſti.* Hæc mira ſunt, vti & illud quod quis à familiaribus plurimum ei deuinctis, manus ſentiat violentas. In Scriptura ſacra, quod auſus fuerit Abſalon bellum inferre patri, regni ipſius inuadendi cauſa. Verũ propriorum filiorum gladio funeſtam obire mortem, horrendum nimis. Sed quid? permiſſio eſt diuina: indignum perire Angeli manu, proprius ſanguis è medio tollit. Dauid cum filij rebellis ſentiret molimina, agnouit Deo permittente, & peccata eius vendicante ſe pati. Vnde dixit ad Abiſai conſilium cędis meditanti in Semei maledicta iacientem in Dauid: *Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum vt maledicat iuxtà præceptum Domini: ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Conſiderabat vtique illa non fortuitò, & caſu, aut à mortalium perfidia fuiſſe profecta, ſed potiùs fuiſſe à vidente, atque iubente, aut annuente Domino contigiſſe. Aduerſus quem velle quicquam moliri, & quam putamus iniuriam vindicari, eius eſſet, in quo neque pietas eſſet vlla, neque pudor, aut mens. Sic Hieremias Threno. 3. v. 4. ad Dominum pro populo, quem in captiuitatem abegerat: *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcircò tu inexorabilis es: operuiſti in furore, & perſecutus es nos, occidiſti, nec peperciſti.* Hæc verò meditabatur ſecum prudens atque religioſus princeps, quia ſe peccaſſe recordabatur, & illas ſecum recolebat minas, quas à Deo per Prophetam audierat. Qui ſanè affectus eſt eius, qui ſe peccati reum agnoſcit, quemq́ue peccati pœnitet, & expiari ſuſtinendo cupit in ſe peccati labẽ. Qualis in Sennacherib nõ fuit, qui expertus Dei vindictam ad grauiora mala prolapſus, iratus occidit multos Iſraëlitas, Tobiam ſpoliauit, indictâ pœnâ mortis ſi cadauera ſuorum ſepeliret, vnde meruit crudeliorem pœnam, videlicet filiorum parricidarum manu vitam finire, & æternam ſubire mortem. 2. Reg. 16.

Sennacherib à filijs occiditur, vt grauiſſimè puniatur.

5. Ac quomodo potuit ad facinus tam horrendum mens & manus filiorũ proſilire? Mouebãtur filij, vt putat Abulẽſis ex Hiſtoria Scholaſtica, quod inter fratres tres Saraſar, Adramelech, & Aſarhaddon, minorem natu Aſarhaddon, præteritis maioribus duobus, vel exhæredatis, deſignauerit ſucceſſorem Regni Sennacherib, indeq́ue valde indignatos duos maiores natu filios patrem occidiſſe. Lyranus autem ex Rabbi Salomone, vult Magnates regni poſt reditum Sennacherib mortem ipſius meditatos, quod per ſtultitiam eius, quia blaſphemare voluerat Deum Hebræorum, perierit ferè tota poteſtas Aſſyriorum. Quod timens Sennacherib, vouit Deo ſuo Neſroth duorum filiorum ſuorum victimam. Illi idipſum odorati præuerterunt parentis conſilium, ipſumq́ue maturè è medio ſuſtulerunt. In Scriptura nihil eſt certi de hiſce motibus.

Dantur motiua quæ impulerunt filios ad occiſionem parentis Sennacherib.

6. *1. Documentum. Inæqualitas parentum beneficentia erga liberos, fomes diſcordiæ.*

Vt verò eſt, ſi ex priori capite manus violentas patri intulerint filij duo maiores natu, dignoſcimus cauſam maioris mali eſſe prælationem filiorum, in temporalibus, ſeu parentes plurima mala parere, dum vni filio aut filiæ plura ſigna beneficentiæ oſtendunt, cæteris prolibus neglectis. Exemplum habemus ex ſacra pagina Geneſ. 37. in filijs Iacob, qui Ioſephum vſque adeo odiſſe leguntur, vt ne verbum pacificè illi loquerentur, idque quia Iacob *diligebat Ioſeph ſuper omnes filios, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum, feciſſetq; ei tunicam polymitam*, id eſt, ex fruſtis & licijs diuerſi coloris variegatam, quæ aſſiduè fratrum oculos feriebat. Veriſſimè Ambroſius lib. de Ioſeph Patr. cap. 2. *Amor*, inquit, *patrius, niſi moderationem teneat, nocet liberis: ſi aut nimia indulgentia dilectum reſoluat: aut prælatio vnius, cæteros ab affectu germanitatis auertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc prælatior munificentia patrum; hæc dulcior hæreditas filiorum. Iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura.* Subiungit ſacra pagina à Ioſepho narratum ſomnium fratribus de principatu ſuo futuro maioris odij fuiſſe ſeminarium. Quare Deus intimè agnoſcens humanam fragilitatem, ad conſeruandam in familijs concordiam, ſtatuit hanc legem Deuteron. 21. *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odioſam genuerintq; ei liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, voluerit q; ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere: non poterit filium dilecta facere primogenitum, & præferre filio odioſæ: ſed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitq; ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: ipſe eſt enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.*

Frater non præferendus fratri.

7. *In eo peccauit Sennacherib.*

Certum itaque eſt Sennacherib in hoc grauiter peccaſſe, quandoquidem apud Gentes illa lex erat, aut conſuetudo, vt primogeniti ſolium occuparent à patre regno vitaque defuncto relictum. Nam Ægyptijs id fuiſſe legitimũ, docet ſacra Scriptura Exod. 11. *Morietur*, inquit, *omne primogenitum in terra Ægyptiorum à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio eius, vſque ad primogenitum ancillæ.* Idem conſtat de Moabitis ex illo lib. 4. Reg. 3. verſ. 27. Vbi de Rege Moab ſcribitur, *Arripienſq; filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum.* Scio aliquando moris fuiſſe apud Hebræos, vt Rex, quem vellet, ex filijs, regno præponeret, vt inſinuant verba Bethſabee ad Dauidem 3. Reg. 1. *In te oculi reſpiciunt totius Iſrael, vt indices eis qui ſedere debeat in ſolio tuo.* Sic partim creatus eſt rex Salomon; Roboam quoque Salomonis filius, cũ multos haberet filios, Abiam elegit, cùm tamen alij forent non pauci natu maiores, vt veriſimile eſt ex libr. 2. Paral. cap. 11. verſ. 18. Cùm enim duxiſſet vxores alias, & concubinas, poſtremo loco duxit Maacha Abſolonis filiam, ex qua ſuſcepit Abiam, poſtquam ex alijs, vt apparet, plurimos ſuſcepiſſet filios; quem Regem conſtituit, non quia primogenitum, ſed quia regno magis putabat idoneum. De quo ibi, *Conſtituit verò* (Roboam) *in capite Abiam filium Maacha, ducem ſuper omnes fratres ſuos: ipſum enim Regem facere cogitabat, quia ſapientior fuit, & potentior ſuper omnes filios eius.* Scio etiam alios per diuinam electionem creatos Reges, vt Saul, Dauid, quin etiam Salomon, vt ipſe Dauid fatetur, 1. Paral. 28. *De filijs meis*, &c. inquit, *elegit Salomonem filium meum, vt ſederet in throno regni Domini ſuper Iſrael.* Sed poſtea, id eſt, exactis aliquot ſæculis apud Hebræos in vſu fuit primogenitos præficere, fortè quia ex Gentium conſuetudine primogeniti contra Dei ordinationem regnum occupare tentarunt, vt videre 3. Reg. 1. Vbi Adonias fratrum natu maximus regnum ambiuit, quod breui à patre deferendum putabat, eoque rem adduxerat, vt publicâ gratulatione, atque clamore Rex ſalutaretur. Sciebat hoc Dauid, qui antea filio Salomoni ex Bethſabee regnum promiſerat, & non contradixit, licet Salomonem ſciret etiam à Deo electum, & quia erat animo in filios magis quàm expediret, indulgenti ac molli, neque corripuit, neque ſæuerâ aliquâ oratione perſtrinxit: *Neque corripuit eum*, inquit textus, *pater ſuus aliquando, dicens: Quare hoc feciſti?* Quo id conſecutus eſt, vt dum filium lactat, in Salomonis gladium impegerit, 2. Reg. 2. Sicut ante Ammonem, qui ſororem inceſto concubitu compreſſerat, quem dum contriſtare ſæuerâ admonitione non vult, impunitum à parente frater Abſalom, non leuiori illum quàm capitali ſupplicio mulctauit.

Primogenitus apud Ægyptios regni ſucceſſor.

Apud Hebræos qui ex liberis patri placebat.

Ex hiſce malis moribus exiſtimo illam Gentium conſuetudinem introductam apud Hebræos, vt primogenitos præficerent. Vnde legitur 2. Paralip. 21. Ioſaphat Ioram primogenito filio ſuo regnum attribuiſſe: neque alia redditur cauſa, quàm quòd fratrum ſuorum erat ætate maximus. Sic enim ait ibidem Scriptura *Dedítque eis* (nempe Ioſaphat alijs filijs) *pater ſuus multa munera argenti & auri, & pręſtationes cum ciuitatibus munitiſſimis in Iuda:* regnum autem tradidit Ioram, eò quòd eſſet primogenitus. Deinde cap. 21. regnaſſe traditur Ochozias filius Ioram: cur autem ille, cùm eſſet fratrum minimus, ad regnum fuerit euectus, ea redditur cauſa; quia fratres alij maiores natu occiſi fuerãt; quaſi illi ex lege, aut conſuetudine populi regnaturi fuerint. *Conſtituerunt autem habitatores Iſrael Ochoziam filium eius minimum Regem pro eo: omnes enim maiores natu qui ante eum fuerant, interfecerant latrones.*

8. *Apud Hebræos (cum poſtea ſucceſſit regno, iuxta morem Gentium.*

Ex

9. Ex his apparet grauiter peccasse Sennacherib, si vera sit Abulensis opinio, cùm filium Asarhaddon natu minorem contra ius & consuetudinem Ægyptiorum, repudiatis duobus maioribus natu, regno præficere voluit. Hæc inæqualitas parentum gratiæ erga liberos solet gignere inter eos discordias, aliaque grauia mala, vt hi duo patrem in templo crudeliter mactarunt. In Euangelio habemus exemplum fratris filij prodigi; qui, cùm parens etiam iustissimè filio prodigo in domum redeunti vitulum saginatum apponeret epulandum, inuidiæ stimulis punctus fuit, & non solum in fratrem contumelios⁹ fuit, sed etiam in patrem supercilios⁹ blaterauit: Cùm enim filius senior *appropinquaret domui*, inquit Lucas cap. 15. *audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quæ hæc essent. Ipsi dixit illi, frater tuus venit. & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salutem illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo egressus cœpit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo, Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Egregiè D. Petrus Chrysologus serm. 4. *Inuidum fugat symphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui, vocat ratio naturæ, hunc peruenire zelus non sinit, liuor non patitur introire. Inuidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, sæculorum venenum, causa funeris. Hæc in principio ipsum Angelum eiecit, & deiecit de cælo. Hæc de paradiso hominem principem nostræ generationis exclusit. Ipsa hunc seniorem fratrem paterna secluſit è domo.* Et longè post: *Hic (senior) redijsse fratrem dolet, non dolet perijsse substantiam, nec damni causa quæritur, sed liuoris, qui fratrem redeuntem de suo decorare debuit, non debuit de perdito sic sedare.*

Inæqualis liberalitas erga liberos parit odia.

Exemplum fratris filij prodigi.

10. Si illic inuidia, vbi Angelis est lætitia super vno peccatore pœnitentiam agente: quid etit si in temporalibus frater fratri præponatur? Seruetur ergo debita erga filios æquitas; eadem hæreditas, æqualis portio illis assignetur: in vestibus soror præ sorore non emineat, ne inæqualitas causa fiat discordiæ. Hanc commendo in omnes amoris æqualitatem; in magis meritos amoris excellentiam non prohibeo. S. Ambrosio adstipulor, qui postquam æqualitatem supratactam commendasset, sic subiungit: *Nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri: nec filijs resecare debemus studium plus placendi. Denique & Iacob illum plus amabat, in quo maiora virtutum insignia præuidebat: vt non tam filium pater præluisse videatur, quam prophetæ mysterium; meritoq; variam tunicam facit ei, quæ significaret, eum diuersarum virtutum amictu fratribus præferendum.*

Excellentior esse potest parentũ amor erga magis meritos.

S. Chrysostomus quoque hac ratione amorem Iacob erga Ioseph excusat: *Quid est,* inquit, *dilexit Ioseph super omnes filios suos, quoniam filius senectutis erat sibi: quia postremus, & in ipsa senectute natus est vei, propter hoc magis dilexit. Nam magis amabiles sunt pueri, qui in senectute ipsa generantur, maiorémque patrum benevolentiam assequuntur. Sed vt sciamus, quod non solum erat, quod patrem illi conciliabat, & præferri eum alijs faciebat, docet nos scriptura, quod post illum & alius natus sit: & si iuxta naturalem amorem dilectio fuisset, postremus fuisset magis dilectus, vtpote verè senectutis filius existens, & tunc natus, quando ad postremam senectutem peruenit ipse. Quid igitur est dicendum? superna quædam gratia fuit, quæ iuuenem amabilem reddebat, & propter animæ virtutem cunctis præferri faciebat. Hæc autem in Scriptura adiecta est causa, quod filius senectutis fuerit, & ideò magis eum dilexerit, vt non manifestè augeat odium fratrum.* Rem autem ita sese habere vel ex eo confirmatur, quod licet Iosephum plus diligeret, non promouerit ad statum. Cur non honorauit præ cæteris, quem præ cæteris amauit? Cur Iudam potiùs, quàm Iosephum regio honore insigniuit? Genes. 49. vers. 10. Respondet ad rem aliam Rupertus lib. 4. de operibus Spiritus sancti, cap. 10. *Quia, in dandis,* inquit, *benedictionibus non suam, sed Dei voluntatem debuit facere, non carnis affectum, sed Spiritus instinctum sequi dignum fuit.* Ex quibus patet etiam cum signo maioris benevolentiæ erga vnum, quàm erga alterum, coniungi aliquando posse paternam erga omnes familiares æquitatem. Hæc quoad primum.

11. Ex posteriori docemur eos, qui dolis malis, aut arte iniquâ ad aliorum euersionem, aut suam promotionem, vel conseruationem vtuntur, infelicem sortiri exitum. Sennacherib hoc loco volens filiorum morte vitam sibi assecurare, cùm iuxta Lyranum primates in eius necem coniurauerant, eandem manu illorum interfectus amisit. Ita Achitophel, qui inter primos Dauidis Consiliarios semper fuit habitus, cùm partes Absolonis foueret in interitum Dauidis, in caput suum malum conuertit. Deo enim instigante consilium Achitophelis inuertit Chusai, vocatus à filio Absalone. Impatiens Achitophel egerrimè tulit, & ne Dauidis manu interiret, cuius filius re scelerato ipsius consilio fœdauerat domum, & omnium acerrimè vitam insectabatur, nodo sibi fregit gulam, ne Dauidi victori occurreret, 2. Reg. 17. Audi desuper Theodoretum: *Dedit,* inquit, *Achitophel pœnas illius impiæ, & nefariæ suasionis. Et quoniam in patrem armauit filium, ipse rursus in se armauit manus, & ijs laqueum colle injiciens, miserrimum sustinuit finem. Nam cùm ad rerum finem præuidendum*

11. 1. Documentum. Iniquis modis se promouentes, ijdẽ pereũt.

Exemplum Achitophelis.

esset idoneus, non admissâ eius suasione, Dauidis futuram credidit victoriam, & timens proditionem, sua manu de se sumpsit supplicium.

& Semei. Semei fugienti Dauidi insultabat, eique grauissimè maledicebat. Sic gratiam apud Absalonem haud dubiè captabat, sed iusto Dei iudicio ipse maledictus occisus est. Præceptum illi ferebat postea Salomon, vt vlra Ierusalem non progrederetur. Factum est autem post annos tres, vt fugerent serui Semei ad Achis, & surrexit Semei, *iitque ad Achis in Geth ad requirendum seruos suos*, 3. Reg. 2. Ex eo, Salomonis iussu interficitur. Mirabilis æquitas diuini iudicij. Ipse Dauidem fugientem insecutus fuerat maledictis, puluere & lapidibus; Deus volens temerarium illum ausum vindicare, & sumere vindictam de iniuria, iusto suo iudicio fecit, vt sicut ipse fugientem afflixerat, sic ipse à fuga esset suæ causa mortis: & sicut ipse insecutus fuerat Dauidem, qui tunc fugiebat, vt vires ad regnum sumeret recuperandum, sic ipse adscisceret sibi mortem, dum seruos fugitiuos sibi recuperare gestiebat.

12. *Plurimi Reges seditione creuerunt, seditione extincti sunt.* Quàm multi Reges eodem igne, quo ad excelsa peruenerunt, eodem euanuerunt; seditione creuerunt, seditione perempti sunt. Seditione Ieroboam contra Roboamum peruenit ad Regnum, 3. Reg. 12. Seditione extinctus est filius eius Nadab, & domus eius tota à Baasa, 3. Reg 15. vers. 27. Seditione creuit Baasa, & factus est Rex. Seditione Zambri serui eius, interfectus est filius eius Nela 3. Reg. 16. vers. 9. & 10. Seditione peruenit ad regnum Zambri, & seditione Amri etiam occisus est, ibid. cap. 17. & 18. Seditione ascendit Amon ad Regnum, & seditione Iehu extinctus est Ioram nepos eius, & cum eo domus eius tota, 4. Reg. 9. vers. 24. Seditione creuit Sellum occidens Zachariam, Iehu proneptem, 4. Reg. 15. vers. 10. & seditione occisus ipse à Manahem ibid. v. 14. Sic plures Reges qui iniquis vijs ad imperium peruenerunt, vitæ clausulam fecerunt.

Aman visâ artibus pessimis, quibus se promouerat. Sic videmus Deum permittere, vt malis artibus promoti, eisdem à culmine deijciantur. Aman euersione Iudæorum omnen gloriam sibi parare satagebat, sed ipse in ligno cum filijs decem suspenditur. Et dies eadem, quam voluit esse occisionis Iudæorum, facta est exterminationis tum totius domus Aman, tum omnium Iudaici generis ostium, vt habetur Esth. 9. *Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari antè iam diximus, tertia decima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudæi superiores esse cœperunt, & se de aduersarijs vindicare.*

13. Vis plura exempla? Iason summi Pontificis Oniæ frater, cùm ab Antiocho nobili, exclusso fratre Pontificatum emisset ijsdem artibus à Menelao circumuenitur. Idè Iason vt faciliùs summum sacerdotiũ ab Antiocho obtineret, promiserat illi se curaturum, vt omnes Iudæi eiuratâ patriâ religione, Græcorũ ritu viuerẽt. Idque ita præstitit diligenter, vt locus sanctissimus ad nefaria sacra traduceretur, neque eo quidquam fieret, quod antiquam oleret religionem; neq; Ierosolymæ solùm, sed alijs etiã locis defixit desertæ Religionis argumenta plurima, 2. Macha. 4. Sed ipse postea ita exagitatus fuit à concitata multitudine, vt nullum haberet locum, qui præberet hospitium, in quo tutus ab aliorum, odio, & quietus ab omni perturbatione consisteret. Quare cùm ex alia quotidie in aliam ciuitatem transfugeret (omnes enim illum vt patriæ hostem, & ab auitâ religione perfugam execrabantur) tandem cum vicinæ illum ciuitates repellerent, ad Ægyptios abijt, à quibus nihilo humanius, exceptus est, quia iusto Dei iudicio qui repulerat alios, ipse quoq; ab alijs immisericordem, & turpem repulsam pertulit. Existimauit misellus se mitiores habiturum Lacædemones, quibuscum erant Israëlitæ cognatione coniuncti, vt videre est 1. lib. Machab. cap. 12. Sed ibi perijt à Spartanis, vt opinor, occisus, qui cognatorum suorum cædes vlcisci voluerunt, in quos Iason barbarâ crudelitate sæuierat, à quibus neque honorem sepulturæ consecutus est, quo etiam peregrini non caruerunt, sed luit meritissimas pœnas, cum ipse vt erat inhumanus, & impius fecerit, vt multi viri se meliores abiecti, & inhumati putescerent. Sic miserè Pontificatum, & vitam amisit, qui cum suorum internecione, & iniquo modo ad illud adspirauerat. *Aliud exemplũ Iasonis.*

Menelaus qui callidè detorserat à Iasone Sacerdotium, maiora promittens, quàm antea Iason, non diu steterit in venali sacerdotio. Nam non præstans designato tempore, quæ promiserat, breui de dignitate cecidit, 2. Machab. 4. v. 29. Idem Menelaus, sequitur Antiochum copiosum habentem exercitum comparatum in Iudæam, & ad pugnam accendit officio in patriam simulato, sperans se constitui in principatum. Nam id agebat veterator maximus, vt summoneret hominem, qui ad obtinendum, quod ambibat sacerdotium, futuris erat impedimento. Sed quid? *Rex Regum*, inquit sacer textus, *suscitauit animos Antiochi in peccatorem, & suggerente Lysiâ hunc esse causam omnium malorum, iussit* (vt eius est consuetudo) *apprensum in eodem loco necari.* 2. Mach. 13. Qui dissipauerat altaria, & cineres, ignemque sacrum dispersserat, è loco sublimi, quem aggestus vndique cinis circumdabat, præceps deijcitur, & in cinerem demersus suffocatus interijt. Æquum enim erat, vt cinis altaris, & ignis sacri vindex pœnas à sacrilego appeteret, *Item Menelai.*

ret, præcluſiſque faucibus crudeli mortis genere ſuffocaret. Sacra pagina hæc planiſſimè deſcribit: *Erat autem in eodem loco turris, quinquaginta cubitorum, aggeſtum vndique habens cineris: hæc proſpectum habebat in præceps. Inde in cinerem deijci iuſſit ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. Et tali lege preuaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. Et quidem ſatis iuſtè, nam quia multa erga aram Dei delicta commiſit, cuius ignis, & cinis erat ſanctus: ipſe in cineris morte damnatus eſt.* Hinc conſtat etiám Menelaum honore ſepulturæ caruiſſe, quem mortuis viuorum pietas exhibere ſolet: quem viui vſque adeò expetunt, tantíque faciunt, vt infelices illi exiſtimentur, quibus inſepultos putreſcere contingat. Sic infauſtum ſortiuntur exitum, qui malis artibus ſe reſque ſuas promouere moliuntur. Filiorum autem iniquitas quàm ſit deteſtanda ex facinore Abſolonis quiuis colliget.

SECTIO XLI.

Regni vim ſine Deo eſſe inualidam. Et vnde plerumque Regum tam breuis vita.

MOYSES Deutero. 17. ſingulariter præcipiebat Regi, ſi longo tempore regnare vellet, Deuteronomium continuò legeret, diſceret timere Deum, & cuſtodire verba & cærimonias eius. Idem commendabat Salomoni filio Dauid: *Obſerua*, inquit, *cuſtodias Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius*, &c. *vt confirmet Dominus ſermones, quos locutus eſt de me, dicens: Si cuſtodierint filij tui vias meas*, &c. *non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael* 3. Reg. 2. & 2. Paral. 2. dicit ſacra pagina de Ioſaphat: *Fuit Dominus cum Ioſaphat, qui ambulauit in vijs patris ſui Dauid*, &c. *confirmauitque Dominus regnum in manu eius*, &c. *ſactaq; ſunt ei infinita diuitiæ, & multa gloria.* Vnde videmus à pietate regni ſtare incolumitatem: ab iniquitate verò omnibus Regibus, & regnis plagam accerſiri. Veriſſimè Hebræus ſapiens Sapient. 5. *Malignitas*, inquit, *euertet ſedes potentium.* Sic Saul 1. Reg. 13. ob peccatum regno priuandus dicitur: & 1. Reg. 15. ob inobedientiam reprobatur. Nam cap. 13. inquit ſacer textus, *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum ſuum, eò quòd non ſeruaueris quæ præcepit Dominus.* Verba ſunt Samuelis ad Saulē poſt prius peccatum: *Deus*, inquit Chryſoſtomus, *Dauid elegit obſequentem, & Saulem reprobat contemptorem. Dauid, qui notus populo non erat, promouetur, & Saul, qui regnauerat, ſpernitur: hic ab euibus ad regnum eligitur, ille à regno ad gladium deſtinatur: hunc ſancta vita promouit, illum mandatorum deſpectio reprobauit. Dauid adhuc paſtor debellat leonem interficit vrſum, Saul Saul contemnendo Dominum, malum ſpiritum in ſe prouocauit: regnat Dauid ſanctiſſimus, ſed latenter, Saul reprobus efficitur euidenter: hic iam Rex eſt, ille putatur: hic iam obtinet, ille tantummodo dicitur: hic occultam poſſidet dignitatem, ille habet publicam regni imaginem: à Deo Dauid Spiritu ſancto inundatur, Saul verò ſpiritu illo deſeritur.*

Regni & Regum incolumitas à pietate pendet, euerſio ab impietate.

Saul quando regno priuatus.

Homil. de Dauid & Goliath. 1.

Cùm Deum Salomon venerabatur, in maximo fuit honore; cùm eius inimicus, in maximo dedecore. Diſertè Irenæus in Salomone 3. Reg. 11. *Cùm Salomon*, inquit, *ſine offenſa ſeruiret Deo, & miniſtraret diſpoſitionibus eius, tunc glorificabatur: cùm autem vxores accipiebat ab vniuerſis gentibus, & permittebat eis erigere idola in Iſraël, tunc inglorius fuit.* Immò ex tunc contra eum caput aliqui, non quidem ex ſupremis erexerunt, non ex ſe, ſed à Domino in cælis dominante excitati, 3. Reg. 11. *Suſcitauit autem Dominus aduerſarium Salomoni Adad Idumæum, Razon filium Eliad, & Ieroboam quoque ſeruus Salomonis leuauit manum contra Regem.* Vnde ne mirentur Reges, ſi bellis premuntur, ſi inimici ſuſcitantur, tum intrà, tum extrà, cùm inimici Dei ſint, contraque ipſum bellent.

Reges quãdo in dedecore apud ſuos deuoniunt ſubditos.

2.

Deus regnũ à Salomone ſciſſurus eur ſeruo illud dedit, & non alteri.

Animadvertendum, quòd ſciſſurus Deus regnum à Salomone, & alteri traditurus, non traneo alicui, non alteri Regi, non Principi pronuntiat ſe regnum daturum, ſed eius ſeruo; cur non Principi, aut alteri alicui ex Regibus? nonne, quia ſeruus ipſe mulierum factus eſt & peccati? Optimè Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcion. *Reijcitur Salomon*, inquit, *ſed iam à mulieribus alienis poſſeſſus, & idolis Moabitarum, & Sydoniorum mancipatus.* Mancipium ſe fecit ex libero, ſeruum ex Domino, ſubditum ex Rege, detur ergo regnum mancipio, vt ſic dicam, ſeruo, & ſubdito, & fiat ſubditus hominis, qui ſe Deo ſubijcere neglexit.

Ieroboam cum parum firmum putaret regnum ſubitò acquiſitum, ſi de more populus ad templũ Hieroſolymitanum temporibus à lege conſtitutis aſcẽderet, nouũ ipſe cõſtituit templũ, & nouos Deos, nẽpe aureos vitulos, nouos ſacerdotes, & noua ſacra, quibus populum iam ſuum à verâ & patriâ religione diſtraxit, ratus hac ratione regnum ſibi fore ſaluum, *dixítque Ieroboam*, inquit, ſacer textus, *in corde ſuo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid. Si aſcenderit populus iſte vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem: & conuertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam Regem Iuda, interficientq; me, & reuertentur ad eum. Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra aſcendere in Ieruſalem: Ecce Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra AEgypti. Poſuitq; vnum in Bethel, & alterum in Dan.* 3. Reg. 12. Sed quid? Adfuit illi ſtatim Propheta Domini, cùm au-

geis

reis vitulis daret ſacrificalem operam, & minaci vaticinio ſacra ſolemnitatemque turbauit: *Altare*, inquit, *altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet.* Et ne minis ipſius abeſſet pondus, prædictionem Prophetæ ſignis confirmauit Deus, nam diſtuibatum eſt altare, & arefacta manus, quam Rex furoris impatiens aduerſus Prophetam eleuarat. Et cap. 14. dixit Ahias Propheta ad vxorem Ieroboam, quæ venerat ad eum, vt conſuleret ipſum ſuper filio ſuo graui morbo laborante. *Vade, & dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſrael, & ſcidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo. Sed operatus es mala ſuper omnes qui fuerunt ante te, & feciſti tibi Deos alienos & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares; me autem proieciſti poſt corpus tuum. Idcirco ecce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clauſum, & nouiſſimum in Iſrael: & mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet ſimus vſque ad purum. Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli, quia Dominus locutus eſt.* Quæ Propheta prædixit, effectum ſortita ſunt. Nã vt habetur c. 15. anno ſecundo Aſa, quo tempore Ieroboamus deceſſerat, regnauit eius loco filius Nadab, duobus tãtum annis, qui Ieroboami parentis veſtigia ſecutus, vt regni hæres, ſic etiam impietatis, & perfidiæ fuit. Quem per inſidias ſuſtulit Baaſa de tribu Iſſachar, anno tertio Aſa, & iuxta Ahiæ verba domum euertit Ieroboami, & Iſraëlis regnum occupauit. Quod expreſſit ſacra pagina 3. Reg. 15. & v. 28.

3. *Sennacherib periit, quia in Deũ blaſphemauit.*

Sennacherib Rex Aſſyriorum, de quo nobis ſermo, potentiſſimo exercitu Iudæam inuadens, omnem potentiam ſibi aſſcripſit, Ezechiæ Regi per ſuos duces renuntiari iuſſit, fruſtrà ab ipſo ſpẽ in ope diuina reponi, aliarum Gentium deos non potuiſſe ſuos cultores aduerſus Regis Aſſyriorum potentiam tueri; Deum Iſraël etiam non poſſe inferebat. Audiuit hoc diuina illa maieſtas; & blaſphemi exercitum vna nocte penè totũ ad internecionem deleuit, cæſis operâ vnius Angeli armatorum centum octoginta quinq; millibus. Rex ipſe ſpectatâ tantâ ſuorum clade, in ſuam ciuitatem Niniuem reuerſus, iratus multos filiorum Iſraël occidit; & dum ſtudet placare idola, quæ illum iuuare non poterant, à proprio ſanguine interficitur. Sic Regum & regnorum potentiam ſine Deo non poſſe ſubſiſtere, toti mundo publicatur. Domus Achab ob peccata ipſius deletur. Et ne prolixior ſim, cæterorum Regũ malorũ, qui fuerũt in Iſraël enarrando mortes, excidia, & ruinas; ſcito omnes ſimul cum regno vitam amiſiſſe infeliciter, violenterque, vt patet de Zibri 3. Reg. 16. v. 18. Ioas 4. Reg. 11. v. 21. Zacharia ibid. cap. 15. v. 10. Sellum, ibid. v. 14. Phaceia ibid. v. 15. Phacee, ibid. v. 30. Amon. 2. Paralip. 33. v. 24. & ſic de cæteris. Vt ſemel videas, quàm certum ſit, pœnam Regum, qui contra Deum ſuum peccant, priuationem regni eſſe, & propterea Scriptura, quando iniquis & peruerſis regibus regnum non abſtulit, vt Salomoni, & eius ſucceſſoribus, de induſtria apponit qua de cauſa hoc fiat. Vnde 3. Reg. 11. Dauidis aſſcribit merito, quod regnum à filio Salomone non ſiderit: *Veruntamen*, inquit, *in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum.* Et 3. Re. 15. loquens de Abia filio Roboami, affirmat non abſtuliſſe à domo eius regnum, *Ne periret lucerna Dauid, & propter Dauid ſeruum ſuum.* Et 4. Reg. 8. 19. aſſignans rationem, cur Deus non deſtruxit peſſimum Ioram, filium Ioſaphat, inquit, quod propter Dauid ſeruum ſuum, *Fecit Ioram quod malum in conſpectu Domini, noluit autem Dominus diſperdere Iudam propter Dauid ſeruum ſuũ.* Ex quibus locis apertè patet, ita generalem eſſe regulã priuationem regni à malo Principe, vt cùm in filijs Dauid illa non ſit obſeruata, neceſſarium fuerit, vt ſcriptura peculiarem exprimeret cauſam, declararetq. exceptionem regulæ fuiſſe generalis.

Priuatio regni ſic ordinaria regum peccatorum pœna, vt quando illa non plectuntur, datur in Scriptura exceptionis cauſa.

4. *Regnum periit vbi peccatum exuberat.*

Noli igitur quærere, quare regnum pereat, vbi peccatum exuberat: *Malignitas*, inquit Salomon, *euertit ſedes potentum, & regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Balthaſar tempore conuiuii vidit in pariete ſcribi, *Mane, Thecel, Phares.*

Mane, id eſt, Numerauit Deus annos regni tui, & Chaldæorum, eosq; numerãdo compleuit, id eſt, ſuo decreto ſtatuit. vt iam compleantur, & finiantur. *Thecel*, *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens*, ſupple dierum, quàm ætas, naturaque tua poſtulat. Opera tua bona & mala, ò Balthaſar, appenſa ſunt in ſtatera Diuinæ iuſtitiæ & examinis, & inuentus es minus habere probitatis, plurimum verò ſuperbiæ, crapulæ, & iniquitatis: vnde non mereris amplius regnare aut viuere. Ea recenſet Daniel Regi, cùm ait: *Tu quoque filius eius* (Nabuchodonoſoris) *Balthaſar, non humiliaſti cor tuum, cùm ſcires hæc omnia. Sed aduerſum dominatorem cæli elatus es: & vaſa eius domus allata ſunt coram te: & tu, & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ, vinum bibiſtis ex eis: Deos quoque argenteos, & aureos, ferreos, ligneoſ-*

ligneoſq́, & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque ſentiunt, laudaſti: perrò Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non gloriſicaſti. Tertij demùm verbi, *Phares*, interpretatio eſt hæc, *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum Medis & Perſis*: Iam iam hac nocte regnum à te ſeparatum & ſublatum diuidetur inter Medos & Perſas: *Et eadem nocte*, inquit Scriptura, *interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus: & Darius Medus ſucceſſit in regnum.* Audite hæc ebrii, audite temulenti, audite reges, qui ſacra vaſa profanaris, aſſideris mensis, gaudetis, & non videtis Dei extentam manum ſuper vos.

5. Reges etiam iuſtos breuem trahere vitam, exploratum eſt, eò quòd vel plurimis hoſtium patent inſidiis, vel grauioribus curis exedántur: tyrannos verò, & qui cupiditatibus habenas laxant, Dei vindice manu ſubitò & violenter è medio tolli, clariſſimus teſtis eſt Siracides: *Omnis*, inquit, *potentatus vita breuis. Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus: ſic & Rex hodie eſt, & cras morietur.* Eccleſ.10. De tyranno agit hic locus, qui aliena rapuit; quem Deus non patitur diu viuere. Nam ſicut medicus in principio, cùm morbum præuidet longè grauaturum, præcidit, & initijs obſtans de medio tollit, ſi poteſt, morbi vim: ſic Deus cùm tyrannum Reip. languorem ac peſtem totam Remp. inuaſurum præuidet, de medio tollit, vel immiſſo morbo, vel permittendo vt ab alijs occidatur; mortem autem eius ignominia conſequitur, vermes corpus, dæmones animum inuadentes. Tales fuere Sennacherib, Nabuchodonoſor, Antiochus, alij. *Omnis homo natus de muliere breui viuit tempore.* Iob.c.14. ſed breuiori tyrannus. Sciſcitatus Thales, vt Plutarchus, quid difficile vnquam vidiſſet: *Tyrannum*, inquit, *ſenem.* Plurium exempla recenſet Petr.dial.95. *Quis*, inquit, *Pherei Alexandri exitus neſciat? Quis Dionyſij Syracuſij, Agrigentini Phalaridis? quis Amonis Pœni? quis Eurici Heracleenſis? quis Ephemenſis Ariſtomeni? quis Chalcedonij Nabidis? quis Hipparchi denique Athenienſis, quem occidiſſe immortalis gloria interfectoribus fuit? Non ad recentiores tu mitto atque domeſticos, Caſium Meliuḿq, & Manlium Romanos ciues; Catilinam quoque & Graccos, & Apuleium non tyrannos quidem: ſed tyrannidem affectantes. Non poſtremò ad illos, qui maiores, non minores, inſtis verò imperij trucem rexere tyrannidem, Caium, Neronem, Domitianum, Commodum, Baſſianum, reliquoſq́, eius ordinis ſolo nomine Principes: quorum mēs tyrannica ac tyrannicum finis fuit. Sed ad alios quos auorū patrumq́ memoria, ſeu etiā quos ætas, aut regio præſens videt: hos igitur contemplari te iubeo. Videbis vſitatum & communem tyrannorum exitum aut gladium, aut venenum.* Hæc ille. Lege Herodotum lib.3. Tacit.lib.1.

Pauci tyranni ſines.

Exempla profana.

Cæterùm peccata in quibuſuis peccatoribus Regibus repetimam cauſare vitæ clauſulam, abūdè Sacra pagina teſtatur. Reſpondet itaque optimè Thales Mileſius, vt refert Laertius in vita ipſius, illis qui ab eo expetierunt, quid ipſi in mundo videbatur difficilius, *Malum Regem diu viuere*, cùm præter naturam ſit, talem diuin regno durare? nam neque ſubditi eum ferre, & quod maius eſt, nec ipſemet Deus poteſt, & ſic illum diſpergit, deſtruit, & occidit; ſic vitâ priuauit impium Siſara Iudic.4. ſic peſſimum Abimelech Iudic.6. ſic blaſphemum Sennacherib, 4. Regum 19. & hoc loco Tobiæ, & tādem ſic occidit impium Antiochum, 1 Machab 9. non enim diu illos ferre potuit, vnde occidit miſerabiliter ab illis auferendo & vitam, & regnum, ſic exigentibus eorum peccatis. Vt ſemel videas, quàm verum ſit id, quod Sapiens dicit, nempe iniquitatem ſedes euertere potentium.

6. *Nil in mūdo difficilius, quàm diu malum viuere Regem. Curt*

Tu igitur, Chriſtiane, ſiue Rex, ſiue Princeps, conſidera non ſine cauſa Saulem periiſſe à ſeipſo interemptum, 1. Reg. 31. Regem Ela à ſeruo ſuo occiſum, 3. Reg. 16. Regem Zambri cum domo regia à ſeipſo incenſum, ibid. v. 18. Regem Syriæ Benadad à ſeruo ſuo ſtrangulatum, 4. Reg. 8. Regem Ioas à duobus ſeruis ſuis interfectum, ibid. Dies deficeret, ſi repentinos occaſus Regum ex hiſtorijs ſacris recenſerem. Longum edidit de repentina ac violenta morte oppreſſorum Regum ac Principum. D. Hieronymus epiſt. 3. ad Heliodorum ſub finem, vbi ait: *Conſtantius Arianæ ſautor, hereſeos, dum contra inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam, in Moyſi viculo moriens magno dolore, hoſti reliquit imperium. Iulianus proditor animæ ſuæ, & Chriſtiani iugulator exercitus, Chriſtum ſenſit in Media, quem primùm in Gallia denegarat: dumq́ Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos. Ioninianus guſtatis tantum imperialibus bonis, fœtore prunarum ſuffocatus interijt, oſtendens omnibus quid ſit humana potentia. Valentinianus vaſtato genitali ſolo, & inuitam patriam derelinquens, vomitu ſanguinis extinctus eſt. Huius germanus Valens Gothico bello victus in Thracia, eundem locum & mortis habuit & ſepulchri. Gratianus ab exercitu ſuo proditus, & ab obuijs vrbibus non receptus, ludibrio hoſtis fuit, cruentaq́ manus veſtigia parietes tui, Lugdune, teſtatur. Adoleſcens Valentinianus, & penè puer, poſt fugam, poſt exilia, poſt recuperatum multo ſanguine imperium; haud procul ab vrbe fraterna mortis conſcia, necatus eſt, & cadauer exanime ſuſpendio infamatum. Quid loquar de Procopio, Maximo, Eugenio, qui vtique dum rerum potirētur, terrori Gentibus erant: omnes capti ſteterunt ante ora victorum, & (quod potentiſſimis quondam miſerrimum eſt) prius ignominiâ ſeruitutis, quàm hoſtili gladio confoſſi ſunt. Regum talis conditio eſt. Feriúntque ſummos fulgura montes.*

Longa ſeries Regum ac Principum violenta morte oppreſſorum.

Adeoque

7. Adeoque Christiane Princeps mundi inconstantiam, & humanam instabilitatem ex his considera, & aliorum malo edoctus ad hoc labora, vt felicem sortiaris vitæ exitum. Præclarè Bern. epist. 217. ad Eugenium Pontificem: *In omnibus operibus tuis memento te esse hominem; & timor eius qui aufert spiritum Principũ, semper sit ante oculos tuos. Quanterum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tua certissima & citissima decessionis admonent, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Iugi proinde meditatione inter huius præsentis gloriæ blandimenta memorare nouissima tua, quia quibus successisti in sedẽ, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.*

Modus pro Principibus bene moriendi, est assidua mortis cogitatio.

Cùm olim coronaretur Imperator, sepulchrorum constructores quatuor aut quinque ad eum deferebant marmoris frusta, varij coloris, inquirentes ex quo vellet sibi construi sepulchrum: quo suæ mortalitatis admonebatur, & vt prudenter imperaret. ita refert Leontius in vita S. Ioannis Eleemosynarij, vbi pariter narrat S. Ioannem curasse sibi fieri sepulchrum, sed imperfectum reliquisse, & in mensa assidenti sibi iussisse à suis suggeri: *Monumentum tuum vsque hodie imperfectum, Domine, iube ergo vt id finem accipiat. incertum enim est quâ hora fur ingrediatur, nempe mors.*

Exempla Imperatorũ, qui sic piè obdormierunt.

Ferdinandus Castellæ & legionis Rex Catholicus & pudicus, anno Domini 1065. vti refert Lucas Tudensis, & ex eo Baronius, sentiens se deficere, ab Episcopis & viris religiosis delatus est ad Ecclesiam cultu regio; ibi fixis genibus ad altare ait: *Tua est potestas Domine, tuum est regnum. Regnum quod te dominante accepi, & quamdiu voluntati tuæ placuit rexi, ecce reddo tibi. tantum animam de voragine ipsius mundi ereptam, vt ipsam ad te suscipias, deprecor.* Et hæc dicẽs, exuit regalem chlamydem, quâ induebatur corpus, deposuit & gemmatam coronam, quâ caput ambiebatur, atque cum lachrymis solo prostratus, pro delictorum venia, Dominum attentiùs exorabat. Tunc ab Episcopis acceptâ pœnitentiâ, Extremæ Vnctionis Sacramento perunctus, induitur cilicio pro ornamento regali, & aspergitur cinere pro aureo diademate, cui vitali in pœnitentia permanenti coram prædicto altari, duobus diebus à Deo viuere datum est. Sequenti autem, quæ erat sancti Ioannis Euangelistæ, inter manus Pontificum, cælo tradidit spiritum, anno Christi 1065.

Carolus V. Imperator, memor conditionis suæ humanæ, diu ante mortem administratione Reipublicæ se sponte submouit; & cùm in filium iam validum æui & animi, curas contulisset, secessit in Hispaniam, & in S. Iusti monasterio, septem à Placentia milliaribus se abdidit, cum duodecim duntaxat familiaribus, Deo & quieti vacaturus; interdixit autem aliter se quàm Carolum appellari, Cæsaris atque Augusti nomina cum rebus animo exuens, & totum hoc honorari contemnens. Imò hoc amplius ferunt, diu ante imperium à se abdicatum, sarcophagum sibi construi iussisse, cùm funebri supellectile deportandum, clanculum rámen, quocumque iret, quem paratum habuit apud se quinque annis, vbicumque locorum esset. Arbitrabantur autem quidam, qui circa eum erant, thesaurum aliquem illic detineri & conseruari: alij aliquid librorum, quibus historiæ veteres continentur: alij aliud, quidquam magni. Cæsar verò sibi conscius, in quem vsum secum deferret, subticendo, in rei cuiusdam sibi omnium charissimæ vsum id secum deferri dicebat; sic assiduè mortem ante oculos sibi proposuit, & sibi semper capulum funebrem adesse voluit, vt perpetua mortis cogitatio eximeret à corde vanum huius mundi fastum; sanctas autem actiones agendas, dum viueret, admoneret. Ita inter alios refert Lypsius lib. 2. Monit. cap. 14.

SECTIO XLII.

Quod Deus varijs modis iustos ab iniustitia Principum ac tyrannide liberet, eosq; restituat.

IOBIAS post mortem Sennacherib reuertitur in domum suam, quam deserere coactus fuerat ob tyrannidem Sennacherib, qui ad mortem vsque eum persequebatur, spoliatis prius omnibus eius bonis; omnisque facultas residua illi restituitur, interuentione & operâ alicuius Aulici apud Regem Asarhaddon grati. Mirum quid, quomodo Deus suorum curam gerat. Verissimè dixit Regius Propheta Psalm. 145. *Beatus vir cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Qui custodit veritatem in sæculum, facit iudicium iniuriam patientibus.* Beatus, inquit, ille est, qui in hac vita Deum verum adiutorem & protectorem habet Beatus ille est, qui spem suam ponit in Deo vero; quia nullus sperantium in Domino confusus est, Eccles. 2. nam obseruat promissa, quibus addixit auxilium, sperantibus in se, & iustè iudicat causam, quam habent iusti aduersus iniquos. illos punit, iustos coronat. Varijs id practicat modis. Terrificis vtique visionibus, varijsque pœnis afficit iustos persequentes aut affligentes, vt Sanctorum commodis inseruiant. Clarissimè hoc testatur Regius Propheta Psal. 104. vbi recenset beneficium Dei, quo Patriarchas peregrinantes singulari prouidentia custodiuit, & protexit: *Pertransierunt*, inquit, *de gente in gentem,*

1.

2.

Deus iniurum & Patriarchæ protector & tum,

vindex, immittendo nempe tyrannis terribiles visiones.

tem, & ad populum alterum. *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges.* Quando neceſſum fuit Abraham, Iſaac, Iacob Patriarchas peregrinari de vna prouincia in aliam, de regno Palæſtinæ ad populum regni Ægypti non permiſit Deus hominem vllum, nocere eis, quin etiam quando Reges poteſtatem habentes aliquid in eoſdem tentarunt, corripuit.

3. Exemplum Abrahæ.

Sic Abraham varijs temporibus varia luſtrans regna, & à varijs periculis ereptus eſt; & eius cauſa aut puniti, aut increpati Reges. Deſcendit ipſe in Ægyptum ob famem, rapitur Sara vxor eius à Pharaone, quam dixerat ſororem eſſe ſuam more videlicet gentis ſuæ, quæ neptes ſorores, nepotes fratres vocat, Geneſ. 13. verſ. 18. *Flagellauit autem Dominus*, inquit ſacra Pagina, *Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham*, per ſterilitatem videlicet tam hominum, quàm animalium, quod Saram inuitam rapi iuſſerat; aulicos etiam & domeſticos, qui ad Saræ raptum & detentionem concurrerant, & inuerant, ſimili plaga affecit. Intelligens autem Pharao ex reuelatione Dei, iuxta Chryſoſtom. Saram eſſe vxorem Abrahæ, eandem illi intactam reddidit, præcepitque domeſticis ſuis, vt ſaluum deducerent Abraham, & vxorem illius, & omnia quæ habebat. Idipſum fecit Deus ſecundo, cùm in Geraris Abimelech Rex abriperet Saram vxorem. *Venit enim Deus ad Abimelech per ſomnium noctis, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tuliſti: habet enim virum.* Vnde compunctus Abimelech tulit *oues & boues, & ſeruos, & ancillas, & dedit Abraham, reddiditq; illi Saram vxorem ſuam, & ait: Terra coram vobis eſt, vbicumq; tibi placuerit, habita. Sara autem dixit. Ecce mille argenteos dedi fratri tuo Abrahæ, ſcilicet quem fratrem tuum vocas: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt, & quocumq; perrexeris; mementoq; te deprehenſam*, quaſi dicat: Hos argenteos tibi dono, vt habeas vnde velamen emas ſi deſit, & memineris vultum & oculos tuos velare apud eos qui tecum familiarius verſantur, ne aſpectu tuo moueantur, neque apud hos tantùm, ſed apud quoſlibet quocumque terrarum perrexeris, mementoque te in ſimulatione deprehenſam, vt ſemper vera ſine ambage loquaris, nec eum fratrem tuum dicas, qui maritus ſit, ne quis hac occaſione adulterium meditetur. Vult Pineda in Salomone præu. lib. 5. cap. 3. numer. 10. ſolitas virgines nudo eſſe capite, at nuptas vel deſponſatas ſeu matrimonio deſtinatas velis ac theriſtris vſas; hinc reprehendi hic Saram quòd ſuo more incedendi ſimulauerit ſe necdum nuptam, atque adeò multis & erroris & adulterij cauſam præbere potuiſſet. Et ſic ad interceſſionem

Mendo in Tobiam.

Abrahæ ſterilitatem abſtulit Deus.

Item Iſaac.

Sic Geneſ. 26. cùm Iſaac, orta alia fame ſuper terram, proficiſceretur ad Abimelech alium Regem Palæſtinorum in Gerara, *apparuit illi Dominus, & ait: Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in terra quam dixero tibi, & peregrinare in eam, & benedicam tibi.* Et cùm ſediſſet in agro à Geraritis conducto, *inuenit in illo anno centuplum*, non per ſationem, nec per agrorum ſterilitatem, ſed per miraculum: ita vt Dei beneficio ex vno modio à ſe ſeminato meteret centum modios. *Habuit quoque poſſeſſiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum.* Vnde inuident ei Geraritæ puteoſque eius obſtruunt, & ipſe Abimelech Rex eum iubet à ſe recedere. Cùm autem poſtea aduerterent alibi eundem benedici, Abimelech Rex, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum venerunt ad illum locum, vbi videlicet Deus Iſaac apparuerat eum confortans, & Iſaac altare ædificauerat. Et cùm Iſaac rogaret: *Quid venistis ad me, hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis?* reſponderunt: *Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos diximus. Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali.* En quanta mutatio! Mox hominem abire fecerunt, & nunc inire volunt fœdus, ne noceat. Quomodo ita mutati à ſeipſis? Non aliter credo id factum, quàm Deo animos eorum conuertente & illuſtrante, nec enim aliter quàm diuino inſtinctu ſic reſipuerunt, cùm nemo eos ſollicitaſſet.

atque Iacobi.

De Iacob conſtat multo magis Deũ ſuos defendere & protegere, & hoſtium furorem comprimere. Fugerat clam Iacob cum tota familia ex Haran in Chanaan. Inſequitur eum Laban, ſed à Deo compeſcitur. Vidit vtique in ſomnis dicentem ſibi Deum: *Cave ne quidquam aſperè loquaris contra Iacob*: Nihil loquaris, quod diſplicere poſſit Iacobo, nec quod iuſtum tibi videtur, nec quod iniuriosum. Indè poſt iurgium aliquod, fœdus init Laban cum Iacob. Deinde defendit ipſum Deus ab Eſau fratre, qui illi magnâ ſtipante ſuorum multitudine obuius occurrit; & iterum à Sichimitis, quos filiorum exulcerarat grauiter inopinata crudelitas: ac tandem ne quid peregrinus homo à Regibus, virisq; potentibus, per quorum tranſibat fines, aliquid pateretur acerbius, Deus omnium animos pauore concuſſit, Geneſ. 35. v. 5. *Cumq; profecti eſſent* (nempe Iacob, & filij, atque domeſtici) *terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Immiſit Deus hunc ſacrum, & quaſi panicum terrorem in Chananæos, ne ex Sichem abeuntem, & quaſi fugientem Iacobum auderent inuadere, & vlciſci ſtragem Sichimorum: Vide, ait S. Chryſoſtom, quid mereatur timor Iſaac &

Iacob, quo ipſe timuit Deum, ſcilicet vt viciſſim Deus faciat eum omnibus terribilem.

4. *Perſonæ deſertæ Deo curæ ſunt.*

En quomodo perſonæ derelictæ Deo ſpecialiter curæ ſint: *Dominus*, inquit regius Propheta, *cuſtodit aduenam, pupillum & viduam ſuſcipiet*. Cùm Ioſeph iniuſtè detineretur in carcere, Deus eius curam geſſit. Immiſit vtiq; Pharaoni viſiones ſpicarum & boum, vt harum occaſione de vinculis Ioſeph eriperetur, ad ſummam dignitatem eueheretur, & familia patris ſui Iacob tempore famis aleretur. Cùm Saul rex Dauidem virum iuſtum in Ziphæorum ſolitudine incertis ſedibus vagantem intellexiſſet, neque difficile putaret illum in ſuã poteſtatem redigere, præſertim cum Ziphæi omnem operam promitterent, aduolat Saul cum delecta ſuorum manu. Cumque eò adductus eſſet à circũfuſa turba Dauid, vt nulla ſe aperiret ad ſalutem via, ſuperuenit inexpectatus nuntius ad Saul, dicens: *Feſtina, & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſtiim ſuper terram. Reuerſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid, & perrexit in occurſum Philiſtinorum*. 1. Reg. 23. Res planè mirabilis, & à ſingulari atq; beneuola Dei prouidentia profecta, quæ argumentum præbuit Dauidi, vt Pſalmum caneret quinquageſimũ tertiũ, cuius principiũ eſt, *Deus in nomine tuo ſaluum me fac*. Et meritò. Cùm enim nihil haberet Dauid in ea ſolitudine, quod Saulis caſtris vtrimque diſpoſitis vtiliter opponeret, miſit Deus ad illius ſubſidium armatas Palæſtinorum manus; qui, quo tempore, vt hoſtẽ ſuum Dauidem opprimeret Saul, regnum totum à militari præſidio nudauerat, eruperunt ipſi de finibus ſuis, vt Hebræorum fines latè deprædati, copioſas in regionem ſuam reportarent exuuias. Tunc verò licet inuitus Saul, cùm res laboraret, & vrgeret publica, neque populi precibus poſſet non acquieſcere, relicto Dauide, quem iam tenere ſe manu arbitrabatur, aciem abduxit, quam Palæſtinorum viribus opponeret, & locum reliquit à milite, atque timore vacuum. Ille autem locus propter ſingularem hanc Dei erga ſuos prouidẽtiam, vocatus eſt *Petra diuidens*. Populus namque aduertit ſingulare illud fuiſſe Dei in Dauidem beneficium, quia ibidem Saul deſtitit inſequi Dauidem, & cùm iam coronato monte militibus circumcirca diſpoſitis, parum abeſſet, quin illum comprehenderet, ab eo tamen conſilio, ac loco ſeparatus eſt; & qui iam propè erant vt ſigna conferrent, diuiſi ſunt.

Dauid quaſi à manu ſcipula à Saule, eius manibus eripitur miraculoſè.

5. *Verba Pontificis Leonis, Deo ſeruata, Attilam tyrannum domuerunt.*

Mirum eſt, qua ratione Leo primus perſuadere potuerit Regi Hunnorũ Attilæ, poſtquam Aquileiam trienni obſidione captam diripuerat, & incenderat, ne Romam, quo ardenti furore rapiebatur, inuaderet. Nam cùm Attilas Romam ipſam, Pontificij caput imperij iam iam depopulaturus intraret: ecce tibi Leo Magnus & Pontifex Maximus, qui ſui memor nominis, *Quaſi leo confidens abſque terrore erat*, Prouerb. 28. v. 1. & quaſi *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebat occurſum*. Prou. 30. v. 30. Deo prius per vota & ſacrificia nuncupato, occurrit obuius, nullo militari ſatellitio cinctus; ſed vnico orationis præſidio munitus: & truculentum manſuetus affatur ac precatur, vt iras ponat, minas auferat, vires molliat, pugnas auertat, ſua Romam pace ac tranquillitate frui patiatur. Mirum dictu! Tam facili interceſſione commotus, redit ad mentem amens, iratus miteſcit, furibundus placatur, & à tota Italia, nunquàm amplius rediturus abſcedit. Sed interrogatus à ſuis, quid eſſet, quod præter conſuetudinem tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, ingenuè confeſſus eſt, ſibi cõſpectos fuiſſe prope Leonem humiliter loquentem, duos Apoſtolorum Principes Petrum, & Paulum terribiliter fulgurantes; qui ſibi, niſi Leoni cederet, exitium minabantur. Ita Deus tyrannum compeſcuit. Sic ferè Eutropius l. 15. de rebus Romanis, Platina in vita Leonis, & alij prodiderunt.

Summus Hebræorum Pontifex inermis Alexandrũ expugnauit. Dei interuentu.

Cùm Alexander Macedo Syriâ multis partibus expugnatâ Hieroſolymam inuaderet iam iam expugnandam, Iaddus ſummus Hebræorum Pontifex, ſuſis prius ad Deum precibus, & ſacrificijs ritè procuratis, obuius procedit, pontificio in habitu venerandus; præeunte Sacerdotum agmine, ſacerdotalibus veſtibus candidato. Quid verò Alexander, armatus cum inermibus pugnaturus. *Vidit*, inquit Ioſephus l. 11. Antiq. c. 8. *Sacerdotes in veſtitu byſſino, Pontificemq́, in ſtola hyacinthina auro diſtincta tiaram in capite geſtantem, cum præfixa lamina aurea, inſculpta Dei nomine: ſolus ad eum accedens, nomen illud adorauit, & ſalutauit Pontificem*: mirantibus, qui circumſtabant, Syriæ Regibus, & vix credentibus, Regem mẽtis compotem, qui ab omnibus adoratus vnum Hebræum Pontificem adorauit. Sed diuina vis precibus & ſacrificijs exorata Imperatorem proprijs viribus fœrocientem, & partis victorijs exultantem preſſit ac domuit.

6. *Tobias, mortuo Sennacherib, operã Achiacharo eiuſdem ad reſiduum honorum domuit.*

Paradoxa ſunt hæc, & quæ prouidentiam diuinam, eiuſq́ protectionem ſuper iuſtos mirificè conuincunt. Verùm hac ratione à tyrannide Sennacherib non liberauit Tobiam ſed per mortem Sennacherib manu filiorum illatam. Tunc enim reuerſus eſt in domum ſuam, deſerens hoſpitium, quo Aſſyrij eum dignati fuerant, omnisq́ facultas ei reſtituta eſt. Addit Græcus textus, à quocumque ille ſit, Achiacharum quemdã ex Iſraëlitide gente, Tobiæq́ cognatum fuiſſe, apud illum, qui poſt Sennacherib Aſſyriorum regnum occupauit, gratioſum, & nobile inter aulica miniſteria munus obijſſe, cùm Regi eſſet à poculis, & ab annulo, quod ſummæ beneuolentiæ

lentiæ ac fidei argumentum est. Hic ergo impetrauit à Rege, qui tamen non videbatur in Hebræorum genus admodum affectus, vt ex capite sequenti fit satis verosimile, vt in patriam rediret, & ablatas facultates sibi vendicaret Tobias.

7. *Tyrannos plus æquo sæuientes in iustos, Deus tandem punit.*

Sic solet Dominus excessum tyrannorum plus æquo sæuientium opportuno tempore punire, & suos eripere. Licet enim suos nonnihil exerceat, ipsisque tyrannis vtatur Deus, nonnunquam pro tempore tanquam instrumentis & flagellis ad castiganda fideliũ peccata; tamen quando excedunt metam diuinæ vindictæ, plusque nimio sæuire volunt, citò eos é medio tollit. Sic Pharao monitus à Moyse, monitaque contemnens, cùm acerrimè Iudæos opprimit in latere & luto, post mensem vnum vitâ & regno spoliatur. De Rege Babylonis (quẽ adducturum se dixerat Deus super Iudæam in eorũ castigationem) dicitur Hierem. 25. quod finito spatio septuaginta annorum exilij, franget eius & Chaldæorum potentiam, & subibunt tale exitium, quale ipsi inuexerunt Iudæis, in verbis: *Cumq; impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regẽ Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum: & ponam illam in solitudines sempiternas*, id est, Cùm à captiuitate quadragesimus aduenerit annus, visitabo, manu nempe vltrice, atque seuera, peccata Regis Babylonis, & earũ gentium, quæ cum illo in Iudæorum nomen coniurarunt. Denique sic omnes Chaldæorum prouincias populabor hostiliter, vt nihil in eis spectetur aliud, quàm sempiterna quædam solitudo. De hoc Rege Sennacherib, qui virga furoris Dei nominatur Isa. 10. quia excessit in punitione Dei, hæc Propheta nomine de ipso prædicit: *Et erit*, inquit, *cùm impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius*, quasi dicat, Posui in Assyrij manibus virgam, atque furorem meum, non ad omnia, quæ ipse vellet, sed ad illa tantùm, quæ ego omninò destinaueram. Nempe vt in Iudæa ciuitates subiugaret alias, & thesauris suis exueret Ierusalẽ. Hoc ego opus solum impleri volueram ab Assyrio in Sion & Ierusalem. Cùm autẽ plura tentauerit, seuerè puniam superbos eius spiritus, & altitudinem oculorum, quibus omnes, quasi longè sibi impares contemnit, atq; despectat. Licet enim ipse virga esset, & flagellum Dei, tamen castigationem Iudæorũ, quàm Deus iustè intendebat, ipse tyrannicè exequebatur, nec Deo, sed suæ ambitioni seruiebat: adeoque limites à Deo designatos vltionis trangressus erat, plusque sæuiebat in Iudæos, quàm ei à Deo concessum, vt vel ex hac historia satis patet.

Mauden in Tobiam.

Ezechiel Vates ca. 25. quatuor edit vaticinia, sibi quàm simillima in totidem Gentes, quæ iam antea dudum, & nunc proximè rem Israëliticam, & Iudaicam hostiliter infectatæ sunt. In Ammonitas videlicet, Moabitas, Idumæos, & Palæstinos, quibus grauem minatur plagam, pro eo quod res Iudæorum vexarunt crudeliter, & in illorum exultarunt, atque triumpharunt incommodis.

8. *Funestus finis manet hæreticos nimiùm sæuientes in Catholicos.*

Notent hæc tyranni, notent hæretici, qui plus æquo in iustos & Catholicos sæuiunt. Vindicem enim Dei manum suo tempore experientur: *Va*, inquit Isaias cap. 35. *qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Et qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cùm consummaueris depredationem, depredaberis. Cùm fatigatus defieris contemnere, contemneris.* Verba hæc sunt ad Sennacherib, & hunc habent sensum: Væ tibi, ô Sennacherib, qui populabundus ex Iudæorum finibus prædas agis; nam tu quoque tuis spoliatus ornamentis alijs eris prædæ. Cùm negotium absolueris quod à Deo tibi datum est, vt Iudæorum prouincias vexes, & exhaurias, te quoque idem manet casus, & infortunium.

Cùm expertus in caput tuum vltricẽ Dei manum, contemnere desieris; quos priùs nullo habebas numero, tunc non solùm ab alienis, sed etiam à domesticis vile putaberis, & odiosum caput. Allegoricè Sennacherib fuit exemplar tyrannorum, & omnium Ecclesiæ hostium, quos Deus terribili clade, & morte puniuit, & puniet. Vnde illis hoc tonitru cõperit, & horrendum illud. *Va.* Nero spreuit sanctum Petrum, & Paulum, & illos, multosque fideles obtruncauit, primus in Christianos persecutionem mouit: spretus est & ille à Deo, ab Apostolis, à Senatu, à populo Romano, qui in necem eius cõspirauit, ipsumque ad mortem manu suâ sibi consciscẽdam adegit. Domitianus, Aurelianus, Decius, Maximianus, Iulianus, Valens Arrianus, alij, vexarunt, occiderunt Christianos, sed funestus illis non defuit finis. Sennacherib in Israëlitas, & peculiariter in Tobiam sæuijt, sed miserabiliter à filijs occiditur, Deo in vindictam id permittente. Canere poterant illi: *Adiutorium nostrum in nomine Domini. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Hoc ipsum sperare potest Christianus à persecutione hæreticorum, quia *nullus speranit in Domino, & confusus est*, vt verissimè dixit Siracides Eccles. 2. & in Tobia nostro experti sumus.

Libri TOBIÆ Capitis ſecundi

SYNOPSIS.

TOBIAS in die ſolenni, menſæ, quam ſuis inſtruxerat accumbit. Audit quemdam ex contribulibus in foro iacere iugulatum, feſtinanter ſurrexit impranſus, & cadauer domum tulit, poſt ſolis occaſum inhumandum. Ab illa mortuorum cura neque amicorum preces, neque mortis pericula eum diuellere potuerunt. Fatigatus dormiens ex hirundinum decidente ſtercore excæcatur. Patienter eam tulit, neque amicorum irriſione, liberoque conuitio conceptam in Deum fiduciam dimiſit, ſed pro verbis impijs, atque procacibus documenta præclara & ſalutaria monita rependit. Vxor etiam graui in illum reprehenſione bacchatur, quod hedulum, quem illa ex opere textrino domum portauerat, putaret furtiuum, & ſuis Dominis reddi vellet.

CAPITIS SECVNDI

VERSVS. PRIMVS.	PARAPHRASIS.
Poſt hæc verò cùm eſſet dies feſtus Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ.	Poſtquam Tobias ad domum ex qua profugus abierat, & ad opes quæ reliquæ manſerant, redierat; redijt quoque ad inſtitutum vitæ, & genus miſericordiæ nam cum in feſto ſolenni conuiuium inſtruxiſſet.
Verſ. 2. *Dixit filio ſuo, vade & adduc aliquos de tribu noſtra timentes Deum, vt epulentur nobiſcum.*	*Verſ.* 1. Præcepit bonus pater obſequenti filio, vt ad conuiuium accerſeret è ſua cognatione ac tribu viros religioſos aliquot, quibus indulgeret, vt anteà, communes epulas.

SECTIO PRIMA.

Quid in hoc conuiuio exhibito in die feſto ad laudem Tobiæ? Et vnde ortum quod Hebræi diebus feſtiuis extruerent conuiuia?

1. POSTOLVS Paulus 1. Cor. 10. præcepit Corinthianis: *Sine mãducatis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod exactè obſeruauit Tobias noſter, qui non leui de cauſa hoc conuiuium inſtruxit: Sed primum vt detergeret mœrorem contribulium. Non enim ſufficiebat illi, quòd reſtitutus in domum ſuam; ſed contribulatis compaſſus, illos hoc epulo voluit recreare. Idque in die feſto iuxta morem Hebræorum, qui diebus feſtiuis lætum animum induebant, & triſtitiam omnem exulare faciebant, vt patet 2. Eſdræ 8. vbi conuenerat multitudo populi die ſolenni, & Neomeniæ ſacro, quæ cum ab Eſdra legem audijſſet interpretari, ita affectus eſt populus, vt neque lachrymas cohibere, neque gemitum continere potuerit: ſed conſolati ſunt eum Nehemias & Eſdras, dicentes: *Dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro, nolite lugere, nolite flere.* Et paulò poſt: *Sanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari*, quaſi dicat: Licet exules Babylonij (qui iam

T. bidt ſues contribules recreat conuiuio.

Apud Hebræos moris erat, diebus feſtiuis conuiuia extruere.

iam pridem nihil de lege audierant) noua rei cognitione ex ipsa violatæ legis conscientia deterriti, flendi habeatis iustam rationem, non expedit tamẽ in solenni die, & Deo consecrato indulgere lachrymis, & illum quodammodo eiulatu incestare lugubri, & merenti vultũm reddere prophanum.

2. *Quanti meriti sclari afflictos.*

Ad hunc, inquam, morem voluit Tobias contribules consolari mæstos. Res magni meriti; propterea Syracides Eccles. 7. animæ fideli præcipit solatio afflictis patrocinari: *Ne desis*, inquit, *plorantibus, & cum lugentibus ambula*: Planius Isaias Vates de hoc merito pronuntiat cap. 54. *Cùm*, inquit, *effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, oriatur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies*, id est, Cùm viscera misericordiæ, seu intimos affectus compassionis communicaueris afflictis, eosque cibo, consolatione, & lætitiâ repleueris, in medijs calamitatibus orietur tibi libertas, lætitia, & prosperitas tãta, quanta est lux in meridie. Sicut enim immisericordia, & inhumanitas diem terris aufert, tempestates concitat, & totã machinam cõturbat: ita ex aduerso misericordia diem, lucem, & pacem orbi adfert, hilaritatem & bona omnia restituit.

3. *Laude dignũ, conuiuia instruere ad confirmandã inter contribules charitatem.*

Neque minor laus est Tobiæ, quod hoc conuiuium instruxerit ad confirmandam inter contribules charitatem, sicut Ioseph 43. Genes. lautè & benignè idcirco conuiuio excepit fratres: vti & filij Iob ea de causa vicissim, & per ordinem inuitasse creduntur sorores, cap. 1. *Et ibant*, inquit sacer textus, *filij eius, & faciebant conuiuium per domos vnusquisq; in die suo, & mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.* Illa enim per orbem iterata conuiuia annuente, vt apparet, & probante patre, satis insinuabant felicitatem Iobi ex filiorum ingenuis moribus, & docebant inter illos bene conuenire, abesse inuidiam, & illam intercedere charitatem, quæ facit communes esse facultates, communes gaudendi atque dolendi causas, eoque adigit concordes, vt officij certent & amoris illecebris multo ardentius & constantius, quàm illi, qui odio inter se diffident, & in mutuam cædem impotenter anhelant, certant armis & bellicis machinis. Laudat hunc morem tanquam parentibus gratum Hierocles apud Stobæum serm. 77. dicens: *Cæterùm animis parentum nostrorum lætitiam imprimis procurabimus: qua maximè inde oborietur, si probi fuerimus, & si dies noctesq; cum eis conuersemur, & si nihil impediat, ne etiam simul ambulemus, si-mul vngamur, simul deniq; edamus & bibamus.*

4. *Conuiuiorũ finis fuit, vt inter cognatos obiri solita illum haberent vsum vel maximum, vt si aliquid inter illos esset dissidij, componeretur ibi amicorum & cognatorum arbitrio; nec deduceretur ad forense tribunal, & distraheret animos, quos natura melior antè conglutinarat. Fuit sanè conuiuij quoddam genus, quod Græci vocauêre charistia, cui illi tantum accumbebant, quos coniungeret sanguinis, generisque communio. Vbi laudabant concordes animos, & malè illis precabantur, qui vinculum à natura constrictum seditione, atque odio, natura ipsa repugnante, dissoluerent. De quo charistico, & propè dixerim eucharistico conuiuio egit. Valerius lib. 2. c. 1. *Conuiuium*, inquit, *solenne maiores instituerunt. idq; charistia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensa & inter hilaritatem animorũ fautoribus concordia adhibitis tolleretur.* Hoc planè consilio Tobias conuiuium continuauit inter contribules, vt amorem, quem inseuit sanguinis communio, consuetudo aleret atque perficeret. Ita credere iubet viri pietas.

tos tollerentur dissensiones, & foueretur charitas.

5. *Eo de causa Christus instituit conuiuium sui corporis & sanguinis*

Porrò Christus Dominus, vt mutuam inter Christianos foueret charitatem, conuiuium illud præstantissimum Corporis & Sanguinis sui, nobis voluit esse commune, vt satis probant verba. D. Pauli 1. Cor. 10. vbi agens de communicatione Corporis Christi, addit. *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.* Vnde & Concilium Tridentinũ Eucharistiam vocat *signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis atque concordiæ symbolum*, sess. 13, c. 4. Et hac de causa in primitiua Ecclesia diuites solent ad imitationem cœnæ Christi, ante cœnam Eucharisticam instruere cœnam communem omnibus Christianis, tam pauperibus, quàm diuitibus in mutuæ & Christianæ charitatis symbolum. Quod postea censent aliqui fieri solitum post sanctam Communionem, quando videlicet, Ecclesia sanxit, vt Eucharistia ob reuerentiam non nisi à ieiunis sumeretur.

Et olim inter Christianos Agapæ celebrari solita.

6. *Tobias pios & pauperes inuitauit, quod laude dignum est.*

Rursum non minima in hoc Tobiæ laus est, quòd pios & pauperes ad prandium vocarit, id est, diuino oraculo sese conformare. Primum enim præcepit Syracides Eccles. 9. dicens: *Viri iusti sint tibi conuiua, & in timore Dei sit tibi gloriatio.* In quem locum Iansenius: *Sicut cum prudentibus sunt iucunda consilia* (de quo proximè egerat Sapiens) *sic cum iustis agitanda conuiuia, cum quibus ea celebrare licet in timore Dei & gratiarum actione; cùm iniustorum societas Dei timore destituta, in conuiuijs promouere soleat iocos, ineptias, cachinnos, garrulitates, detractiones præter comessationem & ebrietatem: neglectum Dei, & interdum etiam eius blasphemiam*, &c. Et Prouerb. 23. Salomon, *Noli esse in conuiuijs peccatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Quem locum exponens D. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 25. mysticè accommodat ad detractores, dicens: *Scien-*

Detractores à conuiuijs arcendi.

dum quoque eſt quòd hi qui aliena vita detractione paſcuntur, alienis proculdubio carnibus ſaturantur. Vnde per Salomonem dicitur: Noli eſſe in conuiuijs potatorum, neque comedas cum eis, qui carnes ad veſcendum conferunt. Carnes quippe conferre ad veſcendum eſt in collocutione derogationis viciſſim proximorum vitia dicere, de quorum illic pœna mox ſubditur. Quia vacantes poculis, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. Potibus vacat, qui de opprobrio aliena vitæ ſe inebriant. Symbolum verò dare eſt ſicut vnuſquiſque ſolet pro parte ſua cibos ad veſcendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed vacantes potibus, & dantes ſymbolum conſumentur, quia ſcriptum eſt, omnis detractor eradicabitur.

7. *Reprehenduntur qui morones à luſque eiuſdem farinæ homines imitant.*

At quantum diſcrepamus à Tobiæ facto, & Syracidis ac Salomonis præceptis, qui non raro mortones, ac ſcurras, vel etiam viliſſimos homines abſque vlla ſecretionis moderamine ſubſtituimus: & quod æquè deplorandum eſt ardeliones, & colaces, ſufurrones, cicadis vocaliores, & timarum plenos hac atque illac perfluentes, inelegantiores Libethriis, hircis laſciuiores, & alienæ famæ calumniatores. A quibus quid non mali? Nam vt ait Seneca l. 3. de ira: *Sumuntur à cõuerſantibus mores: & vt quædam in cõtactis corpore, vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus conuictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus, fortémque etſi liceat virum emollit. Auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit. Eadem è diuerſo ratio virtutum eſt, vt omne quod ſecum habent, mitigent: Nec tam valetudini profuit vnlu regio, & ſalubrius cælum, quàm animis parum firmis, in turba meliorum verſari. Quares quantum poſſit intelliges, ſi videris, ſeras quoque conuictu noſtro manſueſcere, nullique immani beſtiæ, vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt.* Hoc idem præclarè docet Plutarchus in commentario de ratione dignoſcendi verum amicum ab adulatore. *Tantam habet vim aſſidua conſuetudo, vt imprudenter etiam, imitemur vitia eorum, quibuſcum viuimus: ſic Platonis familiares, eius gibbum imitabantur; ſic Ariſtotelis amici, balbutiem eiuſdem exprimebant; ſic Alexandri Macedonum Regis neceſſarij, ceruicis inflexum, & vocis in dicendo aſperitatẽ effingebant.*

Imbuuntur conuerſantium mores.

8. *Magna merces manet eos, qui pauperes inuitant.*

Poſterius, nempe pauperes inuitandos eſſe, ſingulariter commendauit Chriſtus Luc. 14. v. 12. *Cùm facis*, inquit, *prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neq; vicinos diuites; ne forte & ipſi reuocent te & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Chryſoſtomus rem hanc amplificans hom. 1. ad Coloſſ. inquit, *Audi quid Chriſtus in Euangelio dicat: Si quando conuiuium facis*, inquit, *ne voces amicos tuos, neque vicinos tuos, ſed claudos ac mutilos. Meritò: nam multa ex illis merces eſt. Sed ne ferre quidem potes, vt cum claudo ac mutilo comedas? Graue hoc & intollerabile putas ac detrectas? Maximè quidem non oportebat eos auerſari, verumtamen non eſt neceſſe, vt ſimul cum eis comedas. Etiamſi non collocaueris eos tecum ad menſam, mitte tamen illis eſcas de menſa tua. Etenim qui amicos ad prandium vocat, nihil magni facit. Recepit enim in hac vita mercedem. Qui verò mutilum vocat & pauperem, Deum habet debitorem.* Et paulò pòſt: *Pauperem ſanè & mutilum ſi vocaueris, numquam peribit conſuetudo. Nam debitorem habes Deum, qui perpetuò reminiſcitur, & numquam oblitioni traditi. Quanta verò mollities fuerit, dic quæſo, cum pauperibus non poſſe ad menſam ſimul recumbere? Quid dicis? Immundum eſt pauper, inquis, ac ſordidus. Laua ipſum, & ita duc ad menſam tuam. Sed indumenta habet ſordida, & ſqualida? Permuta cum tuis, da illi ſtolam mundam. Non vides quantum hic ſit lucri? Chriſtum per ipſum ad te venit, & tu erga ipſum parum es, & ſordidus.*

Qui pauperes inuitat, Deum habet debitorem.

9. *Cur in die feſto apud Hebræos conuiuia celebrari ſolerent.*

Quod autem in die feſto conuiuium Hebræi inſtruxerint, ortum eſt ex eo, quòd Deus voluerit Iudæos celebrare ſua feſta & victimas cũ gaudio, vt ad illa Hieroſolymam libentiùs & crebriùs redirent, vtque eos magis inciteret ad gaudium ſpirituale, quo coli vult Deus, & ſic in lætitia quaſi perenni, cum eo feſtum ineamus, quod in cœlo conſummabimus. Hoc inſinuant verba Deutero. 12. *Et comedetis ibi in conſpectu Domini Dei veſtri, ac lætabimini in cunctis, ad quæ miſeritis manũ vos, & domus veſtra*, quaſi dicat, In tribus feſtis, quibus Ieroſol. conceditis, comedetis ex hoſtijs pacificis coram tabernaculo, epulando ex ijs oblatis, quæ labore veſtro peperiſtis vobis coram Domino. Eaque cauſa fuit cur Eſdras & Nehemias loc. cit. in feſto neomeniarum noluerunt ſuos contriſtari. Et ſolennioribus diebus, quales ſunt Calendæ, Saul Rex cognatos & Principes ad communem ſecum menſam vocauit, vt videre eſt 1. Reg. 20. vbi ſic Dauid ad Ionatham: *Ecce Calendæ ſunt cras, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum.* In illis autem lætari ſolitum innuit illud Numer. 10. v. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis*, id eſt, Cùm epulum ſolenne & ſacrum habueritis ex hoſtijs pacificis; ſiue etiam quod fit præuio ſacrificio, quale erat in conſecratione Regum, tunc clangetis hiſce tubis: ſimiliter & in calendis, id eſt, in neomenia, ſiue nouilunio, puta die primo menſis lunaris, qui Iudæis erat feſtiuus. Patet etiam ex lib. Eſth. cap. 9. v. 22. dies feſtos fuiſſe epularum atque lætitiæ. In feſtis quoque Chriſtianorum ex gentilium commutatis, conuiuia vſurpari ſolita, vide Diſc. 59. in I. Præcept. n. 6. & 7.

SECTIO

SECTIO II.

An neceſſarium inuitare pauperes? Et an aliàs licitum fidelibus adornare conuiuia?

1. VIDERI poſſet alicui ex ſupradictis neceſſarium eſſe ad conuiuia pauperes inuitare. Et fortè ex Luc. 16. ſumere quis poſſet argumẽtum, quòd diues epulo legatur in inferno ſepultus, qui pauperem Lazarum reliquit ad oſtium. Vnde diſtinctionis gratiâ dico, per ſe non eſſe illicitum in cõuiuijs pauperes omittere; quandoquidem varijs de cauſis ſoleant inſtrui apud fideles conuiuia, videlicet olim in ablactatione infantis, vt Geneſ. 21. Abraham, in ouium tonſione, vt 1. Reg. 11. Nabal. 2. Reg. 14. Abſalõ, in læto nuntio, vt Eſth. 9. in nuptijs, vt pluribus locis Scripturæ conſtat: in amicorum aduentu, & alijs pluribus de cauſis; ad quæ familiares & amici vocari ſolent, omiſſis pauperibus. Vide 2. Reg. 9. vbi Dauid tanquam magnam gratiam concedit Miphiboſeth filio Saul frui eius mensâ, cùm ait ad Siban: *Miphiboſeth autẽ filius Domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam.* Et 2. Reg. 19. vbi Dauid volens gratificare Berſellai octogenario, qui præbuerat illi alimenta, cùm moraretur in caſtris, offert illi ſuam menſam. Quod & quotidie videmus gratitudinis ergo aliis contingere. Quod autem orbis, & viri pij frequenter uſurpare ſolent, non habet rationem cenſuræ.

Non eſt neceſſarium omninò inuitare pauperes.

2. At inquies, Chriſti verba aliud ſonant Luc. 14. verum eſt, ſed nõ ad neceſſitatẽ; at benè ad meritum. Chriſtus enim Luc. 14. indicat dumtaxat magis meritorium eſſe, pauperes ad epulum accerſere, à quibus nulla expectanda eſt retributio, vti ſuperius ſatis inſinuat Chryſoſtomus: Ideo enim Nehemias 2. Eſd. 5. quia alienos tractarat in menſa, orat Deum vt talia ſibi præſtet, qualia ipſe præbuit atque indulſit indigenti populo in verbis: *Memento mei Domine in bonum ſecundum omnia quæ feci populo huic.* Et in laudem Euilmerodach recenſetur 4. Reg. 25. quod Ioachimum olim Regem Iſraël extractum è vinculis amicè complexus ſit, & regum in modum ad mortem vſque proſecutus, in verbis: *Sublenauit Euilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachim Regis Iuda de carcere. Et locutus eſt ei benignè: & poſuit thronum eius ſuper thronum Regum qui erant cũ eo in Babylone: Et mutauit veſtes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem ſemper in conſpectu eius cunctis diebus vitæ ſuæ. Annonam quoque conſtituit ei ſine intermiſſione, quæ & dabatur ei à Rege per ſingulos dies, omnibus diebus vitæ ſuæ.* Et 2. Eſd. 8. in laudem quoque Nehemiæ & Eſdræ commemoratur, quod curam habuerint egentium, vt illi epularum eſſent participes, in verbis: *Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparauerunt ſibi.* Eſtheris etiam loco cit. narratur in laudem Mardochæi, quod voluerit Iudæos quotãnis in feſtis, quibus vlti fuerãt de inimicis ſuis epulari, & dum luctus & triſtitia in hilaritatem conuerſa eſſent, pauperum recordarentur, dum ait ſe conſtituiſſe duos dies feſtiuos, vt eſſent dies iſti epularum atque lætitiæ, & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur.

Eſt meritorium inuitare pauperes.

3. Nolo mihi obijcias epulonem diuitem epulantem ſplendidè, & ſepultum in inferno non enim condemnatus eſt Epulo, quòd geniales duxerit dies, ſed quòd Lazarum pauperem præ inopia tabeſcentem ante fores neglexerit: *Non communicare pauperibus*, inquit, Chryſoſt. hom. 2. de Lazaro, *eſt rapinam in illos exercere, illorúmque fraudare vitam.* Idque probat longè antè per illud Iſaiæ 3. *Produxit terra prouentum ſuum, & non intuliſtis decimas, ſed rapina pauperis eſt in domibus veſtris*, addens: *Quoniam*, inquit, *oblationes ſolitas non dediſtis, rapuiſtis ea quæ ſunt pauperis.* Amos cap. 6. Optimates Iſraëlis meruiſſe exitium, quòd pauperes contemnerent, dum ipſi epularentur; nam cauſam reddens exilij, & cœdis intentatæ, annectit: *Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, &c. Bibentes vinum in phialis, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*, quaſi dicat, Hæc euenient Samariæ Principibus, & Iſraëlitici regni proceribus, qui exquiſitis cibis ſtomachum explentes, & in vaſis pretioſis vinum bibentes flocci pendebant, quid interea mali pateretur Ioſeph, nimirum decem tribus, quæ partim iam durè vexatæ fuerant, & partim nihil non ab hoſte vicino formidarè poterant. Imò Paulus non alia de cauſa taxat Corinthios 1. Cor. 11. quàm quòd refrigeſcente charitate, ac multitudine fidelium creſcente, agape ſeu epulum commune etiam pauperibus ante ſynaxim in abuſum abierit. Nam diuites priuatim ſuam cœnam præoccupabant, & inſtruebant ſumptuoſiſſimè, etiam ad ebrietatem; pauperibus verò vel excluſis, vel non exſpectatis, multo minus inuitatis, vt ſatis clarè exprimit verſus 33. vbi ait: *Itaque fratres mei, dum conuenitis ad manducandum, inuicem exſpectate.*

Epulo condemnatur ob contemptum Lazari extremâ laborãtem penuriâ.

Corinthij diuites redarguuntur, quòd in agapu ſuis contemnerent pauperes.

4. Ad alterum quæſitum quod attinet, ſcio à pleriſque damnari conuiuia, & omninò à fidelium cœtu exterminanda iudicari, quòd vix vllum legatur antiquitùs celebratum, in quo non inſigne aliquod malum noterur perpetratum. Conuiuium, inquiunt, celebrauit dæmon, Geneſ. 3. inuitans primos parentes in Paradiſo, ad comedendum de fructu vetito

Vates certiſſimè affirmat

A pluribus damnantur conuiuia, propter eorum abuſum.

&tu vetito, arboris ligni vitæ, at exinde quæ pœna? quod contagium? quæ infectio dimanauit in totum genus humanum? Conuiuium Noë quid non agitauit Geneſ. 9. Is inebriatus, iacens in Tabernaculo, nudus aſpicitur à Chamo filio, in quem ideò perpetui maledicti ſententiam tulit, ad poſteros vſque deriuatam. Conuiuium Loth commercium induxit cum filiabus, & quem Sodoma nõ vicit, conuiuium ſtrauit. Conuiuijs filij Iob identidem vacabant, Iob. 1. quorum rroxas, etiamſi ſollicitus pro liberorũ ſalute Pater, holocauſtis atque ſacrificijs expiaret, tandem tamen domo corruente, ruinis omnes oppreſſi, caſu infeciſſimo occũbuêre. Abſalon in conuiuio Ammon fratrem trucidauit, eò quòd olim Thamar ſororem ſuam oppreſſiſſet. 2. Reg. 14. Rex Pharao in conuiuio, quod ſuis aulicis ac Satrapis exhibebat, ſuſpendi iuſſit præfectum annonæ & piſtorum. Aſſueri conuiuium occaſio fuit, repudiationis Vaſthi reginæ, atque condemnationis Iudaicæ gentis ad crudeliſſimam cædem. Rex Balthaſar à Cambyſe obſeſſus, cum vxoribus ſuis ac concubinis, conuiuio aſſidens, expugnatâ repentè ciuitate, occiditur; concubinæ atque vxores omnes captiuæ, in ſeruitutem abripiuntur. Ex conuiuio, Holofernes temulentus caput amiſit. Quæ omnia quid arguunt? quid important? ſanè vix aliud, quàm periculoſum non modò, ſed & valde damnoſum eſſe, conuiuia exercere. Quare homini Chriſtiano non eſſe licitum autumant, conuiuijs operam dare. Hinc & Auguſtum Cæſarem, conuiuiorum licentiam Romanis ademiſſe ferunt, non alia de cauſa, quàm quòd ſciebat, ijs plurimùm labefactari, tùm in Deum religionem, tùm in patriam pietatem, atque omnem politicam diſciplinam eneruari. Hinc & Cato ille Cenſorinus, animam agens, harum rerum ſe pœnitentiâ duci conqueſtus eſt; quod diem vnum prætermiſerit, quo nec Deos honorarit, nec communi bono laboris aliquid impenderit; quòd, cùm iter quoddam terrâ conficere poſſet, mari ſe ſummâ crediderit temeritate; quòd ſecretum vxori commiſerit: quòd denique, perſuaſus olim, apud amicum cœnauerit; nam id omnium maximè dedecere arbitrabatur. *Vir enim fortis*, inquiebat, *alienâ mensâ difficile fruetur, abſque læſione libertatis, grauitatis, authoritatis.* Optimum ergo illud Sapientis conſilium, *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.* Eccleſ. 7.

Aegid. Albertin. lib. de compoſat. & conuiuijs ex. Guevara, tit. 3.

5. *Inhumana eſt hæc opinio.*

Sed rigida eſt nimis, ac penitùs inurbana hæc ſententium opinio, minuſque inhumanum iudicium, omninò velle cõuiuia exterminare. Abſurdum enim eſt, propter abuſum rei indifferentis, eius licitum tollere vſum; D. Chryſoſtomo notiſſimum erat delicias & ebrietatem plurimorum vitiorum eſſe fontem; at propterea epulas, & vinum deteſtanda minimè iudicauit. Sic enim de delicijs & ebrietate loquitur: *Nemo*, inquit, *magis amicum* (diaboli) *quàm qui delicijs & ebrietate maculatur: hic enim fons, hæc mater, atque origo vitiorum omnium eſt: hac viâ olim Hebræos in cultum diabolus, idolorum iniecit, hac iniquos amores Sodomitarum inflammauit; hac enim, ait, iniquitas eſt Sodoma, in copia & plenitudine panis luxuriabantur, hac denique viâ mille alij gehennæ traditi periêre. Quid enim deliciarum hac fœditas mali non inducit? ſues ex hominibus facit, immò verò etiam ſuibus multò deteriores. Sus enim in luto voluitur, & ſtercore nutritur: hic verò abominabilem magis ſibi menſam conſtruit, iniquas commixtiones excogitans, & amores nefarios: hic nullo, certè à damoniaco, diſcrimine, ſeparatur: impudens enim & furioſus pariter eſt: & damoniacum quidem omnes miſeramur, hunc verò auertimur, & odimus. Quid ita? quia ſponte furorem ſibi attrahit: & os, oculos, nares, cætera, ſimpliciter ſenſuum inſtrumenta amariſſimas voluptatis conficit cloacas. Quod ſi etiam interiora inſpicias, videbis animam eius ceu hyeme, ac intentiſſimo frigore congelatam adeò atque torpentem, vt nulla præ hyemis magnitudine vtilitas corpori ab ea poſſit affluere. Verecundor apertius enarrare quæcumque à delicijs mala tam viri, quàm mulieres patiuntur: quam conſcientiæ ſinguloru, quæ certum hæc nouit, relinquenda eſſe ſtatuo.*

Hom. 58. in Matth. Ebrietatis mala optimè deſcribuntur.

6. *Infamum eſt deteſtari vinum, propter eius abuſum.*

Hiſce demonſtratis tantum abeſt vt epulas, vinum, aliaque deteſtetur, vt potiùs rideat hominum inſaniam, qui Dei dona criminantur propter abuſum: *Audiui*, inquit, *multos, cùm inſana illa accidunt paſſiones, dicentes: Vtinam non eſſet vinum. O amentiam ſingularem, ô ſtoliditatem inauditam, alij delinquunt, Et Dei tui dona criminaris.* Et immediatè poſt ſic philoſophatur: *Putaſne à vino hoc factum malum? Non fecit vinum certe, ſed incontinentia eorum, qui vino abuſi ſunt. Dicas ergo, vtinam nõ eſſet ebrietas, nõ eſſent delicia: ſi verò dicas, vtinam non eſſet vinum, ordine paulatim progrediens, optabis ne ſit ferrum propter homicidium, ne ſit nox propter fures, ne ſit lux propter calumniatores, ne ſit fœmina propter adulterium, & ſic omnia Dei opera deſtruentur.*

Iudices mittitur gladio in punitionem malefactorũ

Abſurdum meritò iudicat Chryſoſtomus propter abuſum, velle deſtruere vſum. Nam gladius à Deo datus eſt in vindictam malefactorum: Moyſes nomine Dei edixit, *Maleficos non patieris viuere.* Exod. 12. Cùm Moabitæ ob ſuperbiã, aliaque crimina exitium meriti eſſent, & Caldæorum iræ ſubijcerentur, Ieremias Vates Chaldæis maledictionem intentat, ſi negligenter procedant ad executionem: *Maledictus*, inquit, *qui facit opus Domini fraudulenter*, Septuaginta, *negligenter. Et maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine:* Ieremiæ 48. Maledictus, inquit, ſit Chaldæus, cui negotiũ hoc Moabitidis terræ vaſtandæ permitto, Sic hoc ſibi negotium negligenter aſſumat, & ab impio ſanguine armatam ferre manum abſtineat,

Chaldæus grauiter puniendus, ſi inſtitutam nõ exerceat in gentem Moabitidem.

abſtineat. *Principem, qui poteſt punire crimen,* aiebat ſanctus Ludouicus Rex Franciæ, vt in Annalibus iſtius Regni refertur, *nec punit, non minùs coram Deo reum eſſe, quàm ſi ipſe perpetraſſet, ac pietatis opus eſſe, non ſeuitia, iuſtitiam facere.* Et notandum, hoc ſanctum dixiſſe Regem, dum gratiam reuocaſſet capitalem, quam conceſſerat petenti, dum pſalmos Dauid recitaret: annuit primò, ſed ſtatim in illum incidit verſum Pſal. 107. *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore,* à quâ ſententiâ diuinitus motus, ſtatim, reuocatâ gratiâ, iuſtitiam exercuit, proferens verba, quæ retulimus. Vnde non immeritò Ariſtoteles hanc iuſtitiam appellauit, *ſolem mundi,* ſeu *Heſperum:* & Magnus Cato aiebat, eos magiſtratus, qui maleficos pœnis non coercent, non tantùm non ferendos, ſed lapidibus obruendos eſſe, ne ex pœnæ neglectu, ſalus reipublicæ labefieret. Et Gentilium Philoſophus Seneca, *Pinguior mactari victima Deo non poteſt, quàm homo ſceleratus.* Cùm in Regem Annalechitarum nõ animaduertiſſet Saul, ſicut Deus præceperat abſtulit ab eo regnũ: *Pro eo,* inquit Samuel, *quòd abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, neſis Rex,* quaſi dicat, Licet occideris plures Amalechitas, quia tamen non caſtigaſti eos, eo rigore, quo præceperat Dominus, reſeruando Achab Regem eorum viuum, & optimos greges ouium & armentorum, & veſtes, & arietes, & vniuerſa quæ pulchra erant, nec voluiſti diſperdere ea, proiecit te Deus ne ſis Rex; vti ab eo tempore in effectu non fuit; tum quia, vt inquiunt Doctores, pacificè amplius Regnum non tenuit (ſemper vixit in metu, & tremore) tum etiam quia poſtea de inimicis amplius victoriam non reportauit. Veriſſimè Petrus Damianus epiſt. 6. *Planè ſicut benedictione digni ſunt, qui culpas corrigunt, ita nihilominus maledictioni obnoxij ſunt, qui peccatoribus blandiuntur, iuxta illud, Maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine,* Hierem. 48. *A ſanguine quippè gladium prohibet, qui ſe ab inferenda reprobis vltione digna coërcet.*

Iuſtitia vindicatiua ſol mundi.

1. Reg. 15. Saul à Deo reiectus, quia iuſtitiam non exercuit.

Apoſtolus Paulus Rom. 13. vult omnem animam ſublimiori poteſtati ſubditam, & paulò pòſt ſubdit, Principem timendum eſſe poſt delictum, tanquam Dei miniſtrum: *Si,* inquit, *malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram, ei, qui malum agit:* Time, inquit, principem, time magiſtratum, quia poteſtatem habet vitæ & necis, vt illos, qui Rem. perturbant, plectat. Eadem cauſa illis, qui neceſſarium habent Imperium, gladius nudus præfertur, & Romani Conſules lictores cum faſcibus virgarum, & ſecuribus ante ſe ducebant.

Rom. 13.

7. *Ridiculum velle tollere vſum gladij propter eius abuſum.*

Quid ſi iam gladio quis abutatur, carens legitima poteſtate, aut ex odio, aut inuidia fratrem interficiens, vt Cain Abelem, vt Abimelech Iud. 9. vt Iob Amaſa, vt Abſalon fratrem Ammonem; an præterea gladius tollendus eſt? Maneat vſus, tollatur abuſus. Memento quòd illum Chriſtus dumtaxat reprehendẽs dixerit Petro abſcindenti aurem Malco: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium* ſine legitima poteſtate, *gladio peribunt.*

8. Deus cùm tenebræ eſſent ſuper vniuerſam terram, produxit lucem, & voluit vt illa pro tempore, quo hemiſpherium illuſtrat, diem faceret, tenebræ verò noctem. Quarta die voluit luminaria fieri in firmamento cæli, vt diuiderẽt diem ac noctem quo ad ſitum & hemiſpherium, vt dum in vno eſt Sol, ſit & dies, in altero ſit nox & Luna, quæ præeſt nocti, vt pote creata in oppoſito Solis. Diuidere ergo voluit Deus hæc luminaria diem ac noctem, atque hominibus, ac animantibus vices laboris & quietis indicere. Quid ſi fures, & latrones, ac nocturni agrorum depopulatores, nocte abutantur ad ſcelera, furta, homicidia; an propterea Dei ordinationes immutandæ? Quis ſanæ mentis hoc dixerit?

Nox non deteſtanda, quòd eâ abutantur fures.

9. Mulieres bonæ & malæ reperiuntur; an propterea omnes condemnandæ, aut de medio tollendæ? Chryſoſtomus dicit malã mulierem, ſummum & acutiſſimum eſſe diaboli telum: quid hoc ad bonam pertinet? Suo vitio mala eſt, liberum habens arbitrium. Recole ſeriem Scripturæ, & deprehendes malas fuiſſe inſtrumentum diaboli, bonas inſtrumentum Dei: *Per mulierem,* inquit Chryſoſtomus, *adam in paradiſo proſtrauit, & de paradiſo exterminauit. Per mulierem mitiſſimum illum Dauid, vt necem militis ſui innocentis Vriæ Ethæi in epiſtola dolo mandaret, armauit. Per mulierem ſapientiſſimum Salomonem in prœuaricationis ſacrilegium præcipitauit. Per mulierem fortiſſimum Sampſon raſum inductum, raſumque excæcauit: vt virtute crinali, & decoris oculis ſpoliatus, ludibrio foret hoſtibus, quibus fuerat ante terrori. Cum his captiuus molit, quibus dominabatur inuictus. Per mu-mulierem caſtiſſimum Ioſeph, vinculis alligatum detruſit in carcerem. Per mulierem illum totius mundi lucernam Ioannem capite truncauit.* Adde vxores Iob, Tobiæ erga pios maritos diabolo cooperatas; Iezabel, quæ iuſtum Nabuthem per falſos teſtes accuſatum, auaritiæ cauſa, lapidibus interfici iuſſit.

Fœmina mala ſummum diaboli inſtrumentum. Exempla.

10. E contra intuere mulierem Thecuitidem 2. Reg. 14. Abſalonem reconciliantem patri: viduam Sareptanam 3. Reg. 17. fouentem Eliam, Sunamitidem potentem 4. Reg. 4. *quæ virum ſuum deprecata, manſionem edificauit Heliſæo, vt prætereiens, & diuertens ad eos, quod ſæpe conſueuerat, ſecretum haberet refectionis locum: poſuit ergo ei lectulum, vt Scriptura declarat, & lucernam, & menſam. Lectum verò non vtique vacuum tegumentis, ſed habentem competentia ſtrato indumenta.*

Exempla fœminarum bonarum, quæ ſunt Dei inſtrumenta.

Et lucer-

Et lucernam non ſine oleo, ſed cum ſtuppa & oleo habentem lumen. Et menſam non ſine panibus, ſed ornatam cibis non neceſſarijs, ait Chryſoſtomus loc. cit. Iudith nunquid ſalutem attulit ſuis, cùm in ſumma perplexitate docuit quomodo placati debeat Deus, & populũ ad meliorem mentem, & benè de rebus ſperandum admoneri? nunquid inſtrumentum fuit diuinum, cùm ad durum cum Holoferne & Aſſyriorum exercitu certamen idoneè ſe comparat, primùm cilicio & cinere, deinde oratione lõgâ, tum pretioſis ornamentis ſe ornans, cui Deus ſplendorem addidit, qui ita caperet intuentium oculos, vt etiam dignitatem & maieſtatem obijceret. Quò tandem ſecutus eſt triumphus de occiſo Iſraëlitarum hoſte: Eſther nunquid ex conſilio Mardochæi procedens ad Regem, populum iam gladio deuotum à tyrannide Amani eripuit? Quid dicam de Tabitha. Act. 9. quæ viduas & pauperes de ſua ſubſtantia veſtimentis cooperuit? Numquid propter abuſum malarum mulierum, hæ & ſimiles bonæ de medio tollendæ? Inſanum hoc eſt, neque mantus iure de muliere conqueri poteſt. *Mulier* enim *viro data eſt in adiutorium ſimile ſibi*: Neque Iob, neque Tobias ſuas repudiarunt, ſed abuſus corrigere ſategerunt. Quod magis pleriſque incumbit, quàm viris illis iuſtis, præſertim cùm ad correctionem ſæpè contingat mala vxor. Veriſſimè Chryſoſtomus hom. 15. de Decollat. Ioannis baptiſtæ. *Quiſquis habet mulierem malam, cognoſcat quoniam iniquitatum ſuarum portat mercedem: non caret teſtimonio veritatis. Audi denuò ſapientiam dicentem, Mulieri male & iniqua pœna dabitur pro operibus malis.*

Inſanum eſt velle mulieres indiffe renter tollere, propter malas.

11. *Diabolicum eſt vinum criminari, propter eius abuſus.*

Idem Doctor ſupracitata hom. 58 in Matth. propter deliciarum & vini plurima mala, Dei creaturas noluit deſtrui: *Non igitur*, inquit, *ita dicas, mentis enim iſtud eſt diabolicæ, nec vinum, ſed ebrietatem crimineris: & ebrio, cùm in ſe fuerit reuerſus, omni dedecore ſuo prius deſcripto, dicas datum eſſe vinum ad lætitiam, nõ ad turpitudinem noſtram: datum eſt vt rideamus, non vt derideamur: vt rectè valeamus, non vt ægrotemus: vt imbecilla corpora reficiamus, non vt robur animi deijciamus: honorauit te hoc munere Deus, cur dehoneſtas propter intemperantiam bibendi teipſum? Audi quid ad Timotheum dicit Paulus: Modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & crebras infirmitates tuas*: Et paulò pòſt: *Non ad mœrorem, nec ad dolorem, ſed ad lætitiam vinum datum eſt. Vinum enim*, inquit, *lætificat cor hominis: quam eius virtutem vos deijcitis. Nam qua lætitia eſt, ſi non es in teipſo, ſi mille doloribus vexaris, ſi omnia tibi circumferri videantur, ſi tenebris detentus, quaſi febricitans hominibus indigeas, qui olea caput tuum perfundant?*

Pſal. 103.

12. *Conuiuiorum abuſus taxandi,*

Similiter de conuiuijs iudicandum eſt, quia abuſus taxandi ſolummodò veniunt, non vſus bonus. Cùm enim homo ſit animal rationis capax, cui ſocietas cum alijs hominibus quàm maximè conueniat, eaque præſertim in cõmuni vſu cibi ac potus, vt Sectione prima latius deduxi; paradoxũ videtur illum mutuæ benevolentiæ fomitem Chriſtianis eripere, maximè cum Saluator noſter conuiuijs non rarò interfuerit, videlicet Ioan 2. Luc. 7 & 14. eiuſque omnis actio, noſtra ſit inſtructio. Et Luc. 14. implicitè docuerit eſſe licita, per verba, *Cùm facis prandium*, &c. Neque morales rationes, quas adduxi dicta Sectione prima minus locum habent in lege Euangelica, quàm in lege Naturæ & Moſaica?

non tollendus vſus.

13. *Impudicæ comeſſationes ex ſitu.*

Dices, Licet ex his & ſuprà commemoratis abundè conſtet honeſta conuiuia eſſe licita, tamen ſtimulat me, quod Apoſtolus ad Rom. 13. adducit: *Sicut*, inquit, *in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus.* Et ad Galat. 5. conſtituit inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei, comeſſationes. Reſpondeo D. Paulum priori loco dumtaxat vetare comeſſationes, quæ nocturno tempore fiebant, cùm effrene libidine: ideoque ſubiungit, *non in cubilibus, & impudicitijs.* Solent enim noctu Gentiles Sacra facere Baccho per comeſſationes, & conſequenter effrenes libidines, teſte Plutarcho, & Pauſania. Ideoque poſteriori loco, ſeu Galat. 5. ad fornicationem & luxuriam aliaque peccata carnis iungit ebrietatem & comeſſationes, ſeu temulenta & laſciua, ac libidinoſa ebriorum dicta ac facta; vt ſunt turpes cogitationes, cantiones, ſaltationes, verba, actus, oſcula, & quæ ex ijs ſequuntur. Vnde ſolùm abuſus corripit, & à regno cœlorum excludere aſſerit Cùm indifferentia ad malum finem ordinata cenſuram condemnatoriam ſubeant. Hinc enim notatur conuiuium Abſalonis, 2. Reg. 13. ad quod inuitauit fratrem Ammonem, vt eum iam temulentum morti traderet; & illud Luc. 14. vbi Chriſtum Phariſæus inuitans ad prandium obſeruabat, an quid poſſet reprehenſione dignum in eo, aduertere. Sic condemnatur Abacuc. 2. Nabuchodonoſor, quod in die ſolemnis epuli ac publici conuiuij Sedeciam, alioſque principes à ſe captos inebriarit hoc fine, vt ebrij, & vino æſtuantes diſcinderẽt tunicas (fœmoralibus enim non vtebantur Hebræi & Caldæi) ſuas, itaque verenda nudarent: vt hac ratione & probro eos illuderet, omnibuſque conuiuis ridẽdos proponeret, vti Noë ebrius illuſus eſt à filio Cham Geneſ. 9. Aiunt alij id Chaldæis in conuiuijs vſitatum fuiſſe, vt aliorum ſe crapula, nuditate, atque fœditate recrearent, quaſi pars eſſet ſplendidæ menſæ. Et hoc eſt quod taxat in eo Abacuc, dum ait: *Va qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius*, quaſi dicat, Æ-

Conuiuia parum ſæpe ſine exſtructa damnantur.

cap. 2.

terna

terna illi imminet damnatio, qui vinum felle conditum amico propinat, vt eum reddat ignominioſum. Sic Adæ, Loth, Aſſueri, aliorum conuiuia cenſuram ſubeunt ex propria culpa; item Balthaſaris, qui hoſte vicino & vrbe ab eo circumſeſſa ex mira vecordia, vel præſidentia crapulæ indulſit, cum omnibus ſuis, & vaſa ſacra, profanauit, vnde iuſtè in pœnam ebrietatis & ſacrilegij, quo ſacra vaſa menſæ ſuæ adhibendo profanauit, eadem nocte & regno & vitâ ſpoliatus eſt. Multi cenſent Balthaſarem præfiſum ſuis viribus & copijs, ac vrbis munitioni, obſeſſum à Cyro & Perſis indulſiſſe genio, & agitaſſe conuiuia, vt oſtenderet ſe Perſas nõ timere, nec curare: quo modo Epaminondas obſeſſus ab hoſtibus ſibi inſultantibus, iuſſit milites conuiuijs & ludis vacare, vt oſtenderet ſe hoſtium ſannas contemnere. teſtis eſt Diodorus lib. 12.

CAPITIS SECVNDI

VERSVS III.

Cumque abiiſſet, reuerſus nunciauit ei vnum ex filijs Iſrael iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus.

Vers. 4. *Tollenſque illud portauit ad domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.*

PARAPHRASIS.

Dum filius tales accerſit conuiuas, quales optabat pater, renunciauit ei, quod viderat in via, nempe hominem Iſraelitam iugulatum, relictum coruis, canibuſque lacerandam, adeoque egentem ſepulturâ. Quod cùm noſſet pater exiliit quamprimùm è menſa, & ieiunus aduolauit eò, vbi ſtratum eſſe cadauer audierat, allatumque ſeruauit domi, ſpectauitque ſolis occaſum, vt vſus noctis beneficio, tuto atque ſecreto ſepeliret.

SECTIO TERTIA.

Quale contineat hæc ſedulitas ſepulturæ Encomium Tobiæ?

1. *Priſcis patribus magna fuit cura ſepulchri.*

PRiſcis patribus magnam fuiſſe curam ſepulchri patet exemplo Abrahæ, qui Geneſ. 23. Saræ vxori defunctæ quadringentis Siclis argenti probatæ monetæ publicè emit agrum cum ſpelunca dupl'ici ab Ephrone vt vxorem in ea ſepeliret: atqui hæc ſpelunca ſeruiuit ſepulturæ Abraham, Iſaac, Rebeccæ & Liæ; Imò & Iacob in eadem, ex Ægypto transferri voluit. Samuel quoque, Saul, & Ionathas, vt habent Regum faſti honorificè cum ſuis ſepulti ſunt, vt & Joſias Rex, & propheta à leone occiſus, 3. Reg. 13. Rationem aſſignat D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 13. cur honeſtè ſepelienda ſint fidelium corpora, quòd templa fuerint Spiritus ſancti: *Non ſunt*, inquit, *abijcienda corpora defunctorum, maximéque iuſtorum ac fidelium, quibus tanquam organis & vaſis vſus eſt Spiritus ſanctus Si enim paterna veſtis, & annulus, ac ſi quid huiuſmodi tanto charius eſt, quanto erga parentes maior affectus; nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò familiarius, atque coniunctius, quàm qualibet indumenta geſtamus.* Cui conſonat Ambroſius lib. de Tobia *Viuentes*, inquit, *nudos operire lex precipit, quantò magis decet operire defunctos? Nihil hoc officio præſtantius ei exhibere beneficium, qui tibi iam non poteſt reddere. Quid enim honeſtius, quid pulchrius, quàm â beſtijs, & volucribus natura ſeruare conſortem.*

Ratio erat, quòd corpora fuerunt templa Spiritus S.

2. *Mortale eſt peccatum corpora inſepulta permittere.*

Olim ſepulturâ carebant, qui alijs eandem denegauerant.

Iuxta Theologos Bannes 2. 2. q. 32. art. 2. con. 3. Val. t. 3. diſp. 3. q. 9. punc. 2. Sa verbo *Sepultura*, propè finem, mortale peccatum eſt, ſiquis fidelium corpora ſepelire negligat, cùm nullus alius adeſt, qui id officium præſtet, quia opera charitatis & miſericordiæ in caſu eiuſmodi neceſſitatis obligatoria ſunt. Ex ſepulchro aliis denegato certum eſt Iaſonem 2. Machab. 5. ſepulturâ priuatum: Sic enim ibidem dicitur: *Et qui in ſepulcros multos abiecerat ipſe & inlamentatus & inſepultus abijcitur; ſepultura neque peregrina vſus, neque patrio ſepulchro participans.* Et vt auctor eſt Cælius Rodiginus, Duces Athenienſes pœnâ capitis luebãt, ſi quem militem cæſum non ſepelijſſent. Imò lege tum erat apud eoſdem, teſte Æliano lib. 5. vt viator, ſi fortè in aliquod cadauer incideret, illud ſepeliret. Tertullianus ad Scabulam ſcribens,

ſcribens, refert ob ſepulturas Chriſtianis negatas exortam in Aphrica famem, & meſſes fuiſſe malignas. c. 3. Auditis obligationem.

3. Cùm verò tanta ſepulturæ exitat obligatio, quæro, cur Scriptura Tobiam à ſepultura prædicet? Certum eſt, quòd non fruſtra eum à pietate commendet. Exiſtimo igitur eſſe, quòd cum tam notabili ſuo incommodo, ſeu vitæ periculo (obſtabat enim Regis edictum) viriliter huic rei operam nauauit. Id enim non eſſe parui momenti colligitur 2. Reg. 2. vbi Dauid à viris Iuda vnctus & appellatus Rex, vt conciliaret ſibi populi gratiam, non ſolùm ſolennem in Saulis interitum planctum inſtituit, quatenus conſtaret animum ſuum nunquam Saulis commodis fuiſſe contrarium; ſed & gratias egit viris Iabes Galaad, quòd Regis conſuluiſſent honori, & cum vitæ periculo è muris, vnde eſſent ſuſpenſa Regis filiorumque cadauera, ſuſtuliſſent, & ſepeliiſſent, vt inſinuant verba: *Miſit ergo Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixit q; ad eos: Benedicti vos Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliiſtis eum. Et nunc retribuet vobis Dominus miſericordiam & veritatem: ſed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud.* Et hac ratione credo commendari Mariæ Magdalenæ pronã prouidamque ſeduliratem, quòd in tali rerum articulo vnctionem inſtituerit ad Chriſti Domini ſepulturam, Matth. 26. Et ſimiliter Ioſephum Arimathæum & Nicodemum, quòd multis vulneribus conſciſſum ac lacerum Chriſti Domini corpus largiter & liberaliter prius perunctum tradiderit ſepulturæ in ſepulchro, quod ſibi Ioſeph vir diues & nobilis in petra exciderat, idque calente tunc odio & crudelitate Iudæorum, Matth. 27. Et hac de cauſa Act. 8. à D. Luca appellantur religioſi viri illi, qui corpus beati Protomartyris Stephani, populi Ieroſolymitani, atque adeò Scribarum Phariſæorumque furore lapidibus oppreſſi, curauerunt. Et quia paradoxum erat cum tanto terrore cadauera ſepulturæ mandare, paucique iam & tunc inuenirentur, qui Sanctorum corpora ſepelirent, deplorat id Propheta Dauid Pſalm. 78. verſ. 2. & 3. *Poſuerunt*, inquit, *mortalia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli: carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret.* Hinc ergo meritò prædicatur Tobias; nam quò aliquid eſt rarius, eò pretioſius & admirabilius.

Tobias & alij laudantur in Scriptura, quòd cũ ſuo incommodo & vitæ periculo corpora ſepelierint.

4. Ad hæc notat Ambroſius, quòd reliquerit prandium, dicens loco ſuprà cit. *Tobias vir iuſtus, miſericors, hoſpitalis, dum conuiua accerſitur, nuntiatis inſepulti corporis reliquiis, cibum deſeruit: nec putauit pium, vt ipſe cibum ſumeret, cùm in publico iaceret corpus exanime.* Imò Angelus ob eam rem laudauit Tobiam cap. 12. *Quando* inquiens, *orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Accedit quod fides Reſurrectionis magnopere illi fuerit cordi.

Lauat Tobias, quòd ob ſepulturam reliquerit prandium.

Vt vt eſt, videmus Sanctorum corpora ita Deo curæ eſſe, vt ſpiritum in diuerſis excitet, ad ea, non obſtãtibus periculis quibuscunque, ſepulturæ mandanda. Illuſtris erat & feruens zelus Chriſtianorum tempore Iuliani tyranni, qui mori maluerunt, quàm pati, vt oſſa Ioãnis Baptiſtæ apud Sebaſtem Palæſtinæ à Gentilibus cremarentur. Ruffinus lucuples teſtis eſt, qui ſic ſcribit lib. 11. hiſt. cap. 28. *Quidam*, inquit, *cùm tantum nefas humanis quidem manibus, ſed mente ferina fieri videret, mori gratius habentes, quàm huiuſcemodi piaculo funeſtari, inter eos, qui oſſa ad exurendum legebant mixti diligentius ac religioſius congregantes, furtim ſe vel ſtupentibus, vel inſanientibus ſubtraxere, & ad religioſum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere, &c.* vide eundem libro eodem capi. 33. Imò feris hunc ſpiritum quandoque indidit, vt S. Hieronymus narrat in vita Pauli Eremitæ primi: Cùm enim S. Antonio ſarculum deeſſet, quo ſepulchrum effoderet pro S. Pauli corpore humando: *Ecce*, inquit, *duo leones ex interioris eremi parte currentes velantibus per colla iubis ferebãtur, quibus aſpectis primò exhorruit, rurſuſq; ad Deũ referens mentem, quaſi colũbas videret manſit intrepidus. Et illi quidẽ directo curſu ad cadauer beati ſenis ſubſtiterunt, adulantibuſq; caudis circa eius pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes, prorſus vt intelligeret eos plangere quo modo poterant: deinde haud procul caperũt humum pedibus ſcalpere, arenamq; certatim egerentes vnius hominis capacem locum effoderũt, ac ſtatim quaſi mercedem pro opere poſtulantes, cum motu aurium cernice deiectã ad Antonium perrexerunt, manus eius pedesq; lingentes: at ille animaduertit benedictionem eos à ſe precari. Nec mora in laudationem Chriſti effuſus, quòd muta quoque animalia Deum eſſe ſentirent, ait, Domine, ſine cuius nutu nec folium arboris deſluit, nec vnus paſſerum ad terram cadit, da illis ſicut tu ſcis. Et manu annuens eis, vt irent, imperauit: ſicq; illi receſſiſſent, ſancti corporis oneri ſimiles curuauit humeros, & depoſito eo in foſſam, deſuper humum congregans, tumulum ex more compoſuit.* S. Auguſtinus ſerm. 2. narrat corpus S. Vincentii corpus à volucribus defendiſſe.

5. *Sanctorum corpora ita Deo cura eſſe vt alios excitet ad ea ſepeliẽda; & aliquando ſeruet.*

Et quamuis hæc omnibus gratia non ſtatim contingat, Deus tamen ſuo tempore reſpectum Sanctorum habet corporum. Sancto Ambroſio reuelata diuinitus corpora Sanctorum Geruaſii & Protaſij, ſcribit ipſe in epiſtola de hac re, quæ refertur in tomis Surij, Scribit hoc idem S. Auguſtinus libro 9. Confeſſion. cap. 7. Exſtat etiam epiſt. Luciani, in qua ſignificat ſibi diuinitus oſtenſa cor-

ſa corpora SS. Stephani, Nicodemi, & aliorum, vt honeſtiùs ſepelirentur. Hæc probè ſcit Tobias noſter ſepulturæ ſuorum omnem operam impendit. Et meritò; cùm iuſtus hoc officio charitatis verè promereatur vitam æternam.

6. Imitemur itaque Tobiam noſtrum, & quamcumque vtilem operam fidelibus impendamus. Si de ſepultura nunc ſatis cautum inuenus precibus, eleëmoſynis & ſacrificiis: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defuncto exorare, vt à peccatis ſoluantur*, 2. Machab. 12. Et ante omnia ſedulò laboremus, ne ob peccata tanto honore priuemur, quemadmodum Propheta Ieremias cap. 8. & 22. de Rege Ioachim prodit, & caput 14. lib. 3. Reg de Ieroboam, qui ob Idololatriam cum tota familia ſepulturâ priuandus declaratur, quaſi maxima eſſet ignominia, excepto vno filiorum ſuorum, de quo ſacra Scriptura ibi dicit: *Plangent eum omnis Iſrael, & ſepelient: iſte enim ſolus inferetur de Ieroboam in ſepulchrum: quia inuentus eſt ſuper eo ſermo bonus à Domino Deo Iſrael, in domo Ieroboam.* Diſrupit enim hîc ſepta, quibus pater ſuus vetabat Dei cultores ire Hieroſolymam; cùm conſtitueret cuſtodes & obſeruatores viarum, ne quis diebus feſtis iret ad ſacrificandum Hieroſolymam; vt notat Dyonyſius. Dico itaque cauendum ab eiuſmodi peccatis, quæ hanc pœnam merentur, quæ varia ſunt apud quaſque gentes. Apud Ægyptios enim Diodoro auctore libr. 2. qui crimine aliquo aut fœnore tenebantur; in ligneo ſepulchro aut loculo conditi domi ſeruabantur. Apud Romanos verò proſcripti & facinoroſi ſimul & capite & honoris ſepulturæ priuatione damnabantur: cuius rei exempla, tum alij, tum Petrus Faber accuratè colligit lib. 2. ſemeſt. c. 9. & in vniuerſum illi negatæ ſepulturæ pœnâ afficiebantur, qui vel patriæ vel communis pietatis in parentes & liberos, hoſtes haberentur, vt definit Marcellus in L. 35. D. de religioſ. & ſumptibus funerum: atque Neracius in L. Liberorum, D. de his qui notantur infam. De iure verò peculiari, aut conſuetudine Hebr. videndus Hegeſippus lib. 3. cap. 17. de excidio Ieroſolymitano. Illi denique extremo ſepulturę honore priuabantur, qui ſibi crudeles manus attuliſſent ex L. illa Liber. indicata, ex Hegeſippo, & ex alijs; quæ adfert Durantus Caſellius lib. 2. variar. cap. 3. Adde etiam apud Abderitas, vt refert Laertius in Democrito prodigalitatis vitium ſimili pœnâ affici ſolitum.

Cauendum nobis eſt, ne ob peccata honore ſepulchrali careamus.

Apud omnes Gentes facinoroſus aliquis priuatur ſepulturâ.

De auaris quibuſdam ſimile inſinuat Eccleſiaſt. cap. 6. ſic inquiens: *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturâq; careat, de hoc ego pronuntio, quòd melior eo ſit abortiuus.* quaſi dicat, Eſto aliquis omnem felicitatem huius mundi nactus ſit, tum in multa prole, tum in lõgitudine vitæ, tum etiam in poſſeſſione bonorum; ſi tamen ob auaritiam ſe enecat; dum victum & amictum per ſummam inhumanitatem ſibi ſubtrahit & denegat ad mortem vſque, adeoque inſtar ſuſpendioſi, qui ſibi manus crudeles infert iuſtè ſepulturâ priuetur, hoc ego abortiuum feliciorem iudico, qui ſacrâ ſepulturâ carere debet, quemadmodum nunc videmus abortiuos, quòd baptizari non potuerint, à loco ſacro arceri.

Mauden in Tobiam.

SECTIO IV.

Quàm ſit gratum Deo, expeditum eſſe ad opus bonum?

1. *Verum apud Hebræos mos ad menſam ſeſe componendi.*

VARIVS fuit olim mos ad menſam ſeſe componendi. Hebræi olim ad mẽſam aſſidebant, vt docet Philo Iudæus lib. de Ioſeph, cùm explicat illud Geneſ. c. 43. *Sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita ſua*, inquiens: *Iuſſi ſunt ſedere, nondum enim mos diſcumbendi receptus erat.* Neque etiam receptus fuit, cùm adhuc in alieno ſolo apud Ægyptios habitarent, cuius extant veſtigia non obſcura c. 12. Exod. vbi præcipitur Hebræis, vt agnum comedant feſtinanter, non per otium & luxum, & accingant renes ſuos, & habeant calceamenta in pedibus. Cuius rei cauſam volunt aliqui fuiſſe, quòd in triclinariis lectulis ſoliti fuerint menſæ accumbere, quos, ne macularent, calceos exuebant, & pedes lauabant, vt patet Iudi. 9. Poſtea verò morem inualuiſſe accumbendi menſæ, patet Ezechiel. 23. vbi Dominus improperans idololatriam tam decem, quàm duarum tribuum ſub parabola duarum meretricum dicit, v. 41. *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te.* id eſt, quaſi fœmina ſediſti, fœminæ enim viris ad menſam diſcumbentibus, ſeu cubantibus, cœnitabant ſedentes, eò quòd in fœmina turpis eſſet accubitus, vt ait Valerius Maximus, lib. 2. c. 1. liquet quoque hoc loco Tobiæ, & quoad gentiles Eſth. 1. v. 6.

2. *Ad opus bonum non ſegniter procedendũ.*

Itaque de Tobia loco Scriptura commemorat, quod in triclinari lectulo, in quo accumbentes conuiuæ epulis dabant genialem operam, ſtratus iacens, exiliens ſurrexerit, vt mortuo miſericordem impenderet operam. Vtile ſanè documentum, quo inſtruimur ad bonum opus non ſegniter procedere, neque expectare, vt hic vel ille faciat, ſed imitari veteres Sanctos, qui hac in re plurimùm excelluere; vt Abraham, cui non ſatis fuit aduentantes peregrinos humanè benignèque

hoſpitio excipere, ſed attentè eos obſeruat, vltrò eos adit: nam videns tres viros, *cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terram.* Geneſ. 18. Appoſitè in hanc rem Ambroſius lib.1.de Abraham cap.5. *Non otioſus ſedit Abraham in oſtio tabernaculi ſui; ſed longè aſpicit, nec adſpexiſſe contentus, cucurrit obviam. Feſtinauit occurrere; quia non ſatis eſt rectè facere, niſi etiam matures quod facias. Feſtinanter vtique manducare Paſcha lex iubet, vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Diſce ergo quàm impiger eſſe debeas, vt poſsis præuenire hoſpitem, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet. Copia bona eſt hoſpitalitas, habet mercedem ſuam primùm humanæ gratiæ, deinde (quod maius eſt) remunerationis diuinæ. Cauеamus, ne ſi nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hoſpitibus, etiam nobis poſt huius vitæ curſum Sanctorum hoſpitia denegentur. Idenim præmonuit nos Saluator noſter dicens:* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Quod ergo alijs deneganeris, id in te ipſe decernis: & quod alijs detuleris eo te facis dignum videri.* Sic Ambroſius.

Exemplum Abrahami.

Luc. 16.

Ambroſio conſonat Chryſoſtomus hom. 41. in Geneſ. *Currit,* inquit, *& volat ſenex: vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis ſuæ ratione habita, ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilq; ruſticitatis, neque deſidiæ præ ſe tulit, ſed ipſe cucurrit: quaſi diceret, magnus theſaurus eſt magna negotiatio: per meipſum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.* Et longè poſt, *Conſidera quomodo & Sarам venationis ſociam facit, & quomodo eam erudit, vt ſuam imitetur virtutem. Etenim & illam incitat, ne officio ſuo negligenter fungatur, ſed acceleret. Magnam, inquit, negotiationem aſſecuti ſumus, ne perdamus theſaurum. Accelera & miſce tres menſuras ſimilæ. Quoniam ſciebat boni operis magnitudinem, volebat vitæ ſuæ ſociam etiam retribuendarum mercedum eſſe participem.*

Idem Patriarcha vocatus à Deo ad ſacrificandum filium vnicum nullas traxit moras; ſed *de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum.* Verebatur enim, ne votum mora offenderet, aut iuſſionem tarditas impediret: hinc neque diem expectauit, neque vxori horum quicquam communicauit. Philo Iudæus lib.de Abraham, extollit hanc eius obedientiam, eò magis *quòd nulla in ea regione conſuetudo eſſet immolandi liberos. Ipſe primus auctor, inquit, futurus erat noui & inuſitati exempli, quod mihi videtur nemo laturus fuiſſe, etiam ſi ferreum & adamantinum habuiſſet animum: cùm natura enim, vt quidam dixit, pugnare difficillimum eſt. Pater erat factus vnici filij, quem amabat ſuper modum vulgaris amoris, etiam fama celebrati. Aderat vel aliud vehemens amoris incitamentum, quòd in ſenecta ei natus fuerat: nam ſerò natos impotentius parentes adamant; vel quia diu deſideratos; vel quia nullam poſtea ſperant prolem; natura iam effæta, & ad extremum perducta terminum. Præterea è numeroſa prole vnum quempiam offerre Deo, tanquam liberorum primitias nihil mirandum fuerit. cùm præſtò ſit ex alijs ſuperſtitibus liberis haud mediocre ſolatium, & doloris ex vnius interitu concepti leuamentum: cùm verò vnicus offertur, res eſt nullo ſermone explicabilis nullum habens reſpectum conſuetudinis domeſticæ, ſed tota prona ad pietatis officium, eximia ſanè & vix cuipiam alij tentata. Nam alij etſi pro ſalute patriæ vel exercitu, concedunt liberos diis ſuis mactandos, ipſi tamen, aut domi manent interea, aut procul abſiſtunt ab altaribus, aut ſi contingat eos ſacris intereſſe auertunt oculos, & ne ſpectaculi quidem ſuſtinent alienum necis miniſterium, hic verò tanquam Sacerdos ipſe pater amantiſsimus aggreditur mactationem egregij filij, quem fortaſſe etiam, ſacrificiorum ritu, membratim conciſurus erat, adolendum altaris ignibus: adeò cauerat, ne pietate erga filium diſtraheretur pietas Deo debita; totum enim quantus erat, animum Sanctitati deuouerat, nihil curans cognatum ſanguinem. Quid horum quæ diximus cum cæteris commune eſt? Quid non eximium, & quod nullâ poſsit aquari facundiâ? vt merito quiuis ingenium minimè malum aut inuidum obſtupeſcere debeat immenſa huius pietatis miraculo.*

Geneſ. 22.

Famulus ille Eliezer, vt habet cap.24. Geneſ. peracto negotio matrimoniali, pro filio heri ſui Iſaac, *Feſtinus reuertebatur ad domum ſuam.* Dauid 1.Reg. cap.17. aggreſſurus Philiſtæum illum Goliath, feſtinans perrexit: *Cùm ergo,* inquit Textus, *ſurrexiſſet Philiſtæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid; feſtinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſtæi,* quem etiam illico, fundâ iaciens lapidem, deuicit. Abigail 1. Reg. 25. intelligens malum, quod intendebat Dauid aduerſus maritum ſuum Nabal, eiuſque domeſticos, *feſtinauit, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos,* &c. *& poſuit ſuper aſinos, dixit q; pueris ſuis: Præcedite me, ego poſt tergum ſequar vos: viro autem ſuo Nabal non indicauit.* Prudenter enim credidit iracundiam viri, Dei iuſtitiam non operari, & velocē eſſe ad cædem. Vnde rurſum Dauidi cum ſuis deſcendenti in occurſum eius, eo viſo feſtinauit Abigail, & deſcendit de aſino, & procidit coram Dauid ſuper faciem ſuam &c. benignis eum verbis & muneribus, quæ attulerat, placans.

Exemplum Eliezer, & aliorum.

Et profectò quotquot Dei ſpiritum habuerunt, promptos & alacres ſeſe exhibuerunt. Sic Samuel 1.Reg.3. audiens Deum vocantem, dixit: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Petrus & Andreas vocati à Chriſto Domino, *continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum,* Matth. 4. D. Chryſoſtomus hanc obedientiam & promptitudinem obſeruans inquit hom.

3. *Dei ſpiritum habentes ſemper promptos.*

homil. 14. in Matth. *Perpende & fidem & obedientiam vocatorum: ſiquidem in medio huius operis conſtituti (ſcitis autem quàm auida res ſit piſcatio) cùm illum audiſſent iubentem, nihil diſtulerunt, nihil omnino cunctati ſunt. Non dixerunt, Reuertemur domum, loquemur propinquis: ſed cuncta illico relinquentes fecerunt, quod Heliſæus quoque ſub Helia legitur impleſſe. Talem quippe à nobis obedientiam Chriſtus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus, etiamſi nos aliquid neceſſarium vrgere videatur.* Vbi quidem aptiſſimo vtitur exemplo Heliſæi, qui inchoatum arādi opus interrupit, & incuſtoditos boues, quibus arabat, dereliquit: (neque enim, vt ex littera patet, alius quiſquam aderat, qui relictos boues cuſtodiret) ne tardare ad vocantis non tam vocem quàm nutum videretur.

4. *Deus Ieremiæ iubet cuncta ranter Prophetia manus adimplere.*

Imò Deus cùm Ieremiam ad ardua vocaret, & Prophetalem operam, voluit illud negotium ab ipſo non cunctanter ſed expeditè mandari executioni: *Tu*, inquit, *accinge lumbos tuos, & ſurge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi*, quaſi dicat, Accingere, & quod à me mandatum accepiſti, audacter, & non cunctanter, eloquere. Prouerbialis hic dicendi modus eſt, ſtudium acre, & curſum ad agendum liberum & expeditum importans. Sic Deus cap. 38. & 40. Iobum ad difficilium quæſtionum reſponſionem excitans & comparans, *Accinge*, inquit, *lumbos tuos*. Ad huius rei clariorem intelligentiam, nota hunc loquendi modum ortum habuiſſe ex eo quod Orientales omnes, ſicut noſtro etiam ſæculo, habuerint defluentes tunicarum lacinias, quę cùm ad iter, & curſum, aliaſque domeſticas functiones nonnihil poſſent adferre impedimenti, ad zonam reducebantur, & lumbos. Quare, qui aliquid facere iubentur celeriter & promptè præcingi etiam iubentur, aut ſuccinctos habere lumbos, vnde illud vſitatum dominorum ad ſeruos Lucæ cap. 17. v. 8. *Præcinge te, & miniſtra*. Et Elias 3. Reg 18. præcinctis lumbis curſu præuertebat Regem Achab; & dum Petrus ad fugam inſtruitur ex Herodis carcere, præcingi iubetur, ab Angelo Domini; qui percuſſo ipſius dormientis latere, cùm illum è vinculis carceris liberare venerat, dixit: *Surge velociter: & ceciderunt catenæ de manibus eius*, excuſſæ ſcilicet ab Angelo, qui rurſum eundem inſtigans, inquit, *Præcingere, & calcea te caligas tuas*. Cur ita feſtinat Angelus? An verebatur anguſtias temporis, & mortis periculum? An quod excitarentur, qui opus ſuum impedirent? Quis hoc dixerit, cùm ipſe in eis ſoporem continuaret, quamdiu vellet; ſed cohortatione ad agendi celeritatem, & deſiderium liberationis vſus eſt. Sopitum expergefacere, magiſque expeditum reddere voluit, & Angelis ſimillimum, vtpotè qui veloces, alacres, & agillimi Dei iuſſa peragunt: *Mauden in Tobiam.*

Accingere lumbos, quid, & vnde?

Homines expeditis Angelis ſimillimi.

Qui facit, inquit Apoſtolus, *Angelos ſuos, ſpiritus: & miniſtros ſuos, flammam ignis.* Hebr. 1.

Paulus Apoſtolus in templo Ieroſolymis orans, Act. 22. vidit Chriſtum Dominum in extaſi ſibi dicentem: *Feſtina, & exi velociter ex Hieruſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Conferre voluit Apoſtolus, vt apparet ex ſacro textu, ſtudium ſuum in Iudæorum ſalutem; Chriſtus ſciens quod nihil apud illos proficeret (præuidebat enim carceres, & mortem Iudæos machinaturos Paulo, ſi illis prædicaret), iubet illum cogitationes ſuas, laborem & ſtudium ad Gentes velociter & promptè conuertere, ad quas illum deſtinarat. An non poterat Chriſtus, Deus & homo, ipſos conpeſcere Iudæos? Omninò. Cur ergo iubet feſtinare? Quia non ſemper facienda miracula, & vt doceat illum expeditum eſſe ad Dei nutum & voluntatem.

5. *Sponſa à ſponſo monetur feſtinare. Cur?*

Sponſa Cantic. 2. narrat adoleſcentulis, id eſt, amicis, & charis puellis, choro puellarum atque mulierum Hieroſolymitanarum, quæ ei ferè aſſiſtebant, eiuſque amoribus impenſè fauebant, quomodo ad illam locutus ſit ſponſus: *En*, inquit, *dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, formoſa mea, & veni.* Tenerum quid & amatorium ſpirant hæc verba: Quid iaces, inquit, in lectulo ſegnis amica mea, cùm ad nuptias, te, tot commoditates inuitent. Surge, propera. Ecquid eſt, quod te domi cunctantem, & in lectulo ſegniter quieſcentem moratur? Plerique Hebræorum Rabbini ſeu Doctores hæc verba Cantici per allegoriam referunt ad tempus illud, quo Synagoga, id eſt, Eccleſia Iſraëlitica redempta & liberata eſt ex captiuitate & tyrannide Ægyptiorum; Quaſi dicat, ſponſa, in perſona Eccleſiæ ipſius Iſraëliticæ: Vbi venit plenitudo temporis illius diuinitus præfiniti, quo liberanda eram de poteſtate, ac duriſſima ſeruitute Ægyptiorum, mox, ac de repentè viſus eſt mihi dicere ſponſus, vel viſa ſum ipſa mihi audire ſponſum dicentem, *Surge, propera amica mea*, &c. id eſt, Exi citò de Ægypto, feſtina, atque celera, & fuge crudelem illam terram, ſeu gentem Ægyptiorum, quoniam iam tempus illud vehementer optatum aduenit, vt te educam de captiuitate, & ſeruitute iſta dura, & importuna. Sic enim natura comparatum eſt, vt poſt hyemem, poſt pluuias, poſt tenebras, poſt nebulas, ſerenum ac tranquillum tempus aduenial. Nam hyemi ſuccedit ver, & dies nocti, iuxta illud Iob cap. 17. *Poſt tenebras ſpero lucem*, &c. D. Bernardus ex his verbis colligit, non modo quantopere dilectus, id eſt, ſponſus cæleſtis ſalutem & libertatem, ac incrementum ſponſæ ſuæ, id eſt, animæ noſtræ ſalutem deſideret, ſed etiam colligit, atque oſtendit libertatem arbitrij humani

mani tam ad opera naturæ, quàm ad opera gratiæ: *More suo*, inquit, *sponsus vbi dilectam paululum quieuisse persensit, ad ea denuo, quæ vtiliora visa sunt, ipsam trahere non cunctatur, non tamen quasi inuitam. Nec enim quod fieri vetuit, faceret vllatenus ipse. Sed trahi sanè à sponso sponsam, est ab ipso accipere desiderium, quo trahitur, hoc est, desiderium bonorum operum, desiderium fructificandi sponso, quippe cui viuere sponsus est, & mori lucrum. Est enim desiderium vehemens, quod eam non tantum surgere, sed & surgere festinanter sollicitat. Quod quidem significatur hic tot verbis imperatiuis, Surge, propera, & veni: nec parum confortat, quod audit, veni, & non, vade. Per hoc enim intelligit se non tam mitti, quàm duci, & secum pariter sponsum esse venturum. Quid enim difficile sibi, illo comite, reputet?* Vt vt est, insinuant verba, festinandum esse ad opus bonum.

6. *Festinatio in opere bono Deo gratissima.*

Christus Dominus vsque adeò hanc celeritatem vrsit, vt à se vocatum noluerit sepeliendo patri interponere moram, Matth. 8. *Sequere me*, inquit, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, quasi dicat, non sit tibi cura de sepultura patris, sepeliant eũ qui de rebus huius mundi cogitant; tu me iam iam sequere. Rem mirabilem & præter humanam opinionem dixit Christus, docere volens cùm ab eo vocamur, ne vnius quidem diei aut horæ moram, etiam pietatis causa, etiam ad sepeliendum iam mortuum patrem interponere debere, quò minùs è vestigio vocantem sequamur: nullam maiorem posse esse pietatem, quàm ipsum sequi, cùm ne patrem quidem, nisi propter ipsum, sepelire debeamus: *Nescit enim*, vt inquit Ambrosius, *tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Hinc B. Virgo postquam Spiritu sancto cooperante, Verbum incarnatum conceperat, *exurgens cum festinatione abijt in montana.* Luc. 1.

7. *Sedulitas expellit morbos.*

Sed quis fructus huius sedulitatis? Si aues scire, audi Siracidem Eccles. *In omnibus*, inquit *operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Esto, inquit, in omnibus diligens & strenuus, non facilè tibi aduenient quæuis infirmitas; significans plerosque morbos ex desidia nutriri aut oriri. Ea enim melancholiam nutrit, viresque corporis eneruat? diligentia in agendo, quæ coniuncta est promptitudini & alacritati animi, pellit mœrorem, excutit acediam, torporẽ, languorem: inducitque robur, valorem & vigorem angelicum, Hebræus Sapiens Prouerb. 22. affirmat velocitatem ad honores publicos promouere: *Vidisti*, inquit, *virum velocem in opere suo coram Regibus stabit, nec erit inter ignobiles.* Qui, inquit, strenui ac diligentes sunt in negotiis suis tẽporalibus, digni sunt, qui stent coram regibus, ipsisque inseruiant. nam tales ipsi requirunt, nec decet eos barbaris, ac ignobilibus famulari. Eodem modo argumentari possumus de iis, qui in spiritualibus veloces, alacres, & agiles sunt. Vnde optimè Iansenius in cit. locum: *Qui etiam*, inquit, *diuinis legibus gnauiter obsecuti sunt, & summa cum diligentia munus sibi concreditum obeunt, in die iudicij corã summo & æquissimo Rege, ac sanctis Apostolis eius, qui cum ipso orbem iudicabunt, stabunt, & ad dexteram collocabuntur, nec constituẽtur cum ignobilibus damnatis ad sinistram iudicis.*

Homo sedulus dignus honoribus.

Prompti in diuinis, intrepidi stabunt in die iudicij.

8.

Helisæus propheta locuples testis est, expeditos ad opus bonum plurimum mereri. Cùm enim mulier magna Sunamitis liberaliter excepisset Prophetam hospitio, vna die dixit ad puerum suum: *Loquere ad eam* (Sunamitidem) *ecce sedulò in omnibus ministrasti nobis: quid vis vt faciam tibi, Nunquid habes negotium, & vis vt loquar Regi siue Principi militiæ.* Non dixit? *Ecce ministrasti nobis*, sed, *Ecce sedulò ministrasti.* Sedulitatem magis ponderat, quàm ministerium. Sæpiùs diuerterat ad eius domum, sed nunquam dixerat ei verbum, neque vnquam minimam ei retulit gratiam. At quando cœnaculum erexit mulier, mensam, lectulum, sellamque in eo reponens, tunc, non antea, Propheta iussit vocari eam. Tunc acceptauit ministerium, quando cum illo coniuncta fuit sedulitas & diligentia. Tunc, non ante, meruit mulier recipere fructum ministerii sui *Admirabilis*, inquit Theodor. ibid. quæst. 15. & 16. *Sunamitis in Prophetam valde fuit officiosa, cuius officij & cura vicem rependens, eam rogauit Propheta an esset aliquid, quod vellet dici Regi, aut duci exercitus.* Et cùm intelligerent ipsam nullius indigere patrocinio quoad res domesticas, cùm esset mulier locuples & nobilis, cui deesse non poterat à cognatis authoritate valentibus patrocinium, sed illam filium non habere, maritumque senem esse, duobus eandem ornauit, & exhilarauit miraculis. Suis primùm precibus sterili fœminæ, eaque de causa vehementer afflictæ filium impetrauit; quem postea mortuum rediuiuum reddidit parentibus, cùm priùs ad puerilem mensuram magni molem corporis ita coarctasset, vt cum illius membris membra componeret.

Fœmina Sunamitis sui sedulitate procurauit filium.

9.

Zachæus Luc. 19. præcurrens in arborem ascendit, vt Iesum videret transeuntem, & Christus ad illum ait: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Zachæo dixit Christus, Quemadmodum festinasti, vt ascenderes, festina vt descendas, & me recipias. Zachæus vt iussus erat, festinanter descendit, & excepit Christum in domum suam gaudens. Hoc nimirum est diuinæ respondere gratiæ, cõfestim vocantem sequi, non moras nectere, non villam, non iuga boum empta, non vxorem ductam excusare, non ad renuntiandum ijs, qui domi sunt, non ad sepeliendum patrem velle reuerti. *Nemo mittens*

Deus, dum vocat, confestim audiendus est.

manum

manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei. Festinet, qui vocatur, caueat, ne terribilem illam vocem audiat, *Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Prouerb. 1. & *Amen dico vobis; Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam* Luc. 14. Attende quis festinationis Zachæi fuerit fructus? Illum præclarè indicant verba Saluatoris. *Hodie salus huic domui facta est.* Non dicit: *Hodie salus tibi facta est*; sed, *Hodie salus domui huic facta est*, siue vt beneficium amplificaret, significaretque non Zachæum modò, sed vniuersam eius familiam omninò saluatam fuisse: sicut de Cornelio illo dicitur Act. 10. religiosum fuisse, ac timentem Deum, *cum omni domo sua*: & purpuraria illa Act. 16. cum omni domo sua baptizata fuisse dicitur, itemque custos ille carceris eodem, cap. v. 33. & Crispus Archisynagogus Act. 18. 8. sic Euthimius intelligit. Siue vt indicaret domum illam Zachæi, ante illam quidem diem occlusam fuisse saluti, vitijs & fraudibus apertam, illa primum die saluti aditum patefecisse, cùm ingredienti sibi patefecit, secum enim, id est, cum Saluatore salutem ingressam. *Magnum beneficium*, inquit, Augustinus ser. 8. de verbis Apostoli, *Ille arbitrabatur, Christum videre. Qui magnum & ineffabile beneficium putabat transeuntem videre, subitò meruit in domo habere. Infunditur gratia, operatur fides per dilectionem, suscipitur Christus in domum, qui iam habitabat in corde.* Cor Zachæi perspectum habebat Christus, & quia viderat, quàm singulari vsus fuisset diligentiâ, vt vel se videret; accepit plusquam sperabat, qui quod potuit fecit. Quòd festinare iubet, ad magnitudinem pertinet beneficij, *Bis dat, qui cito dat.*

Zachæus sua promptitudine sibi & familiæ salutem procurauit.

10. Quid miramur? Notat Gregor. Nyssenus hom. 5. in Cant. ad verba *Surge, propera amica*, &c. ea non tantum esse suasoria, sed etiam operatoria, atque efficacia, id est, gratiæ efficientia: Quâ quidem gratiâ fit, vt sponsa velit priùs sponsum sequi, atque reipsa eum etiam sequatur: *Surge*, inquit, *& veni. O vis iussu & imperij! est revera vox virtutis. Ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt.* Et paulò pòst: *Audit iussum: verbo cõformatur ac roboratur, excitatur, accedit, appropinquat. Pulchra redditur, columna nominatur.* Quidquid Deus absolutè vult aut iubet, absolutè etiam fit. Exempla Scripturæ id manifestant. Cum Deus in principio rerum Gen. 1. dixit: *Fiat lux*, statim facta est. Cùm Christus Matth. 9. vidisset hominem in telonio sedentem Matthæum nomine illique dixisset: *Sequere me*, subiungit Euangelista, *Et surgens secutus est eum.* Cùm Ioannis cap. 5. vidisset Iesus hominem paralyticum à triginta octo annis iacentem, dixit illi: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*, & *statim*, inquit Euangelista, *sanus factus homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Ecce quanta est virtus, potestas, & efficacia diuinæ vocis, seu mandati: *Mox enim à mandato fit opus ipsum*, vt inquit Nyssenus loc. cit. D. Paulus Act. 9. prostratus in terram, audiuit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et tremens ac stupens dixit: *Domine quid me vis facere?* Verba sunt animi plenè compuncti, humilis, & resignati libere se conuertentis ad Christum. Magna vtique est efficacia gratiæ Christi, quæ subitò ex acerrimo persecutore fecit summum Christi amicum: *Quàm rabida*, inquit, Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. *voluntas, quàm furiosa, quàm cæca in Saule? qui tamen vna desuper voce raptus est, occurrente vtique tali viso, quo mens illa & voluntas, refractâ sæuitiâ, retorqueretur, & corrigeretur ad fidem.* Summam Pauli hostilitatem, in summum Christi obsequium conuertit. Hæc gratia, cui heroicè cooperatus est Paulus, cùm respondit: *Domine, quid me vis facere?* omnes vitiorum habitus, & quasi memoriam è mente sua abstersit, & in alium hominem immutauit, vt ex leone fieret Angelus, ex lupo Pastor, ex persecutore Apostolus: *Iam formatur*, inquit Augustinus, *ex persecutore prædicator, ex lupo ouis, ex hoste miles. Ouis audiat, quid facere debeat.* Hæc, inquam, gratia Paulo Christi amorem tantum indidit, vt qui paulò ante Christum & Christianos volebat occidere, iam pro ijs optaret mori, vitamque omnem pro ijs expenderet. offerens se omnibus itineribus, laboribus, persecutionibus, fami, siti, carceribus, tormentis, mortibus, vt Christi gloriam & Ecclesiam propagaret; adeoque totus videbatur transformatus in Christum. Vnde ait: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Et; *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Quanta sit efficacia diuina gratia.

Deus cùm mandat, simul fit opus ipsum.

Saulus cùm à Deo vocatur, simul conuertitur.

Serm. 14. de Sanctis.

Præclarè nos docet suo exemplo Paulus, cum sentimus diuinas inspirationes, Deumque ad emendationem, & sanctitatem, vel perfectionem nos vocare, non dico tergiuersari, sed neque morari, neq; hærere; at confestim ex animo dicere: *Domine quid me vis facere?* Cùm D. Apostolus hortaretur Romanos ad sedulitatẽ in opere bono, inquit: *Sicut industis membra vestra seruire immũditiæ, iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*: Hoc, inquit, exigo à vobis Romanis Christianis, vt tanto conatu & feruore studeatis indies magis & magis sanctificari, quanto olim studuistis profanari, cùm sedulò ex vna iniquitate rueretis in aliam, & indies scelera augeretis. 11.

Nos longè discrepamus à sedula pietate Tobiæ: nos Sanctorum exemplis non mouemur: nos Apostoli verba flocci pendimus; Diuina relinquimus, temporalia summâ sedulitate curamus, ijsque toti inuigilamus; indeque incurrimus Dei indignationem, nec 12.

Reprehenditur socordia in temporalibus, tardi in spiritualibus.

Iudæi ſedulo domos ædificant in temporalibus ſterilitas intentatur.

quod inſequimur, aſſequimur, imò potiùs ſterilitatem, aliaque mala nobis à Deo extorquemus. Dominus Aggæi 1. increpat Iudæos, quòd priuatas domos ambitiosè fabricarent, neglecto publico ac religioso Dei ſacrario, & dicit illud eſſe cauſam ſterilitatis: *Reſpexiſtis, ait, ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflaui illud: quam ob cauſam dicit Dominus exercituum: Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.* quaſi dicat, Cùm magnos expectaretis ex copioſo ſemine prouentus, multò tamen minus, quàm ſperabatis, intuliſtis; & exiguum illud, quod intuliſtis in horrea, pertenuem vobis vſum attulit: ego enim feci, vt meſſis tota in ſpicas euanidas, aut inanes ſtipulas euanuerit. Huius verò laboris inutilis & caſſi, ea cauſa eſt; quia quilibet è populo ſuam potiùs commoditatem captat, quàm glorię meę ſeruit domui enim exædificandæ aſſiduam nauat, & hilarem operam, interim domus mea, quaſi vile aliquid foret, deſerta relinquitur. Quæ deinceps latius extendit, & cap. 2. magis ſpecificat, dum ait: *Cùm accederetis ad acerum viginti modiorum, & fierent decem; & intraretis ad torcular, vt exprimeretis, quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.* quaſi dicat, An non ex aceruo fruguin, ex quo viginti expectabatis modios, decem retuliſtis? Et cùm ex torculari tantum exprimendum putaretis, quantum quinquaginta lagenas implere poſſet, nihilo plus inde percepiſtis, quàm quod pro vinginti lagenarum menſura ſufficeret? *Penite*, ait idem Vates, *corda veſtra ex die iſta, & in futurum, à die vigeſima & quarta noni menſis: à die qua fundamenta iacta ſunt templi Domini, ponite ſuper cor veſtrum. Numquid iam ſemen in germine eſt: & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum olivæ non floruit? ex die iſta benedicam.* quaſi dicat, Iuſſi vos conſiderare præteritos annos ſterilitatis & aduerſitatis, quibus neglexiſtis fabricam templi; nunc pariter iubeo vos conſiderare annos futuros fertilitatis & proſperitatis, ex eo quod fabricam templi reſumpſeritis: vt ex vtrorumque annotum diſpari euentu, & contraria forte certò colligatis, non aliam cauſam aduerſitatis veſtræ fuiſſe, quàm neglectum templi; nec aliam cauſam veſtræ felicitatis deinceps fore, quàm ſedulam curam & ſtudium templi. Nos feſtinamus per fas & nefas diuitijs temporalibus acquirendis, & non conſideramus nihil ſtabile abſque Deo. Hebræus Sapiens Prou. 20. declarat incrementa fortunarum, quæ citò, adeoque per fas & nefas quærimus, tandem in fumum abitura: *Hæreditas*, inquit, *ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit.* quaſi dicat, Quiſque apud ſe decreuit ocijs diteſcere, id eſt, per fas & nefas plura iniuſtè conquirere; quæ tandem omnia peribunt & peſſum ibunt. Aut potiùs, Hæreditas ante tempus expetita, & accepta (pura cum hæres ante mortem patris portionem ſuam poſtulat) citò perit. Videtur enim antiquitus Iudæis licuiſſe ante mortem parentum eam petere, vt innuit parabola filij prodigi Luc. 16. qui hæreditatis partem à patre præmaturè exegit, accepit, & ocijùs decoxit. Et Prouerb. 28. indicat idem Sapiens feſtinationem pro re temporali acquirendam nimis properam, non carere culpâ. *Vir fidelis*, inquit, *multum ſatiabitur; qui autem feſtinat ditari, non erit innocens.* in quę poſteriora verba ſic D. Grego. Paſt. 3. parte, admo. 21. *Cùm repleti homines cunctis ſimul opibus inardeſcunt, audiant quod ſcriptum eſt. Qui feſtinat ditari, non erit innocens. Profectò enim qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more auium captus, cùm eſcam terrenarum rerum auidè conſpicit, quo ſtranguletur, peccati laqueum non agnoſcit.* Cui conforme eſt quod dicit Apoſtolus 1. Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes multas, & in laqueum diaboli.*

Aggæi 1. cap.

Bona citò acquiſita, citò pereunt.

13.

Torpentes ad ſpiritualia, ſimul & præſentia amittunt.

Verùm ad ſpiritualia torpemus, quamtumuis hoc animæ noceat, ita vt & præſentia bona perdamus, iuxta illud Sapientis Prou. 18. *Qui mollis eſt, ac diſſolutus in opere ſuo, frater eſt operis diſſipantis.* In quæ verba Gregor. Paſtor. curæ, par. 3. admon. 35. *Si inchoata bona fortis manus operantis ad perfectionem non ſubleuat, ipſa operandi remiſſio contra hoc, quod operatum eſt, pugnat. Hinc eſt quod per Salomonem dicitur, Qui mollis ac diſſolutus, &c. Qui videlicet cœpta bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione negligentiæ, munus deſtruentis operatur.* Et Apocal. 3. Chriſtus dicit cuidam in ſe confidenti tanquam iuſto: *Vtinam calidus eſſes aut frigidus: ſed quia tepidus es, &c. incipiam te euomere ex ore meo.* Intentat tepido Deus minas, vt reſipiſcat antequam in grauiora mala relabatur. Communiter enim ſequitur ex huiuſmodi tepiditate, acedia, ſeu triſtia, qua dolet ſe à Deo ita creatum eſſe, vt neceſſariò debeat per fugam vitiorum, & mandatorum obſeruationem ad beatitudinem peruenire, & hinc velle ſe animal irrationale eſſe, & cælum ac infernum ad ſe non pertinere, vt poſſit ſine timore ſuis cupiditatibus ac otio indulgere. Quæ triſtitia grauiſſimum mortale continet, cùm deliberata eſt, quam huius ſæculi vocat Apoſtolus, & mortem operari pronuntiat, dicens: *Triſtitia huius ſæculi mortem operatur.* Continet enim apertum contemptum amicitiæ diuinæ, ac ſtatus filij æternæque beatitudinis, & facit deliberatè violare præcepta, tum iuris naturæ, tum poſitiui, grauiter obligantia: quod amplius eſt, abominari eadem præcepta, Sacramenta, ieiunia, ac alia huiuſmodi ſpiritualia exercitia. vnde morti ſpirituali appropinquat, iuxta illud Pſal. 106 myſticè explicati: *Omnem eſcam abominata eſt anima,*

Accedia quid & quàm grauis peccatum.

eorum

rum, appropinquauerunt vsque ad portas mortis, seu tædio, & languore ita affecti, vt respuant alimoniam cælestem periculo se exponunt ex nausea & fastidio bonorum operum æternùm pereundi. Memento verborum Apostoli, *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita æterna.* Peccatum, inquit, hominem ducit ad mortem, quasi ad finem & stipendium suum: gratia verò, quæ nos a peccato liberat, seruos Dei facit, iustitiæ & sanctitatis, ducit nos ad vitam æternam, quasi ad finem, terminum, & coronam suam. Tu iudica, cui vtilius incumbas.

Rom. 6.

SECTIO V.

Veram prudentiam homini esse necessariam.

1. OBIAS vt nihil deesset operi sepulchrali prudentiam adhibuit. De cadauere securus post solis occasum primùm sepeliuit: quo docuit sine temperamento prudentiæ opus alias bonum vitiari posse. Est nempe prudentia virtus intellectus, quâ in quouis negotio occurrente nouimus quid honestum sit, quid turpe; quid faciendum, quid fugiendum. Quam Hebræus Sapiens omni re pretiosiorem æstimat: *Beatus vir*, inquit, *qui inuenit sapientiam, & affluit prudentiâ. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius.* D. Gregorius Nazianz. considerans hanc esse primam & principem virtutum omnium, inquit: *Malim prudentia guttam, quàm integrum facundiæ fortunæ plagum. Antecedere vtique debet in omni actione, quæ suscipitur, prudentia.* Nam, vti inquit Basilius in Constit. Monasticis cap. 15. *Prudentiâ remotâ, nihil cuiusuis generis quod licet bonum videatur, non in vitium recedat, si aut alieno tempore, aut non adhibitâ moderatione fiat.* Propterea Tobias noster in opere sepulchrali, quod misericordiæ est, eam adhibuit. Non existimauit satis esse, quod cadauer iugulati Israëlitæ relicto prandio, domum inferret, sed occultè id fecit, vt debito tempore illud terræ mandaret, hoc est, *vt dum sol occubuisset; cautè sepeliret illud*, ne, si de die id ageret, magis prouocaret, & exacerbaret iram Regis. Prudēs moderatio, quam in omnibus actionibus adhibere, hominibus cuiusuis conditionis necesse.

2. *Prou. 3. Quid sit prudentia & eius necessitas.*

Tobias prudenter sepelinit de nocte cadauer iugulati.

3. Cùm Gedeon diuinitus in populi Ducem esset assumptus, & confirmatus de victoria obtinēda aduersus Madianitas, iubet primùm abstinere Israelitas à peccatis, & potissimùm ab idololatria, & occasionē colendi victimis Baalem præscindi ex mandato Dei. *Dixit Dominus*, inquit sacer textus, *ad eum* (Gedeonē:) *Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum septem, destrue aram Baal, quæ est patris tui: & nemus, quod circa aram est, succide: & ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ huius, super quem ante sacrificium posuisti: tolleque taurum secundum, & offeres holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succideris.* Sed quid Gedeon? Postquam de ara euertenda Baalis, lucoque succidendo, & tauris immolandis diuinum accepit mandatum, nihil antiquius habuit, quàm vt id sine dilatione, captatâ tamen temporis opportunitate exequeretur. Vnde subdit sacra pagina: *Assumptis ergo Gedeon decem viris de seruis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere; sed omnia nocte complenit.* Iudic. 8. Magna prudentia, etsi certus de diuino mandato: neque dubitaret de euentu, tamen prudentiâ & circumspectione humanâ adhibitâ rem peregit. Noctis videlicet opportunitatem expectauit, ne, si interdiu faceret, ciuitas tota cum familia paterna conturbaretur. Et fortè antequam rem sibi mandatam exequeretur, cum decem viris, quibus maximè fidebat, deliberauit diuine potius quàm nocte peragendam censerent Dei iussionem. De circumstantia vtique temporis, ne verbum quidem ex oraculo perceperat. Scitè Isidorus in quadam epist. lib. 4. *Scopulus ille vitandus est, vbi alter offendit. Pecora ipsa vitare norunt, quæ se lapsisse cognoscunt: itinera illa non repetunt, vbi in foueam corruerunt: Tenaces laqueos auis capta declinat; in retia suspecta auis non incidet. Et omnia, quæ possunt habere cōtraria, faciliter casus assumeret, si curam salutis propria non haberet.* Igitur Gedeon perfectæ prudentiæ specimen edidit, & quod postea docuit Hebræus Sapiens, ipse exēplo monstrauit: *Fili mi*, inquit, *si susceperis sermones meos, & mandata mea, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.* Prouerb. 2.

Gedeon prudentiam adhibuit in succidendo luco & ara Baalis.

Prudentia est, occasiones offensionum amputare.

Prudentia seruis Dei necessaria.

Saul Rex inauguratus, 1. Reg. 10. id probè intellexit, nam cùm quidam illum obliquis intuerentur oculis, & oratione petulanti ac liberâ dicerent: *Num saluare nos poterit iste?* rusticus nimirum homo, & ex minima tribu, eumque despicerent, neque munera offerrent, quibus suum in Regem testarentur studium, neque vlla beneuolentis animi signa præberent; illud dissimulabat se audire. Singularis prudentiæ testimonium. Expediebat vtique, cùm primùm esset initum regnum, conciliare potiùs subditorum animos, quàm abalienare. Cùm autem non posset non esse populo odiosum, & graue, statim accipere durius, & punire illos, qui contra Regem aliquid aut fecissent, aut obloquerentur; neque expediret, vt si quid esset dictum, factùmue liberius, maneret impunitum; fecit prudentius Saul, quàm ab homine rustico expectari posset, vt simularet se nihil accepisse, aut

Saul prudenter in initio regni dissimulauit errata aliquorum.

noſſe illorum, quæ contra ſe obmurmuraſſent filij Belial, ne cogeretur ab illis ſumere ſupplicium, aut probare ea, quæ conſuetudo, aut leges improbarent.

Samuel prudenter Dauidem vnxit in Regem.

Samuel etiam accuratè prudentiæ ſtuduit. Cùm enim Deus illi præciperet 1. Reg. 16. vt alium Regem à ſe deſignatum pro Saule vngeret, reſpondit: *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me.* Iubet igitur illi Deus, vt ſacrificiorum artificioſo prætextu, ne quid grauius aut ſuſpicaretur Saul, aut moliretur, proficiſcatur Bethlehem, & ibi vnum è liberis Iſai Iſraëliticæ gentis Regem ſacra vnctione conſignat. Fecit illicò Samuel imperata. Omnes filios Iſai accerſiri iubet, & Dauidem in medio fratrum vnxit in Regem. Et ſic prudenter omne declinauit periculum.

Dauid cautè à Michol ſeruatus eſt.

Prudenter quoque Michol vxor Dauid filia Saul, cùm ſciret parentem miſiſſe ſatellites in domum mariti, *vt cuſtodirent eum, & interficeretur manè*, virum per feneſtram demiſit; & pro Dauide ſtatuam poſuit ſuper lectum, eamque veſtimentis operuit, & pellem caprinam poſuit ad caput eius: quo eſi parentis fanatico furori, atque odio, & ſatellitum armis eripuit, 1. Reg. 19. Idem Dauid Rex cùm in regionibus Sauli ſubiectis nihil putaret tutum à periculo, prudenter ſe contulit in regionem alienam, & profectus eſt ad Achis Regem Geth, qui inter Palæſtinos Principes erat maximus. Cumque ſerui Achis dicerent: *Numquid non iſte eſt Dauid Rex terræ? nonne huic canebant per choros dicentes, Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia?* Dauid poſuit ſermones in corde ſuo, & extimuit valde à facie Achis Regis Geth; quapropter præuidens non aliter declinandum eſſe periculum, quàm fatuum ſe & amentem ſimulando, *immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantq; ſaliua eius in barbam.* Quo artificio Rex pacatus fuit, & mortem Dauid, quæ iam iam impendere videbatur, effugit.

4.

Præſtat differre facere, aut declinare, quàm incautè malefacere.

Hoc certũ eſt, vbicumq; plus mali oriretur per incautam actionẽ, aut locutionẽ, expedit aut prudẽter differre, aut declinare, aut tacere. Peccauerat grauiſſimè iam dudum Ioab, interficiendo duos Principes exercitus Iſraël, Abner & Amaſam: diſtulit tamen Dauid vindicare eorum cædes vſque ad mortem. qua inſtãte mãdat Salomoni 3. Reg. 2. *Tu noſti, quid fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſraël, Abner filio Ner, & Amaſæ filio Iether: quos occidit & effudit ſanguinem belli in pace, &c. Facies ergo iuxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos.* Omninò iubet vt capitali ſupplicio in illius vitam decernat. Quorſum tam diu diſtulit? Ipſe non obſcurè illud indicat. 2. Reg. 3. vbi Abneris cædem deplorans talia exhibuit illius funeri pietatis officia, qualia exhibuiſſet fratris aut parentis inferiis, & vſque ad veſperam nihil guſtare voluit, vt amici funus ieiunus proſequeretur. Et vt tacitæ aliorum reprehenſioni, vel cogitationi reſponderet, qui in illo requirerent tanti ſceleris vindictam, dixit: *Ego autem adhuc delicatus, & vnctus Rex: porrò filij Saruiæ duri ſunt mihi*, quaſi dicat, Non defuit animus atque ſtudium vindicandę cædis: verùm tener eram, & delicatus, & quaſi infans, qui nondum vires haberet ad opus aliquod in ipſis quaſi regni incunabulis. Vnde non expediebat tunc temporis Rempub. turbari. Ad hæc filij Saruiæ, Ioab, & Abiſai erant ingenio pugnaci ac duro erga me. Et quia exercitui præerant, moliri aliquid poterant, quo res benè conſtitutæ facilè diffluerent. Plurimum autem intereſt in exercitu Imperatoris auctoritas, à quo tota ferè militia pendet; neque minus fortaſſe poterat Ioab in Dauidis caſtris, quàm Abner & Amaſa priùs in Saulis, & proximè in regno Iſboſeth apud milites auctoritatis habuit. Vt autem in Abneris manu regni ſumma fuit, ita vt ſuo arbitratu Iſboſeth & ſuſtulerit ad Regiũ nomen, & ab eo deiecerit: ſic etiam idem perficere poſſe videbatur Ioab, ſi pro meritis vellet Dauid, in illius caput animaduertere. In hanc ſententiam aliquid prodit Ioſephus, qui lib. 7. Antiquit. cap. 12. in hunc modum Dauidem cum Salomone inducit loquentem; *Memento etiam iniquitatis Ioab, qui propter æmulationem duos duces iuſtos interemit: In eum tuo arbitratu animaduertes, quandoquidem hactenus pœnas euaſit, quod me ipſo eſſet potentior.* Prudentiæ ergo fuit ex parte Dauidis, Abneris cædem lugere ad abolendam ſuſpicionem, quâ aliquis ſibi perſuadere potuiſſet eam cædem Dauidi non diſplicere. Prudentiæ etiam fuit differre vindictam vſque ad illud tempus, quo ſilerent arma, nullumque vſum videbatur allaturus Ioab Reipub. id eſt, vſque ad tempus Salomonis, cui Deus dederat requiem per circuitum. Tunc enim ſine vllo Reipub. detrimento potuit Ioab dare pœnas effuſi ſanguinis. Adde quod tunc Ioab, vtpote canus, grandis erat natu, & bellorũ moleſtijs parũ idoneus; cùm non minus annis quadraginta caſtris præfuiſſet, ab ipſo nimirum exordio Dauidici regni, ex quo primùm Dauid conſedit in Hebron, atque ideò cùm illam curam tricenario minor non videretur adminiſtraturus vtiliter, veriſimile eſt, aut annum tunc attigiſſe ſeptuageſimum, aut ſaltem à ſeptuagenario non abfuiſſe procul.

Dauid prudenter diſtulit Ioabi mortem. Cur?

5.

Paulus & Silas prudenter mortem declinarunt.

Sic prudentiam adhibuerunt Paulus & Silas, cùm inſidias ſibi ſtructas declinarunt, Act. 17. Cùm enim multos Theſſaloniæ conuerterent ad Chriſtum, zelantes aliquot Iudæi maleuolos quoſdam aſſumpſerunt è vulgo, qui

go, qui turbâ facta concitauere ciuitatem, & assistentes domui Iasonis, quærebant eos producere in populũ, vt scilicet à populo per Iudæos concitato & furente lapidarentur, vel malè mulctarentur, prudéter se subtraxerunt. *Act. 25.* Idem Paulus aduertens fraudem volentium, vt interficerent in via, dixit Festo pro tribunali sedenti: *Ad tribunal Cæsaris sto: ibi me, oportet iudicari.* Cùm enim aliud tribunal & remedium se vitamque suam tuendi non haberet, prudenter & licitè implorauit auxilium Cæsaris: quia Iudæi, & Romani Gentiles non agnoscebant Petrum, Pauli iudicem esse & superiorem; neque vllo modo tulissent Apostolos à sua iurisdictione eximi.

6. Prudenter quandoque tacetur.

Prudentiæ quoque quandoque est, tacere. Sic Ezechias Rex nuntijs Regis Assyriorum loquentibus blasphemias vetuit populum respondere, 4. Reg. 18. Tobias auditis similiter verbis blasphemiâ plenis ab vxore, nihil respondit, sed ad Deum confugit, Tob. 2.

7. Prudentia præstat fortitudini.

Hebræus Sapiens verissimè proclamat: *Melior est sapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis*: Sap. c. 6. *Plura*, inquit Tacitus 13. Annal. *in summa fortuna, auspicijs, & consilijs, quàm telis, & manibus geruntur.* Sic Dauid non fortitudine, sed prudentiâ maximè deprehenditur conseruasse regnum. Rebellauit aliquando vniuersus Israël contra ipsum, & quod amplius, etiam Iuda in Absalonis rebellione pauci cum eo remanebant. Cùm autem euasisset victor in prælio, & viri Iuda maximè timerent Regis offensionem, non salutarunt Regem, sed manserunt domi, quia perfidiæ, sceleriscque conscientia eos damnabat. Cùm ergo Rex illius tarditatis causam agnosceret, non armis aut vi vsus fuit, vt illos in ordinem redigeret, sed misit sacerdotes summos Sadoc & Abiathar, vt ipsos sibi conciliaret, & siquis esset, ex illorum animis, metum detergeret: *Loquimini*, inquit, *ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum Regem in domum suam*, &c. *Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos; quare nouissimi reducitis Regem?* Quasi enim contribules suos videre cuperet, quorum desiderium diutius ferre non posset, de illorum tarditate ac cessatione, amicâ appellatione queritur. Quod amoris exigui non vulgare argumentum. Imò quia Amasa princeps fuerat in Absalonis exercitu, eaque de causa, aut pudore, aut metu, à congressu Regis deterreri poterat, speciatim illũ accersit, locumque in exercitu principem promittit pro Ioab, idque benignâ admodum salutatione per prætatos sacerdotes, quibus & hæc in mandatis dedit: *Et Amasæ edicite, Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Timuerat Dauid, ne viri Iuda ipsum ab vrbe excluderent regia, quam pro Absalone firmo occupauerant præsidio: atque ideò non armis, non vi, non fortitudine illos compescere voluit, sed summo studio & prudentia per Sacerdotes sibi benigniter conciliare, & exercitus Principem, oblato militum imperio, sibi demereri. Neque sua Regem coniectura fefellit, nam statim Amasa rem totam composuit, &, vt ait sacer textus, *inclinauit, cor omnium virorum Iuda, quasi viri vnius*, eoque adduxit viros Iuda, vt quod aliæ tribus ante fecerant, legatos miserint; ac significarent posse illum in ciuitatem suam, & regiam sedem tutò remigrare. Id enim valet mandatum illud, quod datum est illis legatis: *Reuertere tu, & omnes serui tui.* Neque, vt appareret, ante hæc mandata erat omninò expeditus in Hierosolymam reditus. Nam statim mouit ex vrbe, in qua aliquandiu consederat in terra Galaaditide, & peruenit ad ripas vsque Iordanis. Cui occurrit omnis Iuda ad Galgala, quæ erant prope fluuium, vt Regem, quem antè ignominiosè expulerant, in regiam vrbem cum dignitate reducerent. En quantum præualeat prudentia fortitudini.

8. Roboamus imprudentiâ suâ regnum amisit.

A contrario rem melius dignosces. 3. Reg. 12. petit populus à Roboamo, vt aliquid remittat de tributorum onere, quod à Salomone supra facultates, & vires subditorum videbatur impositũ. Ille cùm aliquid sibi temporis ad liberandum assumpsisset, re cum senioribus communicata, illorum consilium improbat, qui censebant in eo rerum articulo mitius esse agendum cum populo, & iuniorum consilium, qui aliter censebant, temerè secutus est. Consilium eorum tale erat: *Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, tu releua nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.* Prouerbialis est locutio, qua significat se Giganteam habere molem, respectu illius, qui nihilo esset pomilione procerior, aut qui cum elephante comparatus instar diceretur formicæ. Vnde Chaldæus vertit: *Debilitas mea fortior est robore patris mei.* Qua ratione longè alienauit à se populum, qui liberè renunciauit, neque illud onus, neque vllum imperium à genere Dauidico sibi esse subeundum. Proinde suas sibi res curaret Roboamus, neque putaret sibi amplius cum Israele quidquam fore commune. Sic fortitudo Regem ad miseriam redegit, vbi prudentia animos abalienatos conciliat. Pulchrè S. Antonius Abbas Melissæ l. 2. serm. 1. de Rege bono, ait in nullo Regem se principem esse, magis ostendere, quàm in beneuolentia erga subditos, eleganti vtens argumento, nempe patris erga filios, qui nec pater dici potest, nisi filios diligat, quanto magis nec Rex, si suos non amet: *Nihil est*, inquit, *quod sic magistratum ostendat, vt amor, & benevolentia erga eos, qui*

Benevolentia conservat regnum.

Dauid prudentia, non vi regnum sibi conseruauit.

est, qui sunt sub ipsius imperio; nam pater, non solùm procreando, sed etiam diligendo post creationem efficitur, quod si vbi natura est, charitate est opus, multo magis vbi gratia.

9. *Lenitate & prudentia subditi redigantur in ordinem.*

Huic concinit D. Hieronymus, qui epist. 62. ad Theophylum, Moysis principatum lenitati prudentiæque ascribens; ideò diuturnum affirmat, quia lene, quia prudens: *Dux ille*, ait, *Israëlitici populi, qui decem plagis afflixerat Aegyptum, & ad cuius imperium cælum, & terra, & maria seruiebant, inter cunctos homines, quos tunc terra genuerat, mansuetissimus prædicatur, & ideo per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate, & mansuetudine temperabat.* Notent hæc patresfamilias & quiuis superiores, & certissimè experientur lenitatem, mansuetudinem; & benignitatem arma esse prudentis, quibus faciliùs suos in ordinem redigent, quàm vi & imperio. *Melior* vtique *est sapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis.* Multum vtilitatis producit & affert prudentia; nam eam adhibens in quauis occasione, non potest non sortiri bonum exitum.

Verùm vti in temporalibus plurimùm prudentia valet, sic eâ vtens in ijs quæ ad salutem animæ spectant magnâ experietur vtilitatem.

Præclarè S. Prosper lib. 3. cap. 29. de vita contemplatiua: *Cognitio*, inquit, *rerum, quæ de prudentiæ fonte conferitur, spirituales omnes à carnalibus vitijs defæcatos illustrat, & ab omni noxia curiositatis delectatione auersos, desiderio contemplandæ virtutis inflammat, vt humanarum rerum diuinarumq; scientiam consecuti, prudentes ac sapientes veraciter fiant, prospiciant imminentia mala, simul & cauteant, nec putent vlla esse mala, nisi ea quæ malos efficiant, inter fallentia & solida bona discernant, nec ipsi aliis noceāt, nec sibi nocere permittant.* Hæc est vera prudētia Vnde rectè Moyses ad Israëlitas Deut. 32 deplorat eos esse sine prudentia: *Gens*, inquit, *absque consilio est, & sine prudentia: vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent*, quasi dicat, vtinam Iudæi per hostes, & tot plagas à me eis immissas afflicti, ad cor redeant, resipiscant, intelligant, quid sit peccare in Deum, ac præuideant, quid in nouissimo tempore illis euenturum sit, quæque peccati, & impietatis ipsorum sit futura merces, tum in hac, tum in futura vita, vel potiùs morte & gehenna. Nam, vt ait Sapiēs, *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Prudentia spiritum quæ ea efficacia.

Serm. de Apost. Petro & Paulo.

Vtiliter S. Bernardus. *Vtinam saperent*, &c. inquit, *vt* scilicet *æternitatis imago reformaretur in nobis, videlicet, vt præsentia moderemur per sapientiam, præterita per intelligentiam diudicemus, nouissima prouideamus ad cautelam.* Idē epist. 292. *Vtinam*, inquit, *saperes quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi sunt, prouideres quæ inferni sunt; profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt mundi contemneres.* Propheta Baruch. ad Israëlitas in Babylone cōstituros sic loquutus est: *Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi intellectus: vt scias simul vbi longitudo vitæ, & victus: quibus sit lumen oculorum, & pax.* Dixerat Israëlitas in Babylone quasi in sepulchro versari, neque felicitatem experiri, quòd dereliquissent fontem sapientiæ, & à via Dei aberrassent: Iam, inquit, ex hac morte, quæ te iam dudum in exilio vexat, atque consumit; ex cæcitate, quæ te iam pridem tenebris alligauit Babylonis, disce vbi sit virtus, fortitudo videlicet ad resistendum hostibus, vbi prudentia, vbi intelligentis animi constans & vera disciplina; vt etiam cognoscas, vbi sit, vitalis ac diuturna vita, vbi perspicax oculorum acies, vbi denique quies, & bonorum omnium pacifica possessio. *Audi Israël mandata vitæ, auribus percipe vt scias prudentiam.* Baruch. 3.

10. Nos verò de hac virtute parum solliciti, multum discrepamus à Tobiæ nostri prudentia, neque bono operi inhiamus, multò minus vt circumspectè illud exequamur: prudentiam autem huius sæculi dumtaxat amplectimur: Satis nobis videtur prudentiâ quantumuis illicita rebus nostris prouidere. Nostro iudicio plus tribuimus, quàm prophetis, cōcionatoribus, dum malum bonum, & bonum malum dicimus. Tales existebant tempore Isaiæ Vatis, apud quos non tam fas & ius, quàm pecuniarum magnitudo pondus habebat, iudicium habebant venale, corruptique muneribus sceleratos liberabant à culpa, innocentes reos & supplicijs obnoxios declarabant. Satis illis erat, quod largiter viuerent, flocci pendebant, quod cum iustorum depressione. Prudentiam existimabant per fas & nefas indulgere genio. hinc ad illos Prophetа: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Væ, inquit, qui humano & politico vestro consilio vos regitis, non lege & voluntate Dei, non prudentiâ & consilio diuino: qui in vestra scientia & sapientia, quæ apud Deum stultitia est, tenebris lucis, & luci tenebrarum imponitis nomen. Væ qui quidquam habetis virium & ingenij, id totum ad luxum, iniustitiam, & voluptatem confertis: *Propter hoc sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flamma exurit; sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum vt puluis ascendet:* Propter hoc, inquit, graue iam imminet supplicium his à diuina manu. Sicut enim aridam stipulam ignea flamma, aut etiam ardor vorat, atque consumit, sic vineam illorum luxuriantem frondibus, & inutilium palmitum viriditate sylvescentem ignis primùm Babylonius, deinde Romanus vastabit, & quasi in fauillam rediget.

Prudentes apud semetipsos dumtaxat, non item.

Esaiæ. 5.

11. Diuinus ille Apostolus apertissimè declarabat Romanos Christianos factos, & baptismo ablutos, nullatenus fore saluos, si secundum carnem viuerent; causam subiungit:

Prudentia

Prudentia carnis effectus ef. mors, prudentia spiritus vita æterna.

Prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax. Hoc, inquit, necesse est, si saluari cupitis, vt iuxta legem charitatis studia vestra, curas & actiones dirigatis; Spiritus sancti instinctibus vos conformetis, & secundum illos vitam & mores componatis. Multum enim differt prudentia huius sæculi à vera prudentia. Sapere autem & viuere secundum carnem, mortem affert tum corporis, tum animæ, tum præsentē, tum maximè æternam: sapere, amare, & sectari spiritualia, pacem, id est, omnium bonorū prouentum & tranquillam possessionē, ac vitam æternam conciliat:

Prudentia spiritus, & carnis quàm dispares.

Nemo prudens eliget quod apertè malum est. Prudentia carnis, & prudentia spiritus non magis se inuicem compatiuntur, quàm Ismaël & Isaac, aut quàm idolum Dagon, & arca fœderis. Sapientia spiritus honesta sibi præstituit, rectam rationem interrogat, & sequitur, vim odit, dolum, ac perfidiam, ad æterna collimat bona; tota denique est in opportunis ad ea medijs amplectendis. Ac Prudentię carnis contraria omninò sunt consilia, honestum non curat, sed vtile tantùm; illud saltem non nisi huius gratiâ prosequitur, finem vltimum collocat in ijs quæ sensum oblectant, quibus vt perfruatur, accersit quamcumque potest vim, perfidiam, dolos, fraudes, simulationem & dissimulationem. Prostat exemplum luculentum in villico iniquitatis, qui Matth. 16. solerter quidem, nequiter tamen, & violatis iustitiæ rationibus & legibus, ad consulendum rebus suis de alieno lusit corio; iniustè dedit quæ sua non erant, vt quibus sic benefecerat, in necessitate haberet, opitulatores. Is diffamatus apud Dominum suum, secundum carnem prudenter ambulauit. Audiens se destituendum, conuocauit singulos debitores Domini sui, dixitque primo; *Quantum debes domino meo?* Et pro centum cadis o'ei iussit mutare cautionem, & scribere quinquaginta. Alijs pro centum coris tritici scribere dumtaxat octuaginta, vt è reliquo per fas & nefas amotus à villicatione viueret. Subtilis videtur hæc prudentia, sed huius sæculi, etiam Saluatore teste.

Impij prudentiam carnis amplectuntur.

Imitantur hanc nequitiam, quotquot id tantùm agunt, vt sint in terra beati, vt concupicentijs suis satisfaciant, valeantque cum Salomone dicere, Eccles. 2. *Omnia quæ desiderauit oculs mei non negaui eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ preparauerat ei, & hanc ratus sum partem meam.* Tales quippe ad improuidas quasque artes, modò improbis desiderijs suis, opportunas, confugiunt, mentiuntur, adulātur, peierant, religionem veram eiurant, falsæ stipulantur, fidem non seruant, circumueniunt, bonum simulant quo carent, dissimulant vitium quo laborāt, omnium se formis accommodant; rugiunt cum leonibus, hinniunt cum equis, vlulant cum lupis, boant cum bobus, ganniunt cum vulpibus. Hi sunt de quibus ait Deus, Hier. 4. *Sapientes sunt vt faciant malum; benè autem facere nescierunt.* Sed finis est mors.

12. *Quam prudentiam Deus in discipulis requirat.*

Christus Dominus longè voluit hanc prudentiam à suis discipulis exulare: *Estote*, inquit, *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.* Author operis imperfecti hæc verba explanans hom. 24. in Matth. *Estote prudentes sicut serpentes*, subiungit: *Ad intelligendas fraudes. Estote simplices sicut columba, ad ignoscendas iniurias. Nolo vos esse semper quasi columbas, ne propter simplicitatem nimiam per seductionem laqueum incurratis. Nolo vos esse semper sicut serpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis, sed secundum tempus & personas, mutetis & mores. Estote serpentes, ne comprehendamini. Si enim comprehensi fueritis, estote columba, vt ne mordeatis.* Clarius id explicat Chrysostomus hom. 34. in Matth. *Serpentis*, inquit, *certè prudentiam imitari cohortatur. Nam quemadmodū serpens totum seipsum tradit, nec admodum curat, si corpus inciditur, donec caput suum integrum seruet. Eodem tu quoque modo, præter fidem cætera perdere non cures: profundas vniuersam tuam pecuniam, tradas corpus: vita ipsi, si opus est, minimè parcas, dummodò fidem serues, quæ caput & radix est: quâ seruatâ, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus maiore cum magnificentia recuperabis: idcircò nec simplices solum iussit esse, nec prudentes solum, sed ambo hæc in vnum commiscuit, vt in præcipuam virtutem simul vertantur. Et prudentiam quidem serpentis adhibere te iubet, ne velis vulneribus atque periculis principalissima membra obijcere. Simplicitatem verò columbæ, ne iniuriatus vlciscaris, aut ad punitionem insidiantes abducas: nihil enim tibi prudentia proderit, nisi hæc simplicitas adijciatur.*

Et propterea Christus Dominus cum Luc. 16. enarrasset ratione præfati villici filios huius sæculi prudentiores filijs lucis existere in generatione sua, filios suos ad veram prudentiam hortatur: *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* quasi dicat, Nolite imitari illos, qui ex iniustitia sibi victum parant; sed ex iustis, legitimisque diuitijs pauperibus benefaciamus, bonisque nostrę dispensationi commissis ita in nostrum commodum vtamur, vt per ea nobis paremus locum in æternis mansionibus.

13. *Plurimos prudentia carnis amplecti.*

Eheu quàm multi prudentiam carnis sectantur, per fas & nefas diuitias corradunt, thesaurizantes sibi iram pro die iræ. Quàm multi omnem vafritiem excogitant, vt alios iniustè deprimant, de vita æterna nihil solliciti. Talis fuit prudentia Saulis erga Dauid, vt eum de medio tolleret. Talis fuit Architophelis, qui suasit Absaloni incestum, vt eos, qui à Dauide desciuerant, securos redderet, nihil mali timendum ab Absalone, quòd

forte

fortè aliquando conciliari poſſit patri. Talis fuit Ieroboami, qui, vt regnum ſtabiliret, prudentiam ſpiritus ſepoſuit, carnis prudentiam amplexus fuit; idola pro Deo vero colenda ſtatuit. Talis Phariſæorum, qui in Chriſti Domini conſpirantes necem, miſerunt diſcipulos ſuos cum Herodianis ad Chriſtum, vt rogarent eum, an liceret cenſum dare Cæſari, an non. Locum hunc latiùs explicaui Diſc. 12. in IV. Præcep. n. 6. quem conſule, ſi placet. Secuti ſunt ipſos Saducæi, & aliam quæſt. in medium produxerunt, vt Chriſtum conuincerent, Matth. 22. v. 24. Sed hæc prudentia carnis eſt, quæ contra prudentiam ſpiritus, præter flebile exitium nihil obtinet. Hos & his ſimiles, mi Chriſtiane, deuita. *Videte fratres,* inquit Apoſtolus, *quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes redimentes tempus quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.* quaſi dicat, O vos Epheſij Chriſtianiſmo initiati, nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, ſed attendite vt accuratè vitam inſtituatis, non ſtultorum inſipientiam, ſed potiùs prudentiam ſapientum imitantes. Omnem rei benè agendæ occaſionem arripite, & ſtudiosè emite opportunitatem proficiendi in via Dei & virtute, & bona opera ac merita cumulandi: quoniam dies huius vitæ miſeri, multis ærumnis, periculis, tentationibuſque expoſiti ſunt, quæ occaſionem benè agendi, vel adimunt, vel minuunt, vel periculo exponunt: Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei: Nolite, inquit, veluti conſuetudinis impetu abripi, & plurium exemplo in præceps agi, quod imperitorum, atque imprudentum eſt proprium; ſed potiùs prudentum, ac ſapientum more date diligenter operam, vt quæ ſit Dei voluntas, cognoſcatis, vt ei vos, veſtraſque omnes actiones omni ex parte accommodetis; *quia enim,* ait Hieronymus, *tempus malum eſt, appetenda eſt in primis ſapientia, cuius vi Dei cognita voluntate, neceſſariam in rebus agendis prudẽtiam adhibeamus.* In omni ſiquidem negotio ſpectandum priùs eſt, quid potiſſimum Deo placeat, idque omni diligentia, conatuque peragendum eſt: Cautè vero dixit Apoſtolus, *Nolite fieri imprudentes*; nihil enim magis in hominum vita neceſſarium videtur, quàm (quod pauciſſimi faciunt) prudenti conſilio ſua omnia diſponere; plurimi enim, vt ait Seneca epiſt. 23. *eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur.* Huc colimauit ſemper Tobias, hac filum duxit, & ad perfectum tandem venit.

Prudentia ſpiritus Chriſtianus amplectenda.

Quid mirum? Tanti fecit Socrates Gentilis philoſophus prudentiam apud Maximum Tyrium ſerm. 41. vt primam inter tria poſuerit, quæ auditoribus ſuis præcipuè curanda tradebat, *Prudentiam in mente, in lingua ſilentium, in vultu verecundiam.* Quid Socratem, aut alios nomino? Vult Deus ipſe, ac iubet, vt in ædificatione Hieruſalem extendatur perpendiculum ſuper eam. Ædificatur ſpiritualiter Hieruſalem, cùm multa opera bona congregantur. Potrò quidam ſine perpendiculo ædificant, quia proficere virtutibus cupientes nequaquam verâ regulâ adhibitâ, quę lex prudentiæ eſt, conſiderant quid rectum ſit, quid obliquum; ſed oculis vtentes pro perpendiculo, id eſt, ſolum ſequentes carnis iudicium, amplectuntur quaſi rectum, quidquid concupiſcentia ſuaſerit; non ſecus ac mulieres (per quas procaces animæ ſignificantur & leues) dicunt Hieremiæ cap. 44. *Sermonẽ quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro.* Ne ita deſipiamus, ſi auſcultamus Deo, ſi errare nolumus; ſed vbique ad Prudentiæ amuſſim recurramus.

In operibus bonis adhibenda prudentia.

CAPI-

CAPITIS SECVNDI

VERSVS V.

Cumque occultasset corpus, manducauit panem cum luctu, & tremore.

Vers. 6. *Memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam, dies festi vestri conuertentur in lamentationem & luctum.*

PARAPHRASIS.

Cùm hominis iam cadauer tuto haberet loco, manducauit panem cum mœrore, & dies ille festus, qui lætus esse solet & candidus, lachrymas excussit, & gemitus; cùm non tam lautus exhilararet cibus, quàm mœror ex hominis interitu proiectoque cadauere conceptus contraheret sollicitum & dolentem animum. Vnde mentionem fecit loci Amos cap. 8. vbi Deus conuiuijs, & canticis, quibus se oblectabant immoderatè peccatores lachrymas minabatur, & parentale carmen, quamuis illi non ex eo luctus contingeret.

SECTIO SEXTA.

De quo pane hîc loquatur Tobias, & quid sit, cum luctu eum manducare.

1. *Quadruplicem panis sumitur.*
1. *pro pane naturali.*

NS. Scriptura quadruplicis panis fit mentio. Nominatur enim ibidem panis, qui propriè dicitur, & est panis; panis, inquam, naturalis, & corporalis in vsum vitæ corporalis, cunctis hominibus promiscuè datus: dequo Dauid dixit Psal.103. *Vt educas panem de terra, & panis cor hominis confirmet.*

2. *pro pane benedicto.*

Alter panis nominatur, qui erat benedictus, & sanctificatus? tales olim erant in Tabernaculo Dei, panes propositionis, quibusque vesci, nisi solis Sacerdotibus, non licebat; vt Dominus dixit Iudæis apud Matthæum cap. 12. Et quondam in Ecclesia dabatur panis benedictus catechumenis: vt videre licet in cap. 3. tertij Concilij Africani: & apud Beatum Augustinum in lib. de Catechizandis rudibus; & in lib. 2. de baptismo paruulorum, cap. 26. hodieque in nonnullis regionibus datur populo panis benedictus in templis post sacrorum solennia.

3. *pro pane sacramentali.*

Tertius panis est sacramentalis: de quo dixit Christus Ioan. 6 *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi*: & rursum, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: & si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* De quo propheticè olim locutus est Ieremias cap. 11. *Mittamus*, inquit, *in persona malignantium lignum in panem eius.* hoc est iuxta Tertullia. lib. 3. contra Marcionem, Mittamus corpus Christi, quod nobis est panis in Eucharistia, in lignum Crucis: Sic enim ait: *Hoc lignum* (crucis) *& Ieremias tibi insinuat, dicturis predicans Iudæis; Venite, mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem corpus suum appellans: vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cuius retrò corpus in pane Prophetes figurauit, ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo.* Alludit ergo ad institutionem Eucharistiæ, vbi Christus *accipiens panem, & gratias agens ac benedicens, dixit* discipulis suis: *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Illeque est panis, de quo Apostolus dicit: Quicunque manducauerit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Indignè sumentes sibi iudicium sumere, eo quod non diiudicent corpus Domini, id est, Corpus Christi sub specie panis nobis datum non secernant ab alijs cibis. Cur autem vocet Apostolus Eucharistiam panem, triplicem assignaui rationem Disc. 47 in I. Præc. nu. 6. sed tertiam dumtaxat adscribo, tanquam hic non inutilem, vilicet ideò vocari panem, quòd is Hebraismo significet quemque cibum, vt patet, 4. Reg. 6. v. 22. & 23. Sic Lucas de Christo cap. 14. cùm introisset in domum Principis cuiusdam Phariseorum sabbatho manducare panem. Sic Ioan. 6. v. 31. Manna; & v. 41. ipse Christus vocatur panis; panis enim communis omnium, & necessarius est cibus. Vnde Christus tum aliàs, tum in vltima cœna dicitur panem fregisse, & distribuisse ex more Hebræorum, apud quos paterfamilias mensæ benedicens discumbentibus conuiuis panem frangere,

Matth. 26.

Panis apud Hebræos significat quemque cibum.

gere, & diuidere ſolebat. Habebant enim Orientales non panes eleuatos, vt nos habemus, ita vt ad ſcindendum cultro eſſet opus; ſed latos pinſebant atque ſubtiles inſtar placentæ, vnde manibus eos frangebant, vt inter alios annotauit Stuckius licet heterodoxus lib. 1. conuiual. cap. 3. Itaque in Scriptura frangere panem ſignificat conuiuari, & fractio panis ſignificat quoduis conuiuium, cœnam, refectionem, & in nouo teſtamento appropiatur ad hoc, vt ſignificet Cœnam, Communionem Euchariſtiæ. Hinc frangere panem eſt verbum Eccleſiaſticum & ſacramentale, vnde Paulus 1. Cor. 10. Euchariſtiam vocat panem, quem frangimus; ſcilicet in Sacramento ſpecies Corporis Chriſti frangentes & commedentes, & in ſacrificio illas offerentes, ſumentes & conſumentes.

4 Pro fame metaphorice

Quartus panis eſt metaphoricè, ac myſticè ſic appellatus; nam & verbum Dei panis vocatur: Amos Vates c. 8. famem verbi Dei Iſraelitis denũtians, inquit, *Mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini*: Et dicitur panis affectionis, & angustiæ, & doloris, & panis lachrymarum: ſecundum illud, *Cibabis nos pane lachrymarum*, Pſal. 79. Quin etiam ipſa Dei viſio, & fruitio ac diuinarum rerum in beatis contemplatio, panis nominatur; quò ſpectat illud; *Beatus, qui manducat panem in regno Dei*. Et de hoc ſunt verba Chriſti in vltima cœna: Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei, & non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat, Luc. 12. v. 10. & 18. Panis enim & vinum Euchariſtię anagogicè ſignificat frumentum & vinum beatorum; de quibus ſymbolicè agit Eſaias cap. 62 v. 8.

Hic ſumitur pro quocunque cibo.

Loquitur verò Tobias hic non de nudi panis commeſtione, neque de tribus alijs generibus panũ, ſed iuxta Hebraiſmũ de ferculo, lautiſq; cibis ad conuiuiũ ſolenne præparatis.

2. Cur Tobias cum mœrore comederit panem.

Sed quare dicit Tobias ſe cum mœrore & luctu eum manducaſſe, diſcuſſione loci dignum eſt. Threnorum 3. cap. Ieremias lugens ſuas calamitates, quibus tempore obſidionis à ciuibus ſuis afflictus fuit, dicit: *Cibauit me cinere*, id eſt, proſtrauit me, ſupple Deus, vt humi ſedens in cinere cum eo panem meum miſcere debeam. Cinis enim erat ſignum luctus; vnde Dauid Pſal. 101. inquit, *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam*. id eſt, veſcebar pane ſordido, & cinere aſperſo; & lachrymarum effuſione ſitim internam reconciliationis temperabam, veluti potu aquæ aut vini temperatur ſitis corporalis. Itaque idem eſt ac ſi dicat Propheta Ieremias: Angustia cũctis meis ſenſibus abſtulit omnem ſaporem, omnem delectationem, & conſolationem. Propheta Ezechiel cap. 4. in ſignum luctus futuri tempore obſidionis Hieroſolymitanæ iubetur panem ſuum coquere ſtercore hominum, & obſecrãs Deum, impetrat, vt pro ſtercore hominum ſubſtituat ſtercus boum, ſupple ſiccatum, quo ignem faciat ad coquendum panem, veluti in pluribus locis Belgij vtuntur ceſpite. Iob cap. 3. *Antequam comedo, ſuſpiro, & tanquam inundantes aquæ ſic rugitus meus*. id eſt, Ante cibum præcedebat creber ex animo ſingultus, & ſimilis aquarum murmuri rugitus audiebatur. Cuius rei cauſam quãdam inſinuat Origines, lib. 2. in Iob, quod, os exeſum ab vrente morbo, mananſque ſanie, non tam recrearetur, quàm exulceraretur à cibo: & à ſanioſa manu is non ſine grauiſſimo dolore admouebatur: *Omne corpus*, inquit, *& membra iuſti illius vno circumdata erant dolore: omnia vſque ad ipſa pedum veſtigia vno vulnere deſtillabãt, vna putredine detentus erat, ijſdem vermibus ſcatebat; iacere non poterat, ſedere non valebat, requiem non habebat, reſumptionem non inueniebat: & quod, erat omnium maximum, ſuper hæc vniuerſa fame & ſiti necabatur: Nam manibus cibum ſibi, vel potum ad os porrigere non poterat: tametſi manibus ad os, porrigere valeret, ore ac labijs, putredine ac vermibus plenum recipere non valebat. Atteſtatur idè ipſe dicens paulò pòſt. Scatere video eſcas meas tanquam odorem leonis*. Eadem penè Chryſoſt. hom. 5. ad populum. Quàm grauiter oleant carnes à leonis halitu, docet Plinius lib. 8. cap. 16. Ælianus lib. de hiſtoria animalium cap. 39.

Quare Iob horruerit, quando neceſsitas illi erat capiendi cibum.
1. cauſa.

Aliam ipſe adducit ca. 9. dum ait: *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei ſunt*. quaſi dicat, Olim quidquid dicebatur immundum & inſipidum horrebam, & quaſi aliquid odioſum nauſeante ſtomacho auerſabar; nunc è contra inſultum vrgente neceſſitate comedo, & quod poſſit exiſtimari mortiferum non faſtidio. Rationem adducit Chryſoſtomus huius faſtidij homil. 5. de Iob dicens: *Nam is, qui circa corpus ab vlceribus erat fœtor deceptioni accedens deſiderium reſoluebat, ipſamq; arumna quædam replebat; Putores*, inquit, *meos cibos eſſe video: & famis quidem neceſsitas appoſita tangere cogebat: fœtoris verò magnitudo è carne prouenies vim famis ſuperabat*. Iulianus ad verba capitis ſexti iam citata credit hunc odorem à contactu dæmonis prouenisſe, aut ab intollerabili ipſius anhelitu relinquens fœtorem abominabilem eo loco, vbi aliquando ſtetit, & planè auernalem: ita vt mirum non ſit, quare horruerit & gemuerit Iob, quando cibum capiendi inſtabat neceſſitas.

3. cauſa. Iobum nullam in cibis aut conuiuijs immoderatam capiebat voluptatem, quare.

Tertiam adducit Auctor nõ contemnẽdus, referens verba c. 3. ad tempus præteritũ; quaſi dicat, Iob nũquam ita elatus fuit affluẽtibus, & arridentibus bonis, vt exultauerit immoderate: aut lætitiam, quæ eſt à ciborum ſuauitate, atque mũditia, qualiter in regia mẽſa reperitur,

peritur, nunquam se puram habuisse, sed admistam doloribus. Et jocos, aut plausus geniales sic temperasse lachrymis, crebrisque singultibus, vt potiùs ad domum fletus, & ad plangendum mortuum; quàm ad epulas, & animi laxamenta venisse videatur. Vt enim erat magnus philosophus, sic suam intuebatur regiam fortunam, vt non ignoraret in aureis poculis hauriri venenum, & extremo gaudio luctum succedere. Atque adeo affectus fuisse videtur, quum ad regias epulas accumberet, quemadmodum Damocles ille Dionysij assiduus adulator, de quo Cicero li. Tusculanarum 5. sic loquitur: *Cùm quidam ex Dionysij assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem, dominatum, rerum abundantiam, magnificentiam aditus regiarum: negaretq; vnquam beatiorem quenquam fuisse. Vis ne igitur*, inquit, *ô Damocle, quoniam hac vita te delectat, ipse eandem te gustare, & fortunam experiri meam? Cumq; se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, abacósque plures ornauit argento, auroq; celato: tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere eosque ad nutus illius intuentes diligenter ministrare: aderant vnguenta, corona: incendebantur odores, mensa conquisitissimis epulis extruebantur, fortunatus sibi Damocles videbatur, in hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari, setâ equina appensum demitti iussit, vt impenderet beati illius cervicibus: itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum: nec manū porrigebat in mensam: iam ipsa defluebant corona. Denique exoranit Tyrannum, vt abire liceret, quòd iàm beatus esse nolet. Satis ne videtur declarasse Dionysius nihil esse ei beatum; cui semper aliquis terror impendeat?* Hæc Cicero. Hæc spectasse Iobum, atque ideò, antequam cibos sumeret, suspirasse non videtur improbabile, tum quia in illam explicationem inclinat S. Thomas, & apertè Chrysostomus. *Cū Sarteninus & Aurelianus alti essent in exilium*, &c. *& de auaritia: In tanta*, inquit, *tempestate, tantisque fluctibus intolerandis* (quos scilicet ad longum recensuit) *constitit aduersus omnia generoso animo, & illabefactabili. In causa fuit idquod dicebam: Nimirum quod cùm dives esset, expectabat egestatem: cùm sanus esset, expectabat aegrotationem: quum tot liberorum esset pater, expectabat vt subitò fierent orbus. Atque hunc timorem semper apud se suscepit, & hanc anxietatem semper apud se aluit, intelligens rerum humanarum naturā, momentariamq; volubilitatem negotiorum considerans. Eoq; dixit: Timor quem timebam, euenit mihi: & periculum, quod metuebam, occurrit mihi. Semper enim cogitatione spectabat ad illum timorem, operiens eum, sperans, expectansque. Eoq; quum aduenisset, non perturbauit illum.* Videbat aliquando iustus ille circumfusam magnam filiorum syluam, sicut oliuarum nouellas in

Extremo gaudio luctus succedit.

Confidentia inflabilitas rerum, Iobum semper timere facit.

Timenda rerum vicissitudo.

mensæ circuitu, & timebat, quod tandem accidit, ne illos subita ruina domus, aut repentinus aliquis casus opprimeret. Videbat seruos alacres, & sedulos in ministrando: timebat, ne quando conuersâ fortunâ conuersis ipsi animis insultarent iacenti, qui tam prompto studio stanti seruierant. Ac denique ne ipse odiosus omnibus, vlcerosus, & squallidus, omnium egenus extra domum, & vrbem in sterquilino tabesceret, cùm domus esset tunc splendida, ac lauta, neque quicquam deesset, quod à fortuna, atque hominum beneuolentia, & gratia expectare posset. In his si philosophatus fueris, vt Iob, nec suauia te poterunt inflare, nec molesta deijcere. Consuefecit ille animum ad diuersorum expectationem semper timendo.

3. Hanc rationem maximè reor affeciſſe ipsum Tobiam, quandoquidem in metu erat, ne illud cadaueris furtum deprehensum tam ipsi, quàm suis, & inuitatis omnibus exitium adduceret extremum: præsertim cùm illum non lateret mortem etiam, bonos, in conuiuijs inuadere. Epulabantur Iobi filij in domo fratris primogeniti, qui sicut potentiâ & magnificentiâ cæteris fratribus præstabat; ita lautius & lætius conuiuium exhibebat: sed inter gaudia conuiuarum, ecce tibi cadauera mortuorum, ruente domo, & miserabili ruina omnes inuoluente, Iob. 1. v. 19. *Quæ ipsis*, inquit, Dᵒ Chrysostomus hom. 1. in Iobum, *vna eademque hora, domus & sepulchrum; conuiuium & tumulus; festum, & fletus, facta est.* Suos hostes inter nuptiales apparatus debacchantes inhasere Ionathas & Simon Machabæi; & fercula in vulnera, mēsas in vrnas, conuiuia in sepulchra, epithalamia in epicedia, cantus in planctus transtulere, 1. Machab. 9. v. 40. Vt scirent miseri, à domo conuiuij, quibuscumque gaudijs resultet, mortis violentiam non arceri. Festino, quamuis honesto conuiuio Simon Machabæus eiusque filij hilariter indulgebant: ecce tibi Ptolomeus dolosa & clandestina irruptione incautos aggreditur & obtruncat, 1. Machab. 16. Ita factum, vt suauitas conuiuij, mortis acerbitate misceretur.

Tobias in conuiuijs moderatè se gessit.

Inter conuiuia sæpè mortem acerbissimam sese miscet.

4. Rem nouam & insolentem sibi videbantur quidam ad Christum Dominum deferre: nempe quosdam Galilæos inter sacrificandum, seu potiùs inter conuiuandum à Pilato interfectos. *Quorum sanguinem*, inquit, *Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum.* Luc. 13. v. 1. Quasi dicerent: Noua planè res, & monstri, ac portenti similis, vt in domo conuiuii, vbi vita indulgentissimè curatur, mors intempestiuè propinetur. Nec aliorsum tam insuetum, & inauditum euentum referebant, quam in exaggeratam conuiuantium malitiam, dignam profectò, quæ tam noua & inusitata

cæde puniretur. Quid verò Christus Dominus? *Putatis*, inquit, *quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint; quia talia passi sunt? Non dico vobis. Sed, si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Ibid. v. 2. & 3. Vbi in primis cauet, ne propter cædes diuinitùs inflictas, temeraria de cæsorum culpis suspicio habeatur: *Iudicia* enim Dei *abyssus multa.* Psal. 35. v. 7. Qui aliquando fontes impunè transilit, & vehementer insilit in insontes. Deinde eorum admirationem minuit; ostendens, nouum nõ esse, toxica inter pocula propinari; & lethales potiones inter conuiuales delicias hauriri; & in æstu gaudiorum tristes morientium planctus commoueri. Quod statim confirmat exemplo Iudæorum, quos prædicit, nisi à suis sceleribus resipiscant, inter paschalia sacrificia, & genialia conuiuia, à Romanis subitò irruentibus occidendos. Quasi diceret: Ne admiremini Galilæos inter epulas interfectos: conuiuium enim, stadium quoddam est, vbi mors depræliatur, incautos opprimit, lætos occidit, fercula funeribus coniungit. Idem vos casus manebit; cum festiuissima celebratis conuiuia, repentino interitu opprimendos.

Infrequens non est, inter conuiuales delicias toxica pocula propinari.

Quod autem Tobias hîc adducat locum Amos 8. non eo sensu factum est, quod vellet insinuare se quasi pœnam aut vindictam, mortem à Deo timere tempore conuiuij, vti Propheta Amos nomine Dei minabatur illis, qui lætos & geniales dies ducebant sine vlla compassione grauiret indigentium; sed applicans dumtaxat casum, abstrahendo à causa: quasi diceret; Sicut ex causa tempore Amos, dies festi vertebãtur in luctum, ita hic dies nobis, licet ex dissimili causa. Ne mireris ea mẽte allegarum à Tobia locum Amos; Christum Dominum id etiam aliquando fecisse prodit Euangelista cap. 10. Matthæi; dum ait: *Inimici hominis domestici eius.* Hoc enim prædixit Michæas cap. 7. in verbis: *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, ab ea qua dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* quasi dicat, Tanta erit calamitas in obsidione Hierosolymæ, vt quisque pro se vno sollicitus erit, nullique fidere debeat vitæ suæ subsidia, vel fugæ consilia, siue dux sit, siue vxor, siue nurus: sed panem quem habet, sibi abscondat, & vias, & modos effugiendi manus Chaldæorum, quos excogitarit, silentio premat: quia etiam domestici passim inter se contendent, & pugnabunt pro pane, latibulo, similiue re ad vitam in tanto periculo tuendam necessaria.

Christus hæc verba applicans, dicit se venisse mittere separationem & dissidium inter fratres & parentes, in re simile illi, quod prædixit Iudæis Michæas; sed dissimile in causa. Illud enim Iudæorũ fuit ob malitiam eorum; vel, vt alij volunt, ob obsidionẽ Chaldæorum, in qua adeò fame, & peste, ac gladio vexati sunt, vt etiam frater fratri, filius patri, filia matri, panem, domum, arcem ad se saluandum præriperet: hoc vero meum & Christianorum, erit propter fidem, pietatem, & cultum Dei exparte fidelium; sed propter malitiam pariter ex parte infidelium. Veni ergo mittere gladium, id est, separationem & discordiam in fide & religione, vt scilicet fideles meos propriè per fidem separem ab infidelibus: illi verò, inde occasione iurgandi accepta, separent se ab fidelibus sua infidelitate, odio & persecutione, qua eos bonis & vitâ mulctent. Et hoc posterius maximè intendit Christus, illudque magis respondet menti Michææ, ex quo hoc mutuatus est Christus. *Veni enim separare hominem aduersus patrem, &c. inimici hominis domestici eius. Quia eunuit*, ait S. Chrysost. orat. contra Iudæos, *vt in eadem domo vnus sit fidelis, alter infidelis, & pater filium velit trahere ad impietatem. Hæc prædicens ait, Adeò vincet potestas Euangelij, vt filij quoque contemnant parentes suos, filia matres, & parentes liberos, imò vt animam & omnia pro pietate ponant.*

CAPI-

CAPITIS SECVNDI

VERSVS VII. VIII. & IX.

Cùm verò sol occubuisset, abijt, & sepelijt eum.

Vers. 8. *Arguebant eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos.*

Vers. 9. *Sed Tobias plus timens Deum quàm regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.*

PARAPHRASIS.

Vers. 7. 8. 9. Post solis occasum illicò sepulchralem operam cadaueri, quod ante conuiuium occultauerat, impendit: Cùm autem amici, atque cognati Tobiæ non temerè metuerent, ne idem paterentur ab offenso rege, quod alij plures iugulati subijssent, aut arguebant eum, quasi amentem, quod illud nondum placato rege officium præstaret mortuis, cuius causa antea profugisset; neque adhuc haberet res suas omnino constitutas, atque pacatas: aut admonebant illum, ne cum tanto vitæ suæ, suorumque periculo pius esse veller, cùm eandem ob causam semel fuerit quæsitus ad necem Tobias, tamen neque regijs minis, neque amicorum hortatu ab illo pietatis officio deterreri potuit, cùm apud illum plus valeret Dei timor, & charitatis ardor, quàm metus, qui à Regis furore, atque potentia proponebatur.

SECTIO SEPTIMA.

Non curandos amicos, qui dehortantur à bono. Et magis timendum Deum, quàm regem, cùm Deo contraria præcipit.

Hominis iusti est semper progredi in virtute.

CHRISTVS Matthęi 5. sic hortatur Discipulos: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Iustorum esse eò tendere insinuat Salomõ Prouerb. 4. *Iustorum, inquit, semita, quasi lux splendens, quæ procedit & crescit vsque ad perfectum diem.* Et Luc. c. 9. Christus inquit, *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Et animalia Ezechiel. 1. *non reuertebantur, cùm incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur: vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularẽt.* Hoc modo processit Tobias, vt nullo amicorum hortatu à pietatis officio deterreri posset, eorumque hortamenta flocci penderet. Et Prophe- Dauid Psalm. 118. loquens de propinquis suis. qui eum à diuinæ legis obseruantia retrahere conabantur, inquit: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Sine lege enim credebam esse eos, qui proximos suos sub diuina lege viuere non patiebantur. Vnde Dauid eos oderat. Mirum dictu! qui inimicos suos Saulem, Semëi, Doëg, ac similes diligebat: vt notat Diuus Ambrosius, etiam cognatos in diuino obsequio sibi aduersantes, odio prosequebatur: ratus id, quod erat, maius periculum nobis à falsis cognatis, quàm à veris hostibus impendere: vt ibi D. Ambrosius aduertit, dicens plurimos à fide & à martyrio reuocatos non tam tormentorum vi, quàm praua cognatorũ affectu: *Sapè, inquit, cognouimus, quosdam quem formidolosa carnificum pompa non terruit, non diuisi lateris sulcus infregit, nec ardentes lamnæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt? eum inter sacra iam præmia constitutum, vxor tenera sobolis oblatione miserabilis, vnius lachryma miseratione decepit.*

Dauid cognatos sibi in diuino obsequio aduersantes odio prosequebatur.

Quantum valeant amicorum lachryma.

Et hinc spirituales viri, diuinam legem, & corde ferentes, & ore annuntiantes, sic cognatorum affectibus renuntiant, vt nullis eorum gemitibus ab incœpto retardentur. Vnde celebris est illa D. Hieronymi ad Heliodorum epist. 1. exhortatio: *Licet, inquit, sparso crine, & scissis vestibus, vbera, quibus nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater iacetat: per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum cru-*

Tobias mirabili fecit amicorũ hortamenta.

Qui alios à diuina lege detrahit, ex legis sunt.

Mauden in Tobiam.

2. Non est iusti viri lachrymis propinquorum ab incœpto bono auerti.

cis tuola. Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Et paulò pòſt: *Facilè*, inquit, *rumpit hæc vincula Dei amor, & gehẽnæ timor. At contrà Scriptura præcipit, parentibus obſequendum. Sed quicunque eos ſuper Chriſtum amat, perdit animam ſuam. Gladium tenet hoſtis vt me perimat? & ego de matris lachrymis cogitabo? Propter patrem militiam Chriſti deſeram; cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo?*

Hunc locum ex Hieronymo mihi videtur D. Bernardus tranſtuliſſe in epiſt. 351. ad Hugonem: quẽ hortatur, vt parentibus, à Religione ad ſæculum reuocantibus, illud Chriſti Domini reſpondeat: *Si diligeretis me, gauderetis vtique; quia vado ad Patrem*, Ioan. 14. v. 28. Ac ſi non gaudẽtes dè filiorum ad Deum curſu, filios ſuos odiſſe conuincantur. Quod ſi illi nihilominus reuocare pergant, iubet vlterius D. Bernardus, vt non ſolùm *per calcatum tranſeat patrem*, vt D. Ieronymus admonebat, ſed etiam, *per calcatam pergat matrem*: vt in obſequio Chriſti, etiam matris, cui maior reuerentia & affectio debetur, amor & pietas deſeratur. Et ſtatim: *Phreneticorum*, inquit, *lachrymis ne moueatis, qui ſic plangunt de gehenna filio, factum filium Dei. Heu! quanam miſeria tam dira cupido? Quis tam crudelis amor? Quæ tam iniqua dilectio?* Phreneſi ſine dubio laborant, qui, quos videntur amare filios, exitiali odio proſequuntur: qui de illorum ſalute mærent, de interitu exhilarantur: qui dolent, de barathro in cælum tranſlatos eſſe: gaudent, de cælo in barathrum præcipitatos.

D. Bernardus increpat parentes filium à Religione auocantes.

Paribus D. Bernardi monitis acquieuit, aliquando eius diſcipulus Helias, qui ad parentes multis eum precibus & lachrymis, à Religione reuocantes epiſtolam dedit, quæ inter epiſtolas Bernardi eſt tertia, vbi ſic: *Sola cauſa*, inquit, *quâ non liceat obedire parentibus, Deus eſt. Verè nunc cognoſco, quia inimici hominis domeſtici eius. Si me verè vt boni, vt pij parentes diligitis: ſi veram, ſi fidelem erga filium pietatem habetis: quid me Patri omnium Deo placere ſatagentem inquietatis: & ab eius ſeruitio, cui ſeruire, regnare eſt, retrahere attentatis? In hoc vobis obedire non debeo. In hoc vos non agnoſco parentes, ſed hoſtes.* & ſtatim in eos acriùs inuehitur, quod quem generando in hoc ſæculo, multis infortuniis obtuliſſent, retinendo in ipſo ſæculo, æternis ſuppliciis exponant: *Non ſufficit*, inquit, *vobis, quòd me in hanc ſæculi miſeriam miſeri miſerum induxiſtis; niſi etiam filium inſuper gehenna faciatis? O durum patrem! ô ſeuam matrem! ô parentes crudeles & impios! imò non parentes, ſed peremptores. Quorum dolor, ſalus pignoris; quorum conſolatio, mors filii eſt. Qui me malunt perire cum eis, quàm regnare ſine eis. Qui me rurſus ad naufragium, vnde tandem nudus euaſi. rurſus ad ignem, vnde vix ſeminuſtus exiui: rurſus ad latrones, à quibus ſeminium relictus ſum; ſed miſerante Samaritano, iam aliquantulum conualui, reuocare conantur.*

Et paulò pòſt optimâ vſus ſimilitudine, horum parentum in filium, non modò iniuriam incuſat, ſed etiam demẽtiam admiratur: *Domus*, inquit, *ardet, ignis inſtat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, euadenti ſuadetur regredi? Et ab his qui in incendio poſiti ſunt; & obſtinatiſſimâ dementiâ, & dementiſſimâ obſtinatione fugere periculum nolunt. Proh dolor! Si vos contemnitis mortem veſtram, cur etiam appetitis meam? Quam vos non potiùs ſequimini me fugientem vt non ardeatis? An hoc eſt veſtri cruciatus leuamen, ſi me etiam perimatis? & hoc ſolum timetis, ne ſoli pereatis? Ardens ardentibus quod ſolatium præſtare poteris?* Et ibidem ſignificat huiuſmodi parentes adhuc in hoc mundo ſuperſtites, poiores eſſe diuite auaro gehennæ æterni ignis iam addicto. Nam hic optabat ne quinque fratres, quos habebat, venirent in eum locum tormentorum. Luc. 16. v. 28. Illi autem ad eandem ſecum gehẽnam filios ſuos alliciunt & inuitant. Mirum igitur non eſt, ſi cognatorum amorẽ exuere debeamus, qui ſaluti noſtræ aduerſantur. Recludendi ſunt omnes conſanguinei & cognati, qui nobis ſunt diuinæ legis violandæ auctores, repudiandi, ne dicam, obtruncandi.

Egregia ſimilitudo.

Parentes filios à lege Dei allicientes poteras ſunt Epulone.

Hinc illa diuina lex: *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia; ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo; aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens: Eamus, & ſeruiamus dijs alienis, &c. Non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miſereatris & occultes eum, ſed ſtatim interficies.* Deuteron. 13. à v. 6. Quid ſæuerius præcipi poterat, ad cognatorum amicorumque affectus, ſi diuinis obſequiis aduerſentur, amputandos? ad quã legem alludens Philo Hebræus lib. de offerentibus victimas: *Si frater*, inquit, *aut filius, vxor, aut filia, familiaris aut amicus, per ſpeciem beneuolentiæ ſeducere te ad impietatem ſuam ſtudeat; necandus eſt, tanquam hoſtis publicus, ſine reſpectu priuatæ neceſſitudinis.* Et paullò pòſt: *Debet nobis eſſe vnica familiaritatis & amicitiæ teſſera, Deo placendi ſtudium, & dicendi faciendique proprietate omnia. Caterùm cognationes & affinitates reijciendæ ſunt, ſi non ad eundem finem properant, honorem Dei videlicet: quod eſt omnis coniunctiuæ beneuolentiæ vinculum inſolubile. Nam talibus non deerit cognatio ſanctior & honeſtior: vt teſtatur mihi lex ipſa, quæ virtutem ſeruantes, filios Dei nominat.* Fœlix qui terrenam propter Deum cognationem repudiat, diuinam pro terrena cognationem cum Deo initurus. Hominum filius eſſe deſinit, vt in Dei filium adoptetur. Sic enim Deus: *Audi*, inquit, *filia obliuiſcere populum tuũ, & domum patris tui.* Pſal. 44. v. 11. quaſi dicat, Filia hominis eſſe deſine, vt filia Dei conſtituaris. filiam meam te appello, ne deinceps velis alterius patris filia nuncupari.

3. *Cognati pro Deum repudiandi.*

Tobias

4. *Tobias plus simo it Dei, quàm Regi Deo contraria præcipientem.*

Tobias noſter non reſpexit carnem & ſanguinem. Coniunctiſſimorum argumenta & incitamenta tantum athletam conuellere non potuerunt. Eculeos ignes, mortem contempſit, vt diuinæ conformis eſſet voluntati Docuit exemplo omnes & quoscunque, ſpeciatim amicos, plus timendum Deum, quàm Regem Deo contraria præcipientem, flocci pendens amicorum hortamenta, *aquè rapiebat corpora occiſorum, & occultabat in domo ſua, & mediis noctibus ſepeliebat ea.* Regiam maieſtatem in licitis & honeſtis reſpexit: cùm in odium Religionis vetaret ſepeliri cadauera, omninò contempſit: crudelia edicta hominis impii nihili fecit: In Deo omnem ſpem conſtituit. Inſonuit auribus eius vox illa Iſaiæ vatis, altiſſimè clamantis cap. 8. *Non dicatis, Coniuratio: omnia enim quæ loquitur populus iſte, coniuratio eſt: & timorem eius ne timeatis, neque paueatis. Dominum exercituum ipſum ſanctificate? ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificationem.* Non audiatur iam amplius inquit Iſaias Vates ad populum, inter vos coniurationis nomen. Ne aſſiduè loquamini, vt ſoletis de coniuratione Razim & Phacee Regũ Syriæ & Samariæ contra Ieruſalem. Ne timeatis illorum minas aut inſtructas copias, neque pauor vllus animos veſtros turbet aut debilitet, Dominum ſolum eſſe ſanctum, ſpe in illo locata, & cultu religioſo iam tandem oſtendite. Illum paucte, non inimicorum minas. Ipſe vobis gratiam reddet: ipſe eſt Dominus exercituum, ipſi militant Angeli, militat æther, militant venti, militant omnes creaturæ, quibus Syros, omnesque hoſtes veſtros facillimè quaſi pulices occidet.

Humanus timor reiiciendus, & ſpes in Deo ponenda.

Audiit haud dubio Tobias eundem Vatem grauiter increpãtem tepidos & timidos, quos metu Iudæorum, Regum, Imperatorum, aliorumque perſecutorum, vel irriſorum à recto tramite deflexuros verebatur: *Nolite*, inquit Iſaias, *timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in ſempiternum erit; & iuſtitia mea in generationes generationum.* Nihil, inquit, ab hominum conuitiis, nihil ab illuſorum, & maledicorum opprobriis metuatis. Nam ſi cælorum ſolida moles, & terræ firmitas quaſi fumus diſſipabuntur, & ſicut veſtis à tinea conſumetur; quid coniectari licet de illorum cõditione, qui in vos conuitia & maledicta iactauerint. Quare bono eſtote animo, illos enim conficiet repentina dies, ſicut lanam tinea, aut veſtimentum vermis. Salus autem à me vobis promiſſa in ſempiterna ſæcula, & iuſtitia mea in omnem generationem permanebit Iſaiæ 51. v. 8. Rurſum verſu 12. ſic illos aggreditur: *Ego, Ego ipſe conſolabor vos*, ſcilicet ait Dominus Deus: *Quis tu ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis: qui quaſi fœnum ita areſcis?* quaſi dicat, Ego dolorem veſtrum & angorem leuabo; quod ſi in mea fide, atque tutela es, cur eris uſque adeò exigui, atque imbecillis animi, vt ab homine mortali tibi timendum putes, qui nihilo fæno conſtantior eſt, quod à Solis æſtu momento tẽporis defloreſcit, & perit. Perijt, & cauſam timoris ipſorũ in medium adducit: *Oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos? & fundauit terrã: & formidaſti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum.* quaſi dicat, Ideò times quia immemor es Domini conditoris tui? qui cælorum expandit immenſa ſpatia, qui terram ſtabili fundamento firmauit. Eam ob rem grauiter te extertuit, atque concuſſit furor eius, à quo vexatus es, quique ad te perdendum animum adiecerat. Sed iam vide in quem finem euaſerint hoſtiles animæ, quo tandem abierit vexatoris tui inflammatus furor, vti furor Pharaonis perſequentis Hebræos abſorbtus eſt à mari, ita & furor perſequentiũ te, Deo vindice, mox abſorbebitur, & euaneſcet. Quid times? me cole ex animo. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumeſcũt fluctus eius. Dominus exercituum nomen meum.* Nõ eſt cur in ſummo etiã periculo cõſtitutus de tua ſalute & libertate deſperes. Ego enim ſum Dominus Deus tuus, contra cuius imperium nulla poteſt excitari, aut increbreſcere tempeſtas. Ego ſum, cui maria obſequuntur, & venti: Ego, cùm libet, mare conturbo; multo magis homines hoſtesque tuos conturbare poſſum, vti conturbaui Madianitas tempore Gedeonis, qui mutuâ cæde ſe in caſtris truncarunt. Iudic. 7. Ego ſum Dominus exercituum, qui, cùm libet, in aciem educo cælos, ſtellas, elementa, fulmina, tonitrua, grandines, procellas, atque innumeras Angelorum legiones.

5. *Sancti tyrannorum minas, & imperia poſtpoſuerunt Dei legi.*

Hâc fide armati, hac ſpe fulti, hâc fiduciâ roborati Sancti Dei, nullius tyranni minas, tormenta, eculeos, rotas, ignes timuêre. Nabuchodonoſor ſeueriſſimè vrgebat Sidrach, Miſach, & Abdenago tres pueros in Babylone, ſtatuam auream, quam erexerat, ad ſonitum tubæ, fiſtulæ, & citharæ &c. cernuos adorare. Minabatur fornacem ignis ardentis; blaſphemia non deerat: *Et quis*, inquit, *eſt Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Illi his minis ſpretis conſtanter dixerunt: *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi.* Non eſt quod à nobis reſponſionem exſpectas: Ipſe enim Deus quem colimus, reipsâ oſtendet, quid poſſit, & pro ſeipſo reſpondebit. Quod verò ad nos pertinet: *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, O Rex, liberare.* Tibi igitur omnino perſuaſum

Exemplum trium puerorum.

esse volumus neque minis, neque flammis extorquendam à nobis patriam religionem, etiamsi, quod iussu facillimum est, nolit nos Deus ab incendio, quod minaris, liberare.

Eleazarmori maluit, quàm Regi obedire in illicitis.

Cùm venerabilis ille senex Eleazarus cõpelleretur (ori enim violenter aperto, atque hianti furorem exprimẽs Antiochus cibos ingessit vetitos, vt vel hoc modo saltem porcinas carnes gustasse videretur) carnem porcinam contra legem diuinam manducare, gloriosissimam mortem magis elegit, quàm odibilem vitam. Et per vim intrusas carnes exspuit, cùm ad supplicij locum duceretur, vt indicat textus Græcus. Exspuere enim volebat quidquid palato & faucibus è suillis carnibus adhæserat, ne ad mortem secum ferret, quod adhiberi in cibum non patiebatur Hebræorum religio. Rursum cùm quidam iniquâ commiseratione commoti propter antiquam viri amicitiam, sufficerent carnes Hebræis liciras, vt eas quasi porcinas manducaret, ingenuè respõdit, malle se mori, & omne genus perferre acerbitatis & ignominiæ, quâ ab eo discedere, quod fuerat amplexatus à puero, & ad canitiem vsque sine vlla intermissione, aut hæsitatione obseruarat, 2. Machab. 6.

Septem fratres Machabæi cum matre mortem subiere, ne Regi illicita iubenti obtemperarent.

Cùm idem Antiochus Rex non minùs truculentus, quàm impius, variè torqueret septem fratres vnà cum generosa matre, post multa furoris artificia, non potuit illorũ vel leuiter inflectere constantiam. Primus omnium sic illum affatus est: *Quid quæris, & quidvis discere à nobis? parati sumus mori magis, quàm patrias Dei leges prænaricari.* 2. Machab. 7. Vnde illum & quinque alios fratres constanter Dei legi adhærentes, horrendam fecit subire vitæ clausulam. Ad vltimum, & natu minimum fratrem adhuc superstitem tyrannus se conuertit, verbis & promissis opimis ad defectionem adhortatur. vocat matrem, vt blanditiis inducat. Illa è contra multis argumentis filium ad honestam mortem potiùs hortata est: vt vri, torreri, & lacerari, etiam siccis oculis maluit videre, quàm tanti criminis fieri particeps. Adolescens verò, matre perorante, sic ad Antiochum: *Quem sustinetis? Non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen.* Audacter asserit frustrà consumi tempus dum spectat tyrannus, & ab illo instructi, intentique carnifices, donec ipse animum mutet, aut à fratrum similitudine recedat. Atque ideò monet, vt quando ipsi certum est diuinæ legi obsequi, non regis imperio rumpat acrutum moras, & eripiendam per summam etiam acerbitatis, vitam, omnia exprimant furoris instrumenta. Et conuersus ad Regem, quem tantæ crudelitatis & iniuriæ auctorem esse dicit, à diuina manu, quæ longè fortior est, crudelius vulnus, & exitium minatur. Quod illi verbis, hoc exemplo suo & docuit & dixit Tobias.

6.

Christus Dominus eiusmodi timorem humanum longè voluit à suis exulare: *Dico vobis*, inquit, *amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quod faciant. Illum timete, qui potest corpus & animam occidere in gehennam.* Horum verborum memores Apostoli, cùm vetarent nomen Christi prędicare, inuocare, & in nomine eius miracula facere, nolebant obedire Pontificibus & Synagogæ: *Si iustum est*, dixerunt ad eos Petrus & Ioannes, *in conspectu Dei vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate, non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.* Sic iustæ suæ causæ præfidunt, vt hostes etiam constituant iudices, dummodo velint, depositâ passione & præiudicio, ex ratione & veritate sincerè, quasi stantes in conspectu Dei eam iudicare. Præclarè Bernardus epist. 7. *Quid est, quod iubet homo, & prohibet Deus, & ego audiam hominem surdus Deo?* Christus voluit nos esse testes suos: constituit nos comites & Apostolos: quæ de eo vidimus & audiuimus, silere non possumus. Act 5. incarcerantur Apostoli; sed ab Angelo liberantur; inde concionantes in templo à magistratu abducuntur in Concilium. *Interrogauit eos Princeps Sacerdotum, dicens, Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Hierusalem doctrinâ vestrâ, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.* Vultis nobis imputare, & imponere crimen homicidij, quod scilicet impiè & iniustè Christum vestrum innocentem & sanctum occiderimus, adeòq; nobis aflare infamiam & periculum vitæ, tum apud plebem, tum apud Romanos rerum dominos, potentes æquè ac iustos scelerum vindices. *Respondens autem Petrus & Apostoli*, intrepidè *dixerunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

Apostoli obedientiam Dei præposuerunt obedientiæ Pontificum. Actor. 4.

7.

Sancti nihil timent.

Aureâ hâc gnome, vt verbo dicam, Apostoli & Martyres freti opposuerunt se edictis Imperatorum de adorandis idolis, aliisque rebus à Deo vetitis, vsque ad ignes, cruces & bestias. Petrus Apostol. fideles ad hanc fortitudinem & cõstantiam strenuè adhortans: *Sed etsi*, inquit, *quid patimini propter iustitiam, beati.* quasi dicat, Si aliquid patimini, quia Christiani, quia iustitiam sequimini, quia seruatis Dei legem, castitatem, temperantiam, statuta Ecclesiæ, quia tuemini res pupillorum; fidem, agros, aliaque beati estis, beatitudine tum rei, tum spei: rei ob bonum patientiæ; spei, quia regnum cælorum patientibus promissum. *Timorem autem eorum ne timueritis vt non conturbemini: Dominũ autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* Sic, inquam Apostoli, Martyres, & Confessores, coram Iudicibus & Imperatoribus stabant imperterriti,

1. Petri 3.

territi, imò illos suâ constantiâ & animositate terrebant, & percellebant: Sic sanctus Andreas perculit Ægeam vocando eum filium diaboli, eique minando æterna gehennæ incendia. In hac re excelluit Sanctus Hilarius, qui Constantio Imperatori Arriano sæuienti in Orthodoxos, eisque extremam perniciem minitanti, animo interrito & leonino restitit, eiusque furorem repressit, in faciem ei omnia scelera & sacrilegia exprobrãdo, eumque Antichristum nominando. Sic enim loquitur in apologia ad Constantium: *Pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat: non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem: non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad seruitutem: non latera vexat, sed cor occupat: non caput gladio desecat; sed animam auro occidit: non ignes publicè minatur, sed gehennam priuatim accendit: non contendit ne vincatur, sed adulatur, vt dominetur.* Et paulò post: *Sed temerarium me fortè quisquam putabit, quia dicam Constantium Antichristum esse. Quisquis petulantiam istud magis quàm constantiam iudicabit, relegat primùm Ioannem dixisse ad Herodẽ: Non tibi licet facere istud.* Sciat à Martyre esse dictum Regi Antiocho, *Tu quidem iniquus de præsenti vita nos perdes, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternam vitam in resurrectione suscitabit: Et rursum beata fideliq; voce alienum increpasse: Potestatem inquis inter homines habens, cùm sis corruptibilis, facis quod vis. Noli autem putare genus nostrum Deo esse derelictum. Patienter sustine, & vide, magna potestas ipsius qualiter te, & semen tuum torquebit. Et quidem ita pueri. At verò fœmina nihil minus perfectis & beatis viris locuta est, dicens, Tu verò qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Si enim nobis vnus propter increpationem & correptionem Dominus modicum iratus est, sed iterum recordabitur seruis suis. Non est istud temeritas, sed fides: neque inconsideratio, sed ratio: neque furor, sed fiducia.* Post hæc modestiæ verba, adamantinâ voce progreditur: *Proclamo tibi Constanti, quòd Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximianus audirent: contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sæuis, Sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum, sed diuinorum. Hæc tibi à me atque illis socia atque communia sunt: at verò nunc propria tua accipe. Christianum te mentiris, Christi nomen hostis es: Antichristum præuenis, & arcanorum mysteria eius operaris. Condis fidem, contra viuens: doctor prophanorum es, indoctus piorum: Episcopatus tuis donas, bonos malis demutas: Sacerdotes custodia mãdas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ dispenis; synodos contrahis, & occidentalium fidem ad impietatem compellis: conclusos vrbe vna, minis terres, fame debilitas, hyeme conficis, dissimulatione depranas.* Vtque ostendat sibi non deesse adamantinum pectus, longè antè hæc verba profert: *Vtinam illud potiùs omnipotens Deus & vniuersorum creator, &c. ætati meæ & temporis præstitisset, vt hoc confessionis meæ in te atque in vnigenitum tuum ministerium Neronianis Decianisve temporibus explessem. Nec ego per misericordiam Domini & Dei filij tui* IESV *Christi calens eculeum metuissem, qui desertum Esaiam scissem: nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem: nec crucem ac fragmenta crurum meorum vitassem, postquam in paradisum translatum latronem recordarer: nec profundum maris & Pontici æstus absorbentem rheumam trepidassem, cùm per Ionam & Paulũ decuisses fidelibus esse in mari vitam.*

Martii 6.

2. *Mach. 7.*

Ibidem.

L. Contra Hilarij.

Et ne fœminas præteriisse videar, vnum sed admirabilis constantiæ iungam exemplũ, Vidua quædam nobilis, cuius mentionem feci sect. 4. in cap. 1. huius hist. num. 5.) dives, pulchra, duas habens filias, tentatur à tyranno Dunaan Apostata, vt Christum neget. Primùm blanditiis eam aggreditur, honores offert, sed intermiscet in Christũ blasphemias. Illa verò heroico pectore sic ad tyrannum: *Cùm, ô Rex, quem oporteret honorare, & qui dedit tibi potentiam, & hanc purpuram, & hoc diadema; imò verò ipsam quoque essentiam & vitam, tanquam Dei filium, & Deum ingrato animo contemptum audaci lingua iniuria afficias, non times ne fulmen directum te comburat: & me honorare velis. vestrum ego honorem summam duco ignominiam. Cessa gladium in teipsum impellere. Absit autem, vt ego à tali lauder lingua, quæ se armauit contra Deum. Neque eo procedam amentia, vt verser cum ijs, qui Deo sunt adeò inimici, & in peccatorum habitem tabernaculis.* Ille irâ accensus, & mutatus in alterum virum, execrandam mulierculam nuncupat Heroinam: iubet eius capiti tegumentum auferri, eiusque filiarum, & sic eas nudo capite, & promissâ comâ in castra duci per ignominiam. Heroina verò martyrium ambiens, & hilari animo in publicum procedens, lamentationes aliarum fœminarum compatientium sedat, componit, & ad constantiam alias adhortata, generosum suum animum illis explicat, & rogat ne transmutent festum in tristitiam. Instat iterum tyrannus, dum hæc illi renunciata sunt, & propter lachrymas plorantium, & filias vt pareat ipsius dictis. *Illa autem: Quis me, ô Rex, si tibi paruerim, liberabit ab igne, qui non potest extingui? Sic dixit, & cælum statim intuens: Absit,* inquit, *ô Rex, immortalis, vt te negem, qui es solus vnigenitus Dei filius, & credam viro, qui te habuit contemptui, & nos decepit periurio.* Hinc recrudescit Regi Dunaano animus, torue eam aspicit, furiosè intuetur, minatur carnes discerpere, ac dilacerare, & intestina contrectare, & si quid ex iis fuerit reliquum, apponere deuorandum canibus, repetita in Christum blasphemiâ, quasi illam è manibus ipsius eripere

Cuiusdam fœminæ portentosa constantia.

Ex Baronio anno Christi 322. n. 39.

pere non valeret: *Tunc*, inquit Procopius, *execrandi tyranni verba non ferens prima filiarum Martyris, annum iam agens duodecimum, tyranni oculos conſputauit.* Circumſtantes eo viſo tempori ſeruientes ipſam & ſororem enſe mox conficiunt, & Regis iuſſu ex defluente ſanguine manibus afferunt matri. *Illa lubenter eum guſtat? & cùm ad cælum ſuſtuliſſet oculos: Tibi, inquit Chriſte Domine, hoc meum offero ſacrificium. & tibi Martyres exhibeo caſtas virgines, quæ egreſſa ſunt ex vtero meo, cum quibus me quoque connumeratam introduc in tuum thalamum, &, vt dicit diuinus Dauid, oſtende matrem propter filios lætantem. Rex autem grauiſſimo ægritudinis animi ſtimulo ſauciatus, vt qui omnem ſpem planè abieciſſet, in eam ſert ſententiam,* nempe mortis. Sic oſtendit magis timendum Deũ quàm impium Regem.

8. *Epiſt. 7. Deo obediendum magis quàm hominibus.* Mellifluus ille Doctor Bernardus nactus inferiorem quemdam, qui diuinam propter humanam ſoluerat obedientiam, ſic eum aggreditur: *Quid? quod iubet homo, prohibet Deus: & ego audiam hominem, ſurdus Deo? Non ſic Apoſtoli. Clamant quippe dicentes: Melius eſt obedire Deo, quam hominibus. Hinc Dominus in Euangelio Phariſæos increpans, Quare & vos, inquit, tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? & per Iſaiam: Sine cauſa autem, ait, colunt me, mandata & doctrinas hominum tenentes. Et item ad Protoplaſtum: Pro eo quod obediſti voci vxoris tuæ plusquam mihi, maledicta terra in opere tuo. Igitur facere malum, quolibet etiam iubente, conſtat non eſſe obedientiam, ſed potius inobedientiam.* Probè hoc nouerat Suſanna, cùm ſenes illi iudices, in ipſius amorem vehementer inflammati ad congreſſum eam ſollicitarent, adhibitis minis ni acquieſceret eorum deſiderio, quòd videlicet pœnas daret, quas exigunt leges ab adultera, falſo ab iis teſtimonio conuicta, omnem humanum timorem depoſuit, dicens: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.*

Act. 4. Matth. 15.

Iſaiæ 29.

Gen. 3.

Daniel 13.

Ad te, mi Chriſtiane, ſermonem conuerto: Noli in eiuſmodi mandatis prætendere excuſationem, quòd Rex, quòd Imperator, quòd Pater, quòd ſuperior mandet contraria Deo. Nullius quippe prohibitio, vt cum Bernardo loquar, valet obuiare præceptis: nullius iuſſio præiudicare prohibitis. Neceſſaria eſt prudẽtia, neceſſaria eſt diſcretio, quâ diſcernatur, quâ contemnatur, quod diuinis deprehenditur contrarium inſtituris. Noli dicere, Viderit ille, qui authoritatem habet, quid iuſſerit. *Dic quæſo,* inquit Bernardus, *ſi dato in manu gladio ſuum te armari iuſſiſſet in iugulum, acquieuiſſes? Aut ſi* IE *ſuo voluiſſet impulſu ignem vel in aquam præcipitem dari, obtemperaſſes? Nonne etiam ab his non prohibere cùm poſſis, in crimen tibi reputatur homicidii? Age ergo, vide ne forte ſub prætextu obedientiæ in quippiam ei gra-*

9. *Hominum iuſſio non excuſabit prauaricantem Dei leges.*

Similè.

uius inſeruieris. Non ignoras certè quid dixerit (nam mihi hinc fortaſſe non crederes) expedire ſcãdala facientibus, demergi potius in profundum maris. *Matth. 18.* *Cur hoc dixit, niſi quia ſignificare voluit, tam grauia illos in poſterum manere tormenta, vt eis comparata mors temporalis, nec pœnalis eſſe videatur, ſed commoda? Qui ergo eum ſcandala facere iuuiſti, iuuiſti enim ſequendo illum, obſequendo illi: nonne vtilius (iuxta præmiſſam veritatis ſententiam) molam aſinariam collo eius ſuſpenderes? & ſic eum demergeres in profundum maris?* Nullus ergo vacillet in apertè malis, niſi ſtultus reputari velit, Siracides inquit Eccleſ. 22. *Sicut pali in excelſu, & cumenta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt: ſic & cor timidum in cogitatione ſtulti contra impetum timoris non reſiſtet.* Noxius planè eſt ille timor, & ad ruinam impellit: *Qui timet hominem*, inquit Hebræus Sapiens, *citò corruet*; Prouerbior. 29. Sed nec hoc ſatis. Timor eiuſmodi maiora accerſit mala his quæ timentur. Affirmauit id Iob cap. 6. *Qui timent*, inquit, *pruinam, corruet ſuper eos nix.* Timebant amici, atque domeſtici, ne, ſi propius accederent ad Iobum, fœdâ leprâ, aut aliâ plagâ inhoneſtâ, ac dirâ à Domino percuſſi, aliquid ipſi quoque tanti mali ex incauta cõtagione contraherent. Atque illius non tantum conſuetudinem, & adtactum, ſed etiam aſpectum refugiebant. Sanè vxor illius halitum horrebat, aut quia grauis erat, aut quia timebat, ne ſi propiùs accederet, illam inhalaret peſtẽ, quâ ipſe laborabat, ſed dum morbum timent, iram incurrunt diuinam, quæ multò magis homini ſano, atque prudenti formidanda eſt. Hoc porrò prouerbium aliis modis à prophanis & ſacris ſcriptoribus adfertur Amos 5. v. 19. *Quomodo fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingrediatur domum, & innitatur manus eius ſuper parietem, & mordeat eum coluber.* Prophani his modis explicant; *Incidit in ſcyllam putans vitare charybdem. Et dum fumum fugit, in flammam incidit. Dum pluuiam metuit, labitur in foueam.* Inter pruinã autem, & niuem magnum eſt diſcrimen. Nix interdum vſqueadeo eſt alta, vt domos operiat, atque obruat: quæ magnas etiam feras opprimit, & extinguit; pruina ros eſt, qui matutino frigore concreſcit: neque vllum viatori impedimentum affert, & niſi candicarent herbæ, vix intelligeres pruinam eſſe.

Timor humanus quã nocuus.

Deus timetur maiuſq; ſæpiùs in maius periculum incurritur.

Dum ergo, ô Chriſtiane miles, tentaris à carne; dum luctaris cum mundo, & dæmone, dum perſequitur te cognatorum turba, dum morbus, infamia, paupertas te impellunt: dum cum aduerſis acrem agonem, & quaſi duellum ſubis, attende quid Apocalypticus ille Angelus tibi ſuggerit, *Qui vicerit, poſſidebit hæc: & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* antea dixerat: *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ*

10. *Intrepidè tentationibus reſiſtendum grande manet præmium.*

gratis

gratis. Non niſi certantibus & vincentibus datur de fonte aquæ vitæ. Noli eſſe ſegnis & ſocors, quia generoſos & ſtrenuos dumtaxat gloria & fælicitas manet, qui contra Domitianum & Antichriſtum, quique in confertiſſimos hoſtium globos intrepidè ſeſe inferre, & ardua quæquæ capeſſere audeant. Animos igitur cape, ſuſpice cælum: ſic itur ad aſtra. Dicito tibi:

Magnum iter aſcendo, ſed dat mihi gloria vires:
Non venit è facili lecta corona iugo.

Timidos manet aeterna gehenna.

Subiũgit idem Sanctus: *Timidis autem & execratis, & homicidis, & fornicatoribus*, &c. *pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne & ſulphure.* Alia, inquit, timidos & impios manet, & aduerſa ſors. Timidos autem vocat, qui timore deficiunt in perſecutionibus, & non valentes ſuſtinere cruciatus, tyrannis cedunt & conſentiunt. Rurſum illos, qui vim ſibi ſuisque concupiſcentiis, & carni inferre reformidant, quique ſathanæ tentationes & impetus perhorreſcunt.

II. *Memoria Dei reddit homines audaces.*

Aliud remedium ſuggerit Regius Propheta, Deum videlicet ſemper cogitare præſentem: *Prouidebam Dominum*, ait, *in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* Apoſtoli verba continuò aures noſtras pulſent, **Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.** Diſertè de hoc timore Chryſoſtomus, tractans hæc verba Apoſtoli hom. 8. ad Philipp. *Talem timorem*, aiebat, *habebat Paulus, qua propter & dixit: Metuo, ne quo pacto, cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Si enim temporalia ſine timore comparari & diſponi nequeant, quanto minus ſpiritalia. Dic enim mihi, quis litteras abſque timore didicit? Quis artis cuiuſpiam peritus factus eſt abſque timore?* Et immediatè poſt medium ſuggerit: *Quomodo verò*, ſubdit, *comparabitur iſte timor? Si cogitauerimus Deum vbique præſentẽ eſſe, omnia audire, omnia videre non ſolum quæ opere fiunt, & quæ dicũtur, ſed & quæ in corde ſunt omnia, & quæ in profundo ſunt animi: iudex enim eſt cogitationũ & conſiliorũ cordis. Si ita noſmet ipſos diſpoſuerimus, nihil mali faciemus, nihil mali dicemus, nihil mali cogitabimus. Dic mihi, ſi tibi ſemper proximè Principem ſtandum eſſet, non cum timore aſtares? Quando comedis, cogita præſentem eſſe Deum, adiſt enim. Quando dormiturus es, quãdo iraſceris, quando rapis, quando deliciaris, & quidquid tandem feceris, cogita adeſſe Deum, numquam in riſum incides, numquam ad iram accenderis. Artifex etiamſi peritus ſit, cum timore tamen & tremore ſtat, metuens ne ab edificio decidat. Et tu credidiſti, multa bona patraſti, in ſublime aſcendiſti, cautè te ipſum contine, oculumq; vigilantem habe, ne inde decidas. ſunt enim multæ nequitiæ ſpiritales, quæ te deijcere conantur. Seruite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore.* *Pſalm. 2. 11.*

Dei præſentia cogitanda.

CAPITIS SECVNDI

VERSVS. X. XI. & XII.

Contingit autem vt quadam die fatigatus à ſepultura, veniens in domum ſuam iactaſſet ſe iuxta parietem, & obdormiſſet.

Verſ. 11. *Et ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, fieretq; cæcus.*

Verſ. 12. *Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.*

PARAPHRASIS.

Cùmque rediiſſet igitur Tobias domum quadam die, ex illis, quibus de more humãdis cadaueribus dabat ſepulcralem operam, fatigatus iactauit ſe circa parietem, & ſomno tandem correptus eſt.

Verſ. 11. Contigit vt ex hirundinum nido earum excrementa recentia & calida in oculos Tobiæ inciderint, ita vt illum excæcarint,

Verſ. 12. Hoc autem ſpectauit Dominus, dum ſeruum ſuum Tobiam tot modis exercet: quemadmodum antiquiſſimis ſæculis propoſuit Iobum inuictum athlætam, vt homines propoſitâ mercede, qua Deus perfunctos laboribus accumulat, neque ſuccumbant oneri, & diſcant ab optimo, communique magiſtro quomodo excipiendæ, ac tolerandæ plagæ, & contra fortunæ aduerſantis appulſum obnitendum.

SE-

SECTIO OCTAVA.

An apertis oculis dormierit Tobias, an clausis? Quâ ratione stercora hirundinum aliàs medicabilia valuerint excæcare Tobiam, & cur id permiserit Deus?

1. DE primo quæsito nihil Scriptura determinat: sed res est nota, & à multis obseruata, fuisse nonnullos, qui apertis dormierint oculis; neque esse paucos, quibus hoc siue domum, siue vitium fuerit à natura concessum, tradit Plinius lib. 11. cap. 37. Id autem proprium fuisse Tobiæ tradit Athanasius in Sinopsi: *Cùm mortuos*, inquit, *aliquos sepelisset extra septa obdormiuit: & cùm more suo apertos haberet inter dormiendum oculos, albuginem illis contraxit, & ab eo tempore visum suum amisit.* Siue ergo aut à natura, aut casu, oculis Tobias dormierit apertis, non erit mirabile, hoc posito, quòd stercus illud naturâ calidissimum vtrumque aspersérit oculum, & exusserit, ac visionis instrumenta vis illa ignea, pestilensque corruperit. Si verò clausis vt homines solent, Tobias obdormierit, difficile erit conijcere, quomodo stercora illa oculos ita lædere potuerint, aut quæ tanta vis stercoris simul excidere potuerit, ab vna vt apparet, auicula, vt vtrumque compleuerit oculum, & totam videndi facultatem ademerit.

2. *Quomodo hirundinũ stercora potuerint oculos clausos excæcare?*

Sed respondeo ad hæc breuiter verbis Sanctij in hunc locum: *Hic ego*, inquit, *non nudam rerum naturam intueor, quæ fortasse, quæ hic admiramur, non sine causa, vniuersa præstare non potuit: Sed qui Tobiam virum patientiæ exemplar omnibus esse voluit, res ita disposuit; vt ab infirmis causis imitatis prouenirent effectus, & ita exiguum illud stercus in clausos Tobiæ oculos direxit, temperauítque, vt nihil obstarent oppositæ palpebræ, quo minus clausas attingeret pupillas, & illas acri quadam, & pestilenti qualitate corrumperet, & cernendi vim totam dissiparet, & solueret. Neque nunc primùm Deus rebus minimis mole, & virtute admodum infirmis vim addidit nocendi maximam, & ad sternenda maxima etiam pondera potentissimam: vt apparet in Aegyptijs plagis, & asini maxilla, qua agmen Philistinorum ingens euertit.* In prioribus enim videmus cap. 8. Exod. Deum secundâ plagâ, quæ fuit ranarum, & tertiâ, quæ fuit scyniphum, ac quartâ, quæ fuit omnis generis muscarum, grauiter compescuisse superbiam Pharaonis. De posteriori tradit caput 15. Iudicum, vbi narratur, quomodo Sampson se expedierit à vinculis, quibus eum ligauerant Philistæi, his verbis. *Quì cùm venisset ad locum maxillæ, & Philistijm vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini super eum: & sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta. Inuentamq; maxillam, id est mandibulam asini, qua iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, & ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos, & percussi mille viros.* Sic etiam Christus vmbræ Petri, Act. 5. & Pauli sudarijsac semicinctijs rebus minimis vim indidit ad sanandos morbos, compescendosque dæmones.

3. *Quomodo stercora hirundinum aliàs medicabilia Tobiæ oculos infecerint?*

Mirabilius verò est intelligere, quomodo stercora hirundinum infecerint Tobiæ oculos, quandoquidem certum sit hirundines eam habere à natura solertiam, vt cognoscant, quo possint medicamento cœcitatem depellere, & medicis ostendi, quomodo læsis oculis, ac lippientibus, imò, & omninò cœcis medeantur. Ipsa pullorum medetur oculis adhibita chelidoniâ, quæ ab hirundine nomen accepit, quæ Græcè χελιδὼν quasi dicas, herbam hirundinariam, de qua Tertull. lib. de pœnit cap. 12. *Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia.* de qua item Plinius. *Chelidonium*, inquit, *visui saluberrimum hirundines monstrauere vexatis pullorum oculis illâ medentes.* Sed dicendum est Deo per quàm facile esse, instrumentis à natura, aut arte parum idoneis sua implere consilia, tùm his quæ à natura habent in aliquo genere aut modum aut facultatem medendi, ad morbum in eodem genere inducendum vtatur: & contra vim habent nullam medicam, sed potiùs nocentissimam. Dedit Christus videndi facultatẽ homini à natiuitate cæco, admoto oculis luto, quod vel lyncæis oculis inducere, si rerum naturam spectes, cœcitatem poterat. Ioan. cap. 9. Et in veteri testamento Dei ope, Isaias massâ ficis curauit vlcus Ezechię: quę medicina contraria erat curationi istius morbi, vt Hieronymus notat ex sententia Hebræorum ad caput 38. Isaiæ. mittamus hæc, & examinemus quam ob causam permiserit Deus excæcari Tobiam virum iustum: palam est, quòd Deus multos excæcarit, vel ad malum impediendum, vt Genes. 19. excæcauit Sodomitas, ne Angelis sub specie humana ad Loth diuertentibus vim inferrent. Et Act. 13. Elymam magum, ne impediret Proconsulem magis à fide Christiana suscipienda:

4. *Plurima exempla ex scripturis excæcationũ ob causas.*

da: ad defenſionem etiam ſeruorum Dei, excæcauit, 4. Reg. 6. eos qui Heliſæum quærebant ad mortem. Paulum quoque perſequentem excæcatione triduana conuertit ad fidem. Sed cur viro iuſto Deus hanc tentationem ſuperuenire permiſerit, ratio non eſt vſque adeo expedita. Quidam ex amicis Iob, Elyphas nomine ait c. 5. Iob. *Nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo non oritur dolor.* id eſt, Non temerè, ac ſine cauſa fiunt, quæ in terra hominibus accidere videmus: neque quemadmodum ſine cultore in terra multa naſcuntur, quæ vltrò fundit inaratus ager; ſic dolor ſponte, & ſine cauſa germinat, quaſi vernaculus terræ prouentus. Nam vt peregrinæ plantæ hominum induſtria ſeruntur, & creſcunt, quæ alioqui agrum illum numquam occuparent: ſic dolor, qui à Deo immittitur, ab homine quodammodo peccatore ſeritur, qui radicem in ſuo animo peccati plantauit, ex qua quotidie colligit, quibus pungatur, ſpinas, & quod ad fœces vſque bibat, abſinthium. Sic argumentabatur ille, ſed erroneè contra Iobum virum ex teſtimonio Dei per quàm iuſtum.

5. 1. ratio, quare iuſtos aduerſitatibus agit et Deus, nempe ne quieto diſſoluantur

Ad rem noſtram plures occurrunt rationes. Prima, quod iuſto neceſſaria ſit afflictio, vt euitet ſupercilium, *Ne magnitudo reuelationum*, inquit, diuinus ille Apoſtolus, *extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſathanæ, qui me colaphizet.* Eaque tam eſt neceſſaria, vt ne precibus quidem valuerit illam vexam à ſe auertere Apoſtolus. Poſt multam enim orationem hiſce verbis dignatus eſt ipſum Dominus: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*, 2. ad Cor. 11. Vt ergo in virtute proficeret, ſtimulus hic requirebatur. Compertum enim eſt, motu & agitatione plurima conſeruari, alioquin peritura. Veſtis perpetuo ciſtarum exilio damnata, tineis fit epulum. Horatius lib. 2. ſerm. 3. Stragula veſtis blattarum ac tinearum epulæ, putreſcit in arca. Ferrum, ſi nullo teratur vſu, rubigine deteritur, & vires perdit. Vites, niſi putentur, in ſiluam degenerant. Agrum ab aratro ſemper vacantem obtexunt ſpinæ. Aquam perpetuò ſtagnantem incolunt ranæ, & rubetæ; vuæ, niſi torculari premantur, putreſcunt. Ita hominem extra calamitatis metam poſitum, eneruant deliciæ, occupant vitia. Deus Hethæos, Gergezæos, Amorrhæos, Chananæos, Pherezæos, Heuæos, & Gebuzæos robuſtiſſimos hoſtes in medio Iſraëlis ſtatuit, ne Iſraël vitijs indormiret, ſed haberet perpetuam pugnandi ac vincendi materiam: *Ego*, inquit, *non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt, vt in ipſis experiar Iſrael, vtrum cuſtodiant viam Domini, & ambulent in ea, ſicut cuſtodierunt patres eorum, an non*, Iudic. 2. Et rurſum: Hæ ſunt Gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, vt poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi, Iudic. 3. Cur Hebræi Ægyptum tam inimicam ſunt experti, immitiſſimos habuerunt præfectos, laborem geminatum, flagella perpetuò intentata? Quem finem in his reſpexit Deus. Non alium, quam vt ſuis Ægypti & vniuerſæ idololatriæ tædium, & odium conciliaret. Eò ſpectabant Moyſis exhortationes ad terras fertiliſſimas deſiderandas. Eò permiſſus ſæuire Pharao, vt populus Hebræus odio tam ferocis Domini aliam ſibi patriam indagaret. Viator præſertim lentus ac deſes in amœnis pratis, ſub vmbroſis arboribus, in opacis nemoribus facillimè ſe detineri patitur. Quapropter Regius Propheta apertè pronuntiat Pſal. 40. *Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Omne quod hic homo ſibi parauit ad requiem, hoc ei mutaſti occulto iudicio ad perturbationem.

Plurima motu conſeruantur alioqui peritura.

Deus Iſraëli hoſtes reſeruat, vt quietis ab eo diſcat.

Veriſſimè ad noſtrum propoſitum Gregorius 23. Moral. cap. 15. *Pio Dei conſilio agitur, vt huius peregrinationis, tempore electorum vita turbetur. Via quippe eſt vita præſens, quâ ad patriam tendimus: & idcirco hic occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores cum amœna fortaſſe in itinere prata conſpiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare, eorumq; greſſus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo ſuis ad ſe pergentibus Dominus huius mundi iter aſperum facit: ne dum quiſque præſentis vitæ requie, quaſi amœnitate via paſcitur, magis enim diu pergere quàm citius peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliuiſcatur quod deſiderabat in patria. Qui ſeminant in lachrymis*, inquit regius Propheta, *in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.*

6. *Tribulatio continet iuſtos in virtute.*

Pſal. 125.

Virtus res eſt huiuſmodi, quæ magnas habet laborum remunerationes: vnde oportet nos prius laborare & affligi, & tunc animi remiſſionem, & otium quærere. Optimè Chryſoſtomus in Pſal. 125. *Qui ſeminat*, inquit, *& qui ædificat, & viator, & lignator, & opifex, & denique quilibet homo, ſi eſt aliquid commodi percepturus; & labore, & afflictione opus habet.* Deinde rem ſimilitudine illuſtrat: *Et quemadmodum*, inquit, *ſemina opus habent imbribus, ita nos etiam lachrymis: & quemadmodum terra opus habet vt aretur & proſcindatur, ita anima fidelis progone indiget tentationibus & afflictionibus, ne producat malas herbas, vt eius moriatur duricies, ne nimium efferatur & exiliat. Nam terra quoque, niſi diligenter colatur, nihil boni producit. Hoc eſt ergo quod dicit Propheta, non eſſe ſolum lætandum propter*

Virtutis labor & merces.

reditum, ſed etiam propter captiuitatem, & pro vtriſque Deo agendas eſſe gratias.

7. 2. ratio. *Vt per eas à leuibus noxis eluantur.*

Altera ratio eſt, cur Deus iuſtos multis aduerſitatibus agitet, vt per eas leuiores culpæ eluantur. Dixit Dominus Oſæe 5. ad principes Iuda, quos minus cauto; fecerat vicinorum extrema calamitas: *Super eos effundam quaſi aquam, iram meam.* Sic effundam furorem meum in eos, vt cum torrente, qui præceps & copioſè ruit, comparari poſſit. Rupertus à littera digrediens, diſceptat, cur diuina ira aquæ comparetur; & reſpondet: Quia ſicut aqua viſibilis mundare ſolet ſordes corporeas: ita illa captiuitas mundauit populi peccata vt iam non ſupereſſet in quibuſdam, videlicet tribus pueris, quippiam peccati, propter quod in Babylonicâ fornace lædi deberent eorum corpora. Vult igitur Rupertus ideo aquæ comparari iram Dei, quod iuſtos à leuioribus noxis expurget, vt Babylonicum non noceat incendium. Hoc certum eſt Geneſ.19. miro & inaudito modo vxorem Lothi verſam eſſe in ſtatuam ſalis, ad hoc vt eſſet quaſi marmor & monumentum perenne diuinæ caſtigationis, quo poſteri doceantur Deo per omnia obedire & ſeruire, nec retroſpicere, vt bonis cœptis deſiſtant, & repetant mundi ac carnis oblectamenta: eius tamen peccatum plerique venialem tantùm cenſent culpam, quòd nimium metu perculſa reſpexerit, ne & ipſam flamma corriperet. Sic ſolet diluere Deus venialem culpam in exemplum aliorum. Sic Leuit.10. Naab & Abiu Aaronis filios, nouitate miraculi partim exultantes, partim perculſos & perturbatos, alieno igne thurificantes igné afflat, & occidit; licet venialiter dumtaxat peccarent. Non enim fuerant auſi accedere ad altare, vt inde ignem ſacrum cælitùs datum acciperent; metus vtique terrebat eos, vt eum attingere non auderent; ſed ignis à Domino ex altari Holocauſtorum in eos immiſſus, hanc noxam expiauit; voluit namque Deus recentem legem, & ſacerdotij religionem tam ſeuerâ vindictâ ſancire in poſterorum exemplum. Sic Deus peccatum veniale viri Dei & Prophetę ſancti, qui deceptus ab alio Propheta contra præceptum Domini in eius domo cibum ſumpſerat, morte expiauit, leonis dentibus illi vitam eripiens. Sic Ananiæ & Saphiræ peccatum licet leue morte purgari Dominus voluit, Petro mediante, Act. 5.

Plurimos Deus morte mulctauit ob leuem culpã.

8. 3. ratio. *Vt Dei potentia palam fiat.*

Adhæc Deus ſolet ſubinde calamitates immittere, nõ vt noxas puniat, aut errãtes corrigat, aut vt virtutem erigat, ſed vt potentiam ſuam oſtendat, ipſeq; glorificetur. Sic Lazarũ infirmitate affligi permiſit, vt ſuam omnipotentiam palã faceret. Miſerunt ſorores Lazari Maria & Martha ad Chriſtum, qui Lazari infirmitatem annunciaret, ſed reſponſum acceperunt, *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* Et cùm Chriſtus moras traheret, ſubijt mortem Lazarus. Venit Chriſtus, vt quatriduanum fœtentem à mortuis ſuſcitaret. Mirum hoc videbatur Marthæ, ſed audiuit à Chriſto Domino, *Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris videbis gloriam Dei?* Ioan.11. Non credis fratrem ſuſcitandum ante diem nouiſſimum, in credulitas hæc, & fidei inconſtantia mihi diſplicet. Crede & videbis miraculum inſigne diuinitatis meæ, & iam iam Lazarum à mortuis reſuſcitatum, hoc eſt videre gloriam Dei. Cæcus quidam erat à natiuitate, de quo plura texit verba Ioannes Euangeliſta cap. 9. Exiſtimabant diſcipuli illam cæcitatem pœnam eſſe alicuius peccati. Dubitabant inſuper, an propter peccatum proprium, an propter alienum hæc illum pœnalitas affligeret. Interrogant Dominum, vt omnium gnarũ, *Rabbi; quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* Reſpondit Ieſvs: *Neque hic peccauit, neque parentes eius.* Calamitates non ſemper pœne ſunt peccatorũ, ſed ideo cæcus natus eſt, vt opera diuinitatis meæ in illa cæcitate expellẽda declarẽtur, & mũdo manifeſtarẽtur. Hoc ſignificant verba, *Sed vt manifeſtẽtur opera Dei in illo.*

Sic affliguntur qui chari ſunt. Sic Tobias cæcitatem experitur. Planiſſimè hoc edixit Angelus Tobiam ſolatus: *Quia, inquit, acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te,* Tob.12. Ieremias, Daniel, Joannes Baptiſta viri moribus integerrimis, vitâ exemplares, miſerias quique ſuas experti. Credendum eſt bonum Deum aliquos inſtar Tobiæ permittere in cæcitatem incidere, ne per ſenſum oculorum alliciantur ad vitia. Nam Bernardus deſcribit oculos in genere eſſe occaſionem peccati, indicium culpæ commiſſæ, & cauſam committendæ. Nam cor ſæpè non optaret, niſi oculus monſtraret; nec concupiſceret, ſi oculus non reſpiceret Eſt igitur oculorum viſio, frequens cordi peccandi occaſio, & vix à corde expellitur, quod ei ſemel imprimitur. Vnde Greg. in Iob ca.31. *Semel ſpecies forma cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis mœnia ſoluitur.* Vide dicta de aſpectu Diſcurſu 7. in VI. Præcep. n. 1.

Aliqui excæcantur ad euitanda peccata oculorum.

De gradibus humiliatis.

Oculi peccandi occaſio

Quarta ratio eſt, vt meritum iuſtorum augeatur: *Deus enim,* inquit Apoſtolus, *flagellat omnem filium, quem recipit.* Heb.12.v.6. filium, inquit, non ſeruum. Quod expendens D. Ambroſius ſerm. 14. in Pſal. 118. *Aſperioribus, inquit, exercet pater filium, quàm Dominus vernaculum. Sed dura patris non æſtimantur flagella, quia vult filium meliorem eſſe quàm ſeruulum.* Quorſum Deus tam multas plagas Iobo viro ſanctiſſimo inflixit, niſi vt augeret coronas? Vnde Diuus Ambroſius citatus, *Probaturus, inquit, iuſtum ſuum per huiuſmodi exercitia, in quibus*

9. 4. ratio. *Ad augendam iuſtorum gloriã.*

Ibi laboris, præmiorum spes.

bus tius probata est patientia, magis dignum, qui præmium haberetur, effecit. Et paulò pòst. *Iob*, inquit, *si non omnem amisisset pecuniam, non tantam inuenisset gratiam. Athletam suum nudum vngere voluit Deus oleo patientiæ: vt & subeundo faceret certamine fortiorem, & emerendo præmio digniorem.* Ac tandem illius aduersitatis commoda enumerans: *Quid igitur*, inquit, *fuit illa tentatio, nisi exercitium fidei, insigne patientiæ; eruditio gloriosa virtutis, confessio plena victoriæ, vt qui ante contradicẽtem habebat diabolum, postea non haberet.* Dauid, quò magis proficiebat, *Iurauí*, inquit, *& statui custodire iudicia iustitiæ tuæ*: Ps. 118 v. 106. eò magis Deum vindicem, & vltorem sentiebat, dum statim subdit: *Humiliatus sum vsquequaque Domine.* Credò, vt ad præmium, contendenti, per diuinæ legis obseruantiam, maius, ac maius aliquod per laborum tolerantiam, adderetur. Imò inter fœminas sanctiores, Saram, Genes. 11. Rebeccam, Genes. 15. Rachelem Genes. 29. Matrem Sampsonis, Iudic. 13. Elizabetham Luc. 1. Deus sterilitate mulctauit, vt ampliori sanctitate ex hac afflictione locupletaret. Et vt Deus nouo miraculo ostenderet filios, qui ex illis nascerentur, non naturæ viribus, sed Dei beneficio natos esse.

10. 9. *ratio: In aliorum exemplum.*

Quinta ratio est, vt egregia patientiæ exempla cæteris proponantur. Sic Ioseph in Ægyptum præmittitur, tot carceres, tot vincula subiturus, vt Hebræi longo post tempore ab Ægyptijs affligendi, vnius exemplo Iosephi ad strenuam patientiam animarentur? Sic Iudæi propter eorum scelera in captiuitatem abducti, aliqui semper cum illis ex sanctissimis prophetis, vt Isaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel; alijque iustissimi viri, vt Tobias noster, ac similes abire permittuntur, vt Hebræi laboribus non succumberent, sanctorum exemplis prophetarum excitati. Sic Isaac, & Tobias, à Deo cæcitate plectuntur, vt alij, qui simili à Deo infortunio plecterentur, sanctissimos viros imitati, quò minus terrena viderent, eò magis diuina contemplarentur. vnde hîc de Tobia: *Hanc tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.*

11. *Deus constituit suos in spectaculum & spectaculum mundo.*

Constituit enim Deus suos, ad aliorum bonum tanquam spectaculum & portentum, vti Abraham, & filium Isaac, Genes. 22. vt insinuat Paulus Hebræ. 11. v. 19. 20. *Fide*, inquit, *obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur: & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones. Ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. vnde eum & in parabolam accepit.* Promiserat Deus Abrahamo stirpem innumerabilem per Isaac, & præcipit eundem offerri, & occidi. Non moratus Abraham hasce promissiones, Dei iussu fidenter, & generosè Deo filium offerre paratus est, quia fide credebat, Deum modum inuenturum, puta resuscitationem Isaaci, quo per eum promissam stirpem daret, & compleret: *Cùm ergo*, inquit Chrysostomus, *Deus aliquid promittit, etiamsi millia sint, quæ promissionem huiusmodi obtundant, atque intercipiant, turbari minimè conuenit, aut de fine dubitare. Deus enim promissa sua, licet desperatissima videantur, ad certum finem, atque exitum perducet.* Hoc credidit Abraham, & propterea à huius tantæ fidei merito incolumem, & à morte miraculosè seruatum, saluumque filium recepit in parabolam, id est, in exemplum memorabile, & prodigium sæculorũ, quod quauis ætate posteri narrare, proponere, & imitari deberent: vt cùm Deus per se aut suos nobis aliquid iusserit, licet arduum & difficile, exemplum, Isaac ob oculos habentes, fidentes & generosè nos offeramus, remque iussam capessamus, certi Deum affore, implexa explicaturum, ardua superaturum, ignominiam, infirmitates, ærumnas, mortes, omniaq; mala, quæ timemus, in bonum nostrum, laudem & gloriam conuersurum; vti fecit Isaaco. ita iam videmus hoc Abrahæ & Isaac fidei & obedientiæ exemplum & præmium, ab omnibus celebrari, omnibusque proponi.

Lib. 1. de Prouid. Dei

Dei promissa firmissima.

Obedientiæ prompta exemplum in Abrahamo & Isaaco.

12. *Isaiæ portentum fuit Israeli.*

Sic fecit Deus Isaiam vatem portentum, cum ostendit ei suum solium, glotiam & Seraphim cap. 6. misitque vnum è Seraphinis, qui calculo labia eius sidureret, & purgaret, vt liberius prædicaret populo Israëlitico, & cæcum illũ aut esse tunc, aut futurũ declararet. *Excæca*, dicebat ad illum Dominus, *cor populi huius, & aures aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* Dic, inquit, futuras esse cæcas illorum mentes, obstruendas, atque aggrauandas aures, claudendos oculos, ne oculis suis obiecta cernant; ne auribus capiant, vel quæ à me dicentur; vel quæ meo nomine ad ipsos deferentur mandata. Denique ne ad illorum animos, eorum quæ maximè nouisse intererat, cognitio perueniat. Ex quo fiet, vt neque vitam mutent, neque salutem à mea benignitate consequantur. Durum illud quidem, & ex quo præter irrisionem nihil expectandum: libenter tamen obedit Isaias.

Coniurarant cap. 7. Isa aduersus Regem Achaz, populumque Iudaicum aduersis bellis iam sæpè debilitatum, & attritum duo Reges potentissimi Syriæ, atque Samariæ. Quorum armis cùm rex resistere se posse diffideret, auxiliares Assyriorum copias conducere meditabatur. Huic à Domino libertatem, & salutem promittit Isaias: insuper duorum Regum, & duorum etiam regnorum proximum interitum. Addit præterea, si credere nolit, & in eo consilio, de asciscendo externo auxilio perseueret, Iudaicum statum aliquando

ab Assyrijs, quorum se, rempublicamque totam fidei, atque præsidio crediderat, non dissimilem subiturum esse vastitatem. Offert deinde, quo magis Regis, ac procerum de genere Dauidico animos confirmat, signum quodcumque velit oblatæ salutis. Quod Rex væsanus religionis specie recusauit. Sed, qua est Deus bonitate, nihilominus promissa præstitit; & illum insperatum euentum signum esse voluit, nascituri postea Emanuelis è virgine. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* quasi dicat. Tu quidem, ô Rex, impie, promissionem respuendo, Dei decretum euertere velles, sed frustra. Nam sancta & inuiolabilis manebit eius sanctio; nec obsistet tua perfidia, & ingratitudo, quo minus Deus populo suo perpetuus sit liberator. Tandem enim Messiam Iudæorum Gentiumque Redemptorem & Saluatorem ex virgine suscitabit. Rem, inquit, nouam, stupendam, ac portentum faciet Deus, & contra communem, hominum indolem pietate sua certabit cum impietate hominum, nec patietur se ab ea vinci. Sic quasi portentum fuit Isaias, cum hæc rara & inaudita populo graui iniquitate, firmissimè enuntiaret.

Sic in spectaculum & portentum constituit eundem Deus, quando sacco quasi cilicio super nuda carne induto instar Capucini, habitu pœnitentiæ, voluit assiduè cum concionari; vt ea ratione stupentes, & duras hominum mentes excitaret, feriret, molliret & flecteret. Denique cùm voluit eum virum nobilem, & è regia stirpe oriundum, per celeberrimam vrbem Hierosolymam pleno die, toto corpore plane nudum per triduum, vel, vt alij volunt, per triennium concionabundum, certæ rei præsignandæ causa, incedere. Vide Caput 8. Isaiæ.

13. *Item Ieremias*

Sic posuit Ieremiam quasi signum, & sagittam, vt ipse inquit Threnor. 3. id est, scopum in quem ipse Deus, & homines sua tela collimant, & in eum configant. Sic Deus Ezechielem constrictum & elinguem domi Prophetam signis loqui vult, notisque hieroglyphicis; quod vnum muti præstare possunt: inde iubet tabulam sumere, quam cap. 4. laterem appellat, in eaque describere, quàm sit angusta obsidione premenda Hierosolyma; deinde sartaginem propè ciuitatem constituere, in qua Chaldæorum adumbraretur exercitus esset militare signum, aut olla succensa, aut in sartagine, seu prunario vase ardentes flammæ. Denique iubetur in latus decumbere sinistrum 390. dies, quibus portendat tempus, quo vrbs obsidebitur: ijsque exactis conuerti iubetur ad dextrum latus diebus quadraginta, vt illis portendat totidem die-

Vt Ezechiel.

bus duraturum excidium vrbis. Ad extremum verò, panes ex varijs seminibus commiscere iubetur, & sub humano stercore torreri (sed obsecrans impetrat id fieri posse stercore boum) pro numero dierum, quibus duraret ciuitatis obsidio & singulis diebus vesci ex illis panibus ad mensuram angustam: vt portenderet, quantum obsessæ futura esset angusta res cibaria. quæ toto cap. 4. Ezech. latius describuntur.

Idem Propheta iubetur cap. 12. imaginem quandam exhibere viuam in seipso, quæ ciuium, qui remanserant in vrbe, captiuorum oculis fortunam planè miserabilem obijceret. Illa erat, quod assumeret peregrinantis insignia, & cum viatorijs vasis tanquàm aliò commigrans ciuitatem obire. Et vt Regis Sedeciæ aliorumque sociorum fugam ignobilem, & cõprehensionem in seipso significaret, iubetur parietem perforare, & noctu egressus aliorum portari humeris obuelata facie: quæ actio planè tragica tragicos Sedecię exitus adumbraret. Denique iubetur comedere & bibere in conturbatione & merore panem suum festinanter, vt repræsentet idem facturos ciues obsessa Hierosolymà, & breui rem esse cõplendam: quod est contentum ferè capitis. 12. Christus ipse portentum visus fuit in terris. Apostolus, inquit: *Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus.* quasi dicat, Existimo Deum post Isaiam, Ieremiam, & alios Prophetas, vltimis hisce temporibus misisse nos in mundum, tanquam fontes morti destinatos, & ad bestias damnatos. Angelis bonis spectaculum facti sumus compassionis, & pariter dignæ admirationis; malis autem odij & gaudij, confusionis pariter & terroris. Hominibus bonis spectaculum sumus, & exemplum fortitudinis fidei, innocentiæ patientiæ, mansuetudinis, constantiæ, & sanctæ conuersationis. Edmundus Campianus nobilis Angliæ Martyr verè campianus, verè pugil, & Athleta Christi, iam Martyrio afficiendus in theatro hoc vltimum concionis suæ thema proclamauit: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nullum theatrum virtute & conscientia maius est*, inquit Cicero quæst. 2. Tusculan. Apud Christianos verò nullum maius martyrio. Paula cum quidam susurro, præ nimio feruore virtutum fugeret illam videri insanam, & cerebrum illius, diceret confouendum, respondit: *Theatrum, seu spectaculum facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus, & nos stulti propter Christum: sed stultum Dei sapientius est hominibus. Vnde & Saluator loquitur ad Patrem: Tu scis insipientiam meam.* Et iterum: *Tanquam prodigium factus sum multis, &*

Apostoli, & ijsdem sancti viri spectaculum sunt.

Theatrum S. Paulæ.

vt adiutor fortis; vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. ita refert Hieron. in eius Epitaphio.

SECTIO IX.

Nihil casu contingere in hoc mundo, & Deum iustorum patientiam exercere ad aliorum institutionem.

1. *Omnia à Dei prouidentia proficiscuntur.*

SALOMON clamat Sap. 7. de prouidentia Dei: *Pusillum & magnum ipse fecit, & aqualiter cura est illi de omnibus.* Ex quo colligitur nihil vspiam orbe toto fieri fortuitò & casu, si videlicet rem ad diuinam prouidentiam consideremus. Nam si ad nostram dumtaxat, seu prouidẽtiam, seu scientiam res examinemus, plurima casu quodam & fortè fortunâ fieri putabimus. Si verò ad diuinam intelligentiam, nihil fieri casu reperiemus. Diuina namque intelligentia infinita est, extenditque se sine vllo labore ad omne quod intelligi potest. Deus puncto temporis, vno eodemque, vt sic dicam, ictu oculi, sinus omnes & abyssos cœli, terræ, maris, inferorum penetrat ac peruidet.

2. *Gentilium est casui aliquid ascribere.*

Christianorum schola casum explodit, Gentilium insania casui euentus ascribit. Palæstini cum experti essent grauissima mala, quod Arcam Dei penes se seruarent 1. Reg. 6. tandem deliberant in locum suum Arcam omninò reducendam plaustro nouo, & duabus vaccis fætis, quibus non fuerat impositum iugum reclusis vitulis earum domi. Iubent Sacerdotes, vt nullus plaustro imponatur auriga, sed sine rectore pergant vaccæ, quocumque illarum ferretur appetitus; persuasi illis pro rectore & auriga fururum esse Dominum, qui eò ageret quantumuis inuitas & obluctantes vaccas, vnde sumi possent de illatæ calamitatis causa, certæ coniecturæ: *Siquidem*, inquiunt, *per viam finium suorum ascenderit (Arca) contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: Sin autem minimè, sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit.* Erratis miseri. Melius quidam amicorum Iob, Eliphaz nomine. *Nihil in terra sine causa fit*, Non temerè, ac sine causa fiunt, quæ in terra hominibus accidere videntur. D. Augustinus locuples testis est, explanans illa verba Psal. 9. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua*: Non *in toto corde*, inquit, *confitetur Deo, qui de prouidentia eius in aliquo dubitat. Sed quia iam cernit occulta sapientia Dei, quantum sit inuisibile pramium eius, qui dicit, Gaudemus in tribulationibus: & quemadmodum omnes cruciatus qui corporaliter inferuntur, aut vt exerceant conuersos ad Deum, aut vt conuertantur admonent, aut iusta damnationi vltima præparent obduratos: & sic omnia ad diuina prouidentia regimen referantur, qua stulti quasi casu & temerè & nulla diuina administratione fieri putant, ait: Narrabo omnia mirabilia tua.* Quod idem est ac si dicat, Nec bonum, nec malum contingit nisi ex Dei prouidentia, eiusque nutu aut permissione. Gaudet in tribulationibus Paulus, Dei donum est non casus. Visitatur aliquis à Deo corporali morbo; si iustus est, exercet illum Deus: si peccator, monetur conuerti ad Deum, si obduratus, damnationi præparatur, qui conuerti noluit. Nihil ergo casu aut temerè fit.

3. *Moyses non casu, sed Dei dispositione seruatus est.*

Libet rem Scripturæ exemplis illustrare. Seruatur Moyses in viminea fiscella expositus, seu scyrpea, seu papyracea in morem paruæ cymbæ efformatâ, adeò vt aquis commodè innatare posset. Descendit *filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrone, misit vnam è famulabus suis: & allatam aperiens, cernensque in ea paruulum vagientem, misertæ eius, ait: De infantibus Hebræorum est hic.* Exod. 2. Suspicabatur idipsum ex circumstantijs, & imperio regio, quod volebat omnes masculos Hebræorum in profluentem abijci, & ex multis huiusmodi casibus qui iam acciderant. Iubet illum per Hebræam mulierem, stipulatâ mercede nutriri. Adoptat adultum in locum filij. Quis hic non casum diceret? sed Dei prouidentiâ filia Pharaonis lauandi causa descendit: fiscellâ visâ, misericordiâ tangitur, & instinctu Mariæ sororis Moysis, propriæ matri traditur educandus. Adultus à filia Pharaonis adoptatur in filium annuente patre. Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. perpendens adoptionem factam volente Rege, etsi Moyses satis agnosceretur pro Hebræo, rem omnem in Dei prouidentiam refert, qui videlicet Regum voluntates, quò vult, flectit, & eximiam pulchritudinem, præclaram Moysis indolem, quæ tam filiæ Pharaonis, quàm ipsiusmet Regis animos propẽsiores, in Moysem fecit: Hic, inquit, *manifestissimè Deus declarauit, nihil humana sapientia, sed omnia bonitate illius omnipotenti confici: eosque qui propter vtilitatem suam aut securitatem alijs perniciem moliuntur, quantalibet vtantur diligentia, sæpè tamen voti compotes non fieri: rursum qui in periculo versantur, præter opinionem è medijs sæpè malis emergere.* Et deinde historiam ad longum enarrat, admixtis quibusdam, quorum penes ipsum sit fides.

4. *Nẽ fortuitò, sed à Deo contingit alicui bona vxor.*

Contingit alicui prudens vxor, putatur casu fieri, sed Hebræus Sapiens planissimè affirmat, Prouerb. 19. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus; à Domino autem vxor prudens*: Domum & diuitias, inquit, acquirit aliquis ordinariè à Deo, sed per parentes; vxorem autem prudentem singulari Dei beneficio.

Cui consonat Siracides Eccles. 26. *Pars bona*, inquit, *mulier bona: in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis suis.* Quod mulierem bonam quis assequatur, non casu fit, sed quod Deus pietatem eius remuneret. Thesaurũ inuenit tossor aliquis pauper, casus existimatur, sed paterna Dei contingit bonitate, qui opes ideo illic ab auaro recondi voluit, vt eas pauper eo loci fossurus reperiret, & ditesceret. Deo nihil est fortuitum, hominibus dumtaxat videtur, qui cæculi plurima putamus casu fieri, quæ tamen omnia ab æterno Dei consilio & prouidentia proueniunt, ad instar heri, qui è domesticis duos herilis consilij ignaros, diuersis vijs mittit ad eundem omninò locum; occurrentibus inuicem casus videtur, qui minimè talis apud Dominum existit, cùm eum ita voluerit, & præuiderit. Ita in rebus omnibus, quæ nobis fortuitæ videntur, diuinæ gubernationis admirabilissima elucet prouidentia, quæ non præest solùm rebus omnibus, sed interest, imò inest.

Nec casus est, inuenire thesaurum.

Quæ nobis fortuita videntur, Deo minimè talia sunt.

5. *Exemplum in Hieremia & Hanameele.*

Luculentum habemus exemplum apud Hieremiam vatem cap. 32. Venit ad ipsum in carcere constitutum Hanameel filius patrui eius, & ait: *Posside agrũ meum, qui est in Anatoth in terra Beniamin: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es vt possideas.* Quis non putaret casum esse, quod Hanameel à Ieremia cognato incarcerato postularet, vt iure propinquitatis agrum redimeret, cùm neq; alienus emeret, quandoquidem res Iudaica iam penè in Chaldæorum esset potestate; neque æquitas postularet, aut ratio, vt quis agrum redimeret ab externo possessore, ex quo nullum esset fructum percepturus? sed minimè casus existit. nam Deus iniecit Hanameeli mentẽ vendendi agrum vrbe obsessâ, cùm res essent deploratæ: ita vt nemo agrum empturus videretur, iussitq; Hieremiæ, vt à cognato agrum sibi emeret, ex quo nullum omninò fructum habiturus esset. Isque intellexit Deum id velle: *Intellexi*, inquit, *quod verbum Domini esset*, qui videlicet illa emptione portendere & prædicere vellet futuram è captiuitate liberationem, & reditum in Iudæam, quo quisque ad sua prædia regressurus erat. Vnde Prophetico muneri satisfaceret, & diuino parêret imperio, iacturam fecit illius pecuniæ, quam in emendo agro iussus est expendere, scripturaque legitima, ac publica obsignatam fidem in vase cõdit fictili. Quod testimonium esse Dominus voluit regionis aliquã-do ad pristinos dominos redituræ. Nã ideo in vase fictili claudi voluit Dominus emptionis instrumenta, ne situ, aut humore putrescerent, aut tempore aliquid paterentur, sed integra manerent, donec Caldæorum arma cessarent? Vnde sacer textus subiungit post mandatum condendi in vase fictili instrumenta, *vt permanere possent in diebus multis*, &c. *Adhuc possidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra ista.*

Sortes aliquando in ollam aut vas colliguntur, vt postea vnicuique sua contingens portio hæreditatis assignetur; putamus casu id fieri; sed Hebræus Sapiens docet nihil in humanis rebus geri sine nutu, & dispensatione diuina, vt ne sortes quidem, quæ cæcæ fortunæ tribui solent ab hominibus, & sine ratione putantur cadere, aliter eueniãt, quàm pro moderatione diuina: *Sortes*, inquit, *mittũtur in sinum, sed à Domino temperantur.* Hebræis est, *In sinum proiiciatur sors, & à Domino omne iudicium eius*, qui videlicet cuique occultâ suâ æquitate sortem attribuit, & disponit. Regius Propheta Dauid id probè animaduertit in omnibus suis angustijs: vnde cum post maledictionem Semei. cõsilium coram Absalone de ipso occidendo iniretur, inquit: *Ego in te sperauí Domine. Dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.* Inter tot angustias, inquit, non despondi animum, neque spem fixi in auxilio hominum fallaci; sed in Deo omnipotente, cui nemo resistere potest, in cuius manibus tempora vitæ & mortis meæ constituta sunt. Agant homines, & moliantur in me quidquid libuerit; maledicant, vituperent, consilium ineant me necandi non viuam nisi quamdiu tu volueris, neque moriar, nisi quando tu volueris. Sortes vitæ vel mortis meæ non pendent à sorte, sed à manu tua, potentia tua, & voluntate tua. *In manibus tuis sortes meæ.* Ps. 30.

6. *Sortes quæ fortuna distribuuntur, non prouenunt abea.*

Prouerb. 16.

Visitatur aliquis à Deo vir maximè iustus nõ tribuit casui, sed Deo Iob idipsũ apertissimè cõfitetur. Audit ipse Sabæo boues & asinos abstulisse, pueros percussisse gladio, Chaldæos inuasisse camelos, & abstulisse, ventum studio diabolico irruisse à regione deserti, concussisse quatuor angulos domus eamque corruentem oppressisse liberos, & ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Tobias vir optimus hirũdinum stercore excęcatur; autumaret aliquis casui asscribendum esse; sed sacer textus casum omninò explodit, & Deo permittenti totum asscribit. *Hanc*, inquit, *tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* Disertiùs Angelus, cap. 12. rem explanat: *Quia*, inquit, *acceptus eras Deo, necesse fuit; vt tentatio probaret te.* Verissimè ergo Eliphaz dixit: *Nihil in terra sine causa fit.* Visitatur Peccator non fit casu, vt quid aduersi experiatur. Adamo dictum fuit Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi.* Quare si quis Adamũ è paradiso exclusum interrogaret, vnde illa spinarum leges, vnde labor,

7. *Visitationes Dei, non casui, tribuendæ.*

labor, & dolor, quem ſpinarum aculeis compunctus patiebatur: reſponderet omninò, nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo non oritur dolor. Sed dolorem non antea peperit, quã fuit à peſtilẽti peccati ſemine grauidata. Radix amaritudinis vocatur peccatũ. Vrbs aliqua obſidetur, caſui aſſcribunt plerique homines, quod hoſtis in eam obſidionem reſoluerit. Error eſt, etiamſi iactâ ſorte eò perrexerit: nam Dominus eſt, qui ſortem temperat. Exemplum habemus luculentum apud Ezechielem vatem, cap. 25. Nabuchonoſor captatâ Gentilico more diuinatione in biuio, ad Hieroſolymam potius, quàm ad Ammonitidem regionem arma conuertit. Stabat ille in biuio, & captatâ diuinatione, ſiue ſagittis in id conſilij ex arte coniectoria compoſitis, ſiue exuſpicijs, aut falſorum deorum oraculis deliberabat vtram in partem inuehat Babylonicas vires. Exijt ſors, quæ iuſſit, vt contra Hieruſalem moueret caſtra, Deo ſortes temperante. Quamuis enim ille grauiſſimè peccauerit, Gentilica illa diuinatione, tamen Dominus temperauit ſortes, fecitque vt illa primum exiret quæ deſignabat dexteram, ſeu Hieroſolymam. Volens Hieruſalem per eum punire, Ammonitide regione ad tempus declinatâ, inſtructam aciem mittebat Hieroſolymã verſus. Nihil ergo caſu fit, ſed à Diuina prouidentia omnia dimanãt.

Vrbs aliqua obſidetur non fortuitò, ſed à Deo.

9. Aliud exemplum habemus in Achab, qui, cùm monitus primùm ab Elia vſque adeò ſe humiliaſſet, vt Deus plurimum de minaci vaticinio, quod illi enuntiarat poſt occiſum Naboth, remitteret, & poſtmodum decernens bello repetere Ramot Galaad, locum ad Iſraëlitidem ditionem pertinentem, de eiuſdem belli euentu pſeudoprophetas conſuluiſſet, qui ſecundos promittebant euentus; ſperneret autem Michæam Prophetam Domini, mortem illi prædicentem, ſi eò pergat; nihilominus, eo in vincula coniecto, bellum aggreditur; vtque ſibi caueret, & certiſſimè prouideret, ſciẽs hoſtiũ impetũ cõtra Reges eſſe acerbiorẽ, vulgarẽ gregarij militis habitũ aſſumpſit, regium tanquam imperatori, Ioſaphat reliquit, qui experiens communem ab omnibus impetum in ſe fieri, repreſſit armatas inimicorum manus, ſe alium ſignificans: *Vir quidam* inquit ſacer textus, *tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſraël inter pulmonem, & ſtomachum.* Nihil ergo profuit Regi Iſraël depoſuiſſe regium inſigne, & veſtimentum adhibuiſſe vulgare, vt declinaret vulnus, quod timebat, & quod ex Michææ vaticinio ſuſpicari poterat futurum lethale; nam telum quoddam incertum, & quaſi à ludibundo ſagittario proiectum, Deus qui errare à ſcopo non poteſt, ad pectus Achab ſine errore direxit, ad eam partem, in qua vulnus altius adactum non poteſt non eſſe mortiferum. Mirum ter mirum. Quando, etſi ſagittam attentiſſimè emitteret, ſic percuſſiſſet gregarius ille inter iuncturas loricæ vt legit Chaldæus, niſi illam direxiſſet Deus? Totus extabat armatus, ferro vndique cinctus, inde ſecurum ſe exiſtimabat; at nunquid iuncturæ Deum latere potuerunt. Per eas ingreſſa eſt ſagitta, caſu ab homine emiſſa, ſed Deo manum dirigente & mouente, omniaque iuſtè gubernante: *Quòd qui credunt*, inquit Athanagoras Philoſophus Chriſtianus, *æquum eſt, vt nihil exiſtiment, neque terreſtrium, neque celeſtium rerum curâ & prouidentiâ deſtitutum eſſe, ſed in omnia aque tum quæ in aperto ſunt, tum quæ latent, in magna item & parua penetrare creatorii ſolitudinem*; quæ videlicet iuncturas loricæ tam acutè ſagittam penetrare fecit.

Achab non fortuitò caſus in loco vnum putabat inuiſum.

10. Sic nihil caſu contingit, ſiue bonum, ſiue malum, ſiue magnum, ſiue paruum, ſiue præuiſum, ſiue ſubitaneum, ſed omnia à Dei prouidentia diriguntur. Tempore Natiuitatis Chriſti, edicto Cæſaris Auguſti contigit, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, id eſt, pars illa orbis, quæ Romani Imperatoris imperio parebat. Minimè putandum eſt, caſu Chriſtum tunc temporis natum, cùm deſcriberet totum orbem Imperator, vt videlicet ſciret, quantum pecuniæ, ac vectigal extrahere poſſet à ſingulis capitibus: ſed magno myſterio effectum eſt, vt tunc deſcriberetur, quando naſcebatur Chriſtus, vt videlicet tempus aduentus Chriſti promiſſum manifeſtaretur, quãdo Iudæi iam ſub alieno Principe erant, qui etiam ipſis & Gentibus imperabat: tunc enim venturus promiſſus eſt Geneſ. 49. quando ſceptrum Iudæorum deficeret, & ſub alienigenæ eſſent poteſtate: tum etiam quia ille naſcebatur, qui pro ſingulis Iudæis & Gentibus paſſurus veniebat, omnes, quantum ex ſe erat, à tributo peccatorum, & ſubiectione diaboli liberaturus: vtque ſignificaret ſuo euentu non eſſe regna temporalia euertenda, ſed perficienda & confirmanda.

Probatur aliis exẽplis nihil in hoc mundo fieri fortuitò.

11. Duo deſcribuntur 4. Reg. 13. quæ planè videntur caſualia, ſed apud homines, non apud Deũ. Grauis morbus Heliſæum vexabat, qui hoſtium terror, & patriæ columẽ putabatur, ad quem Ioas lachrymabundus venit, & ſuã populique ruinam deplorans Heliſæo ſublato dixit: *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius)* quem moriturus Propheta melioris fortunæ expectatione confirmat, ex ſagittarum coniectu victoriarum numerum de Syrorum exercitu prædicens, hoc modo: Arma iubet adduci Propheta, quæ Hebræis erant familiaria, arcum videlicet, & ſagittas, quas ita à Rege vibrari iubet, vt tamen ma-

num ſuam regiis manibus ad ſagittarum emiſſionem admouerit. Quo ſignificabat ſuum illi exilium non defuturum, etiamſi à patria, imò & à viuis procul abijſſet. Deinde aperiri iubet feneſtram orientalem, ſpectantem Syriam; & iactâ à Rege ſagittâ, dixit Heliſæus: *Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam, percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.* Quo hieroglyphico ſigno exitium minatur Syriæ (quæ iam pridem ſæpè, & nunc maximè Iſraëlis imperio moliebatur exitium) ſi ſepiùs videlicet terram iaculo percuteret. Quod propterea illi ſtatim mandat Propheta, dicens: *Tolle ſagittas, & percute iaculo terram* Cumque ſagittis ter percuſſâ dumtaxat terrâ, à percutiendo ceſſaret, condoluit grauiter Heliæus, & indignatus quod non ſæpiùs terram percuſſiſſet, inquit: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Pro percuſſionum enim numero, victoriarum quoque numerus erat futurus. Quis non hic putaret caſum? Non conceſſerat Prophetæ Deus, vt numerum percuſſionum Regi prædiceret; ipſe autem Rex, qui ſæpiùs debuiſſet iaculo percutere terram, ternâ vice ſubſtitit: quia relinquere voluit Regis arbitrio. Quod ſine dubiò monuiſſet, ſi voluiſſet per eum Syriam conſumi.

Alterum eſt, quod caſuale videtur, ſed minimè caſuale exiſtit. Poſt prædictam Regi Ioas de Syris victoriam tertiò, decedit Heliſæus, ſepelitur honorificè in ſepulchro, quod modum haberet ſpeluncæ, quale fuiſſe dicitur Chriſti Domini, & aliorum, quorum in Scriptura fit mentio. Contigit autem, vt viri pij meditarétur cadauer alicuius hominis ſepelire, & in proprium deducere ſepulchrum, quod longius aberat: ſed videntes latrunculos, cùm propè eſſent Heliſæi ſepulchro, corpus illud exanime tumultuariè, ac raptim, eò iniecerunt. Idque contingens oſſa Heliſæi, *reuixit homo, & ſteterit ſuper pedes ſuos*: ita vt nullum ſentiret neque à morte pallorem, & maciem, neque incommodum ab aduerſa valetudine; ſed robuſtus eſſet & vegetus. Id caſu factum non eſt, ſed prorſus diuina intelligentia, qui illo rerum articulo permiſit latrunculos, quorum cauſa alij cadauer inijcerent in ſepulchrum Heliſæi, vt eius oſſa contingens reuiuiſceret, qui fuerat mortuus, & ſanctitas Prophetæ magis eluceſceret; cuius fama per contrarium euentum prædictionis potuiſſet minui apud illos, qui ignorabant eſſe conditionatam, cum Ioam Regem lachrymabundum melioris fortunæ expectatione confirmauerat.

Quidquid ergo fit, nihil præter Dei prouidentiam accidit, ſed omnia ab illa diriguntur, vel permittuntur. Optimè Siracides: *Mala & bona, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Nihil caſu fit, aut fortuitò. Ita non caſu factum eſt quod hirundines Tobiæ domum inuolarent, & virum optimum viſu priuarent; ſed *hanc tentationem*, inquit ſacer textus, *adeò permiſit Dominus, euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ.*

12. *Tobias non casu excæcatus, ſed ad poſterorum exemplum. Sanctorum patientia nobis in exemplum proponitur.*

Ad poſterorum itaque inſtructionem hanc cæcitatē Deus illi permiſit euenire. Appoſitè Diuus Chryſoſtomus hom. 1. ad populum, *Ideo*, inquit, *Deus Sanctos tribulari permittit, vt reliqui in grauia incidentes, ſufficientem mitigationem, & conſolationem habeant in eos reſpicientes.* Si placet, recolamus aliquos, & quidem ab initio mundi, vt meliùs componamur ad patientiam. En ſtatim occurrit præ foribus Abel, qui occiſus à fratre ſcribitur, Geneſ. 4. cùm tamen Deo eſſet gratiſſimus, eique obtulerit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: ita vt reſpexerit Dominus ad ipſum eiuſque munera; Caino eiuſque muneribus, quia vilibus, neglectis. Quod communiter tradunt Patres Deum oſtendiſſe igne de cœlo miſſo in ſacrificium Abelis, qui illud conſumpſit: quia pluries ignis & cōflagrationis victimæ ſigno poſtmodum Deus probauit, & acceptauit ſacrificia, vt Gedeonis Iudic. cap. 6. v. 21. Manue Iud. 13. v. 20. Araonis Leuit. 9. in v. 24. Eliæ 3. Reg. 18. v. 38. Dauidis 1. Paral. 21. v. 26 Salomonis 2. Par. 7. v. 1. Nehemiæ 2. Machab. 1. v. 32. Eum tamen paſſus à fratre ad mortem euocari in agrum, nec quidquam reluctatus legitur.

Exempla Scripturæ.

Adeſt rurſum Iacob, qui multos perpeſſus labores ſolus perrexit in Meſopotamiam, & in via viſione illuſtri à Deo dignatus, & per luctam cum Angelo confirmatus quòd prævaleret contra fratrem, potiùs elegit iram fratris ſui muneribus placare quàm viribus ſuperare. Ioſeph à fratribus venditus, à ſua domina falſo accuſatus, in carcerem coniectus, cum omni patientia, & manſuetudine meliorem exſpectauit ſucceſſum. Moyſem & Aaronem ante oculos deducamus, qui perſecutionem populi paſſi ſunt, ad tabernaculum cucurrerunt pro ipſo populo exorantes, quem fugiebant. Sancta autem eorum mens & tumorem ſuperbientium pertulit, & tamen contra eos ad odium non erupit: *Nam*, ait Gregorius lib. 1. in Ezech. *patientia vera eſt, qua & ipſum amat quem portat: nam tolerare, ſed odiſſe non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris.* Samuelem cogitemus, qui de principatu deiectus à populo, cm ideùm populus petijſſet, vt pro eo ad Dominum preces funderet, reſpondit: *Abſit à me hoc peccatum, vt ceſſem orare pro vobis* 1. Reg. 8. Iudicabat enim peccare, qui pro inimicis non orabat. Dauid ad memoriam deducatur, qui perſequentem Regem cùm poſſet occidere, bonum elegit,

quod

quod ipſe facere tenebatur, non malum, quod ille pati merebatur, dicens: *Abſit à me, vtmittam manum meam in Chriſtum Domini*; atque eum quem perſecutorem dum viueret pertulit, fleuit occiſum.

13. Porrò, frater, aut aliquis ex parentibus, vel amicis tuis repentina, aut turpi morte ſublatus eſt, aut ſoror tua fornicata fuerit, veniat tibi illicò in mentem idem Dauid, cuius filius Ammon propriam ſororem Thamar ſtuprauit, propter quod & ipſe iuſſu fratris ſui Abſalon interfectus eſt: ac tandem ipſe Abſalon proprijs capillis ſuſpenſus, lanceis fuit confoſſus, & ſic miſerè perijt; quæ omnia Dauid patienti animo tulit.

2. Reg. 13. Cuiuſlibet miſeria congruaſſe materiam Scripturæ ad ſe conſolandũ.

Si ignis domum tuam abſumpſit, vel latrones ſubſtantiam tuam deprædati ſunt, aut ſi aliquod aliud tibi infortunium euenerit, propone tibi Iob in ſterquilino iacentem, graui vlcere percuſſum, omni medicamine, imò & linteamine carentem, teſtâ faniem radentem per putredinem defluentem, liberis & omni ſubſtantia orbatum, ab amicis derelictum. De eo autem ſic exclamat S. Auguſt. ſerm. 105. de Temp. *O virum putrem, & integrum! ô fœdum & pulchrum! ô vulneratum, & ſanum! ô in ſtercore ſedentem, & in cœlo regnantem!* Et S. Fulgentius epiſt. 2. c. 9. *Beatus*, inquit, *fuit Iob, cùm in diuitijs iuſtè viueret: ſed beatior, cùm in paupertate iuſtior extitiſſet. Beatus fuit, cùm decem circumdaretur filijs: ſed beatior, cùm vna cunctorum ſimul orbitate percuſſus, in Dei dilectione permanſit immobilis. Beatus fuit in corporis ſoſpitate: ſed beatior factus eſt in vulnere: beatior etiam in acerno ſqualoribus pleno, quàm in palatio marmoribus adornato.*

14. Si captiuitate, paupertate, aut cæcitate premaris, veniat tibi in mentem Tobias ſimilia paſſus, & cui, teſte Scriptura hoc capite, ideò hæc acciderunt, vt poſteris patientiæ præberet exemplum. Apoſtolus ad Hebr. 12. quamplures recenſet varia perpeſſos, *quibus dignus non erat mundus*; quos longum eſſet recenſere. Vnde ſi placet, vide eò loci Authores, & quæ ipſe Paulus enumerat ſe patienter paſſum 2. ad Cor. 11. & 12. & magnam inuenies materiam, & exemplorum ſeriem ad patientiam tibi præpoſitam. Et ne tibi mirum videatur, hæc exempla tuæ ſeruire conſolationi, S. Chryſoſtomus, dum in exilium pelleretur ab Eudoxia, propoſitis ijs qui ante ipſum paſſi fuerant, ſe exulem, & alium virum grauem in exilio conſtitutum ſolatus eſt: Sic enim exorditur epiſtolam ad Syriacum Epiſcopum exulem ipſe exul: *Age mœſtitiæ tuæ vicus denuò exhauriam, & cogitationes, quæ hanc tibi triſtitiæ nubem inuehunt, denuò diſcutiam*: idque primò nititur, quòd mare turbatum, eiuſque tempeſtatem ac ſæuitiam nutu ſolo Chriſtus valeat ſedare & ſoluere. Deinde exemplo trium puerorum, quos Deus extremum voluit ſubire, antequàm liberaret; denique exemplo ſuo, dicens: *Etenim ego, cùm à ciuitate fugarer, nihil horum curabam, ſed dicebam intra meipſum: Si quidem vult regina me exulem, agat in exilium: Domini eſt terra & plenitudo eius. Et ſi vult ſecare, ſecet. Idem paſſus eſt & Iſaias, ſubſcribat illi. Si vult in pelagus mittere, Iona recordabor: ſi vult in caminum inijcere, idem paſſi ſunt tres illi pueri. Si me feris vult obijcere, obijciat: Danielis in lacum leonibus obiecti recordaber. Si me lapidare vult, lapidet me: Stephanum habeo primum martyrem ſocium. Si & caput tollere vult, tollat: habeo ſocium & Ioannem baptiſtam. Si & ſubſtantiam auferre, auferat: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus etiam abibo. Me admonet Apoſtolus: Hominis perſonam Deus non accipit. Et ſi adhuc hominibus ſeruirem, ſeruus Chriſti vtique non eſſem. Armat me & Dauid, dicens: Loquebar coram regibus, & non confundebar.*

D. Chryſoſtomus ſe exulem Sanctorum exemplis conſolabatur.

Nota obiter ad extrema verba verſus 12. *Sicut & ſancti Iob*, eos qui cum pietate dormierunt, ſeu vitam cum morte commutarunt, rectè nominari ſanctos, & vide deſuper quæſt. Serarij in hoc Caput, vbi ſatis luculenter duplicem beatitudinem pertractat.

CAPI-

CAPITIS SECVNDI

VERSVS. XIII.

Nam cùm ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei:

Verſ. 14. *Sed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias omnibus diebus vitæ ſuæ.*

PARAPHRASIS.

Ecce in quo ſanctitatis exemplar exiſtat, videlicet in eo, quòd cum ab incunabulis ſanctitatem coluerit, neque à Dei mandatis vnquàm recefferit, & indignus omnium hominum iudicio videretur, quem Deus tantâ afficeret plagâ, tamen nil eſt à ſeipſo mutatus, neque ab agendis gratijs vnquam ceſſauit, perinde ac ſi quotidiè nouis à Deo cumularetur beneficijs, & quæ vulgari hominum exiſtimatione iudicatur calamitas, aut iniuria, beneficium eſſet, aut ornamentum eximium.

Pueros ab infantia in fide & bonis moribus vitè inſtrui ſingulare eſſe remedium ad quæuis huius vitæ ſuperanda, vide ad Verſ. 10. cap. 1. per exempla Scripturæ probatum.

SECTIO DECIMA.

Quo ſenſu Tobias dicatur non contriſtatus contra Deum, cæcitatis cauſa.

1. VM cæcitas contigiſſet Tobiæ noſtro, de illo prædicat ſacer textus, *Non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei.* Paradoxum id videtur, quandoquidem cap. 5. dum Angelus illi omne bonum apprecans diceret: *Gaudium* ſit tibi ſemper; reſponderit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.* Hæc enim triſtitiam redolent. Sed attende parumper mi Chriſtiane, breuiter tibi hæc loca conciliabo, & planiſſimè pandam qualiter contriſtatus non fuerit contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei. Eſt triſtitia aliqua leuis, quæ animos etiam virorum ſanctorum nonnihil afficit. Illa Tobiam, & ante eum Iobum, Moyſem Numer. Ieremiam ca. 12. alios in aduerſis caſibus nonnihil turbauit; ita tamen vt nihil cõtra Deum funeſti euomerent; ſed conſolationis recipiendæ cauſa, & aliàs moderatas queremonia, exponerent, vt dixi Diſcurſu 13. in VIII. Præcep. n. 5. Quibus addam alia Sect. 6. huius hiſtoriæ cap. 5. vbi verba Tobiæ. *Quale gaudium mihi erit*, &c. diſcutienda venient. Huiuſmodi triſtitia dicitur non eſſe cõtra Deum, quia non magis difformat in viro iuſto virtutum pulchritudinem, quàm næuus in facie venuſtatem alioquin eximiam; aut vox vna inelegans, & iunctura ſemel atque iterum inconcinna, & durior, vrbanum elegantem, & longam orationem. Diſertè id affirmat Ambroſius lib. 2. Officior. cap. 5. *Quid*, inquit, *laberioſus ſancto Iob, vel in domus incendio, vel filiorum decem interitu momentario, vel doloribus corporis? Numquid minus beatus, quàm ſi illa non pertuliſſet, in quibus magis probatus eſt?* Et immediate poſt ad propoſitum noſtrum, humanæ infirmitatis in tribulationibus quærulę condeſcẽdens: *Eſto tamen*, inquit, *fuiſſe in illis aliquid acerbitatis: quem virtus animi non abſcondit dolorẽ. Neque enim profundum mare negauerim, quia vadoſa ſunt littora: neque cælum lucidum, quia interdum obtexitur nubibus: neque terram fœcundam, quia aliquibus locis ieiuna glarea eſt: aut latas ſegetes, quia intermixtam ſolent habere ſterilem auenam. Similiter puta beata meſſem conſcientia interpellari aliquo acerbo dolore. Nonne totius manipulus vitæ beatæ, ſi quid ſorte accidit aduerſi, atque amaritudinis, tanquam ſterilis auenæ abſconditur, aut tanquam lolij amaritudo frumenti ſuauitate obducitur?* Sic ille ductâ ſimilitudine ex ſatis, in quibus ſiquid auenæ aut lolij excreuit, frumento altius ſe extollente diſparet.

In Tobia fuit aliqua leuis triſtitia. Qual

Hæc triſtitia non difformat viros iuſtos.

5. Et rurſum grauis quædam triſtitia, ſumpta pro indignatione, quæ prodit offenſionis non leue

Triſtitia quæ eſt mu-

murmuratio pugnat cum Deo, quaſi iniuſto.

leue argumentum, dum contra Deum blaſphemat, aut murmurat, quaſi iniuſtus eſſet. De hac ſic pronuntiat S. Gregorius in Pſ. 7. pœnitent. v. 2. *Qui contra Conditoris flagella murmurat, quaſi cum eo in iudicium intrat. Dei namque accuſat iudicium, qui ſe eſtimat iniuſtè percuſſum. Et quaſi cum Deo in iudicio contendit, qui inter flagella innocentem ſe oſtendit. Hinc etenim Dominus ad beatum Iob loquitur, dicens: Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquieſcit?* D. Bern. lib. de modo bene viuendi ſerm. 47. *Regnũ cælorum*, inquit, *nullus qui murmurat accipit; nullus qui illud accipit murmurare poteſt. Præcordia ſatui, ſicut rota currus fœnum portans, & murmurans.* Chryſoſtomus affirmat hom. 8. ad Philipp. murmuratorem vicinum eſſe blaſphemiæ: *Qui murmurat*, inquit, *ingratus eſt Deo: qui autem Deo ingratus eſt, blaſphemus quoque eſt.* Et longè ante: *Seruorum improborum, & inſenſatorum eſt murmurare. Nam quis filius, dic, quæſo, in paternis bonis, ſibiq; ipſi laborans murmurat?*

Iob. 39.

Murmurans regno cælorum indignus.

Virtullus in tribulatione à murmuratione abſtinet.

Vnde recte Sirac. Eccleſ. 10. *Vir prudens, & diſciplinatus non murmurat correptus.* Hoc ſenſu Hebræus Sapiens: *Non contriſtabit iuſtum*, ait, *quidquid ei acciderit*, quaſi dicat, Quidquid mali iuſto acciderit, ſiue diuinitus ei immiſſum fuerit, ſiue ab homine intentatum, non ita eum affliget, vt contra Deũ quid audeat; ſed potiùs æquo feret animo, quod ſciat per patientiam diligentibus Deum omnia ceſſura in bonum. Hunc autem ſenſum eſſe huius loci, reuincunt verba ſequentia, *Impij autem replebuntur malo*, cùm videlicet diuinas vltiones, aut diuina etiam beneficia per impatientiam, indignationem, blaſphemiam, nimiamque triſtitiam in proprium malum ſibi vertunt. In hac ſignificatione vſurpant ſæpe externi vocabulum, *triſtitia*, cùm hominem triſtem, iratum appellant; vnde triſtis dicitur Erynnis, furia infernalis, triſtis vultus, qui iracundiam ſpirat, triſtia verba, quæ indignationis plena, qualia ſolent effutire, qui diuinitus correpti murmurant contra Deum, quaſi eſſet iniuſtus.

Triſtis idem quod iratus.

4.

Hæc triſtitia mortem operatur.

Huiuſmodi iuſtitia nota fuit Apoſtolo 2. Cor. 7. vbi duplicem ponit, vnam ſecundum Deum, ex dolore peccatorum; alteram huius ſæculi, ſeu contra Deum, natam videlicet ex nimio amore, & amiſſione bonorum, huius ſæculi, puta opum, voluptatum, amicorum potentum, viſus, alteriúſue infortunij; quàm dicit mortem operari, cum videlicet propterea quis iniuſtum criminatur Deum, eumque blaſphemat, & prouocat ad vindictam. Eiuſmodi fuit triſtitia, quã ſuaſit Iobo, viro iuſto, vxor, cum dixit: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua; Benedic Deo, & morere.* Vſque adeò ſtolidus es, vt poſt tot miſerias, ſpem non abieceris melioris fortunæ. Agedum dic verbum aliquod in Deum, & morere. Tot ærumnis remedium accerſe, linguâ blaſphemâ, atque maledicâ diuinam ſtimula iram; licet fulmen vibret è cælo, aut capitale ſubeundum ſit ſupplicium, vel alio modo ad mortem adigaris, modò tam graui moleſtiâ eximaris, & breui atque leniore morte vitam redimas longam & duram. Talis fuit triſtitia, ſeu querela cum impatientia Iudæorum contra Moyſen Exo. 14. cum viderent Ægyptios ſeſe inſequentes: Clamauerunt vtique ad eum, & in deſperabundas voces eruperunt, dicentes: *Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto, ideo tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex Aegypto? Nonne iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes: Recede à nobis, vt ſeruiamus Aegyptijs? multò enim melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine.* Similis fuit Exod. 16. cum fame premerentur Iſraëlitæ, & has voces ederent: *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Aegypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate; cur eduxiſti nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Ac rurſum Numer. 11. vbi ob laborem viæ, & deſiderium carnium denuò murmurant Hebræi v. 1. & 4. Qua de cauſa furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis, quæ deuorauit extremam partem caſtrorum. Et Nume. 21. *Tedere cœpit populum itineris ac laboris: locutuſque contra Deum & Moyſem, ait: Cur eduxiſti nos de Aegypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam naufeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Quid ſecutum eſt? ſubdit: *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum*, &c. Tali indignatione & triſtitia pulſabãtur operarij à patrefamilias conducti, cùm nouiſſimi æquale denarium cum ipſis acciperent. Arbitrati enim quod plus eſſent accepturi, murmurabant aduerſus patremfamilias; dicens: *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares nobis illos feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Matth. 20.

Iſraelita grauiter puniti ob mox murmurationem

Hoc murmur impatiẽs: Et Dei taxans iuſtitiam longè abfuit à Tobia noſtro, cui Spiritus ſanctus hoc reddit teſtimonium, quod immobilis *in Dei timore permanſerit, agens gratias omnibus diebus vitæ ſuæ.* Cauſam addit, cur in hoc malum non inciderit, nempe quòd ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit; poſt hæc enim verba ſubnectit, *Non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cecitatis euenerit ei.* Longè fuit hoc murmur à Iobo, qui etſi legatur ſciſſe veſtimenta ſua, & tonſo capite corruiſſe in terram, poſtquam acceperat variorum infortuniorum nuntia, id fuit, vt Dominum agnoſceret, eumque ſupplex adoraret, à quo illorum bonorum aliquandiu accepiſſet vſuram, non vt impatientis animi daret ſignum, aut offenſionis in Deum argumentum. Propterea S. Spiritus & hoc illi reddit teſtimo-

5.

A Tobia & Iobo tribulationis longè abfuit hæc triſtitia.

nium

nium, postquam dira passus esset: *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est*, cap. 1. & 2. Nihil dixit contra Deum, quod aliquam siue peccati, siue insipientiæ, aut etiam immodestiæ haberet speciem.

6. *Christianũ est, æquo animo ferre, aduersa, non murmurare.*

Hæc Christianæ virtutis etiam indoles est, cùm omnia sunt turbatissima, tunc sibi maximè gratulari, minimè de Deo queri. Beatus Paulus variis ærumnis pressus, *Repletus sum*, inquit, *consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 7. Nunc mihi optimè est, cùm pessimè habeo; nunc canto exultans, cùm vultum lachrymæ turbant, lapides & flagella corpus affligunt, & lacerant. Hoc animo erant Christianorum primi, qui rebus omnibus ereptis cum gaudio rapinam bonorum sustinebat: cùm iam ducerentur iugulandi, cùm flammas cernerent suo capiti minitantes, eum vultum præ se tulerunt, iis lætitiæ signis incesserunt, grato & alacri animo, ac si ad epulas vocati. D. Hieronymus aliquãdo pias edidit querelas, cùm videret iustos affligi, innoxios pueros morte subitaneâ abripi, senes impios cum voluptate longam trahere vitam; sed statim sese composuit, Deum recogitans iustum, & quoduis malum æquo animo docet ferendum: *Mariti*, inquit, *orbitas irrogatur; plango quod accidit: sed, quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. vnicus raptus est filius: durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat. Si cæcus fuero, amici me lectio recreabit. Si auditum quoque surda aures negauerint, vacabo à vitiis; nihil aliud, nisi Dominum cogitabo. Imminebit super hæc & dira paupertas, frigus, languor, & nuditas: extremam expectabo mortem, & breue putabo malum, quod finis melior subsequetur. Consideremus quod etbicus ille Psalmus sonet: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*, quamuis incomprehensibile.

Hebr. 10.

7. *Plerique hominum correpti murmurant.*

Hæc Tobiæ & aliorum Sanctorum pia & resoluta mens: sed tam effrænes sunt, atque indomiti affectus nostri, tam impatiens visitationis diuinæ, est mens, & lingua nostra, vt sæpè non ignari faciendæ iacturæ nihilominus in perniciem nostram effusissimè murmuremus, verbaq; indignationis plena buccinemus. Hanc murmurandi licentiam præcauens Hebræus Sapiens, Sap. 1. inquit: *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest*, quæ inutilis est, quæ maximè nociua. Quod enim valde nocet, dicitur inutile, sicut quod obest non prodesse. iuxta illud 1. Reg 12. *Nolite declinare post mala, quæ non proderunt vobis*, id est, maximè nocebunt. Nos stolidi hæc pendimus, neque alieno malo edocti, cautiores sumus. linguâ prompti, manu plerumque tardi, veteres illos in hoc malo superare volumus. Percurre sacræ paginæ seriem, multos deprehendes contra Deum, & superiores Dei vicarios murmurasse; alios ex inuidia vt num. 16. Core, Dathan, & Abyron, ac alii, qui terrâ dehiscente sublati. Ambrosius tragicè describit eorum finem lib. 10. epist. 82. *Immugiens*, inquit, *terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aerem hauserint, nec cælum viderint, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro*. Alios ex incredulitate, vt numer. 11. Ioann. 6. alios ex supercilio, vt Pharisæus ille, qui Christum conuiuam habuit, cùm Magdalenam super conuiuio ad vngendos pedes Domini aduertit admissam, ob elationem clam murmurauit: *Hic si esset Propheta*, inquit, *sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum*. Luc. 7. Alios ex auaritia, inter quos principem locum tenuit nequissimus proditor Iudas: *Quare*, inquit, *hoc vnguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis? dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens*, Ioann. 12.

I. *Murmuratio de Deo vsitata.*

At nunc inuenies, qui omnia diuina sugillant. Si non videantur aduersa, prosperaque hominibus iuxta eorum merita distribui? nimiâ rerum egestate aliquos opprimi; & quidquid à Deo in hoc terrarum orbe proficiscitur, obmurmuramus: modò nimios æstus, modò nimium frigus, nunc diuturnas pluuias, iam siccitatem nimiam querimur, imò anni tempestates non procedere feliciter. Nec aduertimus infantes stupidi & stolidi hæc murmura in Deum ire, qui cæli & tempestatum Dominus est. Cùm morbo aliquo nos visitat Deus, ollæ vacuæ similimi sumus, quæ crepat igni admota, quia vacuâ. Hoc inde oritur, quia ignoramus vt plurimum quid nobis expediat; diuitias paupertate, honorem ignominiâ, valetudinem morbo meliorem semper dicimus imperitissimè. Nam vti Siracides ait, Eccles. 39. *Non est dicere, hoc nequius illo est*. Plurimis morbus profuit, quos perdidisset valetudo, innumeros inopia euexit ad cælum, quos opulentia ad orcum misisset; quàm multos ignominia sapere docuit, quos honor dementire fecit. Quare, *Non est dicere, Quid est hoc, aut quid est illud? omnia enim in tempore suo quærentur.*

9.

Græci Actor. 6. murmurabant, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, vel quòd viduæ Hebrææ, eò quòd Hebrææ essent, arrogarét sibi honoratiora, & locupletiora ministeria, præsertim distribuendi cibos & vestes; viliora verò & tenuiora relegarent, ad Græcas: vel quod in distributione ciborum magis fauere viderentur, & amplius dare Hebræis, quàm Græcis. Nos impatientes rebus leuissimis in furorem agimur. Ob tres obulos perditos, aut quadrantem subtractum, querelis incessimus

cælum

cælum & terram, tonamus, mugimus, murmuramus, & velut insani fremimus. Magna vesania. Verissimè Romanus sapiens Seneca epist. 14. *Optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari: malus enim miles est, qui imperatorem gemens sequitur.* Diuinus Apostolus aliorum exemplo nos monet & terret, 1. Cor. 10. *Neque murmuraueritis, inquit, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Idem sciens murmur Christianos maximè dedecere, Philippenses seriò dehortatur: *Omnia, inquit, facite sine murmurationibus & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei.* Philippens. 2. Verissimè Chrysostomus hom. 8. ad Philippens. *Melius fuerit nihil operari, quàm cum murmuratione. nam & quod factum est perit. An non vides quod & in aditibus nostris ista perpetuò dicimus: nempe satius esset hæc non fieri, quàm murmurando fieri? Et sæpè malumus ministerio priuari, quàm murmurantem sustinere. Grauis enim, grauis inquam, est murmurator, & vicinus blasphemiæ, aliquin enim gratia tãtum illi supplicii dederunt?* Et mox comparationem facit inter Iob & eos, qui modò paupertate, seu infirmitate correpti sunt, aut filio priuantur: *Considera, inquit, quomodo multum temporis vermibus scaturiens, & in stercore sedẽs, scabiemq; fricans perseueranterit. Elapso namque multum tempore, dicebat ad eum vxor, quousque perdutum tempore, dicebat ad eum vxor, quousque perdurabis dicens, Expectabo modicum adhuc temporis? dic verbum quoddam aduersus Dominum, & morere: At mortuus est tibi filius? Quid ergo si omnes amitteres, idq; miserâ morte, quemadmodum ille? Scitu enim, scitu multum adferre solatij, assidere egrotanti, ore colloqui, oculos claudere, adosculari genas, extrema verba audire. Verùm nihil horum consecutus est iustus ille, sed omnes subitò adobruit sunt. Et quid dico? Quod si iussus esses ipse filium tuum occidere & immolare, ardentemq; videre, quemadmodum beatus ille Patriarcha: quis quæso esses dum altare adificares, ligna imponeres, filium ligares? Sed probris te quidam afficiunt? Quid ergo faceres, si ex amicis, qui ad consolationem venissent, ista audires? Nam nunc quidem multa delicta habemus, & meritò probris afficimur. Tunc verò, qui verax erat, qui iustus, qui pius, qui ab omni re mala abstinuerat, ista ab amicis audiebat.* Vbi plura addit huic morbo sanando perutilia, quæ breuitatis causa omitto. Satis est locum indigitasse. Concludit autem sic: *His consideratis faciamus omnia sine murmurationibus & disceptationibus. Bonum quid facis, & murmuras? Quam ob rem? Nam necessitas tibi incumbis. Noui, inquit, quod multi proximi murmurare vos cogunt. Istud enim innuit, cùm dixit: In medio nationis tortuosæ ac peruersæ, Sed hoc admirandum est, & quod iure nos vellicet, quod qui talia est nihil malis patitur: nam & stella noctu lucent, & in tenebris comparent, & tamen nihilo laditur illarum venustas, sed & splendidiores apparent: ista & tu, si apud tortuosos rectus manseris, magis splendesces.* Præclarè Saluianus lib. 3. de gubern. Dei. *Sine murmure, inquit, & querela nos Deus esse præcepit.* Hoc satis est, necalio nobis opus est argumento, si sapimus.

Opus est bonum cum murmuratione facitum inutile.

Chrysost. dehortatur à murmuratione exemplo Iobi.

SECTIO XI.

Nihil vtilius, quàm Deo gratias agere in aduersis.

1. PROPHETA Dauid Psalm. 33. dicit, *Benedicam Domino omni tempore: semper Laus eius in ore meo.* Hæc dixit vir sanctus, cum seruis Regis Achis, ad quem cõfugerat, Saule persequente Dominum suum, incitantibus in necem pii Regis, simulatâ insaniâ ac fatuitate mortem euasit. Præclarum illud quidẽ, sed longè præclarius & illustrius cum spina pungit, malum stimulat, & afflictio præsens vrget, Deo gratias agere. Hoc egit optimus ille senex, & exploratæ patientiæ Tobias noster; diuinum oraculum locuples testis est: *Non est contristatus, inquit, contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis permansit in Dei timore, agens gratias omnibus diebus vitæ suæ.*

Illustre est in aduersis Deo agere gratias exemplar Tobiæ

2. Hoc omni conatu nobis imitandum est, cùm despicimur, ridemur, in odium vocamur, infirmitatibus & morbis premimur, cùm in mala plurima præcipitamur, gratias Deo agere, Iob diuersis cladibus pressus, quoties noua clades nuntiabatur, toties ille nouas Deo gratias agebat. Venit qui nuntiaret, Boues cum asinis à Sabæis abacti sunt. ad quæ Iobus: *Sit nomen Domini benedictum.* Venit alius: Ignis è cælo lapsus ouium greges assumpsit. Iob iterum, *Sit nomen Domini benedictum.* Venit tertius: chamelos inuasere ũt Chaldæi, & abegerunt omnes. Iob constanter: *Sit nomen Domini benedictum.* Venit alius: Liberi tui omnes vnâ domus ruinâ sepulti sunt. Iob vt priùs: *Sit nomen Domini benedictum: Sicut Domino placuit, ita factum est.*

In hoc emicuit Iobus.

Item tres pueri apud Danielem.

Tres illi Hebræi iuuenes ad Babylonicum rogum damnati, in ipsis flammis, tanquam lautissimè epulati, gratias agebant Deo. Nam Daniele teste, quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace dicentes: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & superexaltatus in sæcula. Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile & superexaltatum in omnibus sæculis.* Dan. 3. Hinc illis igneus hic carcer pro æstiuo pallatio, piceus fumus pro vernante cælo, flammę pro veste, catenæ pro armillis & torque fuerunt.

3. Nullum gratiarum actioni par bonum; hoc maximum est sacrificium, hæc oblatio perfecta. Ideò diuinus Apostolus Paulus præ-

Gratissimũ Deo, gratias

Mauden in Tobiam.

agere in quacunque fortuna.

cepit Theſſalonicenſibus idipſum ſeriò: *In omnibus*, inquit, *gratias agite. hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto* IESV *in omnibus vobis.* In omnibus, inquit, gratias agite, in morbo, in ſanitate, in copia, in inopia, in proſperis, & in aduerſis: hęc faciendo placebitis Deo per Chriſtum. Epheſianis inſtâter idem inculcat, vt gratias agant Deo ſemper pro omnibus, D. Hier. hęc verba enucleans aſſerit, Chriſtianorum propriam eſſe virtutem in aduerſis referre gratias Creatori: *Illud præceptum*, inquit, *iſte ſolus cuſtodire poteſt, qui prouidentia Dei nouit etiam quibuſque paſseres, qui venduntur dipondio, gubernari, quorum vnus non cadit in laqueum ſine Patris voluntate. Quod autem ait: Gratias agentes & ſemper, & pro omnibus. Dupliciter intuendum, vt & in omni tempore, & pro omnibus, quæ nobis accidunt, Deo gratias referamus: vt non tantum pro his quæ bona putamus, ſed etiam quæ nos coarctant, & contra noſtram veniunt voluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat. & dicamus, Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeam: Sicut placuit Domino, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum. Hæc actio gratiarum apud prudentes viros, & generaliter, & ſpecialiter obſeruatur. Generaliter, vt gratias agamus Deo, quo nobis ſol oritur, dies currit, nox mutatur in requiem: ſplendore lunæ tenebræ temperantur; & ortu occaſuq; ſtellarum tempora mutantur, & redeunt: quod nobis ſeruiunt pluuiæ, terra parturit, elementa famulantur: quod tantæ animalium varietates, vel ad vehendum, vel ad operandum, vel ad veſcendum, vel ad tegmen, vel ad exemplum, vel ad miraculum datæ ſunt, & ad extremum quod nati ſumus, quod ſubſiſtimus, quo in mundo, quaſi in quadam domo potentiſſimi patrisfamilias procurationem gerimus, & totum quidquid in mundo eſt, noſtri cauſa intelligimus procreatum. Specialiter verò quando in Dei beneficijs, quæ nobis accedunt, gratulamur. Sed hoc & gentilis facit, & Iudæus & publicanus, & ethnicus.*

Chriſtianorum dum taxat eſt in aduerſis Deum benedicere.

Et immediatè poſt ſubiungit in rem noſtram: *Chriſtianorum propria virtus eſt etiam in his, quæ aduerſa putantur, referre gratias Creatori. Si domus corruerit, ſi amantiſſima vxor & filij, vel captiuitate, vel veneno, vel naufragio intercepti ſint, ſi diuitias proſcriptione perdidimus, ſi ſanitatem enumerabiles morbi, & ſemper expectanda miſeris podagra debilitas, fregerit: qui ſibi ſanctiores videntur, ſolent Deo referre gratias, quòd periculis, vel miſeriis liberati ſunt. Sed iuxta Apoſtolum hæc virtus eſt maxima, vt in ipſis periculis, atque miſeriis, Deo gratia referantur, & ſemper dicamus: Benedictus Deus: minora me ſcio ſuſtinere quàm mereor: hæc ad mea peccata parua ſunt; nihil mihi dignum redditur. Hic animus Chriſtiani eſt, hic Crucem ſuam tollens ſequitur Saluatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant, Quem, vt Flaccus in Lyrico carmine ait:*

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Qui autem, ſicut diximus, gratias agit Deo & Patri in mediatorem Dei & hominum, referat eas Chriſto IESV: *quia niſi per illum accedere non valemus ad Patrem.*

Quemadmodum adeps carnis aſſę meliori eſt odore, quàm lixæ: ita gratiarum actio longè pretioſior, Deoque charior eſt ab iis proueniens, qui diuturni doloris, aut mœroris ignibus velut aſſantur, quàm ab iis, quibus incommodis conflictantur, & mare nauigant plane tranquillum ac placidũ. Vnde viri illuſtres, qui voluntati diuinæ ſe totos deuouerũt, cùm calamitatis ignem ſentiunt, tum maximè deuotionis ſuæ pinguedinem oſtendunt; animo præſenti ſunt, & imperterrito, ſeipſos aliosque ſolatio afficiunt; ad viliſſima quæque ſe ſubmittunt, pro ærumnis gratias agunt, plus calamitatum petunt, ita ſe ſuâ velut pinguedine perfundunt. Hi ſanè ad epulum illud grande ac regium parantur, ad quod conuiuæ his inuitantur: *Ecce prandium meum paraui; tauri mei & altilia occiſa, & omnia parata ſunt: venite ad nuptias.* Matthæi 22. v. 4.

4. *Gratiarum actio à miſeris promanat; Deo charior, quàm à fortunatis.*

Hoc ſciebat inſignis ille pugil & athleta Iob, quem rurſum in theatrum adduco. Is bonis omnibus, & filiis ſpoliatus, grauique vlcere à dæmone perculſus: *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* Agnoſcit Dominum eſſe, à quo tam graui eſſet vulnere perculſus, eumque laudat & optat, vt vbicunq; locorum diuinum nomen celebretur; neque indignatur ereptam ſibi eſſe cum aliis bonis dilectam & generoſam prolem, cùm idem qui ſuſtulit, liberali manu ante omnia conceſſerit. Hac ratione dicit Chryſoſtomus homil. 2. ad Romanos eum viciſſe, & confudiſſe diabolum: *Cum ingenti*, inquit, *ſubortâ tempeſtate, iactatâ vndique nauis periculum incurreris, tum demum magna exiſtit patientiæ, æquanimitatiſq; probatio. Quo certè nomine & Iob hinc coronam reportauit, & diaboli impudens os obturauit: planum faciens, ſe, cùm fœlix eſſet, non ob pecunias, ſed ob multam erga Deum charitatem, gratias agere.*

Iobus patientia ſua deuicit diabolum.

Idem Chryſoſtomus hom. 5. de patientia Iobi, oſtendit eum ex ſua patientia illuſtriorem euaſiſſe, quàm ex ſua beneficentia: quia vt videt diabolus patientiam Iob, non amplius auſus fuit ingerere calumnias; *Vt diſcas*, inquit, *quoniam maiorem plagam Diabolo intulit, cùm ſublatis ſibi bonis gratias Deo agit; quàm, cùm poſſidens miſerabatur pauperum; audi. Cùm poſſidebat, vel ſuſpicionem diabolus habuit: quoniam non gratis te colit Iob. Vbi verò vniuerſa ſtripuit, omnibuſq; nudauit eum; hic verò eandem Deo ſeruauit mentem: tunc obſtructum eſt turpe illius os, nec tunc quid habuit dicere. Clarior namque quàm in prioribus iuſtus erat: clarior, quàm in delicijs viuens, eleemoſynaſque prabens. Surrepta enim bona generosè, & cum gratiarum actione tolerare, multò maius eſt.*

Iobus illuſtrior ex patientia ſua effectus quàm beneficentia.

Nam

Nam secundis quidem rebus gratias referre Deo, non admodum mirabile: porrò cùm multum fuerit fluctus, cymbaq; circumacta periclitatur: tunc magna atque excellens est patientia, atque bona voluntatis ostensio. Hoc sciuit Apostolus. Propterea Hebræos confirmare volens dixit: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* Heb. 10. hac ratione Diabolum confudistis. Viterius confundite.

5. *Vir in aduersis patiens Abrahamo simulis.*

Chrysost. hom. 3. in priorem ad Thessal. comparat virum patientem Abrahamo filium oblaturo in sacrificium: *Si quando*, inquit, *filium amittis, dilectum, vnigenitum, in multis diuitijs enutritum, spem bonam præbentem, se vnum hereditatem tuam percepturum, ne ingemiscas: sed gratias agas Deo, eumq; glorifices, qui illum accepit: & hactenus non tuo deterior Abrahamo. Quemadmodum enim ille filium suum iubenti ac postulanti Deo dedit: ita tu, accipiente eo non ingemuisti.* Et paulò pòst sanctissimum Iobum suis opibus diuinitùs spoliatum, cum eo confert, qui illas sua sponte pauperibus elargitur; asseritque illius patientiam cum huius charitate conferendam esse, & exæquandam: *Nihil*, inquit, *minus habet ab ijs, qui eleemosynas contribuunt, Iobille, qui tunc non dabat.* Idemque asserit de alijs, qui bonorum suorum iacturam patienter ferunt, comparatis cum ijs, qui bona sua liberaliter pauperibus donant: *Neque dicas*, inquit, *nihil hinc habeo gratiæ; præter animi mei sententiam res ita facta est; me nec sciente, nec volente, bona mea sunt abstulit: quæ mihi merces erit? Neque Iob quoque, vel sciente, vel volente, Diabolus bona abstulit: at nihilominus patienter tulit. Potes tu verò tantum acquirere mercedis, quantum, si sponte proiecisses.*

6. *Deo in aduersis gratias agens, illum sibi reddit debitorem; in prosperis, reddit debitum.*

Idem tractans illa verba Psalmi 9. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, docet hominem per gratiarum actionem in aduersis, Deum sibi reddere debitorem: *In bonis*, inquit, *quidem gratias agens, reddidisti debitum: in malis autem Deum constituisti debitorem. Qui enim beneficio affectus, & agit gratias, reddit debitum: qui autem malè affectus est, & gloria afficit, is debitum acquirit.* At qui hoc certum est, quod Martyres Deo gratias agendo in tormentis cumulum gaudiorum hauserint, iuxta illud Isaiæ 12. *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*; vt videre est in Laurentio gratias agente; in Agnete, Lucia, Cecilia, alijsque quæ Deo gratias egerunt in ignibus cum iubilo. Et vt de alijs taceam, S. Processus & Martinianus custodes SS. Apostolorum Petri & Pauli in carcere Mamertino, videntes eorum cœlestem vitam & doctrinam, conuersi sunt ad Christum: cumque aqua deesset, S. Petrus facto in saxo Tarpeio signo crucis, fontem elicuit, quem etiamnum fluentem cernimus & gustamus, indeque eos baptizauit. Qui mox tanta gratia, robore & iubilo dotati sunt, vt, cùm Paulinus, Præfectus saxo os eorum, maxillas & dentes contundi iuberet, illi oculis in cœlum fixis canerent, *Gloria in excelsis Deo.* Rursum cum eculeo, candentibus laminis, scorpionibus, alijsque diris tormẽtis cruciarentur, non aliud resonabant, quàm, *Benedictum sit nomen tuum Domine in secula.* Tandem securi percussi via Aurelia, læti & exultantes martyrium obierunt. Ita habet eorum vita 2. Iulij. An non hauserant illi aquas exultationis de fontibus Saluatoris.

Planè hoc supernaturale est, cùm sola Dei ope fieri possit, vt sentiat quis ignem tanquam rorem, vt Daniel. 3. olim tres pueri. Et qua ea gratia Dominus martyres dignatur, & illustre est in aduersis Deo agere, gratias Chrysostomus extollit linguam eos imitantem. *Nihil*, inquit, homil. 8. ad Colos. *hac lingua sanctius, quæ in aduersis Deo gratias agit, Certè non inferior est lingua martyrum, vtraque pariter coronatur. Nam & aduersus istam instat lictor Deum per maledicentiam negare cogens, instat Diabolus argutis cogitationum quæstionibus lacerans, & animi angustijs obtenebrans. Si ergo dolores pertulerit, & gratias egerit, martyrum coronam feretur.* 7.

Prædictus Author hom. 1. ad populum à diuersitate fructus blasphemiæ & gratiarum actionis docet, quàm magnus sit thesaurus dum ait: *Magnus thesaurus, magna diuitia, inconsumptum bonum, armatura fortis. Perdidisti pecunias; si gratias quidem egeris, animam lucratus es, & maiores nactus es diuitias, quia benevolentiam hausisti amplius: si verò blasphemaueris, insuper & salutem tuam amisisti, & quam habuisti animam, occidisti.* Et his de causis ab exemplo medici & mendici pulchrè vnumquemque hortatur, vt in aduersis. gratias agat Deo: Sic enim Philosophatur in Psal. 148. *Deus æquè est laudandus & cùm punit, & cùm à supplicio eximit: vtraq; bonitatis. Oportet ergo eum æquè laudare, & quod posuerit Adam in Paradiso, & quod eum expulerit: & gratias agere non solum pro regno, sed etiam pro gehenna: eã enim & fecit, & minatus est, vt à vitio liberaret.* Deinde rem exẽplo medici vrget: *Quẽadmodum*, inquit, *medicum non solum nutrientem, sed etiam fame excruciantem: non solum vngentem, sed etiam vrentem, & secantem obseruamus; ita etiam oportet Deum laudare pro omnibus.* Quòd vt facilius nobis persuadeat homil. 28. ad populum à mendicantibus ducit exemplum: *His namq;*, inquit, *totum tempus in mendicando conterentes, non blasphemant, non indignantur, non ægrè ferunt: sed totam mendicationis narrationem in gratiarum ponunt actione, magnum facientes Deum, & misericordem. Ille quidem fame periens benignum vocat: tu verò viuens in abundantia, nisi cuncta simul accipias, crudelem nuncupas. Quantò melior est ille? Communes nobis præceptores per terrarum orbem misit Deus pauperes.* Qui videlicet æquo animo paupertatem 8. *Quantus thesaurus in gratiarum actione, in calamitatibus.*

ferunt Deoque benedicũt rectissimè. Nã piorum est indicium inter plagas diuinas suauiter canere. Sic Dauid 2. Reg. 12. mortuo filio, quem vnicè diligebat, surrexit, & adorauit Dominum. Et Proph. Isaias c. 12. *Confitebor*, inquit, *tibi Domine, quia iratus es mihi.* In impiorum verò persona dicit Propheta Psalm. 48. *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.*

Et hæc est ratio, cur non vno die, septimanâ, anno aduersa passus, gratiarum actioni intenderet Tobias noster, sed omnibus diebus vitæ suæ. Agnoscebat vtique in ea latentem thesaurum, & gratiarum cumulum. Hæc quoque est causa quare Apostolus tantopere pijs fidelibus inculcet illud: *In omnibus gratias agite.*

9. *Conclusio.* Perpendite hæc, ô Christiani; nam pro beneficijs dumtaxat gratias agere, vel Idololatræ, & Iudæi norunt; pro calamitatibus, & supplicijs soli viri pietate illustres, soli fideles, soli Christiani. Ne murmuremus, cùm malum aliquod insurgit, sed gratias agamus Deo, qui id immittit, vel permittit ad nostrum bonum. Is hoc facto prouocatus, aut hostiles aliorum in nos animos mutabit, vt crebra attestatur experientia; aut aliundè quidquid malorum patimur, beneficio largissimo pensabit, vt euentus Tobiæ nostri satis prodit. Si durum hoc, Christum imitare, qui ad nostram instructionem, cùm calicem videret felle & amaritudine plenum orabat: *Pater transeat à me, calix iste*: sed diuinæ sese conformans voluntati has preces sic refrigerabit: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Quis sanè intelligentiâ*, inquit Gregorius, *de percussione sua ingratus, existet, si ipse sine flagello non exit, qui hic sine peccato vixit?*

Grates in aduersis Deus liberat.

3. par. Pass. admon. 13. fine.

CAPITIS SECVNDI

VERSVS XV.

Nam sicut beato Iob insultabant Reges ita isti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes:

Vers. 16. *Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas.*

Vers. 17. *Tobias verò increpabat eos, dicens:*

Vers. 18. *Nolite ita loqui, quoniam filij Sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.*

PARAPHRASIS.

Vers. 15. 16. 17. 18. Ad cumulum patientiæ accessit exercitium irrisionis, videlicet, quod stuporis & amentiæ arguerent Tobiam, illius familiares & cognati (non minus ac amici reguli insultarunt Iob) Quod, cùm videret nullum se percepisse suæ pietatis & clementiæ fructum à Deo vel ingrato, vel tot meritorum immemore; speraret tamen eleemosynas suas & sepulchrale officium, Dei liberalitate compensatum iri. Hos contrà Tobias impietatis arguebat, & simul studebat linguam cohibere maledicam, duabus maximè rationibus: tum quia patres habuerunt sanctos, quorum nulla vexatio, aut rerum aduersitas, infirmauit animos, fregitque constantiam: tùm quia magna illos in futuro sæculo remuneratio exspectat, qui datam Deo fidem integram & constantem seruabunt.

SECTIO DVODECIMA.

Quàm graue sit irrideri ab amicis, maximè in causa Religionis.

1. *Felix qui contemnit ab alijs contemni.*

SENECA lib. de motibus inquit: *Nondum felix es, si nondum te turba irriserit; si beatus esse vis, hoc cogita primum, contemnere ab alijs contemni.* Tobias noster non à populari turba, neque ab hostibus, quibus id familiare; sed à parentibus & cognatis, quod paradoxum. Nihilominus flocci pendit eorum irrisiones. Et quia Sacra Pagina constantem eius animum æternitati tradidit, non absre (vt iusti merita dignoscas) erit discutere, quàm graue sit in tali rerum articulo irrisionem ab amicis perpeti.

2. *Durum esse ab inimicis irrideri.*

Durum est & admodũm graue dedecus & ignominiam ab inimicis perpeti, vsque adeò,

adeò, vt fortiſſimi viri morte ipſa longè grauiorem eam exiſtiment: atque ad illam vitandam ſibi ipſis mortem conſciſcant, propriâ vel alienâ imploratâ manu. Prius in Sampſone euidens eſt, quem inimici ad maius opprobrium maluerunt illudere, quàm occidere: poſterius in Abimelech & Saule, hic 1. Reg. 31. ideo dixit ad armigerum ſuum. *Exempla eorum qui mortem obierunt ne irriderentur ab inimicis.* *Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me, illudentes mihi*, eoque nolente ſequitur: *Arripuit itaque Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum.* Et Propheta Dauid cauens probroſam inſultationem hoſtium, dolenſque vehementer de Saulis & Ionathæ morte, noluit illam annunciari inimicis eorum: *Nolite*, inquit 2. Reg. 1. *annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis, ne fortè lætentur filiæ Philiſtiim, ne exultent filiæ incircumciſorum*, ne videlicet noſtri exultent inimici. Graue eſt honore, aut commodis priuari ab hoſtili manu; ſed eſt interdum ingenuis animis multo durius ſpectare hoſtes triumphare in ipſorum infortunijs. *Graue eſt, probris hoſtibus exultandi materiam.* Quare viri etiam ſancti, & patientiſſimi, aut poſtulant à Deo ne aliquando contingat, aut ſi contigerit, vel amarè lugent, vt Hieremias Thren. 2. dum ait: *Lætificauit ſuper te inimicum*, cui videlicet traditus es captiuus, aut ſtudent, alto ſilentio infortunia ſepelire. Sic Dauid hoc loco, *Nolite annuntiare in Geth, Saulis & Ionathæ* mortem, *neque annuntietis in compitis Aſcalonis, ne fortè lætentur filiæ Philiſtiim, ne exultent filiæ incircumciſorum.* Filiarum meminit potius, quia harum opus eſt, & cantu, & choro victorias celebrare; ſicut Dauidis de Gigante cecinerunt triumphum de quibus 1. Reg. 18. *Cùm reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael, cantantes, choroſq; ducentes in occurſum Saul regis, in tympanis lætitiæ & ciſtris. Et præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Id enim erat proprium virginum apud Hebræos, ſi quid erat lætum, ſicut nuptias, & victoriam; aut triſte, ſicut funus, & acceptam cladem, aut lugubri, aut hilari cantu celebrare; illa epithalamio, aut epinicio; hæc epicedio, & næniis. Sic etiam idem Dauid Pſal. 12. deprecabatur Dominum: *Reſpice, & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quãdo dicat inimicus meus, Preualui aduerſus eum.* Et ſubdit: *Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero.* *Virgines Epinicia, Epicedia, & Epithalamia cantare ſolitæ.*

3. *Ab amicis, & propinqui pati, durum.*

At multò durius eſt, ab amicis id perpeti, à quibus ſolamen meritò expectatur. Apertiſſimè id pronuntiat Abdias vates. Is arguens ſuperbiam Idumæorum, quod ſiti in rupe, putarent ſe inuincibiles, minatur nomine Dei ſe illos per Chaldæos ex ea detracturum: & inter alia illud vrget, quod à ſociis & fœderatis etiam patientur: *Omnes viri*, inquit, *fœderis tui illuſerunt tibi. Inualuerunt aduerſum te viri pacis tuæ; qui comedunt tecum, ponent inſidias ſuper te.* Senſus eſt; Non tantùm Chaldæi hoſtes tui te vaſtabunt; ſed & gentes tibi vicinæ, & amicæ, ac confœderatæ, & quos tibi perneceſſarios, ac familiares habuiſti, & communem cum illis menſam. verbi gratia, Ammonitæ, Moabitæ, & ſimiles iungent ſe cum Chaldæis hoſtibus tuis, proditâ fide, quam antea dederant, tibi illudent, ac te è terra tua eijcient vſque ad fines eiuſdem, imò vſque in terram Chaldæorum. Vnico verbo idem eſt ac ſi dicat: O Idumæi prodemini ab amicis veſtris; quod dolendi cauſas auget & extollit, & grauiſſimæ punitionis non leue eſt argumentum. Prophera Ieremias 38. idipſum futurum dicit Sedeciæ Regi, ſi voci eius non obediret tãquam graue malum. *Grauis punitio, ab amicis prodi, & d. ſeri.* *Ecce omnes mulieres*, inquit, *quæ remanſerunt in domo Regis Iuda, educentur ad Principes Regis Babylonis, & ipſi dicent: Seduxerunt te, & præualuerunt aduerſum te; viri pacifici tui demerſerunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & receſſerunt à te.* Mulieres, inquit, ſubſannabunt te, & irridebunt, dicentes: Domeſtici & familiares tui, ſiue principes, ſiue Conſiliarij, ſiue pſeudoprophetæ, quibus tua, teque ipſum ſine vllâ fraudis, atque perfidiæ ſuſpicione credidiſti; quique tibi, ô Sedechia, promittebant pacem, & perſuadebant, vt non crederes ſermonibus meis, illi ſeduxerunt te: Ecce enim iam traditus es hoſtibus tuis, & quaſi in tenaciſſimum lutum incidiſſes, in extremas miſerias corruiſti eorum adulatione, cui credidiſti; qui tamen te in afflictione reliquerunt fugientes huc illuc.

Chriſtus Dominus de Iuda Ioan. cap. 13. eandem rem exaggerans, expoſuit illud Pſ. 40. *Homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Cùm Cæſar olim, teſte Tranquillo in eius vita cap. 82. videret in ſenatu multos diſtrictis pugionibus in ſe vnum irruentes: & inter eos M. Brutum qui eius filius credebatur; empharicè cum illo expoſtulauit Græcis verbis, καὶ σὺ τέκνον. Hoc eſt, *Etiam tu fili*, quaſi non de externorũ, ſed de vnius filij iniuria quereretur. Similis eſt illa conqueſtio Dauidica. *Cor*, inquit, *meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.* Pſal. 37. v. 11. Vnde hæc tam acerba examinatio? vt non ſolum ſe à corde, à virtute, ſed etiam à diuina prouidentia quodammodo deſtitutum lamentur? nam per lumen oculorum ſuorum, diuinam prouidentiam Theodor. interpretatur. Attendite quæ ſequuntur: *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt: & qui iuxta me erant, de longè ſteterunt.* Ibid. v. 12. Quaſi diceret: Ex amicis meis quidam mihi fuerunt *Ab amicis & propinquis pati, durum.*

exitio: alij verò præsidio esse noluerunt: Sicut igitur deficiente anima, tabescit corpus; ita deficientibus amicis, qui sunt instar animę, mirum non est, si totus extabescam. Huc pertinet etiam illa Dauidis querela de Architophele cõsiliario suo: *Si*, inquit, *inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò homo vnanimis; dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Psal. 54. v. 13. quasi dicat, vt Theodoretus exponit: *Ea, quæ ab inimicis fiunt, toleranda, & ferenda censemus; omnium molestissimum mihi videtur, virum familiarem, & concordem, meum sodalem, & consiliatorem factum, & diuinarum, & humanarum rerum mecum conscium, res inimicas, & hostiles facere.*

4. *In quibus rebus similes fuerint Iob & Tobias.*

Tale quid rectè conqueri poterat Iob & Tobias: multis enim in rebus similes fuerunt; primùm in corporali plaga; licet enim cæcitas tantum doloris non attulerit, quantum pertulit Iobus corpore sancius, at mœrorem attulit grauissimum, cùm rerum omnium splendore, atque venustate priuauerit. Insultarunt Iobo reges familiares & cognati; illud idem passus est Tobias. Acuit in Iobum vxor amaram, & viperinam linguam, hoc idem ab vxore pertulit Tobias. Vterque athleta antequam in stadium descenderet, ità se in pauperum leuandis calamitatibus exercuerat, vt non tam sua curare, quàm aliena: non tam sibi, quàm alijs viuere videretur. Quare magna fuit in hisce duobus Heroibus morum, studiorumque consensio; magna in laboribus tolerandis alacriter similitudo.

5. *Reges hic dicuntur qui potentes sunt, & alicuius populi Domini*

Iobi verò amici, qui hîc reges dicuntur, non erant tales, quales in Europa, qui latè dominantur, & populos copiosos, & lautos subiectos habent, quibus ius dicunt, & imponunt tributa: sed qui potentes erant, & se paululum sustulerant à turba, vt patet ex S. Scriptura, vbi cùm terræ promissionis non totum spatium, neque adeò magnum subegisset Iosue, occidisse tamen dicitur. c. 12. Reges tringinta vnum. Alij præterea multi subacti sunt & interfecti post obitum Iosue, Iudic. cap. 1. & in his Adonibezec, qui septuaginta Reges alios subegerat, quos mensæ suæ reliquijs sustentabat. Hi autem neque latè dominari poterant, neque admodum esse potentes. Sanè Gen. 14. pro quinque ciuitatibus, quæ erant in mari, aut prope mare mortuum, à quibus ille tractus dictus est Pentapolis, totidem Reges numerantur, qui à quatuor alijs vicinis Regibus superati sunt, quorum tam infirmæ fuerunt vires, vt ab Abrahamo, & illius vernaculis superati fuerint, & spoliati præda, quam ex Pentapoli secum abegerant. Et tales multi fuerunt in Græcorum & Troianorum exercitu. Et vt alios omittam, Rex vocatur Vlysses, qui in vno tantùm opidulo dominabatur, quod Cicero cum nidulo comparat scopulis affixo. Cuius patrem, eundemque Regem Laërté Cicero in libro de senectute, agros stercorantem inducit, & eius filium Vlyssem alij eosdem vomere subigentem.

6.

Hæc addidi, quòd non soleant magni illi Reges insultare in eos, qui cladem aliquam experiũtur: vnde videmus à priuatæ vindictæ studio, gaudioque ob alterius damnum cauisse Dauidem: Sic enim ait Psalm. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.* Et ab eadem re Iob benè instructum, cùm magnus esset inter Orientales abhorruisse patet cap. 31. v. 29. Marcus Marcellus casum clademque Syracusanum sine fletu videre non potuit. Valer. lib. 5. cap. 1. Nota satis etiam Iulij Cæsaris in mortuum Pompeium humanitas. Idem ibid. Pyrrhi aduersus Antigonum, & aliorum erga hostes à se superatos.

Magnos Reges alienos esse à priuata vindicta.

Gentilium exempla.

7.

Tobiæ verò parentes non sunt illi, à quibus vitam acceperat; illi enim iam interierant, aut eò erant abducti, vt Tobiæ filio perisse videri poterant, & auiæ suæ Debboræ traditus esset educandus: Sed parentes hoc loco dicuntur cognati, quorum [illegible] erat ætas, & auctoritas, vt grauitatem parentum apud Tobiam obtinerent. Patris enim, aut parentis nomen latissimè patet, & his accommodatur, quibus obseruantia debetur, aut obsequium, quales sunt magistri, Domini principes, & senes. His adde cognatos, eos maximè, qui ætate, aut dignitate præcedunt. Sanè ab hoc nomine cognatio parentela dicitur, & apud Hispanos & Gallos eadem notatione *Parentes* appellantur, qui cognati sunt: & ab his fuit Tobias ludibrio habitus.

Quinam hoc loco dicuntur Parentes Tobiæ

8. *In causa religionis æquo animo pati, durissimum,*

Hoc autem durissimum esse in negotio religionis, satis insinuat Apostolus cùm verebatur, ne Iudæi Christi fide imbuti, ab ea, & pietate Christiana ob Iudæorum: (Cognatorum secundum carnem vt loquitur Apostolus Rom. 9.) persecutiones, odia, tribulationes, opprobria, & bonorum expilationes desciscerent. hinc enim ipsos ad Constantiam hortatur, Hebr. 10. *Rememoramini*, inquit, *pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem, opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* quasi dicat; Initio baptismi & conuersionis vestræ, ó Hebræi Christiani, generosè à Iudæis vexationes, irrisiones, spoliationes, & exilia pertulistis; partim publicè ab omnibus, quasi in theatro

irrisi

trisi estis ob fidē Christi, vt rei ad leones, bestias, ignes, aliaque supplicia damnati in publico theatro spectantur; partim reipsa, consilio, & opera iuuitis alios Christianos tam Iudæos, quàm Gentiles, qui ob eandem Christi fidem siue in Palæstina, siue extra eam tam à Gentilibus, quàm Iudæis opprobria, tribulationes, & vincula passi sunt. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Tyrones tanta præstitistis, quid ergo decet vos iam viros & milites, tot annis in Christi militia exercitatos facere & præstare? Hactenus fortes in persecutione extitistis, pergite, non alios, sed vos metipsos imitamini: aspicite primam vestram constantiam. Sic cucurristis, vt ad medium stadij pertigeritis; exiguum agonis restat. Palma vobis est ante oculos, & penè in manibus: nolite eam apostatando tandem abijcere, aut prodigere. Hoc enim non tantum pudendum, sed stultum ac stolidum foret. Ita oportuit opprobrium in negotio religionis à cognatis patientes ad constantiam hortari, & munire.

Opprobrium res est idonea ad animam subuertendam. Psal. 41. Psal. 54.

Ponderat D. Chrysostomus, verba, *Opprobriis tribulationibus spectaculum facti*, & ad propositum nostrū subiungit: *Grauis quippe res est opprobrium, & idonea ad animam subuertendam, & ad excecandam mentem: nam audi quid dicat Prophera, Cùm dicunt mihi*, inquit, *per singulos dies, vbi est Deus tuus? Et iterum: Si inimicus exprobraret mihi, sustinerem. Quoniam enim valde appetens est gloriæ genus humanum, propterea etiam facile opprobriis captiuatur. & non simpliciter dixit. Opprobriis, sed etiam cum multa fide hoc fecit, dicens, spectaculum facti. Cùm enim quis secretò exprobratur, contristatur quidem: sed multò amplius, cum coram omnibus. Dic enim mihi, quantum erat malum discedentes ab infirmitate Iudaica, & ad optimam vitam transeuntes, & paternas traditiones contemnentes, vt ab ipsis domesticis paterentur multa mala, & nullam haberent defensionem? Non possum*, inquit, *dicere, ista quidem vos esse passos, doluisse tamen, immò magis gaudebatis.* Dauid ab externis eiusmodi opprobria audire vix sustinuit. Vnde Psal. 41. inquit, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?* quasi diceret, lachrymis quasi panibus sustentabar assiduè per dies & noctes; id est, toto vitæ tēpore, cùm auditrem ab impijs & incredulis; Vbi est Deus tuus, ad quem siris, ad quem suspiras, quem diligis? Et apud Ioëlem c. 2. aiunt Sacerdotes plorantes: *Quare dicunt in populis: Vbi est Deus eorum?* Vbi pro Hebræis exitio proximis obsecrant Domino, vt eis parcat: & pro summa ratione adducunt verba iam cita. Quasi dicerent: Si nos tradis Chaldæis, Gentes, & nos & te, ô Domine subsannabunt, & blasphemabunt dicentes? Deus Hebræorum suos Iudæos deseruit, quia infirmus eos contra Chaldæos turari nō valuit; aut si valuit immisericors & crudelis noluit. Auerte hæc probra à te, à nomine tuo glorioso. Itaque tale erit nobis auditu intollerabile. Vnde & Iosue cap. 7. cùm videret populū cum ignominia tergum vertere, dicebat orans: *Quid facies magno nomini tuo?* Sic & minus tolerabile erat, cum audiret ab amicis suis, *Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas*, id est, Deus tuus, à quo remunerationem exipectabas. tam inquam illi durum erat, vt grauius quid ferre non posset, vt tùm hic apparet, tùm magis c. 3. vbi propter vxoris blasphemiam ingemuit & lachrymatus est, quod antea non soluit.

Tobias fleuit ob ignominiam ab vxore illatam.

In libris Machabæorum Matathias vir zelator legis, grauem ad filios orationem habuit, dolorisque plenam, quem ex patriæ templique conculcatione cōceperat, dicens: *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic, cùm datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta sunt: trucidati sunt senes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hereditauit regnum eius, & non obtinuit spolia eius? Omnis compositio eius ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla. Et Ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinauerunt ea Gentes. Quò ergo nobis adhuc viuere?* 1. Machab. c. 2. à v. 7. D. Augustinus aliquod ludibrij genus refert lib. 3. contra epistolam Parmeniani ad finem: Vbi dicit Episcopum Saluium ab hæreticis indignissimè fuisse tractatum, *adeò vt eius ceruicibus etiam mortuorum canum cadauera colligarent, vt postremò cum illo ad turpes voces, cantionesque saltarent.* Grauia sunt hæc, sed longè grauiora, quæ viri strenui, & patriæ religionis amantes tuleruntab Antiocho: & quæ pro suo libitu addiderunt illius inclementiæ crudeles, atque inuerecundi satellites. Tractatum fuit templum sicut homo fatuus, & ignobilis, cùm immolati sunt porci, quos tāopere horrebat Iudæorum religio, vt ab eius etiā carnibus abstineret; cùm erepta à Deo domus Ioui consecraretur Olympico, id est diabolo; cui publica designarentur meretricū, Catanitorumque prostibula. Ea denique inducerentur in tēplum, quæ vilissima loca, & immundissimæ soricæ vix admitterent. Grauius rursum fuit ignominiâ Saluij, homini pio, & diuinæ religionis amanti in honorem Bacchi cōronari hederâ, & circum illius aram orbes de gentilico more ducere saltatorios. De quibus lib. 2. cap. 6. *Cùm liberi sacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire.* Neque illud, opinor, genus defuit irrisionis, quo miseri, & fatui vexari atq; illudi solent à procacibus, vt cum sannis contumeliosè, aut plagis acerbè conciduntur, neque querantur, neque clament: sed ferant taciti dolorem, & ignominiā.

Grauis & dolorū plena Mathathiæ oratio.

Quales ignominiæ, in templum & Iudæos ab Antiocho.

Grauè cùm negatur luzgendi facultas, & lacrimæ inhibentur miseri.

Durum denique, ac planè tyrannicum mandatum, tempore luctus cogere miseros vultum ad lætitiam fingere, & exorbere lacrymas, quas exprimebat dolor, & angorem premere, quo cor exulceratum vrebatur interius, & præ se ferre exultantis speciem, cùm abesset longissimè exultandi causa, vti fiebat loc. cit. vbi cogebantur Iudæi coronari hederâ, & bacchantium in morem circuire aram Liberi, id est, Bacchi in diebus Regis natalitijs, quæ celebrari consueuere quotannis, maximè apud Persas.

Similiter durum fuit captiuis Iudæis apud Babylonios, quod cùm excisam dolerēt Hierosolymam, neque deesset domi, quid lugerent, tamen coronari cogebantur cum Chaldæis, & cum externis exultātis animi signis, de patria à fundamentis euersâ triumphare. Sic autem ad captiuos Ezechiel cap. 24. v. 21. *Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pauet anima vestra: filij vestri, & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus. Non plangetis, neque flebitis.* Idem accidit illis, quorum regiones popularus est Holofernes, quique vitam suam tueri se posse desperabant: & tamen quem horrebant, & oderant, exceperunt cum choris, & triumphali plausu, de quo habes lib. Iudith cap. 3. v. 9. *Tantusque metus prouincijs illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores, principes & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibijs.* Nec minor fuit tristitia, cùm Psal. 136. Iudæis proponebatur canere canticum in terra aliena; quandoquidem per modum exercitationis respondērint: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Verùm hæc omnia ab Exteris fiebant.

10. *Durius fuit Tobiæ opprobrium audire quàm omnes calamitates subire.*

Sed durius fuit Tobiæ supra omnes calamitates, opprobrium audire ab Amicis quod ipsum Deum peteret. Ne miretis. Tale quid de Gentilium Dijs dumtaxat dici potest, à quibus nihil est sperandum, cùm simulachra tantum sint, in quibus habitant dæmonia. Sic Dominus Deutron. 32. dicit impijs in necessitate constitutis: *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminū. Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* quasi diceret, Non poterant. Et 3. Reg. 8. dicebat Elias ad eos qui idola sequebantur, & exspectabant Deos eorum ignem missuros de cœlo, qui absumeret sacrificium, quod positum erat ad discernendū an Belial, esset Deus: *Clamate,* inquit, *voce maiori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* De Deo vero hæc auribus insonare, horrendum planè.

11. *Ingens est meriti apud Deum irrisiones patienter ferre.*

Quanti meriti sit opprobria, & irrisiones eiusmodi constanter, & patienter ferre, docuit diuinus ille Apostolus ad Hebr. 10. cit. cùm asserit ea sustinētes æquo animo mereri æternam gloriā Ibi enim post quam nouellos ex Iudæis Christianos factos, ideoq; aliorum opprobrijs, & irrisionibus expositos, primò ad constantiam in fide Christi excitarat terrore iudicij & gehennæ, statim alio argumento petito à laudibus Hebræorum, ob pristinam videlicet eorum in persecutione constantiam, ad perseuerantiam eosdem vrget: vt in eorum animos dulcius influat, & persuadeat. Disertè ibidem Chrysostomus: *Optimi,* inquit, *Medicorum cum alte secuerint, & per incisionem fecerint doloris augmentum, solatium statim afferunt, & remedium illi loco, vbi dolor inest, & perturbatam resonent animam: postquam autem recreauerint, alteram iam non aduersus sectionem, quemadmodum illa quæ facta sunt, medicaminibus mitioribus, & valentibus magnitudinem mitigare doloris, confouent: hoc etiam Paulus fecit. Postquam enim concussit animas eorum, & compunxit mentione gehennæ: & fidem fecit, quia omnibus modis oportet perire, iniustā Dei gratiam afficientem, & hoc ex lege Moysis docuit, quia perirent, & alijs testimonijs amplius hoc affirmauit, dicens: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, ne multo timore desperantem animam absorberi faceret, consolatur eos per laudes & hortationes, æmulationem domesticam eis proferens. Rememoramini,* inquit, *pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum. Multa est consolatio, vel hortatio, quæ ipsis sit operibus.* Demū subiungit Apostolus: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Sensus est; Cum bonis vestris pro fide Christi spoliaremini, gaudebatis, quia ex hac paupertate in terris, diuites efficeremini in cælis apud Deum, qui bona vobis erepta cum fœnore centuplicata reddet. Ex quo concludit: *Nolite, itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Quasi dicat: Magnas spes, magnas opes habetis repositas apud Deum in cælis: nolite eas abijcere, & profundere per pusillanimitatem, impatientiam, & apostasiam, sed in vestra spe, fide, & patientia persistite; ita fiet, vt harum opum, in horum meritorum magnam remunerationem, maxima præmia fitis percepturi.

D. Paulus instar boni Medici primum compungu Hebræos, deinde recreat.

Ecce Apostolus asserit hæc opprobria patienter perpessos mereri gloriam cælestem in remunerationem, quam scilicet oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ etiam in cor hominis non ascendit; quia nemo vidit, quæ præpa-

præparauit Deus diligentibus se. Patientiam dumtaxat exigit Apostolus. Facundè Chrysostomus hom. 21. ad Hebr. *Nullo vobis alio opus est, nisi vt fletis, sicut flebatis, vt ad finem venientes, participetis repromissionem. Patientia*, inquit, *vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. Vno opus habetis tantum, vt perseueretis, & expectetis futura, non vt iterum certetis, ad ipsam iam coronam proximi facti estis: certamina cuncta sustinuistis, vincula, tribulationes, substantia vestra direpta sunt: quid est ergo, nisi quia de cætero ad hoc statis, vt coronemini? hoc solum, tolerate aduentum coronæ. O quanta magnitudo exhortationis & consolationis.* Hæc sanè Tobias & præstitit, & pertulit, nec diffisus de Deo vllâ eguit externâ consolatione; quin potius imsores suos ad meliora hortatus sit, vt mox dicemus.

Solâ patientiâ opus est ad coronam vitæ cælestis accumulandam.

SECTIO XIII.

Quid deceat Tobias noster post irrisionem amicorum, non insultans, sed potius de graui correptione sollicitus.

RES paradoxa. Audit Tobias irrisiones amicorum, pietatem sannis lacerari, non insultat, nec querelis cælum aut terram incessit, non fremit, non murmurat, vt plerique nostrum; sed Deo rem omnem committens, suaui admonitione fratres lucrari satagit. Duo præclara in his comperio documenta, quæ Tobias fidelium institutioni exhibet. Prius, etsi graue, infrequens tamen non esse à fratribus, amicis, & cognatis irrideri, contumeliam, & peius quid pati. Ab omni æuo commune & peruagatum est vitium: quod sponsa in Canticis sibi contigisse narrat: *Nolite*, inquit, *me considerare quod fusca sim, quia decoloranit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt aduersum me. Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui*: Vitium, inquit, nigredinis non à natura, aut à natiuitate mihi accidit, vt Æthiopibus, sed potius ex accidente & casu, nimirum ex ardore solis, quo tempore vineas alienas custodire coacta fui, de more rusticarum puellarum, à maleuolis fratribus: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Fratres mei, nec quomodo libet fratres; sed fratres mei vterini ac germani opportunè, & importunè ita institerunt, & laborauerunt, vt propemodum, imò planè cogerent me inuitam, & renitentem, repugnantemque vtpote contra omne ius, & fas, atque etiam decorum, vineas eorum, seu etiam vineas communes custodiendas susciperem, de more puellarum rusticarum, & tanquam mercenaria, quæ antea nunquam vineas custodijssem, ne vineam quidem meam propriam. Vnde & nigredinem hanc contraxi, & decolorata à sole sum, subnigraque esse videor; Ne igitur miremini.

1. *Documentum. Communis est vitium à consanguineis pati.*

Cant. 1.

Vtinam non ita notum esset, & exploratum quotidianum hoc malum, nempe fratrum quoque germanorum, seu vterinorum raram esse fidem, gratiam & charitatem, hoc est grauissimas persecutiones, & calamitates, & inimicitias plerumque nobis excitari à fratribus, etiam germanis, & vterinis, ne dicam ab alijs hominibus coniunctissimis, id est, consanguineis, propinquisque, domesticis, ciuibus, & alijs eiusmodi necessarijs. Manifestum id euadit exemplo primorum fratrum Cain & Abel, quorum alter ex inuidia alterum occidit, Genes. 4. Quin etiam exemplo filiorum Iacob, seu fratrum Ioseph, quem ipsi inuidiâ fremebundi interficere voluerunt. *Cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos*, gratia scilicet inuisendi eos, *cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusq;, fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua*, Genes. 37. Tandem pro magna misericordia à cæde manus vix abstinuerunt, & tanquam vile ac turpe quoddam mancipium, eum in Ægyptum vendiderunt. Tobias noster irridetur, non solum ab amicis audit: *Vbi est spes tua*, inquiunt, *pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* sed etiam postea ab vxore similes audit blasphemias. De qua postea erit dicendi locus. De Ieremia vate cap. 12. hæc prodit oracultum: *Fratres tui, & domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce*: Non solùm alieni, inquit, sed etiam fratres tui, id est, consanguinei, & cognati, & domestici, & familiares, & ciues tui tibi aduersabuntur, seu insurgent aduersum te, & clamabunt post te, id est, vociferabunt, vel turbam inducent, & concitabunt, vt te pariter prosequantur, vetantes, ne quid in nomine Domini vaticineris, si manibus ipsorum perire nolis. Michæas Propheta de suo tempore sic scribit: *Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, & nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Nulla tanta erunt officiorum, & naturæ vincula, quæ non perrumpat priuata vniuscuiusque commoditas. Patri namque suo insidiabitur filius, neque maior erit filiarum in matrem aut nurus in socrum amor, atque fidelitas. Denique à domesticis quasi ab intestinis hostibus, cauendum est. Dauid quid non à Saule socero passus? quid non à Consiliario Architophele, cuius consilium vt Dei haberi solet? Quid non ab Absalone? quid non à Semei? Sacra Scriptura locuples testis est: videan-

2. *Rarum esse fratrum gratiam & charitatem.*

Exempla.

Mich. 7.

Grauis cùm negatur lusgendi facultas, & lasari iubentur miseri.

Durum denique, ac planè tyrannicum mandatum, tempore luctus cogere miseros vultum ad lætitiam fingere, & exorbere lacrymas, quas exprimebat dolor, & angorem premere, quo cor exulceratum vrebatur interius, & præ se ferre exultantis speciem, cùm abesset longissimè exultandi causa, vti fiebat loc. cit. vbi cogebantur Iudæi coronari hederâ, & bacchantium in morem circuire aram Liberi, id est, Bacchi in diebus Regis natalitijs, quæ celebrari consueuere quotannis, maximè apud Persas.

Similiter durum fuit captiuis Iudæis apud Babylonios, quod cùm excisam dolerét Hierosolymam, neque deesset domi, quid lugerent, tamen coronari cogebantur cum Chaldæis, & cum externis exultátis animi signis, de patria à fundamentis euersâ triumphare. Sic autem ad captiuos Ezechiel cap. 24. v. 21. *Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pauet anima vestra: filij vestri, & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus. Non plangetis, neque flebitis.* Idem accidit illis, quorum regiones populatus est Holofernes, quique vitam suam tueri se posse desperabant: & tamen quem horrebant, & oderant, exceperunt cum choris, & triumphali plausu, de quo habes lib. Iudith cap. 3. v. 9. *Tantusque metus prouincijs illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores, principes & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibijs.* Nec minor fuit tristitia, cùm Psal. 136. Iudæis proponebatur canere canticum in terra aliena; quandoquidem per modum exercitationis respondérint: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Verùm hæc omnia ab Exteris fiebant.

10. *Durius fuit Tobiæ opprobrium audire quàm omnes calamitates subire.*

Sed durius fuit Tobiæ supra omnes calamitates, opprobrium audire ab Amicis quod ipsum Deum peteret. Ne mireris. Tale quid de Gentilium Dijs dumtaxat dici potest, à quibus nihil est sperandum, cùm simulachra tantum sint, in quibus habitant dæmonia. Sic Dominus Deuteron. 32. dicit impijs in necessitate cõstitutis: *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminũ. Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* quasi diceret, Non poterant. Et 3. Reg. 8. dicebat Elias ad eos qui idola sequebantur, & exspectabant Deos eorum ignem missuros de cœlo, qui absumeret sacrificium, quod positum erat ad discernendũ an Belial, esset Deus: *Clamate*, inquit, *voce maiori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* De Deo vero hæc auribus insonare, horrendum planè.

II. *Ingenium est meriti apud Deum iniurias patienter ferre.*

Quanti meriti sit opprobria, & irrisiones eiusmodi constanter, & patienter ferre, docuit diuinus ille Apostolus ad Hebr. 10. cit. cùm asserit ea sustinétes æquo animo mereri æternam gloriã Ibi enim post quam nouellos ex Iudæis Christianos factos, ideoq; aliorum opprobrijs, & irrisionibus expositos, primò ad constantiam in fide Christi excitarat terrore iudicij & gehennæ, statim alio argumento petito à laudibus Hebræorum, ob pristinam videlicet eorum in persecutione constantiam, ad perseuerantiam eosdem vrget: vt in eorum animos dulcius influat, & persuadeat. Disertè ibidem Chrysostomus: *Optimi*, inquit, *Medicorum cum alitè secuerint, & per incisionem fecerint doloris augmentum, solatium statim afferunt, & remedium illi loco, vbi dolor inest, & perturbatam refouent animam: postquam autem recreauerint, alteram iam non adiciunt sectionem, quinetiam illa quæ facta sunt, medicaminibus mitioribus, & valentibus magnitudinem mitigare doloris, conferunt: hoc etiam Paulus fecit. Postquam enim concussit animas eorum, & compunxit mentione gehennæ: & fidem fecit, quia omnibus modis oportet perire, iniuriâ Dei gratiam afficientem, & hoc ex lege Moysis docuit, quia perirent, & alijs testimonijs amplius hoc affirmauit, dicens: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, ne multo timore desperantem animam absorberi faceret, consolatur eos per laudes & hortationes, æmulationem domesticam eis proferens. Rememoramini*, inquit, *pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum. Multa est consolatio, vel hortatio, quæ ipsis fit operibus.* Demũ subiungit Apostolus: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Sensus est; Cum bonis vestris pro fide Christi spoliaremini, gaudebatis, quia ex hac paupertate in terris, diuites efficeremini in cælis apud Deum, qui bona vobis erepta cum fœnore centuplicata reddet. Ex quo concludit: *Nolite, itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Quasi dicat: Magnas spes, magnas opes habetis repositas apud Deum in cælis: nolite eas abijcere, & profundere per pusillanimitatem, impatientiam, & apostasiam, sed in vestra spe, fide, & patientia persistite; ita fiet, vt harum opum, in horum meritorum magnam remunerationem, maxima præmia finis percepturi.

D. Paulus instar boni Medici primum compungit Hebræos, deinde recreat.

Ecce Apostolus asserit hæc opprobria patienter perpessos mereri gloriam cælestem remunerationem, quam scilicet oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ etiam in cor hominis non ascendit; quia nemo vidit, quæ præpa-

præparauit Deus diligentibus se. Patientiam dumtaxat exigit Apostolus. Facundè Chrysostomus hom. 21. ad Hebr. *Nulla vobis alia opus est, nisi vt fletis, sicut flebatis, vt ad finem venientes, participetis repromissionem. Patientia*, inquit, *vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. vno opus habetis tantum, vt perseueretis, & expectetis futura, non vt iterum certetis, ad ipsam iam coronam proximi facti estis: certamina cuncta sustinuistis, vincula, tribulationes, substantia vestra direpta sunt: quid est ergo, nisi quia de cætero ad hoc statis, vt coronemini? hoc solum, tolerate aduentum coronæ. O quanta magnitudo exhortationis & consolationis.* Hæc sanè Tobias & præstitit, & pertulit, nec diffisus de Deo vllâ eguit externâ consolatione; quin potius inisores suos ad meliora hortatus sit, vt mox dicemus.

Sola patientia opus est ad coronam vitæ cælestis occupandã.

SECTIO XIII.

Quid doceat Tobias noster post irrisionem amicorum, non insultans, sed potius de graui correptione sollicitus.

RES paradoxa. Audit Tobias irrisiones amicorum, pietatem sannis lacerari, non insultat, nec querelis cælum aut terram incessit, non fremit, non murmurat, vt plerique nostrum; sed Deo rem omnem committens, suaui admonitione fratres lucrari satagit. Duo præclara in his comperio documenta, quæ Tobias fidelium institutioni exhibet. Prius, etsi graue, infrequens tamen non esse à fratribus, amicis, & cognatis irrideri, contumeliam, & peius quid pati. Ab omni æuo commune & peruagatum est vitium: quod sponsa in Canticis sibi contigisse narrat: *Nolite*, inquit, *me considerare quod fusca sim, quia decoloranit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt aduersum me. Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui*: Vitium, inquit, nigredinis non à natura, aut à natiuitate mihi accidit, vt Æthiopibus, sed potius ex accidente & casu, nimirum ex ardore solis, quo tempore vineas alienas custodire coacta fui, de more rusticarum puellarum, à malevolis fratribus: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Fratres mei, nec quomodo libet fratres; sed fratres mei vterini ac germani opportunè, & importunè ita institerunt, & laborauerunt, vt propemodum, imò planè cogerent me inuitam, & renitentem, repugnantemque vtpote contra omne ius, & fas, atque etiam decorum, vineas eorum, seu etiam vineas communes custodiendas susciperem, de more puellarum rusticarum, & tanquam mercenaria, quæ antea nunquam vineas custodijssem, ne vineam quidem meam propriam. Vnde & nigredinem hanc contraxi, & decolorata à sole sum, subnigraque esse videor; Ne igitur miremini.

Cant. 1.

Vtinam non ita notum esset, & exploratum quotidianum hoc malum, nempe fratrum quoque germanorum, seu vterinorum raram esse fidem, gratiam & charitatem, hoc est grauissimas persecutiones, & calamitates, & inimicitias plerumque nobis excitari à fratribus, etiam germanis, & vterinis, ne dicam ab alijs hominibus coniunctissimis, id est, consanguineis, propinquisque, domesticis, ciuibus, & alijs eiusmodi necessarijs. Manifestum id euadit exemplo primorum fratrum Cain & Abel, quorum alter ex inuidia alterum occidit, Genes. 4. Quin etiam exemplo filiorum Iacob, seu fratrum Ioseph, quem ipsi inuidiâ fremebundi interficere voluerunt. *Cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos*, gratia scilicet inuisendi eos, *cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusq;, fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua*, Genes. 37. Tandem pro magna misericordia à cæde manus vix abstinuerunt, & tanquam vile ac turpe quoddam mancipium, eum in Ægyptum vendiderunt. Tobias noster irridetur, non solum ab amicis audit: *Vbi est spes tua*, inquiunt, *pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* sed etiam postea ab vxore similes audit blasphemias. De qua postea erit dicendi locus. De Ieremia vate cap. 12. hæc prodit oraculum: *Fratres tui, & domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce*: Non solùm alieni, inquit, sed etiam fratres tui, id est, consanguinei, & cognati, & domestici, & familiares, & ciues tui tibi aduersabuntur, seu insurgent aduersum te, & clamabunt post te, id est, vociferabunt, vel turbam inducent, & concitabunt, vt te pariter prosequantur, vetantes, ne quid in nomine Domini vaticineris, si manibus ipsorum perire nolis. Michæas Propheta de suo tempore sic scribit: *Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, & nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Nulla tanta erunt officiorum, & naturæ vincula, quæ non perrumpat priuata vniuscuiusque commoditas. Patri namque suo insidiabitur filius, neque maior erit filiarum in matrem aut nurus in socrum amor, atque fidelitas. Denique à domesticis quasi ab intestinis hostibus, cauendum est. Dauid quid non à Saule socero passus? quid non à Consiliario Architophele, cuius consilium vt Dei haberi solet? Quid non ab Absalone? quid non à Semei? Sacra Scriptura locuples testis est: videan-

2. *Rarum esse fratrum gratiam & charitatem.*

Exempla.

Mich. 7.

1. Documentum. Communis est vitium à consanguineis pati.

Grauè cùm negatur lugendi facultas, & lætari iubentur miseri.

Durum denique, ac planè tyrannicum mandatum, tempore luctus cogere miseros vultum ad lætitiam fingere, & exorbere lacrymas, quas exprimebat dolor, & angorem premere, quo cor exulceratum vrebatur interius, & præ se ferre exultantis speciem, cùm abesset longissimè exultandi causa, vti fiebat loc. cit. vbi cogebantur Iudæi coronari hederâ, & bacchantium in morem circuire aram Liberi, id est, Bacchi in diebus Regis natalitijs, quæ celebrari consueuere quotannis, maximè apud Persas.

Similiter durum fuit captiuis Iudæis apud Babylonios, quod cùm excisam dolerét Hierosolymam, neque deesset domi, quid lugerent, tamen coronari cogebantur cum Chaldæis, & cum externis exultátis animi signis, de patria à fundamentis euersâ triumphare. Sic autem ad captiuos Ezechiel cap. 24. v. 21. *Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pauet anima vestra: filij vestri, & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus. Non plangetis, neque flebitis.* Idem accidit illis, quorum regiones populatus est Holofernes, quique vitam suam tueri se posse desperabant: & tamen quem horrebant, & oderant, exceperunt cum choris, & triumphali plausu, de quo habes lib. Iudith cap. 3. v. 9. *Tantusque metus prouincijs illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores, principes & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum cereis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibijs.* Nec minor fuit tristitia, cùm Psal. 136. Iudæis proponebatur canere canticum in terra aliena; quandoquidem per modum exercitationis respondérint: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Verùm hæc omnia ab Exteris fiebant.

10. *Durius fuit Tobiæ opprobrium audire quàm omnes calamitates subire.*

Sed durius fuit Tobiæ supra omnes calamitates, opprobrium audire ab Amicis quod ipsum Deum peteret. Ne mireris. Tale quid de Gentilium Dijs dumtaxat dici potest, à quibus nihil est sperandum, cùm simulachra tantum sint, in quibus habitant dæmonia. Sic Dominus Deutron. 32. dicit impijs in necessitate constitutis: *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminũ. Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* quasi diceret, Non poterant. Et 3. Reg. 18. dicebat Elias ad eos qui idola sequebantur, & exspectabant Deos eorum ignem missuros de cœlo, qui absumeret sacrificium, quod positum erat ad discernendũ an Belial, esset Deus: *Clamate*, inquit, *voce maiori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* De Deo vero hæc auribus insonare, horrendum planè.

II. *Iogenium est meriti apud Deum tristitias patienter ferre*

Quanti meriti sit opprobria, & irrisiones eiusmodi constanter, & patienter ferre, docuit diuinus ille Apostolus ad Hebr. 10. cit. cùm asserit ea sustinẽtes æquo animo mereri æternam gloriã Ibi enim post quam nouellos ex Iudæis Christianos factos, ideoq; aliorum opprobrijs, & irrisionibus expositos, primò ad constantiam in fide Christi excitarat terrore iudicij & gehennæ, statim alio argumento petito à laudibus Hebræorum, ob pristinam videlicet eorum in persecutione constantiam, ad perseuerantiam eosdem vrget: vt in eorum animos dulcius influat, & persuadeat. Disertè ibidem Chrysostomus: *Optimi*, inquit, *Medicorum cum alte secuerint, & per incisionem fecerint doloris augmentum, solatium statim afferunt, & remedium illis loco, vbi dolor inest, & perturbatam refouent animam: postquam autem recreauerint, alteram iam non adiciunt sectionem, quinetiam illa quæ facta sunt, medicaminibus mitioribus, & valentibus magnitudinem mitigare doloris, confouent: hoc etiam Paulus fecit. Postquam enim concussit animas eorum, & compunxit mentione gehennæ: & fidem fecit, quia omnibus modis oportet perire, iniuriâ Dei gratiam afficientem, & hoc ex lege Moysis docuit, quia perirent, & alijs testimonijs amplius hoc affirmauit, dicens: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, ne multo timore desperantem animam absorberi faceret, consolatur eos per laudes & hortationes, æmulationem domesticam eis proferens. Remoramini*, inquit, *pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum. Multa est consolatio, vel hortatio, quæ ipsis fit operibus.* Demũ subiungit Apostolus: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Sensus est; Cum bonis vestris pro fide Christi spoliaremini, gaudebatis, quia ex hac paupertate in terris, diuites efficeremini in cælis apud Deum, qui bona vobis erepta cum fœnore centuplicata reddet. Ex quo concludit: *Nolite, itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Quasi dicat: Magnas spes, magnas opes habetis repositas apud Deum in cælis: nolite eas abijcere, & profundere per pusillanimitatem, impatientiam, & apostasiam, sed in vestra spe, fide, & patientia persistite; ita fiet, vt harum opum, in horum meritorum magnam remunerationem, maxima præmia vitis percepturi.

D. Paulus instar boni Medici primum compungit Hebræos, deinde recreat.

Ecce Apostolus asserit hæc opprobria patienter perpessos mereri gloriam cælestem in remunerationem, quam scilicet oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ etiam in cor hominis non ascendit; quia nemo vidit, quæ præpa-

præparauit Deus diligentibus se. Patientiam dumtaxat exigit Apostolus. Facundè Chrysostomus hom. 21. ad Hebr. *Nullo vobis alio opus est, nisi vt fletis, sicut flebatis, vt ad finem venientes, participetis repromissionem. Patientia*, inquit, *vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. vno opus habetis tantum, vt perseueretis, & expectetis futura, non vt iterum certetis, ad ipsam iam coronam proximi facti estis: certamina cuncta sustinuistis, vincula, tribulationes, substantia vestra direpta sunt: quid est ergo, nisi quia de cætero ad hoc statis, vt coronemini? hoc solum, tolerate aduentum corona. O quanta magnitudo exhortationis & consolationis.* Hæc sanè Tobias & præstitit, & pertulit, nec diffisus de Deo vllâ eguit externâ consolatione; quin potius inisores suos ad meliora hortatus sit, vt mox dicemus.

Sola patientia opus ad coronam vitæ cælestis ornandã.

SECTIO XIII.

Quid doceat Tobias noster post irrisionem amicorum, non insultans, sed potius de graui correptione sollicitus.

RES paradoxa. Audit Tobias irrisiones amicorum, pietatem sannis lacerari, non insultat, nec querelis cælum aut terram incessit, non fremit, non murmurat, vt plerique nostrum; sed Deo rem omnem committens, suaui admonitione fratres lucrari satagit. Duo præclara in his comperio documenta, quæ Tobias fidelium institutioni exhibet. Prius, etsi graue, infrequens tamen non esse à fratribus, amicis, & cognatis irrideri, contumeliam, & peius quid pati. Ab omni æuo commune & peruagatum est vitium: quod sponsa in Canticis sibi contigisse narrat: *Nolite*, inquit, *me considerare quod fusca sim, quia decoloranit me Sol. Filij matris mea pugnauerunt aduersum me. Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui*: Vitium, inquit, nigredinis non à natura, aut à natiuitate mihi accidit, vt Æthiopibus, sed potius ex accidente & casu, nimirum ex ardore solis, quo tempore vineas alienas custodire coacta fui, de more rusticarum puellarum, à maleuolis fratribus: *Filij matris mea pugnauerunt contra me.* Fratres mei, nec quomodo libet fratres; sed fratres mei vterini ac germani opportunè, & importunè ira institerunt, & laborauerunt, vt propemodum, imò planè cogerent me inuitam, & renitentem, repugnantemque vtpote contra omne ius, & fas, atque etiam decorum, vineas eorum, seu etiam vineas communes custodiendas susciperem, de more puellarum rusticarum, & tanquam mercenaria, quæ antea nunquam vineas custodijssem, ne vineam quidem meam propriam. Vnde & nigredinem hanc contraxi, & decolorata à sole sum, subnigraque esse videor; Ne igitur miremini.

1. *Dominum. Commune est vitium à consanguineis pati.*

Cant. 1.

Vtinam non ita notum esset, & exploratum quotidianum hoc malum, nempe fratrum quoque germanorum, seu vterinorum raram esse fidem, gratiam & charitatem, hoc est grauissimas persecutiones, & calamitates, & inimicitias plerumque nobis excitari à fratribus, etiam germanis, & vterinis, ne dicam ab alijs hominibus coniunctissimis, id est, consanguineis, propinquisque, domesticis, ciuibus, & alijs eiusmodi necessarijs. Manifestum id euadit exemplo primorum fratrum Cain & Abel, quorum alter ex inuidia alterum occidit, Genes. 4. Quin etiam exemplo filiorum Iacob, seu fratrum Ioseph, quem ipsi inuidiâ fremebundi interficere voluerunt. *Cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos*, gratia scilicet inuisendi eos, *cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusq;, fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua*, Genes. 37. Tandem pro magna misericordia à cæde manus vix abstinuerunt, & tanquam vile ac turpe quoddam mancipium, eum in Ægyptum vendiderunt. Tobias noster irridetur, non solum ab amicis audit: *Vbi est spes tua*, inquiunt, *pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* sed etiam postea ab vxore similes audit blasphemias. De qua postea erit dicendi locus. De Ieremia vate cap. 12. hæc prodit oracullum: *Fratres tui, & domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce*: Non solùm alieni, inquit, sed etiam fratres tui, id est, consanguinei, & cognati, & domestici, & familiares, & ciues tui tibi aduersabuntur, seu insurgent aduersum te, & clamabunt post te, id est, vociferabunt, vel turbam inducent, & concitabunt, vt te pariter prosequantur, vetantes, ne quid in nomine Domini vaticineris, si manibus ipsorum perire nolis. Michæas Propheta de suo tempore sic scribit: *Filium contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, & nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Nulla tanta erunt officiorum, & naturæ vincula, quæ non perrumpat priuata vniuscuiusque commoditas. Patri namque suo insidiabitur filius, neque maior erit filiarum in matrem aut nurus in socrum amor, atque fidelitas. Denique à domesticis quasi ab intestinis hostibus, cauendum est. Dauid quid non à Saule socero passus? quid non à Consiliario Architophele, cuius consilium vt Dei haberi solet? Quid non ab Absalone? quid non à Semei? Sacra Scriptura locuples testis est: videan-

2. *Rarum esse fratrum gratiam & charitatem.*

Exempla.

Mich. 7.

Grauè cùm negatur lugendi facultas, & lætari iubentur miseri.

Durum denique, ac planè tyrannicum mandatum, tempore luctus cogere miseros vultum ad lætitiam fingere, & exorbere lacrymas, quas exprimebat dolor, & angorem premere, quo cor exulceratum vrebatur interius, & præ se ferre exultantis speciem, cùm abesset longissimè exultandi causa, vti fiebat loc. cit. vbi cogebantur Iudæi coronari hederâ, & bacchantium in morem circuire aram Liberi, id est, Bacchi in diebus Regis natalitijs, quæ celebrari consueuere quotannis, maximè apud Persas.

Similiter durum fuit captiuis Iudæis apud Babylonios, quod cùm excisam dolerēt Hierosolymam, neque deesset domi, quid lugerent, tamen coronari cogebantur cum Chaldæis, & cum externis exultātis animi signis, de patria à fundamentis euersâ triumphare. Sic autem ad captiuos Ezechiel cap. 24. v. 21. *Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pauet anima vestra: filij vestri, & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus. Non plangetis, neque flebitis.* Idem accidit illis, quorum regiones populatus est Holofernes, quique vitam suam tueri se posse desperabant: & tamen quem horrebant, & oderant, exceperunt cum choris, & triumphali plausu, de quo habes lib. Iudith cap. 3. v. 9. *Tantusque metus prouincijs illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores, principes & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibijs.* Nec minor fuit tristitia, cùm Psal. 136. Iudæis proponebatur canere canticum in terra aliena; quandoquidem per modum exercitationis respondernnt: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Verùm hæc omnia ab Exteris fiebant.

10. *Durius fuit Tobiæ opprobrium audire quàm omnes calamitates subire.*

Sed durius fuit Tobiæ supra omnes calamitates, opprobrium audire ab Amicis quod ipsum Deum peteret. Ne mirens. Tale quid de Gentilium Dijs dumtaxat dici potest, à quibus nihil est sperandum, cùm simulachra tantum sint, in quibus habitant dæmonia. Sic Dominus Deutron. 32. dicit impijs in necessitate constitutis: *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminū. Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* quasi diceret, Non poterant. Et 3. Reg. 8. dicebat Elias ad eos qui idola sequebantur, & exspectabant Deos eorum ignem missuros de cœlo, qui absumeret sacrificium, quod positum erat ad discernendū an Belial, esset Deus: *Clamate*, inquit, *voce maiori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* De Deo vero hæc auribus insonare, horrendum planè.

II. *Ingens est meriti apud Deum opprobria patienter ferre.*

Quanti meriti sit opprobria, & irrisiones eiusmodi constanter, & patienter ferre, docuit diuinus ille Apostolus ad Hebr. 10. cit. cùm asserit ea sustinētes æquo animo mereri æternam gloriā Ibi enim post quam nouellos ex Iudæis Christianos factos, ideoq; aliorum opprobrijs, & irrisionibus expositos, primò ad constantiam in fide Christi excitarat terrore iudicij & gehennæ, statim alio argumento petito à laudibus Hebræorum, ob pristinam videlicet eorum in persecutione constantiam, ad perseuerantiam eosdem vrget: vt in eorum animos dulcius influat, & persuadeat. Disertè ibidem Chrysostomus: *Optimi*, inquit, *Medicorum cum altè secuerint, & per incisionem fecerint doloris augmentum, solatium statim afferunt, & remedium illis loco, vbi dolor inest, & perturbatam resonens animam: postquam autem recreauerint, alteram iam non adiciunt sectionem, quinetiam illa quæ facta sunt, medicaminibus mitioribus, & valentibus magnitudinem mitigare doloris, confouent: hoc etiam Paulus fecit. Postquam enim concussit animas eorum, & compunxit mentione gehennæ: & fidem fecit, quia omnibus modis oportet perire, iniquā Dei gratiam afficientem, & hoc ex lege Moysis docuit, quia perirent, & alijs testimonijs amplius hoc affirmauit, dicens: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, ne multo timore desperantem animam absorberi faceret, consolatur eos per laudes & hortationes, æmulationem domesticam eis proferens. Rememoramini*, inquit, *pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum. Multa est consolatio, vel hortatio, quæ ipsis sit operibus.* Demū subiungit Apostolus: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Sensus est; Cum bonis vestris pro fide Christi spoliaremini, gaudebatis, quia ex hac paupertate in terris, diuites efficeremini in cælis apud Deum, qui bona vobis erepta cum fœnore centuplicata reddet. Ex quo concludit: *Nolite, itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Quasi dicat: Magnas spes, magnas opes habetis repositas apud Deum in cælis: nolite eas abijcere, & profundere per pusillanimitatem, impatientiam, & apostasiam, sed in vestra spe, fide, & patientia persistite; ita fiet, vt harum opum, in horum meritorum magnam remunerationem, maxima præmia vitis percepturi.

D. Paulus instar boni Medici primum compungit Hebræos, deinde recreat.

Ecce Apostolus asserit hæc opprobria patienter perpessos mereri gloriam cælestem in remunerationem, quam scilicet oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ etiam in cor hominis non ascendit; quia nemo vidit, quæ præpa-

præparauit Deus diligentibus se. Patientiam dumtaxat exigit Apostolus. Facundè Chrysostomus hom. 21. ad Hebr. *Nullo vobis alio opus est, nisi vt stetis, sicut stabatis, vt ad finem venientes, participetis repromissionem. Patientia*, inquit, *vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. vno opus habetis tantum, vt perseueretis, & expectetis futura, non vt iterum certetis, ad ipsam iam coronam proximi facti estis: certamina cuncta sustinuistis, vincula, tribulationes, substantiæ vestræ direptæ sunt: quid est ergo, nisi quia de cætero ad hoc statis, vt coronemini? hoc solum, tolerate aduentum coronæ. O quanta magnitudo exhortationis & consolationis.* Hæc sanè Tobias & præstitit, & pertulit, nec diffisus de Deo vllâ eguit externâ consolatione, quin potius irrisores suos ad meliora hortatus sit, vt mox dicemus.

Sola patientia opus est ad coronam vitæ cælestis accumulandã.

SECTIO XIII.

Quid doceat Tobias noster post irrisionem amicorum, non insultans, sed potius de graui correptione sollicitus.

REs paradoxa. Audit Tobias irrisiones amicorum, pietatem sannis lacerari, non insultat, nec querelis cælum aut terram incessit, non fremit, non murmurat, vt plerique nostrum; sed Deo rem omnem committens, suaui admonitione fratres lucrari satagit. Duo præclara in his comperio documenta, quæ Tobias fidelium institutioni exhibet. Prius, etsi graue, infrequens tamen non esse à fratribus, amicis, & cognatis irrideri, contumeliam, & peius quid pati. Ab omni æuo commune & peruagatum est vitium: quod sponsa in Canticis sibi contigisse narrat: *Nolite*, inquit, *me considerare quod fusca sim, quia decoloranit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt aduersum me. Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui*: Vitium, inquit, nigredinis non à natura, aut à natiuitate mihi accidit, vt Æthiopibus, sed potius ex accidente & casu, nimirum ex ardore solis, quo tempore vineas alienas custodire coacta fui, de more rusticarum puellarum, à maleuolis fratribus: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Fratres mei, nec quomodo libet fratres; sed fratres mei vterini ac germani opportunè, & importunè ita institerunt, & laborauerunt, vt propemodum, imò planè cogerent me inuitam, & renitentem, repugnantemque vtpote contra omne ius, & fas, atque etiam decorum, vineas eorum, seu etiam vineas communes custodiendas susciperem, de more puellarum rusticarum, & tanquam mercenaria, quæ antea nunquam vineas custodijssem, ne vineam quidem meam propriam. Vnde & nigredinem hanc contraxi, & decolorata à sole sum, subnigraque esse videor; Ne igitur miremini.

1. Dominicum. Commune est vitium à consanguineis pati.

Cant. 1. 1.

Vtinam non ita notum esset, & exploratum quotidianum hoc malum, nempe fratrum quoque germanorum, seu vterinorum raram esse fidem, gratiam & charitatem, hoc est grauissimas persecutiones, & calamitates, & inimicitias plerumque nobis excitari à fratribus, etiam germanis, & vterinis, ne dicam ab alijs hominibus coniunctissimis, id est, consanguineis, propinquisque, domesticis, ciuibus, & alijs eiusmodi necessarijs. Manifestum id euadit exemplo primorum fratrum Cain & Abel, quorum alter ex inuidia alterum occidit, Genes. 4. Quin etiam exemplo filiorum Iacob, seu fratrum Ioseph, quem ipsi inuidiâ fremebundi interficere voluerunt, *Cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos*, gratia scilicet inuisendi eos, *cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusq; fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua*, Genes. 37. Tandem pro magna misericordia à cæde manus vix abstinuerunt, & tanquam vile ac turpe quoddam mancipium, eum in Ægyptum vendiderunt. Tobias noster irridetur, non solum ab amicis audit: *Vbi est spes tua*, inquiunt, *pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* sed etiam postea ab vxore similes audit blasphemias. De qua postea erit dicendi locus. De Ieremia vate cap. 12. hæc prodit oraculum: *Fratres tui, & domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce*: Non solùm alieni, inquit, sed etiam fratres tui, id est, consanguinei, & cognati, & domestici, & familiares, & ciues tui tibi aduersabuntur, seu insurgent aduersum te, & clamabunt post te, id est, vociferabunt, vel turbam inducent, & concitabunt, vt te pariter prosequantur, vetantes, ne quid in nomine Domini vaticineris, si manibus ipsorum perire nolis. Michæas Propheta de suo tempore sic scribit: *Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, & nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Nulla tanta erunt officiorum, & naturæ vincula, quæ non perrumpat priuata vniuscuiusque commoditas. Patri namque suo insidiabitur filius, neque maior erit filiarum in matrem aut nurus in socrum amor, atque fidelitas. Denique à domesticis quasi ab intestinis hostibus, cauendum est. Dauid quid non à Saule socero passus? quid non à Consiliario Architophele, cuius consilium vt Dei haberi solet? Quid non ab Absalone? quid non à Semei? Sacra Scriptura locuples testis est: videan-

2. Rarum esse fratrum gratiam & charitatem.

Exempla.

Mich. 7.

exitio: alij verò præsidio esse noluerunt: Sicut igitur deficiente anima, tabescit corpus; ita deficientibus amicis, qui sunt instar animę, mirum non est, si totus extabescam. Huc pertinet etiam illa Dauidis querela de Architophele cõsiliario suo: *Si*, inquit, *inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò homo vnanimis; dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Psal. 54. v. 13. quasi dicat, vt Theodoretus exponit: *Ea, quæ ab inimicis fiunt, toleranda, & ferenda censemus; omnium molestissimum mihi videtur, virum familiarem, & concordem, meum sodalem, & conuictorem factum, & diuinarum, & humanarum rerum mecum consium, res inimicas, & hostiles facere.*

4. *In quibus rebus similes fuerint Iob & Tobias.*

Tale quid rectè conqueri poterat Iob & Tobias: multis enim in rebus similes fuerunt; primùm in corporali plaga; licet enim cæcitas tantum doloris non attulerit, quantum pertulit Iobus corpore saucius, at mœrorem attulit grauissimum, cùm rerum omnium splendore, atque venustate priuauerit. Insultarunt Iobo reges familiares & cognati; illud idem passus est Tobias. Acuit in Iobum vxor amaram, & viperinam linguam, hoc idem ab vxore pertulit Tobias. Vterque athleta antequam in stadium descenderet, ità se in pauperum leuandis calamitatibus exercuerat, vt non tam sua curare, quàm aliena: nonnam sibi, quàm alijs viuere videretur. Quare magna fuit in hisce duobus Heroibus morum, studiorumque consensio; magna in laboribus tolerandis alacriter similitudo.

5. *Reges hic dicuntur qui potentes sunt, & alicuius populi Domini*

Iobi verò amici, qui hîc reges dicuntur, non erant tales, quales in Europa, qui latè dominantur, & populos copiosos, & lautos subiectos habent, quibus ius dicunt, & imponunt tributa: sed qui potentes erant, & se paululum sustulerant à turba, vt patet ex S. Scriptura, vbi cùm terræ promissionis non totum spatium, neque adeò magnum subegisset Iosue, occidisse tamen dicitur. c. 12. Reges triginta vnum. Alij præterea multi subacti sunt & interfecti post obitum Iosue, Iudic. cap. 1. & in his Adonibezec, qui septuaginta Reges alios subegerat, quos mensæ suæ reliquijs sustentabat. Hi autem neque latè dominari poterant, neque admodum esse potentes. Sanè Gen. 14. pro quinque ciuitatibus, quæ erant in mari, aut prope mare mortuum, à quibus ille tractus dictus est Pentapolis, totidem Reges numerantur, qui à quatuor alijs vicinis Regibus superati sunt, quorum tam infirmæ fuerunt vires, vt ab Abrahamo, & illius vernaculis superati fuerint, & spoliati præda, quam ex Pentapoli secum abegerant. Et tales multi fuerunt in Græcorum & Troianorum exercitu. Et vt alios omittam; Rex vocatus Vlysses, qui in vno tantùm opidulo dominabatur, quod Cicero cum nidulo comparat scopulis affixo. Cuius patrem, eundemque Regem Laërté Cicero in libro de senectute, agros stercorantem inducit, & eius filium Vlyssem alij eosdem vomere subigentem.

Hæc addidi, quòd non soleant magni illi Reges insultare in eos, qui cladem aliquam experiũtur: vnde videmus à priuatæ vindictæ studio, gaudioque ob alterius damnum cauisse Dauidem: Sic enim ait Psalm. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.* Et ab eadem re Iob benè institutum, cùm magnus esset inter Orientales abhorruisse patet cap. 31. v. 29. Marcus Marcellus casum clademque Syracusanum sine fletu videre non potuit. Valer. lib. 5. cap. 1. Nota satis etiam Iulij Cæsaris in mortuum Pompeium humanitas. Idem ibid. Pyrrhi aduersus Antigonum, & aliorum erga hostes à se superatos.

6. *Magnos Reges alienos esse à priuata vindicta.* *Gentilium exempla.*

Tobiæ verò parentes non sunt illi, à quibus vitam acceperat; illi enim iam interierant, aut eò erant abducti, vt Tobiæ filio perijsse videri poterant, & auiæ suæ Debboræ traditus esset educandus: Sed parentes hoc loco dicuntur cognati, quorum ea erat ætas, & auctoritas, vt grauitatem parentum apud Tobiam obtinerent. Patris enim, aut parentis nomen latissimè patet, & his accommodatur, quibus obseruantia debetur, aut obsequium, quales sunt magistri, Domini principes, & senes. His adde cognatos, eos maximè, qui ætate, aut dignitate præcedunt. Sanè ab hoc nomine cognatio parentela dicitur, & apud Hispanos & Gallos eadem notatione *Parentes* appellantur, qui cognati sunt: & ab his fuit Tobias ludibrio habitus.

7. *Quinam hoc loco dicuntur Parentes Tobiæ*

Hoc autem durissimum esse in negotio religionis, satis insinuat Apostolus cùm verebatur, ne Iudæi Christi fide imbuti, ab ea, & pietate Christiana ob Iudæorum (Cognatorum secundum carnem vt loquitur Apostolus Rom. 9.) persecutiones, odia, tribulationes, opprobria, & bonorum expilationes desciscerent. hinc enim ipsos ad Constantiam hortatur, Hebr. 10. *Rememoramini*, inquit, *pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: & multero quidem, opprobrijs & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* quasi dicat; Initio baptismi & conuersionis vestræ, ô Hebræi Christiani, generosè à Iudæis vexationes, irrisiones, spoliationes, & exilia pertulistis; partim publicè ab omnibus, quasi in theatro

8. *In causa religionis quæ minùs passi, durissimum,*

irrisi

irriſi eſtis ob fidē Chriſti, vt rei ad leones, beſtias, ignes, aliaſque ſupplicia damnati in publico theatro ſpectantur; partim reipſa, conſilio, & opera iuuiſtis alios Chriſtianos tam Iudæos, quàm Gentiles, qui ob eandem Chriſti fidem ſiue in Palæſtina, ſiue extra eam tam à Gentilibus, quàm Iudæis opprobria, tribulationes, & vincula paſſi ſunt. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Tyrones tanta præſtitiſtis; quid ergo decet vos iam viros & milites, tot annis in Chriſti militia exercitatos facere & præſtare? Hactenus fortes in perſecutione extitiſtis, pergite, non alios, ſed vos metipſos imitamini: aſpicite primam veſtram conſtantiam. Sic cucurriſtis, vt ad medium ſtadij pertigeritis; exiguum agonis reſtat. Palma vobis eſt ante oculos, & penè in manibus: nolite eam apoſtatando tandem abijcere, aut prodigere. Hoc enim non tantum pudendum, ſed ſtultum ac ſtolidum foret. Ita oportuit opprobrium in negotio religionis à cognatis patientes ad conſtantiam hortari, & munire.

Opprobrium res eſt idonea ad animam ſubuertendam. *Pſal. 41.* *Pſal. 54.*

Ponderat D. Chryſoſtomus, verba, *Opprobriis tribulationibus ſpectaculum facti,* & ad propoſitum noſtrū ſubiungit: *Grauis quippe res eſt opprobrium, & idonea ad animam ſubuertendam, & ad excæcandam mentem: nam audi quid dicat Propheta, Cùm dicunt mihi,* inquit, *per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus? Et iterum: Si inimicus exprobraret mihi, ſuſtinerem. Quoniam enim valde appetens eſt gloriæ genus humanum, propterea etiam facile opprobriis captiuatur. & non ſimpliciter dixit: Opprobriis, ſed etiam cum multa fide hoc fecit, dicens, ſpectaculum facti. Cùm enim quis ſecretò exprobratur, contriſtatur quidem: ſed multò amplius, cum coram omnibus. Dic enim mihi, quantum erat malum deſcudentes ab infirmitate Iudaica, & ad optimam vitam tranſeuntes, & paternas traditiones contemnentes, vt ab ipſis domeſticis paterentur multa mala, & nullam haberent defenſionem? Non poſſum,* inquit, *dicere, iſta quidem vos eſſe paſſos, doluiſſe tamen, immò magis gaudebatis.* Dauid ab externis eiuſmodi opprobria audire vix ſuſtinuit. Vnde Pſal. 41. inquit, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* quaſi diceret, lachrymis quaſi panibus ſuſtentabar aſſiduè per dies & noctes, id eſt, toto vitæ tempore, cùm auditem ab impijs & incredulis, Vbi eſt Deus tuus, ad quem ſitis, ad quem ſuſpiras, quem diligis? Et apud Ioëlem c. 2. aiunt Sacerdotes plorantes: *Quare dicunt in populis: Vbi eſt Deus eorum?* Vbi pro Hebræis exitio proximis obſecrant Domino, vt eis parcat: & pro ſumma ratione adducunt verba iam citata. Quaſi dicerent: Si nos tradis Chaldæis, Gentes, & nos & te, ô Domine ſubſannabunt, & blaſphemabunt dicentes? Deus Hebræorum ſuos Iudæos deſeruit, quia infirmus eos contra Chaldæos tutari nō valuit; aut ſi valuit immiſericors & crudelis noluit. Auerte hæc probra à te, à nomine tuo glorioſo. Itaque tale erit nobis auditu intollerabile. Vnde & Ioſue cap. 7. cùm videret populū cum ignominia tergum vertere, dicebat orans: *Quid facies magno nomini tuo?* Sic & minus tolerabile erat, cum audiret ab amicis ſuis, *Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas,* id eſt, Deus tuus, à quo remunerationem exſpectabas. tam inquam illi durum erat, vt grauius quid ferre non poſſet, vt tùm hic apparet, tùm magis c. 3. vbi propter vxoris blaſphemiam ingemuit & lachrymatus eſt, quod antea non ſoluit.

Tobias fleuit ob ignominiam ab vxore illatam.

In libris Machabæorum Matathias vir zelator legis, grauem ad filios orationem habuit, doloriſque plenam, quem ex patriæ templique conculcatione cōceperat, dicens: *Væ mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ, & ſedere illic, cùm datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta ſunt: trucidati ſunt ſenes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hæreditauit regnum eius, & non obtinuit ſpolia eius? Omnis compoſitio eius ablata eſt. Quæ erat libera, facta eſt ancilla. Et Ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt, & coinquinauerunt ea Gentes. Quò ergo nobis adhuc viuere?* 1. Machab. c. 2. à v. 7. D. Auguſtinus aliquod ludibrij genus refert lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani ad finem: Vbi dicit Epiſcopum Saluium ab hæreticis indigniſſimè fuiſſe tractatum, *adeò vt eius cruricibus etiam mortuorum canum cadauera colligarent, vt poſtremò cum illo ad turpes voces, cantioneſque ſaltarent.* Grauia ſunt hæc, ſed longè grauiora, quæ viri ſtrenui, & patriæ religionis amantes tulerunt ab Antiocho: & quæ pro ſuo libitu addiderunt illius inclementiæ crudeles, atque inuerecundi ſatellites. Tractatum fuit templum ſicut homo fatuus, & ignobilis, cùm immolati ſunt porci, quos tāopere horrebat Iudæorum religio, vt ab eius etiā carnibus abſtineret; cùm erepta à Deo domus Ioui conſecraretur Olympico, id eſt diabolo; cui publica deſignarentur meretricū, Catamitorumque proſtibula. Ea denique inducerentur in tēplum, quæ viliſſima loca, & immundiſſimæ ſoricæ vix admitterent. Grauius rurſum fuit ignominiâ Saluij, homini pio, & diuinæ religionis amanti in honorem Bacchi cōronari hæderâ, & circum illius aram orbes de gentilico more ducere ſaltatorios. De quibus lib. 2. cap. 6. *Cùm liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire.* Neque illud, opinor, genus defuit irriſionis, quo miſeri, & fatui vexari atq; illudi ſolent à procacibus, vt cum ſannis contumeliosè, aut plagis acerbè conciduntur, neque querantur, neque clament: ſed ferant taciti dolorem, & ignominiā.

Grauis & doloris plena Mathathiæ oratio. 9.

Qualis ignominia, in templum & Iudæos ab Antiocho.

præparauit Deus diligentibus se. Patientiam duntaxat exigit Apostolus. Facundè Chrysostomus hom. 21. ad Hebr. *Nullo vobis alio opus est, nisi vt stetis, sicut stabatis, vt ad finem venientes, participetis repromissionem. Patientia*, inquit, *vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. vno opus habetis tantum, vt perseueretis, & expectetis futura, non vt iterum certetis, ad ipsam iam coronam proximi facti estis: certamina cuncta sustinuistis, vincula, tribulationes, substantia vestra direpta sunt: quid est ergo, nisi quia de cætero ad hoc statis, vt coronemini? hoc solum, tolerate aduentum coronæ. O quanta magnitudo exhortationis & consolationis.* Hæc sanè Tobias & præstitit, & pertulit, nec diffisus de Deo vllâ eguit externâ consolatione; quin potius irrisores suos ad meliora hortatus sit, vt mox dicemus.

Solâ patientiâ opus est ad coronam vitæ cælestis occupandâ.

SECTIO XIII.

Quid doceat Tobias noster post irrisionem amicorum, non insultans, sed potius de graui correptione sollicitus.

1. *Documentum. Commune est vitium à consanguineis pati.*

RES paradoxa. Audit Tobias irrisiones amicorum, pietatem sannis lacerari, non insultat, nec querelis cælum aut terram incessit, non fremit, non murmurat, vt plerique nostrum; sed Deo rem omnem committens, suaui admonitione fratres lucrari satagit. Duo præclara in his comperio documenta, quæ Tobias fidelium institutioni exhibet. Prius, etsi graue, infrequens tamen non esse à fratribus, amicis, & cognatis irrideri, contumeliam, & peius quid pati. Ab omni æuo commune & peruagatum est vitium: quod *Cant. ca. 1.* sponsa in Canticis sibi contigisse narrat: *Nolite, inquit, me considerare quod fusca sim, quia decoloranit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt aduersum me. Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui*: Vitium, inquit, nigredinis non à natura, aut à natiuitate mihi accidit, vt Æthiopibus, sed potius ex accidente & casu, nimirum ex ardore solis, quo tempore vineas alienas custodire coacta fui, de more rusticarum puellarum, à maleuolis fratribus: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Fratres mei, nec quomodo libet fratres; sed fratres mei vterini ac germani opportunè, & importunè ita institerunt, & laborauerunt, vt propemodum, imò planè cogerent me inuitam, & renitentem, repugnantemque vtpote contra omne ius, & fas, atque etiam decorum, vineas eorum, seu etiam vineas communes custodiendas susciperem, de more puellarum rusticarum, & tanquam mercenaria, quæ antea nunquam vineas custodissem, nec vineam quidem meam propriam. Vnde & nigredinem hanc contraxi, & decolorata à sole sum, subnigraque esse videor; Ne igitur miremini.

2. *Rarum est fratrum gratiam & charitatem.*

Vtinam non ita notum esset, & exploratum quotidianum hoc malum, nempe fratrum quoque germanorum, seu vterinorum raram esse fidem, gratiam & charitatem, hoc est grauissimas persecutiones, & calamitates, & inimicitias plerumque nobis excitari à fratribus, etiam germanis, & vterinis, ne dicam ab alijs hominibus coniunctissimis, id est, consanguineis, propinquisque, domesticis, ciuibus, & alijs eiusmodi necessarijs. Manifestum id euadit exemplo primorum fratrum Cain & Abel, quorum alter ex inuidia alterum occidit, Genes. 4. Quin etiam exemplo filiorum Iacob, seu fratrum Ioseph, quem ipsi inuidiâ fremebundi interficere voluerunt. *Cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos*, gratia scilicet inuisendi eos, *cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusque, fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua*, Genes. 37. Tandem pro magna misericordia à cæde manus vix abstinuerunt, & tanquam vile ac turpe quoddam mancipium, eum in Ægyptum vendiderunt. Tobias noster irridetur, non solum ab amicis audit: *Vbi est spes tua*, inquiunt, *pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* sed etiam postea ab vxore similes audit blasphemias. De qua postea erit dicendi locus. De Ieremia vate cap. 12. hæc prodit oracultum: *Fratres tui, & domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce*: Non solùm alieni, inquit, sed etiam fratres tui, id est, consanguinei, & cognati, & domestici, & familiares, & ciues tui tibi aduersabuntur, seu insurgent aduersum te, & clamabunt post te, id est, vociferabunt, vel turbam inducent, & concitabunt, vt te pariter prosequantur, vetantes, ne quid in nomine Domini vaticineris, si manibus ipsorum perire nolis. Michæas Propheta de suo tempore sic scribit: *Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, & nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Nulla tanta erunt officiorum, & naturæ vincula, quæ non perrumpat priuata vniuscuiusque commoditas. Patri namque suo insidiabitur filius, neque maior erit filiarum in matrem aut nurus in socrum amor, atque fidelitas. Denique à domesticis quasi ab intestinis hostibus, cauendum est. Dauid quid non à Saule socero passus? quid non à Consiliario Architophele, cuius consilium vt Dei haberi solet? Quid non ab Absalone? quid non à Semei? Sacra Scriptura locuples testis est: videan-

Exempla.

Mich. 7.

videantur Capita quàm plura 1.Reg.18.vſque vigeſimum octauum,2.Reg.15.&16. Thamar ab Ammone fratre violatur;Ammon ab Abſalone fratre necatur.

3. *Pati à domeſticis grauiſſimum eſt.*

Præclarè Bernardus ſerm. 19. in Cantica ad cit. verba Sponſæ. *Ego vtique diligenter attendo in his verbis ſponſa, quod ita ex nomine ac ſola exprimitur perſequutio à domeſticis, & tacentur tot, & tam grauia, qua vbiq; terrarum nihilominus ex omni natione, qua ſub cælo eſt ab infidelibus, ab hæreticis, & ſchiſmaticis pertuliſſe cognoſcitur.* Noui, inquit Bernardus, *ſponſa prudentiam, nec putauerim caſu hæc illam, aut quaſi immemorem præteriſſe. Sed profectò id expreſsius plangit, quod & ſenſit differentius, quodq; vigilantius nobis cauendum exiſtimat. Malum vtiq; inteſtinum, atque domeſticum hoc eſt. Hoc tibi manifeſtè in Euangelio ore ipſius Saluatoris exprimitur, cùm dicit: Et inimici hominis domeſtici eius. Hoc & in Propheta: Homo*, inquit, *pacis meæ qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Item: Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique; tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui dulces mecum capiebas cibos*, quaſi dicat. Quòd à te patiar conuiua, & contubernali meo, id moleſtiſſimè ſentio, fero egrius. Chriſtus Dominus à quibus iniuriam accepit? nonne à Iuda Iſcariothe, cui paucis ante horis & pedes lauerat, & corpus ſuum in edulium dederat? Nonne illum ingratiſſimus quæſtor vendidit; Amantiſſimus Petrus nonne ipſum negauit? nunquid deſeruerunt cæteri diſcipuli? Quid miramur? *Inimici hominis domeſtici eius.* Denique Chriſtus Dominus à quibus occiſus eſt? An ab impijs tantum idololatris? Ita equidem; ſed etiam à chariſſimo populo. Zacharias Vates pleniſſimam fidem facit. *His plagatus ſum, in domo eorum, qui diligebant me.* Mei, inquit, ciues, mei contribules, mei cognati, putà Iudæi, quibus promiſſus eram, & ad quos miſſus fui quaſi Meſſias, Rex & redemptor, qui me beneficijs & nominibus ſummè amare & venerari tenebantur, mei, inquam, fratres, ciues & ſubditi me vulnerarũt, crucifixerunt quaſi dicat, Paſſus ſum à meis me plagari & crucifigi, quia eos, licet immerentes dilexi, & dilexi nimis, vt eos à plagis eriperem.

Chriſtus eiuſque diſcipuli ab hos male minimè immerito.

Zachar. 14.

4. *Ecclesia ab hæreticis fratribus impugnatur.*

Rideatur tanquam muſto pleni à ſibi chariſſimis Apoſtoli, poſt acceptum Spiritum ſanctum loquentes magnalia Dei: Apoſtolus Paulus plurimum patitur à falſis fratribus 2. Cor.11. Quantum à perſecutoribus patiuntur diſcipuli Chriſti? Lucæ cap.21. *Trademini à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis: & morte afficient ex vobis Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Et Ioan. 16. *Abſque Synagoga facient vos; ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Quantum patitur Eccleſia ab hæreticis! Qui cum fratres ſint, vt pote eodem baptiſmi fonte renati, eiſdemque fidei, ac religionis noſtræ myſterijs initiati, eiuſdéque matris vbera ſuxerint, tamen hoſtilem in modum ipſam veram Eccleſiam impugnant, & quantum in ſe eſt, conturbant, diſtrahunt, atque diſcerpunt in varias ſectas, & opiniones prauas, vel potiùs profanas, & nefarias ſuperſtitiones, vſque adeò, vt periculum interdum eſſe videatur, ne mater Eccleſia vineam ſuam; id eſt, rectam & Catholicam fidẽ incolumem cuſtodire, & conſeruare poſſit: Quemadmodum illa Petri nauicula in mari periclitari videbatur, ne penitus tota fluctibus marinis cooperta ſubmergeretur, vt eſt, apud Matth. ca.8.

5.

Non mireris itaque, quod Tobias à ſuis irrideatur; neque excãdeſcas cùm ſimile quid patiaris, ſed eius patientiam æmulare. Sacra pagina non propterea pandit contumeliam paſſos, vt in eos inueharis, ſed vt cauſam dignoſcas. Sponſa exprimit cauſam ob quam nigredinem contraxit, quæ illi obijciebatur, vtque ſcires non eſſe naturalem, aut natiuam, ſed potiùs accidentariam, extemporalem, non incurabilem, ſed quæ per artem facilè curari, atque induſtriâ remoueri poſſit, ſi velit. Abelis & Ioſephi, vt palam ſit, quid non mali operetur inuidia fratrum. Dauidis patientiam, Tobiæ ſilentium, vt exemplo eorum mereri diſcas. Deus Ieremiæ fratrum peruerſos animos indicauit, ne ijs credat, neque fallaci eorum blandimento fideret. Michæas, quod illo rerum articulo, quo aduerſa hominem obruunt, nulli credendum: *Nolite*, inquit, *credere amico, & nolite confidere in duce: ab ea, qua dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* D. Hieronymus plura ducit exempla eorum, qui propinquorum vitam odio prorſus hoſtili inſectati ſunt, cùm tamen ipſa naturę neceſſitudo ad omne diſcrimen, & aleam conglutinare debuiſſet: *Nolite*, inquit, *credere amico, Architophel quippe conſurrexit aduerſus Dauid: & verus Architophel Iudas aduerſus Chriſtum. Et nolite confidere in duce, vt viri Sichem in Abimelech: ipſi enim cùm fecerunt regem, & oppreſi ſunt. Ab ea, qua dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui, ne patiaris quod Sampſon à Dalila perpeſſus eſt. Quia filius contumeliam facit patri: Abſalon videlicet Dauid non ſolum regnum ſed etiam concubinas patris inceſto coitu maculauit. Filia conſurget contra matrem ſuam: cuius rei cùm interim in Scripturis ſancti teſtimonium non reperiamus, tanta exempla ſunt quotidiana vitæ: vt magnum ingerat, quod tanta ſint, quàm quærere debeamus. Nurus contra ſocrum ſuam, vt vxor Eſau conſurrexit contra Rebeccam* (hoc ego exemplum in ſacris litteris non inuenio) *inimici hominis viri domeſtici eius. Hic exempla non quæro cùm plura ſint, quàm vt teſtimonijs indigeamus.* Idem, quod nunc Michæas, dixit poſtea Ieremias cap. 9. *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat*

Cognatorum domeſticorumque perfidia.

ſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantator ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Sic Chriſtus Dominus perſecutionem diſcipulis inſinuat, vt iacula præuiſa minus feriant, vt non miremur, ignorãtiam rerum neceſſariarum fidei, innoxios ad mortem redigere. Matth. 7. vt attendamus à falſis Prophetis. Hoc primum Tobiæ documentum.

6. 2. documentum. Lenitate inimici ſunt lucrandi. Manſueta Iacobi, alloquutio fratris inclementiam ſuperauit.

Alterum præbet; quo docet lenitate inimicos eſſe lucrandos. Præclarè Hebræus Sapiens Prouerb. 15. *Reſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem.* Apprimè ſciebat illud Iacob, cum Eſau eum inſequeretur. Ferocem fratris animum blandis auguſtiſque verbis demulcet. Recuſabat ille fratris munera, dixit verò Iacob: *Noli ita, obſecro; ſed ſi inueni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis: ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderem vultum Dei. Eſto mihi propitius.* Quid benignius proferre poſſet, quàm vidiſſe faciem, non vt faciem Angeli, ſed faciem Dei. Recipe ergo munera, vt hinc colligere poſſim te mihi beneuolum, & propitium eſſe. Gedeon Iudic. 8. cum experiretur Ephraitas inuidos contra Manaſſæos, quòd eos non aduocaſſet cùm ad pugnam pergeret contra Madianitas, iurgium inſuper ortum eſſet, & propè vim inferrent, ſuauibus hiſce verbis, ad eos ſedandos, vſus eſt. *Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? nonne melior eſt racemus Ephraim, vindemiis Abiezer? In manus veſtras Dominus tradidit principes Madiam, Oreb, & Zeb: quid tale facere potui, quale vos feciſtis?* quaſi dicat, Quid ego, etiamſi omnes vires contenderem, facere potui, quod veſtro compacto, omni laude dignißimo comparari queat? Nonne meliores ſunt debiles, qui inter vos, quàm fortes, qui apud nos inueniuntur? Veſtra victoria, quam obtinuiſtis contra Principes Madian, Oreb & Zeb, fuit reſpectu noſtræ victoriæ ſicut vindemia comparatione racemationis, in qua illi fructus colliguntur, qui poſt vindemiam, vel ob feſtinationem, vel foliorum denſitatem, aut iniuriam remanere ſolet. Nec hanc mollem reſpõſionem indicat S. pagina ineffacem, ſed efficacem: *Quod cùm locutus eſſet, inquit, requieuit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum.* Blanda hæc, & manſueta Gedeonis apud iurgantes Ephraitas oratio plus profuit, teſte Iolepho 5. Antiquit. ca. 8. quàm Madianitica ipſa victoria.

Iurgantes Ephraitas mollis reſponſo Gedeon pacauit.

Miphiboſeth ſeſe excuſans apud Dauidem, vbi ſeruus Sibaillum falſò accuſauit, ne Regis furorem magis accenderet, inquit, *Tu autem Domine, mi rex ſicut Angelus Dei es.* Veriſimè Chryſoſtomus hom. 58. in Geneſ. *Nihil manſuetudine valentius. Nam ſicut rogum, cùm valde accenditur, aqua iniecta reſtinguit: ita & animum camino magis exardeſcentem verbum cum manſuetudine prolatum.* Quid Saule durius, & inclementius? Et nihilominus vbi audiuit illam Dauidis vocem manſuetudine pleniſſimam, poſt eum clamantis: *Domine mi Rex,* 1. Reg. 24. ſic emollitus eſt, vt in lachrymas ſolueretur. *Leuauit ſimul vocem ſuam, & fleuit.* Ibid. *Vide,* inquit, Chryſoſt. *quantum fecerit lucri Dauid hæc loquutus. Animum ſanguinis & cædis ſitientem repente ad lamenta, & eiulatum compulit.* Et ſtatim tantæ rei difficultatem declarans: *Non* inquit, *perinde miror Moyſen, quod è ſaxo præcipto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum.* Nec ſolum lacrymas dedit Saul Dauidis manſuetudine delinitus: ſed etiam honorificè præfatus filium appellauit: *Numquid, ait, vox hæc tua eſt, fili mi Dauid.* Quem paulò antè, vt hoſtem oderat, eum, inquit D. Chryſoſt. *ad cognationem adſciuit, filium appellans.* Nec ſatis: ſed ſua omnia Dauidi in manus committebat *Iura,* inquit, *mihi ne deleas ſemen meum.* Quid certè mirabilius. Nam vt benè D. Chryſoſtomus, *Hoſtem,* inquit, *filijs ſuis reliquit tutorè, ſuaſque proles, illius deponit manu.* Tam multa manſuetudinis exempla à Saule extorſit vna Dauidis manſueta reſponſio. Optimâ ſimilitudine rem illuſtrat Chryſoſtomus hom. 3. de Dauide & Saule: *Quemadmodum, inquit, ſi inſtes ſcintillam ignis, excitas incendium, ſi inſpuas, extinguis: idem fit, & in inimicitia proximi: ſi inflatos ac vecordes ingeras ſermones, excitas ignem; ſin mites, ac moderatos, iram omnem extinxeris.*

Danidis mãſuetudo, Saulis duritiam emollit.

Reſponſio mollis exemplum iram.

Mater Salomonis filium à voluptatum illecebris, quibus deprauari cœperat, auertere ſatagens, antequam vitia exprobret, ter maternam erga illum dilectionem repetit, vt eo tolerabilius audiretur, quo beneuolentia maiori filium Salomonem argueret: *Quid, inquit, dilecte mi, quid dilecte viscerum mei, quid dilecte votorum meorum? Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & diuitias tuas ad alendos Reges. Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas,* &c. Hæc autem charitatis ſignificatione attemperata obiurgatio plurimum profuit. nam Salomon reprehenſionem bene interpretatus, matrem breui ſermone ſe obiurgantem, gratulatoriâ & bene longâ ratione commendauit.

In correptione vtendum ſuauitate vocis. Exempla Scripturæ.

Apoſtolus Paulus plurimùm prædicauit correptionem cum lenitate. Sic vtique docuit Timotheum, manſuetum eſſe ad omnes docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati: ita videlicet vt verba monitoria, & geſtus ſpirent internam quandam ſuauitatem corripientis. Correptio pilula eſt per ſe amara, ſaccarum & dulcedinem vocis requirit. Illam adhibuit Tobias inſtruendis cognatis, dum dixit: *Nolite ita loqui, quoniam filij Sanctorum ſumus.* Simili phraſi vſus fuerat olim Loth ſuos con-

Blandus ſermo extinguit furorem.

ciues

ciues extremæ iniquitatis viros à Sodomia compescens: *Nolite quaso*, inquit, *fratres mei, nolite malum hoc facere*, Genes. 19. In quæ verba Chrysostomus hom. 43. *O insti*, inquit, *longanimitatem! ô excellentem modestiam! Hæc verè virtus est, ita mansuetè alloqui illos. Nullus enim ægrum volens curare, & insanientem castigare, cum furore & austeritate hoc facit.* Et paulò pòst: *Eos qui tam absurda patrare volebant, fratres vocat.* Iosue quoque volens reducere ad sanam mentem, & confessionem criminis Acham sacrilegum, in hæc suauia verba prorumpit: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Idque cum fructu. Idem spectauit Tobias, qui sæuitiæ vri noluit, apud quos eam credebat fore inutilem: Verba correptionis mox enucleabimus, quæ ad lucrandos amicos in medium produxit.

SECTIO XIV.

Exempla Sanctorum, cælestia meditantium, acrem esse ad virtutem stimulum.

1. *Sancti apud Gentiles, qui dicebantur.*

TOBIAS gratus Deo in aduersis ab amicis irrisus, de salute eorum sollicitus, eosdem ad meliorem frugem blandâ correptione redigere satagit: *Nolite*, inquit, *ita loqui, quoniam filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Masticemus verba, & experiemur quàm vtilia, quantumque fructum parere nata, etsi nullum amicorum profectum legamus. Apud Gentiles, teste Sanctio in cap. 4. Iobi, illi dicebantur sancti, qui licet in alijs peccassent grauiter, subierant tamen aliquid pro patria, reque cõmuni aut exemplum aliquod ediderant præclarum, quod exceperat, seruaratque diu cum laude & veneratione posteritas. Et sic à Romanis vocabãtur, qui honestè vixerant, neque publica edidisset vitiorum exempla, quamuis occultis sceleribus inquinarentur. Et ex cap. 28. Actuum Gentiles, quos Pauli merita à naufragio seruarant, illum videntur sanctum æstimasse, quem nulla corriperet plaga. Cùm enim vidissent viperam Pauli manum aripuisse, suspicabantur illum homicidam, dicentes: *Homicida est homo hic: qui cùm euaserit de marij vitio non sinit eũ viuere.* Cùm verò ille nihil passus mali bestiam in ignem excussisset, conuertentes se, dicebant eum esse Deum. Sed errant, quandoquidem Iob, & similes maximè iusti dura passi sunt.

2. *Sancti vrò tales dicuntur.*

Secundò dicuntur Sancti dupliciter, vel secundum statum, vel secundum meritum. Priori modo sancti olim dicebantur omnes Iudæi; iuxta illud Core, & sociorum eius aduersus Moysen & Aaronem coniurantium: *sufficiat*, inquiunt, *vobis, quia omnis multitudo sanctorum est; & in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini?* Numer. 16. v. 3. Et illud Tobiæ iunioris ad Saram: *filij*, inquit, *sanctorum sumus; & non possumus sicut gentes quæ ignorant Deum.* Tob. 8. v. 5. Et illud Dei ad vniuersum populum. *Sanctificabimini, quia populus sanctus es Domino Deo tuo.* Deuteron. 7. v. 6. Et rursum: *Non vos incidetis, nec facietis calueitium super mortuo: quoniam populus sanctus es*, Deuter. 14. v. 2. Ac tandem: *Et Deus elegit te hodie, &c. vt sis populus sanctus Domini Dei tui.* Deut. 26. v. 18. & 19. Eodem modo in nascentis Ecclesiæ primordijs omnes Christiani dicebantur Sancti: vt patet ex D. Paulo multis locis, Rom. 1. v. 7. *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Rom. 15. v. 25. *Proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis.* Ephes 1. v. 15. *Audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos; non cesso gratias agere pro vobis.* Ephes. 3. v. 7. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc.* Et passim alibi. Posteriori modo dicuntur sancti, qui iustitiam colunt, & gratiam in se habent sanctificantem. Quæ significatio vulgarior est in Scriptura, quam vt debeat illustrari.

sum, vel secundum statum, vel secundum meritum & gratiam.

In Ecclesia primordijs dicebantur omnes Christiani, sancti.

Hoc autem loco sanctos vocat illos prædecessores, quorum nulla vexatio, aut rerum aduersitas infirmauit animos, fregitque constantiam. Sic Iacobus cap. 5. inquit: *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.* Vsitatum enim est non solum apud Prophanos, sed etiam apud sacros Scriptores vt parentum posteris proponantur exempla, quatenus ad bene spectandum, & agendum incitentur. Sic Matthathias lib. 1. Machab. cap. 2. ad quiduis pro religione subeundum hortatur filios, & priscorum exemplo, qui pro Dei causa laborauere constanter, quam maximè vrget, dicens: *Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam.* Et quando nouem exempla à v. 51. recensuit, v. 61. sic concludit: *Et ita cogitate per generationem, & generationem, quia omnes qui sperant in eo non infirmantur.*

3. *Qui hoc loco sancti appellantur.*

Iustorum exempla ad constantiam stimulũ essi.

4.

Hoc modo Tobias exemplo Patriarcharum Abrahã, Isaac, & Iacob, suos irrisores ad meliorem frugem instimulat. Et quia videbantur illi amici parum fideles, adeoque sibi persuadere nullã in futuro seculo iustos manere mercedem, hinc ille de præmio regni cælestis mentionem fecit, ostenditque ob illud præmium constanter agendum: quemadmodum patres veteris testamenti, illud à longè per fidem aspicientes, constanter quasuis tribulationes subierunt. Paulus & Barnabas *cùm euangelizassent ciuitati illi* (Derben) *& docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium, & Antio-*

Tribulationes patienter subeundas propter meritum regni cælestis

& Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesque vt permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act. 14. Infert hinc S. Hieronymus epist. ad Oceanum de ferendis opprobrijs *Si*, inquit, *per multas tribulationes quibusdam celestis regni aditus aperitur: illis vtique claudatur, qui nolunt sustinere vel paucas.* Necesse est ita fieri inquit Apostolus, quia videlicet irreuocabili Dei lege sancitum est, vt via vnica ad cœlum sit tribulatio. Dixit hæc Apostolus occasione persecutionis suæ, quam assiduè patiebatur à Iudæis, ne Gentiles conuersi eâ offensi resilirent à fide præsertim cùm similia eos ob fidem pati cõtingeret. Sic præmunit eos, vt sciant sibi causa fidei multa esse toleranda. Ab omni æuo sic fuit. Admiraduertit id regius Propheta; vnde videns impios florere, iustos affligi, inquit: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.* B. Iob dira patiens, hac ratione seipsum consolabatur, *Scio*, inquit, *quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo*. c. 19.

Via vnica ad cœlum est tribulatio.

5. *Spes remunerationis ea cur fuit Moysi ad fortiter patiendum.*

Moyses Paulo teste, grandis factus fide *negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperiũ Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Fides, inquit Apostolus, quâ scilicet credebat oraculo Dei de futura Hebræorum per ipsum liberatione ex Ægypto, impulit Moysen relinquere aulã, & regnum Ægypti, vt cum Hebræis omnem Pharaonis tyrannidem, & fortunæ aleã subiret. Maluit cum Hebræis affligi, quàm viuere in delicijs Regijs impij Pharaonis, ibique peccatis frænа laxare, eiusque ambitioni & tyrannidi applaudere. Et partim ex fide, & traditione Abrahæ, aliorumque patrum, cognoscens Christum pro genere humano passurum; partim spiritu Prophetico præuidens speciatim iniurias, & opprobria illi à Iudæis inferenda: vt Christo patienti similis fieret, maluit pati, affligi, & opprobrijs affici cum Hebræis, quàm honoribus & opibus abundare in aula Pharaonis. Et quid, quæso illum permouit? Paulus edicit, *Aspiciebat in remunerationem*: Ideò, inquit: Moyses opes Ægypti posthabuit gentis suæ miserijs, quia sic secũ ratiocinabatur: Si ego Ægyptijs delicijs & honoribus me dedam, ijs tantùm fruar ad viginti vel triginta annos, & mox ab irato Deo damnabor ad æterna inferorum tormenta; sin autem ijs abdicatis populo Dei afflicto me iungam, cùm eo premar latere & luto: affligar tantum ad viginti vel triginta annos, & mox à Deo omnis & maximè heroicæ virtutis remuneratore liberalissimo, donabor æternis gaudijs, opibus & honoribus. Satius autem est hìc ad modicum tempus esse miserum, quàm in æternum esse miserum: satius est modica miseriâ emere æternã felicitatem, quàm modicâ felicitate & voluptate præsenti, emere æternam miseriam. ergo statuo amplecti sortem miseram Hebræorum, præ felicitate Ægyptiorum; vt remunerationem æternæ gloriæ & felicitatis à Deo nanciscar. atque hæc conclusio & spes Moysen ad omnia dura, & ardua fortiter subeunda impulit.

Mauden in Tobiam.

S. Stephanum propter æternam mercedem spreuit minas Iudæorum.

Sanctum Stephanum doctè & fusè perorantem in Concilio Iudæi stridentes & furentes rapiunt, ferrâ iræ, angoris, & indignationis dilacerãt, honestum quærunt titulum se de veritatis assertore vindicandi. Ille interritus, *cùm esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei*; vidit claritatem quandam corporalem, eximiam & angustam, quæ Dei præsentiam testabatur, oculo per Dei concursum supernaturalem eleuato, & ait: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei*, quasi dicat, Non timeo vestras, ô Iudæi, minas, nec mortem, quia video cælum apertum, vt me in suum ciuem ad gloriam æternam suscipiat. Hoc vnicum tanto athletæ satis erat. Hac ratione refurrectionis Christi, quam Iudæi negabant, non tantùm auritum, sed & oculatum testem se esse ostendit, vt multi eius patientiam, sanctitatem, vultum angelicum intuentes, eandem crederent, credentes saluarentur. Lapidibus virum sanctum tandem obruunt, qui exhilaratus tantæ visionis exspectatione, de sua salute securus, de aliorum maximè fuit sollicitus. *Positis enim genibus clamauit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, Act. 7.

6. *Inuictus Pauli animus.*

Paulus audacter hac spe insiliit in quæuis vitæ discrimina. Ita in tumultu Ephesio contra se concitato, insilire voluit in theatrum, cùm tamen sciret se vnum, caputque suum peti. Act. 19. v. 30. Ita profectus est Hierosolymam, Prophetis vbique prædicentibus, eum ibi fore vinciendum; quibus ipse respondit: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini* IESV. Actor. 21. v. 13. Idem certa spe percipiebat gloriam & coronam cælestem. Volens enim animare Timotheum, vt non erubesceret prædicationem Euangelij, sed pro eo secum vincula, & quæuis aduersa, si incurrant, fortiter pateretur, spe resurrectionis futuræ eum allicit: *Ob quam causam*, inquit, videlicet quia magister Gentium, *etiam hæc patior, & non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diẽ.* quasi dicat, Licet vin-

cula patiar, tamen maneo intrepidus, gaudeo & glorior, quia pro Deo, qui remunerabit verbera, carceres, & mala patior. Depoſui enim apud Deum paſſionum mearum mercedem, vt illam ab eo recipiam in illo die magni iudicij, quando coram toto mundo declarabor falsò hîc fuiſſe traductus, incarceratus, verberibus & contumelijs affectus, tanquam impoſtor Deorum, hoſtis & pſeudo-apoſtolus: & publicè proclamabor fuiſſe veri Dei & Euangelij Apoſtolus & doctor. B. Iacobus Apoſtolus ſuos ſimiliter animans, inquit cap. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Tentationes patienter ſuſtinentibus manere gloriam cæleſtē.

7. *Aduerſitates nihilis faciendæ præ præmio cæleſti.*

D. Chryſ. hom. 24. in Matth. à minori ad maius argumentans, diuerſis ſimilitudinibus oſtendit eam ſolamē eſſe ad quaſuis aduerſitates perpetiendas: *Si nautæ*, inquit, *minaces illi pelagi fluctus, ſi tempeſtates, atque hyemes agricolis, ſi vulnera, cædeſq; militibus, ſi grauiſſimi illis ictus, plagæq; pugilibus leues videntur, atque tolerabilem propter ſpem temporalium, ac pereuntium commodorum, multò magis cùm cœlum proponatur in præmio, & ineffabilia illa bona, atque perpetua, nihil exprasentibus his aduerſitatibus ſentietur.* Siracides, cùm Eccleſ. 18. ad profectū ſpirituālē fideles hortaretur, hoc ſtimulo vſus eſt. *Ne verearis*, inquit, *vſque ad mortem iuſtificari: quoniam merces Dei manet in æternum.* Chriſtus Dominus prædicationem ſuam exorſus eſt à ſpe huius mercedis: *Pœnitentiam agite*, inquit, *appropinquabit enim regnum cœlorum.* Inſignem illum ſermonem in monte illuſtrauit hoc præmio: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et rurſum: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Oculus ille Apocalypticus S. Ioannes ad ſcopum collimantes, ſic animabat: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* Tobias noſter, cum ſtuporis argueretur, & amētiæ ab amicis & cognatis, quòd ſperaret eleemoſynas ſuas, & ſepulchrale officium, Dei liberalitate compenſatum iri, eoſdem impietatis arguit, ſtuduitque linguam cohibere maledicam, duplici cuneo; priori, quòd patres habuiſſent ſanctos, quorum nulla vexatio, aut rerum aduerſitas infirmaſſet animos, fregiſſet conſtantiam: altero, quia magna illos in futuro ſæculo remuneratio expectaret, qui datam Deo fidem integram, conſtantemque ſeruarent. Aureum, illud os epiſtola 5. ad Theodorum lapſum, vt illum erigat, iam quaſi deſperantem, multa adducit ad eius reſtituendum animum: ſed tandem beatitudinis præmio, tanquam omnium fortiori argumento, rem omninò perurget: *Euola*, inquit, *nunc in cœlos animo, in illud intende theatrum, quod non coëgit ex huiuſmodi viris. Conuentus eſt illic eorum, qui exuperant omne pretium auri, lapidum pretioſorum, radiorum ſolis, & omnis viſibilis forma, non hominum ſolùm, ſed eorum, qui hominibus antecellunt, angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, poteſtatum. De rege nihil ſatis idoneum dici poteſt, adeò ſermonem, & mentem omnē excedit eius pulchritudo, formoſitas, ſplēdor, gloria, maieſtas, magnificentia.* Et argumentum accommodans ſubdit: *Tantulumne bonorum à nobis ipſis ſummouebimus, quo declinemus exigui temporis laborem? Quod ſi quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen eſſet. Præterea gehennam, tormentaq; omnia conuenit ſuſtinere, vt videre queas Chriſtum venientem in gloria ſua, & conſcribi ordini ſanctorum. Audi quid Petrus dicit, Bonum eſt nos hic eſſe. Si Petrus, qui vidit obſcuram quandam imaginem futurorum, omnia continuò reiecit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali affectu: quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regijs cubiculis adapertis, contueri licebit ipſum regē, non per ænigma, nec per ſpeculum, ſed facie ad faciem, non a nobis, inquam per fidem, ſed ſpeciem?* Subdit vt magis perſuadeat. *Sunt quidam abſurdi iudicij, ij dumtaxat amant effugiſſe gehennam: contrà ego multò durius eſſe tormentum quoddam aſſero, quàm gehenna eſt: hoc eſt, non aſſecutum eſſe tantam gloriam, & illinc elapſum eſſe. Nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quanto neceſſe eſt caſum deplorare, quod de cœlis excidimus, qui eſt omnium creatus omnium ditiſſimus.*

Matth. 17.

Spes æternæ mercedis quantum calcar ad virtutum profectum.

Matth. 5.

Apoc. 22.

Quanta felicitas in cœlo.

8. *Maius damnum, non aſſequi regnum cœleſte, quàm euadere gehennam.*

S. Auguſtinus ſerm. 2. de feſto omnium Sanctorum, de gloriæ cæleſtis magnitudine loquens, inquit: *Si quotidie oporteret nos tormēta perferre, ſi gehennam ipſam paruo tempore tolerare, vt Chriſtum videre digni eſſemus venientem in gloria, & Sanctorum eius numero ſociari; nonne dignum erat patiomne quod triſte eſt, vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur?* D. Baſilius hom. de gratiarum actione in quibuſuis afflictionibus ad contemplationem gloriæ cęleſtis vrget animum cōuertere: *Afficit te*, inquit, *aliquis ignominiâ? Quin tu ad eandem ſuſpice gloriam, quæ in cœlis repoſita eſt. Iacturam rerum tuarum adiiſti? Imò oculos imprime fixius illis cœleſtibus diuitijs, & theſauro incomparabili. Patriòne ſolo exuleſus es? At patriam habes cœleſtem illam Ieruſalem. Periit tibi filius? ſed angelos habes, cum quibus in circuitu diuini illius throni tripudies, lætitiâ ſempiternâ exhilarandus*, &c. Hanc igitur mercedem prædicit Tobias illis ſecuram, *qui fidem nunquam mutant ab eo.*

Quidquid libenter tolerandum pro cœleſti gloria.

Contemplatio præmij cœleſtis eſt firmum præſidium conſtantiæ in quibuſuis aduerſis.

SEC-

SECTIO XV.

An nulla pœna maneat irrisores?

1. SIRACIDES Eccleſi. 7. inquit: *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ ſuæ: eſt enim qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus.* Ne rideas, inquit, hominem miſeriis & calamitate preſſum, aut in cordis amaritudine conſtitutum: quia Deus omnia conſpicit, & alienæ miſeriæ irriſores deiicere ſolet, exaltatis his, qui prius erant deiecti. Porrò certum eſt parentes & amicos Tobiæ illum audaciter irriſiſſe, & quidem in cauſa religionis: de punitione verò nihil legitur. An ergo aliqui immunes, qui calamitoſos rident? Minimè. Hebræus Sapiens planiſſimè id affirmat: *Parata ſunt*, inquit, *deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Quanquam, inquit, patienter agat Dominus expectans hominum pœnitentiam, aut vt impletâ peccatorũ menſura, ſuo tẽpore tantò iuſtius vindicet, parata ſunt iam apud Deum iudicia ipſis deriſoribus, eaque admodum grauia. quod inſinuant verba, *Et mallei percutientes ſtultorum corporibus*, quæ ſignificant corpora ſtultorum grauiter contundenda fore, quemadmodum dum fuſtibus quis cæditur, aut quemadmodum incus malleo contunditur. Regius Propheta pſalm. 58. de his ſic pronuntiat: *Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis eorum*: verba illorum, inquit, mirè penetrant, & pungunt; ipſi tamen ea ſecuri effundunt, ſeque ſolantur, *quoniam*, inquiunt, *quis audiuit?* Nemo audiuit, ſecretus erit ſermo. Non eſt qui nos in ius ambulare cogat ob noſtrum ſermonem. Sed errant. nam ſubdit Propheta: *Tu Domine deridebis eos.* Putant ſe non audiri, quando inter ſe ſecretò conſultant; exiſtimant ſe magna facturos, ſed tu Domine, cui nihil eſt occultum, qui vel latentiſsimos ipſorum nutus obſeruas, qui noſti eorum conſilia, in tempore aderis, & impedies conatus eorum, eosque riſui expones, etiamſi omnes Gentes cum illis coniungerentur; eas quoque contemnes, & nihili facies: *Ad nihilum*, ſubnectit, *deducet omnes gentes.*

2. *Irriſores grauiter à Deo puniuntur. Prou. 19.*

Filius Nohemi Cham expertus eſt hanc veritatem. Irriſerat ipſe patrem, ſed audiuit: *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Hæc pœna manebit impium Chanaan ex patre Cham, patris deriſore impiiſſimo, quod ipſe cum ſuis exſcindentur à poſteris Sem, & Iudæis ſeruient quaſi viliſſima mancipia.

Cham in Hirpe punitus, ob deriſionem Patris.

3. Iudicum cap. 8. Gedeon fortiſſimus heros inſequebatur hoſtes Madianitas cum trecentis militibus, quos non videret noctis peruigilio, laſſitudine longi itineris, fame & ſiti prope enectos, à duabus vrbibus, quæ ambæ vltra Iordanem erant, aliquid commeatus poſtulauit, (vna Soccoth, altera Phanuel vocabatur) *dixitq; ad viros Soccoth: Date obſecro panes populo, qui mecum eſt, quia valde defecerunt, vt poſſimus perſequi Zebee, & Salmana Reges Madian.* Similia locutus eſt ad viros Phanuel: ſed Principes Soccoth & Phanuel reſponderunt ludentes illiberali prorſus ſarcaſmo: *Forſitan palma manuum Zebee & Salmana in manu tua ſunt, & idcirco poſtulas, vt demus exercitui tuo panes.* quaſi dicat, Numquid victoriam iam manu tenes? nempe iam triumphum canis; ideò poſtulas, vt commeatum agmini tuo ſuppeditemus. Superbi & ingrati homines, inquiunt, non dabimus tibi quidquam; non enim reges iſtos capere poteris, & de iis tamen loqueris, quaſi in tua eſſent poteſtate, & manum eorum iam tua manu comprehendiſſes. Proteruè inſultantes, & cum irriſione alimoniam denegantes, & vilipendio, quaſi quod anteà feciſſet Gedeon à Deo conſtitutus Dux, nihil aut leue foret; quodque facturum ſe dicebat, in ventum abiret. Quibus Gedeon: *Cùm tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas, conterã carnes veſtras cum ſpinis tribuliſq; deſerti.* Dirè ſtabit vobis hic riſus, partâ victoriâ. Cùm vicero, vos dicterium veſtrum luetis. Pro tam inſigni impietate ſupplicium hoc ſubibitis. Deuicto hoſte, carnes veſtras ſpinis, tribuliſque deſerti cruciabo, lacerabo vſque adeò lethiferè, vt inter eos ſternamini. Magno impetu vos contundam. Viris Phanuel dixit Gedeon: *Cùm reuerſus fuero victor in pace, deſtruam turrim hanc.* Vnus quiſpiam fortè ad Phanuelitas pertulit, quæ petiit à Soccothenſibus Gedeon, quæ illorum fuerit reſponſio; quam pœnam ob procacitatem, ſibi audierint inferendam. Vnde reſponderunt ſimilia, ne ſuis vicinis viderentur timidiores, aut minus proterui. Hinc factum eſt, vt iis Gedeon non cædem tantum, ſed turris etiam deſtructionem comminatus ſit. Erant quippe maiori pœnâ digni, quos vicinorum improbitas, ad humanitatis ſenſum non traduxit. Vicit Gedeon, & ad cauillatores illos quàm primùm regreſſus, dixit: *En Zebee, & Salmana, ſuper quibus exprobraſtis mihi dicentes: Forſitan manus Zebee, & Salmana, in manibus tuis ſunt?* Reges, quos cum exprobratione dixerant non eſſe ſuperandos, ſuperatos, & vinculis conſtrictos illis oſtentat, vt intelligant ſuo malo fidendum eſſe Deo, neque fame preſſis illudendum. Septuaginta ſeptem viros primarios vrbis inuſitato ſupplicio affecit, humi ſtratos, & ſpinis, & paluris laceratos, ac magno impetu contuſos necauit. Æquum enim erat, vt qui tribulatis, & extremæ famis ſentibus cruciatis

Soccothenſes & Phanuelitæ deriſores inſigniter à Gedeone ſummi inuſitato ſupplicio.

nihil largiti sunt, & illuserunt, spinis & tribulis deserti dilaniati, vulnificum paterentur interituri supplicium. Turrim verò Phanuël, in qua confidebant, tunc suæ traditam potestati ad terram deiicit, & prorsus euertit, occisis insuper habitatoribus vrbis, si non omnibus, saltem viris principibus, & senioribus. Hoc nouum & inauditum derisoribus iudicium debebatur. Verissimè Hebræus Sap. Prouerb. 26. v. 3. *Flagellum equo & camus asino, & virga in dorso imprudentium.* Et v. 28. *Os lubricum operatur ruinas.* Quod in Soccothitas & Phanuelitas respectiuè quadrat: quibus parata erant, vtpote illusoribus, iudicia.

4. *Michol ob cauillationem sterilitatis punitur.*

Michol vxor Dauid, eum tota corporis contentione saltantem ante arcam, non tam piis quàm curiosis oculis intuita, eundem tamquam Regiæ dignitatis immemorem superbè contempsit, & tandem in illum euomuit quidquid offensionis conceperat: sed dirè illud luit: sterilitate percussa est, matris nomen non habuit, 2. Reg. 6. Quinquagenarij illi missi ab Ochosia Rege ad Eliam Vatem, vt eum apprehenderent, quia ausus fuerat Regi breuem denuntiare interitum, quod cùm Deum haberet in Israel, infirmus existens, ab alienis diis scisciteretur oracula: illi inquã quinquagenarii igne cælitùs misso absumpti sunt, eò quòd irrisoriè Eliam vocassent hominem Dei. Tanto odio Deus derisorem linguam prosequitur, vt nec in pueris etiã & balbutiente ætate toleret. Cùm à translatione Eliæ proficisceretur Helisæus in Bethel, occurrit puerorum petulans turba, quæ virum Dei procaci, liberoque conuitio caluum appellarunt: *Pueri parui*, inquiunt Regum falli, *egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Adscende calue.* Erat Bethel aurei vituli præcipuum, &, si quod aliud admodum illustre sacrarium. Quare ciuitas illa, vt impiis sacrificiis, sic etiam plurimis abundabat idololatris, qui veram religionem aut contemnebant, quasi aliquid foret vanum & nugatorium, aut certè de illa, aliis iam sacris occupati, ac dediti non curabant. Hinc fiebat vt liberè insultarent his, qui alienam profitebantur religionem, eosque conuitijs inuerecundè concideren, & illos maximè, quos impensiùs videbant pietati seruire.

Milites Eliæ illudentes ignis cælestis deuorauit.

4. Reg. 1.

Pueri ridentes Helisæum ob vrsis necati.

4. Reg. 2.

Quid Bethel

Pueri hi parui paternos mores imitati, talia in viros sanctos maledicta conferebant, qualia audiebant intorqueri à parentum infensa, atque procaci lingua. Ad rem nostram communis est Patrum Interpretumque sententia, emissam fuisse à patribus puerilem illam turbam, vt Prophetæ, quem suis studiis norant esse contrarium, insultarent audacius, aut certè illorum petulantiæ fauisse, sed carè hæc ridendi licentia constitit: *Egressi sunt duo vrsi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta-duos pueros.* Vrsi fuerunt eorum carnifices, quos parentes malè instruxerant: quia solent formandis catulis multum laboris impendere. Sic pueri suæ petulantiæ, & parentes adhortationis impiæ in filiorum cæde, pœnas exsoluerunt. Ne mireris. *Abominatio Domini* inquit Sapiens, *est omnis illusor.*

5. *Aliud recens Exemplum.*

Refert Iacobus Gualterus in tabula sua Chronographica, de S. Apostolo Iacobo sacra anno 1609. (recens plaga) in Galliis matronam nobilem Catolicensem, sed Caluinianæ scholæ, in castro suo vna cum ancillis suis intentam operi residisse, & fulmine è summa arce in ipsum conclaue eiectis tabulatis, irruẽte, ancillas catholico ritu se signantes; & heram, idem faceret, rogãtes, suæ sectæ minimè oblitam proteruè irrisisse. Audi miserum finem. Non distulit Deus irridentem deridere. Fulmen denuò perrupit, solamque Dominam inter illæsas cæteras, velut ictui destinatam protinus interemit. Pomis & nucibus ludere concessum quidem, sed non cum Superis, non cum Deo, nõ cum sacris ritibus.

Alia exempla.

Iulianus & Lucianus Apostatæ perfidissimi, & ex asse momi exercitatissimi ad quæuis ridenda; sed vterque meritissimas dedit pœnas. Ille incertâ sagittâ sauciatus; iste à canibus laceratus interiit. Triginta anni sunt: ex quo Batani Beatissimæ Virgin. Sichemiensis Sacellum expilarunt. Inter illos autem Mariani Sacelli prædones eques erat in equo cæco, qui vbi iam Sacello vicinus per risum & contumeliam dixit: Si MARIA hîc miracula facit, oculos reddat equo meo. Audiit Virgo blasphemum, & mox visus restitutus est equo, eques verò excæcatus. Id ante mortem, & in morte ipsa confessus est equitis illius cõmilito, qui ob aliud crimen Wertetì extremo supplicio affectus est: quod ipsius Wertensis Prætoris litteræ testantur.

6. *Cur Tobiæ amici irrisores non legantur puniri.*

De parentum & amicorum Tobiæ derisorum pœna nihil legitur; sed audi mi Christiane. Vel compuncti sunt admonitione graui Tobiæ, vel surdâ aure pium monitorem contempserunt. Neutrum consignauit Scriptura, sed tantum recenset eos Tobiæ post meliorem fortunam gratulatos esse. Si prius? Non est peccatum tam grande, quod cordis contriti non deleat pœnitentia. Non arctatur Diuina clemẽtia numero, non clauditur fine; nullas omnino habet metas. Nostis pœnitentiam Manassis Deo fuisse gratam. Glycas de eo inquit, & Glossa citatus ad locum 2. Paralip. 23. *Tot tantaq; facinora Manasses patrauit, vt diuinus ille Athanasius dicere non dubitauerit: Si Manassem Deus seruauit, equidem ausim dicere, quòd etiam diabolum ipsum seruaturus fuerit, si reuerti ad eũ voluisset.* De Achab 3. Reg. 21. pœnitentiam agente in aspero, vulgari & sordido habitu, inquit Dominus ad.

Quo dicendi peccatum licet grauissimum delet vera pœnitentia.

Eliam

Eliam, *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Graue malum, quòd proximè annũtiauerat vates Elias, ad filii tempus differre promittit, & aliquid remittere de minaci vaticinio. Semeias Propheta 2. Paralip. 12. ingressus ad Roboam & Principes Iuda, qui congregati fuerant in Hierusalem fugientes Sesac, dixit ad eos: Hæc dicit Dominus: *Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac.* Sed quid? *Consternati Principes Israel, & Rex dixerunt: Iustus es Domine.* Agnoscunt Dei iustitiam in pœnis. Respexit hoc Dominus, & *Factus est sermo Domini,* inquit sacer textus, *ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboq; eis pauxillum auxilij: & non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. Verumtamen seruient ei, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum.* Nouit Dominus peccata condonare, & pœnas tollere, si conuerti nouimus ad pœnitentiam. Vide plura in hanc rem Discursu 28. in I. Præcept. nu. 3. & magis Discurs. 11. in V. Præcept. numero 10.

7. Si posterius. Lento gradu Diuina procedit ira; sed tarditatem supplicii grauitate cõpensat. Casus expressus est nostro proposito congruus. 2. Paralip. 36. Tempore quo Rex Sedecias regnabat super Iudam & Ierusalem, & faceret malum in oculis Domini; nec eruhescebat *faciem Ieremiæ Prophetæ loquentis ad se ex ore Domini,* eumq; imitarentur vniuersi Principes Sacerdotum, & populus, iuxta vniuersas abominationes Gentium iniquè præuaricantes, misit *Dominus Deus ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, vt parceret populo, & habitaculo suo.* Dominus Deus nocte & diu per Prophetas hortabatur populum suum ad pœnitentiam, quod vellet indulgentius cum illis agere, eisque parcere. Illi verò deridebant eousque seruos Dei, donec furorem Domini in se sæuire cogerent, eò quòd desperata esset eorum curatio. Planissimè Sacra pagina hoc exprimit: *At illi,* inquit, *subsannabant nuntios Dei, & parui pendebant sermones eius, illudebantq; Prophetis, donec ascenderet, furor Domini in populum eius, & esset nulla curatio.* Et immediatè pòst subjungit: *Adduxit super eos Regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij sui: non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem: sed omnes tradidit in manibus eius. Vniuersaq; vasa domus Domini, tam maiora, quàm minora, & thesauros templi & Regis, & Principum transtulit in Babylonem. Incenderunt hostes domum Dei, destruxerunt-q; murum Ierusalem: Vniuersas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat demoliti sunt. Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit Regi, & filiis eius, donec impetraret Rex Persa-*

Deus si differat punire aliquos, tãdiù seuerius in eos animaduertit.

rum, Vt completeretur sermo Domini ex ore Ieremiæ.

Oseas Vates cap. 5. Principes Iuda, quos cautos facere debuisset proximorum calamitas extrema, potius imitantes eorum peccata, hoc fulmine percellit: *Super eos effundam quasi aquam iram meam.* quasi dicat, Nomine Dei stillaui prius in populum, cùm furoris sui guttas demisit, cùm morbo afflixit, aut bonorum jactura: cùm autem ad Prophetarum monita surdus, melioribus non afluescit, effundam iram sicut aquam, & in peccatoris caput sæuiam hostiliter, vt ex toro pereat. vt enim si aquam effundas, nihil in valis fundo, aut lateribus manet, sed quidquid est, totum omninò foras effluit, quod in quibusdam alijs liquoribus non contingit, in oleo puta, melle, & vnguentis, in quibus aliquid est viscosum, & pingue. Vt enim quam possis diligenter excutias, nunquam tamen efficies, vt non semper aliquid aut lateribus hæreat, aut in fundo subsideat. Sic Deus vno gurgite omnem iram effundet, quæ vniuersa populetur.

Sensim prius & mitius, pòst durius punit Deus.

Ab aqua sumpta similitudo totalis aliquid fixi-tas.

Idem Propheta cap. 12. cum Ephramitæ imitati Chananæorum mores, per calumniam, & dolos potentiam & facultates auxissent, Prophetarum voces flocci penderent: *Dixit Ephraim,* inquit sacer textus, *Diues effectus sum, inueni idolum mihi. Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.* quasi dicat, Obstrepunt mihi Prophetæ, neque ob stateras dolosas culpãt, & arguunt: at ego has voces non moror; sed vt garritus graculorum despicio. Habeo enim penes me idolũ (diuitias) quo præsente neminem timeo, quia omnibus bonis abundo. Neque poterit inueniri in meis negotijs, contractibus, põderibus, esto scrutetur ea quisquis volet vlla iniustitia, qua peccauerim. Sic diuites opibus superbientes & tumidi omnia iusta & licita sibi existimabant: Sed quid ad eos Dominus? *Locutus sum super Prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimulatus sum:* Ego, inquit, sæpè cũ Prophetis de te, & ad te per Prophetas locutus sum, qui & meo nomine, & meã personam sustinentes, mandata mea ad te diuino consignata auctoramẽto detulerunt: Cumque beneficia Israeli præstita narrasset, subdit: *Ad iracundiam prouocauit me Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis eius super eũ veniet, & opprobrium eius restituet ei Dominus suus.* quasi dicat, Non aliter in præsentia Iacob posteros amplecterer, nisi me illis suis peccatis ad iracundiam, sumendamque vindictam prouocassent. Sua me amaritudine amarum reddiderunt, excusseruntque è suauissimo pectore suauitatem. Quare dum grauia patiuntur, peccatum suum luunt, & in suum ipsorum caput flagitia conuersa sunt, in quos reddidit Deus opprobrij pœnam, quam tunc me-

Ephramita Prophetis sæpius illudentes tandem amare punit.

ruere, quando nempe illi, & aureos vitulos, & idolorum sordida figmenta præposuerunt & Prophetarum monita contempserunt.

8. Isa. 28. Isaias Propheta ostendit felicitatem duarum tribuum non fore diuturnam, quia ijsdem se peccatis implicabunt, quibus decem aliæ tribus antea, videlicet superbiæ, ebrietati, luxui, sed præsertim eam adducit, amplificatque causam, quòd Prophetarum verba tanquam inania & ludicra cum sibilo exciperent, & risu, quasi contra minas satis sibi ab idolis paratum esset auxilij. Prophetæ ad meliorem frugem satagentes reducere duas tribus, quę alias decem in malo imitatę fuerant, familiari ac Propherico stilo auctoritatem præstruebant, *Hæc mandat Dominus*; *Diuinas minas, aut Diuina expectate promissa*; *aut Modicum est, & hoc implebitur.* Hi contra subsanando illis impudenter occinebant eadem, quę ab ipsis toties audierãt. Et quasi molestè ferrent obtrudi sibi sæpius grauem illam, & insuauem cantilenam dicebant. Quid à vobis iam millies audimus, *Manda*, & iterum atque iterum *manda*, *& expecta*, & iterum ac sæpius *expecta*, *modicum intercedit temporis*, & hoc ipsum millies ingeminatis? Sic illi pueri planè ingenio, & infantili voce. Sed Deus aduersus illos assumpsit etiam alienam loquendi rationem. Sicut enim illi ad Prophetarum verba ridendo dicebant, *manda, remanda*, sic Dominus cum maximè instent, & premant incommoda; subsanando dicet, *manda, remanda, expecta, reexpecta.* Ex hac dura Domini, dignissimaque, peccatorũ ludibrio, responsione fiet, vt qui tuti sibi ac prudentes videbantur, retrorsum cadant, tanquam turpiter ab hoste superati, & illâ conterantur ruinâ; & quasi inducti in venatorum retia capiantur. Propter hoc audite verbum Domini viri illusores: Propter hoc, inquit, aures & animos aduertite, ô illusores, quibus probro fuerunt Prophetarum oracula. Expendam vos vestrosque examinare, ac pondere seuero ac iusto: & pro meritorum modo atque mẽsura plagarum quoque modum, atque mensuram remetiar. Flagellum inundans, grandinisprocella, & vis ingens aquarum vos, & spem quam in mendacio posuistis, imò & ipsam mendacij protectionem inundabit, & obruet. *Quandocumque pertransierit, tollet vos*; *quoniam mane diluculo pertransibit in die, & in nocte, & tantummodo fola vexatio intellectum dabit auditui.* quasi dicat, Quoties flagellum peruaserit, inuader, & prosternet vos, quod ita vobis erit familiare, ac frequens, vt mane ac die perpetuo quodam tractu sibi succedant infortunia. Hoc verò vexationis remedium solum est, quod crassis illusorum ingenijs persuadere possit esse vera Prophetarum oracula; quæ tantum audita minus illis videbantur habuisse ponderis, ac fidei. Hoc est quod Prouerb. 5. nomine Dei exprimit Hebræus Sapiens: *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro videbo, & subsannabo cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.*

Duabus tribubus Prophetarum monita irridentibus totale intentatur exitium.

9. *Christi & Apostolorum illusores, licet non ita puniri, minimè tamen immunes fuerunt a plaga*

Helisæus Propheta 4. Reg. 9. ab idololatris insanus vocatur. Christus Dominus Archisynagogi ædes ingressus filiam familias ad vitam reuocaturus, à turba tumultuante & tibicinibus sibillis & cachinnis excipitur, & irridebant eum dicentem, Non est mortua puella, sed dormit. Idem Dei filius in Prælati prætorio per ludibrium salutatus Rex, & variè derisus est, Matth. 9. Luc. 23. Sed nec latronum alter in cruce cauillis abstinuit. Nec mitius actum cum Christi Discipulis: quoties illi fabulæ erant, & ludi fiebant: Ipso die Pentecostes cũ Spiritu Sancto pleni prosilirent in vias, & cælesti facundiâ peroratent, variè auditores affecerunt; alii autem irridentes dicebant: *Quia musto pleni sunt isti.* Quid miramini, quòd variis linguis, vestraque linguâ loquantur magnalia Dei? calices ipsos fecere disertos; largiùs boni viri obbiberunt. Hi illusores nullas pœnas experti leguntur, sed Christus futurum hoc vaticinatus: *Si patremfamilias*, inquit, *Beelzebub vocauerunt, quãto magis domesticos eius?* Matth. 10. Cùm Apostolus Paulus diuinè perorasset, Areopagi, exordium sumens de ignoto illius gentis Deo & de restitutione omnium in die iudicij, *quidam quidem irridebant*, *quidam verò dixerunt: audiemus te de hoc iterum*, Act. 17. Ante id temporis disputabat in Synagoga Paulus cum Iudęis & proselytis: *quidam autem Epicurei, & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere?* verbosus scilicet garrulus, & qui nihil nisi verba effutit. Alij verò *Nouorum demoniorum videtur annuntiator esse: quia Iesum & resurrectionem annuntiabat eis.* De plaga Scriptura nihil tradit. Rursum idem Paulus è vinculis coram Agrippa & Festo ita ardenter perorat de sua conuersione ad Christum, prædicatione, & persecutionibus Iudæorum, quin etiam de resurrectione mortuorum; Festus exclamat: *Insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam conuertunt.* Agrippa verò, *In modico suades me Christianum fieri*: Ex parte & modicè suades me fieri Christianum, sed perfectè non suades, nec persuades. An autem quia horum punitio in Scriptura non exprimitur, ideò irrisores immunes? Quis hoc dixerit? *Parata sunt derisoribus iudicia*; & facili negotio Deus in irrisores animaduertit.

10. *Deus in promptu habet, quo punias irrisores.*

Cùm Isaias vates Iudæis intimaret lugubres, & funestos dies, quos viderent sub Assyriorum Rege, inquit: *Et erit in die illa, Sibilabit Dominus musca, quæ est in extremo fluminum Aegypti, & api quæ est in terra Assur, & veniet, & requies-*

requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus fructetis, & in vniuersis foraminibus, quasi dicat, Eo tempore quo Deus Iudæorũ incredulitatem, & proteruiam vlcisci volet, aduocabit, cogetque Ægyptios & Assyrios, qui quantocyus aderunt, sicut greges, quos pastor consueto sibilo ac noto ad pascua vocat, siue ad caulas reducit. Prouerbialis est locutio, qua insinuat, quàm leui negotio ad punitionem eorum accersat Ægyptios instar muscarum fœtidos & immundos; Assyrios naturâ pugnaces, & armis instructos tanquam apes stimulo & ingenio ad belli contentionem acres, qui denso agmine glomerati considebunt in torrentibus, qui per Iudææ valles subterlabuntur, & in latebris, cauernisque saxorum, & super omnes frutices: ita vt nihil sit quod aut contactu non fœdent, aut morsu non corrodant, aut perdant. Quid dico? Deus etiam per muscas propriè dictas contemptores & irrisores diuinæ Maiestatis plectit. *Grande fuit spectaculum, quod Deus vniuerso orbi præstitit*, inquit Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 34. *cùm superbiam Aegyptiorum non de leonibus & vrsis, sed de ramis domuit & muscis.* Et rursus cap. 38. *Ecce*, inquit, *quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra complexit Dominus pugnando pro Israel: ranæ, & cynipbes, muscæ, atque locustæ, fuerunt castrorum eius acies: & ex eiusmodi cohortibus totas contra fortes Aegyptios composuit legiones: Singuli milites secundum se breues quidem, & infirmi: verùm pro exercitibus Pharaonis satis valentes, Duce imperio Dei. Nempe quod multus hominum exercitus facere non potuisset; ista phalanges locustarum strenuè peregêre malitiâ.* Hæc Deus præstò habet, præsertim in contemptores & irrisores. Deus non irridetur.

Magna Dei vtrtus in minimis ostenditur.

Aegyptios Deus vilissimis animalibus domuit.

11. Nullum ergo rideas, ô Christiane. Irrisio vtique acutum spiculum est in animo, quod fortissimum quemque, ni Deus singulariter eum tueatur, de mentis statu deijciat. Verè Gregorius lib. 9. Moral. cap. 5. *Sæpè*, inquit, *lingua à bono opere, dum vituperat, reuocat.* Iobus inter tot tormenta hoc vnum grauissimè conquestus est, se ab amicis irrideri, & quasi prolixæ patientiæ oblitus, quamuis constantiam retineret, prorupit in hæc verba, cap. 12. *Qui deridetur ab amico sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eũ: deridetur enim iusti simplicitas.* Nimirum hoc ariete Iobus non quidem deiectus, sed tamen valde conquassatus est. Tobias noster firmus constitit, & de irrisorum salute maximè sollicitus fuit, Sancto Stephano perquam similis, qui cùm lapidaretur fortis athleta nihil passus est, sed animosè & feruenter pro lapidantibus orauit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*

Irrisio facile iustum à via recta auocat.

12. Pharao Hebræos infantulos aquis submergi voluit; Herodes gladio fodi, Diabolus Christianorum partus iugulari vult, antequam adolescant. Bonum inceptum destruere satagit in germine. Irrisio aptum illi est ad hanc rem instrumentum. Caue ne illi ad labores; qui non robustæ pietatis est, si videat se irrideri, facilè deficit à via. Initia potius foue, ne optima seges suffocetur in semine. Hoc erga nouellos in fide, in pijs exercitijs omninò obseruandum est, ni velint vindicem Dei manum experiri, quam Amalechitæ. Fugarat Dux Iosue Regem *Amalech & populum eius in ore gladij*, Exod. 17. Tot, inquit Moyses, percussit ex populo, quot libuit gladio percutere. Neque hoc Deo satis, sed *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue. Delebo enim memoriam Amalech sub cælo*: Scribe, inquit, in chronicis, & indica Iosue, vt ipse sequentibus se populi ducibus, & iudicibus, & hi sequentibus indicent voluntatem, & decretum Dei de peragenda vindicta, deque delendo Amelech. Communica idipsum Iosue futuro successori tuo, ne videlicet subactâ terrâ promissâ ipse fœdera cum Amalechitis iungat vel admittat. Idem refricat Moyses Deuteron. 25. *Cùm Dominus Deus tibi dederit requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes, in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius* (Amalech) *sub cælo. Caue ne obliuiscaris.* Cur, quæso, tam seueram tulit Deus in Amalech sententiam? Non alia de causa, quàm quòd immani bellô appetierint innoxios, vacillantesque Hebræos, & in vocatione sua nouitios, vt eos à Dei ductu in Chanaam sequendo absterreret. Hanc causam indicant verba Moysis Exod. 17. cit. *Venit autem Amalech, & pugnabat contra Israël in Raphidim.* Ex paterno videlicet odio Esau, & posterorum eius contra Iacob, eiusque posteros, ob præcepta sibi suisque primogenita, & ob præreptam patris benedictionem. Videbat enim Amalech Iacobæos cum magna armatorum manu ad terram promissam tendere: vnde verebatur ne iam impleretur illa benedictio, quam Iacob fratri suo Esau, parenti Amalechitarum eripuerat, Genes. 27. Idcircò occurrit illis, vt transitum eorum impediat, belloque rem discernat. Extremos agminis lassos, & fame laboreque confectos cecidit. Quamobrem Deus per Moysem Deuteron. 25. suum decretum refricat, & addit: *Caue ne obliuiscaris*: vt hinc discamus quàm grauis sit offensa Dei, teneros, recentesque Dei assectas ab eius vocatione & sequela, seu à verâ fide, religione, & statu perfectionis auertere. 1. Reg. 15. Saul Rex hoc decretum reipsa mandauit executioni. Et quia non plenè Dei voluntati obtemperauit, regno excidit, & defectum eius suppleuit Samuel.

Graui plagæ obnoxij, qui nouellos in fide, &c. impediunt.

Exemplum Amalechitarum.

Grauis offensa nouitios à Deo auertere.

Deus vtique in nouellis illis planris ipse deridetur. Disertè id affirmat S. Paulinus 13.

epist. 27. ad Aprum ex Aduocato ad vitam Monasticam conuersum, ideoque hominum ludibrijs expositum: *Gaude*, inquit, *& exulta, ecce enim merces tua copiosa est in cælo; non enim te, sed illum, qui in te esse capit, oderunt, cuius opus est in te, & humilitas, quam contemnunt, & castitas quam detestantur; in quo te bono Prophetarum Apostolorum & participem esse latus agnosce. Ab initio sæculorum Christum in suis patitur & triumphat: in Abel occisus est à fratre; in Noë, irrisus à filio in Abraham, peregrinatus; in Isaac, oblatus; in Iacob, famulatur; in Ioseph, venditus; in Mose, expositus & fugatus; in Prophetis, lapidatus & sectus; in Apostolis, terra marique iactatus; in Martyribus, toties & tàm variè occisus. Ipse & in te patitur opprobria, & ipsum in te odit hic mundus; sed gratias ipsi, quod vincit dum iudicatur, & triumphat in nobis.* Eumque magis confirmans, inquit parùm antè. *Gratulor quod illam reprobatam à Deo sapientiam respuisti, & cum parvulis Christi, quàm cum sapientibus mundi habere consortium maluisti. Inde iam & hanc gratiam à Domino mereris, vt te oderint homines; quod non fieret, nisi verus imitator Christi esse cœpisses.* Vide plura ad materiam irrisionis spectantia, & scitu vtilia Discur. 10. in VIII. Præcep. qui totus est de irrisione.

Deinceps diridens, ipsum Deum deridet.

Deus in suis patitur, & triumphat.

CAPITIS SECVNDI

VERSVS XIX.

Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.

Vers. 20. *Vnde factum est, vt hædum caprarum accipiens detulisset domi.*

Vers. 21. *Cuius cùm vocem balantis vir eius audisset, dixit: Videte, ne fortè furtivus sit, reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.*

Vers. 22. *Ad hæc vxor eius irata respondit: manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt.*

Vers. 23. *Atque his & alijs huiusce modi verbis exprobrabat ei.*

PARAPHRASIS.

Vers. 19. 20. 21. 22. 23. Cùm autem Tobias esset eo loco, vbi nullum haberet, qui ipsius inopiam subleuaret, vxor quotidiano labore suo textrino victum viro suo, & familiæ, quem poterat, procurabat. Contigit autem, vt acceptum hædum domum deferret. Quem cùm Tobias cæcus domi balantem inaudisset, timuit, ne fortè satis iustè domi adesset: Vnde admonuit in genere suos, ne quid furtiuum domi detinerent, quod horreret ex furto non solùm aliquid edere, sed etiam contingere, adeoque proprietario redderent. Ad quæ vxor eius subindignata acerbius & stomachosius respondens, dixit euidenter vanam esse spem, quàm in Deo locarat, quodque nullo fideli atque stabili fundamento niteretur; quandoquidem tot eleemosynis nulla responderet à Deo merces. Neque hæc solum audiuit ab indignata vxore, vir innocentissimus Tobias, sed alia plura conuitia, quæ Scriptura silet.

SECTIO DECIMA-SEXTA.

Qua de causa vxor Tobiæ ad opus textrinum quotidie processerit?

IOBI cap. 5. dixit Eliphaz vnus amicorum Iob, *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Videtur reprehendere Iobum, quòd, cùm homo natus sit ad laborem, & nisi perire velit fame, laborare debeat: ille tamen sine vllo labore opes acquisierit ingentes tyrannico more, violentia & fraude, cùm auis alarum vtatur remigio, vt sibi ac pullis alimentum paret. Sed perperam: quandoquidem nec Iob tyrānicè opes acquisierit, neque singuli homines absolutè teneantur labore manuum sibi victum quærere, docet D. Thomas 2. 2. q. 183. art. 3. ad 1. Vnde diuersis de causis homines aliqui laborare tenentur. Prima est, quando non possunt aliter peccata & tentationes vitare. Hanc insinuat Ecclesiast.

2. *Operandum est ad peccatum & tentationem cap.*

vsiones declinandas.

cap. 53 dum de ſeruo ait: *Mitte illum in operationem, ne vacet, multam enim malitiam docuit otioſitas.* Et Apoſtolus 2.ad Theſſal.3. cùm intellexiſſet inter eos quoſdam peruerſè viuere præ otio, & curiosè aliena acta perquirere, primùm dicit ſe, cùm non teneretur, labore manuum victitaſſe. Quamuis enim nobilis eſſet, ex inſtituto tamen veterum Rabinorum ſacras literas diſcens, opificium quoque manuale addidicit, tùm vt eo victu ſibi pararet, tùm corporis exercendi, & animi à ſtudijs relaxandi cauſa. Eorum ratio erat, quod illud negligentes procliniores ad peccata forent. Sic R. Ioanna ſutoriam R. Iuda piſtoriam didicit. Sic Carolus Magnus, teſte Eginhardo, & alijs in eius vita, filios ſuos mechanicam aliquam, & filias ſuas lanificium, vel linificium diſcere voluit. Idem hodie nonnulli nobiles factitant, idque otij & peccatorum vitandorum cauſa, tùm vt ſi opus & neceſſitas ingruat, labore hoc manuũ, & arte ſua victum ſibi conquirant. Quamuis, inquam, Paulus nobilis eſſet, dicit ſe tamen labore manuum victitaſſe, idque feciſſe vt probitatis exemplar ſeſe ſiſteret Theſſalonicenſibus ad imitandum. Deinde ſubiungit hoc fuiſſe peculiare ſuum præceptum & dogma, cùm eſſet apud eos, vt ſi quis otiari vellet, nihilque prorſus agere, is ne cibum quidem ſumeret, in verbis: *Nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curiosè agentes.*

Paulus ex inſtituto veterum cum literis ſacris didicit opificium.

Carolus Magnus filios & filias mechanicã diſcere voluit.

3. *2. operandũ ad victum comparandum.*

Secunda cauſa eſt, quando ad victum ſibi comparandum id neceſſarium eſt, nec aliundè quis habet vnde viuat. Sic Geneſ.3. dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo.* Et ex hoc capite Anna Tobiæ vxor coacta fuit textrino opere victum quærere. Cùm enim Tobias profectus eſſet in Elymaida ciuitatem medorum, poſt acceptam plagam hoc vxoris labore indiguit, vt ipſe teſtatur, iuxta textum Græcum, dicens: *Achiacharus autem nutriebat me quoadusque profectus ſum in Elymaida, & vxor mea Anna ſeruiebat in gynaceis.* Quale autem fuerit illud opus textrinum, incertum eſt. Eſt enim rudis quædam texendi ars, quæ filis tantùm coniungit fila; eaque pectine conſtringit, & denſat, ex quibus fit illa, quæ communiter vocatur tela. Eſt etiam alia ſubtilis & arguta magis, quæ opere textili telas vario, & multiplici argumento, verſicolore filo diſtinguit. Qualia multa legimus elaborata prioribus ſæculis, & noſtris paſſim textili opere varias, arque diſtinctas, & in eis plena ingenij, atque artis argumenta præclara. Hoc porrò opus à muliebri ſtudio, & captu non fuit alienum; nam Prouerb. vltimo de muliere forte & ſancta dicitur: *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, &c. Stragulatam veſtem fecit ſibi.* Et S. Hieronymus inſtituens virginem Demetriadem, ait: *Habeto lanam ſemper in manibus, vel ſtaminis pollice fila deducito, vel ad torquenda ſubtegmina in alueolis fuſi vertantur.* Et ad Lætam de inſtitutione filiæ: *Diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum.* Plin.l.8.c.48.dicit: *Sponſæ olim colum feciũ inferebant & fuſum, virorumq; ianuam lana coronabant, ac cingebant; hac cæremonia nuptiali indicantes lanificium à nuptijs in domo maritali exercendum eſſe.* Idque nobilium & Regum mulieribus maximè conuenire tradit Herodotus in Caliope.

In hunc finem Anna vtebatur opere textrino.

4. *Multiplex eſt ars texendi.*

Opus textrinum à mulieribus fuit alienum.

Fuiſſe autem, Annæ telam ex magis elaboratis & induſtrijs, facit, quod in illis regionibus, vbi Tobias exulabat, vigerent illæ artes, quæ veſtes vario colore diſtinguunt, ac præclaris argumentis, & picturis illuſtrãt. Vnde audimus ſæpè Aſſyrias veſtes, Babylonicas, Semiramias: item quòd Hebrææ fœminæ huius artis erant non imperitæ, & iam pridem illis picturandis aſſuetæ. Sanè Virgines, quæ erant in templo, lanæ, lino, ſerico, & byſſo operam dabant, vt docet Anſelmus & Epiphanius, vterque in vita Virginis. Nam quòd B. Virgo fecit in templo, idem feciſſe quoque exiſtimandæ ſunt reliquæ virgines, quæ in eodem cum ipſa fuerunt gynæceo. Quod inſtitutum vtpote honeſtum, & ingenuis fœminis non indignum tenuerunt iam adultæ, & nuptæ, vt & tempus ſanctè, vtiliterque traducerent, & domum ſuam, vt matres familias decet, luculenter ornarent. Porrò B. Virginem operatam eſſe telam, & in ea opere textili, & vario, quod Scriptura ſæpè plumarium vocat, argumenta quædam addidiſſe tradit Beda libello de locis Sanctis, cap. 5. *Id Eccleſia*, inquit, *Hieroſolymitana veneratur linteum, quod fertur à ſancta Maria contextum duodecim Apoſtolorum, & ipſius Domini continens imagines, vno latere rubro, & altero viridi.* Vide Mariale Alberti Magni, cap.134. Vnde probabile videtur Annam Tobiæ coniugem hanc artem didiciſſe, & eò quæſtus gratiã ire conſueuiſſe, vbi publica eſſet inſtituta textrina.

5. *Probabile Annam in hoc opere excelluiſſe.*

Religioſa virginũ huic operi vacabant.

Cæterùm ad laudem Annę Scriptura hoc æternitati tradidit, quod vitam mariti veluti propriam habuerit cariſſimam, cùm eùm proprijs laboribus domi fouit, & nutrijt, eo tempore quo præ cæcitate ſibi prouidere non poterat. Solent enim vxorum inſignia facta multum honorari. Sic.1. Reg. 19. Scriptura non ſilet, quod Michol Dauidem virum ſuum per feneſtram domus demiſit, & patris ſui ſatellites ſimulachri in lecto decumbentis inſtar infirmi pia fraude illuſos, inanes ad Saulem remiſerit, cùm eum ad necem quæreret. Neque ſilentio præterit Eſtheris fidiſſimæ

6. *Alia laus Annæ vxoris Tobiæ.*

Aliquot vxorum inſignia facta.

erga

erga virum coniugis officium, quãdo monuit illum, vt ſuæ ſaluti maturè conſuleret, & à ſicarijs & Proditoribus, quos ipſi Mardochæus denunciauerat in Regis mortem properare, ſibi diligẽter caueret, Eſth. cap. 7. Abigail vxor Nabal æternùm prædicatur quòd prudentiâ, muneribus, humilitate ſedulo à morte maritum redemerit 1. Reg. 25. Valerius & Fulgoſius lib. 6. cap. 7. multis laudibus cumulant Thuriam, Sulpitiam, Chiloniam, Antoniam, Egnatiam, quæ ingenti pietate, & fide in viros, aut eorum vitam è ſummis periculis vindicarunt, aut deportatos in exilium cõſtanter ſunt conſecutæ, cùm ipſæ in pace & delicijs viuere potuiſſent.

SECTIO XVII.

Cur tam attentè Tobias caueris à re furtiua?

1. *Viri ſancti nihili fecerunt miſeriã temporalem pro detrimẽto ſpirituali.*

DVABVS rationibus id breuiter expediam. Prior ſit, quòd miſeriam temporalem nihili penderit, pro detrimento ſpirituali. Hoc enim viri ſancti tàm in ſe, quàm in alijs maximè horruerunt. Id clarum eſt primò in Samuele, qui reiectus à populo, id nihili fecit, ſed innocentiam ſuam, & integritatem omnibus probari voluit, dicens 1. Reg. 12. *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſpiam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamq; vobis.* Et cum populi teſtimonio innocentia eius conteſtata eſſet, fiduciâ ex rectè factorum conſcientia conceptâ obiurgat grauiter gentem illam ingratam Deo, beneficia antiqua obijcit, quibus à Deo quondam cumulata fuit; ac tandem orans diuinæ offenſionis ſignum impetrat de cœlo per tonitrua & fulmina tempore meſſis, triſtitiæ inſolita: vt cognoſcerent, quàm grande malum feciſſent in cõſpectu Domini, petendo Regem. De ſua reiectione non doluit, ſed de populi peccato. Heli quoque 1. Reg. 4. cùm propter peccata ſua partum pœnarum ſibi indictarum ſubiret per filiorum mortem in caſtris Philiſtinorum, non ita de ea indoluit, atque de detrimento ſpirituali arcæ, quam ceperant Philiſtini. *Cùm ergo inaudiſſet arcam Dei captam, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt,* de filiorum morte prius audita nihil commotus: multò enim magis arcam, quàm filios æſtimabat. vnde & Scriptura commemorat quod ante euentum belli, *cor eius erat pauens pro arca Dei, nihil de filijs dicens*, illos in bonis temporalibus, illam in ſpiritualibus reponebat; ſpiritualia verò temporalibus præferenda iudicabat. Hoc inſinuat Chryſoſtomus lib. 3. aduerſus vituper. vitæ Monaſt. *Cùm inquit, bello finitimorum laceſſerentur Iudæi, profectuſque ad illum quidam belli clades enunciaſſet: vt que turpiter, & miſerabiliter illius liberi in ea dimicatione corruiſſent: hactenus quidem agebas quietem. Verùm, cùm ille tanta huic cladi Arcam Dei direptam ab hoſtibus fuiſſe adieciſſet: tùm verò præmoris magnitudine obtenebratus ſenior cecidit de ſella retrò iuxta ianuam, & contritum eſt dorſum eius.* *Heli in morte filiorum quietem animam, in captiuitate Arcæ turbatam.*

Multa temporalia damna accepit Rex Dauid à filio ſuo Abſalone; iniurias, dedecora, exilia, labores, denique apertiſſima diſcrimina non ſolum regni deſolandi, ſed etiam vitæ amittendæ 2. Reg. 15. Tandem vnum accepit damnum ſpirituale, non quidem proprium ipſius Dauidis, ſed Abſalonis: cùm, ſcilicet, reſciuit improbum filium temporariam mortem in prælio ſubijſſe, æternam apud inferos ſubiturum, 2. Reg. 18. v. 32. Quid verò Dauid? vtrum ex his damnis ægriùs accepit, & difficilius tollerauit? Illudne temporale proprium; an hoc ſpirituale alienum? Proculdubio hoc ſpirituale. Nam illud prius modeſtiſſimè tulit: non auſus præ humilitate ad illud depellendum, Arcam fœderis in prælium exportare; ſed Sacerdotem in hunc modum allocutus: *Reporta arcam Dei in vrbem: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum. Si autem dixerit mihi, Non places: præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* 2. Reg. 15. *2. Dauid ægrius tolerabat alienum damnum ſpirituale, quàm proprium temporale.*

Sacerdotes, vt videtur, eduxerant Arcam è Tabernaculo, Rege neſciente, volentes hoc modo conſultum eſſe regiæ ſaluti in fuga à facie Abſalonis; quod non admiſit Rex, ſed voluit reportari in locum ſuum, ne quid tale arca pateretur, quale olim à Philiſtæis, 1. Reg. 4. Quod perſuaſum voluit Rex, Sacerdoti ſummo hac ratione, quia ſi res talem haberet exitum, qualem multorum vota poſtulabant, ipſe rediret confeſtim in vrbem, vbi in ſuo tabernaculo ſicut antea Arcam illam adoraret, & coleret Sin Deus de ſe, ac regno aliter ſtatuiſſet, non recuſare ſe, imò libenti animo ſubiturum, quidquid Domino, cui repugnare nullo modo liceret, collibuiſſet.

Poſterius verò, ſeu Abſalonis exitum infauſtum miſerabiliter luget, & importunis lachrymis tam optatam turbat, & inceſtat victoriam: *Contriſtatus*, inquit ſacer textus, *Rex, aſcẽdit cœnaculum portæ*; ad quod videlicet, vt liberius ploraret, ſeſe à ſuorum oculis abdidit *& fleuit: & ſic loquebatur vadẽs: Fili mi Abſalon: Abſalon Fili mi. Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te.* Hæc vocum iteratio magnam habet epitaſim; id enim, quod in corde altius fixum eſt, & in eo efferueſcit ardentius, frequentius ebullit,

Dauidis de filij morte quàm acerbus dolor & cur?

ebullit, & erumpit foras. Sic porrò filium amabat, vt cum esset omnium filiorum adversus patrem sceleratissimus, & contra ipsius caput proximè manus eleuasset armatas, tamen suam vitam non grauatè profunderet, vt filij redimeret: *Quis*, inquit, *mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* Luculenter de hac re Augustinus: *Rex Dauid*, inquit, *cùm hoc ab impio, atque immani filio passus esset, non solum ferocientem toleraut, sed etiam planxit extinctum. Non enim carnalis zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo iniuria sua, sed peccata filij commouebant. Nam ideò, si viueretur, cum occidi prohibuerat, vt eidemmet seruaretur pœnitendi locus. Et quia non potuit, non orbitatem doluit in eius interitu, sed quia nouerat, in quales pœnas tam impiè adultera, & parricidalis anima pateretur. Nam qui alio prius filio, qui innocens erat, pro quo agrotante affligebatur, morientè lætatus est*, Idem Doctor hanc rem expendit lib. 2. contra 2. epist. Gaudentij cap. 14. *Plus*, inquit, *impius Absalon patrem sanctum Dauid extinctus, quàm rebellis afflixit. Vnum namque cum comprehendi cupiebat, vt qui malitiâ grassabatur, pœnitentiâ sanaretur. Erat ergo ille persecutor patris, non solum populum Dei diuidendo, & contra legitimum patris regnum arma parando; sed multò amplius persecutus est cor paternum in illa impietate moriendo.*

Lib. 3. de doctr. Christiana cap. 21.

Cur de paruuli morte minus doluit. Absalon magis afflixit Dauidē male moriendo, quàm cum persequendo.

3. *Tobias omnia damna temporalia mo destissimè sustinuit, vnum spirituale molestissimè.*

Sic sanctissimus noster Tobias senior patiens temporalium bonorum exstitit, in captiuitate positus, bonis omnibus proscriptus, & capite damnatus, videndi vsurâ priuatus, *non est contristatus contra Deum, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ*, licet multi existiment mortem malum esse cœcitate leuius: multis insuper iniurijs etiam à cognatis lacessitus & irrisus, æquo animo omnia sustinuit: sed vnum spirituale detrimentum sustinere non potuit; nam cùm domi vocem balantis hœdi audisset, veritus ex eo lucro temporali spirituale aliquod detrimentum: *Videte*, inquit, *ne fortè furtiuum sit, &c.*

4. *Plus doluit Augustin. de impia morte Donatistarum, quàm Catholicorum damno.*

D. Augustinus lib. 2. contra Gaudentium Donatistam, ostendens zelum suum erga legem Dei, dicit se magis affligi de Donatistarum impia morte, quàm de Catholicorum temporali damno. Et vt altius repetam, sic inquit: *Torquet diabolus homines iustos sceleribus impiorum hominum. Hanc persecutionem Loth iustus patiebatur in Sodoma, cùm Angeli hospites eius, homines putarentur, à Sodomitis appeterentur ad stuprum; etiam antequam domum iusti ingrederentur, quod sine magno cordis cruciatu videre non poterat; vnde inter suas persecutiones etiam hanc commemorat Apostolus, cùm dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? vnde quantò maior in nobis est charitas, tanto maiori cum dolore animus videmus homines separari à membris Christi.* Tum de Donatistis subiungit: *Vnde quando vos Donatista hæretici in hoc vestro errore vitam finitis; multò amarius nos dolemus, dici non potest, quanto nos mœrore cruciatis.* Et confirmat exemplo Dauidis modò dicto: *Plus quippe impius*, inquit, *Absalon patrem suum extinctus, quàm rebellis afflixit*, &c. vt suprà. Tum demum concludit: *Vnde si Catholicorum domus Donatista non diripuissent, si Catholicorum membra non præcidissent, si denique Catholicos crudeliter non occidissent, hanc solam nos à vobis grauissimam persecutionem perpeti verissimè diceremus; quia videmus vos insentatos, & tabescimus: quia infirmatos, & infirmamur: quia scandalizatos, & vrimur: quia perditos, & lugemus. Hæc malu vestra, quæ vos in æternum interitum mittunt, amarius nos persequuntur, quàm illa, quæ à vobis nostris corporibus inferuntur, denique in illa persecutione, quâ in nos sæuitis, cum laude gaudemus; in hac autem, quâ vos peritis, si gauisi fuerimus, vobiscum perimus.* Sic olim Dauid Psalm. 118. dicebat se languere præ zelo, quando videbat inimicos suos obliuisci præceptorum Dei: *Tabescere*, inquit, *me facit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Gen. 19.

2. Cor. 10.

5. 2. *ratio. Res furtiua suo detentori est nociua.*

Posterior sit, quòd hortere soleant iustum furtiuam, neque in domo sua vllo tempore retinere vellent, sed statim restituere, tùm quòd Deus maximè abominetur omnem iniustitiam, tùm quòd maximè nociuum sit detentori suo. Prius vide; si placet, latè probatum Disc. 1. in VII. Præcept. à n. 1. vsque 6. Posterius satis insinuauit Samuel 1. Reg. 12. quando dixit: *Contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Et expressius Iob cap. 27. cùm dicitur: *Hæc est pars impij hominis apud Deum, & hereditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient*, quasi dicat, Discite à me, quam sortem sperare possint impij à Deo, & quis ab illo illis maneat exitus, qui per vim & fraudem in aliorum iura & possessiones eruperunt: Si abundauerint numerosâ prole, filij gladio cadent hostili, & eò necessitatis adigentur nepotes, vt ad explendam famem panis deficiat, &c. vt ibidem versu 14. 15. 16. 17. Et tandem versu 18. ostendit, quam parum habitura sit firmitatis domus impij: *Ædificauit*, inquit, *sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.* Sicut enim tinea, cùm domum construit, illius fundamenta corrodendo debilitat, nam in lignis habitat, ligna corrodit, & perforat, facitque vt labante domo, non possit esse diuturna commoratio. Sic impius non tàm ædificat, quàm euertit domum, vt re vera dum benè acquisitis malè acquisitas facultates adiungit, tineas inducit, quæ si quid est solidi, corrumpunt & euertunt. Dixit idem penè Ecclesiast. cap. 21. v. 9. *Qui ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides in hyeme.* Nam qui hyemali tempore collocatur in fabrica, non aptè

Res furtiua comparatur domui tineæ, seu vermibus peruiæ.

conglu-

conglutinantur lapides, aut firmitatis aliquid habere possunt, vt cementariorum docuit experientia. Aliam similitudinem addit Iob loc. cit. à tabernaculo seu tugurio custodis, quod prouerbiali specie pro re sumitur momentanea, quæque ita dissoluitur, vt illius nullum supersit vestigium. Sic Isaias cap. 1. *Relinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea: & sicut tugurium in cucumerario.* Hæc enim peracta vindemia, collectisque fructibus, sic dissipantur, vt neque speciem habeant vllam, neque vsum.

Item comparatur vmbraculo, seu rei momentanea & infirmæ.

6. Verum eminuerò, quandoquidem Tobiæ scrupulus ortus est propter hædum vltra mercedem acceptum, discussione dignum est, An ille qui rogatus ab alio tanquam mediator, rem ipsi emit decem florenis, quàm potuisset emere duodecim alibi, sibi duos possit reseruare, vt solent aliqui Sartores, qui pannum, aut sericum ad conficiẽdas alicui vestes emunt. Respondeo nihil sibi posse retinere, quandoquidem tutor debuit diligentiam sufficientem adhibere, ad emendum pannum decem floremis. Neque excusat, quod mercatores dicant se nulli alteri mercem illam daturos fuisse infra duodecim florenos: id enim dicunt, vt eos alliciant. Neque excusantur à restitutione, quando infideliter agũt apud Mercatores, minus insistentes pro decem florenis merci obtinendæ, scientes quod mercatores ex eodem capite illis tunc soleant duos aut tres Renenses elargiri. Rursum scitù necessarium est, non licere mediatori, qui mercedem pro suo labore accipit vt negotiorum gestor, vel est in famulatu, vel gratis suscipit officium vendendi rem sibi traditàm, vt amicus, sibi retinere aliquid ex pretio, quãdo plùris eam vendidit, quàm à Domino erat præscriptum: quia non habet titulum legitimum, quo possit aliquid ex pretio vsurpare; non enim ratione rei venditæ, cùm hæc non sit ipsius; nec ratione industriæ vel ministerii, quia pro eo mercedem accipit, vel si non erat in ministerio, gratis onus suscepit, ad quod compensandum sibi ex gratitudine dominus credit vel obsequijs, vel aliis beneficijs: vel si putaret eum stipendium prætensurum, alium inueniret, qui gratis id faceret, vel per seipsum rem potius venderet. Nec præterea excusat, quod Dominus rei vendẽdæ, minus pretium vendendi determinauerit; quia ille solum petiit ne venderet infra, non autem ne supra, si fortè occasio ita ferret. Itaque nihil excusat, nisi pactum domini tacitum, vel expressum, vt solum redderet domino decem, & si quid vltrà inueniret id sibi vsurparet, aut extraordinariâ diligentiâ adhibitâ, vt si iussus vendere in hac ciuitate, vbi non inuenit vltra decem, profectus sit vltrò in aliam ciuitatem, vbi acquisiuit duodecim, tùm enim industria non debita facit facultatem mediatori illa duo sibi reseruandi.

Non licet mediatori, qui rem alteri emit de rem florenis, computare duodecim, ob quod alibi meliorẽ non potuerit emere.

Non licet sibi reseruare vltra mercedem aliquid de pretio, quia maiorẽ vendidit, quam determinatum à domino rei venditæ.

In his excusat solum pactum Domini expressum vel tacitum, vel industria extraordinaria vtendi.

SECTIO XVIII.

An rectè suspicatus fuerit Tobias hædum illum esse furtiuum.

1. VM Tobias audijsset domi balantem hædum, suspicatur esse furtiuũ, quod non crederet dono datum in sua paupertate, maximè cum sciret operarijs pauperibus potiùs malignè mercedem persolui, quàm auctariũ gratis addi. Quæritur an rectè suspicatus hoc fuerit, aut, quod in idem recidit, sufficientia habuerit indicia. Solent enim homines pleriq; ex leuissimis indicijs de alijs suspicari graue malum. Breuiter expediam, mi homo, propositam difficultatem. Sunt homines maleuoli, sunt boni & iusti. Maleuolorum proprium est, affectu prauo sine graui causa, male de proximo sentire. Cùm Gethæi mitterent Arcam Dei Accaron, eâ visa exclamauerunt Accaronitę dicentes: *Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum.* Gethæos sine causa criminantur de malo animo, seu intentione quod Arcam in vicinam vrbem adducerent, non solùm vt sua se plaga exonerarent; sed etiam, vt eam in alios traducerent, atque adeò pœnarum socios haberent.

2. *Maleuolentia est ex affectu prauo malè de proximo sentire sine graui causa. Exempla. Scriptura.*

Hanon rex Ammonitarum 2. Reg. 10. Legatos Dauidis ad se consolandos super parentis obitu missos suspicatus fuit ex aliorum peruersa interpretatione, venisse ad explorandum ipsius regnum: ita vt iusserit ijsdem Legatis partem barbæ abradi, & vestes vsque ad nates succidi, adeoque cum summa ignominia dimitti. Assuerus Esth. 7. Amanum ad Reginæ Estheris deuolutum genua, vt Regis furorem contra eum succensum, aut auertere vellet, aut lenire, credidit voluisse vim inferre Reginæ, eò quod reperiret eum super lectulum triclinarem corruisse, in quo iacebat Esther conuiuij causa. Et hodie quamplurimi reperiuntur, tùm politici, tùm hæretici, ac prani Catholici, qui de viris probis & religiosis, sine vlla causa suspicantur eosdem esse impuros, auaros, quæstus & honoris causa omnia facere, & id genus alia idque partim, quia ipsi tales sunt; partim nè cogantur eos sibi præponere; sed ex mente valeant ipsos contemnere.

3. *Legimur in Scriptura bonos etiam suspicari male de proximo.*

Verùm enimverò bonos etiam suspicari solitos, non silet Scriptura. Sic Iudas Genes. 38. suspicabatur nurum suam Thamar, quæ in biuio sedebat cum theristro super caput, meretricem

meretricem esse publicam, quòd in biuio solcant meretrices quaqua versum captare occasionem, præsertim, quæ sine teste in publico agunt. Ioseph Gen. 42. duriter tractauit fratres in Ægypto, quia cum eos videret sine Beniamin eò veniſſe, aliquid mali aurumabat subesse, scilicet, Interprete Theodoreto, ne quid fortè grauius de illo, quemadmodum olim de seipso decreuissent. Numer. item cap. 32. Moyses videns Rubenitas. & Gaditas cupidos manendi citra Iordanem in terra vberi, & ad greges pascendos, & saginandos peropportunà, suspicatus est eos à laborum tædio superatos, periculis in reliquo itinere subeundis supersedere voluisse. Heli suspicabatur Annam vxorem Elcanæ in amaritudine constituram ob carentiam prolis, Deumque submissè exorantem, esse ebriam, dixitque ei: *Vsquequò ebria eris? Digere paululùm per vinum, quo mades*; cùm tamen nullum graue dedisset ebrietatis indicium, vnde sacerdos, aut quilibet alius illam largius bibisse prudenter coniectaret: quia ex labiorum motu, & linguæ silentio, ebria dici non poterat. nam & Moyses absque vocis resonantia Deum vsque adeò piè orabat, vt illi diceret: *Quid clamas ad me?* Ebrietatis tamen intemperantiam obijcit Heli, & imperiosè iubet, vt excedat è templo.

Ioseph Matth. 1. vir iustus cum deprehendisset beatam Virginem grauidam, turbatus fuit, & aliquid malignum suspicabatur, vt indicant verba: *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Adulterij ergo suspicio animum eius turbauit, quia grauidam senserat, & se ad illam non accessisse nouerat. Disertè Augustinus serm. 25. de diuersis: *Subitò Ioseph intuitu familiari, & licentia maritali aspicit Mariam coniugem suam, & intellexit Mariæ vterum grauidari. Turbatur Ioseph homo iustus, secumq; disputans dicebat: Vnde hoc contigit, quod euenit? Non cognoui, non noui, non tetigi, non violaui, non grauidaui, per quem Maria sic cecidit? quid ergo faciam? Gemo, dolo, consilium quæro, nec penitus inuenio. Si prodidero adulterium, crudelis atem incurro, quia lapidanda est; si tacuero, malum consentio. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere, peius est; dimittam eam coniugio sicut Euangelista ait, Voluit occultè dimittere eam. Parat itaque Ioseph animum in tempore, quo Mariam possit occultè dimittere.*

Ioseph ob adulterij suspicionem voluit dimittere Virginem.

4. *De ciuit. Dei lib. 19. cap. 5.*

Idem Doctor docet, socialem vitã maximè appetendã, multis offensionibus subuerti: *In huius*, inquit, *mortalitatis erumna, quot & quantis abundet malis societas humana, quis enumerare valeat? quis æstimare sufficiat? Audiant apud Comicos suos hominem cũ sensu atque consensu omniũ hominũ dicere: Duxi vxorem, quam ibi miseriam vidi? nati filij, alia cura. Quid itidem illa, quæ in amore vitia commemorat idem Terentius: Iniuria, suspiciones, inimicitiæ, bellum, pax rursùm: nonne res humanas vbique impleuêre? Nonne hæc & in amicorum honestis amoribus plerumq; contingunt? Nonne his vsquequaque plena sunt res humanæ, vbi iniurias suspiciones, inimicitias, bellum, mala certa sentimus?*

Socialis vita multis offensionibus exposita.

Apostolus apertè de matrimonio iunctis pronuntiauit: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* Sensus est. Licet Matrimonium bonum sit, hoc tamen affirmo eos, qui Matrimonij iugo colla subdiderint, carnis afflictionem, ac plurimas easque grauissimas molestias toleraturos. D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, auctor est, clarissimum Oratorem dixisse: Qui non litigat, cælebs est. Addit inuentum esse monumentum sepulchri, in quo conditi erant vxor & maritus, cum hac inscriptione, *Hospes, miraculũ, hic vir & vxor non litigant.* Aureolus Theophrastus scripsit librum de nuptijs, in quibus plurima Matrimonii incommoda recensuit; inter alia ex parte vxoris dicit per noctes totas garrulas prodire conquæstiones; *Illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratior ab omnibus: ego in conuentu feminarum miserrima despicior. Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? De foro veniens quid attulisti?* Hæc ille ad quæstionem, An viro sapienti ducenda sit vxor. Ex parte mariti erga vxorem querulæ similes voce sæpe erumpunt, Cui me oneri suppositi; expensis inutilibus, & vanis delectaris ipsa vanitas. Quid tam diu egisti in foro? Quos sermones cum illo viro, illo iuuene vsque adeò protraxisti? vnde hic nouus ornatus? vnde vestis tibi extraordinaria? E meo penu non processit. Solertiam nullam in te comperto aut industriam quæ hæc suppediret. Tobias vir iustus suspicabatur hædũ alibinde, quàm ex suo mandato, domùm delatum, furtiuum esse. Dies non sufficeret æmulationibus, & suspicionibus enarrandis, quæ inter virum & vxorem quotidiana experientia docet oriri.

1. Cor. 7.

Incommoda Matrimonij

5.

Quæstio tantum est: An eadem subsit malitia in iustorum ac maleuolorum suspicionibus, aut an rectè suspicatus sit Tobias de hædo. Quis hunc nodum soluet? Adest in patrocinium propositæ difficultatis aureum illud eloquentiæ os S. Chrysostomus. Is apertè pronuntiat magnam inter has esse differentiam: *Maleuola*, inquit, *suspiciones sunt calumniantium: beneuolæ supiciones sunt gubernantium. Licuit cuiquam de filio malè suspicari: sed filio non licet calumniari. Vtique suspicaris malum, sed optas inuenire bonum. Qui beneuolè suspicatur, vincit cupit. Tunc enim benè lætatur, quando falsum inuentum fuerit, quod malè suspicabatur.*

hom. de Susanna.

Diuersitas malitiæ est in suspitione bonorum & malorum.

Dicam clarius. Mali prauè suspicantur de bonis ex maleuolentia; ex quo fit, vt etiamsi aduertant indicia non esse sufficientia, velint nihilominus perseuerare in sua suspicione. Hi similes sunt Diabolo, qui de Iobo iuxta te-

Maleuoli suspicatores similes Diabolo.

Mauden in Tobiam.

ſtimonium Dei, viro ſimplici, recto ac timente Deum, cui ſimilem terra non haberet, ſuſpicatus fuit nihilominus, quòd Deo propter benedictiones temporales dumtaxat ſeruiret, aliàs maledicturus: *Nunquid*, inquit, *Iob fruſtra timet Deum?* Quid mirum ſi Deum Iob timeat, & colat; non tam Dei voluntati, aut oculis, quàm ſuis commodis ſeruit: ab eo habet quòd floreat, quòd numeroſos alat armentorum greges, quòd nemo ipſius aduerſetur commodis, quòd in Oriente nullus inueniatur fortunatior. *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* Hæc igitur vt augeat, conſeruet, Deum colit. Si hæc abſint, nihilo alijs erit ſanctior, nihilo magis de Dei veneratione ſollicitus. *Nunquid*, inquit, *tu vallaſti eum, ac domum eius, & vniuerſam ſubſtantiam per circuitum?* Ita ſeſe res habet. *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi*: Nunc, inquit, manum, quam prius liberalem ad benedictionem extendiſti, ad plagam, & maledictionem conuerte, & rebus illius ſublatis, aut afflictis; de illius in ſolida religione cõſtantia experimentũ cape. Inuenies profectò conuerſum animũ, & pro ſimulata religione, veram in eius ore blaſphemiam, & impietatem fuiſſe deprehendes. Sic pertinaces ſunt maleuoli in ſua ſuſpicione.

6. *Boni cognito errore ſuſpitionem deponunt.*

Boni verò ex errore quodẽ intellectus ſuſpicari ſolent, quo apprehendunt indicia tanquam ſufficientia ad ſuſpicandum de proximo; vellent tamen non ita eſſe; imò cum aduertunt inſufficientiam, mox ſuſpicionem deponunt. Sic Geneſ. 38. Iudas, qui eo vſque de Thamar ſuſpicatus fuerat, vt illam haberet pro publica meretrice, ſed etiam deprehenderet illam prægnantem, indeque ſententiam combuſtionis in eam protuliſſet, tanquam paterfamilias, qui more priſci illius ſæculi erat iudex ſuæ familiæ; melius informatus ſuam agnouit quadantenus culpam. Agnitis enim muneribus, quæ illi dederat in arabonem hædi promiſſi, inquit: *Iuſtior me eſt, quia non tradidi eam Sela.* Iudas enim promiſſi & pacta ſua Thamar non ſeruauit, negando ei matrimonium Sela promiſſum; itaque prouocauit & adiegit eam, vt hanc ſtropham ſtrueret Iudæ, qua prolẽ, quam ex Sela ſperabat, cùm eam iniuſtè impediret Iudas, ab ipſo Iuda repeteret. Licet illa non ſit excuſabilis; Ego magis ſum culpabilis, quia cauſam dedi, dum filium tertium Sela, ei iuxta conſuetudinem non dedi in Maritum, duobus filijs defunctis ſine prole.

Geneſ. 38.

Heli quam temulentam & ebriam iudicauerat Annam vxorem Elcanæ, cùm modeſtè illa ſeſe excuſaſſet, & mulierem pronuntiaſſet infelicem, quodque vinum, & omne quod inebriare poterat non bibiſſet; ſed effudiſſet animam ſuam in conſpectu Domini; inſuper Sacerdotem Heli rogaſſet, ne reputaret ancillam ſuam quaſi vnam de filiabus Belial, quæ videlicet legem abieciſſet, & pudorem, facilè ſibi perſuaſit, depoſitâ omni ſuſpicione, eam ſatis ſobriam eſſe, & fœminei pudoris non immemorem; quare qui accuſator antea fuerat, iam ſe patronum profitetur: *Vade*, inquit, *in pace*; quâ vſitatâ Hebræorum forma, ei & bene precatur, & à ſe cum bona gratia dimittit.

7. *Superioribus & patribus familias iuxta ſuſpicari, vt malo medeantur.*

Gubernantes autem & patresfamilias iuxta Chryſoſtomum, dum intuentur aliquid quod ſpeciem habet mali, ſuſpicãtur quidem, ſed optant vinci, neque aliud cogitant, quàm malis adhibere remedium. Sic ſuſpicabantur Moyſes de Gabaonitis, & Rubenitis, vt alijs deſidiæ, & timoris ſuſpicionem eximeret, & audaciæ ac fortitudinis exemplum daret: ſed ſincerâ eorũ mente cognitâ acquieſcit, eiſq; tradit Gaaladitidẽ regionẽ, ſed eâ lege, vt ipſi armati cæteras tribus præcãt, eaſque in Chanaan inducant. Sic Ioſue & Eleaſar, & reliqui decem tribus videntes tribum Ruben, Gad & Manaſſe ſuper Jordanis tumulos aram infinitæ magnitudinis erexiſſe, & ſuſpicantes eos diuino cultui renuntiaſſe, ſeque ad Gentilicos ritus tranſtuliſſe, *miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filiũ Eleazari Sacerdotis, & decem principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus*, qui grauiter cũ illis de hac ſuſpicione egerũt, cum intentione belligerandi aduerſus eos, ſi deprehenderẽtur ad partes Gentiliũ receſſiſſe. Verùm contrariũ contigit, vt Deum teſtarentur cum imprecatione, ab omni apoſtaſia ſe prorſus alieniſſimos, eoq; omninò animo & mente aram illam excitaſſe, non vt vlla in eâ ſacrificia fierent; ſed vt eſſet illa ſymbolum, monumentum, ac teſtis ſuæ erga Deum veræ religionis, ſuæ cum Iſraëlitis alijs concordiæ, fraternæque in ſacroſancto Numinis cultu ſocietatis. Timuiſſe ſiquidẽ, ne Iſraëlitarum Cis-Iordaninorum poſteri cùm ſe, poſteroſque ſuos à ſe Trãſ-Iordaninis, Iordane fluuio, diſparatos viderent, eos à ſacris quoque ſuis arcerent, ſicque idololatriæ ijs, fœdiſſimæque à Deo diſceſſionis occaſionem aliquam darent. *Vnde laudauerunt Deum filij Iſrael & nequaquam vltra dixerunt, vt aſcenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent terram poſſeſſionis eorum.*

Ioſue falsò ſuſpicatur Trans-Iordaninos à vero Deo defeciſſe, tamen licitè.

8. *Quibus ex cauſis ſuſpicandum ſit furtum eſſe.*

Et ſimili ratione Tobias cæcus audiens vocem hædi caprarũ in domo ſua balantis, non ſine cauſa ſuſpicatus eſt, primùm quia domi vnum alterumue teruncium eſſe ſciebat, vnde hædus emi non poterat; imò maleſuadam eſſe famem, &, quod ait Eccleſiaſticus, *propter inopiam multos deliquiſſe*, cap. 27. Hanc rationem quoad vxorem exiſtimat alia de cauſa Salianus anno mundi 3332. n. 5. locum habuiſſe: *Potuit*, inquit, *non ſine cauſa ſuſpicari furtum, qui ſciret homines operarijs pauperibus malignè*

lignè potiùs mercedem persoluere, quàm auctarium gratis addere; nec ignorare malesuadam esse egestatem, & experiebatur vxorem non satis timentem Deum, vt subiecta verba clarè testantur, Adhuc vxor tua irata, respondit: Manifestè, &c.

Secundò erat paterfamilias, cui, ne quid domi mali accideret, curæ esse debebat. Cùm autem non speraret in sua paupertate dono hędũ, ac timeret, ne aliquis ex domesticis furtiuũ attulisset, aut ipse hædus, nescientе vxore aut filio, irrupisset domũ. (non enim videtur Tobias quemquam accusasse aut notasse) vt bonus paterfamilias vniuersè rogat, prouidet, & cauet, ne quid domi suæ maneat alienum; vnde dicit: *Reddite eũ dominis suis*; quòd natura & religio hoc mandaret. Agnoscebat Tobias quale onus humeris patrisfamilias incumberet. Nolebat vsurpare verba malitiæ, sicut Cain, ad excusandas excusationes in peccatis: *Numquid*, inquiebat ille, *custos fratris mei sum ego?* sed sciens domesticos sibi in depositum traditos formidabat, ne reus peccatorum domesticorum suorum teneretur. Ad minimum stragebat per rationabile responsum sibi satisfieri, & à suspicione iusta, vt videbatur, liberari. Hoc patribusfamilias, & bonis Superioribus legitimum ac familiare D. Bernardus onus hoc agnoscens serm. de triplici aduentu: *Quid ego*, inquit, *infelix? Quò me vertam, si tantum depositum contigerit me negligentius custodire? Non est mihi dicere cum Cain, Numquid custos fratris mei sum ego?* &c.

Tobias seruũ gerebat sedulam curam.

Ioſephi ſuſpicio prouenit ex cauſis ſufficientibus.

Ioseph putatitius Christi pater ex vna parte fortissimum argumentum habebat naturæ, ex tumefactione vteri, vt suspicaretur malum; ex altera parte pugnabant omnia, quæ de virginis sanctitate viderat & audierat, & ex stupore vtriusque partis simul sumptæ, volebat occultè dimittere eam tanquam rem sibi ignotam, & sum iudicium transcendentem. Cùm inuenire non posset bonum, quod optabat, & sanctitas Virginis non admitteret ex toto suspicioni assentiri, Deus qui nouerat eius mentem, misit ad eum Angelum, qui suspicionem tolleret, dicens ad eum: Ioseph filij Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod in ea natum est de Spiritu sancto est. Nicephorus lib. 1 historiæ Eccles. cap. 8. *Ioseph mysterium ignorans, occultam à virgine discessionem meditari cœpit; sed confestim talia cogitanti cum læto nuntio assistens Angelus dubitationem soluit. Oportebat enim clarissimo gratia receptaculo, & vasi nihil reprehensionis, indignitatis, & iniuriæ inferri: quod nimirum vel ipsius Solis radijs sit splendidius & illustrius.*

Vtra cauſa cur Deus Angelum miſit ad Ioſephum.

D. Thomas in Catena super hoc caput 1. Matth. tres suggerit rationes, cur Angelus apparuerit Ioseph: Propter tres, inquit, causas apparuit Angelus Ioseph. *Prima, ne iustus homo ignorans faceret rem iniustam ex proposito*

Mauden in Tobiam.

iusto, quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Deinde propter honorem ipsius matris: nam si dimissa fuisset, apud infideles turpi suspicione carere non poterat. Tertia, vt intelligens Ioseph sanctam conceptionem; diligentius, & reuerentius se haberet quàm prius.

Sic Deus iuuat bonam voluntatem, & mentem, benè de proximo sentire paratam, præsertim cùm illi dubia committimus. Præclarè de hac re Philosophatur Petrus Chrysologus serm. 1. de generat. Christi: Proposito prius casu B. Virginis & Ioseph: *Sponsus*, inquit, *quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentia testis. Culpam diceret? sed erat ipse custos pudoris. Vigeret adulterium? sed erat ipse virginitatis assertor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intus, quod euenerat, continere. Cogitat dimittere, & dicit Deo totum, quia, quod homini diceret, non habebat. Cùm ignoramus, dixit Rex Iosaphat 2. Paralip. 20. v. 12 quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. O rem admirabilem! ô rem absque exemplo singularem!* ait D. Chrysost. *Non enim tantum Ioseph Mariam damnare noluit, sed etiam publicare. Vidisti nempe virum sublimiter Philosophantem, & tyrannica illius affectionis immunem. Nostis enim, profectò nostis, & nos quidem plerosque nouimus, velle animam potius amittere, quàm in tormentum zeli, atque huiusmodi suspicionis incidere; sed tamen ita erat Ioseph ab huiusmodi passione liber, vt ne minimis quidem Virgini vellet inferre mœstitiam, & adhuc sub lege viuens supra legem Philosophatur.*

Deo dubia ſunt committenda.

Hom. 4. ſuper Matt.

Quod Tobiæ satisfactum non fuerit, spectabat ad cumulum patientiæ & boni viri meritum.

SECTIO XIX.

An conueniat vxori ita agere cum marito, vti hic vxor Tobiæ, & quo spiritu illa agitata tam insulsè responderit.

VXOR hæc Tobiæ stomachosius respondens, virum reprehendit, quòd nimis agat scrupulosè, & dolorem augeat, his, qui à paupertate patiuntur, dum ab illis nimis angustè ac religiosè rerum gerendarum rationem exquirit. An rectè 2. nemo dixerit: Deus Genes. 3. edixit Euæ: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Adeoque insinuat contra naturam & instar monstri esse si fœmina viro dominari velit. Vnde & Apostolus Ephes. quinto post multa, quæ maritis præcepit de dilectione vxorum, tandem subdit: *Vxor autem timeat virum suum*, id est, vt explicat D. Hieronymus, *reuereatur virum suum, sicut Ec-*

1.

Mulierum eſt obedire maritis, & eos reuereri.

cleſia reueretur & colit Chriſtum. Vnde idem eſt ac ſi diceret: *Præcipio vt* vxor non tantùm diligat virum ſuum, ſed etiam timeat & reuereatur vt ſuperiorem, & caput ſuum; caueatque, ne eum offendat. S. Ignatius ad Antiochiæ, *Mulieres* ait: *honorificent viros ſuos, & non audeãt eos proprio nomine vocare.* Sic Sara Abraham maritum non proprio nomine, ſed dominum vocat, Geneſ. 18. Bethſabee Dauid maritum ſimiliter dominum appellat, & ſe ancillam eius, 3. Reg. 1. Sãcta Anathalia vxor S. Adriani Martyris eum dominum vocabat, vt patet ex eius vita. Hieronymus epiſt. 14. ad Celantiam egregiè docet, quomodo ſe habere debeat vxor erga maritum, dicens: *Præcipua autem in coniugio venerabili, atque immaculato, Apoſtolica regula ordo teneatur. Seruetur in primis viro auctoritas ſua: totaque à te diſcat domus quantum illi honoris debeat. Tu illum Dominum obſequio tuo, tu magnum illum humanitate demonſtra, tanto ipſa honoratior futura, quantò illum amplius honorauerit. Caput enim, vt ait Apoſtolus, mulieris eſt vir; nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quàm ex capitis dignitate,* Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 11. *Res,* ait, *pulcherrima eſt mulier domus cuſtos, quæ & ſe & maritum propriis ornamentis induit, per quæ omnes exultant: Filij quidem propter matrem, maritus propter vxorem, ipſa propter eos, omnes autem propter Deum. Vt paucis igitur dicam, virtutis penus eſt fortis mulier.* S. Ambroſius in cap. 31. Prou. c. 3. *Bona,* ait, *coniunx virum ſuum dominum vocat, ſicut Sara obediebat Abrahæ, dicebat Petrus Apoſtolus, dominum eum vocans. Bona,* inquam, *coniux non ſolùm vocat virum dominum ſuum, ſed hoc ſapit, hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales inſtrumenta emptionis ſuæ deputat;* (ſolebat enim olim vxor à maritis coemi, & per coemptionem duci) *Eſt ergo ancilla dans opera ancillis.*

Mariti ab vxoribus domini vocandi.

Tanto fœmina eſt honoratior, quanto virum magis honorauerit

Apoſtolus verbo rem expedit, & apertiſſimè pronuntiat, *Docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum,* 1. Timoth. 2. Tradit Apoſtolus præcepta, quibus mulieres ad moderationem, & honeſtam viuendi rationem informat. A publico docendi munere eos arcet; cum imperio & quaſi ex officio etiam priuatum virum docere planè interdicit. Fœminarum loquacitatem cohibet. Scitè Chryſoſtomus: *Eſt,* inquit, *fermè loquax mulierum ſexus, idcirco omni ex parte fluentem reſtinguit, ac componit; occaſionem loquacitatis penitus admittit.* Petrus Apoſtolus inſinuat ad interiorem mulierum ornatum pertinere virorum ſubeſſe imperio. Cùm enim ſuperfluum ornatum, & cultum veſtimentorum interdixiſſet, ornatum animi internum commendat: *Sed,* inquit, *qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Multa,* ait Chryſoſtom. hom. 74. in Matth. *via exterioris ornatus exhibentur, magna cura, & vigilia eius rei multos exagitat, animæ verò decus & purgatio, penitus negligitur: nam ſi conſcientiam ſingulorum cernere poſſemus, multos ibi vermes, multam ſaniem, atque incomparabilem reperiremus fœtorem, cupiditates dico improbas, quæ vermes ſpurcitiâ mirum in modum excedunt.* Hominem autem *abſconditum* vocat; optima enim pars noſtri, hoc eſt, animus latet, neque ſub aſpectum vllo modo cadere poteſt. Addit, *cordis homo;* non quòd ſit, vt quidam exiſtimarunt, in corde, ſed quia cordi, hoc eſt, appetendi facultati præeſt, eaque cuncta adminiſtrat ſiue bona, ſiue mala. Pergit Apoſtolus: *Sic enim aliquãdo & ſancta mulieres ſperantes in Deo ornabant, ſe ſubiectæ proprijs viris,* 1. Pet. 3. Appoſitè Auguſtinus hom. 49. ex quinquaginta: *Nulla ſit in vobis proteruitas, nulla ſuperbia, non contumelioſa ceruix, non aliqua inobedientia, prorſus tanquam ancillæ ſeruite.* Abſit omninò ab vxoribus blaſphemia, maledicẽtia in Deum, & in virum, qui caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Eccleſiæ. Sanctas mulieres vult Apoſtolus Chriſtianas imitari: *Sicut,* inquit, *Sara obediebat Abrahæ, dominum vocans, cuius eſtis filiæ benefacientes.*

Publicè docere, & viro præſſe vxoribus illicitum.

Fœminarũ genus loquax.

Fœminarũ ornatus pretioſiſſimus eſt, maritis ſubeſſe.

Docentur itaque vxores non procaciter, & inuerecundè obloqui maritis, ſed eos reuereri, & amare exemplo ſanctarum mulierum. Huius amoris & reuerentiæ exemplum dedit Monica, de qua S. Auguſtinus eius filius, lib. 9. Confeſſ. c. 9. *Educata,* inquit, *pudicè, & ſobriè, potiuſque à te ſubdita parentibus, quàm à parentibus tibi, ô Domine (Deum enim aloquitur) vbi plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro (* Patricio infideli) *ſeruiuit veluti Domino, & ſategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem, atque mirabilem viro ſuo.* Neque mirum eſt, quod hoc à fidelibus & Chriſtianis Spiritus ſanctus exigat, cùm idipſum Ariſtoteles præſcripſerit Gentilibus, lib. 1. Oeconomicorum cap. 1. & 2. *Exiſtimare,* inquit, *debet mulier benè compoſita, mores viri eſſe legem vitæ ſuæ, impoſitam ſibi à Deo per coniunctionem matrimonij. Qui hæc ergo negligit, Deos ipſos videtur negligere, quibus præſentibus ſacra fecit, & matrimonium iniit.* Et Cato apud Liuium, lib. 34. *Maiores,* inquit, *noſtri nullam, ne priuatam quidem rem agere fœminas, ſine auctore voluerunt; ſed in manu eſſe virorum.* Quare Cato grauiter accuſans inſolentiam & faſtum mulierum Romanarum, apud Liuium decade 4. lib. 4. hoc quaſi monſtrum proponit: *Omnes,* inquit, *homines vxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem vxores.* Longè melius & ſanctius vir ille prudens conſilium dedit matronæ: *Si vis,* inquit, *imperare viro, pareas: bona enim mulier parendo viro, imperat.* Ita Liuia Auguſti Cæſaris vxor interrogata, quibus rationibus Auguſtum ſibi ſubiecciſſet? reſpondit, multâ modeſtiâ: quod ea quæ placerent Auguſto.

31 Monica reuerentia maritalis dedit exemplũ inſigne.

Mores viri ſint lex vxori.

Augusto, faceret libenter; quodque se scire dissimularet, quibus ille amoribus domi frueretur. Testis est Dion in Tiberio.

Lectu valde morale de amore maritali.

Simile amoris & reuerentiæ maritalis illustre exemplum, inquit Plutarchus, dedit vxor Phocionis; nam maritum suum, suas opes, mundum suum, & thesaurum vocabat, Illustrior verò fuit vxor Tigranis Regis Armeniæ, quæ, vt refert Xenophon, cùm ex aula Cyri Regis Persarum ad maritum reuertisset, ab ea interrogata, quid de Cyro & Cyri pulchritudine sentiret, respondit: Abs te, inquit, ô marite, Deos testor, nusquam oculos deflexi, itaque qualis sit forma Cyri prorsus ignoro.

4. Impudentia Annæ Tobiæ vxoris.

Verùm Annæ Tobiæ vxor, quasi impos mentis, neque honoris, neque amoris titulo eum dignata est, aut benigno oculo illum adspexit; sed exotica planè verba in eum retorsit, & quæ ab ingenio religioso & pio expectari non debent: *Manifestè vana est spes tua, & eleemosyna tua modò apparuerunt.* Considera, quæso, hanc mulierem. Sedula fuit & sollicita, vt marito cæco, & afflicto, labore manuum suppetias ferret, Mariti defectus suppleuit, rem domesticam optimè curauit, & totum quod potuit, ad familiæ honorem contulit; sed blasphemando diaboli facta ministra totum perdidit, in vno præuaricata, facta est omnium rea. Hæc fœminæ imbecillitas, vt quæ diuturno tempore opera bona congessit, momento temporis perdat; quæ diu siluit, tandem siquid ad nutum minimè succedat, fusè & proteruè erumpat. Enucleemus verba Annæ. Sic vtique ait, in virum stomachosius debachata: *Manifestè vana est spes tua.* Quid scrupulosè dolorem, inquit, auges his, qui à paupertate patiuntur, quid tam anguste ac religiosè rerum gerendarum rationem exquiris? Nunquid sufficit, quod meo labore & sudore, meâ industriâ & solertiâ victites? Apage cum tua deuotione: considera quid profeceris; iam experiris Deum mi immemorem, quem tanto zelo coluisti, & modò colis. Sentis promissa diuina nullo fideli ac stabili fundamento niti, nullius planè momenti existere. *Eleemosyna tua modò apparuerunt.* Stulta est fiducia, quam in eleemosynis hucusque constituisti; nullum percipis tuæ pietatis, & clementiæ fructum. Vtraque sententia continet intollerabilem blasphemiam; nam in Deo fidelitatem negat, & in marito stultam accusat fiducia, aut clementiam simulatam, quâ non tam studuit miserorum subuenire miseriis, quàm vanam apud homines captare clementiæ opinionem. Omitto, quod alia plura conuitia prodierint ab indignata vxore, quæ Scriptura silet, quæque grauiter compungere potuissent tanti viri religiosum animum, & facilè prouocare mari-

Mauden in Tobiam.

Mulieres fedula instar Annæ in pessimam facile transmutantur.

Peccatum blasphemiæ commisit Anna.

tum non constantem ad iram grandem & blasphemiam. Verissimè dixit Hebræus Sapiens: *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.* Tune es illa mulier tantis encomiis celebrata, ab omnibus vicinis & notis magnopere laudata, ab eximia sedulitate & affectu in maritum? En teipsam prodis; Hoc virus, quod in maritum euomuisti, omnem pietatem obnubilat. Cõsidera peccati tui enormitatem, & hinc imbecillitatẽ, & depones fastum. *Si peccauerit vir in virum,* inquiebat Heli ad filios suos, *placari ei Deus potest: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 2. Christus Dominus Matthæi 12. ad Scribas, qui miracula ipsius calumniabantur, eiusq; opera diuina & sancta, vt eiectionem dæmoniis, quæ faciebat vi & virtute Spiritus sancti, asscribebant spiritui immundo Beelzebub, seu dæmoni scienter & ex malitia, inquit, *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei; neque in hoc seculo, neque in futuro,* id est, difficile remittetur ei. Ioannes Euangelista inquit: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Primò dicit fidem dare fiduciam, impetrandi quidlibet à Deo, dummodo non oret quis pro venia alterius peccati ad mortem. Deinde addit: Non prohibeo quidem pro tali orare, sed non audeo polliceri quòd impetrabit; ideò dico, vt non roget quis, nimirum cum illa certa fiducia impetrãdi; nam sæpè Deus orantes pro peccato ad mortem, vtpote grauissimo & incorrigibili, non exaudit. Vnde inquiebat ad Hieremiam cap. 7. *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.* Peccatum autem ad mortem est, quod ob sui enormitatem, est quasi immedicabile; quale fuit Sodomorum, Iudæorum blasphemantium, quibus tu, ô Anna, assimilaris. Vnde hoc tibi venenum? quo instigante hoc virus euomuisti? Chrysostomus hom. 3. in Iob apertissimè asserit à diabolo promanare cum de vxore Iobi, similia proferente loquitur; *Verè,* inquit, *diaboli verba sunt hæc quousque torquentis vxorem.* Clarius Origenes libro 2. *Dixit ad eum vxor eius; vxorem dixit dixisse, sed verè diabolus dixit. Sic namque & olim ait. Dixit serpens ad mulierem, serpentem dixit dixisse, sed non serpens dixit, sed diabolus qui per serpentem locutus est.* En diaboli facta es ministra, aptissimum ad bonorum ruinam instrumentum. Quantum hoc dedecus! quanta mutatio! Sic omnem pietatem perdunt pleræque mulieres, cæterò piæ, castæ, sedulæ, diligentes, cùm fastuosè & stomachosè in maritos inuehuntur. Monstra sunt non vxores, quæ seipsas indignarentur ad speculum inueri. Cùm maritos solertia

Prouerb. 25.

5. Blasphemia peccatum in virum grauissimum est.

Quid sit peccatum ad mortem?

6. Diabolo instigante verba blasphemiæ protulit Anna.

tia quâdam ſuperant, ne hiſcere illis licet, quin turgidæ tamquam Furiæ infernales virus omne in maritos euomant. Infernus ipſe videtur crepare, ita maritis obſtrepunt.

Audi Athanaſium Nicænum tomo 6. Biblioth. SS. Patrum quæſtion. 62. §. *Omnis qui aſpexerit.* Vbi ſimilis mulieris dat deſcriptionem: *Quid eſt*, inquit, *mulier? cordis lancea, Sanctorum calumnia, quies ſerpentis, fornax ſuccenſa, os effrænatum, dux tenebrarum, magiſtra delictorum, veſtita vipera, domus tempeſtas, viri naufragium, immitis fera*, &c.

7. *Chriſtiana femina à proteruia Anna abſtinendum.*

Vos horror, quotquot Chriſtiano nomine dignæ ab ea & ſimilibus ſumere exemplum, & omnino cauere, ne ſitis ad bonorum ruinam dæmonis inſtrumentum. Prima mortalium vxor virus à ſerpente conceptum marito afflauit: vos ipſæ ſentitis pœnam, quam in eam pronuntiauit Deus: illam quotidie experimini. Dalila Sampſonis opprobrium, Philiſtinis eum tradidit, blanditiis quàm plurimis mariti interitum procurauit. Siracides de tali pronuntiat Eccli. 4. *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & confundens in opprobrium.* id eſt, Melior eſt aperta viri iniquitas, quàm doloſa & blanda mulieris amicitia, ſatagens & tendens ad mariti extremam confuſionem. Hebræus Sapiens Prouerbior. 7. ſatis inſinuat mulieres impias diaboli eſſe inſtrumenta: *Ecce*, inquit, *occurrit illi*, (videlicet iuueni gradienti in obſcuro per plateam) *mulier ornatu meretricis, præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians. Apprehenſumq; deoſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro ſalute debui, hodie reddidi vota mea: idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre, & reperi. Inſtraui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Aegypto: aſperſi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinnamomo: Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies: non eſt enim vir in domo ſua, abiit via longiſſima: ſacculum pecuniæ ſecum tulit: in die plenæ lunæ reuerſurus eſt in domum ſuam. Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum.* Attende hac via Salomonem ſapientiſſimum protractum ad cultum idolorum: Achabum Regem, conſilio vxoris grauiſſimam Dei indignationẽ incurriſſe; Amanum Eſther 5. conſilio vxoris Zares parari iuſſiſſe grande patibulum Mardochæo, cui ipſe poſtmodum affixus eſt, Eſther 8.

Mulieres impiæ ſunt inſtrumenta diaboli ad capiendas animas virorum.

8. *Diabolus fœminis vtitur ad ſeminandas hæreſes.*

Certè diabolus mulieres maximè idoneas cenſuit ad hæreſes diſſeminandas. Cùm Antiochiæ Piſidiæ à Paulo & Barnaba euangelizaretur verbum Dei, & per vniuerſam regionem; quo, quæſo, inſtrumento vſi ſunt Iudæi, vt illos exturbarent? Sanct. Lucas hoc clarè teſtatur: *Iudæi* inquit, *concitauerunt mulieres religioſas & honeſtas*, &c. puta zeloſas pro gentiliſmo vel iudaiſmo, id eſt, ſuperſtitioſas, quæ à Gentilibus & Iudæis religioſæ videbãtur, & vocabantur, *& primos ciuitatis, & excitauerunt perſecutionem in Paulum & Barnabam: & eiecerunt eos de finibus ſuis.* Attende primùm mulieres, tum primos *ciuitatis concitauerunt*: Mulieres enim ſunt blandiloquæ, pertinaces, illices, zeloſæ pro ſua fide, vel perfidia, in pietatem vel pietatis ſpeciem pronæ S. Hieronimus auctor eſt, omnes hæreſes, quarum origo eſt diabolus, propagatas eſſe per mulieres: *Simon Magus*, inquit, *hæreſim condidit adiutus auxilio Helenæ meretricis. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum conditor, choros duxit fœmineos. Marcion quoque Romam præmiſit mulierem ad maiorem laſciuiam. Apelles Philomenem comitem habuit. Montanus Priſcam & Maximillam primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arrius vt orbem deciperet, ſororem Principij antè decepit. Donatus Lucilla opibus adiutus eſt. In Hiſpania Agape Helpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, ſucceſſoremq; ſui Priſcillianum habuit, cui iuncta Galla alterum, & vicina hæreſios reliquis hæredem.*

Omnes hæreſes per mulieres propagata.

Breuiter per fœminas, nempe Pythoniſſas, locutum diabolum, ſæpè excitaſſe odia, mores corrupiſſe, perturbaſſe non ſolum domos, ac vicinos, ſed etiam Rempubl. ad hæc ſparſiſſe vberrima vitiorum ſemina & ſcintillas, quæ magna interdum attulere incendia, clarum eſt.

9. *Fœmina multorum malorum origo.*

Recole dumtaxat, quod Lucas ſcribit Actor. 16. de Pythoniſſa, quam Diabolus clamare fecit ad Paulum, Sileam & Timotheũ, *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.* Præuidebat vtique dæmon ſagaciſſimus & malitioſiſſimus Paulum non laturum haſce eius voces, ſed eum expulſurum, ſe verò libenter ceſſurum, vt heros Pithoniſſæ iam priuatos ſuo diuinationis quæſtu accenderet in Paulum, vt eum malè mulctarent vel occiderent. Pauli enim caput petebat diabolus, vt eius prædicationem & cõuerſionem Gentium inhiberet. Ita factum eſt. Nam Paulus ab eis captus, flagellatus, & incarceratus eſt. Sciebat enim, ſi Paulum perderet, ſe plurimos perditurum. Hæc omnia per clamorem huius Pithoniſſæ effecturum ſperabat.

10.

Hæc dico, vt videns talia per mulierem fieri, vxorem Tobiæ non imiteris; ſed plurimùm te humilies, ne fias diaboli inſtrumentum. Quàm grauiter autem peccent vxores, ſic maritum inuitantes, vide Diſcurſum 7. in IV. Præcept. nu. 15. Conforma te diuinæ voluntati; per reuerentiam & ſubiectionem multum mereberis apud Deum. Non enim fruſtra dixit mulieri Deus Geneſ. 3. *Ad virum tuum*

Meretur apud Deum mulier obſequatur viro.

tuum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. Expendit hæc verba ingeniosè Diuus Hieronymus in cap. 2. ad Titum. *In quo*, inquit, *ſacræ Scripturæ conſiderandæ prudentia eſt, quia non viro hoc Dominus ſit locutus, & dixerit: Dominaberis vxori tuæ; ſed ipſi mulieri: vt illi præmium relinqueret obſequela, dum in poteſtate eius eſt: ſi Dei velit obedire præceptis, ſeruire viro, & marito eſſe ſubiecta: vt quodammodo eſſet libera ſeruitus, & dilectione plena: Ideò ſeruiens eſt viro, dum metuit eum offendere. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Et cùm caput mulieris vir ſit; caput autem viri Chriſtus; quæcunque vxor non ſubiicitur viro ſuo, hoc eſt, capiti ſuo, eiusdem criminis rea eſt, cuius & vir, ſi non ſubijciatur Chriſto capiti ſuo, verbum autem Domini blaſphematur? vel cùm contemnitur Dei prima ſententia, & pro nihilo ducitur: vel cùm Chriſti infamatur Euangelium, dum contra legem fidemq; naturæ, ea qua Chriſtiana eſt, & ex Dei lege ſubiecta, viro imperare deſiderat; cùm etiam Gentiles fœminæ viris ſuis ſeruiant communi lege naturæ.* Paucis deſcripſit Ambroſius modeſtæ coniugis mores: *Bona*, inquit, *coniunx virum ſuum Dominum vocat; non ſolum vocat, ſed hoc ſapit, hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore.* Id præceptum Apoſtolicum eſt.

Libri TOBIÆ Capitis tertij

SYNOPSIS.

HOc Caput continet duas orationes, priorem Tobiæ, alteram Saræ Raguëlis filiæ: in quibus vterque & Dei honorem defendit variis dicendi modis, & sub conditione deprecatur hac vitâ defungi.

VERSVS PRIMVS.

Tunc Tobias ingemuit, & cæpit orare cum lachrymis,

Vers. 2. *dicens: Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas, & iudicium.*

Vers. 3. *Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.*

Vers. 4. *Quoniam non obedimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in correptionem, captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus in quibus dispersisti nos.*

Vers. 5. *Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus sinceriter coram te.*

PARAPHRASIS.

CVM Tobias diuino nomini ac fidei ab vxore sensit irrogari iniuriam, nihil ei respondit: sed ingemiscens & lachrymans confugit ad Deum, eumque orando laudat ab æquitate in iudiciis, à veritate & fidelitate in promissis, ac misericordia, cuius Deus nunquam obliuiscitur, etiam dum sæuire videtur. Cùm laudasset Tobias Deum à iustitia, à misericordia, & fidelitate, qui nihil malorum permittit sine causa, orat eundem vt suæ in ipsum ostendat benignitatis argumentum, vtque vltricem manum à delictorum punitione contineat. Deinde & Deum glorificat, & suis peccatis meritò tam grande supplicium impositum fatetur, ob leges diuinas à se, maioribusque contemptas: ita vt mirum non sit, se suosque eò miseriarum adductos, vt omnium sermonibus lacerentur proprio & prouerbiali conuitio. Vnde iterum accusat suam suorumque proteruiam; iterum Dei clementiam & bonitatem laudat; quòd facta sua etiamsi habeant speciem honestatis, multa tamen habeant admixta leuitatis humanæ; multa quæ terrena spectent incommoda, aliaque, quæ humana non potest scrutari solertia.

SEC-

SECTIO PRIMA.

An Tobias nihil respondendo vxori obedierit contra voluntatem Dei.

1. *Mariti nimiùm vxoribus obtemperantes, vulgò prouerbio notantur.*

CONSVETVDO pluribus locis obtinuit, vt Mariti (qui vxoribus plus satis morem gerunt, neque peccantibus audent obstrepere, sed furdà aure prætereunt, quod ab illis iniquè dicitur, aut geritur) earum iugo subesse dicantur, aut, vt vulgus loquitur prouerbialiter Louanij, in Parochia S. Gertrudis habitare asserantur, Bruxellis sub Parochia S. Gaugerici (cuius origo processisse videtur ab eo, quod dictum S. Gaugerici erat, *Vir tacens, pax domus*) Antuerpiæ asscripti dicuntur Guldæ seu confraternitati B. Virginis. Et fortè de Tobia nostro simile quid fingi posset iuxta illud, *Qui tacet, consentire videtur.* Nil enim respondit vxori blasphemanti, licet diuinam peteret maiestatem; sed *ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis.* Exigit commune bonum, vt altius rem repetendo discutiam, quis censutam mereatur vxori iam & tum, in illis, morem gerens. S. pagina marito iubet mediam viam ingredi, quando de vxore sermonem facit, id est, nec nimiùm seuerum, aut mollem esse. Dominus dixerat Genes. 2. *Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quæ verba sic explicat D. Thomas ad Ephes. 5. Lect. 10. quasi significent viro vnà cum coniuge habitandum esse. Aristoteles lib. 8. Ethicor. cap. 12. indicat mutua coniugum officia suapte natura postulare, vt vnà viuant: & vir quidem res externas, fœmina autem domesticas curet: *Viro*, inquit, *& vxori secundum naturam amicitia videtur inesse: homines enim coniugium subeunt non solum procreationis, sed eorum etiam gratia, quæ ad ipsum conferunt vitam: officia namque continuò sunt diuisa, atque alia viri, alia sunt vxoris; opem itaque sibi mutuò ferunt res proprias in commune ponentes.*

5. Petr. 3.

Vna habitandum coniugibus.

Alia mariti, alia vxoris officia.

Vt autem pax seruetur, & concordia inter illos, magna opus est prudentia, ne quis maritus nimiùm vel ad dexteram, vel ad sinistram deflectat. Virorum sanctorum exempla imitare, qui pacis causâ aliquando licitè, immò prudenter in rebus domesticis simulasse, & leuia errata dissimulasse leguntur.

2. *In domesticis licitè aliquando simulat maritus pacis causa.*

Sara vxor Abræ Genes. 16. sterilis existens permittit viro, vt accipiat Agar Ægyptiam, ancillam suam in vxorem, vt saltem ex illa suscipere valeret filios. Sic factum est: Concepit illa, & statim despexit dominam suam. Sarra mox ad Abraham: *Iniquè agis contra me, ego dedi ancillam meam in sinum tuum: quæ videns, quod conceperit, despectui me habuit. Iudicet Dominus inter me & te:* Iniuria, inquit, quam patior ab ancilla, tibi ô Abraham, imputanda est, eo quod Agar ancillam meam contra me insolentem non castigas, sed toleras. Iudicet Dominus num æquum sit, me hanc iniuriam pati, & te illam dissimulare. Cui respondens Abram, prudentiam maritalem ostendit: *Ecce,* ait, *ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet,* id est, Tu ipsam tracta pro meritis, fori tui est, non mei. *Hæc in vxorem indulgentia pace domum repleuit,* inquit Chrysost. hom. 38. in Genes. vide eundem hom. *quales ducenda sint vxores.* Disc. 8. in IV. Præc. ante n. 3. Elcana 1. Reg. 1. respondit Annæ nolenti ascendere Hierosolymam, donec ablactaretur infans Samuel. *Fac quod bonũ tibi videtur, & mane donec ablactes eum, precorq́, vt Dominus impleat verbum suum.* id est, perducat ad exitum votum, quod ei nuncupasti de filio tuo. 4. Reg. 4. mulier Sunamitis intendebat pergere ad Prophetam Elisæum, vt cum illo ageret de filio suscitando, quem maritus mortuum nesciebat, & dicebat marito, *Mitte mecum, obsecro, vnum de pueris, & asinam, vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar. Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum, hodie non sunt Calendæ neque Sabbathum. Quæ respondit, vadam.* Neque contradixit vir; suspicans causam debere subesse grauem, quam fortè marito aperire non auderet.

Exemplum Abra.

Item Elcanæ.

Apostolus Petrus magna cum discretione ostendit agendum marito cum vxore, 1. epist. cap. 3. *Viri,* inquit, *similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo, muliebri impertientes honorem tanquam & coheredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ.* Quasi dicat, Viri similiter vtantur eodem lecto, & tecto, nec faciãt ab vxoribus diuortium vel domus, vel thori, ad alias diuertendo, aut foris ea de causa pernoctando: adhibeant prudentiam & discretionem, quæ dictat viro, infirmitati vxoris sese accommodare, eique honorem deferre eam tractãdo quasi sociam, non quasi ancillam. Infirmæ enim sunt mulieres tum sexu & complexione, tum animo & iudicio, tum arte & industriâ, ac sapientia ad res gerendas: adeoq́ue oportet maritos vxoribus sese præbere mites & placabiles, neque domesticarum rerum, quæ ipsarum fidei creditæ sunt, nimis seueram, aut accuratam ab eis rationem exigere: Sed potius honorificè eas tractare

3. *Quanta discretione agendum sit marito cum vxore.*

tractare, & compellare, dicendov. g. cum Abraham, Sarai, id est, domina mea, quid cupis? quid à me postulas? Mulier enim natura sua est timida, verecunda & pusillanimis; timoris autem huius, pudoris & pusillanimitatis, pharmacum est honor: si videat, scilicet, se à marito honorari.

Mariti laus est vxoris honor.

Appositè Chrysostomus hom. 26. in 1. ad Corinth. *Considera mulierem debile vas esse. Tu autem, vir, propterea princeps factus, & capitis loco datus, vt subdita feras imbecillitatem: velis igitur tuum illustrare principatum; quòd facies, si subdita non insultaueris: & quemadmodum Rex tantò clarior apparet, quanto præfectum suum clariorem ostendit; quem si inhonoraret, & contumeliâ illius dignitatis magnitudinem afficeret, non parvam gloriæ suæ partem auferret: idem & tu, si illam quæ secundum post te locum obtinet, contumelia afficis, non parum tui principatus honori derogas. Quotiescunque aliquid molesti domi contigerit, si quid vxor peccauerit, consolare, & noli marorem augere*: Et rectè. Est enim vir in domo id quod rex in regno, ait Arist. in Oeconom. Sicut ergo rex, debet esse præditus prudentia politica, qua regnum reget congruè pro subditorum capacitate & dispositione; ita vir præditus sit oportet prudentiâ œconomicâ, qua vxorem, filios, & familiam ita regat, vt inter omnes constet vnio, pax & amor. Vxoris vitia, quæ corrigi & emendari possunt, prudenter leniterque castiget. Præclarè Basilius hom. 7. in Exam. *Audiat*, inquit, *& ipse vir accommodatam, seq; decentem admonitionem, vipera virus ob nuptiarum venerationem euomit, tu feritatem, tu crudelitatem, ob vnionis reuerentiam non deponis.* Rursum ad maritum spectat, vt omnes doceat Dei legem & voluntatem, quid scilicet in quauis re agere vel cauere debeant, vt Deo placeant, eiusque gratiam & gloriam consequantur. Est enim vir in domo quasi oculus, lucerna, & sol totam domum docens & illuminãs. ita Beda.

Officium regis in regno est, & viri in domo

Vxoris firmati occurrere debet mariti lenitas.

Addit autem S. Petrus, *tanquam coheredibus gratiæ vitæ*, aliam dans causam, cur viri honorare debeant vxores, quia scilicet esto natura & sexu sint infirmæ, & impares, tamen gratiâ & vocatione viris sunt pares. Finem verò subdit, *vt non impediantur orationes vestræ.* Quasi diceret: O viri mulieribus impertite honorem, ne interrumpantur preces vestræ, vt vel vir offensus à muliere, vel mulier offensa à viro, vel vterque amarum erga alterum gestãs cor, piè, tranquillè & fructuosè orare non possit; sed vterque alteri obsequens, concordans, & quasi concinens, concordem cum altero offerat Deo orationem. Hanc enim concordiam mirè amat, poscitque Deus, præsertim à coniugibus & confœderatis iuxta illud Eccles. 25. 1. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorũ, & vir & mulier sibi benè consentientes.* Quare oratio viri & mulieris concordium est alata duabus alis, quibus facilè euolat ad Deum, ibique suauem edit harmoniam & concentum. Eamque coalescere & corroborari per concordiam, docet Christus Matth. 18. dum ait: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Inciditur verò & illiditur per dissidium & discordiam, vt insinuat loco cit. Petrus; nam si vxor contemni se aduertat, honoreque sibi debito spoliari, vt sunt fœminæ ad iracundiam propensæ, facilè indignabitur, & contra virum commouebitur. ita fiet vt precandi studium magnopere languescat, & vtilitatis sit penitus expers. Videri enim posset Petrus respexisse ad Christi verba, Matth. 5. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

Concordium oratio est alata.

Indicat quippe iram atque indignationem animo retentam, orationi magnum afferre impedimentum: Verè namque scripsit Sapiẽs Eccles. 28. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Ipse cùm caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo?* Nec dubium est fœminarum iram admodum esse impotentem. idem enim Sapiẽs ait Eccles. 25. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.*

5.

In aperta malus dit ità merum gerit vxori maritus.

Id autem exigit lex diuina, vt maritus caueat obtẽperare vxori, eique morem gerere in ijs, quæ sunt contraria Dei instituris. Differtè Chrysostomus de hac re hom. 22. ad Rom. tractans verba Apostoli, *Prouidentes bona non tantum coram hominibus, si fieri potest, quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes*, philosophatur. Enucleat præcipuè verba, *Si fieri potest quod ex vobis est: Contingit enim*, inquit, *subinde vt possibile non sit. Nimirum quando de pietate sermo est, quando certatur de iniuriâ affectis. Et quid mirare, si inter alienos homines hoc non vbique fieri possit, quandoquidem etiam inter virum & vxorem necessitatem illam & vinculum pacis dissoluat, cùm dicit: Si verò infidelis abscedit, abscedat: Quod autem dicit, tale est: Quæ tui sunt officij præsta, nemini dans ansam seu belli, seu dissidij, sive Iudæo, sive Græco. Si verò pietatem alicubi labefactari videris, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem vsque. Et tamen neque sic animo eris erga aduersarium hostili, neque mente illum auersaberis, sed in rebus tantummodo pugnabis.* His non attendit Adam, hinc à Deo reprehẽditur, Genes. 3. *Quia audisti*, inquit, *verba vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi*, &c. Sic Salomon 3. Reg. 11. qui acquieuerat fœminis &

Adamus vxoris obedientia fuit miserimum causa.

4.

Fœmine viris in vocatione sunt pares.

& ethnicis, quas duxerat in vxorem, earumq; Idola adorauerat, à Deo audiuit triſte hoc, nuntium: *Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo.* Et vt magis percelleret cor eius, ſubdit: *Verumtamen in diebus tuis, non faciam propter Dauid Patrem tuum: De manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi.* Tale eſt crimen quod perpetraſti, vt ſi non obſtarent merita Patris, & affectus erga Hieruſalem illico expertus eſſes Dei vindicem manum, quæ non reliquiſſet partem vllam. Achab etiam 3. Reg. 21. quia auſcultauerat vxoris voci, eiúque obtemperauerat vſque ad executionem facinoris, cum Iezabel vineam Naboth falsò, & cùm eius ſanguine innocenter effuſo, marito iniquè comparaſſet, audiuit per Eliam, *Quia, occidiſti inſuper & poſſediſti*, &c. *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* Rogat Achab Eliam quidnam in ipſo deprehenderit ſceleris, propter quod immortales videatur alere inimicitias. Ad quem Elias: *Inuenì, eo quod venundatus ſis, vt faceres malum in conſpectu Domini.* Reſpondebat non deeſſe cauſas, propter quas ipſum odio deberet inſectari implacabili, & illam eſſe inſtar omnium, quod venundatus eſſet, vt faceret malum in conſpectu Dei, cùm videlicet peregrinam religionem, cultumque Baalis induxit in Dei regnum. Venundatus autem dicitur Iezabeli in malum: quia eius imperio non aliter obſequebatur, quàm humilis ſeruus nimis ſeuero atque arroganti Domino. Dum enim illius præceptis repugnare non audet, peregrinam induxit religionem, aras ſtruxit Baali, & quia impia, & audaciſſima fœmina nihil meditabatur, & curabat, niſi quod peccatum pareret, aut peccatum oleret: ideo venundatus dicitur Achab vxori, vt quaſi vile mancipium illi omninò ſe præberet obſequentem. Et quia illa præcipiebat ſemper, & hortabatur ad malum, venundatus dicitur à Propheta, vt faceret malum. Hoc ſatis colligitur ex cit. cap. 21 Reg. lib. 3 v. 25. *Igitur non fuit alter talis, ſicut Achab, qui venundatus eſt, vt faceret malum in conſpectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor ſua, & abominabilis factus eſt.* Ex quo talia minatus eſt Elias domui Achab, qualia prius pertulit Ieroboam: *Ecce*, inquit, *nomine Dei, ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum & vltimum in Iſraël. Et dabo domum tuam ſicut domum Ieroboam filij Nabath, & ſicut domum Baaſa filij Ahia: quia egiſti, vt me ad iracundiam prouocares, & peccare feciſti Iſraël.* Hanc grauiſſimam plagam meruit impius Achab, obſequendo impiſſimæ vxoris Iezabelis conſilijs, *in tantum vt ſequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos conſumpſit Dominus à facie filiorum Iſraël.* Quamprimum enim Iezabel à coniuge aut precibus, aut vi extorſit, vt præter aureos vitulos, quos à parentum ſtupore ſucceſſor ipſe hæreſque ſtuporis, ac impietatis acceperat; alios etiam Deos, quos è Sidone in Iſraeliticos fines inuexerat, ſecum adoraret, facilè fuit Regem iam corruptum, & nouis infectũ religionibus ad vicinarum gentiũ idola defluere. Quare nõ Sidonios ſolùm coluit Deos, hortante aut etiam herili dominatu cogente vxore, ſed & Chananæorũ quòd hîc, ſicut alijs ſæpe locis, Amorrhæorum nomine ſignificat. Indeque durũ audit hoc nuntium.

Achabo vxoris auſcultatio fuit funeſta mortis cauſa.

3. Reg. 21.

Achab ſicut vxoris mancipium Iezabeli venundatum.

E heu! quanta mala non intelligunt ab Iſaia Propheta tàm vxores, quàm viri, qui paſſi ſunt dominari vſque adeò vxores, in ſe, vt populum ſpoliauerint rapinis, exactionibus alijſque grauarint iniuſtitiæ muneribus. *Populum*, inquit, *meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis.* Et à viris ac Principibus tranſiens ad vxores & filias, quæ vt pretioſè ſe ornarent, viros fecerunt exactores, & compilatores pauperum, quorum ipſæ ſudore ac ſanguine, ad laſciuiam comptæ luxuriabantur, & ſplendebant, prædicit ignominiam illis futuram: *Decaluabit*, inquit, *Dominus verticem filiarum Sion*, vt ſcilicet præcipuum earum ornamentum, puta, capillitium tollet, & decaluabit; primò & potiſſimùm per hoſtes & Chaldæos, qui ſolent captiuos decaluare: ſecundò à Deo, qui caput hoc glorioſum ſuperbarum percutiet iuſta pœna, ſcilicet alopecia, tinea, & lepra; quæ non modò capillis, ſed & carnibus caput nudabit. Deinde ſubiungit varia ornamenta mulierum ibidem ſpecificata, commutanda in omne quod ignominioſum eſt: Et tandem addit: *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Et mærebunt atque lugebunt portæ tuæ, & deſolata in terra ſedebit*, id eſt, Iuuenes pulcherrimos, & quibus maius erat ad pugnam robur, audacia, diuturna fames in obſidione; aut hoſtile ferrum in prælio conficiet; vaſtabuntur firmiſſima vrbis præſidia, & ciuitas tota iam deſerta, & cõplanata ſolo, quaſi viduam ſilens & mærens humi ſedebit.

6.

Locus mortuus pro ſimilibus malitijs, & vxoribus.

Flebilia ſimilium exempla.

Flebile fuit olim in Eccleſia Montanum hæreſiarcham fieri Priſca & Maximilla nutricibus. Nec minus monſtroſum Valentem Imperatorem verborum lenocinijs coniugis ſuæ delinitum, mulierumque dictorum fallacijs obſequentem, erroris Ariani laqueis irretire. De quo Baronius Anno Chriſti 366. n. 4. Oportebat enim potius audire verbum Dei per Moyſem loquẽtis Deuteron. 13. *Si tibi voluerit perſuadere Frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia, ſiue vxor quæ eſt in ſinu tuo, aut ami-*

amicum, quem diligis vt animam tuam, clàm dicens, Eamus & seruiamus diis alienis, quos ignoras tu & patres tui, &c. nō acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt misereatur, & occultes eū, sed statim interficies: sit primùm manus tua super eum, & post eā omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo. Id est, postquam publicè per accusatores & iudices, qui est huiusmodi, condemnatus fuerit, tu primus lapidem iaciens in eum sententiam mandabis executioni.

7. *Laudantur ij, qui vxoribus in malis restiterunt.*

Quapropter Scriptura econtra illos dilaudat & prædicat, qui vxores instigantes ad malum, aut nefarium quid contra religionem tentantes, dignâ increpatione percelluerunt. Talis occurrit primum Iob, qui vxorem, eum ad blasphemiam incitantem, sic increpauit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus.* Quasi dicat, Gentiles, nempe Idumæas fœminas imitaris in omne facinus & audaciam proiectos, quæ Deos suos parum sibi propitios, conuitijs onerant: nostra verò Lex & religio hoc exigit, vt aduersa tàm benignè suscipiamus à manu Dei, quàm lætioris fortunæ commoda, quibus hactenus gauisi fuimus. *Vir sanctus*, inquit Lyranus in hunc locum, *quamuis afflictiones proprias patienter sustinuerit, tamen iniuriam Dei absque reprehensione sustinere non potuit: quia iniuria propria sunt tolerandæ, diuina autem vindicandæ.* Ambrosius serm. 11. in Psalm. 118. *Perfusus etiam*, inquit, *corporis totius vlceribus*, (Iob) *cùm tentaretur vxoris alloquio, qui meminisset Adam sic esse deiectum, dùm propria credit vxori, respondit: Sicut vna ex insipientibus mulieribus locuta es. Quod si illam quasi sapientem voluisset audire, ipse sapiens non fuisset.* Et paulò ante: *Quanta simul coacervata sunt vt in illa afflictione Iob sanctus periret? Sed quia Patriarcharum moribus informatus, oraculorumque cœlestium, & naturalis legis erat institutione formatus, ideo in tentationibus tātis perire non potuit.*

8. *Probatur exemplis Scripturæ.*

Scriptura non siluit, Genes. 30. quod Iacob iratus responderit Racheli desideranti prolem, & dicenti: *Da mihi liberos, aliquin moriar; Num pro Deo*, inquit, *ego sum, qui priuaui te fructu ventris tui?* Quasi diceret, Dei hoc munus est: Non insulsè ergo petendum à me; sed ab ipso precibus humilibus impetrandum. Dauidis responsum, quo perstrinxit Michol vxorem suam, cùm eum tideret, quasi regiæ dignitatis immemorem, quòd antè arcam Domini saltasset indutus Exphod lineo, hisce verbis: *Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris*, prodit liber 2. Reg. c. 6. Quod tale est, *Vinit Dominus quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum & quàm omnem domum eius: & præcepit mihi vt essem dux super populum Domini in Israel, & ludam coram Domino, & vilior fiam quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis: & cū ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Quòd vestibus, inquit, exutus Regijs, amiculo indutus religioso, saltauerim ante Deum, à quo habeo vt reiecto Saule, regnem, & Iudam, & personā sumam multò viliorem, non mihi id existimo dedecori; imò plus inde accipiam gloriæ, nēpe in oculis Dei: Alia enim sunt Dei, alia hominum iudicia, illa spectari debent, hæc cum illis composita contemni. Quod responsum Deus gratum habuit, vti & factū; quādoquidem vxorē Michol sterilitatis puniuerit pœnâ.

9. *Præclarum certamen Saturi.*

In Annalibus sacris æternitati tradidit Baronius Anno Christi 456. ex Victore Vticensi lib. 1. de persecut. Wandalica, illustre certamen viri clarissimi Saturi Domus Hunerici Ariani Regis Procuratoris: *Vt fieret Saturus Arianus*, inquit; *promittuntur honores, & diuitiæ multæ, si faceret: præparantur supplicia diræ, si nolles. Hac optione propositâ, vt si regalibus iussis non obediret, primò facta discussione, & ante amissâ domo vel substantiâ, distractus omnibus mancipijs ac filijs, vxor ipsius, ipso præsente, camelario in coniugium traderetur. Quod ille plenus Deo, magis vt velociter præueniret, impios prouocabat. Ob quam causam vxor eius indutias visa est ab ijs, qui exequebantur, nescientе marito petisse: Accedit ad maritum alia Eua, consilio magistratus serpentis: Sed ille Adam non fuit, qui illecebrosa vetitæ arboris poma contingeret: quia non indigens, sed Saturus vocabatur, fastuosatus ab vbertate domus Dei, & torrente deliciarum eius potatus. Aduenit mulier ad locum, vbi maritus singularis orabat; conscissis vestibus, crineq; soluto, secum comitantibus filijs, vnamque infantulam, quæ tunc lactabatur, manibus gestans; qua nescientis proicitur ad pedes mariti: etiam ipsa suis genua complectitur vlnis, sibilans vociferatione draconis: Miserere mei, dulcissime, simul & tui: misereare communibus liberis, quos conspicis ipse: Non subiacerent conditioni seruili, quos clara prosapia edidit generis nostri: Non subijciar ego indigno, & turpi coniugio, viuente marito, qua mihi semper inter cœnas plaudebam de Saturo meo.* Adiunxit: *Cognouit Deus, quia inuitus facturus es hæc, quod fortè voluntariè aliquando fecerunt.* Magna sanè illecebra. Sed audiamus responsum viri illustrissimi ad nostrum propositum spectans; quod ita prosequitur Baronius n. 28. *Cui ille Iob sancti voce respōdit: Tanquam vna ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, mulier, si sola esset huius vitæ amabilis dulcedo: artificio, coniunx, diaboli ministraris: si dilegeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent vxorem, auferant substantiam: mihi Domini ego securus de promissis, verba tenebo: Si quis non dimiserit vxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus.* Et subdens finem rei; *Quid*, inquit, *vltra? discedente muliere cum filijs refutata, conferatur Saturus ad*

Summus constantiæ Saturi.

Matth. 19. Marc. 10.

Cœnam

Coronam, discutitur, exspoliatur, penis conteritur, mendicum dimittitur, interdicitur ne prodeundi accessu: totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt. Simili modo refertur Thomas Morus Angliæ Cancellarius tempore Henrici Octaui vxori suæ restituisse, Deique offensam offensæ Regis, & euersioni familiæ suæ præposuisse.

Damnatus constantiæ Thomæ mori.

10. *Nulla excusatio suppeditat viris vxoribus iniqui obsecundantibus.*

Hi & huiusmodi viri sunt, hi strenuè docent in ijs, quæ sunt contra legem Dei nullatenus acquiescendum esse vxori, quantumuis instet; neque excusari viros ob mulierum molestiam. Rectè: quamuis enim vterque peccet consentiens in peccatum; tamen maior est culpa viri, qui sapientior ab imbecilla & insipiéte muliere se regi, & decipi patitur: Quod enim est animus corpori, id virum oportet esse muliori. Appositè in hanc rem Chrysostomus hom. 4. de verbis Isaiæ: *Vxor Iob*, ait, *prauacrat & improba, suasit illi vt blasphemias proferret. Quid igitur, labefactauit turrim? Deiecit adamantem? Superauit petram? Depulit nubem? Comminuit scapham? Eradicauit arborem? Nihil horum, sed illa impellebat, & arbor reddebatur stabilior: illa fluctus excitabat, at nauis non submergebatur, sed secundo nauigabat vento: fructus eius decerpebatur, & arbor commota non est; folia decidebant, & radix manebat immota. Hæc loquor ne quis excusat vxoris improbitatē.* Iusta planè ratio; Nam exempla eorum, qui viriliter restiterunt contra illicitè morē gerentes protestabūtur, excusationem à culpa prætendi non posse.

Comitiatoribus obstrepentibus nihil respondendū, sed Deo committendum.

11. *Quæ de causa Tobias maledicæ vxori non fuerit obloquutus.*

At Tobias noster ne verbum legitur dixisse aduersus vxorem. Amicos reprehendit vxorem minimè; neque defuit illi exemplum Iobi, qui in simili casu vxorem reprehendit. *Quasi vna*, inquit, *de stultis mulieribus locuta es.* Tobias verò ne verbum protulit; An ergo blasphemāti vxori obloqui timuit? an morem gessit coniugi in Deum blasphemæ, in ipsum impiæ? Minimè. Ne hoc senseris, sed

Corripere debet correptus, dum peccati maximum est periculum.

audi mi Christiane; dicam quod res est. Prævidebat vir religiosus fine fructu à se correptam iri iracundam, & in blasphemias pronam vxorem. Coniectabat prudenter grauius peccaturam mulierem iracundię veneno plenam: hinc à correptione destitit, fortè permotus exemplo pij Regis Ezechiæ. Hierosolymam obsidione tenebat impius Rabsaces, & non solum probra contra oppidanos, sed etiam blasphemias contra Deum iaciebat. Rex Ezechias mandabat oppidanis conticerent se à responso: *Siluerunt*, inquit sacer textus, 4. Reg. 18. *& non responderunt ei verbum. Mandauerat enim Rex dicens, Ne respondeatis.* Quo tam profundum silentium spectarit alij dicant. Cyrillus Alexander. in cap. 36. v. 21. *Quia*, inquit, *imperitis sermonibus, & fastui barbaro, linguaque contra Deum petulanti illachrymari potius, quàm reclamare oportuit.* Idem dicit

Exemplum Ezechiæ.

Mauden in Tobiam.

Procopius cit. loc. *Nihil*, inquit, *ad blasphemias istas responderi passus est pius Rex, ne ad maiores prouocaret.*

Sic Tobias noster loco correptionis, ne oleum igni adderet ingemuit, & laudauit Deū, quòd hoc tēpore maximè necessariū putaret Dei veritatem, ac fidem, rectaque iudicia commendare, cùm præcessisset vxoris impudens in Deū, & nunquam antea audita blasphemia: vt piè destrueret, eluceret, atque dissolueret confessione illustri illud execrabile vxoris comitium, quo dixerat vanam esse spem collocatam in Deo, & eleemosynarum nullum esse fructum, prudenter timens aliquod domui suæ posse accidere infortunium: proinde idem erat ac si diceret Deo, stultum esse, & omninò mendacem vxoris sermonem, & querimoniam, ideoque se ad eum confugere, qui nosset, quàm illi displiceret vxoris inconditus sermo. Imitatus mihi videtur in hoc sanctum Iob, qui cùm putaret vtiliter correptionem adhiberi, adhibuit, vt in causa vxoris; cùm autem experiretur minus proficuam apud amicos, qui parùm officiosè & vrbanè, imò nimis insolenter cū ipso agebant, quasi tenerent altissimam abditarum rerum cognitionem, quam Iob assecurus non esset, dicebat: *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum. Deridetur enim iustus simplicitas*, Iob. 12. Qui, inquit, conuitijs exagitatur ab amicis, à quibus videlicet solatium doloris sperat, inuocabit Deum afflictorum patronum, neque surdis auribus eius accipiet, quia iniustè patitur simplicis innocentia, cuius ipse tutelam & patrocinium assumpsit. Idipsum imitatus est pientissimus ille Rex Ezechias, qui cùm ad litteras impij Rabsacis, conuitijs & blasphemijs refertas à populo responderi nollet, ne maioris, vt dixi, peccati daret occasionem, *ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino. Et erant in conspectu eius*, &c. Eodem spiritu Iudas Machabæus, cùm experiretur Antiochum tyrannum omnibus regni viribus contendere, vt ipsum opprimeret, & vix spes salutis affulgeret, ad certamen durum exercitum disponit, & armat, implorato priùs auxilio diuino, quod ieiunio, & precibus, & alijs corporis afflictionibus aduocat in Masphat loco orationis, vbi congregati simul *expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulachrorum suorum.* Qua ratione Deo proponebant quonam essent hostes impietatis progressi, cùm non minus impiè sacris libris, quàm Iudæorum generi, qui tanto in honore fuerant, vt ipsi etiam Gentium Dij tunc putarentur magni, cum aliquam ex illis similitudinem exprimerent, quam aut pictores, aut Ethnici Theologi illis affigebant, qui non essent de media turba

1. *Mach. 3.*

vulgares dij, sed præcipui, qui ab illis magnorum Deorum nomen accepissent. Hos, inquam, libros expandebant coram Domino, vt suorum promissorum admoneretur, suamque fidem liberaret, quam timentibus ipsius nomen, & pro iustitia & religione non semel obligarat; quin etiam vt militum animi tantâ hostium multitudine perterriti, diuinorum promissorum magnitudine confirmarentur. Nam Machabæos in sacris libris habuisse spem & solatium asserit Ionathas 1. Machab. 12. *Nos*, inquit, *cum nullo horum indigeremus habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Reddit rationem Ionathas cur cùm fratres agnouerint Lacedæmones, & tam liberales, ac beneuolos, vt quæ habuerint omnia ad ipsorum vsum vltro detulerint, tamen in laboribus quos pertulerunt graues, & assiduos, illorum auxilium tam humaniter oblatum, nunquam implorauerint. Illa verò ratio est, quia ex sacris libris, quos præ manibus habẽt, paratum à Deo norũt auxilium, si ipsi à diuina voluntate non recedant, quod esse certum experimento longo didicerunt.

Divina Scriptura afflictorum solatium, & cur.

Tobias à taciturnitate laudatus.

Sic Tobias ab vxore irritatus ingemuit, & ad Deum confugit, cui rem totam commisit, nihil respondens maledicæ vxori, cùm suam reprehensionem apud eam nullius ponderis, quin potiùs videret maioris furoris fore occasionem: vnde à taciturnitate & silentio non vituperium, sed laudem meretur.

SECTIO II.

Cur Tobias vir iustus, oret veniam pro peccatis suis, ac parentum? Quodq; documentum præclarum exhibeat superioribus mala à suis subditis ac domesticis auertendi.

1. Recordatur, alicuius Deus dum eum beneficio afficit.

MIRVM non est Tobiam exorare Dominum, vt memor sit eius; nam recordari Deum aliquorum est, beneficio illos cumulare, vt patet Genes. 30. vbi Scriptura designans Rachelem liberatam ab opprobrio sterilitatis, dicit: *Recordatus quoq; Dominus Rachelis exaudiit eam, & aperuit vulnam eius, quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum.* Similiter 1. Reg 1. dicitur de Anna, quam respexerat Dominus, *& recordatus est eius Dominus.* Esth. 10. cùm Mardochæus per somnium & portentum illi per quietem oblatum cognouisset, Estherem significari exaltandam, & quemadmodum admirabili rerum conuersione Iudæi, qui depressi fuerant sublimem obtinerent locum, & qui verò exaltati, præcipiti lapsu in profunda caderẽt, subdit Scriptura: *Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus hereditatis suæ.* Daniel quoque cap. 14. cùm misisset illi Deus existẽti in lacu leonum prandium per Angelũ, qui Abacuc eò transferebat, ait: *Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.* Et hinc in tribulatione cõstituti solebant precari vt Deus eorum recordaretur, vel eos respiceret. Sic Iob considerans naturæ humanæ infirmitatem, vt magis Deum, à quo illam duriùs exerceri videt, ad clementiam inflectat, orat, quandoquidem perbreue vitæ tempus homini definitum sit, illud Deus pacatus esse permittat. Et adductâ ab arbore similitudine probat, quàm sit arboris conditio melior, quæ excisa viret, quàm hominis, qui vbi semel diem suum obierit, ad mortalem statum non reuertitur. Exinde optat cum morte, & sepulchro vitam & sterquilinium commutare quamdiu in ipsum diuinus furor inflammatur, & sæuit: *Quis*, inquit, *mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Quasi dicat, Commutarem libenter præsentem vitæ statum cum morte, si modò ita me in sepulchro absconderes, & ibi protegeres, quemadmodum in terra latet stirps succisæ arboris: aut ramus ex arbore sublatus absconditus in fouea radices agit, & crescit in arborem patulis diffusam ramis, & pubentem comis: ita vt tam diu virâ caterem, qua nihil homini videtur esse charius, quamdiu furor duraret tuus, quo me tam acerbè cruciari finis, & cùm mitior esset in me, atque benignior animus, mihi ipsi me, & meliori conditioni reduceres. Hoc est tempus, in quo vult Dominum ipsius recordari. *Iob. 14.*

Cùm populus Israeliticus lugeret delictum commissum in adoratione vituli, sollicitus erat Moyses, vt Deum demereretur populo, vtique is non alium, quã seipsum itineris comitem vellet constituere, seque hac ratione ostenderet populo placatum. Quod hoc modo dicendi precatur: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum gentem hanc*, Exod. 33. Ostende te mihi familiarem & placatum, sicut solebas ante formationem vituli, & propitius esto populo, quem elegisti. Sic Dauid Ps. 12. tempore tentationis, inquit: *Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me*, & sic orat: *Respice, & exaudi me Domine Deus meus.* id est, conuerte faciem tuam ne obliuiscaris, ne deseras nos, adiuua exoratus. Et Psal. 24. deprecans veniam delictorum in iuuentute commissorum, inquit: *Secundum misericordiam tuam memento mei tu?* Meminisse enim, recordari, vel respicere est propitiari. Hinc Exod. 2. cùm Deus destinasset liberare filios Israel à seruitute Ægyptiaca, hæc duo coniunguntur, in verbis: *Et audiit*

Respicere idem quod propitium esse.

genitum

gemitum eorum, ac recordatus eſt fœderis, quod pepigit cum Abraham, Iſaac & Iacob. Et reſpexit Dominus filios Iſraël, & liberauit eos. Mirum, inquam, non fuit, quod in calamitate tàm graui Tobias Deum ſic orarit.

2. *Mira fuit Tobiæ oratio*

Verùm omninò mirandum videtur, quòd ille vir adeò iuſtus & conſtans in religione, quíque omnes facultates ſuas in pauperum ſubſidium expenderat, aliaque præſtiterat illuſtri mercede digna: nunc oret, vt Deus non accipiat vindictam de peccatis ſuis, eorumq; ac parentum ſuorum nō amplius reminiſcatur. Si rem penitiùs examines, non vſque adeo miraberis. Nam iuxta Eccleſiaſtem, *Neſcit homo an odio, an amore dignus ſit.* Aut fortè credebat in iuuentute ſe potuiſſe Deum offendere, cuius ipſe memoriam non haberet. Sic enim cenſetur Dauid Pſal 24. (cuius peccata in iuuentute perpetrata non legantur) rogaſſe Deum; *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Deſcribit Ambroſius, de Interpella. cap. 7. In Pſal. 38. de obitu Valenti. Iuuentutem inualidam viribus, infirmam conſilijs, vitio calentem, faſtidioſam monitoribus; illecebroſam delicijs. Dauidem totius temporis eius veniam ſibi à Domino poſtulaſſe, quia tunc maximè calor corporis feruet, & æſtus ſanguinis vaporantis igneſcit. Auguſtini 21. de Ciuit. cap. 16. veranimis ſententia; *Pauciſſimi*, inquit, *ſunt tanta felicitate, vt ab ipſa ineunte adoleſcentia nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitijs, vel in facinoribus, vel in nefaria cuiuſpiam impietatis errore, ſed magna ſpirituum largitate opprimant, quidquid in eis poſſet carnali delectatione damnari: plurimos verò præcepto legis accepto, cùm priùs victi fuerint praualentibus vitijs, & prauaricatores eius effecti, tunc ad gratiam confugere adiuuantem, qua fiant, & amariùs pœnitendo, & vehementius pugnando, prius Deo ſubdita, atque ita carni præpoſitamente, victores.*

Deſcriptio iuuentutis.

Pauci in adoleſcentia à peccatis liberi.

3. *Quare Tobias ſua & parentum ſuorum peccata commemoret?*

Deinde quoad parentum peccata, timebat aut illa non ſatis eſſe expiata: ſciebat etiam Deum in poſteris punire peccata prædeceſſorum, vti 2. Reg. 21. peccata Saulis poſt centum annos, videlicet tempore Dauidis, graui fame. Et 1. Reg. 15. Amalechitas, qui diu ante reſtiterant Iſraelitis, ſubitâ plagâ è medio ſublatos. Leuitici quoque cap. 26. dixiſſe Deum, quod quoſdam prænaricatores affligeret propter ſua, *& patrum ſuorum peccata, donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum, quibus prænaricati ſunt in me, & ambulauerunt ex aduerſo mihi.* Vnde exemplum ſequebatur virorum ſanctiſſimorum, qui licet innocentem egiſſent & inculpatam vitam, noluerunt tamen paternorum ſcelerum videri expertes. Sic Eſdras lib. 2. cap. 9. orat: *Patres noſtri non fecerunt legem tuam, & non attenderunt ad mandata tua, & teſtimonia tua, quæ te-*

Mores ſanctiſſimi

ſtificatus es in eis. Azarias Daniel. 3. tanquam ipſe peccaſſet, dicit: *In veritate & in iudicio in duxiſti omnia hæc, propter peccata noſtra: Peccauimus enim & iniquè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus.* Imò Daniel ipſe cap. 9. orans aſſumit prædeceſſorum perſonam, dicens: *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis, &c.* Et clariùs verſ. 20. *Cùm adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſraël, & proſternerem preces meas, &c. Ecce vir Gabriel, &c.* Eſther etiam cap 14. *Peccauimus in conſpectu tuo, & idcircò tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum: coluimus enim Deos eorum.* Conſtituit ſeipſam in numero maiorum ſuorum, qui Gentium idola coluerunt; licet ipſa, neque idolis Gentium diuinum cultum vnquam impenderit, neque aliquid admiſerit, quod dino deberet mulctari ſupplicio. Quæ magna erat humilitas eorumdem Sanctorum, directam ad conciliandam Dei miſericordiam ſtruens viam, dum publicas clades ſuis ſuorumque peccatis adſcribunt; cùm certum ſit Sanctos ſæpè tantas clades ſuis peccatis non eſſe promeritos, teſte Iob, qui ſuas afflictiones ſe non eſſe promeritum toto ferè libro contra amicos ſuos docet, & proteſtatur, approbante id poſtmodum Deo, cap. 42. verſ. 7. Dauid etiam in Pſalmis ſæpè proteſtatur ſe eſſe innocentem, nec meruiſſe tantas Saulis & hoſtium perſecutiones. Si libet Vide toto Diſcur. 77. in I Præcept. qua ratione innocentes propter aliorum peccata temporaliter patiantur.

& prædeceſſorum peccata fatetur.

Sancti viri meritum quandoq; patimur.

4. *Documentū Quanta debeat eſſe ſedulitas parentum in auertendis plagis ab impijs domeſticis, ſeu Superiorum ab iniquis ſubditis.*

Vt vt eſt præclarè docet ſuo exemplo Superiores & patres familias in hoc debere incumbere, vt infortunia ac plagas à ſuis ſubditis & domeſticis longè auertant, ac piè deſtruant, quæ impiè fecerunt, ac dixerunt domeſtici. Sic faciebat Moyſes Exod. 32. vt auerteret plagam à populo ſuo, qui vitulum aureum adorarat, dixit: *Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum, feceruntq; ſibi Deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Præclarè Bernardus ſerm. 12. in Cant qui eſt de pretioſo vnguento pietatis: *Quid*, inquit, *de Moyſe dicam quanto adipe & pinguedine, & ipſe repleuerat viſcera ſua? Nec domus illa exaſperans in qua pro tempore verſabatur, potuit vnquā in omni murmure & furore ſuo vnctionem ſpiritus, quā ſemel imbutus fuerat, exterminare, quo minus inter aſſiduas lites, & quotidiana iurgia ipſe in ſua manſuetudine perduraret. Meritò teſtatus eſt Spiritus ſanctus de eo quod eſſet mitiſſimus omnium hominum qui morabantur ſuper terram. Siquidem cum his qui oderunt pacem, erat pacificus, in tantum vt populo ingrato & rebelli non modò non iraſceretur; ſed & iraſcentem Deum ſuo interuentu leniret;* ſicut ſcriptum eſt:

Num. 12.

Pſal. 102.

Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius ne disperderet eos. Denique si dimittis, ait, *dimitte: sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti.* En feruens desiderium charitatis! Postulat ex vehementi studio salutis suorum deleri de libro vitæ; non tamen absolutè, vel per culpam, sed citra culpam omninò, & cum conditione, si fieri posset, nec id repugnaret diuinæ præuisioni aut ordinationi: Opto, inquit, deleri vt eis dimittas, puni me vt illis parcas, offero me in lytrum & piaculum pro populo meo; & si non dimittis, rursum oro & dico, dele me de libro tuo: quia non possum videre me scriptum in libro, & populum meum ex eo deleri, vt scilicet ego saluer, & populus meus pereat: aut ergo vtrumque scribe & salua, aut si alterutrum vis delere & perdere, me vnum potius dele & perde quàm totum populum. Malo enim vt tua gloria à toto populo celebretur, quàm à me solo: malo vt tot millia præsentium & futurorum ex eis gignendorum, te colant, laudent, ament, quàm ego solus per te sim felix. Malo etiam totum populum saluari & beari, quàm me solum. Eo quasi dilemmate vrget Moyses, & penè cogit Deum, vt plagam à populo diuertat. Ponderat hunc affectum & feruens desiderium Moysis loc. cit. Bernardus, & quasi Paradoxum audias exclamat: *O verè hominem vnctum vnctione misericordiæ. Loquitur planè parentis affectu, quem nulla possit delectare felicitas, exterribus quos parturiuit.* Tum egregiâ similitudine quod dicit, illustrat. *Verbi gratia,* inquit, *si dines quispiam mulieri pauperculæ ducat, Ingredere tu ad prandium meum, sed quem gestas infantulum relinque foras, quoniam plorat, & molestus est nobis, nunquid faciet, nonne magis eliget ieiunare, quàm exposito pignore charo sibi prandere cum diuite? Ita nec Moysi placet, solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo, dolet viscera, sed tolerabiliorem sibi indicat torsionem, quàm euulsionem;* Mauuit torqueri, quàm viscerum pati euulsionem; & hoc quia etsi malus, etsi peccator ille populus, tamen viscera æstimabat sua, & vt viscera eum amabat, ac diligebat. Extorris potius à Deo esse voluit, quam sine fratribus Deum gustare: neque patres censuit, qui filijs fame morientibus panem gustant.

Moyses mauult puniri à Deo, vt populo parcat, quàm eum puniri, & sibi parci

Dauid populi salutem sua præponit

Sic Dauid Rex antequam Angelus vindicem gladium à cæde cohiberet, & plaga pestis sæuiret, in populum, dixit: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Obsecrat vt gladius in aliquorum capita hostiliter intentus, in suum caput conuertatur. Neque enim, inquit, alij quicquam admiserunt tantum, quod tam seuero supplicio expiari debeat; omnem dicit se sustinuisse culpam, atque ideo sibi vni totum deberi supplicium. Quare non recusat quiduis ab irato Deo, quantumuis dirum, & horribile pati, dummodò calamitatis illius populum exortem esse videat. Ambrosius Regis charitatem miratur, & non admiratur: *Quàm illud,* inquit, *admirabile, quod Angelo seuienti plebem, se obtulit. Hoc facto statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum, cùm & Moyses offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis errata deleuerit.* Propter exemplũ Moysis alias admirans, mirari desinit, non vult excessum charitatis regiæ ad nostras ordinarias charitatis & prudentiæ leges expendere. Eadem pænè Theodoretus q. 37. *Digna sunt admiratione illa verba Regis, ignorans causam suum peccatum vocauit, quod fuerat factum; & vt in suum genus iusta ferretur sententia, supplicauit, vtens verbis boni pastoris imitans filium suum, & Dominum, qui animam suam posuit pro ouibus.*

In Apologia de pœnitentia.

Grauem Dei indignationem commeuerat gens Iudaica; propterea duram ei Dominus sitim, atque sterilitatem denunciat imbrium defectu. Orat pro ea Ieremias vates, vt mitiorem se Dominus in populum ostenderet. Supplicem repellit Deus: *Noli,* inquit, *orare pro populo isto in bonum. Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces eorum: & si obtulerint holocaustomata, & victimas, non suscipiam ea: quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos:* Noli, inquit, ô Ieremia, orare, vt populo huic aliquid contingat, quod saluti, atque vsui futurum sit: id enim non exorabis. Cùm ieiunijs orationem adiunxerint, illorum preces non exaudiam: respuam holocausta, & victimas quas ad mea deduxerint altaria. Quin potiùs illos fame, gladioque conficiam. Instat nihilominus Propheta, & stragem ciuitatis ingentem contemplatus, orat Deum, vt populi sua iam agnoscentis peccata misereatur; nec desistit, donec audit Deo id planè displicere, eumque negare quidquam esse de suâ indignatione remittendum, etiamsi illorum intercedat, atque vrgeat oratio, quorum ad impetrandum vis existimatur maxima. *Si steterit,* inquit, *Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: ejce illos à facie mea, & egrediantur.* Noli, inquit, ô Hieremia, orare neque nomen meum, aut templi sanctitatem obtendere. Nam etiamsi Moyses & Samuel, qui non minus olim, quam tu pro eiusdem populi salute laborarunt orantes intercedant, nihil exorabunt, quia iam populum istum alienum repero, & à paterna curâ prorsus excludo. Dic ergo, illos à conspectu meo fore repellendos, & à suis finibus egressuros.

Hieremias conatus ipsi agam à Deo auerte-

Hier. 14.

Ibid. 15.

Ionas missus à Deo in Niniuem, vt durum

illi

illi à Domino vaticinium denuntiet, fugit in Tharsis, vt illud mandatum à se declinaret, veritus ne nugator haberetur & fallax, si Deus pœnitentiâ placatus, Niniuitis ignosceret. Ion. 2. Cùm verò nauem conscendisset subitò mare vehementi tempestate cohorruit, cui cùm nihil nautæ obtendere possent opportunum, ad preces confugiunt & sortes. Sceleris reus, & tempestatis causa deprehenditur Ionas: qui ad saniorem mentem redactus, nautis omni studio à morte eum liberare cupientibus ipse dixit: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim ego quoniam propter me tempestus hæc grandis venit super vos.* Maluit Propheta, mortem oppetere (quàm euadere se posse non putabat) quàm alios omnes in apertum vitæ periculum conijcere, quos se sospite sospites futuros non arbitrabatur. Agnoscit eò loci D. Hieronymus in Iona aliquid singulare, & laudat à constanti atque magnanimo pectore profectum: *Animaduertenda*, inquit, *fugitiui nostri magnanimitas: non tergiuersatur, non dissimulat, non negat: qui confessus fuerat de fuga, pœnam libenter assumit, se cupiens perire, ne propter se, & cæteri pereant, & ad peccatum fugæ aliena quoque periculum addatur necis.*

Ionas plures fecit nautarum vitam, quàm propriam.

Paulus, Apostolatus sui insignia recensens, 2. Cor. 11. labores scilicet pro Christo, persecutiones, pericula, plagas, passiones, sollicitudines & curas pro Ecclesijs omnibus, inquit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Quis quæso affligitur, quin ego quoq; simili ratione affligar? Quis offensionem incurrit, quin ego intus in animo vrime quodammodo sentiam? Igneſco, incendor, ardeo tum dolore, quasi meum esset malum, quod subit proximus cum scandalizatur; tum zelo, vt illum curem, & scandalum tollam. Præclarè docet Chrysostomus hom. 18 in 2. ad Corinth. exemplo Pauli pro Ecclesia solliciti, nihil esse eà sollicitudine, curâ, studio, labore, & dolore boni Pastoris pro Ecclesiâ suauius. *Nam & mater*, inquit, *pro filio dolens delectatur, sollicita gaudet; cura in se amara licet sit, pro liberis tamen impensa, voluptatis multum habet.* Act. 27. tanta fuit tempestas in mari, vt omnis spes saluris ablata esset à nauigantibus. Gentiles, & fortè mille facinorum rei cum Paulo erant in naui. Ille de sua salute certus pro communi Deum deprecatus est, nec destitit, donec Angelus illi noctu apparens diceret: *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Tanta erat illi cura etiam pro Gentilibus, quibuscum nauigabat.

Pauli pro omnibus sollicitus.

Sanctus Iob etiam de futuro sollicitus fuit. nam cùm præuideret Dei obliuionem posse incidere in filios inter conuiuandum, obtulit holocausta in singulos dies pro filijs, vt Deus plagam ab illis auerteret, si fortè non benedixissent Deo de benignitate illis concessa.

Iob peccata filiorum, si quæssent, suspicatus delere.

Mauden in Tobiam.

Tobias hic timens infortunium aliquod ob peccatum vxoris in Deum, quo potest modo, sua confessione, humilitate, & oratione conatur auertere.

D. Cyprianus vult parentes filiorum peccata eleemosynæ balsamis eluere: *Sed enim*, inquit, *multi sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quo minus largiter bonis operibus insistas.* Et respondet: *At quin hoc ipso amplius operari debes, quo multorũ pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum deprecaris: multorum delicta redimenda sunt, multorum purganda conscientia, multorum anima liberanda. Vt in hac vita seculari alendis, sustinendisque pignoribus, quo maior est numerus, hoc maior & sumptus est: ita & in vita spirituali, atque cœlesti, quo fuerit amplior pignorum copia, esse & operum debet maior impensa. Sic & Iob sacrificia numerosa pro liberis offerebat; quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest, quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tegi.* Vtinam horum exemplo Superiores & parentes imitando, se cum suis à malis eximerent!

Serm. de eleemos. 5. Filiorum peccata à parentibus eleenda eleemosynis.

Quo maior numerus pignorum, eò amplior debet esse eleemosynarum largitio.

SECTIO III.

Pios agnoscere in pœnis iustitiam & clementiam Dei; impios autem blasphemare: & quo exitu?

1. *Oratio Tobiæ à laudibus Dei incipit.*

TOBIAS cùm maximè illum cruciarent blasphemiæ & conuitia, quæ ab indignata vxore prodierant, inquit: *Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas, & iudicium*, &c. Laudat Deum ab æquitate in iudicijs, à veritate & fidelitate in promissis, à misericordia, cuius Deus etiam dum sæuire videtur, numquam obliuiscitur. Hoc sanctis erat legitimum, nempe à laude Dei ordiri orationem, vt patet Daniel 2. & 3. vbi sanctiores Hæbrei cum ipsis incommodis luctantes, in omnibus Dei operibus æquitatem agnoscunt, & clementiam. Alia mens, alia constituto minus Deum timentium, qui non solum de Dei inclementia conqueruntur, sed etiam impijssimè blasphemat, dum aduersus illos affligit, casus.

2. *Eadem afflictio diuersimodè afficit iustos & iniquos.*

Luculenter docet S. Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 8. expendens bonos & malos affligi, quod in argumento posuimus, nempe sub eodem tormento non esse eandem virtutem & vitium. *Nam sicut*, inquit, *sub vno igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribula stipula comminuitur, frumenta purgantur: nec ideo olenum cum amurca confunditur, qui eadem præli pondere exprimitur: ita vna eademq; vis ignis bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat,*

damnat, vastat, exterminat. Et immediatè post subnectit diuersam esse cõstitutionem iustorum & impiorum in pœnis: *Vnde in eadem*, inquit, *afflictione, mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur, & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nampari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum.*

Pij in tribulationibus laudant Deum, impij blasphemãt.

3. Quod hìc dicit de iustis D. Augustinus, hoc pluribus exemplis Scripturæ clarissimè patet. In primis occurrit iustus Iob, qui, cùm Deus eum pluribus visitasset malis, dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.* Ioseph à fratribus venditus, diuinæ voluntati illud adscripsit, Genes. 45. *Non vestro*, inquit, *consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Tres pueri Danielis 3. cum fornacis ardentis ambirentur incendiis, clamabant: *Iustus es Domine in omnibus, quæ fecisti nobis.* Diuus Ambrosius serm. 18. in vers. 37. Psalm 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*, inquit: *Vulgus hominum iniustè se putat tolerare, quæ patitur: at verò vir iustus, qui seipsum statim in exordio sermonis accusat, iustitiam Domini prædicat, quod meritis suis digna patiatur.* Idque probat exemplis quamplurimis, videlicet Abrahæ, de quo sic ait: *Pater fidei Abraham, cùm ad immolandum vnicus à sene filius posceretur; paterna pietatis affectum, diuina confessione iustitiæ temperabat, dicens: Iustus es, Domine. Non enim poscis alienum, sed tuum reposcis: ipsum tibi restituo, quem dedisti.* Sic enim credendum est, in illo suo Sacrificio philosophatum, ac de sua voluntate depulsum, ad diuinam exequendam alacriter erectum. Et Ieremiæ, de quo sic ait: *Clamat Hieremias cùm futura annunians populis captiuitatis erumnam in luti voragine turpi nescius illuuie mergeretur, Iustus es Domine.* Licet enim hæc confessio non inueniatur in vulgata, Ierem. 38. neque in Sixtiana, Ierem. 45. quibus locis hæc historia narratur: nihilominus eam fortè codices, quibus vtebatur Ambrosius, continebant: aut certè Prophetæ patientia in suis pœnis subeundis eam non obscurè insinuabat. Rursus idem Propheta, *Cùm victa plebis miserandis seruitijs angeretur, clamabat: Iustus est Dominus; quia os eius ad tracundiam prouocaui.* Threni. v. 18. Et paulò pòst inquit idem Ambrosius: *Daniel quoque Propheta secundò missus in lacum leonum & immanium ferarum sæuitia atque horrore circumdatus, victa omnia esse in conspectu Domini imperterrito clamore iactabat.* Quibus adde præter suprà citat. Tobiam nostrum, qui post exilia, mortis pericula, cœcitatem, & vxoris intolerandam blasphemiam, Deum iustum, fidelem, & misericordem prædicat. Hæc de iustis, quos grauia peccata non stimulabant.

Exempla S. Scripturæ.

Iniusti se iniustè pati putant; iusti iustè.

Abraham in immolatione filij.

Daniel in lacu leonum.

4. Sed fortè animum subibit hæc cogitatio. Hi iusti erant, nos illam metam sanctitatis non attigimus, Sic queruli vbique excusationem prætendimus, feli similimi sumus. Illa quibuscunque neuis nitorem allinere conatur, lambit, & lingit omnia, vt sordes abstergat. Sic nos callidis defensiunculis quoscunque errores operire nitimur. Sed audi, producam tibi in theatrum, non qui leuiter, sed grauissimè peccauerat. Is fuit Heli 1. Reg. 2. qui in duos sceleratos filios nimis mollem habebat animum, potius quàm sæuerũ, qualem sacerdotem, qualem iudicem, deceret. Indignè hoc fert Deus, qui primùm Sacerdoti beneficia exprobrat, quæ ipsius familia iam inde ab antiquissimis sæculis acceperat, & propter filiorum in omne vitiorum genus intemperantiam, & parentis indulgentiam inertem, grauissimum supplicium, illudq; perpetuò duraturum intentat; inter alia quòd auferet ex tota familia Ithamar sacerdotale nomen, & iudicandi potestatem, quodque videret aliũ suffectum in locum, à quo esset ignominiosè depulsus; quòd nullus de domo eius senatus, aut magistratus locũ obtineret; denique quòd multi ex familia ipsius propagati morituri sint immaturâ morte, antequã illis accedat virile robur. Supplicium hoc quod Dominus in familiã Sacerdotis decreuerat, indicauit Dominus Samueli iuniori Prophetæ: *Dixit Dominus*, inquit sacer textus, *ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel: quod quicunque audierit, tinnient amba aures eius.* Horribile planè verbum, quodque minus videbatur in animum connenire puerilem: *In die illa suscitabo aduersus Heli omnia quæ locutus sum super domum eius: incipiam & complebo. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod nouerat indignè, agere filios suos, & non corripuerit eos.* Et iuramento cõfirmat Deus nullis victimis aut muneribus iniquitatem domus Heli expiandam quin necessariò subire deberet pœnas à Deo decretas. Aperuit Samuel vniuersos sermones Domini. durumque eius vaticinium. Sed quid ille? An indignè tulit sæueras Dei minas? an blasphemauit? an cælum & terram maledictis incessauit? Minimè. Excepit illud fulmen non repugnanter. Respondit vtique: *Dominus est quod bonum est in oculis suis, faciat.* Pium imò totum putabat illi obtemperare, cuius in omnes sciebat summam potestatem, iustissimam æquitatem.

non resistì debent Dei visitationibus.

Heli libenter cõsensit malis à Samuele prædictis.

1. Reg. 3.

Dauid 2. Reg. 15. à filio impetitus, & ab vrbe expulsus, & in fugam actus, mira cum modestia dixit ad Sacerdotem: *Reporta arcam Dei in vrbem. si inuenero gratiam in oculis Domini reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi. Non placeo. Præsto sum, faciat quod bonum est coram se.* Siue beneficium, siue supplicium accepturus; totum se ad Dei beneplacitum conformabat. Ideò enim

Dauid contra culpas armatus, si contra pœnas non armauit

Peccatores

enim volebat arcam reportari, ne si secum in exercitum deportasset, vt aliàs solebat, videretur se vnius Arcæ præsidio contra pœnas diuinitus immissas obarmare; quibus se alioquin libenter feriendum exponebat. Idem Dauid & conuitiis & lapidibus à Semei dilaceratus, non seruum maledicentem, sed Dominum maledicere imperantem respiciebat: *Dominus*, inquit, *præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* 2. Reg. 16. v. 10.

Animam contritam nulla deijcere possunt passiones.

Verissimè Chrysostomus hom. 3. in Matth. *Qui humiliatur cordè atque conteritur, non efferetur inani gloriâ, non inuidia ardebit, nō iracundia furet, vexabitur: non vllis alijs vitijs subiacebit. Namque vt contritam manum etiamsi millies in altum tollere velimus, non possumus: ita etiam si animam conteramus, quamlibet innumeros illam inflando elevare voluerint passiones, ne tantulum quidem poterit extolli. Si enim qui externarum luget damna rerū, omnes à se fugat animæ languores: multò magis qui hoc pro peccato facit, plena Philosophiæ sanitate potitur.* Nouerat autem aureum illud os, quàm esset humanum genus ad excusationes, & euasiones pronum propterea subnexit: *Et quis, inquis, ita conterere cor suum potest?* Respondet: *Audi Dauidem, qui per hoc præcipuè refulsit, & vide quam eius anima contrita est. Nam post virtutes innumeras, cùm domo excidisses & patriâ, & vitam ipsam postremò periclitaretur amittere; cùm tempore ipso discriminis sui militem vilem, & prorsus abiectum, insultantem sibi & maledicentem videres, non modo ipse non retulit maledictis vicem, sed etiam quendam ducum suorum volentem eum interimere, non fuit, dicens: Dimitte, vt maledicat, quoniam Dominus mandauit ei: forsitan respiciet Deus humilitatem meam. Et rursus, cùm sacerdotes rogarent vt cum illo circumferretur arca, non passus est: sed, Stet, inquit, in templo; & si liberauerit me Deus de instantibus malis, videbo pulchritudinem eius: si verò dixerit mihi: Nolo te, ecce ego, faciat mihi quod placet in conspectu eius. Illud verò erga Saulem semel iterumq; & multoties factum, nonne cumulum Philosophiæ ingentis ostendit? Veterem quippe superauerat legem, & propè ad Apostolica præcepta peruenerat. Idcirco quæ Deierant, per omnia diligebat: non ipse sibi de his quæ fecerat laudans, sed vnum & solum studebat sequi ab ipsa positas leges, eisq; in omnibus obedire. Et post tot certè illa merita virtutum, cùm illum tyrannum, fratricidam, patricidam, iniurioſum atque furioſum pro se regnantem videres, nec sic quidem scandalum mente concepit; sed si inquit, hoc visum fuerit Deo, me quidem exagitari, & errare semper ac fugere, illum autem regnare, amplector, atque suscipio: & habeo pro innumeris, quæ à Deo mihi inferuntur, tribulationibus, gratiam.*

Exemplo Dauidis

Venerunt aliquando ad Ezechiam Regem Legati Merodach Regis Babylonis, vt Ezechiæ gratularentur de sanitate miraculo recuperata, rùm vt de portento, scilicet solis retrocessione veritatem, modum & causam inquirerent & cognoscerent; siluit autem de his Ezechias, nec magnificauit Deum apud Gentilis Regis legatos, cùm nactus illam occasionem omninò deberet: sed ex vanitate aliqua, ad quam eum impulerat honorifica legatio Babyloniorum, *ostendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas supellectilis suæ, & vniuersa quæ inuenta sunt in thesauris eius: Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua*: de Deo, eiusque miraculis, & præter naturam subitâ curatione ne verbum. Introiuit post hæc Isaias ad Regem, & dixit: *Audi verbum Domini exercituum: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt patres tui vsque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus. Et de filiis tuis qui exibunt de te quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* Quid verò Ezechias ad hæc? Tulit-ne indignè? In iras exarsit? In blasphemias erupit? Abſit. Sed placatus, ac tranquillatus: *Bonus*, inquit, *sermo Domini, quem locutus es.* Isaiæ 39. Quasi diceret; Libens accipio, quæ in me supplicia à Deo, tanquam ab æquissimo iudice statuuntur *Ionæ*, inquit Ambrosius loc. cit. *Inclusus vtero bestiali, vix habens anhelandi spiritus commeatum, iustus iniustorum sorte damnatur, clamabat de ventre ceti: Ego autem in voce laudis immolabo tibi.*

Ezechias ad pœnam impositam piè respondit.

§.

Paratus debet esse peccator ad sustinenda supplicia cum sint expiatoria.

Et quia ad necessum propterea & Michæas vates ca. 7. planissimè pronuntiauit nomine captiui & ærumnosi populi apud Babylonios, se libenter subiturum à Deo impositum supplicium: *Iram*, inquit, *Domini portabo: quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet*: Dum lux, inquit, mihi vitalis affulserit, subibo supplicium, quod iustissimè, quia peccaui, mihi Deus imposuit: neque sustinere recusabo, quia frustrà contendet, qui obluctari. Domino voluerit. Optimum planè documentum his qui se à Deo vexari vident, & ira tractari, quemadmodum extorres Iudæi ab hoste Babylonio; si considerent aliquid habere se, in quod diuinus sæuiat, & inflammatur furor, quodque maximo ipsis futurum sit ex vsu, si in fornace illa expiatoria purgetur. Luculenter D. Basilius instruit quamplurima, quæ hominibus iudicantur incommoda prouenire, non ex naturali causa, atque ideo non illis quærendum esse naturale remedium; sed ex peccatis, quæ Deus irâ suâ, id est, aliquo supplicio expiari vult, atque ideo non à Deo petendam esse medicinam. Quæ etenim in natura tanta vis, quæ frangere possit, aut leuiter obtundere eos, qui à Dei vltrice, atque sæuerâ manu exeruntur aculei. Basilium audi interrog. 55. ex fusioribus. *Porrò haud*

Morbi interdum non à naturali causa, sed à Deo ob peccata, & ab illo speranda medicina.

haud mediocre periculum est, ne à recto animus aberrans vanas quasdam opiniones concipiat, quippe quasi egrotatio omnis petitis à medicina remedijs curanda sit. Neque enim omnes morbi semper à naturâ, aut vitiosa victus ratione, aliúsue quibusdam situ in corpore nostro causis, ad qua vtilem interdum medicorum artem videmus, ortum ducunt. Quandoquidem morbi sæpenumerò quasi quædam peccatorum flagella sunt; quibus nihil aliud agitur, nisi vt vitam nostram in melius commutemus. Et ideò multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. (Verba sunt Apostoli 1. Cor. 11.) *Quamobrem qui eiusmodi sunt, hi omissis medicorum auxilijs inuectas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocunque se peccasse animaduerterint, atque illam imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei; nec non vitæ suæ prauas studia emendare, & dignos pœnitentiæ fructus edere, & verborum Domini illorum meminisse. Ecce iam sanus factus es, noli peccare, ne deterius aliquid contingat.*

6. *Viri pij post errata commissa nunquam sine merore pœnitentiæ.*

Qui dico? Pij viri abest vt non libenter ferrent supplicium à Deo impositum, quin potiùs sibi ipsis vltrò proponerent, quidquid à Deo grauissimis hominum erratis infligi solet, cùm iram Dei non experirentur in supplicijs. Hoc sanè Dauidis animum pungebat assiduè, neque vllam patiebatur habere quietem, & otium dum sciebat iratum esse Dominum, & inesse sibi quod diuinus furor acerbè mulctaret: Psal. 37. v. 4. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* In hanc sententiam grauiter Chrysostomus hom. 27. ad pop. *Multa perpetrantes, nec dantes pœnas terreri magis, & timere debent: augebuntur enim ea supplicia propter iniquitatem, & Dei longanimitatem. Dic mihi si quem habeas seruum, & illi tantùm minetur, & verbera non infligas, quando magis timet? quando fugit? quando pedibus elabitur? Nonne quando dumtaxat minaris? Vnde & alter alterum admonemus non continuè minari, ne timor magis animam conturbet, & plusquam plaga dissipet: illic enim ad tempus est vltio, hic autem continua. Ne igitur quod nunc mala patiatur nemo respicias, sed illud cogita, si talia facit; quoniam multa nunc fiunt, qualia in diluuio, sed diluuium factum non est: gehenna enim, & vltio promissa est. Multi perpetrant qualia Sodomorum ciues, sed ignis pluuia non descendit, ignem enim paratum est futurum. Multi Pharaonis scelera commiserunt, sed Pharaonis pœnas non dederunt, nec in mari rubo sunt submersi, quoniam pelagus eos expectat abyssi, vbi non cum insensibilitate supplicium, nec licet suffocari, sed amplius est necesse torqueri, assari, strangulari, consumi. Multi Israelitica sunt aggressi, sed eos serpentes non momorderunt; manet autem eos vermis, qui non moritur.*

Aliorum supplicia timori alijs esse debent.

7. *In pœnis patientes, Dei misericordiam mirantur.*

Vtiliter planè: quia pœnæ vel vltrò assumptæ, vel à Deo inflictæ, & patienter perpessæ par habebant emolumentum. Vtrumque Dauid expertus est; nam feliciter postmodum de omnibus suis inimicis triumphauit. Alterum Ionas, qui hoc assecutus est Deum laudando in ceto, vt Dei iussu piscis illum hospitem euometet in aridam, iuxta Ioppen in litrus Phæniciæ & Syriæ, vnde terrestri itinere redijt in vicinam Iudæam, adijtque templum in Hierusalem, ibique gratias Deo egit, & votum persoluit, quod tantum beneficium & miraculum ante omnia fieri poscebat. Roboam Rex Israel, & cæteri regni Proceres, audientes à Propheta Semeia, fore, vt Sesac Regi Ægyptio in seruitutem traderentur; hæc tantùm verba responderunt: *Iustus est Dominus*, 2. Par. 12. v. 6. Sed ea tantùm fuerant satis, vt à Deo supplicia reuocarentur. Subdit enim statim Deus: *Quia*, inquit, *humiliati sunt, non disperdam eos.* Cùm enim humana voluntas diuinæ se maximè conformat; tunc potissimùm diuina voluntas humanæ morigeratur. Narrat Nicolaus Ola in Attila cap. 9. S. Lupum Trecensem Episcopum Attilæ aduentanti occurrentem, rogantemque quis esset; ac audientem: *Ego sum attila Rex Hunnorum, flagellum Dei*, dixisse: *Et quis mortalium qui Dei flagello resistet? Ego sum Lupus dissipator gregis Domini. veni ergo Dei mei flagellum, illoque vtere vt Deus concedit. Iussit ergo portas aperire, frænumque Attila tenens, pedes eum cum copijs per mediam vrbem deduxit. Attila quasi attonitus alia porta egressus, ciuitatem intactam reliquit.*

S. Lupi ad plagas accipiendas paratus animus.

Iustitia Dei etiam in pœnis viget.

Rectè Ambrosius loco supracitato: *Iustus ergo Dominus*, inquit, *in periculis, iustus in damnis, iustus, in vltionibus est: non solum, quia vnusquisque iustus pœna suæ culpæ luit; verùm etiam quia dum vnus punitur, plurimi corriguntur.* Dicant ergo idipsum pœnitentes cùm à Deo morbo, paupertate, persecutione, alijsúe ærumnis affliguntur: *Iram Domini portabo, quia peccaui ei:* neque renitantur Deo punienti per impatientiam & blasphemiam; Durum est contra stimulum calcitrare. Nihil magis alienum sit à Christiano, ab homine fideli, quàm in pœnis, in visitationibus blasphemias eructare in Deum. Id Gentilium est, non Christianorum. Illi siquid contra votum, contra animi sententiam contingat, in suos Deos, quos parum propitios sentiunt, non solum conuitijs, quod frequenter accidit, sed etiam manu & talis inuehunt. Vide Homerum Iliade, & mille in Deos audies, eaque turpissima conuitia. Ad eius imitationem, & ex hominum obseruata consuetudine Virgilius inducit homines, etiam pios in Deos suos animatos hostiliter, & intemperantiùs inuectos, Virgil. Eclog. 5.

Gentilium in Deos suos vsitata conuitia.

Cum complexa sui corpus miserabile nati
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Et lib. 1. Æneid. de Æneæ, quem religiosum, & pium inducit.

Quem non incusauit amens hominumq; Deumq;

8.

Latroni

9. *Impijssimorum est Deũ in calamitatibus blasphemare.*

Latroni peſſimo aſſimulãtur qui tales ſunt. Is iuxta crucẽ Domini alteri affixus, blaſphemabat. Inferni cantilena eſt. Ioannes Euangeliſta Apocalyp. 13. id aſſerit de Antichriſto: *Aperuit*, inquit, *os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.* Idem facient damnati in inferno Comes Fulkenſis, hæreſeos fidelis patronus, cùm caſtrum quoddam quereretur amiſſum, in eam erupit blaſphemiam (ita nimirum gratias agebat) vt dicere non vereretur: Velit nolit Pontifex, velint nolint ſuperi omnes, ego terras meas recipiam: mox equo lapſus miſerũ in modum torquebatur. Ita domum dilatus cruciari ſe dicebat pedum dolore incredibili, qui certis incrementis augeſcens, ad ipſum vſque pectus cœpit ſerpere. Sola ſupererat lingua, quæ officio ſuo fungi poterat; ſed tam alienus erat miſer ab omni exomologeſi, vt malis ſuis tabeſcens infeliciſſimè expiaret:

10. *Inter Chriſtianos hanc inſaniam vigere, dolendum eſt.*

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos. Vtinam & inter Chriſtianos hæc oris inſania non vigeret, cum calamitatibus exercentur. Ægroti ſubinde tam impares ſunt ferendis doloribus, vt dicere non vereantur: Numquid me ſibi Deus metam poſuit, ad quam omnes ſagittas ſuas eiaculetur? ſi viuos homines glutiſſem, tantum ſupplicij vix meritus eſſem: crediderim mei penitus oblitum eſſe Deum. Cauete Chriſtiani, cauete: improbi ſunt latratus hi in diuinam iuſtitiam: *Homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum*, inquit Moyſes Leuit. 24. Diuus Paulus quid laboris & periculorum non ſubijt, quoties vinculis & plagis multatus, quoties grauiſſima quæque paſſus, & quotidie penè, ipſo teſte, mortuus, non tamen quidquam blaſphemi protulit, ſed illud cum ingenti fiducia ſæpius dixit: *Gaudeo in paſſionibus meis*: non ſolum, ſed *& gloriamur in tribulationibus.*

Appoſitè Chryſoſtomus ratione patientiæ Dauidis, hom. 3. cit. in Matt. *Longè aliter quàm plurimi impudentes pariter & arrogantes, qui cùm ne minimam quidem partem de illius virtute poſſideant, ſi quos videant proſperè agentes, ſe verò parvam ſufferre mœſtitiam mille animas ſuas non metuunt vulnerare blaſphemijs. At non etiam Dauid talis fuit, ſed inter maximas tribulationum procellas, omnem modeſtiam ac patientiam mentis oſtendit propter quod dixit Deus: inueni Dauid, filium Iſſe, virum ſecundum cor meum. Talem igitur nos poſſideamus animam: & quidquid patimur, facilè feremus, ac fortiter: atque ante regnum futurum, hic quoque fructum de humilitate capiemus.* Ita faciendum eſt, alioquin grauiorem pœnam ſubibimus. Aperte id pronuntiauit Hebræus Sapiens Prouerb. 12. Cùm enim dixiſſet, *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit*, ſubiungit: *Impij autem replebuntur malo*, id eſt, multis miſerijs, quia videlicet diuinas vltiones per impatientiam vertunt in malum, dum contra Deum blaſphemant. Ille fructus eſt blaſphemantium.

Pſal. 33.

In adumſis Deum taxat, premijs pœnas æſtimat.

Compone igitur animam, mi Chriſtiane, dum à Deo vlciſcaris; cogita periculoſum eſſe cum Deo velle de iniuſtitia atque æquitate contendere, cùm in illis, in quibus homo ſibi placet, multa Deus videat, quæ condemnet. Iob apertiſſimè hoc faſſus: *Etiamſi habuero*, inquit, *quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor*, Iob cap. 9. Si cauſam, inquit, haberem honeſtam & iuſtam, vt probarem durius; quàm promeritis eſſe ſupplicium, nollem ea vti, quia res mihi cum Domini eſt, cum iudice eſt, quem deprecabor potiùs, & ad miſericordiam inflectam oratione ſimplici, quàm defenſione legitimâ æquitatem extorquere contendam. *Nam ſi iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.* Si innocentem oſtendero, prauum me comprobabit. A propria vtique perſona commendatio nullum habet pondus: & alia ſunt iudicia Dei, alia hominum. Propterea Apoſtolus Paulus 1. Cor. 4. humiliter faretur: *Nil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Licet, inquit, nullius infidelitatis in munere Apoſtolico mihi conſcius ſum, non ideò tamen reuera iuſtus ſum, non coram hominibus, quorum iudicium non curo, & fallax eſt; ſed coram Deo. Ipſe enim fortè in me peccata videt, quæ ego non video: illi ſecreta cordis mei committo. Præclarè Baſilius Conſtitut. Monaſtic. cap. 2. *Cùm multis*, inquit *in rebus offendamus Deum maiorem tamen offenſarum partem ne intelligimus quidem. idcirco Apoſtolus dicebat*: Nihil mihi conſcius ſum, *ſed non in hoc iuſtificatus ſum. quod idem eſt ac ſi diceret, Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc cauſam cum Propheta ait: Delicta quis intelligit.*

11. *De Dei iuſtitia in aduerſis non diſceptand.*

Qui ſibi iuſtus, Deo iniuſtus quandoque eſt.

Alia Dei iudicia, alia hominum.

Tobias noſter, quia aliquid in ſuis operibus latere ſuſpicabatur, quod id, quod purum apparebat, atque ſincerum, aut fœdaret turpiter, aut omninò corrumperet, hîc dicebat: *Non ambulauimus ſinceriter coram te.* D. Hieronymus lib. aduerſus Luciferianos, dicit: *Secundum meam fidem nolo mihi fieri*, licet crederet in Deum Patrem, in Deum filium, in Deum Spiritum ſanctum, vnumque Deum. Et rationem addens, ſubdit: *Neque hoc dico, quod maius quidquam ſit, quàm Sacramenti fides, quàm puritas animæ; ſed indubitata apud Deum fides arduè reperitur.* Et exemplo docens, addit: *Verbi gratia dictum ſit, vt quod volumus perſpicuum fiat: ad orationem aſſiſto; non oravem, ſi non crederem: ſed ſi verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore in horreſcerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eoſq;*

12. *Tobias non citrò ſcit ſe iuſtum.*

ſletu perfunderem, crine tergerem, hæretem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quàm miſericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo; aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero. Deinde exclamat: *Vbi eſt fides? ſiccine putamus oraſſe Ionam? ſiccine tres pueros? ſic Danielem inter leones? ſic certè latronem in cruce? Et ego hæc exempli cauſa ad intelligentiam ſenſus protuli.* Deniq; monet vt vnuſquiſque ſeipſum ſcrutetur, quâ intentione agat, & in quem finem opus bonum, quod facit: *Cæterum,* inquit, *conueniat vnuſquiſq; cor ſuum, & in omni vita inueniet, quàm rarum ſit, fidelem animam inueniri, vt nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumuſculos hominum faciat. Neque enim ſtatim, qui ieiunat, Deo ieiunat; aut extendens pauperi manum, Deo fœnerat. Vicina ſunt vitia virtutibus, difficile eſt Deo tantum Iudice eſſe contentum.* Et fortè hanc ob cauſam dixit Propheta Pſal. 130. *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?*

Bona opera vt videntur hominibus, aliquando Deo non accepta.

CAPITIS TERTII

VERSVS. VI.

Et nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori magis quàm viuere.

PARAPHRASIS.

Rogo te, ô mi Deus, id age mecum, quod tuæ voluntati eſt conforme, cui mea vota, & me ipſum prorſus ſubijcio: ſi autem illa ita fert, id manda, vt vitam finiens anima mea ſortiatur conditionem, & ſtatum, qualis manet iuſtos, & qualis prudentibus debet in votis eſſe, & magni beneficij loco ponam, ſi te probante cum vita finiam dolores.

SECTIO QVARTA.

Quanta res ſit ſe ſubijcere diuinæ voluntati.

1. *Tobias ſe conformat diuinæ voluntati.*

TOBIAS grauia perpeſſus, irriſus ab amicis, irritatus ab vxore, ingemuit, & lachrymatus eſt, non quòd ipſe pateretur; ſed quia diuino nomini ac fidei cenſebat ab vxore irrogati iniuriam. Et poſt humilem confeſſionem, quâ laudat in omnibus Dei operibus æquitatem, ſubijcit ſe diuinæ voluntati, vel ad vitam, vel ad mortem: *Nunc,* inquit, *Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum.* Res Deo gratiſſima. Chriſtus Dominus Matth. 6. iuſſit nos in oratione Dominica ſic orare: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.*

2. *Eadem Dei voluntas dicitur & voluntas ſigni, & beneplaciti,*

Hanc voluntatem diſtinguunt Theologi in voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti. Voluntas ſigni eſt, qua Deus ſignificat, quid à nobis agi, vel caueri velit; de qua intelliguntur ea loca Matth. 12. *Quicumq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ille meus frater, ſoror & mater eſt.* Ioan. 4. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* 1. Theſſ. 4. *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione,* &c. Hebræor. 10. *Vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.*

Quid voluntas beneplaciti,

Beneplaciti autem voluntas eſt, qua Deus creat, & facit, quidquid illi lubet, & placet; de qua eſt illud Pſalm. 13. *Omnia quæcumq; voluit Dominus, fecit in cælo & in terra.* Quam nunquam reprehendere debemus, neque de ea ſubmurmurare, etiamſi nos affligi, premiue velit, ſed ei patienter, & libenter acquieſcere. Sic fortiſſimus Heros Iudas Machabæus ad certamen durum exercitum diſponens, & animans, implorato prius diuino auxilio, quod ieiunio & precibus, & alijs corporis afflictionibus aduocarat, tandem exhortatione graui ad illud certamen eum accuit: *Accingimini,* inquit, *& eſtote filij potentes, vt pugnetis aduerſus nationes has, quæ conuenerunt aduerſus vos, diſperdere nos, & ſancta noſtra: quoniam melius eſt nos mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ & ſanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Quaſi diceret, Hoc agamus viri, & ad nutus diuinos ſtemus paratiſſimi, ſeu nos vinci, cadere, mori; ſeu vincere nos velit Deus, & triumphare: *ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Hortatur ſuos vt virilem præſtent ani-

3. *Huic voluntati libenter obtemperandum, etiam in aduerſis.*

1. Mach. 3

animum; idque ab his partibus, quæ sunt ad persuadendum grauissimæ. Ab honesto, quia pugnandum est pro religione, quia hostes id agunt præcipuè, vt sancta disperdant, & in ea regione, inductâ nouâ, & impiâ, veram & sanctam religionẽ extinguãt. Deinde quia melius est, & honestius mortem oppetere, quã subire & in alijs cernere & ęrumnosum statũ, & indignum eo populo, & intolerabile dedecus. Ab vtili verò, quiá non solum pro aris, & focis, sed etiam pro salute, & vita certamen suscipiunt; in quam vident tantum ab hoste bellum esse conflatum. Demum non vult suos de infortunato exitu timere, sed rem omnem Deo committi, vt sortiatur exitum quem Dominus voluerit. *Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Sic Ioab pugnam initurus periculosiorem, ad Abisai fratrem, *Esto vir fortis*, inquit, *& pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo.* 2. Reg. 10. v. 12.

4. *Omnia sunt adscribenda diuinæ voluntati.*

Summi momenti est, in omnibus sic animum instruere, vt omnem rei euentum diuinæ adscribat prouidentiæ. Fit enim non rarò, vt viri docti, prudentes, bellicosi, sancti & fortiter agant & peritè, exitu tamen minimè secundo, qui tamen non minus in Dei prouidentiam & beneplacitum, quàm felicissimus quisque successus referendus est. Ea de causa Ecclesiastes cap. 9. 11. *Vidi sub Sole*, inquit, *nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque in omnibus.* Casum vocat, quod nobis videtur tale, non Deo. Nihil profectò rari est intelligentem & industrium spe sua fraudari; hoc nos malum casum censemus. At Thomas Aquinas è verbis Ecclesiastæ rectè colligi affirmat, nihil esse à casu aut præter voluntatem ac præscientiam causæ primæ.

Nihil fit à casu.

5. *In omnibus acquiescendum diuinæ voluntati.*

Nemo igitur turbetur, si causam bonam malus sequatur effectus, si optima principia sortiantur finem infaustum. *Inuasit temperatissimos morbus; validissimos phtisis; innocentissimos pœna; fortissimos tumultus*, inquit Seneca epist. 91. Hic in sola Dei voluntate acquiescendum. In alijs liceat dicere, *Plus vltra*; in his talibus; *Non vltra.* Cùm discipuli Christi Simon Petrus, Thomas, Nathanael & alij piscatum concessissent, & tota nocte piscantes operam & oleum perdidissent, *mane facto stetit* IESVS *in littore*; rogat à discipulis non agnitus, *Numquid pulmentarium habetis?* Iubet in dexteram nauigij mitti rete, tanta copia accessit piscium vt non valerent illud extrahere. Solus Ioannes ex hoc signo nouit celeriter Dominum & nihil dubitans firmo animo id Petro significauit, dicens: *Dominus est*, Ioan. 21. Vnicus agnouit illud bonum à Deo proficisci, alij ignorarunt. Sic plerique sumus in hoc mundo; non agnoscimus beneficia à Dei liberali manu prodire, neque secundum voluntatem eius hos & illos fortunatiores existere: hinc nostræ solertiæ illa asscribimus. Victoriam obtinemus aduersus hostem, viribus nostris, humanæ Ducis prudentiæ tribuimus. Aliter Melchisedech. Reportauerat Abraham palmam contra Babylonios, lætus pro victoria à Melchisedech benedicitur: *Benedictus*, inquiẽs, *Deus excelsus, qui protegẽs hostes in manibus tuis sunt.* E contrà si ab hoste superamur, acerrimè in ipsos stomachamur, Dei iram non agnoscimus. Ignoramus Dei nutu aduersarios triumphare, qui victoriam illis permittit, nos castigat, & visitat: sed audi quid Dominus Sennacherib insolenti victorijs respondet: *Numquid non audisti quæ olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plasmaui illud, & nunc adduxi, & factũ est in eradicationem collium compugnãtium, & ciuitatum munitarum*, q. d. Ignoras, ô Sénacherib, quæ hactenus abs te facta commemoras, cuius virtute, atque auspicijs peracta sunt. Ego ipse hæc feci: cuius tibi argumentum esse potest, quod hæc multò ante futura esse prædixi, quæ hoc tempore per te, non tamen tuis viribus, impleri volui. Ego tibi ad ciuitates illas munitas, quæ sitæ sunt in montium fastigio, per arduum, atque impeditum ascensum, aditum aperui. Subiungit Propheta: *Habitatores earum breuiatâ manu contremuerunt, & confusi sunt: facti sunt sicut fœnum agri, & gramen pascuæ, & herba tectorum, quæ exaruit, antequam maturesceret.* Neque est cur tibi illarum ciuitatum expugnationem asscribas: quando habitatorum, atque propugnatorum manus ego dissolui, cùm illis virtutem, & audaciam ad resistendum negaui. Quare exanimatum populum subiugare magni negotij non fuit; cum fuerit instar fœni, aut herbæ, quæ in pascuis nascitur, quam infimæ etiã bestiæ cõculcant, & carpunt; aut etiam instar rectorum herbæ, quæ antequam ad suam, quantulacumque est, maturitatem venerit, exarescit.

Omnis victoria à Deo est.

Esaiæ 37.

6. *Omnium rerum moderatrix est voluntas Dei.*

En vides omnia à Dei voluntate proficisci, & nos falli, si cũ varijs infortunijs exercemur, & plurimis incommodis quasi obruimur, his & illis culpam imputemus. Aliter Iob. Caldæi & Sabæi inuaserant opes, & quidquid diuitiarum habebat, ille sciens omnia secundum Dei voluntatem contingere: *Sicut*, inquit, *Domino placuit, ita factum est.* Noëmi Ruth cap. 1. maritum amiserat extra natale solum & cognatam prouinciam, & cum aliud non haberet in illa solitudine & exilio subsidium, amittit & duos filios, quos habebat suæ orbitatis, & doloris solatium. Hæc hisce verbis Ruth & Orpha nuribus suis indicauit: *Egressa est manus Domini contra me.* quasi dicat, A diuina manu ingentem accepi plagam, & adhuc ad plures armatam & intentam video.

Panci in omnibus Dei voluntatem agnoscunt.

Iob

Iob toto corpore ſauciatus, compaſſionem amicorum implorans, inquit, *Miſereminimei, miſereminimei ſaltẽ vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Nouerat permiſiſſe Deũ ſæuire in eum infernalem poteſtatem: illam tamen non culpat, ſed inquit: *Manus Domini tetigit me*: quod ille fecit, fuit voluntas Dei, quæ hoc malum in me permiſit. Tobias noſter varijs laceſſitus incommodis, non Reges, non hirundines, non amicos, non vxorem querelis & maledictionibus inceſſit; ſed Dei volũtatem hæc omnia permittentem agnoſcit: *Nunc Domine*, inquit, *ſecundum voluntatem tuam fac mecum.* Quaſi diceret, Magni beneficij loco ponerem, ſi mori contingeret; ſed quia compertum habeo, nihil in terra fieri abſque nutu & permiſſione tua, prius diuinam tuam conſulo voluntatem, eique omnia vota, & meipſum ſubijcio, ac prorſus accommodo. Si lubet, malo longum trahere & ærumnoſum ſpiritum, quàm cum vita finire dolores, te repugnante. Sic deſiderium ſuum diuinæ ſubiacebat voluntati. Secundum voluntatem tuam, ô Deus, ſic facias mecum, & ſi quatuor annis, ſi decem, ſi viginti, ſi triginta, etſi annis quinquaginta placeat exercere ſeruum ſuum, nullos terminos figo, à voluntate tua ne latum vnguem abeſſe volo; quòd nouero tibi placere, animo ſuſtinebo æquiſſimo: aliam vocem à me non audies, quàm hanc: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt.*

7. *Oblatio propriæ voluntatis Deo gratiſſimum eſt ſacrificiũ.*

Hæc oblatio voluntatis propriæ Deo gratiſſimum eſt ſacrificium. Hieronymus ad Lucinium epiſt. 28. & epiſt. 103. ad Paulin. optimè diſtinguens: *Aurum deponere*, inquit, *incipientium eſt, non perfectorum: fecit hoc Crates Thebanus, fecit Anthiſthenes: ſeipſum offerre Deo, propriè Chriſtianorum eſt.* Vnde rectè dixit Ludouicus Granatenſis lib. 1. par. 2. cap. 22. Ducis peccator: Non eſt ſacrificium maius, aut Deo gratius, quàm in omni tribulatione ſeſe conformem facere diuinæ Voluntatis beneplacito. Magnus ille Abrahamus hac in re ſummè laudandus. Nam vt orbi teſtatũ fieret Abrahamum omnia ex præſcripto diuinæ voluntatis facere, Deus volũtatem ſuam in aliquoties quaſi mutans, alijs atque alijs in ſpeciem contrarijs, ac planè rigidis imperijs hominem fatigauit. At verò Abrahamus ad omnem diuini arbitrij nutum obſequentiſſimus ſemper hoc omni conatu & ſtudio, hoc omnibus viribus egit, vt ſe totum, ſuaque omnia vni atque vnicæ Dei volũtati quàm liberaliſſimè impenderet. Iubet Deus illi Geneſ. 22. rem arduam, & antea inauditam. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vno montium, quem monſtrauero tibi.* Obedit ipſi illicò Abraham, & diuinæ ſe conformat voluntati. Veriſſimè & diſertiſſimè Philo Iudæus in lib. de Abraham: *Apud omnes*, inquit, *qui rectè ſentiant, nihil honeſtius, nihilq; optabilius ducitur, quàm Deo parère: hoc autem ita Abraham facere ſtuduit, vt nullum vnquam Dei mandatum non promptè & alacriter exequeretur quantumuis moleſtijs & ignominijs, laboribuſque ac doloribus refertum eſſet. Quamobrem & id quod diuino oraculo iuſſus eſt de immolando filio; fortiter, conſtanterque pertulit. Cùm enim nulla in ea regione conſuetudo eſſet immolandi liberos, ipſe primus auctor futurus erat noui & inuſitati exempli: quod mihi videtur nemo laturus fuiſſe etiamſi ferreum & adamantinum habuiſſet animum: cum natura enim, vt quidam dixit pugnare, difficillimum eſt.* Vnicũ habebat filium in ſenectute illi natum, eum iubetur propriâ manu iugulare, & immolare. Hanc iuſſionem ſolam vocat Moyſes tentationem: Tentauit, inquit, Deus Abrahã, obijciens videlicet ipſi inſigne obiectum, & materiam heroicæ virtutis & obedientiæ, hoc fine, vt eius virtutem in animo latentem oſtenderet, acueret, & perficeret, ac demum coronaret.

Abrahamus Deo obſequentiſſimus fuit.

8. *Abraham ſecundum Hebræos decies tentatus à Deo non repugnans.*

Verùm non tunc ſolum tentatus eſt Proditum enim eſt ab Hebræis, teſte Pererio in l. 5. Abraham decies fuiſſe tentatum à Deo. Primò cum iuſſus eſt delinquere patriam & cognatos, & ire in terram ignotam. Secundò, cùm propter famem compulſus eſt peregrinari in Ægypto. Tertiò, cùm ei ablata eſt vxor à Pharaone, & vterque magno in diſcrimine verſati ſunt; ipſe quidem perdendæ vitæ, vxor autem pudicitiæ. Quartò, cùm ob iurgia & rixas frequentes inter paſtores ſuos & Loth, coactus eſt diſſociari ab eo, quem filij loco habebat, & diligebat. Quintò, cùm Agar, quam vxorem duxerat, iam ex ſe grauidam, impulſu Saræ domo eiecit. Sextò, cùm in ſenili corpore, & valde iam durata carne iuſſus à Deo eſt circumciſionis ſectionem & vulnus accipere. Septimò, cùm per regem Abimelech ablata eſt ei vxor. Octauò cùm vxorem Agar & filium Iſraëlem, primò Saræ inſtinctu, tum Dei iuſſu, à ſuo contubernio & conuictu penitus ſegregans, aliò amandauit. Nonò (quod antea dictum oportuit) cùm validos quatuor regum exercitus parua manu adortus, & fortiſſimè dimicans debellauit, vt filium fratris ſui Loth, in ſeruitutem abſtractum, ex eorum poteſtate eriperet. Decimò, cùm iuſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac. Et quoniam hæc omnium ante dictarum tentationum fuit longè grauiſſima, idcircò Moyſes hanc ſolam nominatim appellauit tentationem. Sic Hebræi. En aceruum calamitatis! Præter tot alia non minus acerba, ſed minus nota, Abraham tamen permanſit conſtantiſſimus diuinæ voluntatis cultor. Hic vir optimè intellexit diuinam voluntatem omnium miſe-

riarum

Miseris solatium est diuina voluntas.

riarum maximum esse leuamentum. Quod Christus Dominus nos docuit, cùm in extremis angustijs sic orauit: *Pater*, inquit, *si vis, transfer calicem istum à me; veruntamen non mea voluntas fiat, sed tua.* Præclarè de hac oratione Augustinus in Psalm. 32. conc. 1. *Gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos viuere, & præstans nobis viuere, ostendit hominis quandam priuatam voluntatem, in qua suam figurauit, & nostram quia caput nostrum est, & ad eum, sicut nostis, tanquam membra vrig; pertinemus. Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat à me calix iste. Hec humana voluntas erat, proprium aliquid, & tanquam priuatum volens. Sed quia recto corde voluit esse hominem, vt quidquid in illo aliquantum curuum esset, ad illum dirigeret, qui semper est rectus: Verum non quod ego volo, ait, sed quod tu Pater*, &c. *Hic ostendit quandam hominis propriam voluntatem, ostendit, & correxit te. Ecce vide*, inquit, *te in me, quia potes aliquid proprium velle, vt aliud Deus velit.*

9. *Nihil præstantius quàm diuina placita esse conformem.*

In rebus omnibus, in negotijs, in officijs, in laboribus omnibus, in morbo, in morte, diuinis placitis satagamus esse conformes; quod infirmitati deest, hoc oratio suppleat. Non est melior, neque ferè breuior; non est perfectior, non est gratior Deo, nec homini vtilior oratio præ hac vna: *Non mea, sed tua voluntas fiat; Non sicut ego volo, sed sicut tu. Dei voluntas fiat, etsi calum ruat.* Act. 21. cum discipuli non possent Paulum retinere, quo minus in Hierusalem ad manifesta pericula carceris, & vinculorum pergeret, dixerunt. *Voluntas Domini fiat.* Ad quæ verba S. Augustinus serm. 109. de temp. qui est primus in feria tertia post Dominicam Passionis: *Numquid*, inquit, *quia dixerunt Voluntas Domini fiat, optauerunt Apostoli, vt talia paterentur, ac non potiùs mentem suam sublimi, & diuino statuto deuotissimè subdiderunt.* Sanctus quoque Cyprianus in serm. de mortalitate, cum hortaretur populum, vt æquo animo ferret mortalitatem, quæ tunc in illa prouincia grassabatur: *Meminisse*, inquit, *debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie iussit orare.* Horologia vrbica primarium vnum sequuntur omnia; cur non & omnium hominum voluntates, veluti minuta horologiola ad illud celeste, magnum, ad vnicam diuinam voluntatem dirigantur: *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.*

Sed quid? Pauci huic voluntati diuini beneplaciti sese conformant, nec capiunt, quam quotidie repetunt orationem: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Non apprehendunt signum esse prædestinationis: *Flagellat vtiq; Deus omnem filium quẽ recipit* Existimo quod nõ aberraret à scopo, qui firmiter crederet, ignorantiam voluntatis signi causare rebellionem erga diuinum beneplacitum. Cùm adhuc Paulus esset Saulus, spirans minarum & cædis in discipulos Domini, summo feruore eosdem prosequabatur; sed prostratus in terram, audiuit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule quid me persequeris?* Dixit autem Saulus: *Quis es Domine?* Et audiuit: *Ego sum* IESVS, *quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Et tremens, *ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?* Verissimè Bernardus Serm. 1. de Conuers. S. Pauli: *Hac planè, fratres, perfecta conuersionis est forma. Paratum*, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum: Domine, quid me vis facere?* O verbum breue, *sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione*, &c. *Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quam nouos Apostoli imitatores! Quid vis* (ait *Dominus* ad *cæcum illum*) *vt faciam tibi. Absit hoc Domine; tu magis dic, quid me facere velis? Sic enim decet, sic omninò dignum est, non meam à te, sed à me tuam quari & fieri voluntatem*, &c. *Sic profectò, sic multorum vsque hodiè pusillanimitas & peruersitas exigit, vt ab eis quari oporteat: quid vis vt faciam tibi? non ipsi quarant: Domine, quid me vis facere?* Post hanc conuersionem Paulus quiduis pro Deo libenter tulit. Ipse enim dixit, cùm intrepidus pergeret Hierosolymam, & quidam illi vincula Hierosolymæ paturo, compatercntur: *Quid facitis*, inquit, *flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini* IESV. Hæc vox est anteluani fidelium & martyrum digna Paulo, qua cæteros inuitat, & quasi classicum canit ad carceres & martyria.

Ignorantia voluntatis signi causat rebellionem contra Dei beneplacitũ.

10.

Hoc signum est eminentis amoris propulsantis à se impedimẽta perfectionis. Non est quicquam quod pro te pati recusem: nihil mihi nimis acerbum aut arduum, nihil difficile nimis erit aut inexpugnabile: omnia superabo tolerando, peruincam & expugnabo omnia, Deo meo duce, & adiutore, & quidquid viribus non potero, id ardentissimis desiderijs consequar: quocumque me pedes non tulerint, cò cogitationum alę perducent: & vti solares herbæ ad suum solem, sic ego semper ad tuam, Domine, voluntatem meam vertam. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*, in medio memoriæ, intellectus, & voluntatis meæ illam reposui. Verba sunt Saluatoris nostri desumpta ex Psa. 39. qui, cùm Deus pater sanguine hircorum & vitulorum nollet conciliari humano generi, primùm dicebat: *Ecce venio*, vt videlicet ego ipse fiam Sacerdos & sacrificium, quo placatus humano generi educas homines de lacu miseriæ, & de luto fæcis, venio vt faciam tuam voluntatem: Omnes enim scripturæ testantur me ad hoc venturum fuisse in mundum, vt tibi per omnia accuratissimè obedirem. Ad te igi-

Summa est perfectionis, diuina acquiescere nutui.

Christus Deo Patri obtemperantissimus fuit.

te igitur me conuerto, libentiſſimè accepto tuum, nihil maiori affectu deſideraui, quàm implere legem tuam. Qui ſunt Chriſti, ſpiritum hunc habeant neceſſe eſt, vt legem Dei rebus omnibus anteponant, eamque in medio memoriæ, in medio intelligentiæ, & in medio voluntatis ſemper habeant. Bernardus ſerm. de quad. deb. ad hoc diuinæ voluntati præſtandum obſequium promptiſſimus. *Pauperculus ego*, inquit, *non habeo niſi vnum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui toto ſe, totum me comparauit?*

Voluntas diuina regula debet eſſe humana.

Æquum omninò eſt, vt voluntas diuina regula ſit humanæ voluntatis & anchora. Epictetus Diſſ. 3. cap. 26. *Conſtitui*, inquit, *& conformaui voluntatem meam diuinæ. Vult me febricitare? & ego volo. aliquid aggredi? volo. potiri? volo. non potiri? nolo. mori? volo.* Noëmi ſocrus Ruth laborauerat annis decem, vt illa ſuſciperet Hæbreorum ſacra & legem; ſed nihil obtinuit; quare cum de illius conſtantia, aut ſanitate deſperaret, vel eius conuerſione, voluit remittere in patriam; ſed reſpondit illa: *Ne aduerſeris mihi vt relinquam te & abeam: quocumque enim perexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus. Qua te terra morientem ſuſceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam ſepultura. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, ſi non ſola mors me & te ſeparauerit.* Paraphraſis ex Complutenſi Bibliotheca deſumpta hæc verba magis enucleat, & amplificat: *Et dixit Ruth*, inquit; *ne auerſeris mihi, vt relinquam te. Quoniam volo ego eſſe proſelyta, Dixit Noemi, præceptum eſt nobis, vt non ambulemus in Sabbathis, neque in diebus ſolemnibus vltra duo millia paſſum. Reſpondit Ruth quocumque, ſeris, ibo. Dixit Noemi, præceptum eſt nobis, ne habitemus ſimul cum populis. Dixit Ruth, in quocumque loco habitaueris, ego habitabo. Dixit Noemi, præceptum eſt nobis, vt ſeruemus ſexcenta & tredecim præcepta. Dixit Ruth, quæcumque obſeruat populus tuus, ego obſeruabo, ac ſi eſſet populus meus antehac. Dixit Noemi, præceptum eſt nobis, ne colamus cultum extraneum. Reſpondit Ruth, Deus tuus ipſe eſt Deus meus. Dixit Noemi, habemus quatuor genera mortis pro peccatoribus, ſcilicet lapidationem, & combuſtionem ignis, & occaſionem gladij & ſuſpenſionem patibuli. Reſpondit Ruth, quocumque modo mortua fueris, moriar. Dixit Noemi, habemus locum ſepulturæ. Reſpondit Ruth, ibi ſepeliar, & ne addas vltra loqui; hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, quoniam mors diuidet inter te & me.* Sic ergò conuerſa ad fidem parata fuit duriſſima cum Noemi ſocru experiri, & diuinæ in omnibus obſequi voluntati. Tobias, quia ab infantia edoctus erat timere Deum, in hoc tribulationum oceano nihil turbatus ad anchoram diuinæ volũtatis confugit. Haliſæus 4. Reg. 2. noluit recedere ab Elia in cœlum iam iam rapiendo, & dixit: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, & non relinquam te.* Idque tertiò repetijt hero ſuo inſeparabilis comes adhæſurus. Ita & magis nos cum Deo coniunctos oportet. Ille vires ſuppeditabit ad omnia. *Deus*, inquit, Apoſtolus, *qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

Ruth. 1.

SECTIO V.

An rectè petierit Tobias, morte mediante liberari ab incommodis, quæ patiebatur.

1. *Dei voluntati abſolutæ reſiſtere nemo poteſt.*

ESTHERIS cap. 13. triduo ieiunus Mardochæus, & indutus ſacco, ea ſpe quæ magis ad extorquendum ex offenſo pectore miſericordiam videbatur idonea, deprecans Dominum, vt populum ſeruet decreto Aſſueri, morti deſtinatum, dicit: *Domine Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* Hoc verum eſt. Similiter ſeſe res habet, cùm aliquem tribulationibus conficere vult Deus, aut exercere diutiùs. Nihilominus oratione inſtat Tobias ab incommodis, quæ patiebatur, cupiens mortis interuentu liberari. Quæritur an licitè? Breuiter hanc difficultatem expediam. Numquam reprehendere licet beneplacitum Dei, neque de eo ſubmurmurare, etiamſi nos affligi ac premi velit. Certum quoque eſt nos non ſemper optare debere, vt fiat, quod Deus vult fieri, voluntate beneplaciti, ſed licitè conari poſſe ad illud auertendum, tum medijs naturalibus, tum precibus, & ſanctis operibus. Ratio eſt, quod nobis non conſtet de abſoluta eius voluntate, ſeù an diuina voluntas permiſſiuè ſolum ad illud ſe habeat, aut etiam quando aliquid comminatur, ſub conditione tantùm minas inſinuet, & interim benè velit iram ſuam medijs conuenientibus à nobis auerti. Sacra ſcriptura id planiſſimè demonſtrat. Indicauerat Dominus Abrahæ inſtans excidiũ Sodomæ, & vrbium finitimarũ: ille verò in contrarium nitebatur. Stans enim coram Domino appropinquans ait: *Numquid perdes iuſtum cum impio?* Domine, inquit, tu ſeruaſti Noë ab exitio diluuij, quia iuſtus erat; in hiſce ciuitatibus aliqui haud dubio ſunt à crimine hoc peſſimo immunes, ſaltem eos ſerua, vel propter eos & impios ſerua. Abraham ſimilis Oratori peſſimam cauſam defendenti, vndecumque poteſt, rapit qualecumque defenſionis præſidium, non tam ſententiarum pondere, aut robore argumentorum cum Deo agens, quàm ardore charitatis, & flagrantiſſimo pietatis erga miſeros illos homines affectu. Poterant enim impij

2. *Beneplacitum Dei licet auertere mediis conuenientibus, & curi*

3. *Probatur exemplis Scripturæ.*

inte-

interire, & iuſti eripi ac ſeruari, vt Noë ſeruatus fuit à diluuio, Loth iuſtus ab incendio Sodomæ, de quo nunc agimus, & poſt Ieremias à captiuitate & cæde Iudæorum. Inſtat rurſum Abraham ſi fuerit quinquaginta, tum ſi quadraginta, ſi viginti, tandem ſi decem. Et reſponſum habuit à Domino, quod ciuitatibus illis parceret, ſi decem illic poſſet reperire iuſtos.

Dauid Rex poſt peccatum adulterij & homicidij toto corde contritus, veniam culpæ obtinuit, ſed addidit Propheta: *Verumtamen quia blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* nihilominus Dauid à precibus non abſtinuit: *Deprecatuſque eſt Dauid Dominum*, inquit ſacer textus 2. Reg. 12. *proparuulo, & ieiunauit Dauid ieiunio.* Sicut enim vitam ſibi à Domino impetrauerat hac vna voce, *Peccaui Domino*, quam amiſſurus videbatur, vt pœnas daret Vriæ cædis; ſic etiam putabat impetrare ſe poſſe vitam infanti recens nato, quam Deus illi per Prophetam negauerat. Atque ideò orationi ſe dedit ferentiſſimæ, cui addidit illa, quæ apud Deum nouerat eſſe potentiſſima ad extorquendum ab offenſo, & indignato pectore miſericordiam. Quare abiecit ſe in terram, ſeceſſit in locum ſeparatum à turba, aulicoque ſtrepitu, abſtinuit à cibis, & adhibuit illa, quæ ad expugnandum diuinum pectus potius videbantur habituta maximum. Neſciebat vtique Dauid, an comminatio eſſet abſoluta, an ſub conditione tantum, ea propter orare non deſtitit donec infans moreretur.

Propheta Samuel ſciebat Saulem Regem à Deo propter inobedientiam reprobatum, & tamen luget illum, donec audit à Domino: *Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſrael?* Quaſi dicat vanas eſſe preces, quæ aliquid contra Dei certa definitaque conſilia contendunt; quod eouſque ignorauerat Samuel. Chriſtus Dominus ſciebat ex diuina voluntate euertendam Hieroſolymam, & tamen fleuit ſuper illam, eo quod non cognoſcerent tempus viſitationis ſuæ. Sciebat vtique Deum ad miſericordiam inflectendum, ſi lachrymis veniam deprecarétur; Vnde dicebat: *Si cognouiſſes & tu*, ſupple fleres. Apoſtolo Paulo notũ erat Deũ velle reijcere gentem Iudæorum; nihilominus tã grauiter inde dolebat, vt optaret fieri anathema pro fratribus: *Triſtitia* inquit, *magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*, id eſt, pœnas pro ſalute Iudæorum in ſuo corpore perſoluere, forte quia optabat decretum tale à Deo factum non fuiſſe, aut malitiam humanam non dediſſe occaſionem: quod indicium erat magnæ charitatis.

1. Reg. 16.

Luc. 19.

Tobias noſter licitè orauit Deum, vt ſita

Mauden in Tobiam.

ferret diuina voluntas, morte mediante, eum liberaret ab hiſce malis, ne videlicet cogeretur etiam inuitus amplius audire intolerandas in Deum blaſphemias, quales expertus fuerat à parentibus & cognatis, & quod magis affligebat, à propria vxore. Tribus enim de cauſis abſque peccato licet optare mortem. Prima eſt, ne doloribus nimium excruciati peccemus in Deum. Sic Iob cap. 6. *Quis det, vt veniat petitio: & quod exſpecto tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipſe me conterat: ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me? Et hoc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus Sancti.* quaſi dicat, Vtinam iam tandem adueniat, quod iam dudum opto, precorque, nempe vt ex hoc mortali ſtatu decedam, ne dolori ſuccumbam, & de Deo aliquid aut dicam, aut cogitem religioſè parum. Malo enim à vita, quàm à pietate depelli. Opto igitur vt Deus omninò ſoluat, quam alligauit Diaboli manum, vt qui cruciare cœpit, tandem extinguat. Deinde ſubiungit conſiderationem humanæ fragilitatis ſeſe ad eandem appetendã vrgere: *Quæ eſt enim*, inquit, *fortitudo mea, vt ſuſtineam? aut quis finis meus, vt patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea enea eſt.* Dauid etiam Pſ. 119. idẽ optaſſe videtur, vt liberaretur à periculis peccati, cùm dixit: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.* Quaſi diceret: Durum eſt mihi verſari inter homines maximè barbaros, ibique vitam protrahere.

4. 1. *Optare mortem licet, ne ob nimios dolores, peccemus in Deum.*

Altera eſt, quando quis optat mortem, vt citiùs Deo fruatur. Sic Paulus ad Philip. 1. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* id eſt, Mori quidem volo, ita tamen vt non inteream, ſed permaneam, & tranſeam ad meliorem vitam & ſtatum, Chriſtoque iungar; quaſi corpus vinculum vocaret, cui anima in hac vita colligatur, quaſi luteæ ſuæ domui, aut veſti: Vnde Gregorius 4. Moral cap. 41. *Diſſolui*, inquit, *Paulus non quereret, niſi ſe vinctum videret. Hac verò vincula, quia certiſſimè rumpenda in reſurrectione conſpexerat, tam quaſi rupta Propheta gaudebat, cùm diceret: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Hinc etiam S. Gregorius Nazianzen. orare ſolebat: Domine, ſolue hanc tunicam ita mihi grauem & ponderoſam (Corpus hoc mortale & ærumnoſum) & da mihi leuiorem. Imò anima colligatur corpori quaſi carceri & compedibus, aut potiùs quaſi cadaueri, vt aiebat Hortenſius.

5. 2. *Vt citius Deo fruamur.*

Landare ſolebat S. Auguſtinus teſte Poſſidonio cap. 27. in vita ſancti Auguſtini, illam ſententiam S. Ambroſij morituri, qua ſuis flentibus, ac rogantibus vt à Deo longiorem poſceret vitam, reſpondit: *Non ſic vixi, vt pudeat me inter vos viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus*: à quo videlicet me-

liotem expecto & manentem ſubſtantiam. Et fortè huc etiam reſpexit Tobias, nam teſte Sanctio in hunc locum, *pax in Scriptura idem valet, quod fortunatum, quod optabile, quodq; magis nobis eſt voluntatis atque vſus, & ſubdit? Quare recipi ſpiritum alicuius in pace, idem eſt, quod eam poſt mortem ſpiritum noſtrum ſortiri conditionem & ſtatum, qualis manet iuſtos.* Neque longè hinc abit Gregorius magnus locum Pſalm. cit. commemorans, lib. 13. Moral. cap. 13. *Prorupit Dauid in iſtas voces aeternam patriam contemplatus, & hac mala penſans, in quibus erat, atque illa bona conſiderans; in quibus adhuc non erat.* Qui enim hanc rem bene perpendit, non poteſt non congemiſcere, tùm aliena peccata, tùm noſtra pericula, tùm delata nobis bona, tùm quæ per contagium corporis, & improborum ſocietatis ſubinde peccamus ipſi. Vnde infelicem ſe Paulus nominans hominem, non ſine genitu quærens quærebat, quis eum *liberaret de corpore mortis huius.* Rom. 7.

Tertia eſt, quando illa optatur cum ſubmiſſione ad voluntatẽ diuinam. Sic probabiliter Moyſes Nu. 11. dixit: *Sin aliter tibi videtur, obſecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Nam credibile eſt omninò, Moyſen hac petitione nihil peccaſſe, neq; eam ex impatientia aliqua protuliſſe; Potuit enim vel ex zelo Dei commoueri ad id petendum, ne ſcilicet deinceps tot mala & peccata populi conſpiceret, quem videbat difficilem eſſe & ad omnem impietatem pronum; vel ex metu ſalutis propriæ, ne ſcilicet occaſione iſtius populi, & tam grauis adminiſtrationis contingeret aliquando, vt vel per impatientiam vel aliter Deum offenderet.

3. *cum ſubmiſſione ad diuinam voluntatem.*

Addo etiam potuiſſe id ex tædio difficultatum & moleſtiarum à Deo petere, quas in ea adminiſtratione experiebatur, cum reſignatione tamen perfecta & deſiderio ſequẽdi in omnibus diuinam voluntatem. Similiter dicere licet de Elia: quia vterque conſolationem accepit; quod non contigiſſet, ſi hæc ſubmiſſio defuiſſet. Sed certiſſimè Tobias deſiderium ſuũ ſic diuinæ ſubiecit voluntati, vt mallet longum trahere & ærumnoſum ſpiritum, lubente atque probante Deo, quàm cum vitâ finire dolores, illo repugnante: *Et nunc Domine*, inquit, *fac mecum ſecundum voluntatem tuam.* Illa autem ſubmiſſio efficit circa hominem, quod Deo viſum ſalubrius; hinc liberatur Tobias.

Auguſtinus verò teſte Poſſidonio, cùm vrbs eius Hippõ à Wandalis obſideretur per 14. menſes, tertio obſidionis menſe, ex dolore in febrim incidit: orabatque Dominum vt aut vrbem liberaret, aut ſeruos ſuos ad perferendam voluntatem ſuam fortes faceret, aut ſe de hoc ſæculo eriperet. Hoc tertium contigit ei: mortuus eſt enim in obſidione. Et ciuitas poſt mortem eius ab iiſdem capta & concremata eſt.

Itaque quibuſuis fidelibus in ſimilibus rerum articulis licet optare mortem. Videte ne metas has tranſgrediamini; & ne præ triſtitia ad illicita conuoletis, & iniquo modo vobiſipſis ſitis laquei ad euitandas ærumnas huius vitæ. hoc enim ſacra pagina nimium deteſtatur. Vide dicta Diſc. 9. & 10. in V. Præcep. vbi latiſſimè diſputatum eſt, An liceat ſeipſum directè aut indirectè occidere; quæ non eſt neceſſe hîc repetere.

CA-

CAPITIS TERTII

VERSVS VII.

Eadem itaque die contigit vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate medorum, & ipſa audiret improperium ab vna ex ancillis patris ſui.

Verſ. 8. *Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam.*

Verſ. 9. *Ergo cùm pro culpa ſua increparet puellam, reſpondit vt dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam ſuper terram interfectrix virorum ſuorum. Numquid & occidere me vis, ſicut iam occidiſti ſeptem viros.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 7. 8. & 9. Eadem die qua Tobias ab vxore audiuit intolerandas blaphæmias, Sara filia Rachelis commorantis in Rages ciuitate medorum deſtinata luniori Tobiæ vxor, à procaci ancilla patris, calumniam perpeſſa eſt, quaſi ſeptem maritos ſuos interfeciſſet, cùm tamen eſſet innocens; quandoquidem dæmonium nomine Aſmodæus infauſtas nuptias ſeptem virorum inopinato funere fœdaſſet, cùm ingreſſum ad eam cogitarent. Cùm igitur Sara pro ſuo iure ancillam peccantem durius reprehenderet, intumeſcens vipetino felle totum, quod hauſerat, in dominam virus acerbitatis euomuit. Et primum imprecatur ſterilitatem, iactatque in illam immane conuitium, homicidij crimen illi imponens, & inuerecundè ac petulanter percunctatur, num eodem mortis genere ei vellet vitam præcludere.

SECTIO SEXTA.

Quare Scriptura hoc loco recenſeat improperium, quòd paſſa filia Raguelis Sara. Et quod ſit primum peccatum procacis ancillæ.

1. Quid hic improperij.

QVOD improperium hîc vocat Scriptura, meram fuiſſe calumniam ex temerario iudicio progredientem indicat verſus 8. qui inopinatum illum interitum ſeptem virorum (quem nonnulli Saræ inſidijs aut maleficijs tribuebant) declarat ipsâ inuitâ, & omninò neſciente à dæmone Aſmodæo fuiſſe peractum. Cùm autem ſoleat Scriptura ſacra multorum calumnias in medium producere, diſcuſſione dignum eſt, quare hoc loco Spiritus Sanctus hanc calumniam recenſeat. Nam hic locus non videtur magis admittere eiuſmodi narrationem, quam Symbolum Apoſtolorum mentionem Pilati.

Primo itaque exiſtimo id fuiſſe, quia iuniori Tobiæ ex tunc deſtinata eſſet vxor, vtque conſtaret ijſdem donis præditam eſſe, quibus Tobias ſenior, adeoque conuenientem vxorem filio deſtinatam, quæ mores Soceri in ſimili caſu ad vnum referret. Sic cenſent Doctores aliqui Eliezerum famulum Abrahæ reſpexiſſe ad hoſpitalitatem eius, quã quærebat filio heri ſui, vxorem: vnde Chryſoſt. hom. 48 in Geneſ. *Vide*, inquit, *ſerui prudentiam; nam quia ſciebat Patriarchæ hoſpitalitatem, & quia virginem inde ducendam, conuenientem erat ijſdem eſſe præditam moribus, quibus Dominus, ſuus nullam aliam quærit coniecturam; ſed characterem virginalis animi, ex hoſpitalitate vult agnoſcere. Si ego*, inquit, *aquam ab ea petiero, & non ſolùm faciet quod petam, ſed & candorem & liberalitatem mentis ſuæ declarabit, dicens, etiam Camelis tuis aquam dabo, morum ſuorum ingenuitatem & bonitatem ſatis apertè oſtendet.* Similiter loquitur Theodoretus quæſt. 73. in Geneſ. & Rupertus lib. 6. Commentar. in Geneſ. cap. 31. dicens: *Credidit autem homo ille, quod hoſpitalitatis argumento exploratæ, & tali indicio deprehenſæ virgo Domini ſui moribus conueniens, digna foret eius coniugio.*

Secundò credo id factum vt illa in portentum, & exemplum patientiæ conſtitueretur mulieribus, ſicut Iob & Tobias à Domino

2. Sara improperium patitur, vt

fœminis effet patientiæ exemplo.

viris in exemplũ conſtituti ſunt. Non eſt alienum à ſacra pagina, *Deum* voluiſſe aliquando ſanctas fœminas apud homines opprobrium pati. Sic Sara vxor Abrahæ, licet ſancta, ſterilitatem perpeſſa eſt. Rebecca vxor Iſaaci ſimiliter, vti & Rachel vxor Iacobi, non propter ipſarum culpam, ſed vt nouo miraculo Deus oſtenderet filios qui ex ijs naſcerentur, Dei beneficio non naturæ viribus natos eſſe. Et quamquam coram Deo opprobrium non paterentur, tamen ſic æſtimatum fuit apud homines, qui eas credebant à Deo puniri per ſterilitatem. Hoc ſenſu ſublatâ ſterilitate dixit vxor Iacob poſtquam reperiſſet: *Abſtulit Deus opprobrium meum.* Sic Anna vxor Elcanæ cùm aucta eſſet prole, quam tantopere antea deſiderarat, canticum cecinit, in quo & animi ſui ingentem ſignificat lętitiam, & ſingularem Dei, & iuſtam prouidentiam commendat, quæ illos exaltat, qui prius videbantur neglecti: *Dominus*, inquit, *mortificat, & viuificat; deducit ad inferos & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & ſublenat.* Eliſabeth vxor Zachariæ cum concepiſſet in vterò, occultabat ſe menſibus quinque, dicens: *Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.* Sterilitatem appellat opprobrium, & infamiæ notam apud homines. Nam populus ſterilitatem adſcribebat vitio; at Deus etiã iuſtiſſimos fecit multo tempore ſteriles, idque magno myſterio & beneficio. Sic Sara veroſimiliter improperium ſterelitatis conuitium & maledictionem patitur ab ancilla vili & procaci, vt alijs eſſet patientiæ exemplum.

i. Reg. 1.

3. *Duriſſimũ à vili perſona pati, & ſibi ſubiectã pati.*

Quàm enim graue ſit à vili perſona pati, & domeſtica, aut tali tempore viuere, quo nullum mortalium habeas, cui fidere poſſis, conſtat exemplis Sanctorum: primùm occurrit Michæas Propheta, qui deplorans ſui temporis anguſtias & miſerias, hanc tanquam omnium miſeriarum maximam dicit, nempè à domeſticis quaſi ab inteſtinis hoſtibus cauendum, neque in vllo fiduciam quã in Deo collocandam; cùm patri inſidietur filius, neque maior ſit filiarum in matrem aut nurus in ſocrum amor, atque fidelitas: *Ego autem*, inquit, *ad Dominum aſpiciam; exſpectabo Deum Saluatorem meum: audiet me Deus meus.* Quaſi diceret, In tali rerum articulo nihil mihi ſupereſt, quàm in vno Deo fiduciam collocare, in quo vno ſecura eſt fides, & inconcuſſa conſtantia: qui exaudiet me, & quæ promiſit, cumulatè præſtabit: Iob. cap. 30. oſtendit qualia paſſus ſit mutatâ fortunâ, ſeu in conditione ſua ærumnoſa & triſti, nempe quòd derideretur à vili iuuentute: *Nunc*, inquit, *deridebant me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Quaſi dicat: Tanta nunc eſt rerum viciſſitudo, vt vbi ſolitus fui apud omnes honorari, à viliori adoleſcentium turba deridear: quibus vſque adeò genus erat ignobile ac ſordidum, vt non dignarer illorum parentes eo habere numero, ac pretio, quo paſtoritios canes, atque domeſticos, quibus domus, ac gregum cuſtodiam commiſi. Et v. 9. *Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſputre non verentur.* Quaſi dicat, Nunc autem cum cecidiſſe me vident, tantum ſibi ſumpſerunt iuris, & audaciæ, vt grauiſſimis me conuitijs exagitent; & ex me ſumant familiatem irridendi materiam. Execrantur me quaſi monſtrum odioſum, & horribile, & quod ſummæ putatur ignominiæ, faciem meam impudentiſſimè conſputant. Agar ancilla Abrahæ tantopere deſpexit dominam ſuam Saram, Geneſ. 16. vt intolerabile iudicaret, & cum marito expoſtularet, quare non caſtigaret eam.

c. 19.

4. *Quorum hominum faſtus ſit intolerabilis.*

Hebræus Sapiens quatuor genera hominum in medium adducit, quorum faſtus eſt intolerabilis, Prou. 30. *Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere. Per ſeruum cum regnauerit: per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo: per odioſam mulierem cum in matrimonio fuerit aſſumpta: & per ancillam cum fuerit hæres domina ſua.* Hic quid amplius videmus? Agar ancilla vxoris Abrahæ non fuit facta hæres Dominæ ſuæ: neque procax hæc ancilla Saræ filiæ Raguelis, & tamen non tantùm deſpicit, ſed conuitijs laceſſit, maledictione cruciat, & temerario iudicio grauiſſimè pungit, quod fuit primum ipſius peccatum. Audit enim Sara ab illa: *Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam.* Nota verba, *Mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam.* Conſtabat Saram ſeptem fuiſſe nuptiali nexu ſociatam maritis; conſtabat item illos prima nuptiarum nocte interiiſſe. Vndenam inopinatus ille interitus? Incertum erat: & nonnulli, vt apparet, caſum illum horribilem Saræ inſidijs, aut maleficijs tribuebant. Inter quos erat ancilla Raguelis patris Saræ plus ſatis inuerecunda, quæ inſinuat in primo congreſſu aliquid facinoroſum ab ea perpetratum, vnde mariti ſubito interierint. Quod magis confirmatur ex verbis verſ. 9. *Nunquid & occidere me vis, ſicut iam occidiſti ſeptem viros.* Hoc autem fuiſſe temerarium iudicium, manifeſtum eſt, quia viri illi ad Saram ingreſſi non ſunt, ſed vt meditabantur congreſſum, inuitâ & omninò neſciente Sarâ, ab Aſmodæo dæmone ſuffocati ſunt. Quod palam ex verbis Angeli, qui poſt ſeptem maritorum à dæmone occiſorum funeſtas mortes, eam virginem vocat: ſic enim ait ad Tobiam iuniorem cap. 6. *Tranſacta autem tertiâ nocte accipies*

Ancilla Sara in temerarium iudicium impingit.

cipies virginem cum timore Domini.

Iudicia temeraria hominibus declinanda.

Præclarè Seneca lib. 2. de ira cap. 24. *Simplicitate opus est, & benignâ rerum æstimatione, vt nihil nisi quod in oculos incurret, manifestumq; erit, credamus.* Salubriter Augustinus Tract. 90. in Ioan. *Quanquam & in his humanarum tenebris rerum, id est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus; iudicia tamen, id est, definitas, firmasq; sententias continere debemus, neque ante tempus quidquam iudicare, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum.* Hoc dicebat Apostolus ijs, qui iudicabant, & dicebant quis Doctorum melius aut peius, quisue sincerè, aut minus sincerè mysteria Dei dispensaret. *Nolite*, inquit, *ante tempus iudicare*, &c. Ne iudicetis quædam occultorum & omninò eorum, quæ vobis non satis sunt cognita, veluti quis noſtrum sit fidus minister, & Euangelij dispensator, quis minus. Hoc spectat ad tribunal Christi. Ille dixit: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Matth. 6.

5. Iobus in grauissimis illis ærumnis, mira prolocutus, nunc disputare cupiebat cum Deo, nunc peccata sua appendi, & examinari trutinâ, nunc scire se aiebat quod nihil impij egisset: eiuscemodi verba malignâ interpretatione cognati exceperunt, nec aliter iudicarunt, quàm eum velut hominem flagitiosum iure merito puniri à Deo, qui tamen Deo fuerat charissimus. Et propterea reprehensi sunt à Deo, quod eius iudicium inuasissent; neque aliter offensionis iniuriam expiare potuerunt, quàm ipsius Iobi intercessione, Iob. 42. Vnde & ipse ad amicos cap. 13. dicebat: *Nunquid faciem Dei accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?* Qui tamen quò noſtram iudicandi proniſſimam temeritatem coerceret, in Sodomæas turpitudines & flagitia, non prius sententiam pronuntiare voluit, quàm vndequaque ad amussim omnia explorasset: Ideo *descendam*, inquit, *& videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam.* Genes. 18. v. 21.

Deus voluit Sodomaes non damnare nisi omnia ad amussim explorasset.

6. At nos non dij, non angeli, necdum beati, sed homines vanissimi, tribunal hoc non modestè conscendimus, sed impudenter inuadimus & irruimus; si quis obstet, irrumpimus vi, & occupamus. Ita de occultis asseueranter, de incertis confidenter, de ambiguis indubitanter, vti hæc ancillula Rachelis de heri sui innocente & perquàm afflicta filia, de plurimis ad nos nihil spectantibus arroganter, de omnibus denique praue & impiè iudicamus. Et quamuis hoc tam fœdum sit & graue, quàm exitiale flagitium; tamen vix vllum est vitium in hac vita frequentius, nec in vlla vitæ parte densior existit humanæ mentis caligo, nusquam maior ignorantia. Vnde verè dixit Chrysostomus, hom. 5. in c. 2. ad Rom. *Non facile reperies quemquam expertem huius erroris. Omnes homines vt thronum non conscendant, vt carnifices, vt fidiculas, ac compedes minimè habeant, attamen & ipsi & eos quos peccare intelligunt, iudicant in colloquijs, in communibus cœtibus, in conscientiæ calculo.* Et Augustinus sermone 202. de tempore: *Maxima*, inquit, *pars generis humani, indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata esse probatur; cùm tamen non ità velit ab alijs iudicari, quomodo vult alios iudicare.*

Iudex in meorum Dei tribunal insidet.

simum est, hoc peccatū.

Et eo sæpe audaciæ progredimur, vt ob vnicum proditorem Iudam omnes Apostolos, totum Christi collegium ob aliquot malos Præsules, omnes Pontifices, & Episcopos; ob Religiosos aliquot exleges, totos religiosorum cœtus, ob aliquot improbæ vitæ Sacerdotes, Clericos omnes & Presbyteros; ob infames aliquot virgines & viduas, omnem cœlibem vitam; ob paucos Senatores, aut Consules non bonos, totum Senatum, ob Principes aliquot, Reges, & Imperatores illaudatos, omnia Magnatum fastigia, iniquissimâ temeritate damnemus.

Ex vno iudicare omnes, quā iniquum sit;

7. D. Augustinus epist. 137. seriò & grauissimè cauet hoc familiare vitium, quo plerique ex vnius casu credunt omnes istius familiæ tales esse, etsi non omnes manifestentur. Vrget idcirco maiorem esse habendam rationem plurium bonorum, quàm vnius mali. *Etsi*, inquit, *contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apotheca dominica fructu olei luminosioris implentur.* Mirum itaque est, quod de viris Ecclesiasticis, de Consulibus, de Principibus omnibus velint credi, in quo vnum sciunt offendisse; & tamen vxores proprias non abiiciant, nec matres suas accusent, cùm aliqua maritata deprehenditur adultera.

Heu nimium hîc audaces sumus, & plusquàm dici potest, temerarij, qui æternum Judicem, noſtro iudicio præuenire non formidamus! Veniet Christus, vt iudicetur Mundus: quisquis præuenit, non Christus, sed Antichristus est. Magistratus interpretes Dei sunt, neque illis tanquam diuinis oraculis, de quoquam, nisi quod auctore Deo cognouerint, pronunciare licet. Si aliter faciant, suisque affectibus seruiant, iudicium & ipsi sæuerissimum subibunt. Hominibus vt hominibus iudicare vetitum de occultis.

8. Prohibuit Deus in prisca lege, sacerdotem de lepra iudicium ferre, ante diem septimum. Tantæ res moræ fuit in discernendo morbo, qui tamen oculis cernebatur: & quomodo permittet bonus hic Deus, vt alter alteri affingat crimen, quod nulli patet oculo nisi diuino. Fœderis arcam, 1. Reg. 6. 19. non violarunt

Leuitici 13. In lepra inuisi anda ponebatur tempus septemdiale.

larunt Bethsamitæ, sed paulò curiosius spectarunt. At suam hanc curiositatẽ, quæ leuissima poterat videri, aut etiam pia, supplicio tamen luerunt longè grauissimo. Nam è ptimoribus septuaginta, è plebe quinquaginta millia hominum vna strage perierunt. Quantò maius arcanum, obsecro, est cor humanum, quàm arca illa lignea? quanto magis est abstrusum factum inuisibilis Spiritus dæmonij Asmodei, qui nullo signo aut vestigio relicto, septem Saræ maritos in cubili Sponsę congressum meditantes mortuos reliquit? Et tu tamen, quisquis es, temeratiè, hoc Dei archiuũ nõ curioso tantũ oculo, sed improbo iudicio quasi tibi perspectum reuelare audes, & vel innocenti exprobrare, vel aliis etiam in spectaculum vel irrisum proponere? Liberrimè hic iuxta & veriſſimè Chrys. tom. 5. l. 1. de compunctione cordis circa med. *Si nullum*, inquit *peccatum à nobis aliud fuisset admissum, pro hoc solo gehennæ nos tradi, satis abundeq; sufficeret. Quippe qui in aliorum delictis saueri & amarissimi iudices residemus, nostras autem trabes, oculis infixas propriis non videmus: qui aliena etiam minima sollicitè perscrutamur, & ad condemnãdum cæteros, omne vitæ nostræ tempus absumimus: à quo vitio neque sæculi hominem, neque monachorum vllum facilè inuenies liberum. Et quidem cùm tanta sit in hoc posita comminatio; diuina enim sententia dicit: In quo iudicio iudicaueritis, etiam ipsi iudicabimini. Cùm ergo mali huius pœna quidem tanta sit posita, libido verò aut voluptas, vt in cæteris solet peccatis, ex hoc nulla sumatur, omnes tamen festini ac præcipites huic se vitio subiugarunt, tanquam si studium nobis & certamen esset propositum, quis ad hoc malum prior omnium perueniret.*

Luca 6.

9. Non est ex minimis malis sibi tam audacter & insulsè arrogare, quod ad solum Dei tribunal spectat. Sed sicut in Reipublicæ damnum insigne cedit, si quisque sibi iudicis auctoritatem assignet, controuersias inter ciues ortas suo calculo dirempturus; aut si profani tribunalis iudex hominum sacrorũ causas vi ad se attrahat. Sic pestilentiale prorsus est, Christi iudicis (cui non tibi perspectissimum, quid sit de occultis illi soli notum quo quæquæ animo fiant) officium sibi minimè commissum liberrimè vsurpare. *Vnus est Legislator & Iudex, qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?* Tu domi tuæ cadauer habes, cui lachrymas tuas impendas & tamen domum alienam quæris, vt in ea mortuum defleas.

Iacob.

10. *Qui temerè iudicat, Dei iudicium vsurpat.*

Ad seculares Iudices spectat.

Considera quæso quàm temerarius & audax sis, qui cùm sis vilis homuncio similibusque, & sæpè iisdem peccatis, imò grauioribus obnoxius, audeas tamen de iis fratrem iudicare, & Dei, de illo, iudicium vsurpare: *Quis est hic Philistæus incircumcisus*, aiebat Dauid *qui exprobrauit acies Dei viuentis?* 1. Regum 17: Quis est hominum vilissimorum, qui Dei iudicium in causa fratrum vsurpat. Ipse solus est tã Legislator, quam Judex omniũ, scilicet primus & summus, à quo Moyses, Abraham, Salomon, cæterique Reges, & legislatores, quasi eius ministri suam vim & potestatem leges condendi acceperunt: *Per me*, inquit, Hebræus Sapiens, *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam*, Prouerb. 8. idque in manifestis: Et tu absque auctoritate de occultis fratrem iudicare præsumis. Lex Christiana non tantùm imperat, Noli fornicari, noli furari, sed & noli iudicare, ad Rom. 14. v. 3. *Qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Mirum, ter mirum! Nos miselli ad abstrusissimos angulos nostri pectoris penetrare non possumus, & tamen parietes perfodere, atque aliena secreta scrutari tentamus: in nostris marcescente ac hebeti visu sumus, & vel cominus cæcutiunt nobis oculi (nam *delicta quis intelligit?* Psal. 18. v. 13. & tamen alieni pectoris penetralia eminus peruidere, & de iis iudicium ferre aggredimur. *Si verò malum est*, inquit Chrysostomus, orat. de prouidentia, & hom. 24. in Matt. *propria peccata non cernere, duplex iam aut triplex malum iudicare alios, & in suo oculo trabem absque dolore gestare.* Verùm ita nos solemus, hic mos noster est, dissimulare propria negligenter, & insultare impudenter alienis. Quid agis, iudex temerarie, cùm nec auribus tuis, sed neque tuis oculis tutò possis credere; imò si vel Angelus è cælo tibi narret, quid alter fecerit, nec sic quidem semper sententiam in alterum dicere poteris, cùm nec Angelus humani pectoris arcanum rimari queat. Solus Deus est: *Dominus scrutans corda, & probans renes.* Ierem. 17. vers. 10.

Aut, de manifesta tantum iudicare.

Impium ẽst de alio vlla iudicare, cum propria perspicere non possit.

Considera, inquam, mi Christiane, quantorum malorum sis causa, cùm temerè proximum iudicas. Multos facis tibi inimicos, perturbationes suscitas non paucas, carceres, cędes aut similia. Vide dicta Discus. 5. in VIII. Præcept. num. 5.

Considera etiam quantum tibi noceas, quisquis ita iudicas, & persuasissimus sis tibi grauius imminere iudicium, non ab hominibus tantum, sed à Deo. *Vt enim peccata tua diligentiùs examinentur*, ait Chrysostomus, *legem prius ipse posuisti, seuerius de his, quæ proximus peccauerat, iudicando.* Fidelis hic monitor etiam Bernardus de inter. domo cap. 45. *Ita clemens* inquit, *esto in alienis delictis, sicut in tuis, nec quẽquam districtius quàm te iudices: sic alios iudica, vt ipse iudicari cupis. Lex tua te constringit: iudicium quod alijs imponis, ipse portabis. In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* D. Bernardus sermon. 40. in Cantic. fine volens radicitùs hoc malum extirpare, non solùm voluit nos abstinere

Matt. 7. 1.

nere ab occultorum factorum iudiciis, ſed etiam ab euidentium: *Etiamſi*, ait, *perperam actum quid deprehendas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem omnino diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temet ipſum: vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem.* Hæc enucleа, & perpende, quid lex Dei tibi præſcribat; & non facilè impinges in crimen huius procacis ancillæ, neque in aliud ei vicinum.

12. *Plurimi iuſti calumniam paſſi ad ſolatium fidelium afflictorum.*

Cæterùm Dominus ad ſolatium ſuorum fidelium afflictorum ſcripto hæc tradi voluit, ne miremur iuſtos calumniam pati. Hinc S. Scriptura Exod. 5. refert Moyſem & Aaronem, traductos, quòd populum retardarent ab operibus: Dauidem, quòd necem Sauli Regi, & ſocero machinaretur, 1. Regum 24. Heliam, quòd turbaret Iſraelem, 3. Reg. 18. Mardochæum, dura paſſum ab Aman, Eſth. 2. & 3. Michæam, quòd infenſus eſſet Regiæ Maieſtati, 3. Reg. 22. Ieremiam, quòd infecteret corda bellatorum ad defectionem; nimis faueret Chaldæis; auctorque foret caritatis annonæ, Ieremiæ 44. Danielem & ſocios, quòd edicta regia contemnentes, alios ad rebellionem ſollicitarent, Daniel. 3. 6. 14. Suſannam, quòd fædo adulterio ſeipſam maculaſſet, Daniel. 13. Præcurſorem Domini, quòd ſuis concionibus populum ad ſeditionem moueret: Chriſtum ipſum, quòd prohiberet tributa dare cæſari, Luc. c. 22. Apoſtolos, & præſertim Paulum, quòd tranquillitatem publicam turbarent: Stephanum, quòd in Moyſen & Deum blaſphemarent, Act 4. 5. 7. 17. & 19.

Primis etiam Religionis Chriſtianæ profeſſoribus à ſycophantis impoſitũ fuit, quòd nocturnis vigiliis incumbentes, extinctis luminibus, promiſcuam venerem exercerent: infantulorum carnibus veſcerentur: caput aſininum pro Deo colerent: pro ſalute Imperatoris non ſacrificarent: lignum adorarẽt: ſolem haberent prò Deo: non iurarent per genium Cæſaris: Romano Imperio aduerſa imprecarentur: & omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, vt loquitur Tertullianus Apolog. cap. 2. 7. 10. 16. 23. 28. 32. 39. Chriſtianos eſſe in cauſa. Si Tiberis aſcendiſſet in mœnia, ſi Nilus non influiſſet in arua, ſi cælum ſtetiſſet, ſi terra mouiſſet, ſi fames, ſi lues accidiſſet, ſtatim ethnici acclamabant, Chriſtiani ad leonem, tollantur ſacrilegi.

SECTIO VII.

In quo vlterius peccarit hæc Saræ ancillula.

1. NAVIS onerata, cui deeſt nauticus explorator, ſeu clauus, quo dirigatur, mille periculis expoſita eſt. Ita lingua, cui deeſt timor Dei in vada & ſcopulos millies impinget: *Labia inſipientis*, inquit Siracides, *præcipitabunt eũ*, Eccli. 10. Præſens ancilla, quã auribus veſtris ſubiecimus, abundè id prodit, quæ ob impoperium temerarium durius reprehenſa, & correpta grauiorem contumeliam intorſit, in maledictionem & conuitia prorupit: *Amplius*, inquit, *non videamus filium, aut filiam ſuper terram, ſteriliate affligat te Deus.* Deinde vocat infectricem virorum ſuorum. Præterea in præſentia obiicit crimen, quod eſt conuitium: *Nunquid*, inquit, *occidere me vis, ſicut iam occidiſti ſeptem viros?* Nimis illi lentum negotium videbatur voces expendere, verba prout in buccam cadebant, effutiebat. Præclarè dixit Cicero orat. pro Plancio; *Nihil eſt tam volucre quàm maledictum, nil facilius emittitur, nil citius excipitur, nihil latius diſſipatur.* Grauiſſimum hoc orbis malum, perſonæ præſertim cui reuerẽtiam debes, imprecari ſterilitatem, pœnam Hebræorum calculo acerbiſſimam, & quæ nonniſi ob grauem culpam infligi ſolet. Hinc omnis vulua domus Abimelech, vxoris ſcilicet & ancillarum concluſa legitur, Geneſis 20. id eſt, ſterilitate damnata, donec Saram quam rapuerat, viro Abrahamo reſtitueret vxorem, *Michol*, 2. Reg. c. 6. *filia Saul non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ.* Matris nomen non habuit; ſterilitate punita fuit, quòd arroganti ſpiritu Dauidem coram arca ſaltantem irriſerit. Oſeas Vates improbæ genti hoc ſupplicium imprecatur: *Da eis*, inquit, *vuluam ſine liberis*, ca. 9. Ephraim, inquit, me patrono, ac tutelari ſic erat firma, atque hoſtibus inacceſſa, vt Tyro ciuitatũ omnium fortiſſima non cederet: quæ vndique marino gurgite cingebatur, vbi alliſi frangebantur fluctus, & vt ſcopulus procellas, & turbines ridebat Ephraimitarum adulti in aciem prodeuntes quaſi imbelles agni ad gladium & lanienam, ibunt: quos enim contra Aſſyriorum impetum armabunt, ad gladium educent, & cædem, quia abſente Deo nil illis ex voto futurum eſt. Et quia numeroſa filiorum ſobole gloriabantur Ephraimitæ, prædicit eis Propheta plagam illam moleſtã, quod pauci deinceps ab infœcunda vulua naſcerentur filii. Grauiſſima ſanè pœna hominibus illius temporis: quia vt minus de æternitate cogitabant

Lingua effrenis inſilat manus ſine cian. eſt.

Stultitia maledictio.

tabant, ita magis ſuæ memoriæ in terris conſeruandæ ſtudebant per filiorum ſobolem.

2. *Maledici regno cæleſti indigni.*

Hanc maledictionem imprecatur dominæ ſuæ procax ancilla, lacturam cæli, & æternæ gloriæ priuationem meretur hoc vitium. Apoſtolus apertè id pronuntiat: *Neque*, inquit, *fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici*, &c. *regnum Dei poſſidebunt*, 1. Cor. 6. Hoc pleriſque mirum. Audi Chryſoſtomum: *Multi*, inquit, *hunc locum nimis aſperum accipiunt, ſi ebrioſum & maledicum, cum adultero & pathico, & maſculorum concubitoribus ponit. Atqui non paria crimina ſunt, quo modo ſupplicia erunt paria? Quid igitur dicemus? Quod ebrietas non parum quoddam eſt, & leue peccatum, neque item maledictum. Nam & Chriſtum cùm, qui ſtultum fratrem appellat, gehennæ tradit. Sæpenumerò enim illinc nata eſt mors: & Iudæorum populus ex ebrietate grauiſſima commiſit peccata. Prætereà non de ſupplicio ſermo ei hoc in loco habetur, ſed de caſu à regno cælorum, à quo pariter, & hi, & illi excident.*

3. *Exitiale vitium eſt maledicentia.*

Maledictio planè exitialis Beatus Ephrem locuples teſtis eſt de linguæ malo: *Quemadmodum*, inquit, *latro, vel vnico confeſſionis verbo, factus eſt ciuis paradiſi; ita vno verbo blaſphemiæ redditur quis rem gehennæ ignis. Vt propter vnum maledicentiæ verbum, Maria, quamuis eſſet alioquin vates damnaretur, lepra multata eſt; quo tandem gentre ſupplicij digni ſunt illi, qui ſunt ſine vllo delectu contumelioſi?* Et longè poſt: *Semel, non ob adulterij, aut furti crimen, perniciem ſibi conciliauit: ſed quod maledictu ſit vſus.* Niſi graue eſſet vitium maledictio, non vetaret Apoſtolus, cum maledico cibum ſumere: *Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri; ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere.* 1. Cor. 5. Nullam vitæ conſuetudinem cũ Chriſtianis palam criminoſis ex eiuſmodi vitijs, aliquo, vult haberi. quaſi dicat: Omninò cenſeo ſi quis Chriſtianus huiuſmodi flagitijs ſit infamis, non oportere cum eo commercium habere, vt ne menſam quidem communem eſſe velim; vt hac maximè ratione ille pudore affectus reſipiſcat, & interim caueatur, ne cæteros ſuo exemplo corrumpat.

Numer. 12. & Exod. 15.

Maledici conſuetudo vitanda.

4. *Cauendum homini à maledictione in diabolum.*

Quid facis, mi homo? quid agis ancillula procax? Quanto vos malo obſtringitis ad maledictionem proni. Syracides Eccleſ. 21. vetuit tantopere, vt nec ipſi quidem diabolo maledicendum: *Dum*, inquit, *maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam.* Cùm enim maledicus in multis imitetur diabolum, quando hunc iure merito puniri ait, damnat & animam ſuam, quæ imitatur damnatum. Hoc ſenſu Paulus Apoſtolus Rom. 2. inquit: *Inexcuſabilis es, ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alium, teipſum condemnas eadem enim agis quæ iudicas.* Angelorum Princeps horruit diabolo quidem verbis maledicere, quantò magis deberet cauere ancilla dominæ ſuæ, & vnus alteri diras imprecari; Orabat olim Deum, vt volunt Arias & Vatablus, Pontifex Ieſus filius Ioſædech pro reſtauratione templi, religionis & cultus Dei; aut, vt Beda in epiſt. Iudæ, vt Iudæi in Babylone reliqui ad patriam ſedem, & auitam religionem in Ieruſalem redirent. Ægrè id ferens Satan, accuſauit eum coram tribunali Dei, quaſi indignum Pontificatu & reſtauratione templi, ac religionis, cultuſque Dei, vt pote qui populum iam penè in Babylone legis cultuſque Dei oblitum, in ea non ſatis inſtrueret, nec ad eam obſeruandam modis omnibus vrgeret, ac præſertim quòd illum torpentem in fabrica templi ad illam non cogeret, vt patet Aggæi 1. v. 1. & 2. Rurſum, quod eum non auerteret à matrimonijs cum alienigenis vxoribus contrahendis. Sed quid? *Dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan.* Zachar. 3. Angelus Deum repræſentans nempe Michael, & cauſam Pontificis agens, non maledixit Diabolo; ſed, inquit: Deus increpet te cum poteſtate, & obiurgatione quaſi impudentem actorem & calumniatorem, qui vis Pontificem è Babylone miſerum redeuntem (vt videlicet torris è flamma affiatus, & fuliginoſus ereptus) perdere, vt populum, cultumque Dei (cui inuides) diſperdas.

Angeli abſtinuerunt à maledicendo dæmoni.

Viden quod angelus Deum repræſentans à maledictione abſtineat, Deoque rem totam committit. Tu verò homo peccator nullà dignatione ſublimis, correptus ob tua vitia in proximum, cælo natum, innumeras pronuntias maledictiones: Mors te rapiat, clamas, Peſtilentia te conſumat, fulmen te ſternat, Diabolus te auehat, gehenna te glutiat: Mille cruces, mille rotæ te frangant; Corui te lacerent, exoculent, euiſcerent; Abi ad inferas vmbras. Saræ ancillula, *Amplius ex te non videamus filium aut filiam.* Hæc Sataneæ homicidæ ab initio ſunt iacula, hæ machæræ. Ideò Paulus maledicos nequiſſimis hominibus annumerat; ideò cæli oſtium his obſeratum pronuntiat: *Maledici regnum Dei non poſſidebunt.*

5. *Audacia ſit proximo maledicum.*

Scribit Apoſtolus Paulus Iudas Thadæus epiſt. ſuæ v. 9. *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ.* Quænam hæc altercatio fuerit, non ſatis conſtat. Oecumenius exiſtimat de honore funeris certatum fuiſſe, *Michaël Angelus*, inquit, *Moyſis ſepultura præfuiſſe dicitur, cumque Diabolus id non pateretur, ſed crimen inferret, quod Aegyptium interfeciſſet, quaſi ob id ad ſe pertineret Moyſes, ac propterea honorata ſepultura eum affici non permitteret, & reſpondiſſe.* S. Chryſoſtomus, S. Ambroſ. Thomas Anglicus, alij, cenſent voluiſſe Satanam Moyſen

6. *Cur certamen inter S. Michaëlem & diabolum ſuper corpore Moyſis. Iudæ epiſt. v. 9.*

Moysen sepeliri loco cognito & publico, vt Hebræi in idololatriam proni, eum quasi Deum & numen colerent; Michaëlem verò ei obstitisse, & curasse vt secretò sepeliretur. Serarius autumat Diabolum contendisse, vt corpus Moysis inferretur in terram promissionis, nec extra eam in Moab, vt pote regione sibi in idolorum cultu addicta, sepeliretur, ne ab eo aliquod damnum acciperet, vt accepisse se à Babilæ sepulchro in Daphne questus est, sicut habet vita S. Babylæ, & ex ea Baron. tom. 4.

Vt vt est, *Non ausus fuit iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Quasi diceret: Michaël non est ausus diabolum, licet omnis malitiæ auctorem, sibique iniquissimè resistentem iudicare & blasphemare, id est, iustum & meritum ei conuitium & maledictum ingerere, dicendo: Vade maledicte Satan. Abi iniquissime in maledictionem & gehennam. Enuclea hæc mi Christiane. Poterat S. Michaël per se suaque vi compescere insolentiam Diaboli, quia eo potentior est, & superior, sed maluit ex modestia & reuerentia hoc opus & hanc virtutem transferre in Deum, quem vti nomine præfert, ita multò magis corde & ore refert, ab eoque postulare vt diabolum comprimeret. Aptat Apostolus id exemplum ad Gnosticorum audaciam, & impietatem retundendam, qui maiestatem maledictis proscindere non verentur. Est autem argumentum à maiori; si enim Michaël Archangelus cælestis militiæ princeps non est ausus in dæmonem, quamuis Dei immortalis, ac bonorum omnium hostem, maledicta conijcere, profectò multò minus impuris hominibus licebit maiestatem blasphemare, aut proximum maledictis incessere. Præclarè Oecumenius: *Isti quidem temerè ac petulanter contra omnes maledicta congerunt, cùm tamen neque eos, qui maledictis sunt digni, insectari conuitijs iustum sit; id quod ex Archangelo Michaële manifestum est, qui cùm aduersus diabolum disceptaret de corpore Moysis, ac posset eum ob impudentiam maledictis iure incessere, id minimè sibi faciendum censuit, sed tantummodo dixit: Increpet te Deus, Diabole. Quod si ita erga Diabolum se gessit Archangelus, vt neque hominem conuicijs affici passus fuerit, quomodo isti vel Deum omnium auctorem, vel hominem fratrem, & sibi cognatum prosequi maledictis, ac conuitijs audent?*

Michaël dixit hominis à maledictione esse abstinendum.

7. Respexit Michaël, ait Didymus, ad bonam diaboli naturam, atque idcirco maledictis abstinuit, suoque exemplo docuit quid nos facere oporteat, qui sæpè odio & irâ inflammati, non tam vitia, quam homines ipsos insectamur, & maledicimus. Sed proh dolor! nos nihil respicimus, neque inferiorem neque superiorem, sed sine vllo respectu maledicta euomimus, cùm *Nemo*, teste Hieronymo ad Tit. c. 1. *sit tam Sicarius, tam Parricida, tam veneficus, qui non aliquid boni aliquando fecerit.*

8. *Maledictus in iustitiam Dei peccat.*

Consideret homo fidelis quid agat maledicens. In diuinam iustitiam grauissimè delinquit, qui alium diris omnibus deuouet in quem illi nihil est iuris. Michaël non audebat diabolo maledicere iam gehennæ Filio. Nos verò iram Dei in eorum caput detestamur, quos Deus suo fauore dignatur, aut de quibus ignoramus an diuino fauore destituti sint. Laudatissimus in hoc Balaam (modo diu talis perstitisset) quod maledicere noluerit Israëli: *Quomodo maledicam*, inquit, *cui non maledixit Dominus? qua ratione detester, quem Dominus non detestatur?* Num. 23. In hunc modum maledici oris homo interrogandus foret: Scisne maledice, quòd huic homini maledixerit Deus? cur ergò tu audacissime, omnes illi diras, omnes ex Orco diabolos imprecaris? hocne mores Christianos sapit? Idcirco infausta precatio sæpè in Auctorem suum recidit. Isaac Genes. 27. dicebat Iacobo filio: *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Deus ipse Abrahamo: *Maledicam maledicentibus tibi.* Genes. 12. Hebræus Sapiens propterea monet iusto, maledicentiam hominis iniusti non curandam. *Sicut*, inquit, *auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam supereueniet.* Sensus est; Sicut passer qui viso arcu auolans in eum locum sese vindicauit, quo iacula peruenire non possint, ita etiam is, qui innocenter agit, in tuto est; nam maledicta iactantes (hi scilicet, *qui contendunt velut arcum linguam suam, vt sagittent in occultis immaculatum*) ad illum perringere non queunt aut melius: Sicut auis vt passet vel hirundo è nido suo ad alia & alia volat, redit tamen in nidum suum vnde auolauit: ita maledictio quæ frustrà in aliquem profertur superueniet in illum, à quo progressa est.

Maledictio sapit in auctorem redundat.

Psalm. 63

Rerum explan.

In ditione Moguntina Ecclesiastes pro suggestu in calceos rostratos (qui illius ævi luxum accendebant) acerrimè inuectus est, diaboli commentum esse asserens, tam prodigiosam calceandi rationem. Concioni sutor intererat, qui contractius lucrum præmetuens, obiurgationem hanc ægerrimè tulit, &, Quid calcei ad hunc sacrificum? ait, Vt illius verticem morbus sonticus inuadat. Sic indignabundus excessit templo. O miser, misisti lapidem in altum, sed in caput tuum recidet. Dum ergo hic sutor domum properauit in via obuius ei factus est vir procerus & terribilis veste prasinâ amictus, qui capite præhensum affixit humi. Sed prius vertici cruentam notam impressit, tanquam si orbem rasisset. Impos sui, horam sic iacuit; tandem à cæteris illius concionis auditoribus domum

suum

ſuam delatus, ſibique reſtitutus, omnia ordine aperuit, ſuoque damno docuit, nemini maledicere. Ita refert Ioan. Guiler à Kaiſerſperg. l. de oris peccatis. Domin. *Letare.*

9. *Ancilla Sara conuitiũ committit.*

Perpende mi homo ex huius ancillulæ verbis, quod non vnius peccati ſe reum maledicus reddat, ſed plurium. Iuxta maledicentiam conuitiatur Dominæ ſuæ: *Interfectrix*, inquit, *virorum tuorum; nunquid & occidere me vis, ſicut iam occidiſti ſeptem viros?* Manifeſtè crimen impingit, quod detractor facit occultè. Magnatibus qui detrahant, innumeri ſunt, qui conuitium dicant, vix vlli. Reuerentur vtique Maieſtatem coràm flagellare: Sicuti nec Ægyptus ob calorem, nec Scythia ob rigorem ſentit fulmina: ita vel ingens potentia, vel extrema fortunæ humilitas, vt cumque tutum à conuicijs reddit. Sacra pagina vt paradoxum, proteruum nimis ac petulans narrat conuitium Michol in Dauidem, 2. Reg. 6. ſed vt proteruius & audacius conuitium Semei in eundem 2. Reg. 15. ancillæ Saræ, vt intolerabile. Nihilominus hæc, nullo habito reſpectu auſa fuit illud addere maledictioni, & petulanter in faciem Dominæ inſultare. *Nunquid & occidere me vis, ſicut iam occidiſti ſeptem viros.*

Magnates multos habent detractores, vix vllos conuitiatores.

Maledicus plurium peccatorum reus. Homicida eſt.

Veriſſimè dixit B. Ephrem. *Homo maledicus vtroque & odij & ſuſurrationis morbo laborat.* De priori vitio pronuntiat Ioannes: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, 1. Ioan. 3. diſpoſitione ſcilicet. Maledicus namque gladijs & pugionibus non pugnat, ſed animo ac lingua ſic vulnerat, imò & necat, vt eum non immeritò dixeris homicidam, qui primo aggreſſu iugulet. Vnde ſubdit B. Ephrem: *Et qui talis eſt, fratricida & crudelis, & immitis cenſetur.* De altero inquit Syracides, *Vir peccator turbat amicos, & in medium pacem habentium immittit inimicitias.* Hebræus Sapiens Prouerb. 6. declarat quantum hoc vitium deteſtetur Deus. Vide Diſcurſ. 9. in VIII. Præcep. qui amplè de Suſurrationis vitio tractat.

Item Suſurro.

10. *Qua & qualis Dauidis maledictio in*

Cùm Rex Dauid probare vellet patratam cædem à Ioab in Abner 2. Reg. 3. accidiſſe ſibi admodum ingratam, cum dirâ quadam execratione caput Ioab, & totam illius familiam, imò & cognationem omnem defigit: *Mundus ego ſum*, inquit, *& regnum meum apud Dominum vſque in ſempiternum, à ſanguine Abner filij Ner. Et veniat ſuper caput Ioab, & ſuper omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum, & cadens gladio, & indigens pane.* Quo dicẽdi ſeu execrandi genere animi dolorem ſignificabat cum graui quadam indignatione coniunctum, ſicut nuper per execrationem, quam in montes Gelboë intorſerat, dolorem inſinuabat ingentem quem ex Saulis capiebat, & virorum fortium infelici caſu? Quid ſit fluxu ſeminis laborare, quid leproſum eſſe, ſcitis. Fuſum tenere viris maxima eſt ignominia. Magno ſui detrimento expertum eſt Romanum Imperium, quàm ſit graue conuitium, & intolerabilis iniuria, ad fuſum, & penſa viros amandare: cùm Narſes eunuchus, vt hanc iniuriã, quam Imperatoris vxor irrogarat, vlciſceretur, magnis calamitatibus affecerit Imperiũ. Obſcurauit Hercules egregia facta, qualia nulli mortalium affinxit antiquitas, cùm fuſum tenuit, & ſtamina tractauit. Cadere gladio ex aliorum inſidijs, aut certè in quocumque ſiue bello ſiue certamine, inimicorum virtuti ſuccumbere, quàm graue ſit, palam notum. Indigere pane, ſeu fame confici, quàm durum demonſtrat illa execratio Dauidica Pſal. 108. *Nutantes tranſferantur filij eius, & mendicent.* Hæc materialiter ſimul Dauid pronuntiabat, vt animi dolorem ſignificaret. Si autem formaliter hæc fuiſſet imprecatus domui Ioab, ex paſſione nempe, odio & malitia, tot commiſiſſet peccata, quot ſunt diuerſæ ſpeciei mala.

Ioab ob homicidium Abner.

Fuſus, & colus in viro maxima ignominia.

Maledictus peccata committit, quot ſunt diuerſa ſpecies mala.

Hæc nota anima Chriſtiana; Si enim alicui impreceris fulmina, peſtem, mortem, & ſimilia, quibus intereat, homicida es: ſi incendium domus, ſi bonorum ablationem optes, fur es. Caue ergo ne præſenti animo cuiquam maledicas: Non enim capit cælum maledicos. Caue quiſquis es ancillulam hanc imitari: audi Paulum qui ad alia te vrget: *Benedicite*, inquit, *& nolite maledicere.* Vide plura de maledictione hominum Diſc. 11. in VIII. præc. vbi plura comperies huic materiæ conuenientia.

11.

Roman. 12.

CA-

CAPITIS TERTII

VERSVS. X.

Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit neque bibit.

Verſ. 11. *Sed in oratione perſiſtens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab iſto improperio liberaret eam.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 10. 11. Ad haſce contumelias & calumnias nihil reſpõdit Sara; ſed ad locum ab omni ſtrepitu domeſtico ſeparatum ac orationi opportunum ſeceſſit, & tribus diebus ac noctibus famem tolerans, continuò orationi ſe dedit, & lachrymis deprecans obnixè Deum, vt ab illo opprobrio ſuam innocentiam tueretur, ne populo eſſet fabula, & domeſticis familiare ludibrium.

SECTIO OCTAVA.

Quid docuerit ſuo exemplo Sara, dum nullas contumelias regerens ad cœnaculum ſuperius ſe recepit?

1. *Vtile plerumque in contumelijs ſilentium.*

PSAL. 38. dicit Propheta Regius: *Poſui ori meo cuſtodiam cùm conſiſteret peccator aduerſum me, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Cùm aliquis, inquit, iniquus fortè irritaret me conuitio aut detractione, aut alio calumnioſo verbo, tùm maximè cuſtodiui os meum, ne prorumperet in aliquod verbum; quaſi mutus fuiſſem: ita vt abſtinerem etiam à iuſta defenſione, & à debita reprehenſione. Simili modo ſeſe habuit Anna 1. Reg. 1. cum eam affligeret æmula eius, & vehementer angeret, in tantum vt exprobraret ei per ſingulos annos, quod Dominus concluſiſſet vulnam eius, & ſic ad regerendas contumelias lacesſeret. Sic & fecit Miphiboſeth, quem ſeruus Siba affectati imperij, & infidelis animi apud Regem Dauidem arguerat; qui licet obiecta ſibi crimina depelleret, cauſatus pedum infirmitatem, quæ fecit ne excedentem Regem ſubſequeretur, vti & famuli contemptus, qui neglexerat aſinum ſternere, nullas retorſit in eum contumelias; ſed dixit Regi: *Tu autem Domine, mi Rex, ſicut angelus Dei es, fac quod placitum eſt tibi, Neque enim fuit domus patris mei, niſi morti obnoxia Domino meo Regi; tu autem poſuiſti me ſeruum tuum inter conuiuas menſæ tuæ: quid ergo habeo iuſta querela? aut quid poſſum vltra vociferari ad regem?* Item Suſanna Daniel 13. nihil in accuſatores effudit. Et Sara noſtra omninò ſilens perexit in ſuperius cubiculum orationis cauſa.

2. *Silentium vtile ad frangendam iracundiam.*

Quid, quæſo, exemplo ſuo nos docuerunt? Non aliud, quàm ſilentium in iniurijs ad multa eſſe perquam vtile, & primò ad frangendam iracundiam. D. Ambroſius in verſ. 14. Pſal 37 inquit: *Inimici hoc agunt, vt prouocent ad iracundiam: maledicunt, vt maledicamus: criminantur, vt crimen retorqueamus: conuitiantur, vt excitent nos ad vicißitudinem contumeliæ. Sed iuſtus accuſatus tacet: læſus remittit, diſſimulat laceßitum.* Ità planè & Sara. Excipiebat quidem iniurias; non referebat. Vnde tantum aberat, vt priſtinam ſanctitatem amitteret, vt potiùs nouam indies compararet.

Silentium, vnicum ad ſopienda iurgia remedium.

Hoc eſt conueniens planè ad frangendam, iracundiam, & ſopienda iurgia remedium. Vnde rectè D. Dorotheus de vita rectè inſtituenda, doct. 8. comparat verba contumelioſa cum prunis, ſeu carbonibus ignitis; quemadmodum enim prunæ ſi hinc, inde in medium congerantur, magnum excitabunt incendium; ſi verò alteri non coniungatur, facilè extinguentur. Ità planè ſi contumelijs contumeliæ ingerantur, omnia conflagrabũt: ſi ſubtrahantur, iurgium conquieſcet. Non minus eleganti ſimilitudine ventorum in ſe mutuò incurrentium, & magnã in mari excitantium tempeſtatem, rem declarat D. Baſilius hom. 9. de ira: *Contumeliam*, inquit, *tibi impoſuit iratus? Siſte ſilentio malum. Et ne ventos imiteris, qui per reflatum id, quod appulſum eſt, repellunt.* Quemadmodum enim ſilet tempeſtas, niſi venti ventis aduerſentur: ita planè tollitur iurgium, ſi ex altera parte ſileatur.

Iurgia prunæ

Nam linguâ domitâ, fluctus quoque concidit ira.

Vt dixit D. Gregor. Nazianz. orat. 6. ad Gre-

gor. Nissen. carm. de silentio. Neque multò aliter Philosophatur D. Chrysost. hom. 11. in 1. epist. ad Thessal. *Non vides*, inquit, *in ædibus, quando ex aduerso, & directè fleterint duæ ianuæ, flatq; ventus vehemens; si alteram clauseris, nihil potest ventus: sed magna pars eius virium præciditur. Ita nunc quoque duæ sunt ianuæ tuum, & eius, qui te contumelijs affecit, & conuitijs. Si tuum clauseris, extinguis totum furorem; sin autem aperueris, non potest cohiberi.* Consentit in hanc sententiam Laurent. Iust. in ligno vitæ de timore cap. 3. *Plena*, inquit, *victoria tunc vera est, non formidare conuitia, ad clamantem tacere, & non respondere prouocanti.* Et rursum. *Sicut*, inquit, *nihil est deformius, quàm respondere furenti: ita nihil est vtilius, quàm tacere, dum prouocamur: quia nullus est finis inimicitijs, nisi ad tempus obtemperetur iratis.*

3. *Patientia silentium iurgantis flagellum.*

Secundò vtile est non solum ad extinguendum iurgium; sed etiam ad contumeliosum flagellandum, vt rectè notauit Tertull. lib. de patientia cap. 8. *Omnis*, inquit, *iniuria, seu lingua, seu manu incussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispũgetur, quo telum aliquod in petra constantissima duritie libratum, & obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera, & infructuosa, & nonnumquam repercussum in eum, qui emisit, reciproco impetu sauiet. Nempe idcirco, quis te lædit, vt doleas: quia fructus lædentis, in dolore læsi est, ergo cum fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.*

4. *Silentium diuinum patrocinium meretur.*

Tertiò hoc efficit, vt habeat Deum debitorem & defensorem. Id experta est non solum Sara, sed & Anna Elcanæ vxor quinimò & Susanna, quæ suo silentio diuinum patrocinium requirens, spe sua non est frustrata: de qua sic Ambros. lib. 1. Officior. cap. 3. *Plus egit*, inquit, *tacendo, quàm si esset locuta. Tacendo apud homines, locuta est Deo. Nec vllum magis indicium suæ castitatis inuenit, quàm silentium. Conscientia loquebatur, vbi vox non audiebatur. Nec quærebat pro se hominum iudicium, qua habebat Domini testimonium.* Simile quid inuenire est in Euangelio Luc. 7. vbi cùm dixisset intra se Simon respectu Christi de Maria Magdalena: *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est*; ipsa verò nihil responderet, suscepit Dominus eius causam, & magnopere prædicauit, quam ipse contemnebat. Cùm Luc. 10. Martha conquereretur de Maria, quòd illam relinqueret solam ministrare, audiuit à Domino Mariæ silentis vices subeunte: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Publicanus contemptus à Pharisæo Luc. 18. nihil regessit in ipsum, sed sibi vni veniam precabatur: *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori.* In quem locum Chrysostomus: *Telonet*, inquit (id est publicanus).

Publicani in ferendis contumelijs Pharisæi modestia.

contumeliâ affectus à Pharisæo, non retulit contumelias, quamuis potuisset, si voluisset, sed animo Philosophico tulit dicens, Propitius esto mihi peccatori. Et quis vtriusq; exitus? Audi sententiam Domini, *Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* id est, Descendit hic Dei iustitia iustus, seu tali, cuius laus non est ex hominibus, sed ex Deo.

Silentium patientiæ Deum sibi præstat.

Accedat ad hæc exempla Tertullianus, qui lib. de patientia cap. 15. testatur Deum esse humiliter patientium præsidem, ac patronum: *Satis*, inquit, *idoneus patientiæ sequester Deus: si iniurias deposueris apud eum, vltor est: si damnum, restituter est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem?* Moyses & Stephanus ex eo quod contumelias patienter pertulerunt, ab aliquibus dicuntur tanto fulgore corruscasse, vt Scriptura Exod. 34. & Act. 7. testatur: Vbi enim humana patientia conticescit, æquum videtur, vt angelica patrocinetur præsentia. Achis Rex 1. Reg. 29. cùm videret Dauidem inter multas inimicorum calumnias tacentem & parientem, Angelum appellauit: *Scio*, inquit, *quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.* Rex quondam Abimelech sanctissimum Patriarcham Isaac suo regno abire iussit, & alieno solo exulare. Patienter tulit Isaac, & quin vllum verbum faceret pro se, peregrinus excessit. Ecce tibi paulò pòst ab eodem Rege, regnique primoribus conuenitur Isaac, & in priores sedes, veteremque amicitiam inuitatur: *Vidimus*, inquiunt, *tecum esse Dominum, & idcirco diximus, fiat iuramentum inter nos, & incamus fœdus*, Genes. 18. Vnde, quæso, vidisti, ô Rex, Deum esse cum Isaac? Planè, quia tacentem vidi in iniurijs. Qui enim ab iniurijs se non defendit, Deum certissimè habet defensorem. Vnde Chrysost. hom. 51. in Genes. *Vide*, inquit, *quantum mansuetudinis robur: & quanta virtutis potentia: quippiam abegerant, nunc veniunt ad peregrinum: & non solum satisfaciunt, & excusant se de his, quæ commiserant: sed & peccatorum veniam petunt, & prædicant ipsum.* Vbi totum hunc euentum refert ad mansuetudinem, qua Isaac illatam sibi iniuriam sustinebat. Ex eo enim quod Geraritæ parientem Isaac cognoscebãt: Deum illi propitium adesse non dubitabant.

Isaac filium ex exilio ab Abimelech reuocatur.

5.

Nos verò quia contumelias contumelijs rependimus, non solùm hoc patrocinio & honore nos priuamus: sed pari culpâ, aut etiam grauiori nos ipsos constringimus. Pulchrè in hãc rem Tertull. lib. cit. de patien. cap. 10. *Quid*, inquit, *refert inter prouocantem & prouocatum; nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at ille posterior? Tamen vterq; læsi hominis, Domino reus est, qui omnem nequam & prohibet, & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est; nec locus secernit, quod similitudo coniungit. Par fa-*

Contumelias referens, nihil ab iniurijs differt.

ctum

dum, par habet & meritum. Imò D. Basilius hom. 9. de ira, deteriorem putat referentem, quam inferentem contumelias: non solum, quia ille semper cum fœnore, & cum auctuario retorquet, sed etiam, quia posita iam ob oculos prioris conuitiatoris deformitate, adhuc nihilominus pergit conuitiari: & eo, quem odit, vtitur præceptore: eum quem vellicat, imitatur: eius imaginem portat in vultu, cuius odium claudit in mente, vt sic sui inimici quoddam veluti speculum fieri videatur. *Noli*, inquit, *tuo aduersario pro magistro vti, nec quem odio prosequaris, hunc æmulari, nec fieri velut speculum irati velis, illius formam in tipso ostendens. Rubescendus ille est ob iram, tu minimè ruborem profers? Ille sanguinei oculi? tui quietè ac cum grauitate aspiciunt? Vox illis aspera: tibi mitis? Neque enim sic in locis deserta echo in ipsos clamantes intempestiuè infringitur, sicut in hominem iniustum & contumeliosum contumelia reuertitur. Immò somnus quidem illic idem redditur, contumelia verò augmentata recurrit. Nam si inter litigantes fortè conuitia decurrunt, primus obscurum hominem, & ex obscuro venientem loco probrosè vocat: alter vernam ex vernis regerit. Hic pauperem, alter mendicum. Hic indoctum, alter stupidum appellat. Denique sic durant donec conuitia sicut sagittæ deficiunt. Deinde omni contumelia per linguam consumpta, ad manus venitur & pugnam. Ira namq; certamen excitat, certamen verò conuitium, conuitium verbera, verbera demum vulnera, ex quibus & mortes sæpè sequuntur. Itaq; iram ab initio vt malis originem compescamus, ac ex animo nostro totis viribus extirpemus.*

Imò quandoque deteriorem peccat.

S. Chrysostomus humanam perpendens infirmitatem, hanc facit obiectionem hom. 12. in Acta: *Sed non possum*, inquit, *cùm homo sum*; videlicet, iniuriam sine iniuria præterire. Et respondet: *Homines itaque tibi adducamus: Et ne putes me tibi dicere Petrum ac Paulum, sed quosdam illis multò inferiores. Puer Heli Annam contumelijs affecerat, dicens: Dignè vinum tuum. Quid hoc contumeliosius? Quid igitur illa? Mulier in amaro die ego sum. Nihil venena afflictioni par, Philosophiæ mater est. Ista etiam æmulam habens, non affecit illam contumelia. Sed quid? ad Deum confugit, & eram illius nec meminit, neque dixit, quoniam opprobrijs affecit me quidam, vitet meus iste, adeò Philosophiæ assueta erat mulier. Confundamur viri, quamuis sciamus quod zelo nihil par sit. Telonæ contumelia affectum à Pharisæo, non retulit contumelias, quamuis potuisset, si quidem voluisset. Sed animo Philosophico tulit, dicens: Propitius mihi esto peccatori. Mephibozet à seruo accusatus, & calumniam passus, neque dixit, neque fecit illi aliquid mali, neque de rege ipso. Vis & scorti audire Philosophiam? audi Christum dicentem, quando capillis pedes illius tersit: Telonæ & meretrices præcedunt vos in regno. Vidisti istam flentem ac lachrymantem, & sua crimina abluentem. Vide quomodo & contra Pharisæum non irata fuit, cùm confunderetur, si sciret*, inquit, *quod peccatrix est mulier ista non permisisset illam. Et non dixit ad illum: Cur nam, dic? Tunè à peccatis mundus es? Sed magis patiebatur, magis plorabat, plus calidarum lachrymarum emittebat. Si autem mulieres, & Telonæ ac meretrices Philosophabantur, idq; faciebant ante gratiam: qua erimus nos venia digni post tantam gratiam, magis quam bestiæ expugnarentur, lachrymantes, & reluctantes: nihil fœdius furore, nihil vilius, nihil grauius, nihil insuauius, nihil nocentius.*

Sed dices, Nunquid melius feciſſet Sara ancillam reprehendendo? Audi Syracidem: *Homo*, inquit, *assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur* Eccl. 23. v. 21. Oleum & operam perdes, propter prauam eiusmodi hominis dispositionem, qui potiùs in Monitorem insurget. Optimum ergo adhibuit Sara remedium, Silentium, quod grauis & duræ reprehensionis aliquando supplet vices, Tertulliano teste suprà num. 3. cit. Eliseus Phropheta à Ioram Rege Israel cõsultus de bellorum euentu, silendo decreuerat ostendere quo esset in ipsum animo: *Viuit*, inquit, *Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem*, 4. Reg. 3. ex silentio meo, auersoque vultu cognoscere potuisses meum erga te animum. Ex silentij natura, grauem offensionem Didonis expressit Maro libr. 6. Æneidos.

6. *Vtiliter abstinuit Sara à reprehensione.*

Silentium quandoque supplet vices reprehensionis asperæ.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat,
Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Silentio Christus Dominus suam innocentiam testabatur. Vnde accusatus apud Herodem, *nihil respondebat.* Luc. 23. non vt calumnijs consentiret, sed vt tacendo, calumnias eleuaret. Quod D. Ambrosius ad eum locum expendens: *Accusatur*, inquit, *Dominus & tacet? & bonus tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusatione tacendo confirmat, sed despicit non refellendo.* Silentio & mansuetudine, vt Basilius tradit, aut prodes inimico ad exemplum; aut grauius vindicas te per contemptum: qui succenset irascenti, deterior hoc est, quoniam facit, quod reprehendit, & quod alius absque exemplo quo retardari posset, iste exemplum turpiter se gerentis non virans: imò istum censetur excusare, dum imitatur. Surdus ac mutus Saul fuit, cùm adhuc, paruulus in oculis suis, despicientibus eũ viris Belial, *dissimulauit se audire.* Iob etiam dissimulauit, quieuit, siluit, veniente super eum indignatione, *nec stultum quid contra Deum locutus est*, sed nec aduersus alios. Ioseph ad adulterij calumniam nihil respondisse legitur. Bonus mutus, inquit, Ambrosius, qui loqui malè nescit,

Christi in iniurijs silentium eius innocentiam testabatur.

Silentio plus aliquando proficitur, quàm respondendo.

1. Reg. 10.

Iob. 1.

Bonus mutus, qui loqui malè nescit.

cuius ex ore crimen exire non nouit: hic est mutus verus beatus, qui cùm tacet, intra se loquitur, *& linguam habet à Deo mire eruditam, vt sciat, quando oporteat dicere sermonem*, Isa. 50. Obmutescunt aliqui metu vt *canes non valentes latrare*; & qui abstinent à sermone cùm maximè promendus esset, siue confitendo peccata, siue aliter; quod est veluti obsideri à dæmonio muto: imperio & necessitate compulsi, vt dæmones; reprehensione conuictæ conscientiæ, vt ingressus in Regis conuiuium absque veste nuptiali, Matth. 22. & præ ignorantia non habentes quod contradicant, vt dicitur 1. Pet. 2. præsâ infidelitatis, vt Zacharias Ioannis pater; patientia & mansuetudine, vt hæc nostra Sara, Dauid, Iob, Saul, de quibus diximus alijque: iudicio & prudentia, vt ijdem; omnisque qui sapientis consilium sequutus, non respondit stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiatur ei similis, Prouerb. 26. Hinc videmus aliquos magis excandescere, quod eos nullo digneris responso, quàm si vllam correptionem adhiberes. Et fortè propterea Dominus Deus, aliquorum Sanctorum, os refrænauit, vt grauius partem aduersam castigaret. Iob cap. 30. dicit aduersus illos, qui eum non verebantur, hæc verba: *Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frænum posuit in ore meum.* Hæc, inquit, ab hominibus indecore patior, quia illorum manus, Deus, vt me exerceret, atque probaret, eiusmodi spiculis armauit. Continuerat hactenus sagittas suas in pharetra; cùm me custodiuit paterno studio, & quotidianis ornauit beneficijs: nunc autem inclusas ad hoc vsque tempus sagittas exprompsit, quibus confixus sum; & sui timore atque obseruantia, ne quid insultantibus responderem acerbius, quasi quodam fræno linguam meam seuerè constrinxit. Hinc etiam videtur in persona patientium dixisse Ieremias cap. 3. Threnor. *Sedebit solitarius, & tacebit, ponet in puluere os suum, si forte sit spes*, id est, mœstus & patiens expectabit auxilium à Deo, quia scit Deum hoc iugum sibi imposuisse, cui contrariare non possumus, & generosè feret conuitia & probra, perinde ac si os haberet plenum terrâ; quia credit Deum illud iugum depositurum, & ablaturum, cùm voluerit.

Silentium quandoq; supplet vices reprehensionis asperæ.

Durius vapulat inuriator, si tacetur.

Præclarè Basilius loc. cit. *Quid aduersario durius esse potest, quàm te animum gerere contumelijs omnibus altiorem? Noli tuam pessundare mentem. Nec ab eo qui te conuitijs & omni iniuria petit, comprendi patiare. Sine illum frustrà te allatrare, in seipso disrumpi. Sicut enim ille qui minimè sentientem aut curantem verberat, seipsum ladit, & incommodo afficit, quod nec inimicum plectere, nec animam, iramq; exsatiare se videat: sic & is qui contumelia in eum, qui nequaquam doleat, vtitur perturbati animi confusionem inuitè nullo modo poterit.* Idem Doctor salubria in hac re monet impeditæ: *Ille*, inquit, *maledixit, tu benedicas. Verberauit, tu patere. Expuit, nihilq; te existimauit, tu cogita quemadmodũ ex terra es, & interram reuerteris. His namque modis atque rationibus te confirmans, longè leuiora, quàm reuera sunt, inuenies tibi aduersarij facta, iurgiaq;. Sic etenim tabonem illis securius reddes, ostendesque quam sis contumelijs inuulnerabilis, ac præclaram tibi patientiæ coronam comparabis, dum alterius insaniam, occasionem philosophiæ, ac tuorum fecisti meritorum. Quamobrem, si mihi credis, probra contumeliasque minimè curabis: obscurum te, & ingloriosum vocauit, nullius æstimationis? terram te ac cinerem esse dicas? Nec tu melior es patre nostro Abraham, qui se eadem vocauit, ignarum, pauperem, ignobilem nominauit. Tu vermem te dicas, & è stercore genus ducere, verba Dauid memorans. His etiam Moysis decem adde. Ille ab Aarõ & Maria verbis petitus probrosis, non ad Deum aduersus illos inuectus est, sed pro eis orauit: Quorum tu, dic mihi, cupis esse discipulus? beatorum ne hominum & Deo gratorum, an eorum qui spiritu referti sunt maligno? Quando enim verborum contumelia tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæres, an per iram in aduersarij partes inclines.*

Optima monita de patiente, ferendis iniurijs.

Fortè subibit animum hæc cogitatio. Præclara sunt hæc; sed patiamne me à tam vili homuncione superari? imbellis habebor, & nullius spiritus homo. Nullo modo patiar, Vim vi, repellam; malo nodo malum cuneum accersam. Erras mi homo, patiendo & silendo fortior euades. Hebræus sapiens testis est: *Melior est*, inquit, *patiens viro forti: & qui dominatur animo expugnatore vrbium.* Prouerb. 16. Fortitudo enim Christiana in tolerandis malis potissimùm spectatur. Præclarè Augustinus Psal. 93. *Non opus habes fortitudine, quando tibi aliquis detrahit absenti, quia nõ audis, nec sentis: Si autem in faciem tibi dicat, opus est vt fortis sis. Quid est, fortis sis? Vt feras, ne fortè ideò tepuisti fortem cùm audieris, quia percussus pugno, victus conuitio. Non est ista fortitudo si conuitium patiaris, quoniam ab ira victus es. Et valde stultum est hominem victum fortem dicere, cùm dicat Scriptura, Melior est qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem. Meliorem dixit ira victorem, quàm ciuitatis captinatorem. Habes ergo aduersarium magnum in ipso. Cùm audito conuitio ira ceperit surgere vt reddas malum pro malo, recordare verba Apostoli, Non reddentes malum pro malo neque maledictum pro maledicto. His verbis recordatis frange iram, tenes fortitudinem, & quia coram te dixit tibi maledixit, non post, dorsum tuum, præcinctus es illâ.*

7. Fortitudo consistit in patiente ferendis conuitijs.

t. Pet. 3.

Fabius Maximus (quem olim Ouem appellabant) pugnam opportunè fugitans, & Annibalem magis eludens, quàm conflictu frangens, ducem antea inuictum, morâ vicit & patientia; ita qui cedit & silet, linguamque

Calumniatus plus efficies silendo quàm retaliando.

que verberantem non reuerberat, sed declinat dextrè, hic victor est, hic vacillantem concordiam restituit cedendo & silendo. Ita Socrates Xantippem vxorem clamosissimam placauit non respondendo Medicamentum iniuriarum & contumeliarum omnium probatissimum est silentium. Tàm iniurias ferentem quàm inferentem sanat: solà offensarum commemoratione animorum vulnera recrudescunt. Silentium ad dolentis animi perturbationem sedandam valet plurimùm. Optimè miserias ferunt, qui abscondunt. Hinc Rex iratam non sine causâ Reginam sic alloquitur:

Virg. lib. 4. Aeneid. Similitudo canum.

Desine meq; tuis incendere, teque querelis.

Canum in pagis allatrantium ira non melius deferuescit, quàm transeuntis viatoris silentio, cautâque patientiâ. Apum circumuolitantium aculeos non difficulter exit illæsus, quisquis inter eas fuerit quietus; repugnans & procax læditur. Pax silentij effectus, & velut filia est.

8. Repeto itaque contra iratorum contumelias pharmacum esse præclarissimum, Silere. Aut enim potentior de te malè locutus est, aut imbecillior: si imbecillior, parce illi; si potentior, parce tibi, & noxam caue. Sunt qui cum audiunt vel leuiter sibi detractũ ab alijs, mox grandem meditantur vindictam: ita sagittæ paruulorum factæ sint plagæ illorum, inquit Psalmista Ps. 63. v. 8. At iniquũ est pueruli sagittâ vix læsum, mox vulnera & cædes coquere. Non est argumentum certius magni animi, quàm improbâ lingua verberatum non reuerberare. Disertè Chrysostomus hom. 19. in 2. ad Corinth. *Neque enim si firmum, ac robustum corpus habeamus, fortes proinde sumus. Is enim demum hac virtute præditus est, iaceat licet in lecto, qui ad mala sufferanda internis viribus pollet, quibus demptis etiamsi alioqui tanto robore corporis quisquam præditus sit, vt vel montem euellere queat: haud tamen illum puellæ, seu misérâ anu firmiorem, valentioremq; esse dixerim. Nam ille cum inconcussis vitijs confligit: hic autem ne contueri ea audet.* Huc spectat illa Tullij sententia pro Marcello: *Domuisti gentes immanitate barbaras; multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, vt vinci possint, habebant. Nulla est enim tanta vis, tanta copia; quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique possit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, &c. hæc qui faciet, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.*

Magnanimus est, qui mala patienter & tacitè sustinet.

Qui animos dominatur, simillimus est Deo.

Ciuitates plurimas subiugauit, totam penè Asiam vicit & Aphricam Alexander ille magnus, & tamen iræ & furoris beluam in se suffocare non potuit, sed iracundia victus charissimos amicos Parmenonem, Philotum, Clitum, & Calistenem trucidauit, vt alij tacentur vrbium domitores, qui suos non potuerunt domare affectus. Pulchrè in supracit. vers. Sapientis scripsit D. Gregorius, qui hom. 35. in Euang. sic habet: *Quanto culmine virtus patientiæ pollet, Salomon indicat dicens: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Minor est ergo victoria, vrbes expugnare, quia extra sunt quæ vincuntur. Maior est autem quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimetipse subjecit, quãdo cum patientia in humilitate tolerantia sternit.*

Victoria sui ipsius præstat victoriæ plurium ciuitatum.

Modernus Author de viro Ecclesiastico sic scribit: Cùm virorum ille mitissimus Ioannes Canonicus, vt vocant, regularis, cum amicis familiariter colloqueretur, domesticorũ vnus in conclauè irrupit, & minis, atq; clamoribus omnes exterruit improbus latrator: in Ioannem singulariter velut è plaustro iecit conuitia. Ioannes fellis expers, columba placidissima insanum nec verbulo percussit. Hic amicorum quispiam: Cur obsecro, inquit, mi Domine, ad dicta tam atrocia silest tuam ipse famam conculcas: Eijce foras calumniatorem. Huic Ioannes sedatè, Si flamma, inquit, domum corripuerit, num tu oleum affundas? Hic homo totus ardet, & furit: at nosti, nihil esse deformius, quàm furiosis respondere. Sicut in morbis nihil pernicios ius, quàm pharmacum immaturum. Hæc Sara optimè perpendit, ideoque silentium tanquam præstantissimum pharmacum, & fortissimum antidotum probris, maledictis, & contumelijs adhibuit.

9. *Sedati animi singulare exemplum.*

SECTIO IX.

In quem finem adhibuerit Sara in sua afflictione ieiunium & orationem.

OLENT diuersis de causis aliqui à cibis abstinere. Saul 1. Reg. 28. præ tristitia integro die panem non comedit. Cùm enim audierat à suscitato Samuele omnia dura, & contra illius vota, *cecidit protinus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.* Et cum accederet Pythonissa mulier, hortans vt languentem animam, corpusque reficeret, renuit, & ait, Non comedam. Achab. 3. Reg. 21. denegatâ sibi à Naboth vineâ ad eius vsus opportunâ, *proijciens se in lectum suum auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Alij præ necessitate; vt Ægyptius ille languens 1. Reg. 3. cui milites Dauid annonam suppeditarunt, quâ refocillatus est. *Nonenim*, inquit Scriptura, *comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus.* Alij verò in bonum finem vt Israëlitæ 1. Reg. 7. Niniuitæ apud Ionam cap. 3. Et Esth. 4. Iudæi ad quos

1. *Diuersa ieiunantium causa.*

Mauden in Tobiam.

crudele Regis edictum peruenerat. Act. 9. Paulus pœnitentiæ causa, Damasci, vbi erat tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.

2. *Ieiunium motuum ira frænum.*

Verum enimverò, ad quid Sara hæc nostra ieiunium adhibuit contumelijs affecta? Duæ occurrunt rationes. Prior, vt motus iræ contra ancillulam erumpentes coërceret: ieiunio enim prauæ animorum affectiones facilè comprimuntur: testis est D. Augustinus serm. 130. de tempore, *Ieiunium*, inquit, *purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit. Ieiunium concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit. Ieiunium verbositatem non amat*, &c. D. Chrysost. serm. 1. de Ieiunio: *Ieiunium*, inquit, *Angelorum imitatio est, contemptus præsentium, schola precum, alimonia animæ, frænum oris: mitigat concupiscentias, mollit furorem, compescit iram, sedat fluctus naturæ*, &c. D. Basilius de laudibus Ieiunij, inquit: *Ieiunium totam ciuitatem ad tranquillitatẽ componit, cõsopit clamores, sedat lites, conuitijs imponit silentium.* Exemplũ habemus peculiare in Anna vxore Elcanæ 1. Reg. 1. cui dixit vir: *Anna cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum.* Cur cibum corpori subtrahis? cur adeò abstines? cur te affligis? causam pleriq; censent, ne periculum retaliandi sentiret. *Ieiunium*, inquit D. Ephrem *frenum est monachi, quod qui reiecit, equum insanum comperietur.* Et hæc vna fuit ratio, quæ mouit Saram ad triduanam abstinentiam. Nec mirum. Præclaros enim scimus effectus ieiunij, quos latius communicabo ad verba Angeli, capit. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Hoc in præsenti tantùm addam, Basilium loc. cit. constituere ieiunium veluti quemdam pædagogum, qui ortas etiam inter pueros rixas & tumultus comprimat: *Cuius* inquit, *magistri interuentu puerorum strepitus tam subitò compescit, quam ieiunium obiter exoriens ciuitatis tumultus coercet? Quis comessator prodijt à ieiunio? Quis vnquam chorus lasciuiens à ieiunio constitutus est? Teneri risus, cantiones meretriciæ, insanæ saltationes, subitò diffugiunt à ciuitate, à ieiunio, tanquam ab austero quopiam iudice in exilium acta.* Tandem asserit, si ieiunium ab omnibus coleretur, pacem omnibus affuturam. Nec in foro iurgia, nec in repub. sycophantas; nec in syluis grassatores, nec in fluctibus pyratas; nec in puluere, & arena arma; nec vlla denique inter homines dissidia, aut certamina exercenda; sed summam inter omnes pacem, & amicitiam conseruandam.

Effectus ieiunij.

Ieiunij cum pædagogo comparatio.

Ieiunium pacis conseruaculum.

3.

Posterior sit, ob quam ieiunauit Sara, vt à Deo, quod in votis habebat, impetraret: Ieiunium enim quatuor difficilia impetrat, vt notauit Tertullianus lib. 1. aduersus Psychicos, c 7: *Ieiunium*, inquit, *in Deum reuerentia opus est per quod Anna quoque ambiens vxor Helcana retrò sterilis impetrauit inanem cibo uentrem, filio implere, & quidem Prophetæ. Sed non modo naturæ mutationem, periculorum aterfionem, delictorum obliterationem, sacramentorum cognitionem, ieunia de Deo mirabuntur.* Primum adhuc patuit in Sarepmnæ viduæ filio resuscitato per Eliam 3. Reg. 17. de quo ipse: *Elias ieiunans*, inquit, *viduæ filium restituit, aduersus ipsam etiam mortem robustus factus per ieiunium.* Secundum effecit apud Niniuitas, & 4. Reg. 18. apud Ezechiam, dum periculum ab Assyrijs instaret. Vnde Hieronymus lib. 2. contra Iouinian. *Assyriorum impetum, & potentiam Sennacherib, & Ezechiæ Regis lachryma, saccus & humiliatio victus fregit, prostrauit, & vicit.* Tertium effecit 1. Reg. 7. 3. Reg. 21. & alibi. Quartum effecit apud Annam filiam Phanuelis Luc. 2. quod ita eius acuit sensum, vt Christum Dominum cognoscere mereretur, teste Hieronymo epist. ad Principiam: *Anna*, inquit, *filia Phanuelis in templo, templum efficitur Dei, & quotidiano ieiunio cælestem inuenit panem.* Præclarius idipsum sensit Daniel cap. 10. vbi sic ad eum Angelus: *Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt affligeres te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones hos.*

Quatuor verum difficillimarum causa est Ieiunium.

Restat demum inquirere, an oratio in luctu conueniens sit remedium. Non longè abibo: Psalm. 49. clarissime idipsum pronunciat Dominus. *Inuoca me*, inquit, *in die tribulationis, honorificabis me, & exaudiam te.* Et Dauid Psal. 36. *Reuela Domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum, tanquam meridiem. Subditus esto Domino, & ora eum.* Apostolus Iacobus quoque præsto est, qui cap. 5. ait: *Tristatur aliquis vestrum oret.*

4. *Oratio in luctu conueniens remedium.*

Hoc pharmacum adhibuit Moyses. Iã cùm populum sibi infestum experiretur, & ad conuitia promissimum ardentes ad Deum preces fundebat. Cùm iam lapides furibunda plebecula minaretur, hoc vnum Moysen in sui defensionem obiecit refugere ad Deum: huic vni & soli iniurias conquestus: *Quid faciam populo huic? Adhuc paululum & lapidabit me.* Exod 17. Idipsum tribulationi adhibuit, &c. Dauid Psalm. 131. vbi ait: *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Et Psalm. 37. *Factus sum*, inquit, *sicut homo non audiens & non habens in ore suo redargutiones: quoniam in te, Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus.* Quasi diceret: Propterea tacui iniurias, quia speraui ex mea patientia prouocandam tuam misericordiam. Libentius enim audis illorum preces, qui ad aliorum, iniurias facilius obsurdescunt, & obmutescunt. Idem Dauid, *Pro eo*, inquit, *vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam*, Psalm. 108. vers. 4. Cùm deberent

berent inquit, mihi referre gratiàs intulerunt iniurias: ego autem optimam orandi occasionem nactus, ab oratione non desistebam: certus fore, vt dum homines, aduersos habeo, Deum mihi propitium habeam. *Vidisti*, inquit Chrysostomus in Psalm. 108. *Philosophiam, vidisti moderationem, vidisti mansuetudinem, vidisti animæ puritatem & religionem? Non armabar*, inquit, *nec contra eam acrem instruebam, sed ad te confugiebam, tuum implorabam auxilium, tuam opem, arma tua potentissima, tuum inexpugnabile, præsidium.* Veritissimè Ambrosius de obitu Valentiniani Imp. *Bonum scutum oratio, quo omnia aduersarij ignita spicula repellũtur.* Vnde rursum Dauid Psal. 68. *Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum: Ego autem orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.* Principes ac Iudices, inquit, in Concilijs suis de interitu meo consultabant: ebriosi compotatores musico carmine abutebantur in meum ludibrium: fœcundi calices dilertos eos faciebant, & cantandi vim effusiorem suppeditabant. Sed hoc vnum in tantis malis remedium opportunissimum reperi, dirigere ad te Deus orationem meam, ac enixè flagitare, vt bonitati tuæ placeat in tantæ calamitatis articulo, irrisionibus, sannis, contumelijs, afflicto opitulari.

Oratio scutum est contra ignita diabolitum tela.

Oratio optimum ad leuandam tristitiam remedium.

Tobias blasphemijs vxoris lacessitus ad preces, tanquam ad sacram anchoram illicò confugit. In Saram iaciebat ancillaris temeritas maledicta & probra, interfectricem virorum nominans, quæ pluribus nupsisset, sed in nullo cõnubium diurnum esset sortita, quæ septem maritos subitâ nece præcipitasset in tumulum. Et vt calumnia hæc grauiore pondere sanciaret: *Numquid & me vis occidere*, aiebat famula, *sicut iam occidisti septem viros? Ad hanc vocem Sara perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit, sed in oratione perstitens deprecabatur Deum.* Ita nec Sara flammas à maledica lingua immissas potentius restingui posse censuit quàm Oratione. Vas illud electionis inquit, *blasphemamur, & obsecramus* 1. Cor. 4. D. Chrysost. hom. 19. in Genes. contemplatus sacram scripturam pluribus pharmaca suppeditare, ad nostrum propositum suggerit: *Est & alius quoque qui insidias, & calumnias sustinens dolet, & insuauem ducat vitam, nusquam humanum inuenire valens auxilium, docetur & hic ab eodem Propheta, in talibus angustijs non ad humanum præsidium confugiendum. Audi quid ipse dicat: Ipsi detrahebant mihi, ego autem orabam. Vidisti vnde quærat auxilium? Alij*, inquit, *dolos plectebant, & calumnias & insidias: ego autem ad expugnabilem murum confugio, ad tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem, preces inquam, per quas omnia difficilia leuia, & facilia mihi sunt.*

Ne ergo, mi Christiane, dum affligeris, ad externam aliquam voluptatem tibi minus licitam confugias, ad pocula, ebrietatem, quâ plerique vexas sopire incassum laragunt, non sine animæ grauiori noxa; neque ad communicationem iniuriarum quibuluis obuijs, vt more mulierculariũ viri, non viri, sed rimarum pleni subinde etiam solent; sed ad orationem. Propheta Dauid contra morbum persecutionum & calumniarum hoc remedio asserit veritatem vt solem meridianum manifestandam. Quod quidem in Susannæ iudicio manifestè apparuit. Nam sicut initio iustitia, & Susannæ innocentia in tenebris erat, quandò à duobus testibus, contestibus, & omni exceptione maioribus conuicta erat: ita paulò pòst, prouidentia Dei excitante spiritum Danielis, & per eum demonstratâ falsitate testium ex ore proprio ipsorum, tàm clarè apparuit innocentia Susannæ, & iniquitas testiũ, vt continuò, & ipsa liberata fuerit, & illi dãnati à populo mala morte perierint. Huius rei causam scisciteris? Susanna flens suspexit ad cœlum, *& exclamauit voce magna*, &c. *& exaudiuit Dominus vocem eius.* Ezechias ab hoste ad desperationem vsque cinctus tanquam extremum remedium expandit litteras, & orauit; quis effectus? quod miraculo ciuitas liberaretur. Orauit Moyses Exod. 16. vt mare diuideretur, diuisum est, & sexcentis hominum millibus transitum strauit. Orauit Iosue cap. 10. vt sol staret, & steterit. Orauit Ezechias vt sanaretur, & sanatus est. Orauit Helias, vt non plueret, & spatio trium annorum, & sex mensium non pluit. Orauit Helisæus, vt ferrum supernataret, & supernatauit, 4. Reg. 6. Orauit Ionas in ventre ceti, cap. 2. vt liberaretur, & liberatus est. Orauit Moyses vt Amalech vinceret, & victus est, Exod. 17. Syracides Eccles. 18. pro infinitate corporali & hoc remedium suggerit, *Fili*, inquit, *& in tua infirmitate non despicias teipsum, sed ora Deum, & ipse curabit te.* Ante Medicorum remedia, precibus ad Deum confugere omninò monet, qui ex animo precantes citius curabit, si Deum primum auctorem recipiendæ sanitatis agnouerint. Pulchrè monet Chrysostomus mulieres exemplo Annæ vxoris Elcanæ in afflictionibus non ab alio quærere auxilium, quàm à Deo: *Tu*, inquit, hom. 2. de Anna, *si cum morbo laborares insanabili, percursa tota ciuitate, pecunias impendisses, pluribus vtens medicis, nec vllum malis solatium reperisses, incideres in mulierem, quæ cùm eodem morbo teneretur, liberata sit, audi quamquam desineres obsecrare, rogare, exhortari, vt eam tibi commonstraret cuius opera fuisset sanata. Nunc verò cùm videas Annam in medio stantem, summque morbum enarrantem, & eiusdem remedium commemorantem, ac medi-*

Susanna innocentia, testium falsitas per preces eius manifestatur.

Plurimi orarunt & impetrarunt

Deus animorum medicus per orationem quærendus.

medicum vltrò commonſtrantem, non accedes acceptura remedium. Et paulò pòſt: *Alii*, inquit, *longinquas peregrinationes ſuſceperunt, vt medicum commonſtratum in peregrinâ regione conſpicerent, idque cùm non admodùm certa eſſet fiducia, vt prorſus à morbo liberarentur. At tu, ô mulier, cùm non ſis initura profectionem tranſmarinam, nec vltra patriæ fines demigratura, differs, & cunctaris?* Ego & Saræ & illuſtrium virorum exemplo & mulieres & viros exhortor in amatitudine poſitos à diuina manu per peccs medicamen ſperare.

5. *Neglectus orationis, cauſa infortuniorum.*

Laurentius Iuſtinianus inſinuat cap. 6. de Chriſti agone omiſſionem orationis eſſe cauſam infortuniorum: *Hinc*, inquit, *delictorum tuorum & deuiationis cauſa hinc tam frequenter proſternêris, ſpoliaris, vulneraris, occideris. Abſque diuino adiutorio in tribulatione quis ſtetit? quis ſine illo ſpirituali bello prænaluit? quis inimicis terga non vertit: quis in huius vitæ ſolitudine non erraut?* *Pſal. 119.* *Propheram in tribulatione poſitum; audi: Ad Dominum*, inquit, *cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me. Et iterum: Tribulationem inueni, & nomen Domini inuocaui: ô Domine libera animam meam miſericors Dominus & iuſtus.* *Pſal. 114.* Et paulo antè vult nos exemplo Saluatoris, qui dixit Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, per orationem inuenire leuamentum: *Diſcat*, inquit, *de exemplo remedium, qui afflictionibus propriis cupit habere præſidium, non de terra, neque ab hominibus: ſed à Deo opportunum quæſiuit auxilium. Ad orationis quidem ſuffragium, ad quietis portum, ad impetrationis adminiculum feſtinanter acceſſit: non autem habere victum, aut proſtratus tedio, ſeu doloris mœſtitia ſuperatus: quippe qui poterat, ſi vellet, euadere, ſed dulci compaſſione cõmotus grandi ambitum, admonuit. Suo nos voluit erudire exemplo, vt in arduis, in periculis, in omniq; inopinato euentu ad orationis refugium fugiamus.* Subdit immediatè poſtinuectiuam: *Quid agis tu*, inquit, *ô ignaue, qui proprio arbitrio ducaris tuoque imitaris ſenſu? Validioribus ne, quàm Chriſtus ſuccinctus ſis armis? Numquid tu Chriſto fortior? aut Saluatore conſtantior? Ille in agone conſtitutus ad orationis ſolatium reclinauit, tu abſque implorationis medicamine tribulationum vulnera perferre præſumis? Ille niſi oratione prauis pugnæ noluit habere congreſſum; tu quamuis immundorum ſpirituum bella ſuſtineas, quamquam indeſinenter in vitiorum foueam cerruas tanquam ſecurus de palmæ nullam flagitabis opem?* quaſi dicat, Nihil efficies.

Si autem ieiunio & orationi lachrymas addideris, coronidem impoſueris. Exemplum ſit tibi Anna, quam voti compotem lachrymæ reddiderunt; Et Ezechias, qui poſt orationem & lachrymas, miraculo ſanitatem conſecutus eſt, vt ſuperius attigi. Vnde Chryſoſt. hom. 2. de Anna, honorificè de illa loquens, ait: *Neque enim perinde amnium fontes, floridos reddunt hortos, vt plantam precationis, fontes lachrymarum irrigantes faciunt in ſummam altitudinem excurrere.*

6. *Lachrymæ orationi adiungere eſt coronidem imponere.*

CAPITIS TERTII

VERSVS. XII.

Factum eſt autem die tertia dum compleret orationem, benedicens Dominum, dixit:

Verſ. 13. *Benedictum eſt nomen tuum Deus patrum noſtrorum; qui cùm iratus fueris miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 12. & 13. Poſtquam triduum impenderat orationi Sara, ex Spiritus ſancti didicit diſciplinâ, gratias agere Deo in tribulatione, quam patiebatur, eiuſque miſericordiam & clementiam laudat, quod videlicet in ira non contineat miſericordiam, & inuocantibus ſe in tribulatione peccata dimittat.

SE-

SECTIO DECIMA.

Cur Sara hoc loco benedixerit Dominum? quodq; doceat quæuis mala nobis euenire Deo permittente.

1. AVTHOR non contemnendus in hunc locum, existimat hæc Saræ verba plena fuisse artificio, Deumque linguam puellæ rudis, & imperitæ ita informasse & instruxisse, vt nihil commodius, & ad mouendum opportunius dicere potuisset. Quòd vult dicere, est, quod verbis suis oratores imitata sit, qui in humanis causis captatâ beneuolentiâ animos iudicum tam aptè disponunt, vt ab illis obtineant, aut extorqueant, quod optant. A quo licet nonnihil dissentiam: quia tamen, hæc verba, orationem non inchoant, sed potiùs ad finem ducunt; hinc potius reor altius respexisse Saram, & quod ex sua oratione ac meditatione triduana hauserat, diuinæ maiestati exposuisse, videlicet se certam & securam esse, nihil fieri etiam ab hominibus sine permissione diuina, ideoque se minus velle creaturæ maledicere, sed Deo potius benedicere seu gratias agere, qui nulla permittit mala, nisi vt inde maiora bona eliciat: *Cognoui*, inquit Dauid Psal. 118. *Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.* Quasi dicat, Ideo non conqueror de tua iustitia; sed ad misericordiam tuam confugio. Et Psalm. 38. cum dixisset, *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me, obmutui*, &c. subnectit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*, id est, ex dolore compassionis fratris tam grauiter peccantis seu ægrotantis, vt medicina correptionis nihil ei videretur profuturæ, calefactum est cor meum dilectione, & inde meditari cœpi de miseria humana, de permissione diuina, misericordia & abundantia charitatis Dei, ijsque similibus.

Sara meditatio eam securam reddit, quod hæc omnia fiant permittente Deo.

2. Sic meditando fructum fecit Sara, vt seipsam omninò sedauerit. Est enim consolatio illa efficax in omni tribulatione, si cogitemus nihil euenire nobis, cuius Deus auctor non sit, & omnia ab eo attemperari ad nostram salutem: atqui interim culpam nostram agnoscamus, eiusque clementiam & opem humiliter imploremus. Seneca epist. 108. *Optimum*, ait, *est pati, quod emendare non possis, & Deum (quo auctore cuncta proueniunt) sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus ac degener, qui obstatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mauult Deos quàm se.* Id nobis apprimè scire omnino est necessarium: nã ex eius ignoratia, in proximum tanquam mali auctorem maximè inuehimur. Altius igitur rem repetam.

Dei permissionis in malis confideratio, est efficax consolatio.

3. Nihil prorsus in orbe fit (peccatum excipio) sine Dei voluntate; Fortunæ seu ridentis, seu sæuientis imperium nullum est, hæc idololatrarum somnia sunt, qui humanæ vitæ vicissitudines, à nescio qua Dea, dispensari fingebant: Christiana sapientia fortunam omnem exsibilat. Scit enim Deum omnia pœnæ naturæque mala velle, intentione saltem secundaria, ob iustissimas causas; solum peccatum, seu culpam permittere; adeoque omne malum pœnæ à casis secundis seu rationalibus seu rationis expertibus profectum, quocunque id modo ac ratione accidat, totum prodire à manu Dei, eiusque suauissima dispositione ac prouidentia: Deus est, mi bone homo, Deus est qui dexteram te percutientis erexit; Deus est qui linguam tibi detrahentis mouit; Deus est, qui vires te impiè conculcanti dedit; Deus est qui maledicam linguam in te sæuire permisit. Intimè idipsum intellexit Dauid cum conuitium passus & maledictum à Semei vulgari homine. Dicebat vtique vindicare eum volenti: Dimitte eum vt maledicat: Dominus enim præcipit ei, vt malediceret Dauid. D Bernardus admiratus hanc Dauidis philosophiam, exclamat: *O verè hominem secundum cor Dei, qui se vlciscenti potiùs, quàm exprobranti succensendum putauit: vnde & secura conscientia loquebatur: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: vetuit ergo prohiberi maledicum conuitiantem, quæstum existimans maledicta.* At vnde Dauidi hæc sapientia, & scientia, vt diceret: Dominus ei præcepit, vt malediceret Dauid? A diuino spiritu hanc hauserat Rex sapientiam. Præclarè idem mellifluus Doctor Spiritus sancti dignatione sublimis percepit quid sit spiritus Dei: *Prorsus*, inquit, *secundum cor Dei* (vir erat Dauid) *qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæuiebat maledica lingua, & ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus & animis inclinabat se ad benedictionẽ. Numquid in ore blasphemi Deus? absit, sed eo vsus est ad humiliandum Dauid. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestarat Deus, & ideo dicit: Bonum mihi quia humiliasti me.*

Deus aliorum omnia fiunt excepto peccato.

Dauid maledictum Semei adscripsit Deo.

Serm 34. in Cantica.

4. D. Augustinus ex eodem diuini fontis vtero enucleat quomodo permissiuè vel occasionaliter

Deus Semei

linguam cur & quomodo acuit in Dauidem.

sionáliter Deus inclinauerit maledicam linguam Semei potius ad ipsum Regem maledicendum, quàm alium: *Quomodo*, inquit, *dixerit Dominus huic homini maledicere Dauid, quis sapiens & intelliget?* Et mox subiungit: *Non enim iubendo dixit, vbi obedientia laudaretur; sed quod eius voluntatem proprio vitio suo malam, in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinauit, ideo dictum est, dixit ei Dominus. Nam si iubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quàm puniendus esset, sicut ex hoc peccato nouimus esse punitum.* Et quia Deus non solet permittere malum grassari circa iustos, nisi ob melius bonum, causam cur inclinauerit Semei Deus immediatè post addidit: *Nec causa*, inquit, *tacita est, cur ei Dominus isto modo dixerat maledicere Dauid, hoc est, cor eius malum miserit vel dimiserit, vt videat*, inquit, *Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledictione eius in die isto. Ecce quomodo probatur, Deum, vti cordibus etiam malorum ad laudem atque adiumentum bonorum. Sic vsus est Iuda tradente Christum: sic vsus est Iudæis crucifigentibus Christum.*

Hæc contemplatio, & diuinior meditatio Saram nostrã planè restituit & sedauit, & vltra fœminei pectoris angustias transcendere fecit, ac mortalium vulgaria iudicia superare. Siracides omnẽ homini dubitationis ansam sustulit, vt verissimum credat à Deo quælibet proficisci: *Bona*, inquit, *& mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*: Nihil, inquit, dubites quin prospera & aduersa, quæ homini contingunt, qualiacumque illa sint, à Deo permittente, vel puniente, vel exercente, vel donante promanent. Quantum diuina bonitas per Prophetas laborauit, vt Philosophiam caperet humana fragilitas. Locuples testis est Isaias vates; qui cum multis signis ostendisset Deo soli inesse diuinitatem, non idolis, subiungit cap. 45. *Ego Dominus*, inquit, *& non est amplius: extra me non est Deus: Accinxi te, & non cognouisti me. Vt sciant hi, qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est.* Quasi dicat: Ego Dominus, neque vllus præter me, neque extra me Dei sibi nomen arrogate potest. Qui ita te armaui, & ad bellum instruxi, meo consilio atque arbitratu gerendum, neque tamen cognouisti me. Ex his omnes tam qui ad orientem solem, quam qui ad occidentem spectant, me Deum esse solum intelligent; neque mihi cum idolis diuinitatem esse communem. Deinde addit quæ ad propositum nostrum faciunt: *Ego Dominus, & non est alter: formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens hæc omnia*, quasi dicat, Quòd ô Israël aliquando in pace vixeris, hoc mecum erat beneficium; quòd autem nunc detineris captiuus, & hoc meum est opus. Adhæc ego creaui tibi hoc malum captiuitatis Babylonicæ: ego rursus faciam pacem, teque in libertatem asseram, & quidquid malum est, seu remp. turbat, hominemque affligit, velut est inopia, pestis, fames, bellum, seruitus, captiuitas, pœnitus tollam. Ego sum qui alterno vices; proinde nemo dicat: Cur Domine patribus nostris pacem dedisti, æquè ac aliis Gentibus, nobis autem seculum miserum & malum captiuitatis in Babylone creasti? Rursum, cur Cyrum hominem infidelem & impium ita proseras, constituisque nostrum liberatorem, & ducem? Cur non mittis nobis alterum Moysem, Iosue, Gedeonem, &c. vti misisti patribus ex ipso eorum semine & stirpe?

Eccles. cap. 11.

Luculenter id ipsum confirmat Vates Hæbræus Amos cap. 3. dicens: *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?* Inculcat Israëlitis, nullum esse pœnale malum, quod Israëli contigerit fortuitò, sed à se, quidquid illud fuerit, fuisse profectum. Idque confirmat exemplo aucupis: *Numquid*, inquit, *cadit auis in laqueum terræ absque aucupe? Numquid auferetur laqueus de terra, antequam quid ceperit?* Ad cuius intelligentiam nota aucupem esse Deũ, laqueum verò inimicorum Assyriorum aut Chaldæorum exercitum, qui non est ab alio, quàm à Deo conscriptus; ab illa similitudine sic infert: vt auceps non amouet, quos paranit laqueos, donec aues illaqueatas apprehendat, ne laborem illum inanem sumpsisse videantur: sic etiam Dominus non emittet aucupium, donec populum, quem sibi prædæ proposuit, in Assyriorum laqueos & potestatem induxerit. Deus enim per improbas aliorum cupidines bonam suam voluntatem exercet; per aliorum iniustitiam exerit iudicia sua iusta. Et velut pater virgas arripit & filium cædit, sed paullo post filio se conciliatum exhibet, virgis in ignem coniectis: ita & Deus populo suo & Regi Assyriorum respectiuè per Isaiam minatur, cap. 10. *Væ Assur*, inquit, *virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor eius, & ad interfectionem gentium non paucarum.* Quàm clarè Deus tantorum malorum auctorem se fassus, *In manu eorũ*, inquit, *indignatio mea.* Virga furoris mei est Rex Assyrius, ad punienda Iudæorum flagitia: Ego illum misi, vt auferret spolia, deijceretque nimium insolentes, & inflatos illorum animos, qui proiectâ fide, idola gentium vesano ritu venerati sunt. Ipse autem rex Assyrius omnia aliâ cogitans, non sic arbitrabi-

Dei cum aucupe comparatio.

Deus vritur malorum voluntate vt suam implet.

rur,

tur, nec ad castigandos veniet, sed ad mactandos, & omni modo perdendos: Nihilominus voluntati meæ deseruiet; At vbi ego gentem meam per Assyrios castigâro, væ huic virgæ, væ Assyrijs, quos velut instrumentum furoris mei excutiam in ignes. Idem prorsus in alijs vltionibus diuinis est obseruare.

5. *Plurimorũ error malum mala prouenire à Deo dumtaxat, putantium.*

Hîc plurimi se ipsos fallunt ignorantiâ miserabili. Hoc enim sibi persuadent, ea tantùm mala, quæ à causis naturalibus prouenium, cuiusmodi sunt, inundationes, terræ motus, agrorum sterilitas, terræ labes, annonæ caritas, iniuriæ cœli, morborum incommoda, mortes immitti à Deo, cùm plerumque hic nullum interueniat peccatum: at verò mala illa, quæ à vitijs & malitia humana trahunt originem, cuiusmodi sunt calumniæ, fraudes, maledicta, conuitia, furta, vexationes, insidiæ, iniuriæ, rapinæ, oppressiones, bella, cædes, non esse à Deo, nec ab ipsius prouidentiâ proficisci; sed ab hominum nequitia, & peruersa voluntate illorum, qui hæc talia, in alios moliuntur. Hinc vanæ sunt, & sterriles illæ querelæ: Hoc illudue ideò mihi euenit, quia hic vel ille me odit, rem malè direxit, socordius egit, aliter certè euenturum fuisset, si mihi beneuolus extitisset, negotium hoc cordi habuisset, operæ non pepercisset. Vana & stulta est hæc Philosophia; Vera sapiens, & sancta est illa: *Dominus fecit hæc omnia.* Nam quod iam monuimus: Bona & mala à Deo sunt.

6. *Multa mala ex hoc errore gignuntur.*

Vtinam nos Spiritus sancti magisterio edocti intelligeremus arcanam Dei prouidentiam, non tot hic error produceret mala. Considera innumera quæ gignit incommoda. Hinc vindictam cogitamus, talionem meditamur, alteri in alteros mimus, & velut omnis infortunij fabros, omnis mali auctores mutuò nosmet & verbis & manibus & dentibus lacceramus, tanquam si Deus interim altercationes nostras otiosus spectet, & grauissimas iniurias cùm possit impedire, permittat. Seminarium est hoc omnium perturbationũ. Aliter Syracides. Repeto eius verba: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Iansenius Antistes & Doctor Theologiæ ea explicat: *Porrò mala*, inquit, *quæ à Deo esse dicit: sunt ea quæ hominum opinione mala sunt, aduersa scilicet, quæ mala pœnæ dicimus: non autem mala culpæ: Vnde per exemplo declarans quod in genere dixit, mortem & paupertatem posuit inter malas vitam & honestatem, hoc est, diuitias inter bona.* Dauid ad amussim hoc intelligebat. Cùm enim vir sanguinum vocatus à Semei, Vir Belial, lapidibus impetteretur, Inuasor Regni Saulis igominiosè diceretur, nihil in eum regessit, neque vindicari permisit, etiamsi instaret Abisai filius Seruiæ: *Quare*, inquit, *maledicit Canis hic mortuus Domino meo Regi. Vadam,*

Deus malorum pœnæ, non culpæ est auctor.

& amputabo caput eius. Quid causæ? Cur æquo animo id omne tulit Dauid? Ipse tibi, mi homo, rationem reddidit: *Obmutui*, inquit, *& non aperui os meum: quoniam tu fecisti:* Nota verba: *Quoniam tu fecisti.* Subnectit: *Amoue à me plagas tuas.* Quasi diceret: Quoniam te cognoui vti malâ voluntate Semei ad humiliandum & corripiendum me; hinc libenter accepi contumelias & opprobria, quæ tu ad meam salutẽ paternâ seueritate ordinasti: verùm hoc precor, vt placeat tibi eadem à me remouere.

Eadem prorsus ratione egit Sara hoc loco & vt Dauid 2. Reg. 16. tit. hanc rationem addidit suæ patientiæ. *Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hodierna*: sic Sara cogitauit permissionem diuinam eò tendere, vt aliquod bonum inde eliciat. Salubriter S. Augustinus in Psalm. 54. *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo: omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt bonus per eum exerceatur*; aut certè quod bonitas illa infinita tantam in orbe malitiam non permitteret, nisi maiora illinc bona eliceret, & reperta ad perniciem verteret ad salutem. Attingamus dumtaxat aliquot Scripturæ exempla, & videbimus sapientissimam Saræ philosophiam. Permisit Deus fraternam inuidiam in Iosephum innocentem sæuire, sed quãto id bono permisit, non solùm parentum & fratrum, sed totius Ægypti? Permisit Deus insontem Dauid ab impio Saule grauissimis iniurijs exagitari, sed Dauidis, totiusque regni Hebræi bono maximo. Permisit Deus Danielem iniquissimè accusatum in leonum voraginem præcipitari, sed grandi Danielis ipsius, & plurimorum bono vt latius diducam cum melior Tobiæ fortuna nos coget inde sermocinari, vt prorsus intelligamus ex omni permissione diuinâ, maxima diuinæ gloriæ incrementa, generi humano emolumenta prouenire copiosissima. Hinc bonitas Dei ac misericordia, hinc liberalitas atque potentia, hinc prouidentia, hinc sapientia & iustitia modo prorsus admirabili elucescunt: hinc virtus plurimorum crescit, certamina frequentantur, multiplicantur præmia, coronæ augentur.

7. *Permittit Deus mala, vt inde bona eliciat.*

Exempla Scripturæ.

Admirandam se præbet diuina Prouidentia in quotidianis his permissionibus. Quid enim magni est, si è bono bonũ; at maximum, si è malo bonum feceris. *Mari tranquillo*, vt ait Seneca epist. 85. *quilibet gubernator est.* Neque verò magnæ artis est vento secundo, naui firmâ, mari pacato, astris fauentibus, remigibus peritissimis portum in conspectu positum tenere: At luctantibus inter se ventis, nauigio lacero, fremente cœlo, insidiantibus piratis, remigibus imperitis, sideribus ereptis, optatum nihilominus portum occupare, hoc

8. *Magni meriti è malo bonum facere.*

hoc demum facinus eſt in gubernatore admirandum. Talis in ſuis permiſſionibus eſt Deus. Per ea quæ contraria videntur ad felicem ducit exitum, per tot hominum flagitia gloriam ſuam propagat, in tantis ſcelerum aceruis amicos ſuos reddit illuſtriores. Deo dirigente fraudes in decepti commodum vertunt; vexationes & iniuriæ vexato vires addunt; impietas tot perditorum, multorum pietatem ſtabilit, & ne pereant, conſeruat, & vnde plurimi creduntur deprimendi, emergunt. Joſepho carcer & vincula ad tam ſublime dignitatis ſolium viam aperuerunt: plus ei profuit fratrum inuidia, quàm orbis totius beneuolentia. Saulis perfidia Dauidi coronam fecit præclariorem. Danielem fouea leonum altiùs euexit, quàm vlli regum fauores potuiſſent. Quod ſi Deus peccata non permitteret, & permiſſa non ordinaret, & ordinando in bonum deriuaret, vindicem Dei iuſtitiam vix agnoſceremus: Ac ſic altius ſapere docemur, & admirabiliſſimam cauſarum ſeriem ac connexionem fateri cogimur, per quam tandem è tantis malis tot emergunt bona.

Mirabilis Dei modus agendi.

SECTIO XI.

Quid boni gignat perſuaſiſſimum ſibi habere, Deo permittente in hoc ſeculo omnia fieri?

1. *Primò. Qui perſuadet ſibi omnia à Deo fieri, facilè conformabit ſe diuinæ voluntati.*

IN primis facit hominem diuinæ ſeſe conformare voluntati. Aſſerit id non obſcurè Rex Dauid Pſal. 38. vbi poſtquam dixiſſet: *Obmutui, & non aperui os meum*, aliam cauſam non adfert, quam hanc ipſam: *Quoniam tu feciſti.* Quaſi diceret: Non licet contradicere, quia video hoc tuæ voluntatis eſſe, vt aduerſarius conſiſteret aduerſum me. Fit quandoque vt excitatioris ingenij herus, ſerui ædes ingreſſus, diſijciat, turbet, miſceat omnia & mox abeat, ne auctor deprehendatur in facto. Seruus domum rediens, & omnem ſupellectilem diſturbatam cernens, grauiter quidem excandeſcit, at cùm à domino ſuo id factum audit, ſilet, & miteſcit. Scitè quidam amicorum Iob Sophar nomine, licet minimè cum iudicio, contra Iob: *Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei?* Stultarum inquit, mentium eſt à Deo exigere, cur hoc vel illud faciat, etiamſi rerum immutet, & euertat naturas, ſi diffuſa coarctet; & cõpreſſa & coarctata diſſoluat, & diſtrahat: & multò maioris dementiæ eſt, in Dei conſilijs aut æquitatem deſiderare, aut iniquitatem reprehendere. Ezechias Rex morbo graui vexatus, & vix alterum mane ſperans, de vita quaſi deſperans, inquiebat: *Sperabam vſque ad mane, quaſi leo, ſic contriuit omnia oſſa mea. De mane vſque ad veſperam finies me.* Quaſi diceret: Cùm noctu grauiter morbus vrgeret, non vltra diei ſequentis diluculum vitam mihi polliceba: ſic enim durè à morbo vexabar, ac ſi cruentis leonis vnguibus dilacerarer. Et rurſum: *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba. Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum. Domine vim patior, reſponde pro me.* Dicebam, inquit, in eo rerum conflictu apud animum meum. Clamabo ſicut hirundinis pulli in nido derelicti, qui vitæ deſiderio dum cibum expectant, famem ſuam multis ſignificationibus oſtendunt. Clamabo item ſicut columba, cuius vox gemitus eſt, & lugubre lamentum. Oculi verò dum ſurſum aſpiciunt è cœlo ſalutem ſperantes, attenuati ſunt, & morte iam impendente caligant. Ergo ô Domine, auxiliare mihi extrema patienti, neque enim poſſum ſine te, quin morbi grauitati ſuccumbam. Sed quid? recogitans à Domino hunc morbum prouenire, inquit: *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sed miſerum me, ſi Deus ipſe eſt, à quo lethali plaga percutior: quid illi dicam? quid obtendam? contra quem illum patronum aduocabo? Cum hoc vno verbo & ſe defendere, & omnem meam cauſam iugulare poſſit; ſi tantum dicat: Ego feci. Aliud igitur defenſionis genus aggrediar. Quandò reuocare annos, qui iam præterire, non poſſum, recognoſcam illos, ô Domine, in conſpectu tuo cum dolore, & lachrymis, quibus ſcio vel ab irato pectore extorqueri poſſe miſericordiam. Ita Dauid de ſeipſo: *Obmutui, & non aperui os meum* Cur ita? *Quoniam tu feciſti.* Ita prorſus qui diuinam experitur viſitationem, ſentit quidem aduerſa, ſed diuinâ ſe prouidentiâ ſolatur, vanis queſtibus renuntiat, & Deo ſe & ſua per omnia committit. *Leuaui*, inquiet, *oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino.* Pſal. 120.

Iob. 11.

Iſa. 38.

2. *excitatur ad gratiarũ actionem in rerum aduerſis.*

Secundò facit hominem Deo agere gratias etiam in aduerſis. Id euidenter oſtendit Sara; quæ cùm perſuaderet ſibi permiſſione diuina, fieri opprobria ab ancillula, & Deum è malis bona elicere, prorupit illicò in gratiarum actionem dicens: *Benedictum eſt nomen tuum Deus patrum noſtrorum*, &c. Salutare monitum dedit Apoſtolus Theſſalonicenſibus, & in ijs nobis, *In omnibus*, inquit, *gratias agite*, 1. Theſſal. 5. id eſt, tam in morbo, quàm in valetudine commoda, tàm in inopia, quàm in copia, tam in perturbatione quàm in tranquillitate, tàm in aduerſis quàm in proſperis, *In omnibus gratias agite.* Non enim minus, imò plerumque maius beneficium Dei eſt, morbus,

bus, inopia, ſolatij deſtitutio, honoris priuatio, quàm ſi omnia ad nutum fluant. Ioannes Auila peritiſſimus interioris animi magiſter, dicere ſolebat: Plus valet in ærumnis & doloribus vnum *Deo gratias*, quàm ſex millia in rebus proſperis, & bona valetudine. Nam Deo gratias agere, inquit, tempore conſolationis eſt omnium; atqui tempore calamitatis, propriè proborum. Hæc vox martiribus propterea in cruciatibus fuit familiaris. Mirum eſt, quod poſteritati tradidit Baronius An. 261. n. 31. 35. de D. Cypriano Martyre, Cuius ſententiam cùm Galerius Proconſul ex tabella recitaret hiſce verbis: *Taſcium Cyprianum gladio animaduerti placet*, eò quod Dijs Romanis inimicum ſe conſtitueret, &c. Cyprianus Epiſcopus reſpondit, Deo gratias, qui à vinculis huius corporis dignatur abſoluere: Spiculatori verò iuſſit à ſuis viginti quinque aureos dari. Anno Chriſti 303. ſcribit idem Baronius quemdam Thelicam nomine, martyrio vitam cum morte commutaturum dixiſſe: *Gratias tibi ago. Pro nomine tuo da mihi ſufferentiam. Libera ſeruos tuos in captiuitate huius ſæculi. Gratias tibi ago nec ſufficio tibi gratias agere. Et cum ictibus vngularum concuſſa fortius latera fulcarentur, profluenſque ſanguinis vnda violentis tractibus emanaret, Proconſulem ſibi dicentem audiuit: Incipis ſentire, qua vos pati oporteat? Et adiecit: Ad gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum, Domine Ieſu Chriſte, Chriſtiani ſumus, tibi ſeruimus. Tu es ſpes noſtra. Tu es ſpes Chriſtianorum: Deus ſanctiſſime, Deus altiſſime, Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus.*

In aduerſis Deo agere gratias familiare eſt Martyribus.

Prouerb. 11. dicit Sapiens, *Anima quæ benedixit, impinguabitur*, id eſt, Quicumque alijs benè precatur ac benè vult, vel alios ſalutari doctrina informat, donis pinguiſſimis atque gratijs à Deo cumulabitur. Aut turſum: Quicumque in alios beneficus eſt & liberalis, vberem bonorum copiam à Deo obtinebit. Si tantum boni illos manet, qui alios ſalubriter informant, qui eleemoſynæ balſamo irrigant, quid erit de illo, qui in aduerſis benedicit Deo, qui in tormentis mox vitam clauſurus, ſacrificium pacificum, ſeu gratiarum actionis Deo immolat? *Oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit*, inquit Apoſtolus, *quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Sibet plura in hanc rem vide Sect. 17. Capitis ſecundi huius hiſtoriæ.

Quale manet præmium, Deo in aduerſis agentem gratias.

Deinde erigit hominem ſupra ſe, eò quod nouerit Dei iram in iuſtos nõ ſæuire ad mortem: Cùm, inquit Abacuc Vates cap. 3. *iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*, Et Iſaias cap. 57. nomine Dei dicit: *Non enim in ſempiternum litigabo, neque vſque ad finem iraſcar: quia ſpiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.* quaſi dicat. Iratus fui Iudæis, & cum ipſis litigaui,

3. *Dei ira non fuit in iuſtos vsque ad mortem.*

vſus in eam rem adminiſtro Chaldæorum exercitu: verùm cùm ad miſericordiam magis pronus ſim, pacis ac miſericordiæ cogitationem ſuſcipiam pro ijs, qui à me habent quod ſpirent, & viuant. Et Ierem. 30. *Faciam conſummationem in cunctis gentibus, in quibus diſperſi te, te autem non faciam in conſummationem; ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius*, id eſt, Delebo quidem funditus omnes gentes, quas captiuus obieris; te licet affligam aliquamdiu, non omninò perdam. Sic enim attentè & cum iudicio attemperabo ad plagam vltricem manum, vt neque pereas, neque tibi ipſi de inculpatâ vitâ blandiaris. Vis clarius id intelligere? pone ob oculos Chirurgum & Tyrannum: Chirurgus ſecat, & vrit, quod item hoſtis facit, ac tyrannus; ſed non eodem omnes aut ſpiritu, aut modo. Chirurgus ex alieno dolore dolorem capit, eoque refert acutum, ſeu candens ferrum, vt mortis præcidat, non vt inferat cauſas. Atque ideo in iudicio, id eſt, cum magna attentione, circumſpectioneque, aut tractat, & fricat, aut etiam renouat, & infligit vulnera. At tyrannus, & hoſtis nil ſpectat in vulnere inferendo, niſi dolorem aut exitium alterius. Sic ergo Deus in iudicio percutit vt mundet, & ſanet, & ſcoriam excoquat eorum, qui mundi debuerunt eſſe, ſicut argentum. Vnde rurſum Ieremias Vates cap. 10. v. 24. populi nomine communem plangens calamitatem & peccatorum grauitatem, ac merita pœnitendo confeſſus, dixit: *Corripe me, Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* Ad te igitur, Domine inquit, à quo acceptum eſſe malum intueor, & quo vno medicinam, & ſolatium ſpero, me totum conuerto, oroque, non quidem vt populi peccata impunita ſint, ſed vt tanquam pater in iudicio corripias, ad medelam: non in furore tanquam hoſtis, neque actum funditus eſſe velis de Ieruſalem. Hac ratione Dauid ſeipſum erigebat Pſal. 117. dicens: *Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Quibus verbis commemorat beneficium Domini, qui perſecutiones permittit, vt Pater, non vt hoſtis; ad purgationem, non ad mortem, quaſi diceret, quantumuis magnas perſecutiones paſſus ſim, & ad effectum patiar: tamen non moriar, ſed viuam, id eſt, non exterminabor, non deficiam omninò, vt aduerſarij vellent, ſed permanebo, & narrabo opera Domini, qui *caſtigans caſtigauit me* paterno flagello, *ſed morti non tradidit me.* Et hac ratione rurſum Dauid conſiderans multitudinem hominum peccatorum, propè infinitam, dicebat: *Nunquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet, vt complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à gene-*

Illuſtratur hæc res ſimilitudine Chirurgi & tyranni.

ratione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? Psal. 76. Quasi dicat: Nullatenus id fiet. Facilius est enim Deo continere iram suam, quàm misericordiam suam; & ideo quamuis iustè irascatur in peccatores, tamen in ipsa ira non continebit misericordiam suam, sed effundet misericordiam, quæ iram mitiget, vtique in hoc sæculo.

Facilius Deo iram continere, quàm misericordiam suam.

D. Basilius hom. 8. in diuites appositè in hanc rem: *Dicamus*, inquit, *quod nobis calamitates infligit Deus, non extinguere nos quærens, sed emendare, castigare que cupiens, more piorum patrum erga desides filios: qui irascuntur quidem, non mali aliquid eu facturi. sed officiosa castigatione exignauu diligentes reddituri, & ad offi.ium deducturi.* Cui consonat Gregorius Nazianzenus orat. 17. ad ciues: *Prudenter*, inquit, *faciunt, qui calamitatibus eruduntur: dum illis, velut aurum igne, purgantur. Qui Dauidicum illud in ore habent, Bonum mihi, quia humiliasti me. Qui beneficiorum omnium auctorem per afflictionem sibi conciliant: quandoquidem egra anima Deo propinqua est.*

Deus puniens parua mala subit.

Insuper nota philosophiam huius mulieris. Licet sciret Deum subinde, sed extraordinariè, pœnam aliquibus in tribulatione non dimittere: Adamo, vtique & omnibus posteris necessitatem mortis imposuit, nullius precibus remissibilem. Heli nullis sacrificijs plagas à Samuële intentatas propter neglectam filiorum correptionem voluit expiandas. Dauidem morte pueri ex adulterio nati non obstante prece & ieiunio, 2. Reg. 12. puniuit. Iudæi tempore Ioëlis, & Niniuitæ tempore Ionæ audierunt ab ipsis Prophetis: *Si forte ignoscat Deus.* Verùm ab hisce extraordinarijs criminibus iam & tunc seuero calculo castigaris, animum meritò diuertit, & quantum ordinariè misericordia Dei hominibus indulgeat, clarissima voce propalat. *Cùm*, inquit, *iratus fueris misericordiam facies*, de qua sic pronuntiat Dauid: *Miserationes eius supra omnia opera eius.* Præclarè Chrysologus serm. 42. *Magna sunt opera Domini, sed magnitudinem præcellit misericordiæ magnitudo.* Nã cùm dixisset Propheta: *Magna opera Domini, adiecit alibi, misericordia eius super omnia opera eius. Misericordia, Fratres implet cælum, replet terram, Domine, inquit, in cælo misericordia tua. Et idem ipse: Misericordia Domini plena est terra. Et re verâ, fratres, periisset totum, quod Deus fecerat, nisi misericordia subuenisset. Culpa & vitio quidquid in hunc mundum venerat, auferebant: quia & fragilitas semper tendebat ad lapsum, & coge batur ad vindictam semper censura iudicãtis. Sic Angelus deiicitur è cælo, sic de paradiso exulat homo, sic mundus diluuio deletur, sic gentes confunduntur linguis, dantur gladio, sic exuruntur vrbes incendio diuino, sic ex Aegypto plebs educta in eremo oculebatur, sic terra hians vorat populum. Et ne multis, sic Iudæam vltor Christi sanguinis Romanus delenit exercitus.* Et immediatè post subiungit: *Hæc est Christi magna, larga, sola misericordia, qua iudicium omne in diem seruauit vnum, & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputauit inducias, vt quod de vitijs infantia suscipit, rapit adolescentia, inuadit iuuentus, corrigat vel senectus? Et de peccato vel tunc paniteat, quando sentit se iam non posse peccare, & tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus: faciat de necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine. Hinc est quod Propheta ad misericordiam currit totus, quia fiduciam de sua iustitia non habebat: Miserere*, inquit, *mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Et hoc respectu dixit Sara, *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.*

Quanta sit misericordia Dei.

Ioël. 2. Ionæ 3. Gen. 7. 14. & 19. Exod. 19. Num. 16. Matth. 24.

Psalm. 50.

Verissimè Syracides Eccles. 35. *Speciosa misericordia Domini in die tribulationis, sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* In media æstate cum omnium maximè calor sæuit, terra debiscit, & varijs in partibus rimas agens ostentat corpus quasi vulneribus discissum; at si rorida nubes aquas demittat, statim consolidatis, vt sic loquar, membris, nec cicatricis quidem signum apparet, Non secus peccatorum vulnera, quæ in æstu tribulationis hiabant, à Dei misericordia tanquam à pluuijs nubibus consolidatur. Ecclesiasticus egregiè Saræ sermonem illustrat cap. 2. *Quis*, inquit, *permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Quoniam pius, & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Rationem affert cur neminem in se sperantem Deus reliquerit, eamque ait esse, quia misericors est, & cùm maximè tribulationes immittendo iratus videtur, tunc suam ostẽdendo misericordiam peccata cõdonat in suamque accipit clientelam eos qui se exquirunt ex corde. Quid ni? Regius Propheta apertè pronuntiat Psalm. 144. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.*

5.

Sicut terra siccida est pluuia sic Deus afflictis.

Deus proximus inuocantibus se.

Hinc Sophonias vates erigit fidelium tribulatorum mentes: *Noli*, inquit cap. 3. *timere Sion, non dissoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit:* gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua. Ne metuas, ô Sion, ob tribulationes & persecutiones insurgentes; sed eas generosè supera & despice, vt Deus super te & tua pietate, amore, constantia & victoria delectetur & gaudeat: Quia *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit.* Quid ergo timeas, quæ tam fortem habes ducem? Cùm in tentationibus & laboribus fueris, silebit sæpè, dissimulabit & sinet te affligi laborare & sudare, eò quod diligat & eligat te ad magnam gloriam & coronam. Ita S. Antonius à turba dæmonum, varijs formis leonum, luporum, tauro-

Tribulatis in se sperantibus adest Deus.

4.

Non remittit Deus semper omnem pœnam

taurorum, aſpidum, ſcorpionum, pardorum, vrſorum ſe inuadentium acriter flagellatus, vulneratus & confoſſus, cùm *imperterritus duraret mente peruigili*, ait S. Athanaſ. *Vidit ad ſe radium lucis influere. Ilicò præſentiam Domini intellexit, & ex intimo pectore longa trahens ſuſpira: Vbi, inquit, eras bone Ieſu? vbi eras? quare non à principio adfuiſti, vt ſanares vulnera mea? Et vox ad eum facta eſt: Antoni hîc eram, ſed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter, non ceſſaſti, ſemper auxiliabor tibi, & faciam te in toto orbe nominari.* Sic S. Catharina Senenſis faces libidinis à dæmone immiſſas fortiter repellens & ſuperans, poſt victoriam meruit videre Jeſum. Meritò igitur pia hæc filia ſeipſam ſolatur, quia inuocantibus ſe in tribulatione Deus maximè opitulatur.

CAPITIS TERTII.

VERSVS XIV.

Ad te Domine, faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.

Verſ. 15. *Peto Domine, vt de vinculo improperij huius abſoluas me, aut certè deſuper terram eripias me.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 14. & 15. Sara in Deum tanquam in ſui doloris & ignominiæ leuamentum vnicum, oculos, animumque conuertit, oratque aut vt medeatur ſuæ exiſtimationi laboranti; aut ſi id exorare non poſſit ab offenſo Deo, vitam adimat rot obnoxiam caſibus: vt aſſiduos dolores, & opprobria morte immaturâ redimat.

SECTIO DVODECIMA.

An rectè Sara huiuſcemodi oratione Deum interpellet, cùm ex meditatione ſua perſpectum habeat, Deo permittente, ancillulam opprobrijs ſupradictis eam laceſſere.

1. SIMVS quamplures in neceſſitatibus ad Deum confugiſſe, *quoniam adiutor eſt in tribulatione*: ſed mirum eſt, quod Sara intelligens Dei beneplacito ancillam præfatis opprobrijs eam exercere, pro ijs auertendis, paradoxâ illâ oratione, remedium quærat. Similiter in alijs id meritò mirari quis poteſt, qui percipiunt malorum omnium ſublimiore quodam interiectu cauſam eſſe voluntatem Dei. Si enim illud rectè intelligunt, cur precibus ea volunt auertere? cur morbis pharmaca opponunt? cur hoſti armatos cuneos obijciunt, cur portas non ilicò pandunt, & intra mœnia recipiunt ſuum exitium? cur non ſanctiſſimum Præſulem Lupum imitantur, & illius vocibus mala ſua omnia, ſicut ille Attilam (de quo ſuprà) ſalutant, *Salue flagellum Dei?*

An liceat malis reſiſtere, cum Dei beneplacito fiant.

2. Ad huius rei intelligentiam repeto voluntatem diuinam Theologis duplicem eſſe; vnam *ſigni*, qua præcipit, prohibet, promittit, ſuadet, operatur aliquid, eamque ſuis legibus ac præceptis declarat. Alteram *beneplaciti*, qua deſtinatum quid vſquequaque vult fieri, vel cum conditione, vel ſine illa. Angelis & hominibus æternam felicitatem voluit impertiri, eâ tamen conditione & lege, ſi ipſi non obſiſterent ſuo arbitrio. Alia vult Deus ſine vlla adiunctione, vti voluit cœlum terramque cõdere, ita vult eſſe perpetuum ordinem Orbis totius, & gubernationem, quâ cuncta diſponit ſapientiſſimè. Huic Dei voluntati nemo poteſt obſiſtere, nullas illa leges patitur, nihil quidquam alieno facit Imperio, nulli paret. Iſaias Vates planiſſimè hoc pronuntiat, cùm Deum à Gentilium Dijs diſcernit cap. 4. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Ratum erit, quod ego decreuero, neque ſucceſſu carebit, quod ego in rebus fieri voluero. A Gentilium Dijs hoc longè abeſt. Et cap. 55. *Quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Senſus eſt: Promiſſio hæc mea, qua vitam & omnium rerum abundantiam promitto, non erit inſtar tonitrui, quod præter fragorem, & ſonitum nihil habet, quo terram irriget, & fœcundet; ſed erit inſtar niuis, & pluuiæ, quæ

Duplex Dei voluntas.

Voluntati ſigni nemo obſiſtere poteſt.

de cœlo cadunt, neque eo remigrant, sed inebriant, grauidantque terram, vt abundè germinet, referatque prouentus vberes illi, à quo semen accepit. Sic erit verbum, atque promissio, quod orietur semel ex ore meo: neque enim fide, aut successu carebit; sed assequetur id, quo illud destinaui: illa, inquam, verbum meum cumulatè præstabit, quæ promisit. Mardochæus Esther. 13. hoc ipsum proclamat: *Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tua possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.* Diuinam laudat potentiam, cuius voluntati nulla mortalium vis, aut solertia vtiliter aut impunè resistere queat; quamuis obstet Aman, tu absolutè nos liberare potes.

3. *Voluntas beneplaciti hominibus sæpè incognita. Huic licet resistere.*

De voluntate autem beneplaciti non ita nobis constat, sicut de voluntate signi, neque continuò scire licet, quousque se extendat illa, quâ clades, bella, morbos immittit, neque quamdiu illis nos velit Deus affligi. Vnde in bellis tamdiu licet resistere, donec constet Deum nos velle ijs continuò atteri. v. g. Iniustè nos hostis bello lacessit Deo permittente, qui nos affligit propter peccata nostra, licet gladium eius à ceruicibus nostris propulsare, licet precibus Dei auxiliatricem manum flagitare. Quid dico, licere? Deus de auxilio non cogitat, antequam precibus insistamus. Iudicum cap. 3. Israëlitæ recesserant à Deo ad Gentilium sacra, vt vitam ducerent feliciorem. *Tradidit eos Dominus in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ*, & Gentilium vilissima mancipia effecti, octo annis attriti sunt, & maiora haud dubiè experiri fuisset necesse, nisi ad cor redijssent, pristinum cultum & religionem, ac Dei auxilium imploràssent: tunc itaque primùm supperias tulit Deus: *Et clamauerunt*, inquit Sacra Pagina, *ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez.* Vides octennio oppressos tunc liberatos, cùm precibus malum studuerunt à ceruicibus suis propulsare. Quadraginta annis in ea felicitate steterunt. Ipsis verò post mortem Othonielis ad pristina vitia redeuntibus, Deus dedit potestatem Eglon Regi Moabitarum ad debellandos Israëlitas, & veluti flagellum ei in manu tradidit, quo eos veluti peruicaces seruos, & filiorum nomine indignos tunderet sæpius, & acriter verberaret. Hoc insinuant verba: *Qui confortauit aduersum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu eius.* Eglon verò reportatâ victoriâ, præsidijsque in vrbe palmarum collocatis, totos octodecim annos in debellatam à se gentem dominatus est. Idque tantâ sæuitiâ, vt miseri Israelitæ, asperrimæ seruitutis iugo depressi, ad preces demum, & vota recurrere sint compulsi: *Postea*, inquit sacer textus, *clamauerunt ad Dominum: qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod, filium Gera, filij Iemini, qui vtraq; manu pro dextera vtebatur.* Hic Aod ambidexter post fusas ad Deum preces Eglonem Regem Moab, qui populum Dei per 18. annos, graui oppresserat seruitute, & idola in Galgalis erexerat, vbi tempore Iosue fixum fuit tabernaculum, & celebritates ex ritu diuinæ legis peractæ, ficâ interemit, idque sinistra manu, quâ æquè fortiter vtebatur ac dextera. Sed cùm pluribus annis externorum prælio minus turbarentur, in omnem peccandi licentiam, nec Deum, nec homines reueriti, vsque adeò effusi sunt, vt Dei iram prouocarent, & in manus Iabin Regis Chanaan traditi, viginti annis, oppressi iacerent. Verùm ad preces denuò confugientes, misericordiam Dei experti sunt, quemadmodum alias sæpè, vt videre est toto libro Iudicum. Vult igitur Deus precibus flecti ad misericordiam: tamdiu enim flagellat, donec audiat humilium vota, orationes & lachrymas.

Deus non auxiliatur, nisi precibus aduocatus.

4. Ad amussim id intelligebat Hieremias Vates. Is cùm prædixisset ob peccata populi sterilitatem, & famem magnam futuram, nihilominus pro ea auertenda orauit: *Si iniquitates*, inquit, *nostræ responderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt auersiones nostræ, tibi peccauimus.* Quasi dicat: Peccata nostra tanta sunt, vt clament vindictam, nosque excidio dignos esse: Tu tamen Domine, fac nobiscum clementer, quia clemens es; fatemur enim multas esse auersiones nostras, & rebelliones, quibus te offendimus. Neque destitit donec intelligeret Deum nullius precibus exorabilem.

Dauid, qui ex tribus plagis elegerat pestilentiam, propterea non minus ad preces confugiendum censuit, vt eam à populo auerteret: *Leuansq; Dauid oculos suos*, inquit sacer textus, *vidit Angelum Domini stantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem: & ceciderunt tam ipse, quàm maiores natu vestiti cilicijs, proni in terram. Dixitq; Dauid ad Deum: Nonne ego sum, qui iussi vt numeraretur populus: Ego, qui peccaui: ego, qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur.* Placatus hac oratione Deus admonet per Prophetam, vt in area Ornan Iebusæi aram constituat, & victimas immolet. Mirum ter mirum. Post ingentem cladem alibi factam, vindex peccati Angelus imminebat Hierosolymis, & iussus est à Domino ab vlteriori cæde cohibere gladium. *Ait Angelo percutienti populum, sufficit: nunc continue manum tuam.* Orat Dauid Dominum cum senioribus populi, & monet Dauidem

Deus

Deus per Prophetam, vt per ſacrificia propitium ſibi eum reddat; quaſi non eſſet ab illo cruento negotio ceſſaturus, niſi noua interceſſiſſet placandi forma, qualis eſſe ſolet ab immolata victima: *AEdificauit Dauid altare Domino, & obtulit holocauſta & pacifica, & propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael.* 2. Reg. 24. Quærit Ambroſius in Pſalm 37. *Si mandauerat*, inquit, *Dominus Angelo, vt parceret, quomodo ſcribebat adhuc Angelus?* Et reſpondet: *Niſi quia Dominus, & ſi vult ignoſcere, vult rogari, & vt rogetur, hortatur: Nec vidiſſet homo Angelum ferientem, niſi Dominus, eius oculis, Angelum reuelaſſet.* Adde quod quædam à Deo ita prædeſtinentur, vt tamen hominum preces intercedant, quæ eadem exorent. Sic Gregorius lib. 1. Dialog. c. 8. *Ea*, inquit, *quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, vt precibus obtineantur.* Idem penè Auguſtinus de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 56. & Hieronymus ad illud Danielis 9. verſ. 3. *Et poſui faciem meam ad Dominum Deum rogare & deprecari in ieiunijs ſacco & cinere. Prædixerat*, inquit, *Hieremias ſeptuaginta annos deſolationis templi, poſt quos rurſus veniret populus in Iudæam, & ædificaretur templum & Hieruſalem. Quæres Danielem non facit negligentem, ſed magis prouocat ad rogandum: vt quod Deus per ſuam promiſit clementiam, per huius impleat preces, ne negligentia ſuperbiam, & ſuperbia pariat offenſam.*

Deus etſi vult ignoſcere, vult tamen rogari.

Iulia Deus prædeſtinauit, ita tamen precibus obtineantur.

5. Sic Sara licet ſciret, Deo permittente ancillam in eam excanduiſſe, ideoque ſilentio opprobria premere voluerit: quia tamen neſciebat quouſque Deo placeret, procaci maledicæ linguæ eam exerceri, luctuoſam conditionem & calamitatem ipſi proponit, inſinuás ab illo ſolo optari aut ſperari medicinam, quod nullus, ab imperio, quod ex diabolicâ fraude, & ſeptem virorum intemperantia proceſſerat, liberare queat, & maledicam linguam obſtruere, niſi Deus qui rogari vult, vt liberet. Hoc itaque piorum eſt. Dauid Pſal. 118. dixit: *Redime à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua.* vt animo, inquit, tranquillo cuſtodiam mandata tua: *Calumnia enim perturbat ſapientem & perdit robur cordis illius*, vt dicit Eccleſiaſt. cap. 7. Rurſum idem Propheta orat Pſal. 30. *Miſerere mei Domine, quoniam tribulor, conturbatus eſt in ira oculus meus.* id eſt, in ira tua, qua peccatum meum punis permittendo perſecutionem Abſalonis, oculus corporalis præ lacrymis caligauit. Et paulò pòſt: *Factus ſum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commemorantium in circuitu?* ſeu ideò rogo, vt mei miſereatis: nam ita contemnor, quaſi à regno eiectus nullius potentiæ deinceps futurus ſim: ſed tanquam vas inutile in cloacam proijciendus: *Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua. Domine non confundar, Quoniam inuocaui te.*

A Deo quæ rudimus auxilium.

Conſidera, mi homo, quàm tener ſit calumniæ ſenſus. Admirare hanc mulierem; in cæteris ſilet, & quaſi nil paſſa cũcta obliuiſcitur, hîc ad Deũ confugit: hæc ad omnem tum pudicitiam, tum patientiam nata, ob ſubitam maritorum necem, nuptialem veſtem cum funebri palla ſepties coacta eſt mutare, quãdo Hymenæum ſepties funereæ tedæ fugarunt. Potuit hos luctus Sara, generoſitate Hebræâ, concoquere, potuit ſilere in tam copioſa dolendi materia. Vidit ſeptem maritos à dæmone iugulatos, & tacuit: vidit ætatis ſuæ florem tot funeribus calcatùm, & obmutuit: vidit ſe prius viduam quàm coniugem, & toleranit; At verò cùm vna è domeſticis ancillis calumnias in illam diceret, vocaretque tot virorum interfectricem, hîc Sara ſenſum recipere, hîc adeò cruciari, & dolere, vt triduum impranſa & incænata inter preces & lachrymas exegerit, & pænè hoc vnum à Deo contenderit ab illis calumnijs abſolui. Nam, *In oratione perſiſtens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab iſto improperio liberaret eam, aut certè deſuper terram eriperet.* Quid eſt hoc? An impatiens Sara ob huius vitæ tentationem aliquam, mortẽ optat cum animæ noxa? Abſit. Hugo Cardinalis defendit hanc virginem: *Sub pendulo*, inquit, *pia conditionis petijt, quæ ſemper impetitione temporalium debet apponi, vel ſubintelligi. Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus. Rom. 8. Caſus enim quandoque occaſionaliter nobis eſt neceſſarius, quia inde fortiores, & humiliores reſurgimus. Vt Petrus, & ſancti viri tentationes vitiorum non petunt ſimpliciter amoueri, ſed ſub pendulo pia conditionis, ſi ſcilicet expediat.* Vide ſect. 5. huius Capitis. Aut conſiderans tantùm naturalia, vt cenſet Sanchez hîc: *Hæc vox*, inquit, *eſt animalis naturæ, quæ ægrè fert labores, quales ſunt animi angores, & valetudinis incommoda, de quibus Eccleſ. 30. v. 17. Melior eſt mors, quam vita amara, & requies æterna, quàm languor perſeuerans. & cap. 41. v. 3. O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus.* Sic viri graues ex affectu ſenſitiuæ partis, & vt ſignificarent magnum animi dolorem, vitâ defungi in beneficijs numerabat. Sic Elias 3. Reg. 19. v. 4. *Petiuit anima ſua vt moreretur: & ait, Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Et Iob. v. c. 20. *Quare miſero data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt? qui exſpectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer, cùm inuenerint ſepulchrum.* Sic Hieremias Propheta, qui dixerat ſibi timendum non eſſe ab inimicorum inſidijs, quod adiutorem ſecum haberet Deum bellatorem: vt naturalem tamen dolorem explicaret, quod eo tempore naſci eum contigiſſet, quo videre deberet ciuitatis ſtragem, templi ruinam, & ſuorum exilium, dicebat: *Maledicta dies in qua*

6. *Calumnia ſenſum eſt tenerrimus.*

Sara ad omnia tribulationis iacula tacuit, calũniam paſſa dumtaxat doluit.

Mortem optant miſeri.

Mauden in Tobiam.

Quare mortui fortunati.

natus sum, dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta, &c. Ita & postea Mathathias 1. Machab. 2. simili de causa: *Va mihi vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ.* At qui ex hoc hominũ seculo fortunati appellantur ab Ecclesiaste ca. 4. quibus mors dolendi causam eripuit, & nẽdum nati sunt; *Laudaui*, inquit, *magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui nẽdum natus est, nec vidit mala, quæ sub Sole sunt.* Vide plura in hanc rem Disc. 9 in V. Præceptum num. 6. At qui ea ratione mortem tantùm optare, vel veniale peccatum est, vel nullum: sed verosimilius est ex toto Discursu Saræ in hac oratione, quod submiserit se diuinæ voluntati in omnibus.

Ecclesi. 4.

7. *Non est resistendum malo, dum certò constat sic Deum velle.*

Vt vt, est certissimè constat, ad oculum euidentissimè patet, opprobrijs, morbis & infirmitatibus, alijsque malis omnes licitè adhibere remedium, donec constet Deum expressè velle ijsdem suos affligi; neque tunc vlla resistendum est. Hieremias cap. 17 prædicit exilium & seruitutem populo Iudaico, eumque subijciendum potestati Nabuchodonosoris: insuper Deum velle, vt sponte ei se subijciat, cum hac interminatione, vt si quis ei resistat gladio, fame, & peste infectandus veniat, donec per Chaldæorum manum omninò deleatur, dum ait: *Gens autem, & regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, & quicumque non curuauerit collum suum sub iugo Regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in pestè visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumã eos in manu eius.* Hoc casu necessariò obsequendum est diuinæ voluntati neque precibus obsistendum. Paulus cùm stimulo carnis à Satana colaphizaretur, sæpius pro eo auertendo precibus apud Deum institit, cùm autem intellexit, hæc verbâ: *sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur*; destitit precari, & dixit: *Libẽter igitur gloriabor in infirmitatibus meis vt inhabitet in me virtus Christi.* Franciscus Borgia Dux Gandiæ, cum coniuge Leonora ipsos duodeuiginti annos mirâ cõcordiâ exigit. Ægrotante illâ, quod altera sui parte spoliari se videret, orare frequentius, piorum etiam hominũ precibus adhibitis, eleemosynis, atq; ieiunijs. Solus aliquãdo conclaue, remotis arbitris ingressus, obnixè, & fusis lachrymis obtestabatur Deũ, saluam coniugẽ, superstitemque vellet: cùm ecce tibi vocem quandam interiorem clarè audire visus est, vt post ipse retulit, quæ diceret: *Vxorem si diutius superesse vis, arbitrium tuo fiat: sed tibi non expedit.* Quâ re turbatus, minimè dubitauit Dei vocem esse: tacitè enim redargui se quod ignoraret, quid peteret. Ita rursus in lachrymas solutus, in has eximo pectore prorupit: *Domine Deus, vnde hos mihi, vt arbitratu committas meo, quod in tua solius est potestate. Meâ permagni refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim rectius nouit quid è re mea sit, quàm tu mi Deus. Tua itaque voluntas fiat: nec de vxore solum, sed de liberis etiam, deque me statuas, rogo, quicquid tibi placuerit: fiat Voluntas tua.* Obseruatum est eo tempore coniugis morbũ, statũ quemdam tũc tenuisse, vt dubitarent medici, deteriusne an meliusculè haberet; post has verò preces ad desperationem laborare cœpisse. Ita Franc. Schottus in vita Borg. lib. 1. c. 12. ita oportet, quando constat de Dei beneplacita voluntate. Abraham veræ obedientiæ admirabile exemplar, iussus, immolare filium, licet maluisset mori, quàm filium iugulare, nihil moratus, quia sciebat Dei esse voluntatem; nec destitisset ab incœpto opere, nisi vox Dei eum cohibuisset, dicens: *Non extendas manum tuam super puerum*; & ab eo arietem substitutum vidisset loco filij immolandum, Gen. 22.

Exempla.

8. *Quousque ægroto resistendum.*

Cùm autem ægrotus nesciat, quamdiu se velit Deus in morbo cubare, licitè prorsus resistere potest, & recuperandæ sanitati, quicquid est legitimorum remediorum applicare. Vbi verò tentarit omnia, & nihil profecerit, nec conualuerit, persuasissimum sibi habeat, diuinæ voluntatis esse, se grauius ac diuturniore inualetudine vrgeri. Sic ergo ratiocinandum: Vult te Deus, mi æger, ægrotare; at quia nescis an etiam velit te nunquàm sanari, eâ de causa licitè vtetis remedijs. Si autem velit morbum perpetuari, substrahet pharmacis efficaciam ne saneris. pari ratione agendum, si ortum incendium.

Opera à se depelli malum, non resistit diuinæ voluntati, sui culpæ, vnde prouenit malum.

Nota autẽ cùm quis incendium, cùm hostẽ, cùm morbum cupit extinctũ, non diuinæ voluntati pœnã approbanti, sed culpæ obsistere, quam odit Deus. Nam domus incensa est vel iniuria vel inuidiâ, huic culpæ reiiti, nemini non permissum. Sic qui morbũ conatur depellere, non voluntati diuinæ, sed humanæ noxæ se gerit aduersarium; vix enim vllus est morbus, cui non occasionem præbuerit aliqua victus intemperantia; quisquis ilim in morbum pugnat non Deo, sed intemperantiæ, aut certè illius effectui repugnat: Sic qui armis resistit, non diuinæ voluntati aduersatur, sed illi qui bellum intulit iniustum. In his talibus se suaque defendere, minimè vetitum, nisi aliunde constet certò displiciturum Deo defensionẽ. Quo casu nihil rectius aut præstabilius facere possumus, quàm si nostram diuinæ voluntati peniti ssimè submittamus & accommodemus, dicamusque cum Heli Sacerdote 1. Reg. 3. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat*: cùm Ioabo Duce: *Dominus faciat quod bonum est in conspectu suo*, 2. Reg. 10. cum Dauide Reg. 2. Reg. 15. *Si dixerit mihi Dominus, non places; prostratum, faciat quod bonum est coram se*: cum Iuda Machabæo, 1. Machab. 3. *Sicut voluntas fuerit in cœlo, sic fiat*: cum

Nihil efficacius quàm si submittas diuinæ beneplacito.

cum Christo Seruatore: *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua,* Matt. 26. Quod si Filius fuit tam obsequens, vt patris exequeretur voluntatem plenissimè; Nam, *Descendit de cœlo*, inquit, *non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Si hoc à filio exigebatur, quantò minus seruos abnuere imperium, fas est. Ioan. 6. 38.

CAPITIS TERTII

VERSVS XVI.

Tu scis Domine, quoniam nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam, ab omni concupiscentia.

Vers. 17. *Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant participem me præbui.*

Vers. 18. *Virum autem cum timore tuo, non cum libidine meâ consensi suscipere.*

Vers. 19. *Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alij conseruasti me.*

Vers. 20. *Non est enim in hominis potestate consilium tuum.*

PARAPHRASIS.

Vers. 16. 17. 18. 19. 20. Sara autem vt erat religiosa fœmina, Deum suæ temperantiæ testem appellat, quem sciebat conscium casti sui animi, & religiosi consilij, quodque nunquam in turpe desiderium prolapsa fuisset. Addit ad cumulum, quod nunquam à petulante & audace adolescentum turba virginale corpus iniuriam acceperit, aut animus labem ab immoderata sensuum libertate, tum quod à choreis & ludis abstinuerit, qui solent esse libidinis, aut vitæ liberioris illecebræ tum etiam quod sese exercitijs non dederit, quibus honestæ etiam virgines oblectari solent, & animos mœrore contractos recreare à domesticis curis. Arqui vt à se suspicionem depellat, qua aliquis eam, quæ septem nupserat maritis, luxuriosam existimare potuisset, causam adhibet honestam, & turpiorem submouet: ait enim se desiderio prolis iuxta finem à Deo intentum, toties aut optasse maritos, aut quæsitos, & oblatos à parentibus accepisse, non vt rabidam expleret sitim, quâ prurire subinde solent puellarum intemperantes animi, ne verò quis incredibile putaret à Sara abfuisse culpam occultæ cædis septem virorum, quam illi afflixerat procax ancilla, eandem cædem honesta & verecunda virgo tribuit diuinæ prouidentiæ atque iustitiæ, cuius consilia hominum intelligentiam etiam maximè criticam longè excedunt; causam tamen vtrumque coniectat prudens & sollicita fœmina, eamque triplicem, aut quia septem illi viri, qui Gentiles fuisse videntur, digni non erant, qui Israelitidem puellam & religiosè educatam, consortem haberent thalami & vitæ, aut certè ipsa indigna visa fuit, quæ talibus viris connubiali pacto coniungeretur: aut denique quia aliæ ipsam manebant nuptiæ, quibus Deus ea illibatam & puram conseruabat: quænam autem harum trium possit esse recta causa, soli Deo inquit patere.

SECTIO DECIMA-TERTIA.

An rectè posuerit in bonis operibus & tranquilla conscientia fiduciam Sara?

1. VNus amicorum, Iob Sophar nomine, cap. 11. ex falso præsuppositio eum redarguens, quod inquinatas manus ad Deum expanderet, quæ Deum placare non valerent, inquit: *Si iniquitas, quæ est in manu tua abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.* Et nonnullis interpositis eundem scopum amplificantibus, addit: *Et habebis fiduciam propositâ tibi spe.* quasi dicat, Si ab operibus iniquis animum tuum expurgaueris, relegatâ à domo tua, quæ in ea diu inueterauit, iniustitiâ, tunc securè leuabis ad Deum mundas preces tuas, easque admittet, neq; ex tuo amplius deijcietis loco, aut vllus te motus cõcutiet: sed rectè in Deo fiduciam collocabis, neq; erit deinceps quicquam, quod in hac vita timeas. Sic ille: Ioannes ille qui supra pectus Domini in cœna recubuit verissimè pronuntiat: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deum.* Si præclara, inquit, cõscientia sustentet nos, neque vllius criminis arguat, magnâ fiduciâ à Deo bona omnia expectare possumus. Author imperfecti hom. 15. in Matth. *Sicut oleum*, inquit, *accendit lumen lucernæ, ita bona opera dant animæ confidentiam.* Nam *iustus quasi leo confidens absque terrore erit.*

Falsò putat Sophar, propter peccata, Iob non exaudiri à Deo

1. Ioan. 3.

Prouerb. 28.

2. Præclara sunt hæc, & iustorum singulare præsidiũ: sed an vtile sit bona opera recensere cùm libet, quæritur. Non longè abibo. Adest D. Augustinus qui illico nodum soluet. Is cùm fiducia bona opera commemorare permittit, quando gloria Dei, aut vtilitas proximi id exigit. Sic enim ait in Psal. 98 & 102. *Esi imperfectis ostentare thesauros suos non expediat, ne illos amittant, nec recitare bona sua, quamdiu in via sunt, & adhuc ad interiora se conuertere, & progressus maiores facere debeant, ne illis contingat, quod gallinis, quæ mox vt oua pepererunt, clamore suo Dominos excitent, qui oua edita illis auferant: perfectis tamen, & magnis viris licitum est, non bona sua solum recogitare, sed etiam illa alijs pronuntiare, quando suadet necessitas gloriæ Christi, vel ad id vrget pia vtilitas proximi: modò illa dona Dei agnoscant, & per ea humilientur, & sine aliorum contemptu, qui tales non sunt imò cum magna eorum commiseratione cogitẽtur.* Exempla addit ex Scripturis Discursu 26. I. Præcept. num. 10. quibus sententiam tanti Doctoris illustraui.

3. *Ad timorem pellendum licet & opera recensere.*

Est & alius articulus, in quo vtiliter id fieri potest, nempè quando quis desperatum timorem, qui hominem penè lacessit & enecat, tenetur comprimere, & fiduciam firmare in Deo, eiusque diuinam prouocare misericordiam; quod ab agonizantibus, vel in extremâ alia necessitate constitutis ritè fieri conducit. Præcesserunt plurimi Sanctorum; in primis Esdras lib. 2. cap. 5. vbi cùm seuerè corripuisset potentiores, qui fame, inopia & alijs quotidie nouis premebant populum iniurijs, & mortuisset, vt potiùs releuarent oppressos, allegat, quam magna populo præstiterit, quàm ab omni lucro etiam honesto abstinuerit, vt suo exemplo in articulo tam desperato potentiores ad meliorem frugem reduceret. Denique ad Deum recurrit dicens: *Memento mei Deus meus in bonum, secundũ omnia, quæ feci populo huic.* quasi dicat, Cũ de omnibus prolixè ac studiosè meritus sim, hæc omnia tibi cum prece offero, & humilitate, certaque fiducia, quod talia mihi præstabis, qualia ipse præbui, atque populo indigenti indulsi. Ezechias Rex 4. Reg. 20. cùm idola destruxisset, templi valuas aperuisset, serpentem æneum confregisset, & vnico verbo, vnius Dei cultum strenuè defendisset, & Deus illi morbum immisisset, quo infirmabatur vsque ad mortem, audiuit à Propheta: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*, videlicet si naturã & naturales causas spectes: Tali, inquam, casu conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orans Dominum allegabat prioris vitæ merita, dicens: *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* D. Hieronymus in cap. 38. Isaiæ asserit id factum ab Ezechia, vt moriturus in Deum fiduciam erigeret: *Iturus*, inquit, *ad Dominum, narrat opera sua, quomodo ambulauerit corã eo in veritate & corde perfecto: Felix conscientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur.* Ita ille, significans recordatione bonorum operum, afflictionis tempore, conscientiam reddi tranquilliorem; Addo eandem reddere orationem efficacem: nam cùm eadem commemoratione obtinuit, vt morbus per se lethalis, & medicinâ incurabilis, miraculo sanaretur, licet illi morbus immissus esset, ne insolesceret de victoria obtinẽda cõtra Sẽnacherib, vtpote à Deo iã promissa.

Recordatione bonorum operum reddatur conscientia tranquillior.

Esther. quoque 13. ca. Mardochæus, cum litteræ

litteræ expeditentur ad internecionem gentis Iudaicæ, quod ipſe noluiſſet adorare Aman, qui hanc labam in eum cuderat, allegauit orans ſuam innocentiam: *Cuncta*, inquit, *noſti & ſcis, quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum. Libenter enim pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedũ eius deoſculari paratus eſſem: ſed timui ne honorẽ Dei mei trãsferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* Pariformiter Eſther ipſa c. 14. vt populi ſui vitã, & honorem diuinum apud Gentes tueretur, poſtquam oraſſet ſibi ſpiritũ conſtantem, & ſermonem idoneum, quod id conſequeretur, quod ſuo propoſuiſſet animo, inquit: *Nos autem libera à manu tua, & adiuua me, nullum aliud auxilium habentem, niſi te, Domine, qui habes omnium ſcientiam.* In quibus patrui ſui verba ſecuta, omnem à ſe ambitionem, & ſuperbiam, & ea vitia, quæ ab excelſo loco, abeſſe non ſolent, remouet Eſther; & quia, quæ de ſe prædicat, ſunt occulta, quæ hominum intelligendi facultatem omnem longè præterennt, quia interna ſunt, & vni Deo cognita: ideo Deũ ipſum teſtem appellat, dũ dicit: *Qui habes omnium ſcientiam.* Quod perinde eſt ac ſi diceret, Tu ſcis me nihil aut falſum fingere, aut aliquid affingere veritati. Primum quod affirmat, cuius Deum cognitio non latet, eſt nullum aliud auxiliũ ſe habere præter Deum, quod principio dixerat. Deinde aliâ eâdem aſſeuerationc confirmat: *Et noſti*, inquit, *quia odirim gloriam iniquorum: & deteſter cubile incircumciſorum, & omnis alienigenæ.* quaſi dicat, Humilitatis meæ tu es conſcius, quod regium etiam Matrimonium & cubile deteſter, & nimis cum Principe tanto familiare commercium, quodque ipſa neceſſitate coacta aſcenderim connubialem incircumciſi & alienigenæ lectum, & regium in capite inſigne arripuerim: quodque ex regio cibo ac ſplendida menſa, non plus acceperim voluptatis, quàm ex ruſtico, & inſulſo, quis cibo: vnde de menſa eius non comedi, & vinum libaminum non bibi: adhæc neque moliores deliciæ, aut lenocinia domicellarum nunquam mihi lætitiam ſuggeſſerint: ſed me omnes delicias ſtatuiſſe in te vno Deo, quem coluit Abraham, qui eſt *Deus fortis ſuper omnes.*

Humilitas Reginæ Eſtheræ.

4. Hunc morem imitata eſt prudens & ſollicita fœmina Sara, quæ vt in anguſto hoc rerum articulo, in quo mors potiùs optanda videbatur, quàm vita: vt Dei prouocet miſericordiam, qui ſolus ab improperio, quod ex diabolica fraude, & ſeptem virorum intemperantia proceſſerat, liberare poterat, & procacem maledicorum linguam obſtruere, Deum ſuæ temperantiæ teſtem appellat, caſtum & honeſtum animum proponit, & denique omnem ſuam innocentiam illi recenſet, cui ſoli, de veritate actorum, eiuſque conuerſationis, & rectæ intentionis conſtabat ſecretum. Et effectum ſuum poſtea ſortita eſt oratio. Quæ omnia indicant fiduciam bonorum operum, quam hæretici conantur Chriſtianis eripere, Deo hiſce caſibus eſſe gratam, & nobis non inutilem. Anna Elcanæ vxor 1. Reg. 2. multum paſſa ab æmula ſua, cùm ſilens ad Deum confugiſſet, quem nihil latere poteſt, & compos voti facta, ex Dei ſcientia ſeipſum ſolata & calumniatores compeſcuit: *Nolite*, inquit, *multiplicare loqui ſublimia gloriantes: recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt.* Quaſi dicat, Deſperandum non eſſe in ſummo etiam rerum diſcrimine, aut vbi omnia votis videntur eſſe contraria, neque contrahendum animum in dolore, cum facilè ſit Deo ſubitò honeſtare pauperem. Neque contrà nimis quemquam in ſua ſibi fortuna debere gratulari, cùm Deus poſſit, & ſoleat res humanas ſubitò conuertere, adeoq; attendere debere, qui in felicitate ſua magnifica de ſe ac ſuperba iactitant, Phenennam puta, & cum eâ conſpirãtes: vt minus de ſe ſuperbè cogitent, & antiqua verba aliquid inflatius reſonantia procul abijciant, nonamque meditentur cantilenam, eò quod Deus nouerit omnia, quicum, quem nunc humana cogitatio fortunatum vocat, (quia externam atque præſentem ſpeciem dumtaxat admiratur) illum ipſe qui futura non aliter, quàm præſentia conſpicit, miſerum vocat. Quæ conſideratio grauis eſt, vt ſpiritus hominum inſolentes comprimat.

Fiduciam bonorum o. perum Deo gratam eſſe, nobis vtilem

5. Ex his inſuper dignoſcitur, quid efficiat ſecura conſcientia. Singulare eſt oraculum Salomonis Prouerb. 15. *Secura mens, quaſi iugis conuiuium.* Appoſitè Bernard. lib. de interioti domo, cap. 23. *Nihil eſt iucundius, nihil tutius, nihil dulcius bonâ conſcientia: premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus; illa erit ſecura. Bona conſcientia ſecura erit, cùm corpus morietur; ſecura, cùm anima coram Deo præſentabitur; ſecura, cùm vtrumq; in die iudicij ante tribunal terrificum inſti Iudicis ſtatuetur. Futura beneditionis non eſt vtilius remedium, nec certius teſtimonium bonâ conſcientiâ. Cùm mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat, nunquàm marceſcit bona conſcientia: Subijciatur corpus in pœna, in iniurijs macereturr, verberibus lanietur, equuleo diſtendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur; ſecura erit conſcientia.* Id paret exemplo Ezechiæ iam commemorato, & Apoſtoli teſtimonio, 2. ad Cor. 1. *Gloria noſtra*, inquit, *hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Quaſi diceret: Id de quo glorior, & in quo confido coram Deo, teſtimonium eſt conſcientiæ meæ, quaſi dicat, Propterea ſpero me liberatum iri à Deo è preſſuris quæ mihi adhuc inſtant; quia benè mihi conſcius

Securitas & efficacia bonæ conſcientiæ.

Bona conscientia parit fiduciam impetrandi.

scius sum, ac de eo gloriari possum. Bona quippe conscientia fiduciam parit impetrandi, S. Ioannes locuples testis est, 1. Epist. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus.*

S. Augustinus lib. contra Secundinum Manichæum cap. 1. hâc eâdem securus erat contra quorumuis calumnias: *Sentì*, inquit, *de Augustino quidquid lubet, sola me in oculis Dei conscientia non accusat.* Bona conscientia nihil metuit. Per hanc Martyres coram tyrannis liberè fidem professi sunt, & tormenta quæuis fortiter subierunt. Bias interrogatus quidnam in vita metu vacaret, respondit: *Bona conscientia.* Tiburtius ad tyrannum: *Omnis*, inquit, *nobis vilis est pœna, vbi secura comes est conscientia.* Tertullianus lib. ad Scapulam Carthaginis præsidem in Christianos sæuientem, cap. 1. *Cùm omni*, inquit, *sœuitia vestra concertamus, etiam vltrò erumpentes, magisq; damnati, quàm absoluti gaudemus.* Idem Apologet. cap. 50. *Licet*, inquit, *nunc nos sarmentitios & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis denuncti sarmentorum ambitu exurimur, hic est habitus victoria nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.* Et Iustinus Apologia prima: *Quantò magis in nos sœuitur, tantò plures pietatem profitemur, haud secus, quàm si quis vitem putatione pronocet ad vbertatem.* Mirum est, quod narrat D. Hieronymus in vita Malchi de ipso Malcho, eiusque vxore. Erant honestissimi coniuges in faucibus cuiusdam speluncæ; in cuius interiori recessu rugiebant leones exertis vnguibus ad rapinam: & in cuius exteriori vestibulo fremebant, & sæuiebant homines districtis ensibus ad lanienam. Quid verò illi? *Inter tot pericula*, inquit D. Hieronymus, *pudicitia tantùm conscientia pro muro septi, euentum rei præstolabantur.* Et quidem bona eos conscientia ab vtroque periculo expediuit; leonibus in hostes sæuientibus, & vtrique coniugi parcentibus.

Fortitudo bonæ conscientiæ inuicta.

Malchum inter extrema pericula conscientia muro tutus

Mulierem Vercellensem bona conscientia inter tormenta securam reddit.

Mirabilius est, quod idem D. Hieronym. Epist. 49. ad Innocentium, narrat de muliere Vercellensi, quam maritus innoxiam detulerat adulterij. Nam cùm ad peccatum confitendum duris quæstionibus vrgeretur; flammâ corpus exurente, & ferro excarnificante, suam semper innocentiam constantissima defendit: *Et à dolore corporis*, inquit Hieronym. *Spiritu separato, dum conscientiæ bono fruitur, vltus est circa se sœuire tormenta.* Vnde non immeritò Sara de bona conscientia sibi gratulata est eo tempore, quo nihil aliud illam solari poterat; maximè cùm illa sit omnis boni causa, quod ex descriptione D. Bernardi loc. cit. compendio facile comperies: *Conscientia*, inquit, *bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, extremum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, &c.*

Præconia bonæ conscientiæ.

SECTIO XIV.

An omnes omninò ludos vitare debeant fœmina & puella instar Saræ?

SARA ab omnibus, vt Textus insinuare videtur, abstinuit ludis, & in Deo solo tempore captiuitatis, vt Esther apud Assuetum, lætata fuit. Laudabile sanè factum puellæ, ac filiæ vnicæ, viri tam illustris, ac opulenti. Sed an omnes eius exemplum tàm virgines, quàm maritatæ imitari teneantur, discussione dignum est. Ad huius rei intelligentiam nota varios esse ludos: Primò honestos ad laboris leuamentum institutos, vt sunt arcus exercitatio, pilæ lusus, ijsque similes. Secundò, sunt indifferentes, vt choreæ, saltationes tripudia cum canticis; vti & hi ludi, videlicet chartarum, taxillorum, & id genus alij. De primo modo sic Cicero lib. de Officijs. *Ludo & ioco vti quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tunc cùm grauibus, seriisq; rebus satis fecerimus. Duplex omninò est iocandi genus: vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum.* Illud prius nusquam licet: hoc posterius non solùm licet, sed etiam interdum decet, & expedit, dummodò suo loco, & moderatè fiat. Hoc laudat Cicero lib. 2. de oratore in Scipione, & Lælio, qui cùm nati essent reipublicæ, magnaque sustinerent rerum molimina, tamen egrediebantur ad littus, ibique vmbilicos, & conchas puerilem in modum legebant, vt vires conseruarent tàm corporis, quàm animi, quas postea Reipub. rerumque grauiorum studijs impenderent. Quod faciebant duo Ecclesiæ lumina, & seuerioris disciplinæ amantes, & magistri Basilius, & Gregorius, qui intentos, & defessos animos altioribus curis, interposito illarum laxamento, renouabant. Quòd item fecit Christus Marci 6. vers. 3. qui discipulos post datam operam Euangelio ad quietem, & honestum otium vocauit: *Venite*, inquit, *seorsum in desertum locum, & requiescite pusillùm.* Ab his non est credibile Saram abstinuisse: quia in illis non apparet, quod pudicam & honestam virginem dedeceat; maximè cùm assumere aliquam quietem à labore, & aliquod à seuerioribus studijs leuamentum, neque viri sanctissimi in seuero viuendi genere, in quo voluptarijs sensibus implacabile bellum

1.

Multiplices sunt ludi.

Ludum ludere non tantum licitus, sed & interdum necessarius.

Ad vires reparandas ludicra & honesta recreationes sunt vtiles.

lum indixerunt, hoc putarunt, ab illo etiam instituto, alienum: atque ideo, vt vires nouas assumerent, aut veteres redintegrarent, districtæ disciplinæ tantisper immemores honestis se, & ludicris exercitationibus dabant. Qua de re latè, & optimè Cassianus collat. 24. cap. 20. & 21. Vbi exemplum adducit Ioannis Euangelistæ, qui exemplo arcus, qui, vt vtiles habeat iaculationes, necesse est, vt aliquando ab intensione laxetur, hanc animorum relaxationem commendabat: *Sapè*, inquit, *accidit, non dicam nouitijs, & infirmis, sed etiam experientissimis, & perfectis, vt nisi mentis eorum directio, atque cautela quibusdam mollita fuerit vicissitudinis laxamentis in teporem spiritus, aut certè in perniciosam corporis valetudinem collabatur*: Similiter Augustinus lib. 2. de Musica: *Volo*, inquit, *tibi parcas, labor est in chartis, & apertum ire per auras animum permittas, placet hoc: sapientem enim interdum aciem remittere rebus agendis intentam decet.*

2. *Tripudia, saltationes sunt licita, dum sunt ex bona intentione.*

Secundus recreationis modus consistit in canticis choreis, saltationibus certo numero compositis, vulgò tripudijs. Hic verò est indifferens, & ex intentione exercentis pendens: vnde ad bonum finem omninò licitus est. Sic Exod. 15. Moyses & Hebræi canunt carmen gratiarum actionis, qui, submerso Pharaone cum suis in mari rubro, Israelitas liberauerat à seruitute & afflictione Ægyptiorum. Similiter fecit Maria cum fœminis ibidem vers. 20. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron*, inquit Textus, *tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem eius dejecit in mare.* id est, Egressæ sunt cum pijs ad numeros tympani tripudijs; hi enim sunt choti, Chorus namque est multitudo canentium aut saltantium. Quales fuisse puellarum mores apud Hebræos in decantandis Dei laudibus, vt patet ex Psal. 67. *Præuenerũt Principes coniunctis psallentibus in medio iuuenculorum* (Hebraicè virginum) *tympanistriarum.* Similiter cecinit non ignobilis illa Debbora carmen triumphale post partam diuinitus victoriam, Iud. 5. Filia item Iephte Iudicis Israël, cum puellarum cœtu cum tympanis & choris parentis victoriam celebrauit Iudic. 11. Item 1. Reg. 18. erecto capite Goliath à Dauide percussi quam trophæo in excelso atque aspectabili loco prope Hierosolymam, obuiæ ciuitates cum choris & tympanis & gratulatorio cantu prodierũt iuxta Textum, qui sic habet: *Cùm reuerterentur percusso Philistæo Dauid, egressa sunt mulieres de diuersis vrbibus Israel cantantes, choreasque ducentes in occursum Saul Regis in tympanis, & in sistris & præcinebant mulieres ludentes, &c.* Idem penè fecerunt Machabæi lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. vltimo in fine, cùm Nicanoris (quo cadente concidit hostilis furor & audacia) adductum fuit, & locatum Hierosolymæ omniũ fannis & ludibrio propositum. Idem fecerunt Philistini lib. 1. Reg. cap. 31. v. 9. qui Saulis caput per omnem terram circumtulerunt. Sic puto caput Holofernis per ciuitates aliquot circumductum, & ab obuijs populis cum triumphali plausu, & iuuenum choris exceptum, ac tandem Hierosolymæ, quæ totius Israëlitici populi caput est, illustri in loco constitutum; quod Iud. 15. insinuatur: *Et omnes*, inquit facer textus, *populi gaudebant cum mulieribus & virginibus, & iuuenibus in organis & citharis.* Hic modus etiam in rebus sacris apud Hebræos non fuit inusitatus, vt colligitur è c. 6. l. 2. Reg vbi legitur Dauid traduxisse Arcam Domini in suam ciuitatem, multiplici concrepante symphonia. Et præterea tam festiuum habuisse illum diem traductionis, & sacrum, vt ante Arcam spectante populo percutiens organa tota corporis contentione saltauerit: sic enim dicitur ibidem: *Et Dauid percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus, ante Dominum.* Vero simile autem est organum illud fuisse ex humeris suspensum: magnus enim fuisset labor gestare illud, & pulsare manibus, cùm saltu frequenti, & incitato tripudio, maxime in loco acclini, atque arduo, quod solent in plano, qui digitis citharam & terram alterno quatiunt pede, dum numeros simul obeunt saltatorios. Vide plura eodem cap. dignosces hunc modum fuisse Deo gratum.

Quid chorus sit.

Mos Hebræis in rebus sacris etiam saltationes vsurpare.

Itaque vti hæc cantica & exercitia Deo grata fuerunt, sic de choreis publicis iudicandum est, quando ad decentem finem exercentur, v.g. ad animi laxamentum honestum. Sic enim 1. Esd. 2. inter Hebræos Babylone redemptos fuerunt cantores & cantatrices ducenti, ad itineris videlicet molestiam superandam, & reducum captiuorum animos exhilarandos. Rursum cùm ad vitandum otium à rusticis vsitantur; item cum ad conciliandam beneuolentiam honestam inter iuuenes & puellas exercentur: quales sunt cantilenæ & saltationes vespertinæ, æstiuo tempore pluribus locis fieri solitæ sub appensa corona rosea, futuro trophæo, excellentioris cantatricis, in plateis. Quæ ideò honestæ præsumuntur, tùm quòd publicè fiant, tum quòd ad beneuolentiam, vt dixi, conciliandam, ex qua aditus oriri solet ad matrimonia. Ex quo capite etiam in nuptijs pijssimorum fidelium tripudia, & musicalis lætitiæ strepitus, vsus inoleuit. Neque reprehendi solet eiusmodi vsus, nisi vel ratione loci sacri, vel ratione temporis, vt si fiat tempore quo missarum solemnia celebrantur, & impediunt officia diuina.

3. *Quæ chorea licita.*

Quæ & quando choreæ sint illicitæ.

diuina. Notabile est, quod hac de re scribit exemplum ex Alberto Crantio Saxon. lib. 4. cap. 33. & Tilmanno Bredenbach. lib. 1. cap. 59. in Concione 85. in Psalm. *Miserere.* nu. 9. Doctor Fredericus Forerius Suffrag. Bambergensis, quod eius verbis adscribo: *Memorabile*, inquit, *quod S. Henrici, Patroni nostri temporibus contigit Colbece, in villa quadam, Halberstadiensis ditionis, vbi, cùm Sacerdos sacris operaturus, & sacrum Missæ officium celebraturus, & impio quidam cœtu, choreas ac tripudia in contiguo, Ecclesiæ S. Magni Cœmiterio, cum clamoribus incundis ne quidquam increpante Sacerdote, ducerent, flans iam ad aras, aliquoties turbabatur. Rogat primùm; mouet deinde, vt vel tantisper quiescant; sed frustra. Sacerdos igitur impatientia forte non irrationabilis commotus: Quandoquidem*, inquit, *Diuina mysteria sic impudenter contemnitis, imprecor vt toto anno, sicut cœpistis, ita saltetis. Et ecce diuina vltio continuò est insecuta, duranit ea saltatio, dies & noctes sine cibo & potu, nec spes erat cessationis, omnes admonitiones surdis auribus accinebantur, sororem suã quidã extrahere contendebat è circulo saltatorum, & brachium quidem euulsit; at illa nihilominus perstitit in choro suo. Anno euoluto, maior pars spiritum efflauit; pauci qui superstites, à S. Herisberto Coloniensi Archiepiscopo absoluti, seuerissimam agentes pœnitentiam tandem salutis gratiam impetrarunt.* Sic ille.

Balsamtes tépore Missæ integro anno saltitant.

Clericis inhibitum tripudiare.

Deinde ratione personarum, cum videlicet exercentur à Clericis, qui iure communi Canonico arcentur ab istis choreis: quod ius renouatum est Concilio Tridentino sessione 26. cap. 10. & sess. 24. cap. 12. Rursum reprehenditur, cùm exercentur modo impudico & lasciuo, qui natus est alijs parere scandalum. Demum ratione prauæ intentionis, quando videlicet fiunt ex animo libidinoso qualis fuit saltatio Herodiadis Matt. 14. & Marci 6. quæ placuit Herodi, ita vt ad grauius malum procederet, & propter iusiurandum quo promiserat quidquid peteret, etiamsi dimidium Regni; petenti ex consilio matris caput Ioannis Baptistæ, idem amputari iussit. In quam sic inuehitur Chrysostomus hom. 49. in Matt. *O conuiuium diabolicum! O Satane spectaculum! O iniquum tripudium, & mercedem tripudij multò iniquiorem. Cedes enim omnium scelestissima cædium excogitabatur.* Et *qui coronari, ac laudibus in cælum efferri merebatur percussus securi iacebat. Qui dæmones deuicit, eius caput post eadem ad mensam asferebatur, & victoriæ modum rebus gestis respondens: Saltauit*, inquit, *Herodiadis filia in medio, & placuit Herodi: vnde iurenrando affirmauit, quodcumque petierit se illi daturum: illa verò à matre præmonita: Da mihi, ait, hic in disco caput Ioannis Baptistæ. Duplex hic crimen est, & quoniam impudenter saltauit, & quoniam adeò placuit, vt eadem loco mercedis acceperit.*

Impudens Herodias pro cæteris optauit caput Ioannis baptistæ.

4.

Ab hu ludis abstinuit & Sara.

Et quamuis ob has causas, & similes, solùm condemnandi veniant hi lusus per se indifferentes, arbitror tamen Saram ab illis abstimuisse, tùm quòd leuitatem aliquam contineant, tùm quòd ex aliqua causa dissoluere possent temperatam virtutum harmoniam; eoque magis, quòd similes declinarit Hieremias Propheta Domini: Cùm enim apud Deum vitam suam ab impiorum calumnijs, insidijsque defenderet, inquit: *Non sedi in consilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ. Solus sedebam, quoniam comminatione repleisti me.* quasi diceret: Cùm Prophetam agere cœpi (quod insinuat verbis *à facie manus tuæ*, id est, ob bonum Prophetiæ, quod in me operatus es tactu manus tuæ cap. 1. v. 9.) abstinui à risu, ludis, iocisque secularibus, neque me in nugatorum hominum conuentum dedi, aut puellarum compares choros, ac gartulos, liberosque conuentus iniui: sed seriùs fui, spiransque compunctionem, solus sedi ab omnibus desertus: quia prophetiam minacem, ac plenam comminatione commisisti mihi, quæ omnem lætandi & gloriandi materiam mihi abstulit. Sic itaque Sara in solo Deo delectata fuit, & præ illo omne seculare gaudium fastidiuit. Quod perfectorum est: Vnde Tertullianus lib. de spectaculis, cap. 29. monet & præ hoc diuino gaudio, cætera omnia profana contemnamus: *Quid enim*, inquit, *iucundius, quam Dei Patris, & Domini reconciliatio, quàm veritatis reuelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum retrò criminum venia? Quæ maior voluptas, quàm fastidium ipsum voluptatis, quàm vita sufficiens, quàm mortis timor nullus? Ha voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta Perpetua, gratuita. In hæc tibi ludos Circenses interpretare, cursus seculi imuere, tempora labentia dimuntra, metas consummationis exspecta. &c. Si scænicæ doctrinæ delectant: satis nobis litterarum est, satis versuum, satis sententiarum, satis etiam canticorum, nec fabulæ, sed veritates, nec strophæ, sed simplicitates;* &c.

Iaram 15.

Omnis prisca voluptas, præ diuino gaudio contemnitur.

5.

Tertius recreationis modus, v. g. chartarum, &c. quando licitus, quando illicitus.

Est & tertius recreationis modus consistens in chartarum, taxillorum & similium lusu. Qui etiam sub distinctione licitus est & mulieribus maritatis, & puellis: sed quia latè hac de re & ad longum egi Discur. 15. in VII. Præcep. nu. 4. & 5. eò Lectorem remitto, vbi plura inueniet ad ludum spectantia hic congrua, quæ bræuitatis causa iubet omittere. At qui hunc etiam lusum propter diuersa, quæ inde oriri solent inconuenientia, existimo à Sara fuisse alienum. Quidquid enim erat, quod honestam virginem minus deceret, planè cauit & respuit, vti omnes occasiones libidinis, vnde prurire facilè solent puellarum nupturientes animi.

Ab hoc lusu Sara fuit abstemia, vti & alijs occasionibus libidinis.

Tu scis Domine, inquit nobilis illa virgo, *quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia, nunquam ludentibus mixtus me, neque cum his, qui in leui-*

Sara ad vbique tutam custodiendam quæ adhibebat.

leuitate ambulent, participem me prebui. Tè, inquit, ſolum teſtem appello, quia homines plerumque eam fidem non admittunt. Hæc vera erat virgo & corpore & animâ, terſiſſimum virginum ſpeculum, quæ animam ſeruauit mundam ab omni concupiſcentia, non ſolùm à concupiſcentia carnis, ſed ab oculorum, omniumque ſenſuum, vti virginem decebat; priuauit enim ſe delectationibus etiam licitis, vt illicita non appeteret, & dum vnam reſpuebat, vt propoſitum ritè ſeruare poſſet, omnes ſimul reſpuit: nam vt D Baſilius de vera virgin. ad Letor. Epiſc. *Non conuenit ei, qui peccata concubitu ſuperare proponit, periculorum implicari lapſibus.*

6. *Deploranda puellarum modò libertas.*

Attendite virgines ad hoc exemplar, quæ connubium meditamini; haſce perfectiones æmulamini, & matronæ vtiles euadetis. Quanta nunc in pleriſque virginibus libertas, quæ non deliciæ, quæ non cum leuiuſculis iuuenibus familiaritas, choreæ, ſaltationes, omnis generis ludi? quæ deambulationes, diuagationes, & ſecuras ſe credunt. Dina filia Iacob, & Liæ olim puellari ducta curioſitate, egreſſa eſt, vt videret mulieres regionis illius, nempe Sichem, putà virgines ſibi coæuas, quæ tunc magno numero, & ornatæ ad feſtum ſolemne conuenerant, ſi Ioſepho credimus, à filio Principis terræ illius ſpectata, adamatur, rapitur, & violentèopprimitur. Diſertè Bernardus de gradib. humilit. *O Dina quid neceſſe eſt vt videas mulieres alienigenas? Qua neceſſitate? Qua vtilitate? An ſolâ curioſitate? etſi tu otiosè vides, ſed non otiosè videris. Tu curiosè ſpectas, ſed curioſus ſpectaris? Quis crederet tunc illam tuam curioſam ociosſitatem, vel ociosſam curioſitatem, fore poſſe vt non ociosſam, ſed tibi, tuis, hoſtibuſq; tam perniciosſam?*

Curioſitas Dinæ, ſui raptus & ſtupri occaſio

Puella virgo ruinæ proxima.

De Læuina caſta & tetrica, ſed vaga cecinit Martialis:

Dum modò Lucrinus, modò ſe committit Auerno, &c.
Incidit in flammas, iuuenemq; ſecuta, relicto
Coniuge, Penelope venit, abit Helene.

Idem, proh dolor! quotidie videmus, virgines, quæ cum iuuenibus ambulatum egrediuntur, egredi Penelopes, regredi Helenes; egredi virgines, regredi mulieres, imò meretrices.

7. *Virgo quàm facilè ruat per delitias ſecura.*

D. Hieronymus metuit filiæ delicatæ, molli, & ornatæ ne à virginitate excidat: *Vteris*, inquit, *balneis, cute nitidâ, rubicundis genis incedis, carnibus veſceris, affluis deuitijs, pretioſâ veſte circumdaris: & iuxta ſerpentem mortiferum ſecurè dormire te credis?* Et paulò poſt præſcribit ea quæ virgini Chriſtianæ ad honeſtum viuendi modum conducunt: *Sexus femineus*, inquit, *ſuo iungatur ſexui: neſciat, imò timeat cum pueris ludere. Nullum impudicum verbum nutrit: & ſi fortè in tumultu familiæ diſcurrentis*

Vna puella Chriſtiana obſtruxit multos.

aliquid audiat, non intelligat. Matris nutum pro verbis, ac monitis, & pro imperio habeat. Aiunt vt parentem, ſubijciatur vt domina, timeat vt magiſtram. Paucis interiectis ſubdit: *Nec liberius procedat ad publicum, nec ſemper Eccleſiarum quærat celebritatem: in cubiculo ſuo totas delicias habeat, nunquam iuuenculos, numquam cincinnatos videat: vocis dulcedines per aurem animam vulnerantes, puellarumq; laſciuia repellantur: qua quanto licentius adeunt, tanto difficilius euitantur: & quod didicerunt, ſecretò docent, incluſamq; Danaen vulgi ſermonibus violant* (hanc pater Acriſtus, ne violaretur, æreæ incluſit turri, fabula eſt, Iouem imbre auro in ſinum eius infuſum, eam ſtupraſſe: ſignificatque auro etiam optimè cuſtoditam pudicitiam violari.) *Sit ei magiſtra comes, pædagoga cuſtos, non multo vino dedita, non iuxta Apoſtolum, otioſa, atque verboſa, ſed ſobria, grauis, lanifica, & ea tantum loquens, quæ animum puellarem ad virtutem inſtituant. Vt enim aqua in areola digitum ſequitur præcedentem, ita ætas mollis & tenera in vtramq; partem flexibilis eſt, & quocunque duxeris, trahitur. Solent laſciui, & comptuli iuuenes blandimentis, affabilitate, munuſculis aditum ſibi per nutrices, aut alumnas quærere, & cùm clementer intrauerint, de ſcintillis incendia concitare, paulatimq; proficere ad impudentiam, & nequaquam poſſe prohiberi, illo in ſe verſiculo comprobato: AEgrè reprehendas, quod ſinis conſueſcere. Pudet dicere, & tamen dicendum eſt: Nobiles fœminæ, quæ nobiliores habuere neglectui procos, viliſſima conditionis hominibus & ſeruis copulantur, ac ſub nomine religionis, & vmbra continentiæ, interdum deſerunt viros Helenæ, ſequuntur Alexandros, nec Menelaos pertimeſcunt.* (De Helena hiſtoria habet, quod relicto Menelao viro, Alexandrum Paridem, Priami filium, ſecuta ſit, eamque ob cauſam Troia diruta fuerit, vti ex principe Poëtarum Homero omnibus notiſſima eſt.) *Videntur hæc, planguntur, & non vindicantur: quia multitudo peccantium peccandi licentiam ſubminiſtrat. Prò nefas, orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt.*

Nutricum & famularum ope, ſæpè filiæ indecora matrimonia ineunt.

Hi ſunt fructus virginum, quæ omnium conuerſationem, ludos, leuitates, choreas amplectuntur: quibus laſciua comptulorum tripudia non diſplicent. In choreis multa fiunt vrbanitatis ſpecie, quæ caſtitatis nervos incidunt. Liberæ hîc manus, liberi oculi, liberæ volant voces. Hæc ſunt quæ pudorem labefaciunt, hi ſunt libidinis ſtimuli, hæc laxamenta licentiæ. Appoſitè quidam de choreis hæc pronuntiauit: Chorea eſt circulus, cuius centrum eſt diabolus, & circumferentia omnes Angeli eius. Sanè illic variè offenditur caſtitas, & quandoque tam ſpectando, quàm ſaltando, in illam delinquitur. Cum hoc exactè congruit dictum Chryſoſtomi homil. 29. in cap. 13. Matth. *Vbi laſcivum ſaltus, ibi diabolus.* Noſtri æui choreas

8.

Choreæ caſtitatis hoſtis

Choreis diabolus præſidet.

attende, & eas plerumque non aliud esse dices, quàm diaboli theatrum, & palæstram aut præludium Veneris. Tripudia sæpè totius hilaritatis velut vltima scitamenta sunt. Scilicet post mensam, etiam lasciuiæ sacra fiunt, temulento motu obeunda.

9. *Vera conuersationem non debet expetere virgo.*

Inuenies præterea hac tẽpestate virgines, non vt Saram, quæ matrimonio destinata, omnem ansam, & speciem mali resecabat; sed quæ nolũt maritos, quia libertatem amãt; voluptati renuntiare videntur, vt voluptati obsequantur; vnum renuunt, quia plurium consortio delectantur, quia diuagari in votis est, alios carpere, detrahere, & detrahentes audire. De his sic pronuntiat Basilius loco supra cit. *Eas quippe, quæ per vicos, ac domos liberè volitant, indisciplinatas esse, non virgines, veritatis sermo denuntiat, & quæ passim quò volunt, incedunt, videntur quod idèo remuant virum, non vt summo sponso semper assideant, sed vt in potestate habeant quocumque velint malè, liberè, & vagè discurrere.* Ab his caue, virgo Christiana, & ad quemcumque statum adspires, Saræ modestiam sectare.

SECTIO XV.

Animus cum Deo compositus ne quidem in manifestis proximum culpat, sed totum quale est, quod eum afficit, tanquam dubium Dei iudicio relinquit.

1. *Falsa crimina sine alterius accusatione excusanda.*

SARA plurimum passa ab ancilla, tria præstat homini Christiano imitanda. Primum est, quod se excuset apud Deum absque alterius accusatione. Sciebat enim iniuriam satis apud Deum contra iniuriosum pro homine afflicto postulare, vt euidens est ex illo Genes. 4. quod Dominus dixit ad Cain, *qui fratrem secretò interfecerat: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* In quem locum sic Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 9. *Vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius: sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat. Simul querela criminosa adimitur. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimen proprio facinore confitetur.* Et ibidem notat, ne ipsum quidem sanguinem de corpore, sed de terra clamare: *Quia, & si,* inquit, *frater parcit, terra non parcit, si frater tacet, terra condemnat.* Sciebat quoque eam esse consuetudinem Sanctorum virorum & mulierum, vt aliorum culpas reprimerent, doloris sui causas ad leuamentum explicarent. Duo dumtaxat exempla in medium producam, nempe

Iniuria subit vices accusatoris apud Deum

Moris est Sanctis aliorum culpas reprimere in excusatione impositi criminis.

Ioseph, & Annæ vxoris Elcanæ. Is in carcerem coniectus Genes. 39. cùm postea pincernæ & pistoris somnia explicasset, ac pincernam liberandum à carcere, & restituendum pristino muneri prædixisset, commendans illi causam suam inquit: *Memento mei, cùm benè tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in carcerem missus sum.* Dicebat suam innocentiam; alienam verò suorum fratrum qui eum vendiderant, & Ægyptiæ adulteræ malitiam tacebat, vt suas passiones, non aliorum actiones indicaret. Notauit hoc acutè Chrysost. hom. 65. in Genes. *Attende,* inquit, *obsecro hîc quo modo nihil dicat contra sceleratam illam adulteram, neque arguat dominum, neque narret fratrum in se inhumanitatem, sed tectè omnibus dicit: Recordare mei, & fac educi me ex carcere hoc: quia furtim abductus sum de terra Hebræorum, & hic nihil feci, & immiserunt me in lacum hunc.* Et immediatè post vult nos prestius eius exemplum perpendere: *Ne perfunctoriè, inquit, hoc prætereamus, sed consideremus quàm bonus mortuus anima eius fuerit prædita, quo modo inuenta opportunitate temporis, & sciens quod præfectus pincernarum in felicem statum restitutus, posset omne negocium suum regi significare; non Ægyptium reprehendit. Iterum enim eadem dicam: non dominum affert in medium, non fratres, non dicit causam, propter quam condemnatus sit in carcerem, neque scelus in se commissum narrat; sed hoc vnum curat, non vt illos condemnet, sed vt pro se solo dicat:* Et paulo post rem ad nostram vtilitatem applicat: *Hæc audientes,* inquit, *discamus, si in talia incideremus, vt caueamus, conuicijs illos, qui nos iniecerunt incessere, & ad accusationem illorum linguam acuere: sed solum demonstremus in mansuetudine & mititate nos innoxios, & imitemur illum admirabilem, quia neque in calamitate existens voluit vel verbis petulantiã & libidinem Aegyptiæ euulgare. Scitis enim, quòd multi cùm de criminibus arguuntur, magnâ impudentiâ in alios sua delicta transferre nituntur.*

Ioseph se excusat ab alterorum sceleris subitione.

Anna suum narrat afflictionem, & Phenennæ opprobria silet.

Anna vero Elcanæ vxor 1. Reg. 1. cùm opprobria passa est ab Phenenna, orauit ad Dominum, & suam solùm recenset afflictionem, Phenennæ opprobria subticet, dicens: *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris,* &c. Et rursum quando temerè Heli illam orantem iudicauit temulentam, & necessitas cogeret respondere ad verba illius; *Vsquequo ebria eris,* respondit: *Nequaquam Domine mi: nam mulier infelix ego nimis sum, vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne reputes ancillam tuam, quasi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris, & mœroris mei, locuta sum vsque in præsens.* Vbi ne verbum iniuriarum Phenennæ mœroris sui causæ, neque quidquam quod contumeliam redoleret,

doleret, in Heli euomuit, licet à Pontifice profecta altè insedissent in præcordia. *Nos contra*, inquit Chrysost. hom. 1. de Anna, *si quando conuitijs appetimur, cùm oporteret excusare, & in gratiam redire, frequenter excitamus incendium, ac ferarum more insilimus in conuiciatores, præfocantes, & pro dictis supplicium reposcentes. Atque ipsi facto suspicionem de nobis confirmamus.*

Vindictam regerentes, malam de se opinionem confirmant.

2 Simili modo egit Sara, vt neque Ancillæ factum Deo proponeret, neque durius de maritis septem loqueretur, vt discamus similem prudentiam vbique imitari. Apostolus Petrus, cùm Apostoli à Iudæis multo pleni dicerentur, neque retaliarent, omnium causam suscepit, & modestè eam defendit: *Non*, inquit, *sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt.* Act. 2. In quæ verba Chrysost. hom. 5 in Acta enucleãs verba, *sicut vos æstimatis: non dixit*, inquit, *sicut vos subsannatis: neque, sicut vos ridetis, sed, sicus suspicamini: volens ostendere, illos id dedità opera non fecisse, & magis illos ignorantiæ velamento honestat, quàm malitiæ crimine notat.* Tantum abfuit, vt D. Petrus maledicta regereret, vt potius in se iacta modestè, & humiliter extenuaret. S. Bernardus serm. 29. in Cantica vult hominem pium, iniuriam passum, à responsione continere: *Tu*, inquit, *accepta forte iniuria, non statim mos secularis, obliqua referre fratrem responsione festines. Commotio tua ibi moriatur, vbi oritur, nec permittatur exire: vt dicere possis, Turbatus sum, & non sum locutus.*

Iniuriam contumeliã Apostoli non retaliarunt, sed modestè eluserunt.

3. Secundò reuocat Sara manifesta in dubium: quod in oratione maximè faciendum docet S Bernardus serm. 40. in Cantica. Allegans enim verba Christi Matth. 6. *Cùm oraueris, intra cubiculum tuũ, & clauso ostio ora*; & exemplum Christi Luc. 6. in oratione pernoctãtis, subdit paulo post: *Solus es si nõ communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suscipiunt, si fastidias, quod omnes desiderãt, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum.* Et paucis interpositis: *Solus es in quãtacumque hominum versaris frequentia: tantum caue aliena cõuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius index. Etiam si perperã actum quid deprehendas, nec sis iudex proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum: Quod si omnem omninò dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemẽs fuit nimis tentatio. Quid de me ille fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?* Sic Sara excusans quod palam à dæmone factum credebatur, & apparenter ob eorum culpam, in dubium vertit: Triplicem enim facit coniecturam, qua res apud homines excusari queat. Nos verò, si quid ab vno fide digno audiemus, nullam excusationem admittimus, quasi & ipse falli non posset, sicut ante ipsum innumeri homines erroneè crediderũt. Ad Patro-

In euasione alienæ crimina in dubium reuocanda.

Alienæ actæ quamuis visa, sunt excusanda.

rem presbiterum venit religiosorum quispiã, rogauitque veniam sibi daret è cœnobio migrandi, nolle enim se cum fratre illo, qui tam malè audiret, diutiùs versari. Cui Pastor: Ne facile, inquit, malum credideris, quod audiuisti. Ille contrà è viri fidelissimi relatu id se accepisse, & ideò abitionem vrgere. Ad hæc, optimè, Pastor: Si, inquit, fidelis esset, nunquam id tibi dixisset. Susurronum & detractorum nequitiam dextrè notauit. Sed licet quippiam ipse videris & audiueris, tu tamen (ni tui officij sit) Iudex in visa & audita esse non poteris. Si sapis, dices: Hoc esse factum scio, quid animo, quâ intentione, quas ob causas, quibus impulsibus sit factum, nescio. Si tamen (quod fieri non potest) omnia tibi liquidò forent percognita, tu nihilominus substringe iudicium, & Dorotheo monente serm. 6. dic apud teipsum: *Heu mihi, quia ille hodie deliquit, ego forsitan craſtina stare mihi videor, craſtino forsitan casurus: & illum quidem fors facti iam pœnituit, quod mihi de me polliceri sanè non possum.*

4. Tertiò relinquit iudicium Deo, qui docuerat Genes. 18. de certis & manifestis tanquam de dubijs loqui: Cùm enim clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus esset, & peccatum eorum, Domino testante, aggrauatum esset nimis, ac passim omnes ex consuetudine inueterata in peccatum ruerẽt, nihilominus dicit: *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam.* Vbi loquitur Deus more nostrorum iudicum, qui cominus de facto inquirunt, remque inspiciunt, cùm tamen ante experientiam omnia nouerit Deus. S. Chrysostomus propterea commendat Superioribus, ne aliquid definiant, propter solos vulgi rumores: *Noli*, inquit, *ex suspicione tua iudicare antequam discas, vtrum res ita se habeat; neque aliquem culpa, sed potius Deum imitare qui ait Genes. 18. Descendam & videbo*, &c. Sic Sara nequidem apud se voluit etiam ob vulgi rumores, neque apud Deum iudicare, quare aut qualiter mors septem maritis cõtigisset. Cùm enim triplicem fecisset coniecturam, in qua vel ipsos indignos se autumat, vel seipsam illis, vel se alteri viro reseruatam, concludit: *Non est in hominis potestate consilium tuum.* Sententia aureis litteris etiam parietibus inscribenda. *Rationem enim de occulto Dei consilio quærere, nihil aliud est, quàm cõtra consilium eius superbire*, inquit Gregor. Magnus. Isaias verò cap. 55. *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ dicit Dominus; quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Nostrum est in omnibus cum B. Paulo dicere: *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabi-*

Indicium relinquendũ Deo.

Superiores nihil definire debent ob solos vulgi rumores.

Rationem consilij Dei indagare, est contra illud superbire.

Longè diuersa sunt Dei iudicia à nostris.

Iesu via eius. In hac vita plurima nunquam satis indagabimus. Differenda est occultorum Dei scientia in orbem melioremi. Conatus Rex Dauid rimari, quare impij florerent in hoc sæculo, pij paterentur, non reperiens vllum exitum: *Labor est*, inquit, *ante me, donec intrem in sanctuarium Dei.* Psal. 72.

5. *Crebra & iniqua iudicia Phariſæorum ſubijt Chriſtus.*

Nos verò quantumuis pios seueriſſimâ censura iudicamus. Quàm crebra, quàm iniqua Christus Dominus subijt iudicia! Phariſæi captatores acerrimi, censores impudentiſſimi, nequiſſimi iudices assiduè in specula excubabant, si quid fortè in verbis factisque Domini deprehenderent, quod inuido dente lacerarent. Seipsum subinde non vocatum ad cœnas inuitabat Seruator: mox è sua specula proclamabant Phariſæi: Ecce vobis Propheram, vini amantem, commessatorem, mensarum asseclam. Cùm Dominus Lucæ 11. Dæmonium ab homine eiecisset, *In Beelzebub principe dæmoniorum*, inquiunt, *ejicit dæmonia.* Cùm occulta eorum facta, & quæ inter se tractarant de sua interfectione, reuelaret, illicò quasi arreptitium & dæmonio agitatum pronuntiarunt: *Nonne benè dicimus nos, quia &c. dæmonium habes?* Ioan. 8. Cùm nobiliſſimam illam de pastore & ouibus dissertationem instituerer, multi auditorum non verebantur dicere: *Dæmonium habet, & insanit; quid eum auditis?* Ioan. 10. Si cui Christus valetudinem restituisset in sabbatho: mox iterum è specula sua prorumpebant Phariſæi, &, En, clamabant, hic homo sabbathum audaciâ manifestâ violat. Quidquid demum egisset aut dixisset IESVS, Phariſæa gens quamprimùm malignissimam interpretationem apponebat. Nec mitiora iudicia in Domini discipulos ferebantur. Cùm fame adacti spicas vellerent, Matth. 12. cùm manus superstitioſe non lauarent, Matth. 15. cùm ieiunium non vt alij obseruarent, Matth. 9. mox rigidâ censurâ notabantur: cùm denique diuino spiritu afflati facundiſſimè simul ac cõstantiſſimè de Christo rediuiuo perorarent, fuerunt qui nequiſſimâ crisi facundiam hanc cauillati dicerent: quid miramini? facundi calices hoc possunt: boni viri largius obbibentes immaduerunt musto; hinc tam diserti: *Quia musto pleni sunt isti*, aiunt Act. 2.

Neque Diſcipuli Chriſti ab eis fuerunt liberi.

6. *Nemo non temerarijs iudicijs ſubeſt.*

Nemo est qui hæc temerariorum iudicum subsellia possit effugere. Si quis paullò latiore vestitu incedat, mox eum ad iudicium rapimus, & more nostro quærimus. Vnde huic quæso tantum æris est, vt sic ad omnem pompam sese exornet? Credibile, ipsum & dominum ipsius ex eodem viuere marsupio, & quod Domino subtrahitur, in vestes expendi. Si quis tritiore veste contentus, curam omnem ad mores transferat; mox adsumus, &, O hominem auarum dicimus, nec sibi, nec alijs bonum; vt numis parcat, vestitum obsoletum ac humilem probat. Si quis Confessionis & Communionis Sacramẽta plus alijs frequentet; mox eum censuræ, & calumniæ sequuntur, nec desunt qui dicant: En simulatam sanctitatem, alijs non minus nequam est, sed alium fingit se esse quàm sit.

7. *Magna temeritatis eſt aliorum facta iudicare.*

Vis autem ad oculum videre quantæ temeritatis sit vllum hominem iudicare aut condemnare sceleris non aperti, pensa quàm diuersa sint Dei iudicia à iudicijs nostris. *Risit* quondam Abraham, accepta de filio promissione à Deo, Genes. 17. v. 17. Eadem promissione auditâ, *risit* & Sara, Genes. 18. v. 10. Quis hominum iudex, si tam similibus signis duceretur, aut Abrahamum cum Sara non reprehenderet, aut Saram cum Abrahamo non absolueret? Er nihilominus Deus absoluto Abrahamo, Solam Saram reprehendit: *Quare*, inquit, *risit Sara? Numquid Deo est quid quam difficile?* Rem optimè ponderauit D. Auguſt. quæſt. 36. in Genes. *Quæritur*, inquit, *quare istam redarguit Dominus, cùm & Abraham risit: nisi quia illius risus admirationis, & lætitia fuit: Sara autem dubitationis, & ab illo diiudicari potuit, qui corda hominum nouit.*

De externis facilis valde ſimilibus, diſſimilem Deus ſententiam profert.

Multa huius generis exempla collegi Disc. 5. in VIII. Præc. n. 4. vbi quàm plura reperies ad temerarium iudicium spectãtia. Hinc ergo extremæ audaciæ est intentionem hominum diiudicare; cùm ea solum Deo pateat. Nam actiones, quæ ab omni æuo visæ sunt pessimæ, ob intentionem non tantùm non malæ, sed & laude possunt esse dignissimæ. Verè dixit Bernardus epist. 69. *Intentionis propositum culpas discernit & merita.* In diuinis paginis res hæc longè clarissima. Iacob Isaaci filius, ille Abrahamo, dignissimus nepos, patrem maternis artificijs induxit fratrem spe ampliſſimâ fraudauit, & tamen fauſtiſſimam patris precationem impetrauit. Fuit vtique Iacob intentionis optimæ, qui & hoc quoque meruit elogium: *Iacob autem erat vir simplex.* Phinees duos homines vnà confodit, nec tamen rotâ laceratus, aut in crucem actus est: facinus illius mirè Deo placuit: *Stetit Phinees*, inquit Dauid Psal. 105. 30. *& placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei ad iustitiam.* Cain Abelem, Moyses Ægyptium, Dauid Goliath & Vriam, Ioab Abnerum & Amasam, Herodes Magnus Ascalonita Bethlehemiticos infantes, Herodes Antipas Ioannem Baptiſtam, Herodes Agrippa Iacobum, Petrus Ananiam & Sapphiram interfecerunt: mera homicidia, & vel manu, vel iussu facta; sed eorum intentiones & cauſſæ longè diuerſiſſimæ Phinees ex Dei zelo. Num. 25. Cain ex mera inuidia, Genes. 4. Moyses ex instinctu diuino, Exod. 2. Act. 7. Dauid Goliath, in nomine Domini, 1. Reg. 17. Idem Vriam, sed ex

Intentio opus excuſat, probat, & reprobat.

Genes. 25.

Varia huius rei exempla.

ex malitia, vt tegeret adulterij crimen Vnde aliàs laudabilem hac nota perstrinxit Scriptura, *excepto sermone Vriæ Hethæi*, 3. Reg. 15. Cæteri ex emulatione, & diabolica inuidia agitati ferro iustos è medio audacter sustulerunt, Petrus imperio & verbis Ananiam & Saphyram interfecit, Act. 5. quia Deus voluit præuaricantium peccata in initio legis gratiæ ad aliorum exemplum rigidè punire.

Eodem modo Apostolus vnus, & quatuor Reges illam dolentium vocem pronuntiarũt, *Peccaui*. Dixit hoc Pharao, dixit & Dauid, nec non & Saul hoc dixit, hoc idem prorsus & Manasses Rex, & Iudas Iscariotes dixerunt; sed heu quàm non pari affectu! nam vti prorsus dispares intentiones erant, sic & effectus dissimillimi. Pharao vt plagas temporales euaderet, hinc recidiuus miserè cum suis periit Exod. 14. Dauid ex summo animi dolore, cordè planè contrito & humiliato; vnde audire meruit à Nathan viro Dei: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. Saul vt honorem apud populum seruaret, 1. Reg. 15. Vnde & finis illi fuit funestus, Manasses verè pœnitens, veniam quoque meruit, Iudas ex desperatione, hinc suspendio interijt.

8. Nonne monstrosum est, alterius factum secretum rimari, cùm etiam occulta conscientiæ nostræ vix penetramus? Iobus consilijs sanioribus vsus: *Veruntamen*, inquit; *vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit saluator meus.* & annexâ causâ: *Verebar enim*, inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Iob cap. 13. & cap. 9. Quasi diceret, vt tuum, ô mi Deus iudicium præuerterem, diebus omnibus meipsum iudicaui, & velut à deprehenso reo pœnas repetij. Pulcherrimè, & ex natura rei de hoc disserens Chrysostomus, inquit: *Est tibi tribunal, multum habẽs emolumentum, & nullam referens accusationem. Constitue super conscientia iudicantem rationem, & in medium omnia patrata tibi propone, anima tua peccata scrutare, & pœnas exige diligenter, & dic: Quamobrem hoc, & hoc ausa es? Et si hæc quidem fugiat, alitua discutiat, dic ad eam: Non de hoc te iudico, non pro hũ venisti in purgatura. quid enim si ille malus? quare tu hoc, & hoc admisisti? Responde, noli accusare, tua considera, non aliena, & eam in hanc anxietatem age continuè*, &c. Lepidum est & vtile, quod de Moyse Abbate fertur. Accersebatur ille olim, vt in fratrem, qui deliquerat, sententiam ferret; venit, sed saccum arenâ plenum humeris detulit, rogatusque quid illud spectaculi sibi vellet: Peccata, inquit, mea sunt, quæ nec nosse satis, & vix ferre valeo: iam de alienis quomodo iudicauero.

Nostrum est nostra acta considerare, aliena intactaque relinquere.

Rom. 46. ad pop. Antiochen.

Lepidum huius rei exemplum.

Memorabile est exemplum, quod scribit S. Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus tempore S. Gregorij (cuius Pastorale ex Latino in Græcum conuertit) orat. de S. Synaxi, & ex eo Baron. tom. 7. anno Christi 599. *Quidam*, inquit, *Monachus qui negligentissimè per summum otium vixerat, cùm ad mortem infirmaretur, eam non perhorrescens summa voluntate, magnaq; cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus, Frater, inquit, scimus te summa negligentia huc vsque vixisse: Vnde ergo tibi hæc tanta securitas? Cui ille: Ita est, negligentissimè vixi: sed Angeli Dei hanc ipsa horã peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cumq; ea quæ fecissem, postquam sæculo renuntiassem, peccata legissent, nunquid agnoscerem, rogauerunt. Quibus ego: Maximè verò, inquam, agnosco: sed idem ex quo renuntiaui sæculo, vitamq; institui monasticam, nec iudicaui quemquam, nec ab vllo mihi factam iniuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro, qui dixit: Nolite iudicare & non iudicabimini. Et: Dimittite, & dimittetur vobis. Quæ postquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum conscinderunt; & inde nunc summa cum lætitia & securitate proficiscor ad Dominum. Hæc vbi frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit.* Hunc imitare, mi Christiane, relinque Deo occultorum iudicium, ipse illuminabit in die extremo abscondita tenebrarum. Ne patiaris te à Sara, à virguncula, à fœmineo pectore superari.

Aliud exemplum rarum de fuga temerarij iudicij.

Mauden in Tobiam.

CAPITIS TERTII

VERSVS XXI.

Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam venire licebit.

Verſ. 22. *Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis.*

Verſ. 23. *Sit nomen tuum Deus Iſraël benedictum in ſecula.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 21. 22. & 23. In eo autem ſecurus eſt omnis, qui te colit fide, ſpe, charitate, quod ſi exerceatur tribulationibus & anguſtijs ad probationem, commodum habebit, & fortunatum exitum; quoue grauior & feruentior fuerit vexatio, tantò citius melior fortuna affluet; ſed etiam ſi Deus non tantum exerceat, aut probet hominem, vt pater; imò corripiat vt peccatorem, eundem ex ingenio ſemper ad miſerendum prono de præterita intemperantia dolentem, ad ſuam gratiam, & beneuolentiam admitter. Quia Deum hominum conditorem & parentem, eorum perditio non delectat, neque ferit tanquam hoſtis, vt perimat, ſed tanquam pater, vt corrigat, & vt medicus, vt ſanet: vnde tempeſtatem ante naufragium ſedat, & animum mœſtum, omniaque metuentem inſperatâ & vberi lætitiâ perfundit. Et hinc, vt inchoaui ô Deus à diuina laude, ſic in eandem termino, vt beneuolentiam, quam ab initio cœptaui, in finem conſeruem.

SECTIO DECIMÆ-SEXTA.

Qua certitudine iuſtus anguſtiatus certò ſcire poſſit, ſe coronatum iri?

NORAT, vt exiſtimo, optima puella ex Scriptura ſacra, multis de cauſis prouenire à Deo tribulationem & anguſtiam, Deumque exercere ſuos, vt ſplendere faciat, quæ latebat in animis, virturem, vtque ſanctitas eo modo iactara tandem coronetur, tàm apud homines, quàm apud Deum. Vnde eſt illud Prophetæ Pſal. 16. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Et illúd Iacobi cap. 1. v. 12. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe.* Verùm hæc oratio ſcatet myſterijs: dicit enim iuſtum anguſtiatum pro certo coronandum. Qua autem certitudine poſſit id ſcire, cùm & dixerit Sara, Dei iudicia non facile comprehendi, dignum eſt diſcuſſione.

Iuſtos anguſtiatos manet in hoc & alio ſeculo corona.

2. *Qua certitudo probabilis.*

Quædam enim ſciuntur certitudine quadam probabili ex coniecturis. Sic Dauid explorare volens, qualis eſſet animus Saulis affectus in ipſum, dixit ad Ionatham: *Ecce calenda ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta regem ad veſcendum: dimitte ergo me, vt abſcõdar in agro vſque ad veſperam diei tertia. Si reſpiciens requiſierit me pater tuus, reſpondebis ei, Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethleem ciuitatem ſuam: quia victimæ ſolennes ibi ſunt vniuerſis contribulibus ſuis. Si dixerit, Bene: pax erit ſeruo tuo. Si autem fueris iratus, ſcito, quia completa eſt malitia eius.* 1. Reg. 20. Coniectabat enim probabiliter, quod ſi indignè ferret eum victimis ſolennibus intereſſe in patria, quod ſine nota ſuperbiæ contribules ſui non præteriret, iam planè reſoluiſſe eum interficere, quandoquidem aliàs non liceret indignè ferre, prætata de cauſſa, ſcientiam. Sic Iure Canonico, quando veroſimiles circumſtantiæ & coniecturæ reddunt probabile, mortuum coniugem abſentem, & fama ſit iuſtis adminiculis fulta, aliaque probatio haberi non poteſt, exiſtimatur moralis certitudo mortis: ita vt alteri coniugi relictæ liceat ad ſecundum Matrimonium procedere. Sic enim habet cap. *Quoniam*, 5. vt lite non inteſtata. *Si autem de carnali coniugio ſit agendum, tamdiu alteruter coniugum exſpectetur,*

Quando certitudo moralis in coniugis de morte coniugis abſentis.

ctetur, donec de ipsius obitu verosimiliter præsumatur.

3. *Quæ certitudo confidentialis seu fiducia.*

Secundò quædam sciuntur ex certitudine confidentiali, quæ potius est fiducia. Sic Apostolus Paulus ad Rom. 8. dicens se superare omnia propter eum, qui dilexit nos, inquit: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Id est, Certam in Domino spem habeo, & fiduciam, quòd nullus terror me charitate flagrantem permouebit, vt Deum offendam, eodem modo, quo miles animosus, & ardore belli ac victoriæ accensus, diceret, certus & resolutus sum, quod nec tela, nec saxa, nec ignes me arcebunt à mœnibus, quin ea conscendam. Propter Pauli firmam resolutionem. firmumque propositum exclamat ibidem Chrysostomus: *O animam furentem insaniâ! sed quæ sobrietatem pariat! omnia quæ in cælo, quæ in terra, quæ sub terra, quæ supra cælos sunt, visibilia & inuisibilia, præ amore Christi transcendens nihil æstimabat, vnum, hoc metuebat, ne à Christi dilectione excideret. hoc enim illi gehenna ipsa, magis horrendum erat; quemadmodum & vicissim in illa perdurare, quouis erat illi regno iucundius.* Sic cap. 15. idem Apostolus de Romanis dicit: *Certus autem sum, fratres mei; & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere.* Quæ certitudo dumtaxat erat ex affectu charitatis, bene de suis sentientis, & ex rumore ac hominum sermone, fide dignorum orta, quasi diceret: Ego vos, ô Romani, hac epistola doceo & admoneo, non quasi ignaros, torpidos, aut improbos, quique non possitis inuicem monere: certus enim sum, id est, planè confido, vos plenos esse dilectione & scientia; sed tantum, vt ostendam animi mei affectum erga vos, vtque memoriam eorum, quæ scitis, vobis refricem tanquam Apostolus vester.

4. *Quæ certitudo experientiæ, seu euidentiæ.*

Deinde quædam sciuntur certitudine euidentiæ atque experientiæ. Sic Deus Genes. 22. postquam Abrahamum paratum inuenerat ad offerendum filium in holocaustum, dixit: *Nunc cognoui, quòd times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*, id est, nunc per experientiam dignoui, quod ames, colas, & reuereari s Deum, illique per omnia obsequaris, & placere studeas, quandoquidem in occisione filij, Dei voluntati te conformasti. Item populus 1. Reg. 3. cùm Samuel prædixisset Heli Dei nomine infortunia quæuis grandia & secreta illi obuentura, credidit eum esse Prophetam Domini, *& cognouit*, inquit Textus, *vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Sic Petrus Act. 12. cùm liberatus esset ab Angelo de carcere, seque reuera liberum cognosceret, non autem imaginariè, dixit: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Iudæorum.*

5. *Quæ certitudo fidei.*

Denique scimus aliqua certitudine fidei, ex reuelatione Dei, alicui speciatim facta, aut per Scripturas reuelata. Priori modo sciuit Iob in lege naturæ, se in carne propria resurrecturum: *Scio enim*, inquit, *quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Quid hâc prophetiâ*, inquit Hieronym. epist. 61. ad Pamachium, *manifestius? nullus tam apertè post Christum, quàm iste ante Christum de resurrectione loquitur. Vult verba sua in perpetuum durare, & vt nullâ possint vetustate deleri, exarari ea vult in plumbi lamina, & sculpi in silice. Sperat resurrectionem, imò nouit, & vidit, quod viuit Christus redemptor eius, & in nouissimo die de terra surrecturus sit.* Greg. ad hunc locum lib. 14. Moral. cap. 26. *Qui non ait conditor, sed redemptor apertè eum denunciat, qui postquam omnia creauit, vt nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaq; passione nos ab æterna morte liberauit.* Idem Beda, & clarius S. Thomas hic & 3. par. quæst. 53. art. 1. in corp. Vbi cum huius loci Iob meminisset, inquit: *Scio per certitudinem fidei, quod redemptor meus, id est, Christus, viuit à mortuis resurgens, & ideo in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Sic Dauid certus fuit, adulterij peccatum sibi remissum, quia dixit illi 2. Reg. 12. Propheta Nathan post contritionem eius: *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum.* Et fortè hinc dicit Psalm. 50. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Ita sciuit Maria Magdalena ex verbo Saluatoris peccata sua sibi esse remissa; nam dixit Luc. 7. ad Pharisæum: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Iob. 19.

Iob certissimè de resurrectione prophetat.

Certum est iustum qui his probatur, & in hoc sæculo coronandū.

Per Scripturas autem scimus iustum, qui patienter fert afflictionem, ad probationem immissam, & in hoc sæculo coronari, quando Deus è malis illum eripit, & meliori fortunâ donat. Sic dicitur de Iob cap. 42. *Addidit Dominus omnia quæcumq; fuerat Iob, duplicia.* Et paulò post: *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ.* Et omnes amici eius, quos diabolica persuasio à Iobi familia & consuetudine distraxerat, cùm accessisset Dei præclarum de illius sanctitate iudicium, liberati ab eo errore, quo eum propter peccata à Deo punitum mordicus voluerant, consolatorio vsi sunt sermone, *& dederunt ei vnusquisq; ouem vnam, & inaurem auream vnam*, dum videlicet cognouerunt, quod ex duro illo certamine tantum gloriæ esset consecutus, vt tantò magis quàm

antea notus, quantò magis ſplendet in camino tantæ tribulationis explorata virtus. Sic clarior factus eſt Ioſephus à fratribus impiè venditus, ab hera adultera falsò accuſatus, dum apud Pharaonem ageret. Sic Suſanna magis claruit, & glorioſior facta eſt, quando diuinitus Daniele mediante, à mortis periculo eripitur, eiuſque accuſatores mortem ſubeunt. Item Daniel ſecundò leonibus obiectus, & Angelis mediantibus illæſus è lacu leonum egrediens, plus honoris apud Darium conſecutus eſt.

Iuſti poſt tribulationes clariores euadunt.

6. *Iuſtis tribulatos manet corona gloriæ cæleſtis.*

Neque hoc ſatis eſt, ſed dùm iuſti perſeuerant in virtute præparatur in cælo corona gloriæ ſempiternæ, de qua Iacobus cap. 1. *Beatus vir*, inquit, *qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe.* Et Apocalypſis 2. dicit Dominus: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Hinc Petrus in quibuſuis tribulationibus animabat ſuos huius coronæ ſpe, 1. Pet. 1. *In quo*, inquit, *exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus*, &c. quaſi dicat, Dura quidem eſt probatio, durum examen, durum tentamen, quo Deus probat ſuos, vt tres pueros Danielis ſocios in igne fornacis Babylonicæ probauit an eſſent fideles Deo ſuo, vti Machabæos in ſartagine frixos per Antiochum, vti & vos & ſanctos in fine mundi affliget igne acerrimæ perſecutionis per Antichriſtum, de quo eſt illud Daniel. 11. *Vt conflentur, & eligantur, & dealbentur.* Durum, inquam, tentamen, ſed modicum & breue reſpectu æternæ coronæ, quam eis in cælo adornat Deus. Ita S. Sebaſtianus S. Marcum & Marcellianum acriter tentatos & afflictos, vt à Chriſti fide deficerent, hac ratione animauit, & ad martyrium confirmauit: *Tormenta*, inquit, *vel leuia ſunt, vel grauia & acria. Si leuia, tolerabilia ſunt; ſi acria, non durant, ſed patientem ad mortem adigunt, & per mortem ad immortalitatem tranſmittunt. Tolerate ergo tam acria, quàm leuia, quia illa breuia, hæc modica ſunt; illa citò extinguent, hæc breui extinguentur.* Iobum finxit omnigena calamitas: Tobiam formauit cæcitas; Ioſephum calumnia; Dauidem perſecutio, Danielem Leones; Machabæos ſartagines. Certè S. Athanaſius per quadraginta ſex annos hac ratione motus perſecutiones Arriano rũ, ac totius pœnè orbis, inuicto animo ſuſtinuit: *Scio*, inquit ipſe orat. 14 contra Arrian. *præmium his qui ſuſtinent, retribuendum eſſe à Saluatore, & quod vos vbi ſuſtinueritis, habebitis gloriam, quâ dicere licebit: Fidẽ ſeruauimus. Recipietis autem coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Et S. Baſilius Præfecto Valen. Imper. minanti mortem ni Arrianis conſentiret, intrepidus reſpondit: *Vtinam mihi aliquid eſſet digni muneris, quod offerrem huic, qui Baſilium citius de nodo follis huius abſolueret, vt ad Deum euolaret.* Ita Hiſt. Tripart. l. 11. c. 9.

Pro æterna gloria facilè eſt pati.

Lib. 2. de peccat. meritis cap. 16.

Quia ergo Scriptura à Deo reuelata proponit illos coronandos, qui legitimè certauerint, hac certitudine ſeipſam ſolatur Sata. Et rectè. Nam vt ait S. Leo ſerm. 9. de Quadrageſima: *Certa atque ſecura eſt exſpectatio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ paſſionis.* Sic etiam ratiocinatur Paulus 2. ad Timoth. 1. *Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem*, id eſt, exploratum habeo, quod Deus theſaurum laborum & paſſionum mearum ſeruet, vt earumdem mercedem & gloriam in die iudicij mihi donet. Et 2. ad Tim. 4. docens ſibi inſtare mortem & martyrium, ac prædicationis ac laborum coronam, inquit: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Ideò, inquit D. Auguſtinus, *talibus verbis certus ſecuruſq; gaudebat Paulus, quia de victoria* (mortis & martyrij) *certum enim ſecuramq; iam fecerat, qui eandem paſſionem iam illi reuelauerat, non ſe plenißimam, ſed ſpe firmißimam.*

7. *Iuſtis tribulatis certa eſt exſpectatio æternæ beatitudinis*

8.

Quod addere libuit propter hæreticos, qui de perſeuerantia & vita æterna ſecuros ſe dicunt, cùm nemini id liceat dicere, quandoquidem incertum eſt quis ad finem vſque perſeueraturus ſit. Hinc eſt illud Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Deus enim vno cadente, alium eius loco & præmio ſubſtituit: Sic, homines Angelis, Chriſtianas gentes Iudæis, Matthiam Iudæ ſubſtituit. Ita cùm è quadraginta Martyribus, in ſtagnum gelidum ob Chriſti fidem coniectis, vnus vim frigoris non ferens deficeret, & ex ſtagno exiliret, mox in eius locum cuſtodem ſurrogauit; quia idipſum Martyres obſecrauerant. Vna enim omnium erat oratio, ait S. Baſilius hom. 20. *Quadraginta in ſtadium ingreſſi ſumus, quadraginta item Domine corona donemur, ne vna quidem huic numero deſit. Eſt in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum ieiunio decoraſti, vti & Moyſes & Elias.* Quo circa Deus eos exaudiens, ſuſcitauit ianitorem, qui & illos orantes, & luce circumfuſos, & ſolutam glaciem, & quoſdam è cælo miſſos à rege Angelos, qui coronas 39. militibus diſtribuerent, intuens, ita ſecum loquebatur: *Quadraginta hi ſunt, quadrageſimi corona vbi eſt?* Quæ dum cogitat, videt vnum, cui animus ad frigus ferendum defecerat, exiſſe in proximum balneum, quod tyrannus deficientibus præparari, iuſſerat. Quocirca ipſe ſibi detractis veſtibus, Chriſtianum ſe profeſſus, in gelidam inſiliit, ac Martyr effectus, coronam, quam quadrageſimus amiſerat, accepit.

Deus vno cadente alĩ eius loco & præmio ſubſtituit.

SE-

SECTIO XVII.

Signum esse diuini amoris, quando à Domino corripimur.

1. *Quem punit Deus, propter peccata saluũ facit.*

SAra hoc loco insinuat non esse ẽre hominis, se immoderatè & indecenter affligere, cùm post peccata à Domino corripitur: Ille enim qui peccatorem punit infensus, eundem emendatum ad suam gratiam benignus admittet, adeoque signum, esse diuini amoris, cùm propter peccata corripimur. Quòd non vno in loco Scriptura sacra nobis communicat. Apostolus Paulus id expressè dixit ijs qui in peccato mortali communicant, & corpus Domini sumunt, 1. Cor. 11. *Qui enim manducat, bibit indignè*, inquit, *iudicium sibi manducat & bibit, & non diiudicans Corpus Domini*, à communi videlicet, & indifferenti cibo. Et subdit: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles*, id est, varijs morbis corripiuntur, ob indignè, & sine probatione sumptam Eucharistiam. S. Cyprianus serm. de lapsis refert quendam, qui gustarat idolothyta, & postea Eucharistiam, obmutuisse; alium linguam discerpsisse: puellam gustatis idolothitis reuomuisse Eucharistiam. Non enim vno in loco morari possunt Arca Dei & Dagon. D. Chrysostomus hom. 5. in 1. ad Timoth. dicit: *Ob hoc* peccatum quosdam correptos à dæmone. D. Bernardus serm. 1. de Paschate ad hæc Apostoli verba: *Propter hoc crebra in diuersis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus.* Tandem concludit Apostolus. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* id est, Si nosmetipsos ita discutereimus, vt si quid peccati inueniamus, illud cõtritione & confessione expiaremus, non corriperemur per iudicium Dei morbis & morte. Cùm autem in præsenti vita simili Dei castigatione visitamur, id fit, vt per pœnitentiam peccatum hoc indignæ communicationis expiemus, & saluemur; non verò cùm infidelibus & peccatoribus mundi (quos videlicet Deus impunitos relinquit) damnemur.

Plurimi sunt puniti ob indignam Eucharistiæ sumptionem

2. Clarius hoc dixit olim Propheta Amos cap. 3. *Tantummodò*, inquit, *vos cognoui ex omnibus cognationibus terra; idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* quasi diceret: Ex omnibus nationibus elegi Israëliticum genus, eique præceptum meum dedi, & iudicia; vnde in peccata illorum, tanquam pater aut medicus sanitatem potiùs, quàm dolorem spectãs, animaduertant. Vnde liquet magnum id esse documentum animi verè paterni, & de filiorum commoditate solliciti, admouere aut laboranti, aut sanioso cauterium, aut pigritanti aculeos, aut erranti flagellum. Præclarè D. Hieronymus in illud Ezech. cap. 7. *Non parcet oculus meus, neque miserebor*: Clementissimus, inquit, *medicum incudere cupiens putridas carnes, & carnosa vulnera adurere cauterio, non parcit, vt parcat; non miseretur, vt magis misereatur. Percutit autem Dominus quem diligit, & castigat omnem filium, quem recipit. Et deinde tale quid & per Amos loquitur Deus*: *Quoniam vos cognoui de vniuersis tribubus terra, idcirco vlciscar super vos omnia peccata vestra.* Origenes luculẽter de hac re agens hom. 8. in cap. 20. Exodi: *Vide*, inquit, *misericordiam, & pietatem boni Dei, quando vult misereri, & indignari se dicit, & irasci; sicut per Ieremiam dicit, dolore, & flagello castigaberis Hierusalem, vti ne abscedat anima mea abs te. Hæc si intelligis, miserentis Dei vox est, vbi irascitur, & zelatur, vbi adhibet dolores, & verbera: flagellat enim omnem filium, quem recipit.* Ad clariorem huius loci, quem ex Ier. 6. adducit Origines, intelligentiam nota tunc animã Domini ab aliquo recedere, cùm neque nouis emollit beneficijs neque virga corrigit, & reducit ad officiũ, sed proprijs relinquit desiderijs, permittitque, vbicumque velit, impunè vagari. Quòd quasi supplicium maximum obstinatis animis minatur, & intentat Dominus. De quo grauissima sunt & Scripturarum oracula, & Patrum testimonia, Psal. 80. *Non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi: & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Ezech. cap. 16. v. 42. *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, neque irascar amplius.* Gregorius hom. 12 in Ezechiel: *Peccantes quosque tunc consideramus amplius miseros, quando eos conspicimus in culpa sua, sine flagello derelictos.* Tentauerat autem Dominus Iudæos, gẽtem ad proximum iam interitum laborantem supplicijs alijs atque alijs, tanquam medicamentis ægro corpori adhibitis sanare. Cùm autem toties admota medicina morbum non depelleret, & Deus videret, longum illud medendi studium frustra esse susceptum, minatur, quod ægroto grauissimum videri debet, non iam amplius de illius salute sibi laborandum, quod de Babylone dixit Heremias cap. 11. v. 9. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Simile quid minatur Deus Oseæ 4. *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cùm adulterauerint.* id est, Liberè libidinari permittam absque metu & correptione. In quæ verba Origenes loc. cit. *Vis autem audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Prophetam. Cùm enumerasset multa nefanda, quæ commiserat populus, addit etiam hæc: Et propter hoc non visitabo super filias vestras, cùm fornicantur, neque super nurus vestras, cùm mœchantur. Hoc est terribile, hoc extremum, cùm iam*

Dei corripientis cum Medico sanante comparatio.

3. *Deum recedere ab aliquo, quid?*

Grane supplicium à Domino de seri.

Miser à quo Deus amouet manum medicam.

Signum est misereri Dei, dum punit peccata.

non

Quæ & quando chorea fint illicita.

diuina. Notabile eſt, quod hac de re ſcribit exemplum ex Alberto Crantio Saxon. lib. 4. cap. 33. & Tilmanno Bredenbach. lib. 1. cap. 59. in Concione 85. in Pſalm. *Miſerere.* nu. 9. Doctor Fredericus Foretius Suffrag. Bambergenſis, quod eius verbis adſcribo: *Memorabile*, inquit, *quod S. Henrici, Patroni noſtri temporibus contigit Colbeca, in villa quadam, Halberſtadienſis ditionis, vbi, cùm Sacerdos ſacris operaturus, & ſacrum Miſſæ officium celebraturus, & impio quidam cœtu, choreas ac tripudia in contiguo, Eccleſiæ S. Magni Cœmiterio, cum clamoribus inconditis ne quidquam increpante Sacerdote, ducerent, ſtans tam ad aras, aliquoties turbabatur. Rogat primùm; monet deinde, vt vel tantiſper quieſcant; ſed fruſtra. Sacerdos igitur impatientia forte non irrationabilis commotus: Quandoquidem*, inquit, *Diuina myſteria ſic impudenter contemnitis, imprecor vt toto anno, ſicut cœpiſtis, ita ſaltetis. Et ecce diuina vltio continuò eſt inſecuta, duranit ea ſaltatio, dies & noctes ſine cibo & potu, nec ſpes erat ceſſationis, omnes admoniti ones ſurdo auribus accinebantur, ſororem ſuã quidã extrahere contendebat è circulo ſaltatorum, & brachium quidem euulſit; at illa nihilominus perſtitit in choro ſuo. Anno euoluto, maior pars ſpiritum efflauit; pauci qui ſuperſtites, à S. Heriberto Colonienſi Archiepiſcopo abſoluti, ſeuerißimam agentes pœnitentiam tandem ſalutis gratiam impetrarunt.* Sic ille.

Saltantes cõpos Miſſæ integro anno faltitant.

Clerici inhibitum tripudiare.

Deinde ratione perſonarum, cum videlicet exercentur à Clericis, qui iure communi Canonico arcentur ab iſtis choreis: quod ius renouatum eſt Concilio Tridentino ſeſſion. 26. cap. 10. & ſeſſ. 24. cap. 12. Rurſum reprehenditur, cùm exercentur modo impudico & laſciuo, qui natus eſt alijs parere ſcandalum. Demum ratione prauæ intentionis, quando videlicet fiunt ex animo libidinoſo qualis fuit ſaltatio Herodiadis Matt. 14. & Marci 6. quæ placuit Herodi, ita vt ad grauius malum procederet, & propter iuſiurandum quo promiſerat quidquid peteret, etiamſi dimidium Regni; petenti ex conſilio matris caput Ioannis Baptiſtæ, idem amputari iuſſit. In quam ſic inuehitur Chryſoſtomus hom. 49. in Matt. *O conuiuium diabolicum! O Satanæ ſpectaculum! O iniquum tripudium, & mercedem tripudij multò iniquiorem. Cades enim omnium ſceleſtiſſima cædum excogitabatur. Et qui coronari, ac laudibus in cælum efferri merebatur percuſſus ſecuri iacebat. Qui dæmones deuicit, eius caput poſt cædem ad menſam afferebatur, & victoria modum rebus geſtis reſpondens: Saltauit*, inquit, *Herodiadis filia in medio, & placuit Herodi: vnde iureiurando affirmauit, quodcumque petierit ſe illi daturum: illa verò à matre præmonita: Da mihi, ait, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Duplex hic crimen eſt, & quoniam impudenter ſaltauit, & quoniam adeò placuit, vt eadem loco mercedis acceperit.*

Impudens Herodias pro cæteris optauit caput Ioannis baptiſtæ.

4.

Ab his ludis abſtinuit & Sara.

Et quamuis ob has cauſas, & ſimiles, ſolùm condemnandi veniant hi luſus per ſe indifferentes, arbitror tamen Saram ab illis abſtinuiſſe, tùm quòd leuitatem aliquam contineant, tùm quòd ex aliqua cauſa diſſoluere poſſent temperaram virtutum harmoniam; eoque magis, quòd ſimiles declinauit Hieremias Propheta Domini: Cùm enim apud Deum vitam ſuam ab impiorum calumnijs, inſidijſque defenderet, inquit: *Non ſedi in conſilio ludentium, & gloriatus ſum à facie manus tuæ. Solus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me.* quaſi diceret: Cùm Prophetam agere cœpi (quod inſinuat verbis *à facie manus tuæ*, id eſt, ob bonum Propheriæ, quod in me operatus es tactu manus tuæ cap. 1. v. 9.) abſtinui à riſu, ludis, iocisque ſecularibus, neque me in nugatorum hominum conuentum dedi, aut puellarum compares choros, ac garrulos, liberoſque conuentus iniui: ſed ſeius fui, ſpiranſque compunctionem, ſolus ſedi ab omnibus deſertus: quia prophetiam minacem, ac plenam comminatione commiſiſti mihi, quæ omnem lætandi & gloriandi materiam mihi abſtulit. Sic itaque Sara in ſolo Deo delectata fuit, & præ illo omne ſeculare gaudium faſtidiuit. Quod perfectorum eſt: Vnde Tertullianus lib. de ſpectaculis, cap. 29. monet & præ hoc diuino gaudio, cætera omnia profana contemnamus: *Quid enim*, inquit, *iucundius, quam Dei Patris, & Domini reconciliatio, quàm veritatis reuelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum retrò criminum venia? Quæ maior voluptas, quàm faſtidium ipſius voluptatis, quàm vita ſufficiens, quàm mortis timor nullus? Hæ voluptates, hæc ſpectacula Chriſtianorum, ſancta Perpetua, gratuita. In his tibi ludos Circenſes interpretare, curſus ſeculi inuere, tempora labentia dimuera, metas conſummationis exſpecta. &c. Si ſcænica doctrina delectant: ſatis nobis litterarum eſt, ſatis verſuum, ſatis ſententiarum, ſatis etiam canticorum, nec fabulæ, ſed veritates, nec ſtrophæ, ſed ſimplicitates;* &c.

Omnia profana voluptas, præ domino ſpreta contemnit.

Iaram 15.

Eſt & tertius recreationis modus conſiſtens in chartarum, taxillorum & ſimilium luſu. Qui etiam ſub diſtinctione licitus eſt & mulieribus maritatis, & puellis: ſed quia latè hac de re & ad longum egi Diſcur. 15. in VII. Præcep. nu. 4. & 5. eò Lectorem remitto, vbi plura inueniet ad ludum ſpectantia hic congrua, quæ bræuitatis cauſa iubet omittere. At qui hunc etiam luſum propter diuerſa, quæ inde oriri ſolent inconuenientia, exiſtimo à Sara fuiſſe alienum. Quidquid enim erat, quod honeſtam virginem minus deceret, plane cauit & reſpuit, vti omnes occaſiones libidinis, vnde prurire facilè ſolent puellarum nupturientes animi.

5.

Tertius recreationis modus, & ſ. chartarum, &c. quando licitus, quando illicitus.

Ab hoc luſu Sara fuit abſtemia, vti & alijs occaſionibus libidinis.

Tu ſcis Domine, inquit nobilis illa virgo, *quia nunquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia, nunquam ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in leui-*

Sara ad virginitatem cuſtodiendam quæ adhibebat.

leuitate ambulant, participem me prebui. Tè, inquit, ſolum teſtem appello, quia homines plerumque eam fidem non admittunt. Hæc vera erat virgo & corpore & animâ, terſiſſimum virginum ſpeculum, quæ animam ſeruauit mundam ab omni concupiſcentia, non ſolùm à concupiſcentia carnis, ſed ab oculorum, omniumque ſenſuum, vti virginem decebat; priuauit enim ſe delectationibus etiam licitis, vt illicita non appeteret, & dum vnam reſpuebat, vt propoſitum ritè ſeruare poſſet, omnes ſimul reſpuit: nam vt D Baſilius de vera virgin. ad Lector. Epiſc. *Non conuenit ei, qui peccata concubitus ſuperare proponit, periculorum implicari lapſibus.*

6. *Deploranda puellarum modò libertas.*

Attendite virgines ad hoc exemplar, quæ connubium meditamini; haſce perfectiones æmulamini, & matronæ vtiles euadetis. Quanta nunc in pleriſque virginibus libertas, quæ non deliciæ, quæ non cum leuiuſculis iuuenibus familiaritas, choreæ, ſaltationes, omnis generis ludi? quæ deambulationes, diuagationes, & ſecuras ſe credunt. Dina filia Iacob, & Liæ olim puellari ducta curioſitate, egreſſa eſt, vt videret mulieres regionis illius, nempe Sichem, putà virgines ſibi coæuas, quæ tunc magno numero, & ornatæ ad feſtum ſolemne conuenerant, ſi Ioſepho credimus, à filio Principis terræ illius ſpectata, adamatur, rapitur, & violentè opprimitur. Diſertè Bernardus de gradib. humilit. *O Dina quid neceſſe eſt vt videas mulieres alienigenas? Qua neceſſitate? Qua vtilitate? An ſolâ curioſitate? etſi tu otiosè vides, ſed non otiosè videris. Tu curiosè ſpectas, ſed curioſius ſpectaris? Quis crederet tunc illam tuam curioſam ocioſitatem, vel ocioſam curioſitatem, fore poſt ſic non ocioſam, ſed tibi, tuis, hoſtibuſq; tam perniciosam?*

Curioſitas Dinæ, ſui raptus & ſtupri occaſio

Puellæ vagæ ruinæ proximæ.

De Læuina caſta & tetrica, ſed vaga cecinit Martialis:

Dum modò Lucrino, modò ſe committit Auerno, &c.
Incidit in flammas, iuuenemq; ſecuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Idem, proh dolor! quotidie videmus, virgines, quæ cum iuuenibus ambulatum egrediuntur, egredi Penelopes, regredi Helenes; egredi virgines, regredi mulieres, imò meretrices.

7. *Virgo quàm malè inter delitias ſeruata.*

D. Hieronymus metuit filiæ delicatæ, molli, & ornatæ ne à virginitate excidat: *Veteris*, inquit, *balneis, cute nitidâ, rubicundis genis incedis, carnibus veſceris, affluis diuitijs, pretioſâ veſte circumdaris: & iuxta ſerpentem mortiferum ſecurè dormire te credis?* Et paulò poſt præſcribit ea quæ virgini Chriſtianæ ad honeſtum viuendi modum conducunt: *Sexum fœmineum,* inquit, *ſuo iungatur ſexui: neſciat, imò timeat cum pueris ludere. Nullum impudicum verbum nouerit: & ſi fortè in tumultu familiæ diſcurrentis aliquid audiat, non intelligat. Matris nutum pro verbis, ac monitis, & pro imperio habeat. Amet vt parentem, ſubijciatur vt domine, timeat vt magiſtram.* Paucis interiectis ſubdit: *Nec liberius procedat ad publicum, nec ſemper Eccleſiarum quærat celebritatem: in cubiculo ſuo totas delicias habeat, nunquam iuuenculos, numquam cincinnatos videat: vocis dulcedines per aurem animam vulnerantes, puellarumq; laſciuia repellantur: quæ quanto licentius adeunt, tanto difficilius euitantur: & quod didicerunt, ſecretò docent, incluſamq; Danaen vulgi ſermonibus violant* (hanc pater Acriſtus, ne violaretur, æreæ incluſit turri, fabula eſt, Iouem imbre auro in ſinum eius infuſum, eam ſtupraſſe: ſignificatque auro etiam optimè cuſtoditam pudicitiam violari.) *Sit ei magiſtra comes, pædagoga cuſtos, non multo vino dedita, non iuxta Apoſtolum, otioſa, atque verboſa, ſed ſobria, grauis, lanifica, & ea tantum loquens, quæ animum puellarem ad virtutem inſtituant. Vt enim aqua in areola digitum ſequitur præcedentem, ita ætas mollis & tenera in vtramq; partem flexibilis eſt, & quocunque duxeris, trahitur. Solent laſciui, & comptuli iuuenes blandimentis, affabilitate, munuſculis aditum ſibi per nutrices, aut alumnas quærere, & cùm clementer intrauerint, de ſcintillis incendia concitare, paulatimq; proficere ad impudentiam, & nequaquam poſſe prohiberi, illo in ſe verſiculo comprobato: AEgrè reprehendas, quod ſinis conſueſcere. Pudet dicere, & tamen dicendum eſt: Nobiles fœmina, quæ nobiliores habuere neglecti proci, viliſſimæ conditionis hominibus & ſeruis copulantur, ac ſub nomine religionis, & vmbra continentiæ, interdum deſerunt viros Helenæ, ſequuntur Alexandros, nec Menelaos pertimeſcunt.* (De Helena hiſtoria habet, quod relicto Menelao viro, Alexandrum Paridem, Priami filium, ſecuta ſit, eamque ob cauſam Troia diruta fuerit, vti ex principe Poëtarum Homero omnibus notiſſima eſt.) *Videntur hæc, plangunt, & non vindicantur: quia multitudo peccantium peccandi licentiam ſubminiſtrat. Prò nefas, orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt.*

Nutricum & famularū ope ſæpè filiæ indecora matrimonia ineunt.

Hi ſunt fructus virginum, quæ omnium conuerſationem, ludos, leuitates, choreas amplectuntur: quibus laſciua comptulorum tripudia non diſplicent. In choreis multa fiunt vrbanitatis ſpecie, quæ caſtitatis nervos incidunt. Liberæ hîc manus, liberi oculi, liberæ volant voces. Hæc ſunt quæ pudorem labefaciunt, hi ſunt libidinis ſtimuli, hæc laxamenta licentiæ. Appoſitè quidam de choreis hæc pronuntiauit: Chorea eſt circulus, cuius centrum eſt diabolus, & circumferentia omnes Angeli eius. Sanè illic variè offenditur caſtitas, & quandoque tam ſpectando, quàm ſaltando, in illam delinquitur. Cum hoc exactè congruit dictum Chryſoſtomi homil. 29. in cap. 13. Matth. *Vbi laſciuus ſaltus, ibi diabolus.* Noſtri æui choreas

8. *Chorea caſtitatis hoſtis*

Choreis diabolus præſidet.

Quæ puella Chriſtiana obſervanda neceſſaria.

attende, & eas plerumque non aliud esse dices, quàm diaboli theatrum, & palæstram aut præludium Veneris. Tripudia sæpè totius hilaritatis velut vltima scitamenta sunt. Scilicet post mensam, etiam lasciuiæ sacra fiunt, temulento motu obeunda.

9. *Foris conuersationem non debet expetere virgo.*

Inuenies præterea hac tẽpestate virgines, non vt Saram, quæ matrimonio destinata, omnem ansam, & speciem mali resecabat, sed quæ nolũt maritos, quia libertatem amãt; voluptati renuntiare videntur, vt voluptati obsequantur; vnum renuunt, quia plurium consortio delectantur, quia diuagari in votis est, alios carpere, detrahere, & detrahentes audire. De his sic pronunciat Basilius loco supra cit. *Eas quippe, quæ per vices, ac domos liberè volitant, indisciplinatas esse, non virgines, veritatis sermo denuntiat, & quæ passim quò volunt, incedunt, videntur quod idcò renuant virum, non vt summo sponso semper assideant: sed vt in potestate habeant quocumque velint malè, liberè, & vagè discurrere.* Ab his caue, virgo Christiana, & ad quemcumque statum adspires, Saræ modestiam sectare.

SECTIO XV.

Animus cum Deo compositus ne quidem in manifestis proximum culpat, sed totum quale est, quod eum afficit, tanquam dubium Dei iudicio relinquit.

1. *Falsa crimina sine alterius accusatione excusanda.*

SARA plurimum passa ab ancilla, tria præstat homini Christiano imitanda. Primum est, quod se excuset apud Deum absque alterius accusatione. Sciebat enim iniuriam satis apud Deum contra iniuriosum pro homine afflicto postulare, vt euidens est ex illo Genes. 4. quod Dominus dixit ad Cain, *qui fratrem secretò interfecerat: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* In quem locum sic Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 9. *Vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius: sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat. Simul querela criminosa admittur. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimen proprio facinore confitetur.* Et ibidem notat, ne ipsum quidem sanguinem de corpore, sed de terra clamare: *Quia, & si,* inquit, *frater parcit, terra non parcit, si frater tacet, terra condemnat.* Sciebat quoque eam esse consuetudinem Sanctorum virorum & mulierum, vt aliorum culpas reprimerent, doloris sui causas ad leuamentum explicarent. Duo dumtaxat exempla in medium producam, nempe Ioseph, & Annæ vxoris Elcanæ. Is in carcerem coniectus Genes. 39. cùm postea pincernæ & pistoris somnia explicasset, ac pincernam liberandum à carcere, & restituendum pristino muneri prædixisset, commendans illi causam suam inquit: *Memento mei, cùm benè tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in carcerem missus sum.* Dicebat suam innocentiam; alienam verò suorum fratrum qui eum vendiderant, & Ægyptiæ adulteræ malitiam tacebat, vt suas passiones, non aliorum actiones indicaret. Notauit hoc acutè Chrysost. hom. 65. in Genes. *Attende,* inquit, *obsecro hîc quo modo nihil dicat contra sceleratam illam adulteram, neque arguat dominum, neque narret fratrum in se inhumanitatem, sed sectis omnibus dicit: Recordare mei, & fac educi me ex carcere hoc: quia furtim abductus sum de terra Hebræorum, & his nihil feci, & immiserunt me in lacum hunc.* Et immediatè post vult nos pressius eius exemplum perpendere: *Ne perfunctoriè, inquit, hoc prætereamus, sed consideremus quàm bonis moribus anima eius fuerit prædita, quo modo inuenta opportunitate temporis, & sciens quod præfectus pincernarum in felicem statum restitutus, posset omne negocium suum regi significare; non Ægyptium reprehendit. Iterum enim eadem dicam: non dominum affert in medium, non fratres, non dicit causam, propter quam condemnatus sit in carcerem, neque scelus in se commissum narrat; sed hoc vnum curat, non vt illos condemnet, sed vt pro se solo dicat:* Et paulo post rem ad nostram vtilitatem applicat: *Hæc audientes,* inquit, *discamus, si in talia inciderimus, vt causamur, comicis illos, qui nos iniecerunt incessere, & ad accusationem illorum linguam acuere: sed solum demonstremus in mansuetudine & mititate nos innoxios, & imitemur illum admirabilem, quia neque in calamitate existens voluit vel verbis petulantiã & libidinem Ægyptia euulgare. Scitis enim, quòd multi cùm de criminibus arguuntur, magnâ impudentiâ in alios sua delicta transferre nituntur.*

Iniuria subit vices accusatoris apud Deum

Ioseph se excusat ab alterius sceleris subiectu.

Anna vero Elcanæ vxor 1. Reg. 1. cùm opprobria passa est ab Phenenna, orauit ad Dominum, & suam solùm recenset afflictionem, Phenennæ opprobria subticet, dicens: *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fuerit,* &c. Et rursum quando temerè Heli illam orantem iudicauit temulentam, & necessitas cogeret respondere ad verba illius; *Vsquequo ebria eris,* respondit: *Nequaquam Domine mi: nam mulier infelix ego nimis sum, vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne reputes ancillam tuam, quasi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris, & mœroris mei, locuta sum vsque in præsens.* Vbi ne verbum iniuriarum Phenennæ mœroris sui causæ, neque quidquam quod contumeliam redoleret,

Anna suum narrat afflictionem, & Phenennæ opprobria silet.

Mors est Sanctis aliorum culpas reprimere in excusatione impositi criminis.

doleret, in Heli euomuit, licet à Pontifice profecta altè infediſſent in præcordia. *Necuentra*, inquit Chryſoſt. hom. 1. de Anna, *ſi quando conuiuijs appetimur, cùm oporteret excuſare, & in gratiam redire, frequenter excitamus incendium, ac forarum more miſſilium in conuiciatores, præfocantes, & pro dictis ſupplicium repoſcentes. Atque ipſi facto ſuſpicionem de nobis confirmamus.*

Vindictam regerentes, malam de ſe opinionem confirmant.

2 Simili modo egit Sara, ut neque Ancillæ factum Deo proponeret, neque durius de maritis ſeptem loqueretur, vt diſcamus ſimilem prudentiam vbique imitari. Apoſtolus Petrus, cùm Apoſtoli à Iudæis muſto pleni dicerentur, neque retaliarent, omnium cauſam ſuſcepit, & modeſtè eam defendit: *Non*, inquit, *ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt.* Act. 2. In quæ verba Chryſoſt. hom. 5 in Acta enucleãs verba, *ſicut vos æſtimatis*: *non dixit*, inquit, *ſicut vos ſubſamatis: neque, ſicut vos videtis, ſed, ſicut ſuſpicamini: volens oſtendere, illos id dedità opera non feciſſe, & magis illos ignorantiæ velamento honeſtaſſe, quàm malitiæ crimine notat.* Tantum abfuit, vt D. Petrus maledicta regereret, vt potius in ſe iacta modeſtè, & humiliter extenuaret. S. Bernardus ſerm. 29. in Cantica vult hominem pium, iniuriam paſſum, à reſpontione continere: Tu, inquit, *acceptâ forte iniuriâ, non continuò more ſeculari, obliquâ referire fratrem reſponſione feſtines. Commotio tua ibi moriatur, vbi oritur, nec permittatur exire: vt dicere poſſis, Turbatus ſum, & non ſum locutus.*

Illatam contumeliã Apoſtoli non retaliarunt, ſed modeſtè diluerunt.

3. Secundò reuocat Sara manifeſta in dubium: quod in oratione maximè faciendum docet S. Bernardus ſerm. 40. in Cantica. Allegans enim verba Chriſti Matth. 6. *Cùm oraueris, intra cubiculum tuũ, & clauſo oſtio ora*; & exemplum Chriſti Luc. 6. in oratione pernoctãtis, ſubdit paulo poſt: *Solus es ſi nõ communia cogites, ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſcipiunt, ſi faſtidias, quod omnes deſiderãt, ſi ſurgia dentes, ſi damna non ſentias, ſi non recorderis iniuriarum.* Et paucis interpoſitis: *Solus es in quãtacumque hominum verſeris frequentia: tantum caue alienæ cõuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex. Etiam ſi perperã actum quid deprehendas, nec ſic indices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum: Quod ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum: Vehemẽs ſunt nimis tentatio. Quid de me ille feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem?* Sic Sara excuſans quod palam à dæmone factum credebatur, & apparenter ob eorum culpam, in dubium venit: Triplicem enim facit coniecturam, qua res apud homines excuſari queat. Nos verò, ſi quid ab vno fide digno audietimus, nullam excuſationem admittimus, quaſi & ipſe falli non poſſet, ſicut ante ipſum innumeri homines erroneè crediderũt. Ad Patto-

In oratione aliena crimina in dubium reuocanda.

Aliena mala quamuis viſa, ſunt excuſanda.

rem presbiterum venit religioſorum quiſpiã, rogauitque veniam ſibi daret è cœnobio migrandi, nolle enim ſe cum fratre illo, qui tam malè audiret, diutiùs verſari. Cui Paſtor: Ne facile, inquit, malum credideris, quod audiuiſti. Ille contrà è viri fidelliſſimi relatu id ſe accepiſſe, & ideò abitionem vrgere. Ad hæc, optimè, Paſtor: Si, inquit, fidelis eſſet, nunquam id tibi dixiſſet. Suſurronum & detractorum nequitiam dextrè notauit. Sed licet quippiam ipſe videris & audiueris, tu tamen (ni tui officij ſit) Iudex in viſa & audita eſſe non poteris. Si ſapis, dices: Hoc eſſe factum ſcio, quo animo, quâ intentione, quas ob cauſas, quibus impulſibus ſit factum, neſcio. Si tamen (quod fieri non poteſt) omnia tibi liquidò forent percognita, tu nihilominus ſubſtringe iudicium, & Dorotheo monente ſerm. 6. dic apud teipſum: *Heu mihi, quia ille hodie deliquit, ego forſitan craſtina ſtare mihi videor, craſtino forſitan caſurus: & illum quidem ſors facti iam pœnituit, quod mihi de me polliceri ſanè non poſſum.*

4. Tertiò relinquit iudicium Deo, qui docuerat Geneſ. 18. de certis & manifeſtis tanquam de dubijs loqui: Cùm enim clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus eſſet, & peccatum eorum, Domino teſtante, aggranatum eſſet nimis, ac paſſim omnes ex conſuetudine inueterata in peccatum ruerẽt, nihilominus dicit: *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non eſt ita, vt ſciam.* Vbi loquitur Deus more noſtrorum iudicum, qui cominus de facto inquirunt, remque inſpiciunt, cùm tamen ante experientiam omnia nouerit Deus. S. Chryſoſtomus propterea commendat Superioribus, ne aliquid definiant, propter ſolos vulgi rumores: *Noli*, inquit, *ex ſuſpicione tua iudicare antequam diſcas, vtrum res ita ſe habeat; neque aliquem culpa, ſed potius Deum imitare qui ait Geneſ. 18. Deſcendam & videbo*, &c. Sic Sara nequidem apud ſe voluit etiam ob vulgi rumores, neque apud Deum iudicare, quare aut qualiter mors ſeptem maritis cõtigiſſet. Cùm enim triplicem feciſſet coniecturam, in qua vel ipſos indignos ſe autumat, vel ſeipſam illis, vel ſe alteri viro reſeruatam, concludit: *Non eſt in hominis poteſtate conſilium tuum.* Sententia aureis litteris etiam parietibus inſcribenda. *Rationem enim de occulto Dei conſilio quærere, nihil aliud eſt, quàm cõtra conſilium eius ſuperbire*, inquit Gregor. Magnus. Iſaias verò cap. 55. *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ, viæ meæ dicit Dominus; quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Noſtrum eſt in omnibus cum B. Paulo dicere: *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabi-*

Iudicium relinquendũ Deo.

Superiores nihil definire debent ob ſolos vulgi rumores.

Rationem conſilij Dei indagare, eſt contra illud ſuperbire.

Longè diuerſa ſunt Dei iudicia à noſtris.

les via eius. In hac vita plurima nunquam satis indagabimus. Differenda est occultorum Dei scientia in orbem meliorem. Conatus Rex Dauid rimari, quare impij florerent in hoc sæculo, pij paterentur, non reperiens vllum exitum: *Labor est*, inquit, *ante me, donec intrem in sanctuarium Dei.* Psal. 72.

5. *Crebra & iniqua iudicia Phariſæorum ſubijt Chriſtus.*

Nos verò quantumuis pios seuerissimâ censura iudicamus. Quàm crebra, quàm iniqua Christus Dominus subijt iudicia! Phariſæi captatores acerrimi, censores impudentissimi, nequissimi iudices assiduè in specula excubabant, si quid fortè in verbis factisque Domini deprehenderent, quod inuido dente lacerarent. Seipsum subinde non vocatum ad cœnas inuitabat Seruator: mox è sua specula proclamabant Phariſæi: Ecce vobis Prophetam, vini amantem, commessatorem, mensarum asseclam. Cùm Dominus Lucæ 11. Dæmonium ab homine eiecisset, *In Beelzebub principe dæmoniorum*, inquiunt, *ejcit dæmonia.* Cùm occulta eorum facta, & quæ inter se tractarant de sua interfectione reuelaret, illicò quasi arreptitium & dæmonio agitatum pronuntiarunt: *Nonne benè dicimus nos, quia &c. dæmonium habes?* Ioan. 8. Cùm nobilissimam illam de pastore & ouibus dissertationem institueret, multi auditorum non verebantur dicere: *Dæmonium habet, & insanit; quid eum auditis?* Ioan. 10. Si cui Christus valetudinem restituisset in sabbatho: mox iterum è specula sua prorumpebant Phariſæi, &, En, clamabant, hic homo sabbathum audaciâ manifestâ violat. Quidquid demum egisset aut dixisset IESVS, Phariſæa gens quamprimùm malignissimam interpretationem apponebat. Nec mitiora iudicia in Domini discipulos ferebantur. Cùm fame adacti spicas vellerent, Matth. 12. cùm manus superstitiosè non lauarent, Matth. 15. cùm ieiunium non vt alij obseruarent, Matth. 9. mox rigidâ censurâ notabantur: cùm denique diuino spiritu afflati facundissimè simul ac cõstantissimè de Christo rediuiuo perorarent, fuerunt qui nequissimâ crisi facundiam hanc cauillati dicerent: quid miramini? facundi calices hoc possunt: boni viri largius obbibentes immaduerunt musto; hinc tam diserti: *Quia musto pleni sunt isti*, aiunt Act. 2.

Negant Discipuli Christi ab eis fuerunt libori.

6. *Nemo non temerarijs iudicijs ſubeſt.*

Nemo est qui hæc temerariorum iudicum subsellia possit effugere. Si quis paullò latiore vestitu incedat, mox eum ad iudicium rapimus, & more nostro quærimus. Vnde huic quæso tantum æris est, vt sic ad omnem pompam sese exornet? Credibile, ipsum & dominum ipsius ex eodem viuere marsupio, & quod Domino subtrahitur, in vestes expendi. Si quis tritiore veste contentus, curam omnem ad mores transferat; mox adsumus, &, O hominem austrum dicimus, nec sibi, nec alijs bonum; vt numis parcat, vestitum obsoletum ac humilem probat. Si quis Confessionis & Communionis Sacramẽta plus alijs frequentet; mox eum censuræ, & calumniæ sequuntur, nec desunt qui dicant: En simulatam sanctitatem, alijs non minus nequam est, sed alium fingit se esse quàm sit.

7. *Magna temeritatis est aliorum facta iudicare.*

Vis autem ad oculum videre quantæ temeritatis sit vllum hominem iudicare aut condemnare sceleris non aperti, pensa quàm diuersa sint Dei iudicia à iudicijs nostris. *Risit* quondam Abraham, accepta de filio promissione à Deo, Genes. 17. v. 17. Eadem promissione auditâ, *risit* & Sara, Genes. 18. v. 10. Quis hominum iudex, si tam similibus signis duceretur, aut Abrahamum cum Sara non reprehenderet, aut Saram cum Abrahamo non absolueret? Et nihilominus Deus absoluto Abrahamo, Solam Saram reprehendit: *Quare*, inquit, *risit Sara? Numquid Deo est quid quam difficile?* Rem optimè ponderauit D. Augustinus quæst. 36. in Genes. *Quæritur*, inquit, *quare istam redarguit Dominus, cùm & Abraham risit: nisi quia illius risus admirationis, & lætitiæ fuit: Sara autem dubitationis, & ab illo denudicari potuit, qui corda hominum nouit.*

De externis factis cuiusuis similibus, dissimilis Deus sententias profert.

Multa huius generis exempla collegi Disc. 5. in VIII. Præc. n. 4. vbi quàm plura reperies ad temerarium iudicium spectãtia. Hinc ergo extremæ audaciæ est intentionem hominum diiudicare; cùm ea solum Deo pateat. Nam actiones, quæ ab omni æuo visæ sunt pessimæ, ob intentionem non tantùm non malæ, sed & laude possunt esse dignissimæ. Verè dixit Bernardus epist. 69. *Intentionis propositum culpas discernit & meritа.* In diuinis paginis res hæc longè clarissima. Iacob Isaaci filius, ille Abrahamo, dignissimus nepos, patrem maternis artificijs induxit fratrem spe ampliſſimâ fraudauit, & tamen faustissimam patris precationem impetrauit. Fuit vtique Iacob intentionis optimæ, qui & hoc quoque meruit elogium: *Iacob autem erat vir simplex.* Phinees duos homines vnà confodit, nec tamen rotâ laceratus, aut in crucem actus est: facinus illius mirè Deo placuit: *Stetit Phinees*, inquit Dauid Psal. 105. 30. *& placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei ad iustitiam.* Cain Abelem, Moyses Ægyptium, Dauid Goliath & Vriam, Ioab Abnerum & Amasam, Herodes Magnus Ascalonita Bethlehemiticos infantes, Herodes Antipas Ioannem Baptistam, Herodes Agrippa Iacobum, Petrus Ananiam & Sapphiram interfecerunt: mera homicidia, & vel manu, vel iussu facta; sed eorum intentiones & causæ longè diuersissimæ Phinees ex Dei zelo, Num. 25. Cain ex mera inuidia, Genes. 4. Moyses ex instinctu diuino, Exod. 2. Act. 7. Dauid Goliath, in nomine Domini, 1. Reg. 17. Idem Vriam, sed ex

Intentio opus excusatum probat, & reprobat.

Genes. 25.

Varia huius rei exempla.

ex malitia, vt tegeret adulterij crimen Vnde aliàs laudabilem hac nota perstrinxit Scriptura, *excepto sermone Vrtæ Hethæi*, 3. Reg. 15. Cæteri ex emulatione,& diabolica inuidia agitati ferro iustos è medio audacter sustulerunt, Petrus imperio & verbis Ananiam & Saphyram interfecit, Act. 5. quia Deus voluit prævaricantium peccata in initio legis gratiæ ad aliorum exemplum rigidè punire.

Eodem modo Apostolus vnus,& quatuor Reges illam dolentium vocem pronuntiarũt, *Peccaui*. Dixit hoc Pharao, dixit & Dauid,nec non & Saul hoc dixit, hoc idem prorsus & Manasses Rex, & Iudas Iscariotes dixerunt; sed heu quàm non pari affectu! nam vti prorsus dispares intentiones erant, sic & effectus dissimillimi. Pharao vt plagas temporales euaderet, hinc recidiuus miserè cum suis periit Exod 14. Dauid ex summo animi dolore, cordè planè contrito & humiliato; vnde audire meruit à Nathan viro Dei: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. Saul vt honorem apud populum seruaret,1.Reg. 15. Vnde & finis illi fuit funestus, Manasses verò pœnitens, veniam quoque meruit, Iudas ex desperatione, hinc suspendio interijt.

8. Nonne monstrosum est, alterius factum secretum rimari, cùm etiam occulta conscientiæ nostræ vix penetramus? Iobus consilijs sanioribus vsus: *Veruntamen*, inquit; *vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit saluator meus.* & annexâ causâ: *Verebar enim*, inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Iob cap.13. & cap. 9. Quasi diceret, vt tuum,ô mi Deus iudicium præverterem,diebus omnibus meipsum iudicaui, & velut à deprehenso reo pœnas repetij.Pulcherrimè, & ex natura rei de hoc differens Chrysostomus, inquit: *Est tibi tribunal, multum habẽs emolumentum, & nullam referens accusationem. Constitue super conscientia iudicantem rationem, & in medium omnia patrata tibi propone, anima tua peccata scrutare, & pœnas exige diligenter, & dic: Quamobrem hoc, & hoc ausa es? Et si hæc quidem fugiat, alitna discutiat, dic ad eam: Non de hinc iudico, non pro hiis venisti te purgatura. quid enim si ille malus? quare tu hoc, & hoc admisisti? Respondè, noli accusare, tua cogitares, non aliena, & eam in hanc anxietatem agas continuè*, &c. Lepidum est & vtile, quod de Moyse Abbate fertur. Accersebatur ille olim, vt in fratrem,qui deliquerat,sententiam ferret; venit, sed saccum arenâ plenum humeris detulit, rogatusque quid illud spectaculi sibi veller: Peccata, inquit, mea sunt, quæ nec nosse satis, & vix ferre valeo: iam de alienis quomodo iudicauero.

Nostrum est nostra acta considerare, aliena intacta relinquere.

Hom. 46. ad pop. Antioch.

Lepidum hui us rei exemplum.

Memorabile est exemplum, quod scribit S. Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus tempore S. Gregorij (cuius Pastorale ex Latino in Græcum conuertit) orat. de S. Synaxi, & ex eo Baron. tom. 7. anno Christi 599. *Quidam*, inquit, *Monachus qui negligentissimè per summum otium vixerat, cùm ad mortem infirmaretur, eam non perhorrescens summa voluptate, magnaq; cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus, Frater, inquit, scimus te summa negligentia huc vsque vixisse: Vnde ergo tibi hæc tanta securitas? Cui ille: Ita est, negligentissimè vixi: sed Angeli Dei hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cumq; ea quæ fecissem, postquam sæculo renuntiassem, peccata legissent, nunquid agnoscerem, rogauerunt. Quibus ego: Maximè verò, inquam, agnosco: sed idem ex quo renuntiaui sæculo, vitamq; institui monasticam, nec iudicaui quemquam, nec ab vllo mihi factam iniuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro, qui dixit: Nolite iudicare & non iudicabimini. Et: Dimittite, & dimittetur vobis. Quæ postquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum conscinderunt; & inde nunc summa cum lætitia & securitate proficiscor ad Dominum. Hoc vbi frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit.* Hunc imitare, mi Christiane,relinque Deo occultorum iudicium, ipse illuminabit in die extremo abscondita tenebrarum. Ne patiaris te à Sara, à virguncula, à fœmineo pectore superari.

Aliud exemplum earum de fuga temerarij iudicij.

CAPITIS TERTII

VERSVS XXI.

Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam venire licebit.

Vers. 22. *Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis.*

Vers. 23. *Sit nomen tuum Deus Israël benedictum in secula.*

PARAPHRASIS.

Vers. 21. 22. & 23. In eo autem securus est omnis, qui te colit fide, spe, charitate, quod si exerceatur tribulationibus & angustijs ad probationem, commodum habebit, & fortunatum exitum; quoue grauior & feruentior fuerit vexatio, tantò citius melior fortuna affluet; sed etiam si Deus non tantum exerceat, aut probet hominem, vt pater; imò corripiat vt peccatorem, eundem ex ingenio semper ad miserendum prono de præterita intemperantia dolentem, ad suam gratiam, & beneuolentiam admittet. Quia Deum hominum conditorem & parentem, eorum perditio non delectat, neque ferit tanquam hostis, vt perimat, sed tanquam pater, vt corrigat, & vt medicus, vt sanet: vnde tempestatem ante naufragium sedat, & animum mœstum, omniaque metuentem insperatâ & vberi lætitiâ perfundit. Et hinc, vt inchoaui ô Deus à diuina laude, sic in eandem terminо, vt beneuolentiam, quam ab initio captaui, in finem conseruem.

SECTIO DECIMA-SEXTA.

Qua certitudine iustus angustiatus certò scire possit, se coronatum iri?

1. NORAT, vt existimo, optima puella ex Scriptura sacra, multis de causis prouenire à Deo tribulationem & angustiam, Deumque exercere suos, vt splendere faciat, quæ latebat in animis, virtutem, vtque sanctitas eo modo iactata tandem coronetur, tàm apud homines, quàm apud Deum. Vnde est illud Prophetæ Psal. 16. *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Et illud Iacobi cap. 1. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se.* Verùm hæc oratio scatet mysterijs: dicit enim iustum angustiatum pro certo coronandum. Qua autem certitudine possit id scire, cùm & dixerit Sara, Dei iudicia non facile comprehendi, dignum est discussione.

Iustos angustiatos manet in hoc & alio seculo corona.

2. Quædam enim sciuntur certitudine quadam probabili ex coniecturis. Sic Dauid explorare volens, qualis esset animus Saulis affectus in ipsum, dixit ad Ionatham: *Ecce calenda sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum: dimitte ergo me, vt abscõdar in agro vsque ad vesperam diei tertia. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei, Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethleem ciuitatem suam: quia victime solennes ibi sunt vniuersis contribulibus suis. Si dixerit, Bene: pax erit seruo tuo. Si autem fuerit iratus, scito, quia completa est malitia eius.* 1. Reg. 20. Coniectabat enim probabiliter, quod si indignè ferret eum victimis solennibus interesse in patria, quod sine nota superbiæ contribules sui non præteriret, iam planè resoluisse eum interficere, quandoquidem aliàs non liceret indignè ferre, prætata de causa, scientiam. Sic Iure Canonico, quando verosimiles circumstantiæ & coniecturæ reddunt probabile, mortuum coniugem absentem, & fama sit iustis adminiculis fulta, aliaque probatio haberi non potest, existimatur moralis certitudo mortis: ita vt alteri coniugi relictæ liceat ad secundum Matrimonium procedere. Sic enim habet cap. *Quoniam*, 5. vt lite non intestata. *Si autem de carnali coniugio sit agendum, tamdiu alteruter coniugum exspectetur,*

Qua certitudine probabili.

Quando certitudo moralis in coniugio de morte coniugis absentis.

retur, donec de ipsius obitu verosimiliter præsumatur.

3. *Quæ certitudo confidentialis sit fiducia.*

Secundò quædam sciuntur ex certitudine confidentiali, quæ potius est fiducia. Sic Apostolus Paulus ad Rom. 8. dicens se superare omnia propter eum, qui dilexit nos, inquit: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Id est, Certam in Domino spem habeo, & fiduciam, quòd nullus terror me charitate flagrantem permouebit, vt Deum offendam, eodem modo, quo miles animosus, & ardore belli ac victoriæ accensus, diceret, certus & resolutus sum, quod nec tela, nec saxa, nec ignes me arcebunt à mœnibus, quin ea conscendam. Propter Pauli firmam resolutionem. firmumque propositum exclamat ibidem Chrysostomus: *O animam furentem insaniâ! sed quæ sobrietatem pariat! omnia quæ in cœlo, quæ in terra, quæ sub terra, quæ supra cœlos sunt, visibilia & inuisibilia, præ amore Christi transcendens nihil æstimabat, vnum, hoc metuebat, ne à Christi dilectione excideret. hoc enim illi gehenna ipsa, magis horrendum erat; quemadmodum & vicissim in illa perdurare, quouis erat illi regno iucundius.* Sic cap. 15. idem Apostolus de Romanis dicit: *Certus autem sum, fratres mei; & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere.* Quæ certitudo dumtaxat erat ex affectu charitatis, bene de suis sentientis, & ex rumore ac hominum sermone, fide dignorum orta, quasi diceret: Ego vos, ô Romani, hac epistola doceo & admoneo, non quasi ignaros, torpidos, aut improbos, quique non possitis inuicem monere: certus enim sum, id est, planè confido, vos plenos esse dilectione & scientia; sed tantum, vt ostendam animi mei affectum erga vos, vtque memoriam eorum, quæ scitis, vobis refricem tanquam Apostolus vester.

4. *Quæ certitudo experientia, seu euidentia.*

Deinde quædam sciuntur certitudine euidentiæ atque experientiæ. Sic Deus Genes. 22. postquam Abrahamum paratum inuenerat ad offerendum filium in holocaustum, dixit: *Nunc cognoui, quòd times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*, id est, nunc per experientiam dignoui, quod ames, colas, & reuereris Deum, illique per omnia obsequaris, & placere studeas, quandoquidem in occisione filij, Dei voluntati te conformasti. Item populus 1. Reg. 3. cùm Samuel prædixisset Heli Dei nomine infortunia quæuis grandia & secreta illi obuentura, credidit eum esse Propheram Domini, *& cognouit*, inquit Textus, *vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Sic Petrus Act. 12. cùm liberatus esset ab Angelo de carcere, seque reuera liberum cognosceret, non autem imaginariè, dixit: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Iudæorum.*

5. *Quæ certitudo fidei.*

Denique scimus aliqua certitudine fidei, ex reuelatione Dei, alicui specialim facta, aut per Scripturas reuelata. Priori modo sciuit Iob in lege naturæ, se in carne propria resurrecturum: *Scio enim*, inquit, *quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Quid hâc prophetiâ*, inquit Hieronym. epist. 61. ad Pamachium, *manifestius? nullus tam apertè post Christum, quàm iste ante Christum de resurrectione loquitur. Vult verba sua in perpetuum durare, & vt nullâ possint vetustate deleri, exarari ea vult in plumbi lamina, & sculpi in silice. Sperat resurrectionem, imò nouit, & vidit, quod viuit Christus redemptor eius, & in nouissimo die de terra surrecturus sit.* Greg. ad hunc locum lib. 14. Moral. cap. 26. *Qui non ait conditor, sed redemptor apertè eum denunciat, qui postquam omnia creauit, vt nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos ab æterna morte liberauit.* Idem Beda, & clarius S. Thomas hic & 3. par. quæst. 55. art. 1. in corp. Vbi cum huius loci Iob meminisset, inquit: *Scio per certitudinem fidei, quod redemptor meus, id est, Christus, viuit à mortuis resurgens, & ideo in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Sic Dauid certus fuit, adulterij peccatum sibi remissum, quia dixit illi 2. Reg. 12. Propheta Nathan post contritionem eius: *Dominus quoque, transtulit peccatum tuum.* Et fortè hinc dicit Psalm. 50. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Ita sciuit Maria Magdalena ex verbo Saluatoris peccata sua sibi esse remissa; nam dixit Luc. 7. ad Pharisæum: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Iob. 19.

Iob certissimè de resurrectione prophetat.

Certum est iustum qui hic probatur, & in hoc sæculo coronandû.

Per Scripturas autem scimus iustum, qui patienter fert afflictionem, ad probationem immissam, & in hoc sæculo coronari, quando Deus è malis illum eripit, & meliori fortunâ donat. Sic dicitur de Iob cap. 42. *Addidit Dominus omnia quæcumque fuerat Iob, dupliciæ.* Et paulò post: *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ.* Et omnes amici eius, quos diabolica persuasio à Iobi familia & consuetudine distraxerat, cùm accessisset Dei præclarum de illius sanctitate iudicium, liberati ab eo errore, quo eum propter peccata à Deo punitum mordicus voluerant, consolatorio vsi sunt sermone, *& dederunt ei vnusquisque, ouem vnam, & inaurem auream vnam*, dum videlicet cognouerunt, quod ex duro illo certamine tantum gloriæ esset consecutus, vt tantò magis quàm

antea notus, quantò magis ſplendet in camino tantæ tribulationis explorata virtus. Sic clarior factus eſt Ioſephus à fratribus impiè venditus, ab hera adultera falsò accuſatus, dum apud Pharaonem ageret. Sic Suſanna magis claruit, & glorioſior facta eſt, quando diuinitus Daniele mediante, à mortis periculo eripitur, eiuſque accuſatores mortem ſubeunt. Item Daniel ſecundò leonibus obiectus, & Angelis mediantibus illæſus è lacu leonum egrediens, plus honoris apud Darium conſecutus eſt.

Iuſti paſſi tribulationes clariores euadunt.

6. Neque hoc ſatis eſt, ſed dùm iuſti perſeuerant in virtute præparatur in cælo corona gloriæ ſempiternæ, de qua Iacobus cap. 1. *Beatus vir*, inquit, *qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe.* Et Apocalypſis 2. dicit Dominus: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Hinc Petrus in quibuſuis tribulationibus animabat ſuos huius coronæ ſpe, 1. Pet. 1. *In quo*, inquit, *exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus*, &c. quaſi dicat, Dura quidem eſt probatio, durum examen, durum tentamen, quo Deus probat ſuos, vt tres pueros Danielis ſocios in igne fornacis Babylonicæ probauit an eſſent fideles Deo ſuo, vti Machabæos in ſartagine frixos per Antiochum, vti & vos & ſanctos in fine mundi affliget igne acerrimæ perſecutionis per Antichriſtum, de quo eſt illud Daniel. 11. *Vt conflentur, & eligantur, & dealbentur.* Durum, inquam, tentamen, ſed modicum & breue reſpectu æternæ coronæ, quam eis in cælo adornat Deus. Ita S. Sebaſtianus S. Marcum & Marcellianum acriter tentatos & afflictos, vt à Chriſti fide deficerent, hac ratione animauit, & ad martyrium confirmauit: *Tormenta*, inquit, *vel leuia ſunt, vel grauia & acria. Si leuia, tolerabilia ſunt; ſi acria, non durant, ſed patientem ad mortem adigunt, & per mortem ad immortalitatem tranſmittunt. Tolerata ergo tam acria, quàm leuia, quia illa breuia, hæc modica ſunt; illa citò extinguent, hæc breui extinguentur.* Iobum finxit omnigena calamitas: Tobiam formauit cæcitas; Ioſephum calumnia; Dauidem perſecutio, Danielem Leones; Machabæos ſartagines. Certè S. Athanaſius per quadraginta ſex annos hac ratione motus perſecutiones Arriano rũ, ac totius pœnè orbis, inuicto animo ſuſtinuit: *Scio*, inquit ipſe orat. 1. contra Arrian. *præmium his qui ſuſtinent, retribuendum eſſe à Saluatore, & quod vos vbi ſuſtinueritis, habebitis gloriam, quã dicere licebit: Fidẽ ſeruauimus. Recipietis autem coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Et S. Baſilius Præfecto Valen. Imper. minanti mortem ni Arrianis conſentiret, intrepidus reſpondit: *Vtinam mihi aliquid eſſet digni muneris, quod offerrem huic, qui Baſilium citius de nodo follis, huius abſolueret, vt ad Deum eualaret.* Ita Hiſt. Tripar. l. 11. c. 9.

Pro æterna gloria facilè eſt pati.

Lib. 2. de peccat. meritis cap. 16.

Quia ergo Scriptura à Deo reuelata proponit illos coronandos, qui legitimè certauerint, hac certitudine ſeipſam ſolatur Sara. Et rectè. Nam vt ait S. Leo ſerm. 9. de Quadrageſima: *Certa atque ſecura eſt exſpectatio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ paſſionis.* Sic etiam ratiocinatur Paulus 2. ad Timoth. 1. *Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem*, id eſt, exploratum habeo, quod Deus theſaurum laborum & paſſionum mearum ſeruet, vt earumdem mercedem & gloriam in die iudicij mihi donet. Et 2. ad Tim. 4. docens ſibi inſtare mortem & martyrium, ac prædicationis ac laborum coronam, inquit: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex.* Ideò, inquit D. Auguſtinus, *talibus verbis certus ſecuruſq; gaudebat Paulus, quia de victoria* (mortis & martyrij) *certum enim ſecuramq; iam fecerat, qui eandem paſſionem iam illi reuelauerat, non ſe pleniſſima, ſed ſpe firmiſſima.*

7. *Iuſtis tribulatis certa eſt exſpectatio æternæ beatitudinis*

Quod addere libuit propter hæreticos, qui de perſeuerantia & vita æterna ſecuros ſe dicunt, cùm nemini id liceat dicere, quandoquidem incertum eſt quis ad finem vſque perſeueraturus ſit. Hinc eſt illud Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Deus enim vno cadente, alium eius loco & præmio ſubſtituit: Sic homines Angelis, Chriſtianas gentes Iudæis, Matthiam Iudæ ſubſtituit. Ita cùm è quadraginta Martyribus, in ſtagnum gelidum ob Chriſti fidem coniectis, vnus vim frigoris non ferens deficeret, & ex ſtagno exiliret, mox in eius locum cuſtodem ſurrogauit; quia idipſum Martyres obſecrauerant. Vna enim omnium erat oratio, ait S. Baſilius hom. 20. *Quadraginta in ſtadium ingreſſi ſumus, quadraginta item Domine corona donemur, ne vna quidem huic numero deſit. Eſt in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum ieiunio decoraſti, vti & Moyſes & Elias.* Quo circa Deus eos exaudiens, ſuſcitauit ianitorem, qui & illos orantes, & luce circumfuſos, & ſolutam glaciem, & quoſdam è cælo miſſos à rege Angelos, qui coronas 39. militibus diſtribuerent, intuens ita ſecum loquebatur: *Quadraginta hi ſunt, quadrageſimi corona vbi eſt?* Quæ dum cogitat, videt vnum, cui animus ad frigus ferendum defecerat, exiſſe in proximum balneum, quod tyrannus deficientibus præparari, iuſſerat. Quocirca ipſe ſibi detractis veſtibus, Chriſtianum ſe profeſſus, in gelidam inſiliit, ac Martyr effectus, coronam, quam quadrageſimus amiſerat, accepit.

Deus vno cadente alium eius loco & præmio ſubſtituit.

SE-

SECTIO XVII.

Signum esse diuini amoris, quando à Domino corripimur.

1. *Quem punit Deus, propter peccata saluũ facit.*

SARA hoc loco insinuat non esse è re hominis, se immoderatè & indecenter affligere, cùm post peccata à Domino corripitur: Ille enim qui peccatorem punit infensus, eundem emendatum ad suam gratiam benignus admittet, adeoque signum, esse diuini amoris, cùm propter peccata corripimur. Quòd non vno in loco Scriptura sacra nobis communicat. Apostolus Paulus id expresè dixit iis qui in peccato mortali communicant, & corpus Domini sumunt, 1. Cor. 11. *Qui enim manducat, bibit indignè*, inquit, *iudicium sibi manducat & bibit, & non diiudicans Corpus Domini*, à communi videlicet, & indifferenti cibo. Et subdit: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles*, id est, varijs morbis corripiuntur, ob indignè, & sine probatione sumptam Eucharistiam. S. Cyprianus serm. de lapsis refert quendam, qui gustarat idolothyta, & postea Eucharistiam, obmutuisse; alium linguam discerpsisse: puellam gustatis idolothitis reuomuisse Eucharistiam. Non enim vno in loco morari possunt Arca Dei & Dagon. D. Chrysostomus hom. 5. in 1. ad Timoth. dicit: *Ob hoc* peccatum quosdam correptos à dæmone. D. Bernardus serm. 1. de Paschate ad hæc Apostoli verba: *Propter hoc crebra in diuersis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus.* Tandem concludit Apostolus. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* id est, Si nosmetipsos ita discuteremus, vt si quid peccati inueniamus, illud cõtritione & confessione expiaremus, non corriperemur per iudicium Dei morbis & morte. Cùm autem in præsenti vita simili Dei castigatione visitamur, id fit, vt per pœnitentiam peccatum hoc indignæ communicationis expiemus, & saluemur; non verò cùm infidelibus & peccatoribus mundi (quos videlicet Deus impunitos relinquit) damnemur.

Plurimi sunt puniti ob indignam Eucharistiæ sumptionem

2. *Signum est misereatus Dei, dum punit peccata.*

Clarius hoc dixit olim Propheta Amos cap. 3. *Tantummodò*, inquit, *vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ; idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* quasi diceret: Ex omnibus nationibus elegi Israëliticum genus, eique præceptum meum dedi, & iudicia; vnde in peccata illorum, tanquam pater aut medicus sanitatem potiùs, quàm dolorem spectãs, animaduertant. Vnde liquet magnum id esse documentum animi verè paterni, & de filiorum commoditate solliciti, admouere aut laboranti, aut fanioso cauterium, aut pigritanti aculeos, aut erranti flagellum. Præclarè D. Hieronymus in illud Ezech. cap. 7. *Non parcet oculus meus, neque miserebor*: *Clementissimus*, inquit, *medicus incidere cupiens putridas carnes, & carriosa vulnera aduerere canterio, non parcit, vt parcat; non miseretur, vt magis misereatur. Percutit autem Dominus quem diligit, & castigat omnem filium, quem recipit. Et deinde tale quid & per Amos loquitur Deus*: *Quoniam vos cognoui de vniuersis tribubus terræ, idcirco vlciscar super vos omnia peccata vestra.* Origenes luculẽter de hac re agens hom. 8. in cap. 20. Exodi: *Vide*, inquit, *misericordiam, & pietatem boni Dei, quando vult misereri, & indignari se dicit, & irasci; sicut per Ieremiam dicit, dolore, & flagello castigaberis Hierusalem, vti ne abscedat anima mea abs te. Hæc si intelligis, misericordis Dei vox est, vbi irascitur, & zelatur, vbi adhibet dolores, & verbera: flagellat enim omnem filium, quem recipit.* Ad clariorem huius loci, quem ex Ier. 6. adducit Origines, intelligentiam nota tunc animã Domini ab aliquo recedere, cùm neque nouis emollit beneficijs neque virga corrigit, & reducit ad officiũ, sed proprijs relinquit desiderijs, permittitque, vbicumque velit, impunè vagari. Quòd quasi supplicium maximum obstinatis animis minatur, & intentat Dominus. De quo grauissima sunt & Scripturarum oracula, & Patrum testimonia, Psal. 80. *Non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi: & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Ezech. cap. 16. v. 42. *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, neque irascar amplius.* Gregorius hom. 12. in Ezechiel: *Peccantes quoque tunc consideramus amplius miseros, quando eos conspicimus in culpa sua, sine flagello derelictos.* Tentauerat autem Dominus Iudæos, gẽtem ad proximum iam interitum laborantem supplicijs alijs atque alijs, tanquam medicamentis ægro corpori adhibitis sanare. Cùm autem toties admota medicina morbum non depelleret, & Deus videret, longum illud medendi studium frustra esse susceptum, minatur, quod ægroto grauissimum videri debet, non iam amplius de illius salute sibi laborandum, quod de Babylone dixit Heremias cap. 11. v. 9. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Simile quid minatur Deus Oseæ 4. *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cùm adulteraurint.* id est, Liberè libidinari permittam absque metu & correptione. In quæ verba Origenes loc. cit. *Vis autem audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Prophetam. Cùm enumerasset multa nefanda, quæ commiserat populus, addit etiam hæc: Et propter hoc non visitabo super filias vestras, cùm fornicantur, neque super nurus vestras, cùm mœchantur. Hoc est terribile, hoc extremum, cùm iam non*

Dei corripientis cum Medico sanante comparatio.

3. *Deum recedere ab aliquo, quid?*

Grane supplicium à Domino de seri.

Misit à quo Deus amonet mundum medicam.

non corripimur pro peccatis, cùm iam non corrigimur delinquentes. Tunc enim cùm excesserimus peccandi modum, Deus zelans auertit à nobis zelum suum.

4. *Signum est offensi Dei scelera manere impunita.*

Nullum est offensi animi documentum maius, vt docent frequenter Patres, quàm cùm hominum scelera videntur impunita. Tunc enim derelictus homo existimatur à Deo, sicut æger à medico, quando de illius salute desperatur: vt enim cùm in eo statu fuerit ægrotus, vt neque illi medicus potionem porrigat amaram, aut à ferro, atque cauterio abstineat, & quidquis illi pro suo arbitratu sumere permittat; sic quando Deus suæ quemquam voluntati permittit, magnum hostilis animi documentum præbet. Cùm pater in filium animaduertit, virgâ, baculo, aut fuste, in ordinem redigere satagit, tunc illum diligit: cùm verò sæpius castigatum cernit improbitatem non deserere, è vitijs non emergere, iratus desistit à correptione. Grauissima est ea patris ira, & omni supplicio formidabilior, cùm filium permittit propriæ voluntati, nec amplius pro suo agnoscit. Ita cum refractarijs agit Deus. Audi Isaiam Vatem ca. 1. *Væ*, inquit, *genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Væ, inquit, genti peccatrici, & stolidæ, populo grauibus onerato peccatis, filijs sceleratis, stirpi impiæ, ac flagitiosæ. Dereliquerunt enim Dominum Deum suum; dumque mutis Gentium simulachris diuinos exhibent honores, blasphemam, & sacrilegam linguam in illum acuerunt; retrorsum acti ab ea fide, quam antè dederant, & ab ea religione, quam si in fide manerent, integram, & sanctam seruare debuissent. Subdit ad propositum nostrum: *Super quo percutiam vos vltra, addentes prænaricationem.* Sensus est: Frustra vos percutiam deinceps: nã omne genus plagarum in vos immisi, frustraque consumpsi, nec vllâ facti estis meliores: afflixi vos fame, bello, peste, seruitute, totamque meam hoplothecã in vos quasi exhausi: non habeo vlterius quo vos percutiam: restat ergo vt vos deseram, & à me proijciam. ita Cirill. Hæc derelictio & abiectio est grauissima Dei plaga, de qua Ps. 80. 12 *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis*: & Ezechiel. 16. 42. *Zelus meus recedet à te, & non irascar tibi amplius*: & Rom. 1. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

Grauissima plaga à Deo deseri.

Peccator rebus abundãs à Deo deseritur.

S. Hieronymus ad morum disciplinam egregiè sententiam Oseæ 4. amplificans, inquit: *Quando videris peccatorem diuitijs affluere, iactare se potentiâ, sanitate gaudere, delectari coniuge, corona circumdari liberorum, & impleri illud quod scriptũ est, In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; dicito in illo commina-tionem Prophetæ esse completam. Non visitabo super filias vestras*, &c. D. Bernardus serm. 23. super Cantica tractans locum Psalmi 72. sic ait: *In labore hominum*, inquit, *non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideoq; tenuit eos superbia, ne humilientur ad pœnitentiam, sed damnentur propter superbiam cum superbo diabolo & angelis eius. Nam qui in labore hominum non sunt in labore dæmonum profectò erunt, dicente Iudice. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Hac de causa inducit Hieremias confessionem tribus Ephraim, quæ in exilio existens experta fuerat, quid Domini disciplina efficeret. Disciplina Dei homines peccatores emendatos reddit. Quæ est talis: *Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus: conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ*, id est, Cùm in exilio agerem, quid fecerim mali, flagellis docuisti, non aliter atque iuuencus indomitus, qui stimulis disciplinam accipit, & elatã ceruicem iugo submittit, eruditus sum. Perge igitur, ne eodem semper luto hæream. Quod enim abs te vno eruditi atque conuerti possim, reipsa iam pridem compertum est. Postquam enim conuertisti me, superioris vitæ errata damnaui: postquàm mea mihi peccata ob oculos proposuisti, illum ex ipsorum conscientia dolorem concepi, vt, quod in dolore maximo, atque stupore fieri solet, femur manu percusserim: Tunc autem non secus erubui, quàm parentes nostri in primis Israelitici generis incunabulis, quos ignominia, & stimulus ad rubo-rem prius, deinde ad pœnitentiam, & sanitatem adduxerunt.

Ionas cap. 2. à cœto deuoratus propter inobedientiam, dicit: *Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.* Iudas Machabæus lib. 2. cap. 6. cùm varijs Iudaica gens affligeretur miserijs tempore Regis Antiochi, vt eiuraret sacram religionem, & idolis sacra faceret, inquit: *Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter aduersos casus, sed reputent, ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicij. Non enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter exspectat, vt eas, cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amouet: corripiens verò in aduersis populum suum non derelinquit. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint pauca.* Quid lucidius? Duo enim constituuntur hominum genera, alterum eorum, quos Dominus expectat patienter, & eorum peccata

Peccatorum duo genera, alterum misorum, alterum fortunatum.

5.

in præ-

in præsenti sæculo abire sinit impunita, quos imperita hominum multitudo fortunatos vocat, & Deo iudicat esse charos. Quos tamẽ Deus cùm tempus vltionis aduenerit, quod humanæ vitę extremum est, sic accipit seuerè, vt illa ad iustam trutinã expendat, puniatque vniuersa, quæ aut non spectasse, aut oblitus esse videbatur. Alterum est illorum, quorum Deus peccata in hac vita maturè castigat, vt in extremo vitæ tempore, quando omnia errata ad iudicium seuerum adducantur, sæuitiam effugiant offensi iudicis, cùm iam antea fuerint ad examẽ vocata, & opportunis expiata supplicijs. Quod Dei populus experitur quotidie, dum captiuus abducitur, dum alieno premitur iugo, dum flagellis cæditur, & proprijs spoliatur ornamentis. Quæ Scriptor sacer suprà præmissa vult, ne quis imperitus, & humanis cogitationibus abductus, malè de Iudaico populo sentire incipiat, cùm audiat, quàm ab hoste gentili vexetur assiduè.

6. *Infelices, quos Deus peccantes non punit; felices quos statim post peccata punit.*

Hæc sententia in Scriptura sacra, & antiquorum Patrum sacris scriptis frequenter occurit, quam in animis habere defixam perquàm vtile est, ne, quæ passim incurrunt mala, ignaros homines paterni huius beneficij in desperationis barathrum deiiciant. Et hinc Sara in eo rerum conflictu sese solatur huiusce modi verbis, *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit ad misericordiam vtique venire licebit.* Hinc etiam verosimile est, illum de Dei benignitate sermonẽ fuisse familiarem iustis, vitam ærumnosam agentibus in exilio ad communem consolationem. Nam hac de causa Prouerb. 3. sapientissimus Salomon dicit: *Disciplinam Domini, fili mi, ne despicias, nec deficias cùm ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Neque id ignorauit quidam amicorum Iob Eliphaz nomine, qui cap. 5. licet erroneè, hæc verba ad Iob facit: *Beatus homo, qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* quasi dicat, Tam longè est, vt queri de nimia seueritate Dei debeas, vt ideò te potiùs iudicare possis fortunatum, quòd tam te increpet durè, & diuexet acerbè. Neque enim percutit hostili, sed medica potiùs, atque paterna manu: eo enim animo, aut secat, aut vrit, vt diro, & pestilenti morbo medeatur: ideo distorquet, & cruciat, vt ægrum corpus sanitati restituat. Et si libet, vide eo loco plura hîc congrua. D. Augustinus deuotissimè deprecabatur Deum, *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Sciebat vtique signũ esse diuinæ electionis & charitatis à Deo visitari: vnde alibi dixit: *Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.*

7. *Errant, qui putant se à Deo deseri, dum corripiuntur.*

Nos autem miselli quantumuis peccatores operare solemus, vt Deus eiusmodi litteras amatorias sibi seruet, & iniquo, aut puerili sensu dicere, Plus amat pater meus Fratrem meum, cui permittit facere quidquid lubet, quàm me; quia si me mouero contra eius iussionem, flagella inuenio. Respondet D. Hieronymus: *Non erudit, pater nisi quem amat, non corripit magister discipulum, nisi eum, quem ardentioris cernit ingenij. Medicus si cessauerit curare, desperat.* Sed audiamus potius diuinum oraculum: *Misereamur impio, & non discet iustitiam, in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini*, Isa. 26. Quasi dicat: Si impij miserearis, Domine; ex ea animi lenitate id consequeris, vt ille tam absit, vt iustitiam faciat, vt in suo scelere magis perseueret obstinatè. Quod si illi iuxta sanctorũ viam durius vexari, iniquè nihilominus egerint, iam ego de illorum salute nihil mihi polliceor, non videbunt etenim gloriam Dei. Adeoque indicat Propheta, talẽ in impios clementiam & misericordiam, potius immisericordiam dicẽdam. *Dei in impios perpetua clementia, inclementia est.* D. Bernardus serm. 41. in Cantica, hanc talem qualem Dei clementiam penitius examinans, citatis verbis Ezechiel. c. 16. *Recessit zelus meus à te, vltrà non irascar tibi*, inquit, *Solo auditu cõtremisco.* Et subdit: *Sentisne quanti periculi, quantiq; horroris, & tremoris res sit peccati defensus? Dicit iterũ: Ego quos amo, arguo & castigo. Si ergo II zelus deseruit: & amor. Nec vis amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Vides quia tunc magis irascitur Deus, cùm non irascitur?* Ac immediatè post inducit verba Prophetæ, *Misereamur impio, & non discet facere iustitiam*, & super iisdem sic philosophatur *Misericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio ista sapiens mihi vias iustitiæ. Satius profectò mihi, iuxta Prophetæ consilium, apprehendere disciplinam, nequando irascatur Dominus, & peream de via iusta. Volo irascaris mihi pater misericordiarum, sed illa ira quâ corrigis deuium, non quâ extrudis de via. Illud tua nobis benigna animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cùm nescio, sed cùm sentio te iratum, tunc maximè confido propitium, etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Apoc. 3. Psal. 26. Psal. 2.

Idem mellifluus Doctor in declamation posteriora verba Prophetæ premens & enucleans: *Hæc*, supple superbia, *est*, inquit, *quæ non recipit disciplinam. Curari renuit, medelam non sustinet. Vlcus pessimum, quod nec summis saltem digitis patitur attrectari. Huius & ipse indignationem vereor super his, & graue iudicium. Quidni timeam morsus feralem insaniam, & animarum phrenesim non ignorans? Sed Domini sunt verba, quæ replico, & eadem ipsi quoque legunt & intelligunt pariter, legem quippe scientes. In terra, inquit, sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. Durus est hic sermo, & comminatio, valdè* Isa. 26. *Superbus animum Dei disciplinam respuit.*

terri-

terribilis, non videbit gloriam Domini. Quid igitur cætera vidisse prætat? Hiccine totus misericordiæ finis? Hanc ego misericordiam nolo, procul fiat miseratio tam crudelis, ne veniat in eorum consortium anima mea. Hinc meritò Propheta Dauid Psal. 98. Dei beneuolentiam erga iustos deprædicat, quod in illis non sinit impunita errata, licet leuissima: *Deus*, inquit, *tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Vbi sermo est de Moyse, Aarone & Samuele. De prioribus duobus; quòd cum nõnihil hæsitassent in educenda aqua de petra, pœnâ recen etur Numer. 20. in verbis: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis.* In Samuele verò cuius peccatum nullum legitur in Scriptura, neque etiam aperta vindicta, censet D. Augustinus aliquid purgandum fuisse, quod homines considerare non potuerint; & ponit exemplum in opificijs, quæ oculis imperitorum videntur omnino perfecta, & tamen ab artifice adhuc poliuntur. Quoniam aliter iudicat peritus artifex, aliter imperitus inspector. Si ergo Dei beneuolentia sit in viris perfectis nihil relinquere impunitum; multò magis in peccatoribus. Rectè ergo dixit Sara: *Si in correptione fuerit, ad misericordiam venire licebit.*

Dei beneuolentia est, etiam in iustis punire leuissima errata.

SECTIO XVIII.

Multis argumentis probatur, Deum non delectari in perditionibus nostris.

PRIMÒ Scripturis sactis, quæ expressè declarant id à Deo esse alienum, veluti hoc loco, & Sapien. 1. vbi dicitur: *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum: quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Et Ezech. 18. vbi dicit: *Numquid est voluntatis meæ mors impij, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Et ibid. v. 31. cùm mors immineret Iudæorum populo, tàm temporalis ab hoste, iam iam in Iudæorum fines erumpente, quàm spiritualis & æterna, quam inuehit lethale peccatum, dixit: *Et quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: Reuertimini, & viuite.* Quasi diceret, Cùm tam facile à vobis declinari possit mors, quam adeo vehementer abhorretis: cumque ergo mortem vestram nolim, quare vltrò vobis mortem accersitis? cur vitam vestram vsque adeo despicitis, vt nolitis eam tam facili negotio, atque est pœnitentia, redimere. Rursum Oseæ 13. cap. dixit Dominus: *Perditio tua ô Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Quorum verborum sensus est, Tu, ô Israel, semper tuâ rebellione, idolis & sceleribus asciuisti tibi clades, ruinas, & mille calamitates: ego ex aduerso, quantum in me est, curaui & curo tuam salutem, mittendo Prophetas, quite ad pœnitentiam, quâ clades imminentes euaderes, hortarentur: tibi ergo tuum excidium imputa, non mihi.

1. *Probatur 1. ex sacris Scripturis.*

Deus saluat, sed non damnat.

Deinde clarum est, Deum non delectari in perditione viuorum, quia solet hominem præuenire ante supplicium, ita vt eodem prorsus momento, quo Deus eum inferre decernit eodem prorsus præuentionem statuat, & monitionem. Enimuerò mulcam Deus videns malitiam hominum Genes. 6. v. 3. illicò ac sententiam protulit, eodem momento simul, & monitionem innuit, *Non permanebit, inquit, spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Hæc fuit sententia, sed in ipsomet etiam puncto protulit, *eruntq; dies illius centum viginti annorum*, hoc est erit terminus pœnitentiæ, in quo pœnitere poterunt, centum viginti annorum. Vnde & legit Paraphrasis Chaldæa. *Et terminus dabitur ei centum & viginti annorum, si forte conuertantur,* Deo consilium, decretumque suum Noë reuelante, vt moneret, prædicaret, instaret, ac efficeret, si posset, ne executioni sententia mandaretur, immò, vt Chrysostomus inquit hom. 25. in Genes. non solum Deo sat fuit mandare Noë vt prædicaret, sed insuper, vt arcam illicò struere inciperet, vt nõ solum ex loquela, sed etiam ex facto mouerentur ad pœnitentiam, vnde ait, *Et non solum contentus fuit centum & viginti annorum promissione, sed iusto præcepit, vt arcam construeret, quo & ipse aspectus arcæ ijs sufficientem memoriam suggereret, vt nullus ignoraret inferendam pœna magnitudinem.*

2. *Semper Deus præmittit antequam puniat.*

Deus mulcat Israelitas & eorum admonuit captiuitate.

Deus Ægypto nullam plagam inflixit, nisi prius per Moysen Deum Pharaonis præmonuisset, vt passim videre est Exod. 7. 8. 9. Deus licet firmasset captiuitatis sententiam, & simul deliberasset Iudæos captiuos ducere, tamen imminente sententiæ executione, antequam omninò executioni demandaretur, per spatium annorum 19. misit Prophetam ad eius intimandum iudicium, sententiamque, vt, si vellent, pœnitentiam agerent, & duram seruitutem effugerent. Immò nec hoc pietati suffecit diuinæ, sed paulatim incessit, nunc captiuum ducẽdo vnum Regem, constituendo alium, nunc partem populi deferendo aliam, si fortè experimento damni alieni, ipsique reliqui prudentiores facti mutando vitam, & pœnitentiam agendo aliquo modo sententiam effugerent. Sed tandem cùm ob duritiam populi, vidisset, quod nihil proficeret, executioni dedit quidem sententiam, populumque captiuum duxit, sed tamen semper prophetante, vsque ad vltimum instans Hieremiâ. Cur hoc, inquit Origenes, nisi

nisi vt clementiam amotemque suum ostenderet; vt videret scilicet, etsi executio sententiæ incœpta esset, si tamen in ipsomet puncto, & in medio eius, aliquo modo cessare, & sustolli posset. Verba eius sunt: *Condemnauerat Deus Hierusalem propter peccata, quæ fecerat, & hæc erat extrema sententia, vt captiuitati relinqueretur; verumtamen cùm hominum sit amator, nec quemquam velit perire, antequam depopulationis tempus inflaret, misit & hunc Prophetam, vt per sermones eius ad pœnitentiam conuerterentur, misit tandem, & sub secundo Rege post primum, misit quoque sub tertio. Quid plura? captiuitas iam immineba t, & adhuc adhortabatur Deus tribuens, vt ita dicam, & ante vnam diem locum pœnitentiæ, vndè scriptum est, vsque ad captiuitatem Hierusalem, & vsque ad quintum mensem prophetasse Hieremiam. Iam hostium vincula restrinxerunt manus, & nihil enim hæc quodammodo dicebat Deus, esse captiuis factis festina, agite licet serò pœnitentiam, rogate me, & parcam vobis, possum eruere de captiuitate, quæ tradidi.*

Hæc Dei bonitas in omni casu sic emicuit, vt frustraneum sit hac in re filum texere. nam clades per Syros, Ammonitas, Madianitas, Philistæos, Assyrios non iniuit Hebræis, nisi seriò præmonitis. Et vt verbo expediam, Amos vates omne dubium profligat: *Non faciet*, inquit, *Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Deus, inquit, non infliget ciuitati Samariæ cladem, nisi vos Samaritas per Prophetas præmonuerit. Cùm olim vellet Deus punire Sodomam, reuelauit id seruo suo Abraham, vt si Sodomitis minimè prodesset, saltem apud alios fructum faceret fulminata in illam gentem plaga: *Numquid*, inquit, *celare potero Abraham quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gentem magnam, & robustissimam, & benedicenda sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.* Qui postquam intellexerat vindicem Dei manum paratam in Sodomæ exitium, statim ad preces confugit, quatenus Dei iram sedaret. Sic passim Deus plagas futuras insinuat, tùm ne causari possent præuaricatores se nunquam fuisse reprehensos, tùm vt scirent ob scelera sua plagas infligi, idque post præuiam, multúque temporis prædictionem & exhortationem: quæ omnia miram Dei clementiam erga genus humanum protestatur.

Misericordia Dei in Sodomarum punitione.

3. Deus excitat deprecatores, ne puniat & perdat.

Et in eum finem solet aliquando Deus deprecatores quærere, qui suis precibus plagam commeritam auertant. Sic Exod. cap. 32. quando Hebræi Moysi absente vitulum aureum conflauerant, & adorauerant, dixit Dominus ad Moysem: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Quid est aliud*, inquit S. Gregorius, *Dimitte me, quàm deprecandi ausum præbere? & vt Theodoretus dicit, Prohibe me.* Faciebat id enim Deus, vt ostenderet immensam clementiam suam: non enim absolutâ, & efficaci voluntate decreuerat Deus delere Hebræos, sed conditionatâ, si videlicet, nullus se sequestrum & deprecatorem pro eis interponeret, quàm conditionem ipse poni voluit, vt clementiam suam patefaceret, ideoque Moysi reuelauit peccatum populi, vt Moyses oraret pro eo, ipseque exoratus populo parceret. Hoc & aliàs fecit tempore Ezechiel. cap. 22. *Quæsiui*, inquit, *de eis virum*, qui interponeret sepem, *& staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.*

4. Deus lentè & gradatim ad plagas procedit.

Tertiò, quia sensim, non vno gurgite, etiam coactus solet plagas inferre: nam hinc apud Prophetas dicitur, *non pluere, sed stillare suas plagas*: quia iram suam misericordia temperat. Hinc Ezechiel. cap. 20. vers. 46. dicitur: *Stilla ad Africum*: vt non tota Dei ira videatur effusa, sed stilla quædam & pars: *Si autem stilla tanta sanitia est, quid in totis imbribus æstimandum erit?* inquit S. Hieronymus ibidem. Sic & Ezechiel cap. 21. & Daniel cap. 9. *Stillauit super nos maledictio & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui Dei, quia peccauimus ei.* Hinc etiam Apocal. 15. ira Dei dicitur phialis contineri, & ex ijs effundi: Phialæ enim angusto sunt ore, vnde ex ijs ira non potest, nisi guttatim fluere. Misericordia enim diuina iudicia comprimit, & constringit, ne fundant, sed stillent iram, iuxta illud Ps. 77. v. 38. *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos; & abundauit* (Dei misericordia) *vt auerteret iram, & non accendit omnem iram suam, & recordatus est, quia caro sunt.* Miratur hanc Dei clementiam Chrysost. hom. 5. de Pœnitent. *Sex diebus*, inquit, *Deus cælum terramq; fecit, magnitudines, lateraq; montium, campestria, montes, flumina, paradisum visibilem, omnem cultum & virtutem, mare hoc magnum & spacioſum, insulas, maritima loca, omnem hunc visibilem mundum, & qui in eo est ornatum, sex in diebus consummauit: quæ in eo sunt animalia sunt rationalia, & irrationalia, omnemq; visibilem cultum sex in diebus fecit. Hic igitur tam velox in construendo, cùm ceperit vnius demoliendæ vrbis consilium, inuentus est bonitate tardus. Vult Hiericho demoliri, & dicit ad Israël: Circumite eam septem diebus, & octaua die cadet murus. Mundum vniuersum sex in diebus construis, & vnam vrbem septem in diebus soluis? Quid enim tua potentiæ impedimento accedit? Quare non repentè destruis? Numquid de te Propheta non clamat, dicens: Si aperuerit cælum, tremor montes occupabit, liquescent sicut cera à facie ignis? numquid non operta virtutis tuæ naturam dixit: Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris?*

Misericordia Dei iram eius coercet.

Deus est velox ad misericordiam tardus ad ponendum. Iosue 6. cap.

Psal. 67.

Psal. 45.

Mauden in Tobiam.

Homo tardè struit, velociter destruit; Deus verò velociter struit, tardè destruit.

rit? Montes transferre & in mare potès, atque vrbem vnam non vis destruere repugnantem, sed dies septem tribus excidio. Quare? num potentia imbecillior: Sed clementia diutius tolerat. Septem huic addo dies, velut triduum Ninive, si fortè pœnitentiæ susciperet prædicationem, & saluarentur. Idque planè contra hominis consuetudinem, vt docet idem Doctor, ibidem: *Accedat*, inquit, *exemplo quod in nobis euenit hominibus, quibus multo in tempore ædificia extruuntur, multo in tempore ædificamus domum, & ipsius structuræ quidem multum temporis, parum verò destructionis. E conuerso autem fit in Deo: Cùm struit, velociter struit: cùm destruit, tardè destruit. Velox Deus struens, tardè destruens. Nam quia Domino hæc sibi conueniunt, illud quidem potentiæ, benignitatis istud: potentia excellentia velox, multa de benignitate tardus.*

5. 4 Deus post tristia, læta concedit.

Quarta denique causa sit, quam in medium adducit hîc Sara, *Quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum, exultationem infundis.* De quâ etiam Hieremias Threnor. 3. *Non repellet in sempiternum Dominus: quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.* Ex animo enim verè paterno extendit manum ad plagam, & contrahit innoxiam, excitat fluctus, à quibus absorbendi sceleratiores videntur, & tempestatem ante naufragium sedat, aut fractâ naue à naufragio liberat, & ad portum adducit peccatorem. Non enim ærumnas immittit, aut permittit Deus, vt perdat, sed vt quod in suis sordidum est, abstergat. Sicut aurifex non eo consilio vas, quod plurimi facit, amatque, in fornacem conijcit, vt perdat, sed vt expiatoria flamma mundum reddat, & purum. Permisit Deus propter Iudæorum peccata, vt populus ab Antiocho vexaretur durius; neque amplius passus est furorem procedere, quàm ad expiandum peccatum opus esse vidit. Quare lib. 2. Machab. cap. 2. vers. 17. propter peccata habitantium Ierusalem Deus modicè iratus esse dicitur: modicè quidem, quia non vt hostis, sed vt medicus ferrum admouit, & ignem vt sanaret, non vt perderet. Ita sanè putabat Sara, dum aduersa patereturur in Rages Medorum: *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita eius si in probatione fuerit, liberabitur; & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem, & fletum exultationem infundis.* Hæc planè fornax est, de qua Malachias cap. 3. vers. 2. *Ipse* (Deus) *quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui: & colabit eos, quasi aurum, & quasi argentum.*

Dei vexatio vtilis probatur similitudine aurificis.

Prophetæ solent primò terrere, deinde consolari.

Et hinc solebant Prophetæ auditores suos primò terrere, deinde quos terruerant consolari, in spem erigere, & ad pœnitentiam mouere; adhæc solebant aduersis læta subiungere. Sic Isaias postquam omnia infausta, tristia, & comminatoria intentasset Iudæis, tandem cap. 40. ad blanda, suauia, & læta sermonem conuertit: *Consolamini*, inquit, *consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam: quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Quasi diceret: Prædixi vos captiuos in Babylonem ituros; hinc meritò turbamini & mœreris: sed consolamini, nam post 70. annos inde vos eripiam, & in pristinum, imò meliorem statum restituam. Hoc obiter vobis promitto, & quasi perstringo; sed sub hac consolatione leui, quasi typo, aliam longè maiorem intelligo, vobisque promitto, scilicet eam quam afferet Christus, cùm vos morti & gehennæ ac diabolo addictos in libertatem reuocabit, Deoque & cælo restituet. Sic quoque Deus postquam Ieremiæ duobus spectris, virgæ nimirum vigilantis, & ardentis ollæ, quid Gentibus, & Regnis euenturum, quidue ab illo illis sit denunciandum, ostenderat, ne ille ex seuerâ denunciatione sibi timeret ab offensâ arquâ lacessitâ potentia infortunium, illum statim post ad omnem conatum & audaciam confirmat, vers. 17. & 18. ac 19. capitis primi. Sic Daniel cap. 9. per preces obtinuit ab Angelo scire, Deum citius incarnandum, quàm homines exspectarant. Sic Ezechias post preces cum lachrymis audiuit hæc consolatoria: *Hæc dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos: & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Isaiæ 38. vers. 5. & 6. Sic de Tobia & Sara afflictis dicitur, *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei, & missus est Angelus*, &c.

CA-

CAPITIS TERTII

VERSVS. XXIV.

In illo tempore auditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei.

Verſ. 25. *Et miſſus eſt Angelus Domini S. Raphael, vt curaret eos ambos : quorum vno tempore ſunt orationes in conſpectu Domini recitatæ.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 24 *&* 25. Tales autem fuerunt preces Tobiæ & Saræ, vt magnũ, apud Deum gloriæ pondus habuerint, & quod oratint, exoratint. Et commiſſionem accepit Angelus ſanctus Raphaël, vt eorum, quorum preces, licet diuerſiſſimis locis morarentur, vno eodemque tempore Deo quaſi ſunt recitatæ, mala curaret, idque, vt apparet, ex contextu hiſtoriæ tractu temporis.

SECTIO DECIMA-NONA.

Quomodo prolixa hæc oratio Saræ placuerit Deo?

1. SARÆ cap. 1. dicit Dominus: *Cùm multiplicauerit is orationem, non exaudiam.* Saræ autem hoc loco poſt orationem ſatis prolixam, à Deo exaudita eſt: vnde diſcuſſione dignum eſt, Quare alicuius oratio prolixa Deo placeat; alterius verò diſpliceat. Breuiter rem expediam. Diſplicet Deo oratio prolixa, quæ procedit ex defectu fidei. Sic intelligenda ſunt, verba Eccleſ. 7. verſ. 15. *Non iteres verbum in oratione tua.* Et Matth 6. *Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur.* Hiſce verbis non prohibetur in oratione ad Deum eadem nonnumquàm repetere ex feruore ſpiritus, ſed ne Ethnicorum more præ irreuerentiâ, inaduertentiâ, & infidelitate fiat ſermonis repetitio, quaſi inculcatio verborum apud Deum; vt nos audiat, & intelligat, ſit neceſſaria, ſicut eſt apud homines. Similis eſt doctrina apud Eccleſ. cap. 5. *Ne temerè*, inquit, *quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui.* Vide de hac re plura Diſcurſu 45. in 1. n. 1.

Deo diſpliceat oratio prolixa quæ procedit ex defectu fidei.

Secundò, odioſa eſt prolixior oratio eorum, qui in peccatis perſeuerant, de qua loquitur Iſaias loc. citato. Cùm enim Prophetæ grauiſſima Iudæorum ſcelera recenſuiſſet, & plagas à Deo intentatas, dixit; Deum reſpuere ipſorum ſacrificia, & victimas, & ſubdit verba citata, quæ hunc habent ſenſum: Cùm ſupplices in oratione extenderitis manus, auertam oculos: & cùm inanes iterum atque iterum preces aſſumpſeritis, offenſas obturabo aures. Quid enim inflectant miſericordiam, & non potiùs excitent, & inſtimulent iram manus illæ, quæ, cùm ad orandum compoſitæ, atque eleuatæ ſint, ſtillant tamen ſanguine ex aliorum cæde; & peccatis, quæ à carne, ſanguineque naſcuntur, fœdantur, & putent.

2. *Diſplicet oratio peccatorum in peccatis perſeuerantium.*

Tertiò oratio prolixa, quæ procedit à mente deuotâ, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, Deo grata eſt. Sic fuit oratio Annæ 1. Reg. 1. Sic mulieris Chananææ Matth. 15. Sic hoc loco Saræ. Imò Deus certis de cauſis ſubinde vult hominem perſeueranter orare; quas vide latiùs explicatas Diſc. citato à num. 3. vſque finem.

3. *Oratio prolixa quæ Deo placet*

SECTIO XX.

Ad quid vtilis ſit ſolitudo.

VT Sara receperit ſe in locum ſolitarium orationis ergò, nolo ſilentio præterire ſolitudinem ad multa eſſe vtilem. Primùm itaque facit mentem quietam, ſibi præſentem, & collectam, eamque compungit cogitatione rerum cæleſtium, & æternarum. Ea propter Dominus non aſſueuit ſuis reuelare myſteria, niſi in locis ſolitarijs. *Cùm minaſſet* (Moyſes) *gregem ad interiora deſerti, apparuit Dominus in flamma ignis de medio Rubi*, Exod. 3. illic vidit myſterium Rubi ardentis & non comburentis, Iudæos in Ægypto aggrauari, nõ conſumi. Deus locuturus Moyſi nõ tranſeunter, ſed permanenter, non prius alloqui voluit

1.

Solitudo facit reuerè quietam & collectam.

Deus locutus est Moysi in solitudine

voluit, quàm ad montem eum duxisset, & non solùm ad montem, sed ita solus, vt ipsa quoque animalia celaret: audi præceptum, *Esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Sinai, stabisq; mecum super verticem montis, nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem.* Nec hoc sufficit, immò & quasi ipsa zelans animalia addidit: *Boues quoq;, & oues non pascantur è contra.* Et quasi timens ne ab aliquo forsan videretur, non descendit nisi in nube, & caligine inuolutus, *Cumq; descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo.* Non prius stetit quàm quod nubes vtrosque circumsepisset.

2. *Multa reuelationes iuxta flumina.*

Factum est verbum Domini ad Ezechielem secus fluuium Chobar, illic à Deo insignem accepit illustrationem. Quare ibi? fortè quia aptus est in fluuiorũ ripis orationi locus. Motus enim fluentis aquæ, & crystallinus liquor ad cælestia eleuat languentem animum. Cùm Daniel trium hebdomadarum spatio ab escis abstinuisset delicatis & lautis, & orationi se dedisset, eaque respuisset, quæ censeri solent genij atque naturæ blandimenta, ad fluminis Tigris ripam augustâ, atque horrificâ specie occurrit illi Gabriel, vt illius satisfaceret votis, & de rerum quarumdã euentu doceret, quæ vel ad statum pertinerent rei Iudaicæ, vel ad vniuersi œconomiam summam, atque multiplicem Appositè Chrysostomus: *Quoties Deus nonnihil explicaturus suis famulis est, extra vrbem, tumultumq; hominum ducit, & loco tranquillo constituit, quo nullis rebus, quæ sese aut oculis, aut auribus offerant, interpelletur, sed liber omninò, & otiosus vacet eorum, quæ ipsis diuinitus aperiantur, contemplationi.* In secessu & silentio Samuel diuinum intellexit oracullum, 1. Reg. 3.

Hom. 6. de incomprehensib. Dei natura.

Verissimè Magnus ille Gregorius 18. Moral. cap. 28. *Nullus sapientiam, quâ Deus est, plenè recipit, nisi qui ab omni se carnalium cogitationum fluctuatione retrahit.* Hieremias vates de quodam dicit Threnor. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit.* Cuius solitariam mentem à terrenis tumultibus abductam, cælestibus dignam reuelationibus, non immeritò iudicat D. Ambrosius in Psal. 118. *Feriatus*, inquit, *ab omni interpellatione mundanæ sollicitudinis & voluptatis, diuinis vacabit oraculis, quæ solent singulariter sedentibus reuelari.* Et paulo post: *Reuelationes illi diuinæ gratiæ refulgebant; quia à iuuentute suæ iugum verbi susciendum putauit.* Vbi *iugum verbi*, appellare videtur non solum onus diuini verbi exequendi; sed etiam studium auscultandi. Qui enim huic studio incumbit, diuinis reuelationibus edocetur. Et in exemplum adducit Dauidem & Eliam; è quibus illum *singulariter in spe* constitutum, Ps. 4. hunc autem *in torrente Carith* absconditũ 3. Reg. 17. diuinæ reuelationes erudiebant,

Mens solitaria apta meditationi

Talis igitur & hic, de quo Ieremias: *Sedebit*, inquit, *solitarius, & tacebit: vt totus posset intendere*, addit D. Ambrosius, *seniorum præceptis, Prophetarum oraculis, Apostolorum magisterijs: laudandus, eò quod prius velit loquenda cognoscere, quàm proferre, quæ sentiat, antequam loqui discat; timens, ne multiloquio peccatum contraheret.*

3. *Pij viri non nisi in solitudine, cælesti doctrinâ imbuti.*

S. Ioannes Baptista secessit in desertum, vt ibi verbo & exemplo prædicaret pœnitentiam, eoque ab vrbium strepitu, seuocans turbas, omnibus inclamabat: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Ita Christus ipse inchoaturus opus suæ prædicationis, & nostræ redemptionis, sibi à Patre impositum, à Spiritu sancto ductus est in desertum, ibique ad illud quadraginta dierum meditatione, oratione, & ieiunio se comparauit, Matth. 4. eodemque prædicaturus turbas eduxit, vti & Apostolos in montem, apicem Euangelij eos docturus, Matth. 5. Rursum Dominus Discipulos suos ad quoddam cælestis beatitudinis, spectaculum euecturus, duxit illos solos in locum desertum, & in montem excelsum seorsum, Matth. 17. & Marci 9. Quasi illos à solitudine, & sublimitate loci admoneret: vt sacris mysterijs imbuendi, & cælestibus spectaculis initiandi, ab hominum frequentia, ad solitudinem se reciperent, & ab humilitate carnis, ad sublimitatem spiritus reuocarent. Excedere enim à rebus humanis illos oportebat, antequam diuinis spectaculis pascerentur.

Solitudo aptissima orationi ac meditationi

Isaac Genes. 24. legitur egressus fuisse *ad meditandum in agro.* Solitudo enim est aptissima orationi æquè ac speculationi, & contemplationi. Elias, Helisæus, Basilius, Nazianzenus plurimiq; alij in eremum secesserunt, ibique sapientiæ & contemplationi vacarunt; idque exemplo Christi, qui noctu oraturus secedebat in montes, vti in Tabor in transfiguratione, & in hortum tempore passionis. Licuit aliquibus videre autographũm Thomæ à Kempis de imitat. Christi, in cuius initio hæc legebatur sententia: *In omnibus requiem quæsiui, & non inueni, nisi in recessu cordis mei cum libello*, id est, nisi seorsim sedens in angulo cum libro. Hoc est quod magnus ille Arsenius Eremita dicebat: *Non possum simul cum Deo & hominibus habitare.* S. Hieronymus pœnitens abijt in solitudinem Syriæ, & ad illam inuitans Heliodorum, Epistolam hoc epilogo, quasi celeusmate concludit: *O desertum Christi floribus vernans! ô solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas Regis magni extruitur! O eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis frater in sæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum vmbra premunt? quamdiu fumosarum vrbium carcer includit?* Vnde est & illud Basilij: *Solitaria vita cælestis doctrinæ est schola, ac diuinarum artium disciplina.*

Illic

Illic Deus est totum, quod discitur; via, quâ tenditur: totum, per quod ad summa veritatis notitiam pervenitur.

Philosophi eur ciuitates deserebant.

Philosophi ratione aclumine naturali ducti censuerunt solitudinem sapientiæ conuenire, teste Hieronymo lib. 2. aduersus Iouinian. *Platonici*, ait, *& Stoici in templorum locis, & porticibus versabantur, vt admonuti angustioris loci vitia sanctitate, nihil aliud quàm de virtute cogitarent, sed & ipse Plato, vt posset vocare Philosophiæ, elegit Academicam villam ab vrbe procul, non solum desertam, sed & pestilentem, vt eâ, & assiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur, discipuliq; sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum, quas discerent.*

Solitudo suscitabulum ingenij.

Cicero sæpè à negotijs, & vrbe secedebat in rus, ibiq́ue philosophabatur, testis est ipse lib. 3. Officior. Poëtæ olim recipiebant se in amios montes, ibiq́ue in solitudinis recessu carmina pangebant. ita Hesiodus canit sẽ poëticen à Musis didicisse, sed in monte Helicone, dum agnos pasceret, indicans solitudinem esse ingenij suscitabulum. nimirum, *Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.* Euripides in insula Salamine tragœdias suas scripsit in spelunca tetra, & horrida, quam A Gellius se vidisse scribit.

4. *Solitudo vtilis ad deliberandum de statu vitæ*

Secundò vtilis est, ad deliberandũ de vitæ statu, illi, qui dubitat, quem capessere debeat. Docet id S. Bernardus epist. 107. in fine Thomam Præpositum, vt, si cupiat cæli vocem audire, secedat: *Huic, ait, voci Dei tui, dulciori super mel & fauum, si præparat aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito & vacante interno sensu, dicas & tu cum Samuele: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico: secretum consilium, secretum quæris auditum. Auditui tuo gaudium præcerto dabit & lætitiam, si sobriâ aure perceperis.* Hoc modo se præparabat Dauid, cùm dixit: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quia loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor*: significans, quod Deus non loquatur ijs, qui extra cor sunt in res externas effusi; sed ijs qui recipiunt se ad interna cogitanda. B. Petrus Damianus ep. ad Teuzonem, ait se quemdam sanctum Eremitam consuluisse de se, suoq́ue statu, an sibi expediret, Ecclesiæ scilicet, & proximis seruire in Cardinalatu & Episcopatu Ostiensi, an verò ijs abdicatis recipere se ad Monasterium, eò quòd vitam illam actiuam sentiret spiritum suum distrahere & minuere, eiusq́ue profectum impedire. Cui eremita: *Quid prodest lucerna, si alijs lucet, & ipsa se flamma verax absumat?* Quo circa Petrus relicto Episcopatu & Cardinalatu, ad suum monasterium rediit, ibiq́ue totus suæ saluti & perfectioni vacauit. Hæc enim erat prima eius vocatio, puta monastica.

Psalm. 84.

Quibus loquatur Deus

Mauden in Tobiam.

Tertiò vtilis est ad emergendum è peccato, imò quodammodo necessaria, vt colligitur ex illo Oseæ cap. 2. *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor eius.* quasi dicat, Sicut olim te, ô Israel, vagantem, & meretricantem cum turbâ Gentilium, & Deorum Ægypti, inde eduxi in solitudinem; ita pariter nunc ex turba Assyriorum, Medorum, Caldæorum, Persarum, Parthorum, inter quos captiuus & dispersus diuagaris, nunc horum, nunc illorum Deos colens, ducam te in solitudinem, qua itur in Iudæam & Ierusalem, vt per illam te in patriam sedem & religionem, quasi in solitudinem reducam. Erant enim Iudæi in Iudæa à Gentibus separati; imò post excidium, Iudæa erat solitudo. Hoc est quod ait Ezechiel cap. 20. 34. *Educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, &c. Et adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum facie ad faciem; sicut iudicio contendi aduersum patres vestros in deserto terræ Aegypti:* qui locus priori persimilis est, eumq́ue explicat. Sic Christus Magdalenam separauit à turba, fecitq́ue vt se sequeretur in solitudinem; ac post mortem & resurrectionem deduxit eum in solitudinem, montemq́ue vicinum Massiliæ, vbi in Bauma peccata pristina deflens, cum Christo & Angelis versabatur, vitam angelicam magis quàm humanam agens. Et vniuersìm illis, qui è peccatis emergere vitamq́ue seriò mutare & emendare volunt, necesse est, vt à turba declinent, & in solitarium locum, saltem ad tempus se recipiant; vbi & pristina vitia dediscant, & occasiones peccatorum, distractionumq́ue declinent; & meditationibus sanctis, pijsq́ue exercitijs insistentes, discant quâ ratione & modo vitam corrigere debeant; denique vbi à Deo visitentur, & illuminentur, & corroborentur in hoc melioris vitæ proposito. Nam vt ait Iob cap. 12. *Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius.*

5. *Solitudo vtilis est ad resipiscendum à peccato.*

Necessarium resipiscẽtibus à turba aliquantisper declinare.

Quæ causa mouit Carolum V. Imperatorem, vt abdicatis tot regnis in solitarium se locum reciperet, vbi liberè cuius & turbis, totus sibi & Deo vacaret, atque ad instantem mortẽ, vitamq́; beatam se cõpararet, vti reipsa præstitit, perstititq́; vsque ad finem vitæ. Quo circa Franciscus Borgia, olim sub eo Dux Gandiæ, in eius funere rogatus, vt oratione funebri illi parentaret, hoc thema proposuit, Caroloq́ue adaptauit: *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine*, ostendens quàm piè & sapienter egisset, qui mundum prius reliquisset, quàm mundus ipsum: quod propediem futurum erat. Nouum hoc, & orbi nostro sæculo, inauditum fuit tanti viri exemplum. Maior fuit Carolus in suo eremo

Memorabile Caroli V. Imper. exemplum.

quàm in imperio: quia maior mundo æquè ac ſeipſo. ita Sacchinus tom.2. Annal. Societatis IESV ad annum Domini 1558.

Illuſtratur ſimilitudine

S. Chryſoſtomus rem ſimilitudine reddit clariorem: *Sicut*, inquit, *difficillimè eſt arborem iuxta viam plantatam fructus vſque ad maturitatem ſeruare: ſic difficile eſt virum in medio turbarum ſæculi innocentiam vſque ad finem ſeruare.* Naturalis calor, quo magis interius hiemis tempore reconditur, eò magis viget, & concoquit; quo verò plus in æſtate diffunditur, eò magis languet: eadem caloris ſpiritualis, hoc eſt, diuini amoris, eſt ratio: quo enim minus ad exteriora diffluit, eò plus in interioribus feruet. Hinc ait S. Bern. epiſt. 106. ad Henricum, multò vberiorem doctrinam ex hac ſolitaria palæſtra, quã ex ampliſſimâ bibliotheca deriuari: *Experto*, inquit, *crede: aliquid amplius inuenies in ſyluis, quàm in libris. An non putas, te poſſe ſugere mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo? An non montes ſtillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel, & valles abundant frumento?* &c. Quibus omnibus metaphoris ſingularis doctrinæ & vbertas & ſuauitas, quæ in contemplationis ſolitudine percipitur explicatur. In cuius ſignum Dominus ſanaturus ſurdum & mutum, cùm ſeorſim traxit à turba Marci 7. Et Thomas à Kempis lib. 1. de Imitat. Chriſti ſatis inſinuat, in conſortio hominum parum quem progredi ad virtutem. Sic enim ait cap. 20. *Maximi Sanctorum humana conſortia, vbi poterant vitabant, & Deo in ſecreto viuere eligebant. Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redij.*

Vberior doctrina ex ſolitudine, quàm ex bibliotheca deriuatur.

In ſolitudine Sanctus David, in ciuitate peccator

Pſal. 62. inquit Regius Propheta: *In terra deſerta, inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Eſtque ſenſus, Sic me reperi in terra deſerta, & inuia, ac ſi eſſem in ſancta, & intra ſancta Sanctorum: vnde ibi merui videre virtutem, gloriamque tuam. Vidit ergo gloriam, vidit Propheta Rex, Dei virtutem, dum ſolus, & à turbis ſegregatus, & ibi Sanctus, quando ex ſancto peccator factus eſt in ciuitate; in deſerto ita ſanctus, vt etſi inimico peperciſſet, ſcrupulos tamen habuit, oram eius præcidiſſe clamydis. At in ciuitate, nec adulterium timuit, neq; homicidium exhorruit amici, nec ſuperbiam numerando populum, fugit, vnde qui ſanctus, & purus in deſerto, peccator, & immundus factus eſt in ciuitate. Ob hoc Hieronymus opuſ. 28. Lucinum admonet, ne ſolitudinem relinquere velit, vt qui in illa ſanctus eſſe cœperit, fiat ne poſtea peccator: *Obſecro te*, inquit, *& moneo paternis affectu, vt qui Sodomam reliquiſti, ad montana feſtines, poſt tergum ne reſpicias, ne aratri ſtiuam, ne fimbriam Saluatoris, ne cincinnos eius noctis rore madefactos, quos ſemel tenere cœpiſti, aliquando dimittas, ne de tecto virtutis priſtinæ quæſturus veſtimenta deſcendas, ne de agro reuertaris domum.*

Et quia non ſufficit ſolitudo corporis, ſed neceſſaria ſit ſolitudo mentis, ad eam hortatur Bernardus ſer. 40. in Cant. *O ſancta*, ait, *anima ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis & intimis, & ab illo qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam, præſentibus cæteris.* In hanc rem, notatu dignum eſt, quod ſcribit Ioãnes Mauburnus Abbas Liuriacẽſis in Roſeto t. c. 3. ſub finem, nimirum varios Ordines varijs de cauſis à primæua ſanctitate & ſplendore decidiſſe, vt Cluniacenſes propter otium, Ciſtercienſes propter negotia nimia ruralia, Præmonſtratenſes ob nimia Miſſarum & chori onera; mendicantes ob nimiam cum ſeculari familiaritatem, quia nimis ſe populo immiſcuerunt, iuxta illud Pſal. 105. 35. *Commiſti ſunt inter gentes, didicerunt opera eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.* Benedictinos ob nimias opes, iuxta illud: *Filia ample dotationis, ſuffocauit matrem deuote religionis.* Addit, præ cæteris in ſuo nitore & vigore ſtetiſſe Carthuſienſes, ob ſtudium ſolitudinis & ſilentij, ac ob ſtrenuam obſeruantiam viſitationum.

6. Solitudinem corporis debet comitari ſolitudo mentis.

Demùm vtile eſt ad efficacem orationem, & ſatus diuinos excipiendos. Hoc vidimus in Sara, quæ in ſuo ſeceſſu orans hauſit præclara illa dogmata, quæ hactenus tractauimus. Hinc ſolet in veteri Teſtaméto pars domus ſuperior haberi orationi deſtinata: quia videlicet vel domeſticorũ ſtrepitus minus ibi interpellaret orantẽ, vel inde melius cœlum ſpectari poterat. Sic habuit Iudith in ſuperioribus ædium ſuarum ſecretum cubiculum & oratorium, vt conſtat ex eius hiſtoria cap. 8. & 9. Sic Daniel cap. 6. *ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo contra Hieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua.* Sic Apoſtoli Act. cap. 1. in cœnaculo orarunt, & in illo eo loco Spiritus ſanctus delapſus eſt. In cœnaculo item orauit Petrus Act. 10. qui ad ſuperiora domus oraturus aſcendit; vt videlicet liberius cœlum intueretur, eoque à terra oculos & mentem oraturus attolleret. Oratio enim eſt aſcenſus mentis in Deum, quem iuuat aſcenſus corporis. Hinc Chriſtus, Moyſes, Elias, Eliſæus, S. Franciſcus, alijque Sancti oraturi aſcendebant in montes, vt ſicut loco, ſic & cogitatione cœlo vicini efficerentur, ait S. Ambroſius ſerm. 11.

7. Solitudo vtilis eſt ad efficacem orationem, & ſatus diuinos excipiendos.

Olim oraturi ad ſuperiora domus aſcendebant.

Quid ſit oratio.

Ne offendaris; dixit vtilem eſſe ſolitudinem, non neceſſariã Paulus dicit: *Volo vos orare in omni loco, leuantes puras manus.* Loquitur de publico loco, Dei cultui conſecrato. Ergo ſi adſit puritas mentis, & ibi neceſſariò, & magno cum emolumento oratur. Sic nec illic eſſe potes, vbiuis oratio attenta valet. Audi Chry-

8. Oratio non requirit neceſſario locũ ſolitarium.

Chrysostomum hom. 17. ex varijs in Matth. *Quod si foris Ecclesiam es, dic tu: Miserere mei Domine, non solum labia moueas, sed mente ingemiscens, quia & tacentes audit Deus. Non quaritur locus, sed deuotio mentis. Hieremias in lacu cani demersus erat, fideliter orans Deum promeruit. Daniel in Lacum leonum missus, ad se Dei misericordiam inclinauit. Tres pueri in camino ardenti erant, & Deo placuerunt. Latro in cruce erat, & exauditus est, fideliter postulando. Et nihil obfuit crux, sed confessio fidei paradisum aperuit. Iob in sterquilinio erat, & per patientiam suam Deum propitiabatur. Quod si & in balneis es, ora: vbicunque fueris, ora. Templum Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis. Voluntas solum modo deuotæ mentis opus. Quod si in iudicio astitis, ora. Et cùm trahitur rex, ora. Vbique Deus præsens est, non clauditur loco; inuocanti dicit, Adsum. Nam cùm eduxisset Moyses populum de Aegypto, & per desertum ad mare rubrum venisset, Aegyptij post tergum insequebantur populum. Ante mare fremebant fluctus, Moyses in angustijs erat, tacebat quidem, sed mente gratiam cogitabat. In medio tribulationis erat, inde Aegyptij insequentes, hinc mare intumescens. Ad Dominum igitur mente clamabat, & vox penitus non audiebatur, ideo Dominus dixit ad eum: Quid clamas ad me? cùm ore quidem non clamaret, sed corde. Et tu igitur quando astiteris furenti iudici, ac rabido tyranno, ora Deum tuum, & orante te fluctus mitigabuntur. Iudex ad te, tu ad Deum confugito: index pro te, tu Deum inuoca qui pro te est.*

Attentionis obiectum Deus.

Libri TOBIÆ Capitis quarti

SYNOPSIS.

CVM senior Tobias imminere sibi extremum diem iam existimabat, aduocat filium, eique tradit documenta per quàm salutaria, tanto parente digna.

VERSVS PRIMVS.

Igitur cùm Tobias putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum.

Vers. 2. *Dixitque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe.*

Vers. 3. *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius.*

Vers. 4. *Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula sit passa propter te in vtero suo.*

Vers. 5. *Cùm autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.*

PARAPHRASIS.

Vers. 1. 2. 3. 4. & 5. Deprecatus fuerat Tobias Deum, vt vna morte multas ærumnas, easque duras diuturnasque redimeret, quod se à Deo obtinuisse existimabat, & cùm instare crederet finem vitæ, vt clausulam faceret salutarem; fecit quod viri sancti solent, vt accersito filio, quem habebat vnicum, ad omne pietatis officium sapienter eum instruit. Et primùm ei commendat cadaueris sui sepulturam, honorem exhibere matri toto vitæ suæ curriculo, idque ob nouem mensium dura fastidia, pariendi difficultatem, & laborem, seriò extorquet: quin etiam, vt cùm è viuis excesserit, eodem secum tumulo condat.

SECTIO PRIMA.

Cur Deus non reuelauerit Tobiæ, qualiter exauditæ essent eius preces? Cur denuo instruat filium Tobias? iubeat honorare matrem deque eius sepultura.

1. *Cornelius Centurio scuit suas preces esse auditas à Deo. Act. 10.*

CVM oraret crebrò Cornelius Centurio, *vidit in visu manifestè, quasi horâ diei nonâ, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Cornesi. At ille intuens eum timore correptus dixit: Quid est, Domine? dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemosyna ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen*, &c. Quibus verbis insinuat Angelus, eius preces & eleemosynas id obtinuisse à Deo, vt Petro mediante disceret explicitam fidem Christi, omniumque eius mysteriorum. D. Paulus cùm sæpius oraret 2. Corinth. 12. vt stimulus carnis suæ Angelus Satanæ, qui eum colaphizabat, à se discederet, reuelationem aliam accepit à Domino: *Sufficit tibi gratia mea.* Quorum verborum sensus est, Non est tibi necessarium, neque expediens vt fiat, quod petis; id est, vt auferatur à te stimulus carnis: quia sufficit tibi ad malum hoc, quodcumq; illud est, superandum, gratia mea, id est, fauor ac bene-

ac beneuolentia mea, quâ volo tibi benefacere. per hanc enim gratiam meam etiam de illo angelo colaphizante victoriam reportabis.

Quare Tobia nõ fuerit reuelatum preces suas esse exaudi-tas.

Huic verò Tobiæ nostro, licet in fide nihil hæsitans, sed cùm fiducia obtinendi ex animo orasset, nihil significatum aut reuelatum; quãuis exaudite preces, & à Deo commissum Angelo vtriusque negotium, vt suppetias ferret, & medelam, aut etiam aliquid maius, quàm suis antea votis & Tobias & Sara proposuerant: ita vt crederet ex subordinata petitione vitæ finem perquam breui futurum, sese obtinuisse. Quænam huius rei ratio, quod viro tanto Deus secretum celare voluerit, quod diuinitus quoad eum erat dispositum.

2. Hæc cùm quæro, recordor istius Pauli Rom. 11. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* & istius, *Iudicia tua abyssus multa.* Quia tamen id sine causa factum non est, ex alijs similibus Scripturæ historijs, quas viri graues discusserunt, aliquid delibandum proponam: vnde quasdam rationes quoad Tobiam prudens lector formare poterit. Erat in lege naturæ Patriarcha Isaac, cui duo erãt filij Esau & Iacob. Cùm autem pater, cui oculi caligabant vt videre non posset, existimans diem extremum sibi instare, vocauit Esau filium natu maiorem, & dixit ei, *Fili mi; qui respondit, Adsum. Cui pater; vides quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ: sume arma tua, pharetram, & arcum, Et egredere foras, cumq; venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.* Audiuit hæc mater & præueniens Iacobo suggerit, vt ipse à patre accipiat benedictionem; idque ex reuelatione Dei; quod ita contigit. Sinebat autem Deus iustum Isaac falli, vt benedictionem Dei, quam putabat in Esau implendam, impertiretur Iacobo, eumque putaret Esau esse, ex artificio matris, quæ pelliculis hædorum circumdederat manus ipsius. Quæritur cur Deus per istum modum, vel per talem in verbis factisque simulationem, voluit Iacob peruenire ad benedictionem paternam, & Primogenituræ confirmationem: ac non potius ante patefecit voluntatem & sententiam suam Isaac, vt is sciens volensque, sine fuco & fallacijs benedictionem suam impartiret Iacob, ipsumque Dei iudicio & decreto constitutum esse primogenitum declararet?

Cur voluit Deus vt Iacob per deceptionem patris benedictionem eius obtineret.

3. Tres huius rei afferri possunt rationes. Prima ratio ducitur, ex multiplici ac multi formi ratione, & via Diuinæ prouidentiæ, in perducendo ad exitum atque effectum; quæcumque fieri omninò statuit. Cùm igitur sint variæ admodum viæ, & modi diuinæ Prouidentiæ in dirigendis & perficiendis rebus,

Tres assignantur rationes.

nunc hâc, alias illâ, vel aliâ pro libertate voluntatis suę, & impenetrabili sapientiæ suæ ratione, via & modo vtitur. Altera ratio est, ne si Esau vidisset, se à patre suo sciente & volente fuisse priuatum benedictione, aut intellexisset id voluntate & sententia Dei factum esse, vt erat homo feroci & superbo ingenio, & animo parum pio; vehementius acerbaretur & incitaretur aduersus parẽtem & Deum, vtriusque magnum animo cõcipiens odium, quod se tanto bono spoliassent. Tertiam rationem Chrysostom. hom. 53. in Genes. & Theodoretus quæst. 79. in Genes, hanc exponunt: vt ita notior atque illustrior existeret singularis, eximiaque Dei erga Iacob cura & prouidentia: simulque fieret manifestum, quod Deus fieri voluit, quodque factum iri prædixit, id, quo minus ad effectum perueniat, nulla ratione impediri posse: sicut ipsemet Deus per Esaiam declarauit, cap. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et per Dauidem Psal. 113. *Deus noster in cælo, omnia quæcumque voluit fecit.*

4. Accedat & quarta ratio, quod Deus aliquando paruulis reuelat, quæ magnis abscondit: nam Rebeccæ reuelauit, quod Isaac cum celauit; quod & confitetur Christus aliquando fieri Matth. 11. v. 25. in verbis: *Confitebor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Similiter Deus Prophetis aliquibus, quibus scientiam rerum occultarum in rebus grauioribus concesserat, ignota voluit esse minoris momenti. Inde 4. Reg. 4. Elisæus nouit Eliam raptum iri; & tamen 4. Reg. 2. non nouit Sunamitidem plangere coram eo propter filium mortuum. Ad hæc volebat Deus religioso quodam cultu adhibito, nimirum oratione & psalte prius, intelligere Prophetas futura; cùm tamen præcipuum eorum munus erat, Dei nomine futura prædicere. Sic Hieremias c. 42. rogatus à Principibus, an Iudæis in Ægyptum fugiendum esset; an verò in Iudæa salui manere possent; feruenti oratione à Deo eius scientiam debuit postulare. Elisæus 4. Reg. 3. rogatus à tribus Regibus, an penuriâ aquæ continuò laborarent, propter amorem Regis Iosaphat iussit adduci Psaltem, quo adhibito, reuelauit illi Deus abundantiam aquæ illis non defuturam. Ratio, quod non aliter concesserit horum scientiam, fuit, vt intelligerent Prophetiam esse donum Dei. Beata etiam Virgo Luc. 2. cùm Christus illi dixisset: *nesciebatis in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse*; Non intellexit verbum, cùm tamen Angeli annuncians verba maiora, & profundiora mysteria significantia percepit, & comprehendit. Ratio datur à Doctoribus id factum esse, vt nobis innotesceret, posse mul-

Data & quarta ratio.

Grauiora Deus quandoque reuelat Prophetis, minora abscondit.

ta

ra ignorari mysteria absque culpa, nec Christianæ iustitiæ perfectionem consistere tam in scientiæ & notitię multitudine, quàm in charitatis magnitudine. Maior enim erat causa & gratia dilectionis in B. Virgine, quàm scientia, ac notitia diuinorum mysteriorum. Deinde propter meritum id factum creditur, vt videlicet nostram etiam adhibeamus operam ad intelligentiam diuinorum mysteriorum, & faciamus quod in nobis est: quod euentus rei in B. Virgine indicauit, nam omnia verba illa conseruasse dicitur, scrutans corde diuina mysteria. Paulum etiam voluit Deus Act. 20. in genere quidem scire, vinculis & tribulationibus eum Ierosolymis afficiendum, per ora fidelium prophetantium: sed voluit eum latere quænam illæ forent in particulari. Et hoc est quod dicit v. 22. *Nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem quæ in ea ventura sunt mihi ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur dicens: Quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis me manent.*

Perfectio Christiana consistit in charitatis magnitudine.

Sic Tobiam nostrum voluit Deus latere, exauditas esse eius preces in hunc modum, tùm quòd magis expediret pro instructione nostra, scire quod Deus longo tractu faciat, quæ illicò posset, ad exercendam hominum patientiam, & maius causandum meritum, ac vt insinuet alias esse Dei cogitationes, quàm nostras, aliudque esse Dei iudicium, quàm nostrum. Sancto Antonio vnum Deus oranti aliquando reuelauit, alterum in simili casu celauit. Narrat rem Athanasius Alexandrinus Præsul, in rebus gestis eiusdem Antonij Magni, videlicet, Duos fratres ad Antonium suscepisse iter, sed in via, ex aquæ penuria alterum siti morituum, alterum morti proximum iacuisse defectis viribus. Antonius aliquot inde milliaribus distans, & tùm fortè in rupe considens, duos è suis ad se subitò euocans: Ite, inquit, festinato gressu, & aquæ lagenam deferte: vnus è duobus fratribus huc commeantibus in itinere iam obijt, alter adhuc spirat, sed ægrè, & nisi maturâ ope subueniatis, nec illum viuum reperietis. Hoc mihi oranti iam primùm significauit Deus. Sic ait, & illi vt iussi, mox iter celerarunt; repertum extincti cadauer terræ mandarunt, alterũ fonte refectum sibi comitem iunxerunt. Erat autem iter vnius diei. Hic opportunissimè Athanasius: Fortasse, inquit, aliquis quærat: Cur non antequam alter moreretur, Antonius monuerit? Indigna prorsus Christianis quæstio, quia non Antonij sed Dei iudicium fuit, qui & in morientem, quam voluit sententiam tulit, & de sitiente reuelare dignatus est.

5. Rationes assignantur quare Tobiam latuerit.

S. Antonio vnum Deus significauit, alterum simile & eodẽ tempore celauit.

Denique ideò fortè celauit, quòd illa cogitatio mortis multum boni efficiat. Tunc enim quoad proximũ solent viri sancti etiam moribundi suorum curam magnam gerere, & officij sui suprematn habere memoriam. Sic Isaac Genes. 27. v. 1. ea de causa cogitabat benedicere Esau. Iacob. Genes. 29. multa prædixit numerosæ filiorum soboli scitu vtilia, Moyses Deuteron. 31. & 33. Israëlitis; Iosuæ cap. 23. suis, Dauid 3. Reg. 2. filio Salomoni, Matthathias 2. Machab. 1. vir zelator, & paternę religionis amator grauem ad filios, qui eiusdem erant cum patre ardoris & zeli, in angusto rerum discrimine, ad filios orationem habuit doloris plenam, quem ex patriæ templique conculcatione conceperat, sustinens suo & suorum nomine, occasione datâ, à paternis legibus non esse recedendum. Paulus moriturus instruit Timotheum, 2. ad eundem cap. 4. dicens: *Tempus resolutionis meæ instat, bonum certamen certaui*, &c. *Festina ad me venire citò*, vt videlicet in vinculis ab omnibus penè desertus, & iam moriturus tibi vni publica Ecclesiarum negotia, aliáque quæ scriptis mandare nec possum, nec audeo, commendem; vtque fideles Romani nullam in morte mea turbationem patiantur, sed à te consolationem, robur, animosque capiant, Ita Chrysostomus hom. 10. vbi sic ait: *Idcirco illum vocat ad se, cupiens antequàm excederet vitâ, plurima fortasse illi commendare, idcirco ait: Festina ante hyemem venire ad me, Demas me deseruit diligens hoc seculum. Non dicit, vt te videam prius quàm de hac vita migro, quod certè maximo illi mœrori erat: sed quia solus sum, inquit, neminem habeo adiutorem in Euangelio.* Sanctus Ioannes quoque Matth. 11. in vinculis existens misit incredulos discipulos ad Christum, vt rogarent eum, *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?*

6. Viri sancti morituri sollicitè curam suorum gerunt.

Varia huius rei exempla.

Tobias noster ratus sibi mortem instare, huic rei omnem operam impendit, sciens quod Deus extrema maximè iudicet, & coronet. Neque deterrebat eum, quod antea sufficienter instruxisset. Sciebat enim parentum documenta & monita obliuionem filiorum aliquando deterere: ea verò, quæ ægro spiritu, & examinatâ voce vicini iam morti commendant parentes, non ita excidere; sed ea, quia postrema, & ex cordato affectu, plus habere ponderis in filiorum animis. hinc illa profert: *Audi Fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum construe*, seu, Attende ad ea, quę dicturus sum, & tanquam magnarũ rerum operum fundamenta iudica, Fili mi, quæ tibi iam præscribo. Et primùm sepulturam corporis sui vnicè illi commendat post mortem, tùm quòd vellet existare documẽtum hoc infixum filij, posterorumque memoriæ, vt constaret quanti ipse fecisset funebri officio operam impendere, vt etiam oblatum sæpè vitæ periculum illum non deterreret;

7. Tobiæ moribundi ad filium monita.

Quare Tobias à filio voluerit sepeliri.

teneret, ac posterorũ pietati in mortuos seriò cautum esset: tum etiam quod nollet, post mortem cum idololatris habere commercium, quod nõ videbatur assecuturus, nisi sepeliretur à filio, quem patriæ legis studiosum nouerat, neque permissurum vt in ipsius funere, sacrisque parentalibus ceremoniæ adhiberentur gentilitiæ, quas induxisset dæmon, aut quæ in dæmonis cultum ipso suadente dæmone homines instituissent. Horrebat enim annua sacra pro mortuis à gentibus instituta, nullatenus volens ea vir religiosissimus ad sepulchrum suum adhiberi; sed imitatus exemplum Iacobi Genes. 49. qui noluit in Ægypto sepeliri, & Ioseph, qui sua ossa transferri iussit in terram Chanaan, vbi sacrificia futura sciebant pro viuis & defunctis: eadem de causa voluit filium cadaueris sui curam habere, vt vnum seriò caueret, alteri quam posset operam impenderet.

8. *Matribus honorem debere filij & quare?*

Matri insuper honorem deferri voluit à filio non solum ante coniugium, sed etiam post coniugium, seu omnibus diebus vitæ suæ, in ijs, quæ Matrimonio non officiunt. Quare autem honorare eam debeat, rationem addidit, quod propter ipsum longa pertulerit fastidia, & grauia tam in vtero, dum incluſus lateret, quàm in partu, dum viscera discumperet, adierit pericula. D. Ambrosius in caput 2. Lucæ ad verba, *Et erat subditus illis.* Tu, inquit, *matri debes pudoris iniuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui misceas in ipsis voluptatum fructibus maius periculum est. Et cùm ediderit, quod optauit, partu absoluitur, non timore.* Vide quæ dixi de periculis in vtero, quæ subit mater, Disc. 3. in IV. Præceptum n. 4. Præter illa, quot sunt animi fastidia & corporis incommoda? docet id Aristoteles lib. 7. de historia animal. cap. 4. quales sunt oculorum caligines, capitis dolores, nauseæ, vomitiones, enati in corpore tumores, & alia plurima, quæ durè afficiunt debilem fœminarum sexum. Neque rarò fœminæ à fœtu mors accidit, si ipsum in vtero, quòd frequenter assideret, mori contingat, quod eodem loco docuit Aristoteles: nam quod in ipso pariendi nixu matres intereant, quotidie videmus, & quod Rachelj accidit Genes. 35. cui Beniamin fuit Bennoni, id est, filius doloris, quem etiam filium mortis appellare potuisset, id complures aliæ in omni ætate facere possent illud idem nomen, quod habuit à matre Beniamin.

Matrum quantus dolor in conceptu, & partu filiorũ.

9. *Alia dantur rationes, quare filius honorare debeat matrem.*

Quamuis has autem dumtaxat rationes in medium produxerit Tobias, quæ vel homini ferreo mollis, obsequentis & affectuosi animi natæ sint dare causam, tres nihilominus non grauabor annectere, quæ filium cordatum omninò emollient. Prima est, quam Ecclesiasticus adfert cap. 3. v. 7. *Qui obedit patri, refrigerabit matrem*, id est, Qui obedit patri, conabitur etiam matri obtemperare, & matris refrigerio obedientiam patri præstabit. Et v. 3. *Deus, &c. iudicium matris exquirens firmauit in filios*, hoc est, præcepta iussaque matris, ipse Deus suo præcepto rata fecit, diuinam illis auctoritatem concedendo. Altera, quam habet ibidem v. 5. quod multiplex benedictio illi accedet, in verbis: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam*, seu congeret sibi thesauros qui matrem honorat. Tertia ibidem additur v. 11. nempe quod filiorum rebellio matris causet maledictionem valde nociuam: *Maledictio autem matris*, inquit, *eradicat fundamenta*, seu ita illum perdit, vt neque melioris fortunæ relinquãtur vestigia, aut posteritatis vlla successio. Vide de ea & simili maledictione, latè discussa Disc. 11. in VIII. Præcept. à n. 7. Omitto quod Prouerb. 30. prædicit Sapiens, *Oculum, &c. qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.*

Deinde voluit Tobias à filio, vt vxor eodem secum conderetur tumulo, quæ consors illi fuerat exilij & laboris. In eo præclarum edidit coniugalis fidei & legitimi amoris argumentum. Quod fecêre ex profanis non pauci, qui noluerunt separari tumulo in morte, quos coniugale fœdus, vitos, & genialis thori fides sociauerat. Ex sacris fecerũt Israëlitici generis antiqui parentes, à quibus hoc didicit, & illorum adductus exemplo, hoc idem faciendum curauit Tobias. Qui sæpè legerat, aut audierat illud Iacobi iam mortì proximi, vbi docuit antiquos Patriarchas eodem cum vxoribus tumulo concluſos. Sic autem Iacobus, Genes. 49. v. 30. *Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, &c. quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius, ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet.* Quare sicut parentes suos Iacobus cum vxoribus sepultos esse nouerat, sic ille ab vxore Lia separari noluit. Ad hæc exemplum præbuit filio, ne propter matris intollerandam blasphemiam, quam aliquando effutierat in patrem, ipso mortuo eandem contemneret, quandoquidem ipse perpetuâ obliuione hanc in corde sepelierat, non ignorans quàm difficilè incommoda huius sæculi, præsertim multa simul concurrentia neque ferre solent, neque possint fœminei pectoris angustiæ. Eheu quot sunt filij, qui exemplo patris, ne dicam verbo eius, instructi, fastidiunt matrem! quod suo malo experientur quàm Deo inuisum.

10. *Coniugalis fidei signum commune sepulchrum.*

CAPI-

CAPITIS QVARTI

VERSVS VI.

Omnibus autem momentis vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei tui.

PARAPHRASIS.

Vers. 6. Post sepulturam honoremque matris commendatum, admonet optimus pater eum, ne quid vnquam contra Dei placitum ad animum admittat, sed illi curæ vnicè sit, & continenter inuigilet, vt præsentem vbique credat Deum, neque quidquam nostrum quantumcumque occultum diuinos oculos latere posse, vt sic in ipsius factis & cogitationibus nil deprehendat Deus quod improbet, aut damnet.

SECTIO SECVNDA.

Quo modo & quare oporteat Deum semper habere præsentem.

1. *Primus & summus perfectionis gradus quis.*

DOMINVS dixit ad Abrahã, Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Tobias idem alijs verbis videtur præcipere filio. Perfectionis autem tres gradus assignari possunt. Primus & summus est eorum, qui ita Deũ amore prosequuntur, vt sine intermissione per contemplationem & amorem ei inhæreant, quæ perfectio ita solis beatis competit, vt nemo in hac vita, ad eam aspirare queat: vnde de Ioanne Baptista (qui tamen omnibus mortalibus in sanctitate erat prælatus, iuxta illud Christi Matth. 11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.*) Nihilominus dixit Saluator, Qui autem *minor est in regno cælorum, maior est illo.* Ioannes angelus deserti qui neque manducauit neque bibit, nullus est respectu beatorum. Ad eundem respexit Philip 3. D. Paulus, cùm ad Philippenses scribit: *Non quod iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem si quo modo comprehendam*, &c. Hoc dicebat ille, qui omnia arbitrabatur vt stercora, vt Christum lucrifaceret: idque propter Philippenses, qui nimium sibi tribuebant, quasi iam perfectionem christianismi adepti essent, quasi dicat, O Philippenses, discipuli mei, nolite altum sapere, nolite putare vos apprehẽdisse culmen tum cognitionis & doctrinæ, tum iustitiæ & vitæ Christianæ: ecce ego qui vester sum magister & Apostolus, qui tot iam annos perfectioni huic tàm impensè studuit confiteor, & assero me necdum hanc perfectionem apprehendisse, me adhuc illam currendo persequi, & dubitare an eam omni meo cursu & conatu tandem comprehensurus sum.

2. *Secundus perfectionis gradus.*

Secundus gradus est eorum, qui sic amore Deum prosequuntur, vt quamuis propter vitæ huius necessitatem interrumpant aliquando Dei actualem amorem, tamen conantur frequenter posthabitis curis ei operam dare. Quod est perfectorum in hoc mundo, de quorum numero & illi sunt, qui nullum peccatum veniale committunt, licet ab actu diligendi cessent, quod nemo cum ordinarijs & communibus gratię diuinæ subsidijs, seu absque speciali Dei munere in hac vita præstare potest, aut potuit.

3. *Tertius perfectionis gradus.*

Tertius gradus est eorum, qui ab hac perfectione remoti nullam tamen rem Deo & amicitiæ eius antepõnunt, sed illum habent sibi propositum, tanquam vltimum suum finem; & hanc perfectionem omnes Christiani colere tenentur, cùm omnes teneantur obsequi diuinis mandatis, & peccata mortalia fugere, quibus Deo creatura peruersè præponitur. De qua perfectione loquitur Ioannes 1. epist. cap. 2. *Qui seruat*, inquit, *mandata eius, in hoc charitas perfecta est.*

4. *Remedium faciendæ præceptorum Dei, considerato diuina præsentia.*

Ad hanc perfectionem seruandam vrget Filium Tobias, cogitatione præsentiæ Dei cùm addit, *Et caue ne aliquando peccato consentias & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Hæc enim verba eundem sensum habent, quem verba Ioannis Apostoli. Facile autem seruat Dei mandata, qui præsentem Deum vbique sibi persuadet. Id testatur Psaltes psalm. 118. *Seruauí*, inquit, *mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Optima hinc est admonitio Clementis Alexandrini lib. 3. pædagog. cap. 5. *Oportet*, inquit, *domi, parentum & famulorum pudore affici: in vys autem, eorum, qui fiunt obuiam in solitudine, sui ipsius; vbique autem, Verbi, quod est vbique. Hac enim solùm ratione fit, vt quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi*

semper

semper adesse existimet. Concinit Philo Hebræus in lib. de Virtutibus, & legatione ad Caiū: vbi locutus de nomine, *Israel*, quod interpretatur, *videns Deum*, docet, singulare remedium ad peccata omnia euitanda habituros, qui se in Dei conspectu degere perpetuo contemplentur: *Res*, inquit, *vt mihi videtur, pluris æstimanda, quam vlla opes, vel priuata, vel publica. Nam si seniorum, aut præceptorum, aut magistratuum, vel parentum aspectus mouet ad reuerentiam & modestiam; & sua præsentia, vitam moresque corrigit: quantum putamus ad honestatem, virtutemq; præsidium conungere animæ, si emergens super omnes creaturas, Deum increatum spectare didicerit?*

Memoria præsentiæ Dei deterret à peccato.

D. Basilius Reg. 5. ex fusiùs disputatis eleganter idipsum declarat argumento fabri: *Vt enim faber*, inquit, *ferrarius, verbi gratiâ, quandocunque dolabram aliquam siue asciam cudit, si assidue illius memor sit, vnde instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præscriptam sibi ab illo formam & magnitudinem animo versat, & ad eius voluntatem eius qui condixit opus dirigit quod facit: alioquin si eius memoriam menti sibi patiatur excidere prorsus aut aliud quippiam omninò, aut longe dissimile efficiet ab eo, quod facere instituerat: sic Christianus quoque, si actiones suas omnes, siue minores siue maiores ad Dei voluntatem direxerit, is sine controuersia, & egregiè opus illud perficit, & simul assiduam eius in animo sibi memoriam conseruat, à quo id iussus est facere: vereq; illud dicere poterit, prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris mihi est ne commouear, itemq; Pauli præcepto illi satisfaciet: Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Quod si quis in eo, dum opus administrat, à perfecta illa præscripti mandati norma desciscat, hunc perspicuum est, debilem Dei memoriam retinere.* Et hinc Dominus Abrahamo dicebat, *Ambula coram me, & esto perfectus*, & Abraham dicebat, *Dominus in cuius conspectu ambulo*, Genes. 24. & Elias, ac Elisæus dicebant, *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto.*

Probatur elegans similitudine fabri ferrarij.

5.

Hebr. 4. Apostolus Paulus hortatus Hebræos ad constantiam in fide Christi, vt per Christum in requiem æternam admittantur, duobus argumentis eos vrget. Primùm exemplo Iudæorum, qui ob incredulitatem è Chanaan exclusi sunt: *Festinemus*, inquit, *ingredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.* Hebræi maxima parte ex Ægypto in Chanaan confecta, cùm iam Chananææ vicini essent, ob exploratorum tristia & timida nuncia Deo diffidere cœperunt, voluerunt̃que reuerti in Ægyptum; vnde Deus iratus eos per 40. annos circumduxit in deserto, vt omnes morte consumeret. Idem hic minatur & intentat Apostolus Hebræis ad Christum iam conuersis; scilicet eos, nisi in fide Christi perstitant, omnesque tentationes, terrores, & persecutiones supetent, cælo excludendos esse, si videlicet persecutionum metu à Christo ad Iudaismum desciscant. Secundo argumento quod Deus, qui incredulos punire valet, omnia quantumuis abditissima & intima videat, penetret, examinet, iudicet, & vindicet. *Viuus est enim*, inquit, *sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.* Sensus est, Quidquid Dei filius promisit, & comminatus est incredulis per os & sermonem Dauidis, Prophetarum & Apostolorum, id certò, & efficaciter præstabit suo sermone, decreto, & iussu. Est enim ipse sermo omnipotens, viuus & efficax, vt incredulos & rebelles occidat, damnet, & crucier pœna viuaci in æternum; fideles verò præmiet, & saluet, vt viuant & regnent in æternum. Ipse omnia penetrat, criticus est Christus, iudex & censor cogitationum & intentionum cordis; scit & perspicit quid quisque cogitet & velit, & quo fine; perspicit fundum animæ nostræ, vti nos perspicimus lapillos in fundo limpidissimæ aquæ iacentes, perspicit, inquam Christus intima nostra desideria, hoc fine vt ea iudicet, & præmiet, aut puniat & vindicet, verbi gratia, vt vos, ô Hebræi, si in fide sua persistatis, glorificet; sin metu persecutionum ab ea deficiatis, etiam per latentem vel occultam, tantum diffidentiam, apostasiam, vel incredulitatem, damnet & reprobet.

Christus iudex & censor omnium cogitationum, & operum nostrorum.

6.

Censuit hoc dicendi modo Apostolus præsentiam & omniscientiam Dei, magnum esse stimulum, vt vnusquisque sese compescat ab occultis etiam & mentalibus peccatis & desiderijs prauis, vt que bonis & sanctis cogitationibus, & studijs semper insistat: *Oculos Dei simul vniuersa cernentis*, inquit S. Augustinus serm. 2. de tempore, *non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec solum ea acta & cogitata, verum & agenda & cogitanda sunt cognita. Ista vera scientia summi iudicis, iste est tremendus aspectus, cui peruium est omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura clarēt, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.*

Præsentia Dei debet compescere homines à peccando.

Gentiles idipsum agnouerunt. ita Thales septem Græciæ sapientum sapientissimus dicebat, homines sibi persuadere debere, Deos omnia cernere, deorumque omnia esse plena, vt coram ijs castè & sanctè viuant. Idem rogatus, num facta iniqua Deos laterent, respondit, Ne cogitata quidem: secretis enim cogitationibus cæleste numen adest, & interest. Homerus quis sit Deus, ita definit:

Gentilibus non incognita fuit Dei omniscientia.

ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.

Est sol qui omnia videt, & omnia audit.

Deus est sol omnia illustrans.

Nimirum, vt Sapiens ait: *in omni loco oculi*

Mauden in Tobiam.

Domini contemplantur bonos & malos, Prou. 15. v. 3. & cap. 16. v. 2. *Omnes vię hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.* Hinc Ægyptij pingebant Deum, quasi oculum baculo innixum, vt significarent Dei omniscientiam, & prouidentiam, peruigilemque curam, quasi pastoralem. Sic Osirim Deum suum pingebant, quasi sceptrum, habens in se oculum insculptum, ait, Macrobius lib. 1. cap. 21. Sceptrum significat dominium & potestatem regiam, oculus omniscientiam. Vnde & Græci θεὸν ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι, id est, à videndo nominant. Hinc & Ieremias cap. 1. vidit Deum, quasi virgam vigilantem. & cap. 32. sic de eo pronuntiat: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu: cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinuentionum eius.*

7. *Oculus Domini saginat equum, & agrum.*

Vtinam hos Dei oculos semper intueamur. Scribit Plinius lib. 18. cap. 6. *Oculum Domini maiores dixerunt, fertilissimum esse in agro.* quia qui agrum suum crebrò inuisit, fertilitatem illi affert. Pari modo Dei oculus & intuitus, si semper cogitetur, fertilitatem affert animæ bonorum operum. Narrat Plutarchus lib. de Liberis educandis, eleganter dictum ab equisone, *nihil perinde saginare equum, vt Regis oculum*: sic nihil perinde saginat animum, quàm Dei oculus & circumspectio semper obuersetur animo. Admirandus in hoc Rex Dauid: regiorum quidem negotiorum pondere premitur, & tamen in hoc vno est assiduus: *Oculi mei semper ad Dominum*, Psal. 24. perinde atque si dicat: vix mihi quidquam abit temporis, quo non meminerim præsentis Numinis. Et affirmatius longè de seipso testatus: *Prouidebam*, inquit, *Dominum in conspectu meo semper*, Psalm. 15. assiduus mihi in oculis est Deus. Admirandus Enoch, admirandus Abraham simul & Eliæus: *Viuit*, inquit, *Dominus, in cuius conspectu sto.* 4. Reg. 3.

8. *Cogitatio præsentiæ Dei plurimùm ad sanctitatem vitæ euexit.*

Hæc cogitatio; vnicum istud, quod Deus omnia videat, innumeros ad illustrem vitæ sanctitatem euexit. Primus & Martyr, & Virgo frater Caini Abel, ex hac vna præsentiæ diuinæ notitia, ad omnem virtutis cultum profecit. clarissimus testis Iosephus l. 1. antiq. c. 3. initio: *Abel*, inquit, *iustitiam colebat, & omnibus actionibus suis Deum præsentem ratum, virtuti operam dabat.* Hic te verbulo monuerim: in Biblijs, *ambulare cum Deo*, non aliter explicandũ, quàm Deum vbiq; præsentem iugi memoriâ prosequi, neque enim solemus aut possumus cum alio, nisi cum præsente ambulare. Hinc nobile illud priscorum Patrum encomium, *cum Deo ambularunt.* Post mundi originem laudatissimus Enoch, *ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit illum Deus.* Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, *cum Deo ambulauit.* Hoc ipsum Abrahamo iam nonagenario præcipitur: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Moyses ille Deus Pharaonis, qui & Numini à secretis consilijs fuit, dux infiniti populi, vatum maximus, non aliare magis diuinam in se liberalitatem emeruit, quàm assiduâ diuinæ præsentiæ veneratione. Paulus id affirmans ad Hebr. 11. air: *Fide reliquit Aegyptum (Moyses) non veritus animositatem regis, inuisibilem enim tanquam videns sustinuit* Hoc illi assiduè in mente fuerat, *Deus videt omnia.* Hinc tantarum molestiarum patientissimus, inuictus perseuerabat. Rex Ezechias (liceat dicere) hac arte vnà, quindecim vitæ annos à Deo emendicauit, in paucis persuadens quod rogabat: *Obsecro Domine*, inquit, *memento, quaso, Isa. cap. 38. quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Iob cap. 31. vbi multa recenset, & numerando confirmat quæ in florenti, integraque fortuna religiosè fecerit ac piè, præsertim quoad castitatem, subiungit: *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Quasi diceret, Dei præsentiam vbique præsentem credens, seuero etiam supplicio mihi interdixi fœminarum aspectum, ne vel tenui cogitatione maculatam animam, *Obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti.* Certè Iosephum non aliud continuit in summa puritate & innocentia, ne solicitatus à domina, thorum alienum violaret, quàm Dei cogitata præsentia: *Quomodo*, inquit, *possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Genes. 39. cap. Susanna castissima extremis angustijs conflictabatur; hinc probrosum facinus, illinc, ni consentiret, mors ei certa sic imminebat, vt exclamarit: *Angustiæ sunt mihi vndique*; Assentior? lethali me noxâ obstringo; Resisto? capitis supplicium incurro. Et quomodo tandem ex his syrtibus est eluctata? Ante Deum se stare cogitauit. Deum præsentem & sui certaminis spectatorẽ est intuta, inde tantum criminis horrorem hausit, vt in liberrimam hanc vocem proruperit: *Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* vos quidẽ pomarium clausum nullum hîc arbitrum, à nemine vos videri dicitis: at, *Deus videt omnia*; malo subire mortem, quàm Deum omnia cernentem offendere. O voces cœlo inscribendas, vt quemcumque carnis lasciuiâ vellicare cœperit, cœlum suspiciat, istudque legat: *Mori malo, quàm peccare in conspectu Domini; Deus videt omnia.*

Ambulare coram Deo, quid?

Genes. 5.

Gen. 6.

Genes. 17.

Daniel. 13.

Susanna dubia, se angustiam præsentia Dei minùs curat impurus Iudices.

9. Captiui Hebræi non solùm ob mœstitiam suspenderunt citharas suas in ramis arborum; sed etiam ne obsequerentur Babylonis audire & irridere cupientibus sacros hymnos, quos in celebritatibus Domini Cantare soliti erant; sed etiam per iuramentum execratorium

rium impretiabantur sibi, vt manus, quâ pulsari solet cithara, exaresçat, & lingua, quæ cãtui deseruit, adhæreat immobilis faucibus, si vnquam obliuiscerentur patriam, & in signum obliuionis pulsarent citharam, vel canerent canticum Domini in terra aliena. Sic enim aiunt: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea; Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ. Memor esto Domine filiorum Edom, in die Ierusalem.* Per Hierusalem enim, locum sacrum, recogitabant Dei præsentiam. Id autem altè animo imprimere, & in laboribus roborat, & in molestijs atque doloribus erigit mirificè. Eò quisque contentius laborare solet, quò plures habet, & nobiliores sui laboris spectatores. In Hierosolymorum obsidione, nulla præmia Romanos æquè in hostem animare potuerunt, atque Titi Cæsaris in bello præsentis oculi. Fidem facit Iosephus his verbis lib. 6. c. 8. de bello Iudaico: *Romanos hortabatur consuetudo vincendi, & quia vinci non assueuerant. Ante omnia verò Titus, semper, vbique præsens. nam & inertia, spectante atque opitulante Cæsare, grauissimũ facinus videbatur, & ei qui benè decertasset, testu aderat, qui rependeret præmium. Præterea fructus erat, vel cognosci solum Principi, virtutem fortem. idcirco multorum maior virtus & viribus alacritas demonstrata est.* En oculus Domini faginat equum: En oculus Titi magnanimos facit milites, qui velut viri ferrei, stant inexpugnabiles. Potuerunt hoc oculi Titi Cæsaris? multò magis id poterunt oculi præsentis vbique Numinis: De Iuda Machabæo, eiusque copijs sacra historia hoc prodidit, 2. Machab. 15. *Erant manus quidem pugnantes, sed Dominũ cordibus orantes prostrauerunt non minus triginta quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati.* Vicerunt quia Deum sibi præsentem fecerunt precando: & hæc illis cogitata præsentia Dei, famem, sitimque, fatigationem & puluerem, vulnera, plagas, mortis pericula, facilia omnia reddidit. Quod si milites hi inter tubas & tympana, inter armorum fragorem, inter vulneratorum, cęsorum, morientium clamores, & vlulatus, ita sibi Deum statuerunt præsentem, vt eius præsentiâ magnificè delectarẽtur: nos quoque vel in turbatissimis etiam negotijs, præsentis Dei meminisse poterimus, si velimus. Proinde, si quis adeò delicatâ & parcente manu laboret, similis somnum meditanti, elumbis, lentus, fractus & oscitans, non immeritò illum proximus quisque sic extimulet: Quid agis ignaue? vbi manus, vbi opus tuum? num ideò sic solutè & segniter, sic remissè & perfunctoriè laboras, quia te solum putas, & à nemine videri? ——*Sed Luna videt, sed sidera testes.*

Intendunt oculos: ——

Mauden in Tobiam.

Memoria præsentia Dei in laboribus roborat, & in molestijs, atque doloribus erigit.

sed vident Angeli; sed videt Deus Dei oculos non reformidas? nõ te pudet, spectatore Deo, eò languoris prolabi, vt instar brutæ pecudis, non festines nisi ad quietem & somnum?

10. *Ad omne facinus acer stimulus oblitio Dei præsentiæ.*

E contra vnicus hic est, & ad omne flagitium acerrimus stimulus, credere se non videri, teste Propheta Psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt via illius in omni tempore: auferuntur iudicia tua à facie eius.* Et Psal. 72. *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiit in terrã, &c. Et dixerunt, Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Tales fuerunt illi Susannæ insidiantes, de quibus dicitur Daniel. 13. *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Et rursum, *Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt: assentire nobis.*

11. *Vnica peccantiũ excusatio & asylum, putare se non videri.*

Intuere nunc quosuis Dei legem præuaricantes, & deprehendes hoc præcipuum peccatorum asylum. Prodeat in medium Cain, & interroga eum, qui ausus fuerit fratrem interficere, & dicet: *Numquid custos fratris mei sum ego?* Sic Deo respondit, quem latere credebat scelus, cuius sanguis in agro effusus flagitabat ab eo vindictam: *Vox sanguinis fratris tui,* inquit Deus, *clamat ad me de terra.* Sorte quæsitus Achã succedat. Is occultè furatus est de ijs, quæ Deus sibi reseruarat; quære quomodo ausus fuerit de anathemate contingere; dicet, existimabam me non videri. Sic sacrilegi omnes. Interroga furem, idem respondebit. Adulterum adi, & quære: Tune alienam domum inuadere, coniugem non tuam violare impurissimè? si Deum non metuis, etiam magistratus vindictam negligis? trepidè respondebit: Putabam, neminem huius fore conscium. Prouerb. 7. mulier quædam præsenti viro obedientiam præstabat; absenti insidias struebat. Nam ad fidem thori violandam, ex viri sui absentia inducebatur, dicens: *Non est enim vir in domo sua: abijt via longissima.* Quasi non tam Dei iniuriam, quàm viri notitiam præcaueret; in publico ad minimam culpam timida, in occulto ad omne facinus temeraria. Sed & ad plures te mittam. Accede silentio, improbissimi oris hominem, & dum Dominum suum diris omnibus execratur, interroga: In quem hoc linguæ vitus euomat? territus dicet: credebam me solum esse, & à nemine audiri. Hæc via ad inferos rectissima est, ita viuere, tanquam si nullius oculo notetur, à nemine videatur. In huiusmodi homines sic tonat Isaias vates cap 29. *Væ qui profundè estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos, & quis nouit nos? Peruersa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutũ contra figulũ cogitet; & dicat opus factori suo, Non fecisti me, & figmentum dicat*

Huiusmodi grauiter increpat Isaias.

fictori suo: Non intelligis. Nonne adhuc in modico, & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur? Id est. Væ illis qui sua consilia sic putant esse abdita, atque profunda, vt diuinos oculos atque sapientiam lateant. Quique cùm in occulto, & latebris suis moliantur opera, eò prouehuntur stuporis, & insaniæ, vt secum ipsi dicant, Quis videt, aut quis nouit nos? Impia hæc est atque stulta cogitatio, de Deo sic existimare: cùm ille vbique locorum sit, hominemque vbicumque fuerit, dum conseruat, semper quasi fingat, & creet. Quemadmodum si luteum vas, quo tempore à figulo in rota versatur & fingitur, in formatore suo oculos, ac prudentiam requireret, diceretque. Neque opus manuum tuarum sum, neque, quo me formes, intelligentia tibi, aut artificium est. Vt autem tale luti figmentum dignum esset, quod formator statim abijceret, ac perderet; sic illos Dominus, quorum mentibus cæcus ille stupor insedit, à paterno studio, atque indulgentia repellet. Nam Carmelus, quæ in terra promissionis est, vitæ, atque oliuâ nobilis, in quo Iudæorum populus intelligitur, cui sedula impẽdebatur opera à vinitore Deo, neglectus iam in syluæ similitudinem, atque asperitatem efferabitur. Ita vt Libanus, qui nunc dumo horret, & frutice, cum Carmelo compositus videri possit fructu, atque amœnitate Carmelus; sicut contra Carmelus non iam cultus, sed syluestris, & horridus iure posset appellari Libanus.

Stulti sua consilia occulta esse Domino putant.

Est autem hæc stultorum ignorantia stupenda, & quæ admirationem faciat, quâ putant si scelera aut in tenebris fiant, aut abditis terræ sinubus, latere posse diuinos oculos. In quo errore fuisse plurimos tempore Isaiæ satis locus citatus insinuat & non longè anteà Eccles. 16. *Non dicas à Deo abscondar, & in summo quis mei memorabitur?* Et hanc esse causam indicat Ezechiel cap. 9. cur Israël tot exundarit peccatis: quia sibi persuaserat neque curare, neque videre Deum hominum peccata: *Iniquitas*, inquit, *domus Israel & Iuda magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione: dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram, & Dominus non vidit.* Quæ cogitatio iam antea insipientium hominum animos imbuerat, addiderat que in omne vitiorum genus audaciam. Putabant enim Deum in cælo ita suam sibi locasse sedem, vt cœlestium tantum memor humana aut non videret, aut non curaret. Psal. 49. *Dixerunt, non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.* Idem Iob cap. 22. *Decunt impij, nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat*; Et quæ maior cæcitas? in his præsertim, qui ex Scriptura didicere Deum vbique esse, & complere omnia. Miraculum

Dei oblitio multorum peccatorum causa.

planè stupendum, supplicium summo studio, atque opere formidandum. Audite, qui estis eiusmodi, Regium psaltem: *Intelligite*, inquit, *insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* En, cogitatus tuos nouit, vel latentissimos, & ignorabit ausus & facta? Sed hunc talem tenebrionem, qui humanos solum oculos, amoros à se cupit, diuinos non curat, sic loquentem producit Siracides Eccles. 22. 26. *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus* Impijs his vocibus opponit istas: *Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor.*

12. *Ex cogitationis absentia Dei omne flagitium accendium.*

Hinc omne flagitium accenditur, & animos sumit, dum diabolus ad aures delinquentis suauiter occentat: *Nemo te videt*: Aude feliciter: *Nemo te videt.* ita perge constanter; *Nemo te videt.* ita etiam pergimus miseri, parietes nobis circumdatos iudicamus, vt non tutiùs viuamus, sed vt occultiùs peccemus. quid autẽ prodest recondere se, & oculos hominũ, aurescque vitare? si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cùm tu scias, inquit Seneca epist. 43. Heu stultissimi mortales, quàm hic vltra bestias nihil sapimus! mugiles & lampretæ, pisces marini, qui, Plinio teste lib. 9. cap. 19. & ca. 23. si caput vndis immergant, reliquum corpus patere oculis non putant. Eadem & perdicis ridicula stultitia est; hæc si saluum abscondat caput, iam se credit totam oculis subductam. Eundem hunc lusum & infantes ludunt: ponè ianuam, mantili caput obuoluunt, & licet pedes emineant, à nemine tamẽ se videri credunt, quãdo ipsi vident neminẽ. Tales nos infantes, tales imò bestiæ sumus, modo hominũ oculos à nostro scelere amoliamur, oculos Dei parũ curamus, & sic à nemine nos obseruari credimus. Hinc illæ voces: hoc meus Dominus, hoc parens meus, hoc meus magister non videt, istud ille non resciet, salua omnia. Erras, mi homo, nil saluum illi qui diuinos oculos non veretur, sui sceleris obseruatores. *Neque cogitasti in corde tuo; quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblitus es*, ita per Isaiam cap. 57. queritur Deus. Sensus est licet adhuc taceam, tamen breui vt parturiens loquar, & publicè coram toto mundo annunciabo iniustitiam tuam, tradendo te hostibus, vt omnes videant te ob scelera ijs tradi, & per eos à Deo puniri. Sequitur enim per ironiam: *Ego annunciabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi. Cùm clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura.*

Pisces quidam caput occultant, totum corpus absconditum putant.

Abime-

13. *Vbiq; debet homo cogitare à Deo se deprehendi.*

Abimelechus Rex, cùm Geneſ. 20. reſtituiſſet Saram intactam marito ſuo Abraham, dedit eidem mille argenteos, ſeu mille florenos Brabanticos, in ſignum, quod caſtè ab ipſo eſſet habita, cumque tam ſolemniter & honorificè viro ſuo illam reddidiſſet, dixit ad Saram: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt: & quocumque perrexeris, memento, te deprehenſam.* Itaque ſimulatione ac dolo tuo nihil efficies, quin cognoſcent te vxorem Abrahæ, licet voces eum fratrem tuum. Auro prorſus & cedro ſcribēdum: *Memento te deprehenſum.* Nulla tam abſcondita cogitatio, tam furtiua libido nulla eſt, nullum tam clandeſtinum furtum, quin & illam, & iſtam, & iſtud Dei oculus deprehendat. Quidquid dicas, faciaſue; quidquid vel arcaniſſimi ſecreti etiam cogites, *memento te deprehenſum*: Vbi vbi locorum, & quidquid denique rerum agas; & ſi tam ſolus ſis, vt nec muſca tecum ſit, tamen *memento te deprehenſum*, ab oculo omnia cernente.

Deus in nobis eſt, & nos in ipſo.

Hæc ignorantiæ noſtræ labes eſt ad Deum velut longè diſſitum ſuſpirare. Proximè nos eſt, imò in nobis eſt, & nos in ipſo ſumus, & mouemur, velut piſcis in mari, auis in aere, in circulo punctum, quoquò iſtud ſe mouerit, clauſum eſt, quoquò piſcis natauerit, aquis circumfuſus eſt, quoquò volauerit auis, ab aëre circumtecta eſt. *Deus*, inquit ſerm. 6. de Dedicat. Eccleſ. Bernardus, *vbiq; eſt, non diuerſus, ſed diuerſa diſtinguens: apud homines malos, præſtolans atque diſſimulans: apud electos, operans & ſeruans: apud ſuperos, paſcens, & cubans; apud inferos arguens & condemnans.* Præſentiſſimus eſt, etiam in impijſſimis, & quidem, vt Theologorum ore loquamur, per eſſentiam, per præſentiam, per potentiam ſuam, ſolùm non per ſuam gratiam. Deus cum omni ſanctitate & ſapientia ſua, cùm omnibus ſuis theſauris, æquè totus ac præſens fuit in Iuda Chriſti proditore, quàm in Petro Chriſti defenſore. Miſeri nos & cœci, quàm non cogitamus iſta! momentis ſingulis, diuina manu ſuſtentamur, & quaſi aſſiduè recens creamur, ceſſet Deus, vel puncto temporis benefacere, & omnia, quæ noſtra vocamus, in tenue nihilum euaneſcent. Pulchrè idem Bernardus: *Idcirco*, inquit, *ſicut nullum momentum eſt, quo non fruamur Dei miſericordiâ, ſic nullum ſit momentum, quo eum præſentem non habeamus in memoriâ.* Momento nos Deus, vel ignibus æternis addicere, vel cælo aſcribere poteſt. inſtillet modo vel vnicam ſcintillam lucis, quam gloriæ vocant, & in cælo iam erimus, etſi extra cælum ſimus. Nuſquam à Deo nec latum vnguem recedimus: Et dic, quæſo te, mihi: Si quis ſtaret vndequaque flammis præaltis, & in orbem cinctus, ſciret-

Triplicitèr Deus vbiq; eſt.

Deus iſtis oculis poteſt hominem perdere, & ſaluare.

que, illicò pereundum ſibi, ſi ſcintillâ vel vnicâ tangeretur, quàm parcus ei riſus foret, quàm modeſtus ſe contraheret, quàm pauidus trepidaret? Atqui verè in Deo, igne illo immenſiſſimo ſtamus, mouemur, deambulamus, quidquid rerum agimus, agimus in illo, ab illo vndique circumdari; nec neſcire poſſumus, quod vnicum Dei velle, nutus vnicus, aut in cineres redigere nos, aut ad inferos momento præcipitare poſſit: & tamen cum hoc igne intelligentiſſimo pugnamus, hunc conſpuimus, hunc impio ferro fodimus, hunc nouis quotidie iniurijs laceſſimus, & nequitias noſtras (quo quid dementius?) non obſeruari credimus. Heu miſeri à Deo vndique deprehenſi, tamque motti, quàm inferis vicini, quid compreſſis oculis ruimus cœci in exitium? *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Ah! quàm cautè, & quàm ſubmiſsè ſe gerere par eſt, in oculis tanti Domini, quos nec ad momentum vel exire licet, vel declinare. *Quocumq; perrexeris, memento te deprehenſum.*

14. *Iudæi impiſſimi à Deo deprehenſi.*

Iudæi Ierem. 7 tam erant impij, vt dicerent ſe à peccatis & plagis liberatos eſſe per furta, homicidia, Dei contemptum & idololatriam. Credebant enim ſe ſuâ peruicaciâ & audaciâ vincire Numinis manus, vt vel non auderent, vel non dignarentur tam impios & perditos punire: veluti pueri nequam ſubinde ſuâ proteruiâ quaſi obſtupefaciunt mollis magiſtri clementes manus, vt eos omittat caſtigare præ timore ne fiant deteriores.

Vel potius credebant peccata Deo eſſe quaſi abſcondita, per ſacrificia ex furto oblata; ſed miſeri deprehenſi ſunt à Domino, qui eis reſpondit: *Nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? Ego, Ego ſum: Ego vidi, dicit Dominus*, quaſi dicat. An putatis vos puros, & turos, ſi templum adeatis, ibique ſacrificia etiam ex rapto offeratis, quemadmodum latrones ſpeluncas habent pro refugio? fallimini. Ego ſum, qui vidi ſcelera, quæ ipſi putaſtis vel occulta, vel expiata per ſacrificia in templo oblata. Ego ſum, qui ea annotaui, vt breui ea vindicem & puniam. Eodem loco cùm omnes inſano in idolorum ſtudia ardore, ac cultum ſedulam ac ſollicitam impenderent operam, dicit Dominus ad Propheram: *Nonne vides quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem? Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli, & libent dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent*, quaſi dicat. Nonne vides, quemadmodum in familia tota nemo ſit, qui ſtudij aliquid, atque operæ etiam publicè non conferat in execrandum idolorum

cultum? Vt enim placentæ, ac libamenta alia pro deorum altaribus parentur, filij colligunt ligna, focum instruit pater, mater, quod in farina purum est, ac delicatum magis, subigit, vt placentæ fiant in lunæ, externorumque deorum obsequium. Hæc verò eo studio faciunt, vt ægrè meum afficiant animum, aut faciant dolorem, cui admisceri plerumque solet iracundia. Sed respondet Dominus: *Nunquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? Nonne semetipsos in confusionem vultus sui?* Quasi diceret: Sed longè illi falluntur, cùm iracundia, cui dolor inest, & ægritudo, tangi me posse credunt. Quare ista dolorem mihi non faciunt: me etenim nulli turbant, aut compungunt affectus, sed auctoribus suis confusionem, atque ignominiam pariunt: quæ deinceps pluribus explicat.

Ezechielis quoque cap 8. Prophetam ex electrina specie extensa manus à cincinno capitis comprehensum, sublimemque in spiritu deduxit Hierosolymam, vbi in templo horribilia vidit patrari scelera, quorum Deus voluit illum testem: & ne putarent illi, qui hæc patrabant, occulta esse, aut impunita fore, dixit ad eum Dominus: *Certè vides fili hominis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, vnusquisq; in abscondito cubiculi sui: dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Errant. Concludit enim Dominus, non amplius in vesanum atque inuerecundum genus agendum esse mitius. Malach. 3. quidam existimabant adulteria, periuria, fraudem, & oppressionem mercenariorum, pupillorum, viduarum ac peregrinorum à Deo non considerari, nec punienda fore: sed aliud ostendit: *Accedam*, inquit, *ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum*, &c. Quasi diceret: Nihil me latet, omnia aperta sunt oculis meis. Ego intueor vestra crimina, occultam pollutionem, fornicationem, adulterium, tuam occultam anariciam, praua desideria, vlciscendi cupidines, calumnias, & oppressiones pauperum. Putatis impios non puniendos: ne ita existimetis, licet ad modicum tempus differam iudicium, & vindictam impiorum ex clementi mea misericordia, tamen certò & breui ad illam accedam, eamque peragam.

15. *Omnia peragenda quasi testis adsit.*

Hinc Seneca epist. 25. propè med. rectè monet, *Sic fac*, inquit, *omnia, tanquam spectet aliquis. Prodest sine dubio, custodem sibi imposuisse, & habere, quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices.* Et epist. 11. fine *Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate, etiam secretum suum sanctius faciat.*

Narrat Plinius l. 36. ca. 22. mirum quid de fortunę tẽplo, ex lapide phengite siue sphengite pellucido constructo. Nerone, ait, principe repertus est lapis in Cappadocia, duritie marmoris, atque transluces, etiam qua parte fuluæ inciderant venæ, ex argumento sphengites appellatus: hoc construxit ædem fortunæ à Seruio Rege sacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus clausis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quàm specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa. De eodem lapide Suetonius in Domitiano cap. 14. *Domitianus*, ait, *anxius & solicitus, ne illorum, quos sua credulitate offenderat, coniuratione opprimeretur, porticum, in quibus spatiari consueuerat, parietes sphengite distinxit, vt eius splendore per imagines, quidquid à tergo fieret, prouideret.* Est autem sphengites genus marmoris flaui, quod transparet & pellucet. Spectatur Romæ in templo S. Mariæ in porticu, ex hoc marmoris genere columna dimidiata ad summum altare, colore flauo, parietis rimam obstruens, ac externam lucem, solisque radios, instar vitri splendentis intromittens. Eius generis lapidem habuisse fertur Maximilianus I. Imperat. Huic celeberrimam Germaniæ vrbem ingresso, gratulatum venit magistratus, & Chrysentedon, aureis plenum obtulit in monimentum debiti obsequij. Erat tum Imper. in conclaui, non procul à foro, vbi spectacula parabantur: Digresso inde Magistratu ciuico, initium est datum ludorum equestrium. Aulici famuli plerique omnes huc illuc dilapsi, occupando meliore loco. Secutus Imperator cum paucis, cratere aureo in mensâ relicto, & ianuis per quas transierat, apertis. Iam omnibus in ludos intentis, familiarium vnus in Cæsareum conclaue obrepit silentio, aureos, credo, numeraturus, sed suæ crumenæ. Ergo poculum inuadit, nec parcâ manu extrahit partem aureorum non minimam, ratus se à nemine videri. Interim Imperator Phengiten suum dissimulanter ante se mouet, omnia à tergo videt, & hunc furem. Reditur in conclaue, magna hic omnium exspectatio partiendi muneris. Iubet Cæsar singulos dominorum pro se quemque accipere. Etiam ille, qui antè innocatus venerat, vocatus est, & iussus extrahere, quantum manu prenderet. initio ille modestè tergiuersatus, tandem pauculos aureos verecundis digitis attollit. Hic Imperator: numera fis, inquit, quot traxeris. numerat. Cæsar iterum: Iam, inquit, & illos prome, quos nobis absentibus traxisti: videamus, num antea, an iam fueris cordatior. Fit funus miser, balbutit, contremiscit, vocem vix expedit, mussat, deprecatur. expromit tandem aureos

Phengitis lapidis mira virtus.

Lapidum huius lapidis exempli.

reos è furtiuo ſacculo, & numerat, ſed longè plures ſunt comperti, quos prius clepſerat, quàm quos iuſſus exoerpſerat. Tum Imperator. Tolle, inquit, omne hoc, tuum eſt, ſed ſub oculos meos non redi. Tu ſi ſapis, cùm magnatibus (multò minus cum Deo) non ludis, à tergo etiam habent oculos. Et an neſcis longas Regibus eſſe manus, acutiſſimos oculos, plurimas aures? an neſcis Deum merum eſſe oculum, meram manum? Diſertè Auguſtinus epiſt. 111. *Deus*, inquit, *totus oculus eſt, quia omnia videt; totus, manus eſt, quia omnia operatur: totus, pes eſt, quia vbiq; eſt.* Hoc nempe ſeruulorum linguas & manus coërcet, vt nec floſculum carpant, nec pomulum ex horto rapiant, nec fruſtulum panis ſublegant, ſi nullam ſibi herilis abſentiæ ſecuritatem polliceri queant hinc crebriores querelæ illæ: Dominus meus ſemper mihi à tergo hæret; loco quo minimè formido, deprehendor. Et quis vſpiam vnquam oculos Dei cuncta cernentis euitare potuit? *Deus videt omnia.* Ergo quocumque perrexeris, memento te deprehenſum.

Deus totus oculus eſt.

16. *Furtum domẽſticum per horologium in caligis abſconditũ.*

Ferdinandus I. Imper. mirè delectabatur horologiolis, affabrè factis & rotundatis, erat ei magnus horum numerus, & artificioſa varietas. Fuit vt animi gratiâ loquace hoc auro menſam oppleret, & velut mercem venditurus, ordine collocaret, gratum aulico comitatui ſpectaculum. Vbi ſatis datum oculis, ad colloquium factus ſeceſſus vnus interim non ſpectator tantum ſed emptor, furandi libidine an occaſione impulſus, vnum ex horologijs raptim in caligas abdidit ſagaci manu. Obliquo id oculos deprehendens Cæſar, hominem ad ſe vocatum, vario ſermone ad id horæ detinuit, dum ſonorum illud aurum intra caligas loqueretur, & horam nunciaret. Erubuit miſer vel inuitus, & totam faciem minio perfuſus, ſine voce confeſſus eſt furtum. Cæſar rubore contentus, liberaliſſimâ conniuentia, reum furti abſoluit. Nos huic furi ſimillimi ſumus: quoties nos aut fucata mendacia, aut clanculariæ confabulationes, aut furtiuæ mentis libidines oblectant? miſeri, latere nos credimus. Tandem, tandem elapſâ vitæ horula, horologium noſtrum, noſtra conſcientia loquetur. Oculus Dei non obliquus, ſed rectiſſimus, atque fixiſſimus, in nos aſſiduè intentus, factorum nos omnium conuincet. Quàm hæc deploranda. Oculos hominum tantò magis obſeruamus, quantò minus Dei. Et hoc eſt, ex mente Chryſoſtomi in epiſt. ad Corinth. quod nos in exitium rapit. *Humanis nos oculis commendare ſtudioſiſſimè ambimus, oculos diuinos negligimus, perinde atque nullus ſit Deus, qui nos videat. In ſceleribus* (os illud aureum iure queritur) *Deo contempto homines formidamus; homini præſente nemo fornicaretur, ſed pudore hominum, affectus violentia vinceretur: cùm autem Deum videat, & hoc audemus, & longè graviora. Nonne hoc ſolum ſatis eſſet, quò cœlitus innumeris peteremur fulminibus? Hinc omnia orta ſunt mala, quod in rebus turpibus, non Dei oculos, ſed hominum timemus: nihil eſt apertum, quod non reuelabitur, & occultum quod non ſcietur,* inquit Matthæus cap. 10. Ambroſ. tam hic diſertus eſt, & ſerius, vt ſi quis vllum conſcientiæ ſenſum retinuerit, non poſſit non moueri: *Detur mihi*, ait, *captus adulterina cupiditate intemperantiſſimo æſtu, qui nolit repugnare ſuæ carnis appetentiæ, incurioſus iuſtitiæ, tamen ſollicitus famæ, erubeſcens teſtimonium erroris, qui ipſum non erubeſcit errorem. Si quem ſortè ſpectatorem nouerit facinoris ſui, verecundiâ ſequeſtrat intemperantiam, & pudore inceptum ſcelus deſerit. Ah! quantò magis ſi conſideret plena eſſe Angelorum omnia, aërem, terras, maria, Eccleſias, quibus præſunt Angeli: hominem vereris præſentem, Dei præſentiam non vereris? Sed cùm tibi dicitur, quia Deus nouit occulta hominum, ideò non vis audire, ne incipias ſcire, quod timeas, & timere ne pecces. Sed an putas, quod in lupanari* IN *Chriſtus non videat, quem videt lupanar ingredientem? in flagitio te non deprehendet, quem videt flagitium cogitantem? Sed fas (quod fieri non poteſt) quod nequitias tuas videre noluerit Deus; vidit Belial, vidit legio damonum, qui te impulerunt. Ne putes, quod tibi præſtet colludium ſilentij, qui ſecum habebit conſortium ſupplicij, ſudet plurimus ſui ſimilis videre, & hoc eius eſt gloria, quod plures perdat.*

Obſeruatio oculorum tantùm hominum nos in exitium rapit.

17. *Oculi in omnibus agendis ſemper habendi erga Deum.*

Oculi ergo aſſiduè & ſuauiter in Deum emittendi, & hoc Tobias ſenex filium docens: *Omnibus*, ait, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Hoc Dauid ſe feciſſe gratulatus: *Prouidebam*, inquit Pſal. 15. *Dominum in conſpectu meo ſemper*; nimirum ſaniſſimos oculos habuit rex Dauid. Lippientes ſunt illi oculi, & multo puluere corrupti, qui in vijs, in domibus, in templis, in Angulos omnes emiſſitij excurrunt, & interim mentis oculi, amiſſum Deum non quærunt. Tunc bona eſt actio, cùm manus eſt in opere, oculus in Deo. Multa ſæpè agimus, ſed ignauè & oſcitanter. Oramus; ſed vbi attentio? ſtipem damus: ſed vbi affectus? ieiunamus: & vbi Deo placendi ſtudium? Nimirum vti nos Deum non videmus, ita nec videri nos à Deo cenſemus: ita quædam ſegniter, alia turpiter, & incompoſitè facimus, quia Deum ſpectatorem noſtrum, non aſpicimus. Attende tibi, ô homo, & fixos ſemper oculos intende Deo: *Non prætorit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo vllus ſermo.* Eccleſ. 42. Laſciua cogitas, & non erubeſcis? Deus videt. Impudica loqueris, nec te pudet? Deus audit. illuc rapacem, huc libidinoſam manum extendis, nec cohorres? Deus præ-

sens est; quidquid agas, quidquid cogites, quibuscumque in latebris condas, memento te vbique deprehensum. Hoc vnicum Dorothei præceptum, *Cogita semper Deum præsentem, & te coram illo stare.* Verè, *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Spirituum ponderator est Dominus, omnia nuda & aperta sunt oculis eius.*

Deum ob oculos vbique ponendum. Prou. 15. Hebr. 4.

18. Supremi iudicij die quot abdita peccata, quot arcana scelera, quot monstra noxarum in lucem & publicum protrahentur, quæ nunc aut simulationis mantello, aut arcanâ parietum fide, aut tenebrarum silentio teguntur? omnia Deus audit videtque omnia: & quomodo grauius vnquam delinquat, qui intuentem se Deum non desinit intueri? quidquid agis, ô homo, videri te scias, & audiri. Oculus ille qui videt omnia, & à nemine videtur in lucem olim protrahet, quæcumque arcana & abdita. Hic oculus ostendet quos mortuos nocte sepelierit Tobias. Hic oculus monstrabit, quot palam, quot clam iugulauerit Herodes. Hic oculus pandet Orbi, quis Nicolaus ille fuerit, qui furtiuis beneficijs, pudicitiæ periclitanti alienæ subuenerit. Hic oculus humano generi prodet, non à Iosepho dominam, sed à dominâ Iosephum ad flagitium fuisse inuitatum. Oculus iste declarabit, Elisabetham Vngari Regis filiam, in abdito horti sui angulo, scabiosi mendici caput lauisse. Secretissima omnia ad solem producet hic oculus. Res nunc in orbe geruntur inæqualissimè, subinde etiam iniquissimè: illi ficus deuorant, & accusant istos: reis venia datur, vexat censura insontes; eorui delinquunt impunè, columbæ mulctantur. non latebit, non est occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat. Ideo Christus: *Et Pater tuus, inquit, qui videt in abscondito, reddet tibi. Deus videt omnia.*

Oculus Domini quo modo abscondita censentur, in die iudicij in lucem protrahet.

Luca 8.

Matth. 6.

CAPITIS QVARTI

VERSVS VII.

Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.

Vers. 8. *Quomodo potueris, ita esto misericors.*

Vers. 9. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri stude.*

Vers. 10. *Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.*

Vers. 11. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Vers. 12. *Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna, omnibus facientibus eam.*

PARAPHRASIS.

Vers. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. Postquam Tobias pietatem & obseruantiam in parentes, & Dei timorem ac religiosum cultum commendasset, in pauperes misericordiam & benignitatem similiter commendans, primùm admonet, ne eleemosyna fiat ex rapina, sed ex propria substantia. Deinde monet ne sic in pauperem afficiatur, quomodo in ea, quæ nobis, quia immunda, & turpia, fastidium mouent, & ideo manu, & gestu quasi nauseantes auersamur: sed ad bene de pauperibus merendum sese inclinet, quasi talem gratiam ac beneuolentiam à Deo acceptarus, quali ipse pauperes prosecutus fuerit. Et præoccupans obiectionem, quòd procul esset à voluntate facultas, spondet illi pater, misericordi nunquam deesse de alijs officiosè merendi facultatem, modo voluntas adsit, quam intuetur, & remunerat Deus; adeoque si res illi fuerit angusta, ex ea tamen tenuitate vel duo minuta pro pauperum subleuanda necessitate discerpat, & in quantum copia est auctior, in tantum etiam pauperibus elargiatur. Non enim est sterilis misericordia, sed præstans suo tempore abundè fructum: adeoque certus sit de illorum in necessitatis articulo præsenti subsidio. Habet enim hoc præsidij eleemosyna, quod ab omni peccato & à morte liberet, & ab omni quod ærumnosum est, triste ac sordidum, hominem vindicet. Ad iudicium item bono animo, & confidenti accedet, quicumque talis est, in quo magnum habebit à misericordia patrocinium.

SE-

SECTIO TERTIA.

An de illicitè acquisitis non possit fieri eleëmosyna.

1.

Eleemosyna danda est ex propriis bonis.

DIVVS AVGVSTINVS hom. 43. ex 50. *Talis*, inquit, *debet esse misericordia fratres, qua suscipiatur, non qua repellatur: qua peccata purget, non qua animam grauet, de bono, de iusto labore, de propria facultate, non pauperum egestate.* Hoc primùm inculcat filio Tobias senior: quia nouerat sacrificium ex alieno ingratum esse Deo, & eleemosynam erogatam pauperi, genus esse quoddam sacrificij, iuxta illud Eccles. 35. *Retribuit gratiam, qui offert similaginem; & qui facit misericordiam, offert sacrificium*, id est, Qui pro accepto beneficio rependit gratiam, est velut qui offert Deo florem farinæ: & qui egenti confert eleemosynam, offert sacrificium. Cui cõforme est illud Pauli ad Hebr. 13. *Beneficentiæ autẽ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.*

Eleemosyna sacrificium Deo.

Triplicia sunt bona illicitè acquisita.

Dum autem disputant Theologi, an de illicitè acquisitis eleemosyna danda sit, diuidunt illicitè acquisita in ea, quæ obnoxia sunt restitutioni faciendæ certis personis, aut Ecclesiæ; secundò in ea, quæ obnoxia sunt restitutioni ipsis pauperibus faciẽdæ, v. g. cùm Dominus illorum ignoratur; tertiò in illicitè acquisita, restitutioni non obnoxia, eò quòd non ipsa acquisitio, siue acceptatio talium bonorum illicita fuerit; sed opus dumtaxat, propter quod fuerunt acquisita, cuiusmodi sunt turpia seu sordida lucra lenonum, meretricum, histrionum, & id genus alia.

2.

Species furti est eleemosynam dare pauperibus.

Facta hac distinctione, certum est de illicitè acquisitis, atque obnoxijs restitutioni faciendæ certæ personæ, aut Ecclesiæ, pauperibus eleemosynam elargiri, nefas esse: quia ex alieno liberalem esse, species furti est: vnde non tam placet Deo eleemosyna data ex eo, quod furto, aut dolo alicui sublatum est, quàm displicet illud ereptum esse ab alijs. Hinc Ecclesiasticus 34. cap. existimat perinde esse, atque in conspectum patris adducere exsanguem & laceratum filium, aut offerre Deo in phialis halantem sanguinem pauperis occisi. Sic enim ait: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Quia enim alimento conseruatur vita pauperum, is qui alimenta vitæque subsidia pauperibus detrahit, sanguinem exsugit, & eripit vitam. Hunc locum Chrysostomus de eleemosyna intelligit ex rapina tom. 5. hom. de misericordia, & duabus mulieribus viduis: *Potest ne*, inquit, *ille misericordiæ implere officium, cui pupillorum dulcis est gemitus, & viduarum suauis est fletus, dum præda huiusmodi pascitur. &c. qui etsi pauperi tribuat hoc, magis deterior, si alij tollit, quod alij tribuat, & esurientis pane esurientem pascat, & nudum spolijs vestiat alienis, cùm scriptum sit: Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, sic est, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Et iterum hom. 36. ad populum. *Nihil illâ eleemosynâ pium, quæ cùm è rapina nascatur eleemosyna non est, sed quædam sæuitia, & crudelitas, & in Deum contumelia.* Præclarè D. Augustinus de hac eleemosyna ex aliena substantia, tom. 10. serm. 19. cap. 4. *Ait mihi raptor rerum alienarum. Agapes facio, vinctis in carcere victum mitto, nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te putas, tollere nolis, & dedisti. Cui dederis, gaudet; cui abstuleris, plorat. Quem duorum exauditurus est Dominus. Dicit tibi Deus, stulte, iussi, vt dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo, si non habes quod des de tuo, melius nulli dabis.*

Eleemosyna data ex rapina, sæuitia est, non misericordia.

3.

Siste hîc, mi homo, & reuoca gradum, qui alienum detinens, ipso inuito, & neglecto, eius bona dispensas in vsum pauperum: *De iustis* enim *laboribus*, inquit Augustinus, *iussit (Deus) dari; de rapinis verò prohibuit dari.* Nec te securum redde, nisi Domino rem suam restitueris. Attendant hinc vxores, quæ arbitratu suo, de dote aliisq; familiæ bonis, quorum administratio ad maritum spectat, eleemosynas sine licentia mariti expressa vel præsumpta donare non verentur; Nam ordinariè non licet vxori præter moderatas eleemosynas, spectatâ qualitate status sui, & consuetudinis sui similium alijs elargiri. Id verò illi permittitur ex ea ratione, quòd vxor non sit mariti ancilla, vel famula; sed socia, & domesticæ administrationis particeps, ac quasi compar; vt proinde maritus ea in re inuitus meritò esse non possit. Quia tamen ipsa marito, tanquam familiæ capiti subiecta esse debet, ideò non potest eleemosynas, aliásue donationes superfluas arbitratu suo, & contra mariti voluntatem largiri.

Quando vxores licitè, & illicitè dant eleemosynas.

4.

Excipe nisi bonorum administratio vxori relinquatur, vel quia maritus absens est, vel prodigus, aut mente captus; tunc enim subit eius vices. Rursum excipe, dum opum abundantia, vel pauperum grauis necessitas, aliaue iusta causa postulet, vt eleemosynæ, aliæue donationes, præsertim remuneratoriæ fiant,

maritus

maritus autem ob inaniam, vel imprudentiam intermittat, pro eo vxor facere potest, exemplo Abigail 1. Reg. 25. ad auertenda mala communi familiæ nociua. Reliquos casus vide apud Molinam disput. 274. quid videlicet ex propria patrimonia collectum, in pauperem consanguineum cõferre liceat, aut in vxoris parentes, aut filios ex priore marito genitos miserè victitantes, quando maritus eis succurrere recusat.

5. Dices, Mirum videri, quod Tobias tam strictè velit attendere filium, vt de sua substantia faciat eleemosynam, cùm Christus dicat Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Respondeo id mirum non esse, cùm Dominus non vno in loco hoc præceperit, sed & Prou. 3. v. 9. cùm dicit: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus.* Et Eccles. 34. expressè pronuntiat, *Immolantis ex iniquo oblatio est immunda.* quasi dicat, Duplici nomine Deo displicet, & ratione offerentis, & ratione oblati. Eant nunc, qui existimant per tales eleemosynas Deum posse placari, quasi instar Iudicum quorundam iniquorum, qui vt negligant iustam inferre vindictam, se sinunt etiam iniustæ partis muneribus corrumpi. Hæc insania Iudaica, de qua sect. præcedenti ex Hierem. 7. Neque est, quod aliquis patrocinium sibi sumat de verbis Christi modò citatis: non enim sensus est, ex iniquo licitam esse eleemosynam; sed simpliciter vocat diuitias mammonam iniquitatis, non quod iniustè semper possideantur diuitiæ, sed quia materiam præbent multarum iniquitatum, imò incitamenta sunt ad omnes iniquitates: vel quia iniustè sibi nomen diuitiarum vsurpant, cùm verè diuitiæ non sint, vt S. Augustinus docet, serm. 35. de verbis Domini. Et lib. 2. quæstion. Euangelij cap. 34. quæ expositio confirmatur ex verbis sequentibus. *Si in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis?* Vbi verum opponitur iniquo, quia diuitiæ corporales falsò vocantur diuitiæ, & ideò iniustè nomen diuitiarum gerunt, quod propriæ solis diuitijs spiritualibus conuenit. Vel denique quia reuera vix fieri potest, vt aliquis sine iniquitate ditescat, vt Chrysost. & Hieronymus docent: *Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, & desidera multa nocua & inutilia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem,* vt ait Apostolus, in 1. ad Timoth. cap. 6. Vide aliam obiectionem huc seruientem Disc. 5. præuio in IV. Præcept. num. 7.

Eleemosyna data ex alieno displicet duplici nomine Deo.

Diuitiæ vocãtur mammona iniquitatis, & quare.

6. Pergo ad res malè partas secundo modo; Illę eroguri possunt quidem in pauperes, cùm dominus illorum ignoratur; tamen illa erogatio non est propriè opus eleemosynæ, cùm ex iustitia debita sit; sed potiùs restitutio, teste Gregorio epist. 110. lib. 7. vbi differens de eleemosyna ex lucro simoniaco, inquit: *Neque enim eleemosyna reputanda est, quod ex illicitis rebus accipitur.* Rectè ergo monet Petrus Nauarra lib. 4. cap. 2. n. 60. Etiam in hac distributione bonorum incertorum, quæ ex iuris positiui dispositione, sicuti ex legatorum quæ ex testatoris iussu pauperibus fieri debet, seruandum esse Ordinem Charitatis; ita, vt si qui sint in extrema, vel graui necessitate constituti his præ alijs pauperibus tribuatur; qua in re consultum est prudentis Parochi, vel Confessarij consilium adhibere.

Erogatio rei alienæ obnoxia restitutioni faciendæ

pauperibus non est eleemosyna.

De illicitis verò tertio modo, eleemosyna pauperibus rectè fieri potest, quia dominium sibi acquirunt peracto opere, licet turpi. Attamen Ecclesia talium oblationes ad altare, vel pro Missæ sacrificio non acceptat: partim, obseruandam rerum sacrarum reuerentiam; partim ob scandalum vitandum, ne partem lucri ex his operibus recipiendo, ea approbare videatur; partim ad imitationem legis veteris, qua prohibitum erat Deuter. 23. ne offerretur merces prostibuli in domo Domini, quia abominatio est apud Deum.

7. *Eleemosyna ex lucris turpibus meritoria est.*

SECTIO IV.

Quo casu censeatur quis auertere faciem suam à paupere, ita vt timendum sit Deum auertere faciem ab homine.

GREGORIVS Nazianz. orat. de amore pauperum: *Fac, inquit, calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando: nihil enim tam diuinum homo habet, quàm de alijs bene mereri: tibi derelictus est pauper, velut Deo.* Talis in terra Deus fuit Iob. Sic enim ait cap. 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum.* At pauci tales; sed qui vertunt faciem suam ab eo, inuenire est quàm plurimos. Nam verum reperitur, quod ait Prou. 12. Sapiens: *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera impiorum crudelia:* Iustus, inquit, non tantum hominum sibi commissorum curam habet & rationem: sed & iumentorum suorum animas nouit, hoc est, attendit sua iumenta, eorumque habet rationem, sollicitus, ne quid plus æquo exigatur ab eis, & ne quid desit, multò magis ea præstans circa homines sibi subditos, filios, seruos & mercenarios. Contra viscera impiorum (quæ naturaliter sunt ad miserandum prona) adeo vt apud Hæbræos à miseratione nomen acceperint inquit Iansenius, sunt crudelia, vt nullius hominis nedum belluarum miseriâ commoueantur plusque à sibi subditis tum hominibus, tum animalibus exigant, quàm præstare possint, nec tamen vicissim, quæ

Homo dum pauperi ell Deus.

quæ neceſſaria ſunt, liberaliter ſubminiſtrent eis in ſe tantum indulgentes.

2. *Dei incurrit iram homo non ſuccurrens paupertinis ope deſtitutis.*

Contingit autem illud primò, quando quis videt fratrem neceſſe habere, nec aliquem ſuccurſurum, & contemnit illi opitulari, etiamſi abundet non ſolum vltra neceſſaria naturę, aut etiam vltra decentiam ſtatus, ſed etiam quando ex omnibus multa ſuperfluunt. Hoc expreſſit Ioannes 1. epiſt. cap. 3. dum ait: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Educit S. Euangeliſta hanc ſententiam quaſi conſequentiam ex verſu antecedenti: *In hoc ergo cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* quaſi dicat. Si charitas Dei & Chriſtus nos obligat vt ponamus animam pro fratribus, quod eſt difficillimum: ergo multò magis nos obligat, vt illi egenti demus eleemoſynam, quod eſt facillimum. Rurſum quia caſus ille quo obligamur dare animam pro fratribus ratò occurrit, crebrò verò occurrit obligatio leuandi eius indigentiam per eleemoſynam: ſi durum vobis dare vitam, date ſaltem eleemoſynam proximo etiam in graui neceſſitate conſtituto, alioquin in viſcera ſua non admittens miſerorum commiſerationem, ex ijs excludit, & euacuat charitatem. Hæc fuit punitionis Sodomæ cauſa vna, quam allegat inter alias Ezechiel cap. 16. *Ecce,* inquit, *hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, & ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius: & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Qui enim crudeles ſunt in naturam, crudeles quoque ſunt in proximum. Tales illi, de quibus Amos vates Hebræus cap. 6. *Comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*, id eſt, non compatiebantur calamitati & paupertati multorum ſuorum popularium. Sed hinc durum audiuerunt nuntium: *Quapropter*, inquit, *nunc migrabunt in capite tranſmigrantium, & auferetur factio laſciuientium.* quaſi dicat, Optimates illi inter primos capientur ab Aſſyrijs, & quaſi hirci, gregis duces, ducent agmen captiuorum euntium in Aſſyriam, & ſic Deus diſſoluet, & diſſipabit ſympoſia conuiuantium, & compotantium cum deſpectu pauperum.

Immiſericordia fuit punitionis Sodomæ cauſarum vna.

3. *Quanta credulitas miſericordem damnat.*

Ah diuites vobis ipſis largiſſimi, egenis verò parciſſimi! Qualis demum vos exitus manet! Memineritis quæſo, Lazari & Diuitis Luc. 16. Ille ab angelis in ſinũ Abrahæ delatus eſt. Quid diues? *Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno.* Cur damnatus diues? Quia cùm purpura ſe indueret, epulareturque quotidie ſplendidè, pauperi Lazaro in ſqualore iacenti, & panem ſuppliciter petenti, nihil vel rogatus largitus ſit. Imò poſtulanti cum lachrymis micas, quæ cadebant de menſa diuitis, *Nemo illi dabat.* Quam hiſtoriam enarrans Gregorius Magnus: *Nonnulli,* inquit, *exiſtimãt præcepta veteris teſtamenti, diſtrictiora eſſe, quàm noui. Sed hi nimirum improuidâ conſideratione fallũtur. In illo enim, non tenacitas, ſed rapina mulctatur. Ibi res iniuſtè ſublata, quadruplici reſtitutione punitur. Hic autem diues iſte, non abſtuliſſe aliena reprehenditur, ſed propria non dediſſe. Hoc fuit; quod hunc in infernum tradidit, quia in ſua felicitate timidus non fuit. Quia accepta dona ad vſum arrogantiæ inflexit. Quia viſcera pietatis ignorauit: quia peccata ſua redimere, etiam cum ſibi abundaret pretium, noluit,* &c. Quod ſi diuiti, culpæ vertitur in lege veteri, viſcera pietatis non habuiſſe; quid erit in lege gratiæ, vbi charitas, & miſericordia tantopere commendantur? Si in lege timoris qui benignitate caruit, punitus fuit tam inſigni ſupplicio; in lege amoris, quâ digni erunt pœnâ, qui cùm ditiſſimi ſint, ſibi ipſis indulgent, ſuoque ſeruiunt abdomini, nihil interim ad egenorum ſubleuationem conferentes.

Damnatus eſt epulo, quia quæ habuit largitus non eſt indigenti Lazaro.

Ab omni æuo peſſimè audierunt, qui ſuis non tulerunt ſuppetias in afflictione. De amicis ſuis ita queritur Iob cap. 6. *Ecce non eſt auxilium mihi in me, & neceſſaria quoque mea receſſerunt à me.* In eo, inquit, ſum ſtatu, quo nihil reor excogitari poſſe, miſerandum magis: nam omnibus penè membris impeditus, & captus mihi ipſi ſubuenire non poſſum. Alij verò, qui ſuas mihi manus, & operam præbere debuerunt, receſſerunt à me. Imò v. 20. dicit illos idcirco ſe domi continuiſſe, quòd ſtatuerant tam afflicto non ferre ſuppetias, ne ſuarum rerum leuem aliquam facerent iacturam. Contra hoſce & his ſimiles edixit Spiritus Sanctus Eccleſ. 4. cap. *Fili eleemoſynam pauperis non defraudes, & oculos tuos ne tranſuertas à paupere.* & rurſum, *Rogationem contribulati ne abijcias, & ne auertas faciem tuam ab egeno.* Nam, vt ait Iob. loc. cit. *qui tollit ab amico ſuo miſericordiam, timorem Domini derelinquit.*

4. *Grauiter peccat qui inopes duris verbis afficit*

Secundo incurrit indignationem Dei, ſeu facit Deum à ſe auertere faciem ſuam, qui durius tractat inopes. Vnde Siracides Eccleſ. 4. *Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopia ſua.* Quod fit obiurgando: quales multi reperiuntur, qui non modò eleemoſynam pauperi negant, ſed eum etiam contumelioſis verbis excipiunt. talis Nabal, cùm enim Dauid nomine eius pueri dixiſſẽt, 1. Reg. 25. 8. *Quodcumque inueneris manus tua da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid?* non modò nihil dedit, ſed obiurgans v. 10. *Quis eſt,* inquit, *Dauid, & quis eſt filius Iſai? hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt Dominos ſuos.* At contumeliæ in pauperem, in Deum redundant, teſte Salomone Prouerb. 14. *Qui calumniatur egentem,* *Contumelia exprobrat*

Iacta in pauperem, redundat in Deum

exprobrat factori suo Nam *paupertas & honestas à Deo sunt*, Eccles. 11. Vnde contingit eiusmodi homines aliquãdo in pauperiem incidere, iuxta illud Prouerb. 18. *Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Appositè Lactantius cap. 5. Instit. *Animal*, inquit, *commune atque consors esse debemus, vt nos inuicem præstandis recipiendisq; auxilijs muniamus: in multis enim casibus, & incommodis fragilitas nostra subiecta est; sperare tibi accidere posse, quod alteri accidit, ita demum excitaberis, ad opem ferendam si sumpseris eius animum qui opem tuam nunc in malis constitutus implorat. Si quis victu indiget, impertiamur; si quis nudus occurrerit, vestiamus* hæc Lactantius. *Ludit namque*, vt inquit Seneca lib. 5. controu. *de suis fortuna muneribus, & quæ dedit aufert, & quæ abstulit, reddit.* Testis inter multos vnus Belisarius, qui cùm plurimis ex Regum victorijs triumphasset, tandem mendicauit. Extat etiam nunc Constantinopoli columna illa, cui inhærens miserabili voce dicebat; *date obulum Belisario.* Vide Ioannem Græcum auctorem apud Baron. tom. 7. Causam, ex qua hoc plerumque euenit, non siluit Siracides v. 5. *Ab inope*, inquit, *ne auertas oculos tuos propter iram, & ne relinquas quærentibus tibi retrò maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum.* Solent enim pauperes qui eleemosynam quærunt (id enim significat vox *quærentibus*) frustrati spe, retro, quia coram non audent, maledictis incessere diuitem iusta postulata negantem: ira enim commoti, & fame extimulati in verba prorumpunt, prorupturi si possent in verbera in eundem. Sic Dauid frustratus spe accipiendi quod petierat à Nabal, 1. Reg. 25. coactâ suorum manu, pergebat in perniciem totius domus illius: sic enim ipse fatlus est ad Abigail v. 34. *Nisi citò venisses*, inquiens, *in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem:* verum enim est, quod Plautus in Amph.

Fames, & mora bilem in nasum concitant.

Contumelioſi in pauperes, sæpe in paupertem incidunt.

Impretatio pauperis aliquando exaudiatur à Deo.

Hos exaudiri ait Syracides, & mala ipsa persæpe euenire. Exemplum se vidisse testatur Gregorius Turonensis lib. glor. conf. cap. 108. & Vincent. histor. lib. 22. cap. 107. Mendicus enim quidam prope litus stipem efflagitans à nautis, responsum tulit, in naui nihil aliud esse præter lapides. At mendicus si ita est, inquit, vt nihil præter lapides habeatis, faxit Deus vt ita appareat, statimque quidquid ibi esculenti erat in lapidem versum est. Nota hic, ô Christiane, non solum Siracidem agere de maledictione, quam ore proferunt pauperes, sed de illa, quam mouet ipsa amaritudo, in qua pauperes delusi manent, quod optimè confirmatur ex eodem Ecclesiastico cap. 35. *Deprecationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat lo-*

Huius rei exemplum.

qualem gemitum; ac subdit: *Nonne lachryma viduæ ad maxillam descendant, & exclamatio eius?*

Tertiò illi Dei indignationem subrepunt, qui à pauperibus debitoribus, qui soluendo non sunt, rigidè solutionem exigunt. Ob illam causam non admisit Deus, imò fastidiuit ieiunium Iudæorum, vt testatur Isaias cap. 58 *Ecce*, inquit, *in die ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra & omnes debitores vestros repetitis*, &c. *& percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester.* quasi dicat. Ieiunatis quidem à cibo, & carnem maceratis; sed interim rigidè & inhumanè debitores vestros pauperes compellitis soluere id quod debent, etiam cùm non sint soluendo; quorum tamen inopiam grauissimè & attentissimè Dominus consoluit Exod. 22. & Deuteron. 24. vbi seuerè præcipit, quæ hic à Iudæis violata fuisse queritur. Et iuxta Glossam hic, *Qui repetit non habentem, Deo facit violentiam.* Nolite sic, inquit, ieiunare, ne clamor, quo læsa charitate facitis gemere & clamare iniuriam passos & afflictos, cœlos & Dei aures penetret. Hinc Iob cap. 31. dignum sibi barbaræ crudelitatis supplicium imprecatur, si ita cum pauperibus egerit: *Si leuani*, inquit, *super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem, humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cùm suis ossibus confringatur*, id est, Si intentaui minas, colaphum impegi, aut plagam super pupillum à Iudice condemnatum, cùm essem in ea concertatione superior, volo, vt illa manus obrigescat, & torpeat; imo vt brachium confringatur, & humerus à sua sede atque colligatione diuellatur & excidat, neque sit vlla pars, quæ tantæ crudelitati seruiuit, quæ non luat debitas suæ immanitatis pœnas. Hoc dicebat Iob, cùm inter Idumæos vsitatum videret, vt debitores non solum durè, angustè; sed etiam manu crudeliter persequerentur, & affligerent; idque, vt se alienum ab illa tyrannide probaret, quem Dei timor à simili flagitio semper arceret. Nam rationem addens, cur nihil tentare, imò neque meditari auderet, quod in pauperum causa norat à Deo reprobatum iri, subdit: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus* (& in illis ineluctabilem moriendi, necessitatem) *timui Deum, & pondus eius ferre non potui.*

5
Peccant grauiter, qui à paupere debitore omnino rigidè solui volunt.

Qui repetit non habentem, Deo facit violentiam.

Iob ab hoc vitio sua alienissimum.

Attende hæc, mi homo, qui pauperis lectulum, in quo cubat, & quem solum habet corporis sui leuamentum, vendere non veteris, vt pauxillum, quod tibi debet, & non eges, recuperes. Memor esto, quid actum sit Matth. 18. cum duro & seuero exactore, qui impetratâ à Deo misericordiâ, cùm in fratrem debitorem incidisset, tenens suffocabat eum dicens: *Redde quod debes*: sed infeliciori exitu.

6.
Pessimè facit, qui pauperis lectulum vendat vt soluatur.

exitu. Missus enim fuit in carcerem, donec solueret vltimum quadrantem.

Eleemosyna danda est hilariter & benignè.

Discat hîc quoque, cùm eleemosynam, aut beneficium in pauperes confers, hilariter, pacificè, ac demissè te cum illis gerere, non verò tristitiam ostendere, aut contumeliosa verba adiungere beneficio iuxta monitum Siracidis Eccles. 4. *Declina*, inquit, *pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacificè in mansuetudine.* & Eccles. 18. *Fili in bonis ne des querelam, & in omni dato, ne des tristitiam verbi*, hoc est, In beneficiis, quæ alijs exhibes, ne des materiam vt ille de te conqueri possit, neque admisceas eleemosynæ verba iniuriosa, aut improperantia, quæ tristitiam recipienti afferunt: sed Deum imitare, qui

In beneficijs vitanda arrogantia vultus, & tumor verborum.

dat omnibus affluenter, & non improperat. Seneca lib. 2. de benef. nihil æquè in beneficio vitandum docet, quàm arrogantiam vultus, tumoremque verborum. & affert exemplum Caij Cæsaris, qui cùm vitam Pompeio Pæno dedisset, illi nondum absoluto è vinculis gratias agenti pedem sinistrum exosculandum porrexit, quod tam graue visum fuit, vt iudicatum fuerit præstitisse mori, quàm tale in conspectu Principum sustinuisse contemptum. quare *O superbia*, inquit Seneca, *magna fortuna! ô stultissimum malum, quod à* [illegible] *nihil accipere iuuat, vt omne beneficium in iniuriam conuertas.*

Pulchrè in hanc rem Gregorius 19. Moral. ca. 16. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui mox vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largitionis in eos prius contumeliosa verba iaculantur. Qui & si rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt; ita vt plerumque videatur, quia illata iam iniuria satisfactionem soluunt, cùm post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis, quod postulata tribuunt, quia ipso donationis sua munere vix eundem excessum sermonis tegunt. Quibus benè per Ecclesiasticum verbum dicitur, cap. 18. in omni dato ne des tristitiam verbi.* His valde affinia dixit Seneca lib. cit. de benef. cap. 6. *Corripere eum, cui maximè aliquid præstes, dementia est, & inferere contumeliam meritis. Itaque non sunt exasperanda beneficia, nec quicquam illis triste miscendum. Etiamsi quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligito. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, panem lapidosum vocabat.* Vtrumque requirit Siracides in homine fideli: *Nonne ardorem refrigerabit ros sicq; verbum melius, quàm datum. Nonne verbum super datum bonum, sed vtraque cum homine iustificato.* Sæpè accidit, vt bona verba gratius accidant, quàm dona ipsa; æger enim animus consolatione indigus, bonis amici consilijs conualescit, qui nullis muneribus ægritudinem deliniisset: at ne quis putet verbis tantùm in amico facere satis, atque ideò à rebus abstineat, intelligat eum qui verè vir

Eleemosyna mixta verbis iniuriosis vix meritum.

Verba beneficijs coniungi debent cum beneficio.

est, & virtutem quam Deo hominibus debet, profiterur vtrumque exhibere, & res nimirum, & verba consolando quando opus fuerit, & largè etiam quando res feret, subueniendo. Apostolus 2. ad Cor. 9. *Non ex tristitia*, inquit, *aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* quare Ambrosius 1. de officijs cap. 30. *Non satis est benefacere, nisi id ex bono fonte, id est ex bona voluntate oriatur.* & Augustinus in Psal. 125. *Vnde*, inquit, *procedit eleemosyna? de corde: si enim manum porrigas, nec in corde misereris nihil fecisti. Si autem in corde misereris, etiam si non habeas, quod porrigas manu, acceptas Deus eleemosynam tuam.* Omnium elegantissimè Chrysostomus lib. 3. de sacerd. *Si quis*, inquit, *destinatas viduis facultates ne vsurpet quidem, in ipsas autem probra conijciat infinita, contumeliaq; afficiat, atque adeò aduersus eas irritetur, non solùm liberalitate sua natum à paupertate dolorem non leuat, verùm & malum ipsum conuicijs aggrauat; coguntur enim perfrictâ admodum esse fronte ob ventris esurientis necessitatem; verùntamen & dolorem etiam ab huiusmodi vi contumeliaq; concipium, proinde cùm ob inedia timorem mendicare, & ob mendicitatem impudentes esse cogantur, rursus cùm ob impudentiam contumelia afficiantur, multiformi quadam angoris, mœstitia, doloriſq; vi, & qua caliginem vultam afferat, in illarum animum irruit.*

Quartò auertis à te faciem Dei, quando sedulò indigentem scrutaris, an amicus, an inimicus sit; an bonus, an malus. Non enim vult Deus vllum indigentem à liberalitate tua excipi; *Omni petenti tribue*, dicit Luc. 6. Et satis ostendit Luc. 10 Samaritanum illum præferendum Sacerdoti & Læuitæ, quoniam erga Israelitam, quem vt inimicum habebat, misericordiam exhibuit. Imò tam inuisum est Deo ad grauem, aut extremam inopiam redactum, quamuis inimicum deserere, vt iudicium tortoris sibi assumere censendus sit, qui iudice non solum id non iubente, sed etiam prohibente, inhumanitate sua quantum in ipso est, enecat. Apositè in hanc rem Chrysostomus hom. 21. ad Roman. *Quod si perpetuò curiosè scrutaturus es pauperes, fiet, vt sæpenumerò probatum coram Deo virum prætergrediare, mercedemq; quam ex eo habiturus eras, perdas. Atqui etiam hic, qui reprobum recipit, sine culpa erit, imò & mercedem habebit. Prophetam in nomine Prophetæ recipiens, mercedem Prophetæ accipiet. Qui verò intempestiua sua curiositate præcipuum quemquam neglexerit, pœnas etiam dabit.* Et immediatè post ad propositum nostrum sic loquitur: *Ne scruteris igitur curiosè pauperum vitam atque negotia: nam extrema illud insolentiæ est, pro vno pane totam hominis miseri vitam curiosè inquirere. Nã etiamsi homicida, si latro, aut aliud eiusmodi fuerit: an nõ videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus? Et tamen Dominus tuus Solem suum illi producit: tu verò quotidiano cibo in-*

7.

Nulla est habenda ratio personarum in beneficijs.

Matth. 10.

Grauiter indigens licet homicida notorius, tamen subleuandus.

dignum indicat? Ego verò, quod adhuc maius est, pono: nimirum, quod etiam, si manifestè cognoueris innumeris illum refertum esse malis: neque sic tamen excusationem habeas, si quotidiano cibo illum priuaueris. Seruus enim illius es, qui dicit: Nescitis cuius spiritus sitis. Famulus es illius qui lapidantes se curare laborabat, imò qui & crucifixum est pro eis. Non est, quod mihi dicas, quod alium interfecerit. Nam etiam si teipsum interempturus esset: neque sic tamen fame laborantem contemnere deberes. Discipulus enim illius es, qui crucifigentium se salutem cupiebat, quique in ipsa cruce dicebat: Pater remitte illis, nescisunt enim quid faciunt. Illius es seruus, qui percutientem se curauit, qui latronem in ipsa cruce coronauit. Cui, quæso, quid poterit adæquari? nam & vtrique Christum à principio conuicijs affecerant, & tamen alteri illorum paradisum aperuit. interfecturos se deplorauit.

Luc. 9.

Dura inuectio in eos, qui pauperes negligunt.

Idem Doctor grauiter inuehitur in duritiam immisericordium hom. 37. ad pop. *Paulus*, inquit, *quidem esuriebat, ne impedimentum daret Euangelio: nos verò neque reposita nobis tangere audemus, innumeras animas videntes subuerti: dicimus enim: Rodat tinea, & non comedat pauper; absumat vermis, & nudus non induatur: omnia tempore consumantur, & Christus non pascatur, licet esuriat. At inquies: Quis hoc dixit? Hoc est autem ideo valde malum, quod non verbis, sed operibus ista dicuntur. Minus enim esset mali, si diceretur in verbis, quàm cùm agitur in factis. Nonne quotidie ista proclamat inhumana & crudelis & tyrannica vanitas captiuis suis? Proponuntur & calamniatoribus, & latronibus, & insidiatoribus, ad escam nostra, non autem esurientibus, neque indigentibus alimentum. Nonne vos enim facitis latrones? nonne vos inuidorum igni fomitem præbetis? nonne vos facitis fugitiuos & insidiatores, velut escam vestras proponentes diuitias? Quis furor autem est iste? furor enim est, & manifesta dementia, vestibus quidem arcas parare; ad Dei verò factum imaginem & similitudinem, nudam & tremente pre gelu, vixq; stantem rectum negligere. At inquies: Simulat tremorem, infirmitatem. Non times ne fulmen ab hoc verbo celitus accensum in te feratur? Disrumpor enim ab indignatione, parcite. Tu verò ventre tumens & pingui, & ad profundam potum producens vesperam, & mollibus calefactus stragulis, non te dignum dare pœnas censes, cùm tam inique Dei muneribus vtaris: (nec enim vt inebriemur est vinum: nec vt crapulemur, esca sunt facta: nec vt ventrem disrumpamus, cibi) pauperem verò miserum, nihilo melius mortuo habentem, exquisitas exigis rationes? nec Christi times tribunal illud horrendum & terribile? Nam etsi simulat, ex necessitate simulat, & egestate, propter sauitiam, & inhumanitatem tuam, quæ talibus personis supplicantibus ad misericordiam non flectitur.*

8. Auersio diuina facies ab homine, grauis est pœna.

Attendamus ad hæc, ô Christiani, nam grauis pœna est faciem Domini experiri iratam: *Auertisti*, inquit Psaltes, *faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Impius verò homicida Cain maximo terrore perculsus fuit, audiens se à facie Dei excludi: *Ecce*, inquit, *ejicis me hodie à facie tua, & ego ero vagus, & profugus in terra. Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Hanc faciei diuinæ auersionem Deus minatur populo Israeli peccanti: *Derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab illo, & erit in deuorationem.* Et Isaias Propheta cap. 8. *abscondit faciem suam à domo Iacob.* Similiter & Michæas Propheta cap. 3. *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abscondit faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis.* Hunc etiam faciei terrorem agnouit Propheta Ioel: *A facie eius*, inquit, *cruciabuntur populi, & omnes inimici vultus eius redigentur in ollam.*

Gen. 4.

Attendamus, inquam, Nam *per quæ quis peccat, per hæc & punitur. &, Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Si quis auertit faciem à paupere, auertet faciem suam ab illo Deus. Exempla sunt plurima eorum, qui talia subierunt, qualia alijs intulerunt damna. Apocal. 13. v. 10. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* Vide quod Adonibezec, Iud. ca. 1. Quid Agag. 1. Reg. 15. Aman, Esth. cap. 7. & quæ alij plurimi supplicia suis meritis attemperata pertulerint. Vide Sectionem 19. cap. primi num. 6.

9. *Per quæ quis peccat per illa punitur.*

SECTIO V.

An Dei iram incurrat Magistratus, qui ex ciuitatibus pauperes peregrinos expellit.

2. *Deus magni facit benef. contum.*

SANCTVS Petrus Chrysologus serm. 14. scribit quanti Deus faciat beneficentiam erga pauperes; *Quod Abel*, inquit, *passus est, quod seruauit mundum Noë; quod Abraham fidem suscepit: quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solum quod comedit pauper. Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, inquit Regius Propheta Psal. 40. Cùm tamen experientia doceat peregrinos pauperes aliquando certis locis arceri, discussione dignum, an id rectè fiat.

Genes. 4. Genes. 6. Genes. 15. Exod. 20.

2. *Extremè indigenti ex lege naturali subueniendum.*

Breuiter rem expediam. Lex naturæ præcipit vnicuique extremè indigenti, quicumq; is sit, opitulari. Habet enim is Ius, vt de bonis tuis necessitati succurrat: quia illo rerum articulo res ad statum naturæ redit, bonaque censentur communia: neque enim diuisio bonorum olim introducta militare potest contra charitatem.

3.

Lex Mosaica tantum abest quod pauperes è fini-

In lege Moysaca necesse erat existere pauperes.

è finibus Israelis arcere permittat quin potius seuerè præcipiat, quibuscumque manum aperire. Dicit enim Moyses Deuter.15. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.* Author non contemnendus ex hoc loco infert, Etiamsi Hebræi conati fuissent efficere, ne in Israel vlli essent pauperes, numquam tamen idipsum reipsa efficere potuissent. Ad hæc Leuit. 19. præceptum statuit de relinquẽdis reliquijs in agro, & vinea in vsum pauperum & peregrinorum: *Cumq; messueritis segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ: nec remanẽtes spicas colliges. Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes, ego Dominus Deus vester.* Deuteron. etiam 26. in vsum pauperum & peregrinorum voluit singulis triennijs tertias decumas relinqui: *Quando compleueris*, ait Moyses, *decimam cũctarum frugum tuarum anno decimarum tertio, dabis Leuitæ & aduenæ, & pupillo & viduæ, vt commedant intra portas tuas, & saturentur.* Iussit etiam Deus, vt pro posse suo curarent Iudæi, ne inter ipsos essent extremè indigentes & mendici, Deutero.15. *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos.* quasi dicat, Mutuate ergo paupertibus præsertim infirmis aut inualidis ea, quibus indigent, illisque ea remittite anno septimo, si antè ea soluere, & reddere nequeant, cum hac interminatione, *Caue ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis, & auertas oculos tuos à fratre tuo paupere nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi peccatum.*

In vsum pauperum relinquenda erant olim reliquiæ frugum.

4. *Ammonites & Moabites arcentur à societate Iudæorum ob inmisericordiam.*

Diuinum Numen etiam grauiter succensuit hominibus ab humanitate & misericordia alienis: *Ammonites* inquit Moyses nomine Dei, *& Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum: quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via quando egressi estis de Ægypto: & quia conduxerunt contra te Balaam filij Beor, de Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi.* Deuteron. 23. Arcet eos Dominus non à Iudaismo, fide, salute, & templo. Nam Achior Ammonita Iudith. 14. ad Iudæorum sacra admissus legitur, sed à societate politica Iudæorũ, vt non habeantur ciues, nec habeant ius ciuicum apud Iudæos. Sic sumitur *Ecclesia* pro cœtu populi, Numer. 20. 4. & Iudic. 20. 2. *Cuncta tribus Israel*, inquit, ibi tacet textus, *in Ecclesiam conuenerunt.* Ab ea arcet ergo illos diuina Maiestas, tum quia indigentibus cibo subuenire noluerunt in egressu de Ægypto, tum quia voluit Balac Rex Moabitarum Israelitis maledicere per Balaam prophetam Diaboli, qui ad hoc captauit eius angustia, & vaticina, sed à Deo impeditus est, Numer. 22. Nabal vir asperi & duri ingenij, qui Dauidi & socijs in necessitate panem denegauit; *Tollam*, inquiens, *panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint?* à Deo percussus est. In graue periculum se conieceratNabal; Dauid enim vsque adeò ægrè tulerat hanc crudelitatem, vt mortem ipsi, totiusque familiæ iuraret, & armatâ manu procederet ad vindictam certissimè infligendam, ni prudens vxor Abigail occurrisset, quæ marito manè totum hoc negotium indicauit, *vnde emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Mox subdit Scriptura: *Cumq; pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Ne putaret quispiam eum Dauidis causa, aut vxoris relatione mortem subijsse, addit sacer textus: *Percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Dei manus vindex tantæ inhumanitatis, & crudelitatis Nabal de medio sustulit. Tanto namque Deus odio feritatem, & crudelitatem in proximos negatione ciborum exercitam detestatur, vt intra decem dies eum mori, mœstitudine exesum cõpulerit. Ita inhumani homines à Deo puniuntur: Et quidem Rab. Salomon: *Decem diebus*, inquit, *elanguit quasi mortuus, eò quòd decem iuuenes missos à Dauide confuderat*, &c. Amos vates cap. 6. & alia Scripturæ loca Iudic. 8. Luc. 16. satis produnt, quàm sit Deo exosum hoc crimen diuitum egentibus denegantium panem.

Qua pœna Nabalus hominis immisericordis.

Odit enim Deus, qui negat indigenti panem.

5. *Lex gratiæ præcipit subuenire pauperibus.*

Pergo ad legem Euangelicam; hæc indicat pauperes non solùm non defuturos, sed & necessariò iuuandos. Prius apertissimè dixit Saluator Ioan. 12. Defendens vtique vnctionem Mariæ Magdalenæ, quam erga eum exhibebat, Iudæ indignè id ferenti & dicenti: *Quare hoc vnguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis*; respondit: *Sine illam vt in die sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum; me autem non semper habebitis.* Posterius pronuntiat Matthæus cap. 25. excludit enim immisericordes à regno cælorum. S. Ioannes quærit qua ratione is Deum diligat, qui pauperi non subuenit: *Qui habuerit*, inquit, *substantiam huius mundi & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

Chrysostomum asserit quoscumque pauperes inuocandos, nec curiosè de qualitate pauperis inquirendum.

Aureum illud eloquentiæ flumen Hom. 11. ad Hebræos omnes excusationes reijcit, & explodit, *Beatus*, inquit, *qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Quæ verò mala dies est, nisi quæ mala erit peccatoribus? Quid est, Qui intelligit?* hoc est qui cognoscit quid sit pauper, qui tribulationem eius percipit. *Cognoscens enim tribulationem eius, vtique confestim miserebitur eius. Si videris pauperem, non pertranseas: sed statim cogita quis sis, & si tu esses in illo, quid nam velles omnes facere. Qui intelligit*, inquit, *cogita quia similis tibi liber est, & eandem tecum participatur generositatem, & tanta tecum*

communia habet. Et paulò pòst: *Frigus est, & iacet lacerus circumdatus pauper moriturus, dentes quatiens, & vultu & habitu deprecans: tu autem calefactus & ebrius pertransis. Et quomodo vis Deum in calamitatibus te constitutum liberare?* &c. *Sapius quidem corpus mortuum sine sensu, nec iam honorem sentiens, plurimis, & variis ex auro textis vestibus induis: corpus autem quod frigore afficitur, & conciditur, & cruciatur, & distenditur ex fame & gelu, despicis, & amplius vana gloria subministras, quàm timori Dei.* Mox progreditur ad vanas excusationes, quas indies prætendimus: *Et vtinam,* inquit, *vsque ad hoc tantum insania progrederetur. Sed confestim accusatio aduersus interpellantem. Quid non operatur, inquies? Quid vacans pascitur? dic mihi, per operationem habes, qua habes? Nonne hereditate paterna illa accepisti? Si verò etiam ex labore, num ideò exprobras alteri? Nonne audis Paulum dicentem: postquam enim dixit: Quia qui non operatur, non manducet, vos autem bonum, inquit, facientes, non deficiatis? Sed quid, inquis, impostor est? Quid dicis, ô homo, propter vnum panem & vestimentum impostorem eum vocas? Sed confestim vendet illud, inquis. Tu autem cuncta tua benè disponis? Quid autem? num omnes ex ocio egent? Nemo per naufragium? nemo per iudicia? nemo per furta? nemo per pericula? nemo per agritudines? nemo per aliam calamitatem? Sed si audierimus aliquem talia deplorantem maiora clamantem, & nudum cælos aspicientem, & capillos demittentem, & panis circumdatum, confestim eum impostorem, fallacem, simulatorem vocamus. Non erubescis? Quem impostorem vocas? noli dare, & nolis accusare hominem. Sed habet, inquis, & fingit. Hoc tua est accusatio, non illius. Scis enim cum crudelibus te habitare, cum bestijs magis quàm cum hominibus. Et quia etiam si miserabile proferat verbum, nullum ad miserandum adducit: & propter hoc compellitur & habitū miserabiliorem sibi circumponere, vt tuam frangat animam.* Et post multas similes tergiuersationes concludit: *Sed ista,* inquit, *pratextus sunt, & excusationes. Omni petenti te da, & volentem à te mutuari non auerseris. Extende manum tuam, non sit contracta. Non enim vitarum constituti sumus discussores, alioqui nullus hoc modo misereretur. Quare quando Deum rogas, dicis: Peccatorum meorum ne memineris? Proinde & si valde sit ille peccator, hoc ipsum & in ipso considera, & noli reminisci peccatorum eius: tempus est misericordia, non scrupulosa discussionis, misericordia, non ratiocinationis.*

Idē Doct. Hom. 21. ad Rom. iterum nos erudiens, inquit: *Ne scruteris curiosè pauperum vitam atque negotia: nam extrema illud insolentia est, pro vno pane totam hominis miseri vitam curiosè inquirere. Nam etiamsi homicida, si latro, aut aliud huiusmodi fuerit: an non videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus?* D. Ambrosius 3. officior. cap. 8. *Illi qui peregrinos vrbe probibent, nequaquam probandi. expellere eo tempore quo deberent iuuare, separare à commercijs communis partus, fusos omnibus partus negare, inita iam conseruia vitandi auertuncare: cum quibus fuerint communia iura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri. Ferus non expellunt feras, & homo excludit hominem? Tera ac bestia communem putant omnibus victum, quem terra ministrat. Ille etiam conformem sui generis adiuuant, homo impugnat: qui nihil à se alienum debet credere, quidquid humani est.*

Tempore fames mendici peregrini non arcendi à ciuitate.

Quid dicet ad hæc Magistratus, qui pauperes peregrinos è ciuitatibus arcet & pellit. Aut aliquo modo excusari poterit? Omninò: & primo cum arcet pauperes peregrinos, quia domesticis ac indigenis nocent. Ordo enim charitatis iubet præferre domesticos peregrinis, quando vtrisque satisfieri non potest. Isaias Vates ca. 58. illos maximè commendat: *Domesticos seminis tui ne despexeris.* Clarius Apostolus Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Quasi dicat: Omnibus omninò mortalibus pateant fontes misericordiæ, si fieri potest, sin minùs præferantur fideles infidelibus. S. Iacobus cùm cessaret communio, & distributio illa bonorum de qua Lucas Act. 6. & in prima illa Iudæorum ac Gentilium persecutione multæ viduæ & pupilli existerent, eò quòd viri Christiani partim occiderentur, partim in exilium, aut carcerem traderentur, viduarum & pupillorum præ alijs curam suscipiebat, eosque maximè Christianorum charitati commendabat. *Religio,* inquit, *munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hec est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Religio, inquit, pura, & integra, atque ab omni macula penitus libera, non humano tantum, sed etiam diuino iudicio censetur illa, quæ orphanis, ac viduis, quoad eius fieri potest, opitulatur, eorumque indigentiam subleuat; quæque hominem omnis prorsus labis expertem, & à mundi contagio liberum conseruat.

6. *Contra Magistratum excusans.*

Licet arcere pauperes peregrinos, dum domesticis simul satisfieri non potest.

Viduas & pupillos præferendo alijs pauperibus.

S. Syluester prudentiâ æquè ac sanctitate eximius Pontifex studiosè virginum, pupillorum, & orphanorum inopiæ subuenire solitus, inquiebat: *Ne cogantur petere ab alijs, qui dum leuant corpora, ingulant animas.* Quorundam Principum ea est prudentia, vt ex hoc capite, decreto sanxerint peregrinos arcendos. Ex tali capite in Iure Cæsareo, & nominatim Bauarico lib. 5. titul. 5. art. 1. qui est de validis & peregrinis mendicis, &c. habetur hoc decretum: *Cùm speciatim etiam in quibusdam Comitijs Imperialibus statutum fuerit, vt quisq; magistratus prouideat, quo vnaquæq; ciuitas, communitas, siue territorium suos mendicos sustentet, nec peregrinis permittat in quouis loco mendicare; quod quidem in nostris ditionibus admodum necessarium est, si quidem talium peregrinorum, & validorum mendicorum discursu, & quotidianus incur-*

7.

Decretum Bauaricum de peregrinis mendicis.

incurſus, ſubditis noſtris, ac ſpeciatim pauperi ruſticanæ plebi, magnum grauamen, ac inſuper verè egentibus ac morbidis, quibus neceſſario ex eleemoſyna victitandum, graue præiudicium & incommodum pariunt. Ideò habita cum Prouincialibus noſtris conſultatione, ordinamus & mandamus ſeriò, vt impoſterum omnibus peregrinis, & externis mendicis, leproſis, Iacobicolis, & ſimilibus, qui paſſim ex vna prouincia in aliam vagantur, ſicuti etiam ſub pietatis prætextu peregrinantibus, ſi qui ignoti, nec alibi perſpectum domicilium, vel fida dignum teſtimonium habent, vel non directa via ad deſtinatum peregrinationis terminum pergunt, in principatibus noſtris interdicta ſit mendicandi facultas, nec ij mendicare vllo modo permittantur, ſed vbique ex ditionibus noſtris abire iubeantur, & ne eas poſt hac ingrediantur, in ipſis ſtatim finibus ab ingreſſu prohibeantur, ſicut iam antea in ſpeciali ac publico noſtro mandato decreuimus, & mandauimus.

8. 2. *Licitè arcentur pauperes peregrini propter morum diſſolutionem.*

Secundò licitè arcet Magiſtratus peregrinos pauperes, qui inferunt, morbos, corruptelas, hæreſes, proditiones. Bonum enim commune priuatæ præferendum eſt, neque cum animarum detrimento tales admittere licet. Apoſtolus planiſſimè pronuntiat: *Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos, ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis*, 2. Theſſal. 3. & alibi iubet hæreticum hominem deuitare; hos autem arcere non licebit? Experientia quoque docet ijs, qui hoſpitalia peregrinantium vſui deſtinata in Republica benè ordinata, vel triduo permittuntur occupare victus gratiâ, parum religioſi pulueris adhæreſcere: quos tamen ſi neceſſitas extrema premat, oportet cum liberali nummo dimittere, vt charitas Dei in nobis maneat.

9. 3. *Validi mendicantes licitè expelluntur.*

Tertiò arcere licet validos mendicantes, qui excluſi de victu per labores honeſtè acquirendo cogitabunt. Illis Apoſtolus non vult eleemoſynam impendi, quia verè non patiuntur neceſſitatem, 2. Theſſal. 3. *Cùm eſſemus apud vos hoc denuntiabamus vobis, quandoquidem ſi quis non vult operari, nec manducet.* Et rurſum: *Audiuimus inter vos quoſdam ambulare inquietos, nihil operantes, ſed otioſè agentes.* Senſus eſt: Etenim cùm eſſemus apud vos, hoc erat noſtrum peculiare præceptum, & dogma, vt ſi quis otiari vellet, nihilque prorſus agere, is ne quidem cibum ſumeret. Audiuimus enim quoſdã inter vos peruerſè, inordinatéq; verſari, qui otio deſidiaque langueſcunt, & nihil operis facientes curioſè agunt. Extat in Iure ciuili, C. *de validis mendicantibus*, lex quæ remedio admodum duro eoſdem profligat. Ea ſic habet: *Cunctis, quos in publicum quæſtum inertia mendicitas vocauerit, inſpectis, exploretur in ſingulis & integritas corporum, & robur annorum: atque inertibus, & abſque vlla debilitate miſerandis neceſſitas inferatur, vt eorum quidem quos tenet conditio ſeruilis, proditor ſtudioſus & diligens dominium conſequatur: eorum verò quos natalium ſola libertas perſequitur, colonatu perpetuo fulciatur quiſquis huiuſmodi lentitudinem prodiderit, ac probauerit; ſalua Domini in eos actione, qui vel latebram fortè fugitiuis, vel mendicitatis ſubeundæ conſilium præſtiterunt.* Rectè vult explorari eorum conſtitutionem, antequam tam graue ſubeant iugum. Solent enim, qui ſunt hujuſmodi, mira fingere vt otientur; hic ſe à latronibus ſpoliatum confingit; ille naufragio vel incendio omnibus fortunæ bonis exutum aſſerit; alius multo exilio ſe mulctatum comminiſcitur; alius rurſum hoc vel illo occulto morbo ſe grauari cauſatur; alius tandem aliud nugatur prout vnuſquiſque mentiendi, fucumque faciendi euaſit doctior; & hæc vt otientur, vt malum omne pullulet ex otij radice.

10. *Malorum omnium mater otioſitas.*

Multam malitiam, inquit Siracides, *docuit otioſitas*, Eccleſ. 33. Bernardus eam nobis explicet: *Otioſitas*, inquit, *mater eſt ingratorum, & noverca virtutum omnium. Ipſa enim eſt, quæ virum fortem fortiſſimè præcipitat in reatum, facit ſuffocare virtutem, & viam conſtruere ad gehennam.* Lib. 2. de Conſider. ad finem. Ita eſt. *Sicut terra*, inquit, Chryſoſtom. homil. 7. in 2. ad Corinth. *Non occupata ſemente aut conſitione quamlibet herbam producet: ſic & anima quoties non habet quod agat rerum neceſſariarum. cùm omninò cupiat aliquid agere, prauis actionibus ſemet tradit. Et quemadmodum oculus non deſinit cernere, atque ab hoc cernit mala, ſi quando bona non ſint obiecta: ſic & cogitatio quoties ſe abducit à neceſſarijs, circa inutilia iam verſatur; nam vndequaq; perſpicuum eſt, quòd occupatio ac ſolitudo valet primum incurſum repellere.* Exempla Scripturæ id reuincunt: Quamdiu Dauid ſe exercuit in militia, non inſultauit illi luxuria, ſed poſtquam otioſus in domo remanſit, laborauit adulterio, & homicidium commiſit. Samſon dum cum Philiſtæis pugnauit, non potuit capi ab hoſtibus, ſed poſtquam dormiuit in ſinu fœminæ, & otioſè cum ea remanſit, mox capitur, & cæcatur ab hoſtibus. Salomon dum occuparus eſſet in ædificatione templi, non ſenſit luxuriã, ſed mox recedens ab opere perſenſit inſultum luxuriæ, & adorauit vitulum aureum. Quid perdidit Sodomam? Ezechiel declarat cap. 16. inter alia fuiſſe otium: *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & otium eius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Otia, inquit Ouidius, *ſi tollas, periêre Cupidinis arcus.* Et rurſum:

Otiũ caſtitatis ruina.

Quæritur, Ægyſtus quare ſit factus adulter?

In promptu causa est, desidiosus erat.

& alius: *Otium corpus, mentem necat socordia, exercitatio verò vtrumq; pulcherrimum facit.* Otio ait S. Augustlib. 1. de ciuit. *perit Roma, deleta Carthagine.* Bernardus serm. de S. Andrea: *Sicut*, inquit, *per rimam sentina, aqua latenter intrat & excrescit, donec nauis per nauarchum incuriam demergatur: ita ex otio atque ignauia cogitationes praua, & concupiscentia multiplicantur, donec mentis cordis eius succumbens, in peccato periclitetur.* Otij hostem capitalissimum scias fuisse Bernardum, qui seriò submonens: *Omnium*, inquit, *tentationum & cogitationum malarum colluuies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors animæ.* Et vt sciretur quàm cauendum esset otium Castitatis studioso, inquit serm. 51. de modo bene viu. *Luxuria citò decipit homines otio deditos, & gratius vrit si quem otiosum inuenit: industriæ & labori cedit.* Vide plura Discur. 3. in VI. Præc. numer. 9.

Otium perdidit ciuitates.

Epist. ad fratres de monte Dei.

11. Quis dixerit hos non esse arcendos? Nemo. neque obstant priscorum Patrum sententiæ, quæ extra casus prætactos dumtaxat locum habent. Quod facile colliges ex mente eorum esse. nam & Chrysostomus de validis mendicis ita sentit homil. 5. in 2. ad Thessalon. *Omninò necesse est, vt curiosus sit, qui cùm operari posset, otiosus est. Eleemosyna verò solis illis datur, qui manuum suarum operatione & labore sibiipsis victum sufficere nequeunt, aut illis qui alios docent, & toti ad doctrinæ sermonem dediti & occupati sunt. Non enim os*, inquit, *obturabis bouis trituranti. &, dignus est operarius mercede sua.* In ciuitatibus benè ordinatis non permittitur vt mendici fores templi obsideant; aut publicè, multo minus per templum mendicent, ne orantes obturbent, ne infirmis & prægnantibus nauseam & aborsum moueant, neue mendici audaces & clamosi alijs honestis egentibus, sed timidis & verecundis, eleemosynas præripiant, imò ipsis dantibus ditiores euadant, vti subinde deprehensum est. Quare eleemosynarios publicos constituũt, qui templum obeant & eleemosynas petant, quas in egentes per hospitalia à se distributas, pro cuiusque necessitate & meritis congruè distribuant. Quòd sanè vti ordinatius, ita & satius sanctiusque est, quam emendicationem in Ecclesia permittere, idque olim decreuit Concilium Turonense II. cap. 5. nuperque Mediolani renouauit B. Carolus Borromæus. Quidni in alijs cauendis modum tenere necesse est, quando potior ratio postulat?

SECTIO VI.

Quare Tobias tam impensè commendet filio eleemosynam.

MOYSES pluribus locis commendat eleemosynam, & hoc loco similiter Tobias, cùm ait: *Quomodo potueris, ita esto misericors.* Quid causæ? Siracides cap. 41. *Sapientia*, inquit, *abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Dicam. Monuerat primùm Tobias pater filium misericordijs singulariter incumbere, ne contemnens pauperum contemneretur à Deo. Iam verò dicere potuisset filius admonenti patri, placere sibi valde præceptum illud verè paternum, seque vehementer cupere, & parentis monitis, & suo studio, & naturæ pronitati satisfacere: sed obstare, quòd procul esset à voluntate facultas; cùm exhausta esset res tota familiaris, vt necesse fuerit familiam totam, tenui mercede sustentari, quam ex textrina mater detulisset: vnde præoccupans filium monet, vt quacumque ratione vnquam valuerit, quantumuis etiam res angusta extiterit, misericordiæ impendat operam, quod ea sterilis non erit, licet domum totam ornamentis & facultatibus exhauriat. Præstat enim suo tempore, quod præstare solet cumulata pecunia, id copiosè magis & feliciter: *Præmium enim bonum*, inquit, *tibi thesaurizas in die necessitatis.*

12. *Tobias senior obuiat obiectioni filij.*

Fructifera est eleemosyna.

1. Explanabo latiùs cur ad eleemosynam sic hortetur Tobias, quidue homini sit impertita misericordia. Primùm est quod sit propria sanctorum virorum virtus, ac signum prædestinationis Dei: *Induite*, ait Paulus ad Coloss. 3. *vos sunt electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ.* Et rursum quasi torques aurea nobilium sanctorum, ac filiorum Dei, teste Salomone Prouerb. 3. vbi ait: *Eleemosyna & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.*

1. Misericordia est signũ prædestinationis Dei, ac torques aurea filiorũ Dei.

3. Secundò hortatur ad eam Tobias, quia nundinæ sunt mirabiles. Paruo enim emis, lucraris, & ditescis, iuxta illud Prouerb. 11. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Anima quæ benedixit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur.* Cui simile est illud Pauli 2. Cor. 9. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Chrysostomus hom. 5. de pœnitentia sic Philosopharur: *Nundinæ*, inquit, *profectò nobis sunt mirabiles, harum nulla alia est professio, & negotiatori nulla alia inuentio, quàm paruo qui-*

3. Eleemosynæ sunt nundinæ mirabiles.

quidem emere, magno vendere; nam ea cuiuſcumq; negotiationis induſtria. Nam negotiationis alia ratio non eſt, quàm quod minori empta, maiori pretio vendat, atque duplicatam ſibi ſummam inueniat? Tales igitur nobis nundinas Deus propoſuit, modico iuſtitiæ eme, quæ multo vendas in ſæculo futuro. Dic modico iuſtitia emitur propanis fragmento, pro calice aqua frigida. Amen dico vobis, inquit, *ſpiritualis mercaturæ Doctor, non perdet mercedem ſuam.*

4. *Eleemoſyna eſt ars omnium quæſtuoſiſſima.*

Tertiò, quia eleemoſyna eſt ars quæſtuoſiſſima, teſte Chryſoſtomo hom.33.ad populum: *Oſtendamus*, inquit, *qualiter eſt ars omnium artium quæſtuoſiſſima eleemoſyna. Si enim artis eſt proprium ad aliquam vtilitatem peruenire, eleemoſynâ verò nihil eſt vtilius: clarum eſt profectò, quod & ars, & omnium eſt artium optima.* Et poſtquam multa ſubiecisſet ad verſum vndecimum & duodecimum opportuna, ſubdit: *Et artium quidem ſæcularium vnaquæq; vnum habet, quod accepit, meritum, Verbi gratia, Agricultura paſcit, textoria veſtit, imò verò nec hoc vlla poteſt à ſemetipſa vobis conferre, & ſi libet, agriculturam examinemus primùm. Nam niſi cuſoriam habuerit, à qua ligonem, & vomerem, & falcem, ſecurim, & alia plura mutuetur: & carpentariam, vt aratrum pangat, & iugum paret & plauſtrum, vt ſpicas excutiat: & coriariam, vt & lorum faciat: & ædificatoriam, vt & arantibus tauris ſtabulũ ædificet, & ſerentibus agricolis domum: & ſuccidoriam, vt ligna ſecentur: & piſtoriam: poſt hæc omnia nuſquam apparebit. Similiter & textoria, cùm aliquid faciat, multas ſecum artes conuocat, vt propoſita ſecum expediant: quod ſi non acceſſerint, & manum porrexerint, hæc quoque ſimiliter vt illa remanebit inops. Et artium quæque, alterius indiget artis. Cùm autem oporteat miſereri, nihil aliud nobis opus eſt, ſed ſola voluntas eſt neceſſaria. Quòd ſi dicas, quod pecunijs opus eſt, & habitationibus, & veſtimentis, & calceamentis: illa lege Chriſti verba, quæ de vidua dixit: & ab anguſtia deſiſte, licet valde ſis pauper, & mendicantibus pauperior, ſi duo minuta contuleris, totum expleſti; Et ſi des panem, cum habens ſolum, ad perfectionem artis peruenisti. Hanc itaque ſuſcipiamus artem & ſcientiam, & obeamus. Melius eſt enim hanc ſcire quàm eſſe regem, & diademate coronari. In Euangelio*, inquit Cyprianus de opere & eleemoſ. *Dominus, doctor vitæ noſtræ, & magiſter ſalutis æternæ, vitificans credentium populum, viuificatis conſulens in æternum, inter ſua mandata diuina & præcepta cæleſtia nihil crebrius mandat & præcipit, quàm vt inſiſtamus, eleemoſynis dandis: nec terrenis poſſeſſionibus incumbamus, ſed cæleſtes theſauros potius recondamus. Vendite*, inquit, *res veſtras, & date eleemoſynam.* Et iterum: *Nolite vobis condere theſauros ſuper terram, vbi tinea & comeſtura exterminat, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque tinea, neque comeſtura exterminat, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.*

Miſericordia manet thesaurus inconſumptibilis.

Luc. 12. Matth. 6.

De hac arte loquitur Siracides Eccleſ. 11. 5. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum*, id eſt, Da eleemoſynam pauperibus, viduis & pupillis, qui flebiles, & tribulationibus immerſi, in hac vita viuentes præterfluunt vt aquæ: quemadmodum mulier illa Thecuitis 2.Reg.14.dicebat, *Omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur in terram*; quia metes illius fructus, & licet pauperes ſint, aut videantur fore ingrati, vel impotentes ad reddendum, vt quaſi beneficium tuum in eos, quaſi in aquas iactum, ac proinde periturum videatur, benefac tamen eis: quia ingens & certa ab iiſdem, vel certè à Deo tibi merces reddetur. Et hoc eſt quod Tobias, filio ſingulariter inculcat: *Præmium enim bonum*, inquit, *tibi theſaurizas in die neceſſitatis.* Quaſi diceret: Quomodo potueris hilari vultu & liberali manu tua commoda in pauperes elargire certus de illorum in neceſſitatis articulo, præſenti ſubſidio. Eſt autem neceſſitas illa triplex, primùm illa quæ corpus exercet, & vexat, cùm res eſt domeſtica, & familiaris anguſtior; cùm hoſtis imminet, qui iudicatur omnium opinione potentior: cùm calumniæ, & falsò obiecta crimina vrgent iniquius, tunc adeſt miſericordia, quæ corpus à morte, & ægritudine vendicat; tunc Deus vſuras reddit legitimus debitor earum pecuniarum, quas à miſericorde fœnori prius acceperat; tunc hoſtis fractas ſentit vires, & vitam ſupplex orat, aut pertinax amittit: & falsò intentæ calumniæ deteguntur. Denique miſericordes ab eleemoſyna in omni aduerſantis fortunæ oppugnatione firmamentum habent, atque præſidium. Extat inde præclarum teſtimonium Eccleſ.3. *Deus proſpector eſt eius, qui reddit gratiam, meminit eius in poſterum, & in tempore caſus ſui inueniet firmamentum.* Et cap.24. *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit.* Quòd ipſe Tobias expertus eſt, cui Deus per Angelum medicinam attulit, & oculorum reſtituit aciem, quam amiſerat, quæ nullâ poſt multos ſumptus medicorum induſtriâ auferri potuiſſet, cui diſperſa pecunia in pauperum vſus, cùm omnia videbantur anguſta; diuitias peperit ingentes, honeſtas filio conciliauit nuptias, reddidit denique longæuam vitam, ſenectutem lætam, & qualia nec obtineret, imò neque optaret locupletum hominum ſterilis abundantia. Rurſum theſaurizauit Tobias in terra, nam dum ſua largitur, à Deo accepit neceſſitatis tempore opportuna commoda. Hinc ad illum Raguelis ampliſſimæ facultates peruenere. Hinc à Salmanaſare impenſus honor, & opes numeroſæ, quibus ipſe abundauit in exilio, &

Eleemoſyna vtrij fructus in neceſſitate etiam temporali.

Tobias expertus eſt ſubſidium eleemoſynæ in neceſſitate temporali exiſtens.

aliorum ſubleuauit inopiam. Hinc reſtituta ſanitas, vita producta, gaudium ad extremum vſque ſpiritum. Hæc ſunt humana commoda, & pars maxima illius theſauri, quem in terra Tobiæ peperit miſericordia. Rectè Salomon Prouerb. 28. *Qui dat pauperi non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.*

6. *Eleemoſyna liberat à peccatis, & in die iudicij fiduciam auget.*

Eſt & alia neceſſitas multo hac grauior, videlicet ſpiritualis, à qua hominem miſericordem vendicat, & in columem præſtat eleemoſyna: Liberat enim à peccatis, de qua pluribus Sect. ſequenti.

7. Eſt etiam tertia neceſſitas, cui ſubuenit eleemoſyna, quòd tempore Iudicij homini ferat ſuppetias, de qua poſtea latiùs. Hinc ſtuduerunt S. Paulinus, Paula, Leontius, & alij in hoc Charitatis opere eminere.

8. Quid nos ad hæc? Dando alijs, egebimus ipſi? Puſilli animi homo, & qui manus diffidentiæ tuæ credere, quàm ſyngraphæ Chriſti quantos auaritia ad inopitas redegit? nullos eleemoſyna. Certat Deus cum liberalitate noſtrâ; nec munificentia finit ſe vinci: *Date & dabitur vobis*, Luc. 6. Sareptana vidua 3. Reg. 7. non tantos fecit ſumptus, in ſiccum prandiolum Eliæ, quantos lucrata eſt. Eliſæi hoſpita 4. Reg. 4. plus recepit quàm hoſpiti ſuo contulit. Vide de hac re Diic. 5. præcium in IV. Præcep. *Metuis ne patrimonium tuum*, inquit Cyprian. loc. cit. *fortè deficiat, ſi ex eo operari largiter cœperis: & neſcis miſer quia dum times ne res familiaris deficiat, vita ipſa & ſalus deficit: & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non reſpicis quòd ipſe minuaris amator, magis mammonæ, quàm animæ tuæ; vt dum times ne pro re patrimonium tuum perdas, ipſe pro patrimonio tuo pereas.* Rurſum idem Doctor ibidem: *Metuis ne patrimonium tuum fortè deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis? quando enim factum eſt, vt iuſto poſſint deeſſe ſubſidia vitæ cùm ſcripeum ſit: Non occidet Dominus fame animam iuſtam. Helias in ſolitudine corui miniſtrantibus paſcitur: & Danielis in lacu ad leonum prædam iuſſu regis incluſo, prandium diuinitus apparatur; & tu metuis ne operanti tibi & Dominum promerenti deſit alimentum? quando ipſe in Euangelio ad exprobrationem eorum, quibus mens dubia eſt & fides parua, conteſtetur & dicat. Aſpicite volatilia cœli, quoniam non ſeminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, & pater veſter cæleſtis alit illa, nonne vos pluris illis eſtis? Volucres Deus paſcit, & paſſeribus alimenta diurna præſtantur, & quibus nullus diuina rei ſenſus eſt, eis nec potus, nec cibus deeſt, tu Chriſtiano, tu Dei ſeruo, tu operibus bonis dedito, tu Domino ſuo charo aliquid exiſtimas defuturum? Niſi ſi putas quia qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur; aut ei terrena deerunt, quibus cæleſtia & diuina tribuuntur: Vnde hæc incredula cogitatio? Vnde impia & ſacrilega iſta meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus? quid qui Chriſto omnino non credit, appellatur, & dicitur Chriſtianus? Phariſæi tibi magis congruit nomen.* Hæc ad nos ſpectant.

Diſtribuendo pauperi non minuitur patrimonium.

Prou. 10. 3. Reg. 17. Dan. 14. Matth. 6.

9. *Pauperibus ſana non putida ſunt porrigenda.*

At ſunt, qui, ſi quid dant, ea quibus carere malunt, pauperi porrigunt, & ea quæ vix aut eſui ſunt, aut vſui amplius, pauperibus elargiuntur: ſi quid in domo verminoſæ carnis, ſi quid mucidi panis, ſi quid fugiētis viui, aut morientis, aut acidæ cereuiſiæ, ſi quid putridi, ſi quid fœtidi, quod vix cani porrigas, mox ad pauperes abit, munificâ donatione. Heu Chriſtiani, quàm ſæpè blandâ perſuaſione nos fallimus! hoc non eſt oleum, ſed, quod Baruch Prophera cap. 6. exprobrat, oliuarum oſſa offerre. Deus ad Cain, & munera eius non reſpexit, Geneſ. 4. quia viliſſima de terræ fructibus offerebat, qui poterat meliora. Parum potes? ſufficit multum voluiſſe. Multum potes? caue velis parum dare. Si re non potes, pauperem ſpe bonâ, & miti alloquio iuua; ſaltem animo miſerere. Præclarè Chryſoſtomus artem miſericordiæ extollens: *Cùm*, inquit, *liberaliter miſericordia moti, quippiam facimus, nulla re alia præter voluntatem nobis opus eſt. Si autem putas magno pecuniarum cumulo, & veſtibus, & calceis tibi opus eſſe, illa Chriſti verba quæ de vidua dixit tecum retracta. Et ſi adeo pauper es, vt mendicare cogaris, nulla tamen animi ſollicitudine laborabis. Nam ſi duo minuta miſeris, dummodo id ex facultate feceris tua, præclarum facinus edidiſti. Si panis fruſtum, quia nihil aliud habeas, dederis, ad huius artu faſtigium aſcendiſti. Hanc igitur artem, oro, profiſi, diligenter officia eius proſequamur. Hæc vberiores nobis affert fructus, quàm imperia huius vitæ ac regna.*

Si deſint media, ſufficit pauperem bona voluntate & miti alloquio iuuare. Hom. 53. in Matth.

Spreti non ſunt Iſraelitæ illi qui ſimilam, ſeras, aut caprarum pilos obtulerunt; meliora deerant: ſed ſi aurum habuiſſent, & iſta obtuliſſent, maledicti protinus fuiſſent, ait Chryſoſtomus hom. 32 in epiſt. ad Hebr. Dominus puerperæ dixit Leuit. 12. *Quod ſi non inuenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum.* Nihil, inquit Nazianzenus, *magni æſtimatur apud Deum, quod non pauper quoque donare poſſit.* Deus enim nō tam donum, quàm donantis affectum poſcit; & vt ait S. Gregor. hom. 5. in Euangel. *Ante oculos Dei nunquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bonâ voluntate; nihil enim Deo offerturditius bona voluntate.* Hinc Chriſto præ omnibus alijs magna offerentibus, placuit vidua tantùm offerens minuta: ſi ergo multum habes, multa da: ſi parum, da parum; ſed magnâ & liberali voluntate dandi plura, ſi haberes. ita liberalitas cordis tui prouocabit liberalitatem Dei erga te, vt plura accipias: non enim patitur Deus ſe liberalitate vinci. Quàm præclarè hanc in rem Dorotheus de ædificio & harmonia virtutum animæ doctr. 14. *Si*, inquit, *non potes diuitibus &*

orat. de ſanct. bapteſ.

Quilibet eleemoſynas facere poteſt, ſi bona voluntas tantùm adſit.

& potentibus aquè diſtribuere, da in gazophylacium duo minuta, vt vidua illa paupercula, & illa accipit Deus ſuper diuitum dona. Quod ſi nec etiam hoc habueris, at certè potes, per ſeruitutem egrotantis miſereri non potes, & hoc potes verbo fratrem tuum conſolari, & adhortari: miſerere igitur illius per verbum bonum ſuper datum optimum.

10. In pſal. 115.

D. Auguſtinus luculenter de bona voluntate diſſerens, etiam ad calicem aquæ frigidæ deſcendit: *Sed*, inquit, *parum habes vnde facias. Habes voluntatem? Quomodo nihil eſſet quod habes, ſi non adeſſet bona voluntas: ſic & quia non habes, noli eſſe triſtis, ſi eſt tibi bona voluntas. Quid enim ſeminas? Miſericordiam. Et quid metis? Pacem. Nunquid autem dixerunt Angeli, Pax diuitibus hominibus in terra? Sed pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* In *vidua magna voluntas. In Zacchæo magna voluntas, in Zacchæo charitas magna, Suſcepit Dominum hoſpitio, gaudens ſuſcepit, & dimidium patrimonij ſui pauperibus promiſit ſe daturum, & ſi cui aliquid abſtulerat, quadruplum redditurum, vt intelligas propterea ſibi cum tenuiſſe dimidium, non vt haberet, quod poſſideret, ſed vt haberet vnde debita redderet. Magna voluntas, multum dedit, multum ſeminauit. Ergo vidua illa, quæ duo minuta miſit, parum ſeminauit? Imò tantum quantum Zacchæus. Minores enim facultates ferebat, ſed parem voluntatem habebat. Miſit duo minuta de tanta voluntate, de quanta Zacchæus dimidium patrimonij ſui. Si attendas vnde dederunt, paria inuenies. Quidquid habuit illa dedit, & quod habuit, dedit ille. Fac aliquem non habere vel duos nummos. Eſt aliquid vilius quod ſeminemus, vt metamus illam meſſem? Eſt. Calicem aquæ frigidæ qui dederit diſcipulo, non perdet mercedem ſuam. Calix aquæ frigidæ non duobus nummis, ſed gratis conflat. Tamen aliquando ſic gratis conflat, vt habeat illum alius, & alius non habeat. Si ergo ille qui illum habet, dederit illi qui non habet, tantum dedit ſi de plena charitate dedit, quod dedit, tantum dedit, quantum illa in duobus nummis, quantum Zacchæus in dimidio rerum ſuarum. Non enim ſine cauſa addidit, frigida, vt pauperem oſtenderet. Idèo dixit, Calicem aquæ frigidæ, ne quis vel inde cauſaretur, quod lignum non haberet, vnde calefaceret aquam. Calicem aquæ frigidæ, qui dederit vni ex iſtis minimis, non perdet mercedem ſuam. Quid ſi nec hoc habeat? Securus ſit. Et ſi nec hoc habet, pax in terra hominibus bonæ voluntatis.*

Eleemoſyna nihil ex pretio, ſed voluntate æſtimanda.

SECTIO VII.

Qualiter eleemoſyna à peccato & morte liberet, aliaq; præſtet à Tobia commemorata?

SALVBERRIMVM fruticis genus eſt Tabacum vlceribus præcipuè & vulneribus curandis illuſtre. Grande vicus corporis eſt paupertas, grandius animi peccatum: vtique perſanando mirificè conducit eleemoſyna, optimum genus miſericordiæ. De quo Tobias noſter pronuntiat, *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Præclarum ſanè encomium, à peccato liberare; à ſpirituali morte & gehennalibus tenebris, de corporali etiam morte, à tenebris cæcitatis, à carceribus & vinculis, exilio, fortunâ [illegible]dâ & anguſtâ, & ab omni quod tenebr[illegible] nomine ſignificari poteſt, ærumnâ Siracides Eccleſ. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.* Patres aliquot eleemoſynam comparant cum Baptiſmo, quia ſicut non poteſt baptizatus perire, ſi gratiam Baptiſmi conſeruet vſque in finem: ſic etiam non poteſt miſericors homo perire, qui vſque ad finem in eleemoſynæ ſtudio perſeueret. Cyprianus in ſerm. de eleemoſyna, explicans verba Eccleſiaſt. iam citata: *Hic*, inquit, *oſtenditur & probatur, quia ſicut lauacro aqua ſalutaris, gehenna ignis extinguitur, ita eleemoſynis, atque operibus iuſtis delictorum flamma ſopitur.* Ambroſ. ſerm. 31. *Eleemoſyna*, inquit, *quodammodo animarum aliud eſt lauacrum, ſicut ait Dominus, Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis, niſi, quod ſalua fide dixerimus, Indulgentior eſt eleemoſyna, quàm lauacrum. Lauacrum enim ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur: eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Chryſoſtomus hom. 25. in Acta Apoſtolorum: *Non eſt*, inquit, *peccatum quod non poſſit purgare eleemoſyna, quodus non poſſit extinguere. Omne peccatum infra illam ſtat.* Leo ſerm. 5. de collectis: *Eleemoſyna*, inquit, *peccata delent, mortem, perimunt, & pœnam per petui ignis extinguunt.*

A paupertate & peccatis liberat eleemoſyna.

Eleemoſyna comparatur cum baptiſmo.

Audiamus S. Chryſoſtomum qui hom. 53. in Matth. paucis eleganter conſtringit multam vtilitatem, quam homini affert eleemoſyna: *Si illud*, inquit, *maximè proprium artis eſſe ab omnibus prædicatur, vt ad vtiliſſimum finem vtiliſſimè tendat, neque vtilius quicquam liberali miſericordiâ facile inuenies. Nemo ipſam & artem eſſe & cæteris excellentiorem dubitabit. Non ſanè hæc nobis cælamenta, nec veſtimenta contexit, nec lapideas domos conſtruit, ſed vitam æternam facilè præbet, & à manibus mortis tripit, & tàm in hac vita, quàm in altera vita præclarus reddit. Hæc manſiones nobis in cælo ædificat, & æterna tabernacula præparat: hæc lampades noſtras extingui non ſinit, hæc veſtes noſtras non ita lanat, vt non ſordidi, ſed nitidi candidiores ad nuptias peruenire poſſimus; hæc non patitur eò nos detrudi, vbi dines illi cruciantur, ſed in ſinum Abrahæ ſenio itidem ducit.*

Plurima vtilitas eleemoſynæ.

Id ſcire neceſſarium, qua ratione hæc nobis operetur eleemoſyna. Triplicitèr igitur, vt Theologi loquuntur à peccatis liberat eleemoſyna, primò peccatorem diſponens ad gratiam iuſtificationis, de quo propriè dicendi

1. Tabacum frutex, epiſtola.

2. Eleemoſyna diſponit peccatorem ad gratiam iuſtificantem.

di locus occurret cap. 12. huius historiæ. Secundò cùm remissâ culpâ meretur ex condigno remissionem pœnæ reliquæ. Hic est sensus verborum Tobiæ, cui consonat Hebræus Sapiens Prouerb. 16. *Misericordiâ*, inquit, *& veritate redimitur iniquitas.* Huc seruiunt verba Chrysostomi hom. 55. in Genes. *Ne simpliciter, quæso, animarum nostrarum pertranseamus emolumentum. nostrorum medicinam vulnerum. Hoc enim* [illegible] *tamen, hoc maximè tantum nobis præstabit remedium, & tantum animarum nostrarum vulnera delebit, vt neque vestigium, neque cicatrix relinquatur: quod in corporalibus fieri non potest vulneribus. Sed licet infinita quis medicorum imponat remedia, cicatricem in corpore permanere necessarium est. Et meritò: corpus enim est, quod curatur. Hic verò quoniam est anima, cùm propriam præ se tulerit gratitudinem, validam suscipit in melius mutationem: & sic omnia tolluntur vlcera, sicut vento puluis excitatus vehementi.* Et in hunc sensum Patres supracitati de fructu eleemosynæ loquuntur. Similiter idem Chrysostomus hom. 25. in Acta. *Remedium est*, inquit, *ad omne vulnus vtile. Quid publicano deterius? omnis iniustitiæ fomes est auaritia, sed hanc omnem abluit Zacheus. Vide quomodo Christus hoc monstrat, dum curauit & marsupium habere & portare ea, quæ immittebantur. Paulus autem dicit: Tantum vt memores pauperum essemus. Et per omnem vbique Scripturam super hac re sermo est. Pretium animæ viri, inquit, diuitiæ propriæ.*

2. *Præstat remissam culpam delere reliquam pœnam.*

Luc. 18. & 19.

Eleemosyna omne peccatum purgat.

Galat. 2.

Prouerb. 13

3. *Eleemosyna differt pœnam temporalem in homine etiam peccatore.*

Tertiò meretur eleemosyna temporalis pœnæ ferè remissionem, etiamsi homo in peccatis hæreat: ita vt Deus plagas suas talibus in hac vita non infligat. Huc seruit, quòd Daniel dixit cap. 4. ad Nabuchodonosorem, cui Deus minatus erat per vitionem arboris magnæ ab Angelo succisæ, è regno expulsionem, & in bestiam commutationem septem annis duraturam: *Quamobrem Rex*, inquit, *consilium meum tibi placeat, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis*, videlicet remittendo plagas temporales, vel eas differendo. Quod & ipse consecutus est, vt testatur Hieronymus in eum locum, sic aiens: *Fecit quidem Nabuchodonosor iuxta Danielis consilium misericordias in pauperes: & idcirco vsque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia: Sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur, & dicit: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria nominis mei? bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ.* Appositè Chrysostomus hom. 25. cit. in Acta. *Quid Nabuchodonosore*, inquit, *turpius? quid deformius? quid iniquius? Impius homo erat, plurima signa, & iudicia vidit, & noluit respiscere, sed seruos Dei in caminum iniecit, & postea adorauit. Quid igitur Propheta? Rex, ait, consilium meum placeat tibi: peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. Hoc sic dixit non ambigens: valde enim persuasum erat Propheta; sed volens illum amplius terrere, & cogere vt hoc faciat: Si enim affirmando hoc dixisset, negligentior factus esset ille.*

Addit Tobias eleemosynam à morte liberare, quòd non solum de morte spirituali, sed etiam de corporali intelligendum, iuxta Cyprianum serm. de opere & eleemosyna: *Quod eleemosynis*, inquit, *non tantùm à secunda, sed à prima morte anima liberentur, gesta & impleta rei probatione compertum est. Tabitha operationibus iustis & eleemosynis præstandis plurimum dedita, cùm infirmata esset & mortua; ad cadaver, exanime Petrus accitus est. Mors suspenditur, & spiritus redditur: & mirantibus ac stupentibus cunctis, ad hanc mundi denuo lucem reductum corpus animatur. tãtum potuerunt misericordiæ merita, tantum opera iusta valuerunt. Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia viuendi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari.* S. Augustinus hom. 47. ex 50. docet quoque liberari à morte spirituali seu gehennali igni. *Remedia*, inquit, *peccatorum, fratres, medicina est eleemosynarum. Eleemosyna enim à morte liberat, & non patietur hominem ire in tenebras. Patrocinatur in die iudicij homini, vt flammas æternas non timeat, sicut Iacobus in epistola sua dicit, Superexaltat misericordia iudicium. Et iudicium sine misericordia illi, qui nõ fecit misericordiam.* Horum verborum sensus est, Misericordia hominis misericordis prouocat misericordiam Dei, eamque sibi aduocatam & patronam adsciscit; vtraque tam potens & efficax est apud Deum, vt eius iudicio & iustitiæ resistat, eamque vincat & elidat. Est prosopopœia. Iudicium enim & misericordia fingunter quasi duæ personæ, litigantes apud Deum de homine peccatore, & reo: iudicium quasi actor eum accusat, reumque damnationis agit: defendit & excusat misericordia, impetratque & facit vt absoluatur, liberque abeat. Hoc est quod ait Sapiens Prouerb. 14. v. 21. *Misericordia & veritas præparant bona.* & Psal. 40. v. 1. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* & Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Denique Christus in die iudicij electos omnes, ob exercita opera misericordiæ adiudicabit cœlo, reprobos verò ob ea neglecta, inferno, Matth. 25.

4. *Eleemosyna liberat non solùm à morte æterna, sed & corporali.*

Act. 9.

In die iudicij patrocinatur eleemosyna. Iacob. 2.

Misericordia superat iudicium Dei, & quo modo.

Quocirca S. Ioannes eleemosynarius in pauperes liberalissimus eos dominos suos vocabat causamque addebat: *Nam illi soli, inquit, mihi possunt opem ferre, vt à Christi regno non excidam.* Ita explicat locum Iacobi citat. S. Augustinus in psal. 143. dicens: *Superponitur misericordia iudicio, in quo inuentum fuerit opus misericordiæ; & si habuerit aliquid forte in iudicio, quo puniatur, tanquam vndâ misericordiæ peccati ignis extinguitur.* Et S. Hieron. ad Nepotianum:

5.

Non

Vix vllus parit qui opera charitatis exercet.

Non memini me legere, ait, *malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos intercessores; & impossibile est multorum preces non exaudiri. Ne timueris*, inquit Cyprianus loc. cit. *cùm facis eleemosynam: præmium enim bonum reponis tibi in die necessitatis. Quia eleemosyna à morte liberat, & non patitur ire in gehennam. Munus bonum est eleemosyna omnibus qui faciunt eam, coram summo Deo. Quale munus est, fratres charissimi, cuius editio Deo̅ spectate celebratur? Si in gentilium munere grande & gloriosum videtur, Proconsules vel Imperatores habere præsentes; & apparatus ac sumptus apud muneraries maior est, vt possint placere maioribus: quanto illustrior muneris & maior est gloria, Deum & Christum spectatores habere? Quanto illic & apparatus vberior, & sumptus largior exhibendus est; vbi ad spectaculum conueniunt cœlorum virtutes: conueniunt Angeli omnes; vbi muneratio non quadriga, vel consulatus petitur, sed vita æterna præstatur: nec captatur manu & temporario fauor vulgi, sed perpetuum præmium regni cælestis accipitur.*

6. O quæ hæc rerum commutatio pro centonibus, pro obulis, pro mensarum miculis, paludamentum gloriæ, thesauros cæli, delicias non finiendas recipere? *Omnis misericordia facit locum vnicuique secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius*, Eccles. 16. cap. Pythagoras olim docuit, similia non nisi à similibus comprehendi; hoc vitæ mercatu non nisi simile simili paratur, oleum emitur oleo. Misericordiam vis consequi? hamum iace, misericordiæ opus.

Misericordia faciendo, vt misericordiã consequaris.

7. Sed nos miselli contractâ manu ad eleemosynas pergimus, & funes nobis teximus potius quàm thesaurum. Si Absalon auream cæsariem suam attondisset, crines capite, non funes gessisset; si fortunatiores rem suam in pauperum subsidium acciderent, tot amicos arca claudetent, quot numos; nihil dando hoc agunt, vt periculosiores sint insidiæ, quo plures pecuniæ: *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum*, inquit Ecclesiast. cap. 29. *& non abscondas illam sub lapide in perditionem.* Nos prolium multitudinem præteximus, quasi non credentes, patrimonium & res familiares potius augeri, quàm minui, imò & peccata eleemosynis redimi. D. Cyprianus loc. citat. discutiens factum mulieris viduæ, quæ in siccitate & fame 3 Reg. 17. Eliam prætulit filijs, cùm ex modico farris & olei fecisset subcinericium panem, quo consumpto cum liberis esset moritura; hosce parentes perstringens, inquit: *Nec filijs abstulit mater quod Helia dedit, sed magis contulit filijs, quod benignè & piè fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum præcepta eius audierat: non cruce & passione eius redempta, cibum & potum pro sanguine rependebat; vt ex hoc appareat quantum in Ecclesia peccet, qui se & filios Christo anteponens, diuitias suas seruat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat.* Et immediatè post præoccupans tales parentes: *Sed enim multi*, inquit, *sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quo minus largiter bonis operibus insistas.* Respondet: *Atquin hoc ipso operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris, multorum delicta redimenda sunt, multorum purganda conscientia, multorum anima liberanda.* Similitudine deinceps rem illustrat: *Vt in hac vita*, inquit, *sæculari, alendis, sustinendisq; pignoribus quo maior est numerus, hoc maior & sumptus est: ita & in vita spirituali atque cælesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet maior impensa.* Deinde exemplo Iob rem confirmat: *Sic & Iob sacrificia numerosa pro liberis offerebat: quantusq; erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur & Deo numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei sacrificia quotidiana non deerant, quibus possint peccata tergi.* Probat Scriptura diuina, dicens: *Iob homo verus & iustus, habuit filios septem, & filias tres, & emundabat illos offerens pro eis hostias Deo secundum numerum filiorum, & pro peccatis eorum vitulum vnum.* Demum exhortatione ad parentes sic concludit: *Si ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem charitatis; operari, magis debes, vt filios tuos Deo iustâ operatione commendes. Nec cum liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius & infirmus est: sed illum patrem pares, qui æternus & firmus filiorum spiritualium pater est. Illis assigna facultates tuas, quas hæredibus seruas ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias seculares diuina maiestate protector. Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur. Hoc est charis pignoribus in posterum prouidere: hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere.* Et paulò pòst: *Preuaricator itaque & proditor pater es, nisi filijs tuis fideliter consulas, nisi conseruandis eis religiosâ & verâ pietate prospicias. Qui studes terreno magis quàm cælesti patrimonio, filios tuos magis commendare quàm Christo, bis delinquit, & geminum ac duplex crimen admittis; & quod non præparas filijs tuis Dei patris auxilium, & quod docet filios patrimonium plus amare quàm Christum. Esto potius liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da vtilia & salutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit.*

Maiores faciendæ eleemosynæ, si plures proles.

Officium veri patris, filiorum peccata eleemosynis purgare.

Bis delinquit pater, qui filijs solùm de terreno consulit.

Iniusti. cordi quo plures pecuniæ, eò plures insidiæ.

Sunt proh dolor, alij, qui sæpè & liberaliter eleemosynas impendunt, sed oleum misericordiæ, sordibus luxuriæ viriant; tàm faciles ad eleemosynam, quàm in libidinem proni. Turcarum est ista barbaries & sæuitia, qui pueros & mancipia Christianorum ad suam libidinem impunè & impudenter cogunt. Similes ijs sunt Christiani, qui eleemosynis & donis procurant, & quasi emunt vsum corporum 8.

Ingrata est Deo eleemosyna, quam facta voluptatis carnis sequitur.

porum fidelium, & pauperum virginum ad suam obscænitatem. Dant cibum corpori, vt eius decus, famam, & pudicitiam absorbeant: nutriunt carnem, vt animam occidát. Itane vili escâ, vili nummo appenditis, emitis, perditis thesauros incomparabiles, puta Christianum corpus, conscié̃piam, castitatem, animam ad Dei imaginem creatam, & Christi sanguine redemptam? Itane obolo destruitis eius gloriam & felicitatem, eique emitis, & accersitis ignes sempiternos? ô crudelem elemosynam, ô immisericordem misericordiam, ô pretium iniquum & satanicum! Anazarbæi Ciliciæ populi, optimam regionis oliuitatem, virginum suarum castimoniæ tribuunt, quæ solæ illic plantant oleas, & oliuas legunt. Christianis certissimum sit, oleam hanc nostram & Veneris myrtum, inimicissimas esse arbores, nec in eodem plantario iũgi posse. Ingrata est Deo eleemosyna, quam fœda carnis voluptas comitatur, nec simul placere possunt, manus munifica, & libidinosus animus: *Talis*, inquit Augustinus, *debet esse misericordia, Fratres, qua suscipiatur, non qua repellatur: qua peccata purget, non qua animam grauet.*

9. *Eleemosyna, qua fit vt videatur, Deo non accepta.*

Sunt alij, qui quidem hoc carnis luto non merguntur, sed quia videri amant & laudari, oleum suum steriliſſimo labore effundunt. Et cur, mi Christiane, scit leua tua, quid dextera tua faciat? Eliphaz vnus amicorum Iob multis inculcat, quemadmodum frustra impius se soletur, quod malum, quo premitur, pretio declinabit, quia in medio ætatis suæ curriculo auferetur ipse, neque longior erit filiorum ætas, quos casus, aut mala fortuna ante tempus suum extinguet: *Ledetur*, inquit, *quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiciens florem suum.* Iob 15. Sensus facilis est, qui immaturam significat filiorum mortem antequam parenti vsui esse possint illorum ætas & industria; ostendent enim terris hos tantum, fata, nec vltra esse sinunt. Quemadmodum flos in vineis aut oliuetis, cùm multa promittat, si excussus à turbine, aut exustus à glacie ante tempus defluat, spem eludit agricolæ, & mœrorem affert. Sic erit & illi qui ob vanum rumusculum, eleemosynam impertitur; recipit vtique illicò mercedem suam. Audi quid de oliua censeat Gregorius. *Hæc arbor*, inquit lib. 12. mor. cap. 26. *& si largè floreat, si tamen immoderatâ stringatur nebulâ, fructum omnem desperari iubet. ita qui tunc maximè misericors est: cùm spectatores habet, vel vt habeat, fructum operis perdit; ex nebula fauoris.* Hominis prædestinati eleemosyna, vnicum obseruat oculum, sed omnia cernentem; nec laudem exspectat, nisi à quo & præmium, ab vno solo Deo: Et quamuis aureas habeat alas eleemosyna, teste Chrysost. hom. 32. non tamen pauonis instar, admiratores sibi deligit in terra, cùm muneratorem habeat in cœlo, eò suis aureis alis subuolat, & Christo se sistit, quem in mendico agnoscit. Eleemosyna tam non cupit esse nota, vt si possit, etiam clam domino suo, latere velit; nam homo verè misericors, non laborat vt à multis sciatur, quantum dederit, modò sciat is vnus, qui potest danti reddere. Ideò D. Cyprianus hunc beneuolum in egenos animum, secutitatis nostræ salutare vocat præsidium, quo Deum debitorem constituimus, & Christum iudicem demeremur. *Eleemosyna facit Deum debitorem.*

10. *Iniustis persœueratibus non suffragatur eleemosyna.*

Alij, quod maximè deplorandum est, scelerati ſſimè viuunt, & inter ipsa facinora, & flagitia sua eleemosynas frequenter elargiuntur, sibi persuadentes etiam iniustis & peccatoribus, hosce fructus, eleemosynam gignere. Verùm frustra sibi blandiuntur. Vide latè in hanc rem dicta Discursu 5. præuio in IV. Præceptum à n. 6. vsque finem vbi horum errorem abundè refutatum reperies.

CAPITIS QVARTI

VERSVS XIII.

Attendite tibi, ô fili mi, ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam numquam patiaris crimen scire.

PARAPHRASIS.

Vers. 13. Filium iuuenem in primis à vitio, quod adolescentiæ magis est affine, abstinere iubet; deinde vt in coniugio præter vxorem aliam mulierem non cognoscat.

SEC-

SECTIO OCTAVA.

Cur Tobias mandet tantopere filium ante coniugium ab omni fornicatione abstinere?

1. VARIAS esse species luxuriæ, notum est Theologis, de quibus multis per Discursus nouem in VI. Præc. quos consulere poterit studiosus Lector; scitu enim necessaria continent, & huc omninò spectant. Ab his omnibus admonet optimus pater filium. Qui enim omnem dicit, nullâ prorsus excipit, ne illam quidem quæ simplex dici solet, & cuius ante coniugium frequens esse solet præuaricatio. Parui eam æstimant plerique, quasi Gentilium adhuc imbuti sacris; sed longè aliter Tobias noster, qui iubet seriò filium ante coniugium ab ea abstinere: *Attende*, inquit, *fili mi, ab omni fornicatione.* verbum, *Attende*, in Scriptura sacra nonnisi ad res magni momenti adhiberi solet, vt clarum est Matth. 7. vbi Saluator, *Attendite à falsis Prophetis*, & Luc. 21. Attendite, ne *forte grauentur corda vestra, crapulâ, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa.* Quid enim maius, quàm negotium religionis quod per pseudoprophetas quantum in ipsis est, destruitur? Ad illos arcendos Apostolus reuelationes & visiones, quas ad quatuordecim annos silentio inuoluerat, palam facit. Quid magis necessarium, quàm ad diem iudicij vigilare? Quid vtilius homini, quàm nomen bonum, quod à peruersis denigrari solet? Contra hos Siracides Eccles. 11. *Attende à pestifero, fabricat enim mala; ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum.* Simili modo Tobias loquitur de fornicatione etiam simplici: *Attende*, inquit, *fili mi ab omni fornicatione.* In hunc modum etiam locutus Hebræus Sapiens contra hanc pestem Prouerb. 5. cap. *Fili mi*, inquit, *attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent.* Et vt scires de meretrice esse sermonem, subnectit: *ne attendas fallaciæ mulieris; fauus enim distillans labia meretricis.* Et postquam plura de eius nequitia recensuisset, sic quemuis fidelem compellat: *Nunc ergo, fili mi, audi me, & ne recedas à verbis oris mei; Longè fac ab ea* (meretrice) *viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.*

Verbum, Attende, solet ad res graues adhiberi.

A fornicatione fugiendum.

2. Quid autem mouit Tobiam tantoperè hæc inculcare filio? Extra controuersiam est, primò id factum fuisse à bono sene propter enormitatem eiusdem peccati, de qua dixi latè Disc. 4. in VI. Præceptum, cum solutione obiectionum, quas vsurpare solet in suum fauorem lasciua iuuentus. Idque magis suadet optimus senex, quòd norat, quam haberet in omnem ætatem, potestatem, luxuriæ dominatus, maximè adolescentiam; præsertim cùm filius eius habitaret in medio nationis prauæ, vbi Bacchus & Venus suum sibi liberè sine vllo impedimento ac fœno agirabant imperium. Niniuen enim luxuriæ fuisse deditam, obuiasque ibidem fuisse libidinis illecebras, cùm Ionas pœnitentiam indixit Niniuitis, compertum est: ita vt quinis ad Ionæ minas imminens declinauerit supplicium; tamen sic redierunt non multò post ad ingenium & vomitum, vt idcirco perisse doceat Propheta Nahum cap. 3. v. 4. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia: quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum: & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam.* Cùm itaque eadem vitia vigerent in Niniue Tobiæ tempore, quæ tempore Nahum, vt ipse satis insinuat cap. 14. v. 6. huius historiæ, seriò debuit adolescentem filium admonere, vt abstineret à fornicatione, cuius vbique occurrebat & occasio vehemens, & parata materia. Hæc causa litteralis.

Vix vlla ætas à libidine immunis.

Niniue ciuitas luxuria deuita.

Ab fornicatione fugiendum ob enormitatem.

3. Recte Sapiens loc. cit. *Fauus distillans, labia meretricis, nitidius oleo guttur eius; nouissima autem illius amara, quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps, pedes eius descendunt in mortem & ad inferos gressus illius penetrant.* Cui non hoc malũ notissimum? Quid casus exaltat, quid ruinas ædificat, nisi mala fœminarum propinquitas? Longè fac ab ea viam tuam. *Amor formæ*, inquit Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. sub finem, *rationis obliuio est, & insaniæ proximus, sæpe, minimeq; conueniens animo sospiti vitium. Turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit.* Hinc Diabolus piorum exorditur ruinam. Iosaphat filium, Regis Auennir, Christianorum sacris imbutus, qua ratione à culmine perfectionis præcipitare tentat. Pater Idolorum cultor omnem lapidem mouet, vt filium à Christianismo deturbet, nihil intactum relinquit. Sic ad Theudam magum verba facit: *Tempus est, vt quæ mihi promisisti expleas, filiumq; meum, qui à religione nostra defecit, à Christianorum errore vindices, ac cum benignis Dijs in gratiam reducas. Nam ego, cùm omnem artem*

Meretrices fugienda.

Conspectus mulierum quàm sit noxius.

Diabolus per formam puellarum exordit ur piorum ruinam.

Exemplum Iosaphat narrat Damascenus historia ca. 29. & 30.

adhibuerim, atque omnem Lapidem mouerim, nullam tamen morbi medicinam reperi, sed ipsius mentem omnibus rebus superiorem esse perspexi. Nam si blandè ac leniter cum eo agere instituì, ne sic quidem eum mihi vllo modo animum adijcere comperi. Rursum si seuerè atque acerbè eum accepi, in pertinaciam potiùs inde ipsum attolli conspexi. Quamobrem calamitatem eam, qua mihi accidit, sapientiæ tuæ committo. Ac si quidem ea, ope tua, & auxilio liberatus, filium meum mecum rursus Deos meos colentem, atque voluptarias huius vitæ cupiditatibus, ac regni voluptatibus fruentem videro, auream tibi statuam erigam, efficiamq; vt post hac in sempiternum idem tibi, qui Dijs, honor à cunctis tribuatur. Quid verò ille, diabolo attentã subijciens autem, & pestifero eius consilio edoctus respõderit, iam audi: *Si filium tuum in potestatem tuam redigere, ipsiusq; in pugnando pertinaciam inanem reddere cupis, ars à me excogitata est, cui obluctari nullo modo poterit: verùm durus ipsius animus facilius emollietur, quàm cera ingenti rogo admota. Rex itaque vanum hominem inani tumore inflatum videns, ad voluptatem statim animiq; lætitiam se conuertit, sperans videlicet petulantem illam & audacem linguam animum diuinitus edoctum ac Philosophia plenũ superaturam esse. Cumq; quenam illa ars esset, ex eo scisciteretur, tum Theudas, tanquam nouacula acuta dolum contexit, callidèque pharmaca comparat. Atque improbam technam, diaboliq; consilium, quæso, perspice. Omnibus, inquit, ô Rex, qui filio astant, atque inseruiunt, ab eo procul disiunctis, pulchrã, & perquàm eleganti formã præditas mulieres, atque ad pelliciendos animos adornatas, cum eo perpetuùm versari, ipsiq; ministrare, vitaq; consuetudinem & contubernium cum eo habere iube. Ego autem vno ex ijs spiritibus, quos ad res huiusmodi comparaui, ad eum postea submisso, acriorem voluptatis ignem excitabo. Ac simulatq; vel cum vna sola huiusmodi muliercula rem habuerit, nisi tibi omnia ex animi sententia fluant, erit iam cur me contemnas, atque, vt nullius vsus hominem non honoribus, sed maximis supplicijs afficiendum ducas. Nihil enim masculorum animos perinde allicere ac demulcere solet, vt faminarum conspectus.* Vti dictum, ita factum. Pulcherrimæ filiæ, & selectissimæ ad Iosaphat inducuntur ad pelliciendum Iuuenis animum singulariter instructæ & cõptæ: ipse orationis ope tentationem superat. Diabolus ad callidiorem fraudem confugit, vt Iuueni aliquod detrimentum inferat: Ad filium Regis *ex puellis pluribus*, inquit Damascen. *vna omnium formosissima ingreditur: quæ etiam Regis cuiusdam filia erat, captiuaq; à patria sua abducta, Regi Abenner, præstantissimi cuiusdam muneris instar, oblata fuerat: quam pater, vt eximiâ pulchritudine praditam, ad labefactandum, ac deijciendum filij animum miserat. Hanc impostor ille subit, ipsiq; eiusmodi sermones suggerit, qui animi ipsius prudentiam ac sapientiam perspicuè declararent. Siquidem Diabolus omnes ad vitium accommodatas artes facilè ac promptè exercet. Postea q; Regis filium à dextris adortus, puellæ amorem ipsi inserit, ob ipsius videlicet prudentiam & grauitatem, atque etiam ob eam causam, quod cùm ea nobilitate esset, atque è regia stirpe prodijsset, patriâ tamen simul ac gloriâ orbata esset. Adhæc huiusmodi quoque cogitationes ipsi subserit, vt eam ab insano idolorum cultu liberaret, Christianamq; efficeret.* Instabat nequissima filia, & matrimonium cum Iosaphat ambit; quod ille recusat adducto in suum fauorem sacræ scripturæ præsidio. Rursum vrget saltem concubitum: *Siquidem anima mea salutem afferre tibi cordi est. Hac dumtaxat nocte mecum rem habe, atque effice, vt & ego tuâ pulchritudine fruar, ac tu rursum formæ meæ eleganti â explearis. Quod si feceris, hoc tibi polliceor, me simulatque dies illuxerit, Christianam religionem suscepturam, atque omnem deorum meorum cultum fugâ relicturam esse. Atque ob huiusmodi consilium, non modò veniam, sed etiam beneficia, salutis meæ causa, à Deo tuo consequeris. Gaudium enim, inquit Scriptura tua, est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Hisce & similibus sermonibus ob conuersionem puellæ casui proximus, in genua prolapsus orationi se dedit, somno nonnihil correptus, visione cæli & inferni exhilaratus & territus, *Ad se rediens toto corpore contremiscebat, lachrymæq; fluminum instar ex ipsius oculis fluebant: atque omnis impudica illius puellæ, reliquarumq; aliarum pulchritudo, quouis cano & sanie fœtidior ipsi visa est: memoriaq; ea quæ viderat, recolens, tum bonorum illorum cupiditate, tum dolorum illorum metu correptus, in lecto iacebat, sic affectus, vt nulla ipsi exurgendi potestas esset. Vt autem de aduersa filij valetudine ad Regem allatum est, statim ad eum profectus, quidnam ipsi accidisset, percontabatur. Ille autem quidnam vidisset, exponit, aitq;: Cur pedibus meis laqueum parasti, & incurua-sti animam meã? Nisi enim Dominus adiuuisset me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Verùm quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde: qui etiam eripuit humilitatem meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus. Sed visitauit me Deus saluator meus, mihiq; quantis ij, qui eum ad iracundiam prouocant, bonis se priuent, quantisq; rursum tormentis se obnoxios reddant, demonstrauit.*

Damon per feminas euersum Bernardum pardere tentauit, sed frustrà.

Nonne & hac ratione labefactare Cacodæmon fategit castum & pium Bernardi animum: Inuidens præcipuè castitati *Colubet tortuosus*, inquit, Guilhelmus Abbas cap. 3. lib. 1. eius vitæ, *spargebat laqueos tentationum, & varijs occursibus calcaneo eius insidiabatur. Cùm enim aliquando curiosius aspiciendo defixos in quandã oculos aliquamdiu tenuisset, continuò ad se reuersus, & de semetipso erubescẽs apud semetipsum in seipsum vltor seuerissimus exarsit. Stagno quippè gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenus insiliens, tamdiu inibi permansit, donec penè exanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam à calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit, inuenis illum castitatis affectum,*

affectum, quem induerat, qui dicebat: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Et immediatè pòst: *Circa idem tempus instinctu demonis in lectum dormientis iniecta est puella nuda: Quam ille sentiens, cum omni pace & silentio partem lectuli, quam occupauerat, cessit, & in latus alterum se conuertit, atque dormiuit. Misera verò illa aliquamdiu iacuit sustinens & expectans, deinde palpans & stimulans. Nouissimè cùm immobilis ille persisteret, illa licet impudentissima esset, erubuit: & horrore ingenti atque admiratione perfusa, relicto eo surgens aufugit. Contigit item vt cum socijs aliquantis apud Matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, & in concupiscentiam eius exarsit. Cumq; tanquam honoratiori omnium seorsim ei fecisset lectulum præparari, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilij inops, clamare cœpit, Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minimè inuenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ sicut prius, pausant cæteri, sed non illa misera requiescit. Exurgit denuò, & Bernardi lectulum petit; sed denuò ille proclamat, Latrones, latrones. Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo qui solus nouerat, publicatur. Vsque tertiò improba mulier sic repulsa, vix tandem seu metu, seu desperatione victa cessauit. Cùm autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum socij, quosnam toties* ■ *nocte latrones somniauerit, perquirebant. Quibus ille, Veraciter, inquit, aderat latro, & mihi castitatem hospita nitebatur auferre, irreparabilem thesaurum.*

Alia explic.

Numquid Ioſephum illum iuuenem caſtiſſimum, quantum in ſe fuit, omni honore Satanas priuauit, cùm illi inſontiſſimo carceres procurauit? Geneſ 39. Numquid fratres S. Thomæ Aquinatis hoc modo conati ſunt eundem ab optimo propoſito deterrere? Hæ diaboli technæ ſunt, quas Tobiæ iunioris pater ſemper tenſas ſciebat in piorum perniciem: propterea dicebat: *Attende tibi; ô fili mi, ab omni fornicatione.* Venerea libido latronum more omnia bona deprædatur. Horrendum planè quod Author quidã ſcribit ſe à præceptore ſuo inaudiſſe, quod nempe, ſi cõtingat centenos iuuenes inferorum flammis addici, ex iſtis nonaginta nouem ob vitium carnis damnari; centeſimum demùm ob aliquam aliam grauiorem noxam. Coniectura non improbabilis; neq; enim ſine ratione ſic locutus eſt Apoſtolus ad Epheſianos, inter quos libido venerea graſſabatur: *Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, &c. non habebunt hæreditatem in regno Chriſti.*

Iuuenes motuntur præcipuè damnantur ob vitium carnis.

4. *Vitium libidinis pertinacissimè resistit Spiritui sancto.*

Alteram rationem fuiſſe exiſtimo, quòd nullum vitium ita pertinaciter, & obſtinatè diuino Spiritui reſiſtat, atque libidinis. Siracides teſtatur luculenter Eccleſ. 21, *Verbum ſapiens*, inquit, *audiuit luxurioſus, & diſplicebit illi, & proijciet illud poſt tergũ ſuum.* Huic accedit Oſeas ca. 5. v. 4. *Non dabunt cogitationes ſuas vt reuertãtur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Deum non cognouerunt.* Noëmi ævum hoc prodit. Totus orbis in omne vetitum, maximè tamen in libidinem ruebat: hinc illæ Dei querelæ: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Vniuerſi homines, excepto Noe, tantùm carnem ſapiebant, toti caro. Aduerſabatur Deus hanc illorum obſcenitatem, & profuſam intemperantiam: vindictam tamen quingentis annis diſtulit; interea temporis per Noemum variè monuit, fabricandam Arcam dictauit, omnes extremæ malitiæ damnauit, omnium interitum prædixit; crebriùs minatus eſt, vniuerſum humanum genus, niſi reſipiſcerent, vndis extinguendum. Nemo reſipuit, nec vnicus quidem. ita omnes vitiorũ dulcedini ſuccubuerunt, vt quidquid diceret aut moneret Noe, omnia illi cachinnis, & ſibilis digererent; neminem ſuæ turpitudinis pœnituit, nemo doluit peccaſſe. Hæc libidinis natura eſt, remedia ſpernere, monita contemptim proculcare, donec libidinoſum in æternum barathrum præcipitet.

Geneſ. 6.

5. *Libidinoſus ſapientiæ incapax.*

Ad hæc ſapientiæ incapax eſt obſcenus: vt enim in fonte ſordido turbido ac cœnoſo nihilliquidò ſatis ac perſpicuè cerni poteſt, ſic, iuxta diuinæ paginæ oraculum, *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Et alibi, *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt*: Facit enim vt ad contemplationem Dei reuerenter, purè, & verecundè quis accedat. Requirit ſapientiá cęleſtis cor purum, non ſpurcum, & libidinoſum: hoc enim in cœno luxuriæ demerſum, cæleſtem hanc lucem intueri non poteſt. Vnde Sapiens pingens ſapientiam c. 7. 25. *Vapor eſt*, inquit, *virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera, & ideò nihil inquinatum in eam incurrit; candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Ex aduerſo Oſeæ ca. 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Ita Bethſabeæ dementauit Dauidem virum ſecundum cor Dei; & mulieres dementarunt Salomonem mortalium ſapientiſſimum; cæcitas enim mentis eſt proles luxuriæ, ait S. Gregorius lib. 31. Mor. Nimirum, *cùm in aliquem ſupercecidit ignis concupiſcentiæ videri ab eo nequit ſol intelligentiæ*, vt docet S. Auguſtinus in Pſal. 57. v. 9. Ita Dalila excæcauit Samſonem, Iud. 16. & libido Sodomitas, Geneſ. 19.

Iacob. 3.

Luxuria pariter cæcitatem mentem.

Idem viderunt Gentilium Philoſophi. Seneca præfat. ad controuerſias, aſſerit nihil tam mortiferum eſſe ingenijs, quàm luxuriam. Plato ſemper fuit continens ob ſapientiæ ſtuſtium ait S. Auguſt. lib. de Vera Relig. Cice-

Exempla Gentilium.

ro in Hortenſio, aſſerit luxuriæ motum vti maximus eſt, ita inimiciſſimum eſſe ſapientiæ.

6. *Luxuriosus ab honoribus publicis arcetur.*

Vnde luxuria ab honoribus excludit, quod ſerò reſpexit Salomon Prouerb. loc. cit. cùm inquit: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli:* ne ſcilicet alijs facultatem præbeas adeundi eos rei publicæ honores, qui tibi contingerent, niſi meretricibus tibi addixiſſes. Et quidem inter eas, quæ valdè arcent hominem à publicis muneribus, non extremum locum obtinet ſcortatio. Huius rei rationem obtulit Plutarchus, cuius teſtimonium ex libro contra voluptatem produxit Stobæus ſerm. 6. *Qui ſcortantur, dormiunt ad negotia, ciuitates negligunt, non verentur leges, patefaciunt publica conſilia, & vnius mulierculæ cuncta iudicio, vel temeritate potiùs adminiſtrant.* Vnde eleganter Diogenes apud Maximum ſerm. 30. *Scorta Regum reginas eſſe* dixit. Quia ſcilicet Regibus ſæpè imperitant. Ob eam rationem Athenis lege cautũ erat, vt ſcortator publica munera, & magiſtratus capere non poſſet, vt tradit Demoſthenes in oratione cõtra Androtium, & Libanius in argumento eiuſdem orationis. Quanta verò debeat eſſe publici magiſtratus temperantia & pudicitia, eleganti ſententiâ complexus eſt, Magnus Caſſiodorus, 4. Var. Epiſt. 11. *Magiſtratus eſſe debet innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, aræ iuſtitiæ, abſit à iudiciarijs mentibus aliquid prophanum. Pro principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.* Expẽde gradus illos, *Innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, aræ iuſtitiæ.* Nã ex moribus optimi magiſtratus tẽplum quoddam ſanctiſſimum componit: temperantiæ, ac pudicitiæ ſacrarium adſcribit, in quo erecta eſt ara iuſtitiæ, in qua ara rei mactantur pro hoſtijs, & quidquid ad ciuile bonum, & publicam vtilitatem conducens geritur, pro libamentis eſt. Addit Salomon, *& annos tuos crudeli*, id eſt, immaniſſimæ meretrici, agreſti & efferæ. Cuius agreſtes mores deſcribit Chryſoſtomus hom 15. ex varijs in Matthæum locis: *Scio ego, & aſpides blandimentis incantantium mitigari, & leones, & tygres, & pardos domitâ feritate manſueſcere: at mulier mala non ita*, &c. Et paulò ante in eadem hom. *Et quidem ego exiſtimo*, inquit, *in hoc mundo nullam beſtiam eſſe mala mulieri comparabilem. Quid inter quadrupedia leone ſæuius? ſed nihil ad hanc. Aut in ſerpentibus, quid dracone atrocius. Sed ne hoc quidem cum muliere mala conferri poteſt.* Rurſus de hac truculẽtia ſcorti, & læuitia loquitur hom. 49. in Matth. exemplo Herodiadis, & hom. 14. ad populum; Vide eundem, ſi placet, homil. de muliere & pulchritudine.

Apud Athenienſes ſcortator non admittebatur ad publica munera.

Quanta debeat eſſe continentia magiſtratus.

Sanitiâ meretrices ſuperant feras.

7. *Libido deſcoquit omnes facultates*

Hoc parum eſt. Libido prodigit ac deſcoquit facultates, & patrimonia ingentia. Exemplo ſit prodigus ille filius, qui ſubſtantiam ſuam conſumpſit viuendo luxuriosè, Luc. 15. Ideò monuit Salomon quemuis iuuenem ſo-

ribus domus meretricum appropinquare: *Ne fortè*, inquit, *impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena*, iuxta illud Oſeæ 7. *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit.* Elegantiſſimè Chryſoſtomus hom. 86. in Ioa. *Qui meretricibus dat, ridiculus & infamis eſt, & multos ſibi inimicos parat, & breuem voluptatem, vel nullam potius. Quæcumque illi dat, ex his nulla gratia habebitur. Vas enim pertuſum eſt domus aliena. Præterea muliebre genus temerarium eſt, & inferno eius aſſimilatur cupiditas: tunc ceſſat, cùm omnibus rebus amantem ſpoliauerit, imò nec tunc quidem, ſed magis conuiciatur, & inſultat iacenti, eumq; maiorem in modum ridet, & tot eum malis circumuenit, quæ nullo modo narrari poſſunt.* Hactenus Chryſoſtomus, qui ipſiſſima verba habet hom. 63. ad populum. Vbi addit *meretrices patrimoniorum ſyrtes, & ſcopulos appellandas eſſe.* Et in Epiſt. ad Romanos ſcribens ſic fatur de meretrice. *At quemadmodum vſu venire ſolet in vorticibus, à quibus vel millies periculo euadendi facto, tamen euadere non poſſis, ſic & multo moleſtius in huius libidinis altitudinem demerſus teipſum vna cum tuis omnibus rebus perditum ibis.*

Meretrices patrimoniorum ſyrtes.

8. *Libido vitiorum mater.*

Cæterùm ad grauiſſima vitia inducit. Salomonis exemplum in promptu eſt. Hunc ipſum, vbi libido triumphauit, vitiorum omnium matrem idololatria turpiſſimè ſub iugum miſit. Quid virtutis remanſit in Herode, poſtquam victas manus dedit Herodiadis petulantiæ, cuius inceſtum non lachrymis, ſed cruoris riuulis deplorauit inſontiſſimi Baptiſtæ præciſum caput. O luxuriam! ô charybdin, quæ omnes animæ vires, imò & corporis, quin & omnem virtutem guloſè abſorbet, & abligurit. Aureum illud eloquentiæ os graphicè deſcribit quid luxuria non moliatur mali. Educit truculentam Herodiadem non ferentem pia Ioannis Baptiſtæ adhortamenta, dolentis de Regis crimine: *Si dolet*, inquit, *quòd adulterium committat, ego illum etiam homicidam faciam, & accuſantis interfectorem.* Et mox omnes hortatur eius exemplo ſapere: *Audiatis quicumq; mulieres plus quàm decet admiramini, audiatis quicumq; de re incerta iuſiurandum præſtatis: & alijs perditionis veſtræ poteſtatem tribuitis, & profundiſſimum vobis barathrum effoditis: ſic enim etiam Herodes perijt. Putauit enim puellam in ſolennitate & comiuio, in tanta celebritate gratiolam quandam feſtiuam, & ſibi nihilominus conuenientem, non autem caput Ioannis petituram, & deceptus eſt. Sed tamen nihil horum à ſupplicio illum defendet. Nam licet illa atrociſſimi animi fuerit, non tamen ita facilè ille decipi debebat, vt in tyrannico imperio mulieris omnia ſubire vellet. Nam primum quis non abhorruiſſet, ſacrum illud in cœna caput propoſitum videns ſanguinem ſtillare? Sed non fuit commotus Herodes, nec illo ſceleratior illa mulier. Tales quippe ſũt mulieres omnes, quæ mercede corpus proſtituunt, impudentiſſima omnium atque*

Hom. 49. in Matth.

truculentiſſima. Quod ſi nos modò hæc audientes perhorreſcimus: quanta illos perturbatione ad tale ſpectaculum tunc commotos eſſe credimus, qui ſimul in conuiuio recumbebant, nuper interfecti caput hominis cruentatum videntes? Sed nihil illa truculentiſſima, furijs quoque ipſis immanior hoc aſpectu paſſa eſt, verum etiam exultabat ac lætabatur. Et quamuis ipſius aſpectus flexiſſe ipſam debuiſſet, nihil tamen ſceleſta, & ſanguinem propheticum ſitiens commota eſt.

Imò vitiorũ omnium compendium

Quid dicam? Luxuria omnium vitiorum compendium eſt, velut enim Pantomimus, omnium ſibi vitiorum laruas aptat, forſitan comere te neſcis & ſuperbire; hoc te vitium iſtud docebit; calamiſtratos facit & comptulos, quos in familiaritatem recipit. Nummis alienis inſidiari, tuos dilapidare forſan neſciebas antea? hinc diſces. Dies totos otiosâ vrbanitate conſumere, fortaſsè non ſolebas? iam aſſueſces & otiarij & in vtramque aurem ſecurus ſtertere; ſi quid diei ſuperfuerit à ſomno & otio, id ſibi curioſa lectio depoſcet. Bono animo, omnes vitiorum formas condiſces, ſi magiſtram habueris incontinentiam. Et licet horreas quodcumque turpe facinus, licet auerſeris fœditatem omnem quæ oculos incurrit, modò ſordida cogitare non recuſes, modò ſcintillam libidinis animo conceptam non extinguas, modò phantaſijs & imaginationibus impuris hoſpitium non neges, hoc tibi ſatis erit ad interitum; ſatis perit, quiſic ſine ſtrepitu perit; ſatis malus eſt, qui ſic occultè recuſat eſſe bonus. nec ſanè ad cælum aſpirat, quiſquis in his cogitationibus ſeſe oblectat.

9. Deflenda tragœdia Iuuenis libidinoſi.

Tragœdiam inauditam ſcribit Hieremias Drexelius lib. 2. Nicetæ cap. 12. In celeberrima, inquit, ciuitate Lubecenſi matrona erat venerabilis, & Conſulis vxor, quæ vno partu tres filios edidit, quorum vnus elephantiaſi, alter in aquis, tertius, de quo nobis ſermo, ſuâ manu perijt. Sed quo is modo, quoue ordine tam tetram mortem obierit, ſincerè conſcripſit ille, qui & ipſum, & germanos ipſius, & omnem illam familiam optimè nouit. Erat tertius hic iuuenis elegans formâ, ingenio acer, auro diues, veſte nitidus, nec incultus moribus, ſed, quo fœdauit omnia, libidinoſus. Vnde poſt variam incontinentiam, impegit in vnam earum, quæ forma vincere credebatur omnem Lubecenſium fœminarum pulchritudinem. Hæc miſerum inuerecundi amoris vinculo nexum, in ſua caſtra ſic captiuum duxit, vt eum nec numorum diſpendium, nec fractæ libidine vires, nec Dei timor, nec terror gehennæ, nec publica honeſtas, nec priuata amicorum correptio, à turpi conſuetudine potuerint abducere. Quâ ex re factum, vt crumenâ iam depletâ, etiam neceſſarijs inciperet egere. Quòd vbi mater aduertit (pater iam naturæ conceſſerat) filium indignam natalibus pauperiem incurriſſe, materno affectu mota, bis terue, iterum atque iterum æs grande filia donauit, ſimulque monuit illachrymans, memor eſſet Dei, generis item & honoris; memor ſalutis æternæ probrorum conſuetudinem renuntiaret, atque de cetero laſciuiæ ſuæ impetus cohiberet virili animo. Sed heu! fulſere cæco lumina; ſurdo cecinit philomela. Voluit infelix, & non voluit; languidè conatus eſt, & ideò è libidinum cæno eluctatus non eſt. Tandem cùm videret mater, quidquid largiretur, in filij perniciem abire, animum obdurauit, & clauſit manus. Iuuenis, animum & vultum matris mutatum obſeruans, egeſtate & libidine conſultricibus peſſimis vlus, ſtricto enſe in matrem irruit non ſemel, & (horreo dicere) calcibus etiam protriuit, ſeuerè minatus, iam confodiendam, ni ocyus promptâ pecuniâ duræ neceſſitati ſuccurreret. Miſerrima mater ſub filij velut ſub hoſtis gladio contremuit, & territa tam præſenti periculo, quidquid exigebatur, quamuis inuita, donauit: Neque auſa eſt ſui parricidæ crudelitatem ad cognatos aut Magiſtratum deferre, verita ne fortè primores ciuitatis, quorum rigida æquitas iam intonuiſſet Orbi, filium tantæ improbitatis reum ſeuerâ ſententia fulminarent. Tacuit ergo, & quanto potuit ſilentio rem preſſit: ſed breui neſcio cuius linguæ vitio, tanti facinoris fama per omnium aures diſpergebatur. Quocirca conuenerunt cognati, & conſilijs agitatis, iuueni ſub pœnâ capitis interdixerunt, ne ſimili auſu gladium vnquam in matrem amplius ſtringeret, aliaue iniuriâ eam afficeret. At ipſe, effrons alioqui, ad Manlianum hoc edictum erubeſcens, ſtatim maternis ædibus excedere, & vnà matris oculos exire inſtitit. Et ne ſolus erubeſceret, in totius familiæ notam, & dedecus, ipſe cum infami mulierculâ in proſtibulo habitare cœpit. Hic poſt ſericas veſtes conſumptas, poſt diſſimulatam diu famem, poſt maſu pia omnia exhauſta, æger animi, & dolore vix conſolabili tabeſcens, lineæ, & propè iam exſpes, partim febri æſtuare, partim omnia deſperare, & inferendæ ſibi necis conſilium coquere. Cumque malum indies creſceret, nec mali remedium vllum occurreret, iam impar ægrimoniæ, morte decreuit tam acerbam vitam abrumpere. Verùm nequis tam funeſtæ tragœdiæ epilogum impediret, mulierculam, quam ad id temporis deperibat, cum fictis negotijs aliò amandauit. Illâ domum egreſsâ, ille iam ſolus & abſque arbitris, è culinâ cultrum rapit, & ſcedit in hortum, vbi ſcilicet Incontinentia ſuum ſibi triumphum ſtatuerat. hîc vagum lumen in omne latus circumferens, in ſolitu-

dine se deprehendit. Itaq; diffibulato raptim thorace palladium morbo pectus denudauit, & cultri manubrium infixit parieti ligneo, tantoq; sese impetu in aduersum mucronem impulit, vt ossea crate pectoris transfosâ, dorsi quoque spinam violaret. Hoc vulnere saucius in terram corruit, visoque sanguinis effluuio, sæuioribus furijs agitabatur, quod inuisum spiritum tam acerbis impulsibus exturbare nõ posset. Heu triste spectaculum! Et en quo furore suimet carnifex hærentem etiamnum pectori cultrum in orbem rotet) vt è signis in cadauere patuit) viscera laceret, & scelestum animum non tàm emittat, quàm eijciat. Redijt interim domum infelix fœmina, & in horto demùm reperiens amasium in suomet sanguine volutari: expalluit & linquente animo humi collapsa est. Tandem, resumptis viribus, cùm ad se redijsset, omnem viciniam fœdo eiulatu conciuit. Vicinis in hortum cateruatim irruentibus, ipsa lachrymis infusa, quo habitu cadauer reperisset, narrauit. Mox fama per vrbem, & ad matrem euolat. Ad hunc nuntium mater, velut læna raptis catulis irrugiens, pallore suffundi, & penè alterum funus fieri, mox ad hortum non ire, sed currere. Hic inter spirantes flores tam fœdè extinctum filium offendit, & mox primo aspectu, animâ deficiente, velut cum filio moritura in herbam procubuit. In fletum adduxit spectatores iam pœnè geminum aut triplex funus. Mater è defectione recreata, vberrimis perfusa lachrymis, & madentes oculos in filij pellicem obuertens: O mulier, inquit, quid feci*sti? meum mihi sanguinem tu seduxisti; horum omnium causa tu es, infelicissima.

10 Alterâ luce cognati vix plurimâ pecuniâ impetrarunt, liceret sibi miserabile funus terræ mandare, quod leges flammis dare voluissent. ita hic iuuenis sui ipsius carnifex in profano sepulchreto humatus est. Nocte vnicâ post sepulturæ honorem exactâ, tumuli terra ita subsedit repentinâ labe, vt non nemo conijceret, cacodæmones, qui animam rapuerant, etiam corpus abstuliss*e. Ipse ego, (inquit rei gestæ scriptor) vidi congestam glebam in eminentiorem tumulum: at verò posterâ die, tantum terræ dehiscebat, vt difficile fuerit credere, hominem illic sepultum esse. Et hunc tam exitialem exitum habuit iuuenis illius libido & incontinentia, in luculentum exemplum omni posteræ memoriæ, vt norint omnes, qua malorum voragine ij sese præcipites mergant, qui habenas libidini laxant. Hoc illud nobile trophæum est incontinentiæ.

Discant Iuuenes, discant viri, discat Orbis alienâ clade sapere, lasciuiæ cupiditates frænare, consortium omne, quod libidini faueat, declinare. Hactenus Drexelius.

11. Sed quid? Monet Christus, clamant Prophetæ, Apostoli hortantur, vrgent Ecclesiastæ, Diui omnes exemplo docent, non secundum carnem ambulandum, sed secũdum spiritum; prudentiam carnis mortem esse: sapientiam carnis inimicam esse Deo: eos qui in carne sunt, Deo placere non posse: debitores nos esse non carni, vt secundum carnem viuamus: morituros nos, si secundum carnem vixerimus, si autem spiritu facta carnis mortificauerimus, victuros. Quid nos ad hæc? Moriar, peream, occidar; modò imperet caro, modò sua omnia salua sint carni, quidquid fiat animo. Redeunt monitores illi, & contentiùs exhortantur: *Carnis curam ne feceritis in desiderijs: Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis. Spiritu ambulate, & desideria carnis, non perficietis. Manifesta sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. fructus spiritus est Charitas, Continentia, Castitas, &c. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Rom. 8. *Libidinosi malunt nomine Spiritus sancti resistere, quàm carni.* Rom. 13. 1. Cor. 15. 2. Cor. 7. 1. Galat. 5.

12. Hæc audimus, neque fœdus cum oculis pangimus: Monet Tobias pius pater filium suum ab omni fornicatione abstinere; nos è contra delicta iuuentutis palam recensemus, & ex tam pestifero malo laudem captamus, Iuuentutis scandalo. Meminerint parentes verborum Christi, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Rarò enim persuadebis filio hoc malum esse, quod tuo exemplo probatum cupis. Nec hìc sistunt, sed filias prostituunt, imò cõpellunt ad aliorum obscœnitatem, vt inde lautiùs victitent, vti olim Moabitæ, qui vt euaderent temporalem pœnam, aut gladium Israelis pulchras filias ad vsum Israëlitarum prostituebant, numer. 25. vt sic prouocarent simul Dei vindictam in Israelitas libidinosos, eaque ratione immunes euaderent. Sed ob oculos ponant Apocalypticæ mulieris impuræ & libidinosæ Nicolaitarum sectatricis exemplum. Hæc, cùm alios doceret fornicari, & nollet pœnitere à fornicatione sua, audiuit à Domino: *Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint: & filios eius interficiam in morte, & scient omnes Ecclesia, quia ego sum scrutans renes & corda.* id est, Quia pœnitere non vult, diuturno ac grauissimo morbo illam afficiam; eiusque consortes; insuper liberos eius & domesticos, qui nempe sceletibus eiusdem præ cæteris fauerunt, morte dirâ feriam, omninò interficiam, & perdam; ita vt nullus ex eis superstes maneat. Geminatio autem illa, *interficiam in morte*, more Hebræorum ad amplificationem

Vitandus lasciuorum firma coram immanis.

Grauiter puniuntur, qui filias prostituunt.

nem ponitur. Cumque ſupplicium de his omnibus ſumpſero, & occultiſſimè etiam peccantes puniero, omnes Eccleſiæ reipſa cognoſcent, nihil eſſe tam occultum, quod mihi manifeſtum non ſit. Hæc addidit Dominus, quia mulier ea, & eius comites, vt magis errores ſuos alijs perſuaderent, ſanctitatem ſimulabant, & de aliorum pernicie cogitabant: alij autem non ſe prodebant, etſi animo & facto aſſentirentur.

13. Acris profectò admonitio non ſolùm matribus, ſed pro quibuſuis mediatoribus, & mediatricibus ad eiuſmodi effectum. Ah ſurdà aure tranſimus, & hæc fulmina flocci pendimus! Aliter Tobias noſter, qui ab omni fornicatione ſeriò dehortatur, & continentię vult filium eſſe amantem; non verò inſtar ſtultiſſimorum mercatorum quadrante vno aut teruncio non tàm vendere, quàm abijcere caſtitatem, & breui, aut potius nullâ, voluptatula delinitum perdere pretium incomparabile. *Omnis ponderatio*, inquit Siracides, *non eſt digna continentis animæ.*

Nihil comparandum cum caſtitate.

Neque dubito, quin omnes vias præcludere voluerit Tobias, quibus ad hoc barathrum hiatus eſt. Iob. cap. 31. fœdus inijt cum oculis ſuis, vt ne cogitaret quidem de virgine, cuius propoſiti rationem reddens: *Quam enim partẽ*, inquit, *haberet in me Deus deſuper?* perinde ac ſi diceret, niſi ita ſeriò cauerem, niſi occaſiones tam ſtudioſè declinarem, niſi omnem malam cogitationem mox animo proſcriberem, niſi denique parua magni facerem, aliquod haud dubiè laſciuum deſiderium in me oriretur, per quod Deum amitterem. In quo Dæmon exercitatum furem feliciter ſæpè imitatur, hic namque clauſam domum expilaturus, ſi quod foramen, vel feneſtellam ſibi patefaciat, quæ tamen hominem adultum non admittat, puerum per illam immittit, vt is hac ratione in domum illapſus, magiſtro ſuo ianuam referet, quò rem ſuam intus agat. Pari modo diabolus, cogitationes impuras, iactus oculorum curioſos, lectionem incautam, voces & geſtus parùm verecundos veluti furunculos prævios intromittit in animum, qui veluti oſtium pandant, viamque faciant ingreſſuro. Verùm horum neglectus nos in libidinis labyrinthum inducit, in luxuriæ abyſſum præcipitat, *in pigritijs*, inquit Sapiens, *humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus*, Eccleſ. 10. Cùm domus rimas accipit, & ſtillas admittit, in ruinam vergit, niſi rimæ obducantur, auertantur ſtillæ.

Occaſiones, ſeu initia primæ libidinis ſeriò fugienda.

Præludia libidinis neglecta, luxuria cauſa eſt.

14. Plurima ſunt, quæ minuta credimus, & quoniam ea perofcitantiam non cauemus, ab his minutis in maximum ſæpè malum prolabimur. Et hinc tantum abeſt, quod in nouiſſimis deploremus nos contemptiſſe exhortamenta Superiorum, vt potiùs abſque ſcrupulo & conſcientiæ remorſu in libidinem præcipites, ruamus in gehennam, & ſeriùs plangamus iuxta illud, Prou. 5. v. 11. *Et gemas in nouiſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas: Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magiſtris non inclinaui aurem meam?*

SECTIO IX.

Quare Tobias filium vſque adeò benè inſtructum, ab adulterio tantoperè dehortetur.

1. HEBRÆVS Sapiens Prouerb. 5. dicit: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluentam putei tui.* Hiſce verbis Matrimonium tanquam præſentiſſimum libidinis remedium conſulit, quemadmodum Paulus 1. Cor. 7. *Propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat.* Ac rurſus, *Melius eſt nubere, quàm vri.* Vritur autem in eam rem elegantiſſimâ ſimilitudine ad legitimi coniugij vſum adumbrandum: *Bibe aquam de ciſterna tua.* Adoleſcens ſanè libidinis æſtu vritur, vt ait Paulus; ex calore autem, & ardore ſitis euenit, ſcilicet veneris appetentia, quam alibi etiam cum ſiti contulit, Eccleſ. cap. 26. *Sicut viator ſitiens ad fontem os aperit, & de omni aqua proxima bibet*, &c. Ita vt eius ſententia ſit hæc. Hactenus illicitam cum meretricibus conuerſationem interdixi tibi: ſed tamen fortè cauſaberis te libidinis ardoribus æſtuare, & ſiti omni ardentiorem Veneris appetentiam experiri, atque adeò continere non poſſe. Bibe aquam de ciſterna tua, &c. id eſt, ad eam ſitim ſedandam, & reſtinguendam, vtere propriâ, & legitimâ vxore, quæ ciſternæ in modum puras, & illimes tibi præbebit aquas. Et paulò poſt cauſam addit: *Sit vena tua benedicta: & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ*, id eſt, Vxor tua copioſam & numeroſam prolem in lucem edet, ſi eius amore, & legitimo vſu contentus, vires corporis non exhaurias vagâ & alienâ libidine, & per amorem Dei vitia declines: & implebitur in te illud Dauidicum Pſal. 127. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut nouella olivarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Sic, inquam, veram, ſolidamque nanciſceris lætitiam, quâ vaga libido non ſolum caret, ſed multum præterea fellis admixtum habet.

Matrimonium præſentiſſimum libidinis remedium.

Veneris appetentia cum ſiti comparatur

Maritus vxoris libidine dum taxat contentus, patrem habebit.

2. Similem ob cauſam hortatur Tobias filium: *Prater vxorem tuam ne patiaris crimen ſcire.* Quaſi dicat: Si matrimonium cum vxore cõcorditer, lætè, & feliciter tranſigere velis, ô Fili, nihilque infenſi ab ea pati, longiſſimè à te abſit crimen adulterij: Nil vtique magis exaſperat

Mulieres in primis exaſ-

Odit virorũ adulterium, quod atrocia facinora inspirat.

asperat vxorem præsertim castam quàm viri congressus cum externa, impudicaque muliere. Quiduis aliud in marito æquius tolerat, hinc excandescit, irascitur, vindictam parat, ac furore vesano instincta atrocia facinora conficit, nec alijs, nec marito, nec filijs, nec sibi, suoque pudori parcit. Apuleius Auctor est, lib. 8. Meta. vxorem cuiuspiam villici dolore pellicatus instigatam, cunctas mariti rationes, & quidquid horreo conditum tenebatur, admoto igne combussisse. Sed tali damno thori sui cõtumeliam vindicasse non contenta, iam circa viscera sua sæuiens, laqueum sibi nectit, infantulumque, quem de eodem marito iamdudum susceperat, eodem funiculo nectit, seque in prærealtissimum puteum, appendicem paruulum trahens præcipitat. Idem lib. 10. eiusdem operis, tradit & aliam mulierem suspicatam maritum sororis cõcubitu vti puellam primùm acerbissima crudelissimaque morte interemisse, deinde maritum & filiam; quam ex eo susceperat, veneno necasse. Scribit Palæphatus, & eius auctoritate Eusebius Chronographus, Sphinga vxorem Cadmi, propter zelum Hermiones, à viro recessisse, ac contra eum bellum inijsse. Laodice vxor Antiochi Regis Syriæ (is est, cui Deus cognomentum fuit) Berenicen Ptolomæi sororem, quam maritus deperibat, illiusque ex Antiocho filium, primum interimi iussit, deinde & se veneno necauit: vt testis est locupletissimus Hieronymus in Daniel. cap. 11.

Exempla prophana.

Bruta quædam adulteria nesciunt.

Quid miraris? Natura, animalia bruta quædam docuit præter vnius concubitum nullum pati. Elephantes enim nulla nouerunt adulteria vt retulit Plinius lib. 8. cap. 5. & Solinus cap. 38. Quin & ipsi hominum adulteria detestantur, & morte puniunt, vt videre licet ex Æliano lib. 1. Histor. animalium, quem de elephante conscripsit: itemque lib. 15. vbi de Ciconia loquitur, quibus locis scribit id animal intelligere, cùm vxor sui altoris adulterium cum altero viro committit: & aliquando vtrumque, scilicet adulterum & adulteram interemisse, aliquando item id marito detexisse. Similiter columbæ fidem coniugij non violant, neutrique nota adulteria, vt à Plinio Scriptum est, lib. 10. c. 34. & Æliano lib. 15. animalium. hoc verò non vsque adeo improbabile.

3. *Adulterium labefacit animam.*

Verùm tanti viri pietas etiam altius respexisse videtur, quàm ad vxoris litigia nempe vt puram seruaret animam, & à crimine tam fœdo illibatam, quod Deo sciret maximè exosum, quodque viri sancti cum periculo vitæ etiam ante Matrimonium illud detestabantur. Cogita Iosephum Genes. 39. Quod & Iob in matrimonio tam execrabile iudicarat, vt iurisiurandi religione omnem à se suspicionem amoueret, & omnino negaret, se vnquam cordis sui habenas laxasse, vt tam indignum, atque execrabile flagitium ad animum admitteret: *Si deceptum est cor meum, ait, super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: sortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij.* Si cœco, inquit, atque vesano amore alienæ vxoris coniugali fidei, aut virginali pudori insidiatus sum, idem mihi vxore violata ab adulteris contingat, quorum vxor mea libidini succumbat: quod viris durissimum, nam hieronymo teste in Amos 7. maritus libentius audit vxorem interfici, quàm pollui. Amos Vates cap. 7. inter plura mala hanc pœnam ob aliud crimen prænuntiat Amasiæ Idolorum Prophetæ: *Tu dicis: Non prophetabis super Israël, & non stillabis super domum Idoli. Propter hoc hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur, & tu in terra polluta morieris, & Israël captiuus migrabit de terra sua:* Id est. Et tu ô Amasia, qui obiectis terroribus linguam meam cohibere vis à prophetando contra Bethel, id est, idolorum domicilium, audi durum de tuo capite vaticinium: Quia ob quæstum & lucra tua populum ad idololatriam impellis, mihique eam impugnanti resistis, idcircò congruè & iustè punieris hac ignominiâ, & indignatione, vt videas, licet fremens & frendens vxorem tuam in ciuitate te derelicto fornicari, vel cum amasijs suis, vt vult Arias, vel cum hostibus tuis, videlicet Assyrijs, à quibus capta vrbe violabitur, vt vult Hieronymus, & alij.

Iob. 31.

Viris durissimum, habere vxorem adulteram.

4.

Hoc, inquam, cauit Tobias senior ne filium fœdaret tantum scelus, quem docuerat timere Deum, & cauere ab omni peccato. Vxorem vtique latere posset, non Deum. S. Petrus apud Clementem grauiter pronuntiat, *Venenum adulterij esse cunctis malis perniciosius.* Crimen est, quod turbat honorem Matrimonij, & famam liberorum in qua consistit decus gentium. Rationem assignat Clemens lib. 6. constit. Apost. cap. 27. *Quia adulteri iniurium alijs faciunt, cùm aliena matrimonia violant: & quod à Deo factum est vnum in duo diuidũt, ac liberos faciunt suspectos, & legitimum Matrimonium insidijs exponunt.* Thales Milesius censebat adulterium esse peius periurio Percunctanti enim adultero, an iuraret non commisisse se adulterium, Non est, inquit, periurium adulterio deterius. οὐ χεῖρον μοιχείας ἐπιορκία. Hinc & eiusmodi crimẽ, iniquitas maxima vocatur, Iob loc. cit. Et Sybilla Erythræa, quam præter cæteras præcipuam & nobilem fuisse commemorant, inter facinora, quibus maximè Deus irascitur, atque irritatur, adulterium reponit, vt constat ex his versibus, quos ex ea retulit Lactantius, in lib. quem de

Adulterium peccatorum omnium maximum.

Adulterium peius periurio.

Ira

Ira Dei elegantiſſimè conſcripſit, cap. 22. Et in hanc ſententiam eſt & illud Euphronis, apud Stobæum cap. 6.

οὐκ ἔστι μοιχοῦ μεῖζον οὐδὲ ἓν κακόν,
Non eſt adultero maius vllum malum.

5. *Item grauius furto.*

Hebræus Sapiens furto peius eſſe planiſſimè declarat: *Non grandis*, inquit, *eſt culpa cùm quis furatus fuerit, furatur enim vt eſurientem implet animam: deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet & liberabit ſe. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam: turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur: quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſdam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Prou. 6.

6. *Adulterij crimen omninò eſt inexcuſabile.*

Chryſoſtomus inexcuſabile crimẽ eſſe veriſſimè aſſeruit: *Quemadmodum*, inquit, *Gubernator in portu faciens naufragium, haudquaquam vllam impetraret veniam: ſic nec is cui cùm per coniugium conceſſum ſit quo lapſum effugiat, tamen alienas perſodit matrimonia, aut qui quancumque fœminam curioſis aſpicit oculis, habere quidquam poſſet quo ſemet excuſet, nec apud homines, nec apud Deum, etiamſi decies millies allegarit naturæ voluptatem.* Pergit paulò pòſt auteum illud os recenſere quantum afficiat reum eiuſmodi crimen. *Omnia*, inquit, *pauit, metuitq; qui talis eſt, vmbras, parietes, ipſos lapides, tanquam vocem emittentes: omnia obſeruat, omnes habet ſuſpectos, famulos, vicinos, amicos, hoſtes, eos qui norunt omnia, eos qui nihil norunt.* Addit vel conſcientiam propriam vlcerare. *Quin potius ſi voles, tollantur hæc omnia; ponamus nulli notum eſſe flagitium, præterquam ipſi vni, & mulieri, quam adulterauit: quo modo feret conſcientiam redarguentem, acerbam & amarulentam accuſatricem vbique ſecum ferens? Quemadmodum enim ſeipſum nemo poteſt effugere, ita nec illam eius curiæ ſententiam. Hoc enim tribunal non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eo quod diuinum eſt, & à Deo noſtris impoſitum mentibus. Verè adulter, per inopiam ſenſus, exitium ſuæ ipſius animæ conciliat.* Adulter à conſcientia arguente numquam ſecurus.

7. Iob vel minimum luxuriæ horrebat appulſum: *Nunquid*, inquit, *non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniuſtitiam?* quaſi dicat: Cur ego tam fœdum vitium, & immane monſtrum non horrerem, cùm innumerabilia gignat mala, & iniquum ad omne virtutis opus languidum reddat, & ebrioſorum in modum à Deo, & à ſeipſo prorſus alienum. Chryſoſtomus penicillum inuenire nequit, quo fœditatem luxuriæ adumbret. orat. 5. aduerſus Iudæos, ita deſcribit luxurioſum hominem, vt in illa perditum hominem & ſtipitem agnoſcas. Quemadmodum is, qui multum ebibit merum, ſeque ingurgitauit, illiberales voces effundit, aliudque pro alio videt; ſic etiam luxurioſus veluti mero quopiam ſua cupiditate repletus, nec ſana profert verba, ſed obſcœna omnia, ſed pernicioſa, ſed illiberalia, riſuſque plena, aliaque pro alijs videt cæcutiens ad ea, quæ cernuntur. Idem alio loco luxurioſum cum obſeſſo à dæmone componit, qui quodam modo abit à ſeipſo, & alienos aſſumit motus, voces, perſonam; adeò vt periiſſe credas, quem ante hominem videras, & in illo viuere ſpiritum apoſtatam & impurum? Quis in Dauide adultero Dauidem agnoſceret, quem antè norat prophetam, fortem, religioſum, miſericordem, & ſtrenuum? Quis in Salomone libidinoſo recognoſceret pium, excelſum, potentem, ſpiritus plenum, atque ſapientiæ, quem totus admirabatur, & timebat mundus? Et vt de profanis ac fabuloſis aliquid miſceamus, quis in Hercule ſic libidini dedito, vt mulierculæ ſubiret imperium, & ſtamina ancillari more è colo ſuſpenſa digitis torqueret cùm timeret verbera, niſi penſum à Domina impoſitum abſolueret: quis, inquam, in Hercule, non iam Hercule, ſed imbellis fœminæ turpi ſimulachro, cognoſceret hominem laborum patientiſſimum, ferarum domitorem, cui nullum periculum timorem incuſſit, quem ab adeundis laboribus, nulla abduxit, aut retardauit difficultas? Hæc videri poteſt ſententia illorum verborum: *Alienatio operantibus iniuſtitiam.* Quaſi dicat, luxuriam efficere vt homo à ſeipſo in alienam ſpeciem totus abeat, neque priorem ſeruet ſapientiam in iudicando, aut in priori deliberatione conſtantiam. At veroſimilius autumo virum ſanctum loqui de alienatione à Deo, ita vt qui libidini ſe dedunt, ſeque ipſos fœdè, ac flagitioſè contaminant, alienent à ſe Deum, & eijciant, qui lubens in ipſorum animis habitaret, & tanquam ſuam ſibi hæreditatem cuſtodiret & coleret. Luxurioſus ebrio, aut energumeno ſimilis.

8. *Adulterium multorum malorum cauſa.*

Hæc mouerunt bonum ſenem grauiter dehortari ab adulterio filium. Ne miteris? Iob certiſſimè pronuntiat: *Hoc nefas eſt, & iniquitas maxima*: neque hoc ſolum; ſed *& ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*: Hoc, inquit, nefarium eſt ſcelus, longeque grauiſſimum, quodque omnia ſubuertit, tam pacis, vitæque ſubſidia, quàm dignitatis ornamenta, non ſecus atque ignis, qui tàm ſtirpes, quàm ramos depopulatur, & ſoluit. Hieronymus ab hoc ſcelere diſſipari ac deteri virtutes omnes; *Nefanda*, inquit, *res eſt, & iniquitas maxima, hæc funeſta, atque deteſtabilia cogitare, vel facere; ignis eſt incentiua libidinis, omnia bona virtutum deuorans, atque vniuerſa in homine ſanctarum rerum incrementa conſumens.*

9. *Pœna adulterij qualis erat Iobi.*

Vt vt eſt, iniquitatem maximam aſſeruit Iob eſſe crimen iſtud non ſolùm ratione eorum, quæ in medium adduximus; ſed vt eſt veroſimile, ex ſeueritate ſuppliciorum. Palæſtini namque tempore Iſaac grande peccatum

tum dicunt esse adulterium: & illud non solum ad mœchum, & adulterum, sed etiam ad totum populum pertinere. Vnde Genes. 26. dicit Abimelech ad Isaac, à quo vxorem abstulerat: *Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum.* Mulctari porrò hoc ipso Iobi tempore adulterium igne non obscurè colligitur ex Genes. cap. 38. cùm Thamar adulterij rea accusaretur apud Iudam socerum suum, iussa est absque dubio secundum legem, aut consuetudinem illam cremari: *Producite*, inquit, *eam vt comburatur.* Hæc superioribus temporibus. Nam tempore Moysis alia & decreta, & indicta pœna, eaque capitalis tam viro, quàm fœminæ, quæ nefas illud magnum admiserunt. Vide Leuit. 20. Deuter. 22. Plura dixi toto Discur. 1. in V I. Præcep. quem consule, si placet.

10. Quis pater nisi vesanus filium etiam benè institutum ab hoc crimine non deterreret? Tobias senior recogitabat mores eorum, inter quos filius versabatur, & præsentia pericula. Erant enim Niniuitæ non solùm idololatræ, & libidini maximè dediti, sed etiam malefici, vt insinuat Hebræus Vates Nahum capite tertio: *Propter multitudinem*, inquit, *fornicationum meretricis speciosæ & gratæ, & habentis maleficia.* Nam meretrices non solùm formam sibi ascito medicamento conciliant, sed etiam ad hæc magicas adhibent artes, & veneficia, quæ philtra quædam sunt, & ad Veneris furcta, irritamenta maxima. Hæc autem & olim frequenti fuerunt in vsu, vt docet Virgiliana Pharmaceutria, quam expressit ex Theocrito, & exempla varia, quæ apud antiquos passim obuia. Eo artificio capta esse traditur Dido amore Æneæ lib. 1. Æneidos. & eodem simulat velle se in sui amorem Aeneam pellicere, quem videbat alienum. Et nostris etiam temporibus sunt, quàm vellemus, vsitata magis: quorum exempla horribilia, ac miseranda audiuimus quotidie. Vide Martinum Del. Rio lib. 3. Magicar. disquisit. quæst. 3. De his etiam sic Chrysostomus hom. de muliere & pulchritudine: *Cùm enim contenderent illa* (meretrices) *vt adhærentem sibi, atque amore sui pœnitus adstringerent, magicas artes excitarunt, amatoria pocula appararunt, multasq; prestigias consar-*

Niniuitæ libidini & maleficio dediti.

Philtra, & maleficia ad excitandum amorem vsitata.

cinarunt. Ita deinde in grauem morbum coniectum, & lui, tabiq; lenta traditum ex hac vita sustulerunt. Si igitur homo gehennam non metuis, ad prestigias earum metue. Cùm enim per hanc lasciuiam Deiste auxilio priuaueris, & supernam opem tibi precideris, excluso omni metu meretrix, cùm dæmones suos inuocauerit, cùm solia scripserit, & insidias struxerit, facilè sanè salutem tuam opprimet, probrum & ludibrium omnibus, qui vrbem habitant, te constituens. Hactenus Chrysostomus, qui hom. 24. in Epist. ad Romanos, de philtris etiam, atque veneficijs, quibus pellices vti solent, verba multa interserit. Et sanè proprium esse meretricantium fœminarum pocula amatoria temperare, veneficas artes exercere, compertum est. Hinc autem lucem accipit locus Apocal. 17. vbi meretrix illa crudelis, & blasphema expingitur. De qua inter alia sic scribit: *Et habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis eius.* Existimo enim illud poculum esse amatorium, scilicet ad id temperatum vt multorum amorem sibi conciliaret, & obstringeret. Baruch quoque cap. 6. similis maleficij facit mentionem. Vnde latius egi Disc. 5. in V I. Præceptum ad verba, *Succendentes ossa eius rum.*

Propriùm meretricum pocula amatoria parare.

Propter hanc causam reor Tobiam admonitum voluisse filium, ne pateretur se ad vllam libidinem induci; sed constanter ageret contra diabolicas nequitias; quandoquidem philtris nullius voluntas cogi possit ad alterius amorem, licet imaginatio quidem perturbari possit.

Audite hæc Patresfamilias, & ad normam 11
boni senis filios instruite, non desunt, proh dolor! pericula. Notate quantum hoc crimen adulterij esse Christus censuerit, qui cum in Euangelio suo retinendas omninò vxores iussisset, nec vllam permisisset diuortij causam, contra Moysis legem, vnicum adulterium excepit. Ferenda est igitur vxor temulenta, iracunda, gulosa, vaga, iurgatrix, deformis: solam licet adulteram repudiare. Aspera quidem & reliqua sunt vitia, sed toleranda: at fidem thoro violasse, intolerabile est. Cæterùm Chrysostomus in Euangelium D. Ioannis hom. 62. docet adulterium grauius esse idololatriâ.

CAPI-

CAPITIS QVARTI

VERSVS XIV.

Superbiam numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.

PARAPHRASIS.

Verſ. 14. Monet deinceps Tobias ſenior filium, vt non ſolùm ab omni ſuperbia; ſed etiam à corpore vel minimam illius ſignificationem expellat; quòd ab illa omnis perditio olim ſumpſerit, & nunc etiam quotidie ſumat exordium.

SECTIO DECIMA.

Quare Tobias tantopere dehortatus eſt filium ab omni ſuperbia.

1. VIDERI poſſet alicui fruſtraneum Tobiam ſeniorem dehortari à ſuperbia filium, cùm in eo rerum articulo minus eſſet hoc vitium formidandum adoleſcenti, qui pauper erat & exul, neque quidquam apparebat, quod afflictum animum inſoléter attolleret: monet tamen pius ſenex, vt nũquam in ſuum animum, & ſenſum ſpiritum inflatum, & plus iuſto ſibi tribuentem admittat. Dominari autem in ſenſu ſuperbiam nihil aliud eſt, quàm de ſe altè, atque ſuperbè ſentire, quaſi in his, quæ hominum vulgo exiſtimantur ſplendida, neminem ſuperiorem agnoſcat; aut ſe in illorum aliquo iudicet eximium. Sed conſideranti quæ Spiritus S. proteſtatur 1. Ioan. 2. liquebit non eſſe paradoxum: *Omne*, inquit, *quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Interea, quæ in mundo ſunt, faſtus eſt, appetitus propriæ excellentiæ & gloriæ, qui quoduis præclarum facinus, eruditionem omnigenam, & virtutem, omnem ſanctitatem audet arrodere, prorſus adinſtar vermium, qui non niſi optima pira perrodunt.

Superbia in ſenſibus & moribus vitanda.

2. Scito igitur patrem non leui de cauſa faſtidium huius vitij inculcaſſe. Deus enim maximè illud odit: *Abominatio Domini eſt*, inquit Hebræus Sapiens, *omnis arrogans.* Et Siracides Eccleſ. 10. *Odibile coram Deo & hominibus ſuperbia.* Rurſum Prouerb. 6. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima mea: Oculos ſublimes*, &c. Reproborum itaque hoc vitium eſt: Prædeſtinatorum proprium in alto non altum ſapere, ſeipſum deprimere, meritis cœlum attingere, & opinione ſua circa ſolum repere. Bernardus hom. 4. ſuper *Miſſus eſt. Semper*, inquit, *diuina gratia familia-*

Superbia Deo odibilis. Prouerb. 16.

Prædeſtinatorum eſt, de ſe humiliter ſentire.

rius ſolet eſſe humilitas. Veræ autem humilitatis hoc propriũ, vt quo quis, cœlo teſte ſanctior, eò ſe iudice vilior cenſeatur. Abraham Deo commendatiſſimus nonne *ſibi cinis & puluis*, Gen. 18 Petrus Eccleſiæ petra, nonne ſe palam & ex animo profeſſus *hominem peccatorem*? Luc. 5. Paulus vas electionis & Apoſtolorum princeps, nonne ſibi *abortiuũ, & indignus vocari Apoſtolus*? 1. Cor. 15. v. 8. 9. Ioannes ſe indignum fatetur ſoluere corrigiã calceamenti Chriſti, cùm ab alijs ad faſtigium honoris peteretur. Cùm ſtudioſo applauſu interrogaretur an Chriſtus eſſet, *confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Cùm rurſus ex æmulatione illi afflarent diſcipuli, *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Reſpondet: *Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt* Et iterum: *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis quòd dixerim, Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum.* Verè aliud exaltationis principium non eſt quàm humilitas, & viliſſima ſui æſtimatio. Nec hoc ignorauit Iob, qui cùm in integra florentiáque fortuna cum poteſtate eſſet, numquam tamen maieſtatem, aut metum, aut ſuperbiam oppoſuit ſeruis & ancillis: quod eximium erat, & rara auis in regione Idumæa, ſed humiliter cum ipſis egit: *Si contempſi*, inquit, *ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea, cùm diſceptarent aduerſum me.* Non recuſauit quominus ſuam cauſam & vitam inferiorum hominum cenſuris ſubijceret: *Nonnquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus eſt: & formauit me in vulua vna?* Et cur deteſtatus ſuperbiam? quia idem omnibus hominibus genus eſt, eadem natura, idem formator, & origo. Formauit in vtero, compegitáque Deus tam Reges, & Dominos, quàm pauperes, & ſeruos: neque plus operę, aut ſtudij poſuit in formando Re-

Vilis de ſe æſtimatio, principium eſt exaltationis.

Iob. 31.

ge

ge, quam humili, & in ope seruo: neque ex alio luto, aut in alia officina finxit vas in honorem, quàm quod futurum est in contumeliam. Regius Propheta Dauid, vir Deo gratissimus sic Deum suum alloquitur, quem nemo potest fallere: *Domine non est exaltatũ cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Psa. 130. Ita coram Deo se vitio superbiæ numquam fuisse obnoxium, siue cor internum, siue signa externa consideres oculorum, protestatur: neque gloriabatur se magna & mirabilia fecisse supra vires suas. Non contentus autem Propheta, ipsi Deo, qui corda scrutatur, dixisse, se ab omni superbia semper abhorruisse: idipsum confirmat iuramento execratorio, vt tantò maior fides ipsius verbis abomnibus habeatur. Dicit igitur: *Si non humiliter sentiebam de me ipso, sed exaltaui animã meam*, vel vt significantiùs loquitur textus originalis: *Si non composui me ad equalitatem cum cæteris, sed supra cæteros me extulit. Sicut ablactatus est super matre sua*, id est, sicut infans recens ablactatus manet in sinu, vel supra genua matris suæ mœstus & plorans, quia priuatus est dulcedine lactis, quæ pro illo tempore summæ deliciæ ipsius erant: *ita retributio in anima mea fit*, id est, sic anima mea priuetur dulcedine consolationis diuinæ, quæ meæ potissimæ, ac penè solæ deliciæ sunt. Quantum sit hoc supplicium, quod sibi Propheta sanctissimus imprecatur, soli illi intelligere possunt, qui eodem spiritu repleti gustauerunt, quam dulcis sit Deus. Ad rem ergo dixit Gregorius lib. 34. Moral. cap. vlt. *Euidentissimum signum reproborum superbia est; electorum humilitas, propterea q; à Domino dictum est: Nisi efficiamini sicut parauli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

3. *Superbia in omnes dominatur.*

Quantum absumus ab horum exemplis! Nos enim vbique superbiam spiramus. Peruersus amor propriæ excellentiæ nos vbique rodit. Vitijs scatemus, miserijs, stultitiâ, peccatis obruti iacemus, & tamen beati, sapientes, sancti videri volumus, ac digito mõstrari. Si quam virtutem attingimus, si quod bonum corporis aut animæ habemus, non Deo, sed nobis tribuimus, non sine mortali culpa, nostris studijs ac laboribus, & meritis à Deo accepta liberali animo concedimus. Cùm proximi contẽptu nos ipsos exaltamus, nostra q; laudes buccinamus Phenennæ, & Pharisæo illi similes, *neque sicut Publicanus iste*, digito alterum notanti. Diuinum numen mortaliter offendere non veremur, propriæ excellentiæ causa. Iniustè inuadimus regna, peieramus, alteri detrahimus tam iniusto quàm iniquo modo, vt aliquale officium obtineamus. Et quod omnium horum caput est; inaccessibilem illam maiestatem contemptu petimus. Exẽpla Pharaonis, Nabuchodonosoris, Balthasari Regis Tyrij hoc palam faciunt. Audi Chrysostomum hom. 10 ad Rom. *Si singula*, inquit, *verba arrogantium in medium adduxero, cognosci non poterit, verbáne sint arrogantis an stulti: ita vnum est neque idem in vtroque vitium. Nam & alius iterum barbarus dicit: Ego sum Deus, & non homo. Rursus & alius: Num poterit Deus eripere ex animis meis?* Et *Aegyptius ille: Dominum, inquit, non noui, & Israelem non dimittam. Et stultus ille apud Prophetam talis est, dicens in corde suo, Non est Deus. Cain etiam, Numquid custos ego sum, inquit, fratris mei? Non potest ergo dignosci, vtrum hæc verba arrogantium sint, an stultorum. Arrogantia si quidem, quæ extra modestiam decidit, atque à mente fit, (nam & ideò ἀπόνοια dicitur) & stultos facit & superbos. Et si principium sapientiæ est timor Domini, principium ergo stultitiæ erit, non cognoscere Dominum. Extrema igitur stultitia est superbia. Talis erat & Nabal, tametsi non erga Deum, sed erga hominem, ex arrogantia stultus factus sit: postremò tamen pra timore mortuus est. Quando enim extra mensuram prudentia quis decidit: & timidus simul redditur ac temerarius, animo iam infirmo factus. Quemadmodum enim corpus commensuratá complexione amissá: intemperatum q; factum, quibusuis passionibus est obnoxium: ita & animus posteaquam prudentiam humilitatem q; perdiderit, habitum quendam nactus diuersum, infirmus, timidus, temerarius ac stultus redditur, seq; ipsum deinceps ignorabit.* Verba arrogantis, verba stulti. Exod. 5. Psal. 13. Genes. 4. Proverb. 9. 1. Reg. 25.

4. *Simulatores adulantur contra meritum.*

Si verò hæc & eiusmodi horremus, ipsi nos deijcimus infra quamlibet vilitatem, rosas & mulsa loquimur, aulæ byssina verba iactamus, omnium genibus aduoluimur, vt malè super alios efferamur. In alto iã positi, nec superiorẽ ferimus, nec parem. Quid facis, mi homo? Nescis superbiam esse summã stultitiam, & insaniam, nec superbo quidquam esse insanius? *Quemadmodum enim*, inquit Chrysost. loc. cit. *qui phreneticus laborat, cùm seipsum non agnoscat, neque quæ ante pedes sunt, nouit. Et oculus, cùm ipse cæcus est, omnia reliqua membra in tenebris sunt: ita & cum arrogantia se habet. Vnde & insani, ijsq; qui natura stulti sunt, miseriores sunt arrogãtes.* *Arrogantia cum phrenesi comparatio.*

5. *Superbia hominum & angelorum ruina.*

Et rectè, Christus dixit: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* & Tobias hic, *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Suffragatur Siracides: *Initium superbiæ hominem apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius.* Et subdit: *Quoniam initium omnis peccati est superbia.* Ex Angelo fecit diabolum superbia virtutum omnium ruina, & altissimum hominum & Angelorum præcipitium. Ambiuit Lucifer vnionem hypostaticam Verbi, inuidit eam Christo, alios ad sibi consentiendum sollicitauit: sed ad infernum præcipitatur. Qualis, ò Deus, inter cœlum & terram facta est olim commutatio! Pulcherrimus omnium Angelus cœlo ruit, & miserrimus omnium mendiculus, in cœlum ab Angelis deportatur. nam vnde Lucifer superbus

Casus varij superbia in quibus peccatum est mortale. 1. Reg. 1. Luc. 18. Luca. 16.

perbus cecidit, eò vlceroſus Lazarus aſcendit, quem credibile eſt ſæpiùs ſua vlcera numeraſſe, quàm ſuas virtutes. Adami, vnde ruina? niſi quia attendit ſerpenti adblandienti: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* & hinc ſe cum tota poſteritate filium fecit iræ & gehennæ. Hæreſes vnde in mundum prodiêre? Accipe ex Auguſtino lib. de paſtor cap. 8. *Diuerſis*, ait, *locis ſunt diuerſa* (hæreſes) *ſed vna mater ſuperbia omnes genuit, ſicut vna mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos.* Cypriano teſte, hæreſes & ſchiſmata non aliunde orta ſunt in Eccleſia, quàm quod vni Chriſto in terris Vicatio denegata ſit obedientia. Omnium ſæculorum experientia docuit, hæreſiarchas penè omnes deſciuiſſe ab Eccleſia, ſualq; hæreſes adinuenille, eò quòd in Eccleſia ambientes primas cathedras, epiſcopatus, & doctoratus, ab ijs repulſi, eas extra Eccleſiam ſtatuerint, vt ibi obtinerent principatum, quem in Eccleſia obtinere nequiuerant. De Theobute teſtis eſt Euſebius 4. hiſtor. cap. 22. De Valentino Tertullianus lib. contra Valentin. De Marchione Epiphanius hæreſi 42. De Montano Theodoretus lib. 3. Hæret. fabul. Lutherus, vt alios prætermittã, omnium huius æui hæreſum choragus & antеſignanus, hæreſim orſus eſt concionando contra Indulgentias, eò quòd earum promulgatio à ſe ſuoque Ordine Auguſtiniano ad Fratres Prędicatores tranſlata eſſet, vti narrat Cochlæus in actis Lutheri anno 1517. Porrò Lutheri tantus fuit faſtus, vt libro contra Regem Angliæ aſſerat, reges, principes, Pontifices non eſſe dignos, qui ſoluant ſuorum calceamentorum corrigiam: & ſe pro Sancto haberi velle inuitis omnibus, ac ſe parui facere mille Cyprianos, mille Auguſtinos. eius enim gnome erat:

Hæreſes ex matre ſuperbia pullularunt.

Lutheri faſtus.

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

6. *Peccatorum grauiſſimorum origo ſuperbia.*

Peccata non nominanda, quis in orbem inuexit? Edicit hoc Ezechiel cap. 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ ſuperbia.* Audi & S. Hieronymum: *Superbia*, inquit, *ſaturitas panis, rerum omnium abundantia, otium, & delicię, peccatum Sodomiticũ eſt, & propter hoc ſequitur Dei oblivio, quæ præſentia bona putat eſſe perpetua, & numquam ſibi neceſſarijs indigendum.* Quid præterea? Iſidori eſt ſententia, *Superbia eſt origo omnium criminũ, & ruina cunctarum virtutum.* Vnde merito rogabat Deum Regius Propheta Pſal. 35. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ; ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Ibi, ibi, inquã, id eſt, in pede ſuperbiæ cecidêrũt. Superbia peſſimi ingenij fomes, funeſtis ac multiplicibus vitijs in diuerſa prorumpit, odij, amotiſque, & ſuper omnia inuidiæ ſupplicijs obnoxia. Nec alij magis anxij aut perpetui motus ſunt, quàm hominum, non tàm quęrentium laudẽ, quàm hanc ſibi deberi credentium. Et contemni ſe facilè ſuſpicantur, & hanc aliorum, vt putant, contumaciã, in ſe acerbiſſimis cutis vindicãt. Iam ſua vitia neſciunt, iam virtutes aliorum. Sic inflatis, & turgentibus, pietas, fides, & quidquid in hominibus ſacrum, infra famam, honorumque cupiditatem iacet. Et cæterorum quidem vitiorum materies ſæpè viliſſima, plerumque nobiliſſima eſt ſuperbiæ, quæ quoduis præclarum opus arrodit: *Non regnet*, inquit Apoſtolus, *peccatum in mortali veſtro corpore.* Id ſedulò curauit Tobias erga filium.

Superbia in ſenſu.

Verbi autem præcipuè meminit Tobias, quia in eo magis, & pluribus modis ſe ſuperbia prodit; dum vel iactat formam, & corporis vires, vel genus, ac nobilitatem, aut rurſum veſtitum, ſupellectilem, opes; nunc ingenium & eruditionem, tunc virtutem ac dotes: Subinde dum ſua immoderatè laudat, aut ſuæ virtuti, atque ſolertiæ attribuit, quod fecit Nabuchodonoſor Daniel. 4. v. 27. qui dum ſibi adulatione mendaci gratulatur, ait: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in regnum Dei, in robore fortitudinis meæ?* Item Sennacherib, 4. Reg. 19. v. 23. vbi ſic inflato ſpiritu loquebatur. *In multitudine curruum meorum aſcendi excelſa montium, in ſummitate Libani, & ſuccidi ſublimes cedros eius, &c. & ficcaui veſtigijs pedum meorum omnes aquas clauſas.* Sic Babylon Iſa. 47. v. 8. & Apocal. 18. v. 7. *Sedeo Regina, vidua non ſum, & luctum non videbo.* Alio modo ſe ſuperbia prodit in verbis, dum ille, qui in ſuis ſe rebus admiratur, & amat, & contemnit alios, eoſque quaſi cum faſtidio, & nauſea ſpectat, & alloquitur. Vnde meritò Tobias ſenior filium ſollicitè inſtituens cauit omnem in verbis ſuperbiam, oſtentationem omnem eliminatam penitus vult & à corde, & ab ore. Salomon inquit; *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*, Prouerb. 27. Regius pſaltes vetiſſimè dixit: *Diſperdet Dominus linguam magniloquam*, pſal. 11.

7. *Superbia in verbis, viuenda; & quàm frequens.*

Intuere omnia & ſingula, & ad oculum intueberis cur in verbo ſuperbiam dehortatus Tobias. Forma & robur quid ſunt? Breuè & fragile bonum. Non mors ſola, ſed & febricula, morbus, ſenectus, & breue annorum ſpatium id proteſtantur; adhæc forma, libidinis fomentum, multis acerbi ac turpis interitus cauſa fuit. De robuſtis vicibus intumeſcere, taurina gloria eſt, Bos & Elephas hac in re glorioſior ſit, quia robuſtior. Pulchrè & diſertè Iſidorus orat. de humilitate. *Qui rebus externis gloriantur, in ijs à beſtijs ſuperantur. Magnâ corporis mole præditus es? qua eſt hæc, ſi cum elephanti mole comparetur? Fortis es & intrepidus? at leo longè te ſuperat, de quo ſcriptum eſt: Leo fortiſſimus animalium ad nullius pauebit occurſum.* Fortitudo fragilis eſt: *Non fortitudo lapidum*, inquit Iob, *fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt,*

Quàm vana inflatio de forma & robore.

In externis omnibus beſtia nos ſuperant.

cap. 6. Fortitudo frequenter inutilis est: *Vidi sub sole*, inquit Ecclesiastes cap. 9. *nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam: sed tempus, casumq; in omnibus.* Fortitudo non acceptabilis Domino. Cogita Goliath. 1. Reg. 17. Verissimè Regius Propheta psal. 146. v. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei.*

Stulta est ostentatio nobilitatis prosapiæ.

Propago vetus, prosapia nobilis, generosa origo, ornamentum est hominis, non negamus, sed hominis illius, quem non sanguis solum, sed & virtus nobilitat. Ille verè nobilis est, qui strenuè agendo nobilitatem peperit, non nascendo accepit. Alienum est, cui de nostro nihil inest. atqui alieno gloriari, ridicula prorsus ostentatio est auorum merita, nepotum degenerantium notæ sunt; nec aliud magis posterorũ maculas aperit, quàm maiorum splendor ac gloria, cui posteri non respondent. Veram laudem nisi de proprio sumpseris, ab alio non expectes. Iudæorum fuit illa ostentatio, Semen Abrahæ sumus, Ioan. 8. Vide dicta Sect. 2. & 3. in cap. 1. huius historiæ.

De delicijs & diuitijs superbire, quàm inane.

Ecquis de vestitu & victu rectè glorietur, Tanti cœno, tanti vestior: *Qui Christum desiderat*, inquit Hieronymus, *& illo pane vescitur, non quærit magnopere de quibus cibis stercus faciat:* Epist. 13. ad Paulinum. Non est etiam laudis, magnis sumptibus suum sibi carcerem ornare. Diuitiæ plurimos faciunt non diuites, sed occupatos, non dominos, sed custodes & seruos. Qui multas opes congessit, rem habet quæstu difficilem, custodiu anxiam, amissu flebilem. Et multo plures sunt, qui habentur à diuitijs, quàm qui eas habent. Hinc Prophetæ testimonio viri diuitiarum, non diuitiæ virorum sunt. Diuitiæ transitoriæ sunt. D. Iacobus epist. cap. 5. v. 2. *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt*, inquit, *& vestimẽta vestra à tineis comesta*

Prouerb. 17.

sunt. Sunt insufficientes: *Quid prodest*, inquit Hebræus Sapiens, *stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit?* Et verbum Dei impedientes: *Fallacia diuitiarum suffocat verbum*, inquit Matthæus cap. 13. *& sine fructu efficitur.* Imò sunt nociuæ, vt habetur Eccles. 5. *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* Et væ illis *qui in multitudine diuitiarum suarum gloriantur*, Psal. 48. Non est bona gloriatio illorum.

Stulta est gloriatio de felici ingenio si non benè applicetur.

Pretiosa est animi supellex, præclarum ingenium: non negamus, si tamẽ bonis artibus applicetur: si minus periculosa, sibi alijsque exitiosa. Ingenia felicissima frequenter exorbitant turpissimè. Annæus ex Aristotelis mente asserit: Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuisse. Iulianus Imperator Apostata magni fuit ingenij, sed tantò sibi & terrarum Orbi exitiosior, quantò ingeniosior. Huius generis plurimos vetus, recensque memoria numerat, qui si minus ingenij habuissent, minus nocumenti tam sibi quàm alijs intulissent: *Quis te discernit?* inquit Apostolus, *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.* 1. Cor. 4. Sensus est: Quis te, ô Magister, discernit, quasi in Christianismo aut euangelizando maiorem & meliorem, nisi tu qui ob tapientiam & eloquentiam, te vanè præ alijs extollis, & tui, quos quasi Psaphonis aues, te quasi suum magistrum extollere, & laudare docuisti. Si dicas: Labor, studium, industria mea me discernit ab alijs quibus præsto. Respondeo: Quid habes quod non accepisti? quasi dicat, Tuum laborem, & ingenium, & alia naturæ dona, in quibus gloriaris, accepisti à Deo: multo magis supernaturalia accepisti à Deo; ergo Deo dare debes omnem gloriam. Nabuchodonosor vocem de cœlo audiuit: *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestijs & feris habitatio tua: fœnum quasi bos comedes.* Lege caput 2. Abacuc. Sennacherib quàm inglorius, quàm funestâ morte interijt, Isa. 38. Pharisæi actus commẽdabiles fuissent, si ipse eos non adeò commendasset. *Non enim qui se ipsum commendat, probatus est*, inquit Apostolus, *sed quem Deus commendat*, 2. Cor. 10. Rursum Pharisæus Publicani contemptor graui censura à Domino notatur, Publicanus sublimatur: *Amen dico vobis, Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat humiliabitur. & qui se humiliat, exaltabitur.*

Omnia naturæ dona à Deo sunt, multò magis supernaturalia.

Daniel. 4.

Salubriter igitur dehortatur filium Tobias: *Superbiam*, inquit, *nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Paulus humiliter fatlus est, *Non enim audemus inferere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant; sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis.* Eleuabant Pseudo Apostoli Pauli dicta & facta, quasi in eo nihil esset grande præter epistolas, quæ nescio quid magniloquum spirarent, sed cùm ad rem ventum esset, ac præsens compareret Paulus, sermone, vultu, formâ, nihil illo esse abiectius: se hac in parte illi longè præstare. Ergo, inquit, Apostolus, fastum illorum ridẽs, non autem ego homuncio istos inter gigantes comparere, eis me inferere, nedum me cum illis comparare: sed nimirum falsò se tantos iactitant; ego verò de me quidquid prædico, verè prædico, neque mea magnitudine, mea gratia & factis, quæ verè gessi metior. Non ea facto, quæ non habeo, vt ipsi, sed metientes, & comparantes nosmetipsos nobis, id est, metior me meo pede, meis dotibus; & Dei donis, rebusque à me per Dei gratiam gestis, ait Photius, illis me comparo, confero, & adæquo, vt non amplius mihi arrogem, quàm reuera à Deo

8.

Paulus externâ specie humilis, sed animo & virtute magnus.

accepe-

acceperim & geſſerim. Dauid odit ſuperbos, eoſque arcet à domo ſua: *Non habitabit*, inquit, *in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.* Pſal. 100. Rarum aiunt eſſe generoſum pharmacum, cui non inſit veneni aliquid aut ſaccari: nullum certè vitium eſt, in quo non aliquid ſuperbiæ. percenſe omnia, & ſic eſſe deprehendes: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, Eccleſ. 10. *Quale malum*, inquit Hieronymus epiſt. 45. *ſit oportet, quod aduerſarium habet Deum. Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Nuſquam non reſiſtit ſuperbis Deus, vti miles ſtās in primis mœnium, quotquot aſcendunt, romphæa deturbat; quandoque etiam vi nullâ ſuperbus à Deo ſternitur, perinde ac ſi regius olitor excreſcentes in altum herbas ludentibus digitis attondeat. Saul humilis in Regem euectus, ſublimis deiectus eſt. Sunt qui naturâ cepas, ſunt qui araneas aut feles horreant natiuo odio: hæc natura Dei eſt, ſuperbos horrere & execrari: *Abominatio Domini eſt*, inquit Sapiens, *omnis arrogans: Immundus eſt apud Deum omnis qui exaltat cor ſuum*: omnium malorum fœcunda mater ſuperbia. Hęc turres euertit, linguas confudit, Geneſ. 11. Core, Dathan, & Abiron vnico hiatu in infernum detraxit, Num. 16. Pharaonem ſubmerſit, Exod. 14. Goliathum proſtrauit, 1. Reg. 17. Holofernem miſerè è medio ſuſtulit, Iudith. 6. Ammanum ſuſpendit, Eſth. 4. exercitum Sennacherib proſtrauit, Iſa. 37. eundem filiorum manu trucidauit, 4. Reg. 20. Nicanorem diſcerpſit, 1. Mach. 7. Antiochum interfecit, 1. Machab. 9. Nabuchodonoſorem in beſtiam commutauit, Daniel. 4. Herodem pediculis confecit, Act. 12. De Babylone, quæ in corde ſuo dixit, *Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo*, proclamat Ioannes Apocal. 18. *Idcò in vna die venient plagæ eius, & luctus, & fames, & igne comburetur.* Hebræus Sapiens Prouerb: 16. *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus.* Breuiter, omnes hactenus filios ſuos præcipitauit, & malè perdidit ſuperbia. Hæc omnia videtur mētē complexus Tobias, cùm filium à ſuperbo ſpiritu deterret. Et quidem hoc totum ſonat vox, *perditio*, quam, fructum in ſua exhortatione dicit eſſe ſuperbiæ.

Superbo reſiſtit Deus.

Prouerb. 16. *Prouerb.* 10.

Quid iam *ſuperbis terra & cinis*? Deum habes antagoniſtam & hoſtem, eumque, qui in ſuperbos tonat, & fulminat, ad duellum prouocas. An putas arma deeſſe Deo? Funda Dauidis Goliathum proſtrauit: An illi armorum ſtrepitum ad tui deiectionem neceſſarium cenſes? Non dignatur Deus more humano tecum confligere; ſed vt potentiam ſuam oſtendat, per exigua ſuperbos & potentes humiliat. Teſtē adhibeo Chryſoſtomum hom. 8. in 2. ad Corinth. *Tunc*, inquit, *maximè manifeſtatur Dei potentia, quando per viles operatur magna. Idcirco in veteri Teſtamento per culices, ac mures, integros Barbarorum exercitus fugabat. Vnde & magnam ſuam virtutem, erucam vocabat. Et ab initio linguam ſolum confundens, magnam illam turrim Babylonicam deſtruebat. Et in bellis quoque nunc quidem per trecentos, innumeros exercitus fugabat. Nunc autem per buccinas ciuitates deſtruebat. Poſtea verò per puſillum adoleſcentem, & contemptum Dauidem, omnem Barbarorum aciem in fugam conuertebat.* Hęc Chryſoſtomus. Eſt ſtatim digreditur ad prædicationem Euangelij, & conuerſionem Orbis per infirma quidem inſtrumenta, ſed patrocinante diuinâ gratiâ & omnipotentiâ, effectam.

Ioël. 2. 25. *Geneſ.* 11. 7. *Iudic.* 7. *Ioſue* 6. 20. 1. *Reg.* 17.

9. *Eccleſ.* 10.

Superbus Deum habet hoſtem.

Magna Dei virtus in minimis oſtenditur.

Quis non miretur illa quōdam in Ægypto commiſſa prælia; quando hinc Principes, Duces ac milites; illinc ranæ, cyniphes ac locuſtæ ad bellum concurrerunt? Exod. 8. & 10. Et tamen hæ contemptibiles phalanges de illis ſuperbiſſimis triumpharunt. Qua de re bene Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 34. *Grande*, inquit, *ſpectaculum Deus vniuerſo Orbi præſtitit, cùm ſuperbiam Ægyptiorum non de leonibus, & vrſis, ſed de ranis domuit, & muſcis.* Et rurſus cap. 38. *Ecce*, inquit, *quales influxit acies, quibus ex ordinibus ſua caſtra compleuit Dominus pugnando pro Iſraël; rana, cyniphes, muſcæ, atque locuſta, fuerunt caſtrorum eius acies: & ex eiuſmodi cohortibus totas contra fortes Aegyptios compoſuit legiones. Singuli milites ſecundum ſe breues quidem, & infirmi: verùm pro exercitibus Pharaonis fatis valentes, Duce imperio Dei. Nempe, quod multis hominum exercitus facere non potuiſſet; iſta phalanges locuſtarum ſtrenuâ peregere nilutâ.*

10.

Ægyptios Deus viliſſimis domuit animalibus.

Similes acies Deus olim contra Chananæos armauit, iuxta illud Dei ad Moyſen: *Cunctorum inimicorum coram te terga vertam: emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum & Chananæum*, &c. Exod. 23. v. 28. Quod iterum Moyſes inculcauit: *Crabrones*, inquit, *mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque diſperdat.* Deuteron. 7. Et poſtea Deus hoc beneficium Iſraëlitis in memoriā reduxit Ioſ. 24. *Miſi*, inquit, *ante vos crabrones, & eieci eos de locis ſuis.* Et pro eodem beneficio gratias Deo egit Sapiens, Sap. 12. *Miſiſti*, inquit, *anteceſſores exercitus tui veſpas, vt illos paulatim exterminarent.*

Deus pareſi animātibus gentes olim debellabat.

Attende adhæc, ô Chriſtiane, Siracides inſtat Eccleſ. 6. *Non te extollas*, inquit, *in cogitatione tua velut taurus: & elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Artemidorus Onirocrit. lib. 4. cap. 58. rebellium, & ſuperborum ſymbolum tauros ait: Ne igitur ſuperbias, ſi ſapis: nam tauri quamuis domari facilè nequeant; in venatione tamen vndique curſu, clamore, canibus, hominibuſque appetuntur, rapiuntur, diſcerpuntur. Et quemadmodum in ſyluis tauri

11.

Taurus ſuperborum ſymbolum.

indomiti depaſcuntur folia & fructus arborum, ſic cogitatio tua, velut taurus, ſuperbiẽs animi bona, virtutes, & quantumuis bona depaſcetur, & velut lignum aridum relinqueris *Radicem enim gentium ſuperbarum arefaciet Deus*, inquit Siracides Eccleſ. 10. Et rurſum. *Qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem. Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Et iterum, *Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu.*

12. *Humilitas Deo grata.*

Enuclea hęc, ô Chriſtiane, Audi Hebræum Sapientem, *Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Audi Siracidem Eccleſ. 3. *Quantò magnus es; humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Verba plana ſunt. Ad eorum facilem executionem, duas affert rationes Ianſenius, vnam reſpectu hominum, alteram reſpectu Dei, vt videlicet agnoſcat ex priori, in gradu ſublimiori conſtitutum, ſicut magis ſubiectus eſt multorum inuidiæ, ita magis adniti debere, vt modeſtiâ, ac demiſſione ſui inuidiam declinet, & quæ operatur, commendet; hanc ob cauſam indorum gens quædam in more habet, vt ſi quando è tonſtrina aliquis in ſublimem aliquem honorem erigitur, præferat ſemper inſtrumenta ſuæ artis; quod præſtare viſus eſt Deus cum Moyſe: ſiquidem non inſtrumẽta modò, ſed illam ipſam virgam, quâ oues ſoceri agebat, voluit vſui illi eſſe ad maxima quæque peragenda, vt quantò maior ſibi videri potuiſſet, virga mirabilia operando, tantò demiſſius ſe gereret ex ipſa virgæ contemplatione, quâ paulò antè alienas oues duxerat in deſerto.

In ſublimi gradu conſtitutus plurimorum inuidia obnoxius eſt.

Altera ratio reſpectu Dei, quòd quo maior eſt, hoc demiſſius agnoſcere debet, ſe plura à Deo accepiſſe, itemque ſe ad reddendam illi rationem adſtrictum magis; nam vt Gregorius homil. 9. in Euangel. *Cùm augentur*, inquit, *dona, rationes etiam creſcunt donorum: tantò ergo humilior, atque ad ſeruiendum Deo propitior quiſque debet eſſe ex munere, quantò ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* Adde tertiam ex Chryſoſtomo, & Auguſtino: vterque enim hoc teſtimonio vtuntur ad probãdum ex eo, quod qui altiores ſunt maiora habeãt, vnde cadere poſſint inuitamenta, debere ſe magis demittere: ille enim hom. 4. in Iſa. *Vidi Dominum, vt ſit*, inquit, *in nauigij, qui vacuam habent nauem, non metuunt pyratarum inſultum; ſed qui habent onuſtam; pyrata enim eò properant vbi aurum, vbi argentum, vbi lapides pretioſi ſunt: ſic diabolus non facilè perſequitur peccatorem, ſed iuſtum vbi multa ſunt opes. Quanto maior ergo es tantò magis ſubmitte te ipſum.* Hæc Chryſoſt. Auguſtinus verò de Sancta Virgin. cap. 33. *Cùm*, inquit, *Chriſtianis omnibus cuſtodienda ſit humilitas tum maximè virtutis huius ſectatores, & conſeruatores tes eſſe conuenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, vt magnopere curent illud, quod primitus poſui. Quanto magnus es, tantò humilia te in omnibus.* Addit Siracides, *Et coram Deo inuenies gratiam.*

Idem monet Hebræus Vates Hieremias cap. 9. *Non glorietur*, inquit, *ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dines in diuitijs ſuis: Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra; hæc enim placent mihi, ait Dominus.* Sapientes ſete Iudæi putabant, fortes, & opulentos, & ita denique ad omnes caſus belli ſufficienter inſtructos, vt nihil ſibi putarent ab hoſte metuendum; ſed non eſt cur ſapiens in ſua ſapientia, neque fortis in fortitudine ſua, neque locuples in ſuis ſibi diuitijs placeant, quaſi hæc aut frangi, aut omninò vaneſcere non poſſint. Glorietur potiùs in eo, quod verè cognoſcant me, eâ nempe cognitione, quæ ipſos meis præceptis obſequentes facit. Qui nouerunt me eſſe miſericordem, & iuſtum, ex qua cognitione id conſequentur, vt in me tanquam in miſericorde ſperent, & à me tanquam à iuſto timeant, quia ſatis tunc habebunt præſidij contra Babylonios. Hæc enim placent mihi, dicit Dominus; cætera non item. Contrarius enim ſuperbis præter opinionem ſuam euenire ſolet exitus. Nam ſicut humilis Paulus, cùm infirmabatur, tunc potens erat; ſic & vice verſa ſuperbi arroganteſque homines, cùm ſibi potentiſſimi videntur, tunc infirmiſſimi deprehenduntur. Teſtis Roboam, qui oſtendere ſe volens patre ſuo Salomone fortiorem, *Minimus*, inquit, *digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei.* Sed planè miſer, *ætate iuuenis, mẽtis vſu immaturior*, vt vocat D. Baſilius, per eandem, quâ regnum conſeruare voluit, potentiam, regnum amiſit: Teſtis & Abimelech filius Gedeonis, qui occidẽs fratres ſuos ſeptuaginta viros, vt ſuam potentiam oſtentaret, Iudic. 9. à fœminâ occiſus eſt, quæ illius infirmitatem teſtaretur; & eandem paſſus eſt, quam intulit violentiam: per eoſdem gradus è principatu deiectus, per quos ad principatum aſcendere conabatur.

13.

Non eſt in potentia inaniter gloriandum.

3. Reg. 12.

Diuitum quoque gloria quouis ſomno inanior eſt, & vt loquitur Baſilius homil. 22. *ſplendorem habet nocturnis ſpectris vanierem.* In promptu adeſt Ezechias, nonne cùm ſuas opes venditauit, oſtentauitque Babylonis legatis, miſeram fecit omnium iacturam? 4. Reg. 20. Nonne Nabuchodonoſor, cùm de opulentia regni ſui nimium inſoleſceret illud meruit, vt non ſolum regis purpura, ſed etiam hominis figura exueretur? Nonne dines ille euangelicus, cùm de horreis ſuis dilatandis cogitabat, adeò ſua ſpe falſus, ac deluſus eſt, vt

Gloriatio in diuitijs peritura.

Daniel. 4.

vt ſtatim ad ſepulchri anguſtias repoſcerentur? Ergo concludunt reprobi apud inferos, vtinam tam fructuosè, quàm verè. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Sapient. 5. v. 8.

Luc 11. 16.

Vera gloriatio eſſe debet in Deo.

Proclamat Paulus, *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat*, 2. Cor. 10. Et iterum. *Quid habes, quod non acceperis, ſi autem accepiſti, quid gloriaris?* Teſte Chryſoſtomo hom. 20. ad Rom. *quemadmodum aquatica ampullæ facilè rumpuntur, ita & illi* (ſuperbi) *facilè pereunt. Quod ſi dubitas*, inquit, *da mihi temerarium quendam & arroganiem, & videbis illum quouis elanguido timidiorem factum, idq; qualicumque apprehenſum incommodo. Quemadmodum enim flamma illa, quæ in ſtupâ aridâ ſurſum fertur, ſimulatque contacta fuerit, in cinerem vertitur, ſolidorum verò lignorum ea natura eſt, vt neque facilè incendantur, neque cum accenſa fuerint, ardentem flammam facilè dimittant: ita & illi quidem animi, qui ſolidi ſunt ac firmi, neque facilè incenduntur, neque facilè extinguuntur; iſti verò vtraque illa vnico temporis momento patiuntur. Hac itaque ſcientes, humilitatem exerceamus. Nihil enim illâ potentius, ſed & petrâ eſt fortior: & adamante ſolidior, & in maiorem nos ſecuritatem collocat, quàm queant vel turres, vel vrbes, vel muri, omnibuſq; diaboli machinamentis ſublimior facta, contingere volentibus inſuperabiles facit: quemadmodum viciſſim arrogantia, etiam quibuslibet captu faciles reddit, ampullâ quamis, vt dixi, faciliùs rumpitur, æraneorum texturâ citiùs ſcinditur, fumo leuiùs diſſoluitur.*

Huc vocat filium ſuum Tobias, & in eo omnes fideles. Tantus enim eſt vnuſquiſque, quantus eſt in oculis Domini, non pilo maior, nec iuxta hominum intuitum Deus iudicat. Parui Deo ſumus, ſi magni nobis: grandes ipſi, ſi nobis exiles: puteus quo eſt profundior, hoc illius aqua purior; æſtimatio ſui quo vilior, hoc Deo gratior: *Minimum de ſe ſentiſſe*, inquit Chryſoſt. hom. 3. in Matth. *tam magnum eſt, quàm res magnas feciſſe.* Norunt fideles Chriſti vocem, *Qui veſtrûm maior eſſe voluerit in regno cælorum, minor eſt futurus. Cogita*, inquit Auguſtinus, *magnam conſtituere fabricam celſitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis: omnes delectat celſitudo, ſed humilitas ad eam gradus eſt. Excelſa eſt patria, ſed humilis eſt via, qui ſeriò inquirit patriam, non recuſat viam.*

14. *Imit. Chriſti lib. 3. cap. 50.*

2. Reg. 16.

Quo humiliores, eò Deo gratiores.

CAPITIS QVARTI

VERSVS XV.

Verſ. 15. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat.*

Verſ. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 15. & 16. Qui ſciebat bonus ſenex ex ſuperbi & faſtidio pauperum artificum, operariorum, ac mercenariorum ſæpè eoſdem vel mercede fraudari, vel eam non tempeſtiuè ſatis ijſdem operarijs perſolui, ſeuerè cauit ne filius in hoc malum incideret. Hoc præceptum lege illâ naturali confirmat, quæ docet alijs non eſſe faciendum, quod ſibi quis odit fieri.

SECTIO XI.

Quorſum tam ſolicitus fuerit de mercede operarij Tobias ſenior?

1. *Operarius quis?*

PERARIVS dicitur, qui operas ſuas alicui locat pro mercede, ſiue famulus ſit, ſiue artifex, ſiue agricola, quibuſcum ſolet de mercede diurna paciſci, iuxta illud Matth. 20. *Conuentione autem factâ cum mercenarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* De hoc duo cauit Tobias, primum ne filius ad veſperam negligeret illi mercedem ſui laboris perſoluere; ſecundum ne dolo, fraude, aut vi detineat mercedem illi competentem, vt videntur innuere illa verba, *Et merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat.*

Mauden in Tobiam.

Operarijs ſoluendum.

2. Quorſum? An tantum malum differre vſque mane mercedem mercenarij? Numquid videmus indies hoc fieri, & quidé cum gratia & fauore operariorum: vt potius exſpectent vſque ad ſeptimanam vel longius tempus; vt in die octauo tot dierum mercedem ſimul accipiant? Verum id eſt: ſed diſtinguenda ſunt tempora. Cùm Tobias ſenior

Lex iudicialis non differebat solutionem mercedis vsque mane.

vitam inter homines ageret, lex erat iudicialis seuerè præcipiens eiusmodi solutionem ante Solis occasum. Leuitici enim 19. sic edixit Moyses: *Non morabitur opus mercenarij apud te vsque mane.* Et Deut. v. 14. 24. latius idem extenditur: *Non negabis*: inquit, *mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecũ moratur in terra, & intra portas tuas est, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasũ.* Ratio additur: *Quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam.* pœnam quoque comminatur, *Ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Quibus verbis satis insinuat Moyses non tantùm ad charitatem & misericordiam hanc mercedis solutionem pertinere; sed etiam ad iustitiam, quia tempus à Deo constitutum pro homine interpellat. Huius legis tenacissimus senior Tobias filio suo mandauit vt eiusdem memor esset. Deinde saluator noster in parabola vineæ, Matth. 20. ostendit & id esse conueniens, vt die labente operarijs persolueretur: *Cùm*, inquit textus, *serò esset factum, dicit procuratori suo, Voca operarios, & redde illis mercedem.*

5. Et licet iudicialis illa lex Iudæos, atque adeò Tobiam dumtaxat obligauerit: si tamen modò ita conuentum esset, vt peracto labore merces quotidie solueretur, ex iustitia statim soluenda foret. Si autem ita pauper esset operarius vt vitam suam non posset aliter sustentare, ratio moralis etiam Christianum obligaret eadem die operario mercedem persoluere. Ne mireris? Nam & eleemosynam ita indigenti protrahere non licet: *Cor inopis*, inquit Siracides, Eccles. 4. *ne afflixeris: & non protrahas datum angustianti.* Et Prouerb. 3. Hebræus Sapiens: *Ne dicas amico, vade & reuertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Apositè Basilius hom. 6. in dites centes: *Iam quando suppetit*, inquit, *quid prohibet quominus liberaliter impertiare? nonne inops adest? non sunt plena horrea? non merces à Domino parata? non mandatum manifestum? esuriens fame absumitur, nudum frigore rigescit, & tu eleemosynam in crastinum differs? audi Salomonẽ, ne dicas Regressus reuertere, & cras dabo: ignoras enim quid sequens pariet dies.* Et Gregorius part. 3. Pastor. admon. 21. *Ne quæ prabenda sunt, inquit, citius, serò prabeantur, audiant quod scriptum est, Ne dixeris amico, Vade, & reuertere, cras dabo tibi.* Quid ni igitur grauius vitium erit in tali rerum statu mercedem differre, cùm id peccatum sit non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam.

Operario indigenti soluenda eadem die merces.

4. Itaque hoc tempore licet nonnihil differre consentiente & non indigente Mercenario; quod olim veritum erat: at nunquam licuit defraudare. Quapropter dicit Tobias, *Et merces mercenarij apud te omninò non remaneat.* Nota, *omninò*, nam alienum detinere, aut alteri quid surripere paria sunt, & pœnâ graui digna. Hinc in lege naturali dixit Iob. cap. 31. *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent: Si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.* Si terra, inquit, quam agricolis colendam tradidi, aut quam in regione mihi subiectâ sui coluerunt Domini, & ipsi etiam cultores contra me lachrymantur, & clamant: quia alienum laborem iniustè, & violenter ablatum ad meos vsus tyrannicè conuerri, si gratis, & non prius impenso pretio alienis fructibus meam instruxi mensam, cùm interim & agricolæ fame laborarent, & inferri sibi iniuriã quererentur: si talia, inquam, vspiam admiſi, oro vt pro frumento atque hordeo spinas mihi subactus ager, tribulosque parturi at. Accommodata peccato pœna; qui enim depræd atus alionum agros, fecit vt clamaret terra, & sulci lugerent, dignus est, vt ipsius & agri horreant, & lugeant obsiti vepribus, & herbis alijs aculeatis, & noxijs, ex quibus nihil capias, quod oblectet, atque permulceat sensus, & multa inuenias, quæ horreat animus, & membra pungant, atque distringant.

Defraudatio mercedis ira in Deo prouocat.

5. Rectè imprecatur sibi hanc pœnam Iob: vt enim ait Siracides Eccl. 34. v. 25. *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudẽ facit mercenario, fratres sunt.* Imò iram Dei, & vindictam prouocat in exitium suum celeriter. Tempore Malachiæ Varis Hebræi homines reperire erat, qui prouidentiam Dei circa res humanas non credebant; vnde liberè mercenarios defraudabant. In hos sic tonat Malachias c. 3. v. 5. *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, &c. & qui calumniantur mercedem mercenarij:* Citò inquam ostendam, & celeriter cum rigoroso iudicio quantum mihi displicuerit defraudatio operariorum. Iacobus Apostolus cap. 5. idipsum proclamat: *Ecce*, inquit, *merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiit.* En quantum malum, Dei aures & oculos verberat, eumque ad iram & vindictam impellit, adeò vt vincatur pietas Dei, ac punire cogatur, nec possit pœnam differre, ait Salmianus lib. 1. de Prouid. cap. 1. & 2. *Introiit in aures Domini Sabaoth*, id est, exercituum, puta Angelorum, fulminum, grandinum, leonum, luporum, febrium, pestilentiarum omniumque creaturarum: hæ enim militant Deo, vt ad eius nutum insiliant in eius hostes, putà peccatores, eosque quasi carnifices plectant. Ita Deus sideranit Pharaonem & Ægyptios fulminibus & tonitruis in mari rubro, eorumque opes & spolia dedit Hebræis, vt rependeret mercedem operum

Nunquam licuit defraudare mercedem

Ægyptij periere in mari rubro ob fraudatam

mercedem Hebraorum,

tum & laborum eis debitam, & iniuſtè ab Ægyptijs negatam; iuxta illud Sapient. 10. 17. *Reddidit* Deus *iuſtis mercedem laborũ ſuorum,* &c. *inimicos autem illorum demerſit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideò iuſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantauerunt Domine nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.* Cùm Iacob in republica turbata à facie Laban auunculi ſui aufugiſſet, qui decem vicibus dolosè mutauerat mercedem eius, iſque illum perſequeretur, audiuit à Deo: *Ne duriùs loquaris contra Iacob.* Audite hæc Principes, qui colonos veſtros, vel ſubditos cogitis laborare gratis. Audite hoc miniſtri Principum, qui militibus non ſoluitis ſtipendia, eoſque cogitis vel fame, vel ærumnis enecari, vel furari & opprimere agricolas, vel rebellare cum Reipublicæ periculo, vel exitio. Audite, inquam, diuites, qui quod libet contra conſuetudinem mercenario aliud exſpectanti ſine ſcrupulo aſſignatis. Audite Ciues qui conciuium laborem comeditis, merces ab eis emptas diuenditis, agrum ad agrum expretio coniũgitis, & miſero operario ne obulum ſoluitis: is verò ſuis ad diem obligatus non habet vnde victitet, nequo monere audet, ne offendat, aut ne eum deſeras: quænam hæc crudelitas? Iam diu intonuit tibi Syracides, *Non ladas*, inquit, *ſeruum*

Eccleſ. 7. v. 22.

in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam.

6. Olim ſolebant ſupra conſtitutum, aliquid adijcere operarijs, quos fortuna aduerſa affligebat. Vxor Tobiæ id teſtatum facit, de quo ipſa cap. 2. in textu Græco, *Domo datus eſt mihi hedus ſupra mercedem meam.* Filius prodigus Luc. 15. non longè hinc abit. *Quanti*, inquit, *mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo.* Nos verò pluris ſæpè canes facimus, quam miniſtros. *Vides*, inquit Ambroſius, *in nonnullorum domibus nitidos & craſſos canes diſcurrere; homines autem pallentes & titubantes incedere.* Imò non veremur ſine mercede dimiſſis furtum, aliùdue crimen falsò affingere, vt terrorem incutiamus mercedem petentibus. Silet is quidem, nec audet ſuam innocentiam defendere, aut alterius iniuriam oſtendere, ne ſi loquatur, iratum magis offendat, & ad nouam, quam comminatur, iniuriam inferendã prouocet. Huius nequitiæ meminit Siracides Eccl. 13. v. 4. *Dives*, inquit, *iniuſtè egit, & fremet; pauper autem læſus tacebit.* At certus eſto, quòd iniquitas diuitis apud Deum expetat vindictam, qui non patietur oppreſſionem pauperum. Memẽtote Ægyptiorum, de quibus ſupra. Lex ciuilis in tantum cauit huic malo, vt velit à domino mercedem integram ſolui operario, qui operam ſuam illi locauit, licet mutato conſilio eâdem vti noluerit, l. *Qui operas.* ff. *locati.* quæ ſic ſonat, *Qui operas ſuas locauit, totius temporis mercedem accipere debet, ſi per eum non ſteterit, quo minùs operas præſtet.* Vſque adeò omnem noxam operariorum cauit Imperator. His attende, imò Chriſto dicenti, Luc. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſuâ.* Aut metue, quæ tibi indixit fulmina, & facilè præceptis Tobiæ te conformabis.

SECTIO XII.

Quid præſcribat filio ſuo Tobias ſenior hiſce verbis: *Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri aliquando facias?*

1. *Quem ob finem hæc lex propoſita Tobiæ iunior it*

1. opinio.

GASPAR Sanctius in hunc locum exiſtimat eo fine hæc propoſita à Tobia ſeniore filio, vt diſcat pauperibus non eſſe differendam mercedem, aut abiurandum creditum, ne illi aliquid ſimile à debitoribus contingat: *Debebat*, inquit, *Gabelus, decem talenta argenti, quorum ille differre poſſet ſolutionem, aut fortaſſe abiurare mallet creditum, quàm depend.re. Quod ne accidat, monet filium, ne ſimile aliquid faciat, & dum malè reddit mercenarijs ſtipendium, aut ſerius quàm deberet, in ſuum ſibi caput malum ſtruat.*

2. 2. opinio.

Melius, meo iudicio, Guilielmus Eſtius annotatione ad hunc verſum, qui eum ſic explicat: *Senſus eſt, quod tanquam iniuſtum oderis ab alio tibi fieri; vide ne alteri facias. Et eodem modo intelligendum eſt affirmatiuum illud præceptum, in Euangelio Matth. 7. Quæcumque vultis vt vobis faciant homines, eadem & vos facite illis. Senſus enim eſt, Quæcumque vultis iuſta & rationabili voluntate vobis ab aliis fieri. Explicant enim hæc duo præcepta naturæ, illud præceptum Dei, & vicißim ab eodem explicantur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Quod olim ſimiliter ita intellexit Gregorius Magnus lib. 10. Moral. cap. 4. *Proximi autem dilectio*, inquit, *ad duo præcepta derivatur, cùm & per quemdam iuſtum dicitur: Quod ab alio tibi odiũ fieri, vide ne & tu alteri facias. Et per ſemetipſam veritas dicit: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quibus duobus ſcilicet vtriuſque teſtamenti præceptis, per vnum malitia compeſcitur, per aliud benignus prærogatur: vt malum, quod pati non vult quiſque non faciens, ceſſet à nocendi opere, & rurſum bonum quod ſibi fieri appetit, impendens, erga vtilitatem proximi ſe exerceat ex benignitate.* Atqui huc reſpexit Saluator noſter, quando Matth. 7. poſt varia præcepta, hoc addidit documentum, *Omnia ergo quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et Luc. 6. vbi eadem ferè verba repetit, *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Sub illa autem affirmatiua parte virtualiter

Tob. 4. Matth. 7.

tualiter hæc negatiua lex, quam ab ipſa natura etiam hauſimus, continetur, vt Tertullianus contra Marcionem notauit. Conuenienter autem propria voluntas accipitur, regula operum erga alterum; nemo enim ſibi malum vult, non enim dicitur quod tibi alter facit, aut quod alter tibi fieri vult, ſed quod tu tibi vis ab altero fieri, id facias illi. Ex his lex Decalogi deriuatur, in ijs maximè, quæ proximorum ſunt, ſimiliter & leges omnes morales iuſtitiæ, beneficentiæ, cæterarumque virtutum erga alios, vt non furaberis, non mœchaberis, & cætera etiam affirmatiua: talia enim nolumus ab alijs fieri nobis: at eleemoſynam tribui in neceſſitate, diligi ab alijs, patienter nos ferri, & alia huiuſmodi fieri nobis vellemus; ea igitur cæteris faciamus: vnde Matth. 7. poſt hoc principium adiecit Chriſtus: *Hæc eſt lex, & Propheta*, quia ſumma quædam eſt præceptorum moralium, quæ lex tradit, & ad quæ Prophetæ exhortati ſunt.

Propria voluntas debet eſſe regula operum erga alterum & cur?

Itaque Tobias non ſolùm voluit pauperibus non differri mercedem, aut non abiutari creditum; ſed omnia ſeruari à filio quæ lex naturalis affirmatiua & negatiua præſcriberet, & vetaret; etiamſi in præceptis quamplurimis hoc capite contentis non viderentur comprehendi. Hoc documentum continens in ſe multa præcepta & cõſilia eorum, quæ fieri debent erga proximum, & caueri, ita ad amuſſim obſeruauit filius eius Tobias, vt alijs præceptis non indigeret. Teſtatur enim hæc hiſtoria cap. 14. quod *completis annis nonaginta nouem in timore Domini* vitam finierit. Vlterius inſinuat hanc legem ad prodigium vſque ſeruatam ab omni eius cognatione? declarat enim omnem generationem eius in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſiſſe, *ita vt accepti eſſent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Quod ſanè abſq; huius documẽti obſeruatione nemo non videt fuiſſe impoſſibile. ſuffragatur Chryſoſt. hom. 13. ad populum: *Odiſti*, inquit, *cõtumeliam pati? neque tu alteri inuideas. Odio habes falli? ne tu fallas alium. Et in omnibus generaliter, ſi duo hæc verba retineamus, alterius diſciplina non indigebimus.* Maldonatus in cap. 7. Matth. *Meritò*, inquit, *Philoſophi hoc primum naturæ & moralis philoſophiæ principium eſſe putauerunt. Lego in Romanorum hiſtorijs Alexandrum Seuerum Imperatorem, qui animo ad Chriſtianam religionem propenſus fuiſſe creditur, ſolitum dicere, ideò Chriſtianos ſibi placere, quod quæ ſibi fieri vellent, alijs id ipſi facerent.* Et ſubdit: *Non diciſſet fortaſſe, ſi noſtra vixiſſet ætate, neq; mores noſtros: ſed legem laudare potuiſſet.*

3. *Tobias legis naturalis obſeruantiſſimus.*

Obſeruatio legis naturalis per ſe ſufficiens eſt ad emendanda peccata circa proximum.

Certè rara eſt auis in terra, aut coruus albus, qui expeditè hanc legem obſeruat. Si ſeruaſſet eam Cain, non cruentaſſet dexteram fraterno ſanguine. Si ſeruaſſent hanc legem fratres Ioſeph, non eum vendidiſſent Iſmaelitis. Si memor fuiſſet Saul, non totiens ad mortem inhians proſecutus fuiſſet Dauidem. Si ſeruaſſet Abſalon, imperio ſuo non occidiſſet fratrem Ammon; non detraxiſſet patri, neque ad rebellionem concitaſſet plebem, ſuo tam diro quàm funeſto exitio. Si huc attendiſſent miſelli homines & in vindictam proni non fuiſſet opus dicere hanc legem: *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Non opus fuiſſet interdicere eſum carnis cum ſanguine; ne videlicet homines aſſueſcendo ſanguini beſtiarum tantum, nec humano parcerent. Si ſupra modum ſæuitiæ non fuiſſent dediti Iudæi, vanum fuiſſet hanc legem præſcribere, *Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra, nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis deſuper incubantem, non tenebis eam cum filijs, ſed abire permittes captos tenens filios, vt benè ſit tibi, & longo viuas tempore.* Sed volens docere Deus omnem auerſari crudelitatem, per hanc legem ad ſpeciem quamdam clementiæ & humanitatis, exemplo animalcul oruminduxit, cùm noluit acceptis pullis, illi ipſi, à quo beneficiũ acceperis vel libertatem vel vitam eripi: & inſuper proſperitatem, & longam vitam addixit, qui in beſtias non eſſet immitis & crudelis Si pupillis nemo nocuiſſet, non ſtatuiſſet legem hanc negatiuam, *Non coques hœdum in lacte matris*: ſed quia ad eorum nocumentum homines proni, noluit occidi & coqui hœdum lactentem à populo Iudaico, quamdiu ſugeret lac matris. Vt enim doceret humanitatem & benignitatem erga homines, quando etiam circa bruta eam præcipiebat, iubebatque eos compati pecudibus ſuis & auerſari, ac horrere crudelitatem, in eas præſertim in tenellos agnos, & hœdos, qui ſui commiſerationem omnibus mouent, dum iugulantur. Si etiam ſucceſſiuis temporibus ab huiuſmodi noxa abſtinuiſſet homo, non præcepiſſet Hebræus Sapiens, Prouerb. 23. *Ne attingas parunlorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas; propinquus enim illorum fortis eſt, ipſe iudicabit contra te cauſſam illorum.*

Præuaricatio huius legis cauſam dedit præſcriptionis cæterarum legum.

4. *Huius legis panci obſeruatores.*

Si ab inſidijs thori alieni, eiuſq; violatione abſtinuiſſet homo, vt olim Ioſeph, non fuiſſet neceſſe pœnam lapidationis illi accenſere; niſi per fas & nefas ad libidinem inhiaſſet miſer homuncio, non cauiſſet Deus, mulierem indui veſte virili, neque virum vti veſte fœmineâ: ſed quia veſtitus huiuſcemodi mutatio multis nequitijs feneſtram aperit. Sanè experientia teſtatur multam turpitudinem ſub hiſce latebris occultari. Seneca, Controu. 1. tanquam nefandæ turpitudinis ſeminarium eam mutationem notat. *Inter Hebræorum conuiuarum iocos*, inquit, *iactatur modò in puerilem, modò in muliebrem habitum compoſita.* Probroſa & pudenda ſunt, quæ de ſui

5. *Sexum veſte mutare, turpe & probroſum.*

tem-

temporis in hoc genere corruptis moribus scribit Clemens Alexandrinus Pædagog. lib.3.cap.3 Egregiè more suo hanc corruptelam in Romanis perstringit Saluianus lib. 7. de vero iudicio & prouidentia Dei: *In vrbe*, inquit, *Christiana, in vrbe Ecclesiastica, quam quondam doctrinis suis Apostoli instituerant, quam passionibus Martyres coronarant, viri in semetipsis faminas profitebantur. hoc sine pudore vmbraculo, sine vllo verecundiæ amictu, ac si parum quippiam culi esset, &c.* Omnes quotquot absque necessitate vel alia iusta causa viri muliebrem habitum sumpserunt, malè à pudicitia audierunt. Talis Sardanapalus apud Diodorum Siculum, Caius Caligula apud Suetonium, Dinocrates Messenius apud Volaterranum, Clisthenes quidam, de quo vide adagia, *Clisthenem video, Clisthenis intemperantior*, & alij similes pudicitiæ & omnis honestatis hostes. S.Hieronymus lib.1.aduersus Iouinianum de hoc libidinis vitio, quod ipsius tempore grassabatur, inquit: *Quotidie macherorum sanguis effunditur, adulteria damnantur, & inter ipsas leges & secures, ac tribunalia flagrans libido dominatur*; magis hodie cùm capitalis pœna ceßat.

Viri muliebrem habitu vsurpantes impudici habiti.

6. Et cur quæso tot leges circa furta, & damna illata, vt videre est Exod. 22. Numer.5. & alibi, nisi prævaricatio legis naturalis ad hoc causam dedisset? Quid opus fuisset præscribere legem de pecude inimici, nisi quia, quod ab alio nobis oderimus fieri, id ipsis facimus, Sed quia naturæ lex in hac re quasi emortua comperta fuit, edixit Deus per Moysen, Deuteron.22. *Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & praeter ibis: sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quaerat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quae perierit: si inueneris eam, ne negligas quasi alienam, &c.* Sanxit hoc Deus ad charitatem mutuam inter Iudæos fouendam & excercendam. Quid ni hoc faciant Christiani. Notabile est quod scribit Panormitanus in vita Alphonsi Aragonum, Neapolis & Siciliæ Regis, lib.1. Is cùm per Campaniam iter faceret, in agasonem incidit, cuius iumentum farinâ onustum, cùm in luto hæreret, & agaso præteruntium opem imploraret, ipse rex ex equo descendens, suam in asino ex luto extrahendo operam agasoni impendit; qui vbi regem agnouit, in genua procidens veniam petijt, quem ille placidis verbis à se dimisit. eoque facto Campaniæ populos sibi conciliauit.

Exemplum Regis Alphonsi.

7. Sed eheu quantum absumus nos Christiani ab hac dilectione. Præscripsit Deus in hunc finem parabolam hominis, qui inciderat in latrones, quem Samaritanus eius inimicus suscepit, & oleum ac vinum in vulnera infudit, iumẽto imposuit, curam eius habuit. Proposuit parabolam de decem talentis, hominisque duri fratris non compatientis. Aegrotos medici non deserunt, donec videant prostratas vires ad tumbam fatiscere. est tamen morbi genus, cuius primo intuitu medicus dicat: sepulchrum aperite, hic homo moriatur. ita prorsus licet nullius improbi hominis desperanda sit salus, dum exalatur: in hoc tamen ægritudinis genere, cùm putrida viscera felle natant, cùm animus odijs & vindictæ cupidine laborat, apertè Ioannes Apostolus pronuntiat, 1. Ioan. 5. Sepulchrum aperite huic misero; *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis*: rarò resipiscunt, qui semel obstinarunt animum in vindictam. *Non est sensus, vbi est amaritudo*, inquit, Siracides Eccles. 21. Sed etsi clament omnes sapientes, minentur omnes Prophetæ, horrentur omnes Angeli, vt sepultâ iniuriarum memoriâ, in mutuos amplexus ruamus, adhuc tamen audacissimè conciliationem omnem, auersamur, adhuc talionem postulamus. Sapientum denique omnium sapientissimus homo Prophetarum doctor, Rex Angelorum, auctoritate maximâ, potestate summâ venit, non vt suadeat hanc vnionẽ, sed vt præcipiat, non vt consilium offerat, sed vt legem figat, & adhuc impudentissimè refragamur. Audite Christum Regem præcipientem, audite reluctantes subditi: Stat Christus & Patris nomine imperat Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Stant rebelles subditi, & clamant: O Christe frustra hæc dicis, frustra imperas: *Vobis dico*, vobis Christianis. Nos ab Ethnicis in hoc stamus, Non auditis Christe; *Diligite inimicos vestros.* Vix vllus est qui obtemperet: *Ego autem dico vobis non resistere malo.* Ignaui dicemur & imbelles, *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Rara est hæc oratio & nimis frigida. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Nimis carò venalis est hic titulus. *Benefacite his qui oderunt vos.* Contra naturam Domine, imperas; manda faciliora. *Dimittite & dimittetur vobis.* Non possumus, vt id scias Christe, non possumus, hoc est, nolumus iram cohibere, dentes restringere, manum cohibere; & quis cogitationibus imperet? *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra.* parati sumus perire, modò simul pereat inimicus Christus Dominus debitori 10000. talentorum, oranti debitum omne dimisit. Is in conseruum fœnerus rigidè omne debitum exegit sepositâ quâuis commiseratione. Dominus propterea eum conclusit in carcerem, donec solueret vltimum quadrantem. Vtque hoc exemplo deterrentur cæteri, pronuntiauit hæc verba: *Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri*

An moriendo laborans non facilè sanetur.

7. *Diligendum esse inimicos. Luca 10.*

Matth. 18.

Matth. 18.

Enchiridij. cap. 7.

fratri ſuo de cordibus veſtris. Ad tam magnum tonitruum, ait Auguſtinus, qui non expergiſcitur, non dormit, ſed mortuus eſt.

8. *Dimittendũ inimicis, vt nobis dimittatur.*

O Chriſtiani, adeòne cœlum odiſtis, vt ſic velis remiſque ad inferos properetis? Vbi veſtrum illud? *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus.* Aut ergo inimici vobis veſtri amanai ſunt, aut toties vobis ipſi laqueum injicitis, quoties hoc à Deo poſtulatis: ſicut nos alijs dimittimus, ita tu nobis, o Deus dimitte. Sed nos nihil condonamus, omnia vindicatum, omnia imus punitũ odio implacabili. Ergo & tu in nobis, nihil impunitum relinque. Impiorum eſt hoc ingenium non prædeſtinatorum, nam hi tam grauiter lædi non poſſunt, cùm clament: *Pater dimitte illi, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Quid facis mi homo? Nulla, inquis, quies mihi, non ſomnus, non cibus, aut potus ſapiunt, dum Mardochæum ſedentem video, & intactum, & populum immunem à vindicta, quam in ipſos molior. Inimicũ, mihi non cernuum indemnem non fero. At in caput tuum deciperis. Quidquid cogitas, merum eſt abſynthium, vrticas, tribulos, ſentes geris in pectore, quibus cruentam conſcientiam miſerrimè vris. Niſi maturè illum ignem, quo ardes, ſopieris & extinxeris, malè tibi cedet: *Qua menſura menſi fueritis eadem remetietur vobis.* Cæli ianuam iam tibi, obſeraſti & magnis paſſibus ad ignes ſtygios tẽdis, vbi æternùm ardeas. Porta cæli iniuriarum pernicioſſima eſt, at *qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruãs ſeruabit*, Eccl. 28. Narrat Ezechiel ca. 32. ruinam ac cladem Pharaonis prædicẽs, tantam Ægyptiorum fore, vt omnes aues, & feræ accurrant ad eos deuorandos, vtque Sol Luna & ſtellæ obſcurari videãrur. Et rurſum inſtaurans planctum ſcribit Aſſyrios, Perſas, Idumæos, alioſque tyrannos poſuiſſe gladios ſub capitibus, & cum armis ſuis deſcẽdiſſe ad infernum, innuens eos non ſepeliendos ſicut ſtrenuos in acie, quorum arma, in ſepulchris inſculpta, & gladij capiti ſuppoſiti, vt pleriſque nationibus non inſolitum. En nouum ceruicalis genus, gladium! tali ceruicali ſomnum ſuum fulciunt omnes vindictæ cupidi, qui nullam ſibi quietem niſi à cæde, à ſanguine, à gladio petunt. Sic primus diaboli diſcipulus (ita Cainum vocat Baſilius) in fratrem iugulatrice manu ibat, vt extincta fratris gloria, ſuam ſibi ſtabiliret. contrarium euenit. Eſau, Saul, Antiochus diuinam miſericordiam non ſine lachrymis imploratunt, non ſunt auditi. Eſau *non inuenit locum pœnitentiæ, quamquam cum lachrymis inquiſiſſet eam*, Hebræ. 12. Ita Saul, ita & Antiochus ab ara miſericordiæ, ad quam confugerant, reiecti, & iure: nec ipſi parcere volebant ijs, quos inimicos ſibi ſtatuerant. *Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam.* Rex Dauid fœdo lapſu peccatum duplicauit, & libidinem ſanguine miſcuit: quamprimum tamen pœnitẽtiæ lignum edidit, & vix geminas voculas *peccaui Domino*, pronuntiauit, mox à Nathane audiuit: *Dominus peccatum tuum tranſtulit.* quoties Antiochus peccaſſe ſe faſſus, non ſine grandi eiulatu clementiam Numinis implorauit, templo donaria vouit, emendatiſſimos mores in reliquã vitam promiſit; ſed repulſam tulit. nec mirum: longè aliter Hebræus ille rex, & aliter Aſſyrius tyrannus ille, in aduerſarios ſe geſſit. Dauid nullo regum inferior bellando & vincendo; omnibus tamen longè ſuperior parcendo. vt qui nihil minus ſibi voluerit licere, quàm vlciſci, benignior vel in hoſtes ſuos, quàm in ſuos ciues Antiochus, qui non niſi gladios, ignes, ſanguinem, vltionem, cædes ſpirabat.

Probatur exemplis.

Eccleſ 28.

2. *Reg.* 12.

Memento igitur documenti tam præclari, quam præſcripſit filio ſuo Tobias ſenior. Si manſuetudinem exhiberemus, eſſemus omnibus inſuperabiles, nec vlla ad nos iniuria perueniret. Ergo, ne dicas: reddam malum. *Expecta Dominum & liberabit te.* Ne dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam ei. & cur damno tuo nocere cupis alteri? O canis, quid lapidem mordes? cum manu age, quæ miſit lapidem. Quid furis in aduerſarium? Dimitte eum vt maledicat, Dominus enim præcepit ei, vt malediceret tibi. Ad mortem damnatus carnifici non indignatur, ſed iudici: & cur miſelle homo, carnificem tu tuum inuadis? iudicem attende. Deus eſt qui talem in te antagoniſtam immiſit, ſed bono tuo, plectendis delictis tuis. *Noli* obſecro, *vinci à malo, ſed vince in bono malum*, Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitierit, da ei aquam bibere, prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi.* Vince in bono malum. De hac victoria Chryſoſtomus in cap. 12. ad Rom. *In Olympicis*, ait, *certaminibus diabolo conſecratis lex eſt, malè faciendo vincere: in ſtadio Chriſti, omnino lex eſt contraria; hic enim non cum qui percutit, ſed qui percutitur, coronari decretum eſt.* Phocion innocentiſſimus, & Imperator, iam capite damnatus, cùm Lictor ei venenatum calicem porrexiſſet, rogatus à cognatis, quidnam ad filium mandaret? Mando, inquit, vt obliuiſcatur huius poculi, quod ab Athenienſibus propinatum nunc eporo. Iulius Cæſar nihil vnquam præter iniurias oblitus dicitur. At quis noſtrum hîc videri aut eſſe obliuioſus, quàm firmâ plerique omnes memoriâ ſumus, cùm iniuriarum res agitur? Beneficia pulueri, ſilici verò iniurias inſcribimus, manet altâ mente repoſtum. Nemo cedit, nec Deo quidem imperante. Iam olim Deus omnem vindictam prohibuit, & ſeuerè prorſus edixit, Deuter. 32. *Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore.* Nihilominus quotus quiſque

9.

Prouerb. 20. *Prouerb.* 24.

Iniuria accepta illicuni tradenda.

Prou. 25.

eſt,

eſt, qui non impiè reclamet? *Mea, Domine, eſt vltio, & ego retribuam.* opponit iterum Deus Rom. 12. *Mihi vindictam: ego retribuam.* obluctatur iterum homo: *Mihi vindictam, Domine, & ego retribuam: tu nimis es exorari facilis, ſera nimis eſt tua vltio.* Sic improbiſſimo & pluſquam temerario auſu, Dei munus inuadimus; gladium in inimicos noſtros ab ipſo ſtringendum, flagitiosè prætipimus; pars læſa cùm ſimus, iudicis ſeueritatem induimus.

10. Volumus nobis ignoſci, ſed non ignoſcimus. Laudamus Dauidem, quod pepercerit Sauli, cuius vitam habebat in manu 1. Reg. 24. ſummâ commotione & affectu audimus verba Dauidis, quæ protulit ad Saul, *Patermi, vide & cognoſce oram clamydis tuæ in manu mea: quoniam cùm præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Animaduerte & vide, quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te, tu autem inſidiaris animæ meæ, vt auferas eam. Iudicet Dominus inter me & te.* Et iterum, *Quem perſequeris Rex Iſrael? quem perſequeris, canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum. Sit Dominus iudex, &c. eruat me de manu tua.* Imò quàm molli & libenti animo audimus reſponſum Saulis, *Numquid vox hæc tua eſt, fili mi Dauid? & leuauit Saul vocem ſuam, fleuit, dixitq; ad Dauid, Iuſtior tu es quàm ego; tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Sed horum ſtatim obliti præter vindictam, nihil ſpiramus, ad eam recrudeſcenti animo recidiui inſtar Saulis. Recogitate eius finem, & partibus Dauidis adhærentes, *benefacite his, qui oderunt vos,* & reliqua præſtate, quæ lex naturalis ſeriò præſcribit, hæc eſt enim lex & Prophetæ, hæc cœlo natorum virtus, hæc beatitudini certiſſimè addicit.

CAPITIS QVARTI

VERSVS. XVII.

Verſ. 17. *Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege.*

Verſ. 18. *Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 17. & 18. Opus miſericordiæ, quod Tobias ſenior ſolitus erat penuriâ laborantibus impendere, hoc ipſum ſeriò commendat filio, ne videlicet de beneficijs ſibi à Deo collatis, pauperes fruſtrentur: ſed eos participes reddat ſuæ annonæ, quos eſurientes & egenos viderit; & non relinquat abſque operimento pauperem. Piè defunctorum quoque memor, iubet eiſdem etiam eleemoſynam impendi, conuiuio in ſolatium animæ eius inſtructo, ad quod vocari vult iuſtos & pios, quorum precibus Deus animabus refrigerium aſpiret.

SECTIO DECIMATERTIA.

Qua de cauſa Tobias filio commendet pauperes conuiuae, nudoſq; operire.

1. BEATVS Iob teſtatur liberalem & clementem ſuum animum in pauperes talem fuiſſe, vt propria non ita exiſtimauerit ſua, vt ſolus ipſe ex illis vſum caperet, ſed communicaret cum alijs, maximè pauperibus, qui rependere non poſſent beneficium aut gratiam: *Si comedi*, inquit, *buccellam ſolus, & non comedit pupillus ex ea.* Non putabat ſuauem ſibi fore panis buccellam, niſi ex illa, quoque guſtaſſet, & quaſi prælibaſſet pupillus, eamque miſericordiâ beneficâ condiret. Rationem addit, *Quia ab infantia mea mecum creuit miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Quaſi diceret, Neque cuiquam mirum videri debet, ſi tàm auidè miſerorum neceſſitati ſubuenerim, cùm ex materno vtero hauſerim eam, ad bene de alijs merendum, leuandamque miſerorum inopiam, naturæ pronitatem. Sic enim ad leuandas miſerorum ærumnas impellebatur intrinſecus, ſicut ad venandum canis, ad currendum equus, ad volandum auis, ad cantandum aliquæ auicularum ſpecies. A quibus actionibus, ſi quis hæc animalia remoretur, interno ipſius naturæ impulſu eluctantur, & quæ ab alijs opponuntur impedimenta, toto corporis conatu ſubmouẽt:

Naturalis Iobo miſericordia.

Conſtat

Conſtat ergo, inquit Gregorius, *quia ſua virtuti nihil tribuit, qui profectò teſtatur, quia hoc ex conditoris munere accepit.*

2. Quod Iob ſuo tempore tam liberaliter præſtitit, idipſum aſſueuerat Tobias ſenior, & filium; vt imitaretur, hortabatur: *Panem tuum*, inquit, *cum eſurientibus, & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudum tege.* Sciebat vtique, quàm præclari & vtiles eſſent eiuſmodi conuiuæ; de quo vide dicta Sect. 3. in cap. 2. & Sect. 34. capitis 1. num. 5. & 6. vbi latiùs egi de opere illo miſericordiæ nudos operiendi. Quod viri ſancti prætermittere noluerunt: *Si deſpexi pereuntem*, inquit Iob, *eò quòd non haberet indumentum, & abſque operimento pauperem: Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt.* Simile fuit in Tobia, qui cap. 1. hoc abundè præſtitit, & hoc loco filium ad imitationem inſtigat.

Nudos operire, eſt ſanctorum virorum virtus.

SECTIO XIV.

Quid ſit panem & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtituere, & qua de cauſa hoc ipſum præcipiat Tobias filio.

1. *Munſteri heretici de hoc loco duo ridicula expoſitiones.*

MVNSTERVS Auctor Heterodoxus duplicem huius loci expoſitionem adfert. Prior eſt, non occidas iuſtos, ſubtrahendo illis panem. Sed valdè contorta eſſet phraſis, & nuſquam audita, potiuſque dicere debuiſſet, *ſuper vinos*, vel *in vinos*. Deinde idem diceret Tobias quod iam dixerat. Poſterior expoſitio, Pone panem ſuper iuſtorum os, quia ſepulchrum vocatur os, Pſal. 6. At non quorumlibet os ſepulchrum vocatur, ſed impiorum tantum, & quidem hæreticorum maximè, *vnde mendaciorum mortes exhalant*, inquit Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani c. 15.

2. *Quidam falsò putabant mortuis neceſſarios eſſe cibos, eoſque ſepulchris ponebant.*

Verùm antequam hunc locum explicem, notare libet variam conſuetudinem de cibis ſuper mortuorum ſepulchra conſtituendis. Primum notum eſt in eo fuiſſe errore è Gentilibus quoſdam, vt crederent mortuis eſſe neceſſarios cibos, & ideò ſe piè facere putaſſe, cùm ad ſepulchra epulas deferrent: varias pro locorum, gentiumque varietate, quæ defunctorum Manibus non eodem vbique modo parentabant. Huc ego refero cœnam Hecates, quæ in prouerbiali ſpecie pro tenui ſumitur, quæ pauperes alit. Sanè Virgilius ex gentilium more, rituque legitimo in parentalibus ſacris aliquid addit eſculentum. Sic lib. 3. Æneidos vbi Polydoro funebrem impendit honorem.

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte
Sanguinis, & ſacri pateras, animamq; ſepulchro
Condimus, & magnâ ſupremum voce ciemus.

Similia adducit lib. 5. de Anchiſæ inferijs. Longum eſſet proferre quid ea de re prodiderint profani. Neque hanc conſuetudinem Scriptura ſacra ſiluit, quam inutilem, & ſtultam fuiſſe indicat, dum ait, *bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſita ſepulchro. Quid proderit libatio idolo, neque enim manducabit nec odorabit.* Illis equidem verbis mortuus cum idolo comparari videtur: vt enim idolum nullum capit vſum ex oblatis epulis, quia forma quædam eſt ſine ſenſu, vt pote aut exſculpta è marmore, aut è ligno dolata, ſic etiam neque mortuus, qui in ſepulchro conditur, ex appoſitis epulis odoratur aliquid, aut guſtat. Quam conſuetudinem vellicat Tertullianus lib. de teſtimonio animæ, vbi docens animæ ſtatum, poſt vitæ diſpunctionem vel inde agnoſci, quod quoſdam miſellos, alios ſecuros non cupent, dum alicuius defuncti recordantur; quòd defunctis parentent; quod cineri terram grauem, & penes inferos tormentum imprecentur; aut è contrario refrigerium comprecentur, & vt benè apud inferos requieſcant; quod poſtremam famam poſt mortem affectent: *Vocas porrò ſecuros*, inquit, *ſi quando extra portam cum obſonijs & mattaia tibi potius parentans ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis. At ego ſobriam tuam ſententiam exigo: miſellos vocas mortuos, cùm de tuo loquaris, cùm ab eis longè es. Nam in conuiuio eorum quaſi præſentibus & concumbentibus ſortem ſuam exprobrare non poſſis, debes adulari propter quod latius viuis. Miſellum ergo vocas qui nihil ſenit, quid quod vt ſentiêti maledicis, cuius memoriam cum alicuius offenſa morſu facis. Terram grauem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum: aquè ex bona parte cui gratiam debes, oſſibus & cineribus eius refrigerium comprecaris, & vt benè requieſcat apud inferos cupis.* Mattæa autem Athenæo interprete dicta pretioſa edulia omnia; hinc Mattæolicus, Calderino guloſus dicitur. Et lib. de reſurrectione carnis ex hac conſuetudine ridet Gentiles reſurrectionem negantes: *Fiducia Chriſtianorum*, inquit, *reſurrectio mortuorum: illam credentes ſumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit, Sed vulgus irridet, exiſtimans nihil ſupereſſe poſt mortem: & tamen defunctis parentant, & quidem impenſiſſimo officio pro moribus eorum, pro temporibus eſculentorum, vt quos negant ſentire quicquam, etiam deſiderare præſumant. At ego magis videbo vulgus, tunc quoque cùm ipſos defunctos atrociſſimè exurit, quod poſt modum guloſiſſimè nutrit, iiſdem ignibus & promerens & offendens.*

3. Clariùs hac de re loquitur Epiphanius in Ancoratu. *Græci*, inquit, *rurſus redarguuntur, Reſurrectionem in totum negantes; deferentes in monumenta cibos, & potus. In Pandemis, hoc eſt, popularibus diebus, edulia quidem in totum exurunt, vina verò libant: nihil commodi mortuis ex hoc afferentes,*

rentes, imò potiùs seipsos ledentes. Veruntamen coguntur à consuetudine confiteri mortuorum resurrectionem. Nam vbi posita sunt corpora defunctorum, accedunt & inclamant, nomina proferentes mortuorum, dicentes: Resurge tu, comede, bibe, & lætare. Improbant præterea eam consuetudinem adhuc ad id vsque temporis in Africa, etiam Christianis vsitatam Doctores Ambrosius in illud Lucæ, *Sine mortuos sepelire mortuos suos*: ac Augustinus lib. 6. Confes. c. 2. De mor. Eccl. cathol. lib. 1. c. 34. Epist. 64. ad Aurelium, Conc. 1. in Psal. 48.

4. *Epulum à gentilibus in honore funebri.*

Alij etiam ex gentilibus epulum instruebãt in parentalibus sacris, ad quod cognatos, & amicos inuitabant, quo honestari credebant mortuorum funus, & illorum manes oblectari. Quod splendidum adornari à suis hæredibus curabant viri etiam vulgares, idque in testamento publicâ fide consignari volebant. De Græcis docet Hieronymus ad illud Hieremiæ cap. 16. v. 5. *Ne ingrediaris locum conuiuij, neque vadas ad plangendum.* Vbi docet eiusmodi sepulcrales epulas vocari περὶ ταφων. De Athenienſibus tradit Pollux præfectos funerum curare solitos ne deesset parentale conuiuium. De Scytis docet Herodotus lib. 4. de Romanis probant multorum exempla, qui testamento iusserunt, vt publicum epulum in suo funere præberetur populo. Testantur id adhuc mortua saxa, in quibus defunctorum epitaphia legimus.

5. *Item ab Hebræis.*

Hæc etiam Hebræi in suorum obeundo funere habuerunt solemnia, an illi à Græcis acceperint, vel contra ab his Græci, non constat. Fuisse tamen epulum in parentalibus Hebræorum liquet ex Ieremia cap. 16. vers. 5. *Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos: quia abstuli pacem meam à populo isto, dicit Dominus, misericordiam & miserationes.* quasi dicat, Hæc ad Hieremiam dicit Dominus: Annuncia non iam futurum esse ferale conuiuium, quod exhiberi solet in defunctorum exequijs, neque legitimum impendendum planctum, aut obeundum solemne consolationis officium. Ego enim, inquit, inducto Chaldæorum exercitu, omnia pacis ornamenta subsstuli, quia etiam longè à populo miserationem, & misericordiam remoui. Qui locus satis insinuat solitas esse ab amicis, aut pijs hominibus epulas præberi his, qui parentum, aut cognatorum causa lugerent. Cùm enim illi aut intenti essent suorum funeri, aut certè neque præ dolore possent, aut minus honestum ducerent, in eo rerum articulo, de epulis cogitare, amici aderant, qui illis & panem frangerent, & calicem porrigerent. Non enim decere videbatur, vt vbi de vita illorum quos amabant, actum esse viderent, studerent paratis cibis conseruare suam; cum alicubi apud gentiles, familiares, & cognati in honorem defuncti, suam vitam impenderent, & in eundem cum amicis tumulum vltrò se conijcerent. Quare amici, aut vicini, aut alij viri religiosi, ac pij de ciborum apparatu iubent illos esse securos. Hoc videtur à seniore Tobia commendatum, nempe non solum vt vitâ functos sepulturæ mãdet filius, sed etiam vt mærentes cognatos, quos dolor, & luctus sibi de cibis prouidere non sinit, consoletur, & cibos offerat, quorum natura indiget, licet respuat ex domestico funere conceptus dolor. Quod Deus ipse præcepisse videtur, dum dicit Eccles. cap. 7. *Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Et huc etiam alluſit Hebræus Sapiens, dum ait Prouerb. 31. *Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.* Ad hunc morem alludit etiam Dominus Ezech. 24. vbi iubet Ezechielem non plangere vxorem, vt portendat excidium vrbis, in quo quasi communi omnium clade & comploratione, nemo fratrem, patrem, aut vxorem sit planctурus, & præscribit inter cetera, *Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facias,* &c. *nec cibum lugentium comedes*, id est, ex epulo funebri, siue exequijs nõ vesceris, quod tamen ad consolationẽ ab amicis parari solet.

Hebræorum epulum pro mærentibus in funere probabile.

6. *Epulum Tobiæ pro salute animæ defuncti.*

Verùm altiùs respexit Tobias, & epulum hoc pro defuncti spirituali salute ab amicis seu domesticis adhiberi voluit, & conuiuium parentale ad defuncti liberationem adornari. Sicut enim pro defunctis alia quædam fiũt pietatis opera, quibus paupẽrum leuatur inopia, quales sunt eleemosynæ liberali manu erogatæ indigentibus, vestimenta, dapes, & alia laborantis leuamenta naturæ, sic etiam eleemosyna est pauperibus instructa mensa, ad quam aduocantur indigentes, monetque vt gratiam remetiantur pro gratia, & pro defuncto preces afferant Deo. Confirmatur ex eo quod Siracides Eccles. 7. vbi sollicitus de eleemosyna pro viuis & defunctis: *Et pauperi*, inquit, *porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio & benedictio tua.* Et subdit, *Gratia data in conspectu omnis viuentis, & mortuo ne prohibeas gratiam.* quasi dicat, Gratiosa est apud omnes viuos largitio; sed & mortuis non deneganda beneficentia. In quem locum sic Iansenius: *Quo significatur imprimis & maximè viuis benefaciendum esse qui beneficia sibi impensa videri & agnoscere, & per ea iuuari possunt. Ne tamen propterea solis viuis putaretur gratia & beneficium impẽdendum, subiungit: Et mortuo ne prohibeas gratiam, hoc est, non deneges ei tuam beneficentiam. Est autem multiplex gratia, & beneficium quod mortuis impendi potest & debet. Et primum quidem beneficium sepulturæ, quod in Tobia commendatur. Secundum beneficium orationis & oblationis pro eorum sa-*

Multiplex est gratia quæ impẽditur mortuis.

luit, exemplo Iudæ Machabæi nobis in scriptura commendati, ad quod beneficium hic etiam Sapientem ipsum, qui circa tempora Machabæorum fuit, respexisse satis intelligi potest ex eo, quòd gratiam mortuis exhibendam coniungat cum gratia pauperibus præstanda, sicut & Tobias cap. 4. post præceptum de faciendâ eleemosyna subijcit: Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti, &c. significans hoc faciendum per eleemosynæ collationem, vinum propter mortuos faciendam: non autem id faciendum ritu Gentilium, qui superstitiosè panem & vinum collocabant super suorum sepulchra.

7. Confirmatur vlterius, eò quod sepulturam hominis iusti esse velit, cui prodesse possint iustorum indulta suffragia, non verò eorum, de quorum salute desperatur: quales sunt Assyrij, aut Babilonij, aut qui sacris adhęsere gentilicijs. In iustis autem intelligit illos, qui religionem illam amplectuntur, & colũt, quæ cultores suos ad sanctitatem, & iustitiam instruit. Accedit, quod voluerit panem propter mortuum propositum cum iustis comedere, non cum peccatoribus, quod Deus eorum preces gratas habeat, neque vacuas à suo conspectu abire sinat; horum fastidiat. Porrò non solum admonetur Tobias iunior, vt hæc funeri cognatorum, aut domesticorum impendat, sed etiam omnium, quorum manibus hac religiosa liberalitate suffragari potuerit, vt ad orandum pro defunctis pauperes, & qui sacrum obeunt ministerium, alliciat.

8. *Pũ atque vtiliter panis & vinũ in sepulchris ponuntur, & cur?*

Hunc enim habent vsum oblationes illæ, quæ ex pane, & vino apud Catholicos in mortuorum sepulchris statuuntur, quas dum sacerdotes de more capiunt, pro defunctis orant, & eâ ratione iuuantur animæ, non refocillatæ sepulchrali cibo, sed precibus à sacerdote religiosè conceptis, aut à paupere, cuius illâ eleemosynâ necessitati subuenitur.

9. Hanc porrò consuetudinem etiam ab Ecclesiæ primis incunabilis seruari docet Clemens lib. 8. cap. 24. Apost. constit. & Chrysostomus hom. 37. in Matth. Turrianus lib. 4. pro epist. Pontif. cap. 13. Spiritus charitatis docuit Tobiam iustos, & sanctos, qui cum peccatis leuioribus per humanam fragilitatem commissis mori solerent, quæ post hanc vitam expiari oporteret precationibus, & eleemosynis eorum qui cum ipsis charitate iuncti essent, adiuuandos esse. Ad hoc ergo iussit panem & vinum super sepulturam iusti ponere, vt qui ex eo ederent, pro mortuo iusto orarent. Similia habet Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 3. & alij communiter.

10. *Super idem quod propter.*

Aduerte autem coniunctionem, super, interdum valere, quod *propter*, vt Thren. 2. v. 11. & 18. Psal. 137. vers. 2. Ezech. 32. vers. 8. & alibi centies. Quare sensus erit facilis: pone panem & vinum, id est statue pro pauperibus mensam propter sepulturam, id est, propter mortem, & exequias, in quibus præstari id legitimè solet ad mortuorum suffragium. Sed neque prohibet, vt id quoque, vt verba sonant, de pane & vino intelligatur, quæ olim videntur supra sepulturam fuisse constituta. Ita indicat illud Eccles. 30. vers. 18. *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumposita sepulchro.* Et licet ante hoc præceptum Tobiæ de panis & vini ad Hebræorum sepulturam appositione nihil legatur, consuetudinem tamen fuisse conuincit, quod tam seriò hæc filio inculcet, quasi rem certam, indubitatam & necessariam.

11. *Multa quæ à gentibus impiè pacta in Ecclesia vsũ translata.*

Neque improbabile existimo, quod in alijs rebus sæpè accidit in Ecclesia, idem factum fuisse in appositione epularum, videlicet, quod superstitiosè ac impiè vsurpauit delusa gentilitas, quodque in gentibus damnauit, in religiosum & pium vsum conuerterit, cùm alias difficilè fuisset cœrimonias malè vsurpatas deserere. Accendebantur olim cerei, siue tædæ ad Kalendas Februarias in sacris Cerealibus, seu Saturnalibus, quibus accensis vel lustrabatur ciuitas, vel certè renouabatur Cereris sollicitudo, & angor, cùm raptam à Plutone Proserpinam accẽsis tædis inuestigabat. Vnde à Græcis δαδοῦχος, à Latinis tædifera vocatur. Cùm igitur qui abiurato gentilismo, Christianam religionem amplectebantur, ægrè ferrent priuari se illis siue sacris, siue ludis abrogatis, illis nefarijs sacris, ad alium finem religiosum, & verè pium sub idem tempus ad festum Purificationis B. Virginis accenduntur cerei, & dies ille Candelarum vocatur, qui dies impietatem abstulit, & seruato cereorum lumine religionem induxit. Vide Guilielmum Durandum lib. 7. Ration. diuin. offic. cap. 7. Item Kalendis Augustini triumphus quotannis celebrabatur cum ingenti omnium ordinum lætitia, & plausu, quâ lætitiâ ne carerẽt Christiani ex gentilica impietate conuersi, inductum est Vinculorum S. Petri triumphale festum. Vide dicta discursu 60. in I. Præceptum, vbi de hoc vsu quamplurima congessi à num. 5. vsque 9. quæ breuitatis causa hîc omitto, ad eum Lectorem ablegans. Eodem verò modo arbitror Tobiam iussisse filio suo, vt quod Assyrij stultè & impiè olim factitabant, id iuxta piam consuetudinem in bonum vsum commutatum, adeoque meliori mente, ac studio in iustorum sepulchris epulas apponeret, non quibus mortuos pasceret, sed quibus homines ad orandum alliceret. Quod idem etiam fecit Ecclesia, quæ illa eleemosynâ aut oblatione alit pauperes, aut ad ferales preces sacerdotes inuitat.

Cãdelarum vsus in die purificationis vnde ille manet.

Vincula sancti Petri celebrandi vnde sumpta ecclesia.

12. *Mos extrud. cũ inuitum in funerali.*

Similis consuetudo viget in Italia, Hispania, Gallia, Germania, Belgio. De Germania sic testatur, heterodoxus licet, Struckius lib.

Hæc vigent apud omnes fere nationes

lib. 1. de conuiuijs, c. 26. *Apud Germanos illi qui se Catholicos profitentur, hoc fere more vtuntur. Primò, ipso die, quo defuncti corpus humatur, domi conuiuium amicis, propinquis atque sacerdotibus, qui funeralia procurant, datur; sportulæ quoque cùm pauperibus, tùm sacerdotibus ad funeralia vocatis, erogantur.* Quin verò apud multos etiam hæreticos, & in hæreticis quidem vrbibus, post defunctorum sepulturam, eleëmosynę adhuc hodie pauperibus dari solent. Apud Turcas idem etiam fieri, testis Bartholomæus Georgiuizius, & lib. 2. cap. 12. historia Turcica, quod Christianos veteres, multis in rebus, imitari Turcæ soleant, quemàdmodum religionem superstitio, Catholicorum cærimonias & cultum, hæresis quandoque imitatur, vt explicat Iulius Firmicus, libro de erroribus ad Constantinum, Tertullianus lib præscrip. aduersus hæreses cap. 40.

13. *Priscorum patrum in animas purgatorij pietas.*

En quanta priscorum patrum sollicitudo, vt animabus, in purgatorio patientibus refrigerium aspirent: quanta, inquam, vt velit Tobias non solum amicorum, sed omnium fidelium, qui bonâ clausulâ vitam terminarũt, meminisse, eosque eleemosynæ balsamo rigare. Sirácides loc cit. luculenter hoc commẽdat: *Mortuo*, inquit, *ne prohibeas gratiam.* Bonus Imperator & Pontifex Iudas Machabęus non satis iudicauit esse, quod alij defunctorum manibus præstiterunt, sed collectas ab omnium pietate pecunias Hierosolymam misit; ex quibus emerentur expiatoriæ victimæ, quæ mortuorum animas à contractis scelerum sordibus emacularent. Quæ pecuniæ collectæ non vulgarem faciebant summam, sed ad tria millia, florenorum ascendebant. Drachma enim eiusdem valoris est, atque regalis Hispanicus. En quanta liberalitas piorum fidelium istius temporis, qui firmiter credebãt milites à Deo temporali morte iustè punitos ob peccata, at in morte resipuisse, iuxta illud psal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant Deum, & reuertebantur.* Et illud 2. Machab. 12. *Ad preces conuersi rogauerunt, vt id quod factum erat delictum oblatum traderetur.* Et hoc quidem illo tempore, quo liberari quidem à pœnis licuit, non cœlo frui.

14. *Nostra erga animas etiã amicorum impietas.*

Nos autem cœlo iam per Christi mortem reserato, vix amicorum, vix fratrum, & quod scelere non caret, vix parentum meminimus. Ad numos properamus, bonis derelictis diuidendis toti inhiamus. Quænam horum venia? nullo nobis gradu contingentem, sed extremâ inopiâ laborantem, qui non fabricat, æternæ morti addicitur; & animam rigidè patientem etiam amici absque singultu & scrupulo cordis intrepidè negligimus, qui de eius benedictione temporaria gaudemus & fruimur. Heu tot iudicijs nos condemnatos habebit Supremus ille Iudex, quot exempla piorum fidelium nos eò vocarunt.

15. *Quædã peccata igne purgatorij quoad pœnã purgantur.*

Nos præter exempla veteris Testamenti tam præclarè monet Euangelista quædam peccata in altero seculo condonarii. *Qui autem dixerit*, inquit, Matth. 12. *contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro*, id est, ægrè in vtroque, in hoc quoad culpam, in altero quoad pœnam. Apostolus per ignem purgatorij docet illos saluari, quos lætiusicula peccata dumtaxat afflarint. *Si cuius* 1. Cor. 3. *opus*, inquit, *arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Clamat idem resurrectionem propugnans: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis; si omninò mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?* Hæc Paulus, *bene & religiosè de resurrectione cogitans* cum bono Imperatore & Pontifice Iuda Machabæo, *nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum & vanũ videretur pro mortuis orare.* Ex resurrectione immortalitatem iudicans, indeque vtilem pro animabus eleemosynam, vt deinceps, confirmat, addens, *Et quia considerabat quod hi, qui cũ pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositã gratiã.* q. d. quia mortem oppetierunt, dũ pro pietate & religione pugnarũt, reputo illis laboris pro religione susceptι à Domino paratam esse æternę vitę mercedẽ sub resurrectione significatã. Et si quæ pro peccatis subesidæ tẽporariæ pœnæ illas propter victimas, piorumque proces & eleemosynas laxatũ iri.

16.

Nos verò, quasi insensati ne hilum stimulamur. Istæne fides Christiana? Tertullianus lib. de corona militis, inter traditiones Apostolicas numerat suffragia pro defunctis, & lib. de Monogamia vult maritum pro defunctâ coniuge preces effundere: *Pro anima*, inquit, *eius*, coniugis, *oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius, nam hac nisi fecerit, verè repudiauit, quantum in ipso est.* Hieronymus laudat Pammachium vxori defunctæ misericordiam impendentem: *Cæteri mariti*, inquit, *super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, Pammachius noster sanctam familiam, ossaq; veneranda eleemosynæ balsamis rigat, his pigmentis, atque odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* B. Paulinus Nolanus in epist. ad eundem Pammachium laudat eum, quod & corpori & animæ vxoris defunctæ satisfecerit, corpori lachrymis animæ eleemosynis. Idem in epist. 5. ad Delphinum Episcopum commendans illi animã fratris sui: *Fac* inquit, *vt orationibus tuis condonetur tibi, & vt illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillãs refrigerij gutta respergat.*

Suffragia viuorum defunctis in purgatorio prosunt.

12.

Magnus Athanasius in elegantissima illa Oratione, quam de ijs, qui è vita discesserunt, edidit, his verbis vtitur: *Etsi in aere collocatus*

Opera misericordia pro defunctis Deo grata sunt.

tus fit ille, qui cum pietate diem vitæ extremum egit, tamen implorata Christi Dei ope, oleum ac ceram ad ipsius sepulchrum accendere ne recuses. Grata enim & accepta hæc Deo sunt, ingensq; ab eo præmium referunt. Oleum enim ac cera holocaustis instar sunt: incruentum autem sacrificium Deum placat. Beneficentia denique erga pauperes, bona omnis remunerationis incrementum est. Quamobrem ei, qui pro defuncto oblationem facit, idem fit propositum, quod illi, qui parvulum filium, ac prorsus infirmum ac imbecillem habet; ac deinde eo morbo laborante teretes & fusitum cum oleo coniunctum ad divinum templum affert, eaq; filij nomine adolet atque absumit. Non enim hæc puer ipse tenet, atque affert, quemadmodum nec renunciationes atque consummationes ipse obit, cùm divinitus regeneratur. Protestatur Augustinus neutiquam opus misericordiæ in defunctos frustra impendi: *Pro valde bonis*, inquit, *gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis, propitiationes sunt; pro valde malis, & si nulla sint adiumenta mortuorum, qualescunque consolationes vivorum sunt.* Quasi diceret, nemo ansam quærat, qua sese excusset à suffragijs mortuorum; licet enim incertus nobis sit eorum status, tamen misericordia in illum finem adhibita suo fructu non carebit, etiamsi in statu damnationis vitam clausissent; nam saltem viuos qualitercunque solatur.

Opus bonum pro salute animæ defuncti etiam iniustè numquàm est sine fructu.

17. Idem Doctor de verbis Apostoli serm. 32. c. 1. quoad piè defunctos hoc testimonium reliquit: *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, vniuersa observat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loca sua commemorantur, oretur, ut pro illis quoque id offerri commemoretur.* Consonat huic Chrysostomus hom. 3. ad Philipp. *Deplorate eos*, inquit, *qui in diuitijs mortui sunt, & nihil consolationis suis ipsorum animabus ex diuitijs suis procurarunt: eos, qui cum potestatem abluendorum peccatorum habuissent, noluerunt: hos defleamus & priuatim & communiter omnes, sed cum modestia decoro, sed cum grauitate, sed non velut indubio nos exponentes. Hos, inquam, non vnum aut alterum deploremus diem, sed omnem nostræ vitam. Nõ sunt absurdi affectus hæ lachrymæ, sed magni amoris.* Et paulò post: *Defleamus ipsos, inuenimus eos pro viribus, procurremus illis aliquid auxilij, modici quidem: attamen inuenimus eos. Quomodo, quæue ratione? Precantes, adhortemur & alios vt pro illis orent, pauperibusq; indesinenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis. Audi quippe quid Deus dicat; Protegam ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Si memoria dumtaxat iustis tantum valuit, quando & opera pro talibus sunt, quid non poterunt? Non frustrà ab Apostolis sanctum est, vt in celebrationi venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis.*

Sacrificium missæ pro defunctis offerre, vtile.

4. Reg. 19.

Sic addunt calcar prisci Patres, nos surdâ aure transimus; cum Sacerdote illo & Leuita cruentatam animam negligimus, Heus viator. In veteri lege præceptum habes. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Apud eum, inquit, Moyses, subsistes, eique ad subleuandũ, & in pedes erigendum assistes. Appositè S. Augustinus serm. 44. ad Fratres in eremo. *Clamat porcus, & cum eo clamare cæteri non cessant: cadit asinus, & omnes eum subleuare festinant: sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas.* Et paulò antè: *Vlulant, & non est qui consolatur eos. O quàm grandis crudelitas, fratres mei! ô quàm grandis inhumanitas! clamant ad nos quotidie, qui dum viverent multa mala pro bonis sustinere voluerunt, nec eis subuenire curamus.* Et non nihil infrà. *Lege ergo, ô homo, & opere implere festina, quòd sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, & eleemosynam dare, & carnem affligere, & opera charitatis exercere, & peregrinationes facere, vt à peccatis soluantur.* Huc te vocat, quam credis, sanctorum communio. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

18. *Animæ fidelium defunctorum bonis operibus sunt iuuandæ.*

Tobias, Iudas Machabæus, prisci omnes in hoc pietatis opere eminentes in futuro sæculo nos confundent. Attendite, Christiani; attendite, qui creditis communionem Sanctorum. Afferte auxiliares manus. Compungat fidelem animum miseranda vox afflictorum similis illi quam in tormentis emisit Iob, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Ita pœna sensus, immò vehementius clamare miseras animas compellit. Audi Augustinum de pœnarũ acerbitate in psal. 37. *Quamuis sit per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo potest pati in hac vita. Et vestis, quanta hic passi sunt mali, & possint pati; tanta tamen passi sunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quisque malefactus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus perpetit legibus, quod non pertulit martyr in confessione Christi? Ista ergo, quæ hic sunt mala, multo faciliora sunt.* Cogita durissimas Iobi afflictiones, Martyrũ excarnificationem, sontium dira & execranda tormenta, maximè quibus in ardenti dolio eogunntur vitæ claustulam facere: an precibus, an eleemosynis, an sacrificijs ei non adesses festinus opitulator? atqui hi statim comburuntur: illi diutissimè sæpè purgantur. Insuper teste S. Thoma in 4. sent. dist. 30. quæst. 1. art. 2. minima pœna purgatorij est grauior acerbissimâ pœnâ huius mundi.

Acerbitas pœnæ sensus in purgatorio superat omnes pœnas mundanas.

Compungat animam Christianam, quam graue sit ab ipsa beatitudine tantisper differri. spes; quæ differtur, inquit Hebræus Sapiens,

19. 10.

Pœna damni, siue dilatio æternæ beatitudinis grauior est pœna sensus

affligit animam. At qui hæc pœna grauior est priori. Audi desuper Augustinum. *Si quotidie*, inquit, *oporteret omnia nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis eius sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur?* Cõsonat huic Chrysostomus epi. 5. ad Theodorum lapsum. *Quod si quotidie foret infinities moriendum, ferẽdum tamen esse. Præterea gehennam, tormentaq; omnia commune sustinere, vt videre queas Christum venientem in gloria sua, & conscribi ordini Sanctorum.* Sic viatores instruebant vetusti Patres, qui certi nondum erant de clausula bona. Quantum putas anhelare ad illam gloriam, quos securos de æterna salute ignis purgatorius adhuc impetit. Equidem mirum non est eos magis affligi, *quia oculus non vidit*, teste Apostolo, *neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Attende ô Christiane, quod in eo statu existant, in quo vt demeriti, ita nec meriti sit locus. Recogita paralyticum illum Ioan. 5. qui triginta octo annos ad piscinam illam præstolatus est ad Angeli aduentum sanitatem recipere omnisq; moræ causam posuisse in eo, *hominem non habeo.* Tu sis afflicto & durius patienti non homo, sed Angelus, & cum Tobia præmio misericordiæ non priuaberis.

In purgatorio nec demereri, nec mereri est locus.

SECTIO XV.

Qua de causa Tobias inhibuerit filio iniustos ad mensam, defunctorum causâ instructam, inuitare.

1. HERETVM est, quòd non sine causa iniunxerit Tobias filio aduocare iustos ad ferale cõuiuium, & peccatores inde arcere. Qu enam autem illa fuerit, non exprimit, sed ex alijs Scripturæ locis facile est colligere, quonam tenderit hoc mandatum. Prou. 22. Hebræus Sapiens, inquit: *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso.* Causam addit: *Ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Quasi diceret, Ne hinc occasionem habeas frequenter impingendi, cadendi atq; peccandi, quia cum talibus conuersari non caret periculo. Et rursum: *Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius. Quoniam in similitudinem aruoli & coniectoris æstimat quod ignorat. Comede & bibe dicet tibi, & mens eius non est tecum.* quasi dicat, Ne quis comedat, cum eo, qui felicitati alterius inuidet; & si amicitiam vultu & conuiuio simulet, nam periculum est, ne in conuiuio tali, ab inuido homine lædatur cibo intoxicato, aut potu obruatur

Hominum improborum conuictus fugiendus, & quare.

Prou. 23.

Mauden in Tobiam.

in dedecus, & perniciem suam. Aut verius sensus est; Declina conuiuia auarorum & parcorum, quamuis enim verbis simulent se suis conuiuis fauere appositum cibum ac potum, animo tamen cruciantur, cùm vident illos bibentes & edentes. Quoniam in similitudinem coniectoris & aruoli æstimat, quod ignorat: vt enim illi frequenter sibi persuadent se veritatem rei occultæ attigisse, à quo procul sunt, ita & auarus existimat alios eiusdem esse ingenij, cuius est ipse. Et vt ipse non fauet cõuiuis mensam; ita existimat conuiuas non ex animo loqui iucunda, & amica verba, quæ cum eo proferunt. Versus verò 20. admonitionem dat iuuenibus potissimùm necessariam, quia ex ipsa eorum natura maximè ad luxum & otium proni sunt, sesèq; mutuò ad ebrietatem, & comessationes inuitare solent: *Noli esse*, inquit, *in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Est autem hæc monitio longè & breuior & elegantior apud Hebræos, qui habent ad verbum; *Ne sis inter potatores vini, inter helluones carnis: Quia potator & helluo depauperabitur, & lacerie vestiet sopor.*

2. *Vitiosi conuictudo detestanda.*

Siracides Eccles. 8. ob grauem causam, non vult fidelem cum iracundo verba facere: *Cum iracundo*, inquit, *non facias rixam, & cum audace non eas in desertum. Quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & vbi non est adiutorium, elidet te.* D. Paulus volebat Corinthianos abstinere à mensa Christiani, qui aliquo graui vitio notaretur: *Si is*, inquit, *qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere*, supple scripsi vobis. quasi dicat, Si aliquis ab Ecclesia per sententiam notatus sit horum aliquo vitio laborare, ita eius consortium fugite, vt omnino abstinea tis ab eius mensa & conuictu. Qui locus similis est illi 2. ad Colos. 3. quo denuntiat illis Apostolus, vt sese subtrahant ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem videlicet ab ipso acceptam, & simul pœnam statuit, *Quod si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Iosaphat pius Rex promouendo diuino cultui plurimum deuotus, contra hostes cum miraculo victoriosus, in duobus à Domino reprehenditur. Primò quòd Achab Regi Israel præbuerit auxilium contra Regem Syriæ, in oppugnanda Ramoth Galaad. Hoc obiecit illi Propheta 2. Paralyp. 19. 2. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ iungeris. Et idcirco quidem iram Dei mereberis, sed bona opera inuenta sunt in te, eò quod abstuleris lucos de terra Iuda.* Secundò quòd amicitiam contraxerit cum

Iosaphat aliàs rex pius reprehenditur propter amicitiam inutam cum Regibus impijs.

Ochoſia, filio Achabi. Quod etiam illi obiectum eſt à Propheta, 2. Paralip. 20. 35. *Poſt hæc iniit Ioſaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Iſrael, cuius opera fuerunt impiſſima Et particeps fuit, vt facerent naues, quæ irent in Tharſis: feceruntq; claſſem in Aſiongaber. Prophetauit autem Eliezer ad Ioſaphat, dicens: Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæq; ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.* Sanctus Ioannes non minus ſeuerè 2. epiſt. 2. prohibet hæreticum in domum recipere: *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.* Caulam addit: *Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Loquitur de hæreticis dogmatiſtis, qui in domos matronarum nobilium, & potentum irrepebant, vt hæreſes ſuas occultè docerent, & ſpargerent. Vnde idem eſt ac ſi dicat: Caue non ſolum ab omni colloquio, omni conſortio omniſque commercio cum eiuſmodi hæreticis, quòd domo & menſa eos excipias; ſed etiam ne ſalutes tanquam eiuſmodi; nam ſalutando hæreticum dogmatiſtam, videris dogmati & hæreſi eius fauere & applaudere, illamque fouere, & promouere tua auctoritate, fauore; hoſpitio & facultatibus: Sicut enim qui furem, artem furandi exercentem, domo excipit, cēſetur eius furtis cooperari ac proinde iuxta leges quaſi furum receptator punitur; quia ſpiritat receptaculum & latebras. Et qui meretrici, vt meretricetur elocat domum, cenſetur cooperari eius meretricio, ait Nauarrus in Manuali cap. 17. numer. 195. Sic qui hæreticum venientem in vrbem, vt dogmatizet, hæreſimq; in ea ſpargat, hoſpitio excipit, cenſetur eius doctrinæ, & hæreſis propagationi cooperari. Itaque monet Ioannes nullam cum ijs conſuetudinem habendam, ac ne officij quidem cauſa ſalutandos. Ait igitur: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert*, ſed contrariam, & repugnantem ſacris litteris, Apoſtolicis traditionibus, Eccleſiaſticis denique ſanctionibus, quamuis diſertè & acutè diſſerat, *nolite recipere eum in domum*: tantùm enim abeſt, vt hæreticis aures præbendas cenſeat, vt ad periculum vitandum ne domeſticum quidem conuictum permittat. Quod ſuo exemplo olim ipſe docuerat; vt enim ex Irenæi lib. 3. cap. 3. ſcribit Euſebius lib. 3. hiſtor. cap 13. *cùm Ioannes Epheſi balneum ingredereturr, intuſq; Cerinthum hæreticum conſpexiſſet, illicò balneo illotus ſeſe proripuit, & eos qui vna erant, hoc modo affatus eſt. Fugiamus ocyus, ne balneum in quo eſt Cerinthus veritatis aduerſarius, extemplò corruat.* Nec aliter feciſſe dicitur Polycarpus, qui occurrenti Marcioni, rogantique num ſe agnoſceret, reſpondiſſe fertur: *Noui equidem primogenitum Satanæ.* Denique teſtatur Euſebius, talem tum Apoſtolos, tum illorum diſcipulos adhibuiſſe cautionem, *vt ne ſermonem quidem cum aliquo illorum, qui veritatem fallaciter ſuis commentis adulterare nitebantur, aliquando miſcere vellent.* Pulchrè Philo Iudæus lib. 2. de ſpecial. legib. *Sicut viperas*, ait, *ſcorpios, aliaſq; venenoſas beſtiolas, priuſquam mordeant, aut faucient, aut omninò ſe commoueant, ſine mora, ad primum aſpectum occidimus, præcauendo genuinam illorum malitiam, priuſquam noceant. Eodem modo etiam homines plectendi ſunt, qui cùm ſint animalia rationalia, nihilò ſecius à natiua manſuetudine in ferinos mores degenerant, & pro delectamento habent ladendi quoquot poſſunt licentiã.*

Fugiendus hæreticus dogmatiſta.

Ex quibus omnibus euidens eſt non ſine graui cauſa quibuſdam aliquorum conuictum interdici. Quæ autem Tobiam mouerit, videtur illa fuiſſe, vt delectum haberet hominum iuſtorum. Licet enim omnibus etiam peccatoribus bonum ſit largiri eleemoſynam; vtilius tamen multo eſt, ſi bonis illæ impendantur. Homo enim iniuſtus, vt non poteſt pro ſe ſatisfacere, ita multò minus pro alijs: *Facite vobis amicos*, inquit Chriſtus, *de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quibus verbis monet nos Dominus, vt potiſſimum eleemoſynas faciamus ſanctis pauperibus, atque ijs præcipuè, qui voluntariè ſunt pauperes, id eſt, qui relictis omnibus ſequuti ſunt Chriſtum. *Ipſorum eſt enim regnum cœlorum*, Matth. 5. *& ipſi habent theſaurum in cœlo, & cum Chriſto iudices ſunt futuri in nouiſſimo die*, Matth. cap. 19. Pulchrè in hanc rem Hieronymus aduerſus Vigilantium, qui nolebat religioſiores cæteris præferri, & eleemoſynas ad vſus ſanctorum Hieroſolymam mitti; ſed præſentibus ſine delectu erogari: *Nec nos*, inquit, *negamus, cunctis pauperibus, & Samaritanis, ſi tanta ſit largitas, ſtipes porrigendas: ſed Apoſtolus faciendam quidem docet ad omnes eleemoſynam, ſed maximè ad domeſticos fidei. De quibus & Saluator in Euangelio loquebatur: Facitè vobis amicos de mammonâ iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Et ad propoſitum noſtrum ſubdit: *Numquid iſti pauperes, inter quorum pannos & illuuiem corporis flagrans libido dominatur, poſſunt habere æterna tabernacula, qui nec præſentia poſſidēt, nec futura? Non enim ſimpliciter pauperes, ſed pauperes ſpiritu beati appellantur; de quibus ſcriptum eſt: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. In vulgi pauperibus ſuſtentandis nequaquam intellectu, ſed eleemoſynâ opus eſt. In ſanctis pauperibus beatitudo eſt intelligentia, vt ei tribuat, qui erubeſcit accipere, & cùm acceperit, dolet; metens carnalia, & ſeminans ſpiritalia.* Alludit ad verba Pauli 1. Corin. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus: magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Eodē modo ratiocinatus eſt hoc loco Tobias, qui in hoc totus incubuit, vt meliori modo defunctis ſuffragaretur.

3.

Præſtat eleemoſynam elargiri piis, quàm impijs.

Luca. 16.

Luc. 16.

CAP.

CAPITIS QVARTI

VERSVS XIX.

Consilium semper à sapiente perquire.

Vers. 20. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

PARAPHRASIS.

Vers. 19. & 20. Cùm verò iuuentus maximè directione indigeat, mandat filio, ne à scopo aberret, ab ijs petere consilium, quibus, à sapientia & morum integritate lux maior affulsit. Quia verò Consiliarius primus atque præcipuus Deus est, & viri sapientes aliquando errare possint, iubet vt eundem maximè in consilium adhibeat oretque, vt vias ipsius dirigat: ita vt ea quæ Deo probari, atque placere nouerit, amplectatur constanter, adeoque tenaciter illis adhæreat, vt nulla ab illis eum potentia diuellat, nulla eum fraus, aut machinatio aliò traducat.

SECTIO DECIMA SEXTA.

Qua de causa moneat filium Tobias consilium à sapiente perquirere.

1. *Mens humana multum labefactata per peccatum originale.*

NON vna mihi videtur ratio mouisse bonum senem ad hoc præceptum. Primam autem credo fuisse, quòd per peccatum originale grauia vulnera subierit mens humana, vtpote ignorationem mediorum ad beatum finem, ignorationem propriæ mentis; nam nihil homo minus, quàm suam mentem cognoscit; Angelorum est perfectè seipsos cognoscere. Quibus accedit, *Corpus quod corrumpitur, & aggrauat animam*, Sap. 9. In voluntate verò philautiam, seu amorem sui nimiùm incurrit, difficultatem experimur etiam in vitijs euitandis, & virtutibus excolendis. Hæc prima ratio.

2. *Consilium sequi est medium ad prudentiam.*

Altera est, quam attigit Hebræus Sapiens Prouerb. 19. *Audi*, inquit, *consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis.* hoc est, Ea capesse & recipe in iuuentute per quæ & senex honoreris, & fine bono claudas hoc modicum corruptibilis vitæ. Est enim consilium medium ad prudentiam rerum agendarum moderatricem homini necessariam: *Via stulti recta in oculis eius*, ait Prou. 12. Salomon, *qui autem sapiens est audit consilia.* Et rectè; Cùm enim adolescentes ingenium habeant plerumque non satis ab ætate maturum, aut excultum disciplinis, aut rerum sufficienter experientiâ instructum nullum habere possunt documentum maius, & vtilius, quàm vt aliorum se iudicio, non suo se arbitratu moderentur. *Consilium enim*, teste Salomone, Prou. 2. *custodiet te, & prudentia seruabit te.* id est, Consilium, quod sapientia vbique te suggeret, efficiet *vt eruaris à via mala, & ab homine qui peruersa loquitur*, vt ibidem sequitur; quin etiam *vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos.* Est itaque id necessarium, & Scriptura planissimè vult hominem proprio iudicio non confidere, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, inquit, Hebræus Sapiens prouerb. 3.

Iuuenibus Consilium sapientum est sequendum.

3. *Consilium adhibere eximit hominem à pœnitudine facti.*

Tertia ratio est, quod consilium eximat hominem à pœnitudine facti. Vnde Siracides Eccles. 32. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit*: Si *consilium humanum non rectè succedat*, inquit eo loci Iansenius, *hoc tamen consolatur agentem, quòd non suum iudicium secutus sit, nec rem temerè aggressus sit, sed consilio eorum, quod adire, & audire illum conueniebat.* Vult itaque Tobias filium in rebus arduis sapientis consilium semper adhibere, vtpote in deligendo statu, in alijs salutem concernentibus, in rebus denique magni momenti, quales sunt, quando via iuris compellendus aliquis, aut armorum strepitu fortè recuperandum, quod iniquè detinetur. Hæc via experiendi se à difficultatibus oportuna, teste Salomone, Prouerb. 13. *Inter superbos*, inquit, *semper iurgia sunt; qui autem agũt omnia cum consilio, reguntur sapiẽter.* Quasi dicat, Qui suæ sententiæ nimiùm fidentes, aut pertinaciter insistentes, rem quantumuis intricatam prosequuntur, non facilè à litibus expediuntur: qui autem se sinunt bonis consilijs dirigi, aut

à litibus præmuniuntur, aut ab exortis ſtatim libetantur, adeoque feliciter & tranquillè degunt. Quid miraris? Æterna ſapientia eiuſmodi vicina eſt. Ita Hebræus Sapiens Prou. 8. *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Hoc eſt, interprete Ianſenio, Vbi ſana rectaque conſilia ineuntur & quæruntur, ibi ego ſum præſens ſemper, inde ego non decedo vnquam, ſed huiuſmodi conſilia excito, promoueo, & adiuuo, quæ bona ſunt & ſalutaria ſuggerendo: & cogitationibus eruditis, quibus prudenter aliquid gerendum cogitatur, interſum, ſic vt ſuggeram quid maximè faciendum ſit.

4. Portò notatu dignum eſt, quòd ſapientem cõſiliarium adhiberi velit: Magni enim intereſt, cuius cõſilio nitaris. *Conſiliarius ſit tibi vnus de mille.* inquit Siracides Eccl. 6. Et rursũ Eccl. 8 *Cum ſatuis conſilium ne habeas, non enim poterũt diligere, niſi quæ eis placent.* Bonum autem conſiliarium deſcribit Ambroſius lib. 2. de officijs; quem vtinam facilè quilibet reperiret. *In quærendis*, inquit, *conſilijs plurimùm valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, benevolentiæ vſus, facilitas, gratia. Quis enim in cæno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? Quis vtilem iudicet cauſæ alienæ, quem videt inutilem vitæ ſuæ? Quomodo enim potero iudicare cum conſilio ſuperiorem, quem video moribus inferiorem? Anne eum idoneum parabo, qui mihi det conſilium, quod non dedit ſibi? & mihi cum vacare credam, qui ſibi non vacat? cuius animum voluptates occupant, libido deuincit, auaritia ſubiugat, cupiditas perturbat?* hæc ille. Rectè etiam Saluſtianus Cæſar in Catil. *Omnes homines*, inquit, *qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facilè animus verum peruidet, vbi illa officiunt: neque quiſquam omnium libidini ſimul, & vtili paruit: vbi intenderis ingenium, valet, ſi libido non poſſidet, ea dominatur? animus nihil valet.* Hoc Cæſar apud Saluſtium.

Boni conſiliarij proprietates.

Conſiliarij omnibus animæ perturbationibus carere debent.

5. A ſapiente ergo conſilium perquire. Salutare documentum, Auguſtinus tom. 4. de ſalutarib. docum. cap. 44. *Perfectorum*, inquit, *virorum conſortio fruere, & à verbis eorum ne auertas aurem tuam, & in eorum cõſilio delectetur anima tua: verba enim vitæ, ſunt verba hominum Deum timentium, & incolumitas animæ is, qui ea libenter audiunt, & attendunt.* Tales extiterunt Conſiliarij, Ioſeph Ægyptijs, Moyſes populo Iſraëlitico, Daniel eidem in Babylone captiuo. Præclarè de ijs Ambroſius lib. 2. Officior. cap. 12. *Ioſeph*, inquit, *nec in carcere erat feriatus, quo minus de rebus incertis conſuleretur. Conſilium Ægypto vniuerſæ profuit, vt non ſentiret ſeptem annorum ſterilitatẽ, aliosq; populos miſeræ famis leuarent ieiunio. Daniel ex captiuis regalium conſultorum arbiter factus conſilijs ſuis emendauit præſentia, annunciauit futura. Quid de Moyſe loquar, cuius omnis Iſrael quotidie conſilia præſtolabatur? Quis ſe non committeret conſilio Moyſis, cui ſeniores, ſi qua ſuprà ſunm intellectum, & virtutem eſſe arbitrarentur, diuidenda ſeruabant? Moyſis conſilio bella conficiebantur.*

Quorum conſilium amplectendum.

Conſilium bonum ſequi ſolet felix exitus.

Florentiſſimum certè fuit regnum Hebræorum, quamdiu à Moyſe, Ioſue, Samuele, Dauide, alijſque ſtudioſis principibus, qui prudentum conſilio vtebantur, adminiſtratum fuit. *Reſpublica bono conſilio vigens, malo perennt.*

6. Architophelis tanti fiebat conſilium, vt ſacra pagina hoc illi tribuat Elogium. *Conſilium autem Architophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum; ſic erat omne conſilium Architophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſalon.* Propterea cùm intellexiſſet Dauid eum eſſe in coniuratione cum Abſalon, conſilium eius maximè horruit; fugiens enim iram filij ſui, & fugiens cum paucis, non timuit vires, non exercitus, quos ſecum habebat, non populum, qui quaſi arena erat maris, non arma, ſed tantum conſilium Architophel. Vnde illud extimeſcens, ſic orans ait: *Infatua quæſo Domine cõſilium Architophel.* 2. Reg. 15. verſ. 32. Hoc vnicum enixè obſecro, Domine Deus meus, vt inutile reddas, aut haberi facias, quod ab Architophele prodeat conſilium: tale enim id æſtimo, quod nonniſi à te infatuari poteſt. Chuſai autem Arachitem virum prudentem, cuius fidele & oportunum ſæpè fuerat expertus conſilium, iuſſit in vrbem redire, & ſe in Abſalonis amicitiam offerre, vt Architophelis conſilia diſſolueret; quia hoc tantum timebat; cur non arma, non populos, non Principes, non milites, non exercitus, non tandem omnem Iſraëlem, qui erat cum Abſalone? niſi quia, vt ipſe erat prudens, ſciebat validius eſſe conſilium, quàm arma, quàm exercitum, quàm militem, quàm populum, quàmque omnes Principes ſimul. Dederat verò vtile conſilium Architophel Abſaloni; ſed is poſtea conſilium Chuſai magis amplexus eſt, Deo animum eius eò inclinante. Vnde ait ſacer textus: *Domini enim nutu diſſipatum eſt conſilium Architophel vtile, vt induceret ſuper Abſalon malum.* 2. Reg. 17. Viden Dauidem nõ fuiſſe deceptum cùm credidit nonniſi à Domino vtile conſilium Architophelis diſſipari potuiſſe. Cernis quoque validius eſſe conſilium, quàm vires, meliora conſilia quàm arma. *Architophelis conſilium ſibi horruit Dauid, quàm arma Abſalonis.*

Propterea ſanctiſſimus ille vir Mathathias 1. Machab. 2. volẽs poſt mortem ſecuros reddere filios, certamque ſimul de inimicis victoriam, cùm duos inter cæteros haberet eminentiſſimos filios Simeonem nempe, & Iudam, primum conſilij virum, ſecundum fortitudinis, ſic eos diſtinxit, vt primum appo-

Conſilium fortitudini præ-

ſuerit

fuerit virum Consilij, deinde fortitudinis: *Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir cõsilij est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater; at Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.* Primum ergo consilium, deinde fortitudo: quia hæc sine illo nihil valet, nihil deseruit. Vnde rectè Lyra, ideò affirmat Simonem Iudæ præpositum, quia per Simonem prudentia significatur, *Qua*, vt ipse inquit, *in bellis est magis necessaria, quam fortitudo.* Sint ergo Reges quantumlibet potentes, sint omnibus viribus præditi, sint fortissimi, armis vndique cincti, si consilium illis desit, inermes sunt, imbelles, cadent miseri, miserabiliterque ruent.

7. *Res magna non fortitudine, sed consilio perficiuntur.*

Præclarè Cicero de senectute, *Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: sed consilio, & authoritate, & sapientia.* Ioas initio regni habuit optimum consiliarium Ioiadam Pontificem, & optimè se gessit, quamdiu illius consilio vsus est. *Fecit Ioas rectum*, inquit Scriptura, *coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada Sacerdos*, 4. Reg. 12. Ozias multa præclarè gessit ex consilio & directione Zachariæ Videntis. Sic enim de illo legimus, 2. Paral. 26. *Exquisiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum: Cumq; requireret Dominum, direxit eum in omnibus.* Iste Zacharias, vt notant Lyranus, Dionysius, Caietanus, putatur fuisse filius Zachariæ Pontificis, occisi à Rege Ioa; & consequenter nepos Ioiadæ Pontificis, de quo iam dictũ est. Itaque per illum, tanquam Prophetam, Ozias Rex requirebat, id est, cõsulebat Deum, & per illum à Deo in suis actionibus dirigebatur.

8. *Cum fatuis consilium non habeas*, dixit rectè Siracides, *non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.* Cùm inuidi Consiliarij Darij Regis aliquid excogitarent, quo Danielem inuisum redderent Dario, hoc ab illo impetrarunt, vt *omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo & homine, vsque ad triginta dies, nisi* ab ipso Rege, *mitteretur in lacum leonum.* Crudele sanè Decretum, & quo nullum esse poterat magis saluti publicæ pernicioſum; ne videlicet in toto imperio, quod centum & viginti prouincijs constabat, vllus à Deo quidquam peteret, sed à Rege: sin aliter quisquam faxit, leonum subeat & cruentos vngues, & famelicas fauces. Consilium planè crudele, & impium, & quo nullum vsum exspectare possent supplices, & miseri. Vt enim Rex vbicumque locorum præsens esset, ita vt adiri ab omnibus commodè posset; quomodo si quis aut laboraret morbo, aut premeretur ab instante morte, aut egeret pluuia, à Rege supplex obtineret id, quo egebat maximè in illo angusto rerum articulo? Esther. 1. quãta mutatio facta! Vasthi Regina in luculentissimo conuiuio euocata à Rege, vt suam conuiuis

Daniel. 6.

Consiliarij impij reipub. maximè pernicioſi.

vino madidis venustatem ostenderet, quia periculis plenum iudicabat, aliisque occasionem fore ruinæ, parêre noluit: quod Rex tulit indignè, & vocato septem virorum legitimo consilio è regno eiecta est. Roboam si senum & experti ſſimorum Consiliariorum, quos à patre acceperat, secutus fuisset consilium, & de tributorum onere, quod à Salomone supra facultates & vires subditorum videbatur impositum, aliquid remisisset, seruisset illos sibi seruos cunctis diebus: at quia neglecto consilio senum adhibuit consilium adolescentum, qui nutriti fuerant cum eo, & minus erant experti, idque secutus est, stultè fecit, cum maioris partis regni sui exitio. Quo spectat illud Siracidis Eccles. 47. *Finem habuit Salomon, cum patribus suis: Et dereliquit post se, de semine suo, gentis stultitiam, & imminutum à prudentia, Roboam, qui auertit consilio suo*, id est, consilio iuuenum, quod ipse approbauit.

Exempla eorum qui sequendo malo cõsilio regno perniciem intulerunt.

Ochozias seductus ab Athalia matre sua, vsus est consiliarijs ex domo impiissimi Achabi, qui erat pater Athaliæ, de quo 2. Paral. 22. vers. 4. *Fecit Ochozias malum in conspectu Domini, sicut Domus Achab. Ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui, in interitum eius. Ambulauitq; in consilijs eorum. Et perrexit cum Ioram filio Achab, Rege Israël, in bellum contra Hazael Regem Syriæ.* Euentus consilij & belli fuit malus, vt ibidem patet. Et hoc insinuat illa particula: *In interitum eius.* Ioas, de quo supra, quando mortuo Pontifice, consilio Principum aulicorum acquieuit, publicum idololatriæ exercitium concessit, vt habes 2. Paral. 24. *Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem, qui delinitus obsequijs eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntq; lucis & sculptilibus, & facta est ira contra Iudam & Ierusalem, propter hoc peccatum.*

9. *Prauum consilium etiam priuata rei nocere probatur exemplis.*

Veniamus ad domestica. Esther. 5. dederunt Ammano superbo & inuido consilium hoc *Ires vxor eius, & ceteri amici, Iube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos: & dic mane regi vt appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuit ei consilium*; sed euentus docuit mali consilij infelicissimum effectum, nam crastina die ex illo ipso patibulo pependit, quod suasu vxoris & propinquorum Mardochæo parauerat: & ijdem ipsi paulo post malè perierunt à Iudæis ad vnum omnes trucidati. Sic verum effectum est prouerbium: Malum consilium consultori pessimum. Suasit Architophel Absaloni rem nefandam, vt decem vxorum patris sui, incestu, se publicè commacularet, ne ipse, & qui partibus Absalonis adhærebant, durum quid paterentur, si mutaret animum Absalon, & in patris gratiam rediret. Quare vt spem omnem veniæ à pater-

Malum consilium redidit in Auctorem.

parentis benignitate ſibi pręcideret Abſalon, atque obſtinatiùs negotium perſequeretur inchoatum, ad illud ſcelus illum eſt adhortatus Architophel, quo nullum excogitari poterat grauius, nullum, quod magis regium animum pudore, atque dolore compungeret; nullum indignius veniâ; vt populus inde prudentem caperet coniecturam, nunquam fore vt adoleſcens, licet natura leuis, aut pudore, aut metu violati parentis, in ſuſcepta cogitatione langueret. Et ideò addidit Architophel, *vt roborentur tecum manus eorum.* quia illa ſuſpicio de conciliandâ pace debilitaret animos, & arma prorſus è manibus excuteret. Sed quid? Aliud conſilium poſtea ſuggeſſit Abſaloni in Patris perniciem, quod Deus per Chuſai diſſipauit. Vnde coniectans Architophel ex ſpreto conſilio ſuo victoriam à parte Dauidi futuram, impatiens repulſæ, quam tuletat non ab Abſalone ſolùm, ſed etiam à toto populo, cùm reiectum, repudiatumque eſſet conſilium, quod ipſe pro oraculo ſuſcipiendum putabat; receſſit ſtatim à conturbata multitudine in domum ſuam, quam vbi diſpoſuit, prout illius temporis ratio poſtulabat, innexo faucibus laqueo, & incluſo intra fauces ſpiritu, infelicem, & impuram animam exhalauit. Sic nefarium conſilium Conſultori peſſimum, & mox impurus, perduelliſque filius, crines, laqueum ſenſit, quo de arbore penderet.

Ieſabel ad innocentis Naboth cædem præcipiendam Achabum maritum ſuum induxit; hinc ipſa de turri præcipitata, equorum pedibus conculcatur, & à canibus deuoratur: Achabus autem bello peremptus eſt. Caiphas Iudæis author fuit, vt Chriſtum cruci affigendum curarent, ſi locum & gentem ſibi ſeruare vellent. At, ob hanc rem, & Iudæa omninò vaſtata, & Ieruſalem funditus euerſa, & tota gens exciſa eſt. Adeò huiuſmodi praua, pernicioſaque conſilia tragicos planèque lamentabiles exitus ſemper habuerunt.

Quorum conſilia vitanda.

Hinc perquam vtiliter Auguſtinus loc. cit. *Deuita, queſo, viros ſuperbos, inuidos, detractores, mordaces, periuros, ſeipſos, & ſalutem ſuam negligentes: qui mortui ſunt virtutibus, & lætantur in propriis voluptatibus, vt gaudijs careant diuinis. Non dico, vt vel vnum talem in domo tua habeas, ſed etiam vbicumque tales audieris eſſe, hos deuita; cum huiuſmodi hominibus nulla ſit tibi connexio, vel familiaritas, nec velis cum eis ſermocinari.* Hæc Auguſt. Rectiſſimè Hebræus Sapiens Prouerb. 16. *Doctrina ſtultorum fatuitas.* & Prouerb. 15. *Os fatuorum ebullit ſtultitiam.* Glorioſiſſimè imperauit Nabuchodonoſor, quamdiu Danielis ſtetit doctrinæ atque conſilijs: ignominiosè autem perijt Balthaſar, qui contempſit. Horrendis calamitatibus afflictus fuit Pharaõ, quod reiectis à ſe viris Dei Moyſe & Aarone, ſe ſuaque committerent impiorum magorum artibus & conſilijs. An non Baalitarum miniſtrorum opera conſortiaque exitioſiſſima fuerunt Achabo & Iezabeli? 3. Reg. 18. 19. 20. Quàm felix extitiſſet Nero, ſi Petro & Paulo Apoſtolis Chriſti, aut ſaltem Senecæ præceptori aurem potius quàm Simoni commodaſſet? Viderint itaque huius ſeculi Principes, qui libertinos, atheos, perfidos, prædones, lenones, aſſaſſinos, proditores, adulatores in aulis ſuis retinere, & fouere malunt, quàm pios, graues, & Deum timentes viros. Qui Prophetas, id eſt, diuinæ legis ſinceros interpretes, ac præcones calumniantur irrident, omnique odio & crudelitate perſequuntur.

Feliciter imperat, qui prudentis conſilio innititur, è contra infeliciter.

10. *Quales Principibus Chriſtianis adhibendi Conſiliarij, qui reijciendi.*

Audite hæc, inquam, viri principes, & adhibete in conſilium viros prudentes, ſincerè Catholicos, expertos, cordatos, qui immunes ab auaritia, & adulatione; qui liberi à paſſionibus, & inordinatis affectibus; qui pacis, iuſtitiæ, patriæ amantes; qui religionis & Eccleſiæ patroni: Denique quibus vnicus ſcopus ſit, vbique Dei honorem & bonum publicum promouere. Procul arcete ab aulis veſtris iuuenes, imperitos, inexpertos, ſicut habuit Roboam; idololatras, & hæreticos, ſicut habuit Ochozias; perfidos & infideles, qualis fuit Architophel Dauidi. Procul, inquam, arcete eos, qui palam quidem addicunt ſuam operam Principi Catholico, & ordinarium ſtipendium ab eo recipiunt; ſed occultâ conſpiratione de duplicato vel triplicato paciſcuntur cum alio Principe hæretico aut infideli, eâ conditione, vt quidquid apud Catholicos in ſecreto conſilio deciſum eſt, ei integrè aperiant, & de omnibus certiorem faciant. Non conſiliarij illi, ſed proditores ſunt. Et tamen non paucos eſſe fama eſt.

Interrogauit hominem aulicum vnus aliquis è purpuratis Patribus: Cuiuſnam Conſiliarij fideliſſimum eſſet cenſendum conſilium? reſpondit alter: Contemnentis aurum. Prudenter dictum ac verè, & ad mentem Demoſthenis, qui aſſerebat, Non eſſe apud eos, quorum omnia ſtudia; & cogitationes ad auaritiam referuntur, quidquam vel firmi, vel ſancti. Dixit, ſed non fecit Demoſthenes. Quocirca prouidè apud nonnullos populos cautum eſt, ne ij in conſilium adhibeantur de bello, qui agros hoſtibus finitimos haberent, quòd rei priuatæ aſpectus, prudens conſilium impediat. In hunc ipſum finem Conſiliarius priuata cum aliorum Principum legatis colloquia vitet, nec in circulis de rebus magni momenti diſputet.

Ariſtot. lib. 7. politic. cap. 10.

11. *Quales ciuibus & priuatis perſonis.*

Audite ciues, & ſincerè Catholicos, iuſtos, ac timentes Deum; in conſilium priuatarum rerum admittite, Confeſſariorum doctrina & virtute præditorum conſilio vti-

mini.

mini. Abſint adulatores; ſuſurrones, detractores. Audite denique adoleſcentes, audite Iuuenes Tobię huius tam neceſſarium, quam vtile documentum. Audite Hebræum Sapientem Prouerb. 5. *Fili mi attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ mea inclina aurem tuam, vt cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua conſeruent*, ne, videlicet contrarium amplectentes, *gemas in nouiſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas: Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magiſtris non inclinaui aurem meam?* Si de ſtatu deligendo, de vita ſalubriter inſtituenda, & quod caput eſt, fortè de religione capeſſenda (quod horrendum audire, cùm vna dumtaxat ſit) ſi quid te ancipitem teneat, Doctores orthodoxę fidei conſule, non Apoſtatas, non miniſtros Caluinianæ ſectæ; fatui enim ſunt, qui veritatem reliquerunt, & traditi in reprobum ſenſum, aurem adhibe vetuſto Scriptori Tertulliano: *Nobis*, inquit, *etſi quærendum eſſet adhuc & ſemper, vbi tamen quari oportet? Apud hæreticos? vbi omnia extranea, & aduerſaria noſtræ veritati; ad quos vetamur accedere. Quis ſeruum ciboria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini ſui ſperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus Regibus, donatiuum & ſtipendium captat; niſi planè deſertor & tranſfuga & rebellis? Etiam anus illa intra teſtum ſuum dragmam requirebat: etiam pulſator ille vicini ianuam tundebat: etiam vidua illa non inimicum, licet durum, iudicem interpellabat. Nemo inde ſtrui poteſt, vnde deſtruitur. Nemo ab eo illuminabitur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & à noſtris, & de noſtro: idq; dumtaxat, quod ſalua regula fidei poteſt in quæſtionem deuenire.* Neque ſis iudicij tui tenax, vt aliqui in caſu Religionis, ſuo malo, *Ibi impede ſuperbia ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Cardinalis Hoſius Concilio Tridentino præſes, vir integerrimus, & inſignis Lutheromaſtix, inter alia, cùm Andreas Dudecius Epiſcopus Tinnienſis, legatum Cleri Hungarici in Concilio Tridentino ageret, alijſque ob eloquentiam veneratione & admiratione eſſet, vni Hoſio ſuſpectus fuit: dictabat enim, ei periculum apoſtaſiæ à fide imminere, foreque hæreticum. Ita factum: fugit ille apoſtata ad Caluini caſtra. rogatus Hoſius, vnde hoc præuidiſſet, reſpondit, Ex ſola hominis ſuperbia: ſui enim iudicij tenacem, præſagiebat animus in hanc foſſam ruiturum.

Anceps in fide conſule ne debes Doctores orthodoxos, non hæreticos.

Vaticinium Hoſij Cardinalis.

Luc. 15. Luc. 11. Luc. 18.

12. Salubriter igitur monet Hebraeus Sapiens: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Vtiliter Tobias filium, *Conſilium ſemper à ſapiente require.* Veriſſimè dixit Quintus Curtius lib. 7. *Natura mortalium*, ait, *hoc quoque nomine prana, & ſiniſtra dici poteſt, quod in ſuo quiſque hebetior eſt, quàm in alieno.* Et Tullius lib. 1. Officior. *Fit neſcio quo pacto, vt magis in alienis cernamus, ſi quid delinquitur, quàm in nobiſmetipſis.* Ex quo euenit vt ſæpè errent, qui propria ſequuntur, aliena relinquentes. Enimuerò ſi ſuperbus Holofernes ſecutus conſilium Achior fuiſſet, Iudith. cap. 6. nunquam ipſe perijſſet, & ſimul cum ipſo gens eius tota; ſpreuit conſilium, tam ipſe, quàm eius Principes, proprium anteponens iudicium alieno, exinde factum, vt confunderetur, & à fœmina decollaretur, præſumpſit de ſe, confuſus eſt; quia ſcriptum eſt, *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*, Iſa. 5. Væ illis, quia difficilè à malo reuocantur, & emundantur, bonaque, quæ ipſis intimantur non capiunt, vt inquit Hilarius lib. 6. de Trinitate: *Emendatio*, inquit, *difficilis ſtultorum eſt, per quos primùm, & ratio intelligentiæ non requiritur, & deinceps ab intelligente intimata, non capiuntur.* Quapropter optimè conſulit Salomon, Pron. 3. *Ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Et Syracides: *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non* pœnitebit, Eccleſ. 32. Vbi notandum illud, *poſt factum non pœnitebit*; quid ſi malum euenier? ſi infeſta res? ſi contraria votis! nonne dolebit, nonne pœnitebit? non equidem, quia præceſſit conſilium, & pœnitudini non dedit locum. Sequere conſilium ſapientis cuiuſcũque etiam ſit conditionis ſiue altioris, ſiue humilioris, modò ſapientis. Si Moyſes conſilio Iethro non acquieuiſſet, ſtulto labore ſe conſumpſiſſet, Exod. 18. Si Dauid ad conſilium Abigail non attendiſſet, perpetuum ſingultum, & ſcrupulum cordis ſibi acciuiſſet; quòd ipſe ſe vltus fuiſſet de Nabal, & domeſticis eius interimendo, ſanguinem effudiſſet innoxium, 1. Reg. 25. Si Naaman Syrus ſeruorum ſuorum conſilium non audiſſet, à lepra non fuiſſet mundatus. Spreuerat prius Prophetæ conſilium: *Acceſſerunt* autem *ad eum ſerui ſui, & locuti ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis? Deſcendit, & lauit in Iordane ſepties iuxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.* 4. Reg. 5. Si Iuuenes omnes ſano conſilio acquieſcerent, feliciorem planè experirentur exitum.

Holofernes ſe ſuoſq; perdidit, quia alienũ reſpuit conſilium.

Etiam ſequendum conſilium inferiorum modò ſapientis.

Cuilibet ſeruire alienum ſequi iudicii & curæ

SECTIO XVII.

Quid neceſſum ſit homini ad hoc, vt conſilium ſalubre accipiat.

DVo potiſſimùm occurrunt ad hãc rem Chriſtiano homini neceſſaria. Primum vt quis ante omnia conſulat cor proprium; neque enim expedit alios quantumuis probos conſulere antequam proprium animum, affectũ, & 1. *Conſilium maximè aſcendum à propria conſcientia.*

& ingenium examinaueris. Inuitâ Minerua nihil facies. Suggeſſit illud Syracides Eccleſ. 37. *Cor*, inquit, *boni conſilij ſtatue tecum, non eſt enim tibi aliud plus illo*, hoc eſt, Conſtitue in teipſo, & firmum habeto illud conſilium, quod tibi proprium cor ſuggerit, quia non eſt quiſquam qui fidelior tibi eſſe poſſit, quàm cor proprium, quod melius frequenter nouit, quid tibi expediat, & quomodo alicui rei ſis affectus. Ad quod comprobandum ſubijcit idem Syracides, *Anima viri ſancti enunciat aliquando vera; quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Quaſi dicat, Tu tecũ delibera; quia anima vniuſcuiuſque viri, ſi modò ſanctus ſit & timens Deum indicare ſolet melius veritatem in rebus agendis, quã ſeptem Doctores, quorum officium eſt ſpeculari, & alijs conſulere, hoc eſt, nemo melius conſulere vt in plurimum poteſt, quàm quiſque ſibi, ſi modò Deum timeat.

2. Cùm autem animum tuum ritè expenderis, tum ſanctioris conſilij virum adi, vt eius calculo accedente ſecurus pergas. Huc facit Syracidis ſapiens monitum. *Cum viro ſancto aſiduus eſto, quemcumque cognoueris obſeruantem timorem Dei, cuius anima eſt ſecundum animam tuam.* Conſulta, inquit, cum viro aliquo ſancto, & religioſo, eíque ob id continuò adhære. Is quippe nil conſulturus eſt, quod non conueniat timori Dei; quærit namque æquè ſalutem tuam, ac tu ipſe. Vtinam ſic diſpoſiti aliorum exquireremus conſilium, melius res cederent!

Conſulto proprio corde adeundus vir timoratus.

3. Nos verò contrarium ſæpè facimus, & reſoluti exequi, quod prudens diſſuaderet, pro forma eum conſulimus, optimas proponimus conditiones, (affectui ſeruientes) quibus nemo ſanæ mentis poſſet refragari; ſed longè contrario & infeliciori exitu. Id in matrimonio capeſſendo familiare; in confeſſione iuuenes & puellæ ſubticentes an fam mali vt perſeuerent in peccato & conſuetudine praua, à parentibus iuſsi Confeſſarium conſulere, illa obtrudunt, quibus contrarium ſaluti cogitur reſoluere. Filiæ, vt ornatum parentibus diſplicentem continuent, quo alijs ſunt ruinæ, mille euaſiones & illuſiones contra propriam conſcientiam prudentibus afferunt, vt excuſentur in peccatis.

4. At qui ex hac mala fide, & per hipocryſim interrogatione, ſtatuens perſeuerare in eo, quod habet in animo, contingit, vt exigente illius malitiâ Deus permittat Doctores in reſpondendo hallucinari Ezechielis 14. Iudæi quidam è captiuorum numero ætate, atque auctoritate principes, vſque adeò idololatriæ dediti, vt ad Gentilium ritum (qui Deorum ſuorum imagines, monumenta, aut aliqua phylacteria geſtabant) idolorum etiam, cum à vera religione receſſerant, geſtarent monumenta, quæ aſſiduè oculis occurſarent, & animos ea ratione memores in aſſiduâ illorũ obſeruantia retinerent: hi inquam venerunt ad Ezechielem animo ficto, vafro, & verſipelli, vt cum illo de re communi ac publica deliberarent, aut certè obtinerent à Prophetа, vt conſuleret Deum, & ab eo diſceret, quid facto opus eſſet. Illorum verò animum, atque ſtudia aperit Prophetæ Dominus, & petit ab eo: *Nunquid interrogatus reſpondebo eis.* Hine ſunt, qui à me reſponſum ferant? Impudens planè eſt, qui amicum alterius ſe profitetur, cùm ſigna interea præ ſe ferat hoſtilis animi, & ab eo conſilium, ſiue auxilium petat, à quo non animo ſolum occultè, ſed externis etiam ſignis apertè diſſideat. Geſtabant ſeniores iſti, qui cum Ezechiele de re communi deliberaturi conſederant, in corde palam, atque in annulis idolorum effigies; & quaſi à vera religione non receſſiſſent per Ezechielem, quem Deo familiarem eſſe coniectabant, Dominum conſulere ſtudebant. Horũ igitur impudentiæ ſubindignatus Dominus, ſubamarâ quadam interrogatione, aut dubitatione dicit: *Nunquid interrogatus reſpondebo eis?* Subdit Dominus: *Propter hoc loquère eis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo, homo de domo Iſrael, qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad Prophetam interrogans per eum me: ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum.* Propterea, inquit, ſic ad illos meo nomine reſpondebis: Quicumque homo de genere Iſraelitico, cuius animo immunditiæ ſimulachrorum inſederint, vt eo loco illorum ſiue effigies, ſiue monumenta poſuerit, vt crebrò, ac familiariter ipſius oculis occurſent; & tamen me per Prophetas conſultum eſſe velit, tale à me reſponſum referet, quale ipſius immunditiæ ac ſcelera merentur.

Qui maligno animo conſuluntur, veritatem non conſequuntur.

Luculenter Hieronymus: *Qui cum priſtinis vitijs ad Prophetam venerit ſciſcitandum, ego reſpondebo iuxta cor, & immunditias ſuas, vt iuxta quod vult, & credit, ita & audiat. Non enim meretur correctionem, qui non diſcendi, ſed tentandi animo interrogat: nec meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat, ſed ſuo corde capiendus eſt.* Sic Chriſtus dixit Scribis: *Quid me tentatis hypocritæ? Et rurſum: Nec ego dicam in qua virtute hæc facio.* His enim quadrat illud Epicharmi: *Quid cæco cum ſpeculo?* Præclarè Ptolomæus mitio Almageſti: *Non differas*, inquit, *niſi cum eo qui veritatem concedit: nec reſpondeas niſi à te quærenti conſilium, & cupidè recipienti.*

Animo perverſo conſulentibus ſubticenda veritas.

Herodes Matth. 2. *congregans omnes principes Sacerdotum & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur*; ſed quia ſimplici, & recto animo non conſulebat, totam non didicit veritatem. Nam Conſiliarij reſponderunt,

runt, Christum in Bethlehem nasciturum iuxta illud Michææ. *Et tu, Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Non tamen addiderunt verba illa, quæ in eodem Propheta consequuntur: *Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Mich. 5. 2. Ex quibus Christi Domini diuinitas colligeretur, sicut ex prioribus colligebatur humanitas. Scilicet ita à Deo permissum fuit, ne Herodes totam disceret veritatem, qui perverso animo consulebat. Nec multum differt Chrysostomus hom. 7. in Matth. vbi docet, posteriorem huius propheriæ partem à Consultoribus prætermissam, *In adulationem*, inquit, *Regis, vt ad humanæ gratiæ lucrum, veritatis damna proficerent.* 2. ad Thessal. 2. dicit de quibusdam Apostolus, *Eo quod charitatem veritatis nō receperunt, vt salui fierent: ideò mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio.* Accedit, quod quamuis Doctores non hallucinentur, sed vera respondeant; permittet Deus ipsum interrogantem decipi nec intelligere veritatem; vt indicant verba Psal. 68. *Obscurentur oculi eorum, ne videant.* & Isa. 6 *Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus audiat, & corde intelligat.*

5. *Deus orandus est à consulente.*

Alterum, quod maximè est necessarium homini consulenti, docet hic Tobias filium, cùm ait: *Omni tempore benedic Deum, & pete abeo vt vias tuas dirigat:* Quod & postmodum docuit Siracides Eccles. 37. cùm inquit: *Et in his omnibus deprecare altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam.* id est, noli nimis aut sapientum, aut etiam propij cordis consilio confidere, sed ora Deum vt tam in capiendo consilio, quàm in exequendo viam tuam dirigat in veritate, ita vt libera sit ab errore & iniustitia. Idipsum non prætermisit Iacobus Apostolus, qui cap. 1. inquit: *Si quis autem vestrum indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Sic petebat Moyses cap. 33. Exodi, vt Deus esset viæ ipsius dux. Sic orabat Dauid Psal. 34. *Dirige me in veritate tua, & doce me.* Psalmo 118. *Gressus meos dirige secundum eloquiū tuum.* Et Psal. 24. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Quid causæ? Salomon edicit Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incerta prouidentia nostra*; adeoque à suprema prudentia Dei dirigendę sunt, eiusque directio omninò efflagitanda.

6. *Consilium efficax, vt quis ad salutem perueniat.*

Saniſſimum & vtiliſſimum consilium, æquè ac medium, pertingendi ad portum salutis est, si quis Deum assiduè oret: *Domine rege me quasi pædagogus puerum, qui nescit introitū, & exitum suum qua via incedere debeat: deduc me per illas vias, status, officia, socios, &c. in quibus præsides, me non habiturum peccati & lapsus scandalū, sed recto & certo itinere, me perrecturum & perue-*

Mauden in Tobiam.

surum ad vitam æternam, Iacob Genes. 46. noluit iter susciperе Ægyptum versus nisi Deo consulto, & exorato, vt in eo itinere sibi esset propitius. Dauid in omnibus rebus arduis consulebat Deum, Salomon licet iam promissa, & data esset ei sapiētia à Deo, eam tamen, id est eius conseruationem & augmentum, petijt à Deo, dicens, & nobis omnibus proponens dicendum: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam seruus tuus ego sum, & filius ancilla tua, homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij, & legum, &c. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te, &c.* *Sapientiam à Deo per preces obtinuit Salomō.*

7. *Dirigens Deo feliciter ad finem perueniunt.*

Ex eiusmodi oratione contigit Dauidem in omnibus prudenter agere, iuxta illud 1. Reg. 18. *In omnibus quoque vijs suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.* Saule verò eum persequente multos composuit Psalmos, quibus à Deo dirigi & protegi postulat, itaque Saulis manus euasit, rex creatus est: Syros, Philistinos, Ammonitas, omnesque hostes suos felicissimè debellauit. Hoc autū obseruando, si ad veteres venire licet, prosperè egerunt omnes directam viam ingressi, dirigente summo illo Numine per preces ad hoc implorato. Sic directus fuit à Deo pius Abraham per omnes suæ peregrinationis vias sospes & felix. Sic directus fuit Iacob fugiens à facie Esau, vnde de eo Hebræus Sapiens cap. 10. *Hæc* (sapientia Dei) *iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei* (in Bethel) *& dedit illi scientiam sanctorum, & honestauit,* id est ditauit, *illum in laboribus, & complenit labores illius.* Sic directus fuit à Deo Ioseph, de quo eodem cap. dicitur: *Hæc venditum iustum non dereliquit,* &c. *donec afferret illi sceptrum regni,* &c. *& dedit illi claritatem æternam.* Sic directus fuit Moyses cum Hebræis per mare rubrum, per desertum duce angelo, columnæ 40. annis, donec peruenirent in terram promissam. Sic directus fuit Iosue in omnibus bellis, quibus Chananæos deleuit. Sic directus fuit Iosaphat rex cinctus à triplici hostium exercitu, ita vt nullus illorum euaderet, nullus suorum periret: *Cùm ignoremus*, inquit, *quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Hinc insignem illam à Deo victoriam reportauit, quæ recensetur. 2. Paral. 20. *Probatur exemplis.*

Tobias Deo duce prospere omnia egit.

Hac ratione in medio captiuitatis direxit seniorem Tobiam Deus, vt gratiam in conspectu Regis Salmanasat reperiret, omniaque pericula superbi Sennacherib euaderet. Hac item ratione filius eius Raphaelem Angelum viæ ducem, Saram vxorem, opes amplas, omniaque prospera impetrauit, & patri visum restituere. Sic, inquam, directus fuit Iudas

Machabæus, cum paucis contra plurimos dimicans, ſemperque vincens, quia Dei ductum ſemper ante prælium implorabat, excepto vltimo, in quo occubuit. Sic directus fuit Gregorius Thaumaturgus, qui fide in Deum nixus, omnia quæ aggrediebatur feliciter perficiebat, idque ſæpè per miracula: ideoque cùm Neocæſaream ad epiſcopatum veniens 17. tantùm fideles inueniſſet, moriens 17. tantùm in ea infideles reliquit. Sic directus fuit Theodoſius, Carolus Magnus, Carolus V. alijque pij Reges & Principes in bellis, quæ contra Eccleſiæ ſuoſque hoſtes feliciſſimè geſſerunt.

Domeſtica etiam Deo dirigente feliciter ſuccedunt.

Sic priuata omnia ac domeſtica Deo dirigente feliciter ſuccedunt: vnde Eccleſia docuit nos orare, *Tua nos hodie ſalua virtute, vt in hunc die ad nullũ declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam iuſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera.* Et rurſum, *Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum, & ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige.* Tota ergo ſapientia, tota felicitas, totum bonum hominis in eo ſitum eſt, vt per preces exquirat homo, quid Deus à ſe fieri velit, in quo ſtatu, gradu, officio, opere velit ſibi ab eo ſeruiri; ac cognitâ Dei voluntate illicò eam exequatur.

8. *Deus impiorum conſilium contra iuſtos, dimolitur.*

Hebræus textus ſuggerit nobis aliud perquam vtile ſcitu, videlicet, quod hoc pacto Deus conſilium impiorum contra te illudet: *Omni tempore*, inquit, *pete à Domino, & ipſe diriget greſſus tuos, atque conſilium tuum, quoniam non eſt in hominis manu conſilium aliquod; ſed in manu Dei, qui eſt benedictus. Quia omnia, quæ volet, faciet, illumq; humiliabit & exaltabit. Scio ô Domine*, inquit Hieremias c. 10. *quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Significat Chaldæos, non tam à ſe, quam à Deo excitatos ad deuaſtationẽ Iudææ veniſſe, q. d. ait Hieronymus, *Quod à Babylonijs ſuſtinemus, non eſt eorum fortitudinis, ſed noſtri meriti, & indignationis tuæ.* vnde in Hebr. eſt, *non eſt laudem*, id eſt, *illius hominis inſignis*, ſcilicet, Nabuchodoſoris, *via eius*: cùm enim cogitaret Nabuchodonoſor bellum inferre Ammonitis, Deum illum auertit, & quaſi protruſit in Ieruſalem, vt eam vaſtaret, Ezech. 21. Abſalon quia perfas & nefas, inconſulto ac ſpreto Deo, Patri coronam & regnum auferre moliebatur, collegit armatam manum, Architophele conſiliario vſus eſt, qui licet vtile etiam conſilium adhibuit, tamen diſplicuit Abſaloni; Chuſai verò ſibi exitiale magis placuit: Quare? quia Dominus oſtendere voluit, quod non ſit in manu hominis conſilium aliquod, ſed in manu Dei, qui inclinauit cor Abſalonis, vt relicto conſilio vtili, amplecteretur, quod ſibi mox damnoſum, & quo ſtupendè lueret rebellionem, quam ſuſcitarat in Patrem. Appoſitè Baſilius in verba Iſa. 3. *Va impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.* *Conſilia*, inquit, *aduerſus iuſtos inita, in caput malignè conſultantium retorquentur: quemadmodum & tela, quæ ſemel inciderint in corpus ſolidum, nec cedens, ſed repercuſſuum, in ſues iaculatores reſiliunt.* *Tela impiorum in caput eorum reſiliunt.*

Præcepit olim Pharao, vt Moyſes cum reliquis Hebræorum infantibus in flumen deijceretur, Exod. 1. v. 22. Sed eo conſilio vſus eſt Deus, vt Moyſes apud Pharaonem liberaliter educaretur. Exod. 2. Fratres Ioſephi eum vendiderunt, ne adorarent, Geneſ. 37. Sed Deo ſic ſtatuente, quia vendiderunt, adorarunt, Geneſ. 44. Vnde D. Chryſoſt. hom. 61. in Geneſim hanc diuinam prouidentiam in fratribus oſtendens: *Conſultant*, inquit, *& attentant, & ſuam declarant malitiam: at ſapiens, & omnipotens Deus inſidiatores miniſtros etiam inuitos facit diſpenſationi futurorum.* Et D. Gregorius: *Diuino*, inquit, *iudicio, quod declinare coacti ſunt, retinendo ſeruauerunt.* Et paulò pòſt: *Sic diuinum conſilium, dum deuitatur, impletur: ſic humana ſapientia, dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt, ne Ioſeph ſuper eos excreſceret; ſed hoc, quod diuinitus diſpoſitum erat, cauendo factum eſt, vt euenirent. Vnde humana ſapientia voluntati Dei per intentionem reſtitit, inde eius intentioni militauit:* Saul Filiam ſuam Dauidi vxorem ſpopondit; dummodo Dauid centum occideret Philiſtinos, 1. Reg. 18. Quorſum ſpectabat conſilium Saulis; tantum honorem Dauidi, quem oderat, deferentis? Recte Lyranus: *Malitioſè*, inquit, *cogitabat, vt ad conſequendum hoc matrimonium, Dauid audacius periculis ſe exponeret, & ſic periret.* En conſilium hominis. Sed vide, quàm facile à Deo inuertatur. Nam Dauid pactus ſe interfecturum centum Philiſtinos, ducentos interfecit. *Et celebre*, inquit textus, *factum eſt nomen eius nimis.* Quem in locum Gregorius Magnus paulò ante citatus: *Saul*, inquit, *ſuperbâ prouidentiâ in ſapientia ſua eſt conſilio deprehenſus. Quia vnde ſuccreſcentis militis vitam ſe extinguere credidit, virtutis eius gloriam inde cumulauit.* Ita ille.

9. *Deum impiorum conſilia vertere ad piorum gloriam.*

Dauidem, quem conſilium Saulis perdere volebat, inde Deus illuſtriorem fecit.

Sic verum fit, quod Iob. 5. de Deo locutus Eliphas: *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia prauorum diſſipat.* Rurſum ſic verum deprehenditur illud Pſalmiſtæ Pſal. 32. *Dominus diſſipat conſilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum: conſilium autem Domini in æternum manet.* Adeò eminet ſapiẽtia Dei ſuper omnium hominum ſapientiam, vt quiduis conſultando deliberent, & quantumcumque ſapientia eorum cenſeantur prudentiaque conſilia, valeat ea Deus puncto temporis deregere, infatuare, diſſoluere, irrita reddere, ſeu de plebeis ac vul-

10. *Hominum conſilia infirma; Dei rata & firma.*

ac vulgaribus hominibus agatur, ſeu de principibus, qui quod proprio minùs ingenio poſſunt, doctorum atque peritorum conſilio, quibus abundãt, perficere ſe poſſe confidunt. Nihil proficit creaturæ contra Deum conſilium. Quod ſemel conſtituit Deus, ratum ac firmum eſt, diſſolui aut immutari nullo modo poterit. Vnde prudentiſſimum fuit Gamalielis pro Apoſtolis conſilium, Act. 5. cum eos ad necem perſequerentur Iudæi: *Et nunc itaque dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud: ne forte & Deo repugnare inueniamini.*

Perpende igitur, ô Chriſtiane, quàm vtiliter filium ſuum inſtruxerit Tobias; ſectare quod bonum teſte Salomone, *cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius*, & facti non pœnitebit: *Reuela*, inquit idem, *Domino operatus, & dirigentur cogitationes tuæ.* *Deo omnia cõmittenda. Prou. 16.*

CAPITIS QVARTI

VERSVS XXI.

Indico tibi etiam fili mi, dediſſe me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus eſſes, Gabelo, in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo:

Verſ. 22. *Et ideò perquire quomodo ad eum perueniat, & recipiat ab eo ſupra memoratum pondus argenti, & reſtituas ei chirographum ſuum.*

Verſ. 23. *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 21. 22. & 23. Cùm ſibi mortem imminere putaret Tobias ſenior, oſtendit filio quomodo ſibi in poſterum ſuæque familiæ cauere poſſet, ſatiſque conſulere, nempe ex mutuo, quod credidit Gabelo ſibi cognato, cùm illum indigentia ſtimularet, & filius eſſet infantulus. Monet igitur filium, vt pecuniam illam à Gabelo recipiat, reddatque chirographum, ne videlicet quiſquam ſecundò repetat, quod conſtaret ſemel eſſe ſolutum. Solatus autem videbatur filij paupertatem Tobias, cùm illi à Gabelo talenta argenti decem ſub legitimâ cautione promitteret, ſed maiorem illi cautionem firmiuſque chirographum relinquit, quo à Deo exigat, & recipiat neceſſaria vitæ, & redundantia commoda. Quare non tam commendat filio, vt à debito liberet Gabelum, quàm vt Deum ſibi conſtituat debitorem, quod conſequetur nullo rerum, aut valetudinis impendio, ſed tantùm Dei timore, & fideli eius obſeruantiâ.

SECTIO DECIMA NONA.

Quorſum tam parcè de re temporali agit Tobias ſenior cum filio, de re ſpirituali vſque adeò liberaliter.

1. *Debita ante mortem hæredibus reuelanda cur?*

QVAM plurimis præceptis onerauerat filium Tobias ſenior ad Dei obſeruantiam ſpectantibus; cùm verò Apoſtolo teſte 2. Cor. 12. parentes theſaurizare filijs debeãt, ſolum ei reuelauit mutuum datum Gabelo ipſi fortè ſolinotum, dicens debita ſeu credita ante mortem hæredibus reuelanda, nimirum ne ipſis mortuis fruſtra fiant lites, & periuria; tum etiam ne ex re aliena alij animam contaminent, vt ditiores fiant.

2.

Quid cauſæ præterea? exiſtimo primam fuiſſe, quòd aliud non haberet, vnde diſponeret; quandoquidem facultates ſuas liberaliter in vſum pauperum, neceſſitate vbique exigente, diſtribuerat. Is vnicum dumtaxat habebat filium, & pauperum vſque adeò memor erat, vt pro præſenti nihil haberet in bonis. Quam excuſationem habebunt apud Deum, qui liberis carentes, pauperes faſtidiunt. Præoccupat eiuſmodi miſellos Diuus

Mauden in Tobiam

Eleemoſyna danda pauperibus dum vtimur, & vti

Baſilius hom. 7. hiſce verbis: *Ego quidem bonis dum vixero, frui volo, poſt mortem verò in teſtamento heredes facultatum mearum ac dominos pauperes aſſcribam.* Sed audi reſponſum tanti Viri, tabulis ac cedro inſcribi dignum: *Heu miſer,* inquit, *tunc benignus ac liberalis hominibus eris, cùm amplius inter homines non ages? cùm* TV *cadauer aſpiciam, tunc fratris amantem appellabo? Scilicet magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur aut gratia, ſi in ſepulchro iacens, & in terram conuerſus, magnificum ac ſumptuoſum apparebis. Dic cuius mercedem temporis potiſſimùm expoſces? vitæne an mortis? Nam ſi tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus atque delicijs aſſumpto, pauperes nequaquam reſpexiſti, mortuus cuiuſnam actionis aut operis mercedem petiturus es? Oſtende opera, & tum primum mercedem repete. Nullus enim poſt mercatum ſolutum negotiatur. neque demum poſt certamina accedens coronatur: nec poſt bellum fortia gerit: nec item poſt vitam pietatis laudem, præmiumue capiet.* Et paulò pòſt: *Prauum eſt hoc conſilium, quod capis. Viuens, ais, bonis fruar: decedens, quæ animo conſtitui, ordinauiq; faciam. Erras homo. Tunc Abraham tibi quoque dicet. Recepiſti bona in vita tua. Si arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, non te diuitijs oneratum, ac opum ſarcinam ferentem excipiet. Geſtans diuitias tuas hinc egrediris. Non enim illas abieciſti vt iuſſus es. Cùm viueres, vitæ æternæ teipſum præbuiſti: poſt mortem facies quod hoſtes ſolent. Etenim ne ille vel ille quem nolis, accipiat facultatem tuam, accipiat illam, inquies Dominus. Et iſtud, quid vocabimus? Vindictamne inimicorum, an proximi dilectionem? Lege teſtamentum tuum. Vellem,* inquis, *viuere ac frui bonis meis. Morti ergo non tibi ſit gratia. Si enim immortalis eſſes, numquam mandatorũ recordatus eſſes. Nolite errare. Non decipitur, non deridetur Deus. Mortuum ad rem ſacram non offertur. Viuentem offert hoſtiam. Qui ex eis quæ ſuper ſunt offert, ingratus eſt. Tu verò poſt vitam quæ mortis ſuper ſunt Deo omnium præbitori offers.* Deinde ſimilitudine rem illuſtrans: *Situ,* inquit, *nobilem hoſpitem domi exciperes, eine menſæ reliquias apponeres? Quomodo ergo exiſtimas ex repotijs Deum placari?* Et inferiùs. *Itaque iſta præueniens teipſum ſepelito. Bonum ſepulchrum eſt pietas. Omnibus tuis ornatus hinc diſcede, ſac ornent te tuæ diuitiæ. Habe illas penes te. Crede optimè conſulenti, teq; amanti* IESV *Chriſto, qui ob noſtram ſalutem egere voluit, vt ex eius paupertate nos diuites eſſemus: qui etiam ſeſe pro nobis redimendis pretium obtulit.*

Qui differt eleemoſynam vſque poſt mortem ſuam, parum aut nihil meretur.

Eleemoſyna mortuorum pulcherrimum ornamentum.

Accedit aliud incommodum differenti miſericordiam in pauperes, quòd vel hora mortis incerta ſit, & in conſcriptione teſtamenti facile dubium ſubrepat, aliaque inconuenientia ex falſo aliquorum teſtimonio ſuccedere queant. Horũ non immemor ſanctus Pater, inquit ad primum: *Atramento & tabulis pulchra opera, & commendanda gerere ſtudes? Sed quis exitus tui tempus nuntiabit? Quis de mortis genere ſponſor? Quot videmus repentinò ac vi caſuve extingui, qui præ doloris & ſpiritus angustia ne vocem quidem emittere potuerunt? Quot etiam febris à mente alienos fecit? Quid igitur tempus exſpectas? in quo ſæpè rationis tuæ compos non eris. Enimverò nox profunda, morbus grauis, nullus circà adiutor: Imo potius qui hereditati inſidiatur paratus aderit omnia tantum quæ ad eius faciant vſum adhortans, ac tua irritare conſilia quærens. Tunc tandem deſtitutum* TE *videns, tuam imprudentiam, ac ſtultitiam grauiter ſuſpirijs damnare incipies. Cupies & eo tempore mandata dare, cùm & lingua ſemiextincta ad loquendum, & manus ad ſcribendum inualida tremenſq; fuerit. Ex quo nec voce, nec item litteris tuam oſtendere mentem valebis.* Ad ſecundùm verò, *Quod ſi nihilominus contigerit, vt & verbo & ſcripto res tua palam mandentur, vna tantum tranſpoſita littera, vnum non probè appoſitum ſignum totam ſententiam mutare, ac irritam facere valebit. Duo item aut tres improbi teſtes totam hereditatem in alios conuertent. Quid igitur miſer teipſum decipis? nunc opibus in luxu viuendo abutens, ac tibi ea promittens, quorũ poſtea Dominus non eris,* vt ex dictis patet? Hæc Baſilius non minus eleganter, quàm verè.

Alia inconuenientia differenti eleemoſynas vſque ad mortem ac cidere queunt

3.

Priſcis patribus ſolamine in vita ſine præcepta filijs dari ſolitum.

Secunda ratio fuit, vt imitaretur priſcos patres, Moyſen, Ioſue, Samuelem, alioſque, qui vtilia circa clauſulã vitæ, filijs ſolent dare præcepta, ad pietatem ſpectantia, vt altius animo inſiderẽt. Vnum inſtar omnium opulentiſſimi Regis & ſanctiſſimi Solis Hebrææ gentis Dauidis è vita diſceſſuri verba adijciam: *Ego,* inquit, *ingredior viam vniuerſæ terræ.* & ad filium conuerſus: *Tu autem Salomon fili mi, ait, ſcito Deum patris tui, & ſerui ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eum, inuenies: ſi autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum.* Terribilis exhortatio, & quæ vel adamantinum pectus penetret. Hac vltimâ concione ſuâ Dauid, optimæ vitæ capita exactiſſimè complexus eſt, ſcilicet, Dei præſentiam vbique cogitandam; Deo fideliſſimè ſeruiendum; Obedienti præmium fore ipſum Deum; Prævaricatori æternum imminere ſupplicium.

4.

Timenti Deum bona temporalia abundè ſuccedunt.

Hæc quoque latè impreſſerat filio bonus noſter ſenex; hoc præſtabat, quod omni theſauro eſt pretioſius, Dei cultum & obſeruantiam præ omnibus ſingulariter commendare. Faciet enim ille, quos res deſtituunt humanæ temporalibus nihilominus abundent compendijs. Hoc aſſeruit fidelibus regius Propheta, cùm dixit Pſal. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius.* Si vis, inquit, beatus & felix eſſe, intellige quis ſit auctor omnis felicitatis, & ab eo exſpecta, ab illo ſpera, & non ab alijs: & vt ſpes firma ſit, & non confundaris, fac bonitatem, bene operando, iuxta Dei manda-

ta

ta, & tum demum ſecurus inhabita terram. Quis enim te expellet ſi amicus illius fueris, *cuius eſt terra & plenitudo eius*: *Qui timet Dominum*, inquit Sirac. 34, *nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes eius*. Eccleſ. 34. Quin etiam paſceris in diuitijs eius; terra ad te alendum abundè proferet fructus ſuos. Subſcribit Dominus Matth. 6. *Quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Apoſtolus inſiſtit 1. ad Timoth. 4. *Exerce*, inquit, *teipſum ad pietatem: pietas enim ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ*.

Chryſoſtomus, exemplo Iob, docet, quare parentibus huic rei præcipuè inuigilandum, hom. 3 ad Philipp. *Pro liberis ſuis*, inquit, *ſacrificabat Iob, & à peccatis illos liberabat, Ne quid, inquit, fortè peruerſi cogitauerint in cordibus ſuis. Ita prouidendum eſt liberis. Non dicebat, quemadmodum plerique ſolent, relinquo illis quam habeo ſubſtantiam: non dicebat, dabo illis gloriam: non dicebat, etiam illis principatum: non dicebat, etiam illis agros: ſed quid ne fortè cogitauerint aliquid in cordibus ſuis*. Et ad propoſitũ noſtrum ſubiungit: *Quæ namque poterit eſſe vtilitas eorum, quæ in hac vita ſunt? Nulla. Reges, inquit, omnium principum illos efficiam, & nihil erit amplius, quod deſiderari queat. Dominus enim, inquit, paſcit me, & nihil mihi deerit. Is namque diuitiarum, in theſauri loco eſt: quod ſi timor eſſet Dei, nullâ re deſtituerentur. Hic verò ſi non fuerit, etiamſi regnum habuerimus omnibus tamen pauperiores ſumus. Nihil illis adæquari poterit, qui timore Dei præditus eſt*. Sic Tobiæ nihil magis cordi fuit, quàm filium inſtruere de præceptis vitæ. Cyprianus de opere & eleemoſ. parentes monet ipſum imitari: *Eſto*, inquit, *liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da vtilia & ſalutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: Manda filijs tuis, quod & ille mandauit, dicens: Et nunc fili mi, mando tibi: ſerui Deo in veritate, & fac coram illo, quod illi placet*.

Timore deſtitutus licet ditiſſimus, omnibus eſt pauperior.

5. Certè diuitias temporales Dei timore multiplicari, animaduertit Abimelech Geneſ. 21. cum ipſe & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham dixit: *Deus tecum eſt in vniuerſis, quæ agis*: quia vidit illum bonis temporalibus cumulatum; *erat enim ditis valde in poſſeſſione auri & argenti*, cognouit Deum eſſe cum illo. Oleaster, *Cùm videris*, inquit, *ipſum bonis etiam temporalibus abundare, cognoſce eum Deum apud ſe habere*. Geneſ. 6. benedicit Deus Iſaaco, eumque ditat, *Benedixitq; ei Dominus*, inquit Scriptura, *& locupletatus eſt homo, & ibat proficiens, atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt*. Habuit quoq; poſſeſſiones omnium, & armentorum, & familiæ plurimum. Inuident autem illi Geraritæ, puteoſque eius obſtruunt, ac tandem agnoſcunt à Deo omnia feliciter illi ſuccedere, vnde fœdus cum illo ineunt; rogabat verò Iſaac Abimelech & Ochozath amicum illius, & Phicol ducem militum, cùm id prætenderent, *Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? Qui reſponderunt: Vidimus tecum eſſe Dominum*. Itaque non aliunde Iſaac ditatum cognouerunt, quàm ex præſentia Dei, qui timentibus ſe numquam deeſt, *Oculi Domini ſuper iuſtos*, inquit pſalmiſta, *& aures eius in preces eorum*. Et rurſum pſal. 32. *Diuites eguerunt, & eſurierunt: timentes autem Dominum, non minuentur omni bono*. Audi Chryſoſtomum hom. 46. in Geneſ. *Quando amicum & benevolum habemus Deum, etiamſi in deſerto fuerimus, multò ſecuriores viuemus, quàm ij qui in ciuitatibus verſantur, diuinâ gratia nobis omnia ſuppeditante*. Seruos ſuos ſic alloquitur benignus Dominus, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charißimi*.

6. *Saturi & abundantes ſæpè ad miſeriam redigũtur; iuſti pauperes ad ſatietatem.*

Hæc eſt conſuetudo Dei, vt impij abundantes ad miſeram fortunam redigantur; iuſti in afflictione Dei benignitatem experiantur: *Repleti prius*, inquit Anna 1. Reg. 2. *pro panibus ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt*. Patet illud primum in Ægyptijs, qui ex magnâ ferti itate ad tantam ſterilitatem redacti ſunt, vt pro alimento in perpetuam ſe traderent ſeruitutem. Vnde ad Ioſephum confluentes dicebant: *Eme nos in ſeruitutem regiam: & præbe ſemina, ne pereunte cultore redigatur terra in ſolitudinem*. Geneſ 47. Patet & id in Hebræis, de quibus regius Propheta Pſal. 106. *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim, terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in eâ*. Deus, inquit, in pœnam peccatorum naturas rerum aliquando permutat, ſiccat flumina, & facit, vbi riui aquarum abundanter decurrebant, fiat deſertum ſiticuloſum: terram ſterilem reddit qualis eſt operta ſale. Qui olim nimijs comporationibus indulgebant, vt Iſa. 28. v. 7. deſcribit, non ſolum abſorbentes, ſed etiam *abſorpti à vino*, vt Propheta loquitur, in tantam cibi penuriam redacti ſunt: vt proprijs filijs veſcerentur, iuxta illam comminationem diuinam, *Comedes*, inquit, *fructum ventris tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum*, Deuter. 28. Quam prophetiam impletam fuiſſe conſtat, imprimis ex caſu, quem Ioſeph. de bello Iud. 8. & D. Chryſoſt. lib. 1. aduerſus vituperat. vitæ monaſt. & D. Cyrillus Alex in cap. 5. Iſa. ſcripſerunt: nempe fœminam nobilem, ac locupletem in Hieroſolymitana obſidione per Romanos factâ, nouâ quadam, & miſerandâ famis vi ſtimulatam, filium, occidiſſe, & comediſſe, materno vtero in ſepulchrum conuerſo; quod non ſolum Hieroſolymis, ſed etiam in alijs Iudææ vrbibus contigiſſe, refert D. Cyrillus cit. loco: Conſtat præterea ex euentu, qui 4. Reg. 6. refertur: ſcilicet in Samaritanâ obſidione per Aſſyrios, aliam quoque matrem vt extremæ fami mederetur,

Matres famę oppreſſæ cæcum filiorum carnibus epulatæ.

filij ſui, quem interfecerat, & coxerat, carnibus epulatam. Illic mulier quædam ſupplex clamat ad Regem: *Saua me Domine mi Rex.* Cauſa interpellans erat hæc: Rex Syriæ vſque adeò Samariam obſederat pertinaciter, vt ad extremam, & obſcænam famem adegerit. Duæ mulieres inter ſe paciſcuntur. *Da filium tuum, vt commedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras.* Cumque vna filium ſuum occidiſſet, & epulandum tradidiſſet, altera filium ſuũ abſcondit, & exactum renuit tradere. Hinc fæmineo vlulatu clamat ad Regem & ſuarum iniuriarum vindicem appellat, vt iubeat vicinæ etiam filium ſuum occidere ad epulandum. Ex pacto contendit ſibi deberi infantile corpus. Rex cùm audiſſet hanc eſſe controuerſiam, & ad cædem poſci miſerum infantem, vt duarum mulierum leuaret famem, inhorruit, *& ſcidit veſtimenta ſua*, vt in graui luctu ſolent Hebræi. Quas ſtrages lamentatus Hieremias, Tren. 4. 10. *Manus*, inquit, *mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus earũ in contritione filiæ populi mei.* Denique res conſtat in alijs multis peccatoribus ex pinguiori fortuna ad magnã inediã deuolutis, quorum typus fuit ille prodigus, qui cùm paternam accepit hæreditatem, tunc in miſeram abijt egeſtatem Luc. 15. Luculenter Chryſologus ſerm. 1. *Fidũ data facit egere ſubſtãtia, quæ diuitem negata ſeruabat: vt penes ſe deficeret habenda. Denique cupiebat implere ventrem de ſiliquis porcorum. Quàm crudele miniſterium, quia neque conniuit porcis, qui viuit porcis!* Hoc eſt, quia neque porcinum habet victum, qui vitam porcinam agit.

Prodigus ac egeſtã ſubſtantiã pauperior & ſa lamioſior.

7. Inopes autem iuſtos ad ſatuitatem & opulentiam ſubleuari, mirum non eſt. *Ecce*, inquit Propheta regius, *oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius: vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Res perſpicua eſt in Patriarchis, Abraham Geneſ. 12. quem Deus famis vitandæ cauſa eò conduxit; quo licuit ab eà liberari. In Iſaac Geneſ. 26. cùm Deus ingruente fame apparuit ei, dixitque: *Ne deſcendas in Aegyptum, ſed quieſce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroq; tecum, vt benedicam tibi.* In Iacob Geneſ. 42. quem Deus ad Ioſephum filium in Ægyptum alimenti ergo abſque periculo deduxit. Iob. 5. Eliphas quidam amicorum eius, docuit eum à placato Deo bonorum omniũ abundantiam deriuari, ſeque longo vſu, & meditatione id didiciſſe affirmat. *In fame*, inquit, *eruet te de morte, & bello de manu gladij.* Non ſic te afficiet fames, vt te conficiat, neque ſic bellum premet, vt opprimat, aut lethale ſit vulnus, quod gladius infliget. Rurſum, *In vaſtitate & fame ridebis, & beſtias terræ non formidabis. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & beſtiæ terræ pacifica erunt tibi.* Pactum ſocietatem indicat, quæ hominum animos, & ſtudia coniungit, quæ ſeditiones comprimit, quę fidem conciliat, facitque vt nemo noceat alteri: imò quodammodo cogit, vt quàm poſſit officioſiſſimè commoder; quare ſociale fœdus cum lapidibus iniiſſe nihil aliud eſſe puto, quàm in ſaxorum latebris ali, aut latere nihil, quod fœderato, ac ſocio afferre aliquid poſſit incommodi. Quales ſunt regulus, & aſpis, qui venena diffundunt: leones, & vrſi, qui diſcerpunt, & deuorant. Hæc itaque in ſuis cauernis prohibebunt ſaxa, ne quid à ſuis domeſticis, & alumnis patiantur, qui Deum agnoſcunt Dominum, & à ſuis mandatis nunquam recedunt. Sed etiam hæc ſaxa tametſi naturà ſuà dura multiplices præbebunt, & ſuauiſſimos vſus; fluent enim lacte, & melle, fundent ruos olei. Verius exiſtimo eò loci per metonymiam ſumi continens pro contento, loca videlicet confragoſa, & multis perforata latebris, pro beſtijs, quæ in ſaxorum cauernis ſua parauere cubilia. Adeoque pactum initum non cum ſaxis, ſed cum feris, vt mitiſunt ingenio, ac docili cum viro iuſto, Deumq; timenti, licet in alios, qui à Dei lege defecerunt, ad mortem vſque ſæuiant.

Miſeri & inopes inſti ad opulentiã eius: & ſublimãtur.

Inſtus nihil à feris accipit mali.

Propheta Regius clamat: *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem*: hoc, inquit, experientia comperi in diebus meis. Salomon vſque adeò prædicat ſapientiam, ſiue timere Deum, vt nihil queat vltra: *Quid*, inquit, *ſapientiâ locupletius, quæ operatur omnia*, Sapien. 8. Quomodo omnia? A fame, bello, hoſte liberat, & à morte; rurſum facit, vt tibi Deus benedicat, & bonorum omnium tribuat abundantiam. Clariùs ipſe teſtatur cap. 7. quanti faciat ſapientiam, & quare: *Præpoſui*, inquit, *illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi. Nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum. Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.* Non ſolum, ait, dixi comparatione eius nec Regna, nec Thronos, nec diuitias eſſe aliquid, & omnia lutum ac ſtercora; ſed etiam ſuper valetudinem, & formæ & pulcritudinis elegantiam dilexi illam, & propoſui præ luce, & lumine oculorum habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Pergit vtilitatem & fructus recenſere ſapientiæ; *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Cùm ad illam ſolam animum attendi, cùm primùm quæſiui regnum Dei, Dei liberalitas adiecit eo intuitu innumerabiles diuitias. Addit quid hominibus huius ſæculi incredibile: *Et lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam omnium bonorum mater eſt.* Læta-

I.

Sapientia ſiue timor Dei rebus omnibus pretioſis pretioſior.

tus

tus ſum, inquit, in omnibus bonis, quæ mihi per illam venerunt, quoniam vt dux antecedebat me iſta ſapientia, quam antequam acquirerem, ignorabam, quoniam mater eſſet etiam bonorum externorum.

Quod ſi ſemel ſcirent, homineſque crederent carnales, quíque tantum pro delectatione aſpirant, non ſic à Deo recederent, ſed quia ignorant, quoniam ſapientia bonorum omnium eſt mater, ideò eam derelinquunt, putantíque ſe non benè lætari poſſe, nili Deo derelicto cùm oppoſitum ſit veriſſimum. Iſaais vates proclamat Iſraëlem omnia proſpera experturum, ſi dederit operam ſapientiæ, & cognitioni rerum diuinarũ, quæ timorem Domini ſequitur: *Diuitiæ*, inquit, *ſalutis ſapientia, & ſcientia; timor Domini ipſe eſt theſaurus eius*, Iſa.33. Loquutus erat Propheta de Sennacherib, tanquam tunc proſtrato à diuina potentia, quæ id promiſerat. Deinceps ſubdit, quod dum ſtabit Sion ſuam Deo cauſam & ſalutem committet, neque de Dei promiſſis, & fide dubitabit. Deinde experientia edocta, ſperandum ſibi eſſe à Deo cognoſcet quidquid in opibus & bonis inueniri poteſt. Aliqui autumant hæc de Chriſtianorum tempore intelligenda; & ſic ſenſus eſſet: Tempore Chriſti, diuitiæ ſalutares non habebuntur aurum & argentum, ſed ſapientia, ſcientia, & timor Domini, ſcilicet quod fideles Deum cognoſcant, illumque timeant & colant.

Timenti Deũ omnia proſpera eueniunt.

At pauci huic rei ſtudent, pauci attendunt ad hanc Tobiæ philoſophiam. *Habebimus multa bona, ſi timuerimus Deum.* Fruſtra illis dixit Chriſtus: *Quærite primum regnum Dei, & cætera adijcientur vobis.* Thomas à Kempis, lib.3. ca.3. verißimè dixit: *Plures mundum libentius amant, quàm Deum: Facilius ſequuntur carnis ſuæ appetitum, quàm Dei beneplacitum. Promittit mũdus temporalia & parua, & ſeruitur ei auiditate magna: ego promitto ſumma & æterna, & torpeſcũt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus ſeruit & obedit ſicut mundo, & Dominis eius ſeruitur? Erubeſcere Sion ait mare. Et ſi cauſam quæris, audi quare. Pro modica prabenda longa via curritur, & pro æterna vita vix ant à multis pes ſemel à terra leuatur. Vile pretium quæritur, pro vno nummiſmate interdum turpiter litigatur, & pro vana re, & parua promiſſione die noctuq; fatigari non timetur. Sed prô dolor pro bono incommutabili, pro præmio inæſtimabili, pro ſummo honore, & gloria interminabili vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubeſce ergo ſerue piger & querulose quod illi paratiores inueniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitã.* Non ſic mi homo, ſed alia via procedendum eſt, ſi velis, tibi vbiuis benè conſultum: ſectare pietatem, hanc tibi aſſerit Apoſtolus ad omnia vtilem. Vide ne Gentiles te confundant. Cicero lib. de inuentione optimè dixit: *Ad rem publicam multa veniunt commoda, ſi moderatrix omnium rerum præſto eſt ſapientia.* Nullus ergo te caſus cruciet, quamdiu Deum times, ne ſis anxius.

9. *Reprehenduntur homines plutis facientis mundi promiſſa, quàm Dei.*

Hebræus ſapiens Prouerb. 10. ſecurum in reddit: *Non affliget*, inquit, *Dominus animam iuſti.* Et verè Deus tantâ ſuos curâ & prouidentiâ complectitur, vt cùm humana deſunt auxilia, ſubminiſtret diuina. Vt annonam præſtaret Heliæ, ſuam nobis prouidentiam ingeſſit. Primò quidem, Prophetæ dapiferos iuſſit eſſe coruos. *Corui quoque deferebant ei panem & carnes manè, ſimiliter panem & carnes veſperi.* 3.Reg.17.

10. *Dominus Deus miraculosè inſtis ope humanâ deſtitutis ſuccurit.*

Conſidera mi homo, quàm ſit Deus de ſuorum alimento ſollicitus, qui rerum naturas mutat, aut naturales rerum propenſiones, quia ſic exigit illorum neceſſitas, qui diuinæ ſe fidei, & curæ crediderunt, ſuarum rerum, & commodorum immemores. Multa adduci poſſent, & noſtro, & antiquis ſæculis exempla eorum, quos beluæ alluerunt immanes, & defenderunt à feris, & alia præſtiterunt obſequia, qualia teneris infantibus indulgere ſolet materna ſedulitas. Hoc tamen quod in præſenti habemus, illuſtriſſimum eſt. Nemo ignorat, quâ ſit voracitate coruus, quâ auiditate, & ſtudio carnes quærat, à quibus, etiamſi maximè fœteant, non continet voraciſſimam rabiem. Præterea cùm diu deficiente pluuia torrens aruiſſet, iubetur iterum in Sareptham Sidoniorum excedere, vbi paſceretur à vidua, cui quia prius ex ſua tenuitate Prophetam pauit, ad tempus vſque vbertatis, neque in lecytho oleum, neque in hydria farina defuit. Ecce omnes huius viduæ facultates erant pugillus farinæ, & parum olei, quo vngeretur, non quo veſceretur, ſed quia Deo & Prophetæ credidit, quot farinæ modii, quot olei méſuræ in hoc pauperculæ penore laterent, emicuit. Denique contigit Eliam ob minas Iezabel fugam capeſſere, & fame, ac laſſitudine iacere languidum ſub iunipero, ibíque obdormiſcere. An putes ibi dapiſetum defuiſſe? Minimè. *Ecce*, inquit Scriptura, *Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede.* Sanè Deus adiutor eſt in tribulationibus, & tunc propior, cùm homo maximè videtur ab humano ſubſidio deſtitutus. Iacebat ſub ſpinoſa atq; infelici planta Elias, ſic laſſo corpore, ac deficientibus viribus, vt non tã homo putaretur viuus, quàm viuentis hominis ſpirans ſimulachrum. Adfuit tunc è cœlo, cùm non ſperaretur è terra oppertunum auxilium. Excitauit illum Angelus à ſomno, & iuſſit vt oblatos ſibi aſſumeret cibos, cumque à graui ſopore iam eſſet ſolutus, inuenit prope ſe ſubcineritium panem, & vas aquæ plenum. Sic Danieli in

Deus quo ſuis prouidet, rerum videtur mutare animos

lacu leonum constituto Habacuc messorum tulit delitias.

Eandem hanc singularem beneuolentiam Deus sexcentis alijs suorum amicorum exhibuit, farinam, panes, oleum, vinum, occultâ vi augendo, aut cùm hæc penitus deessent insperatâ gratiâ submittendo. Et quamuis hæc talia nos ipsi nonnunquam experiamur, nihilominus ingens vbique diffidentia est trepidantium, ne desint vitæ necessaria: cum Judæis etiamnum vociferamur: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Nunquid & panem poterit dare? Adhuc Philippi vox auditur, *Sed quid hæc sunt inter tantos?* tot hominum fami non sufficient ista. O verè minimæ fidei homines! *Scit pater vester, quia his omnibus indigetis.* Nunquid Dei liberalitas nunc quàm olim contractior? Christus Dominus, vt diffidentem hanc sollicitudinem à nobis procul accerseret, *Respicite*, inquit, *volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa: Nonne vos magis pluris estis illis?* Hoc ipsum sæpiùs inculcans hic è cœlo magister: *Nonne*, inquit, *duo passeres asse venient, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos.*

Matth 6.

Mira Dei prouidentia in auibus alendis.

Matth.6.10. Luc. 12.

Vide quomodo amplitudinem prouidentiæ suæ nobis ingerat; Non adduxit pastum in deserto Israelem annis quadraginta pane cælesti: non laudat Eliam à coruis nutritum, sed brutas animantes obiicit, idque non leones, vrsos, elephãtes, aut alia id genus grandia animalia, quæ & ipsa diuinitus pascuntur, sed animalium minima, auiculas, quæ cùm cantui ferè vacent, & veluti obiter sumant cibum, maximè à sollicitudine liberæ videntur. Et homo qui pluris est innumeris auiculis, Deumque non Dominum tantum, sed & Patrem agnoscit, sic angatur animo? *Dominus Deus olim rogabat Iob, Quis præparat corno escam suam, quando pulli clamant ad eum vagantes, eò quod non habeant cibos.* In quo miram prouidentiam etiam in auem multis nominibus odiosam designat, quæ ideò dignissima existimari poterat, quam Deus abiiceret, & perire sineret: At non obliuiscitur Deus operis manuum suarum; sed vitam, quam dedit, tuetur, & ætatem prouehit. Hieronymus ex Philosophorum sententia ait, è cœli rore viuere coruorum pullos derelictos, quos videlicet parens inediâ affici patitur, quoad vsque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur.

II. Diffidentiam omnem à nobis arcendam, quare?

Pulli coruorum derelicti pascuntur cœli rore.

En multò melius agitur cum coruorum pullis, quando à parentibus reijciuntur, & diuinæ omnino curæ permittuntur; pascerentur enim è putrido cadauere, quod pater vorax & impurus ex cruce, aut ex sterquilinio apportaret; nunc autem è cælesti rore, qui purissimus est: Et tu diffidis de Deo? Noli mi homo. Nihil crebrius Christus, nil & acerbius in suis discipulis castigauit, quàm diffidentiam. Hinc illos modicæ fidei, tardos corde, generationem incredulam, peruersam appellauit sæpiùs: varia tentauit optimus magister, vt sui dediscerent diffidentiam. Quo enim ille Domini sopor in nauigio, illa panum penuria, quò examen super comeatu in solitudinem peruehendo, quò illa Petri in aquis fluctuatio spectabat? diffidentia proponebatur dediscenda; & hoc sibi volunt voces illæ: *Modica fidei, quare dubitasti?* perinde si dixisset sapientissimus doctor: Ergóne vos tam indociles, vt primam hanc summè necessariam institutionem non possitis capere?

Diffidentes Discipulos crebrò & acerbè increpauit Christus.

Admirabilis planè est Dominus in operibus suis. Æthiopia habet Insulas, Sporades dictas, quæ nullum ad vitæ commoditatem fructum proferunt, neque satiuum, neque syluestrem. Hi vnde vitam sustentant, Photius dicat: *In circumfuso pelago, quod asperum est & tempestuosum, testudinum copia nascitur, quæ latitudine, & magnitudine fidem propè excedunt: pro marinis autem à nobis omnibus habentur. Hæ noctu in profundo maris pascuntur: sed interdiu in quietos & tranquillos insularum recessus exspatiatæ dormiunt, idq; ad solem in summo apricantes faciunt: quo modo nauicula hominum industriâ facta efficuntur. Has illo temporis momento incolæ arte & studio, & funibus in terram iectas capiunt; & quidquid interius est, ad breue tempus solis feruore assatum, comedunt, testas verò ad edium constructionem vsurpant. Gurgustia enim in editis locis prominentia inde coagmẽtant ad nauigationis præterea vsum & aquationis transferunt. Quo fit vt res eædem, nauis, domus, vasis & alimenti hominibus illis vsum præbeat.* Ita Photius in Bibliotheca sua ex Agatharride Polyhistore cap. 19.

Sporadum insularum incolæ præter testudines, nullum alibi victum norunt.

Id igitur caue, ô Christiane, & vnico, quod dicam, exemplo omnem diffidentiam depone. Quarto Reg. 7. cùm grauis Samariam fames vrgeret, & cùm columbino stercore corpora nutrirent, neque illius famis leuandæ aliqua se spes aut modus ostenderet; magnam tamen Propheta in diem crastinum abundantiam promisit: *In tempore hoc*, inquit, *cras modius similæ vno statere erit; & duo modij hordei statere vno in porta Samariæ.* Cuius promissionem cùm vanam putaret vir quidam nobilis, qui à Rege nusquam aberat, dixit: *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, nunquid poterit esse, quod loqueris?* Audiuit à Propheta responsum, fore vt veram cognosceret prophetiam, neque tamen ad illum vllus ex ea abundantia pertineret: *Videbis*, inquit, *oculis tuis, & inde non comedes.* Liberauit Deus Prophetæ fidem, ita vt euomeret porta Samariæ multi-

III. Diffidentiã omnem deponendam.

multitudinem annonæ, quæ ferebatur: & iuxta Prophetæ vaticinium, oppreſſus eſt à multitudine, & extinctus vir ille nobilis qui nugacem appellarat prophetam, & illius verba indigna, quibus à præſentibus haberetur fides. Hoc vnum igitur age, vt colas pietatem, & filleiuſſorem habebis & Regem & Propheram: *Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum.*

13. Hoc filio præſtruxit Tobias tanquam ſingulare præſidium, & in neceſſitatis articulo firmamentum: *Multa*: inquit, *bona habebimus, ſi timuerimus Deum.* Pereat licet ſumma illa, quam debet Gabelus; licet inuenias obicem; quantumuis multa conteſtatione, & iuris ſtrepitu ad eam peruenire non queas, ſatis abundè prouiſum erit, ſi ſtudioſè obſerues Dei præcepta, & filiali amore totus feratis in illa: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: Noli duobus dominis ſeruire. Arca Dei & Dagon in vno templo non conueniunt: *Non faciet vltra ſeruus tuus*, inquit Naamam Cyrus ad Deum conuerſus, *holocauſtum, aut victimam Dijs alienis, niſi Domino.* Sacrificium Caini in ſe diuiſi non reſpexit Deus, nec te reſpiciet, ſi duobus dominis ſeruieris: Quid miraris, ô Cain, inquit Bernardus, *Si non reſpicit ad te, qui ita diuiſus es in te? Si manum deuotioni, quid animum deliuari? Non conciliat Deum tibi, diſcurs tecum: non placas, ſed peccas.* Nos autem miſelli exiſtimamus nos timere Deum, ſed interim claudicamus in vtramque partem. Hic per inuidiam ſeruimus diabolo, illic per eleemoſynam Chriſto: hic per luxuriam mundo, illic ieiuniis & precibus Deo. *Deus*, Ambroſio teſte, *tolerabilius iudicat infidelem integrum, quam fidelem diuiſum.* Helias proclamat: *Vſquequo claudicatis in duas partes: ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini eum.* Eccleſiaſtes cap. 1. hortatur, *Fili ne acceſſeris ad Dominum duplici corde*, affectu videlicet mentis tuæ in Deum & mundum bipartito. Deus olim Epiſcopum Laodicæ frigidum aut calidum præoptabat; ſed quia tepidus erat, incipiebat eum euomere ex ore ſuo. Hæc ſunt, quæ cauſant penuriam. Illa emendatione indigent non Deus; cui cura eſt de omnibus.

14. Quid habet ad hæc miſellus homo: Abraham, inquit, & Iſaac in fame fuerunt; Filij Iacob eadem de cauſa in Ægyptum conceſſerunt. Dauid 1. Reg. 21. ab Abimelech coactus fuit petere panes propoſitionis. Idem 1. Reg 25 à Nabal ſubſidium vitæ; Lazarus ante fores epulonis micam panis exſpectat. Paulus ſperabat in Domino, & faciebat bonitatem, & tamen eſuriebat & ſitiebat: Imò multitudinem ferè infinitam videmus quotidie in ſumma egeſtate vitam degere, Ita eſt, mi Chriſtiane, ſed maxima pars ſibi imputare debet, quia non ſperat in Domino ſicut oportet, nec obſeruat mandata eius, vt ipſe iubet. Iuſtis autem, qui in mandatis Dei volunt nimis, ipſe Deus dat aliquid melius, quo illi magis contenti ſunt, & reficiuntur, quàm ipsà opulentiâ. Hinc Paulus, qui ſcripſit ſuam egeſtatem, aliaſque tribulationes, ſcripſit etiam, *Repletus ſum conſolatione; ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*, 2. Cor. 7. Vide dicta Diſcurſu 3. in I V. Præc. n. 7. vbi ad longum huic obiectioni ſatisfactum eſt. Audi ergo Hebræum Sapientem, Eccleſ. 12. *Time Deum, & obſerua eius mandata; hoc eſt omnis homo*; ſin minus audi Siracidem, *Niſi*, inquit, *in timore Dei tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua*, Eccleſ. 37.

15. De neceſſitate bonorum operum, ad verba, *Si fecerimus bene*, vide quæ dixi Diſc. 6. in I. Præceptum, quo ad ſalutem animæ.

Deus colendus eſt ſimplici, & non duplici corde 2. Reg. 5.

ſerm. 24. in Cant.

Deo gratior infidelis integer, quàm fidelis diuiſus.

3. Reg. 18.

Quam ob aliquando Permittant iuſtos fame opprimi.

LIBRI

Libri TOBIÆ Capitis quinti

SYNOPSIS.

PROMITTIT Patri Tobias iunior adimplere omnia eius præcepta, vnico tantum ſcrupulo interpoſito, quod Gabelum non nouerit, neque viam ad eum. Filio autem ex patris mandato ſocium ac ducem itineris in Rages Medorum quærenti Raphaël Angelus ignotus occurrit, habitu ad iter opportuno, cui pater filium committit. Illis verò profectis mater filij deflet abſentiam.

VERSVS I.

Tunc reſpondit Tobias patri ſuo, & dixit: Omnia quæcumque præcepiſti mihi, faciam pater.

Verſ. 2. *Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro: ille me neſcit, & ego eum ignoro: quod ſignum dabo ei? Sed neque viam per quam pergatur illuc, aliquando cognoui.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 1. Audiuit filius parentis monita non grauatè: quia & eadem ſæpiùs à religioſo patre audierat; & ad pietatis opera non præbuit ſe difficilem, qui patris exemplo in bono erat confirmatus. Illud autem de Gabeli pecunia præceptum erat adoleſcenti admodum difficile, quòd neque ipſe Gabelum nouerat, neq; vbi gentium eſſet Rages Medorum inaudierat, præterea nec ipſi Gabelo notus eſſet, neque ſignum haberet vllum, quo ſuos Natales Gabelo manifeſtaret, neque quo illum, ſi creditum abiuraret, ad reddendum cogeret.

SECTIO PRIMA.

Vnde tam obedientem ſe exhibuerit Tobias iunior?

1. *Plurimorũ filiorum obedientia erga patrem in S. Scriptura commendatur.*

IN S. Scriptura legimus quàm plurimos patri obedientes filios. Occurrit in primis Iſaac, qui Gen. 22. ad patris verbum ſeſe humiliauit ad mortẽ vſq;, ipſius patris gladio ſubeundam. De quo pulchrè Chryſoſtomus hom. 47. in Geneſ. *Vtrum admirer*, inquit, *& obſtupeſcam iuſtius? (neſcio) fortémne ſpiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam, quod neque reluctatus eſt, neque factum ægrè tulit, ſed ceſſit, & obtemperauit his quæ à patre facta ſunt, & ſicut agnus cum ſilentio ſuper altare accubuit, expectans patris dexteram?* Ioſeph obediuit patri, cùm mitteret eum ad fratres ſuos, qui illi inuidebant ad mortem vſque: *Fratres tui*, inquit, *paſcunt oues in Sichimis; veni mittam te ad eos*, Quo reſpondente, *Præſto ſum*, ait ei, *Vade & vide ſi cuncta proſperaſint erga fratres tuos, & pecora, & renuncia mihi quid agatur*, Geneſ. 37. Dauid vnctus in Regẽ obediuit patri, fratribus victualia portans 1. Reg. 17. Apud Hieremiam magna laus eſt filiorum Rechab, qui iuxta præceptum patris non biberunt vinum, vitam curis vacuam & prædijs carentem adamarũt, cumque haberent proles & familias ſpernebant agros & poſſeſſiones, quin etiam domos, in tabernaculis habitantes, quaſi exules hîc & hoſpites, totiſque ſpe in Deum defixi vixerunt, Ierem. 35.

Religioſa vita Rechabitarum.

Verùm hi omnes in vnâ fortè re licet arduâ maximè excelluerũt. Rechabitæ in duobus, aut tribus eminuerunt. Aſt Tobias noſter iunior in præceptis quàm plurimis difficilibus ſeruatu omnem patri ſpopõdit obedientiam. Quis enim dubitat, communem viuendi modum reſpiciens, difficile coniugatos matri ſeruare obedientiam: ita vt ne ſemel quidem tranſgrediantur? Quis, quæſo, ſemper recogitat Deum præſentem? Quis tantum

2. *Tobiæ mirabilis exactæ obedientiæ.*

tum misericors & largus in pauperem, quantum facultates ferunt? Quis fructus eleemosynæ perpendit? Quis ab omni libidine purus, præsertim in ætate iuuenili, & inter eos versans, quibus ne peccatum quidem videtur fornicatio simplex? Quis denique ab omnibus illis purus euadit & immunis, vt verbo absoluam, quæ cap. 4. iniunxit filio bonus senex? Quâ ratione ergo morigerus hic iuuenis tam præsto est ad omnia præcepta, vt nusquam tergiuersetur, nusquam verbum obijciat, neque remoram alleget, aut tragulam inijciat, nisi vbi necessitas compulit modestè petere à patre quo pacto se posset expedire ad id quod primâ fronte videbatur satis durum, & difficile. Aliqui obediunt timentes exhæredari, adeoque ex timore seruili: sed illud de hoc Iuuene non licet suspicari, cui testimonium Scriptura reddit cap. 14. quod ita vixerit, vt etiam post mortem eius, omnis ipsius cognatio in bonâ vitâ, & in sanctâ conuersatione permanserit. Sed vndè tam præsto ad omnia?

3. *Præceptum naturale mouit Tobiã ad obedientiam.*

Duæ occurrunt potissimùm rationes. Vna, quòd à precepto naturali, quo præcepit Deus honorare patrem & matrem, additâ promissione vitæ longæuæ, noluerit vel in re minima declinare: *Filij sapientiæ*, inquit Sirac. *ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia & dilectio.* Solis filijs sapientiæ, inquit, ex quibus iustorum cœtus conficitur, proprium est obedire, & diligere. Igitur *attende iudicium patris, audite filij, & sic facite, vt salui sitis.* id est, Opera exercete, quæ auditis, vt salutem consequamini.

Ecclesiastici 3.

4. *Exemplum Patris, obedientia Tobiæ immoris finis causa.*

Altera ratio, quæ magis vrgere solet, fuit ob exemplum patris, quem vidit in omnibus, quouis etiam rerum angustissimo articulo, ad amussim exactissimè seruare, quæ ad pietatem spectabant, imò præcepta superare. Agesilaus Gentilium vnus rogatus quâ ratione quis maximè apud homines probaretur? *Si dicat*, inquit, *optima, & faciat honestissima.* Præclarè Seneca lib. 1. epist. 6. *Plus*, inquit, *tibi & viua vox, & conuictus, quàm oratio proderit. In rem præsentem venias oportet. Primùm, quia homines amplius oculis, quàm auribus credunt. Deinde, quia longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audijsset; vitæ eius interfuit, secreta perspexit, obseruauit illum an ex formula sua viueret. Plato & Aristoteles, & omnis in diuersum itura sapientium turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorum, & Erymachum & Polyænum, magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit.* Idem alibi, *Eum*, ait, *doctorem elige, quem magis admireris cùm videris, quàm cùm audieris.*

Plus docet viua quàm vox.

Cùm Bethulia ciuitas Israëlitica ab Holoferne obsessa ad summam aquæ penuriam redacta esset, conuenit ad Oziam frequens ciuium conuentus. Cum illoque stomachosius expostulat, quòd sua causa nunc laboret populus siti: neque effugere possit mortem, quam hostis indignatus intentat. Quare orat, vt statim hosti ciuitatem dedat, & vitam redimat omnium, ciuitatis, aliarumque rerum liberali iacturâ. Neque parum addebant huic querelæ, & obtestationi virium interpositæ preces, & admixti fletus. Quos consolatus est Ozias, & quinque saltem dies obdurare iubet. Quod si eo tempore auxilium à Deo non adfuerit, non cunctaturum se quo minus iuxta illorum vota ciuitatem tradat Holoferni. Audiuit hæc Iudith vidua, & aduocauit duos viros præcipuos ex istius vrbis concilio, apud quos graui oratione conqueritur, quòd Deo ferendi auxilij præstituissent tempus. Quod peccatum dicit esse graue, quodque pœnitentiâ delendum oporteret: docetque quomodo placari debeat Deus, & populus ad meliorem mentem, & benè de rebus sperandum admoneri. Cuius rationem probant seniores illi, & illa suam industriam, & studium promittit pro patriæ libertate, neque aperit, quod secum ipsa consilium meditata fuerit. Neque tamen vllus aut prohibet, aut quærit, quid factum velit, aut designet. Quomodo, quæso, ita aures præbent patienter huic mulieri viri graues, & in authoritate constituti? Cur illius rationes vsque adeò probant, vt nihil ab ea amplius scisciteutur? An propter orationis grauitatem? sed illa apud populum tali rerum articulo exiguum habuisset pondus: an propter diuitias, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ouium plenas, quas illi reliquerat vir suus? Minimè. Hæc non solent viros graues commouere; an propter egregiam formam; *erat* enim *eleganti aspectu nimis.* Hæc licet plurimum nunc, & tunc valeat, vt dicam Sect. 11. in Cap. 6. huius historiæ, tamè in tam angusto rerum statu prævalere non potest, vbi populi necessitas primas obtinet? Quid ergo? Bonum exemplum: *Erat*, inquit sacer textus, *hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde: nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Dives existens in superiori domus parte cubiculum habebat, vbi cum puellis suis clausa vitam agebat religiosam, gestabat cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbatha, &c. Vis apertiùs cognoscere exemplum illos cõmouisse, addit Scriptura: *Dixerunt illi Ozias & presbyteri: Omnia quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens Deum.* Sanctitas ergo vitæ fecit viros primarios eius rationes omnes probare, ac preces eius intercessorias apud Deum expostulare: pauperem vtique & sanctam vitam agere in abundantia, non minima

Iudith vita sanctitate populum & presbyteros permouit ad viterius resistendum Holoferni.

Pauperem vitam agere in abundantia mira res.

Cis? Num & Saul inter Prophetas? Et quis pater eorum? Quasi dicant: Ecquis est pater Saulis, vt ab illo hãc prophetandi, id est, numerosè canendi artem acceperit, cũ & ipse rusticus sit, & liberalis illius artis impetitus? Alij in *patre*, magistrum intelligunt, & subitam illam mutationem, qua homo amusus repentè in tantum vatem, & musicum euasit, Deo attribuunt, cui vt facilè est subitò honestare pauperem, sic elingues disertos facere, & mutos, & absonos, & canoros, & vocales. Tunc autem sic exponunt: Quis horum Prophetarum, aut cantorum magister? Sanè non alius, quàm Deus, qui repentè vires, ingenium & artem inspirat. Ita Hugo, Manuel, Sa, Serarius, Abulensis, Dionysius. Aut certè hæc referenda sunt ad illorum patres, qui in illo conuentu simul cum Saule prophetabant; qui non videntur magis ad illud prophetandi genus instituti, quàm Cis Saulis pater.

Filij Patris institutum sequuntur.

Vt vt est, nemo naturæ consentaneum existimat, saltare filium, patre non canente; quòd experientia doceat filios patris institutum acerrimè sequi. In primis Arabes eandem quam patres artem exercent, Sabell. lib. 6. cap. 1. ex Strab. lib. 16. item Ægyptij, & Lacedemonii, vt Herodotus lib. 6. hinc pastor Iacob filios pastores habuit, & in ipsa Ægypto artem pecuariam exercere voluerunt. Sexcenta sunt Gentilium exempla, vbi filii patrum mores, animum, & mentem imitati sunt, quæ breuitatis ergò omitto.

7. *Miraculo proximum est, filios non sequi parentum malos exemplo.*

Imò S. Scriptura non obscurè insinuat, miraculo proximum esse, cùm filij malorum parentum exempla imitari fastidiunt, cùm ait Numer. 26. *Factum est grande miraculum vt Core perente filij eius non perirent*: quia scilicet filij Core patris rebellioni cõtra Moysem non consenserunt, eique fortè, res nouas molienti, pertinuè se opposuerunt, & quantum in ipsis erat, dissuadere conati sunt. Vnde per miraculum Deus effecit, vt Core cum tabernaculo suo absorpto, filii eius non absorberentur, sed penduli in aëre hærerent, quoad terra absorbens tabernaculum Core, sub pedibus eorum rursum se coniũgeret, & hiatum concluderet. Hinc cap. 26. v. 58. Familia Core, quasi superstes, inter Leuitas numeratur: atque hi filii Core postea sancti habiti sunt inter Leuitas, psalmosque plures vel composuerunt, vel decantarunt, qui etiamnum eorum nomine, puta filiis Core inscribuntur, vt patet Psal. 41. 43. 84. 86. & 1. Paralip. cap. 26. vers. 1.

8. Audite hæc viri principes; speculum & exemplar subditis vos exhibete. Exemplum habetis Dauidis, qui in rebus aduersis, subditis exemplo præire rectè putauit sui esse officij, quando fugiendum fuit à facie Absalonis, ipse primus pœnitentiæ fructus inchoat, quan-

2. Reg. 15.

do pedibus incedit, lachrymatur, & operto capite, graditur plorans. Iosaphat præter omnem spem bello impetitus à vicinis populis, totum ad ieiunandum & orandum se cõferri, & id postea constanter ab alijs exigit & consequitur. Idem Ezechias, idem Iosias, idẽ Rex Ninives præstiterunt, & à subditis facile impetrauerunt. Et quis vnquam, nisi qui omninò frontem perfricuit, antecedentem ad laborem & periculà Principem profecutus non est? Quis nauem ascendere, imò & lintrem horruit, quam Princeps ingressus? Quis fluvium pedibus, aut natatu traijcere, cùm dux ipse aut transuadando, aut tranando, aditum non tantum aperuit, sed etiam expediuit? Hoc modo, Lucano, lib. 9. teste, Cato ad omnes labores, atque molestias, ad belli, locorumque discrimina, suos milites promptos reddebat, & alacres; nam pedes per salebrosa, atque ardua anhelatum moliebatur ascensum. Hoc exẽplum pro imperio fuit, neque propositio capitali supplicio studiosiùs imperata præstarent, quàm exemplo proposito, quod edictorum multorum minacium instar habet. Sic autem Lucanus de Catone:

Principum exempla omnia reddunt expedita quæ aliter sunt ardua.

Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non iubet.

Hoc in S. Scriptura exemplum Dauidis effecit, vt non grauatè alij operto capite, & pedibus, hisque fortasse nudis cliuum ascenderent saxosum, & asperum, etiam qui molli essent aut ætate, aut sexu; quales fuêre regię vxores, & filij, quibus vt Regis lachrymæ lachrymas excuterent, sic etiam pedum nuditas è pedibus calceamenta detraxit.

2. Reg. 15.

Onosander Strateg. cap. 42. docet quantum ab Imperatoris conspectu etiam res bellicæ capiant emolumentum: *Si quid*, inquit, *subitò confici optet Imperator, primas ipse manu operi admotâ conspiciatur. Neque enim militum vulgus adeò potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus. Conspiciens enim aliquis ducẽ suum in re attrectanda, omnium Principem, festinandum esse animaduertit, cessare erubescit, imperatisq; non parêre veretur: nec iam vt seruus, aut imperio subditus, sed communitionis instar ad opus quoque prouocatus accedit.*

Imperatoris præsentia magno vsui est in exercitu.

Esther cùm alios ad ieiunium hortaretur in rebus plurimùm aduersis, sic mandat Mardochæo, *Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan reperteris: & orate pro me; non comedatis & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus.* Et subiungit, quod caput est, *Et ego cum ancillis meis similiter ieiunabo. Et tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens non vocata, tradensq; me morti & periculo*, videlicet vt impetrem meorum contribulium liberationem. Peri-

Esther suo exemplo mouet populum ad orationẽ.

Esther. c. 4.

culum, inquit, populi diuini proprium reputans, & ipſa me cum populo ieiunijs & precibus exercebo, ad eamque pietatem puellas mihi ad obſequia datas verbo & exemplo perducam.

Audite ciues auream, quâ exhortatur fideles, monitionem Petrus 1. Pet. 2. *Chariſſimi*, inquit, *obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam: vt in eo, quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis.* Nota verba, *Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam.* *Spectaculum enim facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus.* Præclarè Bernardus ſerm. 71. *Proximo famam, Deo debemus, & proindemus conſcientiam.* Vrget itaque Petrus Chriſtianos ita conuerſari debere, vt & fideles & infideles, ac hæreticos ſanctâ ſua conuerſatione ad Deum, fidem, ſanctitatem traducant: maior eſt enim vis exempli quàm verbi, vitæ quàm vocis, morum quàm verborũ. Quocirca S. Paulus coram Felice Præſide: *In hoc*, inquit, *& ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad hominem ſemper*, Act. 24. *Totus*, inquit, *in eo ſum, vt nec homines, nec Deum vlla in re offendam*, & Iob 1. laudatur quòd inter infideles & impios fuerit vir ſimplex & rectus. Teſtiſſimum alijs ſpeculũ. Quin & Cicero apud Lactant. lib. 3. cap. 15. & 16. *Malè*, ait, *mecum agitur, ſi me oratio magis quàm vita purgat.* Et Ariſtippus rogatus, quid in hoc orbe eſſet admirandum? reſpondit, *vir probus, & moderatus: quia licet inter multos impios degat, non tamen peruertitur.* ita Stobæus ſerm. 35. Præclarùs S. Chryſoſtomus orat. de ſancta Babyla: *Conuincunt*, ait, *magis opera virtutis, quàm miracula: hæc namque vel fictè fieri poſſunt; vel ſi verè, etiam ab improbis per gratiam gratis datam.* Quod amplius eſt, magis vrgent hominem exempla, quam miracula ab omni exceptione libera. Naaman Syrus. 4. Reg. 5. poſtquam ex præcepto Eliſæi Prophetæ conceſſiſſet ad fluuium Iordanis, & ex eo planè mundatum ſe experiretur, reuerſus ad virum Dei cum vniuerſo comitatu ſuo venit, & ſtetit coram eo, vt accepto beneficio illi, atque inprimis Deo, cuius ipſe perſonam repręſentabat, gratias ageret; deinde vt munera in ſignum grati animi tam Deo, quàm prophetæ ipſius offerret. Et primùm profeſſus eſt fidè, cùm experimento in ſuo corpore didicerat à Deo proueniſſe ſanitatem, quam aſſecutus erat. *Verè*, inquit, *ſcio quòd non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſraël.* Modò agnoſcit dumtaxat Deum Iſraël ſuperare, Gentiliũ Deos, qui videlicet ſupra vires naturæ lepram ſanare poteſt. Verùm cùm oblatis Prophetæ muneribus diceret: *Obſecro, vt accipias benedictionem à ſeruo tuo*; & Propheta, quantumcumque precibus fatigatus, conſtanter ea recuſaret, & iuriſiurandi religione affirmaret, ſe illa non acceptaturum, omninò permotus fuit, vt non tantum crederet Numen Iſraëlitarũ, verum eſſe Deum, ſed & idola repudiaret, & Deo vero ſoli adhæreret: Reſpondit enim: *Vt vis*: Quaſi dicat, Non acquieſcis precibus meis, ego acquieſcam voluntati tuæ. Aliquid tamen à te accipere velim. Concede, obſecro, mihi ſeruo tuo, vt tollam onus duorum Burdonum de terra; non enim faciet vltra ſeruus tuus holocauſtum, aut victimam dijs alienis, niſi Domino; vult ſibi dari de humo Iſraelitica, quantum par mulorum perferre poſſit, vt Domino altare de terra faciat; eam ſcilicet lapidibus, in formam altaris excitatis, iocludendo vel imponendo. Vbi vides quantum mutatus ab illo ſit, qui paulo ante aquam Iſraeliticam præ Damaſcenâ contemnebat, nunc terram Iſraeliticam præ Damaſcena, & Syriaca, ſanctam putat, vtpote vero Deo conſecratam. *Admirabilis iſte vir*, ait, Theodoret. q. 19. *in hunc locum, ipſam quoque terram Iſrael ſanctificatam eſſe credens, poſtulauit accipere de ea duo mularum onera, vt ſupra eam tantummodo offerret Domino ſacrificia.* Non enim adſtrictus erat legis Moſaicæ ritibus, ſed à legis oneribus liber Deum ſpiritali cultu fidei, ſpei, & charitatis, & cultu aliquo externo colere volebat, iuxta conſuetudinem virorum iuſtorum in lege naturæ. Ego ſummopere pondero, quod poſtquam animaduertit Prophetam alienum à muneribus plenius mentem expreſſerit erga cultum Dei veri, & planiſſimè promiſerit, *Non vltra faciet ſeruus tuus holocauſtum, aut victimam dijs alienis, niſi Domino.* Quæ idem videntur ſonare, ac ſi diceret: vſque adeò commouiſti animum meũ tuo bono exemplo, vt non ſolum agnoſcam non eſſe Deum vſpiam quàm in Iſrael, qui incurabilem morbum ſanare queat; ſed etiam vt ex nunc repudiem omnes Gentium Deos. Ad cuius rei clariorem intelligentiam nota Gentiles pleroſque non ita veneratos Deos, vt aliena Numina, aut vana putarent, aut contemnenda. Teſtes ſunt Romani, qui pro dijs omnibus commune erexerunt templum, quod θεῶνα vocarunt: teſtes Athenienſes, qui ne à ſua religione quemquam excluderent Deorum, ignotis etiam dijs, quorum ipſi nec nomina quidem vnquam audiſſent, aras excitabant. Sed habemus in Scriptura ſacra exempla non obſcura illorum, qui ſuis ita inhæſere ſacris vt aliena probarent, & verum Deum laudandum, atque colendum eſſe duxerint. Colebant Paleſtini Dagonem, & eiuſdem farinæ alia Deorum monſtra: nihilominus Hebræorum Deum timuerunt, atque ideò ad aſpectum arcæ, quam in caſtrorum media

1. Cor. 4.

Vis exempli maior quàm vocis.

Plus valent bona exempla, quam miracula.

Senatio miraculoſa cogit Naaman ad agnoſcendum Deum Iſrael, ſed ab ſtinentia Eliſæi à muneribus etiam ad repudiandа idola

Gentilium multi ita ſuos Deos coluerunt, vt Deum etiã verum vim tarunt.

Hebræi

Hebręi tanquam tutelarem, & ducem collocarunt, graui metu, & triſti cogitatione perculſi dixerunt lib.1. Reg.4. v.8. *Vae nobis, quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt dij, qui percuſſerunt Aegyptum omni plaga.* Et captam in loco, quem ipſi maximè ſacrum exiſtimabant, poſuerunt. Deinde lib.3. Reg. 20.28. Syri Hebræorum Deum potentiſſimũ eſſe fatebantur in montibus. Darius Perſarũ Rex,cùm Deos coleret alienos, Iudæorum Deo tantum tribuebat, vt ab illo ſalutem, & libertatem ſperari poſſe diceret. Sic enim ad Danielem, quem inuitus in lacum leonum immitti iuſſit, Daniel.6. v.16. *Deus tuus, quem colis ſemper, ipſe liberabit te.* Immò & Reges cũ aliquid diuinum putarent à Iudæis coli,à quo ſperari poſſet ſalus, & propoſitis ſuis votis euentus, dona ſæpè miſerunt ad Salomonis templum, & largiter in ſacrificiorum ſumptus. De quibus lib. 2. Machab. cap 3. v. 2. *Fiebat, vt & ipſi reges, & Principes locum ſummo honore ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent: ita vt Seleucus Aſiæ Rex de reditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes.* Et 3. Reg. 5. habemus exemplum Hyram Regis Tyrij Gentilis,qui laudabat Deum, à quo Salomon ſapientiam acceperat: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum.* Rex Gentilis, & Deorũ vanis ſuperſtitionibus addictus, benedicit Deum Hebręorum,qui tantam Salomoni ſapientiam indulſerat: quia in eo aliquid exiſtimabat eximium, quod laudatione graui dignum opinabatur. Planius hoc indicat ſacer textus 2. Paral.2. vbi Rex Hyram ſic loquitur; *Benedictus Dominus Deus Iſrael,qui fecit cælum & terram,qui dedit Dauid Regi filium ſapientem:* & nihilominus in Gentiliſmo perſeuerabat. Vnde peculiare eſt in nobili Naaman, quod exemplo Eliſæi commotus, repudiatis Gentilium dijs ſoli Deo ſacrificium offerre poſt illum articulum planiſſimâ profeſſione aſſeruerit. Vide Lactant. lib. 3. c.15. vbi inter multa agit, eos qui docent, & non faciunt præceptis ſuis detrahere pondus,ac verbo veritatem, opere mendacium exhibere.

9. Audite denique filij, qui ad ſtatum matrimonialem properatis, quid veſtro exemplo proficietis, cum parentes honoratis: *Qui honorat patrem*, inquit Hebræus Sapiens, *iucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur.* Si te, inquit, contingat matrimonij ſtatum ſuſcipere,liberos procreare, eoſdem obediẽtes ſenties, ſi ipſe patrem obſeruaueris. Iſocrates, *Talem*, inquit, *te præſta parentibus, quales optas tibi morigeros fore liberos*, & Meleſius, *Qualia in parentes contuleris beneficia, talia in ſenectute à filijs expecta.* ex Bibliotheca ſanctorum Patrum tom. 5. Meliſſæ lib. 2. ſerm. 11.

Eccleſ. 3. Qualia filij præſtant parentibus, talia à filijs quis expectare debeat.

Tales etiam, vt Laertius lib. 1. *Quale*, inquit, *præmium rependeris parentibus tuis, tale à liberis tuis exſpectato.* Ad quod alludens Ambroſius ad Epheſ.26. *Filij*, inquit, *cognoſcere debent, quod futuri ſint parentes, & nolunt inhonorari ab eis.* Inſuper, inquit Siracides, qui eſt eiuſmodi, cùm orabit ſiue pro bono acquirendo, ſiue pro malo vitando, exaudietur.

10. Non eſt contra acrior ſtimulus ad peccatum, quàm prauum ſuperiorum exemplum: A malis enim Principibus induerunt etiam malitiam ſubditi. 1. *Eſd.* 9. Iſraelitæ in exilio exiſtentes apud Babylonios eotumdem ritus imitati ſunt: *Non eſt ſeparatus populus Iſrael*, inquit Scriptura, *& Sacerdotes, & Leuita, à populo terrarum, & abominationibus eorum*, &c. *Tulerunt enim de filiabus eorum ſibi, & filijs ſuis, & commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis terrarũ.* Vis videre, vnde tam inſigne redundarit in remp.malum? clariſſimè tibi aperit Eſdras: *Manus etiam Principum*, inquit, *& Magiſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima.* Eò, inquit, tranſgreſſa eſt aut legis ignoratio, aut contemptus, vt ipſi quoque Principes alienâ ſe prolemque ſuam conſuetudine coniugali fœdauerint, eiſque ſcandalum, & cauſa ruinæ extiterint. 1. Paral. 10. narratur de Saule & armigero eius, *Quod cùm vidiſſet armiger eius, videlicet mortuum eſſe Saul: irruit etiam ipſe in gladium ſuum, & mortuus eſt.* &c. Quid ſperas factum ſervum, niſi quod videt Dominum ſuum facientem? In eodem cap. ſcriptum eſt. *Saul, & filijs eius mortuis, dereliquerunt filij Iſrael vrbes ſuas, & fugerunt: huc illucq; diſperſi ſunt. Venerunt q; Philiſtiim, & habitauerunt in eis*, &c. Vbi Gloſſa, *Videntes indocti, magiſtros ſuos in certamine ſpirituali victos à priſca conſtantia ſua ſede fugantur, maiorum ruinâ turbati: opera virtutum, & munimina ſcientiæ, quæ habuerunt amittentes: venerunt q; peccata, & cuncta ab eis ſtudia virtutum, peruerſa habitatione corruperunt*, &c.

Subditi inducunt malitiam ſuæ à ſuperiorum.

Peſſimus fuit Roboam, non ſolùm quia peccauit, ſed etiam quia alios ſuo exemplo impulit ad peccandum. *Cumq;*, inquit, Scriptura, *roboratum fuiſſet regnum Roboam, & confortatum dereliquit legem Domini, & omnis Iſrael.* 2. Paralip. 12. v. 1. Regni quidem opulentia præuertit vnum Regem: regis verò iniquitas labefecit totum regnum. De qua re Ioſephus lib.8. antiquit. cap.10. Roboam, inquit, ſpreuit Dei religionem: ita vt totus populus imitaretur eius iniquitatem: cùm moribus namque principum corrumpitur conuerſatio ſubiectorum,& cùm viderunt luxurias: ſuæ caſtitatis merita reſpuentes, quaſi virtutem, eorum imitari nituntur illecebras. Non enim opera principum approbari videntur, niſi etiam ſimiliter hæc agantur. Cùm igitur Roboam ageret impiè, ſtudebant & ſetui non eſſe iuſti, ne rex videretur offendi.

Cum moribus Roboam totum regnũ corrumpitur.

Pranum Sedecia exemplum. & sacerdotes, & populum praauarit.

Idem accidit Regi Sedeciæ, suo prauo exemplo in abrupta vitiorum totum regnum præcipitãti. *Fecit Sedecias*, inquit textus, *malum in oculis Domini Dei sui*, 2. Paralip. 36. v. 12. Quid præterea? Sequitur statim v. 14. *Sed & vniuersi principes sacerdotum, & populus praauaricati sunt.* Vbi Lyranus: *Ad malitiam*, inquit, *Regis, sequuta est malitia in omnibus aliis.* Quid iniquius Rege Achaz, qui non modo se ipse perdidit, à vero Deo ad falsos deficiendo; sed & totum populum profligauit, idolorum seruituti addicendo, & à cultu veri Numinis auocando. Nam *direptis omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei.* 2. Paral. 28. Vt omnes à Deo auerteret, & extremam secum traheret in ruinam. Falsos Deos sibi assumpsit, suis subditis verum Deum eripuit: seu potiùs suos subditos eripuit vero Deo: vt cum impio rege impius populus perderetur. Verissimum est illud oraculum Salomonis: *Secundum iudicem*, inquit, *populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales inhabitantes in ea*, Eccles. 10. De quo oraculo, ne ipsi quidem barbari Æthiopes nos dubitare patiuntur: qui vt refert Diodorus Siculus cap. 4. de fabulis antiquis, adeò regem in omnibus imitabantur, vt si quando rex aliqua corporis parte debilitaretur, ipsi quoq; eandem suâ sponte debilitarent: vt cum rege claudo pariter claudicarent; cum cæco pariter cæcutirent. Quos igitur mores subditorum, principis exemplum non eneruet, quando ipsam quoque naturam labefactat? Vnde D. Bernard. epist. 117. *Principis*, inquit, *error multos inuoluit: & tantò obest, quantò praest. Non præsumus, vt perdamus, sed vt regamur. Per quem Reges regnant, ipse nos præfecit populis suis à nobis tuendis, non sibi vendendis, sanctæ Ecclesiæ ministros, non dominos.*

Achaz iniquitas populum etiam infecit.

Barbara Æthiopum in regibus imitandis superstitio.

Peccatum Regis multis nocet.

II.

Cæterùm quicumque superiores, siue Principes, siue Magistratus, siue paterfamilias per prauum exemplum, vitium exaltant, virtutem deprimunt: Antichristi sunt præcursores, qui omnem vim in eo ponet, vt vitium cõstituat super altare. Peccata quæ ab hominibus mediocris fortunæ commissa æstimarentur vitia; si diademate tegantur, aut pallio holoserico cooperiantur, æstimantur virtutes sæculi; quod horrendum est. Idem efficiunt peccata superiorum, qui crimen tanquam trophæum erigunt. Iulius Firmicus insinuat eiusmodi de templo honoris facere stabulum, & cùm circumspiciantur tanquam parui Dij, applicare hunc honorem ad destructionem honoris veri Dei: *Cæcum*, inquit, *de cælo facitis, & errantes animos per abrupta præcipitia crudeli calamitate ducitis, cùm hominibus peccare volentibus, faciorum viam de Deorum monstratis exemplis.*

Definunt esse probri loco purpurata flagitia

Proinde necessum est qualescumque superiores declinare, à quibus metuenda est ruina, quantumuis coniunctissimi sint. Habes expressum Christi mandatum: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizet te, abscinde eum, & proiice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Horribilia sunt hæc, & quæ quemuis cordatum meritò percellant, & tamen inuenire est, qui exemplo eorum in perniciem ruunt præcipites. Ochosias patri similis, à matre in hæresim pertractus est. Ioram cùm antea esset Catholicus, & Catholico natus parente, accepit vxorem hæreticam, & in gratiam illius hæreticus factus est 2. Paralip. 21. Apostolus Paulus vult sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem, sed contrarium sæpè contingit. Exempla aliò ducunt, quàm pietas vrget. Nazianzeni dictũ est epist. ad Micobolum, *Prudentis & cordati viri est, magnâ censurâ vitam metiri, atque ad excellentium virorum imitationem sese componere* (non peruersorum) Sic egit Tobias ad exemplum patris. Apostolus Paulus obsecrat 1. Cor. 4. *Rogo vos imitatores mei estote, sicut ego Christi.* *Papè*, inquit Chrysostomus, *quanta magistri fiducia, quàm certa similitudo, & cùm alios ad hoc hortetur, non tamen vt se laudibus efferat, hoc facit, sed vt facilem esse virtutem ostendat. Neque mihi dixeris, non possum te imitari, tu enim magister es, & magnus. Sed non est tanta, inquit, inter te & me differentia, quanta inter Christum & me: veruntamen illum ego imitatus sum. Sed cùm ad Ephesios scribat, non posuit se medium, sed statim omnes illuc adducit, Estote imitatores Dei, inquiens. Hoc autem in loco, cùm ad infirmiores sermo haberetur, se interiecit. Præterea ostendit, quod sic possumus Christum imitari. Qui enim verum sigillum imitari vult, imitetur archetypum.*

1. Cor. 7. *Exempla aliò ducunt, quàm pietas iubet.*

Tobias iunior archetypum imitatus.

Archetypus sit noster Tobias senior, sit Tobias iunior. Ipse Deum ex toto corde secutus est, hic patrem; neque effugium quæsiuit, neque excusationes prætendit, neque genio indulgere voluit, aut aliquid eorum, quæ iuuentus solet, in medium adduxit; nunc laxandas habenas voluptati, in senio seruiendum Deo; tunc delicta iuuentutis deplorari posse, iam ambulandum in plateis Babylonijs; sed omnia prõptissimus veræ obedientiæ symbolum, & ad mandata paratissimam voluntatem ostendit. Iussit aliquando Angelus Domini Habacuc, *Ferprandium, quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.* Respondit Habacuc. *Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio.* Is vnum tantum iussus facere, non causatur viam aut longam, aut impeditam, vt laborem detrectet, neque quod malè consultum videbitur rei messoriæ, si messoribus subtrahatur edulium: sed tantum dicit se ignorare viam; quare si modò ducem nactus fuerit, neque molestiam refugit, neque dispendium

Dan. xiv. 14.

pendium curat si quod ex detracto cibo messis accipiat. Atque is in exemplum obedientiæ singularis nobis proponitur multò magis Tobias in speculum nobis constitutus est, qui quamplurima præcepta libens susce-pit, & in vno, quo instructione & ductore opus habuit, promptissimum animum declarauit, quantumuis per varia discrimina patris voluntatem exequi necessum foret. Valete filij, insigne exemplum habetis, quod imitemini. Præcepta grauia non sunt, vbi voluntas suffragatur. Angelus Domini portauit Abacuc capillo capitis sui supra lacum leonum, & restituit eundem confestim in locum priorem. Hoc patrocinium vobis non denegabit, si voluntas parère parata.

CAPITIS QVINTI

VERSVS III.

Tunc pater suus respondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis, statim restituet.

Vers. 4. *Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum saluâ mercede suâ: vt dum adhuc viuo, recipias eam.*

Vers. 5. *Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.*

Vers. 6. *Et ignorans quòd Angelus Dei esset, salutauit eum & dixit: Vnde te habemus bone Iuuenis?*

Vers. 7. *At ille respondit: Ex filijs Israel Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum?*

Vers. 8. *Cui respondit: Noui: & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum: qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis.*

Vers. 9. *Tobias ait: Sustine me obsecro donec hæc ipsa nunciem patri meo:*

PARAPHRASIS.

Vers. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Senior Tobias aduertens filium fuisse infantulum cùm pecuniam Gabelo mutuaret, adeoque rectè ignorantiam prætendere; habere se dicit cautionem à Gabelo, quo & illum agnoscat filium esse Tobiæ, neque ipsi denegandam fore pecuniam, vtpote hæredi, cui quis tanti debiti receptionem facilè committit. Iubet itaque, vt in forum prodeat, sociumque quærat itineris longi mercede propositâ, quem vitæ fideique integritas ornaret. Egreditur è vestigio filius, vt parentis mandatum quantocyùs impleat: cui occurrit iuuenis accinctus, & alacer, & quasi festinaret aliquò ad capessendam viam expeditus. Cumque ille salutatus à Tobia, & interrogatus de natali solo responderet se Israelitam genere, & sæpè spatium illud confeciſſe, quod est à Ninive ad Medos vsque, fuisseque aliquoties in Rages Medorum; & cum Gabelo contribuli suo aliquando commoratum. Tunc lætus Tobias iunior, remque adeò suis votis attemperatam admiratus, rogat, vt exspectet tantisper, donec ea de re certiorem faciat parentem, & quid factum velit, ab eo cognoscat.

SECTIO SECVNDA.

Ad quid Scriptura Sacra teſtatum reliquerit Tobiam voluiſſe virum fidelem filio ſuo comitem.

1. *Diuerſa fidelis viri ſignificationes.*

IDELIS vir dicitur ille, qui per omnia credit rebus diuinis. Sic de Moyſe Nu.12. dicitur: *Seruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fidelißimus eſt.* Et 1. Reg. 3. de Samuele, *Cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quòd fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.* Rurſum fidelis dicitur vir, cui abſque ſuſpicione res ardua vel ſecreta committi poteſt. Fidelis etiam ille cenſetur, qui benè operatur reſpectu ſolius Dei; talemque rarò inueniri inſinuat Hebræus Sapiens, dum ait Prouerb. 20. *Virum autem fidelem quis inueniet?* Eiuſmodi virum *Quare Tobias voluerit filio fidelem comitem.* voluit Tobias ſenior filio ſuo comitem: quia ſciebat ſibi illam neceſſitatem incumbere, vt dum itinerantem filium per ſe verbo & exemplo in bono fouere non poſſet, alterum illi prouideret, per cuius conſortium, dum prouiſioni temporali recuperandæ operam impenderet, in ſpiritualibus nullum faceret detrimentum. Quod ad encomium viri tanti Spiritus ſanctus æternitati tradidit; quòd plurimum interſit ſic filijs cauere. Vti enim ſpeculum terſiſſimum maculam trahit ab anhelitu, ſic homo cætera optimus & caſtiſſimus à malorum ſocietate nœuos recipit. Teſtatur id luculenter Sirac. Eccleſ.13 *Qui communicauerit*, inquit, *ſuperbo induit ſuperbiam.* Veriſſimè etiam Romanus Sapiens: *Surripiuntur*, inquit, *à conuerſantibus mores: & vt quidam, in contactos, corporis vitia tranſiliunt, ita animus malis ſuis proximis tradit. Ebrioſus, conuictores, in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem quoque & filicem virum emollijt: auaritia in proximos virus tranſtulit.* Seneca lib. 3. de ira cap. 8. Nemo vitioſus non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit: ſunt vitia quæ commendantur exemplo, alia imprimuntur ſermone, plurima allinuntur conuerſatione. tutiſſimum eſt omnes ſuſpectæ vitæ amicos ac ſodales cauere, & diſceſſionem ab ijs maturè facere: proximus periculo, diu tutus non erit: *Qui amat periculum, peribit in illo*, Eccleſ. 3. v. 27.

Homo bonus à malorum ſocietate corrumpitur

2. *Malorum exemplo ſæpe ſocietate, vel etiam iuſti vacillant.*

Nec refert quod filius benè inſtitutus ſit, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, inquit Apoſtolus 1. Corinth. 15. Parum abfuit, quin Loth malum generorum ſecutus ſit. Conuenerunt Angeli iuſtum Loth, eumque de illius vrbis excidio monuerunt, & ad fugam capeſſendam hortati ſunt; additâ facultate, vt quemlibet ſuorum, generos, filios, & filias ſecum pariter exportaret. Credidit ſtatim Loth, & fugam celeriter adornauit: *Egreſſus itaque Loth*, inquit textus, *loquutus eſt ad generos ſuos. Surgite & egredimini de loco iſto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc.* Geneſ. 19. v. 14. At generi, tantum abfuit, vt monentem Loth cum tremore exciperent, vt potius cum riſu exſibilarent. *Viſus eſt eis*, inquit textus, *quaſi ludens loqui.* Ibid. ſeu, vt eſt in Hebræo: *Fuit ridiculum in oculis generorum ſuorum.* Quid ad hæc ſanctiſſimus Loth? Fides eius incœpit quodammodo nutare & vacillare, ac de ſua conſtantia dimoueri. Adeò illius animum malũ generorum exemplum expugnauit: vt qui antea fugam maturabat, poſtea receſſum diſſimularet: & qui ſua ſponte antea egrediebatur, poſtea vix vi egrederetur. *Diſimulante illo*, inquit textus, *apprehenderunt manum eius, eduxeruntq; eum.* In quem locum D. Thomas, ſi eius eſt illud opuſculum in Geneſ. quod ſub eius nomine circumfertur: *Fortè*, inquit, *ex irriſione generorum ſuorum obſcurata fuit fides Loth.* Vides quantum valeat etiam apud pios homines, malum exemplum impiorum. Iſaias lamentabiliter plangit, quòd in medio populi habitans, vt ipſe, loquutus fit ſecularia, vulgaria, & communia, *Va mihi*, inquit, *quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi pollutá labia habentis ego habito*, Iſaiæ 6. In quem locum Hieronymus: *Ex quo*, inquit, *oſtenditur noxium eſſe viuere cum peccatoribus: Qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea.* Ecce virum iuſtum & ſanctum, imò Prophetam, inquinauit ſocietas improborum. Verè dixit Sapiens: *Hæc tria non poſſunt non coinquinare, ſigulus, rota plauſtri in profundo cæno verſantes cum malis.* Sanctus Petrus nunquid optimè inſtitutus in ſchola Chriſti inter miniſtros Pontificum agens, eundem negauit ad vocem vnius ancillæ oſtiariæ? Hoc periculum metuebat filio Tobias ſenior.

Generorum irriſione fides Loth obſcuratur.

Grauitas peccatorum noxia.

Laudabile ab omnibus æſtimatur, quod olim filios parentes, viris grauibus committere ſoleant erudiendos, vt Samueli, Heliæ, Helifæo, vt bonæ ſpei iuuenes ſub magnis præceptoribus proficerent ad pietatem. Et apud Ethnicos Eunuchis, vt videre eſt Daniel 1. vbi tres pueri traduntur Eunucho erudiendi. Credebant enim veram nobilitatem non in genere, non in famulis, non in torquibus, non in pompa, neque in diuiti-

Filij viris grauibus olim committebant.

uitiarum acquisitione; sed in eruditione & virtute consistere. Vnde omnino oderant parentes, qui rei temporali, non eruditioni aduigilarent. Crates Thebanus dicebat, Si liceret, in altissimam vrbis partem ascenderem ac clamarem: Quorsum ruitis homines, qui totum studium in corrogandis opibus ponitis: filiorum verò vestrorum, quibus illos relinquitis erudiendorum curam non suscipitis? Apuleius de Deo Socratis: Si, inquit, laudas aliquem, quia generosus est, parentes eius laudas: si laudas aliquem, quia diues est, hoc fortunæ debetur: si, quia validus, ægritudine fatigabitur: si, quia velox, in senio id abibit: si quia formosus, expecta modicum, & non erit: sed si laudas, quia bonis moribus, & artibus instructus est, tunc ipsum virum laudas: quia hoc bonum, nec à patre hæreditarium, nec à casu pendulum, nec ætate mutabile, nec cum corpore caducum est. Chrysostomus hom. 60. in Matth. *Alia,* inquit, *pro alijs quasi temulenti solliciti cogitamus? quomodo scilicet plures famulos comparabimus, qui diligentiori nobis studio ministrabunt, quo modo liberos amplas hereditates relinquemus, quomodo vxor pretiosis vestibus, & ornatu aureo potiatur. Nullam enim nostri, sed rerum nostrarum curam habemus: vxoris obliuiscimur, & qua vxoris sunt recordamur: de liberis non prouidemus, & qua liberorum sunt, amplificare atque augere studemus. Itaque his similes sumus, qui cum male maceriatam & ruinosam videant domum, ipsam quidem restituere negligunt, porticum ei & septa in circuitu præparant; aut illis, qui quamuis morbo conficiantur, curâ tamen valetudinis neglectâ, aureas sibi vestes contexunt; aut mulieri, quæ cum aduersâ valetudine nimium laboret, nullum ægrotationi remedium, sed ancillas & ornamenta, cæteraq; huiusmodi ipsi studeat comparare.* Eiusmodi inuenimus hoc sæculo quamplures, qui de rudi adolescentia omnem curam gerunt, sed cùm ad iuuenilem ætatem perueniunt, & ætatem maximè lubricam omnem sollicitudinem salutis abijciunt, de re temporali maximè solliciti.

Quomodo errant, qui student diuitijs, obliuiscuntur salutis filiorum.

Non sic Tobias noster, qui magis sollicitus fuit, vt de fideli viro, filio prouideret, quàm de pecunia, ad quam recipiendam iter cogitabat: Inquirit enim de qua domo hic comes sit, de qua tribu, & intelligens esse Azariam magni Ananiæ filium, cuius cognouerat inter Israëlitas esse illustre genus, & celebratam bonitatem, illum filio, stipulatâ mercede, itineris socium iungit; sic verò ad Gabelum auitæ fidei tenacem, filium ablegat. Nos autem longè ab eo differimus. Filios addiscendæ alicuius artis causa ad exteras nationes mittimus, neque de bono comite solliciti, neque de fide aut religione eorum, ad quos diuersuri sunt. Hinc multi mercatores, aurifabri cistularij, sartores, sutores, alijque id genus opifices, qui pleraſque ciuitates Franciæ, Germaniæ, Hollandiæ, aliasque obeunt, vbi sectarum nulla deficit, Caluinismo, Lutheranismo, Svvinglianismo, aliàue secta miserrimè deprauantur. Vir quidam Leuites inclinante die rogatus à puero, vt declinarent ad vrbem Iebuzæorum, respondit: *Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filijs Israël.* Dauid Psal. 100. dicebat: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam; qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* Roboam, quia adhibuit adolescentes in consilium, qui nutriti fuerant cum eo, regni iacturam subijt, neque stimulamur.

Iudicum 19.

Cuius rei haretica à filijs caueda, quare.

3. *Solicitudo Tobiæ in discernendo filij comite.*

Nos minimè ignoramus praui consortij grauissima detrimenta, & iacturam cautare salutis; neque vllius exemplo mouemur, modò temporale aliquod speretur commodum, Filias collocamus, vbi præter lasciuiam nihil illis boni accedit, nec timemus horrenda Apostoli verba: *Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior.* Labatur in hæresim, ruat in peccata, temporaliter saltem floreat; abundet in hac corruptibili vita, & æternum pereat; parum est. *Nunquid custos fratris mei sum ego?* dicebat ille: quem omnes meritò reprehendimus; & ipso opere imitamur. Aliud à te exiget in tremendo iudicio Deus. Philippus Macedo rudiori ætate Alexãdri Filio illos addidit socios, qui deinde illi, in re bellica magno fuerunt vsui, dignique habiti, in quos iam moriens amplissima regni molimina diuideret. Fœmina quædam persuasit Eremitæ, teste Chrysostomo lib. 3. aduersus vituper. Vitæ Monasticæ, deserta relinquere, quòd virum haberet mundi negotijs vehementer intentum, sub quo filius de salute periclitabatur: *Vna,* inquit, *hæc nobis reliqua spes est obtinenda filio salutis, si volueris tu & passus fueris in pedagogi ordinem descendere, sumptoq; puero à nobis profisisci. Eripe,* inquit, *illum laqueis vndique iamparatis & positis, educ ex procella, & tempestate, & turbine. Sin verò tu gratiam præstare nolueris, Deum tam medium nostrum appello, & testem voco, me quidem nihil eorum omisisse, quæ ad huius pueri salutem pertinere videbantur, mundamq; me esse à sanguine pueri istius.* Atque huiusce modi orationibus plura adijciens miserabiliter & vehementer illachrymans, persuasit tandem hoc negotium suscipere. Quid eam mouit? *Non parua res,* inquit, *agitur, non pro minimis deprecor, de filij mei animâ certamen est, atque periculum.*

4. *Liberi collocandi apud illos à quibus fructus eorum in virtute expectatur. 1. Timoth. 5. d*

Gen. 4.

Ecce qualem illa delegit; quàm sedulo inquisiuit de filij sui comite Tobias, num talis esset, qui se offerebat in itinere socium, vt de periculo salutis minimè timendum. Nos proh dolor! neglectâ curâ salutis, satis existimamus filios & filias seculi negotia, & rerum

Negligentia parentum in deligendo pædagogo.

quotidianarum incrementa optimè cõsequi, parum considerantes, cuius vitæ sint homines, quorum curæ proles subijcimus. Perstrinxit eiusmodi parentes olim seueriſſimè Chrysostomus. hom. 60. in Matth. *Maiorem*, inquit, *asinorum ac equorum, quàm filiorum curam habemus: nam si asinus egaſo nobis præficiendus est, non parùm vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus: Sin verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus sit nobis inueniendus, qui casu oblatus fuerit, eum recipimus, nec consideramus nullam artem hoc artificio sublimiorem inueniri. Quid enim maius, quàm moderari, quàm adolescentulorum fingere mores? Omni certè pictore, omni statuario, cæteriſq; huiusmodi omnibus excellentiorem hunc dico, qui iuuenum animos fingere non ignoret.* Quamuis rex esſes, apud Deum immunis non euades, niſi omnem occaſionem amoueris, quâ filios hæresi, atheiſmo, prauiſque moribus contingit infici. Salomon quantumuis ſapiens censuram prudentium non euadit, quod cum eiuſmodi adoleſcentulis vnicum filium Roboam in ſpe tanti Imperij natum conuiuere permiſit, quorum eſſet tanta in conſilijs audacia, tanta in deliberando, ac tam præcipitata temeritas, quæ tale exitium illi generaret, atque tertii Reg. duodecimum caput prodit. Iudæi & Samaritani propter diſſidium religionis non coutebantur, & tàm ſcrupulosè vetitum fuit cum eiſdem commercium, vt à Samaritanis, ſicut à Gentilibus, licuerit Iudæis cibum & potum emere, non autem dono accipere, quod hoc eſſet non ſolum conſuetudinem, ſed etiam amicitiam cum illis alere. ſic notarunt quidam ex Thalmudicis traditionibus. Parentes illi, qui filiabus non prouident eas rectrices, à quibus cum texturâ pietatem ſimul aſſequantur, Dei indignationem ſeueriſſimam incurrunt. Monitum Hieronymi attendant, quod dat Læ:æ de inſtitutione filiæ: *Habeat & in diſcendo ſocias, quibus mundeat, quarum laudibus mordeatur: non obiurganda eſt, ſi tardior ſit, ſed laudibus excitandum eſt ingenium, vt & viciſſe gaudeat, & victa doleat.* Et paulò altius de puellarum moribus, quæ filiæ aſſiduæ futuræ ſunt: *Procul ſit ætas laſciua puerorum, ipſa puellæ & pediſſequæ à ſæcularibus conſortijs arceantur, ne quod malè didicerint, peius doceant.* Si tantus delectus debet eſſe ſociarum, qualis quantuſque requiritur Rectricum.

Bonus moderator puerorum cæteris artificibus præſtantior.

Quales filiabus adhibenda ſocia.

SECTIO III.

Quænam Scriptura Sacra ex hoc ſchemate Angeli ſeſe iuniori Tobiæ aditer comitis opportuni, nobis ſuppeditet documenta?

I. STIT ſeſe Angelus iuniori Tobiæ quærenti comitem, inſtar iuuenis ſplendidi, ſtantis præcincti, & quaſi parati ad ambulandum. Res paradoxa tam opportunè ad votum vtrique Tobiæ illud contingere. Sed quid? Oſtendit primò Deus ſuam prouidentiam ſuper vniuerſum, quantaque cuſtodia protegat præſertim iuſtos. Iſaias Vates eius nomine ſic cum Iſraëlitis ſermocinatur, cap. 43. *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo; meus es tu. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Quaſi diceret: Sicut olim Abraham de *Vr*, id eſt, de igne Chaldæorum eduxi, pari modo nunc & deinceps traducam te, ó Iſraël, illæſum per ignem & aquam, id eſt, per quæuis etiam grauiſſima vitæ pericula, tum in Babylone, tum potiùs in perſecutione Imperatorum, & tyrannorum Chriſti Eccleſiam, & Chriſtianos flammâ & ferro perſequentium, adeoque in quauis tentatione, & aduerſitate te liberabo, vel ita confortabo, vt pro nomine meo malis eſſe in igne, quàm in refrigerio, imò gaudeas & ambias pro Deo, Deique fide aquis mergi, igne cremari, dicaſque cum S. Laurentio: *Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.*

Quanta ſit prouidentia Dei ſuper iuſtos.

II. Hęc per Angelos præſtare conſueuit Deus. Sic olim Iacob, Geneſ. 28. fugienti faciem Eſau, oſtendit viſionem Angelorum deſignantium Dei prouidentiam peculiarem ſuper iuſtos. Sic in fornace Babylonico conſeruauit per Angelum tres pueros. Et quemadmodum olim Moyſi promiſit, Exod. 23. miſſurum ſe Angelum, qui præcederet caſtra, dum ait illi: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui.* Ille nimirum erat præſes exercitus Hebræorum, ille præibat illis viam in columna nubis per diem, & ignis per noctẽ: ſic etiam in particulari præter Angelum ad cuſtodiam in primo ortu cuique deſignatum, iuſto ad negotia ardua concedenti, peculiarem Angelum deputat. Hoc videtur inſinuare Abraham, cùm proficiſcenti famulo Eliezer Meſopotamiam, dixit: *Dominus Deus cæli,* Gen. 24. &c. *mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde vxorem filio meo*: Ne ſollicitus, inquit, ſis, an volet tecum venire Rebecca, Deus mediante Angelo rem ad optatum exitum perducet:

Solet Deus per Angelos tueri iuſtos.

Angi-

Angelis, inquit Propheta regius, *Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Psal. 90.

3. *Angeli transformant se in eas formas, prout diuersitas officiorum exigit, quam Deus, 10.*

Tobię verò nostro peculiare quid accidit, vt in habitu ad iter opportuno sese comitem præsentaret Angelus, cùm aliàs id nõ sit commune. Mira sanè dignatio, quod vnicuique sese aspectabiles exhibeant Angeli in forma & schemate prout officiorum requirit diuersitas, idque vt metum homini auferant, quem alias subire solent, etiamiusti leonibus formidabiles. Sic Iosue 5. sese obtulit in agro campestri in forma ducis ac militis euaginatum tenens gladium: vt hoc habitu principis ad bellum accincti, Iosue duci ancipiti, quo artificio capere posset hostilem ciuitatem Iericho, quibus armis vti oporteret, cælestibus ne an humanis, informaret diuino miraculo id faciendum. Cùm enim pergeret ad eum Iosue, & interrogaret, *Noster es, an aduersariorum?* respondit, *Nequaquam; sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio*; non manu militum tuorum: sed nostrâ negotium conficietur. Ego sum Princeps, qui Domini exercitum in hanc duco expeditionem. Angelus, qui Ezechieli cap. 9. videbatur vir indutus lineis, & atramentarium scriptoris habere in lumbis. qui mulieribus post gloriosam Christi resurrectionem, in veste fulgenti, Luc. 24. qui Machab. 10, in veste candida, auream hastam vibrans, 2. Machab. 11. qui salutaturus intrauit Virginem (si Augustino credimus) facie rutilanti, veste coruscante, ingressu mirabili, aspectu terribili. Scilicet hoc ipso habitu muneris sui, atque officii nos commonefacere videntur. Sic Loth in habitu peregrini volentis mutare solum, Genes. 19. sic *festinitatis nostræ gaudia annuntiant, quando ipso resurrectionis die in candida stola apparent*, verba sunt Gregorij hom. super Mar. 16. Tobiæ autem se primùm non aperit, quemadmodum olim, neque Abrahamo, neque Loth in habitu peregrino, hospitibus gratis.

4. *Quanta hominis dignitas, habere Angelum custodem.*

Hieronymus proclamat in cap. 18. Matth. *Magna dignitas est animarum, quòd habeat vnaquæque ab ortu Natiuitatis in custodiam Angelum delegatum.* Maior verò dignatio, quòd præter Angelum custodem cœlitus mittatur iuuenis iste præcinctus & paratus Tobię peregrinationis fidelissimus comes: *Missus est*, inquit Scriptura, *Angelus Domini sanctus Raphael, vt curaret eos ambos.* Tob. 3. Protectione extraordinariâ suos dignatur Deus. Certè vbi necessitas vrget, non cessabit opitulari ille, qui dixit: *Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cæli commorabitur*, Psal. 90. Ille adiutor est in opportunitatibus, ille adiutor est in tribulationibus, & vbi humana desunt, diuina nõ deerunt auxilia, modò ambules in viis, non in præcipitiis gradiaris, non voles perire, qui enim perire vult, pereat. Tentare Deum non licet, sperare vtile est, teste regio Psalte, *Ipse dicet, Susceptor meus es tu, & sperabo in eum*, ibid.

5. *Non formidandum cùm aliquid ardnum aggrediendum.*

Nos timemus sæpè anxii, si quod iter ignotum aggrediendum. Sollicitus erat senior Tobias de fideli comite, Sollicitus erat filius, & anxiè eum interrogat, quem ignorabat Angelum Dei. Sed is adest alio schemate, de quo non cogitabat: *Oculi Domini super iustos*, ait Psalmista: Et rursum: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Luculenter Bernardus: *Confiteantur, & dicant inter gentes, Quoniam magnificauit Dominus facere cum eis. Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor erga eum, geris pro eo sollicitudinem, curam illius habes. Denique ei mittis vnigenitum tuum, immittis spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cælestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodia nostra deputas, nostros iubes fieri pædagogos. Parum est enim quod facis angelos tuos spiritus, facis & angelos parvulorum. Denique angeli eorum semper vident faciem patris. Illos vtique tam felices, & tuos ad nos, & nostros ad te angelos facis. Angelis suis mandauit de te. Mira dignatio & verè magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandauit? Studiosè consideremus fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grãde mandatum. Quis enim mandauit, cuius sunt Angeli, cuius mandatis obtemperant, cuius obediunt voluntati? Nempe Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: nec cunctantur quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo maiestas mandauit Angelis, & angelis suis mandauit. Illis vtique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & verè domesticis Dei. Mandauit de te. Tu quis es? Domine, quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam reputas eum? quasi verè non sit homo putredo, & filius hominis vermis!* Et paulò pòst subdit: *Quantam tibi debes hac verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam! Reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia.*

Matth. 18.

Psal. 90.

Mira Abrahami in Deum fiducia.

In mæstissimâ illa profectione Abrahami in monte Moria, quo iusserat eum concedere Deus: vt iugularet filium, *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum holocaustum.* Cùm tertio iam die diluceseeret, & mons in oculis esset, Isaacus qui ligna humeris subuehebat, patrem gladio armatum interrogans: *Pater mi*, inquit, *ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti?* Dixit autem Abraham: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter.* Et Deus cùm res ad extremum venerat exerto iam gladio iubet per angelum continere manum, & per eundem alicundè prouidet arietem in holocaustum.

Vtinam

Vtinam & nos, tunc maximè, cùm aqua nobis hæret, cùm exitum nullum reperimus, hoc vnum assiduè volueremus animo: *Deus prouidebit, fili mi, Deus prouidebit.* Attendite, quæso, ad hæc verba, qui fiduciam in Deo non collocatis. Multorum liberorum parens animam agit, hoc vnum anxiè sollicitus, quid suis liberis sit futurum: Frustra vir bonus se cruciat: Deus prouidebit. Alius corpore quidem sanus, sed æger animo secum disquirit ipse: Vt sese res meæ habebunt, cùm hoc auxilium, aut auxiliator iste deerit? Vana plerumque sollicitudo: Deus prouidebit. Alius auri diues & aurorum, non item virtutum: Quid si, air ipse sibi, præter sententiam & spem hoc mihi eueniat? Homo pusilli animi! Deus prouidebit. *Qui confidunt in illo, intelligent veritatem*, ait Sapiens cap. 3. Timebat Iacob, descendens in Ægyptum cum tota familia famis leuandæ gratia, ne tria euenirent, quæ ipse censebat admodum grauia. Primum, ne tam numerosa familia, quam ducebat secum, insigni aliquo damno & calamitate afficeretur: secundum, ne prius ipse vitâ excederet, quàm dilectum filium suum Ioseph videre posset: tertium, ne posteri eius, terræ Ægypti vbertatis amore capti, reuerti nollent in terram Chanaan, cuius illis Deus possessionem promiserat. Sic Iosephus lib. 2. antiquit. Sed Deus illi omnem metum ademit: *Noli*, inquit, *timere, descende in Aegyptum, &c. Ego descendam tecum illuc: & ego inde adducam te reuertentem. Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* quasi dicat: Tria times ô Iacob, sed intellige diuinam prouidentiam iustis nunquam defuturam. Ego ero comes viæ tuæ; quid autem me comite, custode & protectore mali potest timeri? Metuis ne videas filium? non solum videbis, sed ipse claudet oculos tuos. Vereris ne posteri tui in Ægypto figant sedem, & terram Chanaan à me promissam negligant, &c. Ego inde reducam te reuertentem, scilicet in posteris, te mortuum, illos viuos.

Deus Iacobo iusto, proficiscenti in Aegyptum omnem timorem exemit.

Genes. 46.

Quid anxius es, mi homo? Deus nouit suis prouidere; media illi nunquam desunt. Porrò vt hæc mundo palam esset, noluit Isaacum tempore famis, quæ erat tum in terra Chanaan & etiam Geraris, regione Palæstinorum, descendere in Ægyptum, sed manere in Gerara, vt illustrior fieret prouidentia Dei erga ipsum Isaac, cùm, cæteris fame pressis, eundem non modò sustentaret, sed etiam frumenti abundantissimum, multoque ditissimum redderet: Ne descendas, inquit, in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi: & peregrinare in ea eroque tecum, & benedicam tibi. Genes. 26. Sed cur Deus noluit Isaac ire in Ægyptum, quò tamen ire voluit antea patrem eius Abraham, & postea filium eius Iacob? Audi Theodoretum q. 76. in Genes. *Per omnia Deus demonstrat sapientiam ac prouidentiam suam. Etenim permisit Abraham ex Chananæa propter famem ire, in Aegyptum; non quòd eum illic non posset alere, sed vt Aegyptijs ostenderet viri pietatem & religionem, eosq; prouocaret ad imitandam eius virtutem. Filium autem eius illuc ire prohibuit; eiq; rerum necessariarum copiam in terra sterili suppeditauit, demonstrans vtique quod hac patri largiri potuisset, quæ filio abundè præbuit. Cùm enim omnes eius regionis incolæ in summa inopia, & rerum necessariarum penuria versarentur, & terra nihil produceret; multiplicem ille fructum accepit.*

Deus vbique potens est suis subuenire.

Hinc Deus noluit Isaac ire in Ægyptū, quo tamē iuerat Abraham.

Prudentissimè idcircò Romanorum Imp. Maximilianus II. Sicubi res aduersæ animum eius sollicitarent, conceptum à se symbolum proferebat: *Dominus prouidebit.* Alius iter aggressurus arduum, de comite, de socio fideli diffidit; sed hoc exemplo ostenditur, Deum prouidere. Bernardus præclarissimè dixit: *Dulcissima liberalitas in se sperantibus non deest. Hoc enim totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem saluum fecit. In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos: ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Sperate in eo omnis congregatio populi: quemcumque enim locum calcauerit pes vester, vester erit. Pes vester, vtique spes vestra est, & quantumcumque illa processerit, obtinebit, si tamen in Deum tota figatur, vt firma sit, & non titubet.* Ita prorsus faciendum est: ita ad Deum mentis acies conuertenda, qui non patietur in fraudem impelli fidentem in se.

Serm. 15. in Psal.

Ad Abrahamum redeo. Is in montem à Deo nominatum, proficiscens, iugulaturus, vt omninò putabat, filium, illud secum assiduè repetebat, *Deus prouidebit.* Promisit Deus multiplicare per filium, iubet iam iugulare, aliam fortè victimam surrogabit, vel eum iugulatum à mortuis suscitabit, hac fide vsque in finem animatus Abraham obtulit Isaac, *Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus*, inquit Apostolus Hebr. 11. & verè prouidit Deus modo admirando. *Nam pater*, inquit Chrysostomus, *sacrificauit, filium seipsum obtulit, Deus vtrumque acceptauit, & vita tamen mansit victimæ.* Sic Abraham confisus Deo, peruenit vsque ad montem, vsque ad aram, ad ipsum vsque gladium, ad ipsum vsque filij iugulum, quod iam iam erat secandum. Nimirum altissimè combibit animo vir sanctus, illud vsquequaque certissimum: *Deus prouidebit.*

6.

Expertus fuerat Abraham ante annos 60. miram Dei prouidentiam. Iusserat illum Deus egredi de terra sua, & de cognatione sua, & venire in terram, quam illi monstraret. Promiserat insuper, quòd gentem suam magnopere multiplicaret. Et cùm peruenisset

niſſet in terram Chanaan, facta eſt fames in terra : adeò vt cogeretur ex ea diſcedere, & peregrinari in Ægyptum ratione famis. Ex quamuis ſciret Deum poſſe ipſum in Chananæa alere, & ſuſtentare, ſicut aluit poſtmodum Eliam & Heliſæum per coruos, & hunc per viduam Sareptanam, noluit tamen Deum tentare, qui ſciret grauia pericula illi imminere propter vxoris pulchritudinem: vnde omnem humanam induſtriam, & diligentiam periculo depellendo adhibuit, vt videre eſt Geneſ. 12. Cætera Deo commiſit, nec fefellit eum ſpes ſua. *Cùm itaque*, inquit Moyſes, *ingreſſus eſſet Abraham Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd eſſet pulchra nimis. Et nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis*, vtique animo potiùs, quam corpore reluctante; vt quæ non ignara eſſet quantum adiret periculum tam ipſa, quàm maritus eius. Id declarat Philo in libr. de Abraham: *Erat illi vxor*, inquit, *animi & corporis dotibus ornatiſſima. Hàc viſa quidam Ægyptiorum optimates admirati pulchritudinem (nihil enim exiniũ latere poteſt) rẽ ad Regem ſuum deferũt. Ille mulieris formâ captus, abiecta hoſpitalitatis iuris reuerentia, voluit ea, pretextu nuptiarum, potiri. At illa in aliena religione, apud impotentem & crudelem principem, omni deſtituta auxilio (neque enim virium malum impendens arcere poterat.) ad eam, quæ ſola ſupererat, diuinam opem confugit.* Cæterùm, *Abraham bene vſi ſunt propter illam*; qui frater habebatur futuræ vxoris Regis, pluribus eum ideò muneribus demereri cupiebant. Erat iam res ad vltimum adducta diſcrimen, cùm Dominus ſeruo ſuo opportuniſſimè opem tulit; & vtrumque coniugem ab infamia, & dedecore liberauit. *Flagellauit enim Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram.* Eas plagas Scriptura non explicat, explicat Philo lib. cit. *Tunc* (ſcilicet, cùm Sara ad Deum precibus confugiſſet) *propitius Deus, factuſq; patientiam iniuriam protector, graues penas, & cruciatus inflixit Regi, adeò vt animo, & corpore laboraret, & morbo quidem multiplici; ita vt amorum, voluptatumq; oblitus, longè diuerſas agitaret curas, quem admodum ſcilicet euadere poſſet è tormentis, quibus ſine intermiſſione, diu noctuq; flagellabatur. Quam eius pœnam ſenſit & tota regia, propterea quòd nemo ſe tantæ iniquitati oppoſuerat, ſed omnes libidini Regis aſſenſi, & obſecuti fuerant.* Hæc Philo luculenter, cui aſſentiens Theodoretus, *Conſtat ergo quòd capta Sara, ſtatim diſpenſator omnium Pharaonem obſtrinxit morbo, qui libidinem eius frogit; & venator habens inter retia prædam, captã frui non potuit, quia morbus non permiſit.* Nec alia ſanè mens Auguſtini lib. 16. de Ciuit. cap. 19. & lib. 22. contra Fauſtum c. 33. & Chryſoſtomi hom. 32. *Et idcirco*, ait, *acerbiſſima pœna eum-*

Abraham in Deo confidit in ingreſſione Ægypti, & ſeruatus eſt.

Abrahæ vxor abducitur.

Flagellatur dominus Pharao.

cuiusq; eius mentem diſcedere fecit à nefario flagitio, coërcuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligauit concupiſcentiam indomitam, refranauit furoris inſaniam.

Præclarè Auguſtinus libr. 22. contra Fauſtum cap. 33. *Nec Abrahamum fides ac ſpes ſ fellit; nam Pharao territus monſtris, multisq; propter eam malis afflictus, vbi eius vxorẽ deuinctus didicit, illæſam cum honore reſtituit.* Ergo, *vocauit Pharao Abraham, & dixit ei. Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? quare non indicaſti, quod vxor tua eſſet? Quàm ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, ex quo futurum erat vt ſine crimine adulterij tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur ecce coniunx tua, accipe eam, & vade.* Mirum videtur Pharaonem non acerbiùs cum Abrahamo expoſtulaſſe, aut etiam ſupplicijs exantlatis exacerbatum, ſupplicio in illum non animaduerriſſe. Sed qui eum de re docuit etiam conterruit ne aſperiùs aliquid aut diceret, aut moliretur; vt de Labano in Iacobum ita frementi legimus, Geneſ. 31. verſ. 29. Hoc videtur voluiſſe Chryſoſtomus homil. 32. *Quamuis*, inquit, *nſi Dei fuiſſet gratia, quæ mentem eius emolliebat, conſentaneum erat vt in maiorem furorem inductus, quaſi deceptorem ſuum puniſſet, & extremis affeciſſet ſupplicijs.* Sic ipſe. Meritò vtique formidabat, ne qui plagis magnis caſtigatus fuerat in delicto, per ignorantiam non commiſſo, ſed ſuſcepto dumtaxat: granioribus etiam pœnis plecteretur in iniuſta cæde hominis Deo chariſſimi, atque innocentis: *Nihil ergo horum fecit*, ait idem Sanctus, *timor quippe ſupplicij, inflammatam eius iram humiliauit, & reſtrinxit.* Imò & officioſum eſſe docuit. Non enim ſolum viro reddidit vxorem ſuam, ac dimiſit incolumem; *ſed præcepit etiam Pharao ſuper Abram viris, & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia quæ habebat.* Ne qua ſcilicet eis iniuria fieret à popularibus ſuis Ægyptijs, quæ in caput ſuum redundaret. Nec parum etiam credibile eſt factam illi poteſtatem multos camelos, atque aſinos frumento onerandi, & in Chananitidem exportandi, quando illum muneribus ac diuitijs ab ijs affectum, ac locupletatum, ſcribit Chryſoſtomus, *Terribilis poſtea erat eis inſtus, & propterea magnis officijs eum proſequi contendunt placantes ipſius Dominum, propter ea, quæ in illum commiſerat.* Et mox, *Magna cum claritate & gloria, locupletatuſq; diuitijs redit inſtus. Et ſit doctor per ea, quæ contigerunt non ſolùm Ægyptijs, ſed etiam omnibus qui in itinere erant, & qui in Paleſtina habitabant.* Non exciderat, neque excidere potuit tam excellentis diuinæ prouidentiæ memoria Abrahæ. Vnde in anguſtiſſimo illo caſu, quo de filio immolando præceptum accipiebat, optimè confidens certiſſimâ fide reſpondebat filio interroganti, *Pater mi, vbi eſt victima holocauſti?* His verbis. *Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi.*

Reſtituitur Sara viro ſuo ſine iniuria.

Imò officioſe in Abrahamũ Ægyptij.

Diuinum

Quomodo Deus tuentur in se fidentes.

Diuinum hoc pronuntiatum quisquis vult capere, quotidiano id vsu discet optimè, tamque in se, quàm in alijs mira deprehendet diuinæ prouidentiæ vestigia. Et, quæso, vitam nostram priorem compendio relegamus; per quot ambages & anfractus diuina nos duxit prouidentia, quot quantisque periculis nos suauiter subtraxit? Cuius nostrum iure dixerit: *Misit de cælo, & assumpsit me, & extraxit me de aquis multis. Præuenit me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus firmamentum meum: liberauit me, quia complacuit ei.* Et quanta vitæ, quanta corporis, animique discrimina non adij; sed euasi: Deus prouidit, Deus prouidebit; fidamus Deo, *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me*, inquit Dauid, *Dominus autem assumpsit me*, Psalm. 26. Quis dubitat? Quis ambigat, quin de administratorio spiritu idem prouidebit. Dauid se similem videtur facere coram Deo infanti recens nato, à parentibus derelicto, humi expolito, subiecto iniurijs omnibus, opis alienæ indigenti. *Portauit te Dominus Deus tuus*, ait Moyses Deuteron. 1. *vt solet homo gestare paruulum filium suum in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum.* 3. Reg. 3. 7. Salomon orans Deum nominat se *puerum paruulum*, qui ignoraret, *egressum & introitum suum.* Ezechias exponens eidem Deo calamitates suas, *vt hirundinis pullum* clamare se canebat, Isa. 38. Deus ipse, *etiam si mater obliuiscatur infantem vteri sui*, negat obliturum se nostri, Isa. 49. Itaque noli dubitare, quin tibi prouidebit.

Homo quasi infans in protectione Dei.

3. Reg. 3. 7.

7. *Angeli assumunt formã suorum clientum, vt eorum absentiã res peragant.*

Præclarum est nobis hoc documentum: sed & aliud non minus rarum, hoc Angeli scema nobis suppeditat, videlicet Angelis non satis esse, quod in forma humana se nobis comites sistant; sed & speciem induant, & personam suorum clientum, similiumque hominum, vt eorum res curent, & negotia peragant. Sic Angelus Raphael, comes, imò dux Tobiæ induit speciem Azariæ: *Ego sum*, inquit, *Azarias Ananiæ magni filius.* Sic cum tribus pueris in fornacem Babylonicam descendit Angelus *similis filio Dei*, puta Christo, qui eos ab igne illæsos seruauit, Daniel. 3. At qui ex hoc capite, Petro liberato à carcere per Angelum, Act. 12. & pulsante ad ianuam cuiusdam fidelis, qui præ gaudio cognoscens vocem Petri, alijs nuntiauit Petrum stare ante ianuam, non crediderunt, dicentes: *Angelus eius est.* Quod aliter fieri non posset, nisi quod Angelus vocem Petri imitaretur. Vt vt est fide dignæ historiæ confirmant Angelos subinde suorum clientum personam induere. Celebre est in Annalibus Hispanorum miraculum Pasqualæ Viuas, qui Mauros in prælio visus est profligare, cùm tamen ipse prælio non interesset, sed sacrificio missæ, nimirum Angelus eius personam suscepit; & eius vice pugnauit ac vicit. Ita audiente te deuotè sacrum, Angelus negotia tua geret, meliùs quàm tui. S. Nicolaus absens apparuit nautis se inuocantibus in tempestate, eamque sedauit, vt habet eius vita. Idem in somno apparuit Constantino Magno, iussitque vt tres viros iniustè incarceratos dimitteret. S. Franciscus absens apparuit fratribus in curru igneo. Hæc enim omnia facta sunt per Angelos, qui simulachrum & speciem Sanctorum dictorum efformarunt, alijsque repræsentarunt, vt docet Thyræus lib. 2. capit. 10. præsertim quia ipsi qui exhibentur, plerumque se exhiberi ignorant. Addo aliud exemplum memorabile, quod est apud Iohannem Moschum in Prato spirituali ca. 207. de puella Alexandrina, quæ cùm sua in pauperes erogasset, indeque depauperata, ex fornicatione victum quærere cogeretur, tandem facti pœnitens, baptismumque poscens, cùm nemo eius vellet esse patrinus & sponsor, Angeli aulicorum quorundam formam assumentes, sponsores se pro ea præbuerunt.

Huius rei exempla.

8. *Mirum Angelorum esse humilitatem, quod corpus assumant.*

Aduerte demum in hoc scemate miram Angelorum humilitatem: Celestissimam tibi arcem ab omni hoste vndique securam incolunt. Angelus ab omni labe immunis, nullum pendit vectigal morti; & in tantum se humiliat, vt corpus humanum sibi fingat & accidentaliter vniat, ex circumstante aëre admixtis crassioribus exhalationibus, quibusdam obscurioribus, quibusdam lucidioribus, quas ita inter se commiscet, & condensat, vt solida corpora, verosque colores, & figuras membrorum humanorum referant, & tanquam verus homo illa obsequia impendat humano generi, quæ creatori eorum iubet. Nos paraditi exules in sordente & vliginoso viculo, in combusto pago degimus, & tamen genus atque proauos nostros, nostras terras & palatia iactamus: nulli cedimus, de humilitate non licet sermonem proferre. *Quid superbis terra, & cinis?* Homo es, ipsa putredo, ad mortem senium defluis, tandem fis cadauer, & abijceris, nec ante hac vllus resistere potuit, nec post hac poterit, quin sese præbeat vermibus exspectatum epulum. In Cluda (sic Card. refert de verb. sig. lib. 1. cap. 7.) lacum reperiri aiunt, qui nullo vento impellente tumet, vndasque tollit, adeò vt naues ipsæ submergantur. Tales, inquam, esse homines, qui cùm nullã tumoris causam habeant, nullus elationis ventus adsit, tumẽt tamen, & insurgunt in alios superbiendo: *Effusus es*, dicebat Iacob, *vt aqua, ne crescas.* alij, *ne efferueas.* Sed ad tẽ melius Iob. 15. 13. *Quid tumet cõtra Deum spiritus tuus*, &c. quasi dicat, nullam habes intumescendi materiam. Sed audi mi homo, remedium; Deus voluit primum parentem, suum è terra principium ipso nomine

Nostra superbiæ hunc confundum.

Eccl. 10.

Terra nomen primo homini indium, vt mortalitatis recordaretur.

ne præferre, dictus est enim Adam ab Hebræo *Adama*. quod terram significat: cumque herbas, flores, plantas è terra eduxisset, vni homini terræ nomen indidit, vt eam semper ob oculos versans superbiæ materiam omnem abijceret. Sic Moysem virgâ voluit signa illa, & portenta in Ægypto excitare, illâ, inquam, virgâ, quâ pastor gregem, nec suum pauerat, vt illam intuens dum magna moliebatur, suæ vilitatis non obliuisceretur. Benè August. in sentent. sent. vlt. *Diuitijs*, inquit, *flores, maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria, ac pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur: respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis.* Hoc respicientes veteres Romani, triumphantibus quemdam assidere volebant, vt Tertullian. lib. de corona militis, qui subinde inclamaret, respice post te, hominem memento te. Hoc idem Pausaniæ superbienti consilium dedit Simonides, ne se hominem esse obliuisceretur. Philippus etiam cùm Athenienses in Cheronæa terra fudisset, metuens ne rebus præclarè gestis nimiùm efferretur, humanæque conditionis obliuisceretur, puerum del git, qui singulis diebus antequam sui copiam alicui faceret, humanitatis memoriam renouaret, ter inclamans, *ô Philippe homo es.*

Humanitatis memoriâ quâ anteuerteret sibi reficiendam.

Quid igitur superbis, mox in terram resoluendus homuncio? Cur non ad omnem humilitatem te componis cum Angelis? Vbi est illud, quod quotidie oras: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* In cælo Angeli ad nutum paratissimi, nos vbique tergiuersamur, imò in electione boni hallucinamur, nummum aureum piro, equum fistulâ mutare lucrum putamus, humana diuinis, caduca æternis anteferre consuetam ac facilem censuram censemus, omni infante prorsus infantiores, velle nostrum, & pigrum & instabile est: *Vult, & non vult piger*, inquit Hebræus Sapiens Prou. 13.

Eheu! quænam istorum venia nobis Christianis, præsertim cùm Christus multo profundiùs sese humiliarit, qui non solùm in corpora accidentaliter assumpta è cælo ad nos descendit: sed in terris corpus humanum assumpsit vnione hypostaticâ, vt nos saluos faceret à peccatis: Angeli, vt sese subducant ex hominum sensibus, non ex aqua & terra corpus assumpserunt, neque ex igne, ne circumquaque cuncta depascerent, sed ex aëre, vt postquam munia sua expleuerunt, in pristinam formam redeant, naturali prorsus modo, non secus atque cale facta aqua infrigescit. Christus verò corpus humanum assumpsit, nunquam illud deserturus. Quanta hæc humilitas! De quo ad Incarnationis mysterium oportunior dicendi locus.

CAPITIS QVINTI

VERSVS. X.

Vers. 10. *Tunc ingressus Tobias, indicauit vniuersa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogauit vt introiret ad eum.*

Vers. 11. *Ingressus itaque salutauit eum, & dixit: Gaudium sit tibi semper*

Vers. 12. *Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?*

PARAPHRASIS.

Vers. 10. 11. 12. Audiuit hæc omnia Tobias senior à filio cum admiratione, dum videret hæc omnia tam opportuna ad suum consilium & votum contingere; vnde rogauit, vt ad se ingrederetur adolescens, vt videlicet ab ipso coram hæc disceret, & plura scisciteretur, quæ cogitationem suam magis firmarent, vt est verosimile. Ingressus Angelus salutauit senem vsitato more, precatus illi assiduum gaudium. Et cùm senex responderet, gaudium in illum cadere non posse, cui cæli videndi negata esset facultas; quique in eo esset statu, vt non possit, vt maximè studeat, è tenebris emergere.

SECTIO QVARTA.

An bonum sit alios salutare?

1. *Varia salutandi formula.*

APVD varias nationes compertum est diuersas esse formulas salutationis. Olim apud Romanos erat ista, *Ave, Salue, Vale, salutere te iubeo, Saluus sis.* Apud Hebræos verò: *Pax tibi, pax tecum, pax vobis.* Ita Dauid per Nuntios ad Nabal 1.Reg.25. *Sit Fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcunque habes*, & Ioann.20. Christus discipulis: *Dominus tecum*, Iudic.6. *Dominus vobiscum*, Ruth.2. *Benedicat tibi Dominus*, ibidem, & Psalm. 128. *& Gaudium tibi sit semper*, vt hoc loco Tobiæ. Apud Germanos & Belgas, *Bonus dies, bonus vesper, fausta nox, te Deus adiuuet, tibi fortuna bona, te fortunet Deus, benedicat tibi Dominus.* In festis verò maioribus apud eosdem, & anni principio, *Bonum Pascha, bonus Annus* alijs optari solitus. Apud Anglos; *Quomodo tecum agitur, bone magister.* Modus etiam salutandi diuersus, & cuique genti peculiaris. Aliqui simpliciter salutant; aliqui cum beneuolentiæ signo maiori, quale erat osculum apud Hebræos. Sic Iacob filiam auunculi salutauit, Gen. 29. & Laban Iacobum, ibid. Ioseph Fratres Gen. 45. Sic, licet maleuolo animo & funesto exitu, Amasa salutauit Ioabum, 2. Reg.20. Iudas Saluatorem. Et in hoc Tobiæ libro constat eidem osculo bene precatum cum apprehensione, amplexuque corporis ad collum, vt cap. 6. 7.10. Olim fuit fortè calceamentorum exutio, quando nudo capite incedere solebant Hebræi, & opus fuit reuerentiam exhibere. Sic enim Dominus ad Moysen, Exod. 3. *Solue calceamenta de pedibus tuis.* In cuius locum hodie successit capitis apertio, corporis inflexio, propriæ manus osculatio; apud Iapones, pedum apertio, vt scribit lib. 12. Maffeus; apud Isaiam manuum ad pectus ingeminatio, & supra caput elatio: apud Sinas, manuum in manicas ingestio, & alia id genus beneuolentiæ argumenta. Qui plura volet, legat Serarium quæst. 10. Ruth cap. 2.

Varius quoque modus salutandi.

2. *Videtur sacra Scriptura salutationem prohibere.*

An verò sacra Scriptura alios salutare simpliciter permittat, iam inquirendum est. Posset alicui videri id non esse licitum, quod 4. Reg. 4. Helisæus mittens discipulum ad domum Sunamitidis cum baculo suo, vt poneret super faciem pueri ad resuscitandum eum, qui iam è viuis excesserat, illi dederit in mandatis: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi.* Deinde quod Luc. 10. Christus committens Apostolis prædicandi negotium, inter alia abstinere iussit à salutatione, dicens: *Neminem per viam salutaueritis.* Ad hæc Apostolus Ioannes docuit saltem habendum esse respectum personarum, cùm in 2. epist. mandet: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.*

3. *Pium est alios salutare, 1. propter consuetudinem Angelorum. Exemplo Angelorum.*

Nihilominus dicimus retoluè per se bonum & pium esse alios salutare. Idque primò, quia sacra Scriptura idipsum insinuat ex consuetudine Angelorũ. Nam Iud 66. Angelus Domini, qui apparuit Gedeoni, salutauit eum his verbis: *Dominus tecum virorum fortissime*, vt videlicet cum nouâ alacritate, & fiducia aggrederetur ad Israëlitici populi vindicias, nec se imparem tanto operi & oneri duceret; imò tanquam alter Iacob ex luctâ confirmatus nihil timeret, ipse quoque ex salutatione corroboratus, nec Madianitas, nec alios hostes formidaret. Magnam enim vim habent illa verba, *Dominus tecum.* Si enim Dominus cum aliquo sit, etiamsi rudis, illiteratus, indisertus, infans, timidus, imbecillis, ab omnibusque ad præclarè quidpiam agendum, præsidijs nudus ille sit: & verò quæ agenda sunt, plurima sint, & maxima, plurimisque & grauissimis obsepta difficultatibus ac impedimentis, obstent verò quàm plurimi, & rebus omnibus instructissimi, flecti non queant Reges ac Principes, quin verò minas spargant, mulleque mortes ac carnificinas intentẽt, ipsi etiam dissuadeant, dehortentur, ac impedire conentur amici, propinqui, fratres: omnia tamen fient: omnes vincentur difficultates: nulli neque Ægyptij neque Pharaones, neque pauidi ac meticuloli, cunctabundi, ac diffidentes Israëlitæ felicissimum impedire cursum poterunt. Tanta præsentiæ diuinæ vis. Ideoque & ipsi Iosaserit c.1.v.5. *Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ. Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum. Non dimittam, nec derelinquam te.* Ex verbis Raphaëlis hic salutantis Tobiam, eique precantis, vt gaudio nunquam careat. Exemplo item Gabrielis Luc. 1. beatam virginem salutantis, *Aue gratia plena, Dominus tecum.*

Nihil potest illi resistere cui Dominus est præsens.

4. 2. *Ex consuetudine sanctorum virorum.*

Secundò colligitur esse pium exemplo summorum hominum. Exodi enim 18. Moyses & Iethro se inuicem salutarunt, quo loco habentur hæc verba: *Qui egressus Iethro, in occursum cognati sui aduenit, & osculatus est eum. Salutauerúntque se mutuo verbis pacificis.* Tobiæ iunioris, quia haud dubio ex consuetudine illius

lius temporis inueniens *iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum, & ignorans, quòd Angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit; Vnde te habemus bone iuuenis.* Exemplo rursum beatissimæ Virginis, quæ Spiritu sancto plena salutauit Elizabeth, Luc. 1. Apostolorum item, qui alios crebrò salutarunt, nominatim Paulus Act. 18. descendens Cæsaream ascendit & salutauit Ecclesiam, Act. 21. *Salutatis fratribus mansimus die vna apud illos.* Et quoties ipse Paulus non iussit Romanis alios salutare; plenum est caput 16. epist. ad Romanos, & ib. 1. ad Corinth. vbi & hoc addidit: *Salutate inuicem in osculo sancto*, hoc est, religioso, quo pacem & communionem. Catholicam insinuarent. Vide plura in hanc rem Disc. 6. in VI. Præcept. n. 5. & 6. Imò Saluator noster Matth. 10. mittens discipulos suos ad Euangelij prædicationem, inter alia ipsis mandauit, *Intrantes autem in domum, Salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et siquidem fuerit domus illa digna, veniat pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.* Voluit itaque Christus Apostolos quocumque venirent, significare se pacem non bellum afferre, & ijs, ad quos diuerterent, bona apprecari. Eiusmodi enim salutatione à timore alios eximi, indicat illud, Genes. 43. vbi dispensator domus dicit fratribus Ioseph perterritis ob pecuniam, quam in sacco repererant, *Pax vobiscum, nolite timere.* Rursum prospera sic apprecari solitum, indicat Caput 12. primi Paralip. vbi Amasai princeps dixit Dauidi: *Tui sumus, ô Dauid, & tecum filij Isai: pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis; te enim adiuuat Deus.* Ad hæc Christus Dominus Ioan. 20. post resurrectionem, discipulis propter metum Iudæorum congregatis apparens, dicit eis: *Pax vobis.* Quorum verborum exactam reddit rationem Toletus Cardinalis: *Triplici autem de causa*, inquit, *vsus est Dominus hac salutatione, Primò, quia sic solitus erat salutare, & talem iniunxerat discipulis suis salutationem, Matt. 10. intrantes domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui, & ipse discedens pacem commendauit. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, vt ex hac salutationis forma. scirent se esse Christum eundem probaret. Secundò, vt timorem ac terrorem discipulorum expelleret. In cuius rei declarationem attende, antiquum vsum fuisse, vt ex scriptura patet, ijs, qui adueniebant aliunde, maximè si aliqua inerat suspicio nocendi, salutare, & dicere: Pax vobis ad significandum, aduentum esse pacificum, non ad aliquid mali inferendum. Iud. 6. Gedeoni timenti mortem ex Angeli aspectu dictum est. Pax tecum, ne timeas, non morieris. 1. Reg. 16. dixerunt Bethlemita Samueli inopinatè venienti, Pacificus ne est ingressus tuus? id est, venis ad nos castigandos, quia non audiuimus salutationem pacis, & 4. Reg. 9. Iehu dixit, pax est Iehu? ita nunc poterant discipuli tanquam qui incredulitatis, & pertinaces fuerant, timere & Christum pœnas ab eis exacturum existimare: Dominus ergo præueniens iucundâ pacis salutatione trepidantia corda serenat, Pax vobis, ac si diceret, non vos punire, non pœnas exigere, sed consolari, confortare, instruere venio. Tertiò vt significaret fructum mortis, & resurrectionis sua, nempe, pacem, & reconciliationem hominum cum Deo, quam nascente Christo promiserant Angeli canentes, In terra pax hominibus bona voluntatis, hanc Dominus surgens, effectam impartitur, & communicat his, qui bona voluntatis, & electi, à Patre erant.*

Salutatio pacis, signum erat tranquillitatis.

Pacis salutationem propter tres causas discipulos Christum dignatur.

Quibus omnibus consideratis, mirum est Anabaptistas iuxta Feruadentium in Ruth in illum errorem incidisse, vt obuios velint nullâ impartiendos salute. Non enim Scriptura vspiam salutationem simpliciter inhibet, cùm salutatio sit quædam optatio & precatio, quâ bonum alteri optamus & precamur, & Scriptura mandet inimicos diligi, quòd omittendo salutationem sæpè pareret scandalum. Est humanitatis & beneuolentiæ symbolum, quo inuicem honore & amore præuenimus. 5.

Quid sit Salutatio.

Quod autem 4. Reg. 4. dixerit Helisæus: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum.* Prouerbialis est loquēdi modus, quo significatur in negotio arduo non esse cunctandum, aut oblatâ aliquâ occasione interponenda aliqua mora. Tale fuit negotium, quod commisit Helisæus Giezi, videlicet, suscitare ad vitam baculo suo infantem iam mortuum, propter quem in summa amaritudine existebat Sunamitidis: vnde dicebat illi: *Accinge lumbos tuos.* Phrasis Hebræis familiaris, quæ strenuam operam & diligentem significabat, ne tunica Hebræis ad talos longa hominem retardaret. Quod verò Luc. 10. dicat Christus, *Neminem per viam salutaueritis*, non prohibet obuios salutare, & salutantibus in eodem officio respondere; cùm interposita breuis salutatio, neque molestum reddat iter, neque celeritatem retardet; sed voluit ipsos id vnum prædicādi negotium curare sedulò, reliqua ipsis; aut nullo esse loco, aut saltem ita vili: vt nihil huic curæ, aut præuertant, aut adimant. Prohibuerunt ergo Helisæus discipulo, Christus Dominus Apostolis quemquam in via salutare, non quòd salutationes malæ essent; sed ne venirent ad fabulationes, atque ita extraheretur tempus fabulando, quod impendi oportebat obediendo. Adde, quamuis nulla misceretur fabulatio; adhuc nihilominus illam temporis moram satis exiguam, quam breuis salutio consumeret, rumpendam esse; ne illud opus ex obedientia implendum, vel breuissimè retardaretur. Quam rationem præter alias inculcat D. Ambrosius l. 7. in Luc. c. 10. vbi in primis loquutus de Heliszo: Festinatò, inquit, *iubebat ad eum contendere, vt celebranda resurrectionis exequretur officium* 6.

Non salutare aliquem in via, prouerbialis forma, pro celeritate.

Item accingere lumbos.

Ab Helisæo & Christo non prohibetur salutatio, sed mora in negotio bono.

ne confabulatione alicuius obuij, mandato reflecteretur à munere. Et ſtatim regreſſus ad Apoſtolos, de quibus ex inſtituto agebat: *Ergo*, inquit, *& hic non ſalutationis officium auferetur; ſed obſtaculum impediendæ deuotionis aboletur; vt quando diuina mandantur, paulliſper ſequeſtrentur humana. Pulchra eſt ſalutatio, ſed eò pulchrior, quò præceptorum maturior executio diuinorum, quæ per moram ſæpè trahit offenſam.*

Abraha ad parendum velocium.

Propterea Abraham vocatus à Deo ad ſacrificandum filium, nullas traxit moras; ſed *de nocte conſurgens abijt*, Geneſ. 22. ſcilicet, vt notat D. Chryſoſt. ſerm. de fide Abrahæ, & immolatione Iſaac: *Verebatur, ne votum mora offenderet; aut iuſſionem tarditas impediret.* Seu, vt loquitur D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham, cap. 8. De nocte conſurgit, non ſequenti die, *Ne attuliſſe nox moras ſtudio feſtinantis patris videretur.* Et quod magis mirere, conſilio cum Sara minimè communicato, Rationem reddit Procopius: *Ne Sara materna comploratione totum negotium enteuerteret.* Sed, vt hoc ſanctiſſimæ fœminæ concedamus, illam quoque obedientiam Deo, & conſenſum viro in immolatione filij præſtitutam fuiſſe; adhuc nihilominus videtur Abraham ſuum ei conſilium communicare noluiſſe, ne aliqua mora in communicando duceretur. Quam eius conſtantiam & promptitudinem laudat D. Chryſoſt. hom. 54. in Geneſ. Deum cum Iſaac loquentem introducens: *Neque*, inquit, *turbatus eſt mente, neque rem communicauit matri tuæ, neque puero, neque tibi ipſi à ſe ſacrificando: ſed forti mente, & contenta alacritate feſtinauit, vt mandatum meum impleret.*

Sanè Auguſtinus ſerm. 42. de Sanctis parabolicum eſſe dicit loquendi modum ea locutione, quà ſolent dicta exaggerari conſuetudine ſermocinandi, id eſt, prouerbiali forma. Sic Latini dicunt, *hoc age*, id eſt, in hoc vno incumbe: aut *fixis oculis aliquid intuere*, ita vt neque oculos, neque cogitationem aliorſum inflectas. Quod Cicero ſic expreſſit pro Flaco: *Totam cauſam, quàm maximè intentis, vt aiunt, oculis acerrimè contemplamini.* Ioannes verò Apoſtolus nihil aliud inhibet, quàm auè dicere hæreticis tanquam hæreticis, atque adeò fauere ipſorum hæreſi, vt ſect. 15. capitis præced. n. 2. latiùs deduxi. Non autem beneuolentiæ ſigno aliquem ſalutare, eò magis quòd Chriſtus mulieribus poſt reſurrectionem de monumento cum timore & gaudio magno exeuntibus, vt diſcipulis nunciarent reſurrectionem, illis occurrens dixerit, *Auete.*

7. *Pax omnibus appretanda.*

Tu igitur, mi Chriſtiane, pacem omnibus approcare, ſucceſſum; & proſperitatem in temporalibus, iuxta illud Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam*, ſiue gratuitum Dei beneficium conducens ad æternam ſalutem, vt ſunt fides, ſpes, charitas, remiſſio peccatorum, iuſtificatio, virtutes, atque earum augmenta, bonorum operum perſeuerantia, aliaque à fauore ſeu beneuolentia Dei procedentia, iuxta illud Apoſt. ad Rom. 1. *Gratia vobis, & pax*, ſcilicet multiplicetur, aut, quod idem eſt, adimpleatur. Id dumtaxat caue, ne alicui pacem appreceris in malum finem, vt Amaſa & Iudas; aut ne cum alterius detrimento; Quod exiſtimat Theodoretus, quæſt. 18. in 4. Reg. cauſam dediſſe Eliſæo inhibendi ſalutationem ſeruo ſuo Giezi: *Sciebat*, inquit, *eum eſſe honoris cupidum, & cauſam dicturum* (profectionis) *inanem autem gloriam ſere impedimentum ne faciat miraculum.* Atqui ob ſimilem cauſam famulabus feſtinatio ſolet indici, ne egredientes per colloquia cum obuijs, aut nocumentum afferant familiæ per moram; aut rixas cauſent matrifamilias, aut detractioni vacent.

Quando ſalutationis illicita.

SECTIO V.

An homo queat ſemper in tribulatione gaudere?

1. *Gaudendum etiam in tribulationibus.*

EERTVM eſt iuſtos maximè affligi, verùm & tunc illos lætari vult regius Propheta: *Lætamini*, inquit, *in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.* Apoſtolus ad Philippenſes liberè dicit: *Gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete.* Et expreſſius Apoſtolus Iacobus cap. 1. Chriſtianis perſecutionem patientibus dicebat: *Omne gaudium exiſtimate, Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Illuſtriſſimus è cœlo Commiſſarius Tobiæ domum ingreſſus, hęc ad illum ęgritatem patientem, verba facit: *Gaudium ſit tibi ſemper.* Salomon humanæ ſapientiæ pelagus, & magnum portentum liberè pronuntiauit: *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit*, Pro. 12. Hæc diuinæ paginæ eloquia reuincunt illud certiſſimè fieri poſſe. Imò exempla quamplurima id ipſum proteſtantur. Chriſtus tanquam anteſignanus huius in tribulationis prælio, gaudij, anhelans ad crucem dicebat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.* Primipilus ſanctus Petrus id etiam expertus dicebat: *Communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete.* Cæterùm quod erecto ac hilari animo vir iuſtus exteriora quæuis mala excipiat, Paulus ſignifer eſt, & locupletiſſimus teſtis: *Repletus ſum*, inquit, *conſolatione; ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*, 2. Cor. 7. Non in fame tantùm aut ſiti, non in vinculis ſolùm, aut plagis, ſed in omnibus ærumnis & anguſtijs, *In omni tribulatione noſtra.* Neque leui tantum lætitiâ

Exempla eorum qui in aduerſis lætati ſunt.

1. Petr. 4.

lætitiâ afficior, ſed *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio*, etiam cùm virgis cædor, cùm lapidibus interneor, & cùm naufragijs iactor. Cæteris Apoſtolis hoc teſtimonium tribuit Lucas, *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ abundant teſtimonijs eorum, quos in tribulatione ſumma lætitia perfudit.

Act 5.

2. *Huius rei aſſignantur rationes. Prima quod tribulatio ſit ſignum dilectionis Dei.*

Quænam horum ratio? Vnde poterit gaudere quem morbus, cæcitas, ærumna cruciant? An hæc gaudiorum occaſio? Dic, quæſo. Audi, mi Chriſtiane, plures in medium adducam rationes illuſtrando intellectui, & ſuſcitando gaudio opportunas. Prima ſit, quòd à Domino vilitari ſignum ſit filiationis, electionis, & prædeſtinationis Dei: *quem enim diligit Dominus, caſtigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit*, inquit Apoſtolus, Hebr. 12. Hoc clariſſimè dixit Angelus Tobiæ noſtro cap. 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe*, inquit, *erat, vt probatio tentaret te.* Quæ latiùs eo loco exponam. Et B. Apoſtolus Iacobus hâc tanquam ſingulari ratione Iudæos fideles, qui in perſecutione ob S. Stephanum excitatâ è Ieruſalem ad alias ciuitates & regiones profugerant, ac diſperſi erant, conſolari voluit: *Omne gaudium*, inquit, *æſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Fratres, inquit, mihi in Chriſto cariſſimi, ſic primùm habetote ampliſſimam veri ſolidique gaudij materiam obijci vobis à Deo, cùm ſuo diuino conſilio, ac prouidentiâ patitur vos ærumnis premi, calamitatibus diuexari, rebus denique aduerſis multiplici ratione cruciari. Nota verba, *Omne gaudium exiſtimate*, quaſi dicat: Tentatio & tribulatio adeò non eſt mala, nec fugienda, vt in ea ſitum ſit omne bonum, ac conſequenter omne obiectum omnisque materia gaudij, adeò vt omnis illa quam natura, vel Deus per alia bona ſparſit, in vno hoc vniuerſali & ſummo tribulationis bono collecta, & adunata videatur; ita vt in ſola tribulatione magis gaudẽdum ſit, quàm ſi ſolus omnes mundi opes, honores, & voluptates poſſideres.

Tribulatio ſummum bonum.

3. *Tribulationis vtilitas priſcis ignota.*

Alia eſt hæc ſapientia & Philoſophis incognita; quam S. Iacobus didicit à Chriſto, qui illam velut arcanam & cæleſtem è ſinu Patris in mundum detulit, dicens: *Beati qui perſecutionem patiuntur*, &c. Matth. 5. Ignorarunt hoc priſci ſapientes: neſciuit hoc Ariſtoteles, non intellexit Plato, falſum cenſuit Anaxagoras, ſtultum Epicurus. Sed fideles, ſed Chriſtiani ab omni æuo intellexerunt, Deum flagellare, quem diligit. Præclarè Chryſoſtomus hom. 32. in Geneſ. *Ne exiſtimemus*, inquit, *eſſe ſignum quod nos dereliquerit, & deſpiciat Dominus, ſi tentationes nobis inferantur; ſed hoc maximum ſit nobis indicium, quod Deus noſtri curam gerit, quia peccata exurgat, & luctam ac exercendi materiam nobis proponit, vt ſi quod noſtrum eſt declaremus, largiori dignetur nos curâ. Quod cum ſcimus, ne triſtemur in tentationibus, ſed gaudeamus cum B. Paulo dicente, Nunc enim gaudeo in afflictionibus.* Auguſtinus audet dicere lib. de Paſtor. *Si exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero fidelium.* Et S. Ambroſius lib. 1 epiſt. 4. patientiam tribulationum vocat *matrem fidelium.*

Deus tribulat gerit curam.

Hoc recognoſcentes Apoſtoli flagellati & dimiſſi, *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Appoſitè Chryſoſtomus hom. 23. in Geneſ. *Tametſi*, inquit, *flagella non gaudij ſint occaſiones, ſed triſtitiæ, & mororis, nihilominus flagella propter Deum, & cauſa, propter quam flagellabantur, gaudium eis parebat.*

4. *Flagella Apoſtolis gaudium pariebant.*

Idem alibi ponderat eadem verba: *Quibus ſignis*, inquit, *hoc non magis admirabile eſt. Nuſquam hoc apud veteres contigit, quia & Hieremias flagellatus eſt, propter verbum Domini. Et Elias ac alijs minati ſunt. Sed hic etiam ab hoc, & non à ſolis ſignis, virtutem Dei declararunt. Non dixit, quòd non dolebant, ſed quòd dolentes gaudebant. Vnde manifeſtum? ex libertate dicendi, quæ poſt flagella ſequebatur. Quocirca id manifeſtans: In templo, inquit, ac ſingulis domibus non ceſſabant docere ac annuntiare Ieſum Chriſtum. In diebus autem iſtis. Quibus iſtis? Quando hæc fiebant, quando flagella, quando minæ, quando multiplicabantur diſcipuli.*

S. Martyr Ignatius damnatus ad beſtias, anhelabat dentibus earum moli: *Vtinam*, inquit, *fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ: quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne, ſicut & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quod ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt devorer.* Et ne mirarentur alij eius zelum, ſubiungit: *Ignoſcite mihi filioli: quid mihi proſit, ego ſcio. Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus.*

5. *Ignatius anhelabat ad tormenta.*

Altera eſt, quòd Deus eos, qui amore ſui patiuntur, viciſſim amplectatur, ſolatur, & fel paſſionis melle conſolationis diuinæ dulcoret. Teſtatur hoc Regius Propheta, *Secundum*, inquit, *multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, Pſal. 93. Senſus eſt: Dum tacitus reuoluo multa mecum de proprijs periculis, de mea innocentia, de iniquitate aduerſariorũ, de proſperitate eorumdem, de iuſtitia, ſcientia, prouidentia, clementia Dei, quid faciam, quid conſilij capiam, quo pacto euadam, ad quem confugiam, torqueor hinc inde agitor, & diſcrucior cogitationum compugnantiâ, Deum in tempore adeſſe, atque lætitiam ſuggerere comperio; conueniens, aptumque gaudij medicamentum adferre. Non ſolùm igitur Deus iuſtis per ſuam prouidentiam tribuit patientiam; ſed etiam conſolationem

5. 2. *Quod Deus tribulatorum pœnas conſolatione intrinſecà dulceret*

magnam, & ineffabilem, quæ non tollit tribulationes, ſed cum ijs conſiſtit, eaſque vertit in materiam gaudiorum. Bellarminus hûc locum ſic explicat: *Iuxta menſuram dolorum in carne, tribuit Deus conſolationem in anima, quæ mitigat triſtitiam cordis ex doloribus carnis prouenientem.* Verè enim gaudium ſpirituale maius eſt omni triſtitiâ corporali. Apoſtolus Pſalmiſtâ imitatus ſic verba facit ad Corinthios 2. epiſt. cap. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem quâ exhortamur & ipſi à Deo.* Rationem addit: *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Senſus eſt, O Corinthiani, ne deſpondeatis animum, cùm afflictiones patimini, & malæ, quia quantum exuberant aduerſa, tantum exuberant conſolationes. Vis ad oculum huius rei exemplum intueri? Cùm tres pueri in Babylone nollent adorare ſtatuam Nabuchodonoſor auream, is *repletus eſt furore: & aſpectus faciei illius immutatus eſt ſuper Sidrach, Miſach, & Abdenago, & præcepit, vt ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quàm ſuccendi conſueuerat. Et viris fortiſſimis de exercitu ſuo inſit, vt ligatis pedibus Sidrach, Miſach, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis. Et confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & tiaris, & calceamentis, & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis, nam iuſſio Regis vrgebat: Fornax autem ſuccenſa erat nimis.* Et v. 46. *Et non ceſſabant qui miſerant eos miniſtri Regis ſuccendere fornacem, naphtha, & ſtuppa, & pice, & malleolis.* Sed quid? Addit ſacer textus: *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſocijs eius in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtauit, nec quidquam moleſtiæ intulit.* Vt primùm in fornacem coniecti ſunt, adfuit Angelus tribus pueris tutans eos, ne flamma ignis noceret. Excuſſit ignem, & vice ignis, quaſi ventum roris flantê ſupernaturaliter induxit ad eorum refrigerium, & fornacem reddidit Eccleſiam, in qua liberi & ſoluti à vinculis Dei laudes liberaliter cantant. En prima exuberans conſolatio? Alteram conſiderauit Nabuchodonoſor: *Rex autem*, inquit Chryſoſtomus, *cùm audiret eos benedicentes, & laudantes Dominum, miratus eſt, & ſurrexit in feſtinatione, & dixit: Principibus ſuis. Nonne tres viros miſimus in medio ignis vinctos? Ecce video viros quatuor ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & corruptio nulla eſt in eis, & aſpectus quarti ſimilis eſt filio Dei. Ecce, inquit, video viros quatuor.* Quantæ conſolationis res iſta, Deum habere præſentem in medio tribulationis! & quidem miraculosè ſuis aſſiſtentem inſuper audire Tyrannum obſtupeſcentem rei nouitate: Aureum illud eloquentiæ flumen hom. 4. ad populum, ſtupendum Dei miraculum ad conſolationem ſuorum conſideratis diſertiſſimè illud exaggerat: *Tres in fornacem iniqui pueri coniecti ſunt, & nec ita religionis oblitis ſunt, nec ipſos terruit flamma; ſed in cubiculo ſedentibus, & nihil graue patientibus, ſtudioſiùs igne circumdati, ſacras illas preces emittebant: propterea murus ipſis factus eſt ignis, & veſtis flamma, & fons fornax, & ligatos capiens, ſolutos reddidit. Mortalia ſuſcepit corpora, & tanquam immortalibus abſtinuit: non ignem naturam! ſed pietati reuerentiâ exhibuit. Vinxit pedes tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt. O rem admirabilem! Vinctos ſoluit flamma, & ipſa de reliquo à vinctis vincta eſt: mutauit enim rerum naturam adoleſcentulorum religio: imò verò non naturam mutauit, ſed quod erat mirabilius, permanentis naturæ vim repreſſit: non enim ignem extinxit, ſed ardentem ineffacem reddidit, & quod eſt mirabile & ſtupendum, non in ſanctis tantum corporibus hoc factum eſt, ſed & in veſtimentis ipſorum & calceamentis. Et ſicut in Apoſtolis, veſtimenta Pauli ægritudines & dæmones pellebant, & Petri vmbra mortem fugauit: ſic quidem & hic puerorum calceamenta ignis virtutem extinxerunt.* Ac rurſus miraculum magis enucleans ſubdit: *Neſcio quo modo dicam, miraculum omnem verborum narrationem tranſcendit. etenim vis erat extincta, & non erat extincta: cùm enim circa ſanctorum illorum corpora verſabatur, erat extincta: compedes igitur diſrupit, & talos non tetigit. Vidiſti quanta propinquitas? neque mutatus, & vi ſua primæua eſt ignis, neque intra vincula procedere auſus fuit. Vincit tyrannus, & flamma reſoluit, vt & Barbari crudelitatem diſcas, & elementi obedientiam. Quâ verò cauſa in ignem miſſurus eos ligauit? Vt miraculum fieret maius, vt mirabilius ſignum, ne putaretur eſſe oculorum error ea quæ videbantur. niſi enim ignis ille ignis fuiſſet, vincula non aſſumpſiſſet, non exterius ſedentes milites (quod multò maius fuit) rapuiſſet. Nunc autem exterioribus quidem vim, interioribus verò obedientiam exhibuit.* B. Theodoretus conſiderans hanc Dei benignitatem, inquit, *Illi qui foris erant, flammam incendebant; ſed ſanctus Angelus flammam diſſipabat: & mediam fornacis partem ignitis carbonibus nudans, auram quandam frigidam & humidam, quæ ſanctis multam afferret voluptatem, in eorum corpora immittebat.*

Deus quanto gaudio perfuderit tres pueros in fornace Babylonis.

Admirabile fuit cum Moyſes Exod. 15. 6. aquas amaras ligno immiſſo dulcoraret, cùm Heliſæus peſtilentes aquas immiſſo ſale ſanaret, & ad omnem vſum dulces & idoneas redderet. Sed quæ pars illis cum cæleſti hac dulcoratione? Examina ſingula, & victum ſtupendo & inaudito hoc miraculo te fateberis neceſſe erit: hiſce tamen mirabilibus ſuos in tribulatione ſæpè dignatur Deus. Simili enim modo Deus S. Theclam, Agnetem, aliàſque plurimas virgines & martyres in igne & tormentis

Deus Martyres conſolatur in tormentis.

mentis recreauit, & refrigerauit. Simile refrigerium præstitit Deus Theodoro adolescenti Antiocheno, qui propter Psalmorum cantū à Iuliani apost. præfecto crudeliter excruciatus, cùm à Ruffino Eccles. Historiæ scriptore rogaretur, an non in illis cruciatibus maximum sensisset dolorem, respondit: Non multum acerbitatis & tormenti mihi accidit: astitit enim mihi adolescens, & sudorem qui ex ea conflictatione oriebatur, abstersit, animum confirmauit, fecitque vt tempus quo cruciabar, voluptari potius esset, qua angori. Vnde dolebat se cruciatibus eripi, optabatque ijs reddi, vt rediret illa consolatio, ita Socrates lib. 3. hist. cap. 16.

Ita & S. Victor Martyr sub Maximiano, cùm Mediolani bullienti plumbo toto corpore perfunderetur, orabat dicens: *Domine Iesu Christe, propter cuius nomen hæc patior, adiuua me, & libera me, sicut liberasti tres pueros immaculatos de camino ignis, & confudisti tyrannum: ita & me quoque nunc libera, vt erubescat Maximianus cum satellitibus suis.* Mox adfuit Angelus Domini, plumbumque ita refrigerauit, vt esset instar aquæ è fonte manantis, nec vlla in parte corpus Martyris adustum est. Vnde Martyr in Dei laudes erupit: ac tandem prædicens Imperatorem Maximianum eo anno morituum, capite plexus, in cælum euolauit. Ita narrat oculatus testis Maximianus notarius in eius vita 8. Maij. Sic & Polycarpus discipulus S. Ioannis in igne mansit illæsus, flamma instar venti eum circumdante, teste Eusebio.

Martyres in tribulationibus quantis gaudijs inundarint.

Plenæ sunt historiæ, & acta Martyrum, quantam illi in acerbissimis tormentis percipierent gestientis, liquidæque iucunditatis voluptatem, ita vt cessatio ipsa tormentorum molesta illis accideret, eò quòd huiusmodi gaudiorum cessationem, vel remissionem induceret, vt de dicto Theodoro adolescente etiam narrat Historia Ecclesiastica lib. 3. cap. 10. Aqua suapte natura grauis, cùm calefit, & feruet, veluti ascendit, & saltat; ita charitas facit, vt quem res aduersæ deprimerent, per se se extollant, & gaudio exultationis repleant. Vnde alij clamabant in tormentis: *Te Deum laudamus*: alij in hunc iubilum erumpebant: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Hoc est quod ait Hieremias vates, Threnor. 3. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs*, quasi ea esuriens, ijsque se pascens, & exultans. SS. Marcus & Marcellianus nunquam, inquiebant in Martyrio, tam iucundè epulati sumus, quàm hæc libenter Christi causa perferimus.

7. *Deus tribulatio est præsentissimus.*

Vt vt est, Deus suis in tribulatione est præsentissimus, adest, & adstat, vt protegat, firmet, refrigeret & iuuet, iuxta illud Regij vatis, *Cum ipso sum in tribulatione*: vnde Christi verbum est, *Beati qui persecutionem patiuntur*, &c. Is enim est, qui suâ doctrinâ, & supernaturali gratiâ adeò altè euehit naturam, vt de malo naturæ, puta morbo, cæcitate, afflictione, ærumnis contra naturam gaudeat. Hanc Philosophiam Tobiæ nostro inculcat Angelus, dum ait: *Gaudium tibi sit semper*, sciens quòd tentatio Dei, mentem mirificè dulcoret imò illuminet in via virtutis: *Qui enim*, inquit Siracides, *non est tentatus, quid scit?* Eccles. 34. Sciebat quoque, quod tentatio animam consolaretur & tranquillatet, quia post nubila Phœbus, post desolationem consolatio, post tentationem serenitas & exultatio, Deo ita iustè ordinante, succedit, quemadmodum Sara testatum reliquit huius histor. cap. 3. v. 22. & Angelus hoc loco, dum ait: *Forti animo esto, in proximo est vt à Deo curetur.*

Quare Angelus appretetur Tobiæ sempiternè gaudium.

Hîc siluit Tobias, & altiori mente haud dubio cœpit cogitare, tribulationem gaudij habere occasionem; quod nemo solis naturæ viribus assequitur. Paulus à Deo illuminatus tanti fecit, tribulari, vt proclamaret Galat. 6. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Luculenter Augustinus serm. 20. de verb. Apost. *Poterat*, ait, *Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret; poterat in maiestate, poterat in potestate, & verum diceret: sed dixit in cruce. Vbi mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Christo crucifixo, vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita; si vis ad illam venire, noli ista contemnere, noli erubescere; idcò in fronte, tanquam in sede pudoris signum crucis accepisti.* Hactenus Augustinus. Addit Apostolus, *Per quē mihi mundus crucifixus est.* Quasi dicat, vti mundus horret crucem, vel crucifixum aliquod cadauer, ita & me exhorret, & vice versa, deliciæ & pompæ mundi mihi crux sunt; easque vt crucem, illi, auersor, & horreo, ita D. Thomas.

8.

Tertia ratio est, quòd tribulatio viam sternat ad gaudium illud admirabile, quod oculus nôn vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ne mireris hinc gaudium oriri. Saluator noster non iussisset, nisi homini fuisset possibile: *Beati*, inquit, *estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Hinc Petrus dicebat 1. Pet. 4. *Communicantes Christi passionibus, gaudete.* Subdit enim; *Vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis quoniam quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescit.* Quasi dicat, Si Christi Domini persecutionis, ac necis consortes quodammodo, ac participes estis, gaudendum vobis est, ac

3. Tribulatio sternit viam ad cælestem gloriam.

Matth. 5.

magnopere lætandum, vt cùm diuina eius gloria palam omnibus apparebit, vberioti gaudio exultetis. Si enim probris & contumelijs pro Christi nomine afficiamini, verè vos beatos, ac felices esse scitote. Siquidem glorioſus Dei spiritus certam quasi sibi sedem in vobis delegit, qui licet ab illis maledictis proſcindatur, à vobis tamen honore, & gloriâ dignus prædicatur. Hinc Paulo & alijs, omnis gaudij occasio, vt mox discurrendo ampliabo. B. Ignatius Martyr libera & gestienti voce clamabat: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantùm Christo fruar.* B. Secunda soror Ruffinæ, cùm Iudex accensæ desiderio patiendi pro Christo minaretur violentam stuprj, respondit: *Nequit virgo perdere virginitatem, nisi ipsa eam ex mente abijciat, & flagitio consentiat. Si enim vis ei inuita inferatur, id tormentum est: tormentum autem præmium & coronam adauget. Fac ergo quod vis; præpara ignes, gladios, furcas, aculeos, bestias, quo plus tormenti dederis, eo magis, tantumq; ex æquo augebis coronam nostram.*

Hinc gaudebant Martyres in tormentis.

Hom. 1. de imm. laudib.

9. Profectò si quis Angelus veniret ad nos in tribulatione positos, & Christi gratia sanctificatos & illuminatos, sub schemate humano, sic salutans, vereor ne indignaremur, aut maledictis eum impeteremus. Abeas in malam crucem cum tua salutatione: Diabolus te importet. Quid causæ quod in eiusmodi voces erumpamus? Amor proprius nos excæcat, ad impatientiam redigit. Non capimus tribulationes esse signa filiationis Dei: non intelligimus nos à Deo corripi vt non cum hoc mundo damnemur. Contingit aliquando, vt pueri simul absque metu ludant in plateis cum alijs non satis morigeris. At insperantissimus adest vir quispiam honestus, qui vnius è turba adolescentuli aures arripiens, miscellum à sociis abducit. Quisquis hoc fieri cernit, mox affirmat: proculdubio hic pueri parès est; filium suum abducit, alios non curat. Ita nos sæpè dum ludimus, dum nugamur, dum lasciuimus, ab optimo parente abducimur à lusu. Qui lusus nostros, afflictionibus turbat, qui autem peruellit trahitque, non ignotus homo, non alienus est, pater est. *Nam quem diligit Dominus, castigat* (milies inculcandum) *flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filij estis. Fideles qui hæc recogitant, non horrent plagas, imò libenter subeunt. Diuinus ille Paulus multa passus, gestiens dicebat Actor. 20. *Ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem; quæ in ea ventura sint mihi ignorans: nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei.* Non tanti, inquit, facio vitam meam, vt non libenter illam pro Christo prodigam: quapropter non moueor ob vincula & tribulationes prædictas, sed meo etiam voto, deuotione, ac gaudio spiritus, eò ducor. *Paulus,* inquit Chrysostomus, *ad contumeliam & iniurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis, quàm ad bonorum oblectamenta properabat; mortem potius, quàm vitam appetens.*

Ignorantia vtilitatis tribulationū causat in nobis impatientiam.

Ardor Pauli

Alij ægrè ferunt de gaudio sermonem fieri in tribulatione, quòd suam metiantur infirmitatem, non diuinam ponderent virtutem. Testatur hac de causa quosdam defeciſſe in persecutione Cyprianus tract. de duplici martyrio: *Noui ego, ac sicut quosdam magnâ animi fortitudine præditos, qui iam coronæ proximi defecerunt, & quem diu professi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in causa? Dimouerant oculos suos ab eo, qui solus robur dat infirmis: intermiserant orationem, ac cœperunt ad humana præsidia respicere. Contemplabantur natura sua viruculas, considerabant vngulas, aculeos, candentes laminas, ferrum & ignem, reliquumq; carnificinæ apparatum, etiam aspectu horrendum, & cruciatuum atrocitatem cum suis viribus conferebant, & ideò victoriam amiserunt è manibus. Vbi quis ita cogitat, Hoc possum, illud perferi non possum, nunquam fiducier peraget martyrium. Sed qui se totum tradit diuinæ voluntati, non aliò spectans, quàm ad illius opem, is demum firmus est & inuictus. Hoc autem fieri non potest, nisi adsit vera ac viuida fides, nihil hæsitans, nihil disquirens, nec cogitans quanta tyranni sit sæuitia, quanta hominis imbecillitas, sed quanta sit Domini virtus, qui certat ac vincit in membris suis.* Et paulò pòst: *Nec quisquam sibi displiceat, si corpore pariter & animo sentiat grauem ac diutinam molestiam: tantum fidat ei cui certat, is non patietur quemquam tentari supra id quod potest, sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Eadem de causa fit, vt gaudii nullam patiamur mentionem, dum à Domino vilitamur.

10. *Plurimi deficiunt in tribulationibus propter pusillanimitatem & diffidentiam.*

Alij denique non ferunt huiusmodi appreca-

11. *Bona conscientia non tristatur in casibus fortuitis, sed de peccato.*

tiones, quod nullum habeant internum consolatorem, seu bonam conscientiam refrigerantem. Non obscurè id insinuauit Hebræus sapiens, dum ait: *Non contristabit iustum quidquid illi acciderit.* Loquitur sapientissimus Rex, de rebus fortuitis, quæ bonæ mêti contrà quàm vult obueniunt, perinde si dicat: Mala voluntaria, vti sunt peccata & noxæ, virum bonum vtique sollicitum habent, & dolore afficiunt: at illa fortunæ ludibria, facultatum amissio, honoris iactura, valetudinis dispendium, charorum funera, vitium iustum non tam afflictant & angunt, vt hæc sæpissimè beneficij loco numeret, nec mala putet, sed exercitium patientiæ credat, & pro ijs, vt par est, Deo gratias agat. Nam bonæ

mentis

Iuſto calamitas omnis eſt occaſio virtutis.

menti calamitas omnis, occaſio eſt virtutis. Chryſoſtomus omni calculo hanc ſententiam confirmat, hom. 1. in 2. ad Corinth. *Nihil enim aliud*, inquit, *graue atque acerbum eſt, quàm in Dei offenſionem incurrere. hoc ſublato, non afflictio, non inſidiæ, non aliud quidquam prudentem animam moleſtiâ afficere queat. Quin potius ſi exiguam ſcintillam in magnum pelagus inijcias, eam protinus extinxeris: eodem modo moleſtia omnis quamlibet ingens, ſi in animum ſibi bene conſcium inciderit, confeſtim perit, & euaneſcit.* Hoc eſt quod dixit Apoſtolus, *Gaudete in Domino ſemper.* Appoſite idem Chryſoſtomus hom. 18 ad populum *Deum enim ſicut oportet timens, & in ipſo confidens, voluptatis radicem lucratus eſt, & omnem habet lætitiæ fontem. Et ſicut in immenſum mare decidens ſcintilla breui facilè extinguitur; ſic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vaſtum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque pereuntur. Et reuera hoc eſt maximè mirabile quod cùm adſint, qua contriſtare ſolent, permanet ipſe gaudens.* Et infrà, quòd ſancti ſemper gaudeant in quantauis afflictione, ita per ſingula diſcurrens demonſtrat dicens: *Sit enim aliquis nihil in ſe damnandum habens, ſed bona fretus conſcientiâ, & ad futura anhelans, & exſpectans illam beatam ſpem, quid hunc quæſo poterit in triſtitiam inducere? nam primo omnibus rebus intolerabilior mors eſſe videtur: ſed huius exſpectatio non tantùm ipſum non contriſtat, ſed & delectat: nouit enim quod mortis præſentia, malorum eſt liberatio, & curſus ad coronas. 2. Sed filiorum acerba mors. Verùm & hoc generosè fert; dicetq; Iob verba: Dominus dedit, Dominus abſtulit, Sit nomen Domini benedictum. 3. Quod ſi filiorum mors non poteſt contriſtare, multò minus & pecuniarum iactura, & accuſationes, & calumnia, tam magnum & generoſum animum tangere poſſunt, neque corporis dolores. Quoniam Apoſtoli flagellabantur & gaudebant à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati A Chriſto in contumelijs gaudere inſtituti ſunt: Gaudete enim, inquit, & exultate cùm dixerint omne malum mentientes aduerſum vos, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis. Sed in morbum incidit: verùm audiuit alium admonentem & dicentem: Quoniam ſicut in igne probatur aurum, ſic homines acceptabiles in fornace humiliationis. Cùm igitur neque mors, neque pecuniarum iactura, neque corporis ægritudo, neque ignominia, neque conuitium, neque quippiam eiuſmodi ipſum contriſtare poſſit, verùm etiam magis delectet, quàm vnquam triſtitiæ materiam habebit?*

Matth. 5.

Quomodo Chriſtianus in ſingulis aduerſis ſe ad gaudium excitet.

12. Iob cum infinitis viſitaretur miſerijs dixit, *Dominus dedit*, *Dominus abſtulit*: *Sit nomen Domini benedictum*: Nos malè viuimus, à Deo corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur; maledicimus & blaſphemamus. & de gaudio ne verbum admittimus. Apertè proloquimur, fames, infamia, bonorum iactura, morborum ſæuitia, neminem exhilarant;

In tribulatione nõ eſſe blaſphemãdum, ſed ad Deum ſe conuertendum.

neque enim leuiter iſta feriunt: ferreus ſit, cuius hilaritatem non ſubruant hi arietes. Da veniam mi homo. Iob non ſemel oſtendit iuſtum in tribulatione gaudere poſſe. ſic enim expoſtulat cum amicis, qui eum hypocritam volebant: *Nunquid Deum audiet clamorem eius, cùm venerit ſuper eum anguſtia? Aut poterit in omnipotẽte delectari, & inuocare Deum omni tempore?* Numquid, inquit, huiuſmodi ſimulatorem Deus exaudiet clamantem, cùm calamitas ingruat, aut illum recreare poterit, aut conſolari diuina benignitas: aut inuocare audebit patronum & vindicem, cùm nihil afferat, quo demereri ſibi poſſit diuinam clemẽtiam, aut inire gratiam ab offenſo Deo? Quod idem eſt, ac ſi dicat; Iuſtus ergo poteſt etiam anguſtiatus in Deo delectari, non hypocrita. Capite verò 19. cùm diuina illi affulgerent ſolatia, inquit: *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra reſurrecturus ſum: Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Senſus eſt: Hanc ſpem in præcordijs perpetuò conſeruabo, quæ omnem mihi mærorem ex animo deterget, & omnes calamitates, quas modò patior, in meliorem fortunam commutabit, cùm glorioſus Saluatorem glorioſum ego ipſe aſpiciam. Tobias cæcitate percuſſus gratias agit Deo omnibus diebus vitæ ſuæ. Hebræus Sapiens affirmat, *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit.* Propheta Abacuc exultans proloquitur: *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Ego, ſinquit, ſi ficus nullam mihi ſpem oſtendat futuri prouentus; ſi vineæ florem, & germen aut glacies excoquat, aut ventus exurat; ſi labor in oliueto colendo poſitus exſpectationem hiantem illudat; ſi ab orſu mortui naſcantur fœtus; ſi ab ouibus caulæ, ſi præſepia vacent ab armentis. Ego rurſum, vt verbo abſoluam, vbi omnia naturæ, atque fortunæ commoda defuerint, ſi Deus, & ſaluator meus à me ſteterit, gaudebo, atque exultabo ſeriò; quia fiducia ex eius fidelitate concepta inſtar erit mihi rerum omnium, quas ſperare poſſet, aut optare humana neceſſitas. Dominus Deus fortitudo mea eſt, qui vires dabit ad pugnandum, & ceruorum pedes ad declinandum malum.

Iob. 21.

In tribulationibus exultari poſſe.

Abacuc. 3.

Paulus gloriatur in tribulationibus, Rom. 5. placet ſibi in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto, 2. Cor. 12. & nos tergiuerſamur. Quid cauſæ? Non vulnerat nos cæleſtis regni amor. Iob ob ſpem gloriæ cœleſtis duriſſima quæque libenter patitur. Tobias nullatenus admittebat amicorum blaſphemias, qui vanam eius dicebant ſpem & fiduciam quam in Deo poſuerat, ſed eos increpabat: *Nolite*, inquit, *ita loqui, quoniam filij Sanctorum ſumus, & vitam*

13.

Gloriandum in aduerſis propter regni cæleſtis præmium.

vitam illam exſpectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutãt ab eo. Abacuc Vates conſiderans, quid à Deo de libertate populi decretum eſſet, illiuſque fidele promiſſum, & paternam prouidentiam agnoſceret in ſummis rerum anguſtijs, erecto, atque alacri fuit animo: Quare, inquit, ſi tabes adueniat, quæ corpus attenuet, & exulceret, ita vt totus vermibus ſcateam, feram non ſolùm patienti, ſed etiam libenti animo, dum à tribulatione futura ſit requies, & leuatio; & à ſeruili, timidaque fortuna, eò deducar, vt accingar gladio; quod conditionis eſt liberalis, & ingenuæ, &, quod ingenuos decet, aliquid ſtrenuum mediter, & moliar. Paulum quid fecit gloriari in tribulationibus: ipſe dicat: *Gloriamur*, inquit cap. 5. ad Rom. *in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Chryſoſtomus in hunc locum: *Cogitato igitur*, inquit, *quanta ea ſint, quæ nos futura exſpectamus; cùm vel in ijs, quæ moleſta eſſe videntur, animo attollamur. Tale eſt Dei donum, cuius quidem particula nulla inſuauis. Alijs quidem in rebus certamina laborioſa eſſe ſolent, pariuntq; tum dolorem, tùm afflictionem: cerolla autem, ac præmia voluptatem afferunt. At hic non ad eandem rationem res ſe habet, quin potius luctæ, atque certamina incunditatis haud paulò plus habent, quàm vel ipſa præmia.* Et ne alicui nouum inopinatumque videretur, gloriari eum, qui cum fame colluctatus in catenis atque quæſtionibus verſatur, tum etiam contumelias & opprobria patitur, confirmat dignum eſſe gloriari in afflictionibus, tum ob præſens bonum, quòd ad patientiam accingant, atque exerceant, hinc cauſam addit: *Scientes quòd afflictio patientiam parit*: tum ob futurum bonum cætera ſubdit: *Afflictiones enim ſpem ipſam non modò non tollunt, ſed & præparant. habet, enim afflictio, vel ante ea, quæ futura exſpectantur, maximum fructum patientiam: cum eo quoque quod probatum illum efficit, qui tentationi ſuſtinet. Confert autem aliquid & ad futura: ſpem enim in nobis vigere facit: cùm nihil ſit, quod ſic nos ad bonorum ſpem comparet, quàm bona conſcientia. Itaque illorum nullus, qui vitam rectè atque ſanctè exegêre, de futuris diffidit.*

Certamina pro præmio temporali pariunt dolorem, quæ verò ſunt animæ præmij cæleſtis eorum voluptatem.

Quod in tribulatione conformes mortiChriſto, nos in eã debet conſolari.

Rurſus Paulus 2. Cor. 4. *In omnibus*, inquit, *tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: deijcimur, ſed non perimus*: Licet, inquit, ſimus vaſa fictilia & ex altiſſimis quaſi perſecutionum turribus deijciamur non tamen frangimur nec perimus, quia ligne charitatis decocti durati & ſolidati à Deo frangi & perire non poſſumus: *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Cauſam itaque dat Paulus, cur in tribulationibus & mortificatione non anguſtietur & moriatur; ſed dilatetur, & viuat quod per tribulationem ſimilis fiat Chriſto tam crucifixo, & mortificato, quàm reſuſcitato, & viuificato. Et verè hoc eſt, quod nos in omni tribulatione animat, conſolatur, & roborat, ſcilicet quod cogitemus in ea nos conformari Chriſto patienti, & reſurgenti. Nam ſicuti in corpore noſtro tribulato & mortificato repræſentatur mors Chriſti, ita in eodem liberato, ſaluato & roborato repræſentatur vita & reſurrectio Chriſti: Quaſi diceret ergo Paulus, nos mortificationem Ieſu in corpore noſtro portare, videre eſt, cùm obijcimur leonibus, alijſque beſtijs quaſi certiſſimò ab iis deuorandi, illæ verò nobis parcunt, & adblandiuntur: cùm proijcimur in ignem, ignis autem à nobis refugit; imò leni aurâ nos reficit: cùm deijcimur in mare ſubmergendi, ſed mare nos ſuſtentat, ſeruatque incolumes: cùm lapidaret Lyſtræ, & pro mortuo relinqueret, mox tamen inuêtus ſum viuus, Actor. 14. verſ. 18. In hiſce inquam, & ſimilibus plagis & afflictionibus particeps ſum, conformor, & repræſento corpus Chriſti paſſum, mortuum & ſepultum: quod tamen mox Dei virtute ad vitam, eamque beatam & glorioſam reuocatum fuit. Atque hac de cauſa in omni tribulatione fortis ſum, imò lætor & glorior. Denique aliam cauſam addit, quare non deficiat, etiam propter alios, multa patiens: *Licet*, inquit, *qui foris eſt noſter homo corrumpatur*, preſſuris, plagis, fame, ſiti, frigore, nuditate, flagellis & morbis: *tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.* Anima, inquit, & ſpiritus renouatur, & proficit, fide, ſpe, charitate, animi alacritate, & fortior, atque fulgidior, quaſi aurum in igne euadit, ait Chryſoſtomus: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Sic Machabæis, Vincentio, Laurentio, Stephano, lapides, ſartagines, eculei, & tormenta omnia præ gloria cœleſti erant quaſi momentum reſpectu infiniti temporis; quaſi pluma, vel bulla leuiſſima, reſpectu cœli, vel vniuerſi alicuius plumbei, aut potius aurei; quaſi punctum, reſpectu totius mundi. Pulchrè S. Auguſtinus in Pſal. 93. Deum dicere ait, *venale habeo: quid Domine? regnum cælorum. quo emitur? paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Scriptum eſt enim: *beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur: beati qui eſuriunt, quoniam ipſi ſaturabuntur*, &c. Apoſtè ergo Paulus gloriæ pondus attribuit, tribu-

Tribulatio externi hominis, eſt confortatio interioris.

Breuitas tribulationũ huius mundi, parit æternam gloriam.

tribulationi lenitatem; huic momentaneam durationem, illi æternitatem: huic præsens tempus & locum, illi sublimitatem & perennitatem: huic, nostram esse tribulationem; quippe quam quasi manu apprehendimus, & pugno concludimus; illi verò, vt supra modum, supraque omnem mensuram, sine vlla intermissione operetur in nobis.

14. Nos autem ob Dei gloriam nihil pati volumus, nec Pauli verba admittimus, *Gloriamur in tribulationibus*, Roman. 5. *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo*, 2. Cor. 12. Chrysostomus hom. 1 in 2. ad Corinth. huius rei docet differentiam, dum ait Abraham Paulum, secundum Deum semper fuisse gaudiosos; alios verò, qui vita negligenter acta malæ conscientiæ stimulis fodiuntur, facilè à tribulationibus vinci: *Insignis*, inquit, *ille Patriarcha* (Abraham) *cùm multa molesta pateretur, tamen gaudio fruebatur.* Et paulò post: *Consimiliter & beatus Paulus, cùm videret quasi nivis cumulos, tentationes quotidie ingruentes, non aliter quàm si in medio Paradiso vixisset, ita gaudebat, gestiebatq;. Proinde vt qui hoc gaudet gaudio; non potest animi perturbatione vinci.* Et ad propositum nostrum subdit: *Ita qui hoc non tenetur gaudio, à quibuslibet facilè capi vinciq; potest, ac prorsus huic idem evenit, quasi si quis arma gerens imbecillia, quamlibet levis plaga vulneraretur. At non item, qui undique probè communitus est grani armatura, quin potius quodcunq; telum impactum fuerit, discutiet. Nullum enim armatura genus validius, quàm gaudere secundum Deum: neque quicquam est, quod hominum eiusmodi, directum aut tristem reddere queat, sed omnia erecto fortiq; animo perpetitur. Quid enim igni peius? Quid assiduis tormentis cruciabilius? nam etiamsi quis immensam possessionum vim amittat, si liberos, si aliud quodcunq; hoc si ad doloris rationem veces, cæteris omnibus est magis tyrannicum ac violentum. Pellem enim, inquit ille, pro pelle, & omnia quæcunque possidet homo, dabit pro anima sua. Neque quicquam accidere possit corporis cruciatu molestius, attamen etiam illa, quæ ne audire quidem sustinemus, non solum tolerabilia, verùm etiam desiderabilia reddantur, post spiritualis gaudium. Quòd si martyrem adhuc seminecum, lentoq; spirantem à ligno seu sarragine deponas, reperies in illo tantum adhuc gaudij, quantum oratione adhuc consequi possit.*

Ex bona conscientia oriri gaudia in tribulatione. Genes. 12.

Iob. 2.

Igitur hoc curemus, vt bona conscientiâ fruamur, & experiemur, quod quidam amicorum Iob ad illum dixit: *Deus non projicit simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua jubilo.* hoc est, ex animo ad Deum convertere, qui te emendatum sic prosequetur liberaliter, donec gaudio ad exultationem, & iubilo impleatis. Attende, ô Christiane, quàm sublimem existimet tribulationé Chrysost. homini iusto, & vires resumes: *Age*, inquit, *dic mihi, quid habent simile, propter Christum flagellari, & cum Deo colloqui, rebúsque omnibus esse superiorē, vincere persequentium furiam, ita munitum esse vt mundus tibi manum non possit injicere, denique hinc eiusmodi expectare præmia, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Quid simile, ob pietatem affligi, & innumeris solatijs à Deo refocillari, à tantis peccatis liberari, dignum haberi dono Spiritus, sanctificatione, & iustitia, neque quemquam metuere, nullius formidine tangi; postremò in mediis periculis, omnibus excelsiorem videri?* Et immediatè post sic perorat: *Proinde, ne consternemur animo in tentationibus. Nullus enim communicat Christo delicatam agens vitam, nullius inquam istorum qui molliter ac dissolutè vivunt, verùm qui versatur in afflictione & tentationibus, qui per angustiam ingreditur viam, is demum illi vicinus adest, quandoquidem & ipse per hanc ingressus est, vt & ait: Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Itaque ne doleas, cùm affligeris, cogitans primum quicum habeas societatem, deinde quomodo per tentationes repergeris, denique quantum lucri facias. Nihil enim aliud molestum est, quàm Deum habere offensum. Id si absit, non afflictio, non insidiæ, non alia res vlla molestiam adferre potest animo rectè sapienti.*

Quanta gignat bona tribulatio.

Luc. 9.

Gentiles nos confundent: Illi bonum consolationis non cognoscentes, neque diuinum quid cogitantes, simulabant gaudium propter vanam gloriam, & perpetuam posteritatis famam; ob quam ignem libens experiebatur Mutius, paupertatem Fabricius, exilium Rutilius, tormenta Regulus, Socrates cicutam ridendo hauriebat, mortem Catolætus subibat (nemo enim solis naturæ viribus lætus eiusmodi naturæ miserias tolerat) Apage ergo! Apostolòs aut Angelum audi, *Gaudium tibi sit semper*: Iacobi vocem; *Omne gaudium existimate*, &c. *Beatus vir qui sustinet tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

16. *Gentiles propter inanem gloriam in tribulationes exultaverunt.*

SECTIO VI.

An Tobias incredulus fuerit verbis Angeli gaudium in tribulatione apprecantis.

VARIANT in explicatione huius loci Authores Carthusianus vult sensum huius loci esse, *non cupio hac in vita gaudium, cùm cæcus nunc viuam, & propediem moriturus sim, futura gaudia desidero.* Hugonis Cardinalis sententia hæc est, *Non dixit hoc dubitando de gaudio futuro, vel murmurando; sed de modo quæsiit, sicut B. Virgo Luc. 1.* Idem sentit Hofmeisterus, qui illa sic interpretatur, *Quamam ratione gaudij & salutis, quam precaris, compos esse possim, duc si nosti.* Hebraicus textus videtur innuere Tobiam Angeli salutationem

1. *Huius loci diversa expositiones.*

tationem ferè rusticè accepisse, quemadmodum Plautinus ille Stratylax, cùm dictum esset ei, *Salue*; respondit, *Satis est mihi tua salutis, nil moror, non saluco. Egrotare malim quàm esse tuâ salute sanior.* Sed illud non consonat testimonio Spiritus sancti, quod illi tribuit cap. 2. huius historiæ, *Cùm ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Vnde necesse est alium esse horum verborum sensum.

2. *Prima expositio & probabilis.*

Dico itaque vel Tobiam quæsisse modum, quomodo semper posset gaudere, licet cæcitatem pateretur. Solent enim Sancti, etsi non increduli de modo inquirere. Sic Genes. 15. Abraham accepto promisso à Deo de possessione terræ Chanaam respondit: *Domine Deus, vnde scire possum quod possessurus sum eam.* In quæ verba sic Theodoretus q. 64. in Genes. *Istud, In quo cognoscam hoc, non diffidentis est, sed modum possidendi scire desiderantis: Quum enim videret multa hominum millia Palæstinam incolentium, discere volebat, quo pacto Dominum illius terræ accepturus esset, num sine bello, an sine armis: & an viuentibus illis, an expulsis aut prorsus cæsis.* Et mox subijcit verba Scripturæ; quibus Deus petitioni annuit Patriarchæ: *Hæc*, inquit, *de causa sacrificio finito Deus omnium*, inquit: *Cognoscens cognosces, quod semen tuum incola erit in terra aliena, & non sua: & seruituti subjicient eos, & affligent illos, atque humiliabunt quadringentos annos. Gentem verò cui seruierint, iudicabo ego, postea verò egredietur huc cum substantia multa. Tu verò decedes ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Quarta autem generatione reuertentur hæc. Nondum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque nunc.* Quæ verba ipse clarissimè explicans, inquit: *Ex responsione diuinâ formam interrogationis cognoscere licet. Nam postquam dixit, in quo cognoscam, quod possessurus sim eam: didicit quantum temporis incola futuri essent, & quàm miserè tractandi, & quantâ tandem prouidentiâ Dei excipiendi, tum supplicio sumendo de his, qui illis bellum inferre vellent, tum eorum bona fruendo: & quòd Abraham nulla horum experientia acceptâ, in pace è vita discessurus esset. Didicit quoque rationem dilationis, ne quis suspicaretur, ob numerosam incolarum multitudinem Dominum Deum non potuisse illis tradere Dominium illius terræ. Dixit autem sic nondum adimpleta sunt peccata Amorrhæorum vsque nunc. Nondum*, inquit, *exitio digna perpetrarunt. Non decet autem ante peccatum ex præscientia pœnam infligere.*

Beatissima Virgo, Angelo nuncianti ei mysterium Incarnationis, dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Quasi diceret, mente percipio mysterium, quod mihi nuncias, eique fidem adhibeo, seu intelligo & credo beneficium insigne, quo me Deus prosequitur, dum me tanti filij matrem facere dignatur: quo autem modo id futurum sit non assequor; quia meam virginitatem Deo dicaui, nec mihi iam virum accedere fas est; Explica modum, quo hæc fieri debeant, an nempe Deo placeat me virginitati renunciare, an medium aliud tenere velit, qui omnia potest; Ad quam interrogationem respondit illi Angelus, quòd saluâ virginitate conciperet & pareret, cùm dixit: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Hæc expositio est probabilis.

Verùm altera mihi videtur probabilior, quòd moderatam suam querimoniam humiliter Angelo exposuerit, vt consolationem aliquam reciperet, tum quia dixi cap. 2. verbum *contristatus* eo loci significare, *non indignatum est contra Deum*: tùm quòd sancti viri etiam soleant suas querimonias Deo humiliter exponere, vt Moyses Numer. 11. qui cùm Hebræi murmurarent, & cœpas, & carnes peterent, turbatus inquit ad Deum: *Cur afflixisti seruum tuum? quare non inueni gratiam apud te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? &c. Vnde mihi carnes, vt dem tanta multitudini? flens contra me, dicentes: Da nobis carnes vt comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis mihi est. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Iosue etiam cap. 7. cùm cederet populus Israel hostibus propter furtum de anathemate Iericho ab Achan commissum. *Heu Domine Deus*, inquit, *quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? vtinam vt cœpimus, mansissemus trans Iordanem, mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: & quid facies magno nomini tuo?* Sic Gedeon post quam saluatuerat eum Angelus, *Dominus tecum virorum fortissime*, dixit ad Angelum: *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia? vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres nostri, atque dixerũt, de Ægypto eduxit nos Dominus? nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian.* Discere voluit, quomodo constaret Deum cum illis esse, qui tantis affligebantur malis: quãdoquidem dicatur Deus esse cũ ijs, quos iuuat, protegit & felicitat, ac liberat, sicut olim populum suum quem mirabiliter in rebus aduersis protexit, & inimicis suis superiores effecit, quasi dicat tua salutatio & bona precatio procul abest à re ipsa; nam adeò Dominus non est nobiscum quod mihi precaris, vt versemur in medijs malis, sitque nobis iam iam fugiendum ab hostilibus copijs aduentantibus quomodo ergo Deus nobiscum

3. *1. Expositio & probabilior.*

Sanctorum querimonia, sunt libelli supplices vt à Deo accipiant consolationem.

Iudic 6.

dum est? Helias quoque 3. Reg. 17. mortuo filio cuiusdam matrisfamilias sic conquerebatur: *Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius.* Sic etiam Tobias queritur. Id autem non est rusticè loqui, aut Deum eiúsve Commissarium offendere.

4 Vnde hi omnes in signum quod non peccarint, consolationem à Deo acceperunt. Moyses enim amarissimè afflictus perturbato animo, vix sibi præsens, hæc ad Deum, quæ dixi verba, proferebat; & loco correptionis Deus onus illius in septuaginta viros seniores partitus est. Iosue verò statim audiuit, & intellexit causam desolationis: dixit enim illi Dominus: *Surge cur iaces pronus in terram? Peccauit Israël, & preuaricatus est pactum meum: tulerunt q; de anathemate, & furati sunt atq; mentiti, & abscondẽrũt inter vasa sua. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosq; fugiet: quia pollutus est anathemate: non ero vltrà vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Gedeoni autem dictum est: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian: scito quod miserim te.* Consolationem & victoriæ non dubiam spem accepit, perspectâ præsertim mittentis auctoritate, qui ait: *Scito quod miserim te.* Heliam consolatus est Dominus resuscitando puerum ad preces ipsius: *Domine Deus meus,* inquiebat, *reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius*; sequitur: *Et exaudiuit Dominus vocem Helia, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.* Tobias denique noster cùm moderatè quereretur consolatoria percepit hæc ab Angelo verba: *forti animo esto, in proximo est vt à Deo curetur.* Quæ sanè non intellexisset, si putasset in plaga cœcitatis nullam esse rationem gaudij; sed potiùs correptus fuisset à Deo, quemadmodum Israelitæ multoties, conquerentes quòd frustra Deum orarent, & animas suas humiliarent in captiuitate Babylonica existentes.

5 Cæterùm ne cuiquam durum videatur, eam interrogationem Tobiæ, modo à me prædicto explicari, aduerte in sacra Scriptura interrogationes multiplici sensu fieri. Quædam enim simpliciter fiunt, vt responsum detur. Sic Christus Ioan. 18. rogabat cohortem eorum qui veniebant cum laternis & facibus, & armis, vt eum comprehenderent, *Quem queritis?* Et Ioan. 9. cœcus à natiuitate curatus à Domino, & eiectus è Synagoga, dum peteret ab eo Christus: *Tu credis in filium Dei*, respondit: *Quis est Domine, vt credam in eũ?* Quædam fiunt per modum indignationis cuiusdam Matth. 17. *O generatio incredula, quousque ero vobiscum; vsquequo patiar vos?* quædam per modum reprehensionis, & increpationis. Matth. 15. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? Quare vos transgredimini mandatum Dei?* Quædam per modum deprecationis. Psal. 43. *Exurge, quare obdormis?* Quædam per modum piæ querimoniæ. Psal. 73. *Vt quid Deus repulisti in finem. Iratus est furor super oues pascuæ tuæ: Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* Vbi Propheta in persona populi Iudaici deplorans vniuersalem illam calamitatem, quâ miserrimè oppressus fuit à Gentilibus sub Rege Antiocho, qui dictus fuit Epiphanez, sic queritur: Quare, ô Deus, ita te geris erga nos, vt videaris nos à tua cura, & fauore abiecisse penitus, & in perpetuum, tanquam nullam amplius nostri rationem te habiturum statueris? cur optime Deus, indignationis tuæ seueritas manet in eis, quos tibi delegisti in oues pascuæ tuæ, vt scilicet, eos pascas, cures, & regas? Qui iam diu visus es nostri immemor, declara, quæso, te memorem esse eius congregationis quam tibi propriam fecisti. possidens eam in peculiarem hereditatem, non ab heri aut hodie, sed à diebus antiquis, dum eam ex Ægyptiaca seruitute assertam, tibi in peculium ex omnibus gentibus delegisti. Quædam per modum commiserationis Thren. 1. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* Quædam per modum repulsæ 2. Reg. 16. *Quid mihi & vobis filij Saruiæ?* Quædam per modum negationis, Rom. 11. *Quis cognouit sensum Domini? quis consiliarius eius fuit?* Quædam per modum propriæ iustificationis, & defensionis. Psal. 21. & Matth. 27. *Deus meus vt quid dereliquisti me?* quasi diceret, in me culpa nulla est, ob quam sum derelictus. Quædam denique per modum admirationis. Sic Luc. 1. rogabat beata Virgo, *Fili quid fecisti nobis sic?* Admiramur, nec causam scire possumus, cur sic feceris? Similis est interrogatio Isa. 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Tobias noster interrogat per modum piæ querimoniæ vt dixi.

Interrogationes in sacra Scriptura multiplici sensu fiũt.

CAPITIS QVINTI

VERSVS XIII.

Cui ait Iuuenis : forti animo esto , in proximo est , vt à Deo cureris.

Vers. 14. *Dixit itaque illi Tobias : Nunquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum ? & cùm redieris, restituam tibi mercedem tuam.*

Vers. 15. *Et dixit ei Angelus: Ego ducam & reducam eum ad te.*

Vers. 16. *Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?*

Vers. 17. *Cui Raphael Angelus dixit. Genus quæris mercenarij , an ipsum mercenarium , qui cum filio tuo eat?*

Vers. 18. *Sed ne fortè solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.*

Vers. 19. *Et Tobias respondit : Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quòd voluerim cognoscere genus tuum.*

Vers 20. *Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam , & sanum tibi reducam filium tuum.*

PARAPHRASIS.

Vers. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Iubet eum Angelus bono esse animo, & sperare meliora, vtpote cui à Deo iam appropinquet optata salus, & oculorum redeat extinctum lumen, & acies oculorum reuiuiscat. Tobias senior licet aliquid excellens in Angelo, quem hominem putabat, crederet; postulat ab eo, an filium sub mercede ad Gabelum perducere queat, quam absoluto itinere ei promittit persoluere. Cui Angelus firmissimè asserit, securus sit, quia filium ducet & reducet : ne autem bonus pater agnum forte lupo deglutiendum, lacerandumque committeret, ex genere, virtuteque natalium coniecturam quærit præclaræ indolis & fidelis animi. Ad quod Angelus sapienter respondet, de genere non esse admodum curandum, cùm de alijs constet, quæ fieri aut postulantur, aut iubentur. Verùm quia huiusmodi responsio illiberalis videri posset, & senis solicitudini parum idonea, illius obsequitur studio, dicitque se Azariam vocari, & magno Anania parente prognatum, quod nomen Tobiæ gratum fore cognouerat. Cùm autem celebris esset Ananias, & illustris inter Israëlitas generis, excusat sese humaniter, quòd de tanti nominis filio inquisierit. Quod præteriens Angelus tursus assertiuè promisit, se filium suum ducturum & reducturum incolumem.

SECTIO SEPTIMA.

Vnde potuerit Angelus scire quod breui curaretur à Deo Tobias senior ; similiter quòd filium duceret & reduceret incolumem, & quæ ex horum notitia documenta?

1. *Dauid sibi confidenter persuasit, de felici successu certaminis singularis cum Goliath.*

MVLTA solent homines ex certa confidentia alijs assecurare, quasi de euentu essent securi. Sic Dauid 1. Reg. 17. cùm homo quidam ex Philistæo genere prodigiosæ molis fortissimum quemque ex Hebræorum agmine ad singulare certamen prouocaret; neque vllus ex agmine tanto, aut certamen, aut certaminis conditionem positum admitteret, in medium prodijt, paratus certamen singulare cum illo adire, & reprehensus idcircò à fratribus, & ab ipso Rege Saul, animosè respondit Sauli, *Pascebat, seruus tuus patris sui gregem*

gregem, & veniebat leo vel vrſus, & tollebat ariétem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamq; eos. Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſtæus hic incircunciſus, quaſi vnus ex eis. Suadet Dauid Regi, qui timido erat animo, neque rem hanc arduam, quæ giganteas vires, & audaciam requireret, inexperto belli, & imperito omninò rei militaris committendam putabat, deſperandam non eſſe victoriam. Quia rem tentauerat, & felici ſæpè ſucceſſu confecerat, quæ non minus roboris, & audaciæ exigebat, quando inermis occurrit leonibus, atque vrſis, illoſque aut ſuffocauit eliſis faucibus, aut manibus in fruſta concerpſit. Modus autem ipſe loquendi non ſemel, aut bis, ſed ſæpè de feris reportatas indicat eſſe victorias. Quas ſine labore comparatas eſſe à Dauid, ſed quaſi per iocum, & ludum, vt à ludente venatore venabulo conficiuntur feræ, habemus Eccleſ. cap. 47. verſ. 3. *Cùm leonibus luſit, quaſi cum agnis; & in vrſis ſimiliter fecit ſicut in agnis ouium in iuuentute ſua.* Hac ratione animatus, dixit Dauid: *Nunc vadã, & auferam opprobriũ populi: quoniam quis eſt ille Philiſtæus incircũciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis?* Et ait Dauid, *Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi huius.*

Maria Magdalena magna vi amoris.

Ioannis cap. 28 cùm ambiret Maria Magdalena, videre Chriſtum, qui iam reſurrexerat à mortuis, & Chriſtus appareret illi ſub figura hortulani, dicit, *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Hæc dicebat illa ex magna vi amoris perſuaſa quòd ſola corpus tollere poſſet, non obſtante militum turma ad cuſtodiam deputata: *Vide,* inquit Hieronym. quæſt. 5. epiſt. ad Edibiam, *quem cuſtodiebat cohors militum, cuius ſepulchro Angeli præſidebant, ab vno hortulano arbitrabatur ablatum, & ignorans imbecillitatem fœmineam tantarum ſe virium repromittit, & credit, vt corpus viri, & perfecta ætatis, & quod, vt cætera taceam, centum libris myrrha circumlitum erat, exiſtimaret ab vnâ, & pauidâ muliere poſſe portari.*

2. *Quomodo Angelus gradicat Tobiam curandum.*

Angelus hic ſub forma hominis agens cum ſeniore Tobia, aſſerit in proximo eſſe, vt ipſe à Deo curetur; poſt pactum verò de mercede, aſſerit ſe filium incolumem ducturum & reducturum. Ex quo capite hæc tam confidenter ſpondes Angele Dei? Dic quæſo vnde ſcias quod Deus curabit Tobiæ cæcitatem? vnde quòd filium tẽpore itineris, febri, peſte, morbóue alio, non extinguet? vnde quòd latrones ob pecuniam, quam vadit repetiturus, iuuenem non lædent, non interficient? Quanam ratione ſecurus es, quòd ipſe iunior Tobias receptâ tam grandi pecuniæ ſummâ, non alio diuertet, dicens, Patrem habeo cœcum, matrem moroſam; iam mihi ſatis pecuniarum, vt alibi quaſi eximius nobilis liberaliter viuam? Si homo ſis, quem te inſinuaſti, temerarium hoc valde eſt, neq; in hominis etiam fortiſſimi poteſtate omnium inſidijs reſiſtere. Non videtur confidentia, ſed nimia præfidentia, quæ ſæpè infeliciorem ſortitur effectum, vt ipſe Goliath contra Dauidem ſuo tam funeſto, quàm ſubitaneo exitio expertus eſt. Si verò exiſtas Angelus, adhuc me ſcrupulus viget: Nam Angelorum non eſt per ſe futura ſcire contingentia; neque poteſt naturali lumine certò cognoſcere, an aliquis effectus ſupernaturalis reipſa ſit futurus, qualis eſt curatio à vera cœcitate: non enim pendet effectus à cauſis naturalibus; ſed à Dei libera voluntate. Non poteſt vnus Angelus liberas cogitationes alterius, imò nec hominis; multò minus libera Dei decreta circa res humanas ſcire. Vt enim argumentatur Apoſtolus 1. Cor. 2. *Quæ ſunt hominis, nemo nouit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.* Veluti, inquit, quæ in corde & mente hominis deliteſcunt, nimirum cogitationes, volitiones, & intentiones, ipſumque fundum cordis humani nemo ſcit: ita quæ in mente Dei abſcondita, pura cogitationes, conſilia, & determinationes diuinæ voluntatis nemo cognouit, niſi Spiritus ſanctus, qui eorum æquè ac ſui ipſius eſt conſcius.

Angeli ignorant futura contingentia.

Ignorant etiam libera Dei decreta.

Rurſum quomodo potes hæc aſſecurare, cùm Angeli, qui myſterium Incarnationis & Redemptionis noſtræ quoad ſubſtantiam ex reuelatione à principio ſuæ beatitudinis cognouerunt, omnes tamen eius partes, ſpecies, cauſas, affectus, modos & circumſtantias non cognouerint, ſed dedicerint? Hoc enim inſinuat Apoſtolus Epheſ. 3. cùm inquit: *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, In Gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit: vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* Quaſi dicat: Idcirco hæc prouincia mihi commiſſa eſt, vt etiam Angeli diſcerent clarè & diſtinctè, quomodo vocandæ eſſent gentes, an ſimul cum Iudæis, an in locum Iudæorum, cùm illi reſpuiſſent Euangelium, & à Deo reiecti eſſent, quo ordine, per quos, quibus modis & mediis; hoc enim ante Angelos paſſim cognouerunt ex Dei reuelatione Apoſtoli, præſertim Paulus, tum ab initio conuerſionis ſuæ, quando ante alios Apoſtolos electus fuit à Deo, & declaratus doctor Gentium Act. 9. v. 15. tum potiùs & pleniùs, quando maximè mittendus ad Gentes raptus fuit in tertium cœlum.

3. *Angeli quidem nouerunt myſterium Incarnationis quoad ſubſtantiam, non eius partes.*

Item Angeli diem iudicij non habent perſpectum

Latet Angelos dies iudicij.

ſpectum, vt teſtatur Marcus cap.13. *De die autem illa*, inquit, *vel hora nemo ſcit, neque Angeli de cælo, neque filius, ſed ſolus Pater, & cui Pater voluerit reuelare:* & tu tam conſtanter hæc aſſeris.

Angeli ſciũt quoſdam effectus ſupernaturales eſſe poſſibiles.

Scio quod Angeli naturali quidem lumine euidenter cognoſcere queant quoſdam effectus ſupernaturales eſſe poſſibiles, vt conſeruare pueros in igne Babylonio, quòd ignis indigeat concurſu Dei, quem ipſe liberè poſſit ſuſpendere; mortuos etiam ante vniuerſalem reſurrectionem poſſe ad vitam reuocare, quòd Deus ſit omnipotens: & ex eodẽ capite illuminare cæcum; ſed an realiter hoc efficiet, id penes Deum eſt; Et tu tam liberaliter affirmas, in proximo eſſe, vt à Deo curetur Tobias. Deinde ſpondes te ducturum & reducturum in columem filium, & neſcis quid habeat ille in mente; & quaſi cogitationum ipſius eſſes conſcius & particeps, ita loqueris: Scriptura aſſerit ſolius Dei eſſe cognoſcere cogitationes cordium ante conſenſum aliorum. Hieremias vates inquit cap.17. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus.* Apoſtoli electuri in locum Iudæ alium Apoſtolum, ex duobus vnum, precantes dicebant: *Tu Domine, qui noſti corda omnium.* Paulus ad Romanos 8. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quæ deſideret ſpiritus.* Latrones nihil ſolent meditari quàm ſpolia, & ſtruere inſidias iter agentibus, præſertim cui rei familiaris adeſt theſaurus: & tu quaſi horum nihil eſſet exſpectandum, aut timendum, omnem ſpondes ſecuritatem. Si quidem præſentia aſſereres, tibi fidem adhiberem: nam Scriptura docet, Angelos gaudere ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. offerre viventium preces, Tob. 12. Act. 10. & plura in neceſſitate conſtitutis paſſim exhibuiſſe beneficia. Verùm vnde hæc ſcias, auidus reſponſum anhelo. Certè ſi hæc eum rogarem, non aliter reſponderet ſibi hæc nota, quàm ex Dei reuelatione: quod & indicat Spiritus ſanctus, dum inquit cap. 3. huius hiſtoriæ: *Miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphael, vt curaret eos ambos.* Hic ſolus eſt modus & via, qua innoteſcunt Angelis futura contingentia, quæ à Dei aut hominum pendẽt libera voluntate. Sic reuelauit Angelus Deum repræſentans Abrahæ excidium Sodomæ & Gomorræ, Geneſ. 18. Sic Iſaaco & poſteris euentura, Geneſ. 22. Sic Iſaiæ cap.7. dixit Prophetа: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Sic Danieli Angelus reuelauit tempus incarnandi Filij Dei, Daniel. 9. Hac reuelatione fretus, conſolatus eſt Tobiam ſeniorem, eique prædixit breui curandam cæcitatem, *Forti animo eſto, in proximo eſt, vt à Deo curetur.* Ex hoc capite ſecurus ſpopondit ducere & reducere iuniorem Tobiam; ex hoc, inquam, latrones & inſidiatores ſtocci pendit, pericula nulla metuit: *Sub illo enim curuantur, qui portant orbem*, Iob.9. *Eius conſilium ſtabit, nec eſt qui voluntati eius poſſit reſiſtere.*

Angeli prædixit futura contingentia ex Dei reuelatione.

Huc adeſte, qui fatidicos, qui diuinos, qui pythones de matrimonijs, honoribus, de ſtatu ac conditione vitæ conſulitis, & animaduerte veſtram ſtoliditatem. Angeli ignorant futura contingentia, & vos homines conſulitis, ac illos quidem, qui ope diabolicâ venditant futurorum ſcientiam. Angeli neſciunt, qui *ſemper vident faciem Patris qui in cælis eſt:* & in extremum detruſi barathrum horum ſcientiam callebunt? D. Auguſtino teſte, dæmon hominem non tentaſſet, ſi in illo videre potuiſſet internam ſpeciem virtutum; ſi mirabilem Iobi patientiam diabolus potuiſſet cernere, non fuiſſet eum aggreſſus, neque tot in eum iaculatus fuiſſet tormenta; noluiſſet enim præ ſuperbia ab homine ſuperari. Si dæmones potuiſſent perſpicere ſapientiam & gloriam per Chriſtum nobis comparandam, numquam, Paulo teſte, Dominum gloriæ crucifixiſſent, numquam Iudæos ad eius necem inſtigaſſent numquam Pilatum, Annam, Caipham, alioſque principes Iudæorum ad Chriſti mortem ſtimulaſſent, quia id numquam agere voluiſſent, per quod ſcirent humani generis ſalutem prouehendam, ſuumque regnum deſtruendum. Hi nec cognoſcent, quid Deus in hominem ſtatuerit, an eum ab infirmitate curabit, an ab ea morietur. Carè conſtitit Ochoziæ Regi 4.Reg.1. miſiſſe nuntios ad cõſulendum Beelzebub Deum Accharon, an de infirmitate, quam per caſum incurrerat, moreretur: nam Dominus miſit Angelum, qui horum certionem faceret Eliam, & durum nuntium conſtituit Ochoziæ, quòd proptera videlicet alias nec dum moriturus, triſtem ſubiret vitæ clauſulam.

4. *Morale Veridicos nullo modo eſſe conſulendos.*

Intelligite hæc, qui Dei mandatum contemnitis, quæ per Moyſem dixit: *Nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini*, Leuit. 19. Refricat idipſum Deuter.18. *Nec inueniatur inter vos, &c. qui ariolos ſciſcitetur &c. nec qui pythones conſulat, nec diuinos, &c. omnia enim hæc abominatur Deus.* Hæc vna inter alias fuit cauſa Deo, extirpandi Chananæos: *Propter eiuſmodi ſcelera delebit eos*, Chananæos, *in introitu tuo*, inquit Moyſes ad Iudæos. Iſaias Vates ſeuerè nomine Dei edixit, ne Iudæi à Regibus Syriæ & Samariæ obſeſſi, etiamſi politici & impij homines ſuadeant, à pythonibus, diuinis & magis in illo anguſtiſſimo rerũ articulo, futurum iſtius obſidionis euentum præſumant ſciſcitari, niſi velint duriſſimum experiri exitium: *Quod ſi non dixerint*, inquit, *iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et tranſibit per eam, corrues & eſuriet: & cum eſurierit, irascetur, & maledicet Regi ſuo, & Deo ſuo, & ſuſpiciet ſurſum.*

5. *Iſa. 8. Iudæi grauiter declarantur puniendi, ſi conſilium ſequantur pythonum.*

Et ad

Et ad terram, intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, diſſolutio & anguſtia, & caligo perſequens, & non poterit auolare de anguſtiâ ſuâ. Si, inquit, contrauenerint huic Dei mandato, hoc eis primùm continget, In tenebris errorum & falſorum oraculorum degét, nihil habebunt lucidum, felix, iucundum & proſperum, ſed omnia infauſta, triſtitia & aduerſa; nec hoc ſolum, ſed corruet domus Iacob, ſeu Iudæa, ab hoſte ſuperata, & famem experietur extremam, quà inſtimulante bacchabitur vt demens, & maledicet Deo, & ſuſpiciet cœlum, & aſpiciet terram; ſed ſiue in cœlum ſurſum, ſiue in terram deorſum aſpiciat, non niſi tribulationem, tenebras, triſtitiam, & miſeriam, diſſolutionem virium corporis & animi, atq; vndiq; anguſtias ſe perſequentes, quas euadere non poterit, inuenerit & intuebitur: ſurſum enim cœlum clauſum, Deumque iratum & ſæuientem, deorſum terram vndique ab hoſtibus infeſtam aſpiciet. Vide copioſè dicta hac de re Diſcurſ. 64. in primum Præcept. & Diſcu. 67. de ijs, qui ſimili de cauſa Aſtrologos conſulunt, vbi latiſſimè deductum comperies, quàm abominabile id ſit coram Deo, ad quem ſolum ſpectat præſcientia futurorum contingentium. Hoc primum documentum ex acquiſita Angeli ſcientia per Dei reuelationem.

6. *Dei diuiſio ne ſua committenda.*

Alterum non minus vtile exurgit ex eadem, quod nos miſelli homines de futuris actionibus humanis, quas meditamur, continuò ſupponere debeamus, *Si Deo placeat.* Hoc docuerunt nos Angeli, hoc docuerunt Prophetæ; licet enim certus eſſet Angelus ille, qui apparuit Abraham inter tres illuſtrior ac ſuperior, eique prædixit filium parituram Saram, addidit nihilominus modeſtiæ cauſa *vitâ comite. Reuertens*, inquit, *veniam ad te tempore iſto vitâ comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Proximo anno, hoc eodem die, inquit, & horâ huc reuertar, & viuente te, & Sara vigente & viuente habebis ex ea filium. Spondet vtrique prolem, & addit *vitâ comite.* Quomodo ſpondere potuit, ſi dubium de vita; ergo modeſtiæ cauſa ad noſtram inſtructionem hæc verba protulit. Nam neque de Angeli vita dubitari poterat, quibus mors indicta non eſt, neque iam peccare poſſunt. 4. Reg. 4. Eliſæus promittit Sunamitidi, à qua liberaliter fuerat exceptus hoſpitio, breui filium: *In tempore iſto*, inquit, *& in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in vtero filium.* Quæ verba nil niſi modeſtiam inſinuant, nam fruſtra prædixiſſet, niſi eam victuram ſciuiſſet. Vas illud electionis abſque ope diuina nihil tentare voluit. Ad Romanos ſcribens dicit ſe ad vltimum vſque ſpiritum Deo deſeruire, & pro eo laborare, & decertare, *Obſecrans ſi quo modo tandem proſperũ iter habeam in voluntate per-*

Paulus nihil tentabat niſi Dei directione impetrata.

Mauden in Tobiam.

ueniendi ad vos. Ro. 1. Idem inquit 1. Cor. 4. *Veniam autem ad vos citò, ſi Dominus voluerit.* Poſt multa verò ib. c. 16. *Nolo enim vos modò in tranſitu videre; ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.* Et ad Hebræos cap. 6. *Et hoc*, inquit, *faciemus, ſi quidem permiſerit Deus.* In Actis autem Apoſtolicis legimus cap. 16. Paulum, & eius comites à Spiritu ſancto prohibitos, *loqui verbum Dei in Aſia.* Eidemque cùm veniſſent in Miſiam, *tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus* IESV.

Apoſtolus Iacobus id fideles planiſſimè docet: *Ecce nunc*, inquit, *qui dicitis, hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur: pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit.* & *Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* Quaſi diceret, Vos veſtras actiones, & lucra ita diſponitis, quaſi à nullo pendeatis, ideoque dicitis, Ibimus, mercabimur, lucrum faciemus; cùm cogitare deberetis, vitam, omneſque actus veſtros pendere à nutu Dei, ideoque addere & dicere: *Si Dominus voluerit*, vt hoc dicto Dei prouidentiam confiteamini, reuereamini, inuocetis, illique vos, veſtraque omnia humili totoque corde ſubmittatis & cõmittatis. Hinc non ſolum Iudæi aſſueuerunt, ſe & ſua diuinę committere voluntati vt 1. Macha. 3. Iudas Machabęus initurus prælium inquiebat: *Sicut fuerit voluntas* in cœlo, ſic fiat: ſed & Chriſtiani ex doctrina ſancti Iacobi, & fortè Apoſtoli Pauli exemplo, qui 1. Cor. 4. ad eos ſcribens: *Veniam*, inquit, *ad vos citò, ſi Dominus voluerit.* Imò Gentilibus Auguſto, Ciceroni, Catoni, Ennio, teſte Briſſonio in Formulis lib. 1. familiares fuêre hæ voces, *Si Dij volent, Dijs volentibus*, &c. Socrates ſuum Alcibiadem docuit ante opus dicere, *Si Deus voluerit*, ait Plato in Alcibiade. Solymannus Turcarum rex potentiſſimus, cùm permoleſtè ferret regnum ſuum à filio perturbari, & vnus ex primarijs principibus, & miniſtris, qui ſibi de more aſſiſtebat, in gratiam eius dixiſſet: Ego illum de medio quamprimum auferam, ne tibi moleſtus eſſe pergat, ac ita ſedabo regnum tuum: eò quòd non addiderat: *Si ita Deo viſum fuerit*; continuò iuſſit illum ante ſe decollari. Vt intelligas hoc documentum Apoſtolicum hominis naturæ eſſe valde conſonum, & omnibus ſalutare. Quinam, teſte Seratio, ex Ben Syra dicens, *Cras ineo nuptias*, monitus fuit ab amico, vt adderet: *Si Deus voluerit.* At ille: Siue, inquit, Deus velit, ſiue nolit, ego cras cum ſponſa ſedebo in thalamo meo: ſeditq; cum ea toto die, nocte verò mortui ſunt ambo. Quos cùm mortuos inueniſſent, dixerunt: Vetè dixit Ben Syra:

Iacob. 4. Nihil ſibi ſpondendum in craſtinũ.

Dei prouidentiæ ſuã committere apud omnes nationes conſuetum.

Mirum quid de Solymanno rege Turcarum.

Sponſa aſcendit ad thalamum, neque nouit quid acciderit ei. Diſertè Ieremias Vates cap. 10. *Scio*, ait, *Domine, quia non eſt hominis vita eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Regius Propheta, *In manibus tuis tempora mea*, Pſal. 30.

7. Quicumque ergo cupit aliquid facere feliciter dicat prius, *Fauente Deo, Si Deus voluerit*, Et prorſus caueat inuito, aut contempto Deo aliquid moliri. *Vita enim noſtra*, teſte Iacobo, *vapor eſt ad modicum parens*, vtpote qui nullam habet ſoliditatem, nullam quaſi ſubſtantiã, nullam conſiſtentiam; ſed dumtaxat apparentiam modicam & modici temporis, perinde ac ſpectra, quę in aëre, & perſonæ, ac larvę, quæ in comedijs repræſentantur, nullam penè habent ſubſiſtentiam: *Vniuerſa vanitas*, inquit Dauid, *omnis homo viuens. Verumtamen in imagine pertranſit homo, ſed & frustra conturbatur*, Pſal. 38. Hebræus Sapiens nuntio percurrenti, naui ſulcanti mare, ani per aerem tranſuolanti, & ſagittæ emiſſæ vitam comparat noſtram, Sapien. 5. Iob, vento, cap. 7. Itaque quaſi vapor apparens, & ſubitò diſparẽs: ita vt nullum eius veſtigium cernatur; ſed prorſus euaneſcat, & exterminetur rectè ab Apoſtolo Iacobo definitur. Quoties audimus à dicentibus, hic catharro, ille frebiculâ, iſte alio infortunio ſubitò diſperijt: Rara ſunt, quæ olim æternitati tradiderunt Plinius li. 7. cap. 7. & Valer. Max. lib. 9. cap. 12. Aiunt enim Anacreontem Poetam acino vuæ paſſæ pertinaciùs in faucibus hærente; Fabium verò ſenatorem vnico pilo in lactis hauſtu gutturi manſuerſo, ſtrangulatos. Chilon Spartanus dum victorem Olympiæ filium amplectitur, præ gaudio inter filij amplexus animã efflauit, ait: Plinius lib. 7. cap. 32. Sophocles in certamine tragœdiæ victor renunciatus, præ lætitia expirauit, ait Val. lib. 9. c. 12 Clidemus dum victor auto coronatur, repentè obijt, ait Tertull. de Anima cap. 52. Diagoras cùm tres filios eodem Olympiæ die vincere coronatique videret, illiique coronas ſibi detractas capiti patris imponerent, animam exhalauit, ait Gellius lib. 3. cap. 15.

Vita noſtra vapori comparatur.

Item nuncio naui, aui, & ſagittæ.

Exempla eorum, qui lotis de cauſa ſubitò obierunt.

8. Ite nunc mortales, erigite familias, titulos, palatia, arces; æternos vos credite, cras morituri, ſpondete montes aureos; annos vitæ Neſtoreos vobis promittite; arrogate vos hæc & iſta facturos, ſuperbite in propoſitis veſtris: ſi ſapitis, caue bitis. Audite quid de ſe dicat Ezechias Rex cùm conualuiſſet de infirmitate, ex qua timebat ſe moriturum: *Præciſa eſt*, inquit, *velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me*: Dum, inquit, ſicut textor telam texo, & ſicut aranea rete conficio, multos annos opere & ſtudio vitæ cogito, eaque tela vrgente aliqua neceſſitate, quæ præpropere inciditur, & aranex rete rumpitur: in morbo preſſus cogor ego vitæ meæ telam inchoatam præſcindere & abrumperẽ. Ruiſum, dum adhuc orditer vitam ſtatam, virilem & perfectam, puta annum 39. dum opera magna inchoatam, quæ animo deſignaueram, ac nominatim generationem, & per eam propagationem ſuiipſius & poſteritatis meæ, in ipſo molimine morbo ſui oppreſſus tam graui, vt putarem me eo die ſolum victurum, & veſpere moriturum. Ponetigitur cruſtas, mi Chriſtiane, & iuxta Hebræum Sapientem; *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Nec glorieris in craſtino, ignoras quid ſuperuenturus partus dies*, Prou. 27. *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam.* Diuiti enim illi, qui multos vitæ annos ſibi pollicebatur, ac dicebat, *Anima habes multa poſita in annos plurimos: requieſce comede, bibe, epulare*, à Deo dictum fuit: *Stulte hac nocte repetam animam tuam à te; quæ autem parauiſti, cuius erunt?* Sapienter Tertullianus de Anima, cap. 52. *Vita eſt & illa nauigio*, inquit, *cùm longè à ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata procumatis, adulante flatu, fauente curſu, lætante comitatu, inteſtino repentè perculſu, cum tota ſecuritate deſidunt. Non ſecus naufragia ſunt vitæ etiam tranquillæ, mortis euentus.*

Matth. 25. Diues cùm putat ſe ſecuriſſimum, tunc ſubitò à vita eripitur.

SECTIO VIII.

An liceat alicui parenti inſtar Tobiæ ſenioris, cuipiam committere filium, ex eo quod optimo parente prognatus ſit, abſque vlteriore exploratione?

TOBIAS ſenior intelligens Angelum, qui ſe ſub forma humana comitem ſiſtebat filio, prognatũ parente Anania magno, vlterius non inquiſiuit, imò veniam poſtulauit, quòd liberiùs de ipſius genere notitiam poſtulaſſet. Diſcuſſione dignum videtur, an ad eius exemplum liceat cuiuis parenti filios aliorum curæ ſic ſubmittere.

1.

Poſſet alicui videri non improbabile, quòd ſacra pagina ex genere manifeſta morum indicia deſumat. Multus eſt Lucas Euangeliſta in laudibus Zachariæ, & Elizabethæ prædicandis: *Erant*, inquit, *iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini, ſine querela.* Luc. 1. v. 6. Haud dubiè, vt filij laus ex laude parentum colligatur. Vnde D. Ambroſ. ibi: *Qua*, inquit, *alia intentio Sancti Euangeliſta, niſi vt S. Ioannes Baptiſta nobilitetur parentibus? ſic etiam Sancti Samuel mater Anna laudatur. Sic Iſaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit quam poſteris derelinquit.* Benè D. Petrus Chryſologus ſerm. 111. *Parentis*, inquit, *vitium, filiorum exitium. Nunquid non in ſemine tota arbor? vitium ergo ſeminis, vitium eſt totius*

Mores a genere deſumuntur.

Baptiſtæ parentum laudibus decoratur.

Parentum vitiis filiorũ exitium.

totius arboris. E contrario argumentatur D. Paulus, Si, inquit, *delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.* Rom. 11. v. 16. Senſus eſt, quaſi dicat. Quandoquidem Iudæorum primitiæ, ideſt, vt Chryſoſt. Patriarchæ & Prophetæ & vt Theodor. Chriſtus: & vt aptiſſimè Ambroſius & Anſelmus, Apoſtoli & primi Chriſtiani ex Iudæis ceu primitiæ, oblati ſunt Deo, & deputati ad fidem & ſanctitatem, etiam reliquum corpus Iudæorum Deo cenſetur oblatum & deputatum, atque morali quadam æſtimatione, & analogicà quadam ſanctitatis aſpergine ſanctificatum, quaſi in ſpe, præparatione, ſemine, ac familia, ſcilicet in ſanctis progenitoribus. Eſt noua ratio, qua Paulus probat Iudæos non eſſe reſpuendos, quaſi à Deo reiectos & reprobatos, *ex eo*, quod ipſi ſanctorum Patrum ſint filij, ideòque ſancti, iuxta ſenſum iam datum. Idemque repetit aliâ metaphorâ, *Et ſi radix ſancta, & rami.* Theophylacti expoſitio eſt, Neceſſe eſt fermento maſſam, & radici ramos, hoc eſt, parentibus filios aſſimilari. Dici ſolet non immeritò parens, centrum filiorũ, iuxta illud: *In circuitu meo patris mei.* Iob. 29. Triplici de cauſa. Vna, quia ſicut centrum nõ magis ad vnam, quàm ad alteram partem circuli accedit: ita pater non debet magis in vnũ, quàm in alium filium propendere. Altera, quia ſicut totũ centrũ terminat omnes lineas, & totum ſingulas: ita totus pater debet omnibus filijs, & totus ſingulis inſtruendis occupari. Tertia ad rẽ noſtrã: quia ſicut omnes lineæ in centrũ: ita filiorũ mores in mores parentũ incurrunt: ſeu illis omninò conformantur.

Parens cur filiorum ceu centrum.

Prophetabat olim Saul inter Prophetas, 1. Reg. 10. v. 10. Admirabundus exclamat populus: *Quanam res accidit filio Cis? Et quis pater eorum?* ſeu vt eſt in Græco, *Et quis pater eius?* Ibid. v. 11. & 12. Quaſi diceret, ſi eius pater numquam prophetauit, quomodo filius prophetat? Novum enim exiſtimabant diuerſam à parente conditionem filio obtigiſſe. Adeò certum eſt parentibus, ac filijs non ſolum ſimilem eſſe ſortem, ſed eandem. Cùm Saul cerneret Dauidem cum Philiſtæo congredientem, & truncato illius capite triumphantem: eius generoſitatem animi admiratus, ait ad Abner: *De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens.* 1. Reg. 17. Et rurſus ad eundem Abner: *Interroga tu cuius filius ſit ille puer*, Ibid. Ac tandem ad ipſum Dauidem: *De qua progeneas, ô adoleſcens?* Cur tam ſollicitum ſe præbet de generatione Dauidis inquirenda? Quia cùm eximiam eius virtutem agnoſceret, planè colligebat ab inſigni parentum virtute fuiſſe deriuatam. Ac ſi non poſſet tantus fructus è ramo erumpere, niſi virtus ab radice pullulaſſet.

Parentum & filiorum eadem ſors.

In ſacrificio Abrahæ, & patris obedientia, & filij patientia ſic eniteſcunt, vt vtra alteri præſtet, non immeritò dubitemus. Et nihilominus Deus multus eſt in obedientia Abrahę commendanda Geneſ. 22. Et ne verbum quidem ſubdit de patientia Iſaac. Ratio mihi aliâ non videtur, niſi quòd patientia filij paternæ inſtitutioni tribuebatur: & propterea quidquid boni filius agebat, refundebatur in parentem: ideoque pater potiùs, quàm filius dignus erat, qui à Deo laudaretur. Dauid de iuſtorum filijs loquutus: *Sicut*, inquit, *Sagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.* Pſal. 126. Vbi excuſſorum nomine, intelligit Prophetæ viros iuſtos: nam excuſſi in Hebræo, idem eſt, atque vexati, & varijs calamitatibus exerciti: quales plerumque iuſti eſſe ſolent. Horum igitur filij cùm ſagittis à valido, ac lacertoſo viro iaculatis comparantur: quia ſicut velocitas ſagittæ emiſſæ tribuitur viribus emittentis, ita probitas filiorum parentum probitati defertur. Voluit Deus, vt Samſon ab omnibus, quæ inebriare poſſunt, abſtineret: ſed priùs matri, vt ab eiſdem abſtineret, imperauit, vt patet Iudic. 13. Cur, quæ in filio virtutes eſſe debent, in matre prętę quiruntur? Placet reſponſio Montani: *Quia plerumque efficitur*, inquit, *vt matrum affectiones, natis iam infantes imitentur, & ſequantur.*

Filiorum virtutes ab parentibus laudantur.

3.

Vnde ſatis colligitur, filiorum virtutes nõ ſolùm acceptas eſſe à parentibus, ſed etiam in parentes ipſos referendas. Nihilominus dico reſoluto minimè licere parentibus eorum curæ committere filios, quod illi bonis & probis oriundi, quòd ex optimis parentibus peſſimi filij aliquando oriantur, & ab eorum moribus planè degenerent. Quod apparet primo in Noe viro iuſto, qui filium habuit adeò impudentem, vt ne ipſa quidem patris præſentia ac reuerentia reddere eum potuit verecundum. Chryſoſtom. hom. 9. in Matt. *Quid*, inquit, *Noe filium de patrum virtute lucratus eſt, qui ex ingenuo factus eſt ſeruus?* Vbi alludit ad illam paternam maledictionem: *Seruum ſeruorum erit fratribus ſuis*, Geneſ. 9. v. 25. Pergit Chryſoſtomus: *Vidiſti certè quàm non ſufficerit ad præfecturam liberis paterna nobilitas. Vitia ſiquidem voluntatis viciorum priuilegia natura, & peccantem non modò de nobilitate patris, verùm de ipſa libertate etiam pepulerunt.*

Non licet parentibus filios committere curæ alterius, quod ex bono parente malum exitum ſit.

Ex optimis parentibus peſſimi filij aliquando oriuntur.

Filius Noe à patris nobilitate degenerauit.

Philo Iudæus lib. de Nobilitate locutus de Abrahamo: *Primus*, inquit, *Gentis conditor multos liberos ſuſcepit è tribus mulieribus, nempe, Sara, Agar, & Cetura: vnus tamen è multis ſolus ſucceſſit in patrimonium: reliqui omnes, ſicut à patre degenerarunt, ita ſeparati ſunt ab eius generoſitate, eiusque nullas virtutes expreſſerunt, excidernntque ab illâ nobilitate celeberrimâ.*

Abrahæ virtus filios ab impietate non tutatus.

4.

Inter veteres Patriarchas, quis vnquam ad euangelicam perfectionem propior acceſſit, quàm Iſaac? De quo D. Hieronymus in epiſt. 26. ad Pammachium, de obitu Paulinæ:

Perfectionis Iſaac non imitatus eſt filius Eſau.

Ante Euangelicum, inquit, *euangelicam portauit crucem.* Et tamen eius filius Esau nullum sanctitatem redolebat, solam profanitatem spirabat, vt D. Paulus Hebr. 12. testatur. Quod expendens D. Chrysostomus vbi supra: *Esau*, inquit, *nonne sancti Isaac erat filius, magno etiam patri fuerat munitus; qui, scilicet, studebat, atque cupiebat primatus ei benedictionem donare: propter quod etiam ille omnia patri iussa faciebat. Sed tamen, quia prauis moribus erat, nihil ex his omnibus adiutus prorsus est. Sed & iuxta naturæ ordinem prior, & de patris voluntate securior; quia tamen displicebat Deo, omnia, quæ tam tenere videbatur, amisit.* De Iacob sic scribit Ambros. in epist. ad Rom. c. 11. *Nec enim quia Iacob laudatur, omnes ex eo nati, filij eius meritò dicendi sunt*, scilicet parens, aut similes, cùm certum sit Iudæos etiam non credentes ex eo habere originem. De Samuele Hieronymus in cap. 1. epist. ad Titum multa præfatus subdit: *Samuel quoque, qui talis fuit, vt inuocaret Dominum & Dominus exaudiret eum, & in tempore messis pluuiam hyemis impetraret; habuit filios, qui declinauerunt post auaritiam.* Locus est 1. Reg. 8. vbi sic Scriptura, *Non ambulauerunt filij eius in vijs eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntq; munera, & peruerterunt iudicium.* quasi dicat Textus, Filij degenerarunt à parente, eius iustitiam & sinceritatem non sunt imitati. Ambulare enim in vijs alicuius, dicitur, qui eiusdé opera imitatur; hinc Achas dicitur ambulasse in via Regum Israel, 4. Reg. 16. Amon in via Manassis, 4. Reg. 21 Iosias per omnes vias Dauid 4. Reg. 22. & sic de cæteris.

5. Adeoque constat apertissimè nihil referre, quo quis parente oriundus sit, quando eiusdem virtutem non imitatur. Hinc Ioannes Baptista grauiter obiurgabat Hebræos de propria virtute parum sollicitos, & de patria nobilitate nimiùm superbos: *Genimina*, inquit, *viperarum, ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham*, Luc. 3. Quasi diceret: Si monibus vinitis viperinis; patrias Abrahæ virtutes, non solum non iactetis, verum etiam ne iactare quidem incipiatis. Quasi non modò effusa gloriatio de patrijs virtutibus: sed etiam prima ad gloriandum accessio, aliena esse debeat à eo, qui patrias virtutes non exprimat, non imitetur. Nam vt bene D. Cyrillus in Catena aurea, ad eum locum: *Quid* inquit, *confert carnalis generis situs nisi consimilibus studijs fulciatur? Vanum est igitur extolli de bonis prædecessorum, & deficere ab eorum virtutibus.* Immò, vt egregiè D. Basilius ibidem, non solum vanum, sed etiam, *Turpe*, inquit, *est alienis ornare decoribus, quem virtus propria non vestiat.* Angelus etiam hoc loco sapienter respondit de genere admodum non esse curandum, cùm de alijs constet, quæ fieri aut postulantur, aut iubentur. Quemadmodum in pictore non genus quærimus, & alia siue domus ornamenta, siue naturæ subsidia: sed tantum artis peritiam, quæ sola ad expeditum opus est necessaria: sic neque de mercenarij genere laborandum est, modò cõstet illius operam mercede pactâ fore non inutilé.

Qui patrias non sequitur virtutes est alij parente ingenus, est.

Angelus respondet Tobiæ non esse curandum de mercenarij genere sed vita & moribus.

Adhæc clarum est, ex pessimis parentibus optimos filios quandoque nasci, Sacra Scriptura id abundè testatur cùm declarat Abraham processisse ex Thare Genes. 11. qui erat idolorum fabricator & cultor: Ionatham ex Saule, 1. Reg. 13. Ezechiam Regem optimum ex Achas 4. Reg. 16. Ioziam ex Ammone Rege pessimo, 4. Reg. 21. Timotheum ex patre Gentili, Act. 16. cap. Petrus Damian. opusc. 16. cap. 19. alijs quamplurimis exemplis idipsum illustrat: *Phares*, inquit, *de Therisphato* (id est, ornata theristro, quod est fœmineum ornamentum) *& exposita in bimio nascitur; sed non minimus inter Israelitarum cognationum Princeps inuenitur. Salomon ex ea, quæ fuit Vriæ, cognoscitur habuisse principium, qui tamen sceptri tenuit inõparabiliter principatum. Obed certè ex Ruth, Moabitide duxit originem: sed egregium Regem Dauid, magnũ videlicet meruit habere nepotem. Booz quoque Rahab meretrix genuit: qui tamen in Dominica genealogia catalogo meruit numerari. Et quid alios memorem, quandoquidem & ipse Dei mediator & hominum de peccatoribus originem duxit &c. Quid ergo certius confirmatum esse potest, quàm ex pessimis optimos aliquando generari.*

6. *Ex pessimis parentibus optimi filij quandoque generantur.*

Genes. 38. 14 Iud. v. 29. Matth. 1. 6. 3. Reg. 2. Matth. 1.

Sed optimo exemplo in Esau & Iobo res vlterius illustratur. Nam Esau fuit incontinens & impurus, iuxta illud Apostoli: *Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau*, Hebr. 12. Et nihilominus Iobus, qui ab eo duxit originem, continentiam coluit, & castitatem; iuxta illud Iob 31. *Pepigi fœdus cùm oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Et rursum: *Si deceptum est cor meum super muliere: & si ad ostium amici mei insidiatus sum.* Ibid. Quod expendens D. Chrysostomus hom. 2. de patientia Iob: *Membra*, inquit, *quæ à fornicatore successionem duxerunt, maxima probitate claruerunt* Præterea Esau, si non effectu ipso, saltem affectu fuit fratricida, iuxta illud: *Venient*, inquit, *dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*, Genes. 27. At verò Iobus ex eo natus, etiam alienos, tanquam fratres, imò & tanquam filios diligebat iuxta illud: *Pater eram pauperum*, &c. Iobi 29. v. 16. Vide plura in hanc rem Disc. 6. in IV. Præcep. num. 10.

Ex Esau incontinente & impio fratricida, Iobus continens & affectu pater pauperum.

7. Quibus omnibus consideratis euidentissimè patet, parentibus minus de genere pædagogi debere esse sollicitos; sed maximè de virtute eorum, quibus curam filiorum committunt: quin etiam laborare debere eosdem de sociorum & collegarum vita, quibuscum in aliena domo conuicturus est filius. Contingit enim sæpè Rectorem domus esse perquam

Parentibus incumbit virtutes pædagogi & sociorum inquirere non genus.

equam iuſtum, & commenſales omninò perfidos, & quod peius eſt, quandoque atheos. Quod vtinam per experientiam non conſtaret nimiùm eſſe verum!

8. *Quomodo ergo excuſetur Tobias à leuitate.*

Quomodo ergo excuſabimus Tobiam noſtrum? Certè credo caſum omninò extraordinarium, eum eximere à culpa. Nam primùm ſuffragari ei videtur, quod cum admiratione acceperit reſponſum filii, quo declarabat opportunè ad ſuum conſilium & votum in primo egreſſu iuuenem paratum ad iter, ſplendidum quidem & gnarum viæ ſeſe præſentaſſe: adeoque probabiliter arbitratum aliquid ibi interceſſiſſe diuinum. Certè hoc modo acquieuit Jacob, Geneſ. 37. quando Ioſeph referebat ſomnium ſuum de principatu ſuper patrem, matrem & fratres, aliquando futuro. Cùm enim primum increpaſſet eum pater, & interrogaſſet quid ſibi vellet illud ſomnium quod viderat; & inuiderent etiam illi fratres, Scriptura ſubdit: *Pater verò rem tacitus conſiderabat*, videlicet, Dei morem per ſomnia quid reuelandi, præterea virtutes Ioſeph & prudentiam ſuper ætatem; quæ animum eius compoſuerunt, eique opinionem generarunt, Ioſeph à Deo electum & deſtinatũ ad egregia & inſignia munera: idque Deũ multò ante præſignificare voluiſſe, ne poſtea cùm eueniret, quod fuerat præmõſtratum, aut fortuitò contigiſſe putaretur, aut humano conſilio & induſtriæ aſſignaretur.

Eodem modo probabile eſt Tobiam admirantem diuinitùs fuiſſe illuſtratum, & propterea ſupерſediſſe ab vlteriori informatione, quam inceperat. Quod confirmari poteſt tum ex eo, quòd veniam petat ab Angelo, tum ex confidenti conſolatione, quâ vxorem deplorantem filii abſentiam, ſtatim compeſcuit. Niſi enim probabiliter credidiſſet Angelum Dei, non diciſſet adeò confidenter: *Credo quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene diſponat omnia, quæ circa eum gerunturi: ita vt cum gaudio reuertatur ad nos.* Quod quodammodo erat prophetare, ſeu præſentia occulta pandere, & quod poſtea euentus docuit, de læto reditu præſagire. Ad hæc non eſt credendum temeritatis notam competere parenti, qui generalibus & ſpecialibus præceptis ita imbuit filium, vt in Scriptura illi ſecundus non legatur: imò qui iuſſerat filium quærere fidelem virum, qui itineris eſſet comes.

Audite hæc, ô parentes, & attendite hîc nihil eſſe quod veſtræ ſocordiæ ſuffragetur. Ad vos clamat Siracides Eccleſ. 19. *Qui citò credit leuis eſt corde.* Audite, inquam hæc, ô parentes, qui de filiorum, & filiarum virtute nimiùm confiſi, minùs ſoliciti eſtis, quibus eoſdem committatis. Vos dicitis, Filius meus induſtrius & prouidus, non patietur ſe peruerti. Filia mea caſta eſt, & pudica quantumuis peruerſus & lubricus eam non pertrahet ad peccatum. Nimis temeraria eſt hæc fiducia; homines ſunt, & *qui amat periculum*, inquit Siracides, *peribit in illo.* Eccleſ. 3. Occaſiones quotidianæ, & domeſticæ tãdem conuincunt, & infirmum ſuperant. Experientia abundans teſtis. Autem adhibe S. Iſidoro, & facilè intelliges, quantum aſſidua familiaritas pariat periculum, lib. 2. Soliloq. *Ante ignem*, inquit, *conſiſtens, etiamſi ferreus ſis, aliquando diſſolueris: proximus periculo diu tutus non eris. Sæpè familiaritas implicauit, ſæpè occaſionem peccandi dedit, ſæpè quod voluntas non potuit, aſſiduitas ſuperauit.*

Occaſiones peccati omninò vitandæ.

SECTIO IX.

Cur Mercenarius hic de cælo miſſus ſe Angelum eſſe celet. Et an abſque mendacio dixerit ſe Azariam magni Ananiæ filium?

1. DVo præſtat hic cæleſtis Mercenarius, primò diſſimulat ſe Angelum eſſe, ſecundò declarat ſe Azariam magni Ananiæ filium. Et verſ. 7. interrogatus à Tobia iuniore, vnde eſſet? reſpondit, *ex tribu Iſraël.* Cur autem diſſimularet ſe Angelum eſſe, facilè conijciet prudens & ſagax Lector: oportebat vtique celare ſe cælitus miſſum, vt perficeret Dei mandatum, eiuſque ſuauis & benigna prouidentia erga afflictos tempore deſtinato eluceſceret clariùs; quod nullatenus conueniebat ex tunc Tobiæ intimatum.

Datur ratio prima partis argumenti.

2. Cæterùm docuit ſuo exemplo diuinus hic Commiſſarius, licitum eſſe occultare prudenter veritatem ſub aliqua diſſimulatione, quemadmodum nunc communi calculo affirmat idipſum Theologorum Schola. Vnde tempore & loco veritatem celare, prudentiæ potius, atque ſagacitatis eſt, etiamſi inter homines contingat: quia præceptum affirmatiuum affirmandæ veritatis non ſemper obligat: Exempla ſacræ Scripturæ in promptu ſunt. Sic enim pater fidei noſtræ Abraham ſemel & iterum ſiluit Saram eſſe vxorem ſuam, dumtaxat ſororem appellans, Geneſ. 12. & 20. Iacob piæ matris conſilio, Eſau ſecundum carnem primogenitum eſſe ſe dixit patri ſuo Iſaac, vt paternam à Deo ſibi deſtinatam benedictionem conſequeretur, Geneſ. 27. Samuel diuinâ authoritate fretus, finxit ſe ad ſacrificandum veniſſe in Bethlehem, cùm tamen illuc aduentaret omnium maximè, vt Dauidem loco Saulis in Regem Iſraëlis inauguraret. Idem Dauid coram Achis mente ſe captum ac furioſum ſimulauit, vt elaberetur: poſteaque ſcriptum reliquit: *Obmutui, & filui à bonis*

Diſſimulare quandoque veritatem non tantùm licitum, ſed prudentia eſt

à bonis cùm consisteret peccator aduersùm me. Eliæus quærenti se exercitui Syrorum, non dixit illicò, Ego sum is Propheta quem quæritis: sed prudenter hoc celans: *Non est*, inquit, *hæc via vestra, non ciuitas, sequimini me, & ostendam vobis virum quem quæritis: duxitq; eos in Samariam:* id est, in medium inimicorum, 4. Reg. 6. Hoc modo prudenter Esther in Reginam assumenda, *noluit ei* (Eunucho) *indicare populum suum, & patriam suam.* Idque ex consilio Mardochæi, vnde sequitur: Mardochæus præceperat ei, vt de hac re omninò reticeret. Nouerat vtique Iudæorum genus, nomèque exosum esse gentilibus, tum propter miseram captiuitatem, tum maximè propter veri Dei cultum. Quid quod & ipse Christus Magdalenæ instar hortulani sese ostẽtauit, & coram duobus discipulis in Emaus petentibus *finxit se longiùs ire?* Ioan. 20. & Luc. 4. Hæc de primo.

3. *Examinatur 1. pars argumenti.*

An verò absque mendacio sibi Angelus humanum nomen & genus assumpserit, illaque dixerit, quæ specimen non obscurum videntur habere mendacij, silentio prætereundum forsitan aliquis non sine ratione censebit, potiùs quàm discutere, quod nulla opus sit excutatione, vbi nulla culpæ potest esse accusatio, aut erroris suspicio. Quis enim Angelo in gratia confirmato peccatum affingat? Nemo, nisi insensatus, aut communis sensus expers. Sanè & ego discussione indignum putabam: sed quia inuenti sunt qui eò audaciæ proruperunt, vt sacræ Scripturæ exempla perperam intellecta, in suam perniciem trahant. Hinc cogor aliquid ad aliorum intelligentiam in medium proferre, ne mendacij reum existiment Angelum, aut fortè non capientes mysterium, ipsum mercenarium, Angelum negent. Alterutrum enim facilè contingeret. Faustus Manichæus dicebat sacram Scripturam non modò otiosam, sed & pernitiosam, fortè quòd in ea Patriarcharum putata flagitia legantur, non reprehendantur: vt quòd Abraham ad ancillam ingressus sit, quòd Saram vxorem dixerit sororem. D. Cyprianus notat quosdam, qui ex scripturis defendere saragebant Clericorum cum mulieribus contubernium; quasi Sancti etiam notandi venirent, quibus aliquale fuit cum mulieribus consortium: *Sicut*, inquiunt, *Helias, qui mansit apud viduam*, 3. Reg. 17. vers. 9. *Sicut Apostoli, qui mulieres secum comites circumducebãt*, 1. Corinth. 9. vers. 5. *Vt Ioannes qui matrem Domini assumpsit, eadem Domino delegante.* Ioan. 19. vers. 27. *Aut ipse Dominus, cui de suis facultatibus alimenta præstabat aliquæ mulieres religiosæ*, Luc. 8. vers. 3. *Cui Martha ministrabat ad mensam*, Luc. 10. vers. 38. *Et qui singulariter loquutus est ad puteum sedens cum alienigena muliere Samaritana*, Ioan. 4. vers. 7. *Vel cui recumbenti femina lachrymis pedes lauit, & capillis extersit.* Luc. 7. v. 38.

Angelus peccati expers.

Peccatores S. Scripturæ exempla in suam perniciem trahũt.

Mulierum conuersationem sanctorum exemplis excusant aliqui.

Teste D. Augustino vtroque lib. de mendacio, quidam ob magnum bonum, mendacium licitum asseruerunt, & auctoritate Sanctorum probarunt, qui in sacris literis cõmendãtur, vt Iacob qui primogenitum se dixit patri, Gen. 27. Ægyptiæ obstetrices, quę mentitæ à Domino remuneratæ leguntur, Exod. 1. Iudith, quæ compositis mẽdacijs ciuitatem obsidione & excidio liberauit. S. Hieron. lib. 2. aduersus Pelagianos scribit Porphyrium obiecisse locum Ioan. 7. vt inde ostenderet Christum mentitum esse: *Negat*, inquit, *fratribus & propinquis ire ad scenopegiam. Et postea scriptum est: Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad sollemnitatem, non manifestè, sed quasi in abscondito. Iterum se negauit, & fecit quod prius negauerat. Latrat Porphyrius; inconstantia ac mutationis accusat.* Si Angelorum Dominus trahitur in defensionem mendacij, nonne multò facilius qui ministrat ei? Verissimè Syracides Eccles. 32. *Peccator homo vitabit correptionem, & ad voluntatem suam inuenit comparationem.* Peccator, inquit, homo doctrinam moribus suis contrariam non admittet facilè; sed vitabit quantum potest correptionem: nec sinet se corripi, eaque loca fugiet vbi corripiendus erat, iuxta illud Saluatoris: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Insuper & ad excusationem atque defensionem sui studiosè quæret, & inueniet quæ suis factis comparet, & exempla scilicet aliorum, quæ consentiant, & conueniat voluntati eius. Exclamant Cyprianus lib. cit. *Callidi argumentatores, & Iurisperiti fallaces: qui dum cupiunt prænaricari, controuersias actionesq; causarum, etiam ipsa iura transuertunt; & cùm nolunt competentibus coërceri iussionibus legum, ad illudendos iudices inconuenientibus exemplis velut similes coniecturas iuris obijciunt: qui per Salomonem ipsius legis sagacitate prodantur: Peccator, inquit, homo cuitat correptionem, & ad voluntatem suam inuenit comparationem.*

4. *Mendacium licitum esse probare nituntur.*

5. *Obiecta sanctorum exempla excusantur, & explicantur.*

Audi mi homo, & intelliges nihil ad patrocinium tuum suppeditare sacram paginam. Abraham ad ancillam ingressus est, non iam solùm ancillam, sed Coniugem. Sacer textus sic habet: *Dixit*: Sara *marito suo, Ecce conclusit me Dominus ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumq; ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Aegyptiam ancillam suam post annos decem quàm habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo vxorem. Qui ingressus est ad eam*, Genes. 16. Neque mendacium fuit, cum Abraham Coniugem Saram dixit sororem, quia vtrumque verum erat. Vnum igitur celauit, alterum dixit. Vnde sunt verba Genes. 20. prolata Regi Abimelech, rem non capienti, *Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.* Consuetum

ſuetum etiam erat Iudæis, vt conſanguineos ſuos appellarent fratres, & ſorores, vti patet Gē.13. & ex Euāgelio de fratribus & ſororibus Domini. Quare ſicut Abraham Lothum nepotem ſuum ex Aran, fratrem ſuum vocauit, Geneſ. 13. *Fratres enim ſumus*, eodem iure, abſque mendacio diſſimulando vxorem eſſe Saram ſororem appellari iuſſit: Idque cogente neceſſitate: *Vt bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.*

6. Inſulſum eſt adducere exempla Eliæ, Apoſtolorum, imò Chriſti Domini, vt probent cum periculo fornicationis licere mulieris conturbernium. Nam Helias iuſſu diuino conceſſit ad viduam, ibique manſit: *Factus eſt*, inquit S. Hiſtoria, *ſermo Domini ad eum dicens: Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ vt paſcat te.* Is nihil periculo obnoxium imperabit. Sic Ioannes curam aſſumpſit Beatiſſimæ Virginis. Sic ad exemplum Domini Apoſtoli circumducebant ſorores, vt de earum facultatibus alimentum ſumerent, idque quo vſque nemo offendebatur. Propter Gentes enim Apoſtolus abſtinuit 1. Cor. 9. vide dicta Dic. 9. prænio in I V. Præceptum, n. 12. Si de Domini exemplo aliquid concludere velis reſpectu Samaritanæ & Magdalenæ proba te hominem eſſe: qualis Chriſtus erat, nempe per omnia ſimilis nobis excepto peccato, & tunc te audiam. Cæterùm Iacob interrogatus à patre, *Tu es filius meus Eſau?* & reſpondens: *Ego ſum*, non mentitus eſt, ſed ſenſu myſtico, & quidem ſpiritu prophetico locutus eſt (vti & ipſe euentus docuit) Senſus enim verborum à matre, & à ſancto Spiritu intentus erat, Ego ſum Eſau ille, qui fratri ſucceſſurus ſum in primogenitura, & cui ſecundum Dei voluntatem benedictio debetur.

7. *Actiones angelicæ licet humanis ſimiles aliud tamen vlterius ſignificant.*

Sic in verbis Angeli non ſpecies, non vmbra mendacij. Optimè magnus ille Theologus Eſtius, &c. *Sicut*, inquit, *actiones Angelorum inter homines non ſunt accipiendæ vt actiones humanæ, ſed vt actiones humanis quidē ſimiles ſed aliud vlterius ſignificantes, ſicut videntur comedere, vt oſtendant ſe cibo & potu inuiſibili & immortali apud Deum frui: ſic etiam ſermones ipſorum accipiendi ſunt potius vt ſigna quorumdam myſteriorum, quàm ſecundum proprietatem verborum.*

Raphael cur vocatur Iſraëlita.

Sed preſſius. Cùm Angelus Tobiæiuniori ex filijs Iſraël ſe eſſe indicat, & *Iſraëlita*, ſignificet illum, *Qui videt Deum*; verè ſe Angelus Iſraëlitam appellat, quia ſemper videt Dei faciem, qui in cælis eſt. Quod verò ſe Azariam dicat, recte ſic appellari potuit: quia nomē illud Latinè ſonat, *Dei auxilium*. Quandoquidem ergo eo fine miſſus eſt à Deo, vt auxiliaretur afflictæ miſereque familiæ, quam premebat egeſtas, & ereptum oculis lumen, & aſſidua vicinorum ludibria dolorem facie-

Cur dicatur Azarias.

bant aſſiduum, ab auxilio quod Deus per Angelum Raphaëlem adferre deſtinarat, optimè & ſeruatâ imponendorum nominum conſuetudine & lege, appellari potuit Azarias; vti & Ananiæ magni filius, quia Ananias Dei miſericordiam: ſeu miſericordem Deum ſignificat, cuius verè ſe appellare potuit filium; cùm viri ſancti, imò & Angeli vocentur filij Dei. Sic Daniel. 3. Angelus tres pueros ſeruans in fornace Babylonica dicitur ſimilis filio Dei. Et Iob. 1. de Angelis dicitur: *Cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino.* & cap. 38. Dominus rogat Iobum: *Vbi eras cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Vbi eras, inquit, quo tēpore cæleſtes ſpiritus creationem mundi admirati, & ipſa aſtra tam ſplēdida, tamque aptè & numeroſè diſpoſita nihil habuerunt prius, quàm vt me feſtiuo ac matutino cantico celebrarēt.

Cur Ananiæ magni filius.

8. *Nomen vnius hominis alteri ſimili tribuit in S. Scriptura frequens.*

Luber abſcribere quæ rurſum Doctor Eſtius ad elucidationem huius loci maiorem, in medium profert: *Poteſt*, inquit, *etiam aliter reſponderi. Videlicet Angelum loqui ſecundum ſimilitudinem perſonæ aſſumptæ, vt ſenſus ſit: Sum ex filijs Iſrael id eſt, ſimilitudinem gero vnius ex filijs Iſraël; nimirum, vt poſtea explicat, Azariæ filij Ananiæ, hominis eo tempore noti, quod colligitur ex ijs verbis, quibus Tobias reſpondit dicens: Ex magno genere es tu. Sed peto, ne irascaris, quod voluerim cognoſcere genus tuum.* Solet vtique Scriptura vnum hominem alterius hominis nomine appellare, ob ſimilitudinem alicuius proprietatis, dignitatis, aut muneris. Quo pacto Ioannes Baptiſta, Elias dicitur à Chriſto Domino, Matth. 11. non quòd Elias eſſet, ſed quòd veniſſet in ſpiritu & virtute Eliæ. Quia ergo illius formam & perſonam præ ſe ferebant, non magis hic eſt mendacium, quàm cùm alius dixit, Geneſ. 30. *Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, &c.* id eſt, qui tibi apparui repræſentans Deum, innixus ſcalæ in Bethel, ca. 28. Ad hæc inſolitum non eſt in ſacra Scriptura, nomina propria gentium pro moribus, vel morum ſimilitudine & imitatione commutare; vt veros Iſraëlitas vocare homines fideles, & probos, vt Chriſtus dixit de Nathanael Ioann. 1. *Hic eſt verus Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Infideles verò & impios aſſueuerunt Prophetæ vocare Chananæos, Amorrhæos, Sodomitas, Gomorrhæos. Sic Iſaias cap. 1. loquens Iudæis dicit: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei veſtri populus Gomorrha.* quaſi dicat, Audite verbum Domini olim Iſraelitæ, nunc Sodomitæ, olim Abrahamæi & Iacobæi, nūc Gomorrhæi. alludens ad Deuteron. 32. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrha vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi.* Sic Ezechiel cap. 16. ijſdem concionans: *Mater*, ait, *veſtra Cethæa, & pater veſter Amorrhæus.* Sic & Daniel ſe-

Infideles & impij cur vocantur Chananæi, &c.

nem

nem Suſannæ inſidiantem compellans cap. 13. ait: *Semen Chanaan, & non Iuda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia euertit cor tuum.* Sic S. Ioannes Apocalyp. 18. & S. Petrus Epiſt. 1. cap. vlt. Romam vocat Babylonem. Sic mundus à Prophetis nunc vocatur Ægyptus, ob ſuperſtitionis tenebras; nunc Edam ob feritatis & maledictionis ſimilitudinem. Ita Euſebius lib. 7. Demonſtrat. Euangelicar. ca. 4. & Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, vbi & ſubdit: *Neque enim nouum eſt Creatori figuratè vti translatione nominum, & comparatione criminum.* Agapetus Pontifex miſſus à Theodato Rege Gothorum ad Iuſtinianum Imperatorem, cùm pace inter vtrumque confectâ à Iuſtiniano premeretur, etiam additis minis, vt Eutychianam hæreſim confirmaret, reſpondit: *Ego ad Iuſtinianum Chriſtianiſſimum principem venire optaui, ſed Diocletianum inueni,* Chriſtianorum hoſtem acerbiſſimum; teſtis eſt Cedrenus, & alij. Idem eidem Iuſtiniano poſtea dixit Vigilius Papa. Ita Conſtantium Imper. Chriſtianos persequentem S. Hilarius vocat tyrannum, & Chriſti hoſtem. Lucifer Calaritanus vocat eundem Iudam proditorem, & Arrij vermem. S. Athanaſius vocat eundem, Antiochum, Herodem, imò Antichriſtum. S. Gregorius Nazianz. orat. 3. ſic inſectatur Iulianum Apoſtatam: *Tunc*, inquit, *aduerſus Chriſti ſacrificium &c. poſt Herodem perſecutor, poſt Iudam proditor, & poſt Pilatum Chriſticida, poſt Iudæus Dei hoſtis.*

Chriſtus à mendacio immunis.

Chriſtus Dominus, Ipſa veritas mentiri non poteſt. Quòd autem Ioan. 7. fratribus ſuis ad feſtum Scenopegiæ aſcendere volentibus dixerit: *Non aſcendam ad diem feſtum iſtum*; & tamen poſtea aſcenderit, iuxta verba ſequentia, *Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum*, mendacium dici non potuit, quia Chriſtus non aſcendit publicè, ſed priuatim. Vnde Scriptura ad eius rei conciliationem addidit. Chriſtum *non manifeſtè* aſcendiſſe, *ſed quaſi in occulto.* Voluerant fratres ſiue conſanguinei Chriſti, vt cùm alijs in publico comitatu aſcenderet Hieroſolymam ad feſtum: *Nam filius Iſrael*, inquit Beda in cap. 12. Lucæ, *moris fuit, vt temporibus feſtis Hieroſolymam confluentes, ſeorſim viri, & ſeorſim famina choros ducentes incederent.* De hoc igitur comitatu Chriſtus loquutus eſt. *Vos aſcendite ad diem feſtum: Ego non aſcendam, quia meum tempus nondum impletum eſt*; vt in manus Iudæorum me offeram. Poſtea verò, & ipſe aſcendit ad diem feſtum *non manifeſtè*; *ſed quaſi in occulto.* Id eſt, non in publico comitatu, vt ab omnibus videretur.

9. *Obſtetrices Ægyptiæ, & Iudith excuſantur.*

Larret nunc Porphyrius quantum velit, inſanire ſine ratione phreneticis eſt familiare. Obſtetrices Ægyptiæ laudatæ non fuerunt propter mendacium, ſed ob miſericordiam, quam ſeruandis à nece Infantibus præſtiterunt, eaque remunerata legitur Exod. 1. *Hoc etiam modo Iudith*, inquit S. Thomas qu. 110. a. 2. ad 3. *laudatur, non quia Holoferni mentita eſt; ſed propter affectum, quem habuit ad ſalutem populi.* Longè igitur hinc faceſſet, qui mendacium vlla ratione aſſerit licitum, qui illud Sanctis affingit. Hi oſtendunt alio ſenſu enuntiari quid poſſe quàm audiens percipiat, non autem mentiri licitum eſſe, Mendacium tanquam intrinſecè malum horrent. Audi vel ſolum Iob. Is cùm cauſam ſuam tueretur aduerſus amicos, nihil voluit in defenſionem adducere, quod mendacium redoleret, imò iuriſiurandi religione id affirmat: *Viuit*, inquit, *Deus qui abſtulit iudicium meum, & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Id eſt, Per Deum viuum, & immortalem iuro, qui duriùs ſe geſſit mecum, quàm cum alijs, quorum in hac vita, temporali pœna, peccata caſtigat, quique me voluit vitam agere ægram, & amaram, quia donec vitalem hauſero ſpiritum, neque erepta fuerit reſpirandi facultas, quod neque quicquam loquar in materia, de qua nobis diſceptatio, quod ab æquo iuſtoque deficiat, aut meditabor, quod à verò ſinceroque recedat.

Sancti omne mendacium horrent.

10. *Mendacium etiam leuiſſimum grauiter punitum.*

Mendacium à patre Diabolo deſcendens honeſtari non poteſt, qualecunque id ſit. Mendacium non extricat hominem, ſed intricat magis. Audi ſi placet tragicos euentus leuis mendacij, quos refert Matthæus Radenus in aula ſancta Theodoſij, cap. 16. Cùm iunior Theodoſius die tribus Regibus ſacro, ad templum cum ſolenni comitatu progrederetur, homo peregrinus ac tenuis fortunæ pomum Phrygium inuſitatæ magnitudinis donum obtulit. Imperator cum proceribus, pomi generoſi molem admiratus, pauperi centum quinquaginta aureos pro dono repoſuit, & pomum Eudociæ Auguſtæ coniugi miſit. Accepit illa, & nihil ſequius cogitans, idem mox Paulino miſit, facundo & erudito viro, qui propter excellentem cùm eruditionem tum virtutem Eudociæ charus fuerat. Paulinus tunc à pedibus æger, & ignarus pomum ab Auguſto ad Auguſtam miſſum, iterum illud Imperatori, vt rarum ac regium munus, ſimul obſequij ſui ſignum offerri curat, Theodoſius mirari, & primum ambigere, mox agnoſcere, ſed factum in deterius referre, ac peſſimè ſuſpicari. Atque ita properè ad vxorem veniens, malum, quod clàm ſeruari iuſſerat, ab eâ repetit antea donatum. Eudocia facti totius ignara, iuueniliter, & vt putabat officiosè mentitur, ſe illud iam comediſſe. Verebatur ſcilicet ne ſi Paulinum nomi-

nominaret, Imperator alia ſuſpicaretur. Sed iterum interrogata ſeriò diceret, an pomum comediſſet? Illa denuò affirmat, atque adeò iurat. Theodoſius grauiſſimè offenſus, & coniugem mendacij arguens, pomum proferri iubet. Nec ſatis; de amore occulto & improbo ſuſpicatus, Paulinum imperat occidi, Eudociam abdicat, & relegat. Nam ſuſpicionem antea conceptam valdè auxerat mendacium. En florentiſſimi coniugij illætabile diſſidium, en innocentiſſimi viri lamentabile homicidium à mendacio profectum! O Eudocia, ô Imperatrix Auguſta, quanto feciſſes rectius, ſi quod res fuit, ſincerè faſſa, veritatem mendacio non celaſſes? tibi certè tui coniugis amorem, Paulino ſeruaſſes vitam. Tanti refert vel officioſo ſolùm mendaciolo, comprimere verum.

Aliud exemplum. Aliud non minus ſtupendum iungam ex Nicephoro, vt ſcias omne mendacium vitandum. Duo erant mendici, tam à centonibus, ſeu quæſitis vndique rationibus, quàm à conſutis mendacijs diuites, Epiphanium Antiſtitem tranſiturum in via obſeruarunt, & vt ſtipem caperent largiorem, illorum alter officiosè ſe mortuum finxit, cumque Epiphanius tranſiret, alter non ſine fictis lachrymis querebatur, ob extremam inopiam nihil eorum quæ ſepeliendo deberentur, ſuppetere. Epiphanius vultu ſerio: Deus, inquit, ſit illi propitius atque vna pecuniam dans flenti: Tu, inquit, funus hoc cura: hic tuus ſocius non ſurget amplius. Abeas modò, cogitabat viuus, nec enim tuâ præſentiâ egemus ad pecuniam, ex æquo diuidendam. Abijt Epiphanius, iamque nemine præſente, alter circumſpiciens curioſè, pede ſocium icit, monuitque, ſecurus ſurgeret. Neque vox, neque ſenſus. Alter iterum alloqui, atque etiam laudare, quòd mortuum tam doctè ex vino repræſentaret. Necdum alter reſpondere. Tandem iſte: Heus tu mortue, inquit, tandem ſurge, aut nec obolum impetrabis è datâ pecuniâ, & ſimul cadauer vtraque manu concuſſit, tanquam riſum diu repreſſum excitaturus. Sed necdum vox vlla, aut vllus ſenſus. Ita res nata è ioco, patuitque miſerum verè mortuum eſſe. Mox alter actutum præſulem curtendo inſequi, & vbi ad illum peruenit, hic magis quàm anteà & ſeriò lamentari, mendacium fateri, fraudem ex inopia confictam, ſed hanc culpam non amplius repetendam; miſereretur porrò mortui, iuberetque precibus reuiuiſcere. At Epiphanius necdum mendacio reconciliatus: Tu verò, inquit, ſepeli ſocium; Deus ſententiam non mutat.

Hinc ſapientiſſimus Regum diuino Numini ſupplex: *Duo rogaui te*, inquit, *ne deneges mihi antequam moriar: vanitatem & verba mendacij longè fac à me.* Prouerb. 30. Cur tam ſtrictum ab omni mendacio diuortium tam anxiè vrges, ô Regum maxime? Quia perſpectum habeo quod oderit Deus falſitatem omnem: *Abominatio Domino labia mendacia, qui autem fideliter agunt, placent ei.* Prouer. 12. Cùm ergo Deus, tantus ſit amator veritatis, non poteſt non ei charus eſſe, cui chara eſt veritas. Aſſiduus ad hoc exhortator Paulus: *Nolite*, inquit, *mentiri inuicem, veritatem autem facientes creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus.* Coloſſ. 3. & Epheſ. 4. Eruditione ſimplici, ſed ſalubri, & vera ſic monebant veteres: Intemperantia facit hominem belluam, Mendacium diabolum, Veritas ſemideum. *Nolite* igitur, *mendaces eſſe aduerſus veritatem*, inquit S. Iacobus cap. 3. Hinc illud Siracidæ ſanctiſſimum monitum animo penitus affigendum: *Ante omnia opera verbum verax precedat te*, Eccleſ. 37. Quæ omnia Auguſtini Hipponenſis præſulis teſtimonium confignet: *Elucet itaque diſcuſſis omnibus*, inquit ille, *nihil aliud illa teſtimonia Scripturarum monere, niſi nunquam omninò eſſe mentiendum. Non enim cuiuſquam commoditas aut ſalus temporalis perficienda fidei præferenda eſt. Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacij, quod peccatum non ſit, putauerit, decipiat ſeipſum turpiter, cùm honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum.* Vide plura diſtinctius & latius tractata de mendacio, Diſcurſ. 3. in VIII. Præceptum.

11.

Mendaces Deo odibiles, veraces charissimi.

Lib. de mendacio cap. 11.

CAPITIS QVINTI

VERSVS. XXI.

Respondens autem Tobias, ait: Benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.

Vers. 22. *Tunc paratis omnibus quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul.*

PARAPHRASIS.

*Vers.*21.& 22.Precatur Pater felicem viâ.prosperumque successum itineraturis, & talem à Deo comitatum, qualem Israëlitico populo prouidit Deus, cùm egressus ex Ægypto iter longum per desertum instituit. Cui ac matri vicissim valedixit Tobias iunior, cùm parata essent ea, quæ tunc temporis defectu diuersoriorum itinerantibus ad victum erant necessaria.

SECTIO DECIMA.

An hominum homini apprecata benedictio vllius sit efficaciæ.

1. *Tria genera hominum reperiri, qui aliis benedicunt.* 1. *Sacerdotes.*

IN veteri Testamento tria genera hominum recensentur, qui alijs benedictionem impertiri solent. Inter quos primi sunt Sacerdotes, qui tam in lege naturæ, quàm in lege Mosaica alijs benedictionem impertiri consueuerunt, vt patet Genes.14 vbi Melchisedech sacerdos Dei altissimi benedixit Abrahæ, & ait: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt,* quasi dicat: Benedicatur Abraham, & bonis cumuletur à Deo excelso, prout ipse cœpit benedicere, dum victoriam tam illustrem contra hostes illi contulit. Et numer. 6. Vbi Dominus præscripsit Aaroni, & filijs eius formulam benedictionis populo Israelitico pronuntiandam. Dixit enim ibidem Dominus ad Moysem, *Loquere Aaron & filijs eius, Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis, Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.*

2. 2. *Viri sancti.*

Secundò viri sancti, aut alicuius æstimationis. Constat exemplo Iacob, Genes. 48. vbi sic legitur: *Benedixit Iacob filijs Ioseph, & ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham &c. benedicat puero isti, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram* Moyses Deuteron. 13. similiter benedicit Israeli, & singulis tribubus, vnde quidem dicitur: *Hæc est benedictio, quâ benedixit Moyses homo Dei filijs Israel ante mortem suam.* Homo, inquit Dei, id est, amicus, Propheta, Legislator, doctor & princeps Dei. Sic ad Saluatorem nostrum Matth. 19. adducebant fideles paruulos suos, *vt eis manus imponeret, & oraret*, seu vt impositis super eos manibus illis benediceret, beneque precaretur. In quem locum ait Maldonatus, Hebræorum consuetudinem fuisse, vt qui maiores erant, & aliquâ pollebant diuinâ gratiâ manuum impositione inferioribus benedicerent, constare ex Genes, capite 48 vers.14 15. Sic B. Virgo, salutans Luc.1. Elizabetham: similiter D. Paulus salutans eos, ad quos Epistolas suas dirigebat, benedicebant.

Tertio loco sunt parentes, qui filijs benedictionem impertiri assuerunt. Vnde Genes.9. Noë legitur benedixisse Sem & Iapheth, qui reuerentiam patri exhibuerunt, quando Cam eum irrisit, in verbis: *Benedictus Dominus Deus Sem, &c. dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem.* Genesis etiam 27. vbi Isaac benedicens Iacob ait: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam, frumenti & vini,* &c. Similiter Iacob non solùm tanquam maior, & diuinâ gratia pollens; sed etiam tanquam pater, filijs benedixit. Ita Tobias hoc loco benedictionem impertitur filio, dicens: *Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.* Omnia, inquit, tibi prosperè succedant, hoc innuunt illa verba, *Deus sit in itinere vestro*, Nullus latro, prædo aut insidiator viarum vobis prævaleat, *Nullus poterit vobis resistere*: Dicebat Dominus Iosue, *Cunctis diebus vitæ tuæ, sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, non dimittam te, nec derelinquam te.* Tanta præsentiæ diuinæ vis, vt nulli felicissimum

3. 3. *Parentes.*

Qui habet Deum fecit ab omni periculo eſt protectus.

mum ſuorum curſum impedire valeant nullus neque Pharao, neque princeps vim aliquam inferre. Teſtatur id caſus, qui contigit Abrahæ per Abimelech Regem, Geneſ. 20. Annona nulla deſit. Sic fuit cum Iſmaële Deus, Geneſ. 21. verſ. 18. 19. & 20. ſic adfuit Ioſepho Deus, quando per varia diſcrimina rerum ad felicem exitum eum perduxit, Geneſ. 39. & Act. 7. & id cumulatè teſtatur Sacra Pagina.

4. *Benedictiones eſſe efficaces.*

Iam verò diſcuſſione dignum eſt, an eiuſmodi benedictiones, & apprecationes alicuius ſint efficaciæ. De hac non dubitare nemini licet, quandoquidem Dominus numer. 6. idipſum promiſerit Sacerdotibus: *Invocabunt*, inquit, *nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis*: Cùm, inquit, Sacerdotes benedicent filijs Iſraël, adiungent nomen meum tetragrammaton, & ego benedictionem illam exaudiam, & reipſa præſtabo, ac benefaciam populo ita à Sacerdote benedicto. Tantæque efficaciæ eſt illa Sacerdotalis benedictio: vt etiam per indignos Sacerdotes facta ſuum ſortiatur effectum, exemplo Heli, qui cùm benedixiſſet Elcanæ & vxori eius, Dominus Annam viſitauit. Appoſitè D. Petrus Damaſcenus Epiſt. 16. appellata *Liber gratiſſimus* cap. 18. in 3. tomo Bibliothecæ Patrum: *Quis*, inquit, *Heli ſacerdotem neſciat reprobum, & tam pro lenitate ſua, quàm pro liberorum effrenata licentia, diuina animaduerſionis ſententia condemnatum? Eius tamen benedictione non fuit ſterilis vterus Annæ, cui nimirum fecunditatem imprecatus eſt vulua.* Et paulò poſt: *Hanc itaque benedictionem efficacem reddidit, non meritum hominis, ſed officium ſacerdotis, & quod non habebat cauſa miniſtri, virtus exhibuit miniſterij.*

Sacerdotis etiã indigni benedictio ſuum ſortitur effectum

5. *Quare populus ad Chriſtum adduxerit infantes benedicendos.*

Adeoque mirum non eſt, quod ad Chriſtum ſummum Sacerdotem populus adduxerit infantes benedicendos. *Cùm enim videret*, inquit Maldonatus, *populus omnes adultos, qui ad Chriſtum accedebant, magnis aut ſanctitatis, aut aliarum rerum cumulari beneficijs, cæpit & illis infantes offerre; vt quatenus ea ferebat ætas, beneficiorum Chriſti participes fierent. Non enim, vt ſanarentur, ſicut adulti: ſed vt ſpiritualem aliquam gratiam perciperent, illis offerebantur.* Certè Dominus ipſe aſcenſurus in cœlum, oſtendit magnum theſaurum in benedictione contineri. Nam ad extremum vale, teſte Luca Euangeliſta cap. 24. *eleuatis manibus benedixit eis*, diſcipulis, id eſt patris opem & gratiam eis apprecatus eſt, quâ & ipſi in fide, vitaque Chriſtiana proficerent, & alios ad eandem verbo & exemplo prouocarent, vtque Deus omnia eorum opera ſecundaret per omnem vitam, vti euentus probauit, nam efficax erat illa Chriſti oratio & benedictio.

6. Rurſum quod & ſanctorum hominum benedictio efficax ſit, probat illa Moyſis Deuteron. 33. probat & illa ſaluratio beatæ Virginis, de qua ſupra; nam ſubdit Textus eius efficaciam & virtutem: *Factum eſt*, inquit, *vt audiuit vocem ſalutationis Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth.* Gauiſus eſt, quia nouit præſentiam Chriſti, Virginis, & matris, quam motu exultationis loco vocis ſignificauit. Sicut enim per os matris locutus eſt Chriſtus, ita per aures Elizabeth Ioannes perſenſit: *Nondum natus*, inquit S. Leo, *Ioannes propheticâ ſalutatione commotus eſt, quaſi etiam intra matrum viſcera iam clamaret, Ecce Agnus Dei.* S. Chryſoſtomus ſic introducit eum loquentem: *Acceßit*, inquit, *qui ſoluit vincula, & quid ego ſedeo vinctus, & retineor vt maneam? Venit verbum vt omnia conſtituat: & ego adhuc manco detentus? Exibo, præcurram, & prædicabo omnibus, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Repleuit etiam ſalutatio B. Virginis Elizabeth Spiritu ſancto, nempe fide vt agnoſceret Saluatorem, & prophetiâ, vt occulta, & quæ futura erant myſteria prænuntiaret. Modum verò quomodo ſalutatio illam habeat efficaciam, clariſſimè exprimit Totelus Cardinalis eo loci, quem eius verbis allegabo: *Attende*, inquit, *ſalutationem beatæ Virginis, verbaq; ipſa non tantum ſignificatiua, ſed etiam effectiua fuiſſe, velut inſtrumenta quædam, per quæ diuina omnipotentis virtus operata eſt in Ioanne, & Elizabeth, quæ ſequentibus verbis narrantur. Sicut enim verba hominis, per quos Deus mira operatus eſt, erant ſignificatiua, & efficacia, quale fuit illud verbum Ioſue 10. Sol, contra Gabaonem ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. quod ſolem ſtare fecit Deo operante per hominis verbum. Et ſicut verbum Petri Actor 3. Surge & ambula, claudum ambulare fecit, fuitque inſtrumentum virtutis Dei: Et ſicut verbum Sacerdotis: Ego te abſoluo; aut, ego te baptizo, non tantum ſignificant, ſed etiam efficiunt; ita etiam verbum ſalutationis beatæ Virginis ſignificatiuum fuit, & effectiuum, per quod, Deum & Ioannem purgauit à peccato, & ipſum, & matrem Spiritu ſãcto ad fidem veram Chriſti incarnati profitendã, & ad mira prophetãda, implenit.*

Quantam vim Deus contulerit ſalutationi matris ſuæ.

Serm. 4. in Epiphan. Apud Metaphraſtem.

Quomodo verba ſint effectiua effectus ſpiritualis, vel naturalis.

Ne mireris, nam Sanctorum ſalutationes tacitas eſſe preces, & benedictiones potentes & efficaces, vt ea à Deo impetrent bona, quæ Sanctis ijs quos ſalutant, apprecantur, expreſſit Chriſtus, cum Matth. 10. iuſſit Apoſtolis, vt hoſpitibus ſua ſalutatione benè precarentur, & benedicerent: *Intrantes*, inquit, *domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui*, & ne verbalem tantùm, ac cæremonialem hanc ſalutationẽ putes, ſubdit eius fructum & efficaciam, dicens *Eſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam.* Si, inquit, fuerit domus illa ſic diſpoſita, vt pacem recipiat, euenient illi omnia bona, quæ ei pacis nomine precati eſtis. Præclarè Chryſoſtomus: *Volens autem Dominus oſtendere non eſſe ſalutationem hanc nudam,*

7. *Salutationes Sanctorum ſunt tacitæ preces & efficaces eam, quod alijs ſi precamur.*

mudam, atque inanem sed benedictionis vires retinere: Si erit, inquit, digna domus, veniet super ipsam: sin verò superba atque contumeliosa, prima quidem pœna erit quod pace vestra non perfruetur, deinde non minori supplicio punietur, quàm Sodoma. Postremam partem addit, explicans simul illa verba: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes domum vel ciuitatem illam, excutite puluerem de pedibus vestris: Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæ in die iudicij, quàm ciuitati illi.* Et nonnihil post amplificans pacis præstantiam, sic hortatur: *Faciamus ergo nos dignos, à quibus Apostoli suscipiantur. Ex animo enim & bona suscipientium voluntate pax illa in domum venit, & ex mala rursus euolat: non enim docentium præsentia solum, sed dignitate suscipientium id fieri scimus. Nolite ergo paruam putare iacturam, si quis hanc pacem amiserit, quam prophetæ quoque multò ante prænuntiabat, dicēs: Quàm pulchri sunt pedes euangelizantium pacem, cuius pacis dignitatem atque præstantiā explicans, intulit: Euangelizantium bona: cuius etiam Christus magnitudinē atque sublimitatem ostendens, dicit, Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis. Quare omnia nobis facienda sunt, vt in pace, & domi, & in Ecclesia potiamur.*

Nahum 1. & Rom. 10.

Ioan. 14.

Lib. 5 aduersus Marcion. cap. 5.

Optimè notauit Tertullianus Apostolos post Christi ascensionem in salutatione, paci gratiam addidisse, imò præmisisse quod videlicet tam sublimis gratiæ restitutæ per Christum generi humano essent annuntiatores: *Non vtique*, inquit Paulus, *salutem præscribit eis, quibus scribit, sed gratiam & pacem, non dico quid illi cum Iudaico adhuc more, destructori Iudaismi? Nam & hodie Iudæi in pacis nomine appellant, & retrò in scripturis sic salutabant. Sed intelligo illum defendisse efficacio suo prædicationem Creatoris. Quam maturi pedes Euangelizantium bona, euangelizantium pacem Euangelizator enim bonorum, id est, gratiæ Dei, paci eam præferendam sciebat.* Ad huius clariorem intelligentiam aduerte Tertullianū contra Marcionem (qui duos Deos fingebat, vnum veteris, quem Creatorem dicebat, alterum noui testamenti) sustinere tantum vnum esse Deum, idque probare 5. libro, ex eo quòd Paulus Apostolus in omnibus epistolis suis non alium Deum prædicet, quàm Creatorem, & cap. 5. quòd inter alia dicat 1. Cor. 1. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo*: quia videlicet gratia & pax à Deo vt primario auctore, à Christo vt mediatore pendent: Deus autem vnus est. Adhæc asserit Paulum non ex more veteris testamenti solum apprecari pacem, quæ salutationis gratia præmitti tunc solebat, vt videre est Genes. 43. Deuter. 20. Iosue 22. Iudic. 6. ac 19. 1. Reg. 25. 1. Par. 12. Tob. 12. sed etiam gratiam præmisisse ex causa præfata.

Apostoli salutationi gratiam præmiserunt

Apostoli gratiam impartiēdo salutabant.

Cæterùm familiare fuit Apostolis, Petro, Paulo, Ioanni, gratiam impertiendo salutare. 1. Pet. 1. sic legitur: *Electis aduenis*, &c. *Gratia vobis & pax multiplicetur.* Qua præmissa benedicit Deum Petrus quod fideles per Christum regenerarit, & destinarit ad hæreditatem æternam. Apostolus Paulus solemni more exorditur Epistolam ad Romanos à salutatione, quà precatur ijs gratuitum Dei beneficium conducens ad æternam hominis salutem, vt sunt fides, spes, charitas, remissio peccatorum, iustificatio, virtutes, atque earum augmenta, bonorum operum perseuerantia, & ipsa vita æterna, quæ omnia sunt dona à fauore seu beneuolētia Dei profecta. Et quia eiusmodi salutationes non tantùm sunt signa beneuolentiæ, sed & causæ benedictionis & gratiæ, hinc Chrys. hom. 1. ad Romanos ad verba. *Gratia vobis, & pax*, sic exclamat: *O salutationem bonorum infinitatem adferentem! Hoc & Christus Apostolis in domos ingrediētibus primum enunciare verbū mandauit. Propter hoc & Paulus hinc vbique exordituri à gratia, & pace. neque enim paruum bellum Christus cōfecit, sed varium & omnifarium, & diuturnum: & hoc non è nostris laboribus sed per suam ipsius gratiam. Quoniam igitur dilectio gratiam, gratia autem pacem largita est, salutationis loco hæc vbi posuit, adprecatur, continua & immota ea vt maneant: vt ne rursus aliud bellum redintegretur: & obsecrat eum qui dedit solida hæc asseruare, sic inquiens Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Idem Doct. hom. 3. ad populum, inquit: *Sanctorum non tantum verba, sed & ipsi aspectus spiritualis gratia pleni sunt.*

Ioannes Apostolus scribens Electæ Dominæ eiusque familiæ, inquit: *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo*, 2. Ioan 1. Et rursum Apocal. 1. *Ioannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & à* IESV *Christo.* Baronius anno Christi 45. num. 27. hinc Pontifices in litteris impartiri gratiam cœpisse autumat: Cùm enim de osculo sancto in Apostolicis litteris noto egisset; subiūgit: *Rursus verò, quod idem Petrus Apostolus in fine eiusdem epistolæ, sicut & in exordio eius gratiam impartiendo, salutet: sicut in secūda etiam epistola fecisse constat; & quod insuper eadem salutatione vtatur sæpè Apostolus Paulus, atque ad Thessalonicenses scribēs, hæc dicat in fine*, Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo. Gratia Domini nostri Iesv Christi cum omnibus vobis. Amen. *quodque etiam Ioannes eadem salutatione vtatur: planè significatur, Apostolorum exemplo in Ecclesiam introductum, vt in Apostolicis litteris gratia salutando impartiatur: nam Ignatium etiam in salutatione eodem vsus est charactere, & cæteri post eum Episcopi Antiocheni. Vnde Gregorius Papa scribens ad Anastasium Episcopum, Antiochenum, hæc ait in fine, Amen: Gratia, quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcircò in meis epistolis pono, vt de S. Ignatio vestræ beatitudo cognoscat,*

Exemplo Apostolorū Pontifices & Episcopi gratiam partiuntur salutando.

2. Thessal. cap. vlt.

Greg. epist. 37. indict. 13.

cognoſcat, quia non ſolum veſter eſt, ſed & noſter; ſicut enim magiſtrum eius Apoſtolorum principem habemus communem, ita quoque eiuſdem principis diſcipulum nullus habet priuatum. In epiſtola enim Ignatij ad Epheſios eadem duo verba ſcripta reperiuntur, à cæteris autem excidiſſe putantur.

8. *Parentum Benedictiones eſſe efficaces. Domus filiorum ſucceſſione & diuitijs firmatur.*

Parentum autem apprecationem, ſeu benedictionem eſſe efficacem teſtatur Siracides Eccleſ. 3. *Benedictio*, inquit, *patris firmat domos filiorum.* Maximè autem firmatur domus filiorum ſucceſſione & diuitijs: vtrumque importat benedictio patris. Colligitur id optimè ex benedictione Jacob, qua Ioſeph filium ſuum benedixit, Geneſ. 49. 25. *Deus*, inquit, *patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicat tibi.* Benedicit enim Deus quem pater benedicit: hæc autem importat firmamentum domus, primò ratione diuitiarum. hinc ſubdit, *benedictionibus cæli deſuper, & benedictionibus abyſſi iacentis deorſum*, & terræ: terra enim & cœlum ad fertilitatem concurrunt: nec deeſt altera quæ eſt ſucceſſio filiorum, *Benedictionibus vberum, & vulua.* Optimum autem ſequitur: *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius*, id eſt, vt Rupertus interpretatur, benedictiones meæ vim habent & robur à benedictionibus, quibus me benedixerunt patres mei; ſicut enim ab illis firmata eſt domus mea: ſic etiam à meis benedictionibus tua firmabitur. Præcipuè autem poſitum eſt domus firmamentum in filijs, Pſal. 127. 3. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui ſicut nouella olearum in circuitu menſæ tuæ.* cuius autem rei effectus? *Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.*

9. *Filij auidè expetunt benedictionem patris.*

Hac de cauſa ſolent filij auidè & inſtanter expetere benedictionem patris, vt patet exemplo Eſau, Geneſ. 27. qui poſtquam frater eius dolo præripuiſſet benedictionem patris, id intelligens, irrugijt clamore magno, & conſternatus dixit: *Benedic etiam & mihi, pater mi.* Ratio erat, quod longo vſu didicerant homines illo tempore patris benedictionem plurimùm valere, & ſæpè eſſe efficacem in filijs, vt videre eſt, Geneſ. 9 in filijs Noë, in benedictione Iacobi datâ Ephrem & Manaſſe, Geneſ. 48 & aliâ datâ duodecim filijs Geneſ. 49. Noſtro quoque Tobiæ datâ hoc cap. *Benè ambuletis, & fit Deus in itinere veſtro, & Angelus eius comitetur vobiſcum.* Nam euentus clariſſimè docuit, Deum vbique fuiſſe cum Tobia iuniore, cùm illum ab omni infortunio eruit, & benedictionibus temporalibus copioſiùs cumulauit. Hinc Siracides loc. cit. ex hoc capite vrget filios ad amuſſim honorare parentes: *In opere*, inquit, *& ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat.* Vnde colligitur patris benedictionem confirmari à Deo, tantumque eſſe filium benedici à patre, ac ſi à Deo ipſo benediceretur. Vnde aliquando benedictiones, parentes, impertiebant filijs, non tam hominem, cui bona optantur, ſed Deum, à quo petuntur, benedicendo. Sic Noë ad filium Sem: *Benedictus Dominus Deus Sem.* Eoque benedictionis genere videtur vſus, tum vt oſtenderet virtutem, propter quam filium benedicebat, non tam filio, quàm Deo tribuendam, à quo bona cuncta procedunt; tum quia iuſtus, qualis erat Sem, numquam ſe credit maiori benedictione donatum, quàm cùm videt ſui cauſa Deum ab hominibus benedictum tum etiam, quia benedicendo Deum propter aliquem maiora ab ipſo Deo beneficia eidem conferenda impetrantur. Vt notat D. Chryſ. hom. 29. in Geneſ. ad hæc verba, *Benedictus Dominus Deus Sem*, rectè expendit: *Hoc fortè*, inquit, *qui dixerit, non eſt benedicere Sem. Imò valdè benedixit illum. Quando enim Deus benedicitur, & aguntur illi gratia ab hominibus: tunc vberior ab illo ſolet iſtis benedictio dari, propter quos ipſe benedicitur. Itaque benedicens Deum, debitorem ipſum facit maioris benedictionis.* Ex his liquet nō fuiſſe apud Hebræos vnam vocalem, ſeu verbalem benedicendi formam, ſed alias, atque alias pro benedicentium pietate, & benedicendorum neceſſitate vſurpatas.

Nam tam hominem, quàm Deum benedicendo, dabatur aliquando benedictio filijs.

Apud Hebræos plures benedicendi forma.

10. Audiſti hæc, mi Chriſtiane, ne mireris ita- que in nouo Teſtamento, dum auditur ſacrum Miſſæ ſacrificium pios omnes flexis genibus benedictionem Sacerdotis excipere. Ne mireris, inquam, Catholicos quoſdam extra Miſſæ Sacrificium religiosè benedictionem petere à Sacerdotibus, & excipere, vt Angeli plerique etiam Nobiles adhuc hodierna die, ingrediente domum Sacerdote, ſe cùm tota familia in terram proſternere, & ab eo benedictionem ſupplices efflagitare ſolent: nam ſi illa fide & deuotione petatur & ſuſcipiatur, qua par eſt, haud dubio maioris efficaciæ credi poteſt, quàm illa veteris teſtamenti Sacerdotum benedictio. Diſertè D. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, differentiam vtriuſque Sacerdotij deſcribit: *Terribilia*, inquit, *atque horrifica fuiſſe ferunt, quæ gratia tempus præceſſerunt: quod genus fuêre, tintinnabula, mala punica, lapides pectori Sacerdotis, itemq; alij humeris eiuſdem ſuperpoſiti, mitra, ſtrophium, veſtis ad pedes vſque demiſſa, lamina aurea, ſancta ſanctorum, ingens intus quies, atque ſilentium. At verò ſi quis ea, quæ gratia tempus nobis aduexit, examinet, terribilia atque horrifica, quæ dixi, iudicabit eſſe admodum lenia, ac quod de lege à Paulo dictum eſt, hîc demum verum eſſe comperiet: quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum eſt in hac parte, propter eminentem gloriam.* Alludit ad verba Apoſtoli 2. Cor. 3. quibus indicat Apoſtolos, alioſque miniſtros noui Teſtamenti ac

Sacerdotum noui teſtamenti benedictio maiorem habet efficaciam, quàm veteris Teſtamenti.

Tobiæ benedictio in filio efficax.

ſpiritus maiori honore & gloriâ à Deo decoratos, quàm Moyſen, alioſque veteris teſtamenti & litteræ miniſtros: *Quod ſi, inquit, miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt; multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria. Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriam eſt: multo magis quod manet, in gloria eſt.* Quod ſi, inquit, miniſterium legis occidentis atque mortiferæ tabulis lapideis inſculptæ glorioſum fuit, vt pote glorificatum per inſignem claritatem & ſplendorem vultus Moyſis, quando ſecundò deſcendit de monte legem afferens, Exod. 34. Cur non magis ac potiùs miniſterium nouæ legis, quæ viuificantem ſpiritum ſubminiſtrat, glorificabitur. Rurſum ſi miniſterium legis, quæ reddit homines æternæ damnationi & morti obnoxios, res fuit glorioſa, multò maior & excellentior debetur gloria miniſterio nouæ legis, quæ iuſtitiam confert, quâ damnatio mortis declinatur, & vita acquiritur, tam enim excellens eſt gloria miniſterij Euangelici, vt miniſterium Moſaicum, & ſi per ſe ſplendidum & glorioſum fuerit, tamen cum Euangelico collatum, prorſus inglorium fuiſſe videatur. Theodoretus & ex eo Oecumenius, pulchrè rem illuſtrant comparatione lucernæ, cuius lumen noctu ſpendidiſſimum, meridie abſconditur, ac ne lumen quidem eſſe putatur: videlicet à lumine ſolis obſcuratum.

Pluribus nominibus miniſterium nouæ legis præſtare miniſterio veteris legis.

11. Ne mireris, inquam, ô Chriſtiane, viros etiam Principes olim à ſanctis Patribus & Anachoretis benedictionem poſtulaſſe, vt vitę Patrum produnt. Magnum enim eiuſdem fructum experti ſunt, ac propterea eos omni honore proſequebantur. 4. Reg. cap. 4. mulier quædam magna Sunamitidis tenuit Eliſæum Prophetam, vt commederet panem: & cùm ex frequenti eius parcitate, modeſtia, viuendi non vulgari forma, ſermone, qui nihil oleret niſi religioſum, alijſque animaduerteret eundem virum pium, *dixit ad virum ſuum: Animaduerto quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter: faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam & candelabrum, vt cùm venerit ad nos maneat ibi.* Neque fruſtra id præſtitit, nam eius domum duobus ornauit Propheta, & exhilarauit miraculis. Suis primùm precibus ſterili fœminæ, eaque de cauſa vehementer afflictæ filium impetrauit, quem poſtea mortuum rediuiuum reddidit parenti. Diſcipuli illi in Emaus caſtellum pergentes, cùm diſertè & verè Chriſtum loquentem audijſſent, eorumque incredulitatem arguentem, dum fingeret ſe longiùs ire, *coëgerunt illum dicentes: Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit.* Non alia de cauſa, quàm quod virum ſanctum arbitrarentur, neque gratis, nam in fractione panis, apertis oculis eorum cognouerunt eum eſſe Chriſtum dominum qui videlicet, ſurrexerat à mortuis: Cumque euanuiſſet, enarrarunt inuicem beneficium quod ex eius præſentia experti fuerant. Lydia purpuraria, Act. 16. baptizata cum tota domo, inquit: *Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete, & coegit nos*, videlicet Paulum & Sylam.

Sacerdotes omni honore proſequendos.

Denique audite hæc, ô filij, & parentibus in omnibus obedite, & experiemini efficacem eorum benedictionem, non minus, quàm in veteri teſtamento. Audite, inquam, quia à vobis pendet eiuſmodi efficacia, teſte Ambroſio lib. de Benediction. Patriarcharum: *Ideò*, inquit, *parentibus hanc Deus donat gratiam, vt filiorum pietas promoueatur.* & concludit: *Prærogatiua ergo parentum, diſciplina eſt filiorum.* 12.

Parentibus datum eſt donum benedicendi ad filiorum pietatem in ſe promouendam.

CAPI-

CAPITIS QVINTI

VERSVS XXIII.	PARAPHRASIS.
Cumque profecti essent cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis.	*Vers.* 23. 24. 25. 26. 27. 28. Anna cùm vnicum dumtaxat haberet filium, eo procul à se demisso, nullum domi comperiens solatium, quo suam paupertatem, & solitudinem solaretur, cùm vir cœcus magis augeret, quàm leuaret dolorem, cœpit cum fletu expostulare cum coniuge, quod solatium commune, senectutisque baculum tam procul amandasset, asserens faciliùs se laturam omnem egestatem, præsente filio, quàm illius desiderium in summa abundantia: atqui ideò malle se, ne vnquam fuisset illa pecunia, quæ cum tanto dolore esset vnicum distractura à parentum complexu filium, eumque charissimum. Ad quæ Tobias senior, qui magis dolebat quotidianas lachrymas, & singultus vxoris quàm sunm dolorem, solitudinem & inopiam, consolatus est vxorem, omnia in illius discessu ac reditu secunda pollicitus, meliora de filio concipiens, quia aliquid in socio meditabatur humano maius. Credebat enim in adolescente mercenario, & expedito ad viam aliquid intercedere diuinum, cùm bonum Angelum credit filio esse comitem, à quo res omnes sic essent disponendæ, vt votis suis in ea peregrinatione nihil succederet aduersi. Quæ omnia eo spiritu dixit vxori dolenti, vt faceret cogitationem suam, expectationemque probabilem. Vnde repressit lachrymas spe meliori confirmata, & aliquamdiu plorare desijt.
Mater autem eius sedebat contra viam, & circumspiciebat procul, si quis reuerteretur ad eam.	
Recordabatur enim omnium quæ abierant, & cum singulos numerasset, quare tardaret filius eius, intelligebat.	
Vers. 24. *Nunquam fuisset illa pecunia, pro qua misisti eum.*	
Vers. 25. *Sufficiebat enim, nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.*	
Vers. 26. *Dixitque ei Tobias: Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.*	
Vers. 27. *Credo enim quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos.*	
Vers. 28. *Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.*	

SECTIO VNDECIMA.

Quare huius Annæ imperfectionem Spiritus sanctus æternitati mandarit?

1. *Cur Sanctorum peccata in Scriptura proponantur*

IN S. Scriptura non solùm virtutes Sanctorum, sed etiam peccata & imperfectiones conscribi palam est. Idque multis de causis curatum esse à Spiritu Sancto qui sacrorum Scriptorum linguas, & calamos dirigebat, nemo ambigit. Prima sit, vt sincera & incorrupta veritas Scripturarum habeatur. Nam si sola rectè facta promerent, & perperam acta occultarent, quis eas ad gratiam loqui fortè suspicari possit, & propterea occulta mala, fidem vulgatis bonis, denegare. Sic peccatum Loth proditur à Scriptura, vt eius veritas confirmetur, quæ tunc clarior eluceſcit, cùm etiam Sanctorum mala deteguntur. In Rege Saule aperitur integritas iustitiæ in pythonibus delendis, & rursum eius peruersitas in ijsdem reuocandis, 1. Reg. 28. Dauid declaratur vir secundum cor Dei, neque silet Scriptura concupiscentiæ furorem in alieno thoro violando 2. Reg. 11. Euæ inobedientiam, & vxoris Loth curiositatem Scriptura silentio non præterit.

Prima causa, vt scriptura veritas confirmetur.

Altera causa est, vt diuina erga peccatores misericordia prædicetur, exemplo Dauidis, cuius iniquitatem Deus ad vnam vocem, *Peccaui*, misericorditer ab eo transtulit, 2. Reg. 12. Quid enim iniquius, quàm diuinam misericordiam

2. *Secunda, vt diuina misericordia agnoscatur.*

sericordiam in cæcas tenebras conijcere: ne hominum peccata in apertam lucem eruántur: & ne traducantur peccatores, clementissimum Redemptorem obscurare? Iniurius erit Medico, per quem è graui morbo conualuit, qui se ab eo curatum non fateatur. Ingratus Magistro, per quem profecit, qui se per illum de ignorantia emersisse, dicere erubescat. Immemor beneficij, quo suam subleuauit inopiam, qui suæ inopiæ nullam mentionem fieri patiatur. Hoc enim expediebat vt cæteri peccatores Sanctorum ruinas intuentes de suis lapsibus non desperarent, sed ad resipiscentiam inuitarentur. Vnde S. Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 22. *Etiam lapsus Sanctorum vtilis, nihil mihi nocuit quod negauit Petrus, profuit, quod emendauit.*

3. *Tertia, vt nemo sibi in hac vita securus videatur.*

Tertia causa est, vt nemo in hac vita sibi securus videatur. Nam si Patriarchæ tantis diuinæ grátiæ præsidijs suffulti, aliquando tandem corruerunt: si pomum vetitum gustauit Adam, si adulterauit Dauid: si negauit Petrus: si alia alij facinora commiserunt: quis ita insolens, & arrogans, vt glorietur, numquam se de iustitiæ statu, quem obtinet ruiturum? Causam hanc attigit D. Ambrosius lib. vnico de Ioseph cap. 1. Vbi locutus de fratribus Iosephi, qui quamuis ingenui, & liberaliter educati; tamen in fratrem inuidia exarserunt; monet, vt nobis de simili inuidia timeamus. *Nam si inuidia*, inquit, *sanctos adussit: quantò magis cauendum est, ne inflammet peccatores.* Quam doctrinam iterum inculcat lib. 3. in Lucan. cap. 3. vbi de peccato Dauidis locutus: *Sanctus*, inquit, *Dauid hominem se esse cognouit, ostendens nobis neminem virtuti propriæ debere confidere.*

4. *Cur Tobiæ vxoris imperfectio hic commemoretur.*

Ob has ferè rationes generales, Scriptura aliorum vitia propalat. Et vt ad rem veniamus speciales sunt, cur imperfectionem vxoris Tobiæ commemoret; videlicet eamdem sine ratione deploraße filij absentiam, quam sciebat sibi, & marito, ipsique filio omnino necessariam, neque vllatenus defendam, cùm de tali comite esset illi prouisum, ex quo omnem securitatem sibi poterat promittere: vtque consideratâ origine huius mali, immoderato videlicet amore erga liberos, ab eo abstineamus. Scriptura enim est tabula nautica, seu hydrographica; in qua omnia breuia, syrtes, & charibdes, quæ in toto mari delitescunt, suis quæque sitæ locis describuntur: vt admoneantur nauigantes, ne in illa periculosa loca delabantur: sed longè præteruecti velificentur. Porrò carnalis amor erga filios nimius, multis modis est noxius. Impedit enim primò filiorum bonum, vt passim videmus in ijs parentibus, qui à religione filios dehortantur. Vide dicta discursu. 9. in 11. Præceptum. D. Ambrosius serm. 15. in Psal. 118. aduertit plurimos à fide, & à martyrio reuocatos, non tam tormentorum vi, quàm prauo matris affectu: *Sæpè*, inquit, *cognouimus, quoniam quem formidolosæ carnificum pompa non terruit, non diuisi lateris sulcus infregit, nec ardentes lamnæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt; eum inter sacra iam præmia constitutum, vxor tenera sobolis oblatione miserabilis, vnus lachryma miseratione decepit.*

Plurimos filios à fide defeciße per nimium matris affectum.

5. *Parentes in improbo filiorũ amore, iam defunctos in Deos consecrauit.*

Hebræus Sapiens declarat parentes improbo filiorum amore abductos, à vero Numine ad falsa idola defeciße: *Acerbo*, inquit, *luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc, quasi homo, mortuus fuerat; nunc tanquam Deum colere cæpit, & constituit inter seruos suos, sacra & sacrificia.* Sap. 14. v. 15. Sic olim Syrophanes Ægyptius, mortuo filio, simulacrum posuit loco Numinis adorandum. Sic & Ninus Assyriorum rex filium suum Belum vitâ functum, noluit intra vrnas mortuorum delitescere; sed supra Deorum aras, erectis simulachris fulgurare. Sic Thare filium suum Aram morte sublatum immortalitate donare voluit, dum eius imaginem consecrauit. Ita refert Lorinus ex diuersis Auctoribus. Quid iniquius? quid insanius? quã eò adduci cæco liberorum amore, vt filios mortuos in Deos consecrẽt. Referunt Naturalistæ simias suo amplexu filios necare: *Simiarum generi*, inquit Plinius lib. 8. cap. 54. *præcipua est erga fœtum affectio; gestant catulos, omnibus demonstrant, tractantque gaudent, & magna ex parte complectẽdo necant.* Sed quæ maior tyrannis, quàm ita in filios exardescere, vt Deos putent, quos mortuos vident. Bestijs peiores sunt eiusmodi matres.

6.

1. Regi. 6. duæ vaccæ fœtæ adhibentur ad vecturam Arcæ, & vitulæ earum domi recluduntur. Pergunt illæ, & mugiunt, & non declinat neque ad dexteram, neque ad sinistram, nec à deferenda Arca filiorum amor eos retardabat, cùm belluarum omnium mirus sit in fœtus amor. Visa raptis catulis, præ nimio in eos affectu incredibiliter sęuit, & efferatur, Ose. 13. De piscibus narrat Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 3. *Si quid*, inquit, *insidiarum, terroris, præsenserint circa catulos suos, quemquam moliri; quo tueantur eos, vel tenera ætatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & innexio partus suos dente suspendere; interno quoque recipere corpore, & genitali seruntur aluo abscõdere.* Indulgentius omnes animantes erga filios primogenitos afficiuntur. Hirundo, auctore Ælia-no, lib. 15. de Natura animalium cap. 15. pullum in lucem primò editum, primò pascit. Scrofa, auctore Aristotele lib. de historia animalium, cap. 18. suem primò natum ad præstantiorem alit nutritque mamillam. Canis, vt refert idem Ælianus, primogeniti catuli primam gerit curam. Ac hæ vaccæ, licet

Animalium in fœtus amor.

cet naturaliter magis amarent primogenitos; tamen diuino inſtinctu non potuerunt domi recluſi ſuo mugitu eaſdem reuocare, quin recta Bethſamſes verſus pergerent.

7. *Ingenuæ matres ablegant à ſe filios dum pietas ſuadet aut neceſſitas.*

Sic faciunt ingenuæ matres, quæ cùm neceſſitas vrget aut pietas, facilè patiuntur à ſe auelli filios. Rebecca filium ſuum Iacob in Meſopotamiam ablegauit, vt vxorem non duceret, ſi moraretur apud parentes, Chananæam. Anna vnicum habens ex Dei beneficio filiũ, primo triennio diuino ſeruitio, quantum in ſe erat, perpetuò mancipauit. Mater ſeptem Machabæorũ poſtquam vidit ſex filios per acerbiſſimos cruciatus martyrio defunctos; ſeptimum, qui ſolus ſupererat, ſic alloquitur: *Fili mi, miſerere mei, quate in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem iſtam perduxi; ſuſcipe mortem vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam*, 2. Machab. 7. Pulchrè D. Ambr. de Iacob & vita beata cap. 12. eius pietatem deſcribit: *Spectabat*, inquit, *læta filiorum, quæ funera, tot trophæa: & morientium vocibus, tanquam pſallentium cantibus delectabatur: pulcherrimam ventris ſui cytharam in filijs cernens, & pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem?*

Exempla matrũ quæ filios ad martyrium hortatæ ſunt

Non minùs felix extitit in lege gratiæ ſanctiſſima illa Martyr, & mater ſeptem Martyrum Felicitas: quæ gemebat quidem de morte filiorum, ſed de victoria gaudebat; plorabat ſecundum carnem, ſecundum ſpiritum exultabat. De qua D. Gregorius Magnus hom. 3 in Euangelia: *Septem filios*, inquit, *ſic poſt ſe eimuit viuos in carne relinquere: ſunt carnales parentes ſolent metuere, ne mortuos præmittant. In perſecutionis enim labore deprehenſa, filiorum corda in amore ſuperna patriæ prædicando roborauit; & parturiuit ſpiritu, quos carne pepererat.* Nec multò poſt hanc matris conſtantiam, non tam in ſuis, quàm in filiorum ſuorum cruciatibus admiratus, concludit: *Non ergo hanc fœminam Martyrem, ſed pluſquam martyrem dixerim.*

Deus tentat parentes quandoq; in filijs, vt experiatur, an ipſum diligant.

Harum oportet parentes exemplis imitari, ſi velint eſſe Deo grati. Nam in eo, quod notabile eſt, Deus experiri vult, an ipſum diligamus. Exemplum ratum eſt in Abrahamo, quem Deus probare volens an ipſum diligeret, dixit: *Tolle vnigenitum filium tuum, quem diligis Iſaac, & offer eum in vno montium, quem monſtrauero tibi.* Proceſſit ille. Tulit ligna holocauſti; ad locum veniens ædificauit altare, & deſuper ligna compoſuit: alligauit filium, poſuit eum in altari ſuper ſtruem lignorum; extenditque manum, & arripuit gladium vt immolaret filium. Cùm Deus expertus eſſet eum omnem affectum erga filium propter mandatum Dei libenter poſtponere ſuſtrogato altero holocauſto in eius locum, audiuit, *Nunc cognoui, quod times Dominum.* 3. Reg. 17. cùm extrema fames populum vigeret, tentauit Deus viduam Sareptanam, vt in tam anguſto rerum articulo, vbi ad diem tantum ſuppetebat annona ſibi & filio mox morituris, Prophetæ Eliæ primum faceret de ipſa farinula ſubcinericium panem paruulum; ſibi autem & filio faceret poſtea. Et Dominus in Euangelio palam edicit Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, nec matrem, & vxorem, & filios, & fratres*, &c. *Non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Amor filiorum non eſt præferendus amori Dei.

Sic autem dumtaxat odiendi ſunt, vt eorum amor nequaquã Dei amori præferatur: Cùm autem Dei amor exigat, vt neceſſitati proximorum ſubueniamus, & præceptum naturale mandet filios honorare parentes, ſeu neceſſitatibus eorum ſubuenire, in hoc videtur Anna propoſuiſſe affectum proprium amori Dei, cùm maluit familiam totam egere potius, quàm abſentiam filij ad quinque ſeptimanas tolerare.

8. *Documenta*

Cæterùm huius Annæ exemplo docemur maximè querulum exiſtere ſexum fœmineum. Exploratum eſt linguam cuiuſuis querulam accuſare omnia, quæ illi diſplicent, omnia in ius ducere. Certum eſt rurſum orbem querulofis refertum hominibus, nec domum, nec Collegium, nec Palatium exiſtere, imò nequidem Monaſterium, vbi querulæ voces non perſtrepant. Res nota eſt in effundendis querelis tam diſſimilis genij inueniri homines, ac in diſcernendis cibis diuerſa palata; Mulierem in hoc vitio maritum ſuperare quis ignorat? Locuples teſtis eſt Ariſtoteles lib. 9. de natura animal. cap. 1. *Mulier*, inquit, *miſericors magis, & ad lachrymas propenſior eſt, quàm vir: inuida item magis, & querula, & maledicentior, & mordacior; præterea anxia, & deſperans magis quàm mas atque impudentior & mendacior, quin etiam facilior decipi.* Nobis de querela dumtaxat ſermo. Hæc à nemine vult tangi, nil in rerum natura, tam ſanctum, tam laudabile, de quo non conqueratur. *Omne infirmum*, ait Seneca, *naturâ querulum eſt*, & omne querulum fœmineum. Mulier ne quidem marito parcit, Si pius, ſi diues, conqueritur, quòd non aſpiret ad honores, quod aliæ vxores ſibi ſimiles, imò inferiores, torque aureâ inſignes; quod rhedâ vehantur, illa pedes incedere cogatur. Optima eſt Chryſoſtomi exhortatio aduerſus eiuſmodi hom. 20. in Epheſ. *Neque dicat*, inquit, *vxor aduerſus virum: ignaue, meticuloſe, pigritiâ, ſegnitieq; ac multo ſomno plene, ecce hic vilis & abiectus, abiectorumq; natalium, toleratis periculis, peregreq; profectus multas diuitias adeptus eſt. Et vxor eius auro cõſpicua, rhedaq; mulis albis vecta, circũferatur, vbiq; greges habens œconomicorum, eunuchorumq; copiam. Tu verò meticuloſus factus fruſtra & inaniter viuis. Ne dicat illa, iſtiſq; ſimilia mulier. Corpus enim eſt, non vt imperet capiti, ſed vt illi morem gerat & obediat.* Hæc aſſecuta, conquerituri inciuilem

Mulieres præcæteris animalibus querulæ.

Maris ab vxorum querelis vix vnquam liberi.

ciuilem esse maritum, non satis honorare, neque abblandiri, vt cæteri vxoribus suis; nauseat mores eius intueri, cui dilectionem præ omnibus debet: in alium oculos conijcit, illum ambit maritum, cuius blanditiæ delectant. Veriſſimè Theophraſtus apud Hieronymum lib. 1. aduersus Iouinian. *Per noctes totas garrula conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratior ab omnibus, ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attuliſti? Non amicum habere poſſumus, non ſodalem. Alterius amorem, ſuum odium ſuſpicatur.* Abraham vir prudentiſſimus æquè ac modeſtiſſimus, à similibus vxoris Saræ, fœminæ alioquin ſanctiſſimæ, querimonijs liber minimè fuit. Dixerat hæc vtique marito ſuo: *Ecce concluſit me Dominus ne parerem, ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*, Geneſ. 16. Sed cùm Agar pariens, eam, licet Dominam, deſpexit, cùm acrimonia de marito queritur: *Iniquè agis*, ait, *contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, qua videns quod conceperit, deſpectui me habet: Iudicet Dominus inter me & te.* Vbi D. Chryſoſt. homil. 38. *Verè*, inquit, *hæc mulieris verba ſunt, & infirmi illius ſexus.* Quaſi quæ in alijs rebus virilem conſtantiam exhibuerit; in his querimonijs ad muliebre ingenium redierit.

Fœminarū eſt queri.

Difficile inuenire eſt fœminam etiam ſanctiſſimam ab hoc vitio immunem. Rachel ſanctiſſimi Iacobi vxor diuturnæ ſterilitatis patiens, tandem in hanc ſcyllam impegit, cùm contra eum indignata petijt filios: *Cernens autem Rachel*, inquit textus, *quòd infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo, Da mihi liberos, alioquin moriar*, Geneſ. 30. vxor Tobiæ flens in has voces lamentabiliter prorupit; *Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & tranſmiſiſti à nobis.* Et licet maximè auara mulier; *Nunquam*, inquit, *fuiſſet illa pecunia, pro qua miſiſti eum.* Tam erat affectus inordinatus; vt intueri filium mallet, quàm è paupertate emergere: vento maluit paſci, quàm ſolido cibo. *Sufficiebat nobis paupertas noſtra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium noſtrum.* Quid his immoror? S. Pagina duorum tantum meminit coniugum, quæ ſine querela vixerunt, nempe Elizabeth & Zachariæ, de quibus Lucas cap. 1. *Erant ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela, & non erat illis filius.* Nemo de illis queri potuit, ſed nec ipſi de alijs queſti ſunt, quamuis vt ſteriles ſæpenumero deſpicerentur, & arguerentur, ipſi de nemine querebantur, neminem criminabantur: Vnde Iſidor. Clar. orat. 2. in Luc. *Si*, inquit, *in illa rerum vmbra, & quo tempore corporea generatio tanti æſtimabatur, erant tamen irreprehenſi, neque quidquam conquerebantur: certè nobis in tanta Euangelij luce, & vbi ſolum commercium cum cælo, & cæleſtibus rebus poſtulatur, turpiſſimum eſt, de quouis temporario commodo murmurare, & conqueri.*

Tobiæ vxor querula.

Zachariæ & Elyſabeth licet ſterilis ſine querimonijs vixerunt.

Mulier quomodo marito parceret, cùm non parcat Prophetis? 3. Reg. 17. erat mulier marito orbata, cui pro exigua ſibi impenſa miſericordia, nomine Dei aſſeruit Propheta multam rei temporalis abundantiam, quàm etiam aſſecuta eſt: *Hydria farina*, inquit ſacer textus, *non defecit, & lecythus olei non eſt imminuta, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.* Contigit autem eiuſdem mulieris viduæ filium mori, vnde ipſa ſtatim queritur, & cum acrimonia compellat Prophetam: *Quid mihi, & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Quid ego, inquit, feci tibi mali? Nunquid ingreſſus es ædes meas, vt ex præſentia tua peccata mea, quæ erant in obliuione apud Deum, apparerent maiora, & ſic cauſa eſſes mortis filij mei; quandoquidem nunc pœnam ſcelerum meorum luerim ad tuum ingreſſum? Peccatis quidem ſuis aſſcribit filij extinctionem, ita tamen vt querelis inceſſat Prophetam, ſine cuius beneficio filius æquè interijſſet, quaſi ipſo abſente Deus non punijſſet ipſius delicta, & maluiſſet beneficio eius caruiſſe, quàm filij mortem experiri. Cui parcet, inquam, mulier, quæ tantum Prophetam infeſtat vſque adeò duris querimonijs, non conſiderans quod Deum obliquis eiuſmodi queſtibus laceſſat. Quid dico Lucæ 10. Martha quæ Dominum hoſpitio exceperat, habebat ſororem Mariam, vtraque audiebat Verbum Domini, hæc aſſiduo, illa non item: diſtrahebatur enim, & cogebatur diuertere ab audiendo verbo, quòd ei ſollicitudo conuiuij præparandi magis incumberet, quia Dominum exceperat in domum ſuam. Maria magis intenta verbo Domini non curabat ſororis frequens miniſterium. Vnde Martha adſtitit coram Chriſto quaſi coram iudice querelam ſuam, & ſororis accuſationem propoſitura. Non rogat ſororem cur ſe non adiuuet, ſed Chriſtum ipſum, quaſi ſubaccuſans alloquitur, *Domine, non eſt tibi cura, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Siue quia non tam mirabatur ſororem ſuam verbis Domini delectatam omnium aliarum rerum oblitam ad pedes eius fixam hærere, quàm Dominum ipſum rem, vt illi quidem videbatur, indignam pati, vt Maria ſorore ſua maiore natu miniſtrante otioſa quodammodo, & ſine cura ſederet; ſiue quia ſciebat nihil ſe etiamſi ſorori id diceret, effecturam. Nec enim ab ore Domini auelli poſſe, niſi Dominus ipſe iuberet, cuius ſermonibus oblectata tenebatur. *Interpellat*, inquit Auguſtin. ſerm. 26. de verbis Domini, *Martha hoſpitem*,

9. *Mulier etiã Prophetæ querelis inceſſit.*

tem, ad iudicem deponit postulationem, piarum querelarum, quod eam soror deseruerit, & sic laborantem in ministerio iuuari neglexerit. Dic ergo illi, inquit, *vt me adiuuet*; cùm tibi incumbat prouidere: Iube vt præbeat auxiliares manus.

Querimonia Deum petit.

Isaias vates cap. 58. diuinam beneuolentiam pollicetur ijs, quibus Deus ieiunantibus non parcebat, modò pauperum compaterentur, quos tempore ieiunij seuerè affligebant, & inter alia inquit: *Si desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest*: Si, inquit, desieris porrecto digito, & protenso, probis afficere proximum. nam & digito loquimur iuxta id Prouerb. 6. *Homo apostata, vir inutilis graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Extendere digitum ergo est, obijcere aliquid, quòd vt lingua ruborem afferat. Sic plebei suos irrident, dum duos digitos in aliquem extendendo, quasi cornua ei affingunt, significantque eum esse cornutum, aut vxorem eius alios habere amasios. Ita & Diogenes Cynicus, teste Laërtio, protendens digitum medium in Demosthenem, insimulauit eum turpitudinis. Olim enim medius digitus infamis fuit, eoque ostendi erat graue probrum: illo enim significabant hominem esse mollem & effeminatum: inde digitus hic vocatus est impudicus, de quo Martial. libr. 2. *Ostendit digitum, sed impudicum.* Subdit Propheta: *Et loqui quod non prodest.* Septuaginta vertunt, *Verbum murmuris*, id est, querelæ cum impatientia. Quæ autem sint illa verba quæ prodesse non possunt, non est coniectare difficile: ea nimirum quæ affinia sunt illis vitijs, quæ modo Deus abesse longè vult à suo populo, quæ de inanibus voluptatibus oriuntur, de pecuniarum acquisitione, de ambitione, de oppressione pauperum, de explendo animo vindictæ cupido: de his denique quæ à religione auocant, aut quæ ad religionem nullo modo cõducunt ad rem nostram; inter sermones inutiles penè inutilissimus est querela cum impatientia, quæ semper nocet. Hæc omnia vt otiosa dicuntur, quia inutilia sunt, ita hîc etiam dicuntur non prodesse. Ab his igitur abstineat vxor, abstineat omnis homo, si sapiat, ni velit Deum petere. Monitum est Ecclesiastes cap. 7. vers. 15. *In die bona fruere bonis, & malam diem prœcaue: sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.* Ex vicissitudine prosperitatis & aduersitatis non habet homo quod obloqui, vel murmurare possit aduersus Deum. Martha existimabat querelam suam perquam iustam, sed Dominus ostendit illam errare. *Respondens*, inquit, facer textus, *dixit illi Dominus: Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima*: Martha, Martha, solicita es, & distraheris in multis plusquàm oportet

Extendere digitũ quid

præparandis; si pauciora, & quæ satis essent, parares, non ita solicita, & distracta esses: modum ergo non tenes, nec in solicitudine, & distractione, nec in ipsis rebus, quas ad escam præparas. *Porrò vnum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Sensus est: Ad vsum vitæ paucis opus est: non est ergo quod queraris de sorore, quod te solam reliquerit ministrare, quasi in hoc minus benè fecerit, scito optimam partem elegisse, bonum est quod tu facis, ministerium melius tamen, & eligibilius est, quod facit Maria; præstat spirituale corporali, & cibus mentis cibo corporis. Hæc pars, quæ est ad meos pedes sedere ad audiendum verbum, non auferetur ab ea, quasi apertiùs diceret: nunquam ego illi dicam, vt deserat, quod facit; & adiuuet te. Non debet quod maius est dimitti propter id, quod est minus. Nec ex hoc est, quòd velim te nimio labore consumi, nam vno, aut altero opus est ad victum meum, si hoc facis, non est quod Maria adiuuet te. Ad planiorem loci intelligentiam audi D. Augustin. serm. 27. de verbis Domini: *Quid enim*, inquit, *putamus nos reprehensum esse ministerium Martha, quam cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominum hospitio exceperat quomodo rectè reprehendebat, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittant homines, quod ministrant egentibus, eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis: vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini.* Et lib. 2. qq. Euang. cap. 10. *Mariam*, inquit, *dicit optimam partem elegisse, quæ non auferetur ab ea: & idcò intelligitur optima; quia & per hanc ad illam tenditur, & non auferetur: illa verò ministerij quamuis sit bona, tamen auferetur.* Ad eundem modum D. Ambrosius: *Nec Martha*, inquit, *in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quòd meliorem partem sibi elegerit, anteferetur.*

10. *De nobilitate fœminæ.*

Secundò docemur varium & mutabile semper esse fœminam. Sara vxor Abrahæ cõsenserat viro accipere in coniugem ancillam Agar, mox vt sensit eam contumacem, expostulat cum viro, & acceptâ à viro facultate ancillam sic afflixit, vt ad fugam coëgerit. Diabolus admiratus Iobi constantiam, conuenientius telum non inuenit, quò eam labefactaret, quàm vxoris inconstantiam: vnde per os impatientis locutus est: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.* Basilius oratione de patientia: *Cùm hosti*, inquit, *nil iam relinqueretur, quod deinde faceret, ad veteres suas insidias descendit, vxorisq; illius mentem ad insaniam, ac nefandam sententiam adducens, illius opera athletam frangere conabatur. ac sane ille quidem longo dolore renuntians, capite in terram demisso iusto adstabat, manus ob ea, quæ intuebatur concutiens, & pietatis fructum illi exprobrans. Recensebat præterea veterem illam abundantiam rerum omnium;*

Inconstantiã vxoris vsus est Diabolus ad labefactandam constantiam Iobi.

præsen-

præsentia verò mala ostendebat; ac qualem ex qualibus adeptus esset vitam: & cuiusnam modi pro multis sacrificijs, ac victimis mercedem à Domino accepisset, idem eadem ipsi inculcabat. Vsurpabat autem semper verba animi parui, ac demissi plena; atque simul talia, quæ & virum fortem commouere, & animum quamuis generosum inflectere possent: Errabunda, & serua vagor, dicebat, Regina seruitutem seruio, & ad seruorum meorum manus respicere coacta sum; qua quondam multos benignè nutrui, nunc ipsa ex alienis nutrior. Ac sanè inquiebat, illa, longè benefiim, & conuenientius esset, si te ipsum è medio tolleres, gladium iræ creatoris acuendo, quàm res aduersas æquo animo sustinendo, molestiam & tibi & coniugi proferres. In florenti fortuna Deum & maritum colebat; cùm Dei visitantis manum experitur, Diaboli instrumentum facta, Deum minimè reuerita, etiam maritum deturbare à salute conatur.

Tobiæ vxoris inconstãtia.

Vxor Tobiæ consenserat in filij iter versus Gabelum, valedictionem eius blandè admiserat, benignè eum amplexus, qui Parentum negotium gesturus, nulla formidabat; quæ in itinere occurrere possent aduersa. Mox ab itinere incœpto quasi in aliam mutata creaturam deplorauit miserè eiulans filij absentiam. Vsque adeò citò & facilè mutatur mulier. Michol filia Saul diligebat Dauidem ante matrimonium, 1. Reg. 18. 20. & post initas nuptias: *Michol autem filia Saul*, inquit sacer textus, *diligebat eum*, vers. 28. *Michol*, inquit Salianus anno mundi 2972. num. 22. *Quæ Dauidem diligebat antequam vlla cum eo affinitate iungeretur; vehementius etiam dilexit illum, qui nuper sui causa tantum apud Philisteos discrimen adijsset, tantúmque in eius gratiam, dedisset fortitudinis argumentum*, vt loco centum Gentiliũ occisorum, quos poposcerat Saul, ducenta præputia eorumdem offerret in dotale pretium, gloriosus à Philistinorum prælio rediens. *Itaque & post celebratas nuptias Scriptura alterum dat testimonium de Micholis in Dauidem amore. Cui haud dubiè Dauid egregiè respondebat, cùm amor amorem, vt ignis ignem procreare soleat. Amabat etiam quod ipsa quamuis genere præstantior, beneuolentia tamen erga ipsum certasset prior, & maritum optasset. Honorabat quoque vt regis filiam, vt principis sororem, vt fortunis opulentiorem, vt causam dignitatis sua.* Postea in diuturna Dauidis absentia eam tradit Saul alteri viro psalti in coniugem: Illa viuente viro, contra legem naturæ, & rationem matrimonij consentit fieri duorum virorum vxor. Vbi est priscus ille amor? vbi constantia, quam ad mortem vsque tenaciter tenere debuisset? In ventum abierat; varium & mutabile semper, fœmina. Repetit eam Dauid 2. Reg. 3. & in suam domum recipit. Illa postmodum maritum coram Arcâ saltantem intuẽs religioso habitu, ex regijs exutum vestibus, contemnit in corde suo; neque conceptum animo fastidium diu retinere potuit, sic redeuntem affata; *Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum: & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* 2. Reg. 6. Regem cum scurris, & nebulonibus, quasi fatuum, ac mente captum comparate non dubitauit: mulierculis ridiculum dixit; quod & viro & regi perquàm ignominiosum est. Sicut enim magis probrosum est mulieri turpe aliquid corã viris agere, quàm cum sui similibus fœminis; ita maius est dedecus viro coram mulieribus, turpiter se gerere, quàm coram viris, quia eo quis magis contemptus redditur, quo à viliore cõtemnitur, vir scilicet à muliere. Et eo quis magis cõfunditur, quo apud eum confunditur apud quem optimã affectat opinionem, vt mulier apud viros. Quàm facilè turbatur, & excãdescit fastidiens animus. Dolendum nimis quòd non desint quæ hodie eam imitantur. Quot reperies, quæ maritorum cõtubernium, quod enixè dilexerunt, nunc horreant, aliorum amplexus ambiant ob diffidium à fumo, à vento, natum: quot maledicunt diei, parentibus alijs, qui eorum matrimonio promouẽdo vel intercessione, vel auxilio fauorem ostẽderunt. Bone Deus, quis recenseat mulierum variationem & inconstãtiam? Leuis sensualitas fœminei pectoris angustias facilè depranat: propterea cum illis prudenter agendum est.

Michol dilectio erga Dauidem quàm breuis.

Facilè mutari fœminas.

Sed ne existimes hoc vitio solum fœminas laborare, promiscua populi multitudo ab hoc malo immunis non est. De facili mouetur in diuersa ob modicam tribulationem. Filij Israël hilari animo Exod. 4. *audierunt quod visitasset Dominus filios Israël, & quòd respexisset afflictionem illorum: & proni adorauerunt*, in signum lætitiæ, quòd Moyses descenderet liberare eos. Sed citò contra Moysen irâ moti, conquesti sunt cùm ad eius legationem, Pharao eandem contemnens, grauius illos premeret: *Videat Dominus*, inquiunt, *& iudicet, quoniam fetere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & ſeruis eius, & prebuiſtis ei gladium: vt occideret nos:* Deus vindictam sumat de vobis. Inuisos & abominabiles nos fecistis Pharaoni, occasionem ei dedistis, vt nos oneribus opprimeret, cùm eum furentem in nos concitastis En infirmam & ingratam populi fidem! Moysen & Aaronem quos paulò antè liberatores crediderat, iam homicidas calumniatur. Verissimè Plutarchus in Polit. *Omni populo ineſt malignum quiddam, & querulum in Imperantes.* Idem populus in præsentia Moysis, cùm leges Domini ad eum referret, dixit Exod. 24. *Omnia verba quæ locutus eſt Dominus, faciemus.* Illo absente, vitulum conflatum adorãt, relicto & spreto vero Deo, Exod. 32. *Dixerunt q̃, Hi ſunt Dĩi tui Iſrael, qui te eduxerũt de terra Ægypti.* Deus populo huic Israëlitico in deserto dabat panem

Item vulgus ob modicam tribulationem.

de

de cœlo. Sed turba è varijs hominum nationibus mixta, anno ſecundo itineris in deſerto cœpit ſuſpirare ad eſum carnium. Vnde eſt illud Numer. 11. *Vulgus quippe promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio, ſedens & flens, iunctis ſibi pariter filijs Iſrael, & ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe, & allia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man.*

Philo Iudæus deſcribens vulgi mores, inquit lib. de Ioſeph: *Sicut coci omnia eſculenta ad ſuauitatem cruditatis comparant, vtilia negligunt: ſic ignobile vulgus ſecurum de commodis, præſentem tantùm voluptatem venatur. Et ſicut cocus nihil aliud curat, quàm inutiles ac ſuperuacaneas ventris voluptates: ſic & vulgus*, &c. Antiſthenes apud Laërt. lib. 6. *Vulgus hominum*, inquit, *tantum probat ea, quibus aſſueuit* (vt loc. cit. Hebræi ollas Ægyptias) *ab exoticis* (vt manna, pane de cœlo) *abhorret, non quòd mala, ſed quòd peregrina ſint.* Conſidera, quæſo, hanc populi ſtultitiam, abſurdamque querelam. Delitioſum erat manna, imò delitioſius iſtis piſcibus, & hortorum fructibus, quorum recordabantur. *Habebat quippe omne delectamentum in ſe, & omnis ſaporis ſuauitatem*, Exod. & Sap. 16. Verùm dum aliorum impijs ſuaſionibus aures præbent, nouos appetunt cibos. Verè dixit Polib. lib. 11. hiſtor. *Vt mare*, inquit, *natura ſua placabile eſt, cùm verò irruunt venti, tale eſt, quales ſunt venti quibus agitatur: ita ignobile vulgus per ſe placabile eſt, ſed agitatur, & tale redditur, quales habet duces & conſiliarios.* Deinde cibum hunc gratis habebant ſine labore, ſine ſollicitudine: piſces, quos comedebãt in Ægypto, laboriosiſſimâ ſeruitute, flagellorum plagis, cõtumelijs, & ſeruilem in modum cæſi redimebant. Carnes ambiunt dum piſcium recordantur. Fatuorum ac amẽtium id eſt deſideriũ. Qualis obſecro eſt hic non malè affecti corporis, ſed peruerſi atque impotentis animi morbus, hortenſes illas quiſquilias pani candidiſſimo, & ſuauiſſimo, qui inſtar omnium ciborum, & cupediarum, & bellariorum eſſet, procaciter in Dei & Moyſis contumeliam, anteferre? vt non iam admodum mirum videri debeat, terram ipſam, & carbones aliquorum palato arridere; cibos, quibus rectè natura ſuſtentetur, deſipere. Hic autem animi morbus non verbis tantùm, ſed puerilem etiam in modum fletu ſeſe, eiulatuque prodebat. Audiuit ergo Moyſes flentem populum per familias, ſingulos per oſtia tentorij ſui. Non enim contenti erant in corde ſuo, aut cum domeſticis taciti gemere; ſed ægritudinem animi ſui, & rancorem proferebant foras, eumque notum eſſe volebant vicinis ſuis, omnibuſque tranſeuntibus, vt ſcilicet alios ad ſimiles querelas, fletuſque prouocarent, & res in ſeditionem verteretur. Vnde Ioſephus ait lib. 3. antiq. cap. 12. *Vulgus vehementius concitatum magis ac magis contra Prophetam tumultuatum fuiſſe, & multa conuitia paſſim iactata.* Prodebant autem hæ lachrymæ, ira atque indignatione profuſæ, viles abiectaſque animas, minimeque viriles, quales ſunt fœminarum, puerorum, virtuſque defectorum ſenum, qui cùm vindictam appetant, plorant eius ſibi deeſſe facultatem; cæteri autem fremunt, & vltionem ſpirant. Finis autem querelarum fuit funeſtus nimis: *Et ecce furor Domini concitatus in populum*, inquit ſacer textus, *percuſſit eum plagâ magnâ nimis*, v. 33. *Qualis autem fuerit hæc plaga, neſcitur*, ait Caietanus, *tantùm ſcimus percuſſionem populi valde magnam fuiſſe, & percuſſionem fuiſſe mortiferam, quia hoc ſepulchra teſtantur.* Non explicauit Moyſes hoc genus mortis, ſuſpicionem tamen dedit eós ex crapula perijſſe. *Putant nonnulli*, ait Fonſeca apud Caietan. *hanc plagam fuiſſe quòd populum præfocatum ſaturitate carnis interit; alij flammam vorasem dicunt, quam capitis huius principium memorat.* Sic ipſe. Nec alienus videtur à priore illa ſententia Gregor. Nyſſenus in vita Moyſis: *Quarum carnium*, inquit, *nimiùm repleti in morbos decidernnt, mortuiq; non pauci fuerunt, qua res reſiduis exemplo ad modeſtiam fuit.* Et licet alij putẽt ignem in populum exarſiſſe, tamen verosimilius exiſtimo ex nimia gula periſſe: vt per quę peccauerãt iſti, per eadem & punirentur, ſicut toties ſuprà in Ægyptiorum pœnis Scriptura ipſa obſeruauit: & recèns Nadab & Abiu, Leuit. 10. 2. qui in igne peccarant, incendio periêre. Et poſtmodum in ſeditione Core, Num. 16. 35. *Egreſſus eſt ignis à Domino, & interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.* Hanc ſententiam firmant verſus 20. vbi Dominus dicit ſe daturum carnes *vſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam.* Et verſ. 34. *Vocatuſq; eſt ille locus Sepulchra concupiſcentiæ, ibi enim ſepelierunt populum, qui deſiderauerat.* Hæc enim ſepulchra concupiſcentiæ, ſiue guloſorum dicuntur, quorum ſcilicet gula punita fuerit pœna guloſis congrua debitaque. Sicut ſi dicas Sepulchra ſuperborum, rectè cũ reduplicatione intelligetur, vt ſignificetur eorum ſuperbiam humiliatione punitam. Sic ager robuſtorum dictus eſt 2. Reg. 2. in quo robuſti milites robuſtorum more ſingulari certamine perierunt. Adde poſtremò illud, *Adhuc carnes erant in dentibus eorum*, non otioſè, ſed cum emphaſi dictum videri, ad ſignificandum eas ipſas illis interitum attuliſſe.

Rectè Saluſtius in Iugurth. *Vulgus ingenio mobili, ſeditioſum atque diſcordioſum, cupidum rerum nouarum, quieti, & otio aduerſum.* Samuel populum mille mortibus dignum, Deo re-

11. Variantur etiã populi ſenſus & mores.

Hebræus populus quàm inconſtans fuerit.

Quæ Hebræorum murmurantium pœnas.

Vulgus rerũ nouarum cupidum.

conciliauit, & ciuitates ab hoſte occupatas recuperauit. Ipſi ingrati contra voluntatem Dei & Samuelis, Regem ſibi tribui petierunt, vt habetur 1. Reg. 8. Licet Dauid benè rexerat populum habitis multis victoriis, tamen ipſi omnium beneficiorum obliti, cum Abſalone eius aduerſario contra eum inſurrexerunt. 2. Reg. 15. Dies deficeret hiſce recenſendis Populus qui obuiam ſaluatori clamabat: *Oſanna, Benedictus qui venit in nomine Domini*; poſt quinque dies clamauit magnis vocibus, *Crucifige, Crucifige eum*. Audientes gentes prædicationem Pauli & Barnabæ, eos cum gaudio ſuſceperunt, ſed peruerſi eos poſtmodum de ſuis finibus expulerunt, Actor. 13. Homines de ciuitate Lyſtra Paulum & Barnabam voluerunt adorare vt Deos, & poſtea lapidauerunt eos, occidiſſe putantes. Sanctus Baſilius veriſſimè dixit apud Anton. in Meliſſa par. 1. ſerm. 18. *Sicus nebula iuxta mutationes flatuum, nunc huc, nunc illuc feruntur: ſic vulgus quouis vento nunc in hanc, nunc in illam partem ſeſe flectit.* Lepidum eſt, quod Phocion dixit Athenienſibus, cum illis proditum eſſet oraculum, in ea ciuitate vnum eſſe virum, qui cunctorum ſententijs aduerſaretur, ac populus vociferans iuberet eum inquiri, vt occiderent: *Ego ſum ille quem deſignauit oraculum. Mihi enim omnia ea diſplicent, quæ vulgus dicit & agit.* Quo dicto oſtendere voluit incondeam multitudinem, quoniam affectibus regitur, nihil ſani agere, aut loqui. Ita Plutarchus ibidem. Hinc Antiſthenes quodam die theatrum ingreſſus, aduerſus populum nitès progrediebatur. Rogatus cur id faceret? *Hoc*, inquit, *in omni vita facere ſtudeo.* Sentiens hoc ſapientis eſſe viri in omnibus à multitudine diffidere. Ita Laërt. lib. 6. Nihil enim præſtantius quàm ne pecorum ritu ſequamur gregem antecedentium. pergentes non quò eundum eſt, ſed quò itur.

Vulgus nebulæ mobilibus comparatur.

SECTIO XII.

Quare Tobias vxorem deplorantem filij deceſſum non increpauerit, ſed bonis verbis conſolatus ſit.

1. VIROS graues, dum animaduerterent malè fundatas vxorum querelas, eaſdem obiurgare ſolitos refert Scriptura, ſpeciatim Gen. 30. vbi Iacob Racheli infecundæ inordinatè ab illo petenti, *Da mihi liberos, alioquin moriar*; iratus reſpondit? *Num pro eo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui?* Dauid 2. Reg. 6. vxori dicenti, *Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris* reſpondit: *Viuit Dominus quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius*, &c. Job. cap. 2. vxori dicenti: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua; benedic Deo, & morere*, reſpondit: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta eſt.*

Viri graues vxores malè conquerentes increpauerunt.

2. Verùm hoc loco Tobias blandè reſpondet vxori, *Noli flere, ſalus peruenit filius noſter, & ſalus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.* Quare non reſpondit illi acriora verba? Vides quod dimittã filium tui cauſa, iam valedictionem eius benignè ſuſtinuiſti. Mulier es impudens & iracunda, ſine ratione inſaniens: habet conſortium optimi viri: vis cum ipſo perpetuâ paupertate cruciari? Prudentes mulieres etiam ab infantia filios offerunt Deo, tu verò non pateris filium ad dies aliquot à latere tuo auelli. His & ſimilibus verbis poterat illam aggredi, vt aliquando Hieronymus nimis triſtem Paulam ſuper obitu Blæſillæ filiæ. *Grande in ſuos pietas, impietas in Deum eſt. Abraham vnicum filium lætus interficit, & tu vnam de pluribus quereris coronatam.* Et paulò pòſt: *Deteſtanda ſunt iſta lachryma, plena ſacrilegio, incredulitate pleniſſima, quæ non habent modũ, quæ vſque ad vicinium mortis accedunt. Vlulas, & exclamitas, & quaſi quibuſdam facibus accenſa, quantum in te eſt, tui ſemper homicidaris.* Et longè antè, *Miror ut ea facere; quæ ſi facerent cætera, reprehenſione digna viderentur. Redit tibi in memoriam confabulatio eius, blanditiæ, ſermo, conſortium, & quod hic careas, pati non potes. Ignoſcimus matris lachrymis, ſed modum quærimus in dolore.*

Quare blandè alloquatur Tobias vxorem.

3. Hæc aut his ſimilia potuiſſet dicere, quoque eum reuocaret niſi impediretur tùm propter ipſius vxoris, tum propter filij neceſſitates ſubleuandas. Verùm noluit, primùm quia credebat diuinus iuli rerum articulo afflictam conſolari, iuxta illud Prophetæ, Pſal. 146. *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*: Deus, vtique *ſanat eos qui fracto ſunt animo; & inſtar Medici veluti alligat plagas eorum dum ſua ope & conſolatione omnem eorum moleſtiam, & afflictionem leuat*, inquit Ianſen. 2. Notum erat illi, quot mala gigneret impatientia. Agar non ferens correptionem dominæ ſuæ receſſit ab ea impatiens, Gen. 16. Ancilla Saræ impatienter ferens increpationem, contumeliosè reſpondit, Tob. 3. Græci, quia videbant viduas ſuas in quotidiano templi miniſterio deſpici, irati aduerſus Hebræos murmurare ceperunt, Act. 6. Achitophel, licet aliàs vir prudens videns conſilium ſuum diſſipatum, irâ & indignatione commotus, laqueo ſe ſuſpendit, 2. Reg. 16. Tobias noſter aliàs expertus erat vxoris ſuæ imperfectiones, nempe cùm verebatur de furto, eiuſque blaſphemias in Deum fuſis precibus & lachrymis deplorauerat nouerat etiam Deum non ſtatim murmur exortum apud Hebræos duri-

Multa gignit mala impatientia

duriuſculè compeſcuiſſe, ſed dumtaxat peccati grauitatem tum inſinuaſſe, tum murmurantes inſtruxiſſe, vt ab eo abſtinerent. 1. Reg. 8. Ioan. 6. Hunc optimum modum elegit ad ſeruandam coniugalem concordiam, quo imperfectæ mulieris querelas ſedaret. *Noli fiere,* inquit, *ſaluus perueniet filius noſter, & ſaluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. Credo quod Angelus Dei bonus comitetur ei.* Ne angaris, inquit, illa eſt mihi fiducia in bono Deo, quam haud dubio ſartam tectamque videbis, qui ſuos numquam deſerit. Iacobum per varia rerum diſcrimina à timore fratris exemit, Angelorum caſtris dignatus fuit adeſſe, viſione mirificâ, quâ Dei ſingularem prouidentiam in ſuos oſtendit, recreauit. In viro, quem illi ſocium, & itineris comitem aſſumpſi, plus diuini quàm humani emicuit. Confido omninò, quòd ſub ſchemate humano Angelus Domini ſit, qui vias eius diriget: ita vt oculi tui ſaluum & incolumem reducem illum videbunt, quod mihi denegatum eſt, qui lumen cœli non video. Sic repreſſit lachrymas vxor ſpe meliori confirmata, & aliquandiu plorare deſijt, fortè quod credidit vel vmbram Sanctorum valde ſalutarem, aut Sanctos ſuo aſpectu virtutem, gratiam, & Dei benedictionem eis, quos intuentur, aſpirare, vt patet Actor. 5. in vmbra Petri; Act. 3. vbi iuſſit claudo ipſum intueri: *Reſpice,* inquit, *in nos,* cui & ſanitatem impartitus eſt. Non minus credere debuit de Angelis, quorum tunc temporis frequens hominibus, & opportunum in neceſſitate aderat auxilium.

Optimum modus ſeruandi pacis coniugalem, blandis verbis ſtranuire vxorem.

Hic modus vtilis eſt ad inſtructionem aliorum quem præcipuè mariti amplecti debent vt ſeruent coniugalem concordiam & amorem. Sic modeſtia Abrahami vxorem conquerentem de Agar concubinæ eius proteruia domum pace repleuit. Sic Elcana Annam flentem paucis verbis conſolatus eſt: *Anna,* inquit, *cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi ſum, quam decem filij?* Chriſtus ipſe modeſtâ ratione Ioan. 4. plus lucratus eſt in Samaritana, quàm aſperis verbis fuiſſet. Cùm enim illa præter infidelitatem, eſſet in ſtatu peccati mortalis, petijt primum Chriſtus ab ea bibere. Cumque miraretur illa, quandoquidem Iudæi non coutebantur Samaritanis, reſpondit Ieſus, & dixit ei: *Si ſcires donum Dei* &c. illaque iterum alia replicaret, tandemque peteret aquam ſalientem in vitam æternam, dixit illi Ieſus: *Vade voca virum tuum.* Sciebat vtique eam viuere in adulterio. Indeque confeſſa ſcelus ſuum animaduertit Chriſtum eſſe Prophetam. Cui aliam quæſtionem exinde propoſuit, tunc magnoperè controuerſam, de loco videlicet Sacrificij, vt latiùs exprimit cap. 4. Ioan. atqui ex Chriſti ſolutione ſuſpicata eum eſſe Meſſiam, ab eo id intellexit Chriſtus Dominus Ioan. 16. ad diſcipulos ſuos triſtes de futuro eius diſceſſu hæc verba fecit: *Quia hæc loquutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum:* q. d. Ita triſtitiæ vos tradidiſtis audientes meum diſceſſum, vt obliti ſitis interrogare, quod dignum erat interrogatione. Quorſum, & qua de cauſa abirem. Sed Dominus eos conſolatur affirmans & aſſeuerans abſentiam eius futuram illis maximo commodo & vtilitati: *Ego,* inquit, *veritatem dico vobis: Expedit vobis vt ego vadam.* Et deinceps ad longum recenſet rationes, ob quas omninò expediat illum abire. Quibus afflictos diſcipulos omninò ſedauit. Præclarè S. Baſilius ſerm. de gratijs Deo agendis, hunc modum conſolandi afflictos deducit: *Eum,* inquit, *quem conſolari cupis, prius paruiper queri ſinas. Deinde dolore paùlulùm per lachrymas, eiulatumq; ſedato, tunc leniter & humaniter caſtigabis; itaque ad patientiam, & animi tranquillitatem ſenſim reuocabis. Nam & equorum domitores equos frano minimè audientes nõ ſtatim habenis compeſcunt, aut calcaribus impellunt: ſic enim ſeſſores exagitare & excutere diſcunt: ſed eis obtemperando ab initio, ac minimè reſiſtendo, poſtquam iram & impetum paulatim conſumptum deficere viderint, tunc arte quadam obtemperantes, & ad omnia dociles reddunt.*

Optimus modus conſolandi afflictos.

Sic Tobias noſter ad abſentiam filij perferendam ſalubri admonitione & conſolatione eouſque lucratus eſt vxorem, vt ſacer textus de ea aſſerat: *Ad hanc vocem ceſſauit mater eius flere, & tacuit.*

Hunc modũ obſeruauit Tobias.

Et quia concordia maximè vigere debet in coniugio ad portanda vitę onera, hinc coniuges, *Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus,* dicuntur, Prouerb. 5. v. 19. Nã vt cerui, auctore, Plinio lib. 27. naturalis hiſtoriæ, cap. 9 & D. Aug. lib. 83. q. 71. quando fretum aliquod tranant, ſibi mutuò in ſuis capitibus ſuſtentandis auxiliantur, & propterea pacis, & concordiæ ſymbolum præferre dicuntur: ita coniuges in ferendis laboribus ſibi mutuas præſtant operas; & partitis oneribus ſibi inuicem minuunt difficultates.

Libri TOBIÆ Capitis sexti

SYNOPSIS.

IN itinere sequitur Tobiam canis,& prima mansione Tobiam ingressum Tigrim lauandi gratia fluuiale quoddam monstrum aggreditur, quod hortatu Angeli occidit, & exenterat, carnes eius condit sale,fel & viscera ad alios vsus reseruat, quos illi indicat Angelus, Similiter alteram mansionem designat, vbi filia existit diues, ipsi in matrimonium destinata, remouens à Tobia scrupulos, quos illi de ea proposuerat.

VERSVS PRIMVS.

Profectus est autem Tobias, & canis secutus est eum, & mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris.

Vers.2. *Et exiuit vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.*

Vers.3. *Quem expauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me.*

Vers.4. *Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius.*

PARAPHRASIS.

Vers. 1. 2. 3. 4. Non silet Sacra Scriptura rem minutissimam, videlicet canem secutum esse Tobiam iuniorem, fortè cura patris solliciti ne filio deesset in via aut periculorũ depulsio, aut molestiarum leuamentum. Cùm autem in prima mansione sub cœlo esset pernoctandũ, aut sub pellibus viatorijs ad ripam Tigris, ex consuetudine exiuit vt lauaret pedes, vbi immanis piscis ad illum deuorandum violenter irruẽs, vehementer expauescere fecit iuuenem, & Angeli opem implorare. Cui ipse illicò magnam inspirauit vsque adeò timido audaciam, vt aggrederetur, & sterneret animatam illam molem, dirum eius exitium anhelantem, apprehendendo branchiam eius, & è stadio suo extrahendo; vt reipsâ præstitit Tobias, parens Angeli monitis.

SECTIO PRIMA.

Quare Scriptura sequelam Canis commemoret?

MINVTA obseruant interdum historici, vt rebus, grauioribus concilietur fides, quod neque Sacra Scriptura prętermittit. Causam quis dicet? Hoc certum est quòd nuntius aduentũs lætitiæ esse nõ potuerit, nisi abeuntẽ comitaretur dominum. Hic autem videtur solicitudo patris hoc curasse, vt canis, cui à natura insitum est referre gratias pro beneficijs sibi impensis, filio adesset vel ad molestias itineris subsequandas, vel potiùs ad pericula depellenda, quandoquidem canes non tantùm soleant domus esse custodes perpetui ac vigiles, sed etiam corporis dominorum, quibus securis atque dormientibus inuigilant, & periculum arcent latratu, aut morsu, aut certè Dominos excitant, monentque vt sibi maturè à periculo caueant. *Nullum*, inquit S. Ambrosius, *animal tam tenax esse beneficij potest, vt canis & memor gratiæ, quandoquidem pro Domino suo & latrones insilire, & extraneos nocturnos accessus nouerit prohibere, mori pro dominis, & commemorari de-*

1. *In canibus assiduæ fidei dominorum custodia.*

ri domini sunt parati; sæpè etiam illata necis euidentia canes ad redarguendum reos indicia prodiderunt. Nam Antiochiæ in remotiore vrbis parte, ferunt virum necatum, qui canem sibi haberet adiunctum: hunc enim quidam miles prædandi studio interfecerat & in alias partes cesserat. Iacente autem cadauere inhumato, frequens spectantium vulgus astabat. Canis autem vultu lachrymabili aruminas domini sui deflebat. Is verò, qui necem intulerat, ingenij versutia, quo præsumptam fidem asciret innocentiæ, ad illam circumspectantis populi coronam quasi miserans accessit. Tunc canis, sequestrato paululum doloris questu, audaciam vltionis assumpsit, & apprehensum tenuit, ac velut epilogo quodam miserabile carmen immurmurans vniuersos in lachrymis conuertit, fidemq; probationi attulit, quia solum eum ex plurimis tenuit, nec dimisit. Vinc. histor. lib. 19. c. 13.

Homicidam heri sui canis detexit.

Eadem cura canis comperta est circa domini res à furibus ablatas Eupolidi Poëtę Comico. Nam illi Augeas Eleusinus munere canem donauerat formâ præstantem, quem Eupolides etiam Augeam appellauit. Cùm igitur Ephialtes seruus domino Eupolidi furtum faceret, canis insultans in furem, mordicusque comprehendens interfecit. Eupolide postea in Ægina defuncto, canis & vlulatu prælongo & mœrore, inediaque extinctus est. Ælian. hist. anim. lib. 9. c. 42.

Furtum per canem proditum.

2. Neque mirum est huius canis sequelam à Scriptore sacro commemorari, quandoquidem illi non solum existant viæ comites, & custodes ad prodigium vsque fideles; sed etiã medici, vt videre est in Lazaro, cuius lingebãt vulnera, quando nemo erat, qui homini desolato opem ferret medicam. Quin etiam illi sunt executores aliquando Dei, cùm eorum lambunt sanguinem, quos Deus, ob crimen in alios commissum miserâ morte interemit. Adeoque ad Dei iram exercendam iuxta sanctorum Prophetarum prędictionem fuere ministri: cùm enim prædixisset regi Achabo Heliã futurum, vt canes aliquando sanguinẽ eius lingerent, 3. Reg. cap. 21. id breui postea est insecutum; vulnerati etenim Achab regis sanguis profluens è curru à canibus lambebatur in pugna aduersus Galaaditas, 3. Reg. 22. Regina quoque Iezabel, cùm vineam Naboth concupiscet, & abstulisset, eiusdem Heliæ prædictione à canibus deuorata tota est, præter caluitiem & pedes, & summas manus, 3. Reg cap. 21. & 4. Reg. 9.

Canes homicidii ministri.

Canes Dei vindicta ministri.

3. Ablegauit aliquando Hebræus Sapiens pigrum hominem ad formicam, Proverb. 6. *Vade*, inquit, *ad formicam, ô piger* Non arbitror quod à scopo aberret, qui hominibus credat constitutum hunc canem in exemplũ fideliratis. Nihil enim Deo gratius, quàm fideliratem inter homines in bono seruari. Indè laudatur Ruth, cap. 1. quod socrui adhæserit, in patriam redeunti iam à longa sterilitate re-

Canis Tobiæ proponitur hominibus in exemplũ fidelitatis.

creatam: *Ne aduersẽris mihi*, inquit, *vt relinquam te & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus, & Deus tuus Deus meus. Quæ terra morientem susceperit, in ea moriar: ibiq; locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me & te separauerit.* Vulgari illo siue Israelitico siue Moabitido, ac prouerbiali dicendi modo asserit se à Socrus latere aut societate non recessuram, quæcumque accidat statuum, locorum ac temporum mutatio; se etiam abnegare paratam Deos patrios, licet tempore decennij eò perduci non potuerit, seque velle ad Israelitarũ religionem accedere, & earum rerum esse participem, quæ socrui essent à fortuna parata. Qui dicendi, & constantiæ fidelis amplificandæ modus apud profanos obuius. Talis fuit fidelis amicitia inter Dauidem & Ionatham, de quo est illud 1. Reg. 20. *Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace, quæcunque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me & te, & inter semen meum & semen tuum vsque in sempiternum.* Longus inter Dauidem & Ionatham sermo habitus fuerat de fidelitatis officijs inter se seruandis. Promiserat quoque Ionathas indicare Dauidi quid à Saule parente foret de eius capite decretum. Cùm autem dignouisset satis patris in Dauidem completam malitiam, eiusque iram adeò in eum sæuientem, vt latus suum (Ionathæ) lanceâ transuerberare conatus esset, cùm partes Dauidis defenderet, illicò eidem, signo & loco condicto, Dauidi indicauit, eique imperfecto sermone valedixit: *Vade in pace*; & memor esto pacti inter nos initi, & iurisiurandi religione firmati. Timebat Ionathas ne exorto iam die, ab aliquo deprehenderetur Dauid, qui de illius fuga Sauli nunciaret; atque ideò vrget Dauidem, vt statim ex eo loco ab omnium oculis aliquo se corripiat; precatus tamen illi pacem; id est bonam fortunam, & successum ex voto; paucis absoluens, quòd non liceret prorogare sermonem tum ob periculum, tum quòd animus Ionathæ fidelis vsque adeò esset commotus, vt singultanti pectore non potuerit inchoatum absoluere sermonem. Quod in quocumque affectu, vbi paululùm fuerit concitatus, non in profanis solùm, sed etiam in Sacris scriptoribus reperimus. Quare ad turbidos, seu ægros, aut subitos affectus exprimẽdos, inuenta est à Rhetoribus illa figura, quæ à Græcis ἀποσιώπησις, à Latinis *reticentia* vocatur. Vnde sæpè audimus: *Dij vestram fidem.* & similia. Est optimũ exemplum apud Ouidium epist. 3. Laodamiæ, vbi cùm à Protesilai amplexu diuelleretur, ait præ dolore non potuisse inchoatam orationem absoluere;

Exempla eorum qui sibi mutuo fidelitatem vsque ad mortem seruarunt.

Soluor ab amplexu, Proteſilae, tuo,
Linguaq; mandata verba imperfecta reliquit;
Vix illud potui dicere triſte, Vale.

Eodem modo diſcedens Ionathas imperfecta Dauidi mandata dedit; quia illi doloris intercluſo ſpiritu loquendi facultatem ademit.

Dauidis in Abiathar fidelitas.

Eiuſmodi fuit etiam fidelitas Dauidis ad Abiathar vnicum ſuperſtitem, & reliquum filium Achimelech interfecti, dum illi dixit ad ſe confugienti: *Mane mecum, ne timeas: ſi quis quaſierit animam meam, quaret & animam tuam, mecumq; ſeruaberis.* Memorabilis eſt fidelitas Ethai Gethæi, cùm fugeret rex à facie Abſalon, qui etiam Rege præ modeſtia eum ablegare volente, quòd peregrinus eſſet, & egreſſus de loco ſuo; reſpondit: *Viuit Dominus, & viuit Dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus:* Eadem, inquit, tecum paratus ſum ſubire vitæ diſcrimina. Diſertè in hunc locum Theodoretus: *Cùm multo egeret* (Dauid) *auxilio, curam geſſit ſalutis proſelyti. Reuertere, inquit, & aſporte fratres tuos tecum, & Dominus faciet tecum miſericordiam, & veritatem. Sed quantò maiorem eius curam rex gerebat, tantò ille in eum maiorem oſtendebat benevolentiam. Hæc autem ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam; vt diſcamus, quòd non oportet in rebus quidem ſecundis verſari cum amicis; ſin autem in res aduerſas inciderint, eos deſerere.*

4
Infidelitas reprehenditur. Ierem. 5.

Eheu, quantum abſumus nos miſelli à fidelitate horum; Quàm pauci canum fidelitatẽ imitamur. *Circuite vias Ieruſalem*, inquit Ieremias Vates, *& aſpicite, & conſiderate, & quarite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium & quarentem fidem.* Ne vnum eſſe conqueritur inter Iudæos fidelem Deo & hominibus. Libertimè pronuntiat Iſaias, qualis ſit Procerũ vita. *Iſa. 1.* *Principes tui*, inquit, *infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Et admirans ab illis inquirit: *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij: iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.* Quomodo, inquit, ciuitas illa, quam quondam ornabat, muniebatq; iuſtitia, facta eſt latibulum perfidorum, refugiumq; illorum, qui fratrum ſuorum vitæ inſidias moliuntur, & necem.

Fidelis fuit Abraham Deo & hominibus: Iacob de ſua fidelitate proteſtatur, quomodo rem auunculi Laban adminiſtrauerit: *Genes. 31.* *Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui nõ comedi: nec captum à beſtia oſtendi tibi: ego damnũ omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas: die noctuq; æſtu vrebar, & gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis meis. Sicq; per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & ſex pro gregibus tuis.* Quàm pauci tales famuli reperiri ſunt! Ioſeph fidelis Deo fuit & hero; plurimum enim ſollicitatus à Domina ſua, vt cùm illa peccaret; *Nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quia vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum.* Samuel fidelis Propheta fuit Domini, & iudex tam ſincerus & integer ab adoleſcentia ſua, vt coram Deo & hominibus de ſua innocentia publicè proteſtetur, 1. Reg. 12. Mardochæus non paſſus fuit aliquam iniuriam fieri Regi ſuo Aſſuero quamuis gentili, Eſth. 2. *Genes. 39.*

5.
Infideles à Deo puniti.

Verùm infiniti à fidelitate degenerant, vt produnt modò citata Prophetarum oracula. Pharao quoties infidelis extitit in promiſſis! Saul regno ſpoliatus, quòd fidelis & obediẽs non exti erit Domino, 1. Reg. 15. Ieroboam, quot mala incurrit, cùm regni ſeruandi cauſa deficeret ad idololatriam, & cuncto populo Deum, abnegandi eſſet auctor, 3. Reg. 12. Rex Salomon quantâ pœnâ dignus, cùm infidelis Deo mulieres & idola ipſi præpoſuit! Quàm multi Conſiliarij Principum ſequuntur Architopel! quot ipſi Regi non inſidiantur, vt Eſth. 2. Baachatan & Thares duo Eunuchi Regi Aſſuero! Quàm multi canes muti non valentes latrare, cùm domini res periclitantur. Quàm multi, inquam, famuli & famulæ res dominorũ perire ſinunt, ſecreta domus reuelant! Clamat Apoſtolus Paulus debere *ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes; ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes.* Sed heu! vbi eſt fides, vbi charitas?

Pauci ſunt fideles.

6.
Muta animalia homines ſuperant in gratitudine aſſinos.

Muta animalia nos confundent. Queritur Vates Iſaias de populo Iudaico: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit.* Iudæos rebelles & ingratos iuxta Hieronym. aſſimulat nõ equo generoſo, aut cani ſagaci & grato, ſed ſtolido boui & aſino. quid enim ſtolidius eſt boue? quid ſtupidius aſino? his tamen ſtolidiores ſunt Iudæi & ingrati omnes. Sic è contrario Plato Ariſtotelem vocabat mulum: mulus enim cùm ſaturatus eſt lacte materno, matrẽ calcibus petit: ſic & Ariſtoteles optimis quibuſque Platonis dogmatibus ſuffarctus, ſcholam contra eum in Peripato aperuit, eique perpetuus aduerſarius eſſe cupiuit. ita Ælian. lib. 4.

Exemplum leonis.

Narrat Gellius lib. 5. cap. 14. ex Appione oculato teſte leonem vnum, ad Androdum, damnatum ad beſtias, cui ſpinam aliquando ex pede reuulſerat, ſaniem expreſſerat, & vulnus ſiccauerat, illo ipſo tempore in theatro ad hominem moribundum acceſſiſſe, & cau-

caudam more & ritu adulantium canum clementer & blandè mouiſſe, hominiſque ſeſe corpori adiunxiſſe, & vno verbo, italinguâ membra demulſiſſe, donec exanimatum metu planè reficeret. Androdus paulatim oculos ad contuendum leonem refert, & quaſi mutuâ recognitione factâ, *Lætos*, inquit Gellius, *& gratulabundos videres hominem & leonem.* Non minus rarum & mirabile eſt, quod ſcribit Democritus, & ex eo Lilius Giraldus lib. de ingratis, draconem ſeruaſſe Thoanté in Arcadia: Thoas, inquit, draconem puer nutriuerat, qui cùm adoleuiſſet, veritus draconis naturam, magnitudinemque, in ſolitudinem detulit, digreſſus inde, cùm in latronum inſidias incidiſſet, exclamauit; cuius vocem audiens draco, eamque educatoris ſui eſſe cognoſcens, accurrit illicò, & eum è latronum manibus eripuit.

Exemplum Draconis.

Rarius eſt, quod ex Philarco idem commemorat de aſpide: Aſpis, ait, ab Ægyptio homine ejectata, cùm in hoſpitis ædibus peperiſſet, accidit, vt è catulis vnus hoſpitis filium venenato morſu peremerit. Aſpis tùm domo fortè aberat: reuerſa, iniquum rata, hoſpitis filium à catulo necatum; præſente hoſpite, ne ingrata videretur, imò vt ingratum puniret, proprium catulum homicidam interemit.

Ira aſpidis.

7. Verùm enimuerò rariſſima & ſupra modum mirabilia ſunt, quæ Mayolus de fidelitate canum vſque ad mortem refert Tom. 1. Dierum Canicularium colloq. 7. Danus, inquit, qui extremus regnauit apud Perſas, in ea pugna, quam contra Alexandrum ſuſcepit, & commiſit, cùm à Beſſo multis vulneribus confoſſus eſſet, & iaceret ſtratus, omnibus mortuum relinquentibus, canis ab eo educatus ſolus permanſit fidelis, eumque tametſi non amplius ſuum altorem, ſicut tamen adhuc viuentem, ſeruauit; Ælian. hiſt. anim. lib. 6. cap. 24. qui & aliud exemplum ibi mox addit. Lyſimachi enim regis canis, inquit, cũ ſe ſeruare quiret, non inuitus eâdem, quâ ſuus morte dominus defungi voluit; quod & Plinius habet lib. 8. cap. 40. Habet idem Ælian. lib. 7. cap. 33. & 35. non ſpernenda quædam. Polus enim tragœdus, cùm defunctus cremaretur, canis eius alumnus in medios rogos ſe miſit, vivuſque cum altore ſuo exuſtus eſt. Theodori quoque fidicinis præſtantis, cũ ſepulchro cadauer inijceretur, canis militeus in ipſius ſepulchrum ſeipſum proiecit, & ſimul ſepultus eſt. Docet Ælianus Elephantos ſimiliter beneficium agnoſcere & bene de ſe merenti, animo grato, vicem rependere, lib. 7. cap. 32. quod & pluribus confirmat Arrianus lib. 8. qui eſt de Indicis, & Strabo lib. 15. Sic Arrianus ſupra de elephantorum in bene de ſe meritos beneuolentia: *Habet*, inquit, *elephas, ſi qua alia fera partem aliquam humanæ intelligentiæ. Iamq; aliqui reperti ſunt, qui rectores ſuos in prælio cæſos, atque ex humo in dorſum ereptos ex medijs hoſtibus ad ſepulturam extulerunt. Alij tacentes ſeſſores contra vim hoſtium tutati ſunt. Nonnullis rectoribus ab hoſte excuſſis, ſeſe pro illis neci obiecerunt. Inuentum & vnum ferunt, qui cùm per iram rectorem occidiſſet, pœnitentiâ facti ductus præmaſtitia ex inedia deceſſit.* Ite nunc mortales, & à mutis animalibus diſcite, quantum abertetis à ſcopo.

Canis fidelis etiã poſt mortem.

Elephantorum mira erga benefactores gratitudo.

SECTIO II.

Qua ratione ſeruatus ſit Tobias iunior, à læſione immanis bellua eum innadere conantis, dum concederet lauatum pedes.

I. OBIAS iunior confecto primo die itineris, iuxta fluuium Tigris cum Angelo manſionem primã conſtituens, perrexit ad eundem lauandi pedes gratia. Olim enim moris fuit fidelibus hoſpitis aduenæ ante omnia lauare pedes, tùm ad ſordes, tum ad laſſitudinem tollendam. Sic Geneſ. 18. Abraham tribus Angelis hoſpitio excipiendis, & conuiuio refocillandis, dixit: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum; ſed afferam pauxillũ aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore, ponamq; buccellam panis.* Sic Geneſ. 24. dixit Laban ad Eliezer famulum Abrahæ. *Ingredere benedicte Domini: cur foris ſtas? præparaui domum & locum camelis tuis. Et introduxit eum in hoſpitium, ac deſtrauit camelos, dedit paleas & fœnum, & aquam ad lauandum pedes eius, & virorũ qui venerant cum eo.* Geneſ. 43 diſpenſator domus Ioſeph introduxit fratres eius, *& introductis domum attulit aquam, & lauerunt pedes ſuos.* Iudicum cap. 19. conſtat non ſolitos prandere aut cœnare niſi lotis pedibus. Nam de quodam ſene ibi ſermo eſt, qui Leuitem quemdam cum vxore hoſpitio receperat; & de illo dicitur, *Poſtquam lauarunt pedes ſuos, recepit eos in conuiuium.* 1. Reg. 25. Abigail poſtulata in vxorem Dauid, reſpondit: *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum domini mei.* Magdalena Chriſto Domino Luc. 7. pedes lauit. Ipſe in vltima cœna diſcipulorum, Ioan. 13. Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. requirit in vidua eligenda, in præfectam collegij & quaſi monaſterij viduarum, cuius tunc temporis vſus erat ad Eccleſiam iuuandam in cura, inſtitutione, & diſciplina aliarum ſiue virginum, ſiue mulierum, vt hoſpites exceperit, eorumque pedes lauerit: *Vidua*, inquit, *eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit*

Moris fuit lauare hoſpitis pedes.

Illicitũ fuit illotis pedibus comedere.

vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habēs, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.

Quare Tobias Lauris pedes.

Cùm autem sub dio pernoctandum esset Tobię defectu diuersorij aut hospitis alicuius eum cum mercenario recipientis: ipsemet vel ex illa consuetudine concessit ad fluuium Tigrim lauandi pedes gratia: vel, vt Sanctius, hoc loco, existimat, in ea regione fuit vsitatū valde, & pene necessarium, sese lauare, quòd esset calidissima illa regio, Babyloniæ non dissimilis, quam vicinam habebat: ita vt loci id non solùm ferret consuetudo, sed exigeret etiam explorata valetudinis ratio. Quod facile erit colligere, si credimus Plutarcho, qui in vita Alexandri de Babylonicæ regionis temperamento sic scribit: *Est Babylonia vaporibus vehementer obnoxia, ita vt posita humi sepe hordea insublime prosiliant, quasi ea loca languore quodam tumentia salientem pulsum habeant. Incolæ quoque per æstus immensos super plenis aquâ vtribus somnos capiunt.* Alij volunt illam Hebræis consuetudinem familiarem pedes lauandi, quòd naturalis sit illis quædam graueolentia, vti & Arabibus, qui graue aliquid halant, & hircino simile. *Sanè Iudæis*, inquit Sanctius, *naturalis est quidam fator, tàm communis, & notus, vt ab eo nomen vulgare traxerint, & vocati fuerint, fatentes. Martialis quidem inter res maximè fatentes, & odiosas, halitum numerat Iudæorum lib. 4. Epigr. 4. vbi illos Sabbatarios appellat. Audi Ammianum lib. 2. de Imperatore Marco.* Cum Palæstinam transiret; Ægyptum petens, fætentiū Iudæorum, & tumultuantium sæpè tædio percitus dolenter dicitur exclamasse. O Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inueni. *Vt ergo fatorem illum, qui ex sudore plerumque prouenit, detergerent Hebræi, sæpè aut publicis, aut priuatis balneis vtebantur.* Ita ille ad versum 24. 2. Reg. 18. vbi legitur Miphiboseth filius Saul descendisse in occursum Regis illoris pedibus, vt non leue doloris sui daret documentum, in Dauidis fuga à balneis abstinens, & à suis pedibus, quorum sudor aliquid molestum exhalat, sordes non abstergens. Illotos autem apparere pedes aliorum oculis difficile fuit, cum Hebræis nullus esset tibialium vsus; & sandalia, quæ illis pro calceis sunt, quæque non omninò pedes contegunt non subducunt oculis, si quid est in pedibus aut illotum, aut lautum. E fluuio autem Tigri contigit immanem belluam vsque adeò audacē prodire, vt non exterreretur viso homine, sed potius ad illum deuorandum violenta iruerer.

Babylonia est regio calidissima.

Iudæis inest naturalis quidam fator.

1. *Quis fuerit ille piscis*

Quis ille piscis fuerit, diuinant Auctores Nihil certum. Franciscus Valesius de sacra Philosophia cap. 40. putat hunc piscem esse illum, quem Græci Gallyonimum vocant, qui, vt auctor est Plinius, etiam appellatur Vranoscopus. Quod sibi eximius ille medicus persuader, quia ex Galeno didicit decimo de simplicium medicamentorum facultatibus, bilem Gallyonimi esse potentissimam ad acuendam oculorum aciem. Quod item docuit Plinius lib. 32. cap. 7. *Gallyonimi*, inquit, *fel cicatrices sanat, & carnes oculorum supernacuas consumit.* Addit deinde piscem esse voracem, & carniuorum, aspectu immanem, quare non videri mirum si exclamaret adolescens, & vehementer expauerit ad aquatilis belluæ terribilem aspectum.

Restat videre; Quâ ratione seruatus sit ab immani hac bellua, & carniuora Tobias iunior. Primò euasit huius ferociam, eò quòd iustitiam coleret. De illis enim est quod Propheta regius ait Psalm. 90. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Et rursum Psalm. 36. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur; & viam eius volet: cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Sicut enim nutrices, & parentes curant aliquando, vt infantuli proprijs pedibus ingrediantur: & iam iam ruituros supposita manu, tanquam puluillo excipiunt: aut lapsos amplexu fouent, ac demulcent, ita planè Deus seruos suos aut lapsos erigit, aut ruituros sustinet, & ne vllo casu atterantur, patrocinatur. Vnde illud: *Et ego quasi nutritius Ephraim*, Oseæ 11. Huc spectat, quod Anna dixit 1. Reg. 2. *Pedes sanctorum suorum seruabit.* Deus, figurata est locutio, quâ pedes pro toto corpore ponuntur. Addit Abulensis in eum locum: *Quia nulla est pars in corpore humano, qua magis lædi possit, quàm pedes. Et quia super eos tota corporis moles sustentatur.* Quasi, Deus, vbi plus cernitur periculi & laboris: ibi maiora, ac velociora præsidia adhibeat. Clarum id est, in Hebræis per desertum ambulantibus; quibus dixit Moyses Deuteron. 8. *Pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.* Et Esdras commemorans Dei in antiquos Patres munificentiam, inquit: *Quadraginta annis pauisti eos in deserto, nihilq; eis defuit; vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non sunt attriti,* 2. Esd. 9.

3. *1. Seruatus est Tobias, quòd iustus esset.*

Deus iustos in periculis est protector.

Id credidit omninò Darius Rex, Daniel 6. cùm ipsum inuitus puri cogeretur condemnari ad lacum leonum, propter decretum impium antea publicatum, eique dixit in lacu leonum exsilienti, *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.* Et altero die, *Danielem voce lachrymabili inclamauit, Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis semper putasne valuit te liberare à leonibus?* Cui ille, respondens quod sic, rationem addidit: *Quia coram eo iustitia inuenta est in me.* Ipso verò iam de lacu educto Scriptura idipsum luculenter asserit, dum ait.

4. *Daniel illæsus è lacu leonum exiit, quòd innocens esset.*

Nulla

Nulla lesio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo, quia confisus fuit Deo, eiusque prouidentiæ, & omnipotentiæ se totum commisit, cuius prouidentia peculiarior est super iustos. Gentiles 28. cap. Act. cùm existimarent Paulum à viperæ morsu, quæ inuaserat manum eius, in tumorem conuertendum, & subitò caturum, & morituram; Videntes verò *nihil mali in eo fieri, conuertentes se dicebant eum esse Deum.* quem antea iudicauerant homicidam. Vide hîc subitam Melitensium mutationem; ex homicida faciunt Deum: iustitiam viri vsque ad prodigium profitentur, dum vident illum seruari. Sic Lycaoni Act. 14. videntes miraculum Pauli, quo claudum à matris vtero restituerat, clamabant eum esse Mercurium.

5. *Seruatus est Tobias per Angeli custodiam.*

Secundò seruatus est per Angeli custodiam Tobias iunior, cuius ipse opem implorauit: *Domine*, inquit, *inuadit me.* Cùm suis viribus ipse diffideret, alienas aduocat, & suum socio ostendit periculum, qui magnum animum inspirauit adolescenti timido, atque nullum in eo congressu futurum esse periculum: monet vt branchijs & faucibus manus injiciat, sternatque animatam illam molem, & diuum exitium anhelantem. Paruit Tobias Angelica monitione corroboratus, & apprehensam branchijs è stadio suo extraxit, adduxit in littus, & arenam siccam, vbi statim vires amisit & vitam, facta præda, quæ prædatum irruperat.

Prouida & studiosa Angelorum erga homines custodia Serm. 20. in Psal. 90.

Verissimè dixit Propheta regius Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Beatos*, inquit Bernardus, *illos spiritus propter nos remitti in ministerium, custodiæ nostræ deputat, nostros tutes fieri pædagogos.* Et rursum, Deus *Angelis suis, illis vtique sublimibus, tam beatis, tam proximis, sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & vere domesticis Dei, mandauit de te*: vt tuum in obsequium, ac seruitutem traderentur. Neque solum lateri adhærerent, vt comites; sed etiam pedibus subiacerent, vt baiuli. *In manibus*, inquit, *portabunt te, ne vnquam offendas, ad lapidem pedem tuum.* Quæ potest longi protectio studiosior, & custodia prouidentior: quàm vt nobilissimæ Angelorum manus vilissimis hominum pedibus substernantur?

6. *Angelus conclusit ora leonum tribus.*

Angelicæ opi adscribit planissimè Daniel, quòd illæsus seruaretur in lacu leonum: *Deus meus*, inquit, *misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Id factum est primò quòd vi sua Deus ora leonum per Angelum continuerit, & compresserit, ne ipsum Danielem mordere possent. 2. fecit hoc Angelus adimendo eis famem, & cibi, Danieliscque fastidium in eis concitando. 3. mutando leonum phantasiam vt apprehenderent Danielem quasi amicum, vel vt quid formidabile: sicut Aristoteles & Plinius docent, leones terreri ad rotas, & sonitum curruum; ad galli cristas, & cantum; & maximè ad fulgentes ignes. Ecce hic in Daniele verum est illud, Hebr. 11. vers. 33. *Obturauerunt ora leonum.* Ascribit hoc miraculum Scriptura eius fiduciæ in Deum: *Eductusque est*, inquit, *Daniel de lacu, & nulla lesio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo.* Disertè D. Augustinus tractat. 8. in Epist. Ioannis *Subdere*, inquit, *ei, qui supra te est, & infra te erunt illa, quibus præpositus es. Quia verò per peccatum homo deseruit eum, sub quo esse debuit, subditus est ei supra qua esse debuit. Intendite quid dicam, Deus, homo, pecora: supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est, vt agnoscant te quæ infra te sunt: ideoque, cum Daniel agnouisset supra se Deum, agnouerunt illum supra se leones. Si autem non agnoscu illum qui supra te est, superiorem contemnu, subderis inferioris: propterea superbia AEgyptiorum vnde domata est? de ranis & muscis. Sed Danielem agnouerunt leones, quia ille subditus erat Deo. Agnouit ignis seruos Dei, tres viros, quos non vsit, quorum nec vestimenta corrupit*, Daniel. 3. Ita S. Pontianus Martyr sub Antonino Imp. Spoleti obiectus leonibus rugientibus, orans cum Christo illud Psalm. 21. *Salua me ex ore leonis, vt enarrem nomen tuum*, eos cicurauit, vt ei blanditentur: ac deinde eculeos, flagra, carceres, longam inediam ignes illæsus superauit, dicens: *In Domino confido, non timebo quid faciat mihi homo.* Ita habent eius Acta, 19. Ianuarij. Hac de causa Gentiles olim contra Christianos iudicibus succlamabant: Ad lenonem, non leonem damnetur virgo Christiana: sed illæ eadem spe & ope Dei, quâ leones, erant lenones superarunt, teste Tertull. in Apolog. & testes sunt S. Agnes, Lucia, Dorothea, Susanna, aliæque plurimæ.

7. *Angeli in rebus incertissimis nobis sunt vbique præsto.*

Quàm certi sint, hi cæli principes, amici nostri, quis est, qui non id expertus in rebus sæpè incertissimis quotes manus, cruta, cervicem fregisse mus, si horum amicorum auxilia nobis defuissent. Si bene calculum ponamus, vbique naufragium est & periculum: quot pori corporis, tot ostia mortis, per quæ improuisa irrepat, nec sudamus, nec algemus absque periculo; nec mensam, nec lectum à periculis secuti adimus: cibus auidum strangulat; fames, ieiunum necat. hunc bellum rapit, illum penatum suorum ruina sepelit. in equis, in naui, in siluis; domi, foris; terra & mari vndique pericula, & verè sub omni lapide scorpius dormit. At vigilant in rem nostram custodes Angeli: Hi Lothum incendio Sodomæo eripuerunt, apprehenderunt vtique manum eius & manum vxoris eius, &c. eduxeruntque eum & posuerunt eum extra ciuitatem Genes. 19. Suis nos manibus portant

tant, ne offendamus: vt maiores natu filij fraterculos suos minores, brachijs quandoque circumgestant. Hi Moysen expositum in loco palustri & stagnante ex Nili aquis in scyrpea fiscella seruarunt. Iudicham in Assyriorum castris tutati sunt: ita vt apud Holofernem misericordiam & gratiam inueniret, qui prius illi obuiam progressus, eam hilaris excepit & gratus. Hi, inquam, Hebræos tres iuuenes in flammis fornacis Babylonicæ illæsos seruarunt. *Angelus autem Domini*, inquit Scriptura, *descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Disertissimè Augustinus serm. 240. de tempore: *In fornacem*, inquit, *missi sunt sancti, fugiunt flamma, cedunt ignes, incendia expauescunt. Ostendunt iustorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet Sanctis cum igne iocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Accipe hostis à supplicijs exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Fugiunt ignes iustos, quos iniustè damnasti. Damnant hostes, & absoluunt ignes. Chaldæi adijciunt, & pœna defendunt. Homines sæuiunt, & supplicia venerantur, ac persequentes puniunt.*

Iudith 11. & 12.

Daniel 3.

8. *Plurima miracula Ionæ in ceto.*

Hi rursum Ionam in ventre ceti, in angusto, sordido, obscœno, limoso, atque horribili hospitio intactum custodierunt. En quàm multa in vno acta miracula. Venter piscis calidissimus Ionam non consumpsit, & in chilum conuertit. Ionas ibidem viuere & respirare, aeremque frigidum potuit: odor, qui in ventre ceti est olidissimus, & intolerabilis, Ionàm non exanimauit, quin potiùs ipse eum commodè tulit. In hoc angustissimo, & incommodissimo carcere non tantùm animæ, sed & mentis compos fuit, spirituque Dei afflatus insigne & pium carmen Deo cecinit. Dei ergo hoc fuit opus, qui simili modo conclusum in materno ventre fœtum, tot mensibus sine cibo aut potu, sine egestionis, sine frigidæ respirationis vsu cõtinet, ait Theoph. Quam rem licet frequentem meritò admirans Dauid, *Iste*, inquit, *proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ, Deus meus es tu*, Ps. 21. Qui ergo tres pueros in fornace Babylonia illæsos, idem Ionam in ventre ceti intactum seruauit ita S. Hieronymus.

9. Breuiter hi Danielem in leonum fouea, Paulum in vndis pelagi à naufragio seruarunt. Petrus Apostolus liberatus à carcere ope Angelicâ clarissimè confessus: *Nunc*, inquit, *scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Iudæorum.* Absque horum ope fuissem, centies & nos periissemus. Hieremias Drexelius de hoc Angelorum præsidio disertè tractans: Testor ego, inquit, qui hæc scribo, volare me nunquam didicisse, sed præcipitem è scalis in saxa; præcipitem è cliuo & curru euerso in Danubium, penitus incolumem euasisse (vt talia pericula taceam) non sine opitulante Angelorum manu. Testor præsentissimam Angelorum opem me sexcenties expertum. idem, aliorum quoque confessione constare credo. Verè integerrimos amicos habemus Angelos; tum maximè præsentes, & sollicitos, cùm plurimum vrgent pericula. Hoc in Tobia nostro manifestum est, quem absque Angeli ope, & ad repentinam illam pugnam imparatum facilè carniuora bellua consumpsisset.

Act 12. Absque Angelorum ope centies periremus.

10. Dicet fortè sciolus aliquis: Seruarunt Angeli Tobiam, Ionam, Danielem à sæuientibus aliàs animalibus, ne læderentur: sed quid? plures perire permiserunt. 1. Reg. 5. enati repentè mures infiniti in agris, & ranæ pestilentes & noxiæ in Azotios populabantur. quò Arca Dei perueniebat, maior in dies gliscebat morbus, & morientium atque laborantium vlulatu, omnis vbique ciuitas personabat. 3. Reg. 13. Prophetam illum qui suis precibus restituit arefactam manũ Ieroboamo, quam extenderat in ipsum, leo in via occidit. Alterum socium Prophetarum 3. Reg. 20. inuenit Leo, & percussit, vt appareat, morte 4. Reg 2. quadraginta duos pueros, duo vrsi de saltu egressi, lacerauerunt vsque ad mortem. Ministros, qui Danielem in lacum leonum submiserant violentè leones discerpserunt. Alios quamplures à feris dilaniatos palam est. Quid igitur prædicamus tantopere Angelorum custodiam, opem & præsidium?

Quomodo Angeli plurimos sinerint à feris interimi.

Dan. 6. & 14.

11. Da veniam, mi homo. Non faciunt Angeli quod volunt, quantumuis vigiles in nostrum bonum. Certarim pugnant pro suorum salute, vt videre est, Daniel. 10. sed curuantur sub eo, cui omne genu flectitur. Eius definitioni administratorij spiritus subseruiunt, diuinæ se conformant, voluntati. Ezechielis cap. 9. iubet Deus Angelo, vt Hierosolymæ signet pios, lugentes peccata, populi signo Tau, deinde iubet sex alijs Angelis, vt signatis parcant; reliquos omnes non signatos per Chaldæos occidant. Cap. 10. Vir quidam linteatus, scilicet Angelus, qui pios signauit & liberauit, iubetur impios plectere, impiam eorum vrbem comburendo: *Ingredere*, inquit, *in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubin, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem*: ne existiment homines casu, aut hominum consilio vrbis incendium fore, iubet Deus Angelum ex suo curru ignem capere, quo comburenda erat vrbs, vt significaret Dei prouidentiâ & decreto id futurum; cui contradicere Angelo non licet. Angelorum enim munus est, Dei iussa exequi, tam in puniendo malos,

Angeli diuina voluntatis obsequentissimi.

Non inquinatur Angelorum pietas, quòd puniant malos

malos, quàm in præmiando bonos, nec per hoc inquinatur Angelorum pietas & ſanctitas. Vnde Angelus hîc, æquè vt antè veſtitur lineis & mundis veſtibus: quia, vt ait S. Bernardus in Pſalm. 90. ſerm. 8. *Non inquinabit in ſanguine* (peccatorum) *manum, ſed lauabit: vt vnde ille cruentus magis, inde iſte nitidior videatur.* Et S. Gregorius 18. Moral. 13. *In peccatorum*, ait, *morientium ſanguine iuſtè lauant manus: quia dum eorum pœna conſpicitur, conſpicientis vita mandatur.* Diſcunt enim homines cauere peccata, quæ à Deo & Angelis vident tam grauiter puniri.

11. Hinc puniti, per mures, Azotij, quos antea, vt Deos coluerant, iuſto Dei iudicio, cui Angeli reſiſtere nequeunt, nec cupiunt. Sic Angeli permiſerunt puniri idololatras in laceratione quadraginta duorum puerorum à duobus vrſis: vt & ipſi pueri ſuæ petulantiæ, & adhortationis impij parentes in filiorum cæde exoluerent pœnas. Sic feritatem ſuam exercuerunt leones in viros illos; qui Danielem accuſauerant; ipſos & filios, & vxores eorum arripuerunt, antequam peruenirent ad pauimentum laci, *& omnia oſſa eorum comminuerunt.* Quia ſic volnit Deus pœnâ talionis illos puniri: vxores autem, & filios, quia hi parentes, illæ maritos, ad ſcelus excitarant, adiuuerant, aut conſenſerant, vt auctor eſt Pintus in Danielem: Propheram autem illum, qui Ieroboamo dura nuntiauerat iuſtè voluit Deus à leone occidi, etiamſi venialiter ille tantùm peccaſſet, ex inſtinctu alterius Prophetæ, eum decipientis; ita vt comederet panem, & biberet aquam contra præceptum Domini inter idololatras, vt ex hac temporali pœna illius diſcerent alij, quàm periculoſum ſit in vrbe idololatrica hærere. Secundum verò occidi permiſit, quia iuxtà vocem Domini noluit Propheram illum lædere, quem Dominus ſub ſchemate militis vulnerati voluit nunciare indignationem ſuam erga Achab quòd Benadad Regem Syriæ in pacem recepiſſet. Itaque hos
3 Reg. 20. Angeli defendunt, quos Deus defenſos vult, illos deſerunt, quos Deus cenſet tali pœnâ dignos.

SECTIO III.

Quanam vlteriùs hac Tobiæ & Angeli dicta & facta nobis documenta ſuppeditent?

1. *Honorandi ſunt etiam ſubditi in neceſſitatis articulo.*

BREVITER hæc indigitabo. Primò docet Tobias iunior, cùm appellat mercenarium, *Dominum*, in neceſſitatis articulo, aut morte inſtante, omninò deponenda eſſe magna nomina, quæ inflatos reddunt ſpiritus: Hoc enim articulo ſolèt etiam Principes multum humiliari, & magni facere, quos antea vix aſpicere dignati ſunt, vt Confeſſarij maximè experiuntur.) Sic Tobias, quia indigebat auxilio iuuenis mercede conducti, eum honorificè compellat, *Domine inuadit me.* Quòd ad emolliendum, & lucrandum alicuius animum, Maria Magdalena credidit eſſe efficax: vnde dicit Chriſto à mortuis reſuſcitato, quem hortulanum exiſtimabat, *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum.* In quem locum Toletus, *Dominum appellat, quia facilè eos honoramus, à quibus impetrare aliquid volumus.*

2. *Tutores vt parentes honorandi.*

Vel fortè docuit hac ratione Tutores vt parentes honorandos, quandoquidem præter honorificum titulum omnia ad amuſſim præſtitit, quæ ipſi iniunxit. Sic Eſther adoptata à Mardochæo in filiam, in omnibus illi obtemperabat. Aſſumpta enim in Reginam ab Aſſuero non minus ab eius præcepto pendebat, quàm parvula exiſtens: *Nec dum*, inquit Scriptura, *prodiderat Eſther patriam, & populum ſuum iuxta mandatum eius* (Mardochei) *Quidquid ille præcipiebat, obſeruabat Eſther, & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam parvulam nutriebat.*

3. *Deo ita fidendum vt humana præſidia non negligamus.*

Secundò docet quidem in Deum ponendam fiduciam, ſed ex noſtra parte adhibenda quæuis naturalia media & præſidia; ne tentemus Deum. Sic Iacob Geneſ. 32. licet mirifica viſione edoctus eſſet, Deum ſui curam gerere, neque ab Eſau quid mali paſſurum; nihilominus, cùm intelligeret eum properare ſibi in occurſum cum quadraginta viris, humiles ad Deum effudit preces: *Deus*, inquit, *patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac: Domine qui dixiſti mihi, Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tua, & bene faciam tibi: minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valdè eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filijs. Tu locutus es, quod benefaceres mihi, & dilatares ſemen meum ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt.* Optimus orandi modus. Orditur à Dei reuerentia & laude, allegatque patrum merita, dicens: *Deus patris mei Abraham*, &c. 1. admonet Deum promiſſionum: *Domine, qui dixiſti mihi, Reuertere* 3. humiliat ſe, & ſuam infirmitatem confitetur: *Minor ſum cunctis miſerationibus tuis.* 4. beneficia accepta recolit, & gratias agit: *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior.* 5. orat: *Erue me de manu fratris mei Eſau,* 6. non tantum pro ſe, ſed & pro alijs obſecrat: *Ne percutiat matrem cum filijs*: timebat vel maximè ne occiſo ſemine benedicto, Chriſtus non veniret.

Optimus orandi modus Iacobi.

Sic

Sic Dauid, quamuis haberet promiſſionem Samuelis ſe futurum Regem, & Ionatham ſibi dicentem audierat, *Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saul patris mei: & tu regnabis ſuper Iſrael*, 1. Reg. 23. immò ab ipſo Saule, *Scio quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael*, 1. Reg. 24. tamen dixit 1. Reg. 27. *in corde ſuo, Aliquando incidam vna die in manus Saul: nonne melius eſt, vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſtinorum?* Et reipſa profugit cum ſexcentis viris ad Agis Regem Geth, ſciens ſe debere ea facere, quæ humanitus ab eo fieri poterant ad vitanda pericula, & promiſſi regni impedimenta. Non enim diuinæ promiſſiones ac prædictiones excludunt humanam induſtriam ac conatum; ſed magis ſtatuunt, quoties nimirum Deus ea promittit, vel prædicit, quæ per humanas actiones vult implere. Sic Paulus Act. 9. à fratribus per murum demiſſus eſt in ſporta, vt euaderet inſidias Iudæorum. Sic Tobias noſter branchiam apprehendit iuſſu Angeli, & traxit ad littus, cùm tamen Angelus eum piſcem occultâ aliquâ vi potuiſſet apprehendere ſine difficultate, & occidere.

4. *Deficientibus mediis humanis recurrendum ad Deum, & illi totâ committendum.*

Sed cùm media alia non ſuppetunt, tunc recurrendum eſt ad orationem, & relinquẽdum totum Deo. Hoc egit Ioſaphat rex, Ammonitis & Moabitis contra ipſum inſurgentibus, vallatus: *In nobis*, inquit, *quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos: ſed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te* 2. Paral. 20. cuius orationem felix euentus ſecutus eſt. Ezechias rex, cùm ab Iſaia Propheta audiſſet, *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: conuertit faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum* optimo ſucceſſu, vt videre eſt 4. Reg. 20. & Iſa. 38. Tobias hic neſciens diuinam opem implorat, cùm inquit, Angelo, quem Mercenarium putabat, *Domine inuadit me.* Mirabile eſt; quòd refert Metaphraſtes die 28. Septembris anno 276. Quidam Chariton nomine, cum Hieroſolymam tenderet, latronum inſidijs interceptus, in ſpelæum illorum tractus, & catenis alligatus eſt. Latrombus aliò ad prædam dilapſis, Chariton hoc vnum agere, Deum diuinamque prouidentiam maximis laudibus extollere, inopinatam illam permiſſionem ſecum expendere, ob eamque patriam amantiſſimo gratias agere, eidemque ſe impenſiſſimè commendare, nec aliud velle quàm diuinam in ſe voluntatem perfici. Dum hæc animo voluit, ſerpens è latebrâ, prorepit ad camellam lactis plenam; bibit hinc largiùs non vocatus hoſpes, ſed pro ſymbolâ, quòd ingrati ſolent, venenum effundit. Vbi latrones in notum cubile redierunt, primum erat contractam ſitum lacteâ promulſide propitiare: biberunt liberalius, quàm ſerpens, ſed ita vt nihil biberent amplius, nam paulò poſt concepto intra venas veneno extincti ſunt omnes. Ergo iam Chariton latronum ex aſſe hæres, & ſolus infamis latibuli Dominus, diuinæ ſe prouidentiæ ardentiùs quàm vnquam commendauit: nec fruſtra: vinculis ope diuinâ laxatis, pro miſerabili ergaſtulo habitaculum reperit opulentum. & pecuniam quidem illic inuentam, partim ſubleuandis egenis, partim monaſteriolo condendo adhibuit. Ipſam latrocinantium ſpecum in templum mutauit, vbi tam Iudæi, quàm idoloſatræ Chriſtianis ſactis imbuti ſunt.

Mirabile Charitonis exemplum.

Diſertè Bernardus ſerm. 13. in Pſalm. 90. *Quoties ergo grauiſſima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca cuſtodẽ tuum, doctorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic: Domine, ſalua nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, etſi ad tempus quandoq; diſſimulet: ne forte periculoſius ab illius te manibus ipſe præcipites, ſi te eo ignorante ſuſtentatum.* Id facit hoc loco Tobias, & conſilium illi ſuggerit, Angelus, quo euadit immanis belluæ ferociam. Vide de vtili Angelorum & Sanctorum inuocatione Diſc. 50. in I. Præceptum.

5. *Promiſſiones Dei habere quidem felicem exitum, ſed non eximere à periculis & molleſtijs eius modi.*

Tertiò inſtruunt nos ea, quæ ſuperuenerunt Tobiæ, promiſſiones Dei ſic intelligendas eſſe, quæ promittunt hominem ſaluum ducere & reducere, vt non eximant omninò ab intermedijs difficultatibus, ſed illas interuenientes non impedire felicem ſucceſſum & exitum. Sic Iacob licet haberet promiſſionem Dei, *Ero cuſtos tuus quocumq; perrexeris, & reducam te in terram tuam*; tamen timuit à facie fratris, Geneſ. 32. Nam, teſte Auguſtino, fieri potuiſſet, vt Eſau euerteret caſtra eius, & tamen poſt illam afflictionem Deus illi adeſſet, in terram ſuam reduceret, & quæ promiſit, adimpleret. Neque enim Deus promiſerat illi, non habiturum eum afflictiones, quas etiam poſteà grauiſſimas habuit; ſed omnes eas ipſius auxilio ſuperaturum. Item Dauid, licet diuinam haberet promiſſionem, per multa tamen pericula, & vitæ diſcrimina ad regnum peruenit. Noſter quoq; Tobias Angelicâ ſuffultus promiſſione de incolumitate, nihilominus hanc difficultatem ſubijt intermediam. Veriſſimè Propheta Regius, *Multæ tribulationes iuſtorum, de his omnibus liberabit eos Dominus.* Pſal. 33.

6. *Per hunc piſcem ſignificari diabolum.*

Venerabilis Beda in hoc piſce diaboli ſymbolum agnoſcit, qui tam auidus fuit ad prædam, vt in illam extra proprium elementum magno cum diſcrimine inſilierit, qui à Tobia iuniore per branchiam captus prodit ſuam infirmitatem. Neque abs re id agnoſcit præfatus Doctor. Nam diabolus Iſa. 27. vocatur Leuiathan, & Iob 40. Behemoth. Neq; extraneum

Paruuli dæmone fortiores.

neum est, diabolum à paruulis superari, vt testatur Isaias Vates cap. 11. *Delectabitur*, inquit, *infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* In quem locum D. Hieronymus: *Infans*, inquit, *qui malitia paruulus est, mittet manum in foramine aspidis, & de obscœnis hominum corporibus fugabit dæmones. Qui autem ablactatus est, & nequaquam lacte nutritur infantia, sed iam solido vescitur cibo; iste in reguli cauernam mittet manum, hoc est, in ipsum Satanæ habitaculum, & inde eum extrahet.* Vbi vides etiam infantes, vix ab vberibus auulsos, esse fortiores illo forti armato, qui custodit atrium suum; cùm hic ab illis de domo sua facilè expellatur. Et quamuis D. Hieronymus de spirituali puerilia & infantia loquatur, profectò temporalem non excludit, cùm qua illa prior societur.

Resistendum diabolo alt.

Vociferabatur Tobias, instare immanem cetum, perire se; cui acclamans Angelus: *Apprehende*, inquit, *branchiam eius, & trahe eum ad te.* Adeò trepidabat Tobias ad aquatilis huius belluæ occursum: vt se iam in eius faucibus hærere crederet. Exemit metum Angeli & voce iuuenem adeò animauit in cetum, vt quem horrebat aspicere, iam tangere non formidaret. Sapientissimè Apostolus Iacobus cap. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Diabolus simillimus est crocodilo, qui, vt aiunt, insequentem fugit, & fugientem insequitur. Ergo, mi homo, apprehende ceti branchiam: resiste diabolo, magno animo te illi oppone, & fugabis hunc formidabilem crocodilum, aut certè ille te, ni præoccupes. Aude tantùm, & socium atque adiutorem Angelum cogita; vicisti, si vnà cum illo pugnes. Neque enim Tobiam à cete solum, sed & à diabolo illæsum vindicauit: *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & relegauit illud in deserto superioris Ægypti.* Ita & diabolum, optimus hic tutor noster compescit, vt iam non magis ab illo lædi possimus, quàm à cane, catenis adstricto. Latrare hic potest, mordere non potest, ni propiùs accedentem.

Dæmon insequentem fugit, & fugientem insequitur.

Gaspar Sanctius in cap. 29. Ezechielis, ad modum huius piscis terribilis à Tobia iuniore extracti, sic tyrannos è regno suo extrahendos docet ad verba Prophetæ: *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluuius, & ego feci memetipsum. Et ponam frenum in maxillis tuis, & agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis: & extraham te de medio fluminum tuorum, & vniuersi pisces tui squamis tuis adhærebunt,* id est: Ecce ego ad te, ô Pharao rex Ægypti, qui instar draconis aut magni alicuius fluuialis piscis, in medio fluminum tuorum, id est, in his spacijs, quæ dissectus in septem brachia Nilus amplectitur, stabularis; quiq; vesanâ cogitatione non obscurè dicis tuum esse fluuium; atque ideò cùm ille omnes secum commoditates importet nihil tibi esse metuendum non secus atque si à teipso, & non ab alio haberes quod viuas, & quod sis. Sed, ô miserum, sic excipiam te, eoque supplicio mulctabo, quod inflatus meretur spiritus. Injiciam enim faucibus tuis hamum, sicut frænum iumentorum maxillis inseritur, & cum piscibus alijs, qui tuis implexi squammis, tâquam stipatores te, ac satellites assectabantur, ex flumine extraham, & in littore exponam; extra Regnum videlicet Ægyptium. Est autem frenum idem quod hamus, seu vncus, quod magnorum piscium faucibus iniectus, illos ab alto, id est, ex suo regno extrahit, & in litto e exponit; vbi in arido vitam momento amittunt; quam in humido vagam, & iucundam egerant. Sic faciet Deus cum superbis regibus, vt olim cum Pharaone Exod. 14. Sennacherib Isa. 37. & alijs.

7. *Per extractionem huius piscis significari sic tyrannos è suo regno extrahendos*

CAPITIS SEXTI

VERSVS V.

Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter.

Verſ. 6. *Quòd cùm feciſſet, aſſauit carnes eius, & ſecum tulerunt in via; cætera ſalierunt: quæ ſufficerent eis, quouſque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum.*

Verſ. 7. *Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obſecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt iſta, quæ de piſce ſeruare iuſſiſti?*

Verſ. 8. *Et reſpondens Angelus dixit ei: Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.*

Verſ. 9. *Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 5. 6. 7. & 9. Iubet Angelus exenterare piſcem, cor & fel & iecur, abiectis cæteris, ſibi reſeruare, quaſi in rem medicam multum vtilia. Exenteratò piſce partem carnium eius aſſauit, veriſimiliter ad præſentem & ſequentem diem. Ex reliquo fecerunt ſibi ſalſamenta, quæ durare poſſent, donec ad Rages ciuitatem Medorum ventum eſſet. Quam autem haberent medendi facultatem reſeruari iuſſa, aliquot poſt diebus doceri cupit ab Angelo Tobias. Cui reſpondit illicò Angelus fumum, ex cordis particula, ſuper carbones poſita, prodeuntem, extricare omne genus dæmoniorum ab vtroque hominum ſexu tam efficaciter, vt ne quidem fugatus amplius ad eos accedere valeat: fel autem ad albuginem oculi tollendam eſſe per quam opportunum.

SECTIO QVARTA.

In quem finem Angelus indicarit Tobiæ, quæ ad rem medicam ſpectant?

1. *Sanctos curam geſſiſſe infirmorum.*

SANCTOS olim curam geſſiſſe infirmorum Sacra Pagina nobis palam facit. Dum enim morbo graui laboraret Ezechias rex, Vates Iſaias iuſſit cataplaſma ſiue emplaſtrum ex ficubus confici, & ſuper vulnus Ezechiæ poni, quod hominem moribundum vitæ & ſanitati reſtituit tam citò, vt tertio die adiret templum, Vt dicitur 4. Reg. 20. Neque Angeli defuerunt hac in parte hominibus: nã in quamplurium annorum curriculo grauioribus infirmitatibus laborantes ſanitati reſtituerunt. Teſtatur enim Ioã. c. 5. Hieroſolymis fuiſſe probaticam piſcinam *quinque porticus habentem, in quibus iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum exſpectantium aquæ motum*, qui fiebat certo ac determinato tempore per Dei Angelum: *& quiprimus deſcendiſſet in piſcinam, ſanus fiebat à quacunq; detinebatur infirmitate*, iuxta Cyrillum lib. 2. cap. 115. in Ioan. Non vnus fuit Angelus, qui huic rei operam impẽdit, ſed diuerſi, qui diuerſis temporibus hoc officiũ infirmis exhibebãt.

Angeli curarunt plures infirmos.

Hic verò Angelus etiam de abſentibus grauiſſimo malo infeſtatis, Sata nempe & To-

Tobia ſeniore illa à dæmonis dura, hoc cæciratem patiente, eſt ſollicitus, & iunioti Tobiæ remedia horum communicat. Qua ratione motus fuerit iam libet diſcutere. Primam ergo arbitror fuiſſe, vt indicatet charitatem, quâ feruntur Angeli erga genus humanum. Illa enim impulit hunc Angelum aperire quibus rebus corporalibus placuiſſet Deo incorporeos ſpiritus compeſcere; quod mortalium ſcientiam excedit, ſimul etiam quam vim exhibeat medicam fel iſtius carnivori piſcis, nempe ad albuginem tollédam, ſi oculi eo vngantur, quòd ipſe cognitionem rerum naturalium habeat multò certiorem, quàm quiuis mortalium, miſericordia motus, ob ignorantiam, quàm per peccatum originale genus humanum incurrit, ipſe quod proficuum eſt, aperit. Habuit olim in ſtatu Innocentiæ Adam ſcientiam clariſſimam omnium rerum naturalium, ſed ea poſt peccatum multum defecit. Vnicus tantùm legitur in S. Scriptura, cui Deus poſt lapſum ſcientiam rerum medicinalium exactam indidit. Is fuit Salomon, qui idipſum prodit Sap. 7. *Ipſe dedit*, inquit, *mihi horum quæ ſunt, ſcientiam veram: vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem, & mediatatem temporum, viciſſitudinum permutationes, & conſummationes temporum, morum mutationes, & diuiſiones temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunq; ſunt abſcondita & improuiſa, didici: omnium enim artifex docuit me ſapientia.* Simile quid dicitur 4. Reg. 3. & rurſum Sap. 7. dicit: *Sine fictione didici, & ſine inuidia communico.* Vnde medicinam poſteriores Medicos à Salomone accepiſſe, atq; eum de curatione morborum omnium ſcripſiſſe, Euſebius inculentus auctor eſt, quem adducit Anaſtaſius Nicenus Epiſcopus quæſt. 39. in ſcripturam, tum etiam Hippolytum in Canic. Quorum teſtimonia opere pretium erit adiungere. Ergo Anaſtaſius interpretans illud: *Locutus eſt Salomon de ligno à cedro, &c. Hinc*, inquit, *verisimillimum, eos, qui libros conſcripſerunt medicinæ plurima decerpſiſſe, caliderumq; & frigidorum, ſiccorum & humidorum ordinem compoſuiſſe; & hæc herba, illa herba, quænam menſura ſit frigidor, aut calidior; & huius animalis hæc particula cui morbo aſſeuerat remedium, vtpote fel hyænæ, aut adeps leonis, aut ſanguis tauri, aut carnes viperæ. De his enim ſcripſere docti mediti acceptâ occaſione ab his quæ primò ſcripſit Salomon.* Hippolytus verò apud eundem, in Canica ſic loquitur de Salomonis libris, [illegible] materia: *Vbi eſt vniuerſæ eius cognitio? vbi hæc [illegible]ſtoria? & vbi libri? fuit quidem magna eorum quæ ſcripſit materia, in diebus Ezechiæ; alij quidem libri fuerunt ſelecti, alij verò neglecti.*

Mauden in Tobiam.

De ratione cur Angelus aperuerit Tobiæ utilitatem horū partium piſcis.

Poſt lapſum ada vnicus fuit Salomon, qui rerum omnium medicinalium habuit ſcientiam.

Medicina à Salomone ad poſteriores modos deriuata.

Atque hinc rerum naturalium vires, proprietates, ſimpathiæ & antypathiæ homines maximè latent, neque callent ea, quæ infirmitatibus ſuis medendis vtilia ſunt. Infeliciores in hoc brutis animalibus, quæ & ſi non cognoſcant omnes herbarum & radicum ſecretas vires, tamen plures cognouiſſe experientia docet, ſpeciatim medicinam ipſis congruam nouerunt inter plures herbas ſtatim ſeligere. Norunt noxia pabula, & morborum, vulnerumque ſuorum remedia. Canes nauſeabundi graminis eſu vomitum prouocant, & bilem reijciunt. Palumbes, graculi, merulæ, perdices, Lauri folio, annuum faſtidium purgant. Chelidoniam viſui ſalubertimam hirundines monſtrauere, vexatis pullorum oculis illâ medentes. Cerui ſagittâ confixi dictamni paſtu illam eijciunt; & à phalangio vel ſerpente percuſſi, cancros edêdo ſibi faciunt medicinam. Hinc Tertullianus lib. de pœnit. exomologeſim retractantes hoc mucrone pungit: *Cùm ſcias*, inquit, *aduerſus gehennam poſt primam illa intinctionis Dominicæ monumenta, eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? Curationes aggredi, quod ſcias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales, medicinas ſibi diuinitùs attributas in tempore agnoſcunt. Cerua ſagittâ tranſfixa vt ferrum & irremouibiles moras ſuæ de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſum de ſua chelidonia. Pectator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſim ſciens, prætereat illam, quæ Babyloniorum regem in regna reſtituit?* Pantheras carne aconito tincta barbari venantur: at illæ cùm fauces vi veneni intercludi ſentiunt, humana inquirunt periptomata, vnicum illis veneni iſtius remedium. Muſtela ſe cruta præmunit ad conferendum cum venenatis. Omitto alia innumera, quæ diligenti hominum inueſtigatione, vel crebrâ experientiâ de moribus animantium innotuerunt, & à probatis auctoribus referuntur.

3.

Animalia norunt noxia & remedia.

Horum plurima exipla.

Hæc, inquam, mouerunt Angelum vtilitatem prædictorum communicare. Altera eſt, vt doceret Medicinam eſſe à Deo, neque ab ea abhorrendum in neceſſitatis articulo. Luculenter Sirucides, Eccleſ. 38. id affirmat: *Honora medicum*, inquit, *propter neceſſitatem: etenim illum creauit altiſſimus. A Deo eſt omnis medela, &c. Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit ab ea.* A Deo, inquit, ſunt vires herbarum, per quas fit curatio, & ars ipſa medica, quæ in illarum cogitatione, & applicationis debito vſu fita eſt. A Deo eſt medicinarum effectus & operatio: *Non enim qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3. Noli ergo abhorrere medicinam inſtar parvulorum & inſipientium, ſed gratum te præbe Deo, qui

4.

Non eſſe abhorrendā à medicinis in neceſſitatis articulo.

remedia morborum parauit. *Nonne à ligno*, inquit Siracides, *indulcata est aqua amara, ad agnitionem hominum virtus illorum.* En, inquit, olim cùm Israelitæ aquas de Mara bibere non possent, quòd essent amaræ, & murmuraret populus contra Moysen: ei oranti ostendit Deus lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem verè sunt. Extabat lignum, quod vim habebat naturalem dulcorandi, sed Moysi ignotum: aperit illi idipsum Deus. Huc alludit Siracides loquens de naturali proprietate & virtute, quam habent herbæ & ligna ad pharmacandum hominibus, quorum virtus & efficacia, peruenit Dei dono, ad agnitionem hominum: Vnde subdit: *Et dedit hominibus scientiam altissimus honorari in mirabilibus suis.* In quem locum Iansenius: *Dedit Deus hominibus scientiam rerum medicarum, sive per specialem inspirationem & reuelationem, sicut Adamo dedit, vt omnium rerum naturas cognoscaret, & Salomoni 3. Reg. 4. eadem donauit Sapientia, vt disputaret super ligno à cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete, sive quia per veriam experientiam dedit vt ad scientiam rerum medicarum peruenirent, idq; ad hoc, vt ab hominibus honoraretur in mirabilibus suis operationibus quæ inueniuntur in creaturis ipsius, & per eas hominum corporibus.*

5. *Ægrotus nec desperare debet de sanitate recuperanda, nec nimium confidere in medicina.*

At inquies, Vtor medicinâ, sed non affert medelam. Attende, mi homo, à tua parte existere defectum. Multa desiderantur, vt ea, quæ sunt hominibus curandis naturaliter vtilia, debitum sortiantur effectum: *Fili*, inquit Siracides, *& in tua infirmitate non despicias teipsum, sed ora Deum, & ipse curabit te.* In primis, inquit, noli in infirmitate tua desperare de recuperanda sanitate: noli etiam de ea nimiâ securitate præsumere, noli illico ad remedia Medicorum confugere: sed ad Deum precibus conuola, illi maximè fide, auctorem primum recipiendæ sanitatis agnosce, Is ex animo precantes curabit si saluti eorum expedire cognouerit. Ex hoc defectu medicina Regem Asanon curauit, 2. Paral. 16. *Ægrotauit etiam Asa*, inquit textus, anno 39. *regni sui dolore pedum vehementissimo: & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in arte medicorum confisus est: Dormiitq; cum fratribus suis.* Mulier illa, quæ erat in profluuio sanguinis annis 12. & fuerat multa perpessa à complurib⁹ medicis, & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat; tandem ad Medicorum Medicum venit, à quo vno momento impetrauit, quod à plurib⁹ non potuit per totum duodecennium. Vtiliter Cassiodorus fiduciâ in Deum ipsos etiam medicos constituere debere docet: *Lib. 1. instit. diuin. cap. 9. 31.* *Discite quidem*, inquit, *naturas herbarum, commixtionesq; specierum sollicita mente tractare, sed non ponatis in herbis spem, nõ in humanis consiliis sospitatem: nam quamuis medicina legatur à Domino constituta; ipse tamen sanos efficit, qui vitam sine fide contemsit.* Hoc idem necessum est ægrotis: Cùm nobis ægrè est, sæpè totum Orbem cogitationum nostrarum alis peruolamus: à rebus creatis solatiola mendicamus, planè pudendâ mendicitate. Amicos, inimicos, in nostri subsidium lacessimus; opem omnium implora-mus: solum Deum præterimus, aut omnium adimus vltimò, aut sæpè nec adimus quidem rogando solatio. Quæ hæc insania est, iuuari velle à quibus non possis: ab eo iuuari non cupere, à quo vno & possis & debeas.

6. *In ægritudine primùm ad Deum confugiendum.*

Ergo quandocumque & quotiescumque tibi malè est, primus omnium gemitus, primæ preces, primæ querelæ & voces ad Deum eant: Deo expone tuam causam, tuisque omnia quæ pateris. Quid discursas per orbem, & ante mendicorum tuguriola mendicus stipem flatigas? Quid transuolantibus rhedis blanda iactas basia incassum? Ad diuitis illius ianuam procumbe, qui saluare possit animam tuam de necessitaribus, Psal. 30. Ita Moyses fecit qui in omni dubio recursum iterauit ad tabernaculum, in quo Deum audiuit consultorem. Sic Iosue deceptus à Gabaonitis est, quia os Domini non priùs interrogauit, Ios. 9. 14. Quia verò peccata commissa impedimento esse solent recuperandæ à Deo sanitati, & frequenter morborum sunt causæ, subdit Siracides: *Aserte te à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* *Deus requirit*, inquit Iansenius, *aut tria, videlicet vt ager & omne peccandi propositum deponat, auertendo se à delicto faciendo, ac dirigendo manus, hoc est, proponendo rectam operationem, & vt ab omni delicto prius commisso emundet cor suum per orationem, contritionem & pœnitentiam. Et quoniam non conuenit priuatis tantum confidere precibus & actionibus, ideò quartò loco monet, vt etiã ambiantur preces sacerdotum, & sacrificia pro obtinenda sanitate & remissione peccatorum non negligantur, quæ rectè exigunter post præcedentem versum: quia grata Deo non sunt, nisi ab eo fiant, qui auertit se à delicto, & dirigit manus suas per viuentis propositum. Dicit ergo: Da suauitatem & memoriam similaginis, & impingua oblationem.* *Ægre purgare debet cor suum à peccato.*

7. *Post hæc vocandus medicus.*

Hæc præcedere vult Siracides; subdit enim: *Et da locum medico, etenim illum Dominus creauit, & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria.* Cùm, inquit, quæ dixit præstiteris, tunc da locum medico, hoc est, admitte illum, ne putes te illum admittendo, recedere à Domino, quia Dominus illum in vsum hominum formauit. Itaque illum admittendo Dei veteris beneficio. Nec solum illum admittas, sed continuo etiam seruas apud te nec sinas vt temerè discedat à te, quia opera eius sunt tibi necessaria ad sanitatis consecutionem & conseruationem. Hæc serua, si velis Deum

Deum cooperari medico, & medicinis: mastica verba Sirac idis: *A Deo est enim omnis medela*, nisi is cooperetur, aut per illa operetur, nullus sequetur effectus: *Non enim qui plantat est aliquid*, &c.

8. *Quadam dum viuũt, nocent, mortua prosunt.*

Nota hîc rursum Christiane diuinam prouidentiam. Piscis, qui viuus terrorem iniecit Tobiæ, & in vitæ periculum induxit, idem mortuus idoneus est afferre salutis, vitæque subsidium. Neque rarò accidit, vt quæ viua nocent, fædantque turpiter, eadem mortua magnos afferant vsus, & decorem. Qui venenum effundit, cruciatque vehementer scorpius, idem occisus vim habet medicam, eamque potentissimam. Spinæ dum in vinea radices habent, aut viuunt, horrere faciunt, & squalere solum; at stirpitus euulsæ, & maceriæ impositæ vineæ fructus custodiunt à furace manu.

SECTIO V.

Quare salierit reliquum piscis Tobias, Et cur Deus diuerso & vili cibo suos pauerit?

1. *Desertum diuersoriorum in Oriente.*

RARA fuerunt oppida in Oriente, deserticola & inculta loca, neque tauernarum, qualis hodie, commoditas. Vnde viatores solebant vel humeris, vel iumentis sua ipsi secum cibaria deferre. Abrahæ seruus in Mesopotamiam profecturus, ex omnibus Domini sui bonis secum accipit. Ea verò non tantùm argentea & aurea vasa, & vestes erant, quas sponsæ ipsiusque parentibus, fratribus, & propinquis donaret, sed omnia etiam, quibus in itinere, ipse cum socijs vteretur. ideoque ipse, ad puteum, pastos antea camelos adaquat, & illa hospitium ei benignè, fœnumque, quod tam longo itinere quantum satis esset, ferre non poterit, offert. Ipse Abraham Ismaëlem, eiusque matrem à se aliò ablegaturus, Genes. 21. *Tollens panem & vtrem aqua imposuit scapulæ eius, traditaq; puerum, & dimisit eam.* Iacob cùm domum suis cum vxoribus & liberis reuerteretur, ita necessaria secum habebat Genes. 31. vt in monte Galaad pernoctaret, ibidemque conuinio Labanum exciperet. Ipsi eius liberi, cùm frugibus à Iosepho coëmptis ex Ægypto in patriam redirent, ad diuersorium quidem diuerunt, sed & asinos & seipsos apportato secum pabulo pascunt, Genes. 42. Nam præter inclusum saccis frumentum iussit Iosephus, data pretia omnia in illis reponi; & viaticæ, quantum satis esset, annonæ ipsis insuper donari. Hoc enim est illud: *date supracibarijs in via.* Et cùm tot eosdem idem Iosephus Genes. 45, mune-

Viatores debebant sua, vel iumenti humeris conferre cibaria

ribus affeciſſet, ad extremum etiam addidit, *necessarium ad profectionem frumentum & panes*, qui non ipsis modò iam proficiscentibus, sed & postea venturo in Ægyptum Patri ipsique redituris toto itinere, sufficerent. Gabaonitarum legati Ios. 9 cùm totum peregrinorum è longinqua regione aduenientium morem & apparatum studiosissimè assimularent. *Tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, & vtres vinarios scissos, atque consutos. Panes quoque quos portabant ob viaticum duri erant, & in frusta comminuti.* Item: *Tollite in manibus vestris cibaria ob longissimam viam.* Tandemque, *En*, aiunt, *panes quando egressi sumus de domibus nostris vt veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc ficci facti sunt, & vetustate nimiâ comminuti.* Hinc etiã Tobias salijt quod piscis erat reliquum, considerans Dominum seruis suis mirabiliter prouidisse de annona, & quod viuum erat exitiale, mortuum conuertisse in vitæ subsidium. Hæc genuina & litteralis est ratio, quare secum detulerint carnes piscium salitas.

Verè dixit Cyprianus de orat dom. *Quærentibus regnum & iustitiam Dei omnia promittit apponi. Nam cùm Dei sint omnia, habenti Deum, nihil deerit, si Deus ipse non desit. Sic Daniel in leonum lacu iussu Regis incluso prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes, & parcentes homo Dei pascitur. Sic Helias altur in fuga, & in solitudine corui ministrantibus, & volucribus cibum sibi apportantibus in persecutione nutritur.* Addere potuisset, Sic prouidetur Tobiæ quasi exhausto marsupio de carne piscis, ad fluuium Tigris, vnde reliquo itinere victitet.

Qui Deo subdit, alia sibi necessaria habebit.

2. *Ratio datur, cur Deus suis prouideat de annona & non potius curet famem & sitim.*

Examinemus rem penitius, quare Deus seruis suis tam miraculosè prouiderit de annona, Tobiæ de pisce, Heliæ primùm de carnibus, pòst per Angelum de subcinericio pane? Quare non arcuit ab ijs famem & sitim sine cibo & potu eos sustentando, quemadmodum olim Moysen Exod 24. & 34. & seipsum Christus Dominus, Matth. 4. Quare non vnica opportunitate Tobiam fouit, vt Eliam secunda vice subcinericio pane Quare non vt quinque millia hominum in deserto satiauit duobus piscibus, & quinque panibus, sed oneratum hac prouisione voluit iter suum peragere?

3. Audi mi homo, Deus mirificam suam prouidentiam diuersis temporibus variis modis in homines voluit clarescere, vt non vna supperetet ratio, quæ certam in Deum gigneret fiduciam. Hinc non vt Moysen sustentauit Tobiam Dominus, sed per capturam carniuori istius piscis ei pro reliquo itineris tempore procurauit: vt intelligeres Creatorem omnium, in tam arcto rerum articulo, quo mors videbatur imminere, & annonæ nullum erat indicium, ea etiam quæ mortem pararent an-

guſtiato, in eiuſdem vitæ ſubſidium poſſe conuertere. Eliam autem maluit per coruos tanquam dapiferos paſcere pane & carnibus, quàm ſine cibo, quod tempus illud exigeret manifeſtari Dei in ſuos prouidentiam, cùm idololatrarum cauſa Iudæam terram ſiccitatis ſententiâ, & pluuiarum ſterilitate caſtigaſſet: vt palam fieret, quàm ſit diuina illa maieſtas de ſuorum alimento ſollicita, quæ tunc rerum naturas immutat, aut naturales rerum propenſiones, quando ſic exigit illorum neceſſitas, qui diuinæ ſe fidei & curæ crediderũt, ſuarum rerum, & commodorum immemores. Nemo ignorat, qua ſit voracitate coruus, quâ auiditate, & ſtudio carnes quærat, à quibus, etiamſi maximè fœteant, non continet, voraciſſimam rabiem. Adde quod auis eſt inhumana, & in filios etiam, vt notauit Chryſoſtomus hom. 2. de Elia, crudelis, quos è nido deturbat implumes, & omninò morituros, niſi Deus ſpeciali quadam prouidentia foueret, atque aleret, de quibus eſt illud Pſal. 146. *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* Et Iob 38. vers. 41. *Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eò quod non habeant cibos?* Hi ergo quo filios deſpiciunt, quos tam arcto naturæ vinculo coniunxit, qui tam auidè ſibi cibos vndecumque venantur, neque à putridis abſtinent carnibus, quo ſuam ſibi rabiem voraciſſimam expleant; abſtinent tamen ſtimulante fame ab optimis carnibus, eaſque illibatas afferunt ad Prophetam. In deſerto Chriſtus paſcens quinque millia hominum, ſuas habuit rationes, de quibus poſtea.

Deus, quo ſuos prouideat, rerum mutat naturas.

Coruus in pullos ſuos crudelis.

3. Rurſum diſcutere libet, quare Deus ſeruis ſuis, quibus de lautiori cibo prouidere æquè facile erat ac de viliuſculo, vt erat ſubcinericius panis, de quo Eliæ anguſtiato, ſimul cum aqua, per Angelum prouidit, & pulmentum, quod coxerat Habacuc Propheta in Iudæa; *& intriuerat panes in alueolo*, de quo prouidit Danieli, Daniel. 14. & hic carnes piſcium dumtaxat procurat Tobiæ: cur, inquam, non delicatũ, lautum, ſplendidum porrigit Deus ſeruis ſuis cibum, qualis è regia menſa facilè ſumi poteſt. Tertullianus lib. aduerſus Pſychicos cap. 9. vult Deum anguſtiatis ideò de viliori cibo prouidiſſe: vt doceret tempore anguſtiæ non eſſe molliter viuendum: *Cùm coruis*, inquit, *Eliam pauit, & carnis ſaturare conſueſſent*, 3. Reg. 17. *cur poſtmodum apud Berſabee Iudæa excitato ex de ſomno quidam ille Angelus ſine dubio panem ſolum, & aquam obtulit? Defecerant carni, quorum liberalius paſcerent? An difficile Angelo fuerat aliquem alicunde de comitatu Regis miniſtrum cum inſtructiſſimo ferculo raptum ad Heliam transferre? ſicut Danieli in lacu leonum eſurienti prandium mox tutum exhibitum eſt, ſed conſtitui oportebat exemplum dicens in tempore preſſuræ, & perſecutionis, & cuiuſcunque circumſtantiæ Xerophagijs eſſe viuendum.*

Deus ſeruis ſuis procurat vilia cibos, quare?

In tribulatione non molliter viuendum.

Verùm hæc apparet nimis ieiuna. Tres occurrunt aliæ rationes ad diuinæ Maieſtatis gloriam, noſtramque vtilitatem magis opportunæ. Prima ſit, quòd Deus per miracula ſubuenire ſoleat neceſſitatibus hominum, non autem voluptatibus, & deliciis eorum indulgere. Sic Tobiæ de piſce, Heliæ per Angelum poſterâ vice de ſubcinericio pane, cùm grandis reſtaret via illis peragenda, prouidit: quinque millia hominum in deſerto per panes multiplicatos paratos ibidem exiſtentes pauit, naturalem eius inſufficientiam, ad ſaturandam tantam illam hominum turbam, per miraculum multiplicationis ſupplens.

Deus ſubuenire ſolet neceſſitatibus hominum, non voluptatibus.

4. Altera ſit, quòd viliores cibi magis conducant ad virtutem & contemplationem. Hinc enim viri religioſi, pura poſteri Seth, herbis & fructibus tantum veſcebantur; carnibus verò æquè ac vino abſtinebant, licet non exiſteret Dei præceptum carnes vetans, ſed ob religionem quamdam inde natam, quòd necdum Deus carnium & vini vſum expreſsè & diſertè conceſſiſſet, quemadmodum poſtea Geneſ. 9. tum etiam quod ſimplex illa frugalitas illis vitam non minueret, ſed augeret. Sic quoque Daniel inſtinctu diuino, vt rationi vacaret, trium hebdomadarum ſpacio ab eſcis abſtinuit delicatis & lautis: *In diebus illis* inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus? Panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Hac de cauſa idem Daniel cum tribus pueris colligitur inter alias rationes legumina petiiſſe. Subdit enim Scriptura: *Porrò Malaſar tollebat cibaria & vinum potus eorum: dabatq; eis legumina. Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro, & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum.* Deus, inquit ſacra pagina, hanc tantam puerorum fidelitatem magno compenſauit cumulo; dedit enim illis præter alia, in omnibus non ſolum Chaldæorum, ſed etiam aliorum diſciplinis intelligentiam, ſiue illas à magiſtris viuâ acciperent voce, ſiue in illorum libris, ac commentariis inuenirent. Danieli autem id præter alios à Domino conceſſum eſt; vt viſionum ac ſomniorum portẽta cognoſceret. Imò Chriſtus ipſe hinc quinque mille homines ipſum ſectantes cibo viliuſculo ſuſtentauit, vt ad diuina eſſent aptiores.

Viliores cibi magis conducunt ad virtutem & contemplationem.

Dan. 10.

Dan. 1.

5. Salomon planiſſimè affirmat Eccleſiaſtes 2. cap. iam pudibundus, & voluptuariæ vitæ pertæſus, quod errauerit præ vino & ebrietate: neque aliâ ratione animi ſui, atque ſapientiæ dignitatem recuperari poſſe arbitratur, quàm ſi fortitudini vini fortitudinem animi ſui

Vinum ſapientiæ inimicum.

sui opponeret, atque experiretur tandem, vtrum potentius esset vinum ad debilitandum animi vigorem, an verò animi vigor ad diluendum vinum, & retundendam vim & acrimoniam voluptatum, quibus mens inebriatur, & consopitur: *Cogitaui*, inquit, *in corde meo, abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad Sapientiam, detestaremq; stultitiam, donec viderem, quid esset vtile filijs hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.* Dilucidè Gregorius Neocæsarienſis: *Cùm eam*, inquit, *vim esse animæ cogitassem, vt temulentam corporis naturam, atque instar vini diffluentem sistere posset, rursusq; continentia cupiditatem domare, perspiciendum mihi esse constitui, quid nam tandem hominibus propositum sit ferinum, vereq; bonum, & honestum.* Obtinuit Gregor. Nyſſenus per eam quæsiisse Salomonem, *quod non vni tantum ætati conueniret, sed perpetuum sit & non temporarium, & in vitam vniuersam extendatur, & bonum sit omni ætati, prima, & media, & vltima, & omni numero dierum: nam propter nullum eorum, quæ fiunt in corpore, licet perpetuo voluptatem effici sed bibendi voluptas desinit simul cum satietate, & in comedendis similiter saturatio extinguit appetitum*, &c. Sic stultitiam, sic temeritatem omnem vitari posse confidit, etiam qualem subijt Saul non obediendo voci Domini, propter quod audiuit à Samuele, *Stultè egisti*, id est, imprudenter, & temerè te gessisti nec custodisti mandata Domini Dei tui.

Bona corporis vni tantum tempori adstricta.

1. Reg. 13.

6. Author non contemnendus hanc ipsam quæstionem ventilans, existimat fuisse, vt melius Diaboli tentamenta superarent: Ad Eliam, inquit, ieiunantem mittitur de cœlo Angelus, qui illi subcinericium panem, & vas aquæ apponat, 3. Reg. 19. Cur, obsecro, à tanto structore lautior mensa non paratur? Cur à Deo pretiosiora fercula tanto conuiuæ ministrari non iubentur? Optimè D. Augustin. serm. 65. de temp. *Stabat*, inquit, *Deus, prophetam suum tentantem diabolum aliter superare non posse; nisi ieiunijs eruditus, insidiantis inimici tentamenta repelleret.* Sicut enim temerarium esset, militem inermem congredi cum armato: ita hominem epulantem cum homine ieiunante. Vnde & Christus Dominus tentari se à diabolo non permisit, antequam quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunarit. Matth. 4. vers. 2. & 3. Quod expendens D. Basilius hom. 1. de laudibus ieiunij. *Dominus noster*, inquit, *non priùs in carne, quàm pro nobis assumpserat, diaboli insultus excepit: quàm eam ieiunio communisset. Simul & nos erudiens, vt nosmet aduersus tentatoris conflictus exemplo palæstritarum vngamur, & exerceamur.* Quasi non haberet parem ad confligendum cum dæmone fortitudinem; qui ieiunij virtute non firmaretur. Nec aliter Tertullianus lib. aduersus Psychicos cap. 8. *Nouum*, inquit, *hominem in veteris suggillationum virtute fustidiandi cibi initiabat: vt cum diabolo visum per escam tentare quæuente fortiorem fame tota ostenderet.* Quem enim diabolus ieiunio exarmauerat; eundem postea ieiunio armatum perhorrescebat. Nec solum externos hostes ieiunium fugat, & profligat; sed etiam internos appetitus frãgit, & contundit. Mysterio plenum est, quod olim Heliæus ligno arido ferrum de imo stagno foras extraxerit, 4. Reg. 6. v. 6 Sed illud ad præsens institutum interpretatur D. Ephrem in prima paræneſi: *Lignum*, inquit, *aridum ex mandato Heliæ, ferrum securis de profundo aquæ extraxit: corpus autem monachi, quod ieiunio exaruit, animam de profundo sursum attollit. Exsiccat voluptatum cloacas ieiunium monachi.* Itaque ieiunium in causa est, vt terrenæ cupiditates in cælestia desideria transferantur: & omnis carnis in spiritum seditio tranquilletur, cunctaque prauarum affectionum intemperies penitus exaresçat.

Ieiunio exarmatum Christianũ diabolus perhorrescit.

Terrenæ affectiones ad cælestia euehit ieiunium.

Imò sic defæcatur caro ieiunando, vt corruptionem exuere, induere incorruptionem videatur. Testis Moyses, non alio cibo in mõte Sina, quàm solo ieiunio nutritus, Exod. 34. vers. 18. De quo proinde D. Petrus Chrysologus serm. 166 *Moyses*, inquit, *dierum quadraginta ieiunio, ita humano defecatus est, & exinanitus à corpore, vt totum diuinitatis mutaretur in gloriam: & adhuc in nostris corporis obscuro, toto fulgeret lumine Deitatis; neque intuens eum mortalium visus posset, qui substantia Dei diu pastus, tota mortalis cibi obliuione fuerit aduenæ.* Vbi vides, ieiunantis statum proximè accedere ad diuinum: nec minus quodammodo in eo, qui ieiunat, quam in eo, qui beatorum nectare epulatur, omnium concupiscentiarum discordiam consopiri Quid est, quod Moyses inter eos flammarum vortices, quibus Sina, plusquam Aethna, æstuabat, caput inferere non dubitaret! Exod. 34. v. 17. Nisi, quia ieiunium illius carnem in spiritum temporalibus detrimentis altiorem quodammodo decoquebat. Vnde D. Basilius hom. 1. de laudibus ieiunij. *Moysen*, inquit, *cognouimus per ieiunium penetrasse in montem. Neque enim id ausus fuisset, fumante montis cacumine, neque sustinuisset ingredi in nubem, nisi fuisset obarmatus ieiunio.*

Ieiunium immortalitatem, imò & deitatem confert.

7. Quarta ratio, quare Deus diuersis cibis suos pauerit, videtur fuisse ob exigentiam temporis. Sic Genes. 9. Deus post diluuium, carnis esum, omnibus, etiam sanctis, explicitè, & disertè permittit: *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Idque ob malignitatem terræ, tam peccato, quàm diluuio, ac salsedine maris inductam, & consequenter ob vires imbecilliores tam hominum, quàm plantarum. Iuxta enim Medicorum sententiam, &

Deus suos pauit diuersis cibis secundum dispositionem temporis.

teſtem experientiam, carnes præ herbis plenius, ſolidius, ſucculentius, magiſque carni humanæ conueniens alimentum hominibus præbent. Sic 3. Reg. 17. etiam in neceſſitatis articulo voluit Deus Heliam paſcere carnibus de Regis menſa, & egregiè conditis, ſublatiſque per Angelos, & in locum aliquem delatis, vnde corui ad Heliæ latebras & diuerſorium deducerent, vt quando Regem pænuria cruciaret, tunc ſeruus Dei delicijs abundaret. Exiſtimat enim Abulenſis, Angelorum miniſterio cibos illos, qui quotidie aſſe rebantur ad Eliam à coruis, prius ab Angelis è regia menſa in locum coruis opportunum adlatæ. Subcinericio verò pane aliàs paſtum voluit Deus, cui tantas vires indidit, vt ad arduum opus per quadraginta dies, quos in itinere conficiendo conſumpſit vſque ad montem Horeb, & per aliquot alios, quos in ſpelunca poſuit, ſuffecerit, vt conſtaret cuique, non eſſe difficile diuinæ Maieſtati quouis cibo pro rerum opportunitate ſuis robur addere. Ita Danielem & tres pueros eo tempore, quo abſtinebant à cibo regio, leguminum vſu reddidit pinguiores: *Poſt dies autem decem*, inquit diuinum oraculum, *apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.* id eſt, Exacto verò decemdiali ſpatio, & quatuor pueris in aliorum comparationem adductis, inuenti ſunt magis pleni, ſucculenti, & nitidi illorum vultus, quàm eorum, quos regius cibus, & ſplendidior menſa nutriebat. In deſerto verò hic multiplicare voluit Dominus quinque panes, propter Euchariſtiæ myſterium, ad cuius inſtructionem hoc miraculum ſubſeruiebat: *hinc noluit Chriſtus panes de nouo in deſerto creare*, inquit Toletus, *ſed præexiſtentes multiplicare, vt hoc miraculum ſua virtute factum magis innoteſceret. Si enim creati fuiſſent ad eius preces, Deum illos panes miſiſſe dixiſſent turba, ſicut oratione pluit Elias, & ſicut in deſerto miſſa ſunt coturnices; at dum ipſe manibus ſuis panes accipit, & multiplicat, in eo eſſe virtutem tantam nemo dubitare poterat. qua etiam in nuptijs voluit vinum creare, ſed aquam conuertere in vinum. Factum eſt hoc etiam ad myſterij ſignificationem: vt enim inſerius dicemus, omnia hæc propter doctrinam de ſacratiſſimo Euchariſtiæ pane facta ſunt, in qua non nouus panis creatur, ſed panis iam factus aſſumitur, qui diuina virtute in Chriſti ſubſtantiam, ſeu corpus conuertitur.*

Deus ſuos vult etiam cibo pingues facit.

Noluit panes de nouo creare, vt hoc miraculum magis innoteſceret.

8. *Omnis diffidentia de vitæ neceſſarijs deponenda eſt.*

Ne igitur anxij ſimus quocumque loco conſtituti, quòd nobis timentibus Deum neceſſaria deerunt. Longè abſit à nobis murmur infidelitate plenum, quod in Deum audacter pronuntiabant Iſraelitæ Pſal. 77. *Numquid*, inquiunt, *poterit Deus parare menſam in deſerto?* Nunquam dubitemus de Dei prouidentia, an noſtri curam gerat, ni velimus eius vindicem manum experiri. Luculenter Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. cap. 1. *Sicut*, inquit, *ex quæſtionibus alia ſenſu indigent, vt an ignis ſit calidus, nix alba: aliquæ admonitione, & increpatione, vt, an oporteat honorare parentes; ſic ſunt quædam dignæ vt puniantur, cuiuſmodi eſt quærere probationes, an ſit prouidentia.* Nam quid, quæſo, magis clarius, atque dilucidius eſſe poteſt? hanc Sol, hanc luna, hanc aſtra, hanc totus prædicat & exclamat terrarum orbis: vnde eam eſſe probare, ſupervacaneum, otioſum, hominumq; ne eſt oſcitantium. Præclarè Hebræus Sapiens Sap. 8. v. 1. vt probet ſapientiã non vinci à malitia addit: *Attingit ergò à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Senſus eſt, impoſſibile eſt ſapientiam diuinã à malitia, ſeu iniquitate, aduerſitate, vel calamitate vinci: nam ipſa ſe extendit ab extremo vſque ad extremum, per omnia media, victrix ſemper in omnia, curans de ſingulis, à minimo vſque ad maximum, & hoc fortiter, atque ſuauiter.

Dubitans de Dei prouidentia, graui pœnitentiæ dignum.

Melliſluo Doctori Bernardo autem præbe, hæc verba venuſtè enucleanti: *Attingit*, inquit, *à fine vſque ad finem, hoc eſt à ſummo cælo vſque ad inferiores partes terræ. A maximo Angelo vſque ad minimum vermiculum. Attingit autem fortiter, non quidem mobili diſcurſione, vel localis diffuſione, vel ſubiectæ creaturæ tantum officiali adminiſtratione, ſed ſubſtantiali quadam, & vbique præſenti fortitudine, quâ vtique vniuerſa potentiſſimè mouet, ordinat, adminiſtrat. Et hæc omnia nullâ ſui cogitur facere neceſſitate. Nec enim in his aliqua laborat difficultate, ſed diſponit omnia ſuauiter placida voluntate. Vel certè attingit à fine vſque ad finẽ, hoc eſt, ab ortu creaturæ vſque ad finem deſtinatum à creatore, fine in quem vrgent natura, fine quem accelerat cauſa, fine quem concedit gratia. Attingit fortiter, dum mirabilium eius nouit, quod non prouis vult, potenti præordinet prouidentiâ.*

Diuina prouidentia extenſa.

Omnia ergo Dei prouidentia ſumma attingit, omnia proſpicit, vſque ad minimum vermiculum. Ne igitur diffidamus, quaſi infantes, quaſi gentiles infantibus imprudentiores; de diuina erga noſtras neceſſitates prouidentia, ni homines modicæ fidei audire velimus. Chriſtus in Euangelio nimiam ſollicitudinem animo eximere circa victum & veſtitum, hoc argumento vſus eſt, docens in alma Dei prouidentia vnicè confidendum, & noſtram diffidentiam arguens: *Nonne anima plus eſt, quàm eſca; & corpus plus quàm veſtimentũ?* Senſus eſt, Si Deus tam prouidens & liberalis eſt in ijs; quæ videntur operoſiora, cur Deũ obliuionis arguimus aut incuriæ in cæteris minus operoſis? Si corpus dedit, cur veſtem neget? qui donat equum, cur ſubtrahat fœnũ? Nonne vita pretioſior eſt, quàm id quo alitur vita, & corpus præſtantius quàm id quo tegitur corpus? vtique. Qui ergo nihil ſollicitus, imò

Sollicitudo ſupernacanea eliminãda, quæ

imò nec quidem exiſtentibus nobis in rerum natura, vitam corpuſque, dedit, dabit procul dubio, & ea quibus vita & corpus ſunt conſeruanda, præſertim cùm ipſe voluerit vitam corpuſque his indigere. Si ergò maiora dedit vltrò, declarauit ſe minora etiam & poſſe, & velle dare. Dabit autem non quidem otioſis nobis, quos non ad otium creauit, ſed vacuis ſolicitudine; hanc enim Deus in ſe vult reijci. Hoc ipſum ab auibus ſumptum argumentum ingerens Chriſtus Matth. 10. *Reſpicite*, inquit, *volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa: Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Hoc ipſum ſæpius inculcat hic è cœlo magiſter: *Nonne duo paſſeres aſſe venient, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt: nolite ergo timere; multis paſſeribus meliores eſtis vos.*

9. Alterum argumentum ſumit à bruris animantibus, quæ citra omnem ſollicitudinem paſcuntur, vt vel in illis diſcamus amplitudinem diuinæ prouidentiæ in quam recumbamus. Cur aues potiùs, quàm alia animalia nominauerit tres potiſſimùm cauſas fuiſſe arbitror: Primam, quòd voluerit in toto quodammodo mundo exempla nobis diuinæ prouidentiæ proponere. Incipit ergo à cœlo, *reſpicite volatilia cœli*: & deſinit in terram verſ. 28. *conſiderate lilia agri*. Secundam, quòd cùm in ſublimi aëre verſentur, longius à cibo abſint: & tamen Deus paſcit illa. Tertiam, quòd terreſtria animalia plus in quærendo, & recondendo cibo habere ſoleant induſtriæ: itaque Salomon, vt prouidi & laborioſi eſſe diſcamus, mittit nos ad formicam, Prouerb. 6. & 30. *Formica*, inquit, *populus infirmus, qui præparat in meſſe populum ſibi*. Addidit Chriſtus *Cœli*, vt magis noſtram diffidentiam explodat: ſunt enim & domeſticæ aues, quæ hominum aluntur prouidentia: cœleſtes autem ſolus Deus alit. Lucas cap. 12. 24. coruos nominatim dixit ideò, vt quidam putant, quòd coruorum pulli ſimul vt excluſi ſunt, à patre & matre deſerantur: ita vt ex Dei ſola pendeant prouidentia: ideò de coruis nominatim dictum eſſe, *quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes eo quod non habeant cibos*, Iob. 39. *& qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Pſal. 146. v. 9. *Et pater veſter cœleſtis paſcit illa.* Non dicit pater eorum: ſed pater veſter, quaſi dicat, ſi Deus illa, cùm & viliſſima ſint animalia, & eorum: ipſe pater non ſit, tamen prouidentiſſimè paſcit: quanto magis paſcet vos, qui & homines, & eius filij eſtis. Præclarè Chryſoſtomus hom. 22. in Matth. *Non dixit, reſpicite quia volant aues, quod nobis certè impoſſibile eſt imitari: ſed quòd abſque ſollicitudinis ſuæ præparatione paſcantur, quod nos quoque, ſi volumus facilè quimus implere. Et hoc illis oſtenderunt profectò, qui iſtud operibus exercuit ſunt: propter quod dignum eſt docentis ſapientiam magis magiſq; mirari. Qui cum hominum proponere poſſet exempla, & Moyſem*, Exod. 34. & Deuteron. 9. *& Heliam*, 3. Reg. 19. *& Ioannem* Matth 3. & Marc. 1. *extroſq; proferre, qui eorum ſimiles de victu non fuerunt ſolliciti: vt magis audientium conſcientias verberaret, de irrationalium illos ſecuritate commonuit. Si enim iuſtos illos memorare voluiſſet, dicturi continuò iſti fuiſſent, nondum ad eorum virtutis culmen aſcendimus. Nunc verò iſtos quidem vetuens, & cœli eis volatilia proponens, omnem prorſus occaſionem huiuſmodi contradictionis incidit: In hoc quoque legem imitatus antiquam. Nam vetus quoque lex & ad apem homines, Iudi. 14. & ad formicam* Prov. 6. *remittit, ſed & ad turturem aliquando & ad hirundinem. Verùm hoc quoque grande documentum eſt, ad bonorem qui in libertate eſt hominis exprimendū; quandoquidem quod illa habent lege naturæ, hoc nos aſſequi poſſumus voluntate. Si igitur etiam illorum quæ propter nos vtique creauit, tantam Deus curam gerit, multò potius noſtri, ſi ſeruorum, multo magis domini. Ideò dixit. Reſpicite volatilia, & non ait, quæ non ſeminant, neque metunt, ſed quæ non ſeminum, ac negotiatorum more viuunt: hæc enim deſperatorum omninò profeſſio eſt: ſed quid? non ſeminant, inquit, nec metunt.*

Ob tres cauſas aues proponuntur ad diminuendā diffidentiam noſtram.

Poſt demonſtratam Dei prouidentiam in auiculas & capillos, quam circa floſculos gerat, oſtendit: *Conſiderate*, inquit, *lilia agri, quomodo creſcunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos pauciſſimæ fidei?* Matth. 6. 28. Sicut antea dixerat Chriſtus non reſpicienda tantùm volatilia, ſed volatilia cœli: ſic non tantum dicit, *reſpicite lilia*, ſed *lilia agri* vt ab hortenſibus diſtinguat, quæ hominum curâ & plantantur, & aluntur. Quid? Inſinuat Chriſtus Deum non ſolum neceſſitatis, ſed etiam elegantiæ, & pulchritudinis noſtræ curam habere, vt ne eius quidem cauſa ſolicitos nos eſſe oporteat. Quemadmodum patres non ſolum prouident, ne quid liberis ſuis ad vitam, & ſtudia: ſed etiam ne quid ad vſitatam elegantiam, & honeſtam recreationem deſit. Huc ſpectat, quod dicit, *nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis*. Porrò quod hic verbis docet iam olim reipſa docuerat. Hebræus enim per quadraginta annos in ſolitudine veſtiuit, Deut. 7. *Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt.*

Deus etiam elegantiæ humanæ gerit curam.

Videte igitur quàm non ſolliciti ſint agreſtes floſculi, de ſuo, quo triumphant, veſtitu, nam omnem decorem ſuum vni Deo referūt acceptum, apertè profeſſi ſe nihil debere humanæ curæ. Rerum naturam, quæ à Dei prouidentia

uidentia eſt, hominum induſtria & cura imitari poteſt, aſſequi non poteſt. Adeò vt magnificentiſſimi Regis Salomonis exquiſitus, atque ad miraculum vſque adornatus ac prætioſus cultus, floris contemptiſſimi elegantiã neutiquam exæquet. Vos iam ipſi iudicate, ſi Deus viliſſimas herbas breui demetendas & in furnum rapiendas tam pulchrè amicit, quantò magis vos, immortalitati à ſe cõditos veſtiet, curabitque neceſſaria, non tegendo tantum corpori, ſed ſi opus ſit, etiam ornando. *Si erga hæc vilia*, inquit Chryſoſtomus hom. 23. in Matth. *nec vllo prorſus digna ſermone, neque magno vſui neceſſaria tantam prouidentiam creator oſtendit: quando te negligere poterit atque deſpicere, animal longè omnibus, quæ propter te vtique creauit, honoratius. Cuius verò rei gratia, tanto etiam herbas decore veſtiuit? vt ſuam ſcilicet ſapientiam creator oſtenderet, copiamq́, virtutis: & vndique illius gloriam diſceremus. Non enim cæli tantummodò gloriam narrant Dei, verum etiam terra.* Pſal. 18. *Nam hoc quoque Dauid ipſe dixit in Pſalmo 148. Laudate Dominum, ligna fructifera, & omnes cedri. Aliâ quippe de fructu, alia de magnitudine, alia de decore laudem creatori videntur emittere.*

Tandem concludit: *Scit pater veſter, quia hîs omnibus indigetis.* Audi hic rurſum Chryſoſtomum: *Aliam quoque præter hanc*, videlicet paternitatis, *inuilit rationem, dicendo quod his omnibus indigeatis. Quod verò dixit, eiuſmodi eſt: Numquid ſuperflua iſta ſunt, vt ideò iure contemnere queat? Atqui herbas quoque ne in ſuperfluo quidem deſpexit ornatu, nunc autem iſta neceſſaria ſunt. Quam ergo tu opinaris cauſam tibi eſſe curandi, hanc ego idoneam eſſe dico, quæ te ab omni liberet intentione curarum. Si enim dixeris, propterea me oportet eſſe ſolicitum, quia ſunt neceſſaria: ego è regione reſpondeo propterea non oportet te eſſe ſolicitum, quia ſunt vtique neceſſaria. Si enim eſſent ſuperflua, non ita deberes de eorum præſtatione confidere: nunc verò quia neceſſaria ſunt, prorſus non oportet ambigere. Quis enim pater inuenitur aliquando, qui liberis ſuis neceſſaria quidem ſe non præſtare patiatur?* Sicut ergo ad conuiuium iturus opulentum, de iſtius diei cibo nil curat, & ad fontem accedens de ſitis neceſſitate non angitur: ita prorſus oportet Chriſtianum omnem anxiam ſollicitudinem reijcere, qui credit Deo curam eſſe de nobis.

De neceſſarijs victus & amictus non anxiè curandum eſſe.

10. Numquid Dei liberalitas nunc quàm olim contractior? Paulo inter Anachoretas primo, annis ſexaginta dimidium panem detulit coruus, integrum præſente Antonio Ioannes eremicola quatuordecim annis à nullo mortalium viſus, cernæ lacte paſtus eſt. Beatus Rochus aliquanto tempore, panem quotidie accepit à cane, quemadmodum Elias à coruo. Nonne vnus eremicolarum illorum è palmis & cibum & veſtem impetrauit? vna illis arbor & ſartor fuit & piſtor: Anno Chriſtiano ſexenteſimo quinquageſimo tertio Iudocus Britonum Regis Rethaeli filius, ſpreto ſolio in ſacerdotium venit, ſolitarium vitę genus amplexus, in Brahic loco riuulis cincto cœnobium & templum condidit. Hic in egenos tam piè effuſus fuit, vt quodam die non niſi panis vnicus familię ſupereſſet, hunc ipſum tamen in quatuor partes ſecari, & quadram dari mendico iuſſit. At ille idem mendiculus mutatâ veſte quartùm rediit, & omne penu mendicando abſtulit. Hic Vlmarus ſocius muſſare & obloqui, atque liberalitati nimiæ indignari. Iudocus hominem ſolatus, è cæleſti penore ſubſidium petere docuit. Paulò poſt quatuor naiculæ commeatu onuſtæ illic appulerunt, & omnem religioſæ familiæ indigentiam ſubleuarunt, ita habet Zachar. Lippelo. 13. Decembris. Optimè dixit Auguſtinus lib. de Eleemoſ. *An putas qui Chriſtum paſcit, à Chriſto non paſcitur.*

Nos murmuramus, cùm vel minimum obſtaculum intercedit, quo minus annona ad nos abundè perueniat. Nos commercia nauigij impediri, ſcelus putamus, maledicta iacimus, & bacchamur in auctores. Si vel halecem liceret habere, aliquod eſſet hominibus nutrimentum. O modicæ fidei Chriſtiane; quid muſſitas? Deum cogita, omnem curam in illum proijce. Nonne is per 40. annos dedit Iſraëlitis manna habens omne delectamentum & ſaporem ſuauitatis? Nonne is vna menſura, & pauperem, & copioſam familiam ſufficienter pauit? Numquid Eliæ vnus ſubcinericius panis vires ſubminiſtrauit ad iter 40. dierum & vltra. Ioannes Apoſtolus planiſſimè affirmat, 1. Epiſt. cap. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Et eadem iſta tertiùm repetit, ne vllus ſit locus diffidentiæ. Dictauerat Deus Ezechieli vati panem immundum ex hordeo, fabâ, lente, milio pinſendum, & humano fimeto contegendum. Horrendum oſtendit vates, mox ſententiam mutauit Deus, Ezech. 4. Iacob luctator, Geneſ. 32. *Non dimittam te*, inquit, *niſi benedixeris mihi.* Factum. Thomas aquinas in morbo peregrinos piſces eſurijt, mox eos miraculo accepit. Res liquet: *Deus voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Pſal. 144. verſ. 19.

11.

S. E-

SECTIO VI.

Quis sit salis vsus, & qualem oporteat Christianum secum deferre salem?

1. TOBIAS noster, vt omninò est verosimile, tàtum salis secum tulit, quantum itineri proposito necessarium videbatur, quòd in via cauponarum illic non esset commoditas: & hoc insinuant verba capitis quinti, *Paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias Vale patri suo.* Quia verò in Scriptura sacra non semel fit mentio salis, hinc libet, de eius vsu sermonem aliquem texere. Leuitici cap.2. vt plenum & perfectum esset sacrificium farreum, quod ibi describitur, quin & alia sacrificia voluit Deus esse sale condita: *Quidquid,* inquit, *obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* Quemadmodum enim in omni conuiuio requiritur caro, & panis ad cibum, vinum ad potum, sal ad condimentum: ita Deus in omni sacrificio animalis iussit offerri similam & vinum Numer.15. vers.4.7.& 10. item salem, vt plenum & perfectum esset Dei conuiuium quale erat sacrificium, quo Deus epulabatur cum hominibus. Rex Artaxerxes, cùm Esdras Hierosolymam veniisset, vt rem sacram inter suos, & religiosam constitueret, concessit illi lubens quidquid ad eam ritè & honestè peragendam necessarium fuit; Ego, inquit, *Artaxerxis Rex statui atque decreui omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, vt quodcumq; petierit à vobis Esdras Sacerdos, scriba legis Dei cæli, absque mora detis: vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad frumenti cores centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum, sal verò absque mensura.* Certam aliarum rerum, quæ sacrificijs admisceri solent, mensuram assignat Rex; salis nullam, quia multum in re sacrificali consumebatur salis, noluit ne vnquam cessarent sacrificia, aut minus religiosè fierent, in sale certum aliquem modum definiri. Fortè apud Persas, sicut apud gentes alias multum in sacrificijs consumebatur salis; quod idem cum Artaxerxes de Hebræorum sacrificijs cogitaret, noluit sali certam constituere mensuram. De Gentium sacrificijs, & in illis quantum esset salis impensum multa profani, nos de illis pauca. Plinius lib.31.cap.7. sub finem negat sine sale vlla confici sacra. Plato in Timæo salem amicissimum dicit esse Deo. Salsæ molæ passim apud gentiles nomen audiuimus. Ouidius in fastis!

Ante Deis homines quod conciliare valerent,
Far erat, & paruida mica salis.

2. *In sacrificio olim salem adhiberi solitum.*

1. *Esdræ 7.*

Salis vsus in Gentilium sacris.

Et sicut altare quodammodo profanum, putabatur sine sale, certè oblatio non iudicabatur esse legitima, sic etiam neque mensa existimabatur sacra, si salinum abesset. Sic Arnobius lib.2. *Sacras,* inquit, *facitis mensas salinorum, & simulachrorum appositu.* *Oblatio sine sale immunda.*

Sal etiam adhiberi solitus infantibus recens natis, vt corpora eorum fierent solidiora, & constringerentur, ait S. Hieronymus, ac siccarentur ab immunditia vteri, & vt vulnus vmbilici præcisi sale stringeretur, clauderetur, & sanaretur. Audi & Galen. lib.1. de Sanitate tuenda cap.7. Sanitate conducit, *vt primùm salis modico insperso cutis eius* (infantis) *densior solidiorq; ijs quæ intus sunt partibus, reddatur. In vtero enim æquè cum reliquis mollis erat, cùm hic durius vllum externum corpus inibi contigerit, nec aër illi vsquam frigidus inciderit.* Ita veteres: at iam mollies obstetrices sale, vtpote mordaci abstinent. Hinc diuinum oraculum Iudæis refricans barbarum statum, in quo erant, antequam à Deo peculiariter assumerentur in populum sanctum, *Quando nata es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec pannis inuoluta,* Ezech.16. Quo die, inquit nata es, nihil tibi à parentibus adhibitum est eorum, quæ recens natæ proli adhibere solet materna sedulitas; neque fuit, qui tibi vmbilicum abscinderet; qui aqua salutari, quos ex maternâ vulnâ sordes contraxisti detergeret, aut sale siccaret, roboraretq; infantile corpusculum; aut denique pannis, fasciisque nudam ligaret, & obuolueret. Aut rursum, Non tantùm nunc, sed & olim antequam ego vos, ô Iudæi, mihi in populum, Ecclesiam & sponsam eligerem, & quasi in vxorem ducerem, putà cum viueretis in Ægypto: eratis adeò barbari, maleque morati, vt inter Amorrhæos & Cethæos nati & educati videremini. Hunc esse sensum patet ex eo, quòd subdit: *In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota.* Hoc est enim barbararum gentium. 3. *Recens natis salis vsus olim. Cur?*

Symbolicè, significabat Hebræos sale sapientiæ fuisse destitutos, qui timore pœnarum carnis concupiscentias stringit, & à peccati corruptione præseruat. *Sal* enim est *quasi natura balsamum*, vt rectè ait Anselmus Boët. medicus Rodulphi II. Imper. lib.2. de lapidibus cap. 502. sal enim penè omnibus mistis natura immiscuit, vt ea condiat, stringat, & à corruptione præseruet. Sic ad literam saliebant infantes ne citò ingenito sibi mortis & corruptionis semine putrescerent. Quoci: ca Homerus salem diuinum appellat, & Plato asseruit, vt dixi, salem rebus diuinis amicissimum, familiarissimumque: cuius dicti causam indagans Plutarch. in Sympos. decade 5. docet salem hoc in se diuinum habere, quòd à corporibus vitâ destitutis putrefactionem

Sal sapientiæ, quasi

Sal naturæ conseruatorium.

&

& tabem arcet, neque ſinit prorſus interire, diu morti velut reſiſtens, animæque quoad licet, vice fungens. Hinc recens baptizatis datur ſal, quaſi ſymbolum ſapientiæ Chriſtianæ, quæ in vitiorum conſiſtit mortificatione: ſic enim ſal mortificat carnes viuas, exſugẽdo ex eis & conſumendo ſanguinem, omnemque humorem ſuperfluum. Inde Burgundi cognomen, vt vocetur *Bourgoignon ſalè*, id eſt, Burgundio ſalitus. Cuius origo eſt, quòd Burgundi primi è Gallis baptiſmum, fidemque Chriſti ſuſceperint, in eoque de more ſale aſperſi ſint: quocirca tunc per iocum à vicinis adhuc Gentilibus *ſaliti*, vel ſale conditi, ſunt appellati; quod cognomen deinceps eis adhæſit.

Recens baptizatis cur ſal adhibeatur.

An autem hac de cauſa apud ſe ſalem habuerit Tobias, non videtur, quandoquidem in captiuitate multò minus dum iter agerent, ſacrificijs vacare, aut aliquid ad ea conferre, coniunctura temporis non permittebat. Ad ſaliendos recens natos ſalem deferre, fruſtraneum erat illi, qui à Matrimonij oneribus liber, eam curam obſtetricibus relinquebat. Oportet ergo ad alium finem ſecum detuliſſe; nec opus eſt multâ indagine. Scitis quotidianum vſum ſalis, oportunum maximè ad cibos condiendos, aut conſeruandos. hinc dicebat Iob, gemitus ſui dans rationem. *Numquid rugiet onager, cùm habuerit herbam? aut mugiet bos cùm ante præſepe plenum ſteterit? Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem?*

4. *Cur Tobias detulerit ſecum ſalem.*

Sal ciborum conſeruatiuum.

An, inquit, quiſquam etiam in ſummâ fame comedat inſulſos cibos, quos ſalis exigua ſaltem mica non condiat, aut extremis guſtare labijs audeat, quod mortifero veneno delibutum, præſentem affert, & acerbum interitum? Tale autem fuit, quod in anguſtijs porrectum extrema patienti Iobo, ita vt non poſſet ſine nauſea, atque faſtidio ſumi, cùm eſſet inſulſum, & non tam humanâ quàm dæmonis manu atque artificio conditum; quod quidem guſtatum aut afferret mortem, vt illud quod Socrati, Anaxagoræ, Theramini ſupplicij loco porrectum fuit; aut: morti affine, aut ſimile faſtidium. Copioſè Plutarchus lib. Sympoſ. 5. cap. *Sal reliquorum obſoniorum propè obſonium eſt, & condimentum.* Vnde adagium, *Nihil vtilius ſale & ſole.* nam cibi facilè condiuntur ac ſapiunt, & à putredine carnem ſeruant. Eaque de cauſa Tobiam ſecum detuliſſe, extra controuerſiam eſt, quandoquidem carnes piſcis ſeruandas ad reliquum itineris ſalierit, vt textus planiſſimè declarat, nec alunde habere potuerit, cùm non eſſent hoſpitia, aut cauponæ.

Sal obſoniorum eſt obſonium.

5. *Qualem ſalẽ Chriſtus velit habere diſcipulos.*

Præterirem hac clauſula hunc locum, niſi Chriſtus Dominus Marci 9. cap. dixiſſet diſcipulis ſuis: *Habete in vobis ſal.* Sed eius ratione diſcutere libet, quem ſalem velit Dominus Chriſtianos circumferre. Gregor. Magnus exiſtimat Saluatorem dicere, ne habeatis illum damnatorum ſalem, id eſt, ignem, de quo proximè dixerat: *Omnis (damnatus) enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur*; ſed illum, quo victimæ condiuntur, id eſt, prudentiam, charitatem & pacem, quæ per illum ſignificantur. Quia enim ſal ob inſignes, facultates, quas habet, omnium ciborum condimentum eſt, & putrefactionem arcet; hinc amicitiæ, prudentiæ, ſapientiæ, incorruptibilitatis & perpetuitatis habetur ſymbolum Leuit. 2. dicitur: *In omni oblatione tua offeres ſal.* Quærunt Interpretes eo loci cauſas cur Deus in ſacrificijs ſalem ſibi admiſceri iuſſerit. Quidam in ſale prudentiam ſignificari credunt, quæ ſi in ſacrificijs deſit, non putant Deo futura grata. Bernardus ſerm. 49. in Cant. *Diſcretio eſt moderatrix, & auriga virtutum affectuum, morum: omnium virtutum ordinem ponit: ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit.* Quòd videtur Chriſtus ipſe inſinuaſſe Mar. cap. 9. verſic. 48. *Omnis*, inquit, *igne ſaletur, & omnis victima ſale ſaletur.* Quo loco in ſale interpretum nonnulli ſapientiam intelligunt: in quibus eſt Theodoretus, Rupertus, Beda; Cyrillus de adorat. lib. 15. non procul à principio hoc apertè docuit: *Oblationibus*, inquit, *inſpergitur ſal: oportet quidem nos mea quidem ſententia ſapienter, prudenterq; ſacrificare: ita vt ad omne opus bonum optimè parati ſimus: nam illi mores ingrati, & inſulſi minimè his conueniunt, qui pietatem colere inſtituerunt.* Alij in ſacrificijs, id eſt, in bono conſtantiam admiſtione ſalis adumbrari exiſtimant, quia ea eſt natura ſalis, vt res alioqui fluxas, & corruptioni obnoxias, & tabi, faciet eſſe diuturnas. Sic Philo de victimis paulò poſt medium: *Omni*, inquit, *oblationi ſalem adhibebitis, quo ſignificatur æterna durabilitas. Sal enim conſeruator eſt corporum, ſecundo poſt animam ordine. nam ſicut anima cauſa eſt incorruptionis corporum, ſic ſal quàm diutiſſimè tuetur ea, reddítq; quodammodo immortalia.* Neque fortaſſe aliud Chriſtus apud Marcum voluit, cùm igne ſaliendam eſſe dixit victimam, & ſale, quàm in igne, id eſt, in mortificatione, & cruce retinendam eſſe conſtantiam. Confirmat hanc rem, quod Deus Leuit. 2. vocet ſalem fœderis: *Nec auferes*, inquit, *ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo.* Cur obſecro ſic vocat Dominus? Paucis expedio, quòd ſale ſignificabatur firmitas legis, & fœderis, quandoquidem victimæ cum mola ſalſa immolabantur ad ſanciendum fœdus, & verolimile ita factũ in fœdere Hebræorum cum Deo Exod. 24. verſ. 5. Deus numer. 18. poſtquam pro ſorte hæreditaria, & alimonia conſignaſſet Sacerdotibus victimas, primitias, & oblationes inquit verſ. 19.

Sal amicitiæ ſymbolum.

Sal cur in omni oblatione admiſceri iuſſum.

Conſtantiæ in bono cõmendatio.

Sal ſymbolũ firmitatis.

Omnes

Omnes primitias Sanctuarij, quas offerunt filij Israël Domino, tibi dedi, & filijs ac filiabus tuis, iure perpetuo. Et mox addidit: *Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filijs tuis.* Hæc, inquit, dona & oblationes tibi do, & consigno quasi ex promissione & pacto sempiterno, quia sal est symbolum æternitatis. Sicut enim sal à putrefactione carnes conseruat; ita pactum salis metaphoricè significat pactum alienum à corruptione & violatione, pactum firmum & perpetuum. Sal ergo fœderis idem est, quod sal firmatiuum fœderis, aut symbolum fœderis firmi & stabilis. Cùm Abia Rex Iuda accederet ad bellum contra Ieroboam, dehortans exercitum Ieroboami à bello contra se, cùm Deum haberet Ducem, quem illi abiecerant, sic eos aggressus est. *Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum, ipsi & filijs eius in pactum salis?* 2. Paralip 13. Itaque pactum firmum in Scriptura vocatur pactum salis. Hac de causa 1. Esdræ 4. viri illi inuidi, qui impedire conabantur ex maleuolentia Iudæos, ne extruerent muros Hierusalem, gratum proponunt Regi animum longi, atque antiqui beneficij memorem, ne inuidiam olfaceret: *Nos autem*, inquiunt, *memores salis, quod in palatio comedimus, & quia lasiones Regis videre nefas ducimus, idcirco misimus & nunciauimus Regi.* Cur salis præcipuè meminerunt? Omissis alijs rationibus, ad nostrum propositum hæc est, quod multo tempore regio sint usi pane, & quemadmodum sal durare solet; & conseruare corpora, ne putrescant, & diffluant, sic etiam videntur hi, qui se Regio sale dicunt esse salitos, significare, se salutem suam, & vitam debere Regis beneficio, à quo sustentantur, conseruanturque non secus ac carnes conditæ sale, quo à tabe conseruantur, & sanie, & in multa tempora integra, & incorrupta durant.

Pactum salis idem quod firmum.

Olim hospitibus primùm sal apponebatur, quòd sal amicitiæ haberetur symbolum. Et ex simili forte obseruatione vel ad amicitiam indicandam, vel vt sacratior habeatur Christianorum mensa, quorum Baptismus non sine sale confertur, consueuit sal primum & vltimum esse in mensa, & in sacrilegis nocturnarum lamiarum ac veneficarum orgijs ob eandem causam sal ferè deest. Nonnullis ominosum habitum si salinum mensæ deesse compertum esset, multoque magis si effundi in mensa contigisset, quasi per hoc amicitiæ versio vel rescissio portenderetur, iuxta Pierium in Hierogly. talis. Hac de causa Saluator noster addidit post verba, *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*, iuxta Euthymium, qui existimat Christum monere Apostolos, qui inter se contenderant, vt salem, id est charitatem & pacem inter se fouerent.

Mauden in Tobiam.

Rursus sale olim omissa.

Itaque primùm commendat Dominus amicitiam & charitatem: secundò prudentiam ac circumspectionem: *Habete*, inquit, *in vobis sal*, significans prudentiam ac circumspectionem in locutione atque actione, pacis esse conciliatricem. Planissimè Apostolus ad Colost. 4. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere.* Sit sermo vester cum ædificatione proximorum, & prudentiâ conditus, iucundus sit, sed simul stringat, obturet, pungat & acuat. Venustè Anselmus eo loci: *Sicut*, inquit, *cibus cui sal immiscetur, fit sapidus, & caro benè salita non putrescit, nec fœtet: ita sit & sermo vester, vt quasi cibus sapidus recipiatur ab ore cordis audientium, non sit insipidus per insipientiam; nec putidus per admonitionem carnalis delectationis; nec corruptus per admixtionem falsitatis; sed semper sale spiritualis sapientiæ conditus, & integritate veritatis incorruptus, atque odorem cælestis & incorruptibilis delectationis spirans. Et ita condimentum diuini salis habeat sermo vester.* Chrysostomus collimans ad scopum Pauli sic rem explicat homil. 11. ad Colost. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, hoc est, ne dum omnibus gratificari vultis, sine discretione promiscuè quosuis amplectamini, & quæuis faciatis. Potest enim ad gratiam loqui quispiam, potest etiam cum honestate & decore competenti. Vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere. Itaque non eodem pacto disputandum est, cum omnibus Græcis dico, & fratribus.* Amplificat vtiliter huius loci sensum Ambros. *Quoniam necesse est*, inquit, *nos ambulare inter infideles, & colloquijs miscere, causa conuersationis humanæ, hoc est, quod commonet, vt cum sapientia sit ipsa conuersatio, propter scandalum Gentilium, ne occasionem accipiant per nos blasphemandi, & inuitentur ad persequendum. Quid enim opus est loqui cum eo, quem scis intractabilem, & obstinatæ mentis paratum ad contumeliam faciendam? Idcò hæc monet, vt opportuno & loco, & tempore magistra modestia religionis verba promantur, aut si persona talis in medio est, quæ perstrepat reticendum; aliter enim cum potentibus mundi, aliter cum mediocribus, & aliter cum humilibus agendum est; aliter iterum cum mansuetis, aliter cum iracundis, quibus cedi oportet: hoc est, redimere tempus.* Rursum Chrysost. loc. cit. *Propterea adijcitur ad eos*, inquit, *qui foris sunt, vt discamus quod aduersus nostra membra non tantâ nobis opus est cautione, quantâ aduersus extraneos: non sunt enim paria, esse inter inimicos, & inter amicos. Propterea subdit Apostolus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere.* Siquidem Salomon Prouerb. 26. scripsit, *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Mox verò quasi contrarium docens subdit: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Nam, vt ait Beda, *stulto stultè loquenti interdum respondendum est, interdum verò tacendum.*

Per salem cõmendatur prudentia.

6

Huc ferè Olympiodorus trahit verba Iob loc. cit. quaſi taxaret orationem, quam habuerat iam pridem Eliphas, eamque inſulſam appellarat, quæ admitti non poſſet ſine faſtidio, quia ſale, id eſt prudentiâ condita non eſſet, vtpote propoſita tempore non ſuo.

7. *Quare Chriſtus vocat Apoſtolos ſal terræ.*

Placuit etiam Chriſto Domino Apoſtolos, *Sal terræ appellare* (cùm eos ad ſummam vitæ perfectionem excitauerat) quia homines & ſua ſapientia docere debebant, & ſuis moribus ædificare. Salis eſſe duas proprietates, & ſaporem rebus inſipidis dare, & eas conſeruare, ne corrumpantur, notum eſt. Quod eſt in cibis ſapor, eſt in hominibus ab eodem verbo dicta ſapientia: quod in rebus alijs conſeruatio, eſt in bonis moribus hominum confirmatio, quam diuinæ litteræ ædificationem vocant. Iubet itaque Deus ſuos inculpatam degere vitam, cæteriſque vitæ innocentiâ præire, atque doctrina veluti condimentum ſalis eſſe: *Quod ſi*, inquit, *ſal euanuerit*, id eſt ſaporem & acrimoniam amiſerit, *in quo* *Matth. 5.* *ſalietur? Ad nihil valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*, quaſi dicat. Si doctor aut malè docet, aut malè ædificat, à quo docebitur, à quo corrigetur? difficile prorſus, ad nihil vtilis erit. Significat hâc metaphorâ alias res, etiamſi naturalem vſum amittant, ad aliquid tamen vtiles eſſe. Factus eſt nummus aureus: non erit nummus, ſed erit aurum: non ſeruiet commercio; ſed ſeruiet aurifici. Corruptus eſt cibus, non dabitur homini, ſed dabitur cani. Trita eſt veſtis, in ſterquilinium mittetur: hominem fouere non poteſt, terram fouebit, id eſt, ſal, ſi à natura ſua degenerauerit, ne in ſterquilinium quidem aliquid valet, terram non fœcundat: ſed ſterilem reddit: *Poſuit*, inquit Dauid, *terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea*, Pſal. 106. 34. Hoc Lucas explicauit cap. 14. *Nec enim in terram, nec in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur.* Solent, quæ vtiliſſima ſunt, cum à natura ſua diſcedunt, viliſſima fieri. Sarmentum ad fructum ferendum vtiliſſimum: ſi aruerit, nihil inutilius Ezech. 15. *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſiluarum? Numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus? aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat ex eo quodcumq; vas. Ecce igni datum eſt in eſcam.* Quod illic de vite, hìc de ſale dicitur. Vtriuſque ſententiæ ſumma eſt, degeneres doctores, quales inprimis hæretici ſunt, ad nihilum vltra quidquam valere, niſi vt pœnas luant, niſi vt conculcentur, niſi vt crementur. Peiores etiam quàm ſal infatuatum, quamque aridum ſarmentum, hæretici cimicibus, vt ait Auguſtinus, ſimiles ſunt. Viui mordent: mortui fœtent. Tales ſunt etiam Chriſtiani, qui alios ſuo exemplo ædificare tenentur & negligunt.

Aliæ res cùm naturalem vſum amittunt, ad aliquid tamen vtiles ſunt, ſal non item

Cæterùm dum Dominus vult nos ſalem habere, ad perpetuitatem & conſtantiam hortatur vt ſuperiùs attigi. Hinc ipſe Luc. 17. cùm vult nos ſedulò prouidere, quomodo iudici timendo præſentemur ſaluandi: *Memores*, inquit, *eſtote vxoris Loth*, penſando quid fœminæ illi acciderit, præcauere inordinatam ad temporalia affectionem, ne ſimul cum illa tangat vos plaga Dei. Nam ſicut illa contra præceptum Dei retroſpiciendo, conuerſa eſt ſubitò in ſtatuam ſalis: ſic qui immoderatiùs ad carnalia & terrena ſe vertunt, peribunt: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.* Ad hoc enim in ſtatuam ſalis verſa eſt, vt eſſet quaſi marmor, & monimentum perenne diuinæ caſtigationis, quo poſteri docerentur, quænam punitio eos maneat, qui arrepto ſemel bonæ vitæ propoſito reſpiciunt retrò, & pœnitudine reducti reſiliunt. Ideoque ſal ille in lapidis morem fuit duratus, ita vt nullæ pluuiæ, nullæ tempeſtates, eum liquefacerent, aut diſtrahere poſſent. Ioſephus 1. Antiq. cap. 11. refert eam ſtatuam adhuc ſuo tempore extitiſſe. Borchardus p. 1. par. 1. cap. 7. hoc poſteriore æuo adhuc extare ſcribit inter montem Engaddi & mare mortuum ſeque viſendi cauſa locum adire voluiſſe, ſed prohibitum ob difficultates & pericula. Appoſitè igitur Proſper. lib. 1. de prædiction. & promiſſion. cap. 16. *Vxor Loth ſalis ſtatua effecta ſuo exemplo fatuos condiuit in propoſito ſancto, quo tendunt proficientes, noxiâ curioſitate non debere reſpicere.*

8. *Per ſalem commendatur item conſtantia in bono opere.*

Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 75. verba Chriſti Luc. 17. adaptat Apoſtatis, qui votum caſtitatis infringunt. Verùm omnibus adaptari poteſt, qui omni vento doctrinæ, circumferuntur, Principis ſui arbitrio religionem commutantes, latuam nunc ponentes, nunc deponentes. Hecebolius Sophiſta Byſantinus eius farinæ homo fuit, teſte Socrate lib. 3. hiſtor. Eccleſ. cap. 13. Primùm enim Chriſtianam religionem ſub Conſtantio Imper. profeſſus, mox imperante Iuliano Apoſtata gentium doctrinâ amplexus eſt, & denuo extincto, bello Perſico, Iuliano, Chriſtianus iterum factus, demùm cœpit pœnitens pronus ad templi fores proculcandus iacere, & cum lachrymis miſerandum in modum obteſtari, vt ſe velut infatuatum ſalem conculcarent. Quàm multi hodie tales reperiuntur, ſed non omnes ad ſaniorem mentem redeunt. Sæpè enim accidit vt in ſtatuam durentur, hoc eſt, vt fiant inſenſibiles, & deſerti à diuina gratia obturentur.

Conſidera hæc, mi Chriſtiane, & hunc Euangelicum ſalem ne negligas, ſed continuò tecum circumferre ſatage, ſapientiam, pru-

9. *Sal Euangelicum Chriſti*

flaxis circumstrendus.

prudentiam, charitatem in omnibus actibus tuis, ne igne infernali saliatis: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur*, id est, Non mireris, quare vermis damnatorum non moriatur, & ignis non extinguatur: quia omnes illi igne salientur, & torrebuntur velut carnes, quæ ad esum igne assantur; & sale salientur, sicut victimæ solent, iuxta illud Leuit. 2. veruntamen sal eorum non erit ille futurus, quo alias victimas salire lex præcipiebat; sed pro sale futurus est illis ignis, cuius perpetuis cruciatibus torquebuntur, quasi diceret, Sicut omnis victima, quemadmodum lege præcipitur, ita omnis damnatus velut victima in perditione salietur igne gehennæ.

SECTIO VII.

An liceat quorumuis scientiam curiosè scrutari, vt hic Tobias de virtute iecoris & fellis piscis, quem extraxerat è fluuio.

DIVVS Bernardus serm. 36. in Cantica dicit multũ referre quo fine quæque cognoscere oporteat; *vt non ad inanem gloriam aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tuam velis scire.* *Sunt namque qui scire volunt eo fine tantùm vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est.* Verùm hi nemini nocent, quàm sibi ipsis.

2. *Grauis vitiũ est velle scire secreta alterius vt ei noceat. Exempla Scripturæ.*

Sunt alij qui scire volunt, vt proximo noceant. Sic Laban interrogabat Iacobum iussu Dei ad patrem reuertẽtem satis curiosè: *Quare ita egisti, vt clam me abigeres, filias meas, quasi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi: vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? Non es passus vt osculari filios meos, & filias: stultè operatus es & nunc quidem. Valet manus mea reddere tibi malum.* Adeoque vt noceret, nisi Deus illum compescuisset in via. Vnde subdit: *Sed Deus patris tui heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius.* Sic Exod. 1. Pharao rogabat obstetrices, quæ seruandis infantibus contra eius præceptum misericordiam præstiterant: *Quidnam est hoc quod facere voluistis, vt pueros seruaretis?* intendens eas punire. Sic vxor Sampsonis scire voluit problema ab ipso in nuptiis Conuiuis propositum, vt ei noceret, ciuibus faueret & prodesset, quorum vetita erat inanes minas: *Fundebat*, inquit sacer textus, *apud Sampson lachrymas, & querebatur dicens: Odisti me, & non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filijs populi mei, non vis mihi exponere. at ille respondit: Patri meo & matri nolui dicere: & tibi*

Iudic. 14.

indicare potero? Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum: tandemq; die septimo cùm ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicauit ciuibus suis. Præmium autem erat triginta syndonum, & totidem tunicarum, quod lucratus fuisset alias Sampson. Iudicum verò 16. scire satagebat Dalila in quo consisteret eius fortitudo, vt eum Philistæis illudendum traderet. 4. Reg. 6. Rex Syriæ indagat quis consilia sua aperiat Regi Israël, & conuocatis seruis ait: *Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud Regem Israël*, idque vt Prophetam Elisæum nomine Dei ea aperientem de medio tollat: *Dixitq; vnus seruorum eius*, ait Scriptura, *Nequaquam domine mi Rex, sed Eliseus Propheta, qui est in Israël, indicat Regi Israël omnia verba quæcunque locutus fueris in conclaui tuo. Dixitq; eis: Ite, & videte, vbi sit, vt mittam, & capiam eum.*

Sic inuidi Danielis cap. 6. cùm Rex cogitaret *eum constituere super omne regnum: principes & satrapæ quærebant occasionem vt inuenirent Danieli ex latere regis: nullamq; causam & suspicionem reperire potuerunt, eò quod fidelis esset, & omnis culpa & suspicio non inueniretur in eo. Dixerunt ergo viri illi: Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui.* Vti dictum, ita factum. Suadent & persuadent Regi decretum publicare, *vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo & homine, vsque ad triginta dies, nisi à te rex, mittatur in lacum leonum.* &c. *Viri ergo illi curiosius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem & obsecrãtem Deum suum*, videlicet contra Edictum reg s. qua de causa in lacum leonum missus est. Similiter Act. 17. Stoici & Epicurei quærebant scire à Paulo nouam doctrinam, vt eum morti traderent: Sic enim refert sacra pagina: *Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse, quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis. Et apprehensum eum, ad Areopagum duxerunt dicentes: Possumus scire quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina? Noua enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.* Ductus est ergo Paulus ad Areopagum, vt ibi quasi nouæ religionis assertor iudicaretur, & si reus esset, puniretur. Sic enim Socrates Athenis damnatus est ad mortem 281. sententijs, eò quòd nouos Deos, vel dæmones induxisset. Vnde S. Chrysostomus. *Ad Areopagum*, ait, *duxerunt Paulum, non vt quippiam cognoscerent, sed vt punirent, & supplicijs afficerent: ibi enim capitalia exercebantur iudicia.* Sed Dei prouidentia hæc in contrarium vertit, fecitque vt magna dignitas Euangelio & religioni accresceret in Areopago, eò quòd ibi eam probasset Paulus, adeoque iudicem ipsum, putà Dionysium Areopagitã, ad eandem conuertisset. Herodes quærebat à Sa-

cerdotibus, vbi Christus nasceretur, *& clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Matth. 2. Quot quæsita proposuerunt Phariſæi, vt Iesum vel confunderent, vel occiderent? Matth. 15. & 22.

Hos & similes retundit Hebræus Sapiens Prouerb. 24. *Ne insidieris*, inquit, *& quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* Verissimè Gregorius hom. 36. in Euangelia: *Graue curiositatis*, inquit, *est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exterius ducat, semper ei sua intima abscondit vt aliena sciens se nesciat, & curiosi animus quanto peritus fuerit aliena merito, tantò fiat ignarus sui.*

3. *Non esse consulendos veridicos.*

Sunt qui à veridicis & astrologis rerum occultarum & futurorum contingentium secreta rimantur. Sic Saul cùm Dominus consultus ei non respondisset per somnia, Sacerdotes, aut Prophetas de futuro successu belli Philistinorum contra ipsum, pythonissam consulit, iubens ab ea suscitari Samuelem, 1. Reg. 28. Sic Ochozias de infirmitatis suæ euentu per nuntios cõsulit Beelzebub Deum Accaron 4. Reg. 1. Quos & omnes eiusdemodi diuina oracula idololatriæ accusant. Videdict. a Disc. 64. in l. Præceptum, de peccato eorum, qui veridicos consulunt, & Discurs. 66. Disc. 68. & 69. de prauitate Astrologiæ iudiciariæ. Sanctus Lucas Actor. 19. refert quosdam postquam audierant D. Paulum concionantem, & viderant miraculis dicta sua confirmantem, adeò vt suis sudarijs ægros sanaret, & dæmones pelleret, huius criminis pœnituisse: *Multi autem*, inquit, *qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus: & computatis precijs illorum inuenerũt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* id est, Astrologi iudiciarij & genethliaci, qui ex horoscopo, dieque natali constellatione & astris diuinant ea, quæ cuique in morte & vita sunt euentura, attendentes doctrinam Pauli, & timentes ne à dæmone Astrologorum hero, malè mulctarentur, vt illi Exorcistæ, de quibus ibidem Textus; Astrologiam abdicarunt, & libros inde tractantes igni tradiderunt, licet pretium eorum ascenderet ad 50. millia regalium, seu quinque millia Philippicorum.

4. *Appetenda eorum scientia, quæ nobis vtilia sunt.*

Alij scire volunt, quod ad ædificationem propriam spectat. De quibus Bernardus loc. cit. *Sunt qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est.* Clarissimè Siracides, *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Carpit eos qui omissa necessariarum rerum scientiâ appetunt alia quæ minùs necessaria sunt, in quibus occupati omittunt quærere illa, quæ Deus iubet inuestigari:

Eccles. 3.

Sunt enim, vt inquit Augustinus, lib. de moribus Ecclesiæ, *qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta mastilas natura semper eodem modo manentis magnum aliquid se agere putãt, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissimeq; perquirant. Vnde etiam tanta superbia gignitur vt in ipso cælo, de quo disputant sibi habitare videantur.* hæc ille. Vtiliter Isidorus Peluſiota epist. 273. *Consideremus*, inquit, *quid nobis ad beatitudinem adiumento sit, quid secus, atque ita quæ dicuntur exploremus. Cælum, aut sphæra, aut dimidia sphæra speciem affirmare, atque item celerrimum solis cursum, ac lunæ incrementa ac decrementa, siderumq; situm curiosè indagare: ac præterea de terra quærere, cylindri ac coni speciem tenet, mundiq; centrum sit, ac denique Solis & Lunæ internalla cognita, & explorata habere. Quid ad bene beateq; viuendum vtilitatis afferet equidem non video. quod si quis id dicere posset, dicet quidem fortasse verum, minimè persuadebit; at verò iustitiam, ac prudentiam, ac temperantiam, & si quid his affine est scire atque exequi: hoc verò eos qui id callent ad beatitudinis arcem euehit. Quo circa faciendum est vt ab his ex quibus nihil commodi nobis oritur, abstineamus: ea autem, ex quibus emolumentum percipitur, amplectamur hæc ille.*

Nonnulla scientia ad bene beateq; viuendum parum vtiles.

D. Chrysostomus grauiter inuehitur in eos, qui negligentes necessaria scitu ad salutem, cùm probè norint alia, existimant coram Deo fore excusabiles, quòd imperiti videantur. *Dicis*, inquit, *quomodo potero (scilicet veritatis habere curam & diligentiam) cùm sim homo vehementer simplex, & idiota? Simplicem itaque hunc & idiotam in rebus terrenis mihi confideres ac discas, videsque quàm multam illic ostendat diligentiam, quam si & spiritualiter impendere voluisset, contemptus vtique non fuisset. Sole quippe clariora sunt, quæ veritatis sunt, & vbicunque quis inciderit facile suam ipsius salutem, apprehendet, siquidem aduertere voluerit, illamq; non velut obiter quærendam putauerit. An in Palestina occlusa sunt salutis negotia? An in modico orbis angulo? Non audisti Prophetam dicentem: omnes cognoscent me à paruo vsque ad magnum. Non vides rem ipsam loqui? Quomodo ergo veniam habebunt. Isti, cùm veritatis doctrinam expositam videant, & manifestam, & tamen nec sagunt, nec curant, quo illam discant.* Et ilicò prævoccupans obiectionem subdit: *Et ista inquies, ab illo exigis, qui agrum incolit, & à barbaro: Non solum ab agricola, & barbaro, sed etsi quis barbarus ipse, qui nunc sunt, barbarior fuerit. Quanam ratione, dic quæso, in rebus secularibus, qui talis est, & contradicere nouit iniuriâ affectus, & resistere violentiam passus, omniaq; facere ac moliri, vt neque calumniam aliquando ferat, cùm in rebus spiritualibus eadem prudentia non vtatur? Et quando lapidem adorat, Deum putat* (id est, idola colens) *Festumq; celebrans, pecunias insumit, multamq;*

5. *Nemo tam simplex est, qui non possit sine necessario situ ad salutem.*

tamq; religionem oſtendit, per ſimplicitatem ſocors ac negligens non redditur, quando verò, qui verè eſt Chriſtus, quærendus eſt Chriſtus. Tum mihi ſtupiditatem & ſimplicitatem memoras? Nihil eſt itaque quod dicis, nihil eſt, inquam, ſed ſolius negligentia, ſocordiaq; culpa perit.

6. *Primùm omnium addiſcenda ſunt quæ conducunt ad ſalutem.*

Stolidum planè eſt primùm addiſcere quæ ad rem temporariam ſpectant, & negligere quæ viciniora ſaluti. Num ſine illis ſaluari poſſis, ſine his minimè? Non audiſti Prophetam dicentem? *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua & non glorietur dives in diuitijs ſuis. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.* quaſi dicat. Non eſt, cur ſapiens in ſua ſapientia, neque fortis in ſua fortitudine, neque locuples in ſuis ſibi diuitijs placeant, quaſi hęc aut frągi, aut omninò vaneſcere non poſſint. Glorietur potiùs in eo, quòd verè cognoſcunt me, ea nempe cognitione, quæ ipſos meis præceptis obſequentes facit. Qui nouerunt me eſſe miſericordem, & iuſtum, ex qua cognitione id conſequentur, vt in me tanquam in miſericorde ſperent, & à me tanquam à iuſto timeant. Hæc placent mihi; cætera non item. Hierem. 9. Non audiſti Dominum clamantem: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ioan. 17. At huius ſcientiam adhuc poſtponis rei temporariæ? Vtiliter quærit D. Bernardus, An omnis ignorantia damnabilis? Et ad quæſitum mox reſpondet: *Mihi quidem videtur non eſſe* (neque enim omnis ignorantia damnat) *ſed multa & innumera eſſe quæ neſcire liceat abſque diminutione ſalutis: verbi gratia, ſi ignoras fabrilem artem, ſeu carpentariam, aut cementariam, & quæcunque iſtiuſmodi ſunt artes quæ ad vſum vitæ huius præſentis ab hominibus exercentur, nunquid impedit ad ſalutem? Etiam abſque omnibus illis artibus quæ liberales dicuntur, quamuis honeſtioribus vtilioribuſq; ſtudijs & diſcantur, & exerceantur, & quàm plurimi hominum ſalui facti ſunt placentes moribus atque operibus: quãtos enumerat Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos factos dilectos non in ſcientia litterarum? ſed in conſcientia pura, & fide non ficta? Omnes placuerunt Deo in vita ſua, vita meritis, non ſcientia. Petrus & Andreas & filij Zebedæi, cæteriq; condiſcipuli omnes non de ſchola rhetorum aut philoſophorum aſſumpti ſunt, & nihilominus tamen ſaluator per ipſos operatus eſt ſalutem in medio terræ. Non in ſapientia qua in ipſis eſſet plus quàm in cunctis viuentibus, quemadmodum ſanctus aliquis de ſemetipſo confeſſus eſt, ſed in fide & lenitate ipſorum ſaluos fecit illos, etiam & ſanctos, etiam & magiſtros.* Inde poſt plura concludit: Tu, inquit, *qui cum timore & tremore tuam ipſius operari ſalutem pro temporis breuitate feſtinas, ea ſcire prius ampliuſq; curato, quæ ſenſe-*

Præter ſcientiam ſui & Dei cætera ſcientia & artes nobis facienda.

rit viciniora ſaluti. Nonne medici corporum medicinæ portionem diffiniunt eligere, in ſumendis cibis quid prius, quid poſterius, & quemadmodum quidque ſumi oporteat? Nam etſi bonos conſtat eſſe cibos quos Deus creauit, tu tamen ipſos tibi, ſi in ſumendo modum & ordinem non obſerues, reddis planè non bonos. Præclara eſt D. Auguſtini ſententia lib. de Trinit. cap. 2. *Laudabilior*, inquit, *eſt animus cui nota eſt vel infirmitas ſua, quam qui eâ non reſpectâ rerum terreſtrium cæleſtiumq; tenet ſcientiam, vias ſiderum etiam cogniturus, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipſe qua via ingrediatur ad ſalutem & firmitatem ſuam.*

7. *Quæ ad vtilitatẽ proximi ſunt, ſcientiam appetere, misericordiam.*

Sunt alia, quæ ad vtilitatem proximi ſpectant, & horum ſcientiam appetere, charitas eſt. Ioſeph Geneſ. 40. cùm triſtiores videret Pincernam Regis Ægypti, & piſtorem iuxta ſe incarceratos, *ſciſcitatus eſt eos dicens: Cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra? Qui reſponderunt: Somnium vidimus, & non eſt qui interpretetur nobis. Dixitq; ad eos Ioſeph: Numquid non Dei eſt interpretatio? referte mihi quid videritis*, fortè diuino inſtinctu, aut benè confiſus, quod Deus per eum interpretaretur ſomnium. Idem enim erat, ac ſi dixiſſet, Deus per me vobis interpretabitur ſomnium veſtrum; cumque illud ita, vt interpretatus fuero, reipſa euenire videritis, tunc ſcitote me non vanum coniectorem, ſed verum ex Dei munere ſomniorum eſſe interpretem, ac conſequenter me verum eſſe veri Dei cultorem, & amicum: nec enim Deus alijs hæc ſua arcana reuelat. Cùm Gedeon diuinitus Iſraelitarum Dux deſignaretur ad delendum Madianitas, neque ſciret eum, qui commiſſionem deferebat, cæleſtem eſſe Nuntium, modeſtè poſcebat planius ſibi ab eo exponi denuntiata, propoſitâ quàm veriſſimè, & expoſitâ ſuæ gentis & contubulium tenuitate, vt animoſius fructum, & communis boni cauſam ſuſciperet: *Obſecro*, inquit, *mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? vbi ſunt mirabilia eius*, &c. Et paulò pòſt: *Obſecro, mi Domine, in quo liberabo Iſrael? ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei. Dixitq; ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quaſi vnum virum.* Duplici ratione, ſe Gedeon minus idoneum eſſe contendebat, ſuis humeris impoſito oneri ſuſtinendo. Vna ex cognitione propriæ vilitatis proficiſcebatur. Altera ex hoſtilium copiarum magnitudine, atque hanc quidem quia notiſſima erat, non opus fuit exprimere. Vtramque rationem nunc ab eo remouet Angelus quod ad id, quod pararetur, non hominum induſtriâ, aut viribus, ſed diuinâ ope vtendum ſit. Quare non ſolus rem aggredi iubetur Gedeon, contra innumeros hoſtes, ſed ita res inſtituenda diuinitùs prædicitur, vt omnes inſtar vnius hominis ſint, & ad Ge-

deonem ipſe Angelus, qui cum eo loquitur, accedat: Ait enim: *Ego ero tecum*: ſicque duo erimus. Madianitæ verò omnes tam facilè & expeditè vincentur; ac ſi vnus eſſet vir. Atqui duos vni præſtare conſentaneum eſt. Itaque erimus duo contra vnum. Sic enim occidentur omnes hoſtes tui, me tibi auxilium præbente, ac ſi omnes eſſent vnus vir, vnum omnium eſſet caput, vna omnium vita.

Sic ad aliorum bonum quæſiuit Tobias ab Angelo, quem hominem putabat, virtutem iecoris & fellis. *Obſecro*, inquit, *te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt iſta, quæ de piſce ſeruare inſtiſti.* Ideoque Angelus ei reſpondere dignatus eſt: *Cordis eius particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omnes generis damoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere, ita vt vltrà non accedat ad eos. Et fel valet ad vnguendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* Et veroſimile eſt, quod aliàs Angelus ei non reſpõdiſſet aut certè eum corripuiſſet, vt Saluator noſter Petrum. Is enim poſtquam intellexiſſet, qua morte Deum eſſet clarificaturus, ex amore quo Ioannem proſequebatur, à Chriſto quærit, quem exitum vita Ioannis habitura eſſet: *Domine*, inquit, *hic autem quid?* ſed reſponſum accepit: *Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te? tu me ſequere.* Volo eum ſuperſtitem eſſe, donec veniam punire Iudæos per Romanos, qualiſcumque exitus eius futurus ſit. Hæc quæ tibi dixi de clauſula vitæ tuæ, fient, nec mutabuntur. Tu ergo ſequere me, & quæ tua ſunt, conſidera & quæ iniunxi, aduerte: exitus enim illius ad te nõ pertinet. Appoſitè Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 66. *Quoniam*, inquit, *curioſa magis quàm vtilis rerum alienarum inquiſitio eſt, reſpondet quidem, ſed ita vt rogantis animum abducat ad alia, nec mortis expertem futurum Ioannem ait: ſed ſic eum volo manere donec venio, quid ad te? id eſt, audiſti Petre quæ ad te pertinent, cur alia quæris? cur diuinæ iuſtitiæ ſecreta rimaris?*

Tobiam exhortatio volens ſeruare harum partium virtutem, non ex curioſitate.

Ioan. 13.

Rurſum Actor. 1. cùm diſcipuli putarent Chriſtum quaſi Meſſiam poſt reſurrectionem ſuam reſtituturum regnum Iſraël iam pridem collapſum, ideoque miſſurum Spiritum ſanctum, vt id reſtitueret, eamque eſſe promiſſionem Patris per Prophetas, *In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit*, Amos 9. & aliorum, Oſeæ 14. Ioel. 3. & Abdiæ: interrogarunt eum dicentes: *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael*; retudit eorum curioſitatem, *Non eſt veſtrum*, inquit, *noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem*, &c. quibus verbis non reſpondet Chriſtus directè ad quæſtionem propoſitam, in qua errabant, exiſtimantes regnum Meſſiæ fore temporale, quale fuit Dauidis & Salomonis, non ſpirituale, ſed taxans eorum curioſitatem, qua ſucceſſiones, decreta, & euenta temporum ſcrutabantur, indirectè & tacitè quæſtionem ſoluit, nimirum venturum ſpiritum ſanctum, vt intrepidè Chriſti regnum ſpirituale per fidem, in Iudæa & Samaria, totoque orbe propagent. Spiritualis enim Iſrael eſt populus fidelis & Chriſtianus, ad quem carnalis Iſrael aggregabitur in fine mundi, quando regnum hoc euadet glorioſum, omneſque Sanctos in anima & corpore beabit in æternum.

Chriſtus taxat curioſitatem diſcipulorum.

Rectè ergo Siracides: *In ſuperuacuis rebus noli perſcrutari multipliciter.* Et rurſum: *Non eſt tibi neceſſarium ea quæ abſcõdita ſunt videre oculis tuis.* Argumentario hæc ſimilis eſt illi, quam habuit Ægyptius quidam apud Plutarchum lib. de curioſ. is enim interroganti cuidam quid ferret obuelatum: ideò, inquit, obuelatum eſt, tu verò cur curioſè inueſtigas quod occultatum eſt: Ventorum enim, vt Ariſtonus aiebat, ille moleſtiſſimus eſt, qui reuellit pallium: ſic curioſorum, qui abſcondita rimatur. & ſicut indecens eſſet perfringere alienas fores, & pedes in aliorum inferre domos, ſic ſcire velle quæ alij occulta eſſe volunt: nihil enim referre ait Xenocrates ex Laërtio lib. 4. cap. 2. Vtrum pedes an oculos inferas in ædes alienas. Ad rem noſtram Lactantius lib. 2. de orig. cap. 9. *Ne perſpicerent*, inquit, *homo opera Dei, noluit eum inducere in hunc mundum, niſi perfectis omnibus, &c. adeò nefas putandum eſt ea ſcrutari, quæ Deus voluit eſſe celata.* Egregiè Plutarchus: *Quemadmodum gallina*, inquit, *in ædibus frequenter cum cibus ſit appoſitus, ſubit angulum, ibique ſcalpens terram, ſicubi vt in fumo vel granum apparet vnum, itidem qui curioſitatis vitio laborant, prætermiſſis interim ſermonibus inſtructis; ac narrationibus, aliiſque, quæ nullum vetat percontari, nec quiſque moleſtè fert, oculis tamen, ac ſecreta rimantur.* Hæc ille.

8.

Nobis abſcõdita rimari, turpe eſt.

Apoſtolus Paulus ſedulò hortatur Titum, vt in iis quæ dixit de Dei in nos benignitate, de renouatione, de ſalute, de ſpe vitæ æternæ, rebus certis, & indubitatis, ac vtilibus, non fabuloſis ſeipſum confirmet & alios Chriſtianos, vt in fidelibus præcellant, ijſque palmam non in gloria aut opibus, ſed in ſtudio bonorum operum præripiant: *Hæc*, inquit, *ſunt bona & vtilia hominibus*: ab inutilibus autem dehortatur: *Stultas autem quæſtiones*, inquit, *& genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: ſunt enim inutiles & vanæ.* Intelligit Iudæorum & Iudaizantium, qui à puero ita hiſce ſtudẽt, vt ab exordio Adam, vſque ad Zorobabel omnium generationes ita memoriter, velociterque percurrant genealogias, vt eos ſuum putes nomen referre, inquit Hieronym. Rurſum pugnas legis intelligit futiles quæſtiones

Fugiendæ inutiles quæſtiones.

&

& rixas, quæ circa legem mouentur, vt quoto anno Salomon duxerit vxorem, an anno vndecimo genuerit Roboam, & his similia, inquit Hieronymus. Deus Salomoni rerum singularium, & indiuiduorum scientiam vtilem communicauit; inutilem celauit, quæ videlicet ad illum non pertinebant, aut quæ ad alios homines instruendos non erant necessaria, v.g. quot lapides essent in maris fundo; quot in capite capilli, quot vicibus singulis diebus canerent luciniæ; quot haustibus exsaturetur sitis serui vulnerati, & id genus alia.

9. *Curiositas omnis mali homini origo*

Ab infantilibus igitur, mi Christiane, omninò abstine, omne enim malum homini ex curiositate natum est. Postquam serpens dixisset mulieri: *Eritis sicut dij scientes bonum & malum*, curiositate scientiæ agitati indignationem Dei libenter incurrerunt, suo & posterorum inexplicabili malo. Ea igitur dumtaxat interroga, & perscrutare quæ vel ad tuã, vel proximi vtilitatem spectant. Christus Dominus Orbis magister sedit in medio Doctorum audiens & interrogans illos Luc. 2. *Partes discipuli agit*, inquit Toletus, *ætatis suæ rationem habens, qui reuera erat magister, & doctor de cælo veniens, vt omnibus præbeat exemplum humilitatis, ne sibi ipsi plus, quàm par est, arrogent: interrogat autem illos, non vt discat, sed vt erudiat, nam interrogatio etsi dicentis esse videatur, aliquando docentis est; & sapienter interrogare, est instruere; imò sapiens interrogatio aliquando est fortissimum veritatis argumentum.* Olim erant domus doctrinæ in quibus Prophetas audiebant, & interrogabant discipuli. Paulus sedit ad pedes Gamalielis. Actor. 22. vt legem Dei disceret. Academiæ, seminaria, & collegia pluribus in locis erecta sunt, vt bonæ spei iuuenes illic magnos præceptores audiant, & interrogent quę ad bonum Reipublicæ in quauis disciplina maximæ sunt vtilia. Illos interrogare pium & studiosum, non curiosum. Differt autem curiosus à studioso, vt ait Augustinus lib. de vtil. credendi, quod quamuis vterque agatur magnâ cupiditate noscendi; curiosus tamen cupidè ea requirat, quæ nihil ad se attinent? studiosus autem contra quę ad se attinent. Eadem Hugo & Anselmus lib. de similit. quare Ecclesiasticus ait, *In pluribus*: nam quæ nobis necessaria sunt debemus inuestigare, immò non curiosos in alienis nos esse, vt cogitemus, quæ nobis cogitanda sunt. Dominus Deus iam ab initio mundi, cui omnia sunt notissima, & exploratissima alios interrogauit, tum ne homines interrogare erubescant, quæ ignorant, tũ vt ex interrogatione sua aliquod documentum relinqueret ad bonum commune Adamum interrogauit, vbi esset, vt peccatum agnosceret: *Vbi es*, inquit, Genes. 39. Quasi dicat: In alio loco te, ô Adam, reliqui, in alio te inuenio: gloriâ te vestiueram, glorioſè coram me incedebas, nunc nudum te video, & latebras quærentem; vnde hoc tibi accidit? quis in tantam te induxit vicissitudinem? quis fur vel latro te omnibus tuis dotibus spolians, in tantam inopiam te redegit? vbi nuditatis sensus, vbi confusio hæc tibi contigit? cur fugis? cur erubescis? cur latres? cur paues? num adest qui te accuset! nũ premunt testes? vnde tanta formido te inuasit? vbi iam sunt illa tam magnifica serpentis promissa? vbi est prima illa tua mentis tranquillitas? vbi securitas animi? vbi pax & fiducia conscientiæ? vbi omnes illa tantorum bonorum possessio, malorumque omnium vacuitas? Ita S. Ambros. lib. de parad. cap. 14. *Vbi est*, inquit, *tua benè sibi conscia confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra prænaricationem. Vbi es ergo? non in quo loco quæro, sed in quo statu: quo te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuũ, quem antè quærebas?* Pariter interrogauit Cain post occisum fratrem Abelem, Gen. 4. Abrahamum alia de causa rogauit, vbi esset Sara ipsius vxor, vt videre est, Genes. 18. Moysem quid teneret in manu, non quasi ignorans, sed vt det illi occasionem respondendi id quod volebat ab eo audire, cùm decreuerat illidare miraculosa commissionis signa, Exod. 4. Heliam quid ageret 3. Reg. 19. cùm illum tristem consolari vellet: Hieremiam quid videret vt timidum ad munus Propheticum animaret. Omnia in publicum bonum.

Sibi aut proximo vtilia solùm scrutanda.

In quo differat curiosus à studioso.

Deus interrogatione aliquando vsus ad publicum bonum.

SECTIO VIII.

Quid significet dæmonium? quæue genera dæmoniorum? & quâ ratione per fumum extricari queant.

VOCABVLVM *dæmon*, idem est quod sciens, ait Plato in Cratylo. Et inde Gentiles dæmones appellabant, *Deos minores*: hinc etiam Stoici & Epicurei Paulum disserentem de resurrectione, seminiuerbium dicebant; alij verò dicebant, *nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Iesum & resurrectionem annuntiabat eis.* Gentiles enim cùm lumine naturæ resurrectionem non caperent, eò quod ipsa sit supra naturam & miraculum ac proinde per Dei omnipotentiam, non per vim naturæ futura dicebant Paulum eam prædicantem, serere verba, id est, prædicare nugas, fabulas, res impossibiles, adeòque Deos alienos, nouamque doctrinam in medium adducere. Verùm etsi sint dæmones boni & mali iuxta illam nomenclaturam; tamen in Scriptura dæmonium non nisi in malam par-

1. *Dæmon idem quod sciens.*

Dæmon in Scriptura semper accipi in malam partem.

tem accipitur, teſte Auguſtino lib. 8. de Ciuit. Dei, Cap. 19. *Nos*, ait, *ſicut ſcriptura loquitur, ſecundum quam Chriſtiani ſumus, angelos quidem partim bonos, partim malos, numquam verò bonos dæmones legimus. Sed vbicumque illarum litterarum hic nomen poſitum reperitur, ſiue dæmones, ſiue dæmonia dicantur non niſi maligni ſignificantur ſpiritus. Et hanc loquendi conſuetudinem in tantum populi vſquequaque ſecuti ſunt, vt eorum etiam qui pagani dicuntur, & deos multos ac dæmones colendos eſſe contendunt, nullus ferè ſit tam literatus & doctus, qui audeat in laude, vel ſeruo ſuo dicere, Dæmonem habes: ſed cuilibet hoc dicere voluerit, non ſe aliter accipi, quàm maledicere voluiſſe, dubitare non poſſit.*

1. Diuerſum eſſe genus dæmoniorũ, & quale.

Illud autem dæmonium diuerſi generis eſt, prout hic inſinuat Angelus, cùm dicit, *omne genus dæmoniorum*. Quale autem illud diuerſum ſit genus, non aperuit: poſſet dici, quod vnum ſit alio potentius, alio inferius, nam inter dæmones ordinem aliquem ſeruari, patet Luc. 11. Cùm enim Chriſtus Dominus eieciſſet dæmonium ab homine muto, Phariſæi, vt ab eâ credulitate populum admirantem auerterẽt, dixerunt: *In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Videbant opus factum eſſe ſupra vires hominis, & præ odio nolentes diuinæ adſcribere virtuti, in dæmonij ſuperioris poteſtatem retulerunt: peiores multo in hoc Magis Pharaonis, qui videntes ſigna, quæ Deus faciebat per Moyſem, dixerunt: Digitus Dei eſt hic, qui ſcilicet Moyſi aſſiſtit, eumque iuuat vt poſſit ciniphes producere; nos verò inuadit & compeſcit, vt non valeamus etiam ad ſpeciem externam ſimiles producere, & ſic cogit Moyſi cedere. Ad rem noſtram patet, Dæmonia ſuperiora eſſe & inferiora, nec omnia æqualem habere virtutem. Beelzebub autem nomen erat Idoli Accaron ciuitatis Paleſtinæ, vt conſtat 4. Reg. 1. ad quod mittebat Ochozias nuntios, vt reſciret exitum infirmitatis, quâ laborabat. Portò Iudæi exiſtimabant dæmonia Paleſtinæ fortiora ijs quæ erant in Iudæa.

Verùm alio modo diſtingui poſſe, magis congruè ad hũc locum videtur, nempe quòd quædã ſint quę corpora hominum obſident, & ſic varijs modis homines affligunt, qui ſic afflicti verè dicuntur dæmoniaci: alia abſque obſeſſione, plurimis malis afficiunt, vt dæmõ ille, qui corpus Iob quibuſuis morbis diuexauit, ille qui Apoſtolum Paulum colaphizauit, 2. Cor. 12. & ille de quo dicitur Ioan. 13. *Cùm iam miſiſſet diabolus in cor Iudæ, vt traderet eũ.* Prius genus dæmoniorum exiſtere indicat Dominus Matth. 17. vbi quidam infeſtatus à dæmone, qui eum obſidebat, & certo lunæ tempore affligebat, vt ſæpè caderet in ignẽ, & crebrò in aquam: oblatus à patre cernuo & ſupplicabundo, curatus eſt: quod diſcipuli facere non potuerant, cuius rationem à Domino quærentes, inter alia id reſponſi habuerunt: *Hoc autem genus* (dæmoniorum) *non ejicitur niſi per orationem & ieiunium.* Poſterius exiſtere indicat & hoc loco Tobiæ Angelus; loquitur enim non de dæmonibus, qui corpus inhabitant, ſed de ijs, qui in aliqua domo morantur, vt alios infeſtent, vel occidant: qualis fuit Aſmodæus, qui in domo Raguelis oberrans ſeptem viros Saræ interfecit: atque adeò loquitur de ijs, qui extrinſecus malum alijs inferunt ſtrangulando, aut ſuffocando. Et hoc exprimunt verba, *extricat omne genus dæmoniorum tam à viro quàm à femina.* Et illud cap. 12. *Vxorem ipſe* (Angelus) *me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit.*

3. Diſtinguitur etiam genus dæmoniorũ ab affectibus quas circa hominem exercent.

Aliter poteſt diſtingui genus dæmoniorum, quod vnum multa mala operetur in intellectu. Vt conſtat in Saule 1. Reg. 16. de quo ibidem dicitur: *Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam.* Vnde Theodoretus quæſt. 58. inquit: *Cùm diuinum receſſiſſet ſpiritus, locum eſt ſortitus maligni ſpiritus: ſic cum apoſtolica gratia Iudam reliquiſſet, in eum ingreſſus eſt diabolus.* Dum enim à bono ſpiritu vacuum inueniſſet animum Spiritus nequam, illum quaſi caducam poſſeſſionem occupauit, quem exagitabat fœdè, & durè, neque animo conſiſtere, aut corpore pariebatur, ſed huc atque illuc verſabat lymphatico more, ſui omninò atque rationis impotem. Quo nihil in eo, qui in excelſo loco, aut cum poteſtate eſt, poteſt eſſe miſerius. *Vnde dicebant ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te.* Item exemplo dæmoniaci, de quo Lucas cap. 8. Cùm de naui *egreſſus eſſet*, IESVS, *ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.* Et Paulò poſt: *Multis temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deſerta.* Exemplo quoque dæmoniacorum, quos refert Marcus cap. 5. & Matth. cap. 17. dicitur namque de iſtis, quòd in ſepulchris habitarent, quòd loca deſerta, & ſolitudines peterent, quòd hominum conſortia declinarent, quòd modò in ignem, modò in aquam ſeipſos præcipitarent: quæ omnia ſunt actiones hominis furioſi. Aliud, quod allicit, & inclinat interdum voluntatem ad amores inhoneſtos, vt occaſionaliter Dauidem ad adulterium, quando vidit mulierem ſeſe lauantem deambulans in ſolario poſt meridiem; quod hinc videtur dici potuiſſe dœmonium meridianum: alios per pocula amatoria, quæ à Græcis philtra nuncupantur, cuius exemplum illuſtre reperire eſt in vita Hilarionis apud Hieronymum: quamuis nullâ ratione voluntas à dæmone cogi poſſit, vt dixi Diſc.

Dæmoni aliquid permittitur in animam.

74. in

74. in I. Præcept. numer. 7. Non est autem permissa dæmonibus tanta potestas in animas, quanta in corpora; his enim vim inferre potest, non autem illis, nec abuti valet potentijs animæ rationalibus, sicut abutitur corporum membris, vt liber maneat homo in ijs, quæ ad salutem spiritualem necessaria sunt.

Aliud porrò est, quod hominem inhabitans, eius corpus mirabiliter afficiat exemplo dæmoniaci Marci & Luc. cap. 9. qui stridebat dentibus, voluebatur in terram, & ore spumabat; & Matth. 17. dæmoniaci lunatici, qui modò in ignem, modò in aquam seipsum dejiciebat: vel denique quod in bonis fortunæ multis incommodis hominem afficit, vt ille qui permissus est salua vita grassari in filios & bona Iobi.

4. Eâ distinctione sic positâ, credi debet fumum cordis super carbones positi extricare omne genus dæmoniorum siue à viro, siue à muliere; sed quâ ratione id fieri possit, nõ ita liquet: si foret in bestia, serpente videlicet, vt Genes. 3. aut in dracone, vt Daniel. 14. id fieri posset, illa animalia occidendo, quemadmodum fecit Daniel loc. cit. Cùm enim Babylonij colerent draconem magnum, per quem diabolus loquebatur, & Rex illum sustineret esse Deum viuentem, Daniel petitâ facultate illum interficiendi absque gladio & fuste, eandem à Rege obtinuit: *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitq; massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis,* id est, Composuit Daniel ex pice, ac seuo, pilisque admixtis in igne feruentibus, atque permixtis, aliquot offas, quas in os draconis securus iniecit, quibus id effecit, vt obstrictis faucibus, & spiritu intus intercluso disrumperetur draco, quem cum extinctum Babylonijs ostenderet; cùm sanna dixit, atque amaro risu: En Deus vester, cui tanquam viuenti diuinum impendebatis cultum. Factum est autem illud, non quod pix aut pili venenati sint, vimque naturalem dirumpendi habeant; sed quod boli ex ea massa dati hæserint firmiter angustissimæ gutturis & ventris viæ, eaque penitus obturatâ, nullo que exitu dato, neque deuoratis, neque flatui, diruptus sit draco. Pix enim & adeps cùm sint glutinosa, & emplastrica obturant viam cibi, implicata verò pilis multò tenaciùs hærent: sic ergo impedito anhelitu & respiratione, cibo hoc oppletus draco, crepuit. Ita Valesius de sacra Philosophia cap. 81. Scribit Solinus cap. 43. veris draconibus ora esse parua, & ad morsus non dehiscentia, sed arctas fistulas per quas trahunt spiritum, & linguam exserunt. Hisce nugis decipiebat diabolus Gentiles, quemadmodum per serpentem primos parentes.

Massâ picis diruptus est draco, vnde.

Verùm hæc in homine obsesso non licent: quomodo ergo fumus extricare potest omne genus dæmoniorum? Aliqui volunt, quod naturaliter, vtpote qui volunt. Angelum docuisse Tobiam naturales carniuori piscis, sed occultas mortalibus, ac permiras virtutes & potestates abigendi dæmonia, & illuminandi cœcitatem, vt insinuat Pererius in cap. 24. Genes. numer. 46. & alij quos citat Serarius quæst. 3. in Tobiam. Item qui astipulantur eorum sententiæ, quæ musicæ asscribunt facultatem Saulem liberandi à dæmone, 1. Reg. 16. sed his obstat commune Theologorum axioma, quòd res corporeæ siue sensiles in incorporeos spiritus nihil agere valeant.

5. *Quomodo fumus extricat omne genus dæmoniorum.*

Sit ergo certa sententia, neque citharam, neque musicam, neque fumum cordis assati è pisce, aliaque sensilia, si intra terminos suæ naturæ fuerint relicta in dæmonem per se nihil posse ad extricandum eum, siue compescendum, ne homini noceat. Ad cuius rei intelligentiam aduerte non fuisse nudam ac solitariam Dauidis pulsationem Cytharæ, qua refocillabatur Saul, & ad tempus recederet ab eo Spiritus malus. Sed sacri hymni à Dauide canebantur ad lyram, vt simul harmonia noxijs & melancholicis humoribus degrauatum releuaret caput, simul etiam sacri hymni in Dei honorem à sanctissimo iuuene decantari soliti, vt dæmonum actionem Deo miserante reprimerent. Factum vtique sapienter, cùm enim non merè naturalis esset ægritudo, sed eâ dæmon Deo permittente abuteretur, nigramque bilem præter naturam agitaret, remedium adhibitum est ex vtroque compositum. Harmoniæ enim delectabiles tristitiam & timorem, quæ vt medicis placet, in istiusmodi morbis dominantur, dissipant ac dissoluunt. *Pythagoras*, inquit Seneca lib. 3. de ira cap. 9. *perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat lituos & tubas concitamenta esse, sicut quosdã cantus blandimenta, quibus mens resoluatur. Confusis oculis prosunt virentia, & quibusdam coloribus infirma acies acquiescit, quorundam splendore præstringitur; sic mentes ægras studia lata permulcent.* Ita Seneca. Tetro itaque hoc humore, qui cordi, cerebroque affunditur, nonnihil musica hilaritate, purgato ac discusso, quies corpori, animoque conciliatur; dæmon autem qui melancholicâ dispositione gaudet, eâ sublatâ indirectè, & ex accidente vel abigitur, vel impeditur. Altera huius remedij pars ex psalte ipso, qui multum valebat apud Deum gratiâ, proficiscebatur: *Diuini spiritus gratiam*, ait Theodoretus qu. 39. *acceperat Dauid; eo ergo operante per Dauidem quiescebat malignus spiritus.*

6. *Res corporeæ in spiritus agunt non naturaliter.*

Saul à dæmone obsessus partim naturaliter, partim supernaturaliter à Dauide psallente curabatur.

Harmonia vim contra atrã bilem.

Vtrumque etiam Lyranus agnoscit in cap. 16. ait enim per melodiam, aliamue rem sensilem

Qui valeat contra dæmones melodia.

silem posse causati dispositionem in humano corpore, per quam minus subijciatur actioni dæmonum. Et ruesum cum melodia attentionem animi alliciat ad se, & ab alia tristi cogitatione auocet, ægritudinem à dæmone illatam mitigare potest, dæmonem autem expellere non potest, sed id diuinâ, vel Angelica virtute contingebat, ex merito Dauidis qui laudes diuinas in cithara canebat pro salute Saulis, sicut & per orationes Sanctorum, frequenter dæmones ex corporibus obsessorum leguntur expulsi. Huic quoque rei melodia aliquo modo seruiebat non agendo in dæmonem, sed Dauidis deuotionem excitando. Sic Elisæus iussit psaltem ad se adduci, vt illo canente mens Prophetæ eleuaretur in Deum. Dauid quoque suo ipsius citharæ pulsu, cantuque mens vehementius efferebatur in Deum; sicque diuinæ eius laudes ad expulsionem dæmonis plus efficacitatis habebant. Hæc ferè Lyranus.

7. *Res sensiles non nisi à Deo eleuatæ agunt in incorpora.*

Repeto igitur neque cytharam, neque Musicam, neque fumum iecoris, neque alia sensilia, si vis à natura ijsdem insita tantùm aspiciatur, in res spirituales quidquam agere posse; sed cùm fuerint eleuata, vel constitutione diuinâ, vel consecratione, & benedictione, Ecclesiæ tunc supernaturaliter valere contra dæmones. Res euidens est in Saule, qui videtur alios adhibuisse priùs excantatores gratis; nam vt ait Iosephus 6. antiqu. c. 9. *Cùm aliam opem non inuenirent medici, quàm si quis peritus excantator adhiberetur, monuerunt vbique inquirendum, qui quoties rex à dæmone agitaretur, stans ad caput eius, voce ac fidibus sacros hymnos caneret.* Opinio etiam à multis sæculis viguerat, carminibus, & incantationibus Dæmonum violentiam reprimi, maleficium cohiberi, & animi corporisque sanitatem posse recuperari, vt colligi potest Sapient. 17. vers. 7. & 8. vbi sic ait sacer textus: *Magica artis, appositi erant derisus, & sapientiæ gloria correptio cum contumelia. Illi enim qui promittebant timores, & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.* Cùm ergo excantatrices & excantatores adhibiti essent gratis, & Medicorum elusa esset industria, videntur serui Saulis de sacro excantatore cogitasse, & hanc ad Saulem habuisse orationem: *Spiritus Domini malus exagitat te. Iubeat Dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, vt quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuiùs feras.* Et cùm Saul dixisset: *Prouidete ergo mihi aliquem benè psallentem, & adducite eum ad me. Respondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus est cum eo.* Et tunc vocatus est Dauid; quo manu percutiente citharam, Saul non solùm melius habebat, sed etiam recedebat ab eo Spiritus malus. Credibile enim est, & multum credibile Dauidem cum vnctione regiâ plurima accepisse dona, & rara, idque notissimum fuisse; ita vt passim omnes crederent illum Deum sibi habere propitium, & fauentem. Neque enim vulgaris erat aut numerus, aut spiritus, qui cernebatur in psalmis, quos pangebat; neque humana censebatur vocis suauitas, aut modulatus sonus, aut organorum peritia, quæ in modulandis canticis ostentabat. Accedebat quod illud eximium, quod attonita tuba admirabatur in Dauide, non erat antiquum, sed inopinatum, & nouum, ita vt non opus existimares artis, aut naturæ; sed inspiratum cælitus à Deo. Cùm autem occultum non posset esse diu, leones & vrsos tam facili negotio, audacique conatu ab inermi fuisse suffocatos, quod perquàm mirum est, & ante illud tempus vni fortasse Samsoni concessum (mitto enim quod de suo Hercule fabulantur Gentiles) non mirum, si in illo supra humanum aliquid suspicerent homines, & Deum esse cum illo sibi persuaderent.

Incantationum olim putata vis.

Multa cum vnctione Dauidi à Deo concessa dona.

Sic etiam fumus particulæ cordis immanis piscis per se nullam vim habuit extricandi dæmonium, sed eleuatus à Deo illam habuit efficaciam. Cùm enim Tobias partem iecoris posuisset super carbones viuos, tunc vt legitur cap. 8. Tobiæ, Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit in deserto superioris Ægypti.

Fumus particulæ piscis à Deo habuit efficaciam in dæmonem.

Et ne mirum illud videatur, quod fumus ad hoc diuina constitutione eleuatus valeat compescere dæmonem, vmbra Petri id potuit, Act. 5. Cùm enim ob hæresim Saducæorum negantem esse Angelos & spiritus Deus permisisset dæmoni corpora humana possidere, in eisque se & vim suam ostendere, & Petro mirabilia exercente, ac vno verbo è viis tollente Ananiam & Sapphiram, magis augeretur, *credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas ejcerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabbatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Et subdit Scriptura: *Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem afferentes agros & vexatos à spiritibus immundis* (puta Energumenos à dæmonibus vel obsessos vel possessos, & diuexatos) *qui curabãtur omnes.* Actorũ quoque c. 19. *virtutes nõ modicas quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Eousque enim eleuauerat Deus sudaria hæc & semicinctia, vt vim haberent non solùm ad sanandos morbos, sed etiam

8. *Probatur per vmbrã Petri quæ dæmoniacos liberauit.*

ad

ad pellendos dæmones, licet à corpore Pauli longè essent separata. Vide dicta Discursu 51. in 1 Præcept. n. 11.

9. 2. *Per ignem infernalem qui spiritus malos cruciat.*

Denique assertio manifestè comprobatur exemplo ignis infernalis, qui licet ex vetusta sententia tenuis sit & corporeus, torquet tamen Angelos malos, & item animas apud inferos constitutas, vt constat ex cap. 16. Lucæ: *Crucior*, ait anima diuitis epulonis, *in hac flamma*, vbi tartarea illa loca penit, & ex cap. vltimo Isaiæ: *Ignis eorum non extinguitur, & vermis eorum non morietur*, loquitur autem Propheta de pœnis damnatorum; & Apocal. 19. *Missi sunt in stagnum ignis & sulphuris, vbi bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.*

Vis pellendi dæmones in ijs remedijs ex sporris assistentes non inhæsiuè.

Itaque vis inest eiusmodi remedijs illa ratione, qua vis agendi admittitur inesse instrumentis merè separatis: quemadmodum ergo de instrumentis illis dicitur, quòd eatenus agant, quatenus à principali agente mouentur; ita etiam & hæc remedia eatenus agunt, quatenus à principali agente, nempe Deo mouentur, & consequenter vis agendi inest illis tantùm assistenter; de qua re nulla potest esse dubitatio. Primùm, quia Deus censetur esse causa principalis expulsionis dæmonis, cætera verò omnia à Deo sunt tantum causæ instrumentales respectu eiusdem effectus. Deinde, vis illa expellendi dæmones eadem ratione inest remedijs illis, quâ vis iustificandi inest Sacramentis; hæc autem censentur habere vim iustificandi tantùm assistenter, non autem inhæsiuè. Tertiò, ignis inferni torquet animas illic constitutas, non quidem hoc sensu quasi impressum habeat quamdam qualitatem, media qua torqueat animas, sed media qua habeat concursum diuinum sibi annexum, siue diuinam motionem. Vnde euidenter certum est super naturaliter dæmonum tantum potuisse pelli à viro aut muliere per eleuationem diuinam iam dictam; eò magis quòd dæmonia eijcere sit signum miraculosum veræ fidei, Marc. 16. neque vllus fumus, aut cithara, aut res alia corporea possit hoc efficere, vt dæmon expulsus ab eo, quem obsederat, reuerti non queat, quemadmodum hîc asserit Angelus in verbis: *Ita vt vitra non accedat ad eos.*

Dæmonia eijcere est signum miraculosum veræ fidei.

10. *Nomen Iesu expellit dæmones.*

Posterius verò constat, scilicet res corporeas & sensiles, quæ consecratione & Ecclesiæ benedictione a Deo eleuantur, valere in dæmones. Vnde per inuocationem nominis IESV, in lege gratiæ dæmones pelli Sacra pagina diuersis locis testatur, vt Luc. 10. vbi Apostoli dicunt: *Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Et Marci 9. *Vidimus quemdam in nomine tuo dæmonia ejicientem.* Marc. 16. Christus id prædixerat, *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, In nomine meo ejicient dæmonia, linguis loquentur nouis*, &c. Imò hoc vnico argumento sancti Patres antiquitùs contra Ethnicos docuerunt Christum esse verum Deum, quòd audito nomine Christi, statim dæmones ab homine recederent, vt constat ex Iustino Martyre, in dialogo cum Tryphone. Vbi sic loquitur prope medium: *Cuius etiam nominis potentiam dæmones tremunt, & reformidant; & hodie quoque illi per nomen* IESV *Christi crucifixi sub Pontio Pilato, qui Iudæa procuratorem egit admirati, nobis parent: vt inde etiam omnibus pateat, Patrem ei tantam dedisse potestatem & virtutem, vt & dæmonia nomini ipsius, & passioni eius obitæ functioni subiecta sint.* & Apologiâ primâ pro Christianis, ex Origene lib. 2. contra Celsum. Tertullianus non vno loco huius electionis meminit. Apologetici capit. 37. defendens apud Antistites Romanos, Christianos, qui de solo nomine diuersis suppliciorum generibus necabantur, asserit plurimum gentibus boni à Christianis accedere, & inter cætera, inquit: *Quis autem vos ab illis occultis, & vsquequaq; vastantibus mentes & valetudines vestras hostibus raperet? à dæmoniorum incursibus dico, qua de vobis sine præmio, sine mercede depellimus. Sufficeret hoc solum nostræ vltioni, quòd vacua exinde possessio immundis spiritibus pateret. Porrò nec tanti præsidij compensationem cogitantes, non modò non molestum vobis genus, verum etiam necessarium, hostes iudicare maluistis; qui sumus planè non generis humani tamen sed potius erroris.* Quòd idem est ac si dicat; Cùm Christiani diligant omnes, in quibus plures sunt locis, pauciores hostes contemnantur, non sine maxima vtilitate, cùm in multis rebus, tum in expellendis dæmonibus, qui mentes corporaque occultò meatu occupantes, domos sæpe conturbant. Vnde ciuitatibus Christiana natio non grauis aut molesta videri debet, sed necessaria potius & gratiosa, neque appellari hostis humani generis, sed erroris humani.

Probatur idem ex Tertulliano.

Cùm verò suo Apologetico Romam misso vsque adeò se nihil profeciisse videret Tertullianus, vt Scapula Prouinciæ Africæ Præses, Carthagini cæteris crudeliùs in Christianos grassaretur, scribit, & paucis inculcat Christianorum innocentiam, quippe cùm nullius hostes sint, nedum Imperatoris, quem scientes à Deo constitui, salutem velint cum toto Romano imperio, sacrificantes Deo pro ipsius salute, non dæmonibus, de quibus addit Christianorum morem: *Dæmones autem*, inquit, *non tantùm respuimus, verùm & reuincimus, & cottidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut pluribus notum est.* cap. 2. ad Scapulam. Id autem fiebat in nomine IESV. Docens porrò lib. de corona militis non conuenire Christianis militiam in castris æmulis Christi, addit pro ratione: *Et excubabit pro templis* (Idolorum) *quibus renuntiauit*, in baptismo, vide-

videlicet; *& cenabit illic, vbi Apostolo non placet*, scilicet in Idolo. *Et quos interdiu exercismus fugauit* dæmones, *noctibus defensabit*, quasi dicat, manifestum est id non conuenire. Cæterùm id quod agimus constat ex eodem Authore lib. de Spectac. cap. 12. de Munere, & lib. de idololatria: Cypriano Epist. ad Demetrianum, & in lib. de idolorum vanitate. Nullum verò nomen Gentilium Deorum poterat timorem incutere dæmonibus: Nomen verò Christi quemlibet dæmoniacum perfectissimè sanabat. Epiphanius hæresi 30. narrat Iosephum quemdam in nomine IESV quosdam curasse dæmoniacos.

10. *Reliquiæ Sanctorum dæmones expellunt.*

Sic reliquiæ Sanctorum ad eam expulsionem sunt efficaces. Chrysostomus planissimè testatur eam esse Sanctorum potestatem: vt ne vmbras quidem aut vestes ferre possint dæmones: Sic enim ait homil. de Natali Machabæorum: *Vt audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effossores, si fortè dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum; tamen ita agnitis Regis insignibus deterrentur, vt fugiant neque cominus accedere, vel attingere audeant. Vnde sibi non compendium precedere, sed periculum prouidentes imminere, si quid inde audeant vsurpare. Ita profectò & dæmones, qui verè latronum & principes & magistri sunt, vbi coronatorum Martyrum viderint corpora posita, longè illicò à conspectu eorum pauidi fugiunt, & absistunt. Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem, & gloriam Christi, qui in agone certantium induta corpora Martyrum suorum, sicut arma portauit.* Et paulò antè huius rei præcisius rationem reddens, vult hominem, vt eam efficaciam dignoscat, oculos fidei aperire: *Non attendas*, inquit, *cinerem Sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, omniaq; ossa consumpta temporibus; sed aperi oculos fidei, & vide eos diuina virtute, & gratia Spiritus Sancti amictos, & diuini luminis claritate radiantes. Hi ergo ipsi de superno solis circulo in terram radij Christo emittente iaciuntur, & à corporibus eorum prosilientes coruscá luce fulgoris, sicut speciem Ecclesiæ gaudentis illustrant, ita facem diaboli inuidentis obtecant.* Vide eundem homil. de virtutibus & vitijs. Gregorius Nazianzenus orat. 18. ait ad sepulchrum martyris Cypriani dæmones fuisse pulsos. Cyprianus lib. contra gentes, alijque auctores asserunt oraculum Apollinis nulla potuisse dare responsa sepulto iuxta eius fanum sancto martyre Babyla: ex Ambrosio serm. 5. de sanctis, vbi ait ad sepulchra martyrum Gerualî & Protasij rugire dæmones, ex Hieron. Epist. 27. ad Eustochium: *Ibi*, inquit, *siti sunt Elisæus & Abdias Prophetæ, & quo maior inter natos mulierum non fuit Ioannes Baptista, vbi multis intremuit consternata* (Paula) *mirabilibus* (loquitur de Paula) *namq; cernebat vbique rugire dæmones cruciatibus: & ante sepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum, alios rotare caput, & post tergum terram vertere.* Et Sozomenus lib. 7. ca. 26. ait Epiphanium mortuum fecisse, quod viuus non poterat, ad eius quippe sepulchrum expulsi fuerunt dæmones.

Eam efficaciam reliquiarum prodire à Deo.

Dæmones circa sepulchra sanctorum rugiũt.

Signum crucis fugare dæmones à quocumque fuerit expressum constat ex Lactantio diuinar. Institut. lib. 4. cap. 17. ex Augustino serm. 137. de tempore, & ex Theodoreto lib. 3. histor. Eccles. cap. 16. Nazianzeno orat. 3. contra Iulianum Apostatam; referunt enim Iulianum territum aspectu dæmonum effinxisse signum Crucis Christi, statimque dæmones disparuisse: *Vt egregium*, inquit, *virum progredientem adoriri terrores cœperunt, ac subinde plures ac formidabiliores (fœnes quosdam insuetes, aiunt, tetrosq; odores, atque igneas spectra, & nescio quas nugas & deliramenta) rei nouitate perculsus (harum enim rerum studium ferò amplexus fuerat) ad crucis vetusq; remedium confugit, hocq; aduersus terrores consignat, eumq; quem persequebatur, epistolatorem adsciscit. Vsus signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? Respirat malum; rursus audaciam concipit, rursus aggreditur, rursus idem terrores vrgent, rursus signum adhibetur, ac dæmones conquiescunt.* Epiphanio in panario, siue de hæresibus tomo 2. hær. 30. Cypriano serm. de Passione Domini paulò ante finem. *Iam* (inquit) *videt Hebræus*, &c. & paucis interiectis: *cuius*, scilicet crucis, *tanta ist hodie authoritas & potestas, vt nõ solum Israëlitica limina muniat, sed ab ijs etiam qui Israëlitícè non viuunt, solum sacramenti signum repellat dæmonia, & vbicunq; conspecta fuerit, terribilis sit eis sacri nominis virtus, & sanguinis nota.*

12. *Signum crucis abigit dæmonum etiam cum ab impijs exprimitur.*

Dæmones quoque per Exorcismos Ecclesiæ pelli constat ex Iosepho lib. 8. antiquit. cap. 2. ex Actis Apostolorum, cap. 19. Tertull. lib. de Idololatria, cap. 11. & de corona militis cap. 11. Cypriano Epist. 2. ad Donatum, & de idolorum vanitate: *Hi adurati*, inquit, *per Deum verum à nobis, statim cadunt, & fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostrá voce & operatione maiestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari, vnde veniant, & quando discedant, ipsis etiã qui se colant, confiteri.* Et ex Prudentio de diuinitate Christi contra Iudæos, & denique ex Concilio Carthaginensi. Similiter iudica de aqua lustrali, vestibus sacris, ac alijs Ecclesiæ benedictione ad horum expulsionem eleuatis: nam illa vis non inest hisce remedijs ea ratione, qua albedo inest parieti, aut candor niui, id est, non inhæsiuè, sed tantùm assistenter, vt superiùs latiùs deduxi.

15. *Dæmones compescuit exorcismi.*

Aliqui dubitant an prædicta remedia 14.

suos

Ex opere operato pelluntur dæmones applicationes remediorum.

ſuos conſequantur effectus ex opere operato, an verò ex opere operantis, certior videtur eorum opinio, qui putant ex opere operato pelli dæmones adhibitis iſtis remedijs. Nomen enim IESV à quocumque prolatum, iremque ſignum crucis Chriſti à quocumque effictum, & in quauis materia dæmoni repræſentatum, eundem pellit. Vide dicta Diſcur. 76. in I. Præcep. numer. 8. Adhæc notandum eſt, licet hæc remedia dæmonibus applicata ſubinde non ſtatim totaliter dæmones pellant, tandem tamen expelli virtute remediorum prædictorum. Primùm, quia promiſſiones Chriſti ſunt indubitatæ & certiſſimæ; dicitur autem Marci cap. 16. *In nomine meo dæmonia ejicient.* & Luc. c. 10. *Dedit illis poteſtatẽ ſuper omnem virtutẽ inimici.* Deinde nullus hactenus extitit verus dæmoniacus, qui ſanitati priſtinæ non fuerit reſtitutus applicatione exorciſmorum, vt conſtat ex Gregorio Turonenſi lib. de gloria Martyrum, & de gloria Confeſſorum, Prudentio in Apotheoſi, Cypriano ad Donatum, ad Demetrianum, & alibi ſæpè. Cur autem ea ſubinde non ſtatim ſortiantur effectum, vide latè diductum nu. 10. dict. Diſc. 76.

SECTIO IX.

Quid doceat nos Tobias, credulus verbis Angeli, abſque vlteriore inquiſitione?

1. SIRACIDES Eccleſ. 3. inquit: *In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curioſus.* Rerum inutilium prohibet ſcrutationem. Quænam illæ ſint non omnium vna eſt ſententia. Rabbanus exiſtimat ea intelligi, quæ ratio docet inueſtigari non debere, & affert exemplum eorum, qui ex ſiderum aſpectu volunt indagare futura contingentia; quod liquet planè ſtolidum eſſe, quia ſcientiam ſoli Deo propriam aſtris inanimatis tribuunt. Adhæc Deus prohibuit Deuteron. 18. & Iſaiæ 44. ob varias cauſas futura contingentia ex aſtris prædicere (quæ in illum finem à Deo non ſunt ordinata) quas reperies Diſcur. 67. in I. Præcep. n. 6. Sed audi inſuper Eccl. cap. 7. 1. *Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut vmbra præterit? aut quis ei poterit indicare quid poſt eum futurum ſub ſole ſit?*

Studium & ſcientia ſuperuacanea non inquirenda; & quænã ſunt.

Aſtrologia iudiciaria inutilis.

2. Hugo Cardinalis ſuperuacua dicit eſſe ea, quorum ſcientia non eſt vtilis. Huc ſpectat quod D. Paulus ait ad Titum cap. 3. *Stultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita; ſunt enim inutiles & vanæ.* Monuerat Titum Apoſtolus, vt iuberet Chriſti fidem complexos bonis operibus ſeriò inuigilare, quod hoc non ſolùm bonum ſit hominibus, ſed perquàm vtile. Mox ſtultas quæſtiones, quales Iudæi, Hæretici, & Philoſophi multis vltrò citroque agitare ſolent, prohibet. Genealogias intelligit Iudæorum & Iudaizantium, qui à puero huſce ſtudent, vt ab exordio Adam, vſque ad Zorobabel omnium generationes ita memoriter, velociterque percurrant, *vt eos ſuum nomen putes referre*, inquit Hieronymus, *Hoc nos qui aut alias litteras didicimus; aut certè ſerò credidimus in Chriſtum: aut etiam ſi infantes ſumus Eccleſiæ mancipati, magis ſcripturarum ſenſum quam verba ſectamur: ſi fortè nos nouimus, putant ſe in nominibus referendis, & in ſupputatione annorum, & in neporibus, & abnepotibus, auis, proauis, & atauis doctiores.* Sicille qui paulò poſt ſubdit: *Rectè quoque legales penitus reſpuendæ ſunt, & Iudæorum ſtultitia relinquenda. Sunt enim inutiles & vanæ, quæ tantùm ſpeciem ſcientiæ habent: cæterùm nec discentibus, nec audientibus profunt. Quid enim mihi prodeſt ſcire quot annos vixerit Mathuſalem: quoto ætatis ſuæ anno Salomon ſortitus ſit coniugem: ne ſortitus Roboam vndecimo ætatis illius anno natus eſſe credatur? & multa eſiuſmodi, quæ aut difficile eſt inuenire propter librorum varietatem, & (dum passim de inemendatis inemendata ſcribuntur) errores molitos, aut etiam ſi inuenerimus magno ſtudio & labore, nihil profutura cognouimus.*

De quibus Genealogijs, & pugnis legis intelligendus Paulus.

Ianſenius intelligit ea, quæ ad vitæ inſtitutionem neceſſariam, vel vtilem cognitionem non pertinent. In illis intelligendis, & perſcrutandis noluit Siracides hominem mul ũ laborare. Tobias noſter in hoc expeditus fuit; ſufficiebat ei ex Angelo intelligere efficaciã iecoris, ad fugandum dæmonium, nolens ſcrutari, qua ratione id eſſet poſſibile; quod expertus eſſet aliquid in illo mercenario intercedere diuinum, qui nouerat modum edocere, quo immanem piſcem extrahere poſſet inuenis metu horreſcens.

3. *Tobias à curioſitate alienus.*

Præclarè nos docet ſuo exemplo multò minus in altioribus myſterijs diuinis, quæ Eccleſia nobis credenda propoſuit, curioſum eſſe, puta Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, Reſurrectionis, aliorumque, quæ ſola fide capi queunt, & amplectenda ſunt. Si enim ipſe credidit Angelo dicente iecur piſcis valere ad extricandum omne genus dæmoniorum, licet corporalia in ſpiritualia, vt ſunt dæmonia, nullam per ſe vim habeãt, nonne docuit multò magis non ſcrutanda altiora Dei myſteria, quæ Spiritus Sanctus credenda propoſuit? Quis dubitat? Quod igitur poſtmodum præcepit Siracides, exemplo prius docuit Tobias. Sic porrò ille Eccleſiaſ. 3. *Altiora tenè quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* id eſt,

4. *Documentũ Diuina myſteria ſua fides non eſſe curiosè indaganda.*

In diuinitatis secretis, quæ superant captum tuum, noli multum scrutari. Appositè Basilius q. 235. in reg. breuioribus: *Quæ concernunt*, inquit, *diligenter discat*, homo, *& sapiat, nihil amplius per curiositatem inuestigans*. Subdit Siracides: *Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis*, quæ videlicet Deus secreta, & imperscrutabilia voluit ad meritum fidei.

Mellis vtilitas, & incommoda, vtriusq; comparatio cum scientia vtili.

Mel suaue gustui, vtile etiam corpori; nam vt Plinius lib. 22. cap. 24. *Tubera*, inquit, *discutit, dura concoquit, dolores nervorum mulcet, lenit aq; iam desperantia cicatrice includit, putrescere corpora non sinit, faucibus, tussilli, angina, omnibusq; oris desiderijs vtilissimum*, & multa alia quæ ibi enumerantur. At si nimium ex eo edatur, stomachum, vt idem ibidem, *inflat, bilem auget, fastidium creat*. Sic profectò scientia vtilis, & iucunda non secus, ac mel, sed si nimiùm ex illa sumatur, & morbos ciet vel præsumptionis, vel inscientiæ, & ipsius rei quæ experitur fastidiũ creat. Benè igitur Prouerb. 25. Hebræus Sapiens, *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*.

5. *Curiosus scrutator diuinæ maiestatis quis, & contra.*

Dic, quæso, quis talis censeatur? nam multi res diuinas scrutantur. Non ille qui scrutatur scripturas, debitâ cum humilitate. Neque qui conatur eas intelligere, neque qui Christianæ religionis mysteria studet cognoscere, explicare, & contra calumnias aduersariorum defendere, eorumque rationes dissoluere, quod faciunt semperque fecerunt Ecclesiæ Doctores, quodque proprium est scientiæ Theologicæ, vti docet S. Augustin. sed qui vult intellectu prorsus penetrare, & comprehendere omnia mysteria; velut de Trinitate, de verbi Dei Incarnatione, de Sacramento Eucharistiæ & similia. Nam ita fit, vt tales à gloria, id est, claritate ac fulgore diuinæ maiestatis percussi & oppressi, dum eam intueri & ferre non sustinent, in varios incidant errores, vt Arriani, Sabelliani, Nestoriani, Sacramentarij, & maximè Caluinistæ. Ne simus eiusmodi similes, sed Tobiæ: non clamemus cum Capharnaitis, Ioan. 6. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Non quæramus Nicodemo imperitiores, *Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & renasci?* Ioan. 3. v. 4. *Demus Deum aliquid posse, quod non fateamur inuestigare non posse*, vt ait Augustinus epist. 3. ad Volusianum.

6. *Obtrectio Nouantium ex loco 1. Petri cap. 3.*

Obstrepet fortitan hic Nouantium aliquis, & dicet Petrum voluisse, vt fideles parati essent ad reddendam rationem de ea, quæ in ipsis erat. spe. Citabo tibi, mi Christiane, fideliter verba Apostoli, vt Nouantium pertinaciæ dolum, qui volunt Apostolum rationem mysteriorum fidei à Christianis exegisse, quasi comprehenderent ratione quæ credunt: *Dominum autem Christum*, inquit, *sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*. Quasi dicat: Nolite aduersariorum tetriculamentis moueri, aut eorum minis perturbari; sed potiùs Deum ac Dominum toto pectore religiosè veneramini, vosque aduersus impios ita comparate, vt quoties res postulet, facilè possitis fidei, ac spei vestræ rationem reddere, atque explicare. Ad clariorem intelligentiam aduerte quod illo sæculo Gentiles Christianam fidem, ac religionem miris irridebant modis, tum quòd Christiani hominem cruci affixum, & vitâ functum pro Deo colerent, tũ quòd præsentia bona contemnerent, & quæ sub sensum non cadunt, &, vt ipsi aiebant, quæ sunt penitus ignota, atque incerta sperarent. Contrà hos armat Christianos Petrus, & iubet, vt in promptu habeant id quod eis respondeant, nimirum se credere in Christum crucifixum, non ob sua, sed nostra scelera, vt ea expiaret, ideoque ipsum tertio die à morte ad vitam gloriosam resurrexisse. quare se credere in ipsum vt redemptorem mundi, ac peccati, mortis & inferni debellatorem & triumphatorem. Rursum se cum eo & pro eo tanta pati, quia certa fide & spe credant, & sperent se per eum, & cum eo ituros in cælum, ac in fine mundi vnà cum corpore resurrecturos in vitam beatam & æternam, præ qua omnes huius mundi deliciæ, omnesque minæ, & pœnæ nihil aliud sunt, quàm ludicra puerorum. Non igitur iubet, vt rationem demus, quare diuina mysteria credamus; sed quare tam dira tormenta pro Christo, in quem credebant, paterentur, quam spem haberent; neque illi rationem dare poterant, quomodo Deus & homo in vna hypostasi iuncti essent: quia res fidei nostræ eius naturæ sunt, vt ratione inuestigari nequeant.

Explicatur locus.

7. *In rebus fidei rationis ruderem esse nequit.*

Planissimè Athanasius in tract. de salut. aduers. Christ. *Non enim*, inquit, *fides de re euidenti concepta, fides dici poterit, sed fides est quæ de impossibili possibilitatem, & robur in imbecillitate, & patibile in impatibili, & corruptionem in incorruptibilitate, & mortale in immortalitate, & immensitate magnitudinem credit*. Hæc Athanasius. Audi Apostolum 1. Corinth. 1. *Nonne*, inquit, *stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Stultam fecit*, id est, stultam ostendit: ponitur verbum reale pro mentali vel verbali. Stultam, inquam, in Crucis & Christi ac salutis cognitione; ad hanc enim fide opus est, non acumine. ita Chrysostomus. patet ex seqq. Vide Baruch 3. v. 22. *Sciens sapientiam*, inquit Ambros. *stultam fecit sententiam Philosophorum*, cùm scilicet suos & naturæ terminos

Sapientia huius mundi à Deo stulta in quibus ostendatur.

egressa

egreſſa eſt. Sic enim in creatione ſtultum oſtendit Deus illud axioma Philoſophorum, quo dixerunt: *ex nihilo nihil fit*, ideòque putarunt mundum eſſe increatum & æternum. Sic in Incarnatione ſtultum oſtendit illud eòrum dictum, *Deus corpore, loco, tempore claudi nequit.* In paſſione illud, Deus pati & mori non poteſt. Sic in Euchariſtia, ſtulta oſtendit Deus hæc eorundem, vti & Nouantium noſtrorum principia: *Accidens non poteſt eſſe ſine ſubiecto*; *corpus nequit eſſe in puncto*, *duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco.* Licet enim hæc naturæ, non tamen Deo (qui omnipotens eſt, omnemque naturam tranſcendit) impoſſibilia ſunt.

8. *Error Calvini & aliorum.*

Vides quantum erret Caluinus lib. 1. inſtitut. capit. 17. ſect. 2. & 3. qui in rebus fidei rationis euidentiam eſſe ait, vt etiam idem aſſerens errauit Petrus Abailardus ex D. Bernard. epiſtola 190. Errarunt Manichæi, qui error Auguſtinum maximè allicie-bat, quoniam rationem ſequebatur ducem, nec adhuc quid fides eſſet, intelligebat, & qua ratione myſteria edoceret ſupra hominum captum. Lege ipſum lib. de vtilit. credendi c. 1. Omnis ergo ratio credendi Chriſtianorum, eſt, quod columna & firmamentum veritatis, id eſt, Eccleſia myſteria diuina credenda proponat. D. Auguſt. c. 28. lib. 5. de Trin. non aliam rationem proponit: *Dominus Deus noſter, inquit, credimus in te Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum. Neque enim diceret veritas, Ite baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, niſi trinitas eſſes. Nec baptizari nos iuberes Domine Deus in eius nomine, qui non eſt Dominus Deus. Neque diceretur voce diuina, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt: niſi ita trinitas ita eſſes vt vnus Dominus Deus eſſes. Si ſi tu Deus pater ipſe eſſes, & filius verbum tuum Ieſus Chriſtus ipſe eſſes, & donum veſtrum Spiritus ſanctus, non legeremus in litteris veritatis, Miſit Deus filium ſuum: Nec tu, ô vnigenite, diceres de Spiritu ſancto, Quem mittet Pater in nomine meo, & quem ego mittam vobis à patre.* Quia ergo Scriptura ab Eccleſia nobis tradita ſic aſſerit, ideò credit, non quærens rationem

Solum manſuetum Eccleſia debet eſſe ratio credenda.

Incarnatio Chriſti ratione humanâ capi nequit.

De Incarnatione filij Dei quid dicam? Clamat D. Bernardus ſerm. 2. de annuntiat. Beatæ Mariæ: *Abyſſus planè imperſcrutabilis, Incarnationis dominicæ ſacramentum; abyſſus impenetrabilis, verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quis enim inueſtiget, quis attingat, quis apprehendat? Putens altus eſt, & in quo hauriam non eſt mihi.* Hieremias Vates de hoc prædixit cap. 31. *Vſquequo deliciis diſſoluêris filia vaga? quia creauit Dominus nouum ſuper terram: Fœmina circumdabit virum.* quaſi dicat. Quo vſquè, ô Ephraim, per delicias & impietates vagaris, à Deo tuo fugis, ad Gentium Deos & reges diſcurris? reſpice quod dicam, in quo ſita ſit tua beatitudo, vnde expectanda ſit tuæ miſeriæ ſalus, tuæ captiuitatis, non ſub Salmanaſar, ſed ſub diabolo, liberatio. Audi quod nunquam audiſti, nouam ini viam & vitam: Quia nouum creauit Dominus, id eſt, nouam & inauditam rem faciet, quaſi nouum creationis opus, ſcilicet opus incarnationis & natiuitatis Chriſti, ſine operâ virili. ita Raban atque hoc eſt quod ſequitur: *Fœmina circumdabit virum*; Arabicus vertit *viuificabit.* Quodnam vnquam maius miraculum orbis vidit? Vidit olim tempore Ioſue ſolem ſtantem, tempore verò Ezechiæ retrogredientem: at nunc videt Deum ſeipſum exinanientem. Vidit olim in igne conſeruatam rubi viriditatem: nunc videt in conceptione conſeruatam matris virginitatem. Vidit Araonis virgam ſubitò ſine humana cultura florentem: nunc videt Ieſſe virgam abſque humana opera, optatum mundo fructum parturientem. Vidit virgam Moyſis in ſerpentem commutatam: hîc videt Deum in hominem peccatoribus ſimilem transformari. Vidit mare rubrum aperiri & findi: hîc videt Deum virginis vtero clauſum. Vidit manna è cælo depluens: hîc videt verbum Patris è cælo in gremium Deiparæ deſcendere. Vidit Eliam in cælum aſcendere: hîc videt naturam humanam ad deitatem aſcendere, Verbiſque æterni ſuppoſito copulari. Meritò ergò Deiparæ accinit Eccleſia:

Nouæ & mira facta in incarnatione Chriſti

Tu quæ genuiſti
Natura mirante tuum ſanctum genitorem.

Denique S. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. quærit: *Vtrum poſſit Deus meliora facere ea quæ facit?* ac reſpondet: *Poteſt Deus quauis re à ſe facta meliorem ſimpliciter facere.* Excipit tamen tria in reſp. ad 4. ſcilicet incarnationem Chriſti, maternitatem Deiparæ, & beatitudinem hominis. Non enim poteſt facere Deus meliorem hominem, quàm ſit Deus homo; nec matrem meliorem, quàm ſit mater Dei; nec beatitudinem meliorem, quàm ſit viſio & poſſeſſio Dei. Nã *humanitas Chriſti* inquit, *ex hoc quod eſt vnita Deo; & beatitudo creata ex hoc quod eſt fruitio Dei; & B. Virgo ex hoc quod eſt mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis; ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Ecce hoc eſt nouum & omnibus ſæculis inauditum quod in Deipara creauit Deus. Præclarè D. Auguſtinus epiſt. 3. *Hic ſi ratio quæritur non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare.* Nec minus venuſtè D. Bernard. ſerm. 3 in vigilia Natalis Domini: *Quomodo*, inquit, *crede potuit quod Deus homo eſſet, quod virgo manſerit quæ peperiſſet. Sicut ferrum & teſta iungi non poſſunt, ſic & hæc duo nequeunt commiſceri, ſi non miſceat glutinum Spiritus ſancti. Ergone credendum eſt, quod iſte Deus ſit, qui ponitur in præſepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium neceſſitatum*

Tria non poteſt Deus facere meliora.

Rationis acumen cæcutit in Incarnatione dominica

iniurias patitur, qui flagellatur, qui conſpuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in ſepulchro, & inter duos lapides concluditur excelſus, & immenſus? S. Cyprianus omnipotentiam Dei exclamando in hoc mirum in modum deprædicat: *O Domine*, inquit, *quàm admirabile eſt nomen tuum, verè tu es Deus qui facis mirabilia. Non modò mundi huius ſtatutam admiror, non ſtabilitatem terræ, cùm eam complectatur volubile firmamẽtum; non ſingulos dies, non lunæ defectum & incrementum; non ſolem ſemper integrum, & laborem eius perpetuum; non temporum viciſſitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modò videntur, deinceps reuiuiſcunt: miror Deum in vtero virginis, miror omnipotẽtem in cunabilis, miror quo modo verbo Dei caro adhæſerit, quo modo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentum induerit*, &c. *In cæteris quocumque modo aliqua ſatisfaciunt rationes; hic ſolus me complectitur ſtupor. Et cum Abacuc cano: Conſideraui opera tua, & expaui. Miror ieiunium, miror tentationes, miror omnipotentem in ſepulchro iacentem, miror occiſum & reſurgentem. Hæc ſunt noua mira quæ prædixerat Hieremias: Nouum faciet Dominus ſuper terram. Mulier circumdabit virum. Opus ſuum faciet, & peregrinum opus ab eo. Ieſus Chriſtus hodie & heri ante luciferum genitus, initium carnis ſumpſit ex virgine.*

Abacuc. 3.

Myſterij Incarnationis cum Sanctiſſimæ Trinitatis aliqualis comparatio.

D. Bernardus non ſolùm admiratur, neque humanas rationes explodit, ſed myſterium agnoſcit Sanctiſſimæ Trinitati quadantenus ſimile. *Attende*, inquit, *quia ſicut in illa ſingulari diuinitate trinitas eſt in perſonis, vnitas in ſubſtantia: ſic in iſta ſpeciali commixtione trinitas eſt in ſubſtantijs, in perſona vnitas: & ſicut ibi perſona non ſcindunt vnitatem, vnitas non minuit trinitatem: ita & hic perſona non confundit ſubſtantias, nec ſubſtantia ipſa perſona diſſipant vnitatem. Summa illa trinitas nobis exhibuit hãc trinitatem, opus mirabile, opus ſingulare inter omnia, & ſuper omnia opera ſua.*

9. *Euchariſtia Sacramentũ eſt ratione imperſcrutabile.*

Quam rationem dabit Chriſtianus de Euchariſtiæ Sacramento, in quo carnem & ſanguinem ſuum nobis propinat Chriſtus, in quo ſtultam facit ſapientiam huius mundi Deus, vbi omnia præter rationem, non tamen contra eam audis, vides panem, vides vinum, & dicit Chriſtus Apoſtolis ſuis: *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit & dedit illis dicẽs: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorũ.* Pulchrè Ethmundus Campianus rat. 2. contra Angliæ Academicos: *Sciſcitemur ab aduerſarijs*, inquit, *exempli gratia, quidnam ſecuti nouam ſectam intrierint, qua Chriſtus excluditur è cœna myſtica. Si nominat Euangelium, accurrimus. A nobis verba ſunt. Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix meus. Qui ſermo viſus eſt ipſi Luthero tam patens, vt cùm etiam diſcuperet fieri Zvvinglianus, quod ea plurimum incommodare Pontifici potuiſſet: captus tamen & victus appertiſſimo contextu cederet: neque minus in-*

Matth. 26.

Luth in epi. ad Argen.

uitus Chriſtum verè præſentem in Sacramento ſanctiſſimo fateretur, quàm olim Dæmones victi miraculis Chriſtum Dei filium vociferati ſunt. Agedum, pagella ſcripta ſuperiores ſumus, de ſententia ſcripti contendatur. Hanc perueſtigemus ex verbis adiacentibus. Corpus meum quod pro vobis datur. Sanguis meus qui pro multis effundetur. Adhuc duriſſimæ partes Caluini ſunt, noſtra faciles & explicata. Quid amplius? Conferte Scripturas, inquiunt: Maximè. Conſpirant Euangelia, Paulus adſtipulatur, voces, clauſulæ, tota connexio, panem, vinum, inſigne miraculum, cæleſte pabulum, carnem, corpus, ſanguinem reuerenter ingeminant. Nihil ænigmaticum, nihil offuſum caligine loquendi. *Matth. 8. Marc. 1.* *Ioan. 6. Matth. 16. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11.*

Reſurrectionis myſterii quãtum ſit.

De reſurrectionis myſterio quantum laborauit Apoſtolus, vt eam probaret contra pſeudo-Doctores, videre eſt 1. Cor. 15. vbi inſinuat reſurrectionem Chriſti, ex qua noſtra pendet, eſſe ſigillum fidei: *Si autem Chriſtus*, inquit, *prædicatur quòd reſurrexit à mortuis: quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt, & fides noſtra.* Alibi hoc myſterium vocat D. Hieronym. Chriſtiani dogmatis ſacramentum. S. Ioannes Damaſcenus omnem humanam rationem exſibilat: *Magnum*, inquit, *profectò diuinæ diſpenſationis Sacramentum nulla ingenij vi aut ſagacitate, ſed ſola fide capi poteſt, animæq; puritatem ex minimis partim timore, partim amore conſtantem requirit. Nequa enim aliter hanc anima purgationem, quam hiſce duobus, in Deum inquam timore pariter atque amore, cuiquam animò conſequi fas eſt: neque rurſus diuini ſplendoris radios aliter in ſe excipere, niſi prius anima noſtra oculis expurgatus penitus mundusq; reddatur. Impuris enim ac ſceleratis omnem ad ſe aditum numen occludit: mundis q; dumtaxat corde Deum videbunt, ait Chriſtus ipſa veritas. Atque hoc nimirum illud eſt, quod Moyſes in viſione illa, quâ Deus illi olim in rubo apparuit, ante omnia calceamentum iubetur exuere, atque ita demum ad ſignum, quod videbatur, contemplandum accedere. Calceamenterum porrò illa detractio, nihil aliud quàm terreſtrium, ac velut emortuarum cogitationum diſpoſitionem ſignificat.* *Matth. 5 8.* *Exod. 3.*

10. *Quanta ſit vecordia hæreticorum Dei opera metiri ratione.*

At Nouatium ſchola *ponit in cælum os ſuum, &*, vt inquit Bernard. de Petro Abailardo, *ſcrutatur alta Dei, redeúnſque ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Et dum paratus eſt de omnibus reddere rationem, etiam quæ ſunt ſupra rationem, & contra rationem præſumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari tranſcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle, quidquid non poſſit ratione attingere? Denique exponere volens illud Sapientis: Qui credit citò, leuis eſt corde: citò credere eſt, inquit, adhibere fidem ante rationem: cùm hoc Salomon non de fide in Deum, ſed de mutua inter*

Eccleſ. 19.

ter nos dixerit credulitate. Nam illam, qua in Deum est fidem, beatus Papa Gregorius negat plane habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimẽtum. Si vobiscum curiosi fuerimus, simul etiam excidemus à veritate, excidemus à Christo. Abscondita perscrutari non facit appropinquare veritatem, sed eam fugere à nobis. Sicut aues frondibus tectæ quoniã capi se non posse credunt, inde pedem non referunt. at cùm in se oculos intendi conspiciũt ilicò auolant aliò, vt confisant; ad quod alludẽs Cant. 6. habet: *Auerte oculos tuos, qua ipsi me auolare fecerunt.* hoc est, vt Theodor. Ambros. lib. de Isaac, cap. 8. Tres patres Cassiodorus, Gregor. Beda, Philo Carpathius, Rupertus, Anselmus interpretãtur, ne nimiùm curiosè oculos tuos, intendas, vt cognitionem mei assequaris; id enim causa est vt à te auolem, & abscondar.

Curiosus scrutator veritatem minimè assequitur.

11. Nolo mihi obijcias in sacris Scripturis pios viros aliquando quæsijsse quomodo hæc aut illa contingerét. Scio Abrahamum quæsijsse, vnde sciret se possessurum terram Chanaam, quam Dominus ei promittebat; sed ex humilitate, non incredulitate, sed vt ipse credens alios minùs credulos docere posset modum Gen. 15. Scio & Beatam virginem petijsse ab Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & ab Angelo modum edoctam quomodo conciperet filium Dei, illa statim acquieuit verbis eius: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Sed vos rationem quæritis mirabilium Dei, & vt incredulitatem vestram foueatis, ipsam Scripturam peruersè interpretamini, ac Capharnaitis peiores etiamnum vsurpatis illud *quomodo*, volentes sagacitate rationis humanæ, mysteria fidei comprehendere. Non sic procedendum est fideli. Iob postquam multa disseruisset cum amicis, & se legitimum cum Deo dixerat velle conferre iudicium, & cum eo contendere, quasi nimiùm in suæ causæ æquitate confideret, liberrimè quoque effatus esset, se grauius punitum, quàm suorum peccatorum explorata granitas exigeret, tandem inde pœnituit: *Vnum*, inquit, *locutus sum: quod vtinam non dixissem; & alterum quibus vtra non addam*: Vnum fateor, inquit, & alterum verbum locutus sum, cuius me vehementer pudet, ac pœnitet; neque committam vnquam in verbo aliquo deinceps simili prolabar. Quid causæ? Non alia quam quod Deus de rebus occultis, quas humana nequit intelligentia consequi, quæstiones proposuerat, & multa à se perfecta esse dicit, à quorum molitione quàm longissimè abest humana facultas. Quibus rebus non solùm ignarus ostenditur homo, sed etiam infirmus. Multa quærit de cælorum ornatu, multa de terra, terrenisque omnibus, multa de aëre, atque aqua, deque admirandis in vtroque elemento, plurimisque miraculis, multa de quorumdam animantium genere. *Accinge*, inquit, *sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & responde mihi. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam.* Et sic de cæteris quæ toto cap. 38. enarrantur, ignorantiæ ipsum manifestè conuincit, qui de rebus occultis liberrime egerat cum amicis. Capite verò 39. proponit Deus quorumdam animalium admirabilem naturam, in quibus magis apparet diuina prouidentia cum admirabili sapientia coniuncta, quo magis Iobum in concepta priùs cogitatione confirmet. Adducit autem ibicem, ceruum, rhinocerotem, equum è quadrupedum genere; è volucrum verò, coruum, accipitrem, & aquilam, in quibus aliquid apparet eximium, quod à mortalium nemine præstari potuit. Ad quæ nihil melius iudicauit, in medium adducere Iobus quàm modestiam, & de verborum leuitate pœnitentiam. Christiana fides, quæ ab vnius Dei authoritate pendet, nullis humanis rationibus nititur, veruntamen plurimum, humanis rationibus & illustratur, & aduersus Philosophorum sophismata, & impiorum calumnias defenditur. hac ratione infirmitatem humanam iuuare conati sunt Ecclesiæ Doctores.

Sancti viri aliquando ex humilitate rogarũt

Deus plura potuit, quam homo comprehendere potest.

12. D. Augustinus cùm vellet homini exploratum esse, posse inter ignes inferni viuentem animam permanere, naturalibus exemplis eam rem inculcat: *Quidam*, inquit, *notissimi Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis atque vetustate vsque nunc, & deinceps flammis æstuant, atque integri perseuerant, satis idonei testes sunt, non omne quod ardet absumi.* Et immediatè post: *Quid adhuc* inquit, *à nobis rerum poscuntur exempla, quibus doceamus non esse incredibile, vt hominum corpora sempiterno supplicio punitorum, & in igne animam non amittant, & sine detrimento ardeant, & sine interitu doleant? Habebit enim tunc ista carnis substantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras & varias tot rebus indidit, quas videmus, vt eas, quia multæ sunt, non miremur. Quis enim nisi Deus creator omnium dedit carni pauonis mortuæ ne putresceret? Quod cum auditu incredibile videretur, euenit vt apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc auis? De cuius pectore pulparum quantum visum est decerptum seruare iussimus. Quòd post dierum tantum spatium quanto alia caro quæcumq; putrescere, prolatum atque oblatum, nihil nostrum offendit olfactum. Itemq; repositum post dies amplius quam triginta, idem quod erat inuentum est. Idemq; post annum nisi quod aliquantum corpulentia siccioris, & contractioris fuit. Quis pulex dedit vel tam frigidam vim, vt obrutas nimes seruet: vel tam feruidam, vt poma immatura maturet? De ipso igne mira quis explicet, quo quæque adusta nigrescunt, cùm ipse sit lucidus, & pene omnia quæ ambit, & lambit colorat, pulcherrimus decolorat, atque ex pruna fulgida carbo*

De ciuit. Dei Lib. 21. cap. 4.

Quidam Siciliæ montes vruntur & non comburuntur.

Plurimorũ exempla, quorum ratio humanã solertiam latet.

Cæro pauonis vix putrescit.

Alia palæ virtus.

Item ignis varia vis.

carbonem terrimum reddit? Neque id quaſi regulariter definitum eſt. Nam è contrario lapides igne candente percoctis, & ipſi fiunt candidi, & quamuis ille magis rubeat, illi albido colore niteſcant: congruit tamen illi luci, quod album eſt, ſicut nigrum tenebris. Cùm itaque ignis in ligna ardeat vt lapides coquat, contrarios habet non in contrarijs rebus effectus. Plura in compendium contracta videre licet Diſc. 72. in 1. Præceptum, quæ breuitatis cauſa hic omitto.

Et cap. ſequenti rem vltrò vrgens, affert in medium plura, quæ non rectè poſſunt agnoſci, licet eadem exiſtere non ſit ambiguum, propter quoſdam, qui rationem flagitant rerum, quam non poterat reddere, quòd excederent vires humanæ naturæ: *Non pergo*, inquit, *per plurima quæ mandata ſunt litteris, non geſta, atque tranſacta, ſed in locis quibuſq; manentia, quo ſi quiſquam ire voluerit & potuerit, virum vera ſint explorabit. Sed pauca commemoro. Agrigentinum Sicilia ſalem perhibent, cùm fuerit admotus ignis velut in aquam flueſcere: cùm verò aquæ, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quendam fontem tam frigidum diebus, vt non bibatur: tam feruidum noctibus, vt non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces vt in cæteris extinguuntur accenſæ, ſed non vt in cæteris, accenduntur extinctæ. Aſbeſton Arcadia lapidem propterea ſic vocari, quod accenſus ſemel iam non poſſit extingui. Lignum cuiuſdam ficus AEgyptiæ non vt ligna cætera in aquis natare, ſed mergi, & quod eſt mirabilius, cùm in imò aliquandiu fuerit, inde ad aquæ ſuperficiem rurſus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere pregrauari. Poma in terra Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem peruenire, ſed morſu preſſuue tentata, in fumum ac fauillam corio fatiſcente vaneſcere. Pyriten lapidem Perſicum tenentis manum ſi vehementius prematur adurere, propter quod ab igne nomen accepit. In eadem Perſide gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum luna creſcere, atque deficere. In Cappadocia etiam vento equas concipere, eoſdemq; fœtus non amplius triennio viuere. Tilon Indiæ inſulam eo præſtare cæteris terris, quòd omnis arbor, quæ in ea gignitur, nunquam nudatur regimine foliorum. Quibus compendiosè recenſitis ſic concludit. De his atque alijs innumerabilibus, mirabilibuſq; hiſtoria non factorum, atque tranſactorum, ſed manentium locorum tenet. Mihi autem aliud agenti, ea perſequi nimis longum eſt. Reddant rationem ſi poſſint infideles illi, qui nolunt diuinis litteris credere, quid aliud, quàm non putantes eas eſſe diuinas, eò quod res habeant incredibiles. ſicuti hoc eſt, vnde nunc agimus. Non enim admittit, inquiunt, vlla ratio, vt caro ardeat, nec abſumatur, doleat, neque moriatur: ratiocinatores videlicet magni, qui de omnibus rebus quas eſſe mirabiles conſtat, poſſint reddere rationem. Reddant ergo rationem de his quæ pauca poſuimus.*

Rerum mirabilium exempla.

Fides Chriſtiana non rationibus nititur qua mataiur.

Sic ille incredulitatem noſtram iuuat; quia fides, quæ pro obiecto habet Deum, abyſſum luminum & perfectionum, non poteſt dare vnam demonſtrationem eorum quæ credit; alias fides non eſſet amplius, nec Deus plus Deus: Qui fidem quærit, inquit Chryſologus ſerm. 158. rationem non quærit, qui diuinam poſtulat, ſeponit humanam. Fides non procedit, quemadmodum ſcientiæ humanæ, quæ varietate opinionum etiam variant. Vnde in Philoſophorum Gentilium ſchola, tot ſectæ deprehenduntur, quot docuerunt eum authoritate. Vemiſte Tertullianus: *Quid ergo Athenis & Hieroſolymis: quid Academiæ & Eccleſiæ? quid hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat, Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum.* Pamelius annot. 51. ad verba, *de porticu Salomonis*, *Quaſi*, inquit idem dicere vellet: *Non de porticu Zenonis. Στοὰ Græcis eſt, quæ Latinis appellatur Porticus. Athenis erant Stoæ complures: vna præ cæteris nominatiſſima, quam Polygnotus excellentibus picturis ornarat. Ideò ποικίλην cognominabatur, ob varietatem picturarum; In hanc facinoribus multis infamem, Zeno Citticus primùm diuerſit, & conciones habuit: cui ceſſerunt omnes, nec eo, niſi Philoſophandi cauſa, cœptum eſt ventri. Stoici ſunt inde nuncupati ab ea porticu, quæ ſingulariter inter alias appellabatur Stoa. De Στοᾶ verò Σολομῶνος, id eſt, de porticu Salomonis, in quam poſt Chriſtum præceperant ſuum, ſapiùs vnanimiter Apoſtoli cum ſuis conueniebant, Euangeliſtæ meminere, Ioan. 10. Act. Apoſt. c. 3. & 5.* Pergit Tertullianus: *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Euangelium. Cùm credimus, nihil deſideramus vltra credere. Hoc enim primùm credimus, non eſſe quod vltra credere debeamus.* Nil igitur ad fideles ſpectat: *Quærite & inuenietis*; *Nemo quærit, niſi aut qui non habuit, aut perdidit. Perdiderat vnam ex decem drachmis anus illa, & ideò quærebat: vbi tamen inuenit, quærere deſijt. Panem vicinus non habebat, & ideò pulſabat: Vbi tamen apertum eſt ei, & vt accepit pulſare ceſſauit. Vidua à iudice petebat audiri, quæ non admittebatur: ſed vbi audita eſt, hactenus inſtitit. Adeò ſinus eſt, & quærendi, & pulſandi, & petendi*, inquit idem Doctor, cap. 11. Præſcript.

Euangelia eliminant curioſitatem.

Luc. 15. Luc. 11. Luc. 18.

Curioſitas ſemper eſt damnabilis, eſt vlcus continuo exurens, eſt ſanguiſuga, quæ attrahit omnem prauum ſanguinem, ſeque repletad crepandum. Eſt vermis edax, qui hominem æquè ac canem pungit. Curioſitas reum efficit, non peritum, maximè in cauſa religionis. Optimè Sixtus Pythagoricus in ſententijs. *De Deo etiam quæ verba ſunt loqui, periculum eſt, & non parum.* Cautè ergo loquere in cauſa religionis: cogita te ſuper ſpinas ambulare. Sic accede ad ſermonem de Deo quemadmodum ad ignem, ſi minus ab eo te elonges, calorem non ſentis; ſi nimiùm appropinques, conſumeris: Deus ignis conſumens eſt.

Quàm periculoſa ſit curioſitas, maximè in rebus fidei.

Ve-

13. De Deo diſputatio quò perfectior eò difficilior.

Vetiſſimè Gregorius Nazianzenus aſſerit difficile eſſe de rebus diuinis diſceptare: *Diſputatio ea*, inquit, *quæ de Deo ſuſcipitur, quò perfectior, eò quoque difficilior eſt, pluribuſq; obiectionibus patet, in ijſq; diluendis ac diſſoluendis plus negotij faceſſit. Nihil enim tam leue exiguumq; ponderis nobis aduerſari poteſt, quod non diſputationis curſum interrumpat atque comprimat, impediatq; quo minus vltrà progrediamur: quemadmodum qui equos ad curſum incitatos repentè fræno retrahunt, ac per inopinatam & repentinam excuſſionem retrorſum agunt.* 3. Reg. 3. *Sic nimirum Salomon, qui omnibus, cùm ſua, tùm ſuperiorum memoria, hominibus ſapientiæ laude præſtitit, & cordis latitudinem Dei beneficio accepit, ac tantam contemplationis copiam & vbertatem, vt arena numerum excederet, quò altius in has profunditates penetrat, hoc magis æſtuat, ac finem quendam ſapientiæ conſtituit, nimirum quòd inueniſſet quantum ea à ſe effugiſſet. Conſimili quoque modo Paulus, non dicam Dei naturam (* Dei ſcientia eſt inacceſſibilis. *hoc enim ſupra humanas vires eſſe perſpectum habebat) ſed Dei ſolum iudicia cognitione aſſequi conatur. Quoniam autem nec extremum vllum, nec quò aſcenſum figere ac ſtabilire poſſit, reperiebat, nec perſpicuo vllo fine curioſa ipſius animi perſcrutatio claudebatur, quòd videlicet ſubinde ſemper aliquid reliqui eſſe perſpiceret: ô rem miram atque ſtupendam! vt ipſe quoque eodem affectu commotus (* Rom. 11. *) orationem admiratione circumſcribat, idq; Dei opes as profundum appellat, ac Dei iudicia nullum ingenio percipi & comprehendi poſſe* Pſal. 35. *ingenuè fatetur, eiſdem propemodum verbis cum Dauid vtens, qui nunc iudicia Dei abyſſum multorum vocat, cuius fundum, nec menſura, nec ſenſu capi queat: nunc retributionem factam eſſe ſcientiam ex ſeipſo & ſuipſius creatione pronuntiat, atque adeò robuſtam, vt vix humanis ea aſſequi, & attingere nequeamus. Vt enim miſſa alia faciam, inquit, meipſum omnemq; humanam naturam & conſtitutionem intuer. quæ hæc mixtio noſtra eſt? quis motus? quomodo id? quod immortale eſt, cùm mortali copulatum eſt? Quomodo deorſum fluo, & ſurſum feror? Quomodo anima circumfertur? Quomodo vitam imperit, & affectuum ſit particeps? Quomodo mens ſimul & circumſcripta eſt, & nullis terminis incluſa? in nobis manet, & motu fluxioniſq; celeritate omnia perluſtrat?* Et poſt prolixiorem ſermonem de hominis conditione, de piſcibus & auibus verba facit, vt comprobet impoſſibile eſſe rerum diuinarum ſeriem, *comprehendere: & de cantu auium hæc ſubiungit: Quis lyram cicadæ in pectore dedit? Et* Animæ ſenſus. *cantus illos atque garritus, quos, cùm meridiano Solis æſtu ad muſicam incitantur, in arborum ramis fundunt, ac nemora ſono implent, & viatorem vocibus perſequuntur? Quis cantum illum cum cygno contexit, quo tempore pennis in auram expanſis eiuſmodi ſibilum edit, qui carminis inſtar ſit? mixto enim illas vt expreſſas voces, & quicquid artes aduerſus veritatem ingeniosè comminiſcuntur.* Et paulò pòſt ſubnectit: *Tu verò mihi naturalem quoque animantium rationis expertium ſolertiam ſuſpice, rationeſq; ſi potes, declara. Quomodo volucres in petris & arboribus ac tectis, non minùs elegantes, quàm tutos, & alendis pullis accommodatos nidos elaborant: Vnde apibus & aranei tantus laboris atque induſtriæ amor, vt & illæ fauos conſtruant, ac ſexangularum fitularum, ſibiq; inuicem ex aduerſo reſpondentium, adiumento contineant, & per intermedium parietem, atque Angulos rectis lateribus alternatim connexos domicilium ſuum fulciant, idq; in tam caliginoſis alueariis, obſcuriſq; figmentis: & hæ rurſus per vſque adeò tenuia & ſubtilia ſtamina multiplicitèr intenſa finuoſas telas contexant (* Apum & aranearum induſtria. *& quidem ex tam exiguis initijs, vt vix vllæ oculorum aciei perſpicere poſſint) quæ ipſis, & pro eximio quodam domicilio ſint, & venandis alimonia cauſa imbecillioribus animantibus inſeruiant. Ecquis Euclides hoc artificium vnquam imitando expreſſit, de lineis pertractans nuſquam extantibus, atque in demonſtrationibus anxio labore deſudans? Ecquis Palamedes (qui etiam artes inſtrumenta artem, ac motus & figuras, nullis alijs præceptoribus, quàm gruibus, vſus didiciſſe fertur, cùm videlicet eas ordine ac multiplici volatus genere moueri perſpexiſſet:) Quinam Phidias & Zeuxides ac Polygnoti, Parrhaſij etiam & Aglaophontes, qui incredibili quadam elegantium formarum pingendarum, & ſculpendarum peritiâ claruerunt? Quis Gnoſius Dædali chorus ad muſicos numeros ſeſe mouens, impuella gratiam ad omnem artis pulchritudinem confectus & expolitus? Quis Cretenſis Labyrinthus difficiles exitus & ambages habens, identidem q; in ſeſe per artis induſtriam incurrens? Taceo formicarum penuaria, eorumq; cuſtodes, & alimenti aggeſtionem, tempori reſpondentem, ac cætera ea quæ, & de rerum vijs ac ductibus, & eo ordine, quem in operibus ſeruant, hiſtoriarum monumentis conſignata ſunt.*

14. Cyrillus Alexandrinus Præſul lib. 4. in Ioann. cap. 13. ad illa verba Ioan. 6. *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* acriter perſtringit eoſdem: *De Deo*, inquit, *non ſine magna impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil impoſſibile eſſe apud Deum.* Et paulò pòſt: *Cùm Deus operetur, non quæramus quomodo, ſed operis ſui vnam atque ſcientiam illi ſolo concedamus. Nam* Non licet quærere rationem operum Dei. *quemadmodum, quamuis nullus nouit quid nam ſecundum naturam Deus ſit, iuſtificatur tamen per fidem, cùm credat præmia illum redditurum, quærentibus enim: ſic & ſi operum eius rationem ignorat, cùm tamen fide omnia illum poſſe non dubitet, non contemnenda probitatis huius præmia cõſequetur. Ita profectò nos affici per Prophetam Iſaiã Dominus ipſe* Iſa. 55. *hortatur: Non enim ſunt conſilia mea*, inquit, *vt conſilia veſtra; nec ſicut via veſtra viæ meæ ſunt, dicit Dominus: ſed ſicut exaltatur cælum à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Qui autem ſapientia à virtute & Deo excellit, quomodo non operabitur ita miraculoſè, vt mentem noſtram operum ſuorum ratio effugiat? Nonne vides quod ſæpe numerò mechanici*

faciunt, Incredibilia videntur nobis nonnunquam, enarrare: sed tamen quia similia ipsos fecisse vidimus posse peragi ab ipsis facile credimus. Quomodo igitur famulis crucialibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, vt quomodo, in operibus suis dicere audeant? quem totius sapientiæ largitorem esse non ignorant: quem omnia posse Scriptura nos docuit. Et vt planissimè conuincat, magnam esse fatuitatem, ratione velle diuina mysteria inuestigare, addit: *Si verò tu, ô Iudæe, Quomodo, etiam nunc clamas; hanc tuam imperitiam ego quoque secutus, libenter quomodo ex Ægypto exiuisti rogabo: quomodo in serpentem Mosaica fuit virga conuersa? quomodo leprâ manus infecta, vno momento temporis in pristinum statum restituta iterum fuit? quomodo in naturam sanguinis aqua transierant? quomodo patres tui per media maria, vt per aridam transgressi sunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? quomodo stetit Iordanis? quomodo solo clamore inexpugnabilis Hiericho cecidit? Innumerabilia sunt, in quibus si quomodo quæris vniuersam euertere tibi scripturam necesse erit, prophetarum doctrinam & ipsius Moysis scripta contemnenti. Quare credidisse Christo potius vos oportuit, & si quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quàm veluti temulentos exclamare, Quomodo potest hic nobis suam carnem dare? Nonne videtis, quia cùm hæc dicatis, statim cum ista voce, arrogantia magna significatur?* Idem Doctor longè antè dehortatur omnes fideles ab ista curiositate: *Nos magnum, quæso,* inquit, *à peccatis alienum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, numquam in tam sublimibus rebus, illud quomodo, aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij causa. Ideo Nicodemus etiam cùm diceret: Quomodo hæc fieri possunt: meritò audiuit: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras?*

Exod 14.
Exod.4.
Exod.14. Exod.15.
Exod 17. Iosue 4. Iosue 6.
Diuina mysteria fides tenenda, licet superent captum humanum. Ioan 3.

Idipsum diuinus Paulus nos docuit, Rom. 12. cùm ait: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos. Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Cauete, inquit, ne vitâ & conuersatione similes efficiamini ijs, qui sectantur huius sæculi voluptates & commoda, suisque inseruiunt cupiditatibus: studete quotidianæ renouationi vestræ mentis per mortificationem malorum affectuum & cupiditatum, vt diligenter scrutemini, quæ sit Dei voluntas bona, illo fine, vt illam Dei voluntatem cognitam amplectamini & impleatis: *Altiora te ne quæsieris,* inquit Sirac. loc. cit. *& fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper. Quæcumq; sunt,* inquit Apostolus Philip. 4. *vera, quæcumq; pudica, quæcumq; iusta, &c. hæc cogitate.* Nolite altercari de meritis vestrorum operum & iustificatione: ex munere enim, officio, & authoritate, qua fungor Apostolica, volo vt non amplius de vobis existimetis quàm par est; ne superbè & petulanter quis aliquid sibi tribuat & arroget vltra sui talenti mensuram sese extendens, & alieno talento, officioque se ingerens, ne verbi gratia Grammaticus iudicium sibi arroget de rebus Theologicis, plebeius de rebus sacris decernere velit, iuxta Chrysostomum, Ambros. & Basilium. Vel rursum, ne sitis curiosi in rebus fidei perscrutandis: vt sapere velitis plura & vltra, quàm fides sana doceat, aut permittat, iuxta Iren. August. Gregor. Magnum & Anselmum: illud enim est fons hæresum. Vtraque explicatio nostro proposito congruit. Tertullianus sapienter dixit etiam à Catholicis non amplius quærendum, quàm *quod salua regula fidei potest in quæstionem deuenire.* Apostolus vult nos captiuare intellectum in obsequium fidei. Ne simus ergo curioli; sapiamus ad sobrietatem. Non est ferramenti inquirere, vnde Adamas, vnde Magnes habeat influentiam illam, quâ attrahit ipsum, satis est quod sequatur: Nec hominis, vnde hoc, vnde illud?

Addiscenda sunt quæ ad salutem conducunt.

Quæstio fiat de aijs, non de rebus fidei.

CA-

CAPITIS SEXTI

VERSVS X.

Et dixit ei Tobias: Vbi vis vt maneamus?

Vers. 11. *Respondensque Angelus, ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque fœminam vllam habet aliam præter eam.*

Vers. 12. *Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet te eam accipere in coniugem.*

Vers. 13. *Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem.*

PARAPHRASIS.

Vers. 10. 11. 12. & 13. Rogat Tobias cùm ad Ragues Medorum peruenissent, quonam esset diuertendum, an ad hospitium commune, & publicum peregrinorum hospitium, an ad priuatam aliquam domum, & suæ familiæ notam & hospitalem. Ad quæ Raphael, esse in ea ciuitate respondit virum quemdam Raguelem nomine, contribulem, & genere propinquum, & illi vnicam esse filiam, ad quam tota parentum, quæ copiosa est, pertinet hæreditas, quæ ætate est nubili, cuius si nuptias ambierit, non abnuet pater: & expedire maximè, si illam adolescens à parente cognato postulet vxorem. Hæc ad versum 13. Addit textus Græcus quædam alia, quæ dicta narrantur ab Angelo. Primùm Saram prudentem esse, & pulchram, quòd spectare maximè solent homines in fœminis, quarum expetunt nuptias, deinde ex illa cognatione vnum Tobiam esse reliquum, atque ideò illi esse secundum patrias leges ius ad coniugale vinculum. Neque commissurum esse Raguelem, qui Mosaicæ legis studiosus est, vt filiam suam alicui ex alieno genere despondeat.

SECTIO DECIMA.

An matrimonia à Deo destinentur?

1. ANGELVS Domini sub schemate humano à Tobia cum omni ciuilitate consultus, ad quale hospitium diuertendum foret, ipse indicat in Ragues Medorum ciuitate habitare virum quemdam; ad eum autem esse diuertendum, illique vnicam esse filiam diuitem & pulchram, quæ ipsi debeatur in vxorem. Quòd non aliter ipsi constare potuit, quàm ex diuina reuelatione: Vnde exurgit quæstio non inutilis: *An Matrimonia à Deo destinentur?* Non differam tibi, mi Christiane, pandere, quæ sacra pagina hac de re palam fecit. Quædam Matrimonia à Deo expressè ordinari clarissimè insinuatur Genes. 24. vbi pro coniugio Isaaci & Rebeccæ, cùm Eliezer famulus Abrahæ signum petijsset à Deo, ex quo cognoscere posset Rebeccam diuinitus destinari in vxorem filio Domini sui, idipsum euenit, quod petierat, videlicet vt ea veniens ad hauriendam aquam ad petitionem suam inclinaret hydriam suam, vt biberet, & simul camelis ipsius potũ offerret. Adhæc parentes Rebeccæ intelligentes modum, quo processerat Eliezer ad quærendam Isaaco vxorem, dùm illam in matrimonium eidem postularet, responderunt: *A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij Domini tui, sicut locutus est Dominus.* Quasi dicant, Hoc negotium diuino nutu geritur, hæc est voluntas Dei, vt Rebeccam tradamus Isaaco, vt satis ex ijs quæ narrasti apparet, & signo manifesto ostendit Deus.

Quædam Matrimonia à Deo destinantur, vt matrimonia Isaaci.

Sampsonis Matrimonium cum filia Philistæa in Thammata à Deo fuisse destinatum planissimè insinuat caput 14. Iudicum. Cùm enim parentes eum corriperent, quod Philistæam & Ethnicam ambiret in coniugem dicentes: *Numquid est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere vxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt?*

Sampsonis Matrimonium à Deo fuit ordinatum.

&c

& responderet Sampson patri: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* addit Scriptura: *Parentes autem eius nesciebant, quod res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philistæum.* Illi nesciebant, sed placebat Sampsoni, quia illam sic à Domino quæri occasionem sciebat, vel ab Angelo edoctus, vel quia nouum eius menti lumen affusum, diuinaque, voluntati, motio, erat indita. Caietanus: *Perpendens,* inquit, *quod Sampson motus Spiritu Dei, sciens & prudens petijt huiusmodi coniugium, quamuis contra legem Moysis. Ideò enim non Sampsonem, sed parentes eius latere diuinum consilium scribitur.*

Probabile Estheris cõiugium à Deo fuisse destinatum.

Estheris cum Assuero coniugium probabiliter diuinitus fuit etiam destinatum, vt colligitur ex verbis Mardochæi, qui populo Iudaico in summa perplexitate, & rerum angustia constituto, volens Estherem in Reginam assumptam, non vocatam præter morem ad Regem accedere Iudæos liberandi gratia, hac ratione eam perurfit. *Ne putes quòd animam tuam tantum liberes, quia in domo Regis espra cunctis Iudæis. Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu & domus patris tui peribitis. Et quis nouit, vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris.* Vti enim illa verba: *Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu & domus patris tui peribitis*, non poterant humano spiritu dici; ita probabile est, & creditu facilè, ideò illam ad regiam dignitatem esse sublatam à Deo, vt ad ipsam in eo rerum articulo haberet afflicta Iudæorum gens fidele perfugium.

1. *Bona vxor à Deo viro datur.*

Cæterùm generaliter certum est bonam vxorem à Deo viro destinari, nam Hebræus Sapiens Prouerb. 19. planissimè affirmat: *Domus & diuitiæ dantur à parentibus; à Domino autem propriè vxor prudens.* quasi dicat, duo à parentibus filij accipiunt, generis videlicet splendorem atque nobilitatem, nec non diuitias & copias; hæc enim iure hæreditario minoribus à maioribus eueniunt, itaque à Deo, sed per parentes. At vt vxor filijs contingat prudens, id singulari Dei beneficio tribuendum est, vt quod non ita sit commune omnibus, sed proprium his, quos Deus singulariter dilexerit, quodque non potest parentum curâ & prouidentiâ filijs donari, sed Dei beneficio, qui solus dat prudentiam mulieri, & prudentiâ donatam viro deputat. In Græco est, *A Deo aptatur mulier viro*; cuius est solius similem simili copulare, cùm omniũ mores ipse temperet, eorum concordiam aut discordiam solus nouerit. Et hinc idem Sapiens Prouerb. 18. vt ostendat mulierem bonam beneficium esse gratiæ, non studij & fortunæ, inquit, *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* quasi dicat, Qui post præuias ad Deum preces bonam vxorem inuenerit, agendarum gratiarum vberem materiam nactus est propter beneficij magnitudinem. D. Hieronym. lib. 2. contra Iouinian. cap. 28. huius rei causam affert: *Qualiscumque* (vxor) inquit, *obuenerit habenda; si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcumque vitij est post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia, vestis quoque & lebetes, sedile ligneum, calix, & vrceolus fictilis probantur prius, & sic emuntur, sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat, quàm ematur.* Meritò igitur Salomon ait, *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum: & hauriet iucunditatem à Deo:* Hebraicè est, *& eduxit benevolentiam aut beneplacitum à Domino.* Cuius sensus est, qui bonam & pudicam duxit vxorem, Deum erga se beneuolum expertus est: aut melius iuxta vulgatam sensus est, hauriet, non verò exhauriet iucunditatem, perennis erit illi voluptas. Sanè voluptas illius, qui propterea lætus est, quia pulchram sibi adiunxit vel diuitem, vel ingenuam, citiùs marcet, inque maciem soluitur, dos item magna breui tempore consumitur, genus demum, ac nobilitas superbam eandem reddere solet, atque adeò grauem, & molestam; tunc verò voluptas in odium verti solet: ea solùm voluptas & iucunditas diuturna est, quę de vxoris honestate, ac bonis moribus capitur, hæc enim nunquam deficit, numquam interit. Hinc non longè abit Siracides: *Pars bona,* inquit, *mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis suis.* quasi dicat, Quod alicui contingat bona vxor, pars videlicet bona est, quod Deus in coniugij contemplatione rationem habeat vitæ ante actæ: si pietatem coluerit vir, respondebit bonis factis ipsius vxor.

Vxor bona perennis est viro voluptas.

Eccles. 26.

2. *Nobilitas & diuitiæ dantur à parentibus.*

Qui inuenit mulierem bonam, inuenit magnum thesaurum.

3.

Vides, mi Christiane, à Deo prouenire, quod contingat alicui vxor bona. Verùm enimuerò multorum animos fatigat, An à Deo proueniat, quod hic nobili claroque genere natus ignobilem ducat; alius honestorum parentum filius, eam assumat vxorem, quæ in fornice, prostituto pudore quæstum fecit; alius prauam, superbam, iracundam sibi copulet. Breuiter amice Lector aperiam quid sentiam. A Deo prouenire vel imperante, vel ob causas permittente, exploratum est. In primitiua Ecclesia durum erat Corinthijs propter paucitatem Christianorum arctari ad commercia & coniugia cum fidelibus ineunda. Multi enim inter eos sibi nec genere, nec opibus, nec statu, nec alijs dotibus pares inueniebant: itaque vel coniugio eis abstinendum erat, aut ducenda coniunx nobilitate, gradu, & diuitijs impar & inferior: Apostolus nihilominus nomine Dei præcipit ne cum infidelibus arctam ineat familiaritatem, quale videlicet est Matrimonium:

A Deo imperante contingit inuenire aliquem de fidelium vxorem ducere.

Nolite,

2. Corint. 6. *Nolite*, inquit, *iugum ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate?* Rationibus oſtendit quàm ſit abſurdum fideles iugum ducere cum infidelibus. Etenim ſicut fieri nullo modo poteſt, vt iuſtitia conſortiũ habeat cum iniuſtitia (pugnant enim hæc inter ſe quàm maximè:) ita rectè fieri non poteſt, vt fidelis, qui in Chriſto factus eſt iuſtitia Dei in vnum iugum coëat cùm infideli. *Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui.* Hoc verò præcepto ita arctat fideles, vt præcipiat tali rerum articulo vel ignobilem ducere, vel abſtinere à coniugio. Oſeas Propheta cap. 1. iubetur à Deo vxorem ducere ex vagâ libidine proſtitutam, ex proſtibulo, ex meretricijs ſordibus, licet ipſe oriundus eſſet ex tribu Iſſachar ſatis nobili, & honeſtè vixiſſet: *Vade ſume*, inquit, *tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino: q. d.* Agedum Propheta, & quam primùm vxorem duc ito, quæ proſtituto corpore fornicarium quæſtum inſtituerit: & licet ex legitimo toro, ſuſcipies tamen filios, qui ſecuti potiùs matris fornicariæ, quàm caſti parentis mores, & exemplar, ipſi quoque, aut meretricabuntur inuerecundè, aut meretricias captabunt voluptates. In quibus ſuam cognoſcet intemperantiam terra Iſraelitica, quæ à Deo ſuo, quaſi vxor adultera à viro recedet, & idololatriæ ſe totam, quaſi vagę amatorum petulantiæ proſtituet. Cauſa non vna erat, quare Deus id imperaret. Primaria & litteralis erat, vt hoc ſymbolo quaſi verbis & ſermone reali, carpat apoſtaſiam & idololatriam populi ſui. Propheta enim hic Deum refert; vxor fornicaria Synagogam, id eſt, populum Iſrael ſiue decem tribuum, vt patet ex ſequent. fornicatio enim hic, & paſſim apud Prophetas ſignificat peccata, præſertim idololatriæ, qua Iſraelitæ, relicto Deo ſponſo ſuo, licentioris vitæ deſiderio, idolis, voluptatibuſque ſuis quaſi amaſijs adhęrebant. Ita enim explicat Propheta, dum mox cauſam huius ſui connubij à Deo præcepti ſubnectens; ſubdit: Quia fornicans fornicabitur terra, id eſt, quia Iſraelitæ valdè addicent ſe idololatriæ, prono & communi impetu proruent ad colenda idola. q. d. Ego Deus te, ô Oſee, habere volo vxorem fornicationi hactenus addictiſſimam, vt deſignem vxorem meam, puta Synagogam, myſticè fornicariam, id eſt, idolatram, eſſe & fore, vt quod cœpit eſſe ſub Ieroboam, deinceps ſit magis. Ad clariorem intelligentiam aduerte, quod populus in idolis & peccatis ſuis obdormierat, itaque ordinarias increpationes & monitiones Prophetarum ſpernebat, imò non audiebat! voluit ergo Deus reali & portentoſa prophetia, iubendo ſcilicet Prophetæ ducere fornicariam, ex eaque proles procreare, populum in peccatis dormientem à ſomno ſcelerum excitare, & commouere ad pœnitentiam. Eadem de cauſa iuſſit Iſaiæ cap. 20. vt ipſe, cùm eſſet vir nobilis & magnę auctoritatis, nudus per vrbem Ieruſalem mediâ luce diſcurreret, vt hoc portento omnium oculos in ſe conuerteret, ac reipſa daret eis typum & ſpeciem imminentis ſpoliationis & excidij, itaque populum ad lamenta conuerteret. Eadem de cauſa iuſſit Ezechieli cap. 4. ſtercore boum veſci, vt eo inſtantem vrbi famem & cladem præmonſtraret.

Oſeæ iuſſu Dei fornicariam duxit.

Primaria huius rei cauſa.

Secundaria fuit, charitas, vt ſcilicet fornicariæ pudori, & conſcientiæ conſuleret, dum eam commutat in vxorem. Ita S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 80. *Quid*, ait, *aduerſum clementiæ veritatis)* qua Chriſtus, qui eſt veritas, dixit Phariſæis: *Meretrices & publicani precedent vos in regnum cælorum) quid inimicum fidei Chriſtianæ, ſi meretrix relictâ fornicatione in caſtũ coniugium commutetur? Et quid tam incongruum, & alienum à fide Propheta, quàm ſi non crederet omnia peccata impudicitiæ dimiſſa eſſe in melius commutata? Itaque cùm meretricem Propheta (Oſee) fecit vxorem, & ad vitam corrigendam mulieri conſultum eſt, & figura ſacramentum, de quo mox loquemur, expreſſum.* 4. 4. Cauſa.

Inſuper volebat Deus Prophetæ obedientiam exercere æquè ac patientiam, *vt quanto illa* (vxor) *ſordidior eſt, tanto ſit Propheta patientior, qui talem vxorem duxerit*, ait S. Hieronym. præſertim quia Oſee erat iuuenis, virgineus, ſanctus, & in flore ætatis, æquè ac puritatis & virtutis, dũ meretricem duxit: fuit enim hæc prima eius prophetia, quam habuit initio regni Oziæ. Hoc igitur fuit primum verbum, quo rudis adhuc Propheta illuſtratus, & quaſi ad prophetale miniſterium conſecratus eſt. Durum ſanè rudimentum, illi præſertim, qui caſte ſemper, & honeſtè, & ſine cuiuſquam offenſione ante dixiſſet. Hanc porrò cauſam fuiſſe arbitror, vt ab hoc nomine ductum ſit omnium Oſeæ vaticiniorum exordium, vt Prophetæ in explenda diuina voluntate conſtantiam, & animum immemorem ſui, & ad illa pronum, & ardentem, quę Deo grata fore cognouiſſet, cognoſcerent alij; ac diſcerent, qui obedientis ſibi nomẽ aſſumunt, aut obedientiæ veræ formam, & exemplar habere volunt; quemadmodum recuſandum eſſet nihil, quantumuis moleſtum, in quo aliquod ſe oſtentet diuinæ voluntatis indicium, fuit ſanè durum hominem cælibem quique fortaſſe ab honeſtis nuptijs animum haberet alienum, ad matrimonium cogere, & vxori tanquam piſtrino, & iugo alligare perpetuo. Sed eſt planè durius ingenuis viris, atque honeſtis mortis inſtar vxorem ducere non accerſitam 5. 5. Cauſa. *Obedientia illuſtre exemplum in Oſee.*

sitam ex materno sinu, atque conclaui, vbi honestè, ac pudicè fuerat educata: quæ famâ esset alijs, quàm formâ notior; sed ex vaga libidine prostitutam, ex prostibulo, & meretricijs foribus, à quâ fore non sperabat, vt sanctam seruaret matrimonij fidem.

6. *Allegorica causa matrimonij Oseæ.*

Allegorica causa erat, vt Propheta per connubium cum fornicaria repræsentaret simile, sed mysticum, idque duplex, Christi coniugium: Prius cum carne nostra, quæ erat fornicaria, id est caro peccati, quam deputatam sibi vniuit & despondit per incarnationem. Ita S. Ambrosius lib. 2. Apolog. Dauid cap 10. mysticè explicat. Posterius Christi connubiũ est cum Ecclesia, quod Oseę suo hic repræsentat. Ita S. Ambrosius lib. de Salomone cap. 5. *Meretrix*, inquit, *ista Ecclesia typus est, aliquando in Gentibus constituta, idolorum cultibus vitiata, quam vana superstitionis stupra polluerant, quam falsorum Deorum adulteram fecerat multitudo: lasciuoq; ac turpes incompositis motibus saltus, nemorum ac lucorum inculta lustrabat, dedita luxuriæ, pompa Gentilium mancipata. Hanc postea quã Dominus noster* IESVS *Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accepit & nominis.* Ita & S. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 89. ac S. Prosper lib. de Prædiction. & promission. cap. 15. part. 2. imò S. Paulus Rom. 9. 24. In huius rei typum Moyses duxit vxorẽ Æthiopissam Numer. 12. 1. *contra quam*, inquit S. Hieronymus in proœmio, *Aaron & Maria, carnale sacerdotium Iudæorum & prophetia littera seruiens, murmurant, & offendunt Deum. Quæ dixit in Cantico Cantici: Fusca sum & formosa, filiæ Ierusalem.* Christo ergo veniente in mundum dixit, iussitque pater: Sume tibi vxorem fornicariam, puta Ecclesiam ex Gentibus, ex eaque procrea filios, qui sint filij fornicationum, id est, matris Gentilis, sed ex patre, vtpote filio Dei, sint & ipsi filij Dei, ex quibus multi ad pristinam matris fornicationem sunt redituri, id est, concupiscentias suas secuturi, & peccaturi, ideoque à Deo puniendi & reijciendi.

7. *Permittit Deus immanes nobiles ignobiles vxores, bonos prauas quandoque ducere in panam peccatorum.*

Verùm cùm sanctis talia iubet Deus, absterget etiam omnem infamiæ & turpitudinis maculam. Vnde nihil offecit Prophetæ fornicaria n duxisse. Sunt alij qui libidine superati infames ducunt, sui ac totius cognationis fœda nota & infamia. Notum est claro stemmate natos aliorum Concubinas sibi adsciuisse in vxores: nobiles & optimæ expectationis iuuenes, noua Reipublicæ germina, mordicus ambijsse, & nullo honoris, ac amicorum habito respectu, infamia & publica scorta assumpsisse in conturbernales. Scio alicubi virginem nobilem foris agentẽ, cum omnium stupore matrimonium meditatam cum suo subulco. Res alijs omnibus visa admodum prodigiosa, illi erat amabilis & honesta. Vnde quæso hæc portenta, hæc fœda spectacula? Non ab alio, quàm à Deo permittente cuiusmodi insaniam in pœnam anteactæ libidinosæ vitæ, aut ad puniendum factum, nimiumque supercilium, nobilitatis, virtute destitutæ. Nihil enim casu contingit super terram. Idem sit iudicium de eo cui praua contingat vxor. Vide dicta Section. 9. in cap. 2. huius historiæ. Permittit vtique Deus certis de causis quandoque affectum cadere in talem, quacum præuidet fore nullam pacem: vt sic puniat hominem per ea quæ peccauit iuxta illud Sapient. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*; & illud Apocal. 18. de Babylone: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Abialon de suis crimibus gloriatus, ijsdem suspensus interijt. Sic passim videmus Deum luxuriosos pro voluptate & libidine, vel graui afflictione castigare, vel infestâ vxore exercere. Cùm autem videris bonum virum malam vxorem nactum, noli dubitare quin & hoc à Deo permittente sit. *Bona & mala, vita & mors, honestas & paupertas*, inquit Siracides, *à Deo sunt* Eccl. 11. Sic Iob & Tobias ad exercitium patientiæ prauas vxores nacti sunt. Ne mireris: quandoquidem Deus ad explorandam Iobi patientiam voluerit eundem dæmonum crudelitatem sustinere; Tobiam nostrum bonorum & visus iacturam facere.

8. *Ante coniugium Deus orandus est, & pœnitentia facienda de peccatis.*

Hic attentis, mi Christiane, ne dicas, Ego vxorem accersam mihi conuenientem, ego hanc vel illam volo: sed Deo rem totam committe. Ipsum ora, & pro peccatis si quæ commisisti, veniam deprecare, sic continget placidam tibi vxorem, tuisque moribus conuenientem à Deo tibi assignari: qualis fuit Rebecca Isaaco, Ruth Boozi, Sara Tobiæ iuniori. Sic, inquam, felix, fœcundam, & pacificum habebis coniugium. Si verò Deo placuerit te hoc instrumento exercere, vt Iobum & seniorem Tobiam, vt adamas, vt rupes fortiter consistes, non ues in verba blasphemiæ, neque maledictionis; sed quæ ædificabunt etiam alios, in medium produces, cùm ab vxore irritaris, & Dei gloriam propugnabis, vt illi clarissimè præstiterunt cap. 1. Iob & Tobias cap. 2. & 3. Vide ibi dicta.

SECTIO

SECTIO XI.

An conducat ad Matrimonij ſtatum reſpicere pulchritudinem, & bona fortunæ in coniuge futura.

ANGELVS Domini expreſſè inſinuat conducere ad Matrimonium tum pulchritudinem vxoris, tum fortunæ bona, nam verſu 13. ait: *Pete ergò eam à patre eius.* Græca addunt, *Puella enim pulchra eſt & prudens.* Et v. 12. *Tibi debetur omnis ſubſtantia eius, & oportet te eam accipere.* Veteres verò Patres magnoperè videntur redarguere eos, qui pulchritudinem & bona fortunę in coniuge reſpiciunt, ſpecialim Chryſoſtomus hom. 48. in Geneſ. *Attende quomodo veteres non quærebant ſubſtantiam multam, non diuitias, non ſeruos, non iugera agri, non externa venuſtatis formam; ſed animæ pulchritudinem, & morum nobilitatem.* Idque ratione Abrahæ, qui filio ſuo ex remotis Meſopotamiæ locis, animam indolis & ingenij præſtantiam redolentem, accerſiuit vxorem. Similiter loquitur hom. 74. in Matth. de qua poſt S. Ambroſius in exhortatione ad Virgines: *Meliori*, inquit, *conditione mancipia, quàm coniugia comparantur: in illis meritum emitur ſeruitutis, in iſtis pretium additur ad ſeruitutem. Nupta venalis auro granatur, auro æſtimatur.* Itaque homines pro mancipijs, imò & iumentis domũ inferendis pecunias erogant: pro ducendis vxoribus, exigũt. Quid iniquius quàm vt deterior vxorum, quàm iumentorum conditio habeatur. D. Thomas docet non licere ducere vxorem cauſa pulchritudinis. Angelus verbo *Matrimonium*, & Couarruuias in 4. Decretal. parte 2. c. 1. n. 7. affirmant eſſe peccatum mortale, contrahere Matrimonium propter pulchritudinem, aut propter diuitias.

Patres redarguunt reſpicere pulchritudinem aut diuitias in coniuge futura.

2. Breuiter harum partium diſſidium conciliabo. Sunt multi fines Matrimonij, alij primarij, alij ſecundarij. Primarius finis matrimonij erat in ſtatu innocentiæ, ad humani generis procreationem honeſtam, & educationem: *Maſculum*, inquit Geneſ. 1. *& feminam creauit eos, benedixitq; illis, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Ad hoc primò & per ſe fuit matrimonium inſtitutum in ſtatu innocentiæ. Alius eſt finis Matrimonij, ceterùm ſecundarius, & quaſi acceſſorius, & quidem priori tempore poſterior: Cùm enim per peccatum primorum parentum fœdæ libidinis vitium in humanam naturam irrepſit, factum eſt vt qui ſibi ſuæ infirmitatis conſcij, carnis pugnam ſuſtinere, vel nolunt, vel poſſunt; permittantur vti matrimonio,

Finis matrimonij in ſtatu innocentiæ quis?

Secundarius finis Matrimonij.

tanquam ſuæ incontinentiæ remedio ad vitandam fornicationem aliaque damnanda libidinis peccata, vt manifeſtè colligitur ex Apoſtolo 1. Cor. 7. *Vnuſquiſque*, inquit, *ſuam vxorem habeat propter fornicationem, & vnaquæque ſuum virum*, & paucis interiectis, *Reuertimini in idipſum ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* Et rurſus: *Qui non ſe continent, nubant.*

3. Ad hoſce fines oportet primùm reſpicere, deinde ſpectari debent virtus & mores. Inde laudatur Abraham quod ex remotis partibus vxorem filio quæſierit. *Nam quoniam*, inquit Chryſoſtomus hom. 48. cit. *videbat malitiam eorum, qui in Chananæa habitabant: præcipit ſeruo, & iuramentum adhibet, vt ex ſua cognatione vxorem adducat Iſaac: habeas reſpectum virtutum animæ, & abhorrens à vicinorum malitia.* Inde quoque laudatur ſeruus Abrahæ, quod ad hoſpitalitatem Rebeccæ reſpexerit: *Non*, inquit Theodoretus, *ſeruus ille Abraham dubitanter protulit orationem illam, vt quidam nimium ſimplices exiſtimant, ſed cùm Deum illius coniugij auctorem eſſe nouiſſet, ſigna quædam ſibi demonſtrari poſtulabat, per quæ ſcire poſſet, an coniugium Deo placeret: ſignum autem erat, non pulchritudo corporis, nec aliud quippiam eorum, quæ ſplendida putantur, ſed hoſpitalitas & affabilitas, atque animi manſuetudo. Cùm enim tam inſignibus earum virtutum ornamentis cumulatus eſſet dominus eius Abraham, volebat & ſponſam congruere moribus ſoceri, ne contentiones & diſſidia parerent mores contrarij. Quod autem qua locutus eſt ſeruus, non fuerint coniectitia, ſed fidei & religionis argumenta, primùm demõſtrat accurrata compoſitio orationis, deinde exſpectatio voluntatis diuinæ, id enim docet Scriptura, cum ait: Vir autem obſeruabat illam, & tacebat, vt ſciret an Deus direxiſſet viam ſuam, an non.* Ita ille q. 73. in Gen.

Spectari quoque debent virtus & mores in coniuge futura.

4. Præterea dicta homines moueri poſſunt ad contrahenda matrimonia, medijs, cauſis, & motiuis honeſtis & licitis: horum vnum eſt venuſtas & pulchritudo corporis. nam pulchrum ſuâ naturâ eſt amabile. & hinc Deuteron. 21. dicit Moyſes nomine Dei populo: *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuoſque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque eam habere, introduces eam in domum tuam.* Imò Iacob pro Lia quæ pulchra erat alijs ſeptem annis ſeruiuit Labano, *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*

Moueri licet homines ad matrimonium ob pulchritudinem, quandoquidem

5. Ex quibus dignoſcitur id eſſe licitum ſaltem quando pulchritudo ab altero coniuge ordinatur in honeſtum finem, nempe vt in ea ſiſtat coniugalis tam amor, quàm concupiſcentia. Sanè in Canticis ſponſus ſæpè canit, cupere ſe vehementer ſuæ ſponſæ faciem aſpicere, *Oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua*

Pulchritudo poteſt eſſe motiuum matrimonij.

in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora, Cant. 2. & millies illam formosam vocat, speciosam, immaculatam; quæ omnia oculos alliciunt, & capiunt. Dominus Deus cum in quadam strage prædiceret horribile quid futurum sine aliorum planctu, vellerque actiones Ezechielis Prophetæ hoc ipsum portendere: *Ecce ego*, inquit, *tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges*: In quo tibi maximè places, quodque studiosius & libentius intueris, vxorem tuam (quam vocat desiderabile oculorum) momento temporis sternam ac conficiam, & in domestico illo infortunio lachrymas cohibebis & gemitum.

Iob. 5. Vnus amicorum Iob Eliphaz nomine, hortans eum ad meliora inter alia beneficia quibus dicit illum, iam emendatum, cumulandum, ait: *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem tuam non peccabis.* Si hæc feceris, inquit, ô Iobe, quæ amicè moneo, habebis in tabernaculo tuo secunda omnia, ita vt in illo nihil habeas quod excruciet animum, aut oculos offendat. Nec deerit tibi vxor speciosa & grata, cui si, vt lex exigit coniugalis, assuescas, non peccabis; sed sine fastidio vllo atque peccato amatoriæ tuæ siti satisfacies.

6. Similitudo sumitur à Principibus eligendis.

Porro vti ad formam & pulchritudinem aliquo modo respicere, licet in Principibus deligendis, vt patet 1. Reg. 9. in Saule, *Electus & bonus*, inquit textus, *& nō erat vir de filijs Israel melior ille, ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Item in Dauide, 1. Reg. 16. qui electus à Deo rex, rufus & pulcher aspectu, decorâque facie dicitur. Vti, inquam, in principibus eligendis, ad maiorem gratiam in populo conciliandam, licet spectare formæ elegantiam; ita multò magis in matrimonio, ne ad alias maritus deflectat. Syracides omnem dubitationem explodit. *Omnem masculum*, inquit, *excipiet mulier: & all filia melior filiâ.* Sensus est: Mulier nuptura facilè quemuis masculum excipiet, vel suscipiet in virum, nec ita vt in plurimum solicita est ad discernēdum qualis sit futurus maritus, maximè quod ad pulchritudinem attinet, quæ non magnopere in viris requiritur. At inter filias in coniugium ducendas vna alteri longè est præferenda, atque delectus earum diligenter est habendus, vt non quæuis statim ducatur, sed inter multas deligatur quæ formę pulchritudine commendata sit. Hęc enim in fœminis magis expetenda est, quàm in viris. Quod plenius indicant verba sequentia, *Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.* Quasi dicat: Pulchritudo mulieris facit hilarem vultum viri sui, & excedere facit desiderium & amorem sui, super omnem aliam hominis concupiscentiam. Nihil enim aliud naturaliter magis ad desiderium sui accendit hominem, quàm pulchritudo mulieris. Proind: in ducenda vxore indicat formæ habendam rationem, quæ in coniugio virum oblectet, & in amore conseruet. Hinc 3. Reg. 1. Dauidis Regis familiares eidem quærunt *adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad Regem Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatq; cum Rege & ministrabat ei.* Pulchertimam quæsierunt illi vxorem, quia cùm deberet Regi semper astare, illiusque & ministrare cibos, & curare corpus, si aliquid in ea deformitatis inesset, & nausearet ad illius faciem, & fastidiret cibos ab illius manu porrectos: fieri enim solet, vt qui minus est ciborum appetens, imò nauseante stomacho, fastidit omnia, non solum patienter, sed etiam iucundè capiat cibos, quos condiuit, aut ministrauit ille, quem amat, aut in quo mundities est; & aliquot amoris blandimenta. Quo artificio vsus est Amnon lib. 2. Reg. cap. 13. vt suam sibi voluptatem impleret, qui non dubitabat hoc fuisse parenti notum, quando ab illo petijt simulato morbo, vt ad se mitteret sororem Thamar, de cuius manu cibos sumeret, quasi alij omnes fastidium mouerent stomacho, qui omne edulionum genus auersaretur.

Virgo pulcherrima cur Dauidi quæsita.

Ecclesi. 39.

Vxor pulchra viro cur potius ambienda.

7. *Forma elegantia sedat iracundos.*

Solet quoque ab iracundis tum maritis tum etiam extremis extorquere formæ dignitas & venustas, quod neque ratio impetraret, neque alia quæuis machinatio seu artificium exprimeret.

Esther Assuerum maritum, terribili aspectu pulchritudine sua partim ad mansuetudinem redegit.

Priùs apertè constat in Assuero. Veniebat ad eum Esther Regina deprecatura Regem pro populo suo, & roseo colore vultum perfusa tristem celabat animum. Non licebat sub pœna mortis non vocatæ accedere. Ingredietur tamen illa ad Regem terribilem aspectu. *Cumq; eleuasset faciem & ardentibus oculis furorem petteris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput.* Quem hic expectares euentum? nonne funestum? Audi meliora: *Conuertit Deus*, inquit sacer textus, *spiritum Regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiluit de solio, & sustentans eam vinis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur: Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Hactenus Rex erat leo, cuius aspectu tremunt, & cuius fremitu exanimantur belluæ minores: sed concessit Reginæ Deus quod ante petierat. Commutauit enim Regis animum, & ex leone intractabili, ac truci agnum reddidit mansuetum, qui neque fremere nouit, neque idonea habet ad inferendum vulnus instrumenta. Quare Regiæ maiestatis immemor exsiliuit à solio, & vlnis suis illam amplexatus, atque

que ſuſtentans vt reuocaret excedentem animam, his illi verbis amatorio more blandiebatur. *Quid habes Eſther?* Ecquis eſt languor iſte ô Regina? quod animi deliquium? Quem times? Frater tuus ſum & ſponſus, reuoca fugientem, & recrea deficientem animam, niſi vis me quoque tecum deficiente deficere, & moriente commori. Non eſt cur legem timeas, nam illius in Reginæ nomen, & coniugale fœdus exorè facit. Alios capite damnat Perſici decreti indicta ſeueritas: te ratio ipſa, & tori ſocietas reddunt immunem.

Sponſi fratres ſe & ſorores ſalutant.

In his amatorijs blandimentis Aſſuerus frattem ſe eſſe dicit, & conſequenter Reginam ſororem vocat, quæ vox omnem eximit perturbationem, & metum, tum quia amatoria eſt, & animorum coniunctionem ſignificat, ſicut inter ſororem, & frattem generis & ſanguinis communio. Tum etiam quia his ſe coniuges nominibus ſalutant, quibus arcta eſt, aut eſſe debet animorum, ſtudiorumque ſocietas. Sic in Canticis Canticorum ſororis, ac frattis nomen ſæpè auditur, quo ſe ſponſi amatoriâ compellatione ſalutant. Sic Prou. 7. Sapientia ſoror à nuptiali more ſumpta metaphora, appellatur, & eadem Sap. 8. eadem tranſlatione ſponſa vocatur. Hoc nomen reuocare potuit fugientem animam, & languenti, ac deficienti pectori inſerere virile robur & audaciam.

8. At dices: Pulchritudini hîc non aſſcribitur tanta Regis mutatio, ſed Deo. Verum eſt: ſed id cap. 5. planiſſimè pronuntiatur (vbi hæc omiſſa erant) *Die autem tertio*, inquit S. Pagina, *induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ, quod erat interius contra baſilicam Regis: at ille ſedebat ſuper ſolium ſuum in conſiſtorio palatij contra oſtium domus. Cumq; vidiſſet Eſther Reginam ſtantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, oſculata eſt ſummitatem virgæ eius.* Poſt triduanum ſaccum & ieiunium regalibus ornamentis induta, ingreſſa eſt ad atrium Regis interius, quod è ſolio ſuo videre Rex poterat, & quid in illo fieri diſtinctè, clarèque cognoſcere: vbi Regis vidit ardentes oculos, & furorem, qui toto ex ore crudeliter emicabat: & vnde Rex ipſe Reginam vidit timore pallidam, & exanguem, & penè exanimatam corruiſſe. Ex quo ſolio iam mutatus *feſtinus, ac metuens exiluit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis donec rediret ad ſe, bono animo eſſe iuſſit.* Vbi autem reuocatus eſt animus, & color redijt multo quàm antea gratior atque nitidior, adiuuante Deo, qui Regium animum repentè mutauerat, aſpexit Rex Eſtherem, quæ illius oculis vehementer placuit. *Dixitq; ad eam Rex: Quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* En pluris facit pul-

Mauden in Tobiam.

chritudinem, quàm dimidium imperij ſui. Itaque Deus prius cõuertit leonem in agnum; ſed pulchritudo ad eam adduxit benevolentiam, vt medietatem regni offerret Rex.

Poſteriùs patet in Iudith, quæ ad Holofernem tendens, ſeſe omnibus ſuis ornamentis decorauit, confidens aſpectu ſuo gratiſſimo, & aſcito pulchritudinis adiumẽto, adducere poſſe Holofernẽ, vt traduceret exercitum, & Bethuliæ ſolueret obſidionem. Quam confidentiam euentus docuit non fuiſſe ſine ratione: Cùm enim exploratores Aſſyriorum illam acceſſiſſent, & loquentem audiſſent, *conſiderabant faciem eius: & erat in oculis eorum ſtupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. Et dixerunt ad eam, Conſeruaſti animam tuam, eò quod tale reperiſti conſilium, vt deſcenderes ad Dominum noſtrum*, &c. Demum ducta ad tabernaculum Holofernis, ſtatim ille *captus eſt in oculis ſuis.*

9. *Iuditha pulchritudo, occaſio fuit liberationis Bethuliæ.*

Hac de cauſa exiſtimat Abulenſis, Iezabel ad ingreſſum Iehu, 4. Reg. 9. faciem ad pulchritudinem, & caput ad dignitatem compoſuiſſe, vt videlicet gladium Iehu, quem filij ſui ſtillantem recenti ſanguine videbat, à ſuo iugo depelleret, & oculos caperet aduerſarij: vt ſi minus vxor, ſaltem concubina ipſius thalami conſors haberetur; quòd pulchritudo ſoleat fœuitiam temperare quantumuis inflammatam. Quis enim niſi humanitatem prius exuiſſet, faciem alterius pulchram, aut contriſtare voluit, aut deformare, niſi inuitus? Dixit enim optimè Socrates, pulchritudinem tutelam eſſe fœminarum; & Carneades ἀδεσποτότατον βασιλέα, vocauit pulchritudinem, ac ſi diceret regnum ſine ſatellitio: quia ſatis habet ſibi præſidij contra hoſtilem vim, atque furorem formæ venuſtas. Notum eſt illud quod de meretrice Phryne Pauſanias tradit lib. 1. in Atticis. Et Plutarchus in vita Hyperidis. Quæ cùm in iudicio Athenienſi foret accuſata, neque propter ſceleris turpitudinem ſperaret ſe laturam impunitam ſcelus, quod grauiſſimi oratoris oratione obtinere non poterat; id ſua pulchritudine tandem obtinuit.

Pulchritudo magnum eſt fœminis præſidium contra vim etiam armatam.

10. *Ex vxore pulchra naſcuntur pulchra proles.*

Tum etiam formæ ratio haberi poteſt, vt ex pulchra proles naſcuntur vegetiores & pulchriores, nullóue deformitatis vitio deſpicabiles. Hoc addidit Eliphaz loc. cit. Iobi: *Scies*, inquit, *quoniam multiplex erit ſemen tuum: & progenies tua, quaſi herba terræ.* quaſi dicat. Et reipſa experieris illicò numeroſam prolem, & honeſtam ab honeſta, & pulchra coniuge, ſuſceptam, quæ cum herba terræ ſpecie ac numero comparari poſſit. Hæc etiam Dauid promittit viro, qui timet Deum: quem etiam beatum appellat Pſal. 117. in quo fœcunditatem laudat in vxore adiunctam pulchritudini; vtrumque enim habet, vitis; cui ſimilis

esse dicitur: *Vxor tua sicut vitis abundans in latéribus domus tuæ: filij tui sicut nouellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Hoc idem licet paulò obscurius significatum est Cant. c. 7. vbi venter sponsæ dicitur, *sicut acervus tritici vallatus liliis.* Comparãtur porrò filij cum herba terræ non solùm propter multitudinem, sed etiã propter speciem: herba enim viridis est, & semper accedit aliquid quod illam exhilaret, & ornet. Neque parenti optanda esset magna filiorum soboles, si illos distorto, ac deformi corpore, aut ingenio stolido esse contigisset.

Filij comparantur herbæ, quare

11. *Dos, opes motiua etiã matrimonij.*

Quod dixi de pulchritudine, illud idem videtur asserendum de dote, opibus, & commodis: nihil enim vetat quo, minùs ex causis iustis à nobis desiderentur, & appetantur, putà, vt honestam cum coniuge & familia quis habeat sustentationem, vt liberis educandis atque instituendis sit commodè prospectum, vt honestum eis patrimonium relinquat, vt habeat vnde liberaliter tribuat egenis: imò hoc idem est iudicium de omnibus causis indifferentibus.

12. *Quomodo respiciendæ illæ externæ in coniuge?*

Hoc modo respicere ad diuitias & pulchritudinem post primarium finem, nempe generationem prolium, non est vituperabile. Hoc est quod voluit docere S. Thomas, cùm dixit non licere ducere vxorem causa pulchritudinis: vt scilicet sola pulchritudo te à celibatu auocet ad coniugium: sed tamen posito, quod velis ducere vxorem, licere pulchram eligere præ turpi, idque ob suauiorem conuictum, & constantiorem amorem. Similiter iudicandum de diuitijs. Et sic intelligendi sunt Theologi qui arguũt peccati mortalis propterea contrahentes. Supponunt enim eos ex motiuo pulchritudinis aut diuitiarum contrahere non quolibet modo, sed ex motiuo præcipuo & principali, vt habeant scilicet venustam & formosam, aut etiam diuitem vxorem, sepositio fine principali, propter quod Deus Matrimonium instituit, aut saltem secundario, quem Deus post lapsum indulsit. Quid quæso mundum aquis diluuij perdidit? Audi diuinum oraculum, *Videntes Filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Sed nunquid malum nubere? Minime: sed ex solo motiuo pulchritudinis, spretis primarijs finibus, nubere malum est. Animaduertit id, Chrysostomus hom. 22. in Genes. vbi sic ait *Concupiscentia illos in hanc induxit perniciem, pulchritudo aspectu, intemperantia eis occasio fuit, à pulchritudine victi sunt, & frænum imponere inordinatæ concupiscentiæ suæ noluerunt, sed specíando capti, submersiq; sunt, & ob impium hoc opus indignos se fecere, quorum superne Deus curam ageret; non enim lege nuptiarum, neque procreandorum filiorum gratia hoc fecerant, propterea dicit, quod videntes pulchras.* Quia ergo illi ex solo motiuo pulchritudinis, & concupiscentia, non ex sancto matrimonij fine, neque habito respectu, quid ex prauitate filiarum Cain oriri posset mali, vxores acceperunt indignos se constituerunt, *Vt Deus de eis curam ageret*, hoc est, vt eos à malis liberaret, vt eos defenderet, vt sanctam eis daret prolem, sed si ipsi mali, pessimi ex eis fuerunt procreati filij, & tandem aquis diluuij omnes immersi, non ergo mirum; si mali, & iniqui, parentibus nascantur filij si bonorum dissipatores, parentibusque iniurij, si domorum penitus euersores, si tandem in infinita malorum barathra incidant coniugati, miserèque motiantur, videant an ex concupiscentia nupserint, & non mirentur.

Pulchritudo mundi perditio.

Nubere ex concupiscentia malum.

13. *Quomodo Patres intelligendi.*

Sic igitur, Patres interpretandi sunt, quando taxant respectum diuitiarum & pulchritudinis, contemptâ virtute & bonis moribus, vt patet ex eorum sententijs suprà citatis, & magis apud Chrysostomum hom. 74. in Matth. *Quis*, inquit, *vxorem ducturus, quibusnam sit moribus, & quomodo puella educata sit, inuestigat? Nullus omnino: sed pecuniæ statim, possessionum magnitudo & supellectilium quæritur. Hoc quasi quicquam empturus esset, vel permutationem quandam facturus, diligentius perscrutatur: ac ideò synallagma, id est, commutationem sive contractum, nuptias appellant. Audiui enim multos dicentes, ille contraxit cum illa, id est, coniugio copulati sunt. Ita dona Dei vituperant, cùm quasi vendentes, ac ementes vxores viri ducant: & viris nubant mulieres. Stipulationes quoque nuptiarum maiore astutiâ componunt, quàm eas, quæ in emendo & vendendo confici solent.* Et immediatè post ad exemplum priscorum patrum nupturientes ablegat: *Discite*, inquit, *quomodo priores, vxores ducebant, & imitamini, quo pacto ergo ducebant? Ingenium, mores, animi virtutem quærebant, ac ideo stipulationibus, & longa instrumentorum serie non indigebant: sufficiebat enim loco istorum omnium sponsæ indoles.*

14. *Sine virtute cætera eorum.*

Ratio eorum erat, quòd sine virtute cætera nihil prosint. Hoc non obscurè insinuauit Hebræus Sapiens, Prouerb. 21. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Apositè Chrysostom. hom. 20. ad Ephes. *Quod si laudaueris*, inquit, *ipsam propter pulchritudinem, tam ista, & rursus illud odium, intemperantium est, & lasciuorum animorum, Et ipsa dilectio anima pulchritudinem quærit. Ecclesia sponsum imitare. Externa corporis pulchritudo plena est multa superbia & arrogantia, atque in zelotypiam conijcit, absurdáque plerumque suspicari facit. Sed voluptatem habet? vsque ad primum scilicet, aut secundum mensem: aut si multum vsque ad annum. Deinceps verò non ita, sed per consuetudinem tabescit illius admiratio. Interea tamen mala illa, quæ ex pulchritudine nascuntur, manent, vt sunt fastus, arrogantia & contemptus. In ea verò quæ adeò formose corpore non est, nihil tale metuendum, sed retrà primus*

primus amor admodum perdurat, eò quòd anima formosa est, non corpus. Quid calo, dic quaso, pulchrius quid pulchrius astris? Iam quodcumque produxeris corpus adeò candidum non est, quoscumque narraueris oculos adeò hilares non sunt. Quum verò ista fierent, angeli etiam stupebant & admirabantur. Et nos quoque iam admiramur ea, sed non aquè vt ab initio. Nam consuetudo facit, vt etiam talis ac tanta pulchritudo non ita nos stupefaciat. Quantò magis illud in muliere vsuueniet? Deinde quamprimum morbus aliquis corpori formoso incubuerit, mox omnis illa pulchritudo euanuit. Quin potius benevolentiam, animum modestum, mansuetudinem quaramus in vxoribus. Ista sunt vera pulchritudinis nota. Corporis pulchritudinem non quaramus. Hactenus Chrysost. disertè & verè. Nonne quotidiana experientia docet à consuetudine marcescere miraculum? Plerique viri dum pulcherrimas & formosissimas habent cõtubernales, multoties ijs contemptis aliarum etiam turpium & incomptarum amore abducuntur, quia aliquid in proprijs sese prodit, quod displicet; sed nouæ placent, licet deformes, quia nouæ.

Vxor pulchra difficile custoditur.

Adhæc timore Dei carens difficile custoditur. huc seruit illud Theophrasti apud D. Hieronymum lib. 1. contra Iouin. *Pulchra*, inquit, *citò adamatur difficile autem custoditur quod plures amant, nihil tutum est in quod totius populi vota suspirant: alius formâ, alius artificio & ingenio, alius facetijs, alius liberalitate sollicitat: Aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod vndique incessitur, omni quantumuis circumspecta, & prudens custodia illuditur.* Nil verius, quod dixit Theophra. pericula indicens marito ex muliere pulchra, quæ nisi miraculo vix euadet. Hoc considerandum in Sara, quia pulchra, quam nisi Deus miraculo defendisset, perijsset: hoc in Sancta illa Susanna; addicta morti fuisset, nisi spiritum pueri Deus suscitasset: hoc in Tamar, quæ quia pulchra, nec à periculo eximit in domo esse regia, & Regis filia. Quale ergo periculum subibunt cæteræ, quæ non Regis filiæ, non potentes, non associatæ, sed solæ, in quibus Dei timor locum non habet? Hinc prudenter Chrysostomus hom. 20. cit. dehortatur à pulchra vxore: *An non videtis*, inquit, *quot eorum sint, qui cum formosis vxoribus cohabitauerint, vitam suam miserè duxerunt? immò subuerterint? Et rursus quot eorum, qui cum non admodum pulchris cum magna immunditate ad extremam vsque senectutem pertigerint? Internas maculas extergamus, internas rugas explicemus, eas auferamus maculas quæ in anima sunt. Talem pulchritudinem quærit Deus. Deo pulchritudinem istam comparemus, non nobis. Non quæramus pecunias, neque nobilitatem istam externam, sed nobilitatem & generositatem animæ.*

Mulier pulchra nisi miraculosè à periculo non euadet.

Pulchritudo animæ in vxore spectanda.

15. *Non esse* Quantùm ad diuitias attinet, laudat Booz ipsâ Ruth, quòd eò non respexerit: cùm enim expeteret illum in coniugem, quòd propinquus esset, *Benedicta es*, inquit, *à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuuenes pauperes siue diuites. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus qui habitat intra portas domus meæ, mulierem te esse virtutis.*

quærendam vxorem diuitem & non virtuosam, & quare

Sensus est, Optas mecum coniugale fœdus, ô Ruth, & ego opto tibi à Deo omnia secunda; & merita tua sic amplifico, vt cùm priora magna fuisse fateor, plus tamen laudis posterioribus tribuam. Magnum fuit sanè meritum, & opus misericordiæ prorsus eximium coluisse coniugem dum in viuis ageret studiosè, & piè; & mortuum quoad potuit officiosè fuisse prosecutam; sed fuit maius pietatis officium, quod in mortuum virum exhibere voluit, cuius noluit, quoad eius fieri potuit, perire aut obscurari memoriam. Nam cùm puella esset eximiæ formæ, quam neque adolescentes, neque viri meliori conditione respuerent, ab illorum tamen nuptijs adhorruit; aut consuetudine vulgari; & illius torum, & nuptias experiuit, ex quibus prolem susciperet, quæ defuncti viri nomen assumeret, & illius perpetuò memoriam conseruaret. Hoc autem misericordiæ est opus singulare dare mortuis vitam, & illis præbere, quòd magnum videbatur in dolore, & solitudine solatium. Quod vt faceret, patriam deseruit, vbi cœuum, & æqualem coniugem habere non potuit, quia ibi prior coniux cognatum habuit nullum, qui semen excitaret defuncti, & alienam adijt regionem, vbi ducere posset ex eadem familia & cognatione virum. Hac ratione motus Booz voluit ostendere se non habere animum alienum à nuptijs cum Ruth, vnde eximens illi omnem metum, vt meliora speret, hortatur, dum ait: *Noli metuere*, &c. & omninò promittit se facturum, quidquid illa factum esse vellet, neque illam licet alienam ab Israëlitico genere, & re inopem, & ab omni destitutam auxilio talibus nuptijs indignam videri. Satis enim esse dotatam, quæ ad coniugale fœdus bonos mores, & vitam inculpatam attulerit, idque alijs omnibus esse compertum. Quod quidem ornamentum dotale inesse Ruthæ non ignorabat: *Scit enim*, inquit Boozus, *omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis.* Vnde resolutè Chrysostomus: *Nemo vestrum*, inquit, *opulentiorem vxorem ducere studeat, sed multò magis pauperiorem. Non enim opulenta tantam voluptatis materiam ex pecunijs suis adferet, quantam tristitiam ex opprobrationibus, ex eo quod plura quàm attulerit exiget, ex conuitijs, ex sumptuositate, ex onerosis & intolerabilibus verbis. Dicet enim fortè: nondum tuorum quidquam insumpsi. Adhuc vestibus meis induor, illis amictor, quæ mihi parentes dederunt.* Et alib

Ruth fœmina fuit virtuosa, licet inops.

Virtus fœminæ prædota.

Hom. 20. in Ephes.

introducit Eliezerem quærentem virginem hoſpitalem Iſaaco in vxorem: *Illam quæro*, inquit, *virginem, quæ tam hoſpitalis eſt, vt nullum quantum poteſt recuſet miniſterium: idq; non temerè facit: ſed quia in eis fuerat educata ædibus, in quibus maximè colebatur hoſpitalitas: proinde mores quærit herorum ſuorum moribus conſimiles, ducturus ſponſam in ædes patentes hoſpitibus. Sic ergo cogitabat: ne qua rixa oriatur inter ipſam & coniugem, dum maritus ſua benignè communicat, in hoc à patre non degener, & hoſpites vltrò inuitans, hæc contra pra nimia parſimonia id vetat, & non ſuſtinet, vt ſit in pleriſq; domibus, iam nunc experiri volo quàm hoſpitalis ſit: quandoquidem hoſpitalitati omnem noſtram fœlicitatem debemus. Per hanc ſponſum ipſum herum conſecutus eſt, per hanc pater factus eſt, vitulum mactauit, & accepit filiorum. Farinam fermentauit, & quanta ſtellarum eſt, multitudinem nepotum ei Deus eſt pollicitus. Quando igitur hinc omnia bona influxerunt in noſtram familiam, hanc virtutem requiras ante omnia.*

Hom. Quales ſint ducenda vxores.

Probroſum eſt ab vxore ditari.

Idem Auctor homil. cit. 74. in Matth. probro vertit, quod aliquis dicatur ab vxore ditatus: *Sed ille atque ille, inquies, vxoris opibus locupletatus eſt: non erubeſcis talia in medium exempla proferre? Centies prudentes viros dicere audini, malle extremâ paupertate ſe laberare, quàm vxoris facultate ditari. Quid enim amarius his diuitijs? quid moleſtius hac rerum facultate? quid turpius quàm inde ita inſignem fieri, vt ab omnibus dicatur, ab vxore ille locuples factus eſt? Intrinſecas enim modò ſolicitudines ac moleſtias omitto, arrogantiam mulieris atque iactantiam, ſeruitutem viri, famulorum opprobria, pauper iſte dicentium, ac pannoſus, ignobilis eſt ex ignobilibus. Quid enim habuit quando huc venit? nonne vniuerſa hæc Domina noſtra ſunt?*

16. *Pulchritudo laudatur quæ virtutē habet comitem.*

Itaque non eſt ambienda vxor quæ ſolum diues ſit aut pulchra, & virtutibus carens. Nam Scriptura non laudat pulchritudinem niſi virtute comite, vt Danielis 13. de Suſanna: *Accepit vxorem nomine Suſannam filiam Helciæ pulchram nimis, & timentem Deum.* Angelus hic de Sara. *Puella enim pulchra eſt & prudens.* Hinc Chryſoſtomus homil. 74. cit. *Quare vos hortor, ne facultates & copiam rerum, ſed modeſtiam & mores quæratis: quæ pudicam & religioſam puellam, & hæc tibi magno theſauro erunt præſtantiora. Si enim quæ Dei ſunt quæritis, hæc quoque tibi addentur: ſi verò illis omiſſis ad hæc rapienda feſtinas, & illa amittes, & hæc non conſequeris.*

Mulier pulchra & fatua comparatur ſui circulo aureo deformato.

Veriſſimè Hebræus Sapiens, Prouerb. 11. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. Sicut enim ſus inquit Lanſenius circulo aureo naribus infixo non nouit benè vti, ita nec mulier ſtulta ſuâ pulchritudine. Deinde quia ſicut ſus circulo aureo non cohibetur à ſuffodienda terra, ſed nihilominus ſe cœno immergit, circulumq; fœdat: ita & mulier vecors, cùm pulchritudine ſua gloriam ſibi comparare deberet, non eâ tamen retrahitur à voluptatum illecebris, ſed voluptatum cœno ſe immergit, ſicq; pulchritudinem ſuâ inſipientiâ fœdat & obſcurat.*

Videat itaque qui ſapit, quâ intentione ad matrimonium procedit; hinc enim tota res & ſalus pendet. Orta eſt quondam inter eruditos ac Religioſos viros quæſtio, quis omnium Ordinum ſit rigidiſſimus? Varij varia ſuper ea quæſtione pronunciarant: illi S. Brunonis, hi, S. Franciſci rigidos fratres Capucinos, alij Ciſtercienſes, alij alios vitam maximè auſteram viuere cenſebant. Tandem vnus auditis omnium ſententijs: Pace, inquit, veſtrâ dixerim, viri; qua de ſcientia non malè, qua de experientia iudicaſtis peſſimè: Non eſt in Orbe Ordo magis adſtrictorij rigoris, quam ſit Matrimonium: idque argumentis diuerſis firmare ingreſſus eſt. Veriſſimè hic omnium videtur dixiſſe, ſiquidem non eâ quâ par eſt intentione matrimonium ineatur. Qui aut Reginam Pecuniam, aut Dominam formam, aut Heram Nobilitatem tantùm in coniugem aſciſcit, miſerijs ſeſe implicat innumeris; verè in ordinem hic ſeſe redigit, ſed rigidiſſimum: Vxorem ducit, libertatem vendit. Ita ſolet Deus ſæpiſſimè corruptam Intentionem punire (experientia loquitur) vt qui delicias, aut diuitias ſolùm quæſijt, rixas & diſſenſiones inueniat perpetuas. Heu quid æquè miſerum eſt, quàm toties vel ab inuito confeſſionem hanc edi? Nec poſſum tecum viuere, nec ſine te.

17. *Recta intentione ad matrimonij eſt procedendū.*

Matrimonij nil omnium Ordinum rigidiſſimum.

Hoc tale coniugium inteſtinis bellis affligitur, rectè dixeris viuum inferorū ectypon, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Videte igitur, qui coniugium cogitatis, vt illud ſine ſupradicto ordiamini. Non enim proſapiæ ſolùm, neque ſolùm formæ, aut pecuniæ nubendum eſt: optimi ac probiſſimi mores quærendi ſunt. Inprimis illud curandum ne impares iungantur. Hæc enim imparitas non poteſt non eſſe ſeminarium litigij. Ante omnia recta ſit oportet vtriuſque coniugis intentio, ne vt Achab & Iezabel, ſed vt Tobias & Sara, vt Ioachim & Suſanna, Zacharias & Elizabeth conueniant. Huius intentionis formulam dat Tobias iſtam, *Domine, tu ſcis quia non luxuriæ cauſa accipio coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.*

Matrimonium non bene ſine timore, imo ſerui eſt ectypon.

SECTIO XII.

An bonum sit alicui consulere Matrimonium. Et cur filia petenda à patre.

1 ANGELVS Domini suadet Tobiæ petere filiam Raguelis in coniugem: *Oportet tam te accipere* coniugem, inquit, *Pete ergo eam à patre eius*. Quòd non solum est consulere matrimonij statum, sed quodammodo vrgere. Angeli consilium & instantiam esse bonam nemo ambigit. An verò hominibus alij vtiliter matrimonium consulant, iam disceptandum est. Scio quod quibusdam hæc quæstio videbitur paradoxa, ijs, inquam, qui Gentilium mores sectantur: nam illi sibi persuadebant impuras voluptates ita esse hominum naturæ consentaneas, vt hebetis, ac stupidi, vel stipitis potius sit eas aspernari, & iuxta Salomonem Eccles. 10. *In via*, inquit, *stultus ambulans cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*. & Suetonius de Nerone omnium scelerum cœto cooperto, testatur cap. 26. persuasissimum habuisse, *Neminem hominum pudicum, aut nulla ex parte purum esse*.

2. *Impura voluptates apud Gentiles ferè naturales.*

In primitiua Ecclesia admirabantur gentes, cùm viderent tam castè, atque alacriter abstinere Christianos non solum ab impuro, damnatoque concubitu, sed etiam à coniugali atque legitimo; quod esse supra naturæ modum dicebat Augustinus, nondum expertus quid fortitudinis haberet à Domini præsidio imbecilla caro, & ad libidinem prona. Hoc ipsum de matre Chrysostomi, quia secundas nuptias non iniuit, mirabantur omnes. Communem autem hanc fuisse admirationem in Ecclesiæ primordijs docet Petrus Epist. 1. ca. 4. vers. 4. *In quo admirantur non concurrentibus in eandem luxuriæ confusionem*. Gentiles ait admirari morum mutationem, quam in fidelibus animaduertebant, & ad rem insolitam, ac nouam, planeque inauditam stupuisse, quod videlicet concupiscentias vincerent, quibus ipsi indulgentes, & mancipati putabant hominem non posse carere. Et certè ingens est miraculum videre Gentilem, factum Christianum, subitò mores in contrarium mutare, vt fiat nouus homo, ex ebrio sobrius, ex incesto castus, ex superbo humilis, ex animali spiritualis. Sed ea est vis legis Euangelicæ & gratiæ Christi, de qua Psaltes Psal. 18. v. 8. *Lex Domini*, inquit, *immaculata conuertens animas*.

3. *Castitas olim Christianorum Gentilibus summæ admirationi erat.*

Apud Hebræos, vt apparet, non fuisset hæc oportuna quæstio, nam in veteri testamento consistebat in multa prole omne bonum. Dicitur de hac re Hieronymus Epist. 22. ad Eustoch.: *Aliæ fuit*, inquit, *in veteri lege felicitas. ibi dicitur beatus, qui habet semen in Sion, & domesticos in Ierusalem.* ■: *Maledicta sterilis, quæ non pariebat.* Et: *filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.* Et: *Repromissio diuitiarum.* Et: *Non erit infirmus in tribubus tuis.* Nunc Eunuchis dicitur: *Ne te lignum arbitrereris aridum. Habes locum pro filijs & filiabus, in cœlestibus sempiternum. Nunc benedicuntur pauperes, & Lazarus diuiti præfertur in purpura. Nunc qui infirmus est, fortior est. Vacuum erat orbis: & vt de typicis taceam, sola erat benedicto liberorum. Propterea & Abraham iam senex Cethuræ copulatur, & Iacob mandragoris redimitur: & conclusam vuluam in Ecclesiæ figuram Rachel conqueritur.*

4. *Felicitas V. T. consistebat in multa prole.*

Sic contingeret sectatorem Heluidij hanc quæstionem audire, ille excandesceret, quia Heluidius volebat eiusdem gloriæ esse virgines & maritatos, teste Hieronymo lib. aduersus Heluidium; à quo non dissentiunt Nouantes, virginum aduersarij, apud quos nullus status præterquam matrimonialis viget. Cæterùm euidens est sub Vet. testamẽto plures virginitatem coluisse mundo satis multiplicato (adeoque prætulisse matrimonio, suoque exemplo virginalem statum potiùs consuluisse, quàm matrimonialem.) De his sic Hieronymus Epist. 22. ad Eustoch. *Paulatim verò increscente segete, messor immissus est: Virgo Helias, virgo Helisæus, virgines multi filij Prophetarum. Hieremia dicitur*: Et *tu ne accipias vxorem. Sanctificatus in vtero, captiuitate propinqua, vxorem prohibetur accipere.* Idem libr. 1. aduersus Iouinian. cap. 13. eum reprehendit, dum contrarium sustinet: *Eliam*, inquit, *& Elisæum quàm stultè Iouinianus in catalogo posuerit maritorum, me tacente, manifestum est. Si enim Ioannes Baptista venit in spiritu & virtute Eliæ, & Ioannes virgo est; vtique non solum in spiritu eius venit, sed etiam in corporis castitate. Superfluum autem est de Daniele dicere, cùm Hebræi vsque hodie autument, & illum, & tres pueros fuisse eunuchos, ex illa Dei sententia, quam Isaias loquitur ad Ezechiam. Et de filijs tuis, qui nascentur ex te, tollent, & facient eunuchos in domo Regis.*

5. *Cælibatum in Vet. Test. Deo gratior matrimonio.*

Ioannes Damascenus planissimè ostendit cælibatum fuisse in veteri testamento Deo, gratiorem matrimonio: *Elias*, inquit, *ille, inquam, ignem spirans auriga, ac calipeta, an non cælibatum amplexus est: eiusq; virtutem humana conditione præstantior euectio comprobauit? Quis cælos clausit? Quis mortuos ad vitam reuocauit? Quis Iordanem scidit? An nõ cælebs Elias? Quid ipsius discipulus Elisæus? an non cum eiusdem virtutis specimen edidisset, spiritus gratiam, quam duplam petierat, est consecutus? Quid tres pueri? nonne cum virginitatem coluissent, ignis ardorem superarunt? id videlicet per virginitatem adepti, vt eorum corpora igne confici minimè possent? Nam quid de Daniele dicam, cuius corpus virginitate ita obduratum est, vt ferarum dentes*

tes ei infigi nequiuerint? ita habet lib.4. Orthodoxæ fidei, cap.25.

6. *In nuptiis Testis virginitas à Christo est introducta, & præstantior matrimonio cõmendatur*

Tempore Euangelij Christus virginitatem & induxit, & præ Matrimonio suasit. Prius expressè asserit Hieronymus: *statim*, inquit, *vt filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, Angelos haberet & in terris.* Venustè D. Bernardus serm.59. in Cantica ad illa verba ex cap.2 vers.12. *Vox turturis audita est in terra nostra. Vox*, inquit, *turturis, prædicatio castitatis. Neque enim à principio vox ista in terris audita fuit, sed magis illa, crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Genes.1.vers.28. *at vbi insonuit ex ore cælestis turturis commendatio illa spadonum, qui se castrauerunt propter regnum Dei. Et iterum castissimæ turturis consilium de virginibus inualuit.* 1.Cor.7.ver. 25. *tunc primum dici veraciter potuit, quia vox turturis audita est in terra nostra, sonuit vox, splenduit flos.* Quasi verò à prædicatione Christi Domini, turbulenta hyems concupiscentiæ expelli cœperit; & noui flores, noua germina castitatis in orbem propagari. Cùm D. Bernardo concordat D.Hieronymus Epist.11.ad Gerontiam. *Etsi*, inquit, *post diluuium, & ante diluuium viguit illa sententia, crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quid ad nos? quibus dicitur, Tempus breue est, & iam securis ad radices arborum posita est, quæ filiam legis, & nuptiarum, Euangelicâ castitate succidat.* Et paulò pòst: *Olim gloriæ erat illum audire versiculum; Filij tui sicut nouella olearum in circuitu mensæ tuæ. Et videns filios filiorum tuorum.* Psal.127. vers. 3. & 6. *Nunc de continentibus dicitur: Qui adhæret Domino vnus spiritus est.* 1. Corinth. 6. v. 17. &c.

Posteriùs patet ex præmio promisso virginibus Isaiæ 56. vbi sic loquitur Propheta de tempore noui testamenti: *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen sempiternũ dabo eis, quod nõ peribit.* quasi dicat: Ne dicat Eunuchus se lignum esse aridum, & inutile, atque ideò ad Ecclesiam aditum sibi non patere, quemadmodum à templi olim arcebatur ingressu, iuxta decretum Deuteron. 23. Sic enim Dominus ad Eunuchos: Qui custodierit sabbathum, & ea præstiterit, quæ sabbathi religio requirit, voluntatiq; meæ fuerit obsequutus, & fœdus, quod cum hominibus ferio, susceperit, tenueritque constanter, quicumque ille sit, nihil habebit minus, quàm qui maximè olim à me ornati sunt. Admittam enim illos in domum meam, à qua lex illos antiqua repellebat; & intra muros meos firmo, atque securo præsidio continebo. Accederóque gloria longè maior, quàm quæ parentibus ab ingenua, atque numerosa prole contingit. Dabo enim illis sempiternum nomen, quod nulla deleat sæculorum diuturnitas, aut obscuret obliuio. Hæc quoad litteram. Symbolicè verò sermo est de Eunuchis spontaneis & spiritualibus, de quibus Matth. 19. Christus: ita vt valdè commendet & amplificet vitam illam cælibem, & castam, quam stulta hominum multitudo: & hæreticorum væsania, & intemperantia in omnem turpitudinem proiecta infelicem vocat, & arido ligno quàm simillimam. Nam honor longè maior accedit virginibus à morum puritate, & corporis mundiria, quàm parentibus à filiorum ingenuitate, & gloria. Sanctus Basilius paraphraslicè de hoc nomine agens: *Pro humano*, inquit, *nomine, Angelorum immortalium eis nomen dabo, quod non deficiet: vt ipsi sibi in æterna vita, pro successione generis sufficientes, & locum inter Angelos habeant, & nomen pro eximia virtutis splendore indelebile.*

A Est enim virginum nomen est.

Alludit itaque ad locum Matth. 19. vbi Christus Dominus tentatus à Phariszis, vtrum secundum legem Moysi vxorem licereadimittere, omninò fieri prohibuit, quod discipuli considerantes dixerunt ei: *Si talis est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Quibus ille respondit: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de vtero matris ita sunt: & sunt eunuchi, qui ab hominibus eunuchizati sunt: & sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* D. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinian. luculenter hunc locum explicat: *Proponit præmium*, inquit; *inuitat ad cursum: tenet in manu virginitatis brauium: ostendit purissimum fontem, & clamitat: Qui sitit, veniat, & bibat: qui potest capere, capiat. Non dicit, velitis, nolitis, bibendum vobis est, atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere, atque potare, ille vincet, ille satiabitur. Et ideò plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi nõ fuerat imperatum. Maioris q; gratiæ est, offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. Apostoli, vxoris onera contemplati: Si talis est, inquiunt, causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quorum Dominus sententiam probans, Rectè quidem sentistis, ait, quod non expediat homini, ad cælorum regna tendenti, accipere vxorem: sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud, verùm quibus datum est. Alios eunuchos natura facit, alios vis hominum: mihi illi eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas: libenter illos in meos sinus recipio, qui se castrauerunt propter regnum cælorum: & ob meæ cultum voluerunt esse, quod nati sunt. Simulq; tractanda sententia, Qui se, inquit, castrauerunt propter regnum cælorum. Si castrati mercedem habent regnum cælorum: ergò, qui se non castrauerunt, locum non possunt accipere castratorum: Qui potest, inquit, capere, capiat. Grandis fidei est, grandisq; virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre*

Tria genera Eunuchorũ.

Imper præmium constantium & incontinentium.

re Domino: & ,iuxta eundem Apoſtolum, eſſe ſanctum corpore & ſpiritu. Hi ſunt eunuchi, qui ſe lignum aridum ob ſterilitatem putantes, audiunt per Iſaiam, quod pro filijs & filiabus locum habeant in cælis paratum.

1. Cor. 7.

Vides Euangelium cum Prophetia conuenire, & Dominum præ matrimonio virginitatem conſulere. Bellè Hieronymo ſuccinit Chryſoſtomus homil. 63. in Matth. *His omnibus*, inquit, *occultè ad optandam eligendamq; virginitatem inducit: poſſibile namq; id eſſe hominibus hoc ferè modo confirmat. Cogita tecum, ſi aut à natura eunuchus eſſes, aut iniuriâ hominum ſic effectus: quid faceres cùm & huiuſmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem conſequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia, rutilantesq; coronas habebis, ſi ita vives, quemadmodum ſine aliquo illi præmio: immò verò multò facilius, tutius atque iucundius, tum quia ſpe retributionis corroboraris, tum quia conſcientia virtutis gaudes, & adhæc non ita ingentibus cupiditatis fluctibus iactaris. Non enim ſic amputatio membri, quemadmodum rationis frænum, immò verò ſola ratio huiuſmodi fluctus comprimit, & in tranquillitatis portum animum reducit: idcircò igitur illos recenſuit, vt hos vehementiùs exhortaretur: niſi enim hùc tenderet, ad quid aliorum feciſſet eunuchorum mentionem?*

Apoſtolus Paulus vt homines à coniugali ſtatu ad virginalem potiùs euocaret, ſeueriſſimas matrimonij leges præmonſtrauit: *Mulier*, inquit, *ſui corporis poteſtatem non habet: ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet: ſed mulier.* 1. Cor. 7. In quem locum D. Chryſoſtomus lib. de virginitate, cap. 28. in 5. tom. *Cùm*, inquit, *de nuptijs videatur dicere, re tamen vera, tanquàm hamum vſitatâ piſcator eſcâ circumueſtiens, ſic in audientium aures inſerit orationem, vt illo ipſo ſermone de nuptijs, eoſdem à nuptijs deterreat. Nam, qui illud audit, ſe per coniugium, non in ſua; ſed in vxoris eſſe poteſtate; confeſtim operam dabit, vt ab acerbiſſima ſeruiente liberetur; vel potiùs id primùm cauebit, ne ipſum ſubeat iugum ſeruitutis.* Et ſtatim cap. 29. ſeq. rem illuſtrat exemplo Samuelis: *Quemadmodum enim*, inquit, *is*, nempè Samuël, *quàm potuit ſubtiliſſimè apud imperitam multitudinem Regni leges expoſuit, non vt Regem reciperent, ſed ne reciperent: ſic Paulus etiam connubij tyrannidem continenter inculcat, atque eo ipſo ſermone planiùs eos inde reuocare ſtudet.*

D. Paulus vt homines ad virginalẽ ſtatum euocet, matrimonij dãna enumerat.

Confirmat. D. Chryſoſtomi ſententia.

Sed audiamus adhuc ipſum Apoſtolum de hac re differentem. Conſultus an virgines, quæ conuertebantur ad Chriſtum manere deberent virgines, reſpondit: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis.* Virginitatem inquit, conſulo præ matrimonio, tanquam is qui miſericorditer aſſumptus ſum ad gratiam Apoſtolici muneris apud gentes, vt fideliter illis conſulam. Deinde addit aliquas rationes: quarum prima eſt, ob neceſſitatem præſentis temporis, quod breue eſt, & datum ad æternitatis conquiſitionem, cui intendere poteſt virgo, vbi coniugati per onera coniugij diſtrahuntur. Secunda, quòd libera ſit 3. quòd careat tribulationibus, quæ occurrunt in coniugio 4. quòd virgo cogitet quæ Dei ſunt. *Volo*, inquit, *vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi: quomodo placeat viro.* D. Hieronymus premit hæc verba aduerſum Heluidium: *Quid*, inquit, *oblatras? quid repugnas: Vas electionis hæc loquitur. Diuiſa eſt, dicens, mulier, & virgo. Vide, quanta felicitatis ſit, qua & nomen ſexus amiſerit. Virgo iam mulier non vocatur. Quæ, non eſt nupta, cogitat quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Virginis definitio, ſanctam eſſe corpore, & ſpiritu, quia nihil profit carnem habere virginem, ſi mente quis nupſerit. Quæ verò nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Deinde ad particularia deſcendens, quibus coniugati diſtrahuntur, ſic monſtrum illud adoritur. *Idem tu putas eſſe, optimè dedicatis diebus & noctibus vacare orationi, vacare ieiunijs, & ad aduentum mariti expolire faciem, greſſum frangere, ſimulare blanditias? Illa hoc agit, vt turpior appareat, & naturæ bonum infuſcet iniuria hac ad ſpeculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior eſſe, quàm nata eſt. Inde infantes garriunt: familia perſtrepit? liberi ab oſculis & ab ore dependent: computantur ſumptus, impendia præparantur. Hinc cocorum accincta manus carnes terit: hinc textricum turba commurmurat: nunciatur interim vir venire cum ſocijs. Illa ad hirundinis modum luſtrat vniuerſa penetralia, ſi torus rigeat, ſi pauimenta verrerint, ſi ornata ſint pocula, ſi prandium præparatum. Reſponde, quæſo, inter iſta vbi ſit Dei cogitatio? Et hæc felices domus.* Neque ſatis eſt hæc dixiſſe, pergit alia recenſere, quæ in matrimonio conturbant. *Cæterùm*, inquit, *vbi tympana ſonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi Dei timor? Paraſitus in contumelijs gloriatur: ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ: & tenuitate veſtium nuda impudicis oculis ingeruntur. His infelix vxor aut lætatur, & perit: aut offenditur, & maritus in iurgia concitatur. Hinc diſcordia, ſeminarium repudij. Aut, ſi aliqua inuenitur domus, in qua iſta non fiant, quæ rara auis eſt: tamen ipſa diſpenſatio domus, liberorũ educatio, neceſſitates mariti, correctio ſeruulorum, quàm à Dei cogitatione non anocent?*

Virginitas conſulitur ab Apoſtolo præ matrimonio.

Incommoda Matrimonij ſic monſtrum illud adoritur. ſcribuntur.

8.

Non audet præcipere Apoſtolus virginitatem, quia Angelicum in carne præter carnem viuere; ſed proponit inconuenientia Ma-

Virginitas non præcipitur, ſed conſulitur.

Matrimonij per ſe ſatis hominem compoſitum abſtrahere nata. *Neque*, ſubdit Hieronymus, *alicui neceſſitatem imponit, aut laqueum, ſed id quod honeſtum eſt, ſuadet, volens omnes eſſe ſicut ſeipſum. Et quamquam de virginitate, Domini præceptum non habeat: quia vitra homines eſt; & quodammodo impudentis erat, aduerſum naturam cogere, alioq; modo dicere, volo vos eſſe, quod Angelis ſunt: vnde & virgo maioris eſt meriti, dum id contemnit, quod ſi fecerit, non delinquit: nihilominus in coharentibus infert: Conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem: quia bonum eſt homini ſic eſſe. Quæ eſt iſta neceſſitas? Væ prægnantibus, & nutrientibus in illa die. Ideò ſilua ſuccreſcit, vt poſtea recidatur. Ideò ager ſeritur, vt metatur. Iam plenum eſt orbis, terra nos non capit. Quotidie bella nos ſecant, morbi ſubtrahunt, naufragia abſorbent, & nihilominus de terminis litigamus?*

Liberum eſt ergo virgini nubere; ſed ſi nubat, tribulatio carnis non deerit, teſte Apoſtolo, *Tribulationem tamen carnis habebunt eiuſmodi.* Quaſi dicat: Tam grauia experiuntur coniugij onera, vt voluptatem quæ eſt in coniugio, ita opprimat, & elidat, vt vix ſentiatur. S. Auguſtinus ob hæc coniugum onera, ob hanc, inquam, tribulationem ſecutus S. Ambroſium nulli vnquam coniugem & coniugium ſuadere voluit, *Hæcq; tria homini Dei ſeruanda monebat*, inquit Poſſidon. in vita S. Auguſtini cap. 27. *Primum vt vxorem cuiquam non poſceret; Secundum, vt militare volentem ad hoc non commendaret. Tertium, vt in ſua patria petitus ad conuiuium non iret, cauſamq; ſingulorum dabat; Primi, ne dum inter ſe coniugati iurgantur, eum maledicant, per quem coniuncti ſunt: ſecundi, ne militiæ commendatus malè ageret, ſuam culpam ſuffragatori tribueret. Tertij, ne per frequentiam in patria coniugij conſtitutus, temperantiæ admitteretur modus.*

Tria homini Dei ſeruanda.

9. *Res maximè ardua matrimonium conſulere, quare?*

Cæterùm ſi libet meam audire ſententiam, Ego iudico rem eſſe maximè arduam, alicui Matrimonium conſulere, tum quòd ſoli Deo notum ſit, an expediat alicui virginitatem colere an viuere in religione, ſacerdotio, aut matrimoniali ſtatu. Tum quòd probati Authores cenſeant plurimos, qui matrimonium amplexi ſunt, damnationem ſubituros, quos religio & cælibatus æternùm beaſſet. Ego aliquos coniugatos aliquando indicaui apud me, non ſine graui periculo damnationis ſtatum matrimonialem amplexos, quod illud in altero Coniugum deeſſe apertiſſimè cognoſcerem, ſine quo inter coniuges pax ſeruari non poteſt, neque diſſidia inter eos orta conciliari: tum quòd parùm ſolliciti ſint, imò nullatenus curent gratiam, quam in Sacramento Matrimonij acceperunt, reſuſcitare ad pacificè viuendum. De qua dixi Diſc. 8. in IV. Præcep. n. 11. quem omninò conſule. Ad hæc non parum redder perplexũ ſeriò hoc negotium trutinantem; quòd Apoſtolus ſuadeat ob breuitatem vitæ, iam matrimonio iunctis, vt ſint quaſi non coniugati, ſeu vt animum, mentem, atque amorem magis in Domino, quàm vxoribus defigant: *Fratres*, inquit, *tempus breue eſt: reliquum eſt, vt qui vxores habent, tanquam non habentes ſint.* Senſus eſt, Quoniam tempus eò adductum eſt, vt propemodum finis omnium immineat, & quæ futura ſunt iam propè cernantur oculis; id vnum moneo, vt qui vxoribus copulati ſunt, perinde ſe gerant, atque ſi eis omninò carerent; hoc eſt in ijs non ita adhæreant, perinde quaſi earum coniunctio perpetua futura ſit, nec patiantur ſe earum cauſa his caducis, mortalibuſque rebus penitus implicari; aut plus æquo voluptatibus indulgeant. Aut rurſum: Eſto habeas vxorem, non ita ei afficiaris, & prolibus, vt ijs curandis totum quod accepiſti, impendas, cætera Deo committas. Quid partiris animum in vxorem, proles, familiam, vt per diem vix ſemel de Deo, de cælo cogites? quin totum colligis in illud vnum quod eſt neceſſarium, vt cum Maria optimam partem eligas? quid lucro, quid opibus, quid ſtatibus, quid iungendis affinitatibus inhias? *O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane! Stulte hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem paraſti cuius erunt?* Succedent immemores filij, pro quibus ſudaſti, laboraſti, corpus morti, animam inferno oppignoraſti, relinques ea ingratis hæredibus: ſi grati ſint, te ex inferno liberare non poterunt. Præclarè D. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinian. ad hæc Apoſtoli verba: *Nequaquam*, inquit, *iam de virginibus diſputo, quos nulla ambiguitas eſt eſſe felices; ad maritos venio; tempus breue eſt, Dominus propè eſt: etiamſi nongentis viueremus annis, vt antiqui homines; tamen breue putandum eſſet, quod haberet aliquando finem, & eſſe ceſſaret. Nunc verò cum breuis ſit, non tam lætitia, quàm tribulatio nuptiarum; quid accipimus vxores, quæ cogemur citò amittere?* Et aliquantò poſt: *Inter cætera mundi opera, & nuptiæ prætereunt; neque enim erunt poſt reſurrectionem coniugia. Si autem mors finis eſt nuptiarum; cur neceſſitatem non in voluntatem vertimus? Et quod inuitis extorquendum eſt; cur non ſpe præmiorum offerimus Deo?*

10. *Quare Angelus ſuaſerit Tobiæ matrimonij*

His attentis mirum alicui videri poſſet cur cæleſtis hic Commiſſarius vſque adeò reſolutè Matrimonium pio iuueni ſuaſerit. Ne mireris. Mos iſtius temporis apud pios maximè id ferebat, vt coniugio intenderent. Luculenter Hieronymus aduerſus Heluidium: *Quia de comparatione virginitatis & nuptiarum ſum aliqua dicturus, obſecro lecturos, ne me putent nuptijs detraxiſſe in virginum laude, & aliquam feciſſe diſtantiam inter Sanctos veteris teſtamenti & noui, id eſt, inter*

Inter eos, qui habuere coniugia, & eos, qui à complexu mulierum penitus recesserunt; verùm pro conditione temporis alij eos tunc subiacuisse sententiæ, & alij nos, in quos fines sæculorum decurrerunt. Quamdiu lex illa permansit: Crescite, & multiplicamini, & replete terram: Et maledicta sterilis, quæ non parit semen in Israel: nubebant omnes, & nubebantur, & derelictis parentibus, fiebant vna caro. Quando verò vox illa personuit: Tempus breuiatum est: reliquum est, vt, qui habent vxores, sic sint, quasi non habeant, adhærentes Domino: vnus cum eo efficimur spiritus. Quare? Quia qui sine vxore, cogitat ea quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore solicitus est quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori.

II. *Angelus ex impulsu diuino Tobiæ matrimonium consuluit.*

Verùm neque hæc ratio satisfacit, quandoquidem ante Tobiæ tempora Helias, Helisæus, alij viri pijssimi & sanctissimi cælibatum coluerint. Audi mi Christiane, libertimè suasit iunioti Tobiæ matrimonium, quod ex Dei reuelatione sciret Saram ei destinatam vxorem. Non enim poterat ex sua natura Angelus scire, an Tobias Saram filiam Raguelis ducere deberet in coniugem, vt clarissimè pronuntiabat: *Oportet te*, inquit, *eam accipere coniugem*: neque an pater certò daturus esset ad Tobiæ petitionem filiam suam eidem vxorem, vt resolutè asserebat: *Pete ergo*, &c. *& dabit tibi eam in vxorem.* quod extraordinarium est, & rarissimè alicui etiam illo tempore contigit.

12. *Non omnes cælibes debent manere.*

Dices, An ergo manebunt omnes virgines, cùm vix contingat reperiri arcanorum Dei conscium? Quis hoc dixerit? Nemo, cùm liberum sit matrimonium inire, aut virginitatem colere, & iuxta sententiam Saluatoris, *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Non omnes intelligunt vxore carere melius esse, sed quibus à Deo concessum est id ad amussim apprehendere. Plerique enim ad libidinem nimis procliues hæc non capiunt: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, inquit Apostolus. D. Hieronymus planissimè asserit nunquam futurum, vt omnes virginitatem colant. Sic enim expostulat aduersus Iouinianum asserentem virgines, & viduas, & maritatas eiusdem esse meriti: *Virginitati autem omnes assequi non possunt.* *Vereris ne si virginitatem plures appetierint, cessent lupæ, cessent adulteræ, ne infantes in vrbibus villisq; non vagiant. Quotidie macherum sanguis effunditur: adulteria damnantur; & inter ipsas leges, & secures, ac tribunalia flagrans libido dominatur. Noli metuere, ne omnes virgines fiant. Difficilis res est virginitas, & ideò rara, quia difficilis. Multi vocati, pauci electi. Incipere, plurimorum est; perseuerare, paucorum. Vnde & grande præmium eorum, qui perseuerauerint. Si omnes virgines esse possent, numquam & Dominus diceret: Qui potest capere, capiat; & Apostolus in suadendo non trepidaret. De virginibus autem præceptum Domini non habeo.*

13. Rursum quæres an hæsitantes de statu matrimoniali amplectendo, dum eos & ætas & conditio eò videtur vocare, absque consilio illum aggredientur? Minimè: ait vtique Ecclesiasticus c. 36. *Sine consilio nihil facias, & facti non pœnitebit.* Sed audi, mi Christiane, & suggeram tibi quod vtilius erit ad seligendum statum, vt securus eum amplectaris: Primùm, scrutare teipsum. Monitum est Siracidis Eccles. 37. *Cor*, inquit, *boni consilij sustine tecum: non est enim tibi aliud plus illo.* Illud frequenter nouit quid tibi expediat, & an rectè alicui rei sis affectus. Propositis tanquam in speculo omnibus faustis & infaustis, quæ in matrimonio ordinariè occurrere solent, teipsum metire. Deinde sequere monitum Tobiæ senioris: *Consilium semper à Sapiente perquire*, Tob. 4. Virum sanctioris consilij adi, rerum humanarum & diuinarum non ignarum, omnes sinus, & abditos animi recessus illi pande, & explorato nupturientium animo omnibusque circumstantijs ritè perpensis clarissimè aperiet, an matrimonium tibi vel ad propriam salutem: *Melius est enim nubere, quàm vri*, teste Apostolo; vel etiam ad commune bonum, pacem regni, inimicitias graues sopiendas, conducat. Hæc via nunc ingredienda est, cùm Deus vult hominem ab homine doceri: memento Centurionis Act. 10. quem Angelus ad Petrum instructionis capiendæ gratia ad Petrum allegauit: Eunuchi Act. 8. à Philippo intelligentis sensum Scripturæ, Angeli instinctu, & iussu ad id parato: Pauli cælitus edocti cum Petro communicantis, Gal. 2. Deniquè ait Siracides Eccles. 37. *Deprecare altissimum, vt in veritate dirigat viam tuam*: vt te ad illum statum ducat, in quo prequideret te recta ad vitam æternam peruenturum. Non dico, vt petas, vt Deus ad certum statum, vitam, aut modum te promoueat, sed vt ad eum, quem nouit tibi maximè salutarem. Deus, qui vult omnes homines saluos fieri, in necessarijs non deerit, dum illum inuocamus. Habemus testimonium Apostoli: *Spiritus*, inquit, *adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. quasi dicat: In omni infirmitate nostra habemus opem & auxilium Spiritus sancti, qui nos roborat, & consolatur in omni tribulatione, quique nos docet quid orare debeamus: nescimus enim quid nobis expediat, quidue petere debeamus. Verissimè D. Thomas in exposit. orationis dominicæ opusc. 7. *Scire quid sit petendum, difficillimum est; cùm sit difficillimum, scire quid sit desiderandum.* D. Paulus ignorabat se non rectè postulare liberationem à stimulo carnis, 2. Cor. 12. Mater filiorum Zebedæi primas in regno Christi: alius statum sibi minimè conuenientem, Spiritus sanctus docet nos quid preci-

Præscribuntur, quæ obseruanda nupturientibus.

Deus vult hominem ab homine doceri.

Spiritus sanctus operatur in nobis gemitum, robur, auxilium & scientiam bene orandi.

precibus flagitare expediat. Imò, quod amplius est, Spiritus sanctus desideria amicorum suorum, eorumque gemitus inenarrabiles in consistorio sanctissimæ Trinitatis quasi paracletus, id est, aduocatus, noster exponit magna instantia, magno pondere, & magna auctoritate. hæc enim omnia significat Græcum, ὑπερεντυγχάνει id est, super expostulat; nam ὑπὲρ notat præeminentiam Spiritus sancti in postulando, quasi ipse præsit omnibus postulationibus, sitque quasi magister & præfectus libellorum supplicum nostrorum apud Deum; & Latinum postulare, inquit Vlpianus lib. 1. tit. de postulando, est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iuris dictioni præest, exponere. Dicuntur autem gemitus illi, quos in nobis excitat, & excitatos proponit S. Trinitati ipse Spiritus sanctus, inenarrabiles, quia maior est affectus interior charitatis suscitans illos gemitus omni externo sermone; adeò vt eum viri sancti effari, & sæpè eloqui non possint, maximè dum cælestem gloriam, eiusque perfectissimam pacem flagrantissimo gemitu desiderant. Sic Apostolus gemit ineffabiliter, primò ex tædio exilij & corporis huius moribundi, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Secundò ex desiderio cæli, dicens: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Tertiò, ex dolore & desiderio salutis aliorum, & pereuntium, dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? & optabam anathema esse pro fratribus.* Postrò aduertè, hos gemitus inenarrabiles in nobis esse subiectiuè, in Spiritu sancto verò eos esse partim effectiuè, quia eos efficit in nobis, partim obiectiuè, quia eos ipse sibi totique S S. Trinitati obijcit & proponit, dum postulat pro nobis. Hoc igitur altum obserua, & non errabis à scopo. Sic rebus tuis prouide: sic instructus à patre filiam in coniugem pete.

14. *Cur filia potenda à patre.*

Sed quare à Patre, cur non potiùs à matre? Existimo fuisse causam, quod lex patri hoc munus imponat, vt videre est Exod. 22. *Si seduxerit quis virginem nec dum desponsatam, dormierit q; cum ea: dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si pater virginis dare noluerit reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt.* Patrem solum nominat (non matrem) qui si noluerit dabit stuprator virgini quam vitiauit dotem tantam, quantam ipsa à patre, iuxta suam conditionem, accepisset. Cùm verò sermo sit de non sociandis cõiugijs cum Chananæis non videtur lex alium constringere, quàm patrem: *Filiam tuam*, inquit, *non dabis filio eius, nec filiam eius accipies filio tuo*, Deuter. 7. Rursum cum de vi stuprata virgine lex loquitur: *Si*, inquit, *inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum. & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit: dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliauit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Iubetur stuprator patri propter iniuriam ipsi illatam pendere 50. siclos, insuper vitiatam ducere, ipsamque retinere sine vlla repudij spe. Syracides Eccles. 7. inquit ad patrem: *Filia tibi sunt, serua corpus eorum, & ne ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Postremis hisce verbis requirit, ne pater beneuolentiam quam corde gerit, erga filias nimis declaret ostentione hilaritatis vultus sui: sed contra potiùs seueriori & grauiori se vultu, seruato tamen moderamine, illis exhibeat, tum vt ne ex beneuolentiæ significatione fiduciam peccandi, vel audaciam arripiant; sed contra potius patrem semper timeant, tum vt ne ex patris erga se blanditijs, discant viris affici, & erga eos liberiores, & inuerecundiores fieri. Subdit Syracides: *Trade filiam, & grãde opus feceris, & homini sensato da illam.* Quoniam sunt qui vel per amorem, vel per amicitiam, diutius apud se filias seruant, postquam monuit de diligentia adhibenda in filiarum custodia per quam matrimonio fiant aptiores, rectè monet & de tuo tempore elocanda filia, & cui elocanda sit. Trade, inquit, filiam nuptui, & grande opus feceris, tum quòd & tuæ filiæ hac ratione benè prospicis, quam periculo impudicitiæ liberas, & tibi, qui ab eius custodia exoneratis, tùm quòd matrimonium res sit sancta, potissimùm in fideli populo, in quo ex matrimonio proles expectatur Deo religiosè educanda. Ad hæc monet vt elocanda detur homini prudenti, ita vt magis habeatur respectus ad mores & prudentiam sponsi, quàm ad opes vel genus. Paulus Apostolus cùm virginitatem matrimonio prætulisset, de patre loquitur: *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit.* 1. Cor. 7. Pater, inquit, qui filiam matrimonio locat, benè facit; qui verò illa assentiente virginitatem illæsam seruat, procul dubio melius facit.

15. *Mos priscis fuit, semper à patre petere filiæ in coniugem.*

Deinde opinor Angelum ex priscorum cõsuetudine filiam peti voluisse à patre. Cùm enim Rebecca peteretur in vxorem Isaaci, Eliezer famulus Abrahæ, cui hoc negotium commissum erat, neque Angeli deerat patrocinium, sermonem suum direxit ad Bathuelem patrem Rebeccæ, & Laban eius auunculum, qui etiam Matrimonium concluserunt. Responderunt enim ad sermonem eius. *A Domino egressus est sermo, nõ possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere; & sit vxor filij Domini tui, sicut locutus est Dominus.* Cùm Rebecca voluit ablegare filium Iacob in Haran ad Laban, vt fugeret odium Esau, ibique eum vellet vxorem accipere, sine patris consensu nihil

nihil tentauit. *Dixit*, inquit Moyſes, *Rebecca ad Iſaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Het: ſi acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere.* Rebecca vt fratricidium impediat, fratrem alterum ablegat, neue alterius crimen & machinationem patri prodat, itaque patri triſtitiam, filio, patris indignationem, conciliet, aliam prætexit ablegandi filij cauſam, eamque veram; ſcilicet nolle ſe Iacobum ducere immorigeram & improbam aliquam Hethæam, ſed cupere vt ducat cognatã aliquam ex Haran, in qua bene morata erat domus patris ſui, quę ratio mouit Iſaacum, eique perſuaſit, vt mox cap. ſequenti Iacobum ablegaret in Haran. Iacob poſtquàm in Haran peruenerat, de matrimonio Rachelis & Liæ cum patre earum Laban dumtaxat pactum iniit, Geneſ. 29. Thamar filia Dauidis ſuadet Amnoni fratri eam ſtuprare volenti, vt à patre eam in coniugium poſtulet, Hunc vtique ad eum ſermonem facit: *Noli*, inquit, *frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas eſt in Iſrael: noli facere ſtultitiam hanc. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quaſi vnus de inſipientibus in Iſraël quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Ad hunc morem Angelus ſuadet Tobiæ iuniori coniugem petere Saram à patre. Accedit cauſa, quod pater melius nouerit diſcernere, quam mater & filia (quæ plerumque cæco affectu ſuperãtur) quis filiæ maritus conueniat. Hinc Siracides ipſi dicit loc. cit. *Da Filiam tuam viro prudenti.* Vtinam per patrem nupturientes Matrimonium meditarentur, ſucceſſus melior reſponderet; iam verò per ancillas, lenones, aliáſue de præmio promiſſo ſollicitas, lucrari ſtudent animos puellarum, quibus nec ætas, nec prudentia acceſſit, vtriuſque funeſto exitu ac parentum triſtitia vix ferenda, & probro.

Datur huius rei cauſa.

CAPITIS SEXTI

VERSVS XIV.

Tunc reſpondit Tobias, & dixit: Audio quia tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt: ſed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.

Verſ. 15. *Timeo ergo, ne forte & mihi hæc eueniant: & cùm ſim vnicus parentibus meis; deponam ſenectutem illorum cum triſtitia ad inferos.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 14. & 15. Reſpondet Tobias peruenuiſſe famam, Saram Septem viris fuiſſe traditam, qui vitæ clauſulam citiùs experti ſunt, &, vt rumor ferebat, dæmonis aſtu. Atque ideò hæret tum ſuâ, tum parentum cauſâ, veritus ne ipſe ſimilia pateretur, & moriens parentibus mortem afferret duram & acerbam: quibus erat perquam charus, quandoquidem aliud non habebant præter ipſum, conditionis miſeræ, & ſenectutis ſolatium.

SECTIO DECIMATERTIA.

Quorſum Tobias hanc de Sarę mortuis maritis famam aperuerit?

1. *Varij modi detegendi aliorum crimina.*

VNT qui aliorum occulta crimina alijs cum lethali noxa non verentur pandere. Sunt qui falſa crimina alijs libenter imponunt, & quod Dominus dixerit: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*, paruipendunt. Sunt alij, qui conſolationis recipiendæ gratia, aut vt dolor mitigetur, grauem iniuriam ſibi ab aliquo factam prudenti amico referunt, cum veniali tamen noxa. Sunt rurſum qui ex charitate ad impediendum maius damnum communitatis, aut perſonæ priuatæ, alicui viro graui detegunt, ne videlicet homo improbus & inidoneus Reip. præficiatur; ne impetitus Medicus ad corporis curationem aſſumatur. Quæ duo poſtrema, ſuo modo, licent.

2. *Licitum eſt in alterius vitam inquirere, conſilij cauſa.*

Tobias autem noſter hæc Angelo aperuit, conſilij capiendi cauſa; quod omninò licitum eſt, ne videlicet malus exitus ſequatur matrimonium temerè aggreſſum. Quod ſanè omnibus expediret tum pro bono communi, tum pro bono priuato, in electionibus perſonarum ad ſtatus Reipub. & matrimonij inquirere. Id enim Scriptura nuſquam vetat, cùm

cùm hoc ſit iure ſuo vti, ſed dumtaxat quando in finem malum. Sic reſtringenda ſunt verba Salomonis Prouerb. 24. *Ne inſidieris, nec quæras impietatem in domo iuſti, vt vaſtes requiem eius.* Debitus modus eſt tamen neceſſarius. Porrò Tobiæ conſultatio videtur talis, Auditui Saræ ſeptem maritos ſucceſſiuos, ſubitò mortuos; an fortè aliquem habet defectum noxium Sara? An halitus illi peſtilens, aut inficiens aliqua qualitas. Hæc meritò inquirere poterat, tùm quod Iudæis eſſet naturalis fætor, & graueolentia; tum quòd Ruth à ſocru iuſſa ſit ſe lauare, atque vngere nuptias Boozi ambitura; quodque Suſanna ſæpè legatur adiiſſe balnea, ſeque ſmigmate aut vnxiſſe, aut defriciſſe, ne quid adferret, vt eſt veroſimile, graue ac fœtidum ad coniugalem thorum. Iudith c.10. legitur lauiſſe corpus ſuum, & vnxiſſe ſe myro optimo: quod Hebræis olim in menſa & lecto familiare fuit, tum etiã quòd ex Hiſtorijs conſtet peſtilentem, & inficientem qualitatem, tum viris, tum mulieribus ſubinde mortis cauſam extitiſſe. Albertus Magnus libro de animalibus 25. cap. 1. refert puellam quandam alimento venefico aſſueuiſſe & mulierem factam adeò peſtilenti ſanguine fuiſſe oppletam, vt ſaliua, cæteriſque eius humores, quemcumque inficerent, etiam viros illos, qui eius in concubitum fuerant admiſſi: ita vt velut venenati extinguerentur. Refert Mayolus ſub verbo *Contingentia*, Ladiſlaum Neapolitanorum regem cuiuſdam herbæ ſucco, partes aliquas mulieris infeciſſe, & poſt eius amplexum & cõcubitum, vtrumque eadem nocte vitæ clauſulam feciſſe, teſte Collen. de rebus Neapolit. lib. 5. Idem Mayolus ſcribit regem Cambaiæ in India ab infantia veneno enutritum, tam lethalis fuiſſe naturæ ipſo halitu, vt vel muſcas interimeret, ſolo tactu: quin etiam conſuetudinem veneni adeò in eo inualuiſſe, vt ipſo aleretur, indeque vix vllam ex vxoribus ſuis, quæ illi commiſcebantur, effugiſſe mortem in diem proximam. teſtem citat Ludouicum Barthema Indic. rerum lib. 1. cap. 2.

Exemplaorum qui halitu ſuo infecto alios interimerunt.

Qualis fuerit Tobiæ inquiſitio in Saræ vitam.

Videtur ergo Tobias ob ſuſpicionem alicuius qualitatis inficientis propoſuiſſe Angelo: *Audio quia tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt.* Quaſi dicat; Statim ac viri illi ſeptem congreſſũ reipſa meditati ſunt, ſubitò perierunt. Vnde hoc malum? Id mihi ſcire neceſſum, ne periculo me exponam. Deinde ait: *Sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.* Talis etiam percrebuit fama, quòd dæmon illos ſuffocarit: quidnam horum verius, neſcio, vtrumque formidabile. Si poſterius accidit, quam ob cauſam illi poteſtas facta ſit, aneo intelligere. Hæc res tunc haud dubio habebatur paradoxa, cùm vt ex Scripturis conſtat, duo dumtaxat legantur à dæmonio vexati, Iob nempe & Saul, cum interminatione diuina, ne diabolus vitã priori ſeu Iobo eriperet; de ſuffocatis à dæmone nuſpiam tunc ſermo.

Audi, mi Chriſtiane, ſciuit procul dubio Tobias, dæmones hominis vitæ maximè inſidiari, & Deum ex cauſis per Angelos malos & bonos hominum punire flagitia, aut etiam iuſtos exercere, quemadmodum reſpectiuè conſtat, Geneſ. 19: Vbi Angeli educentes Loth, igni cæleſti cremandam dederunt Pentapolim; & Exod. 12. vbi occiſio primogenitorum Ægypti refertur, de qua, aliiſque plagis Ægyptiorum ait Propheta Regius pſalm. 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.* Iſta *tribulatio fuit*, inquit Bellarminus eo loci, *per immiſſionem Angelorum malorum. Ex quo intelligimus, plagas Ægypti, ac præcipuè occiſionem primogenitorum factas eſſe operâ Angelorum, qui non nocent, niſi quantum Deus permiſerit, cum Dei ſummi iudicii adminiſtri ſint. Poſſunt autem Angeli mali dici Angeli ſancti, qui dicuntur mali ab effectu, quia puniunt quos Deus vult puniri. Poſſunt etiam dici Angeli mali, dæmones impuri, qui ſunt verè mali, malam voluntatem gerentes. Deus enim vtriſque vtitur: nam per Angelos ſanctos puniuit Sodomitas igne cæleſti: & per Angelos impuros flagellauit Iobum, igneque pariter cæleſti.*

3. *Deus homines per bonos & malos angelos punit, vel exercet.*

Angeli boni & mali dici poſſunt ſancti.

Nobis etiam exploratum eſt, Deum aliquando dæmoni ob culpam permiſiſſe alicui incorrigibili eripere vitam, vt factum creditur in primitiua Eccleſia, quando aliqui tradebantur Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret in die Domini 1. Corint. 5. & Alexander & Hymenæus, vt diſcerent non blaſphemare 1. Timoth. 1. & ſi emẽdatio non ſequebatur, ſuffocare: aut etiam abſque culpa ad exercendam patientiam iuſtorum, vt in filiis Iob cap. 1. Vel fortè quæret Tobias an mors ſeptem maritis dare contigerit, quòd dæmon corriualis eſſet, adamaretque puellam, & zelotypiæ œſtro perculſus eoſdem libidine prurientes, ſuffocaret? Communis namque ſententia eſt, omnium ferè ſæculorum, atque nationum experientiâ comprobata dæmones poſſe cum mulieribus actum venereum exercere. Vide ſi placet Delrium lib. 2. Magicar. Diſquiſ. quæſt. 15. Vnde mirum nimirũ videri debet, quod de his omnibus Tobias ſedulò conſuluerit Angelum. Agebatur enim de vita.

4. *Dæmoni permittitur homini vitã aliquando eripere, quare?*

Dæmonis Zelotypi æſtimati.

Dæmones poſſunt rem cum mulieribus.

Porrò diuinum oraculum videtur ad noſtram doctrinam hæc ſcripto reliquiſſe. Primum oſtendit plus quàm virilem animum Tobiæ, qui actu ipſo probarit ſpeciem mulieris nihil valere ad ipſum eneruandum; neque vim habere vllam, vt ipſum ad libidinem inuitaret, ac Saræ amplexus, mediante etiam Matrimonio recipiendos. Speculum ſanè terſiſſimum, & exemplum ſingulare. Pulchritudo

5. *Sara virginitatem non deſiuit animã Tobiæ.*

Pulchritudo mulierum etiam piissimos prostrauit.

tudo enim viros piissimos simul & fortissimos prostrauit. Sacra pagina locuples testis est, Genes. 6. vbi sic ait: *Videntes Filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt eas in vxores ex omnibus quas elegerant.* Exaggerat Moyses hominum illius temporis nequitiam, significans eam fuisse tantam, vt non solùm scelerata Caini soboles impietatem velut hæreditariam ex parente suo trahens, in altissimo flagitiorum cæno volutaretur; sed etiam vt posteri Seth, sanctorum parentum nobilitate clari, studio diuinæ sapientiæ illustres, & pietatis, & religionis erga Deum professione venerabiles interdictam sibi, execratamque à maioribus suis societatem cum Caini posteris coëuntes, grauiùs quàm illi peccarint, in profunda scelerum omnium demersi. Rursum exaggerat Moyses eorum intemperantiam maximam, quasi exclamaret, eos homines non desiderio suspiciendæ prolis, & multiplicandi generis humani, qui est laudabilis matrimonij finis, carnalem coniunctionem honestans & commendans, sed ad explendam exsaturandamque libidinem, non vnam vxorem, sed multas: nec eas parentum consilio, aut rationis suasu incorruptique iudicij ductu, sed captos pulchritudine, quæ est illecebra turpitudinis, & velano amore potiundæ voluptatis, quæ esca omnium malorum est, duxisse. Ad clariorem intelligentiam aduerte posteros Seth dictos fuisse filios Dei, propter virtutem & pietatem, quam studiosè coluerunt, ob idque Deo dilectos, & parentum nobilitate insignes diuinam benedictionem, & futurorum bonorum repromissionem accepisse. Filias autem hominum dictas, fœminas ex Cain propagatas, cuius tota posteritas propter impietatem, & diuinam maledictionem infamis, & ignobilis extitit, nec aliud quàm terrena spectabat. Illi quidem longissimo tempore, vt eis à maioribus mandatum fuerat, posterorum Cain societatem, connubia etiam & comercia vehementer refugerunt. Postea verò refrigescente religionis studio, cultuque virtutum, fœminarum Cainicæ stirpis pulchritudine allecti, amoreque inflammati, eas duxerunt vxores, quarum flagitiosâ consuetudine polluti & corrupti, in omnia sese præcipitauerunt flagitia, nequioresque etiam ipsis Caini posteris, euaserunt. Hæc malitia eò adegit diuinam iustitiam, vt totum ferè orbem aquis diluuii sepeliret: & quod admirabile est, ex tam sancta & numerosâ posteritate Seth, vnus dumtaxat post annos centum pœnitentiæ concessos inuentus fuit iustus, ac Deo charus Noë, dignus quem Deus tanto miraculo ex diluuii exitio seruaret. Tobias noster nullo libidinis æstu ob pulchritudinem permoueri potuit,

Cur posteri appellati sunt filij Dei

forsitan edoctus hos exemplo; quod Diabolus eâ ratione consilium & propositum Dei impedire voluerit de homine in locum Angelorum eligendo: quærebat enim tale semen Tobias, per quod Dei nomen benediceretur, vt postea patebit.

6. *Pulchritudo in viris est efficax.*

Scio & in viris pulchritudinem admirabilem. Insignis Orator in Panegyrico quodam Constantini Magni, viri animi dotibus nulli secundi, scribit Deum omnem naturæ industriam & artificium impendisse, & in vnum copulasse, vt corpus elegans, non dissimile ipsius pangeret ingenio, quemadmodum hospitium speciosum respondet venustæ hospiti: adeò vt ob hanc solam formam videntibus admirationi, immò vniuerso orbi respectui esset, qui illi parens, Deo obsequi putaret. Neque sacra pagina siluit, quantum virorum formositas mulierculatum animos illaqueat. Vxor Putipharis continuum bellum faciebat Iosepho, solâ eius pulchritudine delinita. *Erat autem Ioseph pulchrâ facie, & decorus aspectu. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Huiusmodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti: & ille recusabat stuprum.* Verùm forma speciosa in fœmineo sexu multò admirabilior. Quot Monarchæ post subiugatum ferè orbem, vinctas manus præbuere mortali & inani huic speciei, captiui facti suorum mancipiorum; & quot huius seruitutis emendæ gratia, imbecillis mulieribus obsequia præstitêre, quot nænias puerilem in modum edidêre, posteritatis memoriâ indignas. Bethsabee nec ferocitate leonis, nec Goliathi fortitudine, nec Saulis crudelitate imbuta erat, nihilominus vno oculi ictu pessumdauit Dauidem, qui in frusta discerpebat leones, prosternebat gigantes, imò resistebat armis & legionibus Saulis. Philistini armis omnibus, insidijs & dolis Samsonem debellare nequiuerunt; sola verò Dalila pulchritudine armata in illorum redegit seruitutem, quibus fuerat timori. Salomon altissima rerum à Deo donatus erat scientiâ, hanc nihilominus penetrarûr & peruerterunt speciosæ mulieres. Assyrij Iudith. 10. existimarunt causam sufficientem belligerandi tyrannicè, ob solam mulierum venustatem. Inde dicebant satellites ad Holofernem: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his merito pugnare contra eos debeamus?* Cæterùm pulchritudinem validissimam esse ad expugnandum fortium virorum animos, docet Sorobabel apud Esdram 3. ca. 4. vers. 13. & apud Iosephum Gorionidem lib. 1. cap. 14. cùm quo facit Anacreon: *Natura*, inquit, *dedit tauris cornua, equis vngulas, pedum celeritatem leporibus, dentium hastum leonibus, natatum piscibus, volatum auibus, vi-*

In fœmineo efficacior.

Veruſtas mulieribus inſtar armorum eſt.

tis prudentiam, *formis quid daret, nihil habebat amplius. Quid ergo dat? Pulchritudinem, quæ ipſis & ſutoribus & lanearum omnium inſtar eſt. Vincit verò & ferrum, & ignem, quæcunq; pulchra eſt.* Deus ipſa pulchritudine, tanquam armis validis pugnabat contra ſuperbum Amanum, qui cùm iam infinitum Iudæorum numerum iugulare decreuerat, quaſi oues mactationi propinquas, Deus hâc euanida ſpecie à ſummo eum felicitatis gradu, in imum acerbiſſimumque calamitatis ſtatum præcipitauit, & immutans Regis Aſſueri leoninam truculentiam, in agninam manſuetudinem, populum ſuum hac crudeliſſimâ plagâ eripuit) quam Amanus cum ſuis fautoribus diriſſimè luit & libertati reſtituit.

7. *Pulchritudo eſt Dei donum, & quandoq; inſtrumentum Dei.*

Ne miteris. Pulchritudo eſt certiſſimum donum Dei, quod facit in corpore humano, quod ſol in nube, ad formandum arcum in cælo. Et propterea elegit Deus aliquando pulchritudinem, vt inſtrumentum rerum ſuarum mirabilium, tanquam radium ſuæ potentiæ, & facem trophæorum. Poterat tempore obſidionis Bethulienſis, legiones mittere Angelorum ad coërcendum Holofernis furorem; poterat ex rupibus creare homines robuſtiſſimos; poterat alio modo huius rabiei reſiſtere; verùm ſuſcitauit in vidua pulchritudinem, rem maximè inanem, addiditque gratiam particularem, qua captus Holofernes floentiſſimarum copiarum Dux, tandem amore & potu æſtuans Iudithæ colla ſubmiſit iugulanda. Vides eſſe domum Dei, pulchritudinem, alioqui Deus ea non vteretur; verùm impoſturæ, ſiniſtræ intentiones, abuſuſque pulchritudinis, à Satanis artificio, depravataque voluntate proficiſcuntur. Conſidera, & enuclea hæc mi Chriſtiane, neque patiaris te ab ea abduci, vt Deum offendas. Aduerte, & attentè perpende mulier fidelis, quam Deus hoc dono dignatus eſt, illud eſſe motiuum Deo intenſius ſeruiendi, eoque vtendi ad maiorem eius gloriam. Reddere rationē debebitis, ô mulieres veſtræ venuſtatis, vſque ad vltimum micantis comæ pilum, ſi in hoc tam eleganti ædificio collocaueritis ſordidam & ſqualentem hoſpitam, animam ſceleratam & impudicam; ſi vanè efferamini de argento mutuò accepto, & flore caduco, qui tempore, ſenectute, & leuiſſimâ infirmitate marceſcit. Si oſtenetis ſcandaloſam nuditatem, vt excitetis ignem peſtiferæ concupiſcentiæ: ſi honorem, & illicitum ambiatis hominum amorem, de Dei, non tuo dono: ſi toties conſulatis ſpecula, ac tantum temporis laboriſue ornatui corporis inſumatis, & comendo capillitio, vt vix aliquid, imò nihil ſuperſit Deo colendo eiuſdem indignationem incurretis grauiſſimam, & iram, cui reſiſtere nequit criſpata coma, & in centum variegata formas, cæteraque putidi corporis ornamenta. Vereor ne ſummus Iudex maledictionem per Hieremiam vatem cap. 8. Hieruſalem, ob delicta intentatam, in veſtrum caput redundare ſinat: *Ejicient oſſa de ſepulchris, & expandent ea ad Solem.* Sepulchra veſtra permittet effringi ad contemptum, & punitionem vanitatum, vt ſcilicet oſſa, modo fœtentia, luci prodantur, quibus derelicto Deo ſtuduiſtis, & pareant aſpectibus hominum dicentium: Ecce oſſa talium, quæ tanta pridem pigmentorum luxuriâ oblinita, modò iacent vix tecta pelliculâ: habitacula ſunt ſerpentū, eſca vermiū, corpora putrefactioni materiam ſubminiſtrant, animæ æterno igni. Proh! quanta cataſtrophe; quanta mutatio. Sapite, & corporis formam Deo ſoli ornate, non dæmoni; hic enim illam amabit, vt perdat, ille eam ſibi delegit in templum, vt glorioſiùs in die iudicij apparere faciat. Hæc practicate, & plures vos admirabuntur, & ſuſpicient.

Inueſtina in mulieres pulchritudinis abutentes

8. *Ex auctis debemus facere profectum.*

Secundò ſacra pagina manifeſtum facit Tobiam ex auditis facere profectum, neque aliter de aliorum euentibus recenſendis cogitaſſe, quàm vt ſibi conſuleret. Ita oportet. Quod vtinam omnes exactiùs ſeruarent; cùm quid vtile ad aures earum pertingit: Rebecca Geneſ. 27. filium incitatura ad benedictionem patris recipiendam, ſecura diuinitùs de felici ſucceſſu, hoc modo rem aggreditur: *Audiui*, inquit, *patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei, Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergo fili mi acquieſce conſilijs meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcam patri tuo*, &c. Raab Ioſue 2. cùm veliet ſe & parentes ſeruare, dum Hebræi terram promiſſam meditabantur, ait exploratoribus: *Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quod ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfeciſtis. Et hæc audientes, pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum: Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.*

Probatur exemplis.

Gabaonitæ intelligentes Ioſue, proſperè, occupaſſe plures ciuitates terræ Chanaan, & vitæ ſuæ conſulentes, hac ratione mollium animum Ioſue ad ineundum cum ipſis fœdus: *De terra longinqua venerunt ſerui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius: cuncta quæ fecit in Ægypto, & duobus regibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Iordanem*, &c. Cerni Regis Benedad, exiſtente ipſo Re-

Ioſue 9.

ge

ge in ſumma anguſtia & periculo, hoc dederunt ei conſilium: *Ecce, audiuimus, quod reges domus Iſraël clementes ſint, ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad regem Iſraël: forſitan ſaluabit animas noſtras. Accinxerunt ſaccis lumbos ſuos, & poſuerunt funiculos in capitibus ſuis, venerunt q; ad regem Iſraël, & dixerunt ei, Seruus tuus Benedad dicit: Viuat, oro te, anima mea. Et ille ait, Si adhuc viuit, frater meus eſt.* Et ſic ſaluarunt vitam Regis Benedad vt patet ex hiſtoriæ decurſu. Eſther cap. 14. fatagens pro ſalute Iſraël, hoc modo deprecatur Deum: *Audiui à patre meo, quod tu tuliſſes Iſraël de cunctis gentibus, & patres noſtros ex omnibus retro maioribus ſuis, vt poſſideres hæreditatem ſempiternam, feciſtiq; eis ſicut locutus es.* Ex quo pro libertate populi agit ſub defenſione diuini nominis, ne gentes cogitent de Deo vero abiectius, & in Dijs ſuis aliquid maius & potentius. Sic egit Tobias ex auditis profectum cùm de aliorum auditis defectibus etiam publicâ famâ vſque in Niniuem diffuſis, coactus dumtaxat mentionem fecit, quando ſalus propria & parentum exegit, datâ occaſione Angelum conſulere. 3. Reg. 20.

9. *Reprehenduntur detractores.*

Nos verò non ſolùm ſine prudentia, aut profectu aliorum, vel bona vel mala audimus, aut ijs aperimus audita, à quibus aliquod bonum nobis, vel peccanti, accedere valeat: ſed etiam ſi quem à probitate, à religione, à prudentia laudari audimus, quem imitari oporteret, in peruerſum æmulamur. In has voces liberaliter, neque ſine lætali noxa erumpimus. Vt video non nouiſtis hominem, me ſuper eo interrogate, Ego illum intus & in cute noui: Ego ſcio hominem penitus impium, & hypocritam, cui religio parum eſt cordi; ſcio quid oculis meis viderim, auribus hiſce audierim. Nos occulta aliorum crimina ſub ſilentio audita, quæ celare lex & charitas omninò iubet, non ad correctionem, ſed diffamationem proximi, tanquam rimarum pleni, vbique effutimus, & neſcit homo quod proditor ſit, & detractor, Deo odibilis, ſerpentis linguam habens admodum noxiam. Audi Bernardum ſerm. de triplici cuſtodia: *Nunquid non vipera eſt*, inquit, *lingua iſta? ferociſſima planè, quæ tam ſecuriter tres inſicit ictus vno. Nunquid non lancea eſt lingua iſta? præfecto acutiſſima, vt quæ tres penetrat ictu vno. Lingua eorum gladius acutus. gladius equidem anceps, imò triceps eſt lingua detractoris.* Hoc illud Ioabi imperatoris triplex ſpiculum eſt, quo Abſalonem à quercu pendulum incurſans confodit. Hoc triplici ſpiculo, & detractor, & detractoris auditor, & is cui detrahitur, miſerè confodiuntur, hoc tamen diſcrimine: ille in quem detractio incurrit, ferè omnium minimè læditur, nec enim maius facere poteſt diſpendium, quàm famæ: ſed detractor, & auditor detrimentum patiuntur animæ, & quidem maximum. Nam detractor ſibimet plurimùm nocet, in cuius caput frequenter recidit lapis, quem in alium miſerat. Dein nocet auditori, in cuius aures (vt Bernardus loquitur) venenum mortiferum infundit, nec prauæ ſolùm opinionis, ſed inuidiæ quoque toxico ſubinde inficit auditorem.

Lingua detractoris quàm noxia

Salubriter monet Sapiens Eccleſ. 19. *Audiſti*, inquit, *verbum aduerſus proximum tuum, commoriatur in te, fidens quoniam non te diſrumpet.* Veriſſimè dixit Ianſenius eo loci: *Vtiliſſimum ſanè præceptum contra communem, omnibuſq; ferè inſitam leuitatem, quâ pleni rimarum hac & illac perfluunt, alijs mox communicantes, quidquid de vitijs alienis didicerint. Si*, inquit, *audiſti verbum contra proximum tuum, ſimul vt illud audiſti & excepiſti in te, moriatur in te, ſepeliatur, & in oblionem veniat, ita vt non cogites de referendo alijs. Nec enim eſt quod metuas, ne necet illud tibi apud te continuiſſe, ſed bene confidere debes, quod illud ſilentij preſſum non te diruinpet. Non eſt enim veluti venenum, quod niſi euomatur, hominem diruinpit, ſed veluti res mortua inefficax & innoxia.* Quod appoſitè dictum eſt à Sapiente, eo quod plerique audita aliter continere apud ſe nequeant, quàm ſi metuerent ſe diruinpendos, niſi in aliorum aures effunderent. Hoc Chryſoſtomus dicit hominem facere in ſecuritate viuere cum voluptate: *Apud ſeipſum*, inquit, *continens, in ſecuritate plurimâ, cum multa voluptate: Audiſti ſermonem?* inquit, *moriatur iste: confide, non te diſrumpet. Quid eſt, moriatur in te? extingue ipſum, defodito, neque exire, neque penitus meari permittas: ſed maximè ſtude, nec alios quidem maledicentes tolerare: quod ſi quandoque ſuſceperis, infodito, interime dictum, trade oblioni, vt hi, qui non audierint, ſimiles ſias, & cum multa pace & ſecuritate præſentem tranſigas vitam.* *Audita prôximi crimina apud ſe continenda ſunt.* *Aliena crimina celàs, in multa vtilitate.*

10. *Alieno periculo cauti eſſe debemus*

Tertiò docet nos ſacra Scriptura alieno periculo cautos eſſe, quemadmodum fuit Tobias, qui recogitans ſeptem viros ab Aſmodæo ſuffocatos, voluit inſidias eius declinare, & ſcire, qua ratione eas euaderet. Appoſitè Gregorius Magnus 24. Moral. cap. 18. *Quid faciunt tabulæ, ſi tremant columbæ? aut quomodo virgulta immobilia ſtabunt, ſi huius paueris turbines etiam cedri quatiuntur.* Nos autem ſi quos audiuerimus à Deo ob aliquam noxam punitos, alieno periculo cauti non ſumus, neque emolumentum aliquod ex aliorum plaga comparamus; ſed in ipſorum ruina ſimul ſepeliri, volumus. Sic plerique inſaniunt in libidinem, vt audacter pronuntient, quod nec infernus hians ab ea illos retraheret. Adam ob inobedientiam & gulam paradiſo exul, Dei indignationem incurrit. Vna vice ob luxuriam mundus diluuium, altera vice Sodoma & Gomorra incendium ſubiere. Inuidus Cain & homicida, profugus millies mor- Gen. 4. Gen. 6.

Gen.19. Gen.4. Exod.14. 1.Reg.24.& 26.& 31. 4.Reg.1.

tem passus est. Iniustus Pharao & multoties recidiuans interitum horribilem expertus est. Inimicitias fouens & recidiuans Saul, suo gladio interijt. Superstitiosus Ochozias quantumuis rex, drutius alioquin victurus vitæ fecit clausulam. Contumeliosus in parentes Cham, Genes. 9. duram subijt seruitutem. Rebellis Absalon mitaculo disperijt, quercui crinibus innexus. Dies non sufficeret, si singula recenserem. Hæc scimus, hæc multoties aures nostras pulsant, nec timemus, nec meliorem frugem meditamur: vnde mala omnia succrescunt, & tandem ira Dei in auditores Verbi, non factores, horribilius desæuit.

11. Singulare exemplum huius rei in quinquagenarijs, 4.Reg.1.

Non sic mi homo. Optimum est alienâ frui insaniâ. Cùm Helias vates corripuisset legatos Regis Ochoziæ, qui de morbo Regis concedebant consulturi Deum Accaron, spreto vero Deo, eosque remisisset ad Regem cum duro satis nuntio, nempe Regem pro tam væsano, atque inuerecundo consilio, non descensurum à lecto, in quo tunc ægrotus decumbebat, nisi mortuus ad tumulum, futurus alioqui, vt verba Domini significant, incolumis, nisi vero Deo contempto, gentilico more externa consuleret, non tam oracula, quàm ab omni veritate vacua commenta. Postquam Rex, audijsset Eliæ responsum, misit ad eum quinquagenarium cum sua cohorte, vt Propheram ad se adduceret, qui Eliæ sedenti in vertice montis dicebat: *Homo Dei, Rex præcepit, vt descendas.* Intelligens autem Propheta se per irrisionem sic vocari à quinquagenario, scienséque Regis animum, ac militum studium illi consentaneum, & omnes hosce idololatras graui dignos esse supplicio, respondit: *Si homo Dei sum* (nempe illius, in quo nihil est diuinum, sed tantum inanis quædam vmbra, & sonus vacuus diuini nominis, vt tu dicis.) *descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Ac si diceret: Vos me illius Dei seruum esse dicitis, quem nihil posse existimatis, sed nunc illum experiemini terribilem, nam ille Deus, cui seruio, ignem de cælo mittet, qui deuorabit vos, & serò tandem, ac frustrà cognoscetis eum, & vestram damnabitis insaniam, & stulta consilia. Diuino, non suo instructus spiritu, ignem de cælo ad illorum omnium interitum euocat Helias, & ilicò *descendit ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.* Volebat namque Deus tam prompto, & horribili successu ostendere, quàm amaret impensè, & quo in numero, & pretio haberet Eliam, cùm ad illius preces ignem immittere voluit, & sedare malum. Nam cùm vexare statuisset Israëliticum regnum, repressa pluuia, triennali fame, id fecit non ignorante populo ad preces, & propè dixerim, ad imperium Eliæ. *Visit Dominus, &c. si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta verba oris mei.* Et cùm exacto triennio pluuiam tandem largiri decreuisset, id voluit scire omnes Eliæ precibus esse concessum cap. 18. *Factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio, dicens: Vade, & ostende te Achab, vt det pluuiam super faciem terræ.* Sic etiam nunc cùm hosce milites idololatras, quique idem sentirent, & vellent quod impius Ochozias, & Iezabel scelesta, statuisset quæ Deus igne comburere cælesti; expectauit tamen, imò & inspirauit Eliæ preces, vt magis illum timerent, & obseruatent idololatræ, cùm viderent Eliæ siue minas, siue preces tam esse potentes.

Hoc non obstante alius Princeps quinquagenarius cum eisdem mandatis legationem suscepit, qui sic ad Eliam locutus est: *Homo Dei, hæc dixit Rex, festina, descende.* Maior fuit in hoc quàm in priori libertas, & audacia, cùm tamen in aliorum capite modestiam, & obseruantiam discere debuisset. Nam cùm alter tantum Regis nomine descendere iussisset Propheram; hic tamen festinationem imperauit, ita vt omnem moram abijceret, neque quidquam haberet potius quàm Regis imperium. Sed non alium habuit exitum quàm prior cum suis. Vt enim dixit Elias: *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos*; mox ignis eum cum quinquaginta militibus absumpsit. Rex vero nihilo melior scelere inflammatus, ac furore, homo ambitiosus, ac regiâ inflatus Maiestate, ad vindictam totus anhelans, mittit & tertium Principem, qui alienâ insaniâ melius instructus, priorum exitio cautior vitæ suæ consuluit. *Curuauit* enim *genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait: Homo Dei, nolo despicere animam meam, & animas seruorum tuorum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cælo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro vt misereatur anima mea.* Maluit supplex orare veniam, quàm cum imperio, quod fecerunt alij, admixtis etiam minis, iubere, vt è Carmeli vertice descenderet. Quare consecutus est quod optarat, cùm dirum euaderet incendium, & ad Regem, Propheram, non inuitum deduceret. *Locutus est autem Angelus Domini*, inquit sacer textus vers. 15. *ad Eliam dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad Regem*, denuntiatque Regi, id quod per legatos ante prædixerat. Neque Prophetricis minis pondus defuit, non enim descendit è lecto nisi mortuus.

Ignauus est, *Ignauus est, nimis est, qui post exemplum inuenitur incautus: pe-* qui post alritia est, *non est segnitiæ cum sensim veteranus miles terium exem-* incedit. Dauid traducturus in domum suam *plum non est* Dei aream, cùm vidisset Ozam, quòd temerè *cautior.* eam attigisset, subitò exanimatum, *extimuit*

Domi-

Dominum in die illa, dicit: Quo modo ingredietur ad me arca Domini? Et noluit deuertere ad Obededom Gethæi. Dionysius Carthus. eum locum elucidans: *Quasi diceret Dauid*, inquit, *ad domum meam introducere arcam non audeo, ne forsitan ob aliquam culpam meam meream perculi, & indignus sim arcæ præsentia: itaque ex affectu diuinæ iustitiæ motus fuit ad reuerentialem Dei timorem; itemque felix quem faciunt aliena damna peritum.* Scimus multos præmaturè de medio sublatos ob indignam communionem, teste Apostolo, *Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi, multi imbecilles, & dormiunt multi*: neque propterea de munda conscientiâ arctamur. Scimus multos vitam in peccatis liberè traducentes esse deceptos, & insperatè de corpore extractos; neque cautiores sumus tot exemplis horribiliter admoniti: *Quoties*, inquit Sapiens ille Christianus, *audisti à dicentibus: quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit: alius igne, alius ferro, alius peste, & alius latrocinio periit: & sic omnium finis mors est: & vita hominum tanquam vmbra subitò pertransit. Quis memorabitur tui post mortem, & quis orabit pro te? Age age nunc charissime quidquid agere potes: quia nescis, quando morieris, nescis etiam quid tibi post mortem sequatur. Dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales. Præter salutem tuam nihil cogites. solum qua Dei sunt cures.* Et paulò ante: *De quanto periculo poteris liberare? de quàm magno timore tripere? si modo semper timoratus fueris, & de morte suspectus. Stude nunc taliter viuere, vt in hora mortis, vaitas potius gaudere quàm timere.* Fac quod Hebræus Sapiens tibi suggerit: *Memorare*, inquit, *nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Seriò Chrysostomus homil. 2. in 2. ad Thessal.

Ozæ subitanea mors reddit cautiorem.

Plurimorũ impræuisa mors nos semper parate fatere debet.

Timens inferni pœnas, vix potest peccare.

Audi admonitionem optimam: Memor, inquit, *esto nouissimorum tuorum. & in æternum non peccabis. Nequit anima pœnas metuens non esse ad delinquendum cunctabunda. Timor enim siquidem robustus fuerit in animo ac flagrans, nihil in eo mundani relinquet. Si enim sermo de gehenna factus, ita humiliat, & pauidum reddit, an cogitatio de illa animis perpetuò immorata, animam non quouis igne magis expurgabit? Regni non ita recordemur, vt gehennæ. Timor enim promissione potentior est & efficacior. Et noui complures innumera bona promissa contemptores fuisse, si de supplicio securi fuissent ac liberati, quandoquidem & nunc mihi satis est supplicio aut pœnâ non affici. Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet. Quemadmodum enim apud nos qui quidem inducia metuunt, iudicijs non damnabuntur: qui verò contemnunt illi potissimum in ea incidunt; ita & hic. Nisi subuersionem veriti fuissent Niniuitæ, vtique subuersi fuissent. Quia verò illam metuebant, non subuertebantur. Si diluuium veriti fuissent, qui temporibus Noë vixerunt, submersi sanè non fuissent. Et Sodomitæ si incendium metuissent, combusti non fuissent. Magnum malum est contemnere minas. Qui minas contemnit, seipsa confusum sentiet experientiam.*

Omnis qui gehennæ memor est, eam effugiet; qui contemnit in illam incidet.

SECTIO XIV.

Quare aliqui Sanctorum præmaturam aut repentinam mortem formidarint.

PERMISSIONE diuinâ non ratò videmus viros iustos & sanctos citâ & intempestiuâ morte eripi è viuis. Tres huius diuinæ permissionis assignat tationes Doctissimus Præsul Nicenus Anastas. quæst. 17. in Scriptor. Prima est, vt mali terreantur. Sic passus est Deus filios Iob, licet sanctos interire, quos ruina domus oppressit: *Repentè* vtique, *venit vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus vt nunciarem tibi*: dicebat infaustus Nuntius. Difficile est statuere, quomodo ventus vnus quatuor angulos, qui totidem spectant mundi partes conuellere, ac disturbare potuerit, cuius nulla occurrit Physica ratio, nisi dicamus aliquid in illo Australi vento fuisse supra illius naturam; aut fuisse turbinem, qui seipsum magno circumagie, & glomerat impetu; & totam circumambit domum. Sed dicendum est permittente Deo aliquam interessisse dæmonis operam, quæ vehementissimum illum ventum perflantem à deserto circumduxit, & in quatuor domus angulos impegit; id enim fieri posse ab Angelis malis docet Theologorum schola, dum videlicet Deus eorum laxat manum, & soluit potentiam, quam ligatam voluit erga Iobi vitam.

1. *Iusti immatura morti quandoque succumbunt*

Primò, vt mali terreantur.

Ventus vnus quomodo quatuor angulos concutere potest.

Quidam hosce ventos esse dæmones putant, qui immixti ventis impressionem in angulos fecerunt vehementem, ita putat Origenes lib. 1. in Iob: *Quatuor*, inquit, *angulos, id est, quatuor partes tetigit ob hoc vt ostenderet ferocitatem & insaniam & intemperantiam quoque, atque crudelitatem, cruentationem, atque animum suum homicidalem. Nam omnes nequissimi dæmones, vt relaxati sunt, & mox vt permissionem acceperunt, continuò omnes generaliter ab omnibus partibus super domum ipsam irruerunt festinantes, atque aduersum inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem acciperet, quis primus hoc homicidium perpetraret. Ob hoc ergo per quatuor partes irruerunt nequissimi dæmones tanquam leones de insidijs prorumpentes, ingentem vnusquisq; sibi reputans dolorem, si prior ille alter precederet ad eius perditionem.* Hæc Origenes. Sed est verosimilior, communiorque sententia, verum esse, ventum excitatum, tamen à Dæmone, eoque modo, atque impetu

Venti qui deiecerunt Iobi domum, dæmones æstimati.

ab illo circumactum, vt in omnes incumberet angulos, atque disijceret: aut certè glomeratum turbinis in modum, ita vt nulla esset pars domus, quam non verberaret, donec tandem sterneret totam vno impetu & casu. Vt vt est, Deus filios Iobi per hanc ruinam è medio subitò sustulit ad malorum terrorem: *Nonnullos*, inquit Anastas. *quidem sanctos sæpè permittit Deus, vel à feris interimi, vel à terræ motu, vel ab aquis aut præcipitijs, vt cæteri, terreantur dicentes; Si hic cùm esset vir talis, hoc passus est, quid passuri sumus nos peccatores? & si iustus vix est saluus, impius & peccator vbi parebit?* Altera est,

2. *2. Vt per mortis violentiam expurgentur.*

vt ipsi iusti à leuioribus noxis, quas vt homines contraxerunt, per hanc mortis violentiam expurgentur. quo pacto Nadab & Abin repentino incendio deflagrarunt, per quod leuiora eorum peccata excoquerentur num.10. Cui rationi confirmandæ narrat Anastasius, quemdam Anachoretã, virtutibus & prodigijs clarum, ab hyena miserabiliter laceratum ac deuoratum: quo tempore vicinioris vibis Princeps sceleratissimus, cum funebri pompa & apparatu, cum vnguentis, & suffitibus ad sepulturam efferebatur.

Rem totam sic describit præfatus Antistes: *Fertè autem sæpè*, inquit, *etiam Dei consilio quidam morte violenta moriuntur, ad suam, vt dixi, salutem? Nam cùm Deum rogasset Mauritius Imperator, vt in hoc mundo pœnas lucret pro suis peccatis; vidit in somnio quemdam illustrem Regem iubentem eum tradi Phocæ militi: quod etiam accidit. Erat etiam quidam alius Anachoreta, clarus signis & prodigijs, habens quemdam discipulum secum in solitudine. Contigit autem vt quadam die eius Discipulus veniret in quandam ciuitatem quæ habebat Principem scelestum & impium, & inueniret eum mortuum efferri cum magna turba & honore, & vnguentis, & suffitibus. Cùm autem redijsset in desertum inuenit suum præceptorem ab hiena deuoratum. Cepit itaq; angi animo, & propemodum, iudicio Dei contendere, & dicere: Vbi est, ô Domine, iustum tuum iudicium? Quomodo sceleratus iste princeps, qui te sæpè ad iram prouocauit, mortuus est adeò gloriosè; Hic autem Sanctus qui tibi multum seruijt, à feræ captus, mortem obijt? Cùm his ergo & huiusmodi verbis, ipse cum Deo disceptaret, adstitit ei Angelus Domini, & dixit: Ille princeps cùm esset omninò sceleratus, habuit enim opus bonum; & per honorem illum quem assecutus est dum efferretur, accepit mercedem huius vnius boni, & illuc abijt absolutè & perfectè condemnatus. Tunc autem præceptor, cùm omnia feciſſet quæ Deo erant grata; habebat ipse quoque, vt homo, paruum aliquod delictum; & per hanc mortem, hoc amisit, & abijt illuc planè purgatus & expiatus. Quamobrem non est condemnationis sententia in eis pronuncianda, qui in mortem violentam inciderunt; nec dicendum, quòd propter peccata tam mortem pâsi sint: Nemo enim potest apertè scire, quo iudicio Deus hæc administret. Nam etiam iustis viris sæpè accidit, vt eiusmodi moreremur, cùm obscura & incerta esset eius occasio. Dicit enim Eccl. iustes: Est iustus, qui perit in iustitia sua, & est impius, qui manet in suo vitio, & est iustus cui occurrit aliquis casus tanquam iusto.* Et *Dauid dicit: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam. Polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem tanquam pomorum custodiam, posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volucribus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ, Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret. Sed & multis ex iustis prodest quòd viuant pauco tempore,* vt olim dixit Salomon: *Qui fuit Deo gratus, fuit dilectus, & viuens inter peccatores fuit translatus; raptus fuit, ne vitium mutaret eius intellectum; aut dolus deciperet eius animam; Nam fascinatio improbitatis obscurat bona, & effrenata concupiscentia instabilitas mentem simplicem labefactat. Perfectus in modico impleuit multa tempora, erat enim Domino grata eius anima, propterea festinauit ex medio improbitatis.* Scilicet illum educere hactenus Anastasius.

Eccle. 3.

Psalm. 78.

Sapien. 4.

Tertia est, quòd potentes, peccatis populi susceptis, placeat Deo tradere, tentationibus, & morti grauissimæ, vt populo maior nascatur salus. Hinc Christus Dominus violentæ morti succubuit, vt nos in glorioſam vitã excitaret: hoc ergo subdit Nicenus: *Ne miremur videntes Isaiam qui serrâ dissecatur, Ioannem qui capite truncatur, Stephanum qui lapidibus obruitur, & Petrum qui in crucem agitur, & multos alios qui incidunt in grauia pericula, & crudelia mortis genera.*

3. *3. vt plurimi salentur.*

Posità enim hac diuinâ voluntate, mirari quis posset cur iusti formident violentam mortem, vt de Tobia nostro hîc apparet; recensitâ enim morte septem Saræ maritorum, inquit: *Timeo ergo ne fortè & hac mihi eueniant.* Hoc, inquam, fortè alicui mirum videbitur præsertim cùm diuinum oraculum dicat: *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Sed desine mirari. Iusti non absque, præsertim in veteri testamento mortem formidabant. Contra naturam enim cõtingit homini mors ex peccato nata, *Deus* enim, vt inquit Hebræus Sapiẽs Sap. 2. *creauit hominem inexterminabilem*, id est, immortalem, incorruptibilem; vi autem peccati diuellitur anima à corpore. Vnde Philosophorum Princeps dicebat: *Omnium terribilium huius vitæ terribilissimum esse mortem.* Et propterea diuina illa Maiestas maluit Adamo mortem minari, quàm infernum, quòd comminatio mortis corporalis esset acrior ad coercendum hominem, quàm pœna inferni, licet reipsa sit grauior, & D. Thomâ teste, naturaliter horremus mortem quia priuatio est vitæ, ad quam inclinamur. Tobias ergo naturaliter horrere potuisset mortem. Christus Dominus relinquens naturam humanam, partes suas agere, quemadmodum egisset, si

4. *Naturaliter etiam iustus formidat mortem, & quare.*

Exemplum Saluatoris.

cum

cum diuinitate coniuncta non fuisset, nec de diuino decreto quidquam sciuisset, instante morte *capit contristari, & mœstus esse*, ac dicere: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: adeò vt guttæ sanguinis ex eius corpore in terram defluerent, *& progressus pusillum* procideret *in faciem suam orans, & dicens: Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste.* Sic passionem suam, hic terribilem mortem instantem vocabat, & horrebat Saluator noster, Matth. 26. Cùm idem prænuntiaret Petrum violentâ morte vitam finiturum, dixit: *Amen amen dico tibi, cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Ioan. 21. v. 18. & 19. indicans naturalem eius voluntatem, qua mortem horreret, cùm alias libenter pro Christo mortem subiturus erat Crucis.

Lib. 31. Moral. cap. 16. Iustus morte instante partim lætatur, partim horret.

Appositè Gregorius Magnus: *Petro veritas dixit: Cùm senueris, extendes manus tuas; & alius te cinget, & ducet quò non vis. Quomodo de passione gaudet, qui ductus ab alio, ire quo ducitur non vult? Sed si pensamus qualiter animus appropinquante passione, & mortis metu quatitur, & tamen de venturo regni præmio lætatur, intelligimus quomodo glorificetur ut non subire periculum velens nolit: quia & in morte considerat quod tolerans paueat, & in fructu mortis aspicit, quod appetens quærat*: Et immediatè post, adducit Apostolũ in theatrum: *Videamus*, inquit, *Paulum quomodo amet, quod refugit, quomodo refugiat quod amat. Ait enim: Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Et: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: & tamẽ dicit: Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus grauati: eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Ecce & mori desiderat, & tamen carne expoliari formidat. Cur hoc? Quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat: & quamuis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris.* Actum rem similitudine illustrat: *Sicut enim vir fortis*, inquit, *cum vicino iam belli certamine armis cingitur, & palpitat & festinat, tremit & fauit: quasi pauere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer vrgetur: ita vir sanctus cùm passionis se appropinquare cõspicit, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & spei suæ soliditate roboratur, & de vicina morte trepidat, & tamen quod moriendo verum viuat, exultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire: & idcirco confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidat: & gaudens metuit, & metuens gaudet: quia scit quod ad bræuium quietis non perueniat, nisi hoc quod interiacet, cum labore transcendat.* Neque hîc sistit maximus Pontifex, sed illustrando intellectui aliam subdit similitudinem à quotidiana experientia sumptam: Sic nos, inquit, *cùm morbos à corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus: certi autem de subsequenti salute gaudemus. Quia enim certius aliter peruenire ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tædet. Cumq; amaritudini inesse vitam animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit.*

Paulum mortem desiderat, & tamẽ formidat. Philip. 1. 2. Cor. 5.

Similitudo sumitur à milite ad pugnam parato.

Alia similitudo à rude ab infirmo desumpta.

Arsenius, vir centum viginti annorum, nullo vnquam morbo tentatus, postquam annis quinquaginta quinque seruijsset Deo, iam migraturus è vita, nonnihil trepidare cepit, imò & lachrymis madere. Præsentes hoc mirati; Etiam tu pater, aiunt, mortem metuis? At ille: Reuera, inquit, ex quo monachum indui, hanc horam formidare nunquam desij. ita Surius in vita Arsenij cap. 27. die 19. Iulij. Ad rem, præclarè dixit Seneca: *Itaque & fortissimus plerumque vir, dum armatur, expalluit: & signo pugnæ dato, ferocissimo militi paululum genua tremuerunt: & magno Imperatori, antequam inter se acies aritarent, cor exiluit: & oratori eloquentissimo dum ad dicendum componitur, summa riguerunt.* Hoc prorsus videtur euenisse Carolo V. Maximo Imperatori, qui in omnibus bellicis expeditionibus animosissimus, ad omnia pericula impauidus; qui ad nullum curulis tormenti expalluit tonitru, nec pedem mouit, nec caput submisit: nihilominus cum ante prælium, thorace ferreo armaretur, nonnihil cohorrescere solebat, & pallore suffundi. At verò vbi iam galea capiti, gladius lateri, lorica corpori hærebat, leonem spirans, in hostem velut ferreus gigas ferebatur. testis est Guillielmus Zenocar. lib. 5. de vita Caroli quinti.

Eius exemplum in Arsenio.

Lib 2. de Ira cap. 5.

Naturale ergo est mortem formidare, quòd auulsio animæ à corpore sit violenta, vt pote à peccato nata. Vnde & contingit beatos spiritus non plenè conquiescere, donec corpus animæ rursum iungatur. Hinc Apocalyp. 6. animæ Martyrum clamare leguntur voce magna, dicentes: *Vsquequo Domine, (sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.* Optant animæ Martyrum vindictam, id est, sui liberationem, eamque duplicem, scilicet Primò, vt Deus eorum sanguinem iniustè effusum, & corpora iniustè occisa, quæ adhuc in hac iniustâ occisione & morte manent, & detinentur, sibi restituat, ipsique rursum animæ spoliatæ nuditatem tegat, & vestiat: vnde responsum à Deo accipiunt, vt pro corporibus accipiant stolas candidas, quibus se tegant & vestiant, donec compleatur numerus conseruorum eorum; tunc enim plenè eos corpore glorioso vestiendos esse. Vnde S. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 4. *Quid*, ait, *est animas vindictæ petitionem*

5.

Incompleta est anima à beatitudo, donec resubigat corpori.

titionem dicere, nisi diem extremum iudicij, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare?

Serm. 3. in Festo omnium Sanctorum.

Clarissimè ad propositum nostrum Bernardus, inquirit, *Vnde hoc tibi ô misera caro, ô fœda, ô fœtida, vnde Tibi hoc? Anima sancta, quas propria Deus insigniuit imagine, vt desiderant: quas redemit proprio sanguine, te exspectant?* Et immediatè pòst respondet: *Ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeò siquidem in eis viget desiderium hoc naturale, vt necdum tota eorum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui. Vnde & Beatus Ioannes, qui multa nobis de eo statu, in quo feliciter beata anima requiescunt, per spiritum reserauit: Sine macula, inquit sunt ante thronum Dei. Sine macula, inquam, sed necdum sine ruga: donec veniat dies, cùm sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam.*

6. *Cur Ezechias morte instante fleuerit.* 1. *causa.*

Ezechias Rex cùm intellexisset ab Isaia vate, *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*; orauit Dominum, & fleuit fletu magno, tùm quòd non haberet filium, quem relinqueret hæredem. Vnde Auctor Mirabil. S. Scripturæ l. 2. c. 28. *Fleuit*, inquit, *rex, non quòd de suo, vt pote perfectus, merito in conspectu conditoris sui incertus fuit; sed quia in Christi venturi generatione sui generis prosapiam, in throno Dauid lucernam non dereliquit.* Quia ergo non habebat prolem, ex qua nasceretur Christus, Abrahæ & Dauidi promissus, fleuit. Id colligitur ex eo quod Manasses primogenitus eius & in regno successor, regnare cœperit patre mortuo, anno ætatis duodecimo. Ezechias autem post hûc morbũ adhuc quindecim annis regnauit: ergo necdum genuerat Manassẽ, sed is genitus est anno ab illo fletu tertio; ita enim patre moriente erat duodecim annorum. ita S. Hieron. Ioseph. Abulens. Caietan. & alij. Hæc vna metus causa. Altera, quòd ætatem tantum habens triginta nouem annorum, eripi è vita infaustum aliquid portendebat: quod insinuare videtur hisce verbis: *Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Audi Hieronymum in Isa. 38. *Sancti*, inquit, *implent dies suos, qualis fuit Abraham, qui mortuus est plenus dierum in senectute bona; peccatores verò, & impij in dimidio dierum suorum moriuntur. De quibus & Psalmista loquitur psal. 54. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Idem censet Gregorius Magnus in illud Iob. 42. *Et mortuus est senex plenus dierum*: *In sacra*: inquit, *Scriptura, non facilè plenus dierum proponitur, nisi is, cuius per eandem Scripturam vita laudatur.* Sanè hoc de Isaac, Genes. 35. & de Dauide, 2. Paralip. 24. scriptura tradit. Dauid psal. 101. summo affectu orabat Dominum: *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* Ne reuoces me, inquit, de curriculo vitæ in medio cursu, quando minùs expecto mortem, quando nihil minus cogito, quando paratum me non inuenires, nec pœnitentia satis expurgatum.

2. *causa.*

Alij volunt ideò timuisse mortem, quòd hic amaret aliquid cum Deo: Cur, inquit modernus quidam Author, putandum quod Ezechias audiens se morituru, fleuerit *fletu magno*, vt inquit Scriptura 4. Reg. cap. 20. & tantum orauit Dominum pro vita? Dauid autem Rex è contra non mortem, sed longitudinem plorat vitæ, nisi quia domum habebat plenam Ezechias thesaurorum, auri, & argenti, pigmentorum, & vnguentorum; vnde cùm affectum suum in istis habebat, glorians se de illis (si enim pro gloria illa non æstimaret, non equidem ea Legatis ostendisset Babylonis) non mirum si mortem sentiebat, si timebat mori, si appetebat viuere. Dauid verò Rex, quia affectum suum in istis minimè habebat, & veluti peregrinus, & hospes hîc morabatur. hîc vitam ducebat laboriosissimam, semper in bello, in laboribus, & ærumnis, non solùm mortem non timet, sed longitudinem vitæ deplorat, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* D. Hieronymus videtur eo spectasse: *Iustus*, inquit, *erat Ezechias, & corde perfecto, iturus ad Dominum plorare non debuit, quaris rationem fletus? si cogitaueris hominem, nec mireberis causas doloris; nullus enim intrepidus vadit ad iudicium Domini habens conscientiam peccatorum.* Videtur D. Hieronymus intelligere cõscientiam peccatorum venialium. Nam aliàs iustus dici non potuisset. An autem ex eo genere fuerit, quòd non in solo Deo delectatus fuerit, non facilè dixerim. hoc scio quòd Rex ille, qui ante orationem, & exactius conscientiæ examen, quasi securus dixerat se ambulasse coram Deo in veritate, & corde perfecto, recogitãs annos vitæ præteritos illuminatus à Deo agnouerit se commisisse aliquando peccata grauiora, ob quæ reus fuerit mortis: ait enim; *Tu autem* (flexus meâ pœnitentia, oratione & lachrymis) *eruisti animam meam* (à morte præsenti & futura) nam, vt sequitur, *Proiecisti post tergum tuum*, id est, condonasti, amouisti à vultu tuo, oblitus es *omnia peccata mea.* Est catachresis: quæ enim obliuiscimur, & obliteramus, abijcimus post tergum. Vnde liquet viros iustos & probos, qualis erat Ezechias, qui v. 1. ait, se perfectè ambulasse cum Deo, subinde labi & peccare. Rursum hunc suum lapsum sæpè non agnoscere, præsertim si eius consuetudinem sibi inducant, donec morbo, aliáue afflictione moneantur, vt ad cor redeant, Deumque orent, & inuocent. In oratione enim maximè illustratur animus, vt videas offensas, etiam minimas contra tantam maiestatem, quam inuocat, admissas. Hoc est, quod ait S. Augustinus: *Va etiam laudabili*

Isa. 38.

Viri etiam iusti quandoque peccãt

li vita hominũ, si fenestrâ misericordiâ iiudices eam.

7. *Cur Tobias timuerit mortem.*

Tobias verò noster nõ timuit mortem tanquam instantem, neque ob prolium desiderium, aut ratione peccatorum; sed veritus fuit, ne tentaret Deum, quandoquidem moriferis rebus supernaturaliter mederi fuisset necessum, iuxta illud quod credentibus in se in Euangelio promisit Christus: *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Vel forte timebat, ne suiipsius fieret homicida, dum probabili mortis periculo gratis se exponeret. hinc enim proponebat Angelo septem maritorum funestam mortem. Adhæc vrgebat eum charitas hisce malis abuiare: *Timeo*, inquit, *ne forte & mihi hæc ueniant: & cùm sim vnicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos.* Consulit ergo Angelum ne parentibus moriens mortem afferret duram, & acerbam: sciebat enim quàm esset parentibus charus, & quemadmodum non haberent aliud conditionis miseræ, senectutisque solatium.

8. *Mortis incertitudinis ob oculos habendam.*

Nos verò miselli, & peccatis immersi in vtramque aurem stertimus, nullo metu mortis stimulamur, licet malos, licet bonos præmaturè & violentè cernamus ad aliud seculum transferri. Malis mors præmatura sæpè contingit, vel ne deteriùs peccent, grauiusque puniendi veniant, vel vt cæteri ipsis in vita similes, hoc stimulo reddantur temperantes & modesti: *Perpende*, inquit, Basilius erat. de morte, *plurimos violentis periculorum incursibus esse raptos, quibus ne vocem quidem emittere ob mali vrgentis atrocitatem permissum est. Quid igitur expectas tempus, quo incertum est, num cogitationum etiam tuarum dominus sis futurus?* Christus fidelissimo præmonitu nos excitans: *Videte*, inquit, *vigilate & orate: nescitis enim quando tempus sit.* Et hoc ipsum mox repetens: *Vigilate ergo, inquit, nescitis enim quando Dominus domus veniat: serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane, ne cùm veneris repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.*

Mors certissima, est incertissima.

9. *Mors diuersis modis aggreditur hominem.*

Quis non stabit in vigilia contra impetus mortis, quæ omnibus horis imminet, quæ & nullum sibi destinauit tempus, quo debeat occurrere? quæ repit, volitat, incitat, insilit nixu tacito, gradu suspenso, nullis antecedentibus signis, nulla causa, nulla cautione, in morbo, in valetudine, in periculo, in securitate; ita nihil ab eius vnguibus sanctum est aut tutum. Sanus erat & hilaris Tarquinius cùm pisciculi spinâ suffocatus est. Sanus quoque Fabius, cùm ei tenuis pilus, quem cũ lacte hauserat, vitæ rescidit filum: Mustela Aristidem momordit, & momento temporis extinxit: Cæsaris dictatoris pater hilariter surgebat è lectulo, & dum calceatur egit animam: Alius Cæsar, dum pede impingit in limen, properantem spiritum excutit. Legatus Rhodiorum causam in senatu magnâ cum admiratione orauerat, in limine curiæ protinus expirauit. Anacreontem poëtam, & (si fides Luciano) Sophoclem etiam vuæ acinus necauit. Luciam Marci Aurelij filiam acus punctiuncula occidit. Cn. Bebius Pamphilus prætura functus, cùm à puero quæsijsset horam, sensit illicò sibi vltimam adesse horam. Multorum animas præceps & insperata lætitia excussit, quod Chiloni Lacedæmonio, & Rhodio Diagoræ contigisse accepimus, qui cùm filios in ludis Olympicis victores complecterentur, eodem loci & temporis vestigio suum exanimati.

Plurima repentina mortis exempla.

Denique mors infinitos habet aditus, quibus in ædes nostras irrumpat, & irrepat. Modò enim per fenestras, modò per hypogæa, modò per proiecturas, modò per regulas sese traijcit, & nisi in vrbe aut ædibus proditores repererit, humores dico corporis, morbos, catharros, pleuritides, & cæteras causas, quibus ad sua consilia tanquam ministris vti solent, tormentario puluere portas conuellit, igne, aquâ, peste, veneno, belluis, hominibus, cunctis denique machinis tentatam hãc vitam eripit. Isboseth Saulis regis filius à domesticis latronibus cùm meridiaret in lecto est interfectus, duo cohortis militaris principes è re sua sperantes fore, mortem Isboseth, audacissimum tentant facinus ipsum interficiendi. Obseruant tempus maximè suis consilijs oportunum, nempe meridianum, cùm maior est æstus ab vrente sole, & multò interdum vehementior à vino; quando qui sobrius est, temulentis hominibus, & somno, ac cibo plenis, multò est potentior. Eo tempore Rex pomeridianum captabat somnum, & Regij corporis, si qui fuêre, custodes aut dormiebant, aut quod videtur ex textu probabilius, alij aliò diuerterant. Sola relicta fuerat ostiaria quędam fœmina, infidelis omninò, & infirma custodia. Quare nullum habuerunt impedimentum, quominus ad Regium irrumperent conclaue, & quod destinarant animo, reipsa perficerent. Sic occubuit ille. Fulco Rex Hierosolymorum cùm leporem venaretur, equo lapsus est, eiusque pedibus conculcatus, egit animam; Iosias Rex totus in hoc incubuerat, vt Dei gloria esset vbique maior, neque aliquid esset in toto regno quod illam aut obscuraret, aut impediret; quâ in re nemo videtur cum illo comparandus: ita vt Scriptura de illo prædicet: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo.* 4. Reg. 23. Cùm enim de vno Deo diu atque frequenter cogitaret, neque animum in eam curam intentum metus, aut difficultas retardaret, excidit funditus, quæ Reges alij, etiamsi in his numeres Ezechiam, seu deformarunt leuiter, seu prorsus intacta reliquerunt. qualia fuerunt

Mors infinitos habet aditus.

2. *Reg.* 4. *Huius rei varia exempla.*

runt templa, exoticæ atque impiæ Religioni à Salomone constructa. Excelsa, lucos, & aras, quæ non solùm in suo, sed etiam in alieno regno, subuertit, eaque, dispersis atque combustis humanis ossibus, ita fædauit, vt ad nauseam potiùs, & contemptum, quàm ad Religionem, & voluptatem allicerent. Aggressus est autem ipsius tempore Rex Ægypti Nechao Regem Assyriorum, verosimiliter, vt vlciscereturiniuriam, aut resarciret plagã, quam nuper ab Assyrijs sub Senacherib acceperat Ægyptus. Fecit autem animos Ægyptijs, vt potentem aggrederentur hostem, à quo durè aliquando conciſi fuerant, quia audierant res Assyrias in singulos dies debilitari maximè, ex quo sub Sennacherib tot militum millia corruerunt percussa diuinitùs. Cùm autem ex Ægypto ad Euphratem, quò Ægyptia progrediebatur acies, transeundum esset per Iosiæ regnum, occurrit Ægyptio armatus rex, vt aditum illi ad viteriora præcluderet; & quidem hortante Ægyptio ne sibi molestus esse pergeret, quando sibi cum illo nihil esset negotij, sed tota illa belli moles Assyrium peteret hostem communem. Perstitit tamen in sua mente obstinatò Iosias: quæ res illi prorsus exitio fuit. Nam in primo congressu cum Ægyptijs, dum incautiùs agit, à sagittarijs confixus interijt, vt videre est 2. Paralip. 35.

Diuus Ludouicus annum agens quinquagesimum septimum in ora Africæ, in medio exercitu, quem pestis populabatur, extinctus est Egillus Rex Gothorum, princeps optimus, à furiali tauro, quem facinorosi populares, qui legum seueritatem ferre non poterant, emiserunt, crudeliter necatus est. Malconus primus rex Scotorum post multa iustitiæ specimina, noctu cùm regnum lustraret, suffocatus est. Nonne multi sani dormierunt, & obdormierunt, reperti mortui? In procinctu stet animus necesse est. Oza, vir in Danidis satellitio non ignobilis, nutantem arcam, cum Hierosolyma triumphali curru veheretur, obiectis manibus fulcire tentabat,
3. Reg. 13. repentè tactus est de cælo. In Prophetam qui cibum iniussu Dei sumpserat, eductum è sylua leonem Domini manus armauit, à quo est
Act. 5. interfectus. Ananiam & Saphiram Christo primùm initiatos, repentina vox Petri quasi fulmen in delicti expiationem perculit. quorum animos æternis supplicijs hac pœnâ subductos, bona pars Theologorum sentit. Omittam vetera.

Henrici II. Regis Galliæ subita exemplum.

Anno 1559. Henricus II. Rex Galliarum in ludis, in triumphis, in communi hominum lætitia est interfectus. Dum enim Parisijs filiæ nuptias celebrauit, in equestri certamine, pars fractæ lanceæ per illius oculum eâ vi adacta est, vt expulerit animam, vt refert Iacob. Gerdoni Chronol. in hunc annum.

Alphonsi II. luctuosissimum exemplum.

Anno 1491. Alphonsus Ioannis II. Lusitani Regis filius, annum agens decimum sextum, splendidissimi ingenij, & summæ expectationis princeps, Isabellam Ferdinandi Hispaniarum Regis filiam duxit in vxorem, cuius dos erat, amplissima paternorum Regnorum hæreditas. Celebrantur nuptiæ sexcenum triumphorum apparatu; vbique ludi, Throiæ equestres pugnæ, conuiuia; tantus autem erat luxus, vt calones & mediastini in Attalicis vestibus fulgerent, quibus subserica & holoserica vilioris videbantur valoris. Sed prô dolor! vix mensis erat septimus, cùm miser adolescens ad ripam Tagi fluminis in equo iuueniliter exultans excutitur, & lethali plaga obtrito capite datur ad terram, defertur in casam piscatoris, quæ vix illum cum duobus famulis caperet. Decumbit in stramentitiâ culcitrâ, ibi efflat animam. Accurrit rex adolescentis pater cum Regina matre: vident spectaculum miserabile, versas in lamentationem pompas, surgentem filij adolescentiam, virtutes, opesque, quasi nascentes flosculos, ab improuiso Boreâ, decussas, infesto tumulo sepeliri omnia. O subitos rerum turbines! ô præcipites vel firmissimorum lapsus!

Quid alios memorem? Basilium Imperatorem cervus inter venandum, ramoso cornu impetitum traiecit, quo vulnere non multò post extinctus est. Vetus monimentum in castro Ambros. prope Oenipontum testatur equũ ab ephebo nobili subditis calcaribus admissum, vt fossam viginti pedes longã transiliret: transilijt, sed eques & equus subitâ & vnâ penè morte conciderunt. Id equi exuuiæ & ephebi vestes hodieque loquuntur. auctor est Hippol. Guarinonius lib. 6. de Abominandis gentis hum. c. 20.

Diuus Eprem: *Multi*, inquit, *dum multa secum statuerent, ad crastinum non peruenerunt. At subitò rapti sunt, sicut passerculi ab accipitre, & velut agni à lupo, & quasi captiuum à latrone, nec loqui prorsus valentes, nec testamentum condere, neque vocem vllam edere. Alij enim vesperi cubitum* *Morti nihil sani concedentes, ad mane non peruenerunt: alij* *insanum,* *ad mensam accumbentes expirarunt; alij inter ambulandum, & indendum, repentè sunt mortui: alij in balneo morientes, idem lauacrum pro epitaphio ac sepultura habuerunt: alij dum nuptias celebrarent, in ipso thalamo nuptiali, subitò atque inopinatò abrepti sunt: & eadem sibi vestimenta pro nuptijs pararunt, atque pro funere; succesereruntq; in locum tibicinum, lamentantes, & in locum saltantium, atque tripudiantium, lugentes atque plorantes.*

Repeto rursum quod dixi Sect. præcedenti: *Quid facient tabulæ, si tremant columbæ? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pauoris turbine etiam cedri quatiuntur?* Tu igitur se- II.

riò

riò aduigila, &¦ quamuis teſte Eccleſiaſte cap. 3. *iuſtus ſit, qui perat in iuſtitia ſua, & impius qui maneat in ſuo vitio, & iuſtus cui occurrat aliquis caſus tanquam iniſto*, ſitque repentinum fatum probis cum improbis commune; & difficile iudicia Dei in hoc æuo cognoſcere; ſtimulet te tamen exemplum eorum, quos in ipſo flagrantis ſceleris concurſu, ſacra pagina teſtatur diuinæ vindictæ telum expertos. Tales fuerunt multi, qui in diluuio ætatem habentes, morte ante pœnitentiam factam præuenti ſunt. Talis fuit Pharao cum ſuis, in aquis maris rubri ſepultus. Talis fuit Dathanis & Abironis exitus, quos in Moſen perduelli animo obſtirmatos, hiatu diſcedens terra miſerabiliter abſorpſit. Talis mors Abſalonis, quem maieſtatis pertinacem reum feralis haſta confixit. Tale quinquaginta ſatellitum, quos in Eliam parùm reuerentes, cœlum flammarum globis armatum deuorauit. Tale fuit Hebræi hominis exitium, quem cum infami Madianitide vindex traiecit gladius, & lectulum genialem miſcuit cum funebri. Quot pori corporis, tot oſtiola ſunt mortis. Non vbique ſe mors propè oſtendit, vbique tamen prope eſt. Quid autem ſtultius, quàm mirari id vllo die factum, quod omni poteſt fieri. Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit: ſed nemo ſcit noſtrum, quàm propè verſetur. Sic itaque formemus animum tanquam ad extremum ventum ſit; nihil differamus.

Plurimos in ipſo flagranti ſcelere mortuos dit Gen. 6.

Exod. 14.

Num. 16.

2. Reg. 18.

4. Reg. 1.

Num. 25.

CAPITIS SEXTI

VERSVS XVI.

Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & oſtendam tibi qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium.

Verſ. 17. *Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.*

Verſ. 18. *Tu autem cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea.*

Verſ. 19. *Ipſa autem nocte, incenſo iecore piſcis, fugabitur dæmonium.*

Verſ. 20 *Secunda verò nocte in copulatione ſanctorum Patriarcharum admitteris.*

Verſ. 21. *Tertia autem nocte, benedictionem conſequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.*

Verſ. 22. *Tranſactâ autem tertiâ nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 17. 18. 19. 20. 21. & 22. Monet Angelus Tobiam ne curet, quid de amore dæmonis ſtulta multitudo ſentiat & dicat, quin etiam nec illud, quod bacchatus fuerit hoſtiliter Aſmodæus in ſeptem Saræ maritos: ſed potiùs vt ab ipſo diſcat cauſam cædis illorum fuiſſe, libidinis intemperantiam, quâ ſic inſanierunt ſicut equus & mulus, & rationis expertes animantes, quæ naturæ ſequuntur impetum; & ſuæ potiùs obſequantur libidini, quàm Matrimonij legibus, & caſti legitimique connubij. Rurſum hoc à me accipe conſilium, Tiduum à conceſſo vſu coniugali contineas; illudque non tuo tibi genio, ſed Deo atque orationi totum impendas, quâ diabolum expellas, qui ad caſtum odorem ex ſuaui orationis fragrantiâ nullum habebit acceſſum: Et primâ nocte à fumo, qui ex arenti iecore incenſo ſurſum erumpet, fugabitur dæmonium, quod ſeptem viros ſuffocauit. Secundâ nocte conſequetur oratio aliud beneficium, vt videlicet in ſocietatem, & numerum Sanctorum admittaris, qui non priùs ad vxorem acceſſerunt, quàm oratio munda aliquod tempus antecederet. Tertiâ autem nocte precibus conſequeris fœcundam vuluam, & honeſtam ſobolem. Quarta verò nocte propagandæ ſobolis cauſa, ſeu cum timore Domini potius quàm libidinis ardore, & ineffrænato furore thorum facies immaculatum: vt eam benedictionem conſequaris, vt orta ex tuo matrimonio progenies videri poſſit Abrahami ſemen, ſanctum videlicet, & quod à Dei fideli obſeruantia non recedat.

SECTIO DECIMA QVINTA.

Quam ob causam dæmoni potestas concessa in nouos coniuges, deque insanæ libidinis incommodis.

1. DÆMONI ob varias causas in hominem potestatem concedi à Deo, Scriptura pluribus locis insinuat. Aliquas obiter attigimus sect. 13. huius capitis: & in libidinosos dari, palam facit Apostolus 1. Cor. 5. dum ipse incestuosum tradit Satanæ in interitum carnis: at cur in coniuges ita sæuire permittatur, non ita liquet. Paucis rem aperiam. Dicit Paulus inquit: *Honorabile connubium* (sit) *in omnibus, & thorus immaculatus.* In omni re, inquit, seruate honestatem, decus & honorem coniugij vestri: hoc curate, vt nec adulterio, nec mollitie, nec etiam in ipso coniugio, alià libidine, quam natura & pudor coniugalis refugiunt, maculetur; sed tantùm vt animi copulà maritali, quam natura generationi destinauit, quæ potest non solum esse licita, sed etiam apud Deum meritoria. Nam congressus matrimonialis, solo prolis ad Dei honorem educandæ desiderio factus, actus est religionis. Studio autem reddendi debiti susceptus, iustitiæ actus est. Fornicationis verò euitandæ causa, secundum indulgentiam permittitur, & id quod extra coniugium foret damnabile, reddit veniale; vt August. docet lib. *de bono coniugali*, cap. 10. Vt enim oculi præcipuè dati ad videndum, secundariò etiam valet, vt alteri aliquid innuamus, dum hoc honesta vtilitas postulat: Et sicut vox articulata data, vt nostros conceptus alijs explicemus, etiam ad honestum cantum vtiliter applicatur: ita & congressus matrimonialis ad honestos hosce fines etiam est licitus. Sin verò illos contemnas, ita vt positiuâ actione generationem prolis impedias, quêadmodum Genes. 38. Onan & Her: vel ita vtaris coniuge tuâ quasi alienâ, laxans habenas concupiscentiæ, grauissimè peccas, adeò vt dæmoni, permittente Deo, in te facias potestatem. Hoc indicat Angelus Raphael, cum ait: *Audi me, & ostendam tibi, qui sint, quibus praualere potest dæmonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se &c. habet potestatem dæmonium super eos.* Regius Propheta Psal. 31. dixit: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Euthymius eum locum congruè ad nostrum propositum interpretatur: *Nolite*, inquit, *amore mulierum furere, velut effrenes equi: nec ad virtutem infructuosi fieri, vt muli. Illi quid bonum, aut quid malum; quid honestum, aut quid turpe sit, ignorant: quia rationis, vt vos, donati non sunt. Equi præterea hinniunt ad voluptates, & muli femina virtutis nulla concipiunt, nec fructum aliquem producunt.*

In libidinosos datur à Deo dæmoni potestas.

In coniugio seruare debet omnis honestas. Tob. 8.

Congressus coniugalis potest esse meritorius.

Quando datur dæmoni potestas in coniuges.

Libidinosus equo comparatur.

Notandum hîc est, equum esse libidinosum, & salacem admodum, & quidem à prima statim ætate ad extremam vsque, vt ostendit Aristoteles lib. 6. de historia animalium, cap. 22. *Equus*, ait, *coire incipit bimus; tam mas quam fœmina*, maximè tamen *in trimatu.* Et, *salacissimum omnium tum fœminarum, tum marium equus est.* Vnde Scriptura libidinosum hominem describens: *Equi*, inquit, *amatores & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi inhiebat.* Vsque adeò, inquit Ieremias, se in omnem libidinem & intemperantiam proiecerunt, vt tanquam equi sint admissarij, qui in venerem impotenter ruunt. Nam quemadmodum equi, vrgente libidine, ad fœminas adhinniunt; sic Iudæi hinnitu suo, atque procaci blandimento ad nefarium libidinis opus alienas vxores interpellant. Pro *emissarij facti sunt*, Hebraicè est *maskim*, quod mane significat, quasi dicat, equi saginati tempore matutino. quo tempore maiori furiunt libidine admissarij equi, cùm nocte à Venere cessatum sit. Tunc verò, & quia bene tota nocte pasti, & quia natura in Venerem proni sunt, impetu illo vehementi tamdiu represso, vbi lux affulserit, eluctatur equus, & totus soluitur, ac liquescit in Venerem. De hac peruersa, & planè ferinâ hominum intemperantia optimè Basilius lib. de vera virginitate. *Ex rationali, inquit, & irrationali, id est, animali parte iuxta Gentilem Philosophiam, hominem, veluti Centaurum quemdam Creator effingens, superiori parti à capite vsque ad pectus humana forma insignita, reliquũ corporis, ab vmbilico, & lumbis, equina subiecit effigie, qua ad ventris voluptates brutorum instar prona, atque ad concubitus effrenatè proclivis est. Neque enim ab irrationali parte per luxum rapi ratione præditam voluit, sed à rationali potius rationis expertem ad vsus necessarios regi sapientissimè statuit. Huius denique sibi indulta diuinitus potestatis gratia, si quando rationalis pars peruerso ordine ipsa non regit, sed ab irrationali potius regitur, improperat eurige sermo diuinus cur se ad irrationalis voluptatem pessimè à sua dignitate deiecerit, dicens* (hoc nempe Ieremiæ loco) *equi insanientes in fœminas facti sunt.*

4. *Equus animal est ad libidinem proclive.*

Ier. 5.

Et

Et Ezech. 23. *Quorum carnes sunt vt carnes asinorum, & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.* Ecce quò se diuinus spiritus demittat, vt peccatorum stuporem, & impudentiam amplificet. Vt enim suum in nos amorem, & studium ostendat, verba interdum adhibet, quę longè à diuinæ naturæ puritate distant, sic vt peccatori fædam proluuiem exprobret, & putridos mores, verbis vtitur dignissimis quidem peccatoris vita, & quæ alicui minus decere infinitam illam puritatem videri poterant. Audi Gregorium in proœmio ad Cantica. *Notemus, quàm mirabiliter, quàm misericorditer nobiscum operetur, qui vt nos ad amplexus sacri amoris accendant, vsque ad turpia nostri amoris verba se inclinat. Sed vnde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat: quia ex sermonibus huius amoris discimus, quâ virtute in diuinitatis amore ferueamus.*

Vt vti magnitudo, seu turpitudo significetur, verbis interdum à sua puritate alienis vtitur Scriptura.

Mulus ad libidinem pro diuis, sed sterilis.

Mulus additur, non quòd equo sit, vel in hoc impetu, vel furore comparandus; sed quia stolidum & stultum animal equi hinnitum & furias imitatur, & frustra in equas & asinas salire conatur, cùm sit naturâ sterilis, adeò vt in ostentis & prodigijs mulæ partus olim numeratus sit, vti à Plinio lib. 8. c. 44. alijsque traditum. Nam qui à Theophrasto in Cappadocia, ab alijs in Syria, parere putati sunt, eos ab alijs genere discriminari docet lib. 1. de historia animalium, cap. 6. & lib. 6. cap. 24. Aristoteles. Hinc, vtà Pierio lib. 12. Hieroglyphicorum scribitur; cùm lasciuum, spurcumque hominem vellent veteres significare, mulum aut mulam pingere solebant. Vult igitur brutorum istorum animalium nominibus ostendere S. Raphael ab omni vita, coniugijque honestate remouendam libidinem nimis importunam, intempestiuam, crebram, & furentem: castumque ipsius vsum ad honestam liberorum procreationem, non ad pecuinam tantum voluptatem referendum.

Mulus hominis spurci symbolum.

Libido nimia à coniuge arcenda

3. Vera hæc loci huius est explicatio: Metuebat enim Tobias iunior Saram cognatam accipere in vxorem, eò quòd septem viros, quibus tradita fuerat, Alastor ille necauerat. Hunc ei metum adimit Angelus, cùm ostendit in quos exercere queat potestatem. Huc spectant Apostoli verba imperantis: *Honorabile connubium (sit) & thorus immaculatus.* Sciebat vtique corda & renes scrutari Deum: *Nihil*, inquit Augustinus, *in lecto turpiter agas, nec excedas vltra concessam libidinem in lege. Densit castum cum coniuge thorum; & si est cura propagandi liberos, non sit effrenata luxuries libidinum. Defer in lecto tuo, coniugi tuæ, honorem, quia membra Christi estis ambo; ambo ab illo conditi, ambo sanguine ipsius reparati. Mater omnium vitiorum incontinentia. In alienа vxore,* inquit D. Hieronymus, *omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens*

In psal. 146

In lecto omnis turpitudo cum coniuge vitanda.

Lib. 1. in Iouin.

Mauden in Tobiam.

vir debet iudicio amare coniugem, non affectu; regeri impetus voluptatis, non præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius quàm vxorem amare, quasi adulteram. Refert Seneca cognouisse se ornatum quemdam hominem, qui exiturus in publicum, fascia vxoris pectus colligebat, & ne puncto quidem horæ præsentia eius carere poterat, potionémque nullam nisi alterius tactam labris, vir & vxor hauriebant. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quàm ex honesta causa quis insaniat. Vnde & Xystus Pythagoricus; Adulter est, inquit, in suam vxorem amator ardentior.

In vxorem amor nimius est turpis.

Attende ad hæc, mi Christiane: non satis est vxorem esse tuam; modum adhiberi vult Deus, & vnumquemque vestrum *vas suum possidere in sanctificatione: Si immoderatius*, inquit Augustinus serm. 105. *vxore tua vsus fueris, tametsi re tuâ vteris tamen re tuâ immoderatius vtendo, corrumpis templum Dei.* Nam & *vinum de apotheca tua bibis, & tamen si sic bibis, vt inebrieris, non quia re tuâ vsus es, ideò non peccasti; donum enim Dei ad corruptionem tuam conuertisti.* Deus abundè dederat Israëlitis vinum, frumentum, linum & oleum, argentum & aurum; conuerterunt autem illa in vsum idolorum. Hoc egerimè tulit Deus, qui sua dona ad vsum confert, non abusum: Vnde ait Oseæ 2. *Idcirco conuertar, & sumam frumentum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo: & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.* Sensus est: Vt iam tandem intelligant Israelitæ, quem in vsum conferre debuissent, quæ à liberali mea manu acceperũt, sumam frumentum meum, ac vinum meum, seu faciam vt parum frumenti in messe, & parum vini in vindemia colligant: aut si multum collectum sit, euanidum fit, paruméque det panis & vini; aut certè incendio, grallatione hostili, alióue modo illud disperdam, sicque liberabo ea quasi è captiuitate, quâ detinentur ab iniquo vel iniusto possessore; qui his meis beneficijs abusus est. Et nudum ignominiosè illum ipsum ad ludibrium exponam. Sapienter ergo respondit sanctus Ægidius, socius S. Francisci, cuidam seculari, glorianti, quod castè viueret, fidemque vxori seruaret: *An ex suo quoque ipsius dolio*, inquit, *non potest aliquis ebrius fieri?* Hoc viri prudentes & pij exactè obseruant, quibus exploratum Matrimonium inter res sacras haberi ob Sacramẽti sanctitatem. Spurci verò homines, exleges, & quibus libido dominatur, grauiter obstrepunt, diuina non curant, apostolicum contemnunt præceptum: quis, inquiunt, mihi leges ponat, vxor mea est, non alterius, mei iuris est; vsui meo subseruire debet ad libitum; libidini meæ & voluptati num contradicet? Cùm ea agam quod libet. Itane? Nescitis vos obstrepere Apostolo, per quem

4. *Vxore moderatè est vtendum.*

Dei dona vtenda, non abutenda.

Immunditiam & Adulterij Matrimonij grauissimè punit Deus.

Christus locutus est, cuius præcepta Domini mandata sunt? Audi quid auribus vestris insonet post huiusmodi præceptum: **Fornicatores enim & adulteros**, inquit, **iudicabit Deus**, id est, condemnabit, & puniet. Assignat causam Apostolus, cur Matrimonium honorari, thorumque immaculatum seruari iusserit; quia scilicet, si secus fecerint, ipsumque coniugium & thorum dehonestent, & commaculent adulterio, fornicatione aliaue libidine, sentient Deum vltorem & vindicem. Idem Apostolus monet Ephesios, vt fugiant libidinem, scurrilitatem, stultiloquium, cæteraque opera tenebrarum, tanquam Filij lucis. Et addit cap. 5. v. 6. *Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim*, supple fornicationem, immunditiam, & auaritiam, *venit ira Dei in filios diffidentiæ*, in filios, inquam, inobedientiæ, & incredulitatis: vel vt Hieronym. insuasibilitatis, &, vt Cyprianus, contumaciæ. quasi dicat. Homines inobedientes, incredulos, insuasibiles, intractabiles, qui cùm monentur vel audiũt, turpitudines iam dictas esse fædas, & illicitas, aut non credunt, aut non obtemperant recta docenti & monenti. Vnde iustam vindictam suam in eos exercet Deus, vt sæpè in hac vita, peste, fame, gladio, & mille ærumnis; post mortem verò semper æternâ morte, & igne eos puniat, niſi priùs resipuerint. Si hæc præmeditati fuissent Sodomitæ, igne cælitus misso non interiissent. Si Israelitæ hæc seriò perpendissent; nunquam à specie Ammonitidum, & Moabitidum mulierum se in luxuriam trahi admisissent: nunquam stragem viginti quatuor millium hominum experti essent, Numer. 25. Apostolus redargui vult tum verbo, tum exemplo pudendas libidines, & Paganorum peccata & Simonis Magi, ac Gnosticorum, qui in occulto abominanda perpetrabant: Quid non volet erga Christianos fieri? Deum nihil latet: ipse non solum occulta peccata, sed & intentiones in Matrimonij statu iudicat. Quare, quæso, filij Seth aquis diluuij sepulti sunt? Nunquid vxores acceperunt filias Caini? Omninò. Sed quia sola pulchritudine ducti, libidini satisfacere volentes, matrimonium inferunt, Dei vltricem manum non effugerunt, Genes. 6. Vide dicta Sect. 11. in hoc caput, num. 12. & seqq. Salomoni, quia contra Dei præceptum vxores multas duxit, & alienigenas, Deus grauiter offensus minatus est regni in sua familia diuisionem, neque partem reliquisset vllam, niſi obstitissent parentis merita, quæ eâ regni reliquâ parte compensari voluit. Neque ex eo tempore, quod ætatis supererat, otiosum habuit, & vacuum à metu, aut à belli tumultibus: nam primùm Adab, qui à Dauide pulsus in Ægyptum confugerat, & Regis affinitate potenserat, contra Salomonem hostile molitus est aliquid. Neque minori ardore, atque odio rem Israeliticam vexauit Razon Rex Damasci, quem Dauid iam antè malè mulctatum suo nomini, ac generi infensum reddiderat. Tertius fuit Ieroboamus, quem Ahias Silonites diuiso in duodecim partes pallio decem tribuum delignauit Regem. Quod cum non dubiis coniecturis foret à Salomone deprehensum, ex Israelis finibus in Ægyptum secessit. Septem Saræ mariti erant; sed quia sicut equus & mulus congressum cum ea meditabantur, tortoris crudelissimi manu, Asmodæi inquam, non sauciati, at suffocati in ipso libidinis æstu, æternæ damnationis rei perierunt.

Siniſtras intentiones in Matrimonio Deus iudicat seuerè.

5. *Grauius punitur immoderatus vsus matrimonij, adulterio.*

Tantum malum est, etiam cum coniuge ignorare metam, vt grauiùs adulteris puniantur; neque hominum manu, sed diabolica intereant: & in surdâ aure transis, cùm in ordinem redigeris, imò excandescis, & blasphemas in eum, qui te lucrari satagit. Dixit Apostolus de Gnosticis: *Quæ ab ipsis in occulto fiunt, turpe est & te dicere.* Ego vereor horrenda esse quæ inter Christianos quosdam matrimonio iunctos occultè perpetrantur: & tamen instructionem omnem respuunt. Quid dicam? Nil tàm obstinatè diuino spiritui resistit, quàm libidinis vitium. Locuples testis est Syracides Eccles. 11. vbi hanc inter castum & luxuriosum assignat differentiam: *Verbum*, inquit, *sapiens, quodcumque audierit scium, laudabit, & ad se adijciet: audiuit luxur iosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum.* Non dignabitur in illud intendere, & abijcier illud ab oculis suis. Sic tempore diluuij contempserunt Filij Seth primò monita suorum, deinde Noemi arcam conficientis. Sic Sodomæi Loth viri iusti; sic Israelitæ Num. 25. ad alienigenas hinnientes in tantum, vt *vnus de filijs Israël*, quemadmodum textus loquitur, *intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi.* Describitur ad literam audacia Zambri, ait Caietanus, deducentis mulierem Madianitidem per mediam plateam, quæ erat ante tabernaculum diuinum, ad tabernacula Israelitarum; non contentus enim cum huiusmodi mulieribus extra castra versari, vnam earum in omnium oculis ad fratres suos deducebat, neque Dei tabernaculum, neque Moysen reueritus, neque plerosque viros probos Israelitas, qui coram Deo flebant, & peccatum populi & ruinam eius imminentem Iosephus hunc Zambri longè facit etiam impudentiorem, & Moysi procaciſſimè insultantem.

Ephes. 5.

Nihil pertinacius resistit spiritui diuino, quàm libidinosus.

6. *Salomon Dei mandata*

Lex diuina cauit multas vxores accipere. Deuteron. 17. & alienigenas, Exod. 34. Deuteron. 7. sed parum ponderis habuit apud Regem

Sprevit, libidini sua satisfaciendæ ergo.

Regem luxuriæ deditum; nam Reginas duxit septingentas, concubinas trecentas: Deum nec homines reueritus, expensas quascumque subiit, gabellas, grauissimaque tributa populo imposuit, vt libidini suæ faceret satis. Causa diuersitatis vxorum, erat nimia intemperantia Salomonis. Cùm enim Rex esset ad concupiscendum adeò profusus, vt quascumque vidisset, audissetque procerum filias pulchritudine præstantes, eas illico ambiret; & cùm earum concupitis amplexibus, nisi eas in vxores duceret, potiri non posset, eas ducebat, & reginarum instar ob parentum dignitatem habebat, quod in nuptias alioqui non consentirent, idque facile à Salomone cupiditate cæcato extorquebant. Cùm autem Rex eadem cupiditate ferretur in alias inferioris conditionis puellas, eas prolis tantum causa sibi sociabat minimè inuitas, & erant concubinæ, sibique id honori ducebant. Nec hic sistit eius incontinentia, & diuini Numinis contemptus: nam & aliæ erant adolescentulæ, quæ non genere, sed formâ commendabiles à rege accipiebantur, libidinis vnius causa, quas pro arbitrio accersebat, dimittebatque; vt propterea nullo certo numero definiri possent. Verissimè Oseas vates cap. 5. *Non dabunt*, inquit, *cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum: quia spiritus fornicationis in medio eorum, & Deum non cognouerunt.* Quod Oseas de his sensu mystico, hoc planissimè Daniel ad litteram de duobus senibus, amore & libidine nimia in Susannam ardentibus testatur: *Et videbant*, inquit, *eam senes quotidie ingredientem & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius, & euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Cùm omnis affectus immoderatus peruertat sensus, & menti offundat tenebras, id maximè facit libido, vbi primùm stultorum hominum mentes occupauit, quæ senum, ac sapientum non solùm domat animos, sed etiam sternit atque peruertit: & sapientiam omnem prorsus expectorat. Sapiens erat Dauid, & grandis ætate, at illi mentem excussit, fœminæ libido. Senex erat, & omnium sapientissimus filius eius Salomon, eius tamen animum euertit immoderata cupiditas, 3. Reg. 11. *Et auerterunt mulieres cor eius: cumque iam senex esset, deprauatum est cor eius per mulieres.* Sic ergo senibus his, dum oculos à fœminarum aspectu non auertũt, cor euersum est. Planè cor suum euertunt; qui cùm illud à tentatione pulsari vident, sibi tamen non cauent, sed vltrò ad eundem lapidem offendunt. Oseas cap. 4. eandem potentiam libidini, atque ebrietati tribuit: *Fornicatio*, inquit, *vinum & ebrietas auferunt cor.*

Libido cor auertit, & aufert.

7. Fecit olim pactum Iob. cap. 31. cum oculis suis, ne in fœminarum vultus incutrerent: ne quâ inde cogitatio turpis oriretur. Satiùs opinor existimabat in cælum illos elenare, vt cælestium memor, terrena omnia, & quæ animali lenocinantur naturæ contemneret. Supradicti senes fœdus videntur pepigisse cum oculis, ne viderent cælum, ne videlicet illi aspectus, & eius, qui in cælis habitat, præceptum ac timor à terrenarum rerum studijs abducerent. Horribile est, quod de muliere quadam refert Mayolus sub titulo, *Fortunæ ludibria*, nempe viduam quamdam illustrem ita affectasse Matrimonium iunioris cuiusdam Principis, vt liberos suos, puellum scilicet, & puellam propriâ occiderit manu, quod intellexerat illos esse impedimento, quo minùs præfatus Princeps illam duceret in vxorem. Rem ascribam eius verbis: *Requieuerunt*, inquit, *in templo cœnobij Cæli corona duo infantes, puellus videlicet, & puella patre Comite Orlemundensi, matre verò Ducissâ Meronia nati, crudeliter ac miserè trucidati, annos ferè ante ducentos (cùm nondum essent boni) ab ea ipsa matre sua Meronia Ducissa Blassenburgi tunc temporis habitante, quæ cùm esset vidua procax, & lasciua, forma verò elegantiâ vbiq; celebris, non amauit ipsâ tantùm Albertum quemdam illustrem iuuenem, ac fortissimum Principem Burchgrauium Norsbergensem, Frederici Comitis à Zollern, primi Burchgrauij filium, sed ab eo etiam vehementer est redamata. Hunc suum amorem fassa aliquoties Burchgrauium, publicè dixisse fertur, se (nisi prohiberent quatuor equi) libentissimè ducturam viduam illam Blassenburgensem: quæ verba cùm relatu clanculari alicuius internuntij, & quasi pronubi, peruenissent ad aures libidinosæ, ac iam tùm vehementissimè prurientis, in Albertum fœminæ, mox furore & amore magis incensæ, liberos propriâ occidit manu, capitibus eorum vel capitum verticibus adhuc teneris seu contusis, & præfractis, nec facilè talis perfidia agnosci, & ipsâ liberos morbo, aut contagio sublatos esse commodius ac verosimilius fabulari posset. Cæterùm exitus (minimè felix) & catastrophe huius tragœdiæ prolixè extat in monumentis cœnobij Grunlacensis.*

Horribilis matris cuiusdam in liberos sæuitia exemplum.

Verè ergo fornicatio, vti vinum & ebrietas auferunt cor. Hinc Xerxes iratus Babylonijs, quod à se defeciissent, postquam illos in suam potestatem redegit, vetuit ne ferrent arma; sed psalterijs tibijsque canerent, scorta alerent, cauponas haberent, quò voluptatibus euirati & excordes, non molirentur denuò defectionem. testis est Plutarchus in Apophtheg. regum. Sed præclariùs Salomon sua ex pœna & periculo edoctus, ad disciplinam nostram scriptum reliquit: *Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes.*

Tu igitur, mi Christiane, intra limites tibi 8.
à Deo in vsu matrimonij præstitos contine, *Dilatio vin-*

dicta non absolut peccatorum.

septem maritorum, Saræ exemplo edoctus: Neque immunem te credas, quod non illicò puniaris: nam ad prouidentiam Dei pertinet non hîc omnia punire, sed sinere res agi suis motibus, præcipuâ vindictâ in futurum dilatâ: alioquin & genus humanum breui exhaustum foret, & virtutis officia seruiliter coacta, non libera, non ex ingenuo in bonum virtutis affectu profecta viderentur. Quòd dissimulet Deus, diuitias suæ bonitatis indicat, de quibus Paulus: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Diuitias bonitatis Dei, inquit Origen. *ille agnoscere potest, qui considerat quanta in terris mala quotidie homines gerant, & quomodo penè omnes declinantes & simul inutiles facti, latam & spatiosam perditionis ambulant viam: si quis consideret quanti in Deum quotidie blasphemant, & in cælum extendunt linguas suas. Iam quid de scandalis, de sacrilegijs & piaculis dicam? si quis ergo hanc bonitatem Dei, & sustentationẽ eius, & patientiam contemnit, ignorat quod per hæc ad pœnitentiam prouocatur: sed nos non dissolutæ hæc, & tardos ad conuersionem faciat: quia rursus patientia eius & sustentationis certa mensura est.* Vide Plutarch. lib. de sera Numinis vindicta; vbi illud Euripidis de Deo pertractat; *cunctatur; talis enim est Numinis natura.*

Non omnes peccatores punit Deus in hoc mundo.

Rom. 2. Sæpe Dei vindicta, & peccatorum tolerantia, peccatores ad pœnitentiã adducit.

9. *Quandoq; Deus aliquos punit insolito modo. Hom. 25. in Rom. cap. 13.*

Satis prouidentia Dei se prodit, dum subinde miris & insolitis modis in hoc seculo peccatoribus pœnas irrogat, idque in media hominum luce, omnibus aduertentibus & obstupescentibus, ac diuinæ potentiæ manum ea in re agnoscentibus. *Quis*, inquit Chrysostomus, *igitur totum mundum inducto diluuio stagnauit, ac graue illud naufragium, omnimodamq; generis nostri perditionem effecit? Quis deinde fulmina illa telaq; flammantia super terram Sodomorum demisit? Quis vniuersum Aegypti exercitum in mare demersit? Quis sexenta Israelitarum millia in eremo consumpsit. Quis synagogam Abiron combussit? Quis subter eos, qui Core & Dathan adhæserunt, telluris os aperuit, deuorareq; iussit? Quis septuaginta illa millia propter Dauidis peccatum, vno temporis momento, peste occidit? Commemorabone & eos qui priuatim puniti sunt? An Cain illum continuo traditum supplicio? An lapidatum cum omni suo genere Charmen? An eum qui propterea quod sabbatho ligna collegisset, idem passus est? An quadraginta illos pueros à bestijs consumptos, quibus neque propter ætatem parcitum est? Si verò etiam post gratiam eadem videre volueris, perpende quanta Iudæi passi sunt. Quomodo liberos suos comederint mulieres, illa quidem assantes, ista verò aliàs consumentes? Quomodo extremæ famis, bellíq; variis & grauibus traditi omnes superiores tragedias calamitatum suarum abundantiâ superauerint?*

Escis veritis tam multi hodie vescuntur, intemperantissimè tam multi cibo se & potu ingurgitant, cur non, vt Adamus, non plectuntur? Cur tot parricidæ Caini pœnas effugiunt? Cur sulphure ac pice, Sodomorum instar, quidam non deflagrant? Cur adulteri & arrogantes tot, Dauidicis flagellis nõ vrgentur? Cur libidinosi omnes in coniugio non statim pœnas luunt, vt extemplò septem Saræ mariti? Qua ratione non omnes criminis rei hîc plectuntur? Chrysostomus dicta homil. *Audi*, inquit, *Christum ipsum de rebus his tibi respondentem. De eo siquidem inquirentibus, quod ex ruina prolapsa turris quidam interierant, respondebat dicens: Putatis quod illi vltra reliquos omnes peccatores fuerint? Non dico vobis: imò nisi resipueritis, peribitis & vos omnes similiter: atque ita nos admonet, ne fidentiores propterea simus, si quando pœnitus cæteris nullas nos, licet multa deliquerimus, pœnas dederimus: nisi enim immutati fuerimus, omninò dabimus.* Vide Discursum vltim. in primum Præcep vbi plura de Dei misericordia reperire licebit.

Cur peccatores omnes hic non puniantur?

Luc. 13.

SECTIO VLTIMA.

An sit practicabile Coniuges simul degentes à copula abstinere? & ad quid orationem præcipiat Angelus?

1. *Difficultas datur in coniugio abstinere à copula.*

PRISCI Patres videntur hac in re difficultatem deprehendere. S. Hieronymus, aut quisquis est auctor regulæ Monachar. ca. 18. *Nihil periculosius*, inquit, *viro quàm mulier, nec mulieri quàm vir: vterque palea, vterque ignis.* Et lib. 1. contra Iouinianum: *Aligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit?* S. Bernardus serm. 6. in Cantica: *Cùm fœmina semper esset, ait, & non cognoscere fœminam, nonne plus est, quàm mortuum suscitare? Quod minus est non potes, & quod maius, vis credam tibi?*

2. *Facilius est continentia in coniugio, per diuinam gratiam.*

Verùm dico nihilominus, diuinâ accedente gratiâ, facilem esse continentiam. Nam Ruth c. 3. & Booz eodẽ lecto vtentes à copula abstinuerunt. Moris erat apud Hebræos, vt si contingeret aliquem matrimonio iunctum è viuis discedere non suscitatâ prole, vt frater, aut propinquus viduatam à priori marito vxorem duceret, mortuíque fratris, aut cognati semen suscitaret, ne illius apud posteros memoria omninò interiret. De fratribus lex expressa est, Deuter. 25. De alijs propinquis constat hoc cap. 3. Ruth, vbi illa edocta à socru Boozum, qui multa ipsi beneficia præstiterat, et esse propinquum, & quid facto opus esset, vt sibi Boozi conciliaret nuptias ornauit quàm potuit diligenter Ruth, & noctu ad illum locum placido accessit, ac sedato gressu vbi obseruarat Boozum sibi patasse

Exemplum Ruth & Booz.

taſſe ruſticum cubile, & lectum ſtrauiſſe in ſtramine, & ſtipula, cùm abeſſe nollet à mercenarijs, ventilandis frugibus intentis: & remouit ſtragulum ab imâ lectuli parte, & ſub eodem illo ſtragulo compoſuit ſe ad pedes eius. Sub mediam noctem expergefactus Boozus, cùm ad pedes iacere, quod non putarat, fœminam vidit, cohorruit ptiſmùm; deinde ab illa rogauit, quænam eſſet? illaque reſpondit: *Ego ſum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* Matrimonium tentabat, quod à cognito exigebat pietas religio. Idque ambit hieroglyphico ſigno cùm operire ſe poſtulat illius pallio, cuius ambit nuptias: quia hoc erat ſignum in contrahendo matrimonio legitimum. Quo ſignificatur arcta coniugum, & quaſi naturalis coniunctio; cùm vno vteque tegatur amiculo, quaſi vnum foret corpus conflatum è duobus, aut duo corpora vno tantum vigerent ſpiritu, & vno tantum tenerentur animali nexu. Vbi autem Boozus quænam eſſet cognouit, & quid eo coniugali ſymbolo captaret, intellexiſſet, bono illam animo eſſe iuſſit, & facturum ſe promiſit, quod haberet in votis, niſi propinquus alter eſſet impedimento, qui propiùs attingebat cognatione ſocerum Elimelech. Quare dormire iubet, & quieſcere ad exceſſum vſque nocturnæ caliginis. Sic admiſit ergo eam ad ſtramineum lectum, in quo ipſe iacebat, vt à fœminæ contactu omnis abeſſet libidinis ſenſus, & omne ab illa propinquitate periculum. Iuſſit enim vt iaceret ad pedes veſtita nempe, & ad omnem modeſtiam, & honeſtatem optimè compoſita. Vbi iacuit ad exceſſum vſque noctis. Et cùm lux eſſet dubia, quia nondum omninò exactæ tenebræ antequam homines ſeipſos clarâ luce cognoſcerent, ſurrexit, nempe Ruth; ſurrexit item Boozus, & excedere iuſſit Rutham, illud iterum ac ſæpiùs commendans ne quiſquam intelligeret illam ad eum locum, nocturno præſertim tempore diuertiſſe; quod ſanè vtriuſque exiſtimationi vehementer officeret. Hinc apparet quàm fuerit cautus, prudenſque Boozus, qui & ſuo, & futuræ coniugis nomini tam diligenter cauit, ne quis ſuſpicari poſſet in nocturno congreſſu aliquid interceſſiſſe flagitij, quod totam commacularet vitam, & Boozi nomini, & eius poſteris fœdam labem aſpergeret, & ab honeſto, commodoque coniugio Rutham excluderet. *Tanta erat*, inquit Theodoretus, *viri virtus, quod cum formoſa iuuencula noctu ad eum veniſſet, conſeruarit temperantiam, & legi rem conſeruarit; & neque ad nuptias prater legem connolarit: ſed cum propinquiori de matrimonio verba fecerit: deinde cùm ille recuſaſſet, tunc de catero cum muliere laude digniſſimâ fuerit coniunctus.* Vidè quæ dixi de hoc facto. Diſcur. 6. in VI. Præcept. numer. 15. & 16. ſcitu per quàm vtilia.

Dauid abſtinuit à copula vxoris Abiſag, mediante diuina gratia.

Dauid quoque Rex, vt habetur 3. Reg. 1. accepit iam ſenex in vxorem Abiſag Sunamitidem, puellam pulchram nimis, quæ dormiuit cum Rege, & Rex *non cognouit eam.* Nunquam illam Rex aut coniugali aut amatorio concubitu cognouit; quod ſine diuina gratia fieri non potuit. Quotus enim quiſque, licet ſaxeus eſſet aut ferreus, ad illius ignis actum non remolleſceret? Nec refert, quod effæto & ſemimortuo corpore fuerit Rex, cùm familiarem vium habuit cum virgine ſpecioſa: nam aut natura, aut amoris blandimenta, vel etiam Diabolus per eam extinctos carbones ardere facit, & libidinis incendia in membris frigidis, & penè mortuis efferueſcere, vt experientia in pleriſque ſenibus ſatis manifeſtat, cùm è mulieribus, quibuſcum contraxerunt, præter expectationem proles ſuſcitant.

Exempla alia coniugij qui virginitatem ſeruarunt.

Porrò Angelus Tobiæ noſtro non iniunxiſſet triduanam continentiam, niſi poſſibile fuiſſet, diuinâ gratiâ mediante, à copula abſtinere. Adhæc in lege gratiæ non extarent tot exempla coniugum illuſtrium tam genere, quàm ſanctitate & gloria, qui in coniugio continentiam & caſtitatem illibatam ſeruarunt. Beatiſſima Virgo, & Ioſephus vexillum caſtitatis non tantùm virginibus, ſed & coniugatis exeruerunt. Cunegunda Auguſta Henrici Primi coniunx falsò adulterij inſimulata, illa innocentiam ſuam purgauit, quin & ſe Veneris neſciam probauit, cùm quindecim paſſus ſuper candens ferrum nudis pedibus, illæſis plantis, perambulaſſet. ita Baptiſta Fulgoſius lib. 8.

Coniugia ſub eodem lecto ſine commixtione.

Et quod prodigioſum eſt, coniugia extiterunt ſine commixtione ſub eodem ſtragulo. Plures enim cohabitaſſe vno lecto, & virgines permanſiſſe, conſtat primùm ex Prat. ſpir. cap. 108. vbi vir è carcere miraculo eductus eſt, cùm in eum fuiſſet iniectus, quod mulieri cohabitaret, cùm tamen vterque virginitatem ſeruaret. Sed & Caſſian. collat. par. 14. lib. 2. cap. 7. vndecim annos ſolitorem vxori cohabitaſſe, & virginitatem perpetuò ſeruaſſe, dæmoniumque illo conſpecto fugiſſe ab obſeſſo, quum ſanctus Abbas Ioannes id non potuiſſet, ſcribit. Et nobis, inquit Mayolus, Romæ aliud exemplum compertum eſt, dum confeſſiones audiremus ante paucos annos: nam iam biennio vir & vxor vno lecto decubuerant, maximo mutuo ſe proſequentes amore, nunquam tamen ad venerem ſe inuitarunt, cùm mulier ſextum decimum vir vigeſimum quintum annum excederet, neque ei abſtinuerunt ex voto aliquo, ſed ex optima mentis indole, qua

se pollui vterque verecundabatur.

3. *Res alias prodigiosa.*

Vt vt est, res videtur prodigiosa, neq; quotidiani vsus. Nam Deus cùm per Moysem iuberet populum sanctificari & præparari ad legem Decalogi reuerenter excipiendam, addit: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris*: non simpliciter abstinere iubet à copula, sed ne proximè accedant, vt occasionem vitent periculo proximam. Cùm olim non omnes simul sacerdotes in templo ministrarent, sed singuli per suas vices distributi, & in orbem redeuntes sacra ministeria obirent, certum quibusque tempus ad ministrandum contingebat; quod octo dierum fuisse ex 4. Reg. 11. vers. 7. & 2. Paralip. 23. vers. 5. non obscurè colligitur, vbi die sabbathi alij sacerdotes templo egredi, alij in templum ingredi dicuntur. Porrò toto illo octiduo ministri in templo morabantur, quin proprias domos frequentarent: vt planè colligitur ex Lucæ 1. vers. 23. vbi de Zacharia dicitur: *Vbi impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam.* Ac si ante impletos dies, templo egredi, domumque suam redire non liceret. Quorsum verò ea consuetudo spectabat? Eò quidem, ni fallor, vt dum sacris ministerijs fungerentur, nulla animum labes ex ingressu domorum suarum, & coniugalibus negotijs macularet. Quod mihi videtur Lyran. post Bedam, aliosque significasse: Tota, inquit, *hebdomada, qua in templo ministrabat sacerdos, in templo manebat, & non exibat ad propria negotia, intentus ad diuina.*

Sacerdotes olim octiduo in templo ministrantes abstinebant à frequentatione domus Cur?

Quantum periculum mulierem tangere.

Et fortè ideo dixit Apostolus 1. Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere*, quòd occasionem det copulæ. Audi S. Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum: *Non dicit*, inquit, *Apostolus, Bonum est vxorem non habere, sed, Bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quòd qui illam tetigerit, non euadat; nempe quæ virorum pretiosas animas rapit, & facit adolescentiũ euolare corda. Aligabit quis in sinu ignẽ, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit? quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur: ita viri tactus & fœmina, sentit naturam suam, & diuersitatem sexus intelligit.* Paulus ibidem permittit coniugibus ad tempus continere se, dum scilicet orationi & ieiunio vacare velint; sed mox subiungit: *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.* Post orationis continentiam, ex gente incontinentia, iubet eos ad Matrimonij vsum redire, cùm periculum videlicet adest, ne labantur in adulterium, vel alias libidines, eò quòd sint incontinentes.

4. *Difficile coniugibus abstinere à copula*

Censet ergo Apostolus ordinariè difficile esse ab vsu matrimonii abstinere Coniugibus. Et Booz ipse satis indicabat Ruth. cap. 3. prodigiosum esse; alioquin dubia luce surgentem non iussisset tam prudenter agere, vt nemo deprehenderet ipsam ad stramineum eius lectum venisse, quod grauis esset inuicem oblata libidinis occasio, quodque homines de illa non possent honestè cogitare, cùm à nocturno illo consortio non soleat abesse familiare flagitium: Neque Scriptura alia de causa mentionem fecit, quod Dauid Abisag non cognouerit, nisi quia mistar prodigij esset. Abulensis mouet quæstionem, quare dicatur ibi, *Quod Dauid non cognouit Abisag: Nam istud*, inquit, *non oportebat hic poni, si enim istud proficeret aliquid ad excusandum Dauid, fuisset vtile poni, sic fuit de beata Virgine: nam dicitur, quòd ipsa erat vxor Ioseph, & quia aliquis putaret, quòd Christus natus esset de semine Ioseph, Euangelista apposuit, dicens: Et accepit Ioseph coniugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. Sic patet Matth. 1. In Dauid autem non erat sic, quia siue cognouisset Abisag, siue non, nequaquam peccaret, quia erat vxor illius, & etiam si esset concubina, non peccaret cognoscendo illam, quia in Dauid fuit dispensatio,* vt declaratum est *prædict. lib. c. 5.* Et respondet ad nostrum propositum, fuisse *ad significandum statum Abisag, scilicet, quod maneret virgo rege mortuo; nam cum Abisag dormiret cum Rege, & calefaceret eum, difficile videbatur, quòd puella mouens senem ad calorem, non moueret ad libidinem, vt ait Hieronymus, etiam, quia alij in tanta ætate coire potentes sunt, putaretur, ergo verosimiliter, quod Abisag cognita fuisset à Dauid. Ad signandum ergo integritatem eius, prophetæ testificatum est, quòd Dauid non cognouisset illam.*

Cur Dauid dicatur non cognouisse Abisag.

Quòd autem Angelus id præcipiat per triduum, extraordinarium est, & ex Dei instinctu, qui præceptis suis addit gratiam & facilitatem. Præterea Angelus Tobiæ indicare voluit orationem ad obtinendá diuina auxilia, & beneficia peropportunam, quòd Deus pleraque sanctis etiam promissa non soleat sine præuia oratione concedere. Res palam est per exempla plurimorum veteris Testamenti, primò Patriarchæ Isaac, qui tametsi sciebat ex diuina promissione in semine suo benedicendas omnes gentes, ac per hoc se prolem aliquam habiturum dubitare non posset, orauit tamen Deum pro sterilitate coniugis suæ, vt legimus Genes. capite vigesimo quinto, Quoniam illud etiam sciebat, multa Deum promittere, quæ per orationes à se impetrari velit, vt S. Greg. annotauit in l. 1. Dialog. cap. 8.

5. *Deus non solet ut sum promissa concedere sine præuia oratione.*

Sic Deus promiserat populo Iudæorum pacem & tranquillitatem, & tamen non dabat nisi orantibus. Hinc Iud. cap. 39. *Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit illis saluatorem, & liberauit eos.* Et cap. 6. vers. 6. *Humiliatus est Israël valde in conspectu Madian; & clamauit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.*

Qui

Qui misit ad eos virum Prophetam, &c. Similiter promiserat se missurum Messiam: & tamen Prophetæ orabant vt eum mitteret, Exod. 4. vers. 13. *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* & Isa. 45. vers. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Et cap. 64. vers. 1. *Vtinam dirumperes cælos & descenderes.* Sic Elias cum Dei nomine pluuiam promisisset Regi, & certò sciret falsum esse non posse, quod Deus promittit: anxiè tamen Deum precari cepit pro pluuia impetranda, 3. Reg. 18. quia nouerat pluuiam quidem à Deo donandam esse, sed non nisi per orationes suas, esse donandam.

Denique Angelus Raphaël hîc dicit Saram Tobiæ iuniori à Deo destinatam esse vxorem: & tamen eundem admonet, vt Deum precetur, ne se à dæmonio illo patiatur occidi, à quo necatos fuisse constabat alios omnes, qui cum eadem Sara copulari tentauerant. Nimirum indicauit Angelus, conscius Dei secretorum, præordinatum fuisse a Deo coniugium Tobiæ & Saræ, sed non nisi per orationes eorum diuinam illam præordinationem esse implendam. Hinc B. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium, cap. 36. *Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur erandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cùm implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui bona egerint, non solùm secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.* Qua de causa voluit eam seligere locum quietis: *Ingressus cubiculum per tres dies, continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea.* Solent enim Hebræi partem domus superiorem orationi destinare, aut quia inde melius spectari cælum poterat, aut quia domesticorum strepitus minimè ibidem interpellaret orantem. Vide dicta cap. 3. Sect. 20. n. 7.

6. *Tobiæ matrimonii fructus.*

At quis erit huius orationis fructus? Primus ô Tobia, erit, quod fugabitur dæmonium, domum Saræ infestans. Alter, quòd sanctè & pudicè, sicut Patriarchæ solent, vteris coniuge tua, nec species te decipiet, vt à mente tua excludas Deum, quemadmodum antea septem Saræ mariti interfecti, quòd formâ electi sine respectu cogno cere voluerint, etiamsi fuisset alterius coniunx. Hoc est in societatem & numerum sanctorum admitti, qui non prius ad vxorem accesserunt, quàm oratio munda, & aliquod tempus intercederet: quod fecit Iacob, qui ad sponsam suam Rachelem, quam multorum annorum molestâ seruitute coëmerat, non accessit, nisi postquam aliquot dies transacti sunt. Quod etiam fecisse Abraham & Isaac, illud argumento est, quod etiam in duabus filiabus seruari fecit Loth in ciuitate profusæ libidinis, vbi nulla erat honestatis, aut pudoris obseruantia. Nam cùm filias Sodomæi generis despondisset, nemo tamen illorum ad vxores accesserat, quando ciuitas illa cæleſti conflagrauit incendio. Fecit hoc, opinor, Loth imitatus Abrahami exemplum, & illorum, qui sub illud tempus honestas nuptias inierunt, quorum fuerunt honesta, sancta, atque fœcunda connubia. Cùm tale cupiat Angelus Tobiæ coniugium orationem præmitti iubet, & si qua inerat iuuenili ætati miscendorum corporum auiditas, vt illam ad quartum vsque diem à nuptiarum conciliatione sustineat.

Sanctum connubium præcessit oratio, & libidinis frænum.

Tertius fructus erit, quod Matrimonium erit fœcundum, quod opus interdum orationis est, vt constat ex Matrimonio Abrahę, ex quo natus est Isaac, qui non tantum videtur suorum parentum filius, quàm orationis, quæ mortuis corporibus, & sterili vuluæ, virtutem præbuit genitalem. Ex Matrimonio item Isaac, vt superius ex Gregorio Magno attigimus rursum ex Matrimonio Elcanæ & Annæ, quæ sterilis existens precibus obtinuit Samuelem. Sed quid amplius innuit textus, cùm ait, *Benedictionem consequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.* Itaque non solùm prolium multitudinem nanciscens, sed eadem sanas, non gibbosas, non claudas, non lippiosas, alióue vitio notatas, sed corpore perfectas. Quod tamen non omnibus contingit: Aliquando enim ex imaginatione in conceptu mirę nascuntur proles. Exempla cuius plura Discursu 69. in I. Præcept. n. 2. Imaginatio, quæ post conceptionem sequitur, etiam paradoxa cauare solet: *Videmus*, inquit Delrius lib. 1. cap. 3. q. 3. Disquis. *prolem etiam iam formatam in vtero, materna imaginatione disperdi a fœtore, vt in prægnantibus accidit quotidie. Legi*, ait, *VVittenbergha iuuenem cadauerosa facie natum: eò quod mater vterum ferens obuio cadauere subitò fuisset pauefacta. Senaci, pudicam & formosam matronam: scribunt perperisse glirem; quia ex vicino aliquo glirorum nolam appenderat, ad cuius sonitum reliqui fugarentur: is occurrit mulieri grauidæ, quæ ignara rei, subito occursu & aspectu glirorum, ita est conterrita, vt fœtus in vtero degeneraret in formã bestiola. Nicolao III Pontifice Romæ quodam in palatio mulier infantem vrso similem peperit, eo quod (Medici iudicarunt) ibidem varijs in locis vrsi depicti cernebantur.*

7.

Canes, cati, lupi, dos muliebri partu edui.

Aliquando nascuntur monstrosæ, vt palam est. Prodigiosa sunt quæ scribit Mayolus sub verbo, *mulier*; *Anno Domini*, inquit, 1471. *Mulier canẽ peperit, & altera Papiæ catũ, vt Bergomas, qui tũ, cùm hæc ferent, scribebat. Deinde anno Domini* 1488. *mulier vxorata canes duos, deinde in crastinum tres alios murium magnitudine, non tamen omnes mixa est vnos, idq; accidit in villa*

Nempsella,

runt templa, exoticæ atque impiæ Religioni à Salomone conſtructa. Excelſa, lucos, & aras, quæ non ſolùm in ſuo, ſed etiam in alieno regno, ſubuertit, eaque, diſperſis atque combuſtis humanis oſſibus, ita fædauit, vt ad nauſeam potiùs, & contemptum, quàm ad Religionem, & voluptatem allicerent. Aggreſſus eſt autem ipſius tempore Rex Ægypti Nechao Regem Aſſyriorum, veroſimiliter, vt vlciſceretur iniuriam, aut reſarciret plagã, quam nuper ab Aſſyrijs ſub Senacherib acceperat Ægyptus. Fecit autem animos Ægyptijs, vt potentem aggrederentur hoſtem, à quo durè aliquando conciſi fuerant, quia audierant res Aſſyrias in ſingulos dies debilitari maximè, ex quo ſub Sennacherib tot militum millia corruerunt percuſſa diuinitùs. Cùm autem ex Ægypto ad Euphratem, quò Ægyptia progrediebatur acies, tranſeundum eſſet per Ioſiæ regnum, occurrit Ægyptio armatus rex, vt aditum illi ad vlteriora præcluderet; & quidem hortante Ægyptio ne ſibi moleſtus eſſe pergeret, quando ſibi cum illo nihil eſſet negotij, ſed tota illa belli moles Aſſyrium peteret hoſtem communem. Perſtitit tamen in ſua mente obſtinatò Ioſias: quæ res illi prorſus exitio fuit. Nam in primo congreſſu cum Ægyptijs, dum incautiùs agit, à ſagittarijs confixus interijt, vt videre eſt 2. Paralip. 35.

Diuus Ludouicus annum agens quinquageſimum ſeptimum in ora Africæ, in medio exercitu, quem peſtis populabatur, extinctus eſt Egillus Rex Gothorum, princeps optimus, à furiali tauro, quem facinoroſi populares, qui legum ſeueritatem ferre non poterant, emiſerunt, crudeliter necatus eſt. Malconus primus rex Scotorum poſt multa iuſtitiæ ſpecimina, noctu cùm regnum luſtraret, ſuffocatus eſt. Nonne multi ſani dormierunt, & obdormierunt, reperti mortui? In procinctu ſteti animus neceſſe eſt. Oza, vir in Danidis ſatellitio non ignobilis, nutantem arcam, cum Hieroſolyma triumphali curru veheretur, obiectis manibus fulcire tentabat, 3. Reg. 13. repentè tactus eſt de cælo. In Prophetam qui cibum iniuſſu Dei ſumpſerat, eductum è ſylua leonem Domini manus armauit, à quo eſt Act. 5. interfectus. Ananiam & Saphiram Chriſto primùm initiatos, repentina vox Petri quaſi fulmen in delicti expiationem perculit. quorum animos æternis ſupplicijs hac pœnâ ſubductos, bona pars Theologorum ſentit. Omittam vetera.

Henrici II. Regis Galliæ flebile exemplum.

Anno 1559. Henricus II. Rex Galliarum in ludis, in triumphis, in communi hominum lætitia eſt interfectus. Dum enim Pariſijs filiæ nuptias celebrauit, in equeſtri certamine, pars fractæ lanceæ per illius oculum eâ vi adacta eſt, vt expulerit animam, vt refert Iacob. Gerdoni Chronol. in hunc annum.

Alphonſi II. luctuoſiſſimum exemplum.

Anno 1491. Alphonſus Ioannis II. Luſitani Regis filius, annum agens decimum ſextum, ſplendidiſſimi ingenij, & ſummæ eſpectationis princeps, Iſabellam Ferdinandi Hiſpaniarum Regis filiam duxit in vxorem, cuius dos erat, ampliſſima paternorum Regnorum hæreditas. Celebrantur nuptiæ ſexcentorum triumphorum apparatu; vbique ludi, Throiæ equeſtres pugnæ, conuiuia; tantus autem erat luxus, vt calones & mediaſtini in Attalicis veſtibus fulgerent, quibus ſubſerica & holoſerica vilioris videbantur valoris. Sed prô dolor! vix menſis erat ſeptimus, cùm miſer adoleſcens ad ripam Tagi fluminis in equo iuueniliter exultans excutitur, & lethali plaga obtrito capite datur ad terram, defertur in caſam piſcatoris, quæ vix illum cum duobus famulis caperet. Decumbit in ſtramentitiâ culcitrâ, ibi efflat animam. Accurrit rex adoleſcentis pater cum Regina matre: vident ſpectaculum miſerabile, verſas in lamentationem pompas, ſurgentem filij adoleſcentiam, virtutes, opeſque, quaſi naſcentes floſculos, ab improuiſo Boreâ, decuſſas, infeſto tumulo ſepeliri omnia. O ſubitos rerum turbines! ô præcipites vel firmiſſimorum lapſus!

Quid alios memorem? Baſilium Imperatorem cervus inter venandum, ramoſo cornu impetitum traiecit, quo vulnere non multò poſt extinctus eſt. Vetus monimentum in caſtro Ambroſ. prope Oenipontum teſtatur equũ ab ephebo nobili ſubditis calcaribus admiſſum, vt foſſam viginti pedes longã tranſiliret: tranſilijt, ſed eques & equus ſubitâ & vnâ penè morte conciderunt. Id equi exuuiæ & ephebi veſtes hodieque loquuntur. auctor eſt Hippol. Guarinonius lib. 6. de Abominandis gentis hum. c. 20.

Diuus Eprem: *Multi*, inquit, *dum multa ſecum ſtatuerent, ad craſtinum non peruenerunt. At ſubitò rapti ſunt, ſicut paſſerculi ab accipitre, & velut agni à lupo, & quaſi captiuus à latrone, nec loqui prorſus valentes, nec teſtamentum condere, neque vocem vllam edere. Alij enim veſperi cubitum* *Mersi nihil ſani* *immem.* *concedentes, ad mane non peruenerunt: alij ad menſam accumbentes expirarunt; alij inter ambulandum, & ludendum, repentè ſunt mortui: alij in balneo morientes, idem lauacrum pro epitaphio ac ſepultura habuerunt: alij dum nuptias celebrarent, in ipſo thalamo nuptiali, ſubitò atque inopinatò abrepti ſunt: & eadem ſibi veſtimenta pro nuptijs pararunt, atque pro funere; ſucceſſeruntq; in locum tibicinum, lamentantes, & in locum ſaltantium, atque tripudiantium, ingentes atque ploratus.*

Repeto rurſum quod dixi Sect. præcedenti: *Quid facient tabulæ, ſi tremant columbæ? aut quomodo virgulta immobilia ſtabunt, ſi huius paueris turbine etiam cedri quatiuntur?* Tu igitur ſe- II.

riò

riò aduigila, & quamuis teſte Eccleſiaſte cap. 3. *iuſtus ſit, quipertat in iuſtitia ſua, & impius qui manet in ſuo vitio, & iuſtus cui occurrat aliquis caſus tanquam iuſto*, ſitque repentinum fatum probis cum improbis commune; & difficile iudicia Dei in hoc æuo cognoſcere; ſtimulet te tamen exemplum eorum, quos in ipſo flagrantis ſceleris concurſu, ſacra pagina teſtatur diuinæ vindictæ telum expertos. Tales fuerunt multi, qui in diluuio ætatem habentes, morte ante pœnitentiam factam præuenti ſunt. Talis fuit Pharao cum ſuis, in aquis maris rubri ſepultus. Talis fuit Dathanis & Abironis exitus, quos in Moſen perduelli animo obfirmatos, hiatu diſcedens terra miſerabiliter abſorpſit. Talis mors Abſalonis, quem maieſtatis pertinacem reum feralis haſta confixit. Tale quinquaginta ſatellitum, quos in Eliam parùm reuerentes, cœlum flammarum globis armatum deuorauit. Tale fuit Hebræi hominis exitium, quem cum infami Madianitide vindex traiecit gladius, & lectulum genialem miſcuit cum funebri. Quot pori corporis, tot oſtiola ſunt mortis. Non vbique ſe mors propè oſtendit, vbique tamen prope eſt. Quid autem ſtultius, quàm mirari id vllo die factum, quod omni poteſt fieri. Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit: ſed nemo ſcit noſtrum, quàm propè verſetur. Sic itaque formemus animum tanquam ad extremum ventum ſit; nihil differamus.

Plurimos in ipſo flagrantis ſcelere mortimadit Gen. 6.

Exod. 14.

Num. 16.

2. Reg. 18.

4. Reg. 1.

Num. 25.

CAPITIS SEXTI

VERSVS XVI.

Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & oſtendam tibi qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium.

Verſ. 17. *Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.*

Verſ. 18. *Tu autem cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea.*

Verſ. 19. *Ipſa autem nocte, incenſo iecore piſcis, fugabitur dæmonium.*

Verſ. 20 *Secunda verò nocte in copulatione ſanctorum Patriarcharum admitteris.*

Verſ. 21. *Tertia autem nocte, benedictionem conſequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.*

Verſ. 22. *Tranſactâ autem tertiâ nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 17. 18. 19. 20. 21. & 22. Monet Angelus Tobiam ne curet, quid de amore dæmonis ſtulta multitudo ſentiat & dicat, quin etiam nec illud, quod bacchatus fuerit hoſtiliter Aſmodæus in ſeptem Saræ maritos: ſed potiùs vt ab ipſo diſcat cauſam cædis illorum fuiſſe, libidinis intemperantiam, quâ ſic inſanierunt ſicut equus & mulus, & rationis expertes animantes, quæ naturæ ſequuntur impetum; & ſuæ potiùs obſequantur libidini, quàm Matrimonij legibus, & caſti legitimique connubij. Rurſum hoc à me accipe conſilium, Triduum à conceſſo vſu coniugali contineas; illudque non tuo tibi genio, ſed Deo atque orationi totum impendas, quâ diabolum expellas, qui ad caſtum odorem ex ſuaui orationis fragrantiâ nullum habebit acceſſum: Et primâ nocte à fumo, qui ex arenti iecore incenſo ſurſum erumpet, fugabitur dæmonium, quod ſeptem viros ſuffocauit. Secundâ nocte conſequetur oratio aliud beneficium, vt videlicet in ſocietatem, & numerum Sanctorum admittaris, qui non priùs ad vxorem acceſſerunt, quàm oratio munda aliquod tempus antecederet. Tertiâ autem nocte precibus conſequeris fœcundam vuluam, & honeſtam ſobolem. Quarta verò nocte propagandæ ſobolis cauſa, ſeu cum timore Domini potius quàm libidinis ardore, & ineffrænato furore thorum facies immaculatum: vt eam benedictionem conſequaris, vt orta ex tuo matrimonio progenies videri poſſit Abrahami ſemen, ſanctum videlicet, & quod à Dei fideli obſeruantia non recedat.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Quam ob cauſam dæmoni poteſtas conceſſa in nouos coniuges, deque inſanæ libidinis incommodis.

1. DÆMONI ob varias cauſas in hominem poteſtatem concedi à Deo, Scriptura pluribus locis inſinuat. Aliquas obiter attigimus ſect. 13. huius capitis: & in libidinoſos dari, palam facit Apoſtolus 1. Cor. 5. dum ipſe inceſtuoſum tradit Satanæ in interitum carnis: at cur in coniuges ita fæuire permittatur, non ita liquet. Paucis rem aperiam. Diuus Paulus inquit: *Honorabile connubium* (ſit) *in omnibus, & thorus immaculatus.* In omni re, inquit, ſeruate honeſtatem, decus & honorem coniugij veſtri: hoc curate, vt nec adulterio, nec mollitie, nec etiam in ipſo coniugio, aliâ libidine, quam natura & pudor coniugalis refugiunt, maculetur; ſed tantùm vt animi copulâ maritali, quam natura generationi deſtinauit, quæ poteſt non ſolum eſſe licita, ſed etiam apud Deum meritoria. Nam congreſſus matrimonialis, ſolo prolis ad Dei honorem educandæ deſiderio factus, actus eſt religionis. Studio autem reddendi debiti ſuſceptus, iuſtitiæ actus eſt. Fornicationis verò euitandæ cauſa, ſecundum indulgentiam permittitur, & id quod extra coniugium foret damnabile, reddit veniale; vt Auguſt. docet lib. *de bono coniugali*, cap. 10. Vt enim oculi præcipuè dati ad videndum, ſecundariò etiam valet, vt alteri aliquid innuamus, dum hoc honeſta vtilitas poſtulat: Et ſicut vox articulata data, vt noſtros conceptus alijs explicemus, etiam ad honeſtum cantum vtiliter applicatur: ita & congreſſus matrimonialis ad honeſtos hoſce fines etiam eſt licitus. Sin verò illos contemnas, ita vt poſitiuâ actione generationem prolis impedias, quêadmodum Geneſ. 38. Onan & Her: vel ita vtaris coniuge tuâ quaſi alienâ, laxans habenas concupiſcentiæ, grauiſſimè peccas, adeò vt dæmoni, permittente Deo, in te facias poteſtatem. Hoc indicat Angelus Raphael, cum ait: *Audi me, & oſtendam tibi, qui ſint, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe &c. habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Regius Propheta Pſal. 31. dixit: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Euthymius eum locum congruè ad noſtrum propoſitum interpretatur: *Noliſte*, inquit, *amore mulierum furere, velut effrenes equi: nec ad virtutem infructuoſi fieri, vt muli. Illi quid bonum, aut quid malum; quid honeſtum, aut quid turpe ſit, ignorant: quia ratione, vt vos, donati non ſunt. Equi præterea hinniunt ad voluptatem, & muli ſemina virtutis nulla concipiunt, nec fructum aliquem producunt.*

In libidinoſos dandi à Deo dæmoni poteſtas.

In coniugio ſeruare debet honeſtatem. Heb. 13.

Congreſſus coniugalis quatenus eſſe meritorius.

Quando detur dæmoni poteſtas in coniuges.

Libidinoſus equo comparatur.

2. Notandum hîc eſt, equum eſſe libidinoſum, & ſalacem admodum, & quidem à prima ſtatim ætate ad extremam vſque, vt oſtendit Ariſtoteles lib. 6. de hiſtoria animalium, cap. 22. *Equus*, ait, *coire incipit bimus, tam mas quam fœmina*, maximè tamen *in trimatu.* Et, *ſalaciſſimum omnium tum fœminarum, tum marium equus eſt.* Vnde Scriptura libidinoſum hominem deſcribens: *Equi*, inquit, *amatores & emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi inhiebat.* Vſque adeò, inquit Ieremias, ſe in omnem libidinem & intemperantiam proiecerunt, vt tanquam equi ſint admiſſarij, qui in venerem impotenter ruunt. Nam quemadmodum equi, vrgente libidine, ad fœminas adhinniunt; ſic Iudæi hinnitu ſuo, atque procaci blandimento ad nefarium libidinis opus alienas vxores interpellant. Pro *emiſſarij facti ſunt*, Hebraicè eſt *maskim*, quod mane ſignificat, quaſi dicat, equi ſaginati tempore matutino. quo tempore maiori furiunt libidine admiſſarij equi, cùm nocte à Venere ceſſatum ſit. Tunc verò, & quia bene tota nocte paſti, & quia natura in Venerem proni ſunt, impetu illo vehementi tamdiu repreſſo, vbi lux affulſerit, eluctatur equus, & totus ſoluitur, ac liqueſcit in Venerem. De hac peruerſa, & planè ferinâ hominum intemperantia optimè Baſilius lib. de vera virginitate. *Ex rationali, inquit, & irrationali, id eſt, animali parte iuxta Gentilem Philoſophiam, hominem, veluti Centaurum quendam Creator effingens, ſuperiori parti à capite vſque ad pectus humana forma inſignita, reliquũ corporis, ab vmbilico, & lumbis, equina ſubiecit effigie, qua ad ventris voluptates brutorum inſtar prona, atque ad concubitus effrenatè proclivis eſt. Neque enim ab irrationali parte per luxum rapi ratione præditam voluit, ſed à rationali potius rationis expertem ad vſus neceſſarios regi ſapientiſſimè ſtatuit. Huius denique ſibi indultæ diuinitus poteſtatis gratia, ſi quando rationalis pars peruerſo ordine ipſa non regit, ſed ab irrationali potius regitur, improperat aurigæ ſermo diuinus cur ſe ad irrationalis voluptatem peſſimè à ſua dignitate deiecerit, dicens* (hoc nempe Ieremiæ loco) *equi inſanientes in fœminas facti ſunt.*

Equus animal eſt ad libidinem proclive.

Ierem. 5.

Et

Et Ezech. 23. *Quorum carnes sunt vt carnes asinorum, & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.* Ecce quò se diuinus spiritus demittat, vt peccatorum stuporem, & impudentiam amplificet. Vt enim suum in nos amorem, & studium ostendat, verba interdum adhibet, quę longè à diuinæ naturæ puritate distant, sic vt peccatori fædam proluuiem exprobret, & putridos mores, verbis vtitur dignissimis quidem peccatoris vita, & quæ alicui minus decere infinitam illam puritatem videri poterant. Audi Gregorium in proœmio ad Cantica. *Notemus, quàm mirabiliter, quàm misericorditer nobiscum operetur, qui vt nos ad amplexus sacri amoris accendant, vsque ad turpia nostri amoris verba se inclinat. Sed vnde seloquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat: quia ex sermonibus huius amoris discimus, quâ virtute in diuinitatis amore ferueamus.*

Vt vis magnitudo, seu turpitudo significetur, verbis interdum à sua puritate alienis vtitur Scriptura.

Mulus ad libidinem promptus, sed sterilis.

Mulus additur, non quòd equo sit, vel in hoc impetu, vel furore comparandus; sed quia stolidum & stultum animal equi hinnitum & furias imitatur, & frustra in equas & asinas salire conatur, cùm sit naturâ sterilis, adeò vt in ostentis & prodigijs mulæ partus olim numeratus sit, vti à Plinio lib. 8. c. 44. aliisque traditum. Nam qui à Theophrasto in Cappadocia, ab alijs in Syria, parere putati sunt, eos ab alijs genere discriminari docet lib. 1. de historia animalium, cap. 6. & lib. 6. cap. 24. Aristoteles. Hinc, vt à Pierio lib. 12. Hieroglyphicorum scribitur; cùm lasciuum, spurcumque hominem vellent veteres significare, mulum aut mulam pingere solebant. Vult igitur brutorum istorum animalium nominibus ostendere S. Raphael ab omni vita, coniugijque honestate remouendam libidinem nimis importunam, intempestiuam, crebram, & furentem: castumque ipsius vsum ad honestam liberorum procreationem, non ad pecuinam tantum voluptatem referendum.

Mulus hominis spurci symbolum.

Libido nimia à coniuge arcenda

3. Vera hæc loci huius est explicatio: Metuebat enim Tobias iunior Saram cognatam accipere in vxorem, eò quod septem viros, quibus tradita fuerat, Alastor ille necauerat. Hunc ei metum adimit Angelus, cùm ostendit in quos exercere queat potestatem. Huc spectant Apostoli verba imperantis: *Honorabile connubium (sit) & thorus immaculatus.* Sciebat vtique corda & renes scrutari Deum: *Nihil*, inquit Augustinus, *in lecto turpiter agas, nec excedas vltra concessam libidinem in lege Dei: sit castus cum coniuge thorus; & si est cura propagandi liberos, non sit effrenata luxuries libidinum. Defer in lecto tuo, coniugi tua, honorem, quia membra Christi estis ambo; ambo ab illo conditi, ambo sanguine ipsius reparati. Mater omnium vitiorum incontinentia. In alienâ vxore*, inquit D. Hieronymus, *omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir debet iudicio amare coniugem, non affectu; reget impetus voluptatis, non præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius quàm vxorem amare, quasi adulteram. Refert Seneca cognouisse se ornatum quendam hominem, qui exiturus in publicum, fascia vxoris pectus colligebat, & ne puncto quidem hora præsentia eius carere poterat, potionémque nullam nisi alterius tactam labris, vir & vxor hauriebant. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quàm ex honesta causa quis insaniat. Vnde & Xystus Pythagoricus; Adulter est, inquit, in suam vxorem amator ardentior.*

In psal. 146 In lecto omnis turpitudo cum coniuge vitanda.

Zib. 1. in Ionio.

In vxorem amor nimius est turpis.

4. Attende ad hæc, mi Christiane: non satis est vxorem esse tuam; modum adhiberi vult Deus, & vnumquemque vestrum *vas suum possidere in sanctificatione: Si immoderatius*, inquit Augustinus serm. 105. *vxore tua vsus fueris, tamen sit re tuâ vtaris tamen re tuâ immoderatius vtendo, corrumpis in te templum Dei. Nam & vinum de apotheca tua bibis, & tamen si sit bibis, vt inebrieris, non quia re tuâ vsus es, ideò non peccasti; donum enim Dei ad corruptionem tuam conuertisti* Deus abundè dederat Israëlitis vinum, frumentum, linum & oleum, argentum & aurum; conuerterunt autem illa in vsum idolorum. Hoc egerrimè tulit Deus, qui sua dona ad vsum confert, non abusum: Vnde ait Oseæ 2. *Idcirco conuertar, & sumam frumentum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo: & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.* Sensus est: Vt iam tandem intelligant Israelitæ, quem in vsum conferre debuissent, quæ à liberali mea manu acceperũt, sumam frumentum meum, ac vinum meum, seu faciam vt parum frumenti in messe, & parum vini in vindemia colligant: aut si multum collectum sit, euanidum sit, parumque det panis & vini; aut certè incendio, grassatione hostili, alióue modo illud disperdam, licéque liberabo ea quasi è captiuitate, quâ detinentur ab iniquo vel iniusto possessore; qui his meis beneficijs abusus est. Et nudum ignominiosè illum ipsum ad ludibrium exponam. Sapienter ergo respondit sanctus Ægidius, socius S. Francisci, cuidam seculari, glorianti, quod castè viueret, fidemque vxori seruaret: *An ex suo quoque ipsius dolio*, inquit, *non potest aliquis ebrius fieri?* Hoc viri prudentes & pij exactè obseruant, quibus exploratum Matrimonium inter res sacras haberi ob Sacramẽti sanctitatem. Spurci verò homines, exleges, & quibus libido dominatur, grauiter obstrepunt, diuina non curant, apostolicum contemnunt præceptum: quis, inquiunt, mihi leges ponat, vxor mea est, non alterius, mei iuris est; vsui meo subseruire debet ad libitum; libidini meæ & voluptati num contradicet? Cùm ea agam quod libet. Itane? Nescitis vos obstrepere Apostolo, per quem

Vxore moderatè est vtendum.

Dei donis vtendũ, non abutendum.

Immunditiam & Abusus Matrimonij grauissimè punit Deus.

Christus locutus est, cuius præcepta Domini mandata sunt? Audi quid auribus vestris insonet post huiusmodi præceptum: *Fornicatores enim & adulteros*, inquit, *iudicabit Deus*, id est, condemnabit, & puniet. Assignat causam Apostolus, cur Matrimonium honorari, thorumque immaculatum seruari iusserit; quia scilicet, si secus fecerint, ipsumque coniugium & thorum dehonestent, & commaculent adulterio, fornicatione aliáue libidine, sentient Deum vltorem & vindicem. Idem Apostolus monet Ephesios, vt fugiant libidinem, scurrilitatem, stultiloquium, cæteraque opera tenebrarum, tanquam Filij lucis. Et addit cap. 5. v. 6. *Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim*, supple fornicationem, immunditiam, & auaritiam, *venit ira Dei in filios diffidentiæ*, in filios, inquam, inobedientiæ, & incredulitatis: vel vt Hieronym. insuasibilitatis, &, vt Cyprianus, contumaciæ. quasi dicat. Homines inobedientes, incredulos, insuasibiles, intractabiles, qui cùm monentur vel audiũt, turpitudines iam dictas esse fœdas, & illicitas, aut non credunt, aut non obtemperant recta docenti & monenti. Vnde instam vindictam suam in eos exercet Deus, vt sæpè in hac vita, peste, fame, gladio, & mille ærumnis; post mortem verò semper æternâ morte, & igne eos puniat, nisi priùs resipuerint. Si hæc præmeditati fuissent Sodomitæ, igne cælitus misso non interiissent. Si Israelitæ hæc seriò perpendissent; nunquam à specie Ammoniũdum, & Moabitidum mulierum se in luxuriam trahi admisissent: nunquam stragem viginti quatuor millium hominum experti essent, Numer. 25. Apostolus redargui vult tum verbo, tum exemplo pudendas libidines, & Paganorum peccata & Simonis Magi, ac Gnosticorum, qui in occulto abominanda perpetrabant: Quid non voluit erga Christianos fieri? Deum nihil latet: ipse non solum occulta peccata sed & intentiones in Matrimonij statu iudicat. Quare, quæso, filij Seth aquis diluuij sepulti sunt? Nunquid vxores acceperunt filias Caini? Omninò. Sed quia sola pulchritudine ducti, libidini satisfacere volentes, matrimonium inierunt, Dei vltricem manum non effugerunt, Genes. 6. Vide dicta Sect. 11. in hoc caput, num. 12. & seqq. Salomoni, quia contra Dei præceptum vxores multas duxit, & alienigenas, Deus grauiter offensus minatus est regni in sua familia diuisionem, neque partem reliquisset vllam, nisi obstitissent parentis merita, quæ eò regni reliquâ parte compensari voluit. Neque ex eo tempore, quod ætatis supererat, otiosum habuit, & vacuum à metu, aut à belli tumultibus: nam primùm Adab, qui à Dauide pulsus in Ægyptum confugerat, & Regis affinitate potens erat, contra Salomonem hostile molitus est aliquid. Neque minori ardore, atque odio rem Israeliticam vexauit Razon Rex Damasci, quem Dauid iam antè malè mulctatum suo nomini, ac generi infensum reddiderat. Tertius fuit Ieroboamus, quem Aias Silonites diuiso in duodecim partes pallio decem tribuum designauit Regem. Quod cum non dubiis coniecturis foret à Salomone deprehensum, ex Israelis finibus in Ægyptum secessit. Septem Saræ mariti erant; sed quia sicut equus & mulus congressum cum ea meditabantur, tortoris crudelissimi manu, Asmodæi inquam, non sauciati, at suffocati in ipso libidinis æstu, æternæ damnationis rei perierunt.

Similes intentiones in Matrimonio Deus iudicat semper.

5. *Grauius punitur immoderatus usus matrimonij, adulterio.*

Tantum malum est, etiam cum coniuge ignorare metam, vt grauiùs adulteris puniantur; neque hominum manu, sed diabolica intereant: & tu surdâ aure transis, cùm in ordinem redigeris, imò excandescis, & blasphemas in eum, qui te lucrari satagit. Dixit Apostolus de Gnosticis: *Quæ ab ipsis in occulto fiunt, turpe est & te dicere.* Ego vereor horrenda esse quæ inter Christianos quosdam matrimonio iunctos occultè perpetrantur: & tamen instructionem omnem respuunt. Quid dicam? Nil tàm obstinatè diuino spiritui resistit, quàm libidinis vitium. Locuples testis est Syracides Eccles. 21. vbi hanc inter castum & luxuriosum assignat differentiam: *Verbum*, inquit, *sapiens, quodcumque audierit scitum, laudabit, & ad se adjiciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum.* Non dignabitur in illud intendere, & abijciet illud ab oculis suis. Sic tempore diluuij contempserunt Filij Seth primò monita suorum, deinde Noemi arcam conficientis. Sic Sodomæi Loth vituperati; sic Israelitæ Num. 25. ad alienigenas hinnientes in tantum, vt *vnus de filijs Israël*, quemadmodum textus loquitur, *intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi.* Describitur ad literam audacia Zambri, ait Caietanus, deducentis mulierem Madianitidem per mediam plateam, quæ erat ante tabernaculum diuinum, ad tabernacula Israelitarum; non contentus enim cum huiusmodi mulieribus extra castra versari, vnam earum in omnium oculis ad fratres suos deducebat, neque Dei tabernaculum, neque Moysen reueritus, neque plerosque viros probos Israelitas, qui coram Deo flebant, & peccatum populi & ruinam eius imminentem Iosephus hunc Zambri longè facit etiam impudentiorem, & Moysi procaciſſimè insultantem.

Ephes. 5.

Nihil pertinacius resistit spiritui diuino, quàm libidinosus.

6. *Salomon Dei mandata*

Lex diuina cauit multas vxores accipere. Deuteron. 17. & alienigenas, Exod. 34. Deuteron. 7. sed parum ponderis habuit apud Regem

Sprevit, libidini sua satisfaciendo ergo.

Regem luxuriæ deditum; nam Regias duxit septingentas, concubinas trecentas: Deum nec homines reueritus, expensas quascumque subiit, gabellas, grauissimaque tributa populo imposuit, vt libidini suæ faceret satis. Causa diuersitatis vxorum, erat nimia intemperantia Salomonis. Cùm enim Rex esset ad concupiscendum adeò profusus, vt quascumque vidisset, audissetque procerum filias pulchritudine præstantes, eas illico ambiret; & cùm earum concupitis amplexibus, nisi eas in vxores duceret, potiri non posset, eas ducebat, & reginarum instar ob parentum dignitatem habebat, quod in nuptias alioqui non consentirent, idque facile à Salomone cupiditate cæcato extorquebant. Cùm autem Rex eadem cupiditate ferretur in alias inferioris conditionis puellas, eas prolis tantum causa sibi sociabat minimè inuitas, & erant concubinæ, sibique id honori ducebant. Nec hic sistit eius incontinentia, & diuini Numinis contemptus: nam & aliæ erant adolescentulæ, quæ non genere, sed formâ commendabiles à rege accipiebantur, libidinis vnius causa, quas pro arbitrio accersebat, dimittebatque; vt propterea nullo certo numero definiri possent. Verissimè Oseas vates cap. 5. *Non dabunt*, inquit, *cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum: quia spiritus fornicationis in medio eorum, & Deum non cognouerunt.* Quod Oseas de his sensu mystico, hoc planissimè Daniel ad litteram de duobus senibus, amore & libidine nimia in Susannam ardentibus testatur: *Et videbant*, inquit, *eam senes quotidie ingredientem & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius, & euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Cùm omnis affectus immoderatus peruertat sensus, & menti offundat tenebras, id maximè facit libido, vbi primùm stultorum hominum mentes occupauit, quæ senum, ac sapientum non solùm domat animos, sed etiam sternit atque peruertit: & sapientiam omnem prorsus expectorat. Sapiens erat Dauid, & grandis ætate, at illi mentem excussit, fœminæ libido. Senex erat, & omnium sapientissimus filius eius Salomon, eius tamen animum euertit immoderata cupiditas, 3. Reg 11. *Et auerterunt mulieres cor eius: cumq; iam senex esset, deprauatum est cor eius per mulieres.* Sic ergo senibus his, dum oculos à fœminarum aspectu non auertũt; cor euersum est. Planè cor suum euertunt; qui cùm illud à tentatione pulsari vident, sibi tamen non cauent, sed vltrò ad eundem lapidem offendunt. Oseas cap. 4. eandem potentiam libidini, atque ebrietati tribuit: *Fornicatio*, inquit, *vinum & ebrietas auferunt cor.*

Libido cor auertit, & aufert.

7. Fecit olim pactum Iob. cap. 31. cum oculis suis, ne in fœminarum vultus incurrerent: ne quâ inde cogitatio turpis oriretur. Satiùs opinor existimabat in cælum illos elenare, vt cælestium memor, terrena omnia, & quæ animali lenocinantur naturæ contemneret. Supradicti senes fœdus videntur pepigisse cum oculis, ne viderent cælum, ne videlicet illi aspectus, & eius, qui in cælis habitat, præceptum ac timor à terrenarum rerum studijs abduceret. Horribile est, quod de muliere quadam refert Mayolus sub titulo, *Fortunæ ludibria*, nempe viduam quamdam illustrem ita affectasse Matrimonium iunioris cuiusdam Principis, vt liberos suos, puellum scilicet, & puellam propriâ occiderit manu, quod intellexerat illos esse impedimento, quo minùs præfatus Princeps illam duceret in vxorem. Rem ascribam eius verbis: *Requiescunt*, inquit, *in templo cœnobij Cæli corona duo infantes, puellus videlicet, & puella patre Comite Orlemundensi, matre verò Ducissâ Meronia nati, crudeliter ac miserè trucidati, annos ferè nunc ducentos (cùm nondum essent boni) ab ea ipsa matre sua Meronia Ducissa Blassenburgi tunc temporis habitante, quæ cùm esset vidua procax, & lasciua forme verò elegantiâ vbiq; celebris, non amauit ipsa tantùm Albertum quendam illustrem iuuenem, ac fortissimum Principem Burchgrauium Norsbergensem, Frederici Comitis à Zollern, primi Burchgrauij filium, sed ab eo etiam vehementer est redamata. Hunc suum amorem fassa aliquoties Burchgrauium, publicè dixisse fertur, se (nisi prohiberent quatuor occisi) libentissimè ducturum viduam illam Blassenburgensem: qua verba cùm relatu clanculari alicuius internuntij, & quasi pronubi, peruenissent ad aures libidinosa, ac iam tùm vehementissimè prurientis, in Albertum fœminæ, mox furore & amore magis incensa, liberos propriâ occidit manu, capitibus eorum vel capitum verticibus adhuc teneris aut contusis, & prafractis, nec facilè tali perfidia agnosci, & ipsa liberos morbo, aut contagio sublatos esse commodius ac verosimilius fabulari posset. Caterùm exitus (minimè felix) & catastrophe huius tragœdiæ prolixè extat in monumentis cœnobij Grunlacensis.*

Horribilis matris cuiusdam in liberos sæuitiæ exemplum.

Oculorum custodia.

Verè ergo fornicatio, vti vinum & ebrietas auferunt cor. Hinc Xerxes iratus Babylonijs, quod à se defecissent, postquam illos in suam potestatem redegit, vetuit ne ferrent arma; sed psalterijs tibijsque canerent, scorta alerent, cauponas haberent, quò voluptatibus euirati & excordes, non molirentur denuò defectionem. testis est Plutarchus in Apophtheg. regum. Sed præclariùs Salomon sua ex pœna & periculo edoctus, ad disciplinam nostram scriptum reliquit: *Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes.*

Tu igitur, mi Christiane, intra limites tibi 8.
à Deo in vsu matrimonij præstitos contine, *Dilatio vin-*

Meuden in Tobiam.

Dilatio non absoluit peccatorem.

septem maritorum, Saræ exemplo edoctus: Neque immunem te credas, quod non illicò puniaris: nam ad prouidentiam Dei pertinet non hîc omnia punire, sed finere res agi suis motibus, præcipuâ vindictâ in futurum dilatâ: alioquin & genus humanum breui exhaustum foret, & virtutis officia seruiliter coacta, non libera, non ex ingenuo in bonum virtutis affectu profecta viderentur. Quòd dissimulet Deus, diuitias suæ bonitatis indicat, de quibus Paulus: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Diuitias bonitatis Dei, inquit Origen. *ille agnoscere potest, qui considerat quanta in terris mala quotidie homines gerant, & quomodo penè omnes declinantes & simul inutiles facti, latam & spatiosam perditionis ambulant viam: si quis consideret quanta in Deum quotidie blasphemant, & in cælum extendunt linguas suas. Iam quid de fraudibus, de sacrilegijs & piaculis dicam? si quis ergo hanc bonitatem Dei, & sustentationē eius, & patientiam contemnit, ignorat quod per hæc ad pœnitentiam provocatur: sed nos non dissoluat hoc, & tardos ad conuersionem faciat: quia rursus patientiæ eius & sustentationis certa mensura est.* Vide Plutarch. lib. de sera Numinis vindicta; vbi illud Euripidis de Deo pertractat; *cunctatur; talis enim est Numinis natura.*

Non omnes peccatores punit Deus in hoc mundo.

Rom. 2. Sera Dei vindicta, & peccatorum tolerantia, peccatores ad pœnitentiam adducit.

9. *Quandoq; Deus aliquos punit insolito modo. Hom. 25. in Rom. cap. 13.*

Satis prouidentia Dei se prodit, dum subinde miris & insolitis modis in hoc seculo peccatoribus pœnas irrogat, idque in media hominum luce, omnibus aduertentibus & obstupescentibus, ac diuinæ potentiæ manum ea in re agnoscentibus. *Quis*, inquit Chrysostomus, *igitur totum mundum inducto diluuio stagnauit, ac graue illud naufragium, omnimodamq; generis nostri perditionem effecit? Quis deinde fulmina illa telaq; flammantia super terram Sodomorum demisit? Quis vniuersum Aegypti exercitum in mare demersit? Quis sexenta Israelitarum millia in eremo consumpsit. Quis synagogam Abiron combussit? Quis subter eos, qui Core & Dathan adhæserunt, tellurem os aperuit, deuorareq; iussit? Quis septuaginta illa millia propter Dauidis peccatum, vno temporis momento, peste occidit? Commemorabone & eos qui priuatim puniti sunt? An Cain illum continuo traditum supplicio? An lapidatum cum omni suo genere Charmen? An eum qui propterea quod sabbatho ligna collegisset, idem passus est? An quadraginta illos pueros à bestijs consumptos, quibus neque propter ætatem parcitum est? Si verò etiam post gratiam eadem videre volueris, perpende quanta Iudæi passi sunt. Quomodo liberos suos comederint mulieres, illa quidem assantes, ista verò aliàs consumentes? Quomodo extrema fame, bellisq; variis & grauibus traditi omnes superiores tragedias calamitatum suarum abundantiâ superauerint?*

Escis veritis tam multi hodie vescuntur, intemperantissimè tam multi cibo se & potu ingurgitant, cum vt Adamus, non plectuntur? Cur tot parricidæ Caini pœnas effugiunt? Cur sulphure ac pice, Sodomorum instar, quidam non deflagrant? Cur adulteri & arrogantes tot, Dauidicis flagellis nō vrgentur? Cur libidinosi omnes in coniugio non statim pœnas luunt, vt extemplò septem Saræ mariti? Qua ratione non omnes criminis rei hîc plectuntur? Chrysostomus dicta homil. *Audi*, inquit, *Christum ipsum de rebus his tibi respondentem. De ea siquidem inquirentibus, quod ex ruina prolapsa turris quidam interierant, respondebat dicens: Putatis quod illis vltra reliquos omnes peccatores fuerint? Non dico vobis: imò nisi resipueritis, peribitis & vos omnes similiter: atque ita nos admonet, ne fidentiores propterea simus, si quando punitis cæteris nullas nos, licet multa deliquerimus, pœnas dederimus: nisi enim immutati fuerimus, omninò dabimus.* Vide Discursum vltim. in primum Præcep vbi plura de Dei misericordia reperire licebit.

Cur peccatores omnes hic non puniantur?

Luc. 13.

SECTIO VLTIMA.

An sit practicabile Coniuges simul degentes à copula abstinere? & ad quid orationem præcipiat Angelus?

1. *Difficile videtur in coniugio abstinere à copula.*

PRIsci Patres videntur hac in re difficultatem deprehendere. S. Hieronymus, aut quisquis est auctor regulæ Monachar. ca. 18. *Nihil periculosius*, inquit, *viro quàm mulier, nec mulieri quam vir: vterque palea, vterque ignis.* Et lib. 1. contra Iouinianum: *Alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit?* S. Bernardus serm. 6. in Cantica: *Cùm fœmina semper esset, ait, & non cognoscere fœminam, nonne plus est, quàm mortuum suscitare? Quod minus est non potes, & quod maius, vis credam tibi?*

2. *Facilis est continentia in coniugio, per diuinam gratiam.*

Verùm dico nihilominus, diuinâ accedente gratiâ, facilem esse continentiam. Nam Ruth c. 3. & Booz eodē lecto vtentes à copula abstinuerunt. Moris erat apud Hebræos, vt si contingeret aliquem matrimonio iunctum è viuis discedere non suscitatâ prole, vt frater, aut propinquus viduatam à priori marito vxorem duceret, mortuique fratris, aut cognati semen suscitaret, ne illius apud posteros memoria omninò interiret. De fratribus lex expressa est, Deuter. 25. De alijs propinquis constat hoc cap. 3. Ruth, vbi illa edocta a socru Boozum, qui multa ipsi beneficia præstiterat, ei esse propinquum, & quid facto opus esset, vt sibi Boozi conciliaret nuptias ornauit quàm potuit diligenter Ruth, & noctu ad illum locum placido accessit, ac sedato gressu vbi obseruarat Boozum sibi parasse

Exemplum Ruth & Booz.

taſſe ruſticum cubile, & lectum ſtrauiſſe in ſtramine, & ſtipula, cùm abeſſe nollet à mercenarijs, ventilandis frugibus intentis: & remouit ſtrágulum ab imâ lectuli parte, & ſub eodem illo ſtragulo compoſuit ſe ad pedes eius. Sub mediam noctem expergefactus Boozus, cùm ad pedes iacere, quod non putarat, fœminam vidit, cohorruit primùm; deinde ab illa rogauit, quænam eſſet? illáque reſpondit: *Ego ſum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* Matrimonium tentabat, quod à cognato exigebat paterna religio. Idque ambit hieroglyphico ſigno cùm operire ſe poſtulat illius pallio, cuius ambit nuptias: quia hoc erat ſignum in contrahendo matrimonio legitimum. Quo ſignificatur arcta coniugum, & quaſi naturalis coniunctio; cùm vno vteráque tegatur amiculo, quaſi vnum foret corpus conflatum è duobus, aut duo corpora vno tantum vigerent ſpiritu, & vno tantum tenerentur animali nexu. Vbi autem Boozus quænam eſſet cognouit, & quid eo coniugali ſymbolo ceperet, intellexiſſet, bono illam animo eſſe iuſſit, & facturum ſe promiſit, quod haberet in votis, niſi propinquus alter eſſet impedimento, qui propiùs attingebat cognatione ſocerum Elimelech. Quare dormire iubet, & quieſcere ad exceſſum vſque nocturnæ caliginis. Sic admiſit ergo eam ad ſtramineum lectum, in quo ipſe iacebat, vt à fœminæ contactu omnis abeſſet libidinis ſenſus, & omne ab illa propinquitate periculum. Iuſſit enim vt iaceret ad pedes veſtita nempe, & ad omnem modeſtiam, & honeſtatem optimè compoſita. Vbi iacuit ad exceſſum vſque noctis. Et cùm lux eſſet dubia, quia nondum omninò exactæ tenebræ antequam homines ſeipſos clarâ luce cognoſcerent, ſurrexit, nempe Ruth; ſurrexit item Boozus, & excedere iuſſit Rutham, illud iterum ac ſæpiùs commendans ne quiſquam intelligeret illam ad eum locum, nocturno præſertim tempore diuertiſſe; quod ſanè vtriuſque exiſtimationi vehementer officeret. Hinc apparet quàm fuerit cautus, prudenſque Boozus, qui & ſuo, & futuræ coniugis nomini tam diligenter cauit, ne quis ſuſpicari poſſet in nocturno congreſſu aliquid interceſſiſſe flagitij, quod totam commacularet vitam, & Boozi nomini, & eius poſteris fœdam labem aſpergeret, & ab honeſto, commodoque coniugio Rutham excluderet. *Tanta erat*, inquit Theodoretus, *viri virtus, quod cum formoſa iuuencula noctu ad eum veniſſet, conſeruarit temperantiam, & legi rem conſeruarit; & neque ad nuptias prater legem connolarit: ſed cum propinquiori de matrimonio verba fecerit: deinde cùm ille recuſaſſet, tunc de cætero cum muliere laude digniſsimâ fuerit coniunctus.* Videquæ dixi de hoc facto. Diſcur. 6. in VI. Præcept. numer. 15. & 16. ſcitu per quàm vtilia.

Dauid abſtinuit à copula vxoris Abiſag, mediante diuina gratia.

Dauid quoque Rex, vt habetur 3. Reg. 1. accepit iam ſenex in vxorem Abiſag Sunamitidem, puellam pulchram nimis, quæ dormiuit cum Rege, & Rex *non cognouit eam.* Nunquam illam Rex aut coniugali aut amatorio concubitu cognouit; quod ſine diuina gratia fieri non potuit. Quotus enim quiſque, licet ſaxeus eſſet aut ferreus, ad illius ignis attractum non remolleſceret? Nec refert, quod effæto & ſemimortuo corpore fuerit Rex, cùm familiarem vitam habuit cum virgine ſpecioſa: nam aut natura, aut amoris blandimenta, vel etiam Diabolus per eam extinctos carbones ardere facit, & libidinis incendia in membris frigidis, & penè mortuis efferueſcere, vt experientia in pleriſque ſenibus ſatis manifeſtat, cùm è mulieribus, quibuſcum contraxerunt, præter expectationem proles ſuſcitant.

Exempla aliqua coniugũ qui virginitatem ſeruarunt.

Porrò Angelus Tobiæ noſtro non iniunxiſſet triduanam continentiam, niſi poſſibile fuiſſet, diuinâ gratiâ mediante, à copula abſtinere. Adhæc in lege gratiæ non extarent tot exempla coniugum illuſtrium tam genere, quàm ſanctitate & gloria, qui in coniugio continentiam & caſtitatem illibatam ſeruarunt. Beatiſſima Virgo, & Ioſephus vexillum caſtitatis non tantum virginibus, ſed & coniugatis exexerunt. Cunegunda Auguſta Henrici Primi coniunx falsò adulterij infimulata, illa innocentiam ſuam purgauit, quin & ſe Veneris neſciam probauit, cum quindecim paſſus ſuper candens ferrum nudis pedibus, illæſis plantis, perambulaſſet. ita Baptiſta Fulgoſius lib. 8.

Coniugia ſub eodem lecto ſine commixtione.

Et quod prodigioſum eſt, coniugia extiterunt ſine commixtione ſub eodem ſtragulo. Plures enim cohabitaſſe vno lecto, & virgines permanſiſſe, conſtat primùm ex Prat. ſpir. cap. 108. vbi vir è carcere miraculo eductus eſt, cùm in eum fuiſſet iniectus, quod mulieri cohabitaret, cùm tamen vterque virginitatem ſeruaret. Sed & Caſſian. collat. par. 14. lib. 2. cap. 7. vndecim annos olitorem vxori cohabitaſſe, & virginitatem perpetuò ſeruaſſe, dæmoniumque illo conſpecto fugiſſe ab obſeſſo, quum ſanctus Abbas Ioannes id non potuiſſet, ſcribit. Et nobis, inquit Mayolus, Romæ aliud exemplum compertum eſt, dum confeſſiones audiremus ante paucos annos: nam iam biennio vir & vxor vno lecto decubuerant, maximo mutuo ſe proſequentes amore, nunquam tamen ad venerem ſe inuitarunt, cùm mulier ſextum decimum vir vigeſimum quintum annum excederet, neque ei abſtinuerunt ex voto aliquo, ſed ex optima mentis indole, qua

se pollui vterque verecundabatur.

3. *Res alias prodigiosa.*

Vt vt est, res videtur prodigiosa, neq; quotidiani vsus. Nam Deus cùm per Moysem iuberet populum sanctificari & præparari ad legem Decalogi reuerenter excipiendam, addit: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris*: non simpliciter abstinere iubet à copula, sed ne proximè accedant, vt occasionem vitent periculo proximam. Cùm olim non omnes simul sacerdotes in templo ministrarent, sed singuli per suas vices distributi, & in orbem redeuntes sacra ministeria obirent, certum quibusque tempus ad ministrandum contingebat; quod octo dierum fuisse ex 4. Reg. 11. vers. 7. & 2. Paralip. 23. vers. 5. non obscurè colligitur, vbi die sabbathi alij sacerdotes templo egredi, alij in templum ingredi dicuntur. Porrò toto illo octiduo ministri in templo morabantur, quin proprias domos frequentarent: vt planè colligitur ex Lucæ 1. vers. 23. vbi de Zacharia dicitur: *Vbi impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam.* Ac si ante impletos dies, templo egredi, domumque suam redire non liceret. Quorsum verò ea consuetudo spectabat? Eò quidem, ni fallor, vt dum sacris ministerijs fungerentur, nulla animum labes ex ingressu domorum suarum, & coniugalibus negotijs macularet. Quod mihi videtur Lyran. post Bedam, aliosque significasse: Tota, inquit, *hebdomada, qua in templo ministrabat sacerdos, in templo manebat, & non exibat ad propria negotia, intentus ad diuina.*

Sacerdotes olim octiduo in templo ministrantes abstinebant à frequentatione domus Cui.

Quantum periculum mulierem tangere.

Et fortè ideo dixit Apostolus 1. Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere*, quòd occasionem det copulæ. Audi S. Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum: *Non dicit*, inquit, *Apostolus, Bonum est vxorem non habere, sed, Bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quòd qui illam tetigerit, non euadat; nempe quæ virorum pretiosas animas rapit. & facit adolescentiũ euolare corda. Alligabit quis in sinu ignẽ, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignit, & non ardebit? quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur: ita viri tactus & fœmina, sentit naturam suam, & diuersitatem sexus intelligit.* Paulus ibidem permittit coniugibus ad tempus continere se, dum scilicet orationi & ieiunio vacare velint; sed mox subiungit: *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.* Post orationis continentiam, ex gente incontinentia, iubet eos ad Matrimonij vsum redire, cùm periculum videlicet adest, ne labantur in adulterium, vel alias libidines, eò quòd sint incontinentes.

4. *Difficile coniugibus abstinere à copula.*

Censet ergo Apostolus ordinariè difficile esse ab vsu matrimonii abstinere Coniugibus. Et Booz ipse satis indicabat Ruth. cap. 3. prodigiosum esse; alioquin dubia luce surgentem non iussisset tam prudenter agere, vt nemo deprehenderet ipsam ad stramineum eius lectum venisse, quod grauis esset inuicem oblata libidinis occasio, quodque homines de illa non possent honestè cogitare, cùm à nocturno illo consortio non soleat abesse familiare flagitium: Neque Scriptura alia de causa mentionem fecit, quod Dauid Abisag non cognouerit, nisi quia mistar prodigij esset. Abulensis mouet quæstionem, quare dicatur ibi, *Quod Dauid non cognouit Abisag: Nam istud*, inquit, *non oportebat hic poni, si enim istud proficeret aliquid ad excusandum Dauid, fuisset vtile poni, sic fuit de beata Virgine: nam dicitur, quòd ipsa erat vxor Ioseph, & quia aliquis putaret, quòd Christus natus esset de semine Ioseph, Euangelista apposuit, dicens: Et accepit Ioseph coniugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. Sic patet Matth. 1. Ut Dauid autem non erat sic, quia siue cognouisset Abisag, siue non, nequaquam peccaret, quia erat vxor illius, & etiam si esset concubina, non peccaret cognoscendo illam, quia in Dauid fuit dispensatio, vt declaratum est præced. lib. c. 5.* Et respondet ad nostrum propositum, fuisse *ad significandum statum Abisag, scilicet, quod maneret virgo rege mortuo; nam cum Abisag dormiret cum Rege, & calefaceret eum, difficile videbatur, quòd puella mouens senem ad calorem, non moueret ad libidinem, vt ait Hieronymus, etiam, quia alij in tanta ætate coire potentes sunt, putaretur ergo verosimiliter, quod Abisag cognita fuisset à Dauid. Ad signandum ergo integritatem eius, propheta testificatum est, quòd Dauid non cognouisset illam.*

Cur Dauid dicatur non cognouisse Abisag.

Quòd autem Angelus id præcipiat per triduum, extraordinarium est, & ex Dei instinctu, qui præceptis suis addit gratiam & facilitatem. Præterea Angelus Tobiæ indicare voluit orationem ad obtinendá diuina auxilia, & beneficia peropportunam, quòd Deus pleraque sanctis etiam promissa non soleat sine præuia oratione concedere. Res palam est per exempla plurimorum veteris Testamenti, primò Patriarchæ Isaac, qui tametsi sciebat ex diuina promissione in semine suo benedicendas omnes gentes, ac per hoc se prolem aliquam habiturum dubitare non posset, orauit tamen Deum pro sterilitate coniugis suæ, vt legimus Genes. capite vigesimo quinto, Quoniam illud etiam sciebat, multa Deum promittere, quæ per orationes à se impetrari velit, vt S. Greg. annotauit in l. 1. Dialog. cap. 8.

5. *Deus non solet etiam promissa concedere sine præuia oratione.*

Sic Deus promiserat populo Iudæorum pacem & tranquillitatem, & tamen non dabat nisi orantibus. Hinc Iud. cap. 39. *Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit illis saluatorem, & liberauit eos.* Et cap. 6. vers. 6. *Humiliatus est Israël valde in conspectu Madian; & clamauit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.*

Qui

Qui misit ad eos virum Prophetam, &c. Similiter promiserat se missurum Messiam: & tamen Prophetæ orabant vt eum mitteret, Exod. 4. vers. 13. *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* & Isa. 45. vers. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Et cap. 64. vers. 1. *Vtinam dirumperes cælos & descenderes.* Sic Elias cum Dei nomine pluuiam promisisset Regi, & certò sciret falsum esse non posse, quod Deus promittit: anxiè tamen Deum precari cepit pro pluuia impetranda, 3. Reg. 18. quia nouerat pluuiam quidem à Deo donandam esse, sed non nisi per orationes suas, esse donandam.

Denique Angelus Raphaël hîc dicit Saram Tobiæ iuniori à Deo destinatam esse vxorem: & tamen eundem admonet, vt Deum precetur, ne se à dæmonio illo patiatur occidi, à quo necatos fuisse constabat alios omnes, qui cum eadem Sara copulari tentauerant. Nimirum indicauit Angelus, conscius Dei secretorum, præordinatum fuisse a Deo coniugium Tobiæ & Saræ, sed non nisi per orationes eorum diuinam illam præordinationem esse implendam. Hinc B. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium, cap. 36. *Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cùm implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui bona agerint, non solùm secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.* Qua de causa voluit eam eligere locum quietis: *Ingressus cubiculum per tres dies, continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea.* Solent enim Hebræi partem domus superiorem orationi destinare, aut quia inde melius spectari cælum poterat, aut quia domesticorum strepitus minimè ibidem interpellaret orantem. Vide dicta cap. 3. Sect. 20. n. 7.

6. *Tobiæ orationis fructus.*

At quis erit huius orationis fructus? Primus ô Tobia, erit, quod fugabitur dæmonium, domum Saræ infestans. Alter, quòd sanctè & pudicè, sicut Patriarchæ solent, veteris coniuge tua, nec species te decipiet, vt à mente tua excludas Deum, quemadmodum antea septem Saræ mariti interfecti, quòd formâ electi sine respectu cognoscere voluerint, etiamsi fuisset alterius coniunx. Hoc est in societatem & numerum sanctorum admitti, qui non prius ad vxorem accesserunt, quàm oratio munda, & aliquod tempus intercederet: quod fecit Iacob, qui ad sponsam suam Rachelem, quam multorum annorum molestâ seruitute coëmerat, non accessit, nisi postquam aliquot dies transacti sunt. Quod etiam fecisse Abraham & Isaac, illud argumento est, quod etiam in duabus filiabus seruari fecit Loth in ciuitate profusæ libidinis, vbi nulla erat honestatis, aut pudoris obseruantia. Nam cùm filias Sodomæi generis despondisset, nemo tamen illorum ad vxores accesserat, quando ciuitas illa cælesti conflagrauit incendio. Fecit hoc, opinor, Loth imitatus Abrahami exemplum, & illorum, qui sub illud tempus honestas nuptias inierunt, quorum fuerunt honesta, sancta, atque fœcunda connubia. Cùm tale cupiat Angelus Tobiæ coniugium orationem præmitti iubet, & si qua inerat iuuenili ætati miscendorum corporum auiditas, vt illam ad quartum vsque diem à nuptiarum conciliatione sustineat.

Sanctum connubium præcessit oratio, & libidinis frænum.

Tertius fructus erit, quod Matrimonium erit fœcundum, quod opus interdum orationis est, vt constat ex Matrimonio Abrahæ, ex quo natus est Isaac, qui non tantum videtur suorum parentum filius, quàm orationis, quæ mortuis corporibus, & sterili vuluæ, virtutem præbuit genitalem. Ex Matrimonio item Isaac, vt superius ex Gregorio Magno attigimus rursum ex Matrimonio Elcanæ & Annæ, quæ sterilis existens precibus obtinuit Samuelem. Sed quid amplius innuit textus, cùm ait, *Benedictionem consequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.* Itaque non solùm prolium multitudinem nanciscens, sed easdem sanas, non gibbosas, non claudas, non lippiosas, alióue vitio notatas, sed corpore perfectas. Quod tamen non omnibus contingit: Aliquando enim ex imaginatione in conceptu mutę nascuntur proles. Exempla cirauí plura Discursu 69. in I. Præcept. n. 1. Imaginatio, quæ post conceptionem sequitur, etiam paradoxa causare solet: *Videmus*, inquit Delrius lib. 1. cap. 3. q. 3. Disquis. *prolem etiam iam formatam in vtero, materna imaginatione deformia fieri, vt in pregnantibus accidit quotidie. Legi*, ait, *VVittenbergha iuuenem cadauerosa facie natum: eò quod mater vterum ferens obuio cadauere subitò fuisset pauefacta. Ismaci, pudicam & formosam matronam: scribunt peperisse glirem; quia ex vicino aliquo glirio nolam appenderat, ad cuius sonitum reliqui fugarentur: in occurrit mulieri grauidæ, quæ ignara rei, subito occursu & aspectu gliris, ita est conterrita, vt fœtus in vtero degenerarit in formã bestiolæ. Nicolao III Pontifice Romæ quodam in palatio mulier infantem vrso similem peperit, eo quod (Medici iudicarunt) ibidem varijs in locis vrsi depicti aspicerentur.*

Cabes, edi, lepidæ mulieri partu edui.

Aliquando nascuntur monstrosæ, vt palam est. Prodigiosa sunt quæ scribit Mayolus sub verbo, *mulier*; *Anno Domini*, inquit, 1471. *Mulier canẽ peperit, & altera Papiæ caittũ, vt Bergomas, qui tũ, cùm hæc fierent, scribebat. Deinde anno Domini 1488. mulier vxorata canes duos, deinde in craſtinum tres alios miræ magnitudinis, non tamen omnes emixa est viuos, idq; accidit in villa*

Nempsiba,

Nempſcha, ſub Capella Boſſech, ſub limitibus Laſa, nomen mariti Daner: Liuturim ad faſciculam. Volaterranus quoque ſeſe vidiſſe teſtatur Pontificium diploma in expiationem mulieris, quæ ſe viuente canem peperiſſet, vt habet lib. 24. tit. de veſica. Ad idem prodigij genus pertinet, quod in Sueſſionenſi agro accidit: mulier etenim pariens, valde laborabat, confugit illa ad diuina auxilia, voueréq; quidpiam ſeſe B. Mariæ oblaturum, ſi tanto periculo eximatur: mox illa primum ab aluo emittit tres lapides, primum anſerini oui, alterum gallinacei magnitudine, tertium quanta eſt nux, tandem infantem enixa eſt, 1128. S. Antoninus titulo decimo ſexto cap. 14. §. 2.

8. Ab his omnibus præſeruat continentia coniugalis cum oratione triduana Tobiam. Vnde vides non eſſe ſruſtraneum triduo abſtinere ab vſu coniugij, tum quòd Deus ſic ſanctificari velit ſuos, Exod. 19. tùm quòd Dauid 1. Reg. 24. numquam à Sacerdote Abimelech panes propoſitionis Deo dicatos impetraſſet, niſi ipſe triduò cum ſuis mundus fuiſſet à mulieribus. Et certè myſterium aliquod enituit in ſacrificio Abrahæ, qui filium ſacrificaturus domo exit & trium dierum itinere confecto, ad montem venit, vbi victimam Deo immolet: *Abijt*, inquit, textus, *ad locum quem præceperat ei Deus: die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul*, Geneſ. 22. Cur obſecro, non domi, ſed foris? cur non ſtatim, ſed poſt tres dies voluit Deus vt immolaret? An vt ſignificaret Chriſtum Dominum, qui tertio à ſua proditione die fuit in crucem actus? Ita Gloſſ. Interlin. An, vt tres ætates, naturæ, legis, & gratiæ, in quarum vltima Chriſtus obijt, repræſentaret? Ita D. Hier. An, vt paterna viſcera per totum triduum diutiùs torquerentur & obedientiæ meritum augeretur? Ita Orig. An, vt prudenter, ac deliberatè diuinum obſequium egiſſe videretur; non verò temerè, & inconſultò ex repentino aliquo motu paſſionis? Ita Lyran. & Abul. His rationibus addo vltimam, vt gratum Deo ſacrificium peracturus, prius per tres dies à domeſticis curis, & coniugalibus negotijs vacaret. Quaſi minus gratum Deo ſacrificium ſit illud, in quo deeſt mundities ſacrificantis, & perfecta à terrenis curis ſeparatio.

Cur poſſit triduum Abraham filium immolaturus lucrie.

Vnde & talem in ſua poſteritate felicitatem, & multitudinem Angelus Tobiam ſperare iubet, ſi rectum ad nuptias afferat animum, Deiq́ue timorem, qualem Deus Abrahæ promiſit, cui dixit Geneſ 15. 5. *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum.* Quod obtinuiſſe Tobiam tanquam poſterum Abrahæ, eiuſq́ue deſiderio ſatisfactum eſſe non obſcurè colligitur ex cap. 14. v. 15. vel certè dicit talem futuram, ortam ex eo matrimonio progeniem, vt videri poſſet Abrahami ſemen, ſanctum videlicet, & quod à Dei obſeruantia fideli non recedat. Ita vt Abrahamus non dedignetur illam ſuam appellare familiam, quæ mores redolet paternos, & nihil putat præferendum eſſe pietati. Quod ideò Tobiæ poſteritati conceſſum eſt. De quo capite vltimo in fine: *Omnis generatio eius in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſit?* 9.

Libri

Libri TOBIÆ Capitis ſeptimi

SYNOPSIS.

TOBIAS cum Angelo ingreditur Raguelis domum, & cum gaudio ſuſcipitur. Ex facie & Angeli relatione Tobiæ ſenioris filius dignoſcitur. Gaudium & bona precatio ſuccedit. Iuſſit Raguel geniale conuiuium hoſpitibus apparari. Tobias ante menſæ accubitum vxorem ſibi Saram Raguelis filiam à parente poſtulat. Hæret primùm pater, ſed ab Angelo confirmatus annuit, & nuptijs.

VERSVS PRIMVS.

Ingreſsi ſunt autem ad Raguelem, & ſuſcepit eos Raguel cum gaudio.

Verſ. 2. *Intuenſque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori ſuæ: Quam ſimilis eſt iuuenis iſte conſobrino meo.*

Verſ. 3. *Et cùm hæc dixiſſet, ait: Vnde eſtis iuuenes fratres noſtri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephtali ſumus, ex captiuitate Niniue.*

Verſ. 4. *Dixitq; illis Raguel: Noſtis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Nouimus.*

Verſ. 5. *Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias de quo interrogas, pater iſtius eſt.*

Verſ. 6. *Et miſit ſe Raguel, & cum lachrymis oſculatus eſt eum, & plorans ſupra collum eius, dixit:*

Verſ. 7. *Benedictio ſit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es.*

Verſ. 8. *Et Anna vxor eius, & Sara ipſorum filia lachrymatæ ſunt.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Dies aliquot poſt captum, & laceratum piſcem prope ciuitatem Rages, ad Raguelis hoſpitium peregrini diuertunt; quos Raguel vir pius & hoſpitalis excepit cum gaudio, licet quinam eſſent, aut vnde profecti nondum didiciſſet. Statim autem, vt prætia inquiſitione, quem ſeniori Tobiæ non diſſimilem dixerat, intellexit eſſe de tribu Nephtalin ex captiuitate Niniue, neque ſolùm notitiam habere Tobiæ ſenioris, de quo plurima glorioſè prædicauerat, ſed & ipſius Tobiæ filium ex relatione Angeli, irruit in illius amplexus, & illum de more gentium oſculatus eſt, & præ lætitiâ lachrymatus: & illi de parentis gloria, & præclaro nomine gratulatur, quocum vxor Anna, & Sara filia collachrymatæ ſunt pariter.

SEC.

SECTIO PRIMA.

Qua de causa Raguel ignotos peregrinos cum gaudio susceperit?

1. ACHAVS Luc. 19. Christum Dominum cum gaudio suscepit in domum suam, postquam intellexit, quod cum illo honore dignaretur: sed hîc Raguel peregrinos vltrò cum gaudio suscepit. Quæ causa? In sacra Scriptura euidens est hospitalitatem priscis illis Patriarchis omninò cordi fuisse: ita vt in ipso feruore diei in ostio tabernaculorum suorum hospites exspectarent, & benignè inuitarent, & susceptione hospitij honestarent eorum ædes, vti Abraham Genes. 18. tribus viris in occursum iuit, & rogauit: *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum; sed afferam pusillum aquæ & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore, ponamq; buccellam panis, & confortate cor vestrum, & postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum.* Diserte D. Chrysostomus hom. 41. in Genes. ait: *Currit, & volat senex. Vidit enim prædam quam venabatur, & nullâ infirmitatis suæ, ratione habita, ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilq; rusticitatis neque desidiæ pro se tulit, sed ipse cucurrit: quasi diceret, Magnus thesaurus est, magna negotiatio: per memetipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. Et hæc faciebat senex, homines obscuros & viatores, se suscipere existimans.*

Hospitalitas apud veteres Patriarchas commendata.

Abrahæ hospitalitas.

Genes. 19.

Beatus quoque Loth, qui in domo Abrahæ didicerat hospitalitatem, sedet in porta ciuitatis, vt hospites colligat ne à Sodomitis vim & stuprum patiantur; vidit duos peregrinos Angelos vespertino tempore venientes, quos ex decore & splendore vultus iuxta D. Augustinum q. 41. in Genes. iudicabat esse viros graues, vel Prophetas à Deo missos, non Angelos: & illicò *surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitq; pronus in terram, & dixit: Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minimè, sed in platea manebimus*, honestaris causâ se excusantes: quapropter vrsit eos mirum in modum vt intrarent, aut vt loquitur Scriptura, coegit; sequitur enim: *Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum, ingressisq; domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma: & comederunt.*

Lothi hospitalitas.

Cùm seruus Abrahæ ad domum Laban diuerteret, ille intelligens ex Rebecca aduentum eius, non vulgari modo hospitalem se præbuit, sed benignissimè illum excepit: *Ingredere, inquit, benedicte Domini: cur foris stas? præparauit domum, & locum camelis. Et introduxit eum in hospitium: ac destrauit camelos, deditq; paleas, & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui venerant cum eo.* Non expectat, donec rogetur, sed vltrò piè inuitat, & vrget, dicens: *Benedicte Domini*: nec tantùm ipsum introducit, sed & eos qui cum ipso erant, nihil veritus sumptuum magnitudinem. Ipsemet Laban camelos destrauit, aquam lauandis pedibus attulit, mensam parauit, &c.

Item Labani.

Genes. 24.

Beatus etiam Iob mirus fuit in hospitalitatis officio. Dum enim cogitur dicere, quid in florente integraq; fortuna religiosè fecerit, ac piè, inquit inter alia: *Foris non mansit peregrinus: ostium meum viatori patuit*: Extraneos, ait, ab hospitio meo nunquam repuli, neque viatori fores domus occlusi fuêre. Habitabat inter Idumæos, qui non solùm in extraneos, sed in suos duri existebant: nihilominus sine vlla spe mercedis, sed à suæ naturæ benignitate, Deique amore, satis incitatus, domum suam, & mensam peregrinantibus voluit esse communem, ne foris viatores pernoctare cogerentur, vbi gentis petulantis, & impiæ ludibrio paterent, & iniuriis. Mira etiam charitas eluxit insene illo Leuita, qui Iudic. 19. in ciuitate Gabaa viuens, simul atque audiuit peregrinum dicentem: *Nullus sub tectum suum nos vult recipere, &c. Nulla re indigemus nisi hospitio*, &c. Respondit: *Pax tecum, ego præbebo omnia, quæ necessaria sunt: tantum quæso me in platea maneas. Introduxitq; eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit*, &c. ac postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium. Sic hoc loco Raguel ostendit & aperuit viscera charitatis, cùm Angelum & Tobiam ad se diuertentes, cum gaudio excipit hospitio.

Iob. 31.

Leuita eiusdem hospitalitas.

Ab Regulis.

Extitit quoque priscis illis temporibus similis in fœminis humanitas. Sara suo auxilio hospitalitati Abrahæ suffragata est. Rebecca in hac parte ostendit seruo Abrahæ, nescientes se Isaaco diuinitus destinatam vxorem, Gen. 24. vers. 46. Raab cauponaria Iosue 2. charitatem summam exhibuit erga exploratores à Iosue missos, dum eos hospitio excipit, & erga insidiantes tuetur. Vidua Sareptana benignitatem suam ostendit erga Heliam, Mulier Sunamitis versus Elisæum, 3. Reg. 17. & 4. Reg. 4. Marta dum excepit hospitio Christum Lucæ 10. Lydia etiam purpuraria Act. 16. quæ Paulum & Timotheum coegit ad hospitium suum. Apostolus Paulus abundè testatur in primitiua Ecclesia mulieres assue-

Priscæ mulieres hospitales.

uisse

uisse hospitalitati, cùm inquit: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.* 1. Timoth. 5. Loquitur Apostolus non de viduis priuatis & quibuslibet, sed de collegio, & quasi monasterio viduarum, quod instituturum erat ad Ecclesiam adiuuandam, præsertim in cura, institutione & disciplina aliarum siue virginum, siue mulierum. Quælibet ergo ex hisce viduis erat quasi diaconissa, ita vt partitis inter se curis & operis, hæ viduæ omnium fœminarum curam habere, singulisque intẽdere possent. Quamliberergo ex hisce Apostolus vult esse sexaginta annorum, nec quampiam ad hunc earum cœtum, quem dixi, admitti (hoc enim significat Græcum καταλεγέσθω) nisi sexagenaria sit. De talibus enim selectis primarijs viduis, quæ sua cura & charitate alias fœminas dirigerent, loqui Apostolum, colligitur ex eo, quod tantam bonorum operum, præsertim charitatis & misericordiæ, probationem, & exercitationem ab eis requirat. *Si*, inquit, *hospitio recepit, si pedes sanctorum lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.* Hæc enim à communibus viduis, etiam religiosis nemo requiret, sed tantùm ab eis, quæ alijs præfici, vel aliorum præsertim pauperum, vel ægrorum curam suscipere debent, quales has viduas fuisse est verisimile, & verbis iam dictis satis innuit Apostolus. Constat itaque fuisse multas hospitalitati deditas.

2. *Dantur rationes tanta charitatis erga peregrinos. Prima.*

Secunda.

Hebr. 13.

Plures hospitales angelos receperunt.

At quænam tanti feruoris erga peregrinos rationes? Breuiter, si libet, eas tibi aperiam. Prima erat, summa charitas ex lege naturæ, quæ priscos fideles cogebat hospitalitati misericordem nouare operam; cùm lumen naturæ apud plerosque homines extinctum videbatur, & Cauponarum necdum esset vsus. Hæc Abraham mouit & Loth. Altera quòd Angelos in persona peregrinorum exciperẽt. Hac ratione vsus est Apostolus cum hortaretur Christianos suscipere hospitio fratres, quibus tum nefas erat ad Gentilium ædes, & hospitia diuertere. *Charitas*, inquit, *fraternitatis maneat in vobis: hospitalitatem nolite obliuisci:* Pergite, inquit, vti cœpistis inuicem iuuare, & fouere, nec permittite, vt ob persecutiones, exilia, & expilationes, hæc charitatis officia intepescant, neue dicatis: Alios iuuare non possumus, quia nos ipsi à Iudæis bonis spoliati, & ad paupertatem redacti, aut propediem redigendi sumus: sed continuate benignã hospitalitatem. *Per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis: Sic enim factum est, vt quidam nescientes non homines, sed Angelos reciperent.* Quasi dicat: Hospitalitas tanti est meriti, vt angeli eis qui hospitales erant, se hospites obtulerunt, quasi homines essent, vt contigit Abraham, Genes. 18. & Lotho Genes. 19. Præclarè Chrysostomus Orat. 2. de Lazaro. *Pro foribus sedens*, (Abraham) *introducebat prætereuntes omnes; & quemadmodum piscator iacto in mari reti, piscem quidem attrahit, attrahit autem frequenter, & aurum, & margaritas, itidem & hic reti captans homines piscatus est tandem & Angelos, quodq; mireris, etiam inscius, id quod & Paulus in huius laudibus dixit, sectare hospitalitatem: per hanc enim quidam inscientes, hospitio exceperunt Angelos. At rectè dixit inscientes: nam si sciens illos excepisset, tanta cum humanitate, nihil magni, mirique fecisset. Sed hac totã laus, quod ignorans quinam essent, qui prætereabant, neque aliud esse credens, quàm homines viatores, cum alacritate vocauit intrò.* Aduerte autem quod Angelos meruerit excepisse Abraham, & eiusmodi Angelos, in quibus diuinæ Trinitatis maiestas vnius Dei typica repræsentatione eluceſceret. Tres vtique Angeli erant, sed vnus trium scilicet medius cæteris apparebat illustrior, quia erat superior Angelus: Vnde ipse solus ferè ibi loquitur, vocaturque Dominus. Porrò Abraham cum illis tribus agendo, sensim ex splendore, sermone, maiestate, alijsque signis, atque ex Dei instinctu agnouit eos non esse homines, sed angelos, legatos Dei; imò Dei vicem & personam gerere, maximè medium qui in persona Dei loquebatur, & vocabatur semper *Iehoua*, & quasi Deus exitidium intentabat Sodomæ. Vnde vt talem reuerenter compellabat, honorabat, & pro Sodoma precabatur Abraham.

3. *Merita hospitalitatis.*

Quod contigit Abrahamo & Loth, hoc & alijs contigit in nouo testamento. S. Gregorius Papa, qui non solùm facilem ad se aditum concessit peregrè aduenientibus, sed etiam per fora & compita passim quæsitos inuitauit. Insuper discumbentibus interdum ipse ministrauit, Ea humilitate meruit aliquãdo conuiuam habere Christum, vt ipse testatur in Euang. hom. 23. Leo eius nominis IX. Pontifex Max. vir fuit pietate, innocentia, benignitate, gratia, hospitalitate adeò insignis, vt domus eius peregrinis & pauperibus semper pateret: nam cùm semel ante fores suas leprosum inuenisset, eumque præ misericordia collocari in lectulo suo mandasset, apertis manè à ianitore foribus, nusquam pauper inuentus est: Christum pauperis nomine eo loci recubuisse creditum, auctor est Platina in eius vita. Hinc rectè Ambrosius libr. de Abraham cap. 5. *Qui scis*, ait, *an Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque Angelos eius suscepit hospitio. quamuis & cùm hospitem suscipis, Deum suscipis: sic enim scriptum in Euangelio legis, dicente Domino* IESV: *Hospes eram & collegistis*

gistis me: quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.

4. *Merces illustris hospitalitati à Deo redditur.*

Tertia porrò ratio fuit, quòd magnum hospitalitatis fructum experirentur. Abrahæ vtique illustrior Angelus promisit filium ex Sara: *Reuertens*, inquit, *veniam ad te tempore isto, vitâ comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quæ audito Sara risit post ostium tabernaculi. Erant autem ambo senes, prouectæq; ætatis, & defierant Saræ fieri muliebria. Quarisit occultè, dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Sequitur: *Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus? Numquid Deo quidquam est difficile? iuxta constitutum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.* Hoc dicto Angelus medius, Dominum repræsentans, pandens occultum risum Saræ, ostendit se non hominem, sed angelum vel Deum esse. vnde pro eo quod sequitur: *Numquid Deo quidquam est difficile?* Chaldæus vertit: *Numquid occultabitur à facie Domini verbum?* Deinde reuelatur ei instans excidium Sodomæ vri & Loth. Appositè Augustinus serm. 68. de Tempore: *Ecce*, inquit, *ad humanam mensam cælestis sublimitas recumbebat, cibum capitur, prælibatur, & contubernali colloquio inter hominem & Deum familiaria verba miscentur. Et quia apud Deum in fructuosa hospitalitas esse non potest, statim pretium mercedis accipit.* Idem serm. 70. de temp. *Loth quia hoc quod potuit, benigno animo obtulit, de perditione Sodomorum liberari promeruit. Ecce hospitalem domum angeli ingrediuntur, clausa hospitibus domus* (Sodomitarum) *flammis sulphureis concremantur.*

Hospitalitas fructuosa ostenditur exemplis.

Zachæus gaudens suscepit Christum in domum suam, ideoque ab eo audiuit: *Hodie salus huic domui facta est.* Luc. 19. Narrat S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 11. quod Cerbonius Populonij Episcopus quosdam milites transeuntes hospitio exceperit, eosque à Gothis superuenientibus absconderit, & in vita conseruarit. Quod dum Totilas Rex Gothorum audisset, iussit eum vrsis obijci coram toto populo, vt ab eis deuoraretur. Sed vrsus in eum immissus ferocitatis suæ oblitus, deflexâ ceruice, submissoque humiliter capite lambere cœpit pedes Episcopi, *vt patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei & ferina essent corda hominum, & quasi humana bestiarum.* Quare populus, & Rex ipse ad venerationem permotus est. Idem Gregor. hom. 23. in Euang. narrat de quodam viro valdè hospitali, qui per hospitalitatem meruit Christum in sua persona recipere, à quo per visionem audiuit: *Cæteris diebus me in membris, heri me suscepisti.* Narrat S. Augustinus lib. 22. Ciuit. cap. 8. Innocentium quemdam hospitalitati deditum, miraculosè curatum fuisse à vulnere periculosissimo. Raguel noster vbe-

rem hospitij sui recepit mercedem, cùm Angelus domum liberauit ab infestationibus Asmodæi, cùm ab ignominia totam familiam liberat, & filiæ maritum diuinitus assignat à pietate singularem, in quem nihil valebant dæmonis crudeles insidiæ.

5. *Femina hospitalis à Deo insigni beneficio donata.*

Veniamus ad fœminas hospitales. Sunamitis illa quæ Elisæum Propheram frequenter hospitem domi habuit, nonne cùm infœcunda esset, meruit viro suo prouectæ admodum ætatis filium parere? Quin & eundem filium vitâ functum, memor hospitalitatis Elisæus, vitæ miraculo restitutum, tradidit matri suæ, fœnore tanto hospitalitatis gratiam compensante. Quid Sareptanam illam commemorem, cui Elias pro accepto ab illa huiusmodi pietatis officio, beneficium à Deo insigne impetrauit. Hydria namque farinæ non defecit, nec lecythus olei imminutus est, vsque ad diem in quo Dominus dedit pluuiam super faciem terræ, &c. Quid dicam de Rahab cauponaria, quæ exploratores à Iosue missos, domi habuit, & singulari industria effecit, ne à satellitibus regis Hiericho, à quibus, vt interficerentur, conquirebantur, inuenirentur? In Actis Apostolorum laudem promerita est hospitalitatis mulier quædam nomine Lydia, de qua sic scribit Lucas: *Cùm autem ipsa baptizata esset, & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, intrate in domum meam, & manete*, &c.

6. *Hospitalitas apud Gentes.*

Gentiles nulla veri Dei notitia imbuti aliquid tamen singulare & eximium in hospitalitate respexisse videntur. Cùm enim cæterarum virtutum negligerent officia, ius tamen hospitij, fidemque inuiolatam seruarũt. Apud Tartaros, in ea prouincia, quæ Camul appellatur, incolæ (vt scribit Marcus Paulus Venetus lib. 46. Orient. reg.) ad prodigium hospitales quoscumque, vel inuitos suscipiunt peregrinos. Domo cedit paterfamilias, vxorem & filios hospiti commendat, nec antè domum reuertitur, quàm ille velit discedere. Ælianus lib. 4. tradit apud antiquos Lucanos lege cautum fuisse, vt si quis sole occidente diuertentes hospites, notos, ignotósue, domo non acciperet, is hospitalis haberetur, multamque eo nomine penderet pecuniam. Quia ita sancta semper apud Ethnicos ipsos fuit hospitij pietas, vt eius tutelam Ioui, quem hospitalem vocabant, committerent. Hinc illud Virg. Æneid. 1.

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Memini præterea me legisse, à Carolo antiquo Gothorum & Suetiorum Rege, lege sanctum fuisse, vt Gothi & Suetij inter se, & maximè erga omnes aduenas, hospitales essent, magnumque existimarent piaculum quemquam domo arcere. Vnde si quis secùs id fecisse per idoneos conuinceretur testes,

ſtes, eius ædes comburerentur, quæ debitum denegaſſent proximo vſum.

7. *Barbarorum hoſpitalitas erga Paulū multiplicitèr à Deo compenſata.*

In S. Scriptura ſatis etiam nota eſt Barbarorum hoſpitalitas. Nam poſt naufragium, quo euaſerant ob preces Pauli ducentæ ſeptuaginta ſex animæ appellunt ad inſulam Melitam. De quorum incolis inquit Paulus Actor. 28. *Barbari verò præſtabant non modicam humanitatem nobis. Accenſa enim pyrâ, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui inminebat, & frigus.* Et verſ. 7. *In locis autem illis erant prædia principis Inſulæ, nomine Publij, qui nos ſuſcipiens, triduo benignè exhibuit.* Sed magnis beneficijs remunerauit Deus horum hoſpitalitatem, Primò, Ex eo tempore, quo Paulus Melitæ viperam percuſſit, de qua verſ. 3. 4. & 5. Inſulæ illi diuinitus impertitum eſt, vt in ea ſerpentes omnes veneno careant, & quantumlibet aliquem momorderint, nihil prorſus inferant detrimenti: eamque Inſulani vocant gratiam S. Pauli, qui hac ratione abundè eis hoſpitij & hoſpitalitatis meritum compenſauit. Melitæ ergo nullum maleficum ſerpentis genus naſcitur, neque nocet aliundè inuectum; imò gleba Melitenſis antidotum eſt contra venena, adeoque ipſi Melitenſes quaſi terrori ſunt ſerpentibus. Secundò, quod patrem Publij febribus & dyſenteriâ laborantem, morbis ſibi inuicem contrarijs, ſanarit per manum Pauli; *Ad quem*, inquit facet textus, *Paulus intrauit; & cùm oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſaluauit eum. Quo facto, omnes, qui in inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur: qui etiam multis, honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant.* Tertiò, quod Melitenſes præ alijs inſulis & gentibus prædicationem Euangelij accepere à S. Paulo, eique prædicanti & miracula patranti credentes, ab eo primum nacti ſunt Epiſcopum S. Publium, ciuem, imò principem ſuum. Quartò, quòd Paulus ſæpè Melitam ab incurſu hoſtium tutatus ſit. Vt alia taceam, ſub annum Domini 1470. cùm Mauri, claſſe octodecim millium militum eam inuaderent, iamque tormenta diſponerent ad quatiendam vrbem veterem, tertio die apparuit S. Paulus veſte ſtellata, quali depictus viſitur in Eccleſia cathedrali, ac vibrans gladium equo inſidens, ſtipatus innumerâ multitudine viſus eſt inuadere Turcarum agmina: cumque in eum Turcæ multas conijcerent ſagittas, omnes in ipſoſmet retortæ & repercuſſæ reſilierunt; eoſque vulnerarunt & perdiderunt. En quanti ſit meriti, Sanctos hoſpitio recipere.

8. *Teſſera hoſpitalitatis apud Chriſtianos, quæ, & quis vſus*

Hæ & ſimiles rationes fecerunt in primitiua Eccleſia tantopere vigere hoſpitalitatem inter Chriſtianos: vt Tertullianus non dubitet inter ſymbola catholicæ fidei numerare, *teſſeram hoſpitalitatis*. Aſſeruerat Apoſtolos à Chriſto miſſos, per orbem terrarum, eam doctrinam, quàm ab illo hauſerant, alijs promulgaſſe, & proinde Eccleſias apud vnamquamque ciuitatem condidiſſe, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſint, indeque Apoſtolicæ dictæ, dum omnes illæ vnam præbent vnitatem. Et immediatè poſt ſubiungit: *Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conſeſſeratio hoſpitalitatis, quæ iurè non alia ratio regit, quàm eiuſdem ſacramenti vna traditio.* Conſuetudines, inquit, in conſortium Eccleſiæ recipiendi, & euchariſtiam receptis præbendi; quodque Chriſtiani fratres vocentur, vt vnius Dei parentis homines, vt conſortes fidei, vt ſpei cohæredes; denique quod certum ſignum adferant fideles, tanquam teſſeram Chriſtianiſmi, quâ exhibitâ pauperes & peregrini ad hoſpitium recipiantur, prouenit ex vna, eiuſdemque ſacramenti traditione. Alludit ad iuſiurandum, quò tanquam ſacramento militari in baptiſmo nos adſtringimus. Chriſtianus ergo ferens hoc ſignum, vbilibet à Chriſtianis, quaſi Chriſtianus, amicus & frater hoſpitio perbenevolè excipiebatur. Hinc Peregrinus Impoſtor, teſte Luciano in eius vita, Chriſtianum ſe finxit, quia ſatis ſibi viatici eſſe dicebat in Chriſtianorum hoſpitalitate: ita vt non tantum ab illis aleretur, ſed etiam in via deduceretur, atque ſic quaquaverſum ſtipatus incederet: nam non recipere, nec conjungere oblatam teſſeram, idem erat, quod à Catholica communione ſeiungere; perinde vt apud Gentiles confringere hoſpitalem teſſeram, erat amicitiam diſſoluere. Hac de cauſa magnus ille Pachomius, vt habetur in eius vita, cùm adhuc Ethnicos militaret in caſtris Licinij Imperatoris, Thebaſque cum caſtris veniſſet, viſâ Chriſtianorum Thebanorum in commilitones ſuos hoſpitalitate & charitate, ad Chriſtum conuerſus fuit, tantuſque euaſit, quantum iam omnes miramur.

9. *Olim Noſtra tamen excitata.*

Neque ſolùm primi Chriſtiani hoſpitalitatem coluerunt, ſed etiam ab hinc quingentis annis fuit illa in pretio, imò in præcepto. nam D. Burchardus Epiſcopus Wormatienſis, qui floruit ſub annum Domini 1020. lib. 1. Decretor. cap. 94. interrog. 71. docet Epiſcopos in ſolemni Parochiarum viſitatione, in qua de grauibus criminibus inquirunt, ex officio quaſi de crimine interrogare debere, num in paræcia eſſent, qui ad ſe venientibus peregrinis aut viatoribus hoſpitium negarent.

Hoc genus pietatis ſucceſſiuis temporibus impenſius coluiſſe, memoratur Gallicanus vir Conſularis, & deſignatus gener Conſtantini, in Martyrol. Romano, & actis SS.

Mauden in Tobiam.

Ioan. & Pauli. De seipso testis Hieronymus, scribens de sua in Bethleem hospitalitate, libr. 7. in Ezech. & in proœmio item à Pamachio excitatum in portu Romanorum Xenodochium, Epist. 27. & Romæ à Fabiola Nosocomium Epist. 3. Item Sampson Presbyter, & Zoticus Monachi in Oxyrincho ciuitate Thebaidis, de quibus per honorificè mentio est in iure ciuili, & apud Procopium lib. 1. de ædif. Iustin.

Antiquis Ordinibus hospitalitas fuit in pretio.

Vix est ordo Religiosus ex antiquis Ordinibus, cui non hospitalitatis cura fuerit, imò omnibus ferè monachis valde commendata fuit pauperum benignitas, vt videre est apud Cassianum 4. Instit. cap. 7. Euagrium in vit. Pat. cap. 5. & alios. Huiusce rei non obscura adhuc exstant vestigia apud Benedictinos, Carthusianos, Cistercienses, & similes Ordines, vt omittam Ordinem illustrissimum Hospitaliorum, & recentiores alios. Præter dictos, S. Silvestrum Papam, etiam ante Pontificatum hospitalitatis maximè studiosum fuisse ferunt, & omnes peregrinos Romam venientes hospitio excepisse: ita habet Metaphr. in eius vita.

10.

Reliquum est, vt quando res vsusque postulabit, pauperibus & peregrinis de hospitio prouidere, imitemur Raguelem cum gaudio hilariqúe animo Angelum & Tobiã susciplentem. Magna enim merces manet hospitales; Christus regnum cælorum eis asserit: *Venite*, inquiet in die iudicij, *benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, &c. hospes eram, & collegistis me*, Matth. 25. Absit in primis curiosa exploratio peregrini hospitium quærentis. Chrysostomus seriò monet ad externam vilitatem peregrinorum non respicere hom. 43. in Genes. Tantum, inquit, *ne curiosi exploratores & inquisitores simus, vt ne thesaurum perdamus. Quandoquidem & Beatus Paulus tales iustos insimulat, & docet nos, quo modo tales vt susciperent, eis euenerit. Hospitalitatis, inquit, ne obliuiscamini: propter hanc enim nescientes quidam hospitio exceperunt angelos. Hoc enim eos potissimùm fecit admirabiles, quod curam eorum quos nescierunt, egere. Et nos quoque cum fide ac pietate rem obeamus, vt sic thesaurum assequi possimus.* Idem Doctor idipsum alibi magis vrget exemplo Abrahæ, qui in meridie hospites præ foribus expectabat: *Merstò*, inquit, *quoniam sciebat, quod quibus est itinere necessitas, eo tempore maximè indigent cura: proinde tempus hoc vt idoneum elegit, & sedens eos qui praeteribant venabatur pro sua quiete ducẽs ministrare viatoribus: & eos qui calore æstuabant sub tectum introducere studebat, non curiosè explorans eos qui praeteribant, neque requirens an noti vel ignoti essent. Neque enim hospitalitatis fuerit diligenter singula perscrutari, sed omnibus simpliciter suam communicare benignitatem. Et quia hospitalitatis sagenam expendebat, meruit & vniuersitatis Dominum cum Angelis suis suscipere. Ea propter & Paulus dicebat: Hospitalitatis ne obliuiscamini. Per hanc enim quidam nescij angelos exceperunt hospitio, patriarcham insinuans. Atqui ob hoc Christus dicebat: Qui susceperit vnum ex his minimis in nomine meo, me suscipit.* Et immediatè post commendationẽ resumit. *Audiamus*, inquit, *dilecti, & hospitio excepturi nunquam quaeramus quis, & vnde. Nam si Patriarcha in rogando fuisset curiosus, forte peccasset. Sed sciebat, inquis, aduenientium dignitatem. Vnde hoc tibi liquet. Quomodo, si ita est, admirationem promeritus fuisset? Neque enim sic admirabile erat, si suscipiendo hospites curiosius explorasset qui essent, sicut nunc cùm ignorans qui nam aduenerint tantâ alacritate & honore accedit, verbis suis quasi seruus domino eius per verba tantum non vincula iniecit, & supplicat eis vt ne renuant, neque maximo damno afficiant. Sciebat enim quid faceret, quod propter hoc magna cum voluptate fructum copiosum perciperet:* Et longè post: *Quid minus molestum, quam hac? non enim praecipit nobis curiosè scrutari & inquirere quibusnam deberemus curam exhibere. Tu quod tuum est, inquit, declara, licet abiectus & vilis sit, vt apparet, quem foues. Quæ enim in illos facta sunt, ego vt mihi ipsi facta agnosco. Propterea addidit: Quatenus feciſtis vni fratrum meorum minimorum, mihi feciſtis.*

Regnum cælorum manet hospitales.

Vitari debet curiosa de peregrinis scrutatio.

Homil. 4. in Genes.

11.

Præterea est necessarium, vt hospitalitatem exercentes abstineamus à murmuratione, ne mercede frustremur. Sanctus Petrus idcirco monuit Pontos *esse hospitales sine murmuratione*: charitati, de qua immediatè ante egerat subnectens hospitalitatem quasi sociã, imò filiam, excludens ab ea murmurationẽ. Solent enim hospites tenaces & arcti animi queri de aduenarum multitudine, sumptu, diuturnitate, edacitate, loquacitate, libertate, alijsque vitijs. Tales erant incolæ Ponti, ad quos scribit S. Petrus, nimirum duri & inhospitales, vt patet ex verbis Tertul. lib. 1. contra Marcion. cap. 1. *Pontus*, inquit, *qui Euxinus natura negatur, nomine alluditur. Caterùm hospitalem Pontum, nec de situ æstimes: ita ab humanioribus fretis nostris, quasi quodam barbariæ suo pudore secessit. gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen habitatur in plaustro.* Et paulò post: *Sed nihil tam barbarum, ac triste apud Pontum, quàm quod illic Marcion natus est, Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, Massageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obscurior, hieme frigidior, gelu fragilior, Istro fallacior, Caucaso abruptior.* Ponticis ergo ad Christum conuersis, idcirco commendat S. Petrus hospitalitatem candidam erga Christianos.

II. Hospitalitas exercenda sine murmuratione.

Ponti mira Barbaries.

12.

Denique necessaria est bona intentio: *Qui recipit iustum in nomine iusti*, inquit Christus, *mercedem iusti accipiet.* Et rursum, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam*, totum corpus

Matth. 10. Hospites excipiendi bonâ intentione.

corpus tuum tenebroſum erit. *Cum peruerſa intentione*, inquit Gregorius lib. 28. Mor. c. 6. *vel rectum quid agitur, etſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis obſcuratur.* Et hoc Deus, quandoque luculentè oſtendit. Rem miram narrat idem ſanctiſſimus ſcriptor Gregorius, in hunc modum. *Tudertinus Pontifex Fortunatus vir mirę ſanctitatis, diabolum humani corporis inſeſſorem precibus expulit. Diabolus hoſpitio pulſus, vt iniuriam ſuam ſarciret, Deo ſic annuente, habitum hominis peregrini induit, quem ex arte ſimulans vrbem obijt ſub crepuſculum, & velut exul egenſq; contra Fortunatum Epiſcopum querelas cepit ſpargere, & En, inquit, quàm ſanctus vir ſit Fortunatus Epiſcopus veſter; ecce quid fecerit? hominem peregrinũ, & à fortunæ peſſimè habitum hoſpitio inſuper exclu ſit. quo tendam? non eſt qui miſerum hoſpitio recipiat. Dum hæc queritur, audijt ea cuius, ad prunas cum vxore & filiolo conſidens, & mox inuidâ curioſitate ſciſcitatus eſt preſſius, quid iniuriæ illi feciſſet Epiſcopus? Vbi vaferrimi peregrini querelas audijt, liberaliter ei domum ſuam in hoſpitium obtulit, non tam vt peregrino faceret bene, quàm vt Epiſcopum, cui peſſimè volebat, traduceret. Sic larvatum dæmonem vnà ſecum pertraxit ad prunas. Hic vbi multa confabulati, exiliens ſubitò peregrinus, filium hoſpitis arripuit, & vi maxima in ignem excuſſit, eliſitq; animam.* Heu miſerrime parens, agnoſce demum, vel quem tu domo receperis, vel quem Antiſtes tuus domo exegerit. Laudatiſſima virtus eſt hoſpitalitas, ſed ſi eã intentio deprauet mala, à virtute degenerat in vitium; peregrinos ſuſcipere in magno illo Abrahamo commendatiſſimum fuit, ſed ſi bona deſit intentio, tàm facilè diabolus recipitur quàm Angelus.

Vitium vel flebile extemplum.

SECTIO II.

An aliquid efficiat ſimilitudo hominis erga alium? & cur Deus homines plurimum diſſimiles fecerit?

1. *Duplex eſt ſimilitudo.*

DVPLEX eſt ſimilitudo, nempe corporis & morum. Vtramque veroſimile eſt Raguelem penitiùs intuendo Tobiam iuniorem animaduerriſſe, & hinc dixiſſe vxori ſuæ: *Quàm ſimilis eſt iuuenis iſte conſobrino meo*, Tobiæ videlicet ſeniori, ex cuius vultu apparenter omnis modeſtia & pietas elucebat. Scitu vtile eſt, quid vtraque ſimilitudo operetur. D. Thomas 1. 2. q. 27. ar. 3. docet conciliare amorem, ex illo Siracides cap. 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi.* Eiuſque rationem aſſignans in corpore, ſubdit: *Ex hoc enim quod aliqui duo ſint ſimiles, quaſi habentes vnam formam, ſunt quodammodo vnum in forma illa, ſicut duo homines ſunt vnum in ſpecie humanitatis, & duo albi in albedine; & ideò affectus vnius tendit in alterum ſicut in vnũ ſibi, & vult ei bonum ſicut & ſibi.* Sic Adam Gen. 5. dicitur ad imaginem & ſimilitudinem ſuam genuiſſe filium, quia ſcilicet genuit Seth ſibi in natura humana conſimilem. Sic Chriſtus Dominus, vt eum magis amaremus, *in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: ſimilitudine videlicet non accidentali, non apparente & phantaſticâ, vti voluerunt Manichæi, ſed ſubſtantiali, quâ omnes homines dicuntur eſſe ſimiles ſpecie, ſeu naturâ humanâ: nam *Verbum* ita Caro factum eſt, ſicut homo fit veſtitus. & ſicut ferruin fit ignitum, & ſicut aurum fit ſtatua, vel imago aurea, quia manens verbum quod erat, ad ſe humanitatem aſſumpſit, eamque quaſi veſtem ſubſtantialem induit; verùm eximiæ formæ & pulchritudinis, *Speciоſus forma præ filijs hominum*, inquit regius Propheta, Pſal. 44. *in quem deſiderant angeli proſpicere*, 1. Petri 1. mirè enim delectantur viſione humanitatis Chriſti, & gloriæ tum corporis, tum animi, quâ longè omnes angelos tranſcendit.

Deus factus eſt homo, vt eum magis amaremus.

Iacobus Apoſtolus vocatus fuit frater Domini, tum quia cognatus erat Chriſti, tum quia Chriſto ſimilis moribus, formâ & vultu, teſte S. Ignatio, qui epiſt. 2. ad Ioannem ſic ſcribit: *Mihi licitum eſt, à te, ad Hieroſolyma partes volo aſcendere, & videre fideles ſanctos qui ibi ſunt, præcipuè Mariam* IESV, *quam dicunt vniuerſis admirandam, & cunctis deſiderabilem. Quem enim non delectet videre eam & alloqui, quæ verum Deũ de ſe peperit; ſi noſtra ſit fides & religionis amicus?* Et immediatè poſt de Iacobo ſubiungit: *Similiter & illum venerabilem Iacobum qui cognominatur Iuſtus, quem referunt Chriſto* IESV *ſimillimum facie & vita & modo converſationis, ac ſi eiuſdem veri frater eſſet gemellus: Quem dicunt ſi videro, video ipſum, ſecundum omnia corporis eius lineamenta, Chriſtum* IESVM. Ex quo ſequitur Iacobum Chriſto, Apoſtolis, & Chriſtianis fuiſſe percharum. Similitudo enim æquè ac virtus eſt conciliatrix amoris & amicitiæ. Geneſ. 2. dicebat Dominus: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*: procreemus ei vxorem eiuſdem ſpeciei, eiuſdemque naturæ humanæ participem, habentemque animam immortalem. Apollonius apud Philoſtrat. lib 6. *Ego*, inquit, *hoc de amore cognoſco, quod Dei Deas, & viri mulieres, & bellua belluas, &, vt breuiter omnia complectar, ſimiles amant ſibi ſimilia.* hæc ille. Idem affirmat, & rationem adfert Ariſtoteles etiam 1. & hic. 11. *Quoniam*, inquit, *quod ſecundum naturam eſt, iucundum eſt, omniaq; genere inter ſe coniuncta ſecundum naturam coniuncta ſunt, idcirco vt plurimum quæ ſimilia ſunt, ac genere coniuncta, iucunda ſunt, vt homo homini, equus equo.* hæc Ariſtoteles, affertque ad idem prouerbium quod bellua

Iacobus vocatur frater Domini, cur.

Simile appetit ſibi ſimile.

Similitudo conciliat amorem.

Manden in Tobiam.

belluam cognoscit, & graculus ad graculum assidet. quod idē repetit ad idem 8 æthic. c. 10. & etiam 2. Rhetor. *Naturâ*, inquiens, *rebus insitum, vt cognata, & genere iuncta, & similia inuicem ament, & iungi gaudeant, homo homini, equus equo, iuuenis iuueni, & huc tendere veterum adagia, &c.*

Sibi simile consortium est amplectendum.

Hinc Siracides loc. cit. versu 19. & 20. dissuadens imparium consortium, inquit: *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi iungetur, & omnis homo simili sibi sociabitur.* Non enim, inquit eo loci Iansenius, *monedula cum aquilino genere sociatur, sed cum suo genere: & vt dicitur, Aues concolores simul volant; &, Conueniunt pecudes, & iuncta pabula carpunt. Ita ergo etiam conuenit vt quisque vtu iungatur, & familiarius diligat, qui sibi sunt in vtu genere & fortunæ conditione similiores.* Vtitur & hac ratione Cicero lib. de amicitia: *Si*, inquit, *hoc apparet in bestijs, vt requirant atque appetant ad quas se applicent animantes, idq; faciunt cum desiderio, & cum quadam similitudine amoris humani, quanto id magis in homine?* Et in eodem libro: *Dispares mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam vllam, boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumq; distantia.* Hæc ille. Illud enim veteribus celebratum in omni animantium genere vim habet τὸ ὅμοιον τῶν ὁμοίων φιλεῖ: hoc est, Simile amicum simili: vel, simile gaudet simili. Vnde est & illud: *Similitudo mater amoris.*

Dissimilitudo morū dissociat amicitias.

2. *Similitudo morum conciliatrix est amoris.*

Porrò amorem magis conciliat similitudo morum; quam intendisse Raguelem non est improbabile, eò magis quòd aliqui authores verba Gen. 2. *adiutorium simile sibi*, non tantum de similitudine specifica, sed etiam morum & studiorū intelligant, vtpote quæ amicitiam & pacem maximè parit & fouet: quodque Eliezer Genes. 24. quærens Isaaco vxorem ad similitudinem morum magis perspexerit. Nam sicut Deus tranquillus tranquillat omnia, sic modestus facit alios modestos; & qui aspicit quietum & modestum, se componit ad quietem & modestiam. Exemplum dat S. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 10. in aue dicta Ieterus, quòd Ieterico sanet, eorumque morbum ad se attrahat, teste Plinio lib. 30. cap. 11. Ait ergo de ea S. Ambrosius: *Si est tanta vis in naturalibus, vt animal ipsum prosit ictericis, ita vt mortui quoque corpus prodesse dicatur, si fuerit demonstratum ijs qui in huiusmodi inciderint passionem, dubitare possimus quod iusti sanet aspectus? Nonne vel ipsi oculorum radij virtutem quandam videntur infundere ijs, qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum iustus lætificat cor innocentium cum videtur, ita & improbis iustorum cognitione torquentur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, auaritiam liberalitas, impietatem fides.* Affert exemplum basiliscī, qui si prior viderit hominem, eum enecat; sin ab ipso prius fuerit visus, enecatur, ex eoque concludit: *Ergo si tanta virtus vel in oculis serpentis; vel in oculis est hominis, vt, si alterum alter prior viderit, possit occidere, non est virtus in in oculis iusti, qui repletus virtutis est gratia, cùm præsertim tantum operetur fides, vt & illa quæ sanari am Domini tetigit, sanaretur, Matth. 9. & ille cui intendit Dominus Iesus, sanum ex eius oculis gratiam sanitatis hauriret: Luc. 9. Sed qui videt iustum, debet scire quid videat, non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu, sed intus videt, &c. Sanè in eo qui foris est, illum qui intus est, frequenter aspicimus.*

Modestiæ præstantia.

Iustorum solus aspectus arguit improbos & ad meliorē vitam perducit.

D. Hieronymus in cap. 9. Matthæi dans causam, cur Matthæus Christum vocanteū ilicò sit secutus: *Certè*, inquit, *fulgor ipse & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humanā Christi facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Et in cap. 11. dans causam, cur Christo per flagellū exigente nummularios è templo, mensasque subuertēte, &c. quæ magnus non fecisset exercitus, nemo restiterit: *Igneum enim*, inquit, *atque sidereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie.* D. Ambrosius lib. 2. de Virgin. ea elogia ascribit Beatæ Virgini: *Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis.* Narrat Dionysius Carthusianus in cap. 3. de Diuin. nom. S. Dion. Areop. cùm è Græcia in Iudæam veniisset, & 33. Virginem conuenisset, tantâ claritate fulgentem eius vultum conspexisse, vt præ nimio stupore deficiens in terram ceciderit, dixeritque, nisi ratione naturali & fide cognouisset aliam esse diuinitatem, se hanc ipsam Virginem loco Deæ habiturum fuisse.

Elogia B. Virginis.

De B. Apostolis Petro & Paulo sic Nicephorus lib. 2 cap. 37. *Paulus corpore erat parvo & contracto, & quasi incurvo, ac paululum inflexo, facie candidâ, annisq; plures pra se ferente. capite modico; oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum vergebant, nasum pulchrè inflexus, idemq; longior, barba densior, & satu promissa, eaq; non minus, quàm capitis coma, canis respersa. Ambo autem Christi discipuli (Petrus & Paulus) cum inspicerentur, diuinum quiddam præ se ferebant, Spiritu sancto & diuina gratia ita referti, vt qui eos viderent fideles, ex aspectu solo arcanam quandam & latentem concipercnt gratiam, mentesq; & vitam vnà cum fide confirmarent, & in melius conuerterent.* Hinc semper idem eis erat animus, idem vultus, mores per omnia similes.

Pauli statura & figura.

S. Franciscus animo & vultu in cælum intentus, non aliud vitâ & voce, habitu & gestu con-

concionabatur, quàm *ad cælum, ad cælum*. Audi S. Bonauenturam cap. 4. vitæ eiuſdem *Euangelicum præco ciuitates circuibat & caſtra, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in virtute ſpiritus, annuncians regnum Dei. Videbatur inuentibus homo æternus ſeculi: quippe qui mente ac facie in cælum ſemper intentus, omnes ſurſum trahere conaretur.* Et cap. 12. *Omnis ætas, omniſq; ſexus properabat virum nouum mundo cælitus datum cernere, & audire.* De Cypriano Pontius Diaconus hæc æternitati tradidit in eius vita: *Tantum ſanctitatis & gratiæ ex ore lucebat, vt confunderet intuentium mentes grauis vultus & lætus: nec ſeueritas triſtis, nec comitas nimia, admixta vtrimq; temperies, vt eſſet ambigere, vereri an diligi mereretur, niſi quòd & vereri & diligi verebatur.*

Cypriani grauitas.

S. Bernardus ſua ſpecie & morum compoſitione, omnes ad Dei amorem & vitæ puritatem inuitabat. Nam vt ait auctor vitæ eius lib. 3. cap. 1. *Apparebat in carne eius gratia quædam ſpiritalis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena ſed celeſtis: in oculis Angelica quædam puritas, & columbina ſimplicitas radiabat, tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, vt euidentibus quibuſdam indicijs foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ, copioſè perfuſus homo quoq; exterior videretur.* Pontifex cum ſuis Prælatis viſitans S. Bernardum in Claraualle, ipſius & Monachorum modeſtia adeò commotus & compunctus eſt, vt plerique eorum præ deuotione vberes funderent lachrymas. Ita habet vita S. Bernardi.

Modeſtia & gratia S. Bernardi.

Sanctus Lucinianus Martyr adeò moribus erat compoſitus, pius, hilaris & ſanctus, vt Angelus videretur, omneſque ad ſui & Chriſti amorem pelliceret: quocirca Maximianus Imperator non niſi eminus & per velum eum aſpicere & alloqui eſt auſus, timens ne & ipſe ab eo virtutis quaſi philtro dementaretur, velletque fieri Chriſtianus. Similis fuit S. Bonauentura, in cuius funere perorans in Concilio Lugdunenſi anno Domini 1274. Petrus Tarantaſius Cardinalis ex ordine S. Dominici, qui poſtea creatus Pontifex dictus eſt Innocentius V. inter alias eius laudes dixit, Quotquot aſpiciebant vel audiebant S. Bonauenturam, eius amore capiebantur, illi cedebant, illius ſententiam & conſilium amplectebantur; eò quòd eſſet benignus, affabilis, humilis, charus omnibus, pius, prudens, caſtus, pacificus, omniq; virtute ornatiſſimus. Vnde verè dixit Hugo Victorinus, *habitus mentis in ſtatu corporis agnoſcitur.* Et D. Paulus propterea dicebat Philippenſibus: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*: Homines videant modeſtiam veſtram, vt veſtro exemplo diſcant modeſtè agere: contra Gentiles alioſque vos perſequentes nolite excandeſcere, nolite indignari, ſed per animi moderationem omnia quantumuis dura patienter ferte: erga hoſtes veſtros eſtote manſueti, benigni & placidi, vt ſic alliciatis alios ad Chriſtianiſmum, veſtramque modeſtiam imitandam. Breuiter & verè S. Bernardus Epiſt. 113. *Diſciplina*, inquit, *mentem & corpus componit: ceruicem ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram ſedat, formam ineſſum.* Hanc vtramque ſimilitudinem arbitror Raguelem in admirationem traxiſſe, vt diceret vxori: *Quàm ſimilis eſt iuuenis iſte conſobrino meo*, forma, vultu, & moribus.

Status corporis nota eſt mentis.

3.

Quare Deus homines potè diſſimiles creauit.

Verùm enimuerò quis perfunctari poſſet, cur Deus homines ita diſſimiles creauit, attento quod etiam ſimilitudo corporum amorem conciliet. Ne miretis ſed aduerte Deum præuidiſſe diſtinctam notitiam perſonarum tam neceſſariam ad iuſtitiam & pacem tuendam ac ſimilitudinem ad amorem. Sine enim tali varietate nec poſſet iuſtitia inter homines conſeruari, nec Reipublicæ forma conſiſtere. Finge homines vultu ſimiles, ſicut oues, corui, paſſeres, & alia plurima eiuſdem naturæ animantia inter ſe ſunt ſimilia; grauiſſima ſequetur omnium rerum perturbatio. Neque enim mariti poterunt diſcernere ſuas vxores, neque parentes ſuos liberos, nec creditores ſuos debitores, nec amici ſuos inimicos, nec magiſtratus maleficos, nec ſubditi ſuos principes; ac proinde omnia erunt adulterijs, inceſtibus, fraudibus, proditionibus, cædibus, omniaque maleficia impunè committi poterunt. quiuis enim ſe poterit fingere quemliber, nec vllo indicio facilè poterit deprehendi. Res per ſe eſt manifeſta attentiùs intuenti, & declarant exempla eorum qui ſimilitudine vultus confiſi, alienos toros, patrimonia, & regna inuadere auſi ſunt; interdum felici euentu, interdum irrito conatu: ſemper tamen cum ingenti perturbatione, multiſque incommodis. Perſpicuum igitur eſt vultuum diſcrimen in hominibus neceſſarium eſſe, vt iuſtitiæ & Reip. ratio inter eos conſtare poſſit, & pax ac tranquillitas conſeruari. Hæc ergo diſſimilitudo in omni ferè gente fuit neceſſaria. Vnde videmus in America, vbi ex influentijs cæli, & ſolis ardore penè eſt eadem facies omnium, ſeruos ſiue mancipia ab heroſtigmate fronti aut labijs inuſto notari: vt ſi fugiant vel errent, aut capiantur, ex ſtigmate dignoſcantur, & hero vel Domino reddantur. Itemque in pleriſque brutorum animantium generibus, in quibus tanta eſt individuorum eiuſdem naturæ paritas, vt vix aliquod diſcrimen notari queat, vt in ouibus, capris, equis notæ imprimuntur, quibus inter noſcantur.

In homine autem nec ſola vultum diſcre- 4.

Voces hominum diſsimiles.

tio ſæpè ſufficit: vnde in voce diſcrimen notabile prouidentia diuina addidit, vt viſu & auditu tanquam gemino teſte cuilibet de perſona alterius conſtaret: Idque quia ſubinde res in tenebris agitur, vbi acies oculorum retuſa, exactè, lineamenta faciei non diſcernit. Interdum, ſed rarius eſt quoque magna vultuum ſimilitudo: ita vt in eâ diſcernendâ oculus decipiatur. Hic ſuccurrit diſcrimen vocis & ſoni locutionis humanæ: & qui ex vultu internoſci non poterant, facilè cognoſcuntur & diſcernuntur ex voce.

SECTIO III.

An ex vultu mores alicuius dignoſci queant? & quare Raguel dicat Tobiam potius patri, quam matri ſimilem?

1. *Scriptura mores hominum vultui ſimiles inſinuat.*

SACRA Scriptura videtur inſinuare ex vultu hominum mores dignoſci poſſe. Ait enim Siracides Eccleſ. 19. *Ex viſu cognoſcitur Vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & egreſſus hominis enuntiant de illo.* Hebræus Sapiens Prouer. 17. dicit *oculos ſtultorum* eſſe *in finibus terræ.* Rurſum Syracides Eccleſ. 13. *Cor hominis immutat faciem illius ſiue in bona, ſiue in mala.*

Accedit Cicero 3. de orat. *Omnis*, inquit, *motus animi ſuum quendam à natura habet vultum, & ſonum, & geſtum animi. Imago vultus eſt index oculi, nam hæc eſt vnapars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & commutationes poſſit efficere. Oculi enim ſunt, quorum tum intentione, tum connictu, tum hilaritate motus animorum ſignificemus aptè, nam oculos natura nobis, vt equo & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit.* Hæc ibi, & de petit conſul. *Vultus*, inquit, *ac frons animi eſt ianua, quæ ſignificat voluntatem abditam, ac retruſam*; eadem repetit I. Officior Laban Geneſ 31. mutatum cor mutata facies oſtendit; nam Iacob *animaduertit faciem Laban, quod non eſſet erga eum ſicut heri & nudiuſtertius.* Cui conſonat illud Salomonis Prouerb. 17. *Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.*

Vultus eſt animi ianua.

2. *Externa faciei indicia eſt probabile interni animi.*

Verùm dico id non eſſe certum, ſed indicium dumtaxat probabile. Quod non obſcurè Scriptura teſtatur, dum inquit Eccleſ. 13. verſ. 32. *Veſtigium cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies, & cum labore.* In quem locum Ianſenius: *Inuenies difficile ac cum labore veſtigium cordis boni, hoc eſt, faciem bonam, & inuentionem parabolarum*, hoc eſt, abſconditarum ſententiarum: quia vtrumque non niſi exercitio virtutis & ſtudij obtinetur, hoc eſt, nec virtus quæ ſola ſolidè lætificat, nec ſapientia ſine labore paratur.

Secundò Eccleſiaſtes cap. 8. inſinuatur, Deum pro maieſtate vultum adornare & mutare: *Sapientia hominis*, inquit Hebræus Sapiens, *lucet in vultu eius, & potentiſſimus faciem illius commutabit.* Et Eccleſ. 10. *In manu Domini poteſtas hominis, & ſuper faciem Scribæ imponet honorem ſuum.* Vbi clarius ex Græco propriè legi poteſt, *In manu Domini eſt proſperitas viri, & ſuper faciem ſapientis apponet gloriam.* Itaque indicat aliquid maieſtatis à Deo in vultu potentum concedi. Vnde Geneſ. 33. dicebat Iacob ad Eſau, *Accipe munuſculum de manibus meis: ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei: Eſto mihi propitius.* Iudic. 13. dixit mater Sampſonis ad maritum ſuum de Angelo, qui in ſchemate humano illi apparuerat prædicens ei filium naſciturum: *Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum, terribilis nimis.* Eſther cap. 15. inquit Aſſuero: *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum pra timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum.* Hanc autem faciem, addit Hebræus Sapiens, *potentiſſimus commutabit.* Et Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini quocumque voluerit, inclinabit illud.* Illius enim eſt illuminare Principes, & mutatâ vultus illorum truculentiâ & ſuperbiâ, ſedare præcipitem impetum, qui ſe prodebat in vultu quod de Aſſuero planiſſimè proditur cap. 15. Eſtheris: *Cùm enim pra maieſtate cor eius corruiſſet, conuertit Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem: & feſtinus ac metuens exſiliit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere.*

Aliquid maieſtatis in vultu potentum concedi Deus.

3. *Vtitur aliquando fingitur facies diſformis animo.* 2. Reg. 3. 2. Reg. 20.

Tertiò quia experientiâ conſtat, faciem bonam poſſe fingi, & talem reipsâ non deprehendi, vt quæ per fictionem ſiue fraudulentiam vel neceſſariam & vtilem non reſpondeat cordi. Nam & Ioab ſubdolè exhibuit lætam faciem Abner & Amaſæ. Et Eſther *roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis triſtem celabat animum, & nimio terrore contractum.* Deinde certum eſt, ſigna ſæpè non conuenire rebus, vel quia inclinationes malæ etiam ſæpè à voluntate & ratione compeſcuntur, vultu manente truculento, & deformi.

Nihil certi ex ſpecie externa indicare licet.

Atque adeò ex indicijs illis coniecturalibus certò nihil iudicare licet, donec euentus doceat coniecturam fuiſſe verâ. Sic de Eſau, qui manibus erat hiſpidis & villoſis, Geneſ. 27. tunc licuit, quando euentus oſtendit illum tam ferinis fuiſſe moribus, vt fratrem quæreret etiam ad mortem. De peruerſis Iudæis ſimiliter Iſa. 3: quando ita ſeſe geſſerunt, vt apertio & intuitus vultus conteſtaretur ipſos

sos graue excidium commeritos esse: *Agnitio, inquit, vultus eorum respondit eis*: Queruntur, inquit Propheta, rogantque quomodo tantum supplicium obuenit nobis? cur tantis malis obruimur? quod tantum peccatum nostrum cladem hanc meruit? Non longè eant, intueantur tantum inuicem vultus suos, ibi agnoscent, scriptumque legent causam & culpam suam: perficta enim & explicata, impudensque frons respondebit, dabitque luculentum procacitatis & nequitiæ eorum testimonium. Nam vultus loquitur scelera, alijs licet omnibus tacentibus: in vultu enim eorum videtur lasciuia, arrogantia, fastus, &c. facies eorum clamat eos turgere superbiâ, irâ, odio, libidine, vnde explicans subdit: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt*: idem ait Ieremias cap. 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. Id de fœminis clarè explicat, v. 16. dicens: *Elevatæ sunt filiæ Sion & ambulauerunt extento colle, & nutibus oculorum ibant & plaudebant*. q. d. Explicata frons illis dat procacitatis testimonium. Sic licuit Tiburtio coram Fabiano Præfecto de Torquato Apostata loqui, qui se Christianum simulauerat, postquam hoc arte egerat, vt orantem S. Tiburtium infideles comprehenderent: Sic enim ait: *Diu est quod Torquatus se Christianum esse mentitur; Virtus enim ipsa sanctis nominis graviter fert & molestè, suum nomen à non suis amatoribus vsurpari. Reuera enim vir illustrissime, hoc Christianum nomen diuinæ virtutis est, sectatorum scilicet Christi, qui verè philosophati sunt, qui ad obterendas libidines fortiter dimicarunt. Credis ne vir illustrissime, hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio moliendo, capitu fimbrias admittit, qui tonsorem diligit, qui scapulis molliter gestit, qui fluxum gressum improbo nixu distendit, qui neglectu viri, fœminas curiosius intuetur? Numquam tales pestes Christus dignatus est, suos habere seruos. Verum quãdo hic se imitaturum me asseruit; iam tu ipse coram, eum probabis esse mentitum: nam qualis semper fuerit, nunc euidenter ostendit*. hæc ibi.

Torquati Apostata fallacia.

Ex corporis habitudine animum cognosci.

Ex eiusmodi habitudine sanè corporis, solutisque moribus, coniecturam facere, sanctissimi quoque viri consueuêre. habes hac de re exemplum apud Gregorium Nazianzenum, qui insignem illum huic similem apostatam Iulianum, ex eiusmodi quæ foris apparebant signis, probè notum perspectumq; habuit, vt cùm ait de illo, orat. 2. in Iulian. *Neque enim mihi boni quicquam significare atque ominari videbantur ceruix non stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus furioseq; intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum, spirans, vultus lineamenta ridicula item significantia, risus petulantes & effrenati, nutus & renutus temerarij, sermo hærens spiritugq; concisus, interrogationes stultæ & præcipites, responsiones nihilo his meliores, alia in alias insultantes, nec graues & constantes, nec eruditionis ordine progredientes*. hæc Nazianzen. de Iuliano, dum se adhuc Christianum falsò profiteretur, & sub pallio philosophico se occultare cupiebat. Huic etiam exterioris corporis cultus signis, de duobus clericis sanctus Ambrosius æquè vera vaticinatus est, Officior. lib. 1. cap. 18. vbi vnum sibi commendatissimum in Clerum recipere recusauit, & alterum quem in clerum receperat, ne vnquam præiret sibi imperauit. Neque fefellit eum sententia; vterque enim ab Ecclesia recessit, vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur: namque alter Arrianæ infestationis tempore fidem deseruit; alter pecuniæ studio ne iudicium subiret, Sacerdotem se nostrum negauit. Lucebat in illorum incessu imago leuitatis, species quædam scurrarum percursantium. Sed & S. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium pseudoclericos prænotauit, sic dicens: *Omnis his cura de vestibus si benè oleant, si pes laxa pelle non folleat; crines calamistri vestigio rotantur, digiti de annulis radiant, & ne plantas via humidior spargat, vix imprimunt summa vestigia. tales cum videris, sponsos magis existimato, quàm clericos*.

De duobus Clericis.

D. Bernardus de gradibus humilitatis sic de externis moribus pronuntiat: *Si videris, inquit, Monachum, de quo prius benè confidebas, vbicunq; stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas: è motibus exterioris hominis, interiorem immutatum agnoscas. Vir quippe peruersus annuit oculo, terit pede, digito loquitur*. Prouerb. 6. ver. 12. *Et ex insolenti corporis motu recens anima morbus deprehenditur*. Ita D. Bernardus ab oculo ad animum argumentatus, absque temeritate sentit, non posse immodestum oculum cum modesto animo cohærere. Nec solum viri sanctissimi, sed etiam improbissimi his vtuntur coniecturis ad internum mentis statum indagandum; & ex modestia oculorum modestos animos subodorantur. Vnde Palladius in vita D. Chrysost. *Infelicia*, inquit, *scorta ex ipso oculorum motu pudicos agnoscunt, ac fugiunt viros: non secus atque infirmus oculus, Solis iubar; & vultus, vnguentum*. Quòd si infaustæ illæ larvæ & sphinges, suarum turpitudinum caligine obcæcatæ, in his tamen indicijs sunt adeò perspicaces: mirum non est, si viri diuinitus illustrati ab externo oculorum habitu internum mentis statum assequantur.

Peruersi animi indicia.

Immodestus oculus cum modesto animo non cohæret.

Cæci etiam immodestiæ vitiorum indicia agnoscunt.

Adeoque non abs re ad externos motes animadvertitur: quia sæpè contingit compositionem exteriorem interiori respondere, vel in bonam, vel in malam partem; priùs vidimus per exempla Sanctorum, quorum exterior facies & compositio corporis interiorem sanctitatem manifestabat: posterius

4.

Externi mores sunt æstimandi.

per

per ea quæ hac Sectio. diximus. Accedat D. Chryſoſtomus, qui hom. 4. in Matth. Cathecumeni & fidelis diſtinctionem quærens, à moribus fidelem iudicat: *Oportebat*, inquit, *vniuſcuiuſq; fidem non locis, ſed moribus indicari. Nã ſecularium quidem decora dignitatum, conſequentur ab extrinſecus poſitis cernũtur inſignibus: noſtra verò intelligi oportet ex mentibus. Fidelis enim non modò à communione myſterij, verum etiam de nouitate vitæ debet agnoſci. Fidelem enim ſal eſſe conuenit, & luminare mundi. Sin verò ne tibi quidem luceas, & ne propriam quidem, putredinem fœtoremq; detergas, quibus* ☞ *indicijs ego fidelem potero agnoſcere? An quia ſacrati aquæ fontis ingreſſus es? At hoc ipſum quod datum tibi fuerat ad ſalutem, fit tibi grauioris cauſa ſupplicij. Honoris ſiquidem magnitudo his qui non dignè viuunt honore, cumulus incipit eſſe panarum. Igitur fidelem non ab his tantum quæ accepit à Deo, verùm etiam ab his quæ obtulerit ipſe Deo, conuenit refulgere, & vndique eſſe notum atque manifeſtum, & ab inceſſu, & ab aſpectu, & à veſte, & à voce. Et hæc dixerim, non vt noſmetipſos ad oſtentationem noſtri, ſed ad ædificationem inſpicientium nos vtique optemus.* Et rem alterius reſumens immediatè poſt ſubiungit: *Nunc verò vndecunque voluero te dignoſcere, inuenio te à contrarijs publicari. Si te ex loco ſcire curauero, proculdubio in circo te theatróque proſpiciam, totos profſus dies in vaniſſimis illis cœtu exigentem, vel in foro corruptis hominibus peſtiferiſq; coniunctum. Sin verò ex ipſis motibus corporis notitiam tui habere quæſuero, videbo* ☞ *horrendis cachinnis, & fœdiſſimâ incunditate reſolutum, vt fluxam quamdam perditamq; meretricem. Sin autem te à veſte conſiderem, nihil te à ſcenico habitu diſtare cognoſcam. Iam ſi volutro* ☞ *à comitibus addiſcere, inueniam* ☞ *adulatoribus ſtipatum, atque paraſitis. Si à ſermone, nihil te audiam omninò ſanum, nihil ſerium, quodq; ad diſciplinam noſtram ſpectet, loquentem. Si à cibo, maior hinc profectò materia accuſationis orietur. Vnde igitur reſponde mihi, fidelem te eſſe potero cognoſcere, cùm omnia illa, quæ diximus, contrariam de te ferant ſententiam, téque apertiſſimè infidelem eſſe conuincant?* Ac tum propter ferinos mores cenſet nec in hominum numero talem conſtituendum: *Et quid dicam*, ait, *vtrum fidelis? nec ſi homo verè ſis, poſſum euidenter agnoſcere. Quando enim vt aſinum calcitras, vt taurus exultas: libidine incenſus ſic hinnis vt equus: quando in equilia vrſorum inuitaris veratum & pinguedine corpus mulorum more diſtendis: cum exercenda ſimultate camelum, lupum imiteris rapina: cùm iraſcaris vt ſerpens, & atrocitate ſcorpionum percutias: cùm ſubdolè inſidieris vt vulpes, cumq; veneno malignitatis armeris vt coluber & vipera: cùm quaſi diabolus ipſe aduerſus fratres crudelia bella ſuſcipias: quonam vnquam modo, qua ratione in hominum te poſſum numero collocare, nullo in te cernens humana ſigna naturæ?* Ac demum rem amplificans comparatione factâ, nec feram nec diabolum dicendum eiuſmodi cenſet, *Quidenim*, inquit, ☞ *appellare debeo? feramne? Sed illa vno aliquo horum vicio tenentur, tu verò ſimul in te omnia colligendo longè ferarum irrationale, ſtultúmque tranſgrederis. An diabolum* ☞ *potiùs appellem? ſed ille nec pecunias concupiſcit, nec tyrannidis ventris obſequitur. Cùm igitur plura in te vitia ſint, quàm in beſtijs atque dæmonibus, reſponde obſecro, vnde te poſſum iure hominem nuncupare? Si verò te hominem appellare nequeo, quo tandem modo fidelem potero vocare?* Denique ſimilitudine aptâ deplorat, quod animæ fœditatem accuratius non ſcrutemur: *Verùm hoc eſt*, ait, *multo deterrimum, quòd tamen cum omnium vitiorum ſqualore turpemur, nec intelligimus noſtræ animæ fœditatem nec eius prorſus deformitatem cognoſcimus. Nam tu quidem apud tonſorẽ reſidens & cæſariem detondens, adhibito etiam ſpeculo, multo cum ſtudio, ſummaq; cura æqualitatem conſideras, & nitorem capilli: nec tamen in imagine tui temetipſe inſpexiſſe contentus, tum ipſum artificem, tùm alios adſtantes ſalsicètò homo iam ſenex non vereris iuuenilis ſtultitiâ inſanus, interrogare, an alicubi incomptum manus properantis operata ſit, an ſatis deceat frontem leniter attonſa cæſaries: Anima verò noſtra, quæ non ſolum deformis eſt, verùm etiam ferarum omninò conformis, & quæ Scylla aliqua, vel Chymera, vt fabula celebrat, effecta eſt, nulla nos cura, nulla ſollicitudo vnquam remordet: cùm certè hic quoque ſpeculum ſit paratum, proculdubio ſpirituale, & longè illo vtilius ſpeculo, longeq; lucidius. Non enim offendit tantummodo ſuam vnicuique fœditatem, ſed eam in maximum quoque ſi voluimus, conuertit decorem. Hoc eſt enim virorum memoria ſanctorum, ac beata illorum conuerſationis hiſtoria, & generaliter diuinarum lectio ſcripturarum, poſitaq; à Deo legis agnitio. Si volueris ſaltem fixè, intenteq; cordis oculo fulgentes illas Sanctorum imagines intueri, totum continuò mentis tuæ deforme conſpicies. Cumq; iſtud agnouerис, nullius profectò rei indigebis alterius, per quam ab huiuſmodi turpitudine liberetis, tam nobis vtile iſtud eſt ſpeculum, tamq; nos facilis tranſformatione conuertit.*

Fidelem non locis ſed moribus indicari.

Quo moribus diſſolutus eſt, nec homo, nec fidelis dici poteſt.

Sanctorum hiſtoria, ſpeculum eſt noſtræ vitæ.

Illud præterire non licet, vnde proueniat, Tobiam ſimilem dici patri, non matri, præſertim in moribus; nam Naturam filios matribus quàm patribus efficere ſolere ſimiliores, tum corpore, tum moribus, docent Ariſtoteles libr. de generat. animal. cap. 4. & in probl. lib. 10. cap. 12. ac Hipocrates de genitura: & magnam vim habere phantaſiam ad imprimendum fœtui eas qualitates, quæ ſunt in ijs rebus, quas attentiùs intuetur, & conſiderat fœmina commixtionis tempore, notãt paſſim Medici, & Plenius lib. 7. cap. 12. imò ipſe Hieronymus in traditionib. Hebraicis in Geneſ. 30. ait: *Nec mirum, hanc in conceptu fœminarum eſſe naturam, vt quales perſpexerint, fixe mente cogitauerint in extremo voluptatis æſtu, in quo concipiunt, talem ſobolem procreent: cùm hoc ipſum etiam*

§.

Vnde Tobias dicatur ſimilis patri, non matri.

Matrum vitia tranſfũdi in prolem, quæri.

etiam in equarum gregibus apud Hispanos fieri dicatur. Eadem tradit Augustin. quæst. 93. in Genes. Exempla videre licet Discurs. 58. in I. Præceptum, num. 6. & Discurs. 69. in idem Præcep. num. 2. Præterea filios in ætate tenera matribus assiduos ab illarum consuetudine, disciplinâ potius informari certum est; quinimò à vitiata matre vitiari semen, & vitiare prolem, quæ ex semine formatur, docent Physici & Medici, adeoque vitia præsertim matrum transfundi in filios ipsa ratio & experientia palam facit. Hac enim de causa passim in libris Regum, Salomonis, Abiæ, Iosaphat, Manassis, aliorumque regum matres studiosè nominantur, quia à matre pendet indoles & educatio prolis vel in bonum, vel in malum; & qualis est mater, talis est proles: præsertim quia proles sequitur affectum & amorem, quem magis in matre, quàm in patre experitur. Causam dat Aristoteles lib. 9. Ethic. cap. 7. *Magis*, inquit, *à matribus amantur proles, quia generatio illarum laboriosa est, & magis sciunt eas esse suas.* Ita Spartani, teste Plutarcho in Apophtheg. Lacon. continentes fuerunt, fortesque in bellis & laboribus, quia matres habebant Viragines, quæ ex institutione Lycurgi, continentiæ, laboribus & dutitiei tam se, quàm proles assuefaciebant. Vnde Gorgon Leonidæ vxor cuidam sibi exprobrâti: *Vos Spartanæ solæ viris vestris imperatis*, respondit: *Quia solæ viros parimus.* Hinc filius meretricis vocatur is, qui habet mores meretricios. Ita Saul Ionatham filium suum pro Dauide intercedentem, vocat filium *mulieris virò virum rapientis*, 1. Reg. 20. id est filium meretricis, quasi dicat. Meretricius es, quia mater tua fuit meretrix. Aut quasi dicat, non videris filius meus, sed filius adulteræ, quia Dauidem hostem meum magis amas, quàm me; quasi mater tua non ex me, sed ex Dauide te genuerit, ideoque Dauidis amorem tibi ingeneraric. Ita Agrippina Neronis mater in libidines fuit effusa, adeò vt & Neronem ad sui incestum prouocaret, ideoque æquale libidinis & crudelitatis monstrum, Neronem, orbi dedit? Simili modo infantes dum sugunt, nutricum indolem, affectus, & vitia vnà cum lacte sugere & imbibere probati, Disc. 4. in I V. Præc. n. 6. per varia exempla.

Qualis mater, talis proles.

Filius meretricis dicitur, qui habet mores meretricios.

6.

Ratio, cur Tobias dicatur similis patri.

Vnde ergo Scriptura Tobiam patri similem prædicat? Solutio in promptu est, quòd non solum vultu, sed etiam moribus patrem repræsentarit, qui fortè ob vitiosam matris cõsuetudinem, vices eius suppleuit, omnemque diligentiam adhibuit, vt in lege Domini eum sedulò instrueret, vt patet tum ex cap. 1. vbi ab infantia docuit illum timere Deum, & cauere ab omni peccato & capit. 4. vbi tot singularia monita filio præscripsit, vt plura vix possit. Ex quo contigit, vt si quid vitiosum habuerit à matre, id totum superarit patris disciplina. Vnde videmus magni interesse, quibus quis à teneris annis assuescat. Lycurgus, teste Plutarcho, duos catulos eiusdem matris assuefecit, vnum venationi, alterum gulositati: grandiores factos coram populo produxit; emissoque lepore, hic de more consedit, ille leporem insecutus cepit. Tum Lycurgus: Videtis, inquit, ciues, quàm dissimiles faciat dissimilis educatio & assuefactio? atque non natura, sed exercitatione nos ad virtutem formari.

Magni interest, quibus infans assuescat.

Inquiet forsan aliquis, Impossibile esse, vt in moribus per omnia similis esset iunior Tobias seniori, quandoquidem longè aliter in omni virtutum genere eminebat hic. Admitto. Sed audi mi homo, similes dici leonibus aquilas, quia in suo quique genere principatum tenet, sed instituto ac modo longè dissimili. Æquè viles reipublicæ sunt dux, qui manu, & sapiens, qui consilio iuuat. Æquè nobiles dicuntur Poëtæ, v. g. licet alij epicis, alij lyricis dederint nobilem illam operam. Æqualem gloriam assecuti dicuntur pictores aliqui, in dissimili tamen argumento, alij in homine, & bellua, alij in silua, ac prato depingendis; in quibus licet sit æqualitas in arte, & gloria; est tamen in materiâ gloriæ magna dissimilitudo. Sic Tobias iunior similis dici potest seniori, quod eius mores pro viribus & præsenti occasione imitetur. Sic proportionaliter dicimus viros aliquos in sanctitate æquales, cùm tamen alij vitam egerint solitariâ, alij in cœtu hominum vixerint, vbi necesse est, fuerit vitæ ratio longè dissimilis. Ergo respectu ad cuiusque statum sumpto dicuntur similes.

7.

An Tobias iunior planè similis in virtute seniori.

In magna æqualitate sanctitatis, atque artis, ac scientiæ, maxima esse potest dissimilitudo.

Cæterùm libenter fatemur per se loquendo, omnibusque exactè perpensis longè alium fuisse seniorem Tobiam, quàm iuniorem; & ea ratione de illo dici posse, quod 4. Reg. 18. de Ezechia Rege prodit Scriptura. Inierat Iudæ regnum Ezechias, cùm regni sui Osee annum ageret tertium in Israel. Neque quicquam illi antiquius fuit, quàm vt religioni ac pietati seruiret, quam pater euerterat. atque ideò impura euertit idolorum sacraria, lucos excidit, excelsa, & ipsum quoque serpentem æneum suo quòdam populo salutarem confregit, quem quasi in eo aliquid lateret diuinum nonnulli religioso cultu venerabantur. Post hæc subdit Scriptura: *In Domino Deo Israel speranit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt.* In prioribus verbis multa continentur, quæ religiosum ostendunt & commendant Ezechiæ pectus. Qui enim in aliquo sperat, eidem seruit diligenter, illum amat, & colit, illum consulit, neque ab eo diuertit animum, aut oculos, qui sperat in diuitijs, ad illas inhiat, illis indormit, & inuigilat, & vt illas sibi congerat,

8.

Tobias senior dissimilis iuniori, & comparatur cum Ezechia.

Humana subsidia spem in Domino collocandam infirmans.

gerat, nihil non tentat, nihil non subit; de quo est illud Horatij Satyra 1.

Spei vera indicia.

—— *Cùm teneque feruidus æstu.*
Demoueat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum.

Idem fecit Ezechias, dum à Domino sperat omnia, ad quem animum attentum habet, & ad eius voluntatem rationes suas, & consilia confert; neque tam suæ seruit commoditati, ac studijs, quàm illis, quæ Deo in votis esse videt. In posterioribus graue continetur de Ezechiæ sanctitate testimonium. Non enim conferitur solùm, sed etiam præfertur his regibus quorum sanctitas omnium præconio commendatur. Quærit eo loci Abulensis non importunè quæst. 17. an Ezechias sanctior fuerit Dauide, & Iosia, qui Eccles. 49. vers. 5. coniunguntur, dicunturque ex omnibus Regibus tres illi non peccasse. *Præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt.* Nam de Regibus alijs nemo dubitat. Et primùm docet ex genere loquendi non significari excellentiam omnimodam; nam infra cap. 23. eadem de Iosia dicuntur, quæ nunc audimus de Ezechia. Sic enim ibi vers. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* Ibi illo dicendi modo aliquid hyperbolycum intercedere resoluit Abulensis, quod in Scriptura sacra insolitum non est, quod & in profana literatura non est infrequens, à cuius sermone Scriptura sacra recedere non solet. Quid in vulgari sermone vsitatum magis, quam comparatione explicare id quod glorioſum, & magnum significare volumus? Sic dicimus, *Quis illo sapientior? quis doctior? nemo illo melius de patria meritus, nemo dignior regno.* Quo nil significamus aliud, quàm illum esse valdè sapientem, doctum, benè de patria meritum, & regno omnino dignum. Hoc exploratum habeo Dauidis non minus, quàm Ezechiæ nobilitatam, sanctitatem; nihilominus Dauidem non fuisse Ezechiæ similem, neque Ezechiam Dauidi: quia dissimiles inciderunt occasiones, & tempora, in quibus illorum patientia, aut fortitudo exerceri potuit. Hoc modo de confessoribus & Pontificibus canit Ecclesia. *Non est inuentus similis illi, qui custodiret legem excelsi.* Quia illi aliquid habuerunt peculiare, quod non inueniretur in alijs: neque enim fieri potest, vt omnes alijs omnibus superioribus sint. Hac ratione Tobias iunior non potuit similis esse Tobiæ seniori, quia tales necdum erat occasiones nactus, in quibus patientiam aut fortitudinem exercere potuisset.

Exechias an Regibus omnibus sanctior.

Hic dicendi modus, nullus huic similis, & alia huiusmodi.

SECTIO IIII.

Ad quid vtile sit, alios interrogare de loco natiuitatis aut habitationis, quemadmodum hic facit Raguel per verba, Vnde estis iuuenes fratres nostri?

VTILE est alicui de loco habitationis aut natiuitatis alicuius inquirere esse inutile, quandoquidem Angelus Tobiæ seniori cap. 5. scisciranti de qua domo, aut de qua tribu esset, (qui sese tanquam mercenarium in forma humana sistebat filio fouendum comitem) responderit: *Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, quem filio tuo das?* quasi dicat, de genere admodum non esse curandum, modò constet illius operam mercede pactam fore non indignam. 1.

Sed eo non obstante sacra pagina manifestat ad multa vtilem esse eiusmodi interrogationem. Idque primò ad aliquem redigendum in ordinem, & ad notitiam sui, & dictorum, contra somnia à Deo immissa. Sic Gen. 42. Ioseph existens princeps Ægypti fratres tempore famis ad eum accedentes pro alimentis durius tractauit, *interrogans eos, vnde venissent?* & postquam responderent se de terra Chanaan venire, vt emerent victui necessaria, *recordatus somniorum quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ venistis*: vt ipsi hac ratione suam impietatem, & somniorum Iosephi veritatem post multa vltrò citroque dicenda agnoscerent. 2.

Interrogatio de loco habitationis, 1. vtile est ad notitiam alicuius rei percundam.

Secundò vtile est, ad despiciendum cum quibus conueniat pacisci: Necesse est enim nouisse personas, quibuscum pacta ineunda, ne vel decipiamur, vel Deum offendamus. Sic deceptus fuit Iosue paciscendo cũ Gabaonitis, qui dolosè simulauerant se à longè venisse, ne agnoscerentur esse de septem gentibus Chananæorum, quos audiuerant iussu Dei interficiendos. Idque quia in re tanti momenti in isto bellorum principio, in illo religionis illius aditu, Dominum non consuluerant principes: quod indicat Scriptura Iosue 49. v. 14. *Os Domini non interrogauerunt, fecitq; Iosue cum eis pacem.* Consueuerant namque in difficilioribus negotijs exquirere per sacerdotem summum, aut per Prophetam oracula, quæ Deus per Angelum reddebat, qui loquebatur in propitiatorio inter alas duorum Cherubim. Vnde Num. 27. *Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum.* Moyses etiam in leuioribus causis Deum consulebat, si expediret negotiũ nesciebat. Vt patet de duabus quæstionibus filiarum Salphaad, scilicet, vna super patema suc- 3.

3. ad pacta aliquod iuuandum.

Necesse olim Deum in re magni momenti consuli fuit.

successione, de qua Num. 27. & alia super matrimonio contrahendo, de qua Numer. 36. An non hæc leuia, si comparentur cum fœdere ineundo cum populis Israeli incognitis? Peccarunt igitur, quod Deum non consuluerint Israelitæ. Oportebat enim Domini consulere oraculum, vt constaret omnibus etiam plebæis, Chananæis ab idololatria desciscentibus parci posse, neque murmuris vlla daretur occasio, quæ inde exurgere nata, quòd, illis seruatis, promissam sibi hæreditatẽ ac opes minui existimarent. Debuerant rursum non tam temerè ijs credere, sed quærere diligentius quænam eorum gens esset, vbi sita, quarum virium, cuius cultus nec desistere, quoad de omnibus sufficienter cardinem rei inuestigassent, neque tam celeriter ad conclusionem tanti negotij procedere, vt postmodum suam culpam cogerentur agnoscere: einsque vitâ concessâ in cædendis lignis, & aqua comportanda ad vsum Sanctuarij seruitutem imponere.

4. 1. *Necessarium est, ex plagis experiris in familia scrutari.*

Tertiò vtile est, imò necessarium, cùm plagas experiris in familia scrutari, vnde sunt nouelli, quos in eam admisisti. Hoc docuerunt nos Gentiles tempore Ionæ, quem receperant in nauim, cùm viderent miraculosè exortam in mari tempestatem: nam iuxta Hebræos Theophyl. & Theodor. miserunt sortem, vt scirent quare hoc malum ipsis contingeret: quia eo tempore, quo nauis illa periclitabatur, eo loco, aliæ naues, tranquillo mari, placidè nauigabant, & totum æstuantis pelagi pondus in vnius nauis exitium incumbebat. Adeoque diuinam esse credebant offensionem, non naturæ vim, quæ non solet sic suos dispensare ac moderari impetus, vt illic sæuiat, hîc faueat, cùm idem sit spatium, eadẽ, siue ad patiendum, siue ad resistendum, dispositio. Sic sanè Deus significauit Gedeoni à se esse datum negotium contra Madianitas, & ab eius conatu non abfuturam esse victoriã: quia cùm circumiectus locus siccus esset à rore, vellus tamen in area solùm commaduisset. Et Amos cap. 4. v. 7. hoc ipsum probauit, quia vna pars, alijs à cælesti pluuia sitientibus, tantum esset compluta. Qua de re aliquam esse putant hoc ipso in loco coniecturã, nam v. 13. dicitur, *Mare ibat, & intumescebat super eos*, quasi non super alios. Hæc cogitatio forsassis vera. Aliam adducit Hieronymus: *Nouerant*, inquit, *nauta naturam maris, & certo tempore nauigantes sciebant tempestatum ventorumq; rationes, & vtique si solitos, & quos aliquando experti essent fluctus, vidissent consurgere, nunquam forte alterius naufragij quæsissent.* Vnde comperto per sortem, Ionam causam esse eiusmodi tempestatis, ab ipso familiariter exquirunt: *Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis:* Cur ventò & procellis hisce iactemur, & tantum non obruamur? *Quod est opus tuum?* exercesne vsuras, rapinas, magiam, aut similem artem illicitam, quâ tibi Numen infestum reddideris? ésne sacrilegus, atheus, magus, prædo, fœnerator? &c. *Quæ terra tua? vnde venis?* Venísne ex scelerata aliqua regione, cui dij marini, ventíque aut cælum ipsum, aut sidera pertinaciter infesta sunt, atque ita tu diuino erga regionem tuam odio laboras? An populi tui fato vexaris, cui cælum aduersam nauigationem & difficillimas tempestates semper parat? An verò tu patriam tuam dijs charam improbè deseruisti, vel nefariè violasti, aut prodidisti, cuius sceleris pœnas à te superi exigunt? *Ex quo populo tu es?* vt eius populi crimine, aut fortuna, aut odio tu primũ, & nos deinde tui causa affligamur? Ecquid egisti impiè, quod Deus naufragio punire voluerit? & postquam respondisset: *Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam: timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis?* partim pertimescebant Dei potentiam, & verebantur ne & ipsi, quasi receptatores sonę cum eo pariter à Deo comprehenderentur, punirentur, & mergerentur. Et meritò: Sic enim dum Prætor furem & latronem insequitur, domumque quam fur ingressus est, inuadit hospes, & omnes qui in domo sunt, metu percelluntur, ne simul cum fure à Prætore quasi socij & complices capiantur & plectantur. Multò enim magis idipsum timendum est apud Deum, qui subinde etiam in populo innoxio peccata aliquorum occulta punit & vlciscitur; vti furtum occultum Achan puniuit in toto populo Hebræorum inscio & innoxio, permittens eum cædi à Chananæis, *quia anathema in medio tui est Israel* (sic & in nonnauis & nautæ, puta Ionas) Iosue cap. 7. v. 13.

Miraculosa fuit Iona tempestas.

Portò ex patria non exiguum duci ad mores iudicandos argumentũ latè dedimi Sect. 5. cap. 1. huius historiæ. Vnde Nautæ illi de moribus Ionæ interrogantes, specialiter inquirunt de ipsius patria. *Iubent*, inquit Theodoretus, *hoc dicere, vt ex communibus gentis studijs & institutis, hominis vitam agnoscerent.* Angelus qui Agar fugientem inuenit, eam sic interrogat: *Agar Ancilla Sarai, vnde venis, & quo vadis?* Genes. 16. Cui illa: *A facie*, inquit, *Sarai Dominæ meæ ego fugio.* Vbi Agar non respondit ad omnia. Dixit quidem, vnde veniret, non quò iret. Cuius rei causam si inquiras; audi Lippom. *Erubuit*, inquit, *confiteri à domo sanctis viri, probataq; Domina ad Ægyptias rursus redire idolatras.* Sicut enim glorioſius nihil est, quàm à misero statu peccati ad felicem statum virtutis commigrare: ita nihil magis inglorium, magisque erubescendum, quàm à societate iustorum discedere, & impiorum consortijs

5. *Ex patria mores iudicescunt.*

immiſceri. Addo ad rem præſentem, propterea Agar terminum, quo tendebat, non expreſſiſſe, quia erubuit confiteri, ſe in patriam ſuam Ægyptum redire, verita, ne ſi Ægyptum patriam ſuam proderet, ſceleratiſſimam ſe eſſe indicaret, adeò manifeſtum iudicium ſuorum morum, patriam ſuam eſſe iudicauit.

Mala patria malorum morum iudicium.

Iſaias vates grauiſſimo orationis genere ſtuporem & ingratitudinem Iudæorum, eorumque peccata redarguerat. Dixerat, *Va genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis*, quos nullæ plagæ à peſſima vita reuocare valuerant. Gentis excidiũ minatus fuerat: *Terra veſtra deſerta: ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni deuorant: & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur.* q. d. En recens vulnus, & plaga ex vetuſtate tumens; terra veſtra deſerta eſt, habitatoribus, atque cultoribus ab hoſte ſublatis: ciuitates veſtræ incendio deletæ, poſſeſſiones veſtræ & fructus, quos veſter vobis labor parere debuit, externis ſunt prædę, quę, vobis ſpectantibus auidè, atque ſecutè deuorarit. Neque id ſatis eſt; vt enim vos obſtinati perfidia pergitis ſceleratè viuere, ſic Chaldææ poſthac, & Romanæ acies graſſabuntur, quæ regionem veſtram hoſtilem in modum fanditus exſcindant. Relinquetur autem Sion, quæ in loco excelſo ſita, tanquam ſpecula, munimentum erat, atque cuſtodia ciuitatis: ſicut vmbraculum, quod cuſtos excitat in vinea, quod peracta vindemia diſſoluit, & diſſipat: aut ſicut tugurium, quod poſtquam collecti fuerint è cucumerario fructus; ita diſturbatur, atque deſtruitur, vt nullum ſui deincepś relinquat aut vſum, aut veſtigium, & ſicut ciuitas, quam hoſtis populatur, & vaſtat. Affirmauerat inſuper tantam fore ſtragem Ieroſolymæ, quam potens Deus inſtructus copijs maximis, prompriſſimis, & inuictiſſimis exercituum cæleſtium, & terreſtrium, puta angelorum, ſtellarum, fulminum, grandinum, toniſtruorum, vrſorum, leonum, veſparum, omniumque creaturarum, quibus nemo reſiſtere poteſt? vt niſi idem Deus ex communi illa & vniuerſali vaſtitate paucos aliquos conſeruaſſet; non diſſimilis eorum foret interitus, ac ille, quem Sodomæi è cælo percuſſi, ſubiere. Tanta enim fuit impietas Hieroſolymæ æquè ac Sodomæ, vt Ioſephus lib. 6. Bell. cap. 16. dicat: *Puto, ſi Romani contrà noxios venire tardaſſent, aut hiatu terra deuorandam fuiſſe ciuitatem, aut diluuio periturarn, aut fulminũ ac Sodomæ incendia paſſuram: multo enim magis impiam progeniem tulit, quam illa protulerat.* Poſt hæc omnia, quaſi vno verbo complecti volens eorumdem nequitiam, inquit: *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei veſtri populus Gomorrha.* Patriam illis affingit Sodomam & Gomorrham, cùm inde orti non eſſent, ſed quod proprios patriæ illius mores imitarentur, quaſi dicat: Audite nõ iam Ieruſalem, ſed Sodomæ principes, ac præfecti. Audi tu, ô populę, in quo non Solymitani, id eſt, honeſti mores, ſed profunda Gomorrhæorum luxuries dominatur, & viget.

Solymitani, Chananæi & Gomorrhæi appellati ob impietatem.

Eandem planè ob cauſam dicitur de Hebræorum populo, *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan*, Ezech. 16. Nam Regio Chanaan non ſolum impia erat, ſed ignobilis: quippe quæ à nepote illo Patriarchæ Noe, maledicto, & ſeruituti deſtinato culta & habitata fuerit; vt igitur Propheta Iudæos impios, & ignobiles appellaret, patriam illis tribuit Chanaan, impiam pariter, & ignobilem: certus, tales fore alumnos, qualem alticem patriam habuiſſent. Vnde Theod. ibi: *Quemadmodum*, inquit, *diuinus hic vir* (ſcilicet Ioannes Baptiſta) *eos, qui ferini erant, & in improbitate degebant, venenatis feris comparauit, genimina viperarum*, &c. Luc. 3. v. 13. *Ita & hoc loco Dominus per Prophetam Chananæam vocat eorum ſtirpem: quarum enim æmulati fuerant impietatem, earum meritò cognationem contraxere.* Eodem modo dicuntur Iudæi ab Idumæa oriundi: *Vt poſſideant*, inquit Amos cap. 9. v. 12. *reliquias Idumææ*, hoc eſt, Iudæos: quia ſic fidem deſeruerant, vt non in Iudæa nati: ſed in Idumæa viderentur.

Chananæi impia & ignobilis patria impiorũ & ignobiliũ altrix.

Iudæi infideles cur ex Idumæa oriundi dicantur.

Quartò, militum præfecto, vigili, aut excubias agenti, id ſub pœna capitis incumbit, vt aduentantes tempore obſidionis ſedulò inueſtiget. Sic Ioſue, cùm eſſet in agro vrbis Iericho & vidiſſet virum ſtantem, contra ſe euaginatum tenentem gladium, perrexit ad eum, & ait: *Noſter es, an aduerſariorum?* Quòd magni interritique animi erat ſignum, ex tam inopinato viſu nihil moueri, ſed ſuas partes intrepidè explere: neque enim ſciebat, quòd illâ viſione vellet conſolari illum Deus, & ad res magnas erigere: vtque intelligeret non humano præſidio, ſed Dei ope & armis maximè ſuperandam vrbem Iericho. Quòd ignorauit, donec Archangelus Michaël, qui illi ſub hoc ſchemate apparebat, reſpondit: *Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio*, id eſt, non ſum aduerſariorum, ſed populi Iudaici princeps. Noſtra autem manu negotium conficietur, non manu militum tuorum: ad hanc rem curandam, nunc primùm venio corporali ſpecie viſibilis. Itaque nihil tu de Iericho, tanquam tuis viribus expugnanda cogitare debes: Ego ſum qui Domini exercitum, in hanc duco expeditionem. Sic quoque vigiles tempore Holofernis, cùm viderent deſcendere montem Iuditham *circa ortum diei, accur-*

6.

4. Neceſſaria eſt militum præſidia, & vigili.

occurrerunt ei exploratores Assyriorum, & tenuerunt eum dicentes: Vnde venis? aut quo vadis? Et cùm audijssent illam saluandæ gentis suæ causa ad castra venisse, duxerunt illam ad tabernaculum Holofernis.

7. *Demum necessarium est, quando nouum dogma in religione exurgit.*

Demum id necessarium, quando quis exurgit aliquid noui, religionem cõcernens, in medium adducens, aut nouum dogma proferens. Sic Pharisæi Ioan. 1. vafri homines & astuti, ac traditionum pleni, cùm intelligerent Ioannem baptizare trans Iordanem interrogauerunt eum primùm num esset Christus, deinde num Elias, postremò num Propheta? & cùm hæc omnia negaret, petierunt: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* In Scripturis enim veteris testamenti nulli Prophetæ, nec vlli vnquam hominum fuit concessum alios baptizare baptismo pœnitentiæ; nec vlla cærimoniarũ veteris legis, erat talis baptismus, qualis Ioannis. Prædictum enim erat per Prophetas temporibus Christi fore aquæ baptismum in remissionem omnium peccatorum, Ezech. 36. & Isa. 4. Volebant itaque scire ex quâ auctoritate baptizaret, quandoquidem crederent baptismum prædictum aut per Christum, aut per vnum eorum quos cum Christo venturos sperabant, ministrandum; & quòd nulla nouitas in religione esset admittenda, absque diuina auctoritate.

Non omni spiritui est credendum.

Præclarè etiam admonet Origenes hom. 6. in Ios. per interrogationem ipsius, *Noster es, an aduersariorum?* documentum nobis dari, ne omni statim spiritui credamus, sed prudenter, solicitéque inquiramus, & examinemus, an ex Deo sit, 1. Ioan. 4. vers. 1. Nouimus enim Apostolo Iudice, Satanam sese in Angelum lucis transformasse, 2. Corinth. 11. Venit ad te Lutherus & Caluinus aliquis. Interroga, num Ecclesiæ Catholicæ sit, an aduersariorum? Venit cogitatio, & motus nescio quis, ad quidpiam agendum. Eandem & hîc quæstionem pone. Venit in manus tuas liber quispiam? simili eum modo excute, ac vide, nostérne sit, an aduersariorum? Prisci patres eundem modum seruarunt, quando hæretici in medium prodibant cum nouis dogmatibus. Tertullianus lib. de præscript. cap. 37. nolebat hæreticos, qui Catholicam fidem impugnabant, ad disputationem de Scripturis admitti: *Si hæc, inquit, ita se habent, vt veritas nobis adiudicetur, quicumq; in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad inundam de Scripturis prouocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo quod de sua electione sectati hæretici eorum nomine admittunt. Ita non Christiani nullum in capiunt Christianarum litterarum.* Et immediatè post subiungit, quæ nostro proposito congruunt: *Ad quos meritò dicendum est, qui estis? quando, & vnde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure syluam meam cedit? quâ licentiâ Valentine fontes meos transuertit? quâ potestate Apelles limites meos commouet? Mea est possessio. quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? mea est possessio, alim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exheredauerunt, semper & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos. Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisq; de suo arbitrio, aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit?*

Infignis hæc de re sententia.

Raguel verò nostet interrogauit Tobiam quem dignouerat patri similem, eiusque comitem: *Vnde estis iuuenes fratres mei?* vt intellecto, quòd præsumebat, amicabilius per osculum amplecteretur & gratularetur, cum bonorum omnium apprecatione.

SECTIO V.

Quando vtile sit alium laudare?

1. RAGVEL postquam intellexisset Tobiam, eiusque comitem esse de tribu Nephtalim, ex captiuitate Niniue, ac Tobiam seniorem eisdem notum, multa bona locutus fuit de eo, verosimiliter, quod ab infantia Deum coluerit, constantiam in prosperis & aduersis seruauerit quoad religionem, quod assiduus fuerit in eleemosynis & opitulatione pauperum contribulium, hisque similia. Hinc dignum scitu, an vtile aliquando laudare aliquem in absentia, aliquando in præsentia; præsertim cùm dicat Siracides Eccles. 11. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*: D. Bernardus Epist. 23. ad Ottonem Trecensem Episcopum scribẽs sic exorditur: *Laudarem vos, & iure laudarem, si non reuocaret me illa sententia: Neminem laudaueris in vita sua*, Eccl. 11. Ethnici nolebant hominem in vita laudari propter inconstantiam terrenæ felicitatis. Solon interrogatus à Cræso an quem vidisset beatiorem ipso, Tellum nominauit Athenienscm, priuatum hominem, sed qui relictis liberis ac nepotibus benè institutis feliciter obiisset diem. Interrogatus deinde cui post illum tribueret elogium fœlicitatis, Cleobin & Biton Argiuos fratres nominauit, qui cũ summa pietatis laude defuncti fuerant. Indignatus Rex, nullo igitur, inquit, loco me ponis? Tum ille: Ego facilè confiteor te regem, opi-

Neminem posse dici beatum ad mortem, nec laudari.

Inconstantia terrena felicitatis in Cræso ostenditur.

bus & imperio florentem; beatum autem non appellarim, priusquam hanc vitam feliciter absolueris. Itaque cùm à Cyro Rege captus, iussus esset ingenti pyræ imponi, vt viuus cremaretur, ter altâ voce dicitur Solonem inuocasse. Tum Cyri iussu interrogatus quid ea vox ter repetita sibi vellet, exposuit quæ ille olim de fortunæ variatione, veraque felicitate à Solone viro sapientissimo audiuisset. Per quæ humanę imbecillitatis Cyrus admonitus iussit Crœsum ab igne seruari, fuitq; deinceps ipse apud Cyrũ in summo honore.

Priamus in iuuentute felix, in extremis miser.

Hinc Agesilaus, vt Plutarchus in eius vita, cùm quemdam admirantem audiret Regis Persarum, felicitatem, adhuc iuuenis magnum imperium regẽtis. *Nec Priamus quidem*, inquit, *cùm huius esset ætatis, erat infelix*; iudicans neminem esse beatum appellandum ante obitum. Priami exemplum ad idem etiam significandum attulit Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 10. Eodem recidit quod Epaminondas respondit, vt Plutarchus in apoph. Græcis. Interrogatus enim quis inter omnes Duces omnium esset fortissimus, ipse ne, an Ghabrias, an Iphicrates: respondit hoc indicari satis arduum est, dum viuimus.

3. *Sapiẽs vitæ terum non semper felix exitus sequitur.*

Cassianus collat 6. cap. 16. ad rem spiritualem deducens sententiam Ecclesiastici, docet propter incertitudinem constantiæ in virtute, incertamque victoriam, hominem non esse laudandum in vita: *Quidquid enim per diligentiam*, inquit, *vel acquiritur, vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire, ideoq; dicitur: Ne beatifices hominem ante exitum suum; quod videlicet adhuc in colluctatione quis, & vt ita dixerim, scammate constitutus; quamuis vincere soleat, ac frequentes palmas victoria consequatur, non potest tamen à metu, ac suspicione incerti prouentus esse securus.* Hæc Cassianus, quibus alludit Basilius in Psal. 37. Bernard. serm. 5. in festo omnium Sanctorum: *Quomodo*, inquit, *secura laudatio, vbi nec ipsa vita secura? Illorum lauda virtutem, quorum iam certa victoria est. Illos deuotis extolle præconijs, quorum securè potes adaugere coronas.* Verissimè Ambrosius libr. de instit. Virg. cap. 5. *Laudatio*, inquit, *hominis, non in exordio, sed in fine est. Nemo enim nisi legitimè certauerit, coronabitur: ideoq; sapiens tibi dicit: Ante mortem non laudes hominem quemquam.* hæc ille. Vrget autem pro eadem re in Psal. 1. quod Dauid beatum dicat, qui non abijt, non stetit, non sedit in prætorio: cùm dicere potuerit qui non abit; non stat, non sedet: *Vide*, inquiens, *dogma: non enim statim beatus, qui non est impius, aut peccator propter incerta exitus: non enim otiosè scriptum est: Ante mortem ne laudaueris quemquam. Ergo dum in hac vita quisquam est, non potest desinere à prædicatione laudari, qui putare adhuc possit errori. Ille autem qui vitam sine offensione concluserit, iure beatæ appellationis censetur.* Hæc ibi.

Nullus laudandus in exordio, sed in fine.

Sed tom. 1. lib. de bono mortis, cap. 9. & hanc bellandi similitudinem, & aliam etiam nauigandi ad idem significandum affert. Cùm enim hunc Ecclesiastici locum citasset; *Si laudari*, inquit, *ante gubernator non potest, quàm in portum nauem deduxerit: quomodo laudabis hominem priusquam in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, & ipse vitæ huius iactatur profundo. Quamdiu in salo est, tamdiu inter naufragia. Dux ipse nisi confecto prælio non sumit lauream, nec miles arma deponit, nec stipendij mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est.* *Gubernator non nisi in portu, Dux partâ victoriâ laudãdi.*

Syracides aliam rationem adfert: *quoniam*, inquit, *in filijs suis agnoscitur vir.* Addit is causam cũr ante mortem nemo tanquam beatus prædicandus sit: *quoniam*, inquit, *in filijs suis*, quos scilicet, post se relinquit, *agnoscitur vir*, qualis scilicet fuerit vita eius, significans eius probitatem vt in plurimum colligi posse ex filijs, si eos benè à se institutos, & Deum timentes relinquat. Nam iuxta adagium, *Patrem sequitur sua proles.* Vnde Sapien. 3. dicitur: *Ex iniquis omnes qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua.* Et in Prouerb. dicitur, *Gloria patris, filius sapiens.* Cùm Cambyses se cum patre conferret Cyro, amicis Cambysem patre præstantiorem affirmantibus: respondit Philosophus quidam, illum nondum patri adæquandum, qui nondum reliquisset filium. sic Paul. Manut. lib. 6. apoph. quasi diceret: *quoniam in filijs suis agnoscitur vir.* 4. *Qualis fuerit vita patris filiorum institutio docet.* *Cur Cambysis patre Cyro inferior iudicatus.*

Mirum quid opportunè occurrit. Omnes creaturæ, vt ex diuino opificio nouæ recentesque prodibant, statim à Deo laudabantur, vt patet ex Genes. 1. à vers. 4. vbi de singulis dicitur: *Vidit Deus, quòd esset bona.* Solus homo ex sui artificis manibus abijt illaudatus. Cur ita? Solúsne homo imperfectus euasit? In solóne homine sui artificis industria elanguit, quæ in cæteris rebus propter eum creandis desudauit? Absit. Imo D. Chrysostomus homil. 11. ad populum, hominem appellat non tam fictilem, quàm *auream statuam, splendidè fulgentem.* Et totius hominis non tam fabricam, quàm harmoniam longâ oratione admiratur. Cur igitur homo tam multis nominibus laudabilis, solus ex omnibus creaturis à Deo prætermittitur illaudatus? Mitto alias rationes, quas D. Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 3. eleganter prosequitur. Illa mihi videtur ad rem præsentem, quòd cæteræ creaturæ, cùm essent sanctitatis expertes non possent ex diuina laudatione superbire: at verò homo singulari imbutus sanctimoniâ, si insuper à Deo laudaretur, exponeretur periculo incredibili intumescendi. Hieremias vates clamat cap. 9. *Ne glorietur sapiens in sapien-* 5. *Laudantur à Deo cætera creaturæ, nẽ homo, ne superbiat.*

tia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Vana enim gloria, vt optimè Chryſoſtomus homil. 12. in 2. ad Corinth. *ſeua eſt bellua, horrendus dæmon, peſtis orbis terræ, venenata vipera: quomodo enim illa beſtia viterum matris diſcerpit: ita etiam hoc vitium parentem dilacerat.* Habeas ſumma omnia, eruditionem, eloquentiam, ingenium, prudentiam, munificentiam, formam imperio dignam, ſi res tantas inani gloria, tanquam ſale condias, arbitreris ſtillicidia mellis de canali venenato fluere, vt omnis vepretas, opinio, amor priorum pereat, vnâ gloriæ cupiditate, tanquam toxico, in mortem temperato.

Quàm noxia ſit vana gloria.

6. *Imprudenter laudatur quis abſolutè in vita.*

Hæc ſi quis animo voluerit, facilè credet laudare hominem in vita non carere imprudentiæ notâ. At rectè aſſecutus eſt ſenſum Syracidis Ambroſius, cùm ex eius verbis cõcludit: *Ergo dum in hac vita quiſquam eſt, non poteſt definitâ prædicatione laudari, qui patere adhuc poſſit errori.* Nemo enim abſolutè beatus in hac vita. Verùm de bono opere aliquo ex cauſis, vtiliter, quem prædicari Scriptura proteſtatur, cùm nunc præſentes, nunc abſentes laudet. Certè Raguel non laudaſſet hoc loco abſentem Tobiam, niſi aliquem ex eo fructum eliciendum credidiſſet. Ipſa veritas oſtendit id fieri poſſe vtiliter in abſentia, cùm ad omnium hominum inſtructionem laudes Iob æternitati tradidit, dicens: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, ac timens Deum, & recedens à malo.* Vir, inquit, erat in regione praua, animo ſincero & ſimplici, ſumma in alios æquitate, & fide, & religioſa in Deum obſeruantiâ, qui longè aberat, vt quidquam quod offenſioni Deo, & hominibus, eſſe poſſet, ad animum admitteret. Et cap. 40. expertus omnem in graui, & diuturna eius tribulatione patientiam, illiuſque argumenta pro Dei prouidentia, dixit ad amicos, oneroſos eius conſolatores: *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.* Vnde ablegat illos ad Iobum, vt oraret pro ipſis, ne ſuæ ſtultitiæ pœnas expenderent, promittitque ſe exauditurum Iobum, & eius precibus conceſſurum, ne id ipſi ferant, quòd ſuorum ſcelerum grauitas poſtulabat.

Vtiliter aliquis laudatur abſens, cùm ſeruit inſtructioni alterius.

Item Lucæ 7. laudauit Dominus Centurionis fidem, quâ credebat Chriſtum abſentem ſanare poſſe ſeruum ſuum, non requirens quod ille regulus, qui rogabat Chriſtum vt deſcenderet priuſquam moreretur filius eius; neque vt Martha Luc. 11. *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*: adeò vt conuerſus ad turbas ipſum ſequentes dixerit: *Amen dico vobis, nec in Iſraël tantam fidem inueni.* Quæ verba & Centurionis inſigne encomium, & Iudæorum acrem reprehenſionem ac exprobrationem continebant; turbas autem ad eandem fidem exhortabantur. Similiter laudauit Dominus Ioannem apud populum: plurimum enim referebat turbas optimam de Ioanne Baptiſta habere opinionem; cùm enim de Chriſto teſtimonium illis perhibuerit, fides Chriſti non parum periclitabatur, ſi bonum nomen Ioannis aliqua ex parte obſcuratum eſſet. Quod quidem facilè euenire ob duo poterat. Vnum eſt, quia illum in vincula ab Herode coniectum fuiſſe, omnibus manifeſtum erat, quò à alicuius criminis ſuſpicionem potuit inducere. Alterum eſt, quia turbis præſentibus nomine Ioannis interrogatus eſt Chriſtus, an eſſet is, qui venturus erat, ex quo Ioannes à teſtimonio pethibito de Chriſto inuitatus eſſe quodammodo videbatur, idcircò Chriſtus apud turbas Ioannem prædicat, multiſque encomijs commendat, ab omniqueſiniſtra contra eum opinione tuetur. Vt igitur firmum permaneret teſtimonium Ioãnis, quod de Chriſto perhibuerat, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* hominem ſcilicet inconſtantem & inſtabilem, qui varijs affectibus ductus, aut laudibus, aut metu hominum impulſus modò vnum, modò alterum dicit, ſimilis arundini leui, quæ cõtrarijs ventorum motibus agitata huc illucque fertur. Ioannes eiuſmodi non eſt, ſed ſancti Spiritus gratia plenus, ac ſolidus in eodem perſtat conſilio; nec ab eo quod docuit ſemel, receſſit. Huius ſoliditatis teſtimonium vos perhibuiſtis, quando ad eum magno concurſu, & applauſu in deſertum conueniſtis; non enim exiuiſſetis, ſi inſtabilem hominem, & ſine ſoliditate Spiritus, ac doctrinæ eum reputauiſſetis: Et conſequenter ab auſteritate vitæ eum commendat, & pluſquam Prophetam declarat, qui Angeli nomen mereatur.

Cur Chriſtus laudet Ioannem Baptiſtã ab, cuiã.

Matth. 11.

Secundò licet, imò aliquando neceſſe eſt, proximum in abſentia laudare, quando videlicet damnũ famæ ab eo qui infamatur propulſare obligaris, id eſt, quãdo tua correptione & laude fructuosè potes impedire, aliumque compeſcere à detractione, quâ alteri malum creat. Quemadmodum enim in bonis fortunæ quis obligatur extinguere ignem, quo flagrat domus proximi, & defendere ne à furibus quid accipiatur, quando poteſt ſine magno ſuo incommodo: ita etiam quando laudando alterum infamiam poteſt propulſare, laudare debet. Simile eſt, cùm videris illi ab alio iniuſtè creari mortem. Sic Ionathas egit partes Dauidis, cùm pater inuidiâ ſtimulatus Dauidem quæreret ad necem: *Locutus eſt*, inquit textus, *ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem ſuum, dixitq; ad eum: Ne pec-*

7. *1. Laudatur vtiliter abſens, ad detractio-nem de ea compeſcendã*

Item ad iniuſtam eius necem præcauendã.

1. Reg. 19. *ces rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde. Posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israëli. Vidisti, & lætatus es, &c Quod cùm audisset Saul, placatus voce Ionathæ; iurauit, viuit Dominus, quia non occidetur.*

8. Dauid recogitans, nonnisi diuinâ gratiâ intercedente, id fieri, cum alios experiretur aduersarios, Doëg videlicet & Architophel, alios, has ad Deum fudit preces Psalm. 108. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est:* Deus, inquit, innocentiam meam ostende cum mali me vituperant: Tu enim defensor es eorum, qui calumnias patiuntur, ac laudator, vt Moysis & Araonis Numer. 12. Susannæ, Daniel 13. Magdalenæ Lucæ 7. Mystico, præcipuoque sensu passim à Catholicis tradito, Christus Patrem precatur aduersus fictos laudatores & infestissimos calumniatores suos, Scribas, Pharisæosque; præsertim autem cõtra Iudam, qui communicato cõsilio cum inimicis, exactoque pretio, & doloso osculo ipsum proditurus erat: propterea vt non sinat obscurari, & blasphemari innocentiam suam, virtutesque cæteras, doctrinam, & ipsammet diuinitatem; quod facturi erant adeo multi postea infideles Iudæi, hæretici, schismatici, mali Christiani; sed laudem ipsius tueatur, & celebrari curet; quod Apostoli deinde fecerunt, & Martyres, Confessores, Doctores, moribus, miraculis, prædicationibus, scriptis, ipso sanguine: postremò ne permittat silentio tradi laudem illam, quæ offerenda erat ipsi Patri propter eius filium ab ijs, qui inspicientes mirabilia opera illius, quæque per gratiam eius facturi erant credentes in illum, summis laudibus eum glorificaturi erant. Talis videtur oratio illa Christi Ioan. 17. 1. *Clarifica me tu Pater*, &c. & *Clarifica nomen tuum, & Clarifica filium tuum, vt filius clarificet te.*

9. 3. *ad animandum proximum.* Tertiò vtile est, laudare alios ad animandum proximum, & excitandum ad constantiam in bono. Sic Apostolus 2. ad Timoth. 1. recenset & laudat fidem auiæ & matris ipsius Timothei, vt inde maiorem occasionem accipiat illum animandi ad exsuscitandam gratiam fortitudinis in Ordinatione acceptam, vtque non erubescat prædicationem Euangelij; sed pro eo secũ vincula, & quæuis aduersa, si incurrant, fortiter spe auxilij diuini & resurrectionis futuræ, patiatur: *Recordationem*, inquit, *accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus sum autem quod & in te. Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* En spiritum Apostoli. Silet patris exemplum, quia gentilis erat; auiæ autem & matris laudabilem fidem prædicat, per quas, illi eadem erat quasi hæreditaria, eoque domestico exemplo Timotheum stimulat, vt earum fidem & virtutem imitetur, vt probabiliter credit eum reipsa præstare.

Ob similes causas quis vtiliter proximum absentem laudat, vti fecit Raguel, qui Tobiæ laudes coram Angelo & Tobia iuniore, quem filium eius necdum sciebat, deprædicat, vt eosdem, cùm vtrumque hominem putaret ad imitationem eius stimularet.

10. *Laudari potest aliquis præsens, ad periculum aliquod euitandum.* In præsentia verò, quamuis vt plurimum non expediat aliquem laudare, nihilominus vtiliter id fieri potest, primò cùm necessitas exigit sic euadere grauem noxam. Sic ad Dauidem dixit Miphiboseth, cùm seruus eius Siba affectati imperij & infidelis animi apud Regem eum arguerat; & pedum infirmitatem causatus erat, cur excedentem Regem non esset subsecutus: *Tu autem*, inquit, *Domine mi rex sicut Angelus Dei es: fac quod placitum est tibi.* Sic mulier illa Thecuitis deprecatura Dauidem pro reconciliatione Absalonis, cùm fratrem interfici iusserat: *Sicut Angelus Domini, sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur.* Et iterum: *Tu autem Domine mi rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Esther quoque prudentissima fœmina, cùm fuisset consternata coram Assuero, illius maiestatem & gloriam Dei, Angeli Dei comparatione significauit. *Vidi te Domine*, ait, *quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Esther. 15.

11. 2. *vt incitetur ad fidem vel virtutẽ amplexandam.* Secundò vtile est, cùm aliquis incitandus ad fidem Orthodoxam. Sic laudauit Nathanaelem Christus Dominus Ioan. 1. Venerat ipse ob sermonem Philippi, vt videret Iesum: *Vidit autem Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verus Israelita, in quo dolus non est:* Verus, inquam, Israelita secundum carnem & spiritum, & sine dolo, tum quia vir doctus cùm esset, argutijs non est vsus argumentorum contra Philippum, qui dixerat: *Inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth*; sed solùm responderat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Admiratur potiùs, & credit fieri posse, quod Philippus tunc illiteratus nuntiabat, quamuis sacræ Scripturæ repugnare videbatur. Iesus enim oriundus erat de Bethleem, vti dictum erat per prophetam, sed conceptus & educatus in Nazareth. Itaque Christus, tùm ne circumstantes arbitrarentur illum, quem Doctorem nouerant, calumniandi aut contradicendi studio accessisse, tùm etiam quia carere dolo, & non statim contradicere, virtus est maxima, ad intimum cordis pertinẽs; hinc inquã, laudat eũ Christus, vt se cordis scrutatorem ostendat, viamque struat planissimè

Quare Nathanael verus Israelita dicatur à Christo?

dignos-

dignoſcendi Saluatorem. Cùm enim ex hiſce verbis interrogaret Chriſtum Nathanael, *Vnde me noſtis* reſponſum ab eo obtinuit: *Priusquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu vidi te*; præſentiam ſuæ diuinitatis inſinuans, qua cunctis aſtat, & præſens omnia videt quantumuis occultè fiant, vt forſitan erat ſolitus Nathanael in loco aliquo occulto ſub ficu orare Deum, ſacræ alicui meditationi incumbere, vel aliquid ſpirituale ſimile operari. Niſi te vidiſſem, meaque virtute iuuiſſem, nunquam ad me, quamuis à Philippo vocatus veniſſes: Ex quo ille, *Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Iſrael.* Non ſolum te verum Meſſiam, & Chriſtum exſpectatum affirmo, ſed doctorem & magiſtrum, de quo olim Ioel cap. 2. *Dedit vobis doctorem iuſtitiæ.* Filium Dei, iuxta Prophetam regium, *Filius meus es tu*, Pſal. 2. Regem Iſrael iuxta Zachariam cap. 9. *Ecce Rex tuus venit.*

12. Deus Gen. 22. dilectionem Abrahæ prædicat, quando filium paratus fuit iuſſu Dei interficere. *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum*, vt hac ratione omnibus palam ſit, illam fidem ſaluare, quæ per dilectionem operatur. Chananæam Chriſtus pro filia deprecantem patitur pluries inſtare quàm exaudiat, & tandem illam à fide & conſtantia commendat. *Mulier magna eſt fides tua*, vt alios doceret orationis virtutem, neque ſtatim ab incœpto deſiſtere, etiamſi illicò non aſſequantur, quod precibus ambiunt. D. Bernardus liberrimè & diſertiſſimè laudat quaſi præſentem per epiſtolam præfatum Antiſtitem, quod paupertatem amplexus ſit in Epiſcopatu; ſed maximè in hoc Deum, à quo illud donum proceſſit: *Scio me*, inquit, *ex ſcriptura commemoraſſe ſuperius, non eſſe laudandum, hominem in vita ſua. Verùm quomodo me poſſum cohibere à laude illius, qui poſt aurum abire iam deſijt, & ſperare contempſit in pecunia theſauris? De quali nimirum ſcriptura ſic loquitur: Quis eſt hic? & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. An fortaſſe non eſt quidem laudandus homo in vita ſua, quæ tentatio eſt ſuper terram, nec ideò tamen laudandus non eſt, cùm mortuus peccato viuit Deo. Vana quidem laus & ſeductoria, quâ laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, in quo qui me beatificat, in errorem inducit: ſed non idcirco prædicanda, & multum commendanda non erit illius vita, qui dicere poteſt: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Et immediatè poſt ad propoſitum noſtrum cõcludit: *Cùm ergo laudatur homo, in quo iam viuit non ipſe, ſed Chriſtus, non in ſua laudatur, ſed in Chriſti vita, ac per hoc non laudatur, contra ſententiam qua prohibet hominem laudari in vita ſua. Cur denique dignus meis laudibus non erit, quem ſuî quoque nominis Deus laude dignatur, dicente Dauid: Pauper & inops laudabunt nomen tuum? Laudatur Iob quòd ſua patienter amiſit, & non laudabitur epiſcopus qui & libenter dimiſit, & liberaliter diſtribuit? Non expectauit mortem, quando iam nec dare nec retinere in ſua haberet poteſtate, quod vtique multi faciunt, quorum videlicet teſtamentum non niſi in mortuis confirmatur, ſed adhuc inter ſpem vitæ metumq; poſitus mortis, viuens, libenſque diſperſit & dedit pauperibus, vt iuſtitia eius maneret in ſeculum ſeculi.*

Homo laudari poteſt in opere bono, vt magis incitetur. Eccleſ. 31.

Pſalm. 73.

Apoſtolus Paulus vt vtiliter peroraret, de reiectione & reprobatione Iudæorum à iuſtitia & ſalute dicturus, ac Gentium vocatione, primùm Iudæos mulcet, ne ex odio legis & Iudæorum dicere videatur: *Veritatem*, ait, *dico in Chriſto, non mentior: teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ meâ in Spiritu ſancto.* Rom. 9. 1. Ne quis, inquit, me mentiri putet, rem veram, & ex animo loquor, idq; per Chriſtum, ſeu Chriſto teſte. Teſtem adduco conſcientiam meam per Spiritum sãctum, vt eiuſdem conſcientiæ meæ teſtem & ducem. Deinde grauibus verbis animi ſui dolorem exprimit, & amorem ſuum erga eos oſtendit: *Optabam*, inquit, *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.* Senſus eſt, Opto vt ſepararer à fruitione, & beata Chriſti ſocietate, ac Sanctorum in cælis, ſi per legem & iuſtitiam Dei id liceat, dummodò hac ratione & conditione poſitâ Iudæi ſaluarentur, ego ſolus perirem. Denique octo Iudæorum prærogatiuas, in medium producit, vt eos hiſce blanditijs maximè ſibi conciliet. Primò dicit cognatos ſuos ſecundum carnem eſſe Iſraelitas: quod nomen honorificum erat, videlicet patronimicum ab *Iſrael*, nomine diuinitus impoſito Patriarchæ ipſorum 2. ait ipſorum eſſe adoptionem, quâ ſcilicet Deus filios Iſrael, præteritis alijs gentibus, ſibi in peculium elegerat. Vnde populum illum vt filium habuit, ac fouit, multis ac præclaris in eum collatis beneficijs: Imò filium ſuum nominauit, vt Exod. 4. *Filius meus primogenitus Iſrael.* & iterum: *Dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi.* & Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum.* 3. ſubdit gloriam, quâ ſcilicet præ cæteris gentibus Deus illos dignatus eſt. *Non enim fecit taliter omni nationi*, Pſ. 147. Vnde ſequitur in eodem pſalmi verſiculo, *& iudicia ſua non manifeſtauit eis*: ſiue admiranda Dei opera per Moyſen & alios in illo populo exhibita; ſiue prophetias, ſiue promiſſiones, ſiue protectionem ſingularem. Qua de re Pſal. 125. *Tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis.* Hæc igitur omnia populum illum inter omnes gentes reddiderunt valde glorioſum & celebrem. 4. Addit & teſtamentum, iſt eſt, pactum particulare cum eorum patribus initum, & ſub generali nomine veteris Teſtamenti comprehenſum, veluti de terra promiſſionis, ac terrena proſperitate, & aduerſus hoſtes victoria, de

13.

Paulus affert prærogatiuas Iudæorum narrat, vt eos incitet ad fidem.

ſacerdotio & regno. Sequitur *& Legiſlatio*, hoc eſt, quibus lex à Deo lata fuit. Grandis enim & ſingularis prærogatiua, legem habere non ab homine, ſed à Deo latam, & per hoc Deum ipſum habere legiſlatorem. Intelligit autem vniuerſam legem, quæ per Moyſem data eſt. Deinde ſubdit, *Et obſequium*, ſeu cultum ſacrum, ac diuinum legi ceremoniali præſcriptum. Deus enim in illo populo cultum ſuum cum ſacrificijs ac cæteris cærimonijs inſtituit, atque conſtituit. Subnectit, *Et promiſſa*. Senſus eſt, Quorum ſunt pacta, quæ ſolennibus verbis, & ſtipulatione fiunt: qualia leguntur Geneſ. 15. & 17. Exod. 24. 4. Reg. 11. & 23. & Ierem. 34. Aut rurſum, Quibus benedictio Abrahæ promiſſa eſt, omneſque aliæ promiſſiones Dei, quàm ipſe tam veteri, quàm nouo Teſtamento hominibus fecit, primò & primariò ante omnes alias gentes ad Iudæos ſpectant: *Quorum patres*, ſcilicet ſunt illi inclyti, & inſignes Patriarchæ, Abraham, Iſaac, & Iacob, qui primùm mira virtutum facinora ediderunt. Et quorum parentes, ſunt etiam parentes Chriſti; *& ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem.* Mira vtique dignitas erat Iudæorum, quòd Chriſtus ex eis natus eſſet, qui Deus eſt, laudibus celebrandus in omne æuum, & in omnem æternitatem. Sic laudabat Apoſtolus Iudæos, vt Dei gloriam promoueret.

Galat. 4. Idem laudat Galatas vt contineat.

Idem Apoſtolus mirificè laudat Galatas, (quos ſciebat aures præbuiſſe pſeudo Apoſtolis) dum oſtendit quantâ auiditate, ſtudio opera, ipſum eiuſque prædicationem complexi eſſent, vt hinc puderet illos tam leuiter ab ea tranſilire: *Tentationem*, inquit, *veſtram in carne mea non ſpreuiſtis*, id eſt, me tot contumelijs oneratum, perſecutionibus agitatum, flagris cæſum, pauperem, afflictum, & abiectum, qui vobis poteram eſſe tentationis obiectum, vt me meumq; Euangelium aſpernaremini, non ſpreuiſtis, ſed tanquam Angelum, imò tanquam Chriſtum ipſum excepiſtis. Sacer vtique textus ſubdit: *Non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis; ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum* IESVM. Et immediatè poſt, ſic cum eis expoſtulat: *Vbi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* Senſus eſt. Vbi ſunt priſtinæ veſtræ de me voces, laudes, iudicia, ô Galatæ? quomodo tam citò, tam temerè animos erga me & Euangelium mutaſtis? ita me deperibatis, vt oculos veſtros, ſi fieri potuiſſet, mihi dediſſetis. Quo abijt amor & ardor? *Ergone inimicus factus ſum vobis verum dicens vobis?* neminem ſcilicet ex lege, ſed omnes ex Chriſti fide iuſtitiam petere debere. Attendite; non ſectantur veſtram ſalutem pſeudoapoſtoli, ſed propriam gloriam, vt de vobis quaſi de diſcipulis ſuis, & aſſeclis apud plebem iactare ſe poſſunt. hoc eſt, quod ſequitur, *Æmulantur vos non bene, ſed excludere vos volunt, vt illos æmulemini.* Non inſectantur vos amore amicitiæ, vt vobis conſulant, ſed amore concupiſcentiæ, vt ſcilicet ad ſe & ſui amorem illiciant, vt illos inſectemini, etiam cum detrimento ſalutis. Alludit Apoſtolus ad procos callidos, qui cùm diuites ambiunt ſponſas, eas quaſi Dominas honorant, eis ſeruiunt, per omnia ſe eis accommodant: ſed vbi eis potiti ſunt, matrimoniumque cum eis inierunt, illas cubiculis includunt, cuſtodes apponunt, habentque quaſi ſeruas captiuas, quaſi dicat. Sicut proci iam dicti, ſic iudaizantes blandiendo, mira & magna pollicendo vos ambiunt, vt iudaiſmo ſubijciant, & includant legi & ſeruituti legis quaſi ergaſtulo & cuſtodiæ; ſicque libertate vos priuent, & excludant à Chriſtianiſmo.

Hæc ſunt fidelium, hæc Chriſtianæ charitatis inſignia, occaſione nata, ad maiorem Dei gloriam, proximorum ædificationem & ſalutem, laudes eorum depromere. Huc viam præſtruxit Raguel, cùm multa bona locutus eſt de Tobia; hiſce aures præbere docuit Angelus, cùm ad ea ſingulariter attendit, neque reticere voluit Tobiam illum, Iunioris, eſſe patrem. Hæc imitemur, detractiones verò compeſcamus. 14.

15. Reprehenduntur homines, qui frigidè alios laudant, vel dum laudandi ſunt, tacent.

Nos verò propriæ laudis ſtudioſi tantum abeſt, vt Apoſtolum, vt Chriſtum imitaremur, alios ad finem debitum laudando, vt charitate deſtituti potius aliorum laudes obſcuremus, ſimiles Phariſæis, qui nihil laude dignum in Chriſto admittebant, multò minus, quòd cæco à natiuitate viſum reſtituiſſet. Nos frigidè laudamus alios, etiam cùm Chriſtiana virtus eorum laudem exigit, ita vt in vituperium potiùs laudati cedat. Verè dixit Fauorinus apud Aul. Gell. lib. 19. Attic. *Turpius eſt exiguè atque frigidè laudari, quàm inſectanter, & grauiter vituperari.* Præterea nos aliquo officio benè defunctum coram alijs in tantum prædicamus hac intentione, vt eum qui in eius locum ſucceſſit, & pernitiosè adminiſtrat, denigremus, ſed non ſine mortali noxa. Sola enim praua intentio te reum conſtituit coram Deo. Abſint hæc à te, mi Chriſtiane. Saluator noſter ſuo exemplo aliter nos inſtruxit. Temerè iudicabat Phariſęus Magdalenam, profuſis lachrymis Chriſti pedes lauantem: ſed Dominus eius cauſam ſuſcipit, eamque præ Phariſæo prædicat, parabolam inducens duorum debitorum, quà oſtendit Magdalenam plus Phariſæo dilexiſſe Chriſtum, quæ veniam omnium peccatorum obtinuit; cùm ipſe minùs diligens, nec pœnituerit, nec remiſſionem peccatorum

catorum receperit; sed quia Christum eo odio, quo cæteri Pharisæi non prosequebatur, ab aliquo peccato committendo duntaxat fuerit præseruatus. Quod cùm Pharisæus ex parabola rectè concluisset, cõuersus ad mulierem Christus dixit Pharisæo: *Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, & aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis terfit.* Sensus est, Intraui in domum tuam, quod debuit te obligare, vt officia, quæ inuitatis, & hospitibus exhiberi sunt solita, non negares; tu verò aquam, rem facilem, & quæ vilis, ac nullius est pretij, non dedisti pedibus; non solùm tu non lauasti pedes, sed nec aquam ipsam ministrasti, vt lauarentur; at in huius domum ego non intraui, sed ipsa ad me in tuam venit, & non aqua, sed lachrymis, quod difficilius est, rigauit pedes meos, & non linteo, sed quod charius habetur, capillis proprijs terfit. Perpende quæ, & quanta mulier hæc, quam peccatricem iudicasti, & quam erga me officiosius, quàm tu fecerit. Muliercula illa Luc. 11. nos grauiter confundit. Eiecerat Dominus dæmonium. Turbæ admirabantur, Pharisæi & Scribæ calumniari hæc non verebantur, quasi in principe dæmoniorum eiecisset dæmonium: & quia negare nequibant, sinistrâ interpretatione peruertere laborabant: quasi non hæc diuinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. Vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere: quasi non possent & illa calumniari, & dicere, ex occultis, & varijs aëris passionibus accidisse. Et cùm Dominus ex illorum verbis eos redargueret, illa de turba exiliens, clamauit: Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Venerabilis Beda hoc factum admirans, sic extollit Lib. 4. cap. 49. in Luc. 11. *Magna deuotionis & fidei hæc mulier ostenditur, qua Scribis & Pharisæis Dominum tentantibus, simul & blasphemantibus, tanta eius incarnationem præ omnibus sinceritate cognouit, tantâ fiduciâ confitetur, vt & præsentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Nam sicut tunc Iudæi, sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemq; Patri Dei filium negabant: sic hæretici postea negando, Mariam semper virginem, Sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris vnigenito Dei, carnis suæ materiam ministrasse, verum consubstantialemq; matri filium hominis fateri non debere dixerunt.*

16. *Propria laus repellenda.*

Hanc imitemur, & laudé apud Deum merebimur, appetitum propriæ laudis refrænemus, si bene nobis volumus. Optimè Chrysostomus hom. 3. in cap. 1. ad Titum: *Non quæramus*, inquit, *honores: imò eos cùm oblati fuerint, repellamus, & abijciamus à nobis, & huiusmodi concupiscentiam extinguere modis omnibus studeamus. Ista nos & ad principes, & ad subditos dicimus. Anima omnis quæ honoris tenetur appetitu, & gloriam ab hominibus quærit, non videbit cælorum regnum. Non mea hæc ratio est, à meipso ista non loquor. Hæc verba Dei spiritus profert. Non videbit gloriam Dei, qui huiusmodi est, etiamsi virtutis opus exerceat: receperunt enim, ait, mercedem suam. Qui igitur ista non ceperit, consequenter cælorum fruetur regno.* Matth. 5. & 6. Et immediatè post, ad illam gloriam hortatur, quæ ex Deo est: *Non prohibeo gloriam appeti, sed illa volo ambiatur gloria, quæ vera est, quæ ex Deo est. Cuius, inquit, laus non ex hominibus, sed ex Deo est. In occulto, abdito q; religioso, timoratusq; perstitens, non tibi inanem fastum, serpentinamq; simulationem circumdes. Abijciamus animam pellem, ipsi potius omnes simus.* Et longè antè, *Magna*, ait, *philosophia, & anima cuiusdam angelica, & quæ ipsum verticem cardinis cæleſtis attigerit, certum argumentum. Nullum enim profectò perniciosius vitium est, nulla magis violenta perturbatio, & quæ ita fermè omnibus in locis obtineat, alibi amplius atque alibi minus, vbique tamen.* Dei gloria ambienda. Inanem gloriam spernere, magnum est.

S. Ignatius appertissimè fatlus est: *Vt sanus*, inquit, *sim in his quæ ad Deum pertinent, vehementius tamen mihi verendum est, & cauendum ab his qui me temerè inflant: laudantes enim me flagellant.* Ita Clemens Alexandr. apud Maxim. serm. de Laude, refert assentatores quosdam beatũ quemdam sapientem prædicasse, illum verò dixisse ad eos: *Si me laudare desiteritis, ex discessu vestro magnum aliquem meipsum cogitabo. Si verò laudare non desinitis, ex laude vestra meam conijcio impuritatem.* S. Dominicus, amplissimæ familiæ illustre sidus, acriter in pestilentem hanc auram pugnauit. Nam cùm Tolosæ plures Christo adiunxissent, Carcosiæ tamen potiùs figebat domicilium. Eius rei causam rogatus: *Quia*, inquit *plures ibi me honorant; hic verò me omnes impugnant.* Credidit vir sanctus, inter odia hominum tutiùs habitari, quã inter blandimenta & encomia, maluitque se vexationis, quàm inanis gloriæ stimulis conficiendum exponere. Honoris repulsa, magna est gloriæ eminentia. Raræ virtutis est magna facere, & magnum se nescire, sanctitatem omnibus manifestam solum latere auctorem. Nihil difficilius quàm omnem calcare gloriam. Augustinus excellentissimus Antistes pariter & sanctissimus, vanæ gloriæ se minimè pronuntiat immunem. nam seipsum disertè accusans epist. 64. ad Aurel. Epis. fine: *Hoc mihi ipse*, inquit, *canto quotidie, & tamen vehementer cum aduersario dimicans, sæpè ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum.* Sancti propria laudis negligentes, vix tamen ab ea fuere immunes.

17. *Vana gloria quàm noxia*

Eximiè de hoc vitio Christianus ille Sapiens Thomas à Kempis lib. 3. cap. 40. *Verè*, inquit,

inquit, *inanis gloria, mala peſtis, vanitas maxima: quia à vera trahit gloria, & cæleſti ſpoliat gratiâ. Dum enim homo complacet ſibi, diſplicet tibi: dum inhiat laudibus humanis, privatur veris virtutibus. Quærant ludæi gloriam quæ ab invicem eſt: ego hanc requiram quæ à ſolo Deo eſt. Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æterna gloria tua comparata, vanitas & ſtultitia eſt.* Arque ſi Climaco credimus, inanis gloria eſt laborum diſſipatio, ſudorum perditio, theſaurorum inſidiæ, perfidiæ alumna, ſuperbiæ præcurſor, in portu naufragium, in area formica, quæ etſi tenuis eſt, laboribus tamen omnibus, & fructibus inſidiatur. Expectat formica dum perficiatur triticum. Cenodoxia verò dum congregentur opes: gaudet illa vt furetur, hæc autem vt diſſipet.

Clim. grad. 21. de Genod. Inanis gloria inficit bona opera.

18. *A Deo laudari, homines conari debent.*

Verè igitur & ſalubriter Chryſoſtomus loc. cit. *Vnum intueamur ſolum, ad id tota noſtra dirigatur intentio, quo ſcilicet pacto Dei mereamur ave laudari. Si hoc intentè inſpiciamus, humana ſemper omnia nihil exiſtimabimus, vt non dicam, non appetemus, parati ſemper ea ſi adſint deſpicere, non ſecus quàm lutum in auri comparatione renuentes. Non laudat te ille aut ille, nihil inde amittis: & ſi vituperet quiſpiam, nihil omninò te læſit: ſive enim laus, ſive vituperatio, ex Deo tantum aut emolumentum habet, aut detrimentum. Cæterũ humana omnia ſunt prorſus mania, atque in hoc Deo æquales euadimus. Ille quippe mortalis non indiget gloriâ. Gloriam, inquit, ab hominibus non accipio. An parùm id tibi videtur? Quoties difficile exiſtimas contemnere gloriã, iſta tecum verſa. Si hanc deſpexero, Deo æqualis efficiar, protinuſque ſubibit contemptus ex animo.* Recogita extrinſecam illam gloriam non ſolum multorum malorum cauſam, ſed & citiſſimè euaneſcere, & apud homines, & vix ad veſperam durare: *Soluto theatro*, inquit Chryſoſt. loc. cit. *ſublatiſq; perſonis, vnuſquiſque quod eſt, id quoque videtur. non igitur veluti in ſcena atque ludo, veritatem arripiamus. Dic enim, quæſo, quid in ſe præclari habet à multitudine inſpici? Inanis eſt hæc gloria, nihilq; habet in ſe ſolidi, atque veri. Nam vbi te receperis domum, ſoluſq; fueris, id omne prorſus effluxit. Irrupiſti forum, præſentium oculos in te convertiſti: quid amplius? Nihil: extincta eſt penitus eiuſmodi gloria, abſceſſit, atque in fumum reſoluta eſt. Rem igitur adeò inſtabilem amare quo pacto inducimur? quam magna eſt iſtud amentia, quanta ſtultitia?* Monet propterea idem aureum os hom. 3. ad populum: *Dic proximo, habes aliquem quem laudes, & commendes, aures aperio, & vnguenta ſuſcipiam: ſi verò malè velis dicere, verbis ingreſſum obturo; non enim ſtercus & cænum accipere ſuſtineo.*

Gloria mundana quàm levis.

Laudes alterius libenter audiendæ

SECTIO VI.

An alicui contingat benedictio, eò quòd ſit filius viri boni, ſeu ob patris merita? Et quis ſit dicendus vir bonus?

1.

Tres ſignificationis vocis Benedictio.

BENEDICTIO in ſacra Scriptura varia ſignificat. Tres dumtaxat ſignificationes hoc loco congruentes adducam. Prima eſt laudari & magnificari: Vnde eſt iſtud Apocal. 5. *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria.* Et cap. 7. *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro.* Et illud Pauli 2. Corinth. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri* IESV CHRISTI. Altera eſt, bonis temporalibus cumulari. Vnde Geneſ. 24. dixit Abraham Eliezer, *Dominus benedixit Domino meo valde.* Et cap. 30. Laban ad Iacob: *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Et Iob 1. Satan ſic expoſtulabat contra Deum ratione Iobi: *Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamq; ſubſtantiam eius per circuitum, operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius erit in terra.* hinc etiam cap. vlt. Iob dicitur: *Dominus benedixit noviſſimis Iob, magis quàm principio eius.* Tertia eſt, vitam æternam obtinere: vnde eſt illud 1. Pet. 3. *In hoc vocati eſtis, vt benedictionem*, hæreditate poſſideatis, de qua videlicet Dominus dixit Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, hæreditate poſſidete regnum.*

2.

Quia verò Raguel dignoſcens Tobiam iuniorem; illi oſculo omne bonum apprecatur dicens: *Benedictio ſit tibi fili mi, quia boni viri filius es tu.* Et diximus Sect. 10. in cap. 5. huius hiſtoriæ non ſolum Sacerdotum & parentum bonam apprecationem eſſe efficacem, ſed etiam ſanctorum virorum: Et Raguel non ſolùm pius, ſed etiam parens dici queat iuxta dicta cap. 2. Diſcuſſione modò videtur dignũ an filio eueniat benedictio ob patris ſui merita, ſeu quòd ſit boni viri filius? Res videtur paradoxa, primò quia habemus ex S. Scriptura exempla non pauca, vbi viri omnium ſanctitate ac religione principes, nequiſſimos genuerunt filios. Abraham multarum virtutum clarus inſignibus, filios genuit patriæ virtutis exhæredes, de quo Philo Iudæus lib. de Nobilit. cap. 2. *Primus*, inquit, *Gentis conditor multos liberos ſuſcepit è tribus mulieribus, nempe Sara, Agar, & Cethura: vnus tamen è multis ſolus ſucceſſit in patrimonium: reliqui omnes ſicut à pietate degenerarunt: ita ſeparati ſunt ab eius gentilitate, cuius nullas virtutes expreſſerant; exciderunt q; ab illa nobilitate celebratiſſima.* Moyſes diuinæ gloriæ zelator & vindex poſteros genuit non ſolum idololatras, ſed idolorum antiſtites.

Ex optimis parentibus peſſimi filij aliquando naſcuntur.

Quis

Exemplis.

Quis sceleratior Absalone à sanctissimo patre Dauide genito? A pio maximè Ezechia, ortus est impius Manasses. A Iosia rege sanctissimo nati sunt filij vitæ omninò profligatæ, qui coluerunt idola, & eò adegerunt diuinum furorem, vt ciuitatem & templum sibi consecratum omninò vastauerit. Et Heli sacerdos sanctus fuit, sed habuit filios, qui fornicabantur cum mulieribus in tabernaculo Dei, & populo erant scandalo, & quorum vitâ nihil videtur esse potuisse scelestius. Et Samuel habuit filios, quorum neque parentis integritas, neque domestica disciplina potuit cohibere manus à ruina, aut animos à

1. Reg. 8. peruertendo iudicio: *Et non ambulauerunt*, inquit sacra pagina, *filij illius in vijs eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperunt q; munera, & peruerterunt iudicium.* Et D. Augustinus epist. 137. cùm vnus atque alter domesticorum, non obstante vigilanti eius disciplina, quædam scelera commisisset, seipsum consolatur,

Augustinus probat in domo iusta posse esse intestum. quod & alijs id contigerit: *Quantumlibet*, inquit, *vigilet disciplina domus mea, homo sum, & inter homines viuo. Nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est.* Genes. 9. v. 25. *Aut melior sit, quàm domus Abrahæ, vbi dictum est: Eijce ancillam, & filium eius*, Genes. 21. v. 10. *Aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est; Iacob dilexi; Esau autem odio habui*, Malach. 1. v. 3. *Aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incestauit*, Gen. 35. v. 22. *Aut melior sit, quàm domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit*, 2. Reg. 13. v. 14. *Cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit*, 2. Reg. 15. v. 10. *Aut melior, quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen, si inter bonos omnes habitaret, non diceret: foris pugnæ, intus timores*, 2. Cor. 7. v. 5. *Nec diceret, cùm de sanctitate & fide, Timothei loqueretur: Neminem habeo, qui germanè de vobis sollicitus sit: omnes enim sua quærunt, non quæ sunt* IESV CHRISTI, Philip. 2. v. 20. *Aut melior, quàm habitatio ipsius Domini Christi; in qua vndecim boni, perfidum & furem Iudam toleranerunt*, Ioan. 12. v. 6. *Aut melior sit postremò, quàm cælum; vnde angeli ceciderunt.* Apoc. 12. v. 9.

3. *Ex parentibus malis boni aliquando oriuntur Filij.*

Secundò multi filij ex malis parentibus nati, boni sunt; nimirum Abraham ex Thare. Genes. 11. qui erat & idololatra, & idolorum fabricator: Ionathas ex Saule 1. Reg. 13. Ezechias ex Achas 4. Reg. 16. Iosias ex Ammone 4. Reg. 21. Diserte de hac re Chrysostomus hom. de nomine Abraham: *Non accusandi sunt, inquit, ob parentum malitiam filij piè viuentes, sed vt admirabiles habendi, eò quod cùm pietatem à parentibus non acceperunt, nec habuerunt, qui manu ducerent, quasi in eremo & inuio euntes, viâ quæ in cælum fert, munire potuerint. Non igitur crimen est, habere patrem impium, sed imitari patris impietatem. Et crimen est maximum, non quod habemus improbos parentes, sed quod illorum non agimus curam, & non offerimus omnia, quæ ab eis habemus, vt ab impietate sua eos truamus.* Et immediatè post non vult quempiam turbari in eo, quòd aliquis pius impium habeat parentem, quia voluntatis est vitium & virtus, non naturæ: *Hæc autem dixi*, inquit, *vt ne turberis dilecte, cùm audis quòd Abraham impium patrem habuerit. Nam & Timotheus impium patrem sortitus fuit: Filius enim Iudææ mulieris erat fidelis matris, patris autem Gentilis. Et quod pater eius manserit in impietate, & fuerit conuersus, manifestum est ex hoc: Laudans enim Timothei fidem Paulus sic dicit: Quæ habitauit in auia tua Loide, & matre tua Eunice, confido autem quod & in te. Nusquam hic patris nomen legitur. Et quare? quia in impietate perseuerans non erat dignus qui cum filio numeraretur. Et Apostolos malos habuisse patres manifestauit Christus, cùm dixit: Si ego in Beelzebub ejcio dæmonia, filij vestri in quo ejciunt? propter hoc ipsi erunt iudices vestri. Sed ne turbet hoc, neque offendat. Nam ex hoc discimus, quod non natura, sed voluntatis est vitium & virtus. Enimuerò si natura esset, omninò mali malos parerent, & boni bonos. Sed quia electionis & voluntatis est probum vel improbum esse, idcircirco sæpè malis patribus boni filij, & ignauis filijs studiosi patres sunt, vt non natura, sed voluntati illa semper imputemus.*

Virtus & vitium sunt voluntatis, non naturæ.

4. *Multi filij parentum piorum fuère maledicti.*

Tertiò multi filij parentum piorum leguntur maledicti, vt Cham filius Noe, Esau filius Isaac, Ruben, Simeon & Leui filij Iacob. Quid ergo innuit Raguel, benedictionem apprecans Tobiæ, eò quod sit filius viri boni? Possetne filijs piorum parentum triplex explicata benedictio eâ solum de causâ, à Deo contingere? Nullatenus. Nam primò certum est nemini prodesse alienam virtutem, nisi eam ille imitetur. Quis vnquam perfectiorem habuit ex hominibus patrem, quàm illi duo germani fratres Abel & Cain? *Nam Adamus*, inquit Philo citatus, *ille est, à quo omnis patria nobilitas descendit.* Et tamen eorum alter terram humano sanguine, & se fraterno maculauit. In quem Philo cit. loco: *Quid huic*, inquit, *profuit nobilitas generis ignobilem præ se ferenti animum? Quem ipse rerum humanarum inspector Deus, vt vidit, auersatus damnauit: non præsenti quidem supplicio, quod confestim ei calamitatis sensum adimeret; sed mille mortes interitando, vt sentiret alios super alios pauores, & aserumnas molestias, atque ita dignam pro malefitio pœnam reciperet.* Adamus primus parens nonne generis sui claritate omnibus posteris præluxit? Hi enim ad alios homines, ille ad solum Deum genus suum referebat. Nam illi, inquit Philo, *nemo parens, auctorq; vitæ, nisi Deus fuit.* Et tamen neque illa paterna sanctitas ac diuinitas eum tenuit, quo minus in peccatum, indeque in profundum miseriarum pelagus

Virtus patria non prodest impijs filijs.

Adamus Cain habuit patria virtutis exhæredem.

Turpe non est filio bono patrem habere impiũ.

Dei sanctitas Adamo nihil profuit

rueret.

rueret. Vnde, vt rectè Philo, *Hæc*, inquit, *lex communis esto mortalium omnium, qua præscribitur, ne quis virtutis expers claro genere, natalibusq; splendidis magnopere sibi placeat.*

Qui patriæ non sequitur virtutes tali parente indignus est.

Ioannes Baptista propterea grauiter obiurgabat Hebræos de propria virtute parum sollicitos, & de patria nobilitate nimium superbos: *Genimina*, inquit, *viperarum ne cæperitis dicere: Patrem habemus Abraham.* Luc. 3. v. 8. Quasi diceret: Si moribus viuitis viperinis, patrias Abrahæ virtutes, non solùm non iactetis, verùm etiam ne iactare quidem incipiatis. Quasi non modò effusa gloriatio de patrijs virtutibus: sed etiam prima ad gloriandum aggressio, aliena esse debeat ab eo, qui patrias virtutes non exprimat, non imitetur. Nam, vt benè D. Cyrillus in Catena aurea, ad eum locum; *Quid*, inquit, *confert carnalis generositas, nisi consimilibus studijs fulciatur? Vanum est igitur extolli de bonis prædecessoribus, & deficere ab eorum virtutibus.* Iudæi Ioan. 8. non solum de patre Abraham, sed etiam de patre Deo gloriabantur, dicentes: *Vnum patrem habemus Deum.* Et verè quidem loquebantur, iuxta illud: *Filius meus primogenitus Israel* Exod. 4. vers. 22. & illud: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Deut. 32. v. 6. Et passim alibi. Nec tamen vel ipsa diuina cognatio illis profuit ad salutem. Vnde D. Chrysostomus hom. 9. in Matth. *Iudæi*, inquit, *quondam filiorum Dei gaudebant honore? sed decoratos vitijs nihil iuuit tanta nobilitas. Si igitur Dei quis filius factus, nisi huic generis splendori, meritum virtutis addiderit; etiam maius habebit profectò supplicium: quid mihi iam auorum atque proauorum memoras dignitates?*

Nec ipsa Dei cognatio Iudæis profuit ad salutem.

5. Veriùs possunt Christiani hanc cum Deo cognationem profiteri, iuxta illud: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioan. 1. Addit tamen Chrysostomus: *Sed plurimis ex huiusmodi filijs nihil patrem profuisse Paulus demonstrat: Si circumcidamini, inquit Christus, vobis nihil proderit: Quodsi Christus nihil proderit ijs, qui sibi ipsis non attendunt, quomodo homo aliquid conferet? Nequaquam ergò ob generis claritatem erigamur cristæ*, &c. Pulchra quoque in hanc rẽ habet Auctor Operis imperfecti, cuius sententiam habes cap. 1. huius historiæ Sect. 2. num. 3. Philo Iudæus hanc doctrinam egregijs similitudinibus concludit: *Quid*, inquit, *prodest oculis orbato, suorum maiorum perspicacitas, nequaquam hæreditaria? Quid prodest ad dicendum elingui, paterna vel auita eloquentia? Quid conferunt ad vires tabe diuturnâ confectas, principes generis propter athleticum robur adscripti fastis Olympicis? Immò quid etiam, si fuere victores in omnibus sacris Græciæ certaminibus? Ad eundem sanè modum iniustis liberis iusti parentes luxu perditis sobrij, & in vniuersum malis boni vtilitatem nullã afferunt.*

Galat. 5.

Philo hoc pulchris similitudinibus illustrat.

6. Sacra quidem pagina testatur ob parentum merita, filijs peccantibus, Deum impertiri misericordiam, ita vt mitiùs cum illis agat, quàm eorum peccata meruerunt. Sic Salomoni idolorum cultori non abstulit totum regnum, quamuis peccatum mille mortibus dignum commisisset; sed patienter cum eo egit propter merita Dauidis: vt differret illam plagam vsque ad mortem Salomonis; neque tunc integrum regnum abstulit, sed vnam tribuum illi reliquit, vt expressè habetur 3. Reg. 11. in verbis: *Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud; Nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi.* Sed benedictionem totalem non obtinent; Imò potiùs sentiunt manum Dei sibi contrariam, si in peccatis persistant, vti euidens est in Roboamo Salomonis filio, qui consilium iuuenum secutus, populum sibi expertus rebellem, quem durè voluerat regere, audiuit à Semeia viro Dei, vt se contineret, quod Dei voluntate hæc mala euenirent; 3. Reg. 12. vbi Semeia *ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Beniamin, & reliquos de populo: Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel: reuertatur vir in domum suam: à me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, & reuersi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus.*

Ob merita parentum solet Deus mitiùs agere cum filijs impijs.

Deinde 3 Reg. 15. nepoti eius Abiæ scelerato patri Roboamo succedenti, & iniquitatem imitanti, pepercit propter merita Dauidis: sic enim de illo habetur eo loci: *Tribus annis regnauit in Hierusalem, ambulauitq; in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante Deum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius. Sed propter Dauid, dedit ei Dominus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post eum, & stataret Hierusalem. Eo quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ.* Quibus verbis declaratur, quod dignus erat Abias propter vitam ad Roboami potiùs impij, quam ad Dauid pijssimi exemplar instituram, quem Dominus extingueret, neque ex stirpe pessimâ vllum germen pullulare pateretur, sed tam illi fuit Dauidis iucunda memoria, & tam fidelis illi facta promissio, vt lucernam, id est, præclaram sobolem indulserit scelerato nepoti nempe Asam.

7. Soluit autem hanc quæstionem Hebræus Sapiens Prouerb. 10. cùm ait: *Benedictio Domini super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas.* quasi dicat. Caput iusti benedictionibus ornatur, os autem impiorum propriæ iniqui-

Benedictio Dei super

iniquitatis vltione confunditur, & de honestatur, iuxta illud. Psal. 106. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Declarat itaq; Raguel benedictionem triplicem supradictã in filios illos deriuari, qui exempla patris iusti sequuntur. Promisit enim Deus vitam longæuam ijs, qui honorant patrem & matrem. Et verè dixit Ambrosius lib. de Benedict. Patriarcharum, *Ideò parentibus hanc Deus donat gratiam, vt filiorum pietas prouocetur; prærogatiua erga parentum disciplina est filiorum.* Atqui mores paternos in Tobia iuniore iam considerat Raguel, & sic osculo in ipso veneratus est patrem, quemadmodum Esther in virga Assuerum. Vide dicta de Veneratione per osculum Discursu 6. in 6. num. 10.

8. *Quisnam dicendus bonus vir.*

Ex his etiam clarum est, quinam boni viri nomen mereantur: multi enim boni viri dicuntur abusiuè. Ab aliquibus illi, qui ab vxore ad illicita sese permittunt induci, vt Isa. 3. Iudices, qui causa vxorum munera recipiebãt, & iustitiam peruertebant, de quibus illic dicitur: *Mulieres dominata sunt eis.* Ab aliquibus, qui filios impunè permittit peccare, & genio indulgere; sed talis apud Apostolum 1. Tim. 5. *infideli est deterior*: talis, vt Heli censebitur apud Deum. talis experietur quod Dauid, qui Ammonem filium præ dilectione non corripuit ob incestum cum sorore, nempè quòd fraternâ cæde è viuis sublatus sit. Ab aliquibus qui adulterium vxoris dissimulat, ob temporale commodum; sed is sibi nequam est, & particeps alieni peccati. Ab aliquibus verò, qui aliorum iniustitiam cum familiæ suę præiudicio scientes tolerant: at illi fouent nequitiam, & Principi similes sunt, qui permittit liberè grassari latrones, cum detrimento Reipubl. vt bonus dicatur. Aliquando qui præua alicuius subscribunt voluntati, & acquiescunt. Sic Vagao Iudith cap. 12. cùm sollicitaret eandem ad congressum cum Holoferne, bonam puellam vocat, cùm esset vidua: *Non veretur*, inquit, *bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius.* Ab aliquibus, qui strenui in aliqua arte aut militia, aut ad rerum administrationem aut expeditionem idonei. Hinc dicebat Iudith cap. 11. Holofernem apud omnes gentes prædicari: *Indicatum est*, inquit, *omni sæculo, quoniam tu solus bonus, & potens es in omni regno tuo, & disciplina tua omnibus prouincijs prædicatur.*

9. *Tobias est bonus vir.*

Verùm hi omnes non sunt boni, prout bonum respicit iustitiam & sanctitatem. Ex quo respectu Tobias senior prædicatur vir bonus, id est, iustus & timens Deum, quique vnam in rebus virtutem intuebatur: quod ex decursu totius historiæ abundè patet. Sic Iob bonus dici poterat. Sic Saul 1. Reg. 9. filius vnius anni dictus, quando peruenit ad regnum. Sic Act. 11. vers. 24. Barnabas repletus Spiritu sancto, dicitur bonus: *Hortabatur*, inquit Lucas, *omnes in proposito cordis permanere in Domino, quia erat vir bonus & repletus Spiritu sancto & fide.* Hæc est bonitas, quæ Deo grata est, & hominibus displicere non potest, imò affectum generat in alijs erga orphanos tali parente orbatos. Ad quàm bonitatem ea de causa parentem strenuè hortatur Basilius hom. 11. in aliquot Scripturæ loca: *Relinque*, inquit, *Bonam filijs memoriam magis quàm diuitias multas. Fac omnes filio tuo ratione pietatis ac beneficentiæ patres. Necesse enim te quandoquè è vita discedere, deinde filium relinques parvulum, tutorum auxilio indigentem. Si bonus, honestusq; fueris, quilibet ex te descendentem vti suum nutriet. Reminiscatur quod & tu quoque orphanorum pater, dum licuit, fueris.* Vide plura Discurs. 5. in IV. Præc. num. 4.

CAPITIS SEPTIMI

VERSVS IX.

Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium.

Vers. 10. *Tobias dixit: Hîc ego hodie non manducabo, neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.*

Vers. 11. *Quo audito verbo Raguel expauit, sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam; & timere cœpit, ne fortè & huic similiter contingeret: & cùm nutaret, & non daret petenti vllum responsum.*

Vers. 12. *Dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere eam.*

Vers. 13. *Tunc dixit Raguel: Non dubito quòd Deus preces & lachrymas meas in conspectu suo admiserit.*

Vers. 14. *Et credo quoniam ideò fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi: & nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam.*

PARAPHRASIS.

Vers. 10.11.12.13.14. Post hosce sermones præcepit Raguel splendidum hospitibus adornari conuiuium, & cùm iussi essent epulis accumbere, negauit Tobias se quidquam gustaturum, nisi priùs ab annuente atque libente patre desponderetur sibi vnica filia Saræ. Quòd visum fuit saris durum Ragueli recogitanti septem virorum repentinum casum. Vnde hærebat anxius, differens responsum, de rerum euentu vehementer sollicitus: sed Angelus omnem ab illius animo timorem remouet, & securum esse iubet ab omni angore, sibique notam esse causam, cur septem viris inauspicatæ fuerint nuptiæ: religioso huic adolescenti, & timenti Deum filiam eius esse destinatam, adeoque nullum fore periculum. Adhæc Raguel hoc Angeli verbo confirmatus, ait credere se Deum suis annuisse precibus, & lachrymis, sibique probabile videri ideò inauspicata fuisse superiora connubia, quia illa cum alienis à sua cognatione conciliari Mosaica religio prohibebat, indeque affirmat filiam Tobiæ non denegandam.

SECTIO SEPTIMA.

Qua de causa sic procatus Tobias? Quidue in verbis ipsius documenti?

1. HELIAS exceptus hospitio apud viduam, beneficium ei præstitit; similiter Elisæus Sunamitidi; sed Tobias iussus accumbere dixit se non manducaturum, neque bibiturum ea die, nisi prius Raguel eum securum redderet de Sara filia sua, quàm ambiebat in coniugem. Sed quis ille procandi modus? Vnde hausit illum Tobias? Iacob desiderans Rachel filiam Laban in vxorem, septem annis, seruire pro ea obtulit. Sampson Thamnatæam vxorem concupiscens,

Absurdus suis Tobiæ modus procandi.

scens, parentibus rem proposuit: Et si quis nupturiat modò, filiæ & parentum voluntatem, omni ciuilitate sibi conciliat: sin alio modo procederet, execratoriè repelleretur. Quid mouit ergo Tobiam hâc viâ procedere ad futurum coniugium?

2. *Non comedã nisi hoc fecerem pro. uerbium est celeritatis.*

Dicam motiuum Iuuenis, quem omni disciplinâ patris nobilis apprimè instructum non licet credere inciuilem, aut rusticum fuisse. Primùm itaque videtur proueibialiter locutus, & vsitatùm credo apud Hebræos, vt cùm aliquid quàm ocyssimè factũ cuperẽt, dicerent se gustaturos nihil, donec illud fiat, quod effectũ volunt. Sic Saul Rex cùm persequi victoriam cuperet contra Philistinos, & spem totam in celeritate posuisset, dixit: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis.* Sic Actor. 23. quidam, Pauli necem quàm citissime spirantes & anhelantes, *deuouerunt se dicentes neque manducaturos, neque bibituros donec occiderent Paulum.*

3. *Sic procatur ab Tobia ex instructione Angeli.*

Alterum quod illum mouit, fuit Angeli instructio: licet autem textus id non exprimat, colligitur ex alijs Scripturæ locis, vbi illi qui ex diuino instinctu vel de matrimonio egerunt, vel aliquid recusarunt, sic ferè locuti deprehenduntur. Eliezer missus procurator ad quærendam vxorem, quemque nutantem animauerat Abraham dicens: *Dominus Deus cæli, &c. mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.* Is, inquam, Eliezer, quem signo certo iam securum reddiderat Deus, de Rebecca vxore futura Isaaci, benè etiam ab eius parentibus exceptus, apposito pane, inquit: *Non comedam donec loquar sermones meos.* Portò quæ Deo authore, aut diuino sunt instinctu, inurbana dici nequeunt, nec aliquid rusticitatis, neque inciuilitatis redolent, licet communem agendi modum excedant: Dei enim mandatum omnem inciuilitatem abstergit. Hinc nemo inciuilitatis arguit Abraham, quòd accepto mandato à Deo dẽ mactando filio, noctu surrexerit, asinum strauerit, & insciâ vxore, perrexerit idipsum exequi. Nemo inurbanitatis accusat Prophetam 3. Reg 13. qui rogatus à Ieroboam ad prandium postquam arefactam manum restituisset, recusauit dicens: *Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto*, nullam notam merebatur, cùm Dei iussu totum perageretur. Vnde addebat: *Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panes, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam, quâ venisti.* Nemo Isaiam reprehẽdit, cùm nudus triduo incederet per plateas: Nemo Ezechielem, quòd non plangeret vxorem defunctam, quia ita iusserat Deus, Ezech. cap. 24. Hæ sunt rationes, quæ ad sic procandum Tobiam impulerunt. Quòd autem ipsi particulare fuit, alius imitari non debet, nisi velit pati repulsam.

Quod inhumanum est, Dei iussu fit vrbanum

Duo autem sunt homini Christiano obseruanda, in hoc Tobiæ negotio: Primùm, vt oblatam sibi alicuius boni occasionem non prætereat, vti hic Tobias. Christus Ioan. 4. nactus occasionem loquendi cum Samaritanâ, eò rem deduxit, vt ab adulterio eam compesceret. Ioannes Matth. 11. etiam in carcere constitutus, cùm videret discipulos penitus velle ipsum agnoscere pro Christo, captauit occasionem duos ex illis mittendi ad Christum, cùm hac commissione, vt interrogarent eum: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Vt postquam miracula Christi vidissent, quæ ipse Saluator iubebat Ioanni renunciare, illos docere posset, illum esse Messiam in lege promissum, de quo prædixerat Esaias vates cap. 35. *Deus ipse veniet & saluabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum; & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Sic Apostolus Paulus Act. 17. videns Athenienses curioliores, & ad nihil aliud vacare, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui, stans in medio Areopagi, ait: *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim & videns simulachra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat*, IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

4. *Oblata alicuius boni occasio non est prætermittenda.*

Hæc dixit illis, cùm post doctrinam de resurrectione dixerant ei: *Possumus scire quæ hæc est noua, quæ à te dicitur doctrina? noua enim quædam infers auribus nostris: volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.* Videns curiositatem eorum, à superstitiositate illos auertit, & Deum verum docet agnoscere. Athenienses à Philosophis & Sibyllis, fortè etiam à Iudæis intellexerant Deum verum esse inuisibilem, absconditum, sublimem, inaccessum & incomprehensibilem, ideò illi aram statuerant hoc titulo, *Ignoto Deo*, cùm Deo ignoto colebant simulachra gentium, eaque illi adæquabant, iuxta illud Isa. 40. *Cui assimilastis me, & adæquastis dicit sanctus*: D. Paulus sciens neminem colere vel amare ritè posse id quod non nouit, inquit: *Ergo quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*, quasi dicat: Non sum nouorum dæmoniorum annuntiator, vti vos obijcitis; sed Deum vestrum vobis annuntio, atque ex ignoto facio notum. Hinc patet Deum ignotum Athenis, fuisse Deum verum: alioquin enim eum refutare debuisset Paulus, eique substituere Deum verum: sicut Constantinus Magnus Imper. fanum ab argonautis erectum Numini saluifero, indeque Sosthenium appellatum, conuertit in Michaelium, id est, S. Michaëlis templum, vbi

teſte Nicephoro ſlib. 7. cap. 50. eò quòd S. Michaël argonautas iuuiſſet, non Iupiter, aut aliud Numen, vti argonautæ putabant. Id enim S. Michaël apparens Conſtantino aſſeuerauit. Paulus rurſum captus à Iudæis, cùm videret iudices ſuos partim eſſe Phariſæos, partim Sadducæos, exclamauit ſe eſſe Phariſæum, & de reſurrectione mortuorum iudicari, itaque Phariſæos in ſuam partem attraxit, qui eum contra Sadducæos tutati ſunt, Act. 23.

5. *Res magna ante pocula ſunt tractandas. Ante meridiem apud plerasq; nationes cauſa iudicabatur*

Alterum obſeruatu neceſſum; res grandes ſiue magni momenti ante pocula eſſe tractandas. In Babylonia ante meridiem iudicijs, cauſiſque diſceptandis deſtinatum fuiſſe antemeridianum tempus, ſatis colligitur Daniel 13. nam in ipſa meridie diſcuſſis iam iudicijs, & ſoluto ſenatu quilibet reuertebatur domum ex ædibus parentis Suſannæ, quæ tam amplæ erãt, vt eò ſenes, *qui videbantur regere populum*, concederent. Sic autem loquitur Scriptura, Suſannæ hiſtoriam enarrans. *Cùm autem populus reuertiſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomario viri ſui.* Senſus eſt: Cùm ſub meridianum tempus, ſenatuque iam demiſſo, populoque ad propria regreſſo, vacua eſſet tum à cauſis, tum à concertatoribus, domus; egreſſa Suſanna ex abdito, religioſoque conclaui, cui erat aſſidua; & in viri ſui pomarium ingreſſa, animum deambulando relaxabat. Sanè apud Romanos, quod illis fortaſſe cum alijs nationibus commune fuit, ante meridiem, ad meridianum vſque articulum diſceptabantur cauſæ. Sic Martialis lib. 4. epig. 8. vbi totius diei tempora diſpenſat.

Prima ſalutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia Cauſidicos.

Tobias noſter volebat antè meridiem de matrimonio cælitus etiam deſtinato tractare. Ita oportet. Quot nunc ſemiebrij ſponſalia inire feſtinant, & vrgent? Quot ſunt, quos tali rerum articulo inijſſe, alterâ die, pœnitet? Quid miraris? Barbarorum eſt, non Chriſtianorum inter pocula res ſerias tractare, vt ſunt Matrimonium, iudicia, & ſimiles. Herodotus libr. 1. dicit Perſas temulentos grauiſſimis de rebus agitare conſilia, quæ ſequuntur, ſi quando illa ſobrijs placuerunt. Quin etiam ſi ſobrij quid probarunt, illud idem cùm vino incaluerunt, ad quæſtionem vocant. Neque illud amplectuntur, niſi ijdem ebrij, ex vſu futurum eſſe reipublicæ iudicauerint. Idem docet Strabo lib. 15. Suidas in verbo Ὄινος πίθου Scholiaſtes Ariſtophanis *in equitibus*. Athenæus lib. 4. cap. 6. Q. Curtius lib. 7. & alij plures. Solere autem eo tempore Perſarum principes de rebus maximis deliberare, docet Holofernes, qui cùm deberet eſſe maximè ſobrius, cùm grauem

Barb. veriũ eſt inter pocula de matrimonio, aliisq; re grani conuenire,

Perſa de rebus grauiſſimis temulenti conſultabãt.

belſorum molem ſuſtineret, commaduit vino, & iacebat in lecto nimiâ ebrietate ſopitus. Illud etiam penè mihi certum eſt, tam Regem Nabuchodonoſor, quàm eos, qui fuerunt ei à conſilijs, cùm cogitaret omnem terram ſuo ſubiugare imperio, Iudith. 2. incaluiſſe priùs mero, quàm ſuam de re tanta ſententiam pronuntiarent: decretum enim ab illo conſeſſu eiuſmodi fuit, vt ab ebrijs potius, quàm à ſobrijs editum videri poſſet. Probabant enim omnes, quod abſurdum, omnem terram eius ſubiugare imperio: vt Regis voluntati placerent, neque quid deceat, neque quid liceat, admodum curant. Similiter Rex Aſſuerus, *cùm eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem, incaluiſſet mero, præcepit ſeptem conſiliarijs ſuis, vt introducerent Reginam Vaſthi coram rege poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde.* Stultum mandatum vino incalentibus, illecebras offerre peccati: vnde illa ſapientior renuit. Res poſita in ore ſeptem Conſiliariorum, qui ſententiam tulerunt, qualem ab ebrijs exſpectare licet, videlicet Vaſthi è regno eijciendam & repudiandam, cùm illa potiùs præmium commeruiſſet. Seuerus Sulpitius conſultiorem appellat reginam ſtulto rege, cùm iuſſa abnuit, tale hominum oculis ſpectaculum præbere. Et verè, cùm præter ſcandalum alijs datum, neque tuta erat aut Regis ipſius, aut Reginæ dignitas in ebriorum conuentu, vbi indomitus rapit libidinis furor, vbi verborum licentia, & inuerecunda procacitas, quæ neque ſibi à regia dignitate temperant, neque cui ideò ſe exponant periculo conſiderant. Hæc omnia immoderata comitantur pocula: neque id illiberale putant, aut indecorum. Qua de re grauiſſima habemus patrum teſtimonia, quæ cuiuis occurrent non vocata. Hieronymus Epiſt. 10. ad Furiam tom. 1. cùm amouere ſtuderet incentiua luxuriæ, ait: *Non Æthnei ignes, non Vulcania tellus, non Veſeuus, non Olympus tantis ardoribus æſtuant, vt iuueniles medulla vino plena, & dapibus inflammata.* Ethna Siciliæ mons, perpetuo clarus eſt incendio, de quo Trogus, Virgilius, Claudianus, Plinius, & omnes ferè veteres, veluti de miraculo quodam meminerunt. Vulcania autem tellus pro Therſia inſula, quæ eſt inter Liparam, & Siciliam, ponitur. dicta eſt autem poſtea Hiera, quòd Vulcano ſacra eſſet; eſt enim in ea, auctore Plinio, collis, qui nocturnas euomat flammas. Veſeuus verò, qui & Veſuuius, mons eſt iuxta Sarnum fluuium, Neapoli vicinus, vini bonitate percelebris, præter verticem, qui cineroſus eſt, & cauernoſus, Strabone teſte, amœniſſimus. Euomit hic etiam interdum flammas, ac cineres: quod ætate noſtra

noſtra accidit, non ſecus, quàm ætate Plinij, cuius interitu clarus quoque eſt. Olympus autem nomen fuit hîc additum, vt Eraſmus putat: nec de Olympo Theſſaliæ intelligi hic locus debet, cùm is certè non ardeat: ſed de eo, qui eſt in Æthiopia ad mare Rubrum Heliopoli oppido vicinus, quem ab ortu Solis ad quintam vſque diei horam flammas euomere, à veteribus ſcribitur. Tertullianus aduerſus Phyſicos cap. 1. *Monſtrum habetur libido ſine gula: cùm hæc duo tam vnita atque concreta ſint, vt ſi diſiungi omninò potuiſſent ipſi prius ventri pudenda non adhærerent.*

Contra illum iucundis antipocula.

Vtinam illa conſuetudo ceſſaret apud Chriſtianos, quâ in venditionibus ſub haſta, vino aut cereuiſia abundè propinari ſolet, vt liberalius licitent emptores, ſeriùs pœnitudine ducendi! Vtinam ad ſponſalia tam multi non conuolarent, poſtquam vino alioúe potu ventet ad libidinem æſtuat, pœnitentia ſequenti die non ſequeretur, & tribunalia Eccleſiaſtica ſoluendis ſponſalibus non adeò occupaientur.

SECTIO VIII.

An rectè timuerit Raguel filiam dare in coniugem ob infortunium, quod alijs ſeptem maritis contigerat? Et quantum mali cauſet vanus timor?

1. REGIVS Propheta Pſalm. 13. de aliquibus dicit: *Ibi trepidauerunt timore, vbi non eſt timor.* An verò Raguel, qui expauit audita propoſitione Tobiæ iunioris ſciens quod euenerat ſeptem alijs filiæ maritis, inter illos cenſendus ſit, iam diſcutiendum eſt. Viri ſancti in aliquibus ſcientiam diſſimulaſſe abſque ſcrupulo, ſacra pagina pandit. Abraham vtique prudèter ſiluit Saram eſſe vxorem ſuam, Geneſ. 20. Rebecca ſuppreſſit ſibi notum eſſe ex Dei reuelatione Iacobum præferendum Eſau, Geneſ. 27. Iacob ſomnium Ioſeph, cui fratres inuidebant, tacitus conſiderabat, Geneſ. 37. Samuel non dixit ſe venire, vt Saulem vngeret in Regem, 1. Reg. 16. nullus eorum in hac diſſimulatione ſingultum ſenſit aut ſcrupulum cordis: Raguel, licet eſſet vir pius hac in re fuit perplexus. An vlla ipſi præ cæteris obligatio indicandi quæ euenerant filiæ ſuæ maritis? An ſilere ipſi non ita licitum, atque alijs? Omninò, primò quia nullum inerat vitium puellæ, nec debebat manere innupta cum ſterilitatis opprobrio, quandoquidem nulla eam ſtimularet ſceleris proprij conſcientia. Secundò, quia Tobias nihil interrogabat, neque inquirebat de huius mali euentu; ſed ſuo ingenio fidebat. 3. etiamſi fuiſſet vitium aliquod filiæ, non tenebatur pater aperire quandoquidem res eſſet publicè nota. Adeóque non minus licuiſſet Saræ illo caſu aſſentiri nuptijs cum Tobia, quam leproſis, de quibus cap. *Quoniam nouisti*, de coniugio leproſorum: *Leproſi ſi continere nolint, & aliquam quæ ſibi nubere velit, inuenerint, liberum eis ad Matrimonium conuolare.* Cæterùm apud Theologos indubitatum eſt, filiam & ſi corruptam, pauperem, ignobilem, aliamue æſtimatam, aut non ita bonæ famæ nullatenus obligatam ſeſe aperire, aut diffamare ex iuſtitia, neque mediatores; tum quia inuenis ſuos defectus non aperit, & ſi quid ſcire ambiat, aliunde informationem debet quærere: ex charitate autem teneri, quando credit occultum malum aliquando detectum iri, & pernitioſas inde futuras nuptias.

Viri ſancti aliquando ſcientiam nimium rei diſſimulauerunt.

Raguel non timebatur aperire filiæ infortunium, quare.

Nihilominus, Raguel noſter, vt addit Græcus codex, propter pauorem aperuit, qua de cauſa difficile iudicaret, & inhumanum, poſtulatis annuere, cùm ſeptem virorum repentino caſu ſuſpicari cogeretur eſſe filiæ ſuæ fatale connubium, neque velle viri ſibi amantiſſimi filium idem cum aliis infortunium ſubire. Quo nomine Ambroſius libr. Offic. 3. cap. 14. Raguelem laudat, tanquam virum ingenuum, à quo dolus longè abeſſet: *Raguel*, inquit, præcipuè qui contemplatione honeſtaris, *cùm rogaretur filiam ſuam dare in coniugium, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circumuenire peritorem tacendo videretur. Itaque cùm Tobiæ filius Tobiæ poſceret vt ſibi daret puellam reſpondit: Lege quidem ipſi eam deberi tanquam propinquo, ſed dediſſe ſe eam ſex viris, & omnes eos eſſe mortuos. Iuſtus itaque vir plus alienæ timebat, & malebat innuptam ſibi manere filiam, quàm propter nuptias eius extraneos periclitari. Quàm breuiter abſoluit omnes quæſtiones Philoſophorum, illi de vitijs tractent damnorum, tegenda, an prodenda à venditore videantur, hic noſter nec filiæ vitia celanda arbitratus eſt, & certè non ipſe affectabat, vt eam traderet, ſed rogabatur. Quãto vtiq; iſte honeſtior ſit illis dubitare non poſſumus, ſi conferamus quanto præſtantior ſit filiæ cauſa, quam rei venalis pecunia.* O virum beatum, virum, inquam, cælo natum! Regius Propheta perſunctatur: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Pſalm. 14. verſ. 1. & reſpondet verſ. 3. *Qui non egit dolum in lingua ſua.* Et hominem perfectè iuſtum videtur Scriptura deſcribere, quòd ſit ſine dolo, 1. Petr. 2. vbi de Chriſto aſſerit: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.*

2. *Raguel, vir doli expers.*

Homo rectus cælo dignus.

Maſtica hæc, mi Chriſtiane, & ſectare virtutem & ingenuitatem, & quidquid huic contrarium, fuge; recogita quàm deteſtabiles ſint in Scriptura, qui cum dolo locuti: Dixerat, ad Hieremiam vatem Dominus cap. 9. *Habitatio tua in medio doli, inter homines videlicet*

3. *Dolo ſi Deo deteſtabiles.*

licet dolosos, qui linguam in melle, eor in felle situm habent. Et vers. 8. addit: *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias*, id est, illorum lingua plena doli est, neque minus vulnerat crudeliter, quàm sagitta. Præfert amico simulatam pacem, & occultè veras molitur insidias. Tum rogat: *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiusmodi non vindicetur anima mea?* Et respondet: *Super montes assumam fletum ac lamentum, & super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt, eò quòd non sit vir pertransiens: & non audierunt vocem possidentis? à volucre cæli usque ad pecora transmigraverunt, & recesserunt.* Quasi dicat: Grauissimam luent pœnam, quibus doli studio fuêre. Inducam enim fletum super montes, & super speciosa omnia, à Iudæis olim diligenter exculta, in quæ sic grassabitur Chaldæorum furor, vt comburantur omnia, redigantúrque in syluas, & vastam solitudinem: neque ibi vox audietur armenti, neque viatorum vestigia videbuntur: neque quicquam relinquetur eorum, quæ vsus desiderat humanus: non pecora, non volucres domesticæ, ac cicures, quia illa omnia secum abducent Babylonij.

4. *Lingua dolosa quanta mala pariat.*

Dolosa illa locutio, quæ non mala in orbem inuexit? Scriptura locuples testis est. Primos parentes Dei indignationem, & mortis pœnam incurrere fecit hæc fraudulenta lingua. *Cur præcepit*, inquit serpens ad primam mortalium matrem, *vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* Astutè serpens conatur euertere finem præcepti, vt euertat ipsũ præceptum, quasi dicat: Non apparet iusta ratio & causa, cur Deus vetuerit esum huius arboris; ergo reuera & seriò eum non vetuit, sed quod dixit: *Non comedatis ex eo*, ioco & ludens dixit. Antecedens probat serpens ex vtilitate ipsius arboris, dicens ver. 5. *Scit enim Deus, quod in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum*, non essentiæ; hoc vtique est impossibile; sed similitudine quadam sapientiæ & omniscientiæ, vt sequitur, *scientes bonum & malum*. Et vsque adeò persuasit, vt de fructu vetito comedentes, maledictiones eas incurrerint, quas caput 3. Genes. recenset. Quam miseriam non subijt Cain, in dolo locutus cum fratre, videre est Genes. 4. Leui & Simeon duram audierunt maledictionem à Patre, Genes. 49. quod in dolo locuti cum Sichimitis, eos interemerint. Perfidas connubij leges ob violatam Dinam cum illis posuerunt: Circumcidendi estis, inquiunt, vt nostri gentis nostræ imitati, nobis satis similes; sic demum inter nos coniugia contrahemus. Mera fraus fuit, & sanguinaria. Nam tertiò vulnerum die vrbem ingressi filij Iacob, ingentem ediderunt stragem omnibus vndequaque vastatis, cæteram imbellem turbam abduxerunt captiuam. Iacob mœstissimus parens: *Turbastis me*, inquit, *& odiosum fecistis me: dolebo ego, & domus mea.* gladius vester meo lusit iugulo. Saul machinatus est mortem Dauidi, dum illi in dolo offert filiam sub pretio centum Philistinorum, à quibus miserè iugulandum confidit, 1. Reg. 18. Dauid causa mortis sic fuit Vriæ 2. Reg. 11. & audit horribilem à Nathan nomine Dei sententiam, *Propterea gladius non recedet à domo tua in æternum.* Herodes dolosè à Magis inquirens de puero IESV, eius necem meditatur, & seipsum prodit. Quàm multas infaustas causas it, & inauspicatas nuptias lingua dolosa, quotidie proh dolor! experimur. Vnde Raguel vir iustus longè à se eam voluit facessere, & filiam potiùs manere innuptam, quàm specie aliquâ doli, vti.

5. *Iustè timuit Raguel.*

Vt vt est. Id certum est Raguelem iustè timuisse. Durum vtique illi visum fuit, & in hospitali viro cognato, & pio, in periculum conijcere probabile adolescentem, cui omnia cupiebat secunda: sciebat enim quid septem viris non multò antè contigisset, qui id consecuti fuerant, quod nunc tanto studio Tobias optare videbatur, atque ideò hærebat, differebatque responsum de rerum euentu vehementer sollicitus. Adhæc ignorabat, an motiua iuuenis essent iusta, an non forma & species eum deciperet; an insana libido illum stimularet, quod etiam viros alioquin pios in discrimen coniecerit: an hæreditas opima finis præcipuus fuerit Matrimonij. Nã propterea Angelus agnoscens dubitationis & cunctationis causam, fundaméto niti non improbabili, omnem ab illius animo timorem remouet, & securum esse ab omni sollicitudine, & angore iubet, & sibi dicit rem esse notam, neque ignorari causam, cur septem viris inauspicatæ fuerint, atque fatales nuptiæ: quia neque timuerunt Deum, neque talem ad nuptias attulerunt animum, qualem nunc adfert religiosus isto, & castus adolescens; dum ait: *Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debentur coniuncta filia tua: propterea alius non potuit habere illam.*

6. *Deum nos*

Nos verò miselli absque meru & trepidatione vlla quasuis nuptias admittimus, similes Noemi sæculi hominibus, quodlibet amplectimur matrimonium, de infausto exitu parum solliciti. Vbi timendum est, non timemus, sicut illi: vbi timendum non est, timemus; hinc omnia mala, vt diluuium & Salomonis plagæ satis reuincunt, & parentum, quos auaritia & ambitio filios ad inauspicata matrimonia vrget, funestus exitus, dum præ dolore, quem tristior successus serùs peperit, tabescunt. Quod & in alijs experimur. Re-

gius

timentes, facile pauli.

gius vatès Psal. 13. & 52. de quibusdam pronuntiat. *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Deum & pietatem spernentibus hoc familiare. Ad relationem exploratorum redeuntium à terra promissa, pauent Hebræi: *Vtinam*, inquiunt, *mortui essemus in Ægypto: & in hac vasta solitudine vinam pertamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi nostri ducantur captiui. Nonne melius est reuerti in Ægyptum? Dixeruntq; alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Magna stoliditas. Redire enim in Ægyptum erat eis impossibile, tũ ob defectum annonæ in deserto. Deus enim rebellibus suum manna subtraxisset: tum quia rursum eis tũ eundum fuisset mare rubrum, aut certè illud circumeundum per gentes hostiles, quæ Hebræos per suos fines transire non permittebant. Quapropter Caleb & Iosue ferìò illos monent: *Nolite*, inquiunt, *rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panẽ ita eos possumus deuorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.* Sensus est, Hæc rebellio, hic pauor Deum lacessit: Deus promisit nobis victoriam, imò possessionem totius Chanaan. Quid timetis? Deus subduxit Chananæis ad aduentum nostrum suam protectionem, vt cadant coram nobis: *recessit ab eis omne præsidium*, quod ab hostibus, & periculis protegere solet; Deus autem nobiscum est, quo præsente nullo negotio eos delere possumus. hoc insinuãt verba, *Sicut panem ita eos possumus deuorare.* Vt enim probent Caleb & Iosue, facilem & expeditam, sine sudore & sanguine, de inimicis suis victoriam: se quidem sano & famelico homini, hostes verò pani comparant, viri fortissimi, veris dictis aliorum exploratorum criminationes, elidentes, *Ne*, inquiunt, *timeatis populum terræ huius.* Illi pusillanimitate victi voluerunt lapidibus eos opprimere: Vnde Deus voluit eos perdere, sed orante Moyse parcit, cum hac tamen pœna, vt nemo eorum terram promissam ingrediatur. Sic puniuit Deus timidos & pusillanimes, non audentes bella inire cum Chananæis, cùm timendum non esset, quandoquidem Deus eos iam decreuisset exterminare.

Demorare sicut panem, quid.

Aliud exemplum quasi timoris

Sic Ioan. 11. timebant Pharisæi & Pontifices, ne, si impunè permitterent Christum miracula facere, omnes crederent in eum, & venirent Romani, & ciuitatem Hierusalem occuparent, & omnes in captiuitatem redigerent: *Venient*, inquiunt, *Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Cæcus timor & depugnans. *Hic homo multa signa facit*, ergo inuehamur in eum: quare non dicimus, Ergo credamus in eum? *Venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Quare non dicimus, *Venient Romani, & credent in eum*: quare non dicimus, Credamus in eum, & nihil metuemus, etsi Romani nos velint vi opprimere, qui mortuos suscitat, suo auxilio nos facilè defendet? Sic vtique argumentari debuissent. Nam innumeras gentes contra eos insurgentes, vnius Prophetæ interuentu à Deo dispersas, & superatas esse experti erant. Vna Iudith Holofernem occidit, & exercitum eius dissipauit. Eliseus latrones excæcauit. Helias quinquagenarios duces igne de cœlo immisso consumpsit. hæc omnia ex Scripturis non ignorabant Iudæi: nemo autem tanta opera fecerat, nec talia, quanta & qualia Christus fecit. Quia autem vanè timuerunt perdere terram, perdiderunt cælum, imò & terram: *Quia*, inquit Augustin. tract. 49. in Ioan. *temporale regnum spirituali prætulerunt, vtrumque amiserunt.* & lib. 4. de Cuit. cap. 34. *Si Iudæi Christum non occidissent, in suo regno permansissent.* Propterea enim venerunt Romani, & tulerunt locum & gentem, iuxta quod prædixerat Daniel cap. 9. *Occidetur*, inquit Christus, *& ciuitatem cum sanctuario dissipabit populus cum duce venturo.* quod etiam Dominus eis significauit dicens, Luc 19. *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Et multò antè etiam Esaias cap. 65. *Numerabo vos in gladio, & omnes cade corruetis, pro eo quod vocaui, & non respondistis: locutus sum, & non audistis: & facta estis malum in oculis meis.*

Rex Zedechias timens displicere Principibus, in mortem Ieremiæ consensit; Ier. 38. *Rogamus*; inquiunt, *vt occidatur homo iste*, &c. & dixit Rex Sedechias: *Ecce ipse in manibus vestris est; nec enim fas est Regem vobis quicquam negare.* Darius rex Daniel 6. timens Satrapas & principes, qui dicebant Persarum atque Medorum decretis Regi in suas leges potestatem non esse relictam, Danielem inuitus permisit immergi in lacum leonum. Hi omnes trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

1. exemplum.

Verùm planissimè dixit Christus Matth. 10. *Nolite timere eos, qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt occidere. Timete autem magis eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Impius*, inquit Hilarius in Psal. 54. *timor est: cùm quæ non timenda sunt, timentur, & quæ timenda sunt, non timentur. Et plerumque nos nunquam pro debita, offijj religione pié adulari regibus existimamus, quia in corpus nostrũ sit his aliquid potestatis: quibus nihil vltrà de nobis licet quàm latroni, quàm febri, quàm incendio, quàm naufragio, quàm ruinæ. His enim casibus corporum pro summa potestate sæuimus, & propter breuem doloremlibertatem Ecclesiæ, spei nostræ fiduciam, confessionem Dei addicimus: punitorem, perditoremq; ignis vltrij, & corporis & animæ nostræ Deum non timentes, & æternis diuina vltionis pœnis momentanea atque abolenda supplicia præferentes, dum placere nos*

7. *Vanus timor reijciendus.*

vt nos ipsis, & in eorum gratia permanere famulatu impio gloriamur, hoc & ipsum decreto grauissimo sententia diuina condemnat. Pilatus Christum morti adiudicauit, timens ne amicitiam Cæsaris perderet. Iudices personas potentum respiciunt: aliqui, vxores timent dominatum ambientes, & non verentur propterea iniustitiam committere. In quos intonat Isaias Vates: *Væ qui iustificatis impium, & iustitiam iusti auferetis ab eo.* Timebat Iudas Genes. 38. ne & filius ipsius iunior Sela moreretur, sicut duo fratres eius Her & Onam, si duceret in vxorem Thamar, vti obligabatur, & incidit in incestum cum nuru sua.

8. *Reprehenduntur qui Deum offendere non timent, sed ignominiam hominum.*

Sic multi trepidant timore, vbi non est timor Adam peccatum non timuit, sed ignominiam: hinc dicit, *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Nuditatem corporis timet, necdum flagitij sui grauitatem. Sic vsu venit, vt homines plerique de factis à se scelestibus angantur, non tam propter Dei offensam, aut cęlestium bonorum amissionem, quàm propter incommoda, & mala fortunæ aut corporis, quæ illis ex peccato acciderunt: exempli causa, propter publicum dedecus, vel infamiam, propter offensionem hominum, apud quos gratiosi esse cupiunt; deniqúe propter detrimentum rei familiaris, aut damnum aliquod corporis. Cain non timuit occidere fratrem Genes. 4. sed timuit omnes creaturas fore contra illum dimicaturas, ad fratricidium, quod commiserat, vlciscendum: *Omnis*, inquit, *qui inuenerit me, occidet me.* Alij non timét peccatum, sed exomologesim, sed pœnitentiam. Hi similes pueris sunt, qui aquam & ignem non timent, sed laruam. Gregorius Nissenus tract. 2. in Psalm. cap. 15. timorem istum vanum & pernicioſum confert egregiè cum rabidis, aquam timentibus, quam si quo modo admittere possent, medicamentum vtique aliquod suæ ægritudinis haberét, sed metuunt ea ipsa, quæ ad salutem sunt proposita, & alieno sunt animo ab eo quod conseruat, metuúnque ne pereant, interitum sibi creant. Confirmat verbis, quibus clamabat Christus vitæ fons: *si quis sitit, veniat ad me & bibat*, Ioan. 7. hi autem, quos inuitabat, furore incredulitatis in animæ potentijs præoccupati, *trepidabant timore, vbi non erat timor*, potum salutis aspernari.

Aliqui peccare non timent, sed confiteri.

Egregia similitudo.

Rabidi canis morsus pauorem aquæ inducit.

Et re&è. Meminit enim Plinius rabidi canis morsum pauorem aquæ, potusque omnis afferre odium: celebrem quoque curam demorsi à rabioso cane rabientis adolescentuli in Tarso, Apollonij Tyanæi opera, memorat Philostratus de vita Apollo. cap. 18. libr. 6. disertè scribens cupere tales aquam & timere: adolescentulum verò, postquam, qui momorderat canis eum adlambuisset, hausiam ex Cydno aquam bibisse; canem etiam in fluuium coniectum, cùm diu in illo natans moratus esset, in ripa consistentem vlulauisse, quod rabiosi non solent canes, auribusque demissis caudam vibrasse, tanquam & ipse conualuisse sese agnosceret, quia medicamentum rabiei sit aqua, si eam attingere rabiosus audeat.

E heu quàm multi hoc timore à gloria cœlesti excluduntur Christiani! quàm multi hæresi infecti fidem Catholicam horrent. *Trepidant timore, vbi non est timor.* Quid times ô Christiane, anteactæ vitæ peccata omnia in memoriam reducere? Examina diligenter conscientiam de peccatis mortalibus. Dole de omnibus tam ijs quæ memoriæ occurrunt, quàm quæ non occurrunt: & priora quidem confitere coram Sacerdote; de posterioribus verò dic cum Dauide, *Ab occultis meis munda me Domine* (Ita suadet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5.) Neque opus est fatigare caput, aut instar carnificis torquere conscientiam, & eculeo subijcere. Aliquis sanè labor adhibendus est in examine: sed nõ maior, quàm qui à mercatoribus adhiberi solet in examine expensarum. Multò certè minor, quàm qui in morbo corporis necessarius est. Sæpè ægroti nesciunt, quid morbi aut contagionis habeant; quæ & qualis medicina adhibenda; cui membro, aut corporis parti adhibenda. Consulunt medicos. Et hi ipsi perplexi sunt: Explorant pulsum arteriarum; inspiciunt vrinam; & nescio quas latebras scrutantur. Et sæpè frustrà: sæpè cum periculo vitæ ægrotantium. Nihil tale est in morbis conscientiæ. Si noti sunt, tolluntur per confessionem; si occulti, non nocent. Res est facilis.

9. *Quantus labor adhibendus in conscientiæ examine.*

Quid times? Sacerdoti aperire peccata præsertim fornicationes, adulteria; Sodomias, & quæ similia sunt? Sed obtenditur pudor, vbi nullus est: Nullus est in plerisque fornicarijs, adulteris, sodomitis, quandoquidem nec pudet illos in conspectu Dei malè agere, nec apud alios palam de suis scelestibus gloriari. Fateor durum ac molestum esse confiteri propria peccata præsertim occulta, enormia, abominanda; sed nisi facias, saluari non potes. Quando ægeres, sumenda est amara potio, quæ nauseam prouocat: interdum etiam tolerandæ sectiones, vstiones, & alia remedia, quæ cum ingenti dolore coniuncta sunt. Si hæc respuis, aut miserè viuendum, aut moriendum est. Sicut ergo, qui ægro corpore est, medicum adit, vt ab eo iuuetur; neque attendit molestias & cruciatus, qui subeundi sunt, sed sanitatem & vigorem membrorum, qui non nisi per ingratas & acerbas medicinas recuperari potest: ita pari proportione, qui sauciam habet conscientiam, Confessariũ adeat,

Confessio peccatorum licet dura, tamen necessaria.

necesse

neceſſe eſt; neque attendat, quàm hoc moleſtum ſit, ſed potiùs quanta animi pax & tranquillitas per hoc obtineri poſſit. Diſertè & verè D. Auguſtinus: *Non te pudeat*, inquit, *coram vno dicere, quod te non puduit forſitan, coram multis, & cum multis facere.* Et paulò poſt: *Heu! cur erubeſcis confiteri, quod facere nequaquam erubuiſti? Melius eſt coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum grani repulsâ denotatum erubeſcere.*

10. *Mirus Confeſſionis tribunal, quòd forenſe.*

In forenſi quidem tribunali quiſquis quæſtionum vi adductus, propria peccata confitetur, ad capitalem pœnam vlterius damnatur: at verò in hoc Sacramentali iudicio quiſquis confitetur, abſoluitur; quod D. Chryſoſtom. hom. 10. in Geneſ. eleganter expendit: *In humanis*, inquit, *iudicijs, ſi quis facinora confiteretur, ſententiam capitalem in caput ſuum accerſeret: at miſericordis Dei, & animarum noſtrarum Medici tanta eſt, tamq; ineffabilis benitas & clementia, vt omnem rationem tranſcendat. Nam ſi facinora confeſſi fuerimus, noſtri ipſorum facti accuſatores, in tantam miſericordiam prouocabimus Dominum, vt non ſolum nobis donet liberari à peccatis, ſed & in iuſtorum catalogo numerari.*

Peccata effoſſa ſub ſeuriſſimo ſigillo tegitur.

Timésne manifeſtet Confeſſarius peccata tua? Trepidas timore, vbi non eſt timor. Confeſſarius arctiſſimè obligatus eſt ad ſeruandũ ſecretum; ſi non ſeruat, punitur. Expendit id Tertullianus lib. de pœnit. cap. 10. *Periculũ* inquit, *pudoris tunc oneroſum eſt, cùm penes inſultaturos in riſiloquio conſiſtit: vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi proſtrato ſuperſcenditur. Caterũ, inter fratres, atque conſeruos, vbi communis ſpes, metus, gaudium, dolor, paſſio; quid tuos aliud, quàm in ipſmet?* Quaſi non minus occulta relinquantur, quæ confeſſario dicuntur, quàm quæ à pœnitente retinentur. Immò magis occulta apud Confeſſarium, quàm apud pœnitentem videantur: nam pœnitens euulgare poteſt, Confeſſarius non poteſt.

11. *Inſignis Miſſus ad confeſſionem exhortatio. Geneſ. 37. 2. Reg. 2. 2. Reg. 4.*

Cæterùm eximit te ab omni ſcrupulo Gregor. Niſſenus orat. in eos qui alios acerbo iud. *Sacerdos*, inquit, *ita triſtatur ob peccatum illius, quem propter religionem habet loco filij, vt Iacob viſa tunica Ioſeph ſanguine conſperſa quærebatur, vt Dauid luxit Abſalonis interitum, vt Eli Ophnim & Phineem qui in acie ceciderant, vt Moſes impium populum, qui rerum nouarum ſtudioſus vitulum ſibi conflauerat.* Quamobrem maior tibi in eo fiducia ſit, *qui te in Deo genuit, quàm in illis, à quibus corpore procreatus es. Audacter oſtende illi, quæ ſunt recondita. Animus arcana tanquam occulta detege. Ipſe & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit. Filiorum dedecore magis mouentur parentes, quàm ipſi filij. Nam vt filiorum gloria ad parentes pertinet, ſic etiam dedecus & turpitudo. Incertus eſt, fratres, terminus vitæ; diſceſſum è vita diligentiâ præuertamus. Abſurdum enim eſt, cùm illi, qui corporis valetudinis rationem habent, ſeipſos expurgent ante canicula exortum, ne quod humidum in illis eſt, vehementi ipſius ardore corrumpatur, & morbos pariat, eos qui animi curam gerunt, incertum mortis diem non anteuertere, & ardorem excruciantis illius ignis, qui æternum comburit, & nullum vnquam refrigerium admittit.*

Ruod. 32.

Timuit Raguel, ne alijs præiudicium generaret, tu time ne tibi ipſi mors ſis.

SECTIO IX.

Quâ ratione perſuaſus fuit Raguel tam liberali animo conſentire in coniugium Saræ cum Tobia! Quæve ex reciproco ſermone Angeli & Raguelis documenta?

1. *Homines ſæpe quandoque ſuis quando permittunt ob vitandum malum.*

SOLENT homines etiam boni ob cauſam aliqua permittere, ſed ægrè, ſubinde ad vitandum malum, quod poſſet ſuboriri. Sic permiſit Iacob Beniamin prædilectum filium ad petitionem Ioſeph ire cum fratribus in Ægyptum, ne Simeon remaneret in vinculis, & cæteri filij ſecum fame & inopiâ morerentur, Geneſ. 43. Sic permiſit Abraham vt Loth ſepararetur ab eo timens paſtorum iurgium, ne videlicet homicidium ſequeretur, Geneſ. 13. Sic Moyſes permiſit vxori à maritis dari libellum repudij, ne præ ſæuitia illam interficerent, Deuteron. 24. Dauid ad voluntatem populi ceſſauit ire ad bellum filij rebellis, quia ipſum vnum dicebat pro millibus computari, adeoque melius eſſe, vt ipſe in vrbe eſſet præſidio: reſpondit enim: *Quod vobis videtur tellum, hoc faciam.* 2. Reg. 18. Heliſæus vt ſatisfaceret deſiderio diſcipulorum, qui certificari volebant de Helia, permiſit eos ire ad quærendum eum, quem ipſe ſciebat aſſumptum curru igneo in cœlum, 4. Reg. 2. Raguel autem neque ad vitandum malum, neque inuitus, ſed liberaliter addixit filiam Tobiæ iuniori, quam primò verebatur ei deſpondere. Quid cauſæ? Prima fuit, quia credidit Deum orationem ſuam & lachrymas exaudiſſe. Mihi veroſimile eſt, quòd Deum poſt tot repentinos caſus obnixè rogauerit, vt indicaret illi cauſam, cur ciuſmodi triſtitiâ toties affligeretur vnica illi filia, tùm quòd viri pij, cùm funeſtâ aliqua afflictione premuntur, ſoleant à Deo cauſam petere tanti mali; tum etiam quòd apud Gentiles talis indaginis comperiatur vſus. Cum Ioſue cap. 7. explorata Hai comperiret populum Iſrael hoſtibus cedere, *ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini vſque ad veſperam tam ipſe quàm omnes ſenes Iſrael, miſeruntq; puluerem ſuper capita ſua, & dixit Ioſue, Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, &*

1. *Cauſa, cur Raguel tam lubenter conſenſerit in petitionem Tobiæ.*

2. *& perderes? vtinam, vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem. Mi Domine Deus, quid dicam videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores terra, & pariter conglobati circumdabunt nos. atque delebunt nomen noſtrum de terra. & quid facies magno nomini tuo?* Idque vt intelligeret cauſam ſtragis, quæ aduenerat: vnde dixit illi Dominus, propter furtum vnius de Iericho illam contigiſſe, neque ceſſaturam, niſi de medio tolleretur iſtius criminis reus. Iob cap. 10. cùm grauiſſima pateretur proponit Deum orare, vt oſtendat in quo antea peccauerit, & cur ipſum tam acerbè & diu puniendum putet: *Dicam*, inquit, *Deo*, &c. *Indica mihi cur me ita iudices.* Gentiles tempore Ionæ, dum tempeſtas inſolita exurgeret in mari, dixerunt: *Venite & mittamus ſortes, & ſciamus quare hoc malum ſit nobis.* Ad horũ exemplũ orauit Raguel Dominũ profuſis lachrymis, quas ad Deũ penetraſſe non dubitabat. Hæc vna cauſa cur tantũ mutatus ab illo.

3. Secunda fuit, quia poſt orationem iubet illum Angelus ab omni ſollicitudine & angore eſſe ſecurum, addúque rationem cur ſeptem viris inauſpicatæ fuerint, atque fatales nuptiæ fuiſſe, quòd Gentiles extitiſſent, qui ignorabant Deum, aut ijs fuiſſe moribus, vt non procul abeſſent à gentilibus: Tobiæ verò timenti, id eſt, colenti verum Deum coniugem deberi filiam: Hoc innuunt verba: *Noli timere eam dare iſti: quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius* (ſcilicet qui non coluit Deum) *non potuit habere illam.* Hunc morem eſſe Angelicum reuincunt plurima loca veteris Teſtamenti. Abraham confecto in Sodomis bello, & victoria, gratiſque Deo actis per Melchiſedech, metuebat ne Babylonij bellum reſtaurarent, aut ne Chananæi inuidiâ, aut ſpe prædæ illecti, in eum quaſi ſpolijs onuſtum irruerent; ſed Deus volens remunerari eius pietatem, fortitudinem, & virtutem, apparuit Abrahæ per Angelum, qui perſonam eius præferebat, eumque roborauit, dicitans, nihil ipſi ab Aſſyrijs, aut Chananæis eſſe metuendum: ipſum enim ſibi cordi eſſe & curæ, ſe eius tutorem, protectorem, & remuneratorem fore. Ille ſenſus eſt verborũ: *Hæc itaq; tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Gen. 15. Cùm Iſaac mirifica Dei benedictione locupletatus ejiceretur ob ſuam potentiam à Rege Abimelech, & Gerarenæ non ſemel ex inuidia obſtruerent puteos quos foderat adquandis gregibus opportunos: alium denique alibi fodiſſet puteum, quem liberum ipſius vſui reliquerant; neque tamen ille ſufficeret, & hæſitans fortè nonnihil ob ea quæ paſſus erat proficiſceretur ex eo loco in Berſabee, *apparuit illi Dominus* ſub forma angelica, *in ipſa nocte, dicens: Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum ſum: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſeruum meũ Abraham*; vt videlicet hac ratione eum ſolaretur, omnemq; illi perturbationem adimeret. Præclarè Chryſoſt. hom. 52. in Geneſ. *Ego ſum*, inquit, *qui patrem tuum glorificaui: & cùm peregrinus eſſet, illuſtriorem omnibus indigenis feci: ego illi ſemper adfui, & in omnibus curam eius geſſi. Ne te perturbet, quòd à Rege Abimelech fis expulſus, & à Philiſtinis iniuriâ fis affectus. Multa talia, & pater tuum pertulit, & inde glorioſior, me iuuante, factus eſt. Noli terreri, ego tecum ſum; idcircò fieri hæc permitto, vt & tuam virtutem declarem, & manifeſtem mentis illorum prauitatem. Ego tecum ſum, & ideò inuictus eris, & infeſtantibus eis impotentior, & inuadentibus fortior: & tantam curam tui habebo, vt inuidioſus illis futurus ſis.*

Angelus Raguelem reuidit ſecundum.

Angelis ſolemne eſt. inſtos perplexos confirmare.

Exẽpla Vet. Teſtamenti.

Gen. 26.

Iacob quoque ob varias cauſas, quas alibi expreſſi timens proficiſci cum ſuis in Ægyptũ, perrexit ad puteum iuramenti, ſanctum admodum & religioſum locum, vbi auus eius Abraham erexerat altare, & inuocauerat Deum, Geneſ. 21. & pater eius Iſaac ſimiliter religioſè Deum coluerat, Geneſ. 26. & ibidẽ ſacrificium Deo obtulit, eumque conſuluit de itineris ſui ſucceſſu, & ſolatium accepit: *Audiuit* enim *eum per viſionem nocte vocantem ſe, & dicentem ſibi, Iacob, Iacob: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, deſcende in Ægyptum: quia in gentem magnam faciam te ibi.* Quod fiebat per Angelum Deum repræſentantem. Plura eiuſmodi ſuggerit vetus teſtamentum Ioſue 1. Iudic. 13. alibi. Sed hæc ſatis. Gen. 46.

Item noui Teſtamenti.

In nouo teſtamento, Ioſepho viro iuſto cogitanti occultè dimittere coniugem Mariã, quæ inuenta erat in vtero habere, Angelus Domini apparuit in ſomnis, dicens: *Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuã; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Eſto ſecurus; diuinum opus eſt, non humanum, idque tale quod in totius humani generis ſalutem vergit. Et licet in forma humana hic exiſteret Angelus Raguelem confortans, credidit tamen aliquid intercedere diuinum. Angelus etiam Zachariam turbatum & timentem confortat, Luc. 1. vti & in Reſurrectione mulieres Matth. 28.

4. 3. *Deus illuminat corda hominũ bona voluntatis.*

Sit itaque tertia cauſa, quòd Deus cor ipſius Raguelis aperuerit, & mouerit, vt intenderet verbis Angeli, ſicut Act. 17. Dominus mulieris Lydiæ colentis Deum, cor aperuit intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Lydia gentilis erat, coluit Deum vel lumine naturæ ex creatione & gubernatione vniuerſi, vel ex inſtitutione maiorum, vel ex familiaritate cũ Iudæis, vti & Cornelius Centurio Act. 10. Illuminauit autem Dominus eius intellectum, & mouit voluntatem eius, vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo, eaque vera eſſe intel-

telligeret, itaque Christum cognoscceret & intelligeret sic credo egit cùm Raguele.

Quomodo in aliis tribus non distrahenda possessio.

Ex quo intellexit etiam Raguel, quod illi septem mariti non coluissent Deum; quodq; ipse debuisset iuxta legem Moysi tradere filiam suam vnicam, ad quam ventura esset paterna possessio, adolescenti contribuli, ne aliàs tribus, & illarum funiculi confunderentur, vt constat Num. 36. (de qua plura sect. seq. (vbi lex magis quàm alibi expressè proponitur, eaq; ratio redditur ne connubijs cum alieno genere contractis confunderentur possessiones, minuerenturque, cùm filiæ ad quas paterna deuolueretur hæreditas hominibus nuberent ex aliena tribu. Quare cùm lex illa his vellet incommodis occurrere, statuit, vt fœminæ, ad quas transscribenda erat parentis hæreditas, suæ tribus, imò suæ cognationis viris nuptiali vinculo iungerentur. Hoc enim ipse fatetur, cùm subiungit: *Credo quoniam ideò fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi.*

5. Dei favor super timentes eum.

Præterea intellexit Raguel, Deum timentibus se fauere: *Misericordia Domini*, inquit Psaltes, *ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum*, Psalm. 10. & Psalm. 107. Beata Virgo apud Lucam cap. 1. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Siracides Eccles. 10. *Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum.* Vnde & idem Siracides Eccles. 40. *Non est in timere Domini minoratio, & non est in eo inquirere adiutorium: Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* Verissimè S. Chrysostomus homil. 69. ad populum: *Omnium*, inquit Dauid, *Regem eis reddam propitium, & nihil eis amplius deerit, Dominus enim pascit me, & nihil mihi deerit. Hæc magna sunt opes, thesaurus magnus, Si Dei timorem habeamus, nihil nobis est opus: si verò non habeamus, etsi regnum ipsum possideamus, summus omnium pauperrimi. Nihil æquale Deum timenti. Timor enim Domini omnia superat.* Hisce de causis meritò concluſit Raguël, *& nunc noli dubium gerere, quòd eam tibi tradam.* Vtinam hisce motiuis hoc seculo persuaderentur alij! talibus enim nihil triste potest accidere, quia conformant se voluntati diuinæ. Planissimè affirmat Siracides Eccles. 2. *Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei.* Talibus est secura tranquillitas. Appositè Hebræus Sapiens: *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Qui consonat Siracides Eccles. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate tua, & tristitiam longè expelle à te*, & subijcit sbanim: *Splendidum cor bonum in epulis est: epula enim illius diligenter fiunt*, vbi illud, *placens Deo*, perinde est ac si dixisset, si places Deo, si nihil tibi conscius sis: *Congrega itaque cor tuum in sanctitate*, propter quam sis Deo gratus; ex quo ingens tibi animi solatium accedet. tum præterea, splendori & hilaritati animi diligenter etiam curabis aliquanto splendidiorem mensæ, & victus cultum: qui non est indignus hilari, & Deo placente animo, diebus præsertim solennioribus; Sicut fecisse videtur Esdras, & ad idem studium hortatus populum 2. cap. 8. vers. 9. *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: ite, comedite pinguia, & bibite mulsum: & mittite partes his, qui non præparauerunt sibi: gaudium enim Domini est fortitudo nostra.* Lætitia, inquit, diuinorum beneficiorum animo & corpore vires vobis, & refectionem addere debet.

Deum timentibus nihil triste accidere potest. Eccles. 9.

Considera mi homo ex hac Raguelis confortatione, & illuminatione, quàm verè dixerit Regius Propheta, *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis*, Psalm. 18. & *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*, id est, humilibus ac modestis in anxietate versantibus, vt iam vidimus in Abraham, Isaac, & Iacob, qui angelico verbo confortati omnem metum, & anxietatem deposuerunt. Cùm Elias fugisset à facie Iezabel ad montem Horeb, ibique in spelunca delitesceret, quo non videbatur peruentura Iezabelis crudelitas; non reliquit Deus Prophetam diu mœstum in illo tenebricoso loco; sed per Angelum illum allocutus est: *Quid hic agis Elia?* Hanc vocem Terrullianus ad Psychicos cap. 6. plenam dicit esse benevolentiæ, quam sibi à Domino promeruit Eliæ ieiunium: *Elias*, inquit, *minante Iezabel fugiens post vnicum pabulum, & potum, quæ ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit ad montem Horeb, vbi cùm in spelunca diuertisset, quàm familiari Dei congressu exceptus est? Quid tu Elia hic? multò amicior ista vox, quàm, Adam vbi es? Illa enim pasto homini minabatur, ista ieiuno blandiebatur.* Ac tandem plura consecutus est, per quæ metus omnis necessariò cessaret. Raguel hoc loco angelicâ voce confortatus liberrimè consensit in matrimonium cum Tobia, vbi diuinum aliquod verbum intercedit, non potest non esse consolationis abundantia, & mentis illuminatio: propterea dicebat Regius Propheta: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*, Psalm. 118. Nathanaël cùm hæsitaret dubius an Christus de Nazareth nasci posset, cùm dixerat ei Philippus. *Inuenimus* IESVM *filium Ioseph à Nazareth*; postquàm audiuit à Christo Domino Angelorũ Rege, *Prius quàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te: Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israël.* Tanto miraculo Nathanael persuasus in mirã Christi prorupit confessionem, *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israël*, quibus verbis non solum eum verum Messiam, & Christum expectatum

6. Dubys & anxijs Deus dat intellectum.

Eloquia diuina consolantur mœstos, & hæsitantes illustrant. Ioan 1.

ſpectatum affirmat, ſed tria de eo pronuntiat, quæ ex ſcripturis, earum diligens ſcrutator didicerat; Doctorem & Magiſtrum vocat, quia de eo legerat prophetatum Ioël. 2. *Dedit vobis doctorem iuſtitiæ.* Filium Dei prædicat, quia legerat de eo dictum Pſalm. 2. *Filius meus es tu*; & additur articulus; *tu es ille filius Dei*, vt non quomodocumque filium Dei, ſed inſignem filium ſuper omnes, qualis futurus erat Meſſias, oſtendat, Regem Iſrael appellat, quia de eo legerat Zachar. 9. *Ecce rex tuus venit.* Mira profectò confeſſio, plura & maiora prædicat, quam à Philippo audierat. Philippus filium Ioſeph, at hic filium Dei: Philippus à Nazareth, at hic Regem Iſrael confitetur. Tantum effecerunt eloquia diuina, quæ ſimul intellectum dant paruulis.

Chriſti vocis efficacia.

Maria Magdalena Ioan. 20. ſollicitè quærens Chriſtum à mortuis rediuiuum, cùm ſub ſchemate hortulani ſe illi ſiſteret, & ab eo Chriſtum ſedulò peteret tanquam ab ipſo ſublatum, *Dicit ei* IESVS: *Maria.* Senſus eſt: Tu me hortulanum putas, & quis ſim ignoras, ego autem te ipſam, quæ ſis, agnoſco. Hoc verbum ſolum omnem anxietatem ſuſtulit. Præclare Toletus Cardin. *O quanta efficacia, & inexplicabilis vnius vocis virtus. vna vox denſiſſimas mœroris tenebras diſſipauit: vna vox mentis cecitatem illuſtrauit: vna vox fontem lachrymarum areſcere fecit, vna vox ardentiſſimum expleuit deſiderium: vna vox cor omni deſiderium conſolatione, gaudio & lætitiâ replenit. Conuerſa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magiſter.* Illa apertis mentis & corporis oculis, agnouit eum, & omni ſuſpitione remota Magiſtri vocabulo, vt conſueuit ipſum honorat. Plura verba proferre repentina, & vehemens rei inſperatæ lætitia vetat: ingens gaudium, & pondus amoris vna vox manifeſtat, ac vni voci vnam reddit vocem, inexplicabile eſſe, quod intus latebat, vocis vnitate ſignificans. mortuum inuenire deſiderabat, viuentem in æternum accepit. Similiter diſcipuli in Emaus cùm dubitantes de Reſurrectione Domini, ſermones eius audiſſent, dicebant ad inuicem: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Luc. 24. verſ. 32.

7. *Quàm ſint efficaces orationes lachrymis irroratæ.*

Aduerte mi Chriſtiane, in hoc Raguelis exemplo, quàm ſint efficaces apud Deum preces lachrymis irroratæ, Iudic. 20. ſemel atque iterum bello inferiores Iſraelitæ, cùm preces funderent cum lachrymis tertiò ſuperiores facti ſunt: Anna Elcanæ vxor deſiderans prolem orauit ad Dominum flens largiter, & ſterilitatem in fœcunditatem mutauit.

Præclarè S. Laurentius Iuſtinian. docens quomodo perfecta fiat deprecantis oratio, Ligni vitæ cap. 8. de oratione: *Orandum*, inquit, *quoque eſt cum lachrymis & gemitu. Quis eſſet, inquit Scriptura, Anna amaro animo, orauit Dominum flens largiter, & abundè obtinuit, quod petiuit. Nemo ad Deum aliquando flens acceſſit, qui non, quod poſtulauit, acceperit. Nullius abeo beneficia dolenter optauit, qui non impetrauit. Ipſe eſt enim, qui conſolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. O lachryma humilis tua eſt potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non veteris, amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponit, non eſt, qui te ad Deum accedere vetet. Si ſola intres, vacua non redibis: Quid plura: Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium virginis, aperis cælum, fugas diabolum, tu, cibus animarum, roboratio ſenſuum, abolitio delictorum, virtutum exterminium, virtutum præmia, gratiæ ſocia, refectio mentium, & lauacrum culparum, tu ador vitæ, ſapor ſpiritus, guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, ſerenata conſcientiæ ſuauitas, & electionis æternæ ſpes valida. Qui te orationis ſuæ comitem habebit, gaudeat, quia poſt orationẽ ſecurus abibit.* D. Chryſoſtomus præfatæ Annæ orationem cum lachrymis mirè dilaudat & prædicat. nam hom. 2. de Anna, eius animum appellat pratum, non pluuijs, ſed lachrymis irrigatum: *Pratum*, inquit, *non quod roſaria profert, aut alios flores, qui marceſcunt: ſed quod deprecationem, ac fidem, magnamq; tolerantiam. Siquidem hæc ſunt longè vernis floribus redolentiora, vt quæ non aquarum fontibus, ſed lachrymarum imbre rigantur. Neque enim perinde amnium fontes, floridos reddunt hortos vt plantam precationis, fontes lachrymarum irrigantes, faciunt in ſummam altitudinem excurrere.* Itaq; Annam ſui voti compotem lachrymæ reddiderunt. Quidni & magis Raguelem noſtrum? Pluris enim ſemper æſtimatæ ſunt apud cordatos viri lachrymæ.

Virtutum flores in amœnitate pratis, lachrymarũ fontes irrigant.

Ezechias Rex 4. Reg. 20 flebat fletu magno, cùm intelligeret ſibi ante tempus moriendum, ſed quia orationem comitem habuit, illicò audiuit à Propheta: *Hæc dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas, & ecce ſanaui te: die tertio aſcendes ad templum.* Nehemias audiens ſtatum miſerabilem vrbis Hieroſolymæ, patriæ & communis ſalutis amans, cùm ſeſe lachrymis, ieiunijſque dediſſet, orauit Dominum vt populum reſpiceret. Tobias cæcus, & blaſphemijs vxoris laceſſitus ingemuit, & lachrymatus eſt, non ferens diuino nomini ac fidei ab vxore irrogari iniuriam; & viſum mediante Angelo recepit. Populus de Bethulia, cùm Achior expoſuiſſet vniuerſa, quæ vltrò citroque inter Holofernem & ipſum de Dei potentia, & benignitate erga gentem ſanctam & iuſtam interceſſiſſent, cecidit in faciẽ adorantes Dominum, & communi lamentatione & fletu vnanimes preces ſuas Domino effuderunt. Quibus id obtinuerunt, vt eos

ab

ab Holofernis tyrannide liberaret per manus Iudithæ, quæ similiter Deum cum lachrymis deprecata fuerat, vt suum propitiaret cogitatum. Raguel hic meruit intelligentiam eorum, quæ multo tempore domum eius infestarant. Appositè Bernardus serm. de Conuers. ad Clericos cap. 19. *Purgatur*, inquit, *lachrymis oculus antè caligans, & acuitur visus, vt intendere possit in serenissimi luminis claritatem.* Nec minus ad rem Ambrosius: *Lachryma verecundiæ consulunt pariter ac saluti*, serm. 46. de Pœnitent. Petri. Propterea regius Propheta hæc duo iungebat supplicans Dominum, *Exaudi*, inquit, *Deus orationem meam, auribus percipe lachrymas meas.* Psal. 38.

SECTIO X.

An non potuerint Iudæi cum alienis tribubus inire connubia? Item an nullo casu licuerit Israëlitis alienigenam ducere, aut etiam Catholico hoc tempore hæreticam.

1. RAGVEL Angeli verbo confirmatus, insinuat sibi videri eo inauspicata fuisse superiora connubia, quòd illa cum alienis à sua cognatione conciliari, prohiberet Mosaica religio; sibique videri Dei instinctu Angelum & Tobiam ad se venisse, vt cognationi suæ iungeretur eius filia iuxta legem Moysis. Hinc quæro duo in argumento posita. Prius breuiter expedio. Lex extat Numer. 36. *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua; & cuncta fœmina de eadem tribu maritos accipient; vt hereditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, vt à Domino separata sunt.* Quæ licet ex verbis generalis videtur, tamen probabilius tantum obligauit eas fœminas, quæ succedebant in hæreditatem patris, propter defectum masculæ prolis. Et similiter eos tantum viros, qui tales fœminas ducebant in matrimonium. Huiusmodi enim viros ac fœminas debuisse esse eiusdem tribus, & cognationis. Ita Burgensis, Caietanus, Olcaster, Vatablus, Cornelius in cap. 36. Numer. Ratio sumitur ex occasione illius legis, quæ fuit huiusmodi. Deus dederat duplex præceptum Moysi in deserto. Vnum, vt filij Israel, quando venirent in terram promissionis, sorte eam diuiderent, & vnaquæque tribus ac familia haberet suam certam portionem, ac hæreditatem, excepta tribu Leui. Alterum, vt si quis paterfamilias moreretur sine filijs, & relinqueret tantum filias. Itaque filiæ erant hæredes. Hinc oriebatur quæstio, An istæ filiæ possent nubere maritis aliarum tribuum? Nam si nuberent, hæreditas illarum erat transitura ad alias tribus. Sin minus, non erat libertas nubendi, quibus vellent. Igitur ad hanc quæstionem respondit Deus per Moysen, vt non nuberent; nisi in sua tribu; ne, si extra suam tribum nuberent, hæreditas ad alias tribus deriuaretur. Hæc autem responsio non erat generalis, sed pertinebat ad eas tantum fœminas, quæ erant hæredes suorum parentum: ad alias minimè.

Ad quosdã tantum spectauit, ducere vxores ex sua tribu.

Hac sententia dupliciter confirmari potest. Primò ex Hebræo textu, qui sic habet: *Omnis famina hereditans hereditatem, nubet vni ex tribu sua.* Deinde exemplo eorum, qui, quod isto casu non comprehenderentur, extra suam tribum contraxerunt matrimonia. Sic Dauid, qui fuit de tribu Iuda, duxit Michol, filiam Saulis, de tribu Beniamin. Sic filij Israel iurarunt, quod non vellent filias suas dare Beniamitis, Iud. 21. 1. Ex quo colligimus, solitas id antea facere. Quia ergo Sara erat filia parentibus vnica, & paternæ possessionis hæres, cogebatur ex sua tribu & cognatione coniugem assumere, ne ob defectum prolis masculæ tribus, & illarum funiculi confunderentur. Hæc de priori quæsito.

Confirmatur dupliciter.

2. Quod ad posterius attinet, certum est Deum seuerè interdixisse connubia cum quibusuis alienigenis, Exod. 34. vbi sic legitur: de Chananæis: *Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne postquam ipse fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filias tuos in Deos suos*, id est, ne sint illis occasio idololatriæ. Et Deuter. 7. vers. 3. *Nec sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius: nec filiam illius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat Dijs alienis.* Et 3. Reg. 11. dicitur, *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias & Hetthæas: de gentibus, super quibus dixit Dominus filijs Israël, Non ingredieminì ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore.* Vbi Gentes numerantur, quæ ad regionem Chanaan non pertinent; atque adeò liquet Deum ab Israëlitarum coniugio repulisse quasuis alienigenas, cùm mens & anima legis esset, ne earum occasione Hebræi ad sacra gentilica abducerentur.

2. Olim prohibitum inire connubium cum Gentili propter periculum subuersionis.

3. Rursus certum est ex sacra pagina multos ante hanc legẽ accepisse vxores alienigenas, Iacob primò inijt Matrimoniũ cum filiabus Laban idololatræ, Gen. 30. & Gen. 31. legitur Rachel, idola patris abstulisse. Ioseph Genes. 41. accepit filiam Putipharis Sacerdotis idolorum

3. Aliqui antè & post hanc legem latam contrarium fecerunt.

lorum, iam sublimatus ad statum. Moyses Exod.2.duxit Sephoram filiam Raguelis Sacerdotis in Madian. Post legem latam Mahalon & Cheilon filij Elimelech, qui ob grauem famem in terra Iuda grassantem, cùm parentibus in regionem Moabitidem concesserant, à frumento copiosam, ibidem acceperunt vxores Moabitidas, Ruth cap.1.Similiter Booz postea Rutham viduam Mahalon sumpsit in vxorem, ibid.ca.4. Salmon Raab Chananæam, Matth.1 Sampson Philistæam Iudic.14. Dauid filiam Regis Gessur, 2.Reg.3.Salomon filiam Regis Pharaonis, 3. Reg.3. Denique Esther nupsit Assuero Regi Persarum, qui erat Gentilis, Esth. 2.

4.

1. Licuit matrim. oniũ inire cum alienigena, post abdicatam idololatriam.

An autem omnes illi, qui post legem vetantem duxerunt eiusmodi vxores licitè acceperint, videndum est: de alijs non disputo. Primò indubitatum est licuisse Iudæis accipere alienigenas, postquam eiurarant gentilicam religionem, & Iudæorum sacra essent amplexi, patet Deuteron. 21. vbi expressè quoad mulieres in bello captas id permittitur: *Si egressus fueris*, inquit Moyses, *ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuosq; duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueriſq; habere vxorem, introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, & circuncidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est: sedensq; in domo tua, flebit patrem, & matrem suam vno mense, & postea intrabis ad eam, dormiesq; cum illa, & erit vxor tua.* Per eiusmodi enim cærimonias significabatur, quod prius deberent, eiurare ritus, & mores patriæ, ac præcipuè cultum falsorum Deorum varios fines, & causas congerit Azorius lib.6. Moral. Instit. cap. 12. *Fortassis*, inquit, *iis lustrationibus munda & sancta reddita, ad populum sanctum adiungeretur, oblita generis & cognationis suæ, aut ne forte Iudæos ob crinium, vnguiũ & vestium ornatiũ temerè mulierem adamasset, & vt per horum spoliationem probaretur an vanus esset amor, & qui ad perpetuum coniugij vinculum minus idoneus esset: aut fortassis vt ea puella lugubres sordes, & parentes deflet, & amicos quos in bello perdiderat, & postea veluti tristitiâ & luctu satiata, ad epulas, gaudia, & nuptias transiret.* Primam rationem videntur amplecti Caietanus, Lyranus, Oleaster, Rabbini, qui hanc capillorum & vnguium resectionem volunt symbola fuisse abdicationis Gentilismi, & susceptionis Iudaismi: Alias non discutio, quia ad propositum nostrum non pertinent.

Variæ adhibita cærimoniæ cùm alienigenæ captæ nubebant Hebræo, Cur.

Vt licuit in bello captas ducere relicto Gentilismo Iudæorũ religionem amplexas; ita quasuis alienigenas; cessabat enim eo casu periculum subuersionis & idololatriæ. Sic centet Salianus Patriarcham Ioseph filiam Putipharis duxisse vxorem, & Moysem filiam Raguelis seu Iethro: sit fides penes ipsum. Hoc extra controuersiãest, quod Ruth Moabitis, quæ Booz Israelitæ nupsit, sicut patriam antiquam, sic etiam religionem mutauit, quæ cap.4.vers. 16. dixit ad socrum Noemi: *Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus.* Cui dixit Booz ca. 2. vers.12. *Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem accipias à Deo Israel, ad quem venisti, & ad cuius confugisti alas.* Sanè Raab Chananæa erat, & tamen quia conuersa est, non minus legitimè Israelitæ nupsit, quam quæuis alia, ex populo gentilico proselita, vt multis probat Abulensis in cap.6 Iosue quæst. 56. Quod à patrijs erroribus ad Iudæorum sacra, veramque religionem se contulerit, docet Paulus ad Hebr.cap.11.vers.31. *Fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis.* Vide expositores in eum locum, & clarius Iacobus cap. 2. *Similiter autem & Rahab meretrix nonne ex operibus iustificata est?* Sic Dauid duxit Maacham filiam Tholmai Regis Gessur Gentilis: Illa enim aut capta fuit, & iuxtà præcepta Deuteron. cap.15. tradita, ad Israelitarum familiam traducta: aut non capta, deseruit patriam religionem, & ad Israelitarum sacra, & instituta transfugit. An verò Salomon filiam Pharaonis Regis Ægypti post abiuratam patriam religionem duxerit, dubitare quis possit, quòd 3. Reg. 11. post lapsum Salomonis dicatur: *Salomon autem adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hebræas*, &c. adeoque prima ponatur inter eas, quarum causa ruit in idololatriam. Sed minimè profanas fuisse nuptias, tum ex eo intelligi potest, quòd à Dauide conciliatæ sunt, tum ex eo quod ipso loco, in quo de his nuptijs agitur, nempe 3.Reg. 3.vers.3. subditur: *Dilexit autem Dominum Salomon, ambulans in præceptis Dauid patris sui; tùm* maximè quod illis, augustissimæ illæ filij Dei cum Ecclesia nuptiæ figurabantur. Neque credibile est hominem sapientissimum, & datæ à Domino legis scientissimum, quique religionis patriæ & esse, & videri vellet studiosus & amans, ambiturum fuisse peregrinas nuptias, nisi id sanctè fieri posse existimaret: alioquin auerteret à se multitudinis animos, quod minimè sibi ex vsu fore nouerat, in ipsis præcipuè regni exordijs. Imò credo Deum, vt eius honori consuleret, prædicta & similia 3. Reg. 3. recepseri voluisse. Ad regnum postquam Salomon accessit: *Affinitate coniunctus est Pharaoni Regi Ægypti, accepit namque filiam eius, & adduxit in ciuitatem Dauid*, & statim referuntur Salomonis in Deum obsequia, Deique in Salomonem beneficia. Obsequia Salomonis, dum additur: *Dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui.*

Ruth Moabitis quomodo licitè mutauit Pſit Booz.

Item Raab Israelita.

Et Maacha Dauidi.

Et filia Pharaonis Salomoni.

Ibid.

Ibid.verſ. 3. Dei beneficia, cùm ſubditur: *Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte dicens: Poſtula quod vis, vt dem tibi.* Quorſum hæc de Salomonis in Deum charitate, Deique in Salomonem liberalitate narratio, ſtatim poſt illud Salomonis cum Ægyptia fœmina coniugium? Quia dubitari poterat an in hoc Salomonis coniugio legitima contrahendi ratio interueniret; poteratque proſinde Regis fama apud ſubditos periclitari, malè de ſuo Rege opinantes, & voluptati potius, quàm neceſſitati tale coniugium tribuentes: occurrit Deus, & Salomonem ſibi amicum, ſeque Salomoni propitium ac beneuolum profitetur, ne quid à ſubditis de Regis probitate & auctoritate detrahatur. Quod autem 3. Reg. 11. ponatur illa Pharaonis filia cum illis, quæ ex Moabitico, Ammonitico, Sidonio, atque Idumæo ſemine prognatæ ſunt, mu ti multa dicunt; ego ideò exiſtimo Ægyptiæ coniugis fieri mentionem, quia, quæ prius videbatur Hebræorum religionem amplexa, idque artificioſa quadam ſimulatione celauerat, ne regium à ſe abalienaret animum (neque enim aliter illam potuiſſet Salomon habere regni, ac thalami ſociam.) Poſteà tamen cùm ad thalamum, & regium nomen aduocari vidit peregrinas fœminas, & peregrinæ religionis amantes, depoſuit, quam aſſumpſerat religionis laruam, & patriam religionem profeſſa talem ſe videri voluit externà ſpecie, qualis interni animi ſenſu ſemper fuerat. Et certè ibidem non leuis datur à Scriptura ſuſpicio, quaſi ea mulier ad priſtinam ſuperſtitionem redierit; cùm prima in ijs numeretur, quæ miſerum Salomonem ita dementarunt, vt eum ad cultum idolorum traducerent. Idque de ea ſibi perſuadet Pineda, lib. 7. cap. 14. num. 5. & 7. & Serar. in opuſculo de Salomonis peccato; & Abulenſis quæſt. 5. in cap. 11. 3. Reg. ait hoc loco non fieri mentionem filiæ Pharaonis, quaſi in ducenda illa in vxorem peccarit, ſed quia ei duplex fuerit occaſio ad peccandum: *Primum*, inquit, *quia fortè propter eam coluit idola, & fabricauit idolo eius templum, ſicut idolis aliarum vxorum, vt patet in littera, licet non appareat, an fabricauerit pro ipſa templum ſicut & alijs; ſatis tamen poſſet dici quod ſic, ſecundum quia dilexit eam ardentiſſimo amore*, &c. Licuit ergo Primò ducere vxores alienigenas, cùm eiurarent patrium idolorum cultum, & Hebræorum religioni nomen darent.

Pharaonis filia non vera, ſed ſimulata religio.

Secundò licuit tunc alienigenam ducere, quando ex inſtinctu Dei quis Iudæus excitabatur accipere vxorem Gentilem, etiam in Gentiliſmo permanentem. Sic Deus excitauit Sampſonem, vt copularetur Philiſtææ; quod parentes illius ignorabant, iuxta illud

5. *Licet ex inſtinctu Dei Gentilem ducere.*

Iudic. 14. verſ. 4. *Parentes autem eius neſciebant, quòd res à Domino fieret*, & quæreret occaſionem contra Philiſtijm. In quæ verba ſic Serarius: *Vnde primò, Si à Domino res iſta fiebat, iam igitur bona erat, neque enim peccati auctor Deus 2. Si ideò illud coniugium improbaſſe dicuntur, parentes, quia id à Domino fieri neſciebant, ſignificatur è contrario, ideò illud voluiſſe Sampſon, quia ſciebat à Domino fieri. 3. Si coniugium hoc occaſio erat contra Philiſtijm, neque à Domino permittebatur tantũ, ſed eligebatur etiam, probabatur, & ſuadebatur. Aliud enim rem quampiam permittere, aliud quærere.* Si ideò coniugium hoc Sampſonis non placebat parentibus, quia hanc à Domino quæri, & quidem adeò diligenter quæri occaſionem neſciebant, ipſi vtique placebat Sampſoni, quia illam ſic à Domino quæri occaſionem ſciebat. Sciebat autem vel quia eum docuerat Angelus: vel quia nouum eius menti lumen affuſum, diuinaque voluntati motio erat indita. D. Ambroſius initio libr. 2. de Spiritu Sancto, cùm ſpiritum hunc Sampſonis dixiſſet comitem, ſubdit: *Et ideò futurum præuidens ſacramentum, ex alienigenis poſcebat vxorem.* Et Caietanus: *Perpendens*, ait, *quod Sampſon motus ſpiritu Dei; ſciens & prudens petijt huiuſmodi coniugium, quamuis contra legem Moſis. Ideò enim non Sampſonem, ſed parentes eius latere diuinum conſilium ſcribitur.*

Exemplum Sampſonis.

6. *3. Caſus licitus quãdo ſubeſt grauis cauſa.*

Tertiò quando eximia aliqua aut grauis cauſa vrgebat fidelem cum gentili matrimonium inire, iſque contrahat cum firmo propoſito non labendi, & fidens de Dei miſericordia & gratia fore, vt eripiatur, ab omni periculo. Vnde accommodatiſſimum exemplum nobis ſuppeditat liber Eſther. vbi Catholica & ſanctiſſima fœmina, nupſit Aſſuero Idolorum cultori. Quot illa, quantiſque ſe periculis expoſuit? Non manifeſtauit genus, non religionem ſuadente Mardochæo, de cuius agebat cuncta conſilio, circumdata erat ethnicis famulabus, aſſiſtebant eunuchi, infideles actionum Eſtheris ſpectatores. Excuſatur autem Eſther à culpa, quod de conſilio Mardochæi iſtis ſe periculis expoſuerit, qui diuino inſtinctu, & aliquid boni populo Iudæorum præſagiens eius matrimonij conciliator fuit. Vnde cap. 4. dixit Eſtheri: *Et quis nouit, vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore pareres?*

Quando licitè Principi Catholico cũ hæretica contrahere.

Eadem ratione licet Principi Catholico, præſertim cum diſpenſatione Pontificis cum hæreticâ contrahere ob commune pacis bonum, & reipublicæ tranquillitatem quæ omninò ſpectanda. Salomon, licet eiuraret religionem gentilicam filia Pharaonis, non eò reſpexit vt eâ frueretur, ſed vt Ægyptias vires ad regni bonum ſibi conciliaret coniugali nodo. Dionyſius Carthu. arbitratur Salomonem illam duxiſſe vxorem propter commu-

Salomon ob bonum commune duxit filiam Pharaonis.

ne totius populi bonum, quod tunc Rex Ægypti potentissimus esset, atque adeò ex eius cognatione & amicitia, tum Hebræorum pax, tum res omnes mirificum incrementum capturæ viderentur.

Matrimonium filiorū Elimelech reprobatur.

Porrò sine causa graui, existente aliquo periculo, nulli existimamus licitum. Vnde duorum filiorum Elimelech Mahalon & Chelion, qui se receperant in regionē Moabitidem cùm patre, quòd grauis fames in terra Iuda eos compulisset, matrimonium cum Orpha & Ruth Moabitidis communiter improbatur, quòd grauis non appareat aliqua necessitas, neque nuptiarum exitus probet à Deo conciliarum fuisse matrimonium, sicut probauit in Esther, quæ ea ratione ab instanti omnibus Iudæis clade eos liberauit, præsertim quòd constet Orphan & Ruth eo tempore nec dum suos abiecisse Deos, neque religionem abiurasse antiquam, quod vel necessarium est Gentili cum fideli contrahenti, & hæretico cum Catholica, vel saltem in hæretico sit firma, & promissa conuersionis spes, aut alias absit omne periculum peruersionis, aut prauæ educationis prolium, vt quando ex pacto permittitur Catholicus viuere iuxta religionis Catholicæ ritum, vnà cum sua familia, & rectè etiam debito tempore prolem educare. Ad quod prudens & cordata securitas requiritur, vt in conscientia quis immunis sit à peccato, etiam vbi promiscuè matrimonia inter Catholicos & hæreticos vsurpantur, vt in partibus Germaniæ, & regionibus infectis vsus videtur obtinuisse.

7. *Quomodo excusetur Raguel, quòd dederit filiam Gentilibus.*

Et fortassis satis grauem causam fuisse existimauit Raguel filiam nuptui dare alienigenis, quod fortè in captiuitate existentes, ad contribulium coniugia non facilem haberent spem, & sic cū probro innupta deberet manere filiâ: quod ex Ruperti iudicio quis fortè putaret probabile, cùm propter famem & egestatem excuset Mahalon & Chelion, quòd acceperint vxores Moabitidas: *Mahalon*, inquit, *non lex iustificat, sed necessitas excusat, scilicet fames, quæ facta fuerat, & propter quam vt Scriptura refert, abijt homo de Bethlehem.* Et ibidē: *Nisi necessitas illos excusaret, nec ipsi vxores ducere debuissent Moabitidas.* Quò etiam spectat illud Valentiniani Imperatoris in Nouellis L. 11. Theodosiani codicis: *Nihil turpe, nihil vetitum credit esuries. Sola cura est, vt qualicumq; forte viuatur.*

8. *Causa Raguelis non fuit sufficiens apud Deum.*

Verùm Raguelis causam apud Deum non fuisse sufficientem ad commixtionem cum alienigenis manifestè produnt verba Angeli: *Propterea alius non potuit habere eam.* rursum ex eo quod toties filiam, ipsum & vxorem Deus affligere voluerit septem maritorum funesta morte. Certè si Ruperto credimus, Iudæi qui in ciuilibus cum Romanis pacta inierunt, easdem amicitias morte expiarunt: Iudas amicitias cum Romanis inijt, 1. Machab. 8. vers. 17. sed occisus est in prælio contra Demetrium suscepto, 1. Machab. 9. vers. 8. Ionathas cum eisdem Romanis amicitias renouauit, 1. Machab. 12. vers. 1. sed captus est per dolum à Tryphone, ibidem v. 48. Ac tandem ab eodem per summam perfidiam occisus, 1. Machab. 13. v. 23. Simon parem cum Romanis societatem copulauit, 1. Machab. 14. v. 24. sed à Ptolomæo genero suo per fraudem in conuiuio interfectus est, 1. Machab. 16. v. 16. Qui omnes hac repentina morte culpas ex illa amicitia cum Romanis contractas expiarunt, vt Rupert. lib. 10. de victoria Verbi, cap. 16. aduertit: *Quamuis*, inquit, *super hac re* (hoc est, amicitia cum Romanis inita) *non culpet eos Scriptura: tamen animaduertere promptum est, non fuisse tutum coram Deo, neque lege concessum Iudæis, vt expeterent amicitias Gentium. Verumtamen sicut fuerunt in vita sua, ita & post mortem gloriosi sunt: quia si quid peccarūt, aut peccare vanitatis taliter admiserunt, omninò deletum est, citâ subsequente morte singulorum.* Si eiusmodi pacta cum Romanis inita etiam bonâ fide tam graui pœnâ debuerunt expiari, quid mirum quòd Raguel, quòd Sara filia dira passi ob matrimonia cum Gentilibus?

Tres fratres Machabæi ob amicitias cū Romanis contractas morte temporali puniuntur.

CAPI-

CAPITIS SEPTIMI

VERSVS XV.

Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.

Verſ. 16. *Et accepta charta, fecerunt conſcriptionem coniugij.*

Verſ. 17. *Et poſt hæc epulati ſunt, benedicentes Deum.*

Verſ. 18. *Vocauitque Raguel ad ſe Annam vxorem ſuam, & præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum.*

Verſ. 19. *Et introduxit illuc Saram filiam ſuam, & lachrymata eſt.*

Verſ. 20. *Dixitque ei: Forti animo eſto filia mea: Dominus cæli det tibi gaudium pro tedio quod perpeſſa es.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Coniunctione dexteræ Saræ & Tobiæ Raguel firmat inter eos Matrimonium, precaturque vt Deus, qui Patriarchas, Abraham, Iſaac & Iacob coniunxit, & illorum fecit auſpicata connubia, idem duos hoſce coniuges coniungat, faciatque illos Patriarchis non diſſimiles. Et quod inter illos conuenerat, in charta conſcriptum conſignabant. Et ſicut religiosè initum fuerat coniugale pactum, ſic etiam religiosè accubuerunt præſentes nuptiali conuiuio, benedicentes Deum. Raguel vocatæ ad ſe Annę vxori ſeorſim exiſtenti iubet alterum præparare cubiculum: ad quod introducta Sara lachrymata eſt, fortè quod ſubiret animum tot virorum repentina cædes, & timor, ne cædes octaua rurſus inceſtaret fatale cubiculum. Vnde conſolatur filiam Anna, & bene ſperare iubet de octauo coniugio, apprecans illi à Deo gaudium nouum, quo compenſetur antiqua & longa in tam acerba calamitate moleſtia.

SECTIO VNDECIMA.

Quibus cerimonijs olim tum apud Gentiles, tum apud Hebræos iniri aut celebrari ſolita Matrimonia?

1. VARIIS modis pacta firmari notum eſt Iuriſperitis. Verùm modus contrahendi matrimonium, & conſcribēdi ſtipulatus fuit olim apud Gentiles per vſum vnius anni. Illæ enim dicebantur vxores, *Vſu quæſitæ*, quas viri in domibus ſuis integro anno tanquam vxores obſeruabant; ſic enim inſtar rerum mobilium ex præſcripto legum 12. Tabularum, ipſo vſu & conſuetudine mancipatæ intelligebantur. Sed adiecta erat exceptio; niſi trinoctium abfuiſſent, vt patet ex Gellio lib. 2. cap. 3. & Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 3. Non abſimilis omninò modus fuit apud Iudæos, quo ipſi vxores, quas concubinas vocabant, ducebant, vel ſola de corporibus conuentione, vel ſolo vſu, animo coniugij, vt patet Geneſ. 16. vbi Sara habens ancillam Aegyptiam nomine Agar, dixit Marito ſuo: Ecce; conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. Cumq; ille acquieſceret deprecanti, tulit Agar Aegyptiam ancillam ſuam, &c. & dedit eam viro ſuo vxorē. Quæ ingreſſus eſt ad eam. Similiter Gen. 30. Rachel ſterilis, & Lia parere deſiens, ancillas ſuas marito tradunt vxores. Et 3. Reg. 1. Dauidi ſenio confecto puella Abiſag Sunamitis, vt miniſtret Regi, aſſumitur vxor: *Quæramus*, inquiunt ſerui eius, *Domino noſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram eo, & foueat eum dormiatq; in ſinu ſuo, & calefaciat Dominum noſtrum Regem.* Et poſtquam adducta fuit, additur: *Erat enim puella pulchra nimis, dormiebatq; cum Rege, & rex miniſtrabat ei, & rex non cognouit eam.* Itaque vſu tantum & conſuetudine illius vxor habebatur, ac verè erat. Et quæſo, ad quid diceretur Abiſag à Dauide non cognita, niſi legitimè cognoſci potuiſſet. Sed quia mirum erat ſenem moueri ad calorem,

Vxores vſu quæſitæ, quæ & quales olim?

Mauden in Tobiam.

Abiſag fuit legitima vxor Dauidis.

non etiam ad libidinem, ideo Scriptura ad ſignificandum puellę ſtatum, quę Rege mortuo, virgo permanſit, addidit: *Et non cognouit eam.* D. Hieronymus admirans ait epiſt. 2. ad Nepotian. *Quæ eſt iſta Sunamitis vxor & virgo, tam feruens, vt ſenem frigidum calefaciat, & tam ſancta, vt calentem ad libidinem non prouocet? Exponat Salomon patris delicias, & pacificus bellatoris viri nerui amplexus.* Et ſingulariter notandum eſt, quòd eo tempore, quo hæc iuuencula Regi familiare hoc præſtitit officium, ſic erat affectus, vt congreſſum vllum tentaret, niſi legitimum, aut illud medicinæ, ſeu fomenti genus admitteret, cum tanto animæ ſuæ tamque manifeſto periculo. Deinde quod tam graue peccatum admiſerat Adonias, cùm Abiſag iſtam dari ſibi vxorem à Salomone petiit, propter quod ab illo interfectus eſt, ſi ancillæ potius præſtitit Regi, quàm concubinæ, aut vxoris officium. Quis enim vetuit quemquam cum parentis ancilla, cui nihil accidit à parentis intemperantia, coniugali fœdere coniungi?

2. *Matrimonia cum farreatione, qua?*

Secundò contrahebantur nuptiæ cum farreatione, cum certis verbis & teſtibus præſentibus, & ſolemni ſacrificio facto, in quo panis farreus adhibebatur, conueniebant in manum, vt Vlpianus ait, quod à Romulo inſtitutum fuiſſe ſcribit Dionyſius, nam farreatio illa ſignificabat vitę communionem, quare diffarreatio apud Feſtum eſt diſſolutio matrimonij confarreatione contracti. de quo vide Vlpianum tit: 9. Inſtitut. Plinium lib. 18. cap. 3. Tacitum lib. 3. & 4. Qui Flaminum apud Romanos ineundi matrimonij pecuniarius ritus fuit. Et tale quid videtur fuiſſe Oſeæ 3. verſ. 2. cùm iuſſus Propheta accipere vxorem, ait: *Fodi* (comparaui, emi, duxi, aut, ſeruitio meo, & vſui mancipaui) *eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.*

3. *Matrimonia per coemptionem, qualia.*

Sed hi duo modi non ita familiares fuerũt apud Patriarchas, ſicut tertius modus, qui erat de coemptione, qua vir vxorem datis pecunijs & muneribus, & vxor virum dote conſtituâ emebat. Id liquet in Dauide, qui centum præputijs Philiſtinorum Michol filiam Saulis ſibi vxorem comparauit, 1. Reg. 18. Et Gen. 34. vbi Sichem nuptias cum Dina accelerans dixit: *Quæcunque ſtatueritis, dabo: augete dotem, & munera poſtulate; & libenter tribuam, quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc vxorem.* Iacob cùm ſecum nihil attuliſſet munerum, illorum loco ſeptem annorum ſeruitutem promittit. Laban contra morem nihil viciſſim dotis conſtituit pro filiabus: qua de re ipſæ conqueruntur Geneſ. 31. *Numquid habemus reſiduum quidquam in facultatibus, & hereditate domus patris noſtri? Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditq; pretium noſtrum? Nonne, inquiunt, pater nos quaſi exhæredes habuit? Primò, dum nos indotatas tibi tradidit vxores. 2. dum pretium noſtrum, quo nos ſcilicet tibi coemiſti vxores, puta laborem, 14. annorum ſeruitutis mæ totum ſibi vſurpauit, vt non tam quaſi pater nos in matrimonio, conſignata dote, collocaſſe, quam quaſi mango vendidiſſe videatur.*

Dauid etiam, de quo ſupra, cùm ſermo eſſet de Michol in vxorem ducenda, dixit: *Ego ſum vir pauper & tenuis:* Non ſum, inquit, emẽdo tantam tamque nobilem ſponſam. Ad quæ Saul: *Non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſtinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis.* Appoſitè Ioſephus lib. 6. Antiq. cap. 11. *Dicite*, inquit Saul, *nihil me morari pecunias, aut dona quæ ſponſæ offerat: hoc enim magis fueru filiam vendere, quam elocare; ſed cupere generum fortitudine præcellentem; poſcere autem pro nuptijs filia non aurum, aut argentum, quod è paternis adibus afferat; ſed cladem Palæſtinorum, & ſexcenta eius gentis virorum capita. nam & mihi nullum aliud tali munere optabilius & filia fuerit honorificum, non vulgata iſta dona accipere.* Cum quo facit, quod Strabo lib. 15. de Carmanis ſcribit, *Nemo vxorem ducit, niſi prius hoſtis caput amputatum ad Regem, pertulerit; atque ille præclarus eſt cui multa capita ſunt allata.* Eundem morem indicat illa parabola Nathan, qua regi Dauid adulterium raptæ vxoris Vriæ proponit 2. Reg. 12. 3. *Pauper habebat ouem parualam, quam emerat, & nutriuerat.* nam hæc omnia nuptialia ſunt, & vxoria. Tandem eadem loquendi formula videtur dici Chriſtus Dominus *acquiſiuiſſe* (emiſſe) *Eccleſiam*, ſponſam, *ſanguine ſuo.* Actor. 20. verſ. 28. & dilexiſſe Eccleſiam, & ſeipſum tradidiſſe pro ea. Epheſ 5. v. 25.

Atque huiuſmodi coemptio, aut dotis & munerum datio conſcribi ſolita. Quam formulam indicant verba: *Et accepta chartâ fecerũt conſcriptionem coniugij*: qualis partim ſpecificatur cap. 8. v. 24. & cap. 10. v. 10.

Et manuum coniunctione, ſeu reciprocâ dextrarũ datione & conſertione initæ ſunt nuptiæ inter Tobiam & Saram Raguelis filiam, *Apprehendens*, inquit ſacer textus, *dexteram filiæ ſuæ, dextera Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.* Scio manum dare, non vnam habere ſignificationem in ſacra pagina. Qui enim victos ſe fatebantur, manus porrigebãt alteri colligandas, aut ſupplices, quaſi velint vitam, quam belli ſeu fortunæ cõditio morti deuouerat, ſeruitute redimere: vnde etiam manus dare, ſeruire eſt. Sic 1. Paralip. 29. *Vniuerſi Principes, & Potentes, & cuncti filij Regis Dauid dederunt manum, & ſubiecti fuerunt Salomoni Regi.* & 2. Paralip. 30. *Nolite indurare ceruices veſtras: tradite manus veſtras, Domino ſeruite.*

Dare manum, quid?

Signifi-

Significat etiam operas suas mercede locare. Sic Thren. 5. clamant Solymitani: *Ægypto dedimus manum, vt saturaremur pane.* Cùm enim spoliati bonis non haberent, quo suam inopiam, & famem sustentarent, necessarium illis fuit, ad alèorum abundantiam confugere, sibique ab illa modis prouidere variis. Quare Ægyptijs, Assyrijsque (id est, Babylonijs, qui etiam Assyrij nominantur, quia ad se illorum imperium transtulerunt) manus porrexerunt aut locatas mercede, aut seruiles, vt pane licet angusto vitam vtcunque trahe-rent ærumnosam, & ægram. Sed præcipuè significat societatem inire, & fœdus, & tam alijs spondere, quàm ab aliis admittere, quod vtrisque futurum sit ex vsu; sic dicimus, accipere, ac dare manus: & manus viciſſim inter se conserere, symbolum sunt amicitiæ, ac fidei. Sic hoc loco in signum fidelis ac socialis fœderis dextram inuicem dabant: quod coniũctionem indicat animorum, & studiorum communionem. Vtrumque tam sociale, quàm coniugale fœdus indicauit apud Virgilium Dido lib. 4. Aeneid.

Communis dextera fœdus aut connubiale fœdus significant.

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli vulnere Dido.

Ouidius in epistola Phyllidis.

Iura fides vbi nunc? commissaque dextera dextræ,
Quique erat in falsos plurimus ore Deus?

Est accommodatum illud Claudiani in nuptijs Palladij, & Sirinæ

Tum dextras complexa viri, dextramque puella,
Tradit, & his vtrò sancit connubia dictis:
Viuite concordes.

Probatur duobus locis Scripturæ.

In sacris duo tantum inuenio de hac manuum coniunctione testimonia, quæ tamen hoc frequens esse signum fidei, & amicitiæ conseruandæ testimonium ostendunt. Alterum est lib. 4. Reg. cap. 10. v. 15. vbi sic Iehu ad Ionadab. *Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? & ait Ionadab, est, Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam.* Iehu impedirus delenda familia Achabi, Ionadab satis potentem suis partibus adiungere censens opportunum, cùm primum habuit obuium salutauit amicè, & omnia bona precatus est. cumque sui studiosum esse cognouisset, deque illius in se constanti fide non dubitaret, assumpsit secum in currum, deduxitque in Samariam. vbi si quæ ex Achab familia reliquæ supererant, omninò deleuit. *Et dedit ei manum suam*, id est, fœdus cum eo iniit, aut initum confirmauit.

Alterum Galat. 2. vbi præcipuæ Ecclesiæ columnæ, Iacobus, Petrus, & Ioannes postquam vidissent, & cognouissent Apostolicam functionem Pauli ad Gentes delegatam, ipsi & Barnabæ leguntur dextras societatis dedisse, id est, in apostolatu socios, atque in Euangelij doctrina benè secum consentientes, agnouerunt, & vt tales receperunt. Nam iungere dexteras, societatis & concordiæ symbolum erat. Sic enim testatur Paulus *Et cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ, societatis.* Significat illis verbis Paulus se & Barnabam susceptos ab illis summis Apostolis, non vt discipulos, quales agnoscebantur Titus, & cæteri qui cum ipsis ascenderant; sed vt coapostolos, & in euangelij ministerio pares. Et sic pactum connubiale ex Hebræorum ritu, & concordia in matrimonio consertis manibus significatur: vnde hoc loco nouorum coniugum dexteræ coniunguntur, vti & hodie ex ritu Ecclesiæ: & passim videmus in antiquis numis complicatas manus cum hac inscriptione, *fides*, aut, *amicitia*, aut, *fœdus*.

Matrimonij concordia significatur dextera consertione.

Alius apparet Ruth 3. modus eiusmodi socialis fœderis, vbi Ruth edocta à socru quid facto opus esset, vt sibi Boozi propinqui conciliaret nuptias, ornauit se quam potuit diligenter, & noctu ad illum placido accessit, ac fœdato gradu, vbi sibi Boozus lectum instrauerat, & sub eodem cum illo stragulo ad pedes iacuit: Quæ vsitata fuit, inquit eò loci Sanctius apud Hebræos ambiendi, imò & celebrandi connubij cærimonia. *Et ecce, nocte iam media, expauit homo, & conturbatus est, vidit q; mulierem iacentem ad pedes suos. Et ait illi: Quæ es? Illaq; respondit: Ego sum Ruth ancilla tua. expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.* Hoc signo hieroglyphico significabatur arcta coniugum, & quasi naturalis coniunctio; cum vno vterque tegatur amiculo, quasi vnum foret corpus cõflatum è duobus, aut duo corpora vno tantum vigerent spiritu, & vno tantum tenerentur animali nexu. Hoc credo significauit sponsa Cant. 2. cùm dixit: *Sub vmbra illius, quam desideraueram, sedi.* Dixit apertè Deus ipse Ezech. cap. 16. vbi sic ad populum sub nuptiali metaphora: *Expandi amictum meum super te.* Neque id Hebræis propriũ est. sed cum alijs etiam gentibus commune. Refert enim Euripides apud Stobæum verba parentis, qui filiam nupturientem alloquitur hoc modo, *Cùm sub egregij viri pallium veneris, reliqua fruere, viro fruito.* Et quidem hæc cerimonia satis exprimit matrimonij naturam, quod vnitatem amat, & communia facit omnia, genusque fœminarum imbecillum virorum vmbræ ac protectioni commendat. In signum eiusdem vitæ communionis, Helias 3. Reg. 19. Elisæum vnctum Prophetam iniecto pallio in suam sibi societatem asciuit, quasi eiusdem secum instituti participem: *Cumq; veniſſet*, inquit textus, *Elias ad eum, posuit pallium suum super illum*, videlicet, quemad-

§. Expansio pallij à viro super fœminam signum connubialis fœderis.

Pallium vitæ & cinctus dum instituit, sibi socium designat.

modum ex veteri Hebræorum ritu ſponſus, quam habere vult domus, thalamique conſortem ſuo tegit pallio. Sic eodem indumento ad ſuum inſtitutum vocat, & cætũ, Hælias Heliſæum. Quod non videtur ignoraſſe Eliſæus, quandoquidem orat, ſibi vt liceat oſculari parentes, vt illorum poſtea oblitus, deinde illum expeditior ſequatur. Vnctio igitur fecit Prophetam Eliſæum; pallium autem contubernalem, & monachum.

6. *Deus nuptiarum teſtis, & vindex.*

Porrò in hac coniunctione manuum, Deum vocabant in teſtem. Quod non obſcurè inſinuat Malachias Vates c. 2. Vbi Iudæis cauſam quærentibus, cur Deus durè ad eorum ſacrificia, & preces afficeretur, hanc vt pote grauem & iuſtam edixit: *Quoniam Dominus teſtificatus eſt inter te & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti:* Hæc eſt voluntas, inquit, & præceptum Domini, vt maritus amet vxorem quam à primis & florentibus annis ſibi ſociauit, & propter eam relinquat patrem & matrem: quam tamen vos, connubiali fide proditâ deſpicitis. Alludit ad ritum veterum Hebræorum, qui Deo teſte & nymphagono, vt ait Theodor. contrahebant coniugium, vt eo ſanctius & inuiolabilius eſſet, quo Deo quaſi præſente & paranympho fuerat conciliatum. Vnde Laban Geneſ. 31. 49. inuocans Deum in teſtem, ait ad Iacob generum ſuum: *Intueatur & iudicet Dominus inter nos, quando receſſerimus à nobis, ſi afflixeris filias meas, & ſi introduxeris alias vxores ſuper eas: nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit: indeq; lacus vocatus eſt Galaad, id eſt, tumulus teſtis.*

7. *Ritus nuptiarum apud Gentiles.*

Apud Gentiles etiam adeò ſancta erant Matrimonij vincula & iura, vt ea non niſi Dijs teſtibus, & præſidibus inuocatis, & per ſacrificia conciliatis inirent: Audi Valerium Flaccum lib. 8. Argonaut.

Inde vbi ſacrificas cum coniuge venit ad aras
Aeſonides, vnaq; adeunt, pariterq; precari
Incipiunt, ignem Pollux vndamq; ingalem
Pretulit, vt dextrum pariter verſantur in orbem.

Et paulò pòſt:

Primus & ecce fero, quatioq; hanc lampada veſtro
Coniugio, primus celebro dotalia ſacra.

Quocirca Modeſtinus l. 1. ff. de ritu nup. nuptias definit diuini & humani iuris coniunctionem. Et Gordianus in l. *Aduerſus.* C. de crim. exp. hered. vxorem rei diuinæ & humanæ ſociam appellat. Hanc & nuptias non copulabant, niſi captaris priùs augurijs, vt ex Deorum voluntate eas auſpicatas & proſperas fore renũciarent auſpices: Hinc Claudianus epiſtol. ad Serenam:

—— Me iungent auſpice
Purpura, me ſancto cingeret ara toro.

Idem in Ruffin. lib. 1.

—— Hac auſpice tela
Oedipoden matri, Tydea iunxêre Thyeſtem.

Propriè autem Iunonem nupturi inuocabant, illique multos habebant honores, quòd illam iungendis & conciliandis coniugiis præeſſe cenſerent. Docet id Ouidius in epiſt. Medææ ad Iaſonem: *Iuno coniugibus præſit.*

Conſcia ſit Iuno, ſacris præfecta maritis.

Et in epiſt. Hypſiphyles:

Non ego ſum furtim tibi cognita: prouida Iuno
Adfuit.

Et Virgilius lib. 4. Æneidos:

Iunonem antevomnes, cui vincla iugalia curæ.

Et Statius in Syluis:

—— Dat Iuno verenda
Vincula, & inſigni geminat concordia tæda.

Porrò Iunoni ſacra facientes, ſel victimæ diuulſum abiiciebant, vt myſticè ſignificarẽt bilem omnem & iracundiam à nuptijs abeſſe oportere: ita Plutarchus in Coniug. præceptis. Huc ſpectat Numæ, qui Romulo ſucceſſit, lex apud Gellium lib. 4. cap. 3. *Pellex eadem Iunonis non tangito: ſi tangit, Iunoni crinibus demiſſis agnam feminam cædito.* Inuocabant & Deum ſanctum Fidium, ſine Medium Fidium, quaſi fidei præſidem, & ſancti fœderis conciliatorem & vindicem, de quo Ouidius lib. 6. Faſtor. & S. Auguſtinus lib. 18. Ciuit. 19. *Sabini*, ait, *regem ſuum primum Sangum, ſive, vt aliqui appellant, Sancum putarunt in Deos.* *Iuno coniugibus præſit.* *Deus Fidius qui?*

8.

Sic hoc loco Raguel filiam Saram copulauit Tobiæ, inuocans Deum verum hiſce verbis: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos.* Hæc eſt legitima forma, quâ optabant, & rogabant Deum in teſtem, vtque Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, qui Patriarchas hoſce coniunxit, & illorum fecit ſancta, & auſpicata connubia, idem duos hos coniuges coniungat, faciatque Patriarchis illis non diſſimiles. Eſt autem hæc in nuptialibus his ſacris accommodata precatio, quæ alia omnia, quæ ſperari poſſunt ex matrimonio, commoda complectitur. Coniungit quoſdam auaritia, quoſdam ambitio, cùm in conſorte thalami, aut pecuniam captant, aut honores intueantur, quæ ampla eſſe vident, aut ſibi nimiùm creduli fingunt in illo ſociali nexu, quo ſe plus ſatis creduli inſipienter obſtringunt; alios quidam libidinis ardor coniungit, qui ſatis ſe habere putant, ſi veneream ſitim explere cõtingat; hi tanquam equus & mulus à ſenſu magis abducũtur ad ſordes ignominiæ, quàm oratione diriguntur ad honeſtatem, & gloriam. Et huiuſmodi nuptiæ, vt quotidiana docet experientia, infelices habent & horribiles exitus, neque id mirum cùm in illos poteſtatem habeat Aſmodæus. At quos Deus coniungit, quique à diuino conſilio, & voluntate reguntur, qui Deum timent, & illius legem *Auſpicata nuptia, quæ Deus conciliat.*

legem reuerentur, habent custodem Deum, quem habuerunt paranymphum auspicem, & bonorum omnium fidelem largitorem. Vnde post hæc verba subdit Raguel: *Impleat-q; benedictionem suam in vobis.* Eam arbitror esse, quam Deus suis olim amicis impertitus est. Abraham nempe Isaac & Iacob, quorum proximè meminit Raguel, quorum semini benedixit Dominus, quam sorori suæ Rebeccæ precati sunt fratres, & mater cùm ad nuptias pergeret, dicentes Genes. 24. v. 60. *Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Aut certè illa est Dei benedictio, quæ continetur Psal. 127. *Vxor tua, sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

Quam benedictionem apprecetur Raguel

Benedictio apprecata per Sacerdotem noui Testamenti, est efficax.

Hæc bona etiam apprecatur Sacerdos cõiugibus Christianis, dum eos coniungit, & benedicit: idque tantò efficacius, quantò benedictio Sacerdotum noui testamenti est auctior, & gratia quæ datur in Sacramento matrimonij maiores addit vires ad incommoda Coniugij patienter ferenda. Differentia coniugij noui ac veteris Testamenti maiorem requirit indaginem, quàm vt verbo hîc expediri possit: Vnde eam differo in sequentem sectionem.

9. Nunc dumtaxat discutiam; An validè & licitè absque consensu parentum potuerit Tobias Matrimonium inire? Isaac Genes. 24. & Rebecca parentum in coniugibus deligendis voluntatem secuti sunt. Samson Iud. 14. existens in Thamnata, *vidensq; ibi mulierem de filiabus Philistim, ascendit, & nunciauit patri suo, & matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnata de filiabus Philistinorum; quam quæso, mihi accipiatis vxorem.* Imò exigit hoc filiorum erga parentes reuerentia, patriaque potestas, vt ipsorum consilia adhibeant in deligenda coniuge. Consuetudo etiam omnium gentium confirmat, conueniens esse vt liberi nubant cum eorum consensu: quandoquidem parentes melius discernere possint conuenientia, quàm filij.

Conuenit esse filijs nuptias initias parentum consensu expetere

Portò licet honestas id requirat; non est tamẽ necessitas talis, vt defficiente consensu parentum matrimonia sint minùs valida, vel licita. Rario est, quod in ijs quæ ad prolis generationem pertinent, omnes homines sint pares, nec filij subduciantur parentibus; cùm in Matrimonio sit quasi seruitus perpetua, & ad illum spectet electio, qui vult eam seruitutem subire. Vnde iusta causa existẽte filij non solum validè, sed etiam licitè insciis parentibus matrimonium contrahunt in hisce casibus. Primus est, quando in alia regione habitat parens, & ab iis iustè diu abest filius,

2. casus quando licitè contrahitur absque parentum consensu.

Secundus est, si parentes putentur non contradicturi. Sic Iacob tres duxit vxores, Liam & duas ancillas; quod haud dubio nõ fecisset sanctissimus Patriarcha, si credidisset parentum consensum necessarium. 2. Casus.

Tertius est, quando parentes proponunt filio aut filiæ coniugem hæreticam vel hæreticum, alteriúsve impietatis ac superstitionis, vt Turcam, Ethnicum Iudæum: tunc enim licitè resiliunt, & ad aliàs nuptias fidelis conuolant. D. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. vlt. hæc docet: *Primum in connubio religio quæritur, non potest congruere charitas, si discrepet fides. Species illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere.* Hinc suis parentibus, ne Gentili alioquin opulento & onerato nuberet, fortissimè restitit S. Iuliana, quæ & illi magnoperè blandienti, minitanti, ac vexanti dicebat: *Tuum Matrimonium est societas cum inferis, & sepulchrum positum in oculis.* 3. Casus.

Quartus sit, si bona occasio sese offerat, quam non expedit negligere aut prętcrire. Sic Tobias inscijs parentibus duxit Saram filiam Raguelis in vxorem sine vllo scrupulo, neque Angelus Raphael, qui cum ipso erat, eum admonuit, vt parentum consensum exspectaret: quod sanè fecisset, si in tali rerum articulo, ille vllarenus fuisset necessarius. Ita quod palam sit ratione iustâ existente, parentum consensum non requiri, neque vllum mortaliter peccare, nisi quandò cum indignis contrahit, quemadmodum fecit Esau, qui Genes. 26. duxit vxores duas, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ parentum eius: & rursus cap. 28. tertiam accepit contra eorundem voluntatem (coniugio manente valido) Aut quando filius resolutus matrimonium contrahere, & liber est, renuit matrimonium istius, quod medium est ad sedandas graues inimicitias: tunc enim tenetur sub culpa mortali obedire parentibus. Rario est, quòd ex pietate teneatur filius subuenire parentibus. 4. Casus.

SECTIO XII.

An Matrimonia nunc per similes cærimonias validè contrahantur, per quas olim solebant conciliari.

1. *Contrahenti matrimonium ter in Ecclesia denunciantur.*

VPTIÆ solent olim iniri diuersimodè, aut solo vsu, aut farreatione, aut coëmptione, aut etiam expansione pallij, ex parte viri nupturientis super fœminam, quam in vxorem ambiebat. Verùm in noua lege, vbi Matrimonio sanctitas Sacramenti accessit, Lateranense Concilium sub Innocentio III.

III.celebratum,præceperat vt antequam Matrimonia contraherentur ter à proprio Parocho contrahentium, tribus continuis diebus festiuis,in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denunciarentur Matrimonium contracturi, eisque denunciationibus factis coram proprio alterius contrahentium Parocho, & testibus, ad celebrationem Matrimonij procederent.

2. Porrò leges illæ propter hominum inobedientiam parum proderant, neque clandestina matrimonia ex integro tollebant;quandoquidem valida existebant, iuxta definitionem Alexandri tertij C.2. de Clandest. desponſ. etsi illicita: quia vt inquit D.Thomas, *quoties concurrunt essentialia contractus validus est, licet desiderentur solemnitates extrinseca, & accidentales.*

Matrimonia clandestina irrita per legem Ecclesiasticam fundatam in natura li, diuersis da causis.

Hinc Concilium Tridentinum sess.24.c.1. de reformat. iustissimis de causis clandestina matrimonia irritauit: ita vt ea quæ aliter conciliantur, quàm coram proprio alterutrius contrahentium Parocho, aut alio Sacerdote, de eius aut Ordinarij licentia, & duobus testibus nulla sint. Prima causa est, quia religio sacramenti postulat, vt magna reuerentia,& deliberatione, assistente ministro Ecclesiæ, recipiatur: Sæpè autem contingebat clam absque deliberatione necessaria ad rem tam arduam contrahi: vnde facilis pœnitentia matrimonij contracti, discordiæque inter coniuges oriebantur. 2. Quia matrimonium clandestinum ex modo contrahendi aduersatur fidei ipsius;facile enim erat alterutri coniugum, alij commisceri citra adulterij notam: aduersatur indissolubilitati, sæpè enim cùm incognitum esset Ecclesiæ, transibant coniuges ad alias nuptias inualidas, & permanebant in adulterio vsque ad mortem: aduersatur etiam bono prolis, quam negare non est difficile, cùm vxor probare coniugiũ nequeat.3. Quia sæpè virgines parentum metu matrimonia consummata negabant, alijsque nubebant: vel inuitæ in monasterium includebantur.4. Quia inde multæ discordiæ inter contrahentium consanguineos oriebãtur. Tandem, quia plerumque contrahentes latent impedimenta aliqua, quæ publicè inito Matrimonio detegerentur, nec matrimonia irrita contraherentur.

Ex quibus manifestum euadit,contrarium facientes non solùm incurrere culpam lethalem contra legem Ecclesiasticam, sed etiam contra ius naturæ. Ratio est, quod clandestinum matrimonium ex natura rei continet in se mala grauia: cedit enim in prolis detrimentum, & vtriusque coniugis, cùm facilè possint ad alias nuptias transire: & est Reipublicæ nociuum, eius paci ac tranquillitati contrarium, & vt sentit D. Thomas speciem mali habet 4. Disp. 28. quæst. vnica, art.3.ad 3. quam vetat Apostolus dicens: *Ab omni specie mala abstinete vos.*

§ 3 *Error vulgi damnatus*

Hæc seriò prohibuit Ecclesia: vulgus autẽ hominum ea flocci pendit, & matrimonium sufficere vult coram quouis contractum: Fides, inquit, matrimonialis,est fides matrimonialis: quid plura? Et sic multi coram Sacerdote nõ Parocho matrimonia contrahere,& multotempore in peccato hærere non verẽtur. Imò mihi contigit inter numerum prudentum recensitos, coram me comparuisse, cum dispensatione bannorum ob instantem discessum, omnibus modis sustinere validum fore matrimonium coram me, cùm neutrius contrahentium essem Parochus: ita vt cum rubore, habitâ meliori informatione, coacti fuerint proprium Parochum accedere.Quod maximè videtur prouenire,quòd non intelligant quomodo Ecclesia eiusmodi matrimonia irritare potuerit.

Ecclesia potuit irritare clandestina dupliciter.

Cùm autem res sit de fide, ad instructionẽ ita sentientium, addo Ecclesiam potuisse tale matrimonium irritare dupliciter. Primò, indirectè, inhabilitando personas, in ijs enim quæ ad bonum spirituale Ecclesiæ spectant, vt est matrimonium, fideles tanquam membra illi subduntur. Quando ergo bono Ecclesiæ spiritali expedit, potest illos inhabiles reddere, ad certum modum ineundi matrimonium, sicut Respublica efficit inhabiles ad contrahendum prodigos, minores absque tutoribus, & vxores absque viris. Et ipsa Ecclesia hoc modo efficit inhabiles consanguineos, & affines vsque ad quartum gradum inclusiuè.

Secundò, directè, annullando immediatè ipsum contractum, sicut fecit annullando alios contractus, vt professionem ante annũ Nouitiatus, vel 16. expletum, matrimonium inter liberum & seruam,ignorata conditione seruili, & similia. Et ratio est, quia contractus humanus & actus hominis ordinati sunt ad alteriorem finem,ideoque debent subijci alicui communitati, à qua pendeat, quantum ad omnem politicam operationem: matrimonium autem est contractus fidelium in bonũ spirituale Ecclesiæ: quare subijcietur potestati illius, & poterit illud directè irritare, sicut de facto Concilium Tridentinum matrimonia talia irritauit loc. cit. in verbis: *Qui aliter quàm præsentè Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & eiusmodi contractus irritos, & nullos esse diserenit,prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Et immediatè post declarat aliter facientes etiam puniendos: *Insuper Parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium*

De facto irritauit in Con. Trid.

ſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho, vel ſacerdote huiuſmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit.

4. *Etiam vt Sacramentum potuit mediatè irritare.*

Thomas Sanctius lib. 3. de conſenſu clandeſt. diſ. 4. cenſet etiam Concilium de facto irritaſſe Matrimonium, vt eſt Sacramentum, n. 6. hiſce verbis: *Potuit Concilium, & de facto ita fecit, irritare matrimonium clandeſtinum, quatenus eſt ſacramentum: non directè, & immediatè: cùm Sacramentorum inſtitutio, ac deſtructio non ſubiaceat poteſtati Eccleſiæ, ſed indirectè, & remotè, deſtruendo ſcilicet, directè, & proximum contractũ humanum, vnde conſequenter deſtructum, & irritum manet matrimonij ſacramentum. Quod ſic explicatur, quia ſublato fundamento tollitur edificium, cap. cum Paulus 1. q. 1. & ſublato priori tollitur poſterius ab ipſo dependens, c. tranſlato. de conſtit. ſed contractus humanus, qui ſubiacet Eccleſiaſtice poteſtati, eſt fundamentum, & materia ſacramenti matrimonij. ergo irritato per Eccleſiam contractu humano, indirectè & conſequenter irritatur ſacramentum matrimonij: ſicut Eccleſia non poteſt annullare directè ſacramentum pœnitentiæ, at poteſt indirectè auferendo iuriſdictionẽ miniſtri à qua pendet. Quod clarius ſic explico, Eccleſia nequit efficere, vt ſi quis fateatur ſacerdoti iuriſdictione prædito, abſolutionem recipiat, ſacramentum irritum ſit: at poteſt auferendo iuriſdictionem à miniſtro, efficere vt abſolutio ab ipſo præſtita à peccatis audita, nulla ſit: quia illud, eſſet omnibus requiſitis ad ſacramenti valorem concurrentibus, directè ſacramentum annullare: hoc autem, eſt deſtruere tantùm fundamentum ad Sacramenti valorem prærequiſitum, quo deſtructo, conſequenter, & indirectè deſtruitur ſacramentum. Similiter contingit in matrimonio: Eccleſia enim concurrente perſonarum habilitate, & contractu valido ad mutuam corporum traditionem ſufficienti, efficere nequit, vt ſacramentum Matrimonij inualidum ſit: poteſt tamen deſtruere fundamentum, ſtatuendo vt contractus humanus non ſit legitimus, ac ſufficiens ad corporum traditionem, niſi certæ ſolemnitates concurrant, quibus deficientibus, indirectè & conſequenter inualidum reddatur matrimonij Sacramentum.*

5. *Apud Chriſtianos matrimonium modò quando validum.*

Vt vt eſt, clariſſimè ex dictis conuincitur hoc tempore nuptias neque ſolo vſu, farreatione, aut coëmptione conciliari, neque expanſione pallij, aut inſertione dextræ cuiuſq; manus, vt fecit Raguel; neque coram quouis ſacerdote, neque promiſſionibus mutuis aut nummorum diuiſione, aut copulâ promiſſioni matrimoniali ſubſecuta: ſed neceſſum eſſe, vt nupturientes ex conſuetudine coram Parocho ſponſæ, & duobus aut tribus teſtibus, aut de iure ad minimum coram Parocho alterutrius contrahentium, & duobus teſtibus Matrimonium ineant, ſi velint illud eſſe validum.

SECTIO XIII.

Quare ſolius conuiuij nuptialis cum benedictione Domini hic fiat dumtaxat mẽtio; non autem aliorum paramentorum cum gaudio apud Hebræos in vſu, ſed lachrymarum & conſolationis?

1. *Conuiuium nuptiale apud omnes gentes vſitatum.*

EX ſolemni ritu ferè apud omnes gentes conuiuium nuptiale exhiberi ſolet. Hinc Plato 5. de legibus, meminit epularum nuptialium. Ariſtoteles 4. Ethicorum, Homerus Iliados 1. & 4. Odyſſ. Athenæus lib. 1. cap. 11, & lib. 5. ab ipſo initio, & lib. 7. & de nuptialibus Alexandri conuiuijs lib. 12. Quandam etiam ex more Latinorum nuptialem cœnam deſcribit Apuleius lib. 6. meminit Iuuenal. Satyr. 6. Ælianus lib. 8. de Var. Hiſtor. Atque adeò eâdem Græcâ voce *Gamos*, res iſtæ coniunctiſſimæ, conuiuium & nuptiæ nominantur. Exempla plurima ex ſacris hiſtorijs præſto ſunt. Apud Meſopotamios Gen. 29. 22. cùm Laban, *vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias.* Apud Philiſtinos, cùm celebrantur nuptiæ Sampſonis Iud. 14. 10. Apud Perſas, Eſth. 2. 18. cùm Aſſuerus *poſuit diadema regni in capite eius, & iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & ſeruis ſuis pro coniunctione & nuptijs Eſther; & dedit requiem vniuerſis prouincijs, ac dona largius eſt iuxta magnificentiam principalem.* Idem ſeruatum cùm traditâ filiâ Raguelis Tobiæ iuniori; dicitur: *Et poſt hæc epulati ſunt, benedicentes Deum.* Idem confirmatur poſterioribus ſæculis in Euangelio, exemplo Chriſti, Deiparæ, Apoſtolorum, & aliquot aliorum, qui nuptijs in Cana adfuerunt. Item & parabolis illis, quibus regnum cælorum comparatur cum homine Rege, facicnte nuptias filio ſuo, & ad eas plurimos inuitante: & carentem veſte nuptiali ex ijſdem expellente. Item cùm dicitur: *Cùm vocatus fueris ad nuptias, recumbe in nouiſſimo loco.*

Exempla ſcripturæ.

Ioan. 2.

Matth. 22.

Luc. 14.

2. *Menſa conſtabat ab Hebræis profana, quæ non erat benedicta.*

Quod autem additur, *benedicentes Deum*; certum eſt vſitatum fuiſſe Hebræis ſacrate menſam, quæ ante benedictionem æſtimabatur prophana. Quod colligitur ex illo 1. Reg. 9. vbi de Saule & ſocio quærentibus Samuelem ad conſulendum eum de aſinis perditis, dicitur, quòd inquiſiuerint à puellis egredientibus ad hauriendam aquam, vbi eſſet Prophetæ? illæq; reſponderint: *ingredientes vrbem, ſtatim inuenietis eum antequam aſcendat excelſum ad veſcendum. Neque enim comeſturus eſt populus, donec ille veniat: quia ipſe benedicet hoſtiæ, & deinceps comedent, qui vocati ſunt.* Verum non comedebat de cibis ſanctificatis, niſi

si Samuel eos benedixisset. vt qui Hebræos vsum habuisse quosuis cibos benedicendi, colligitur ex factis Domini nostri Saluatoris. Is enim, vt opinor, iuxta piam populi consuetudinem, Luc. 24. *accepit panem, & benedixit, ac fregit.* Benedixisse item dicitur, & fregisse panem, quo tempore quinque panibus, & duobus piscibus multa hominum millia pauit in solitudine, vt scribit Lucas cap. 9. v. 17. Matth. 14. v. 17. Mar. 6. v. 38. Sanè egisse Hebræos de more gratias post sumptos cibos, & habuisse aliquod præceptum, indicat illud Deut. cap. 8. v. 10. *Vt cùm comederis, & satiatus fueris benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Eò spectant, quæ dicuntur Psal. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Et Hymnus, quem Christus cum Discipulis peractâ cænâ modulatus est. Nunc verò Iudæi, vt ex eorum rituali libro constat, seorsum cibum, & potum benedicunt. Imò & quoties nouum aliquid in mensam adducitur, siue illud poculentum, siue esculentum sit, aut etiam quod odorandi sensus oblectet, benedictio, & gratiarum actio iterùm, & sæpiùs iteratur. Dicunt autem tunc, vt est in rituali ipsorum. *Benedictus sis Domine Deus noster creator, qui bonus es, & bene facis omnibus, qui creasti hoc sapidum vinum, hac aromata, hos fructus,* &c.

Mensa & ei. li benedicti soliti apud Hebræos.

Gratia agi solita post ci bum.

3. Diuinus Paulus coactus fuit de hac benedictione mentionem facere 1. Timoth. 4. ratione quorundam hæreticorum, qui docebant vinum & carnes naturâ suâ, malas esse, & cauendas. *Spiritus*, inquit, *manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum &c. prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem.* Sensus est, Exurgent hæretici, qui cibos condemnabunt à Deo creatos, vt fideles & sanctos patcant. Sed Deus, qui omnes cibos creauit, viditque cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, Gen. 1. hic cibos creauit ad vsum & esum hominum, non voracem, delitiosum, gulosum, sed sobrium & moderatum, vt illo vescentes Deo ciborum auctori & largitori gratias agant. Aut rursum: Nullus est cibus ob immunditiam siue naturalem, siue legalem interdictus Christianis, vti olim Iudæis multi erant interdicti; nam Christiani pro vmbra veteri habent veritatem Euangelij, quæ docet, omnes cibos esse mundos, & datos homini ad esum & vsum cum gratiarũ actione. Vt autem illos magis confundat, subiungit: *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Sensus est, Omnis Dei creatura bona est, & quælibet vt mala reijcienda non est, quando ad laudem & gratiarum actionem Dei quis eâ ritè vtitur, vt faciunt fideles & sancti. Sed esto sit aliqua ratione immunda, puta quia lege veteri vetitus, aut quia diabolo immolatus, vel ab illo afflatus, aut vitiatus est, sit, inquã, hac aliaue ratione immundus: sanctificatur tamen, id est, mundatur, & purificatur per verbum Dei & orationem, id est, per benedictionem, quæ fit per verbum Dei, & orationem, ita ex Chrysost. Theophylactus: Deum, inquit, *quod quidpiam sit immundum; sed habes medicinam; signa, gratias age, glorifica Deum, ac defecit immunditia. Nam gratiarum actio cuncta purgat. Qui verò ingratus est, ipse est immundus & pollutus, proinde quod idolis est immolatum sic mundare possumus, si ignoremus idolothyton esse; Etenimverò si scientes sumpserimus, immundi sumus, non quia illud idolothyton sit; sed quia legem transgressi sumus præcipientem non communicandum esse mensa dæmoniorum. Voluntas itaq; tua, & mens coinquinata est, nec cibus fuit pollutus.* Benedictio autem mẽsæ vocatur verbum Dei, quia fit per inuocationem Christi aut Sanctissimæ Trinitatis, quam nos inuocare docet verbum Dei. Rursum communiter apud Ecclesiasticos fit per verbum Dei, id est, per versus aliquot ex sacra Scriptura, præsertim è Psalmis petitos, puta hos: *Oculi omnium in te sperant Domine: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, &c. aut similes. Eadem benedictio vocatur oratio, quia propriè est oratio, & inuocatio.

Omnis Dei creatura suâ naturâ bona est.

Cibi sanctificantur per verbum Dei, id est, benedictionem.

Benedictio tur ex verbi Dei

4. Hic vsus Christianis legitimus & familiaris, Deo gratus & nobis vtilis est. Nam illâ benedictione, & inuocatione Dei, quam mensæ præmittimus ostendimus, & profitemur primò nos à Deo cibos, ferculaque omnia accepisse, accipere, & deinceps nos accepturos sperare; tacitèque Deo pro ijs, gratias agimus, quoties enim nos ad mensam accingimus, toties ad viuam beneficentiæ Dei, tot esculenta & poculenta largientis concionem accedimus; debemusque cogitare hoc esse quasi manna nostrum, quod è cælo nobis æquè ac Hebræis in deserto, quotidie in mensam depluit: *Mensa*, inquit Chrysost. hom. 79. ad populum, *ab oratione sumens initium, & in oratione definens nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis afferet bona.* Deinde oramus & petimus vt id fiat, ne instar pecorũ aut infidelium in cibos irruamus sine vlla pia cogitatione, aut Dei memoria. Vnde etiam Turcas antequam cibum sumant, precationẽ solitos præmittere, testes sunt legati Principum Christianorum apud Turcam. Et de Essenis, non Christianis, sed Iudæis, ita scribit Ioseph. lib. 2. Bell. cap. 7. *Vece*, inquit, *Sacerdos cibum antuerit, neque fas est gustare quemquã nisi prius Deo celebretur oratio. Post finem quoq; prãdij vota repetunt; nam & cùm incipiunt, & cum desinunt,*

Benedictio mensæ apud Christianos efficax. Causa 1.

Mensa est viua beneficentia Dei cuncti.

Causa 2. Turcæ & Iudæi ante cibum precantur.

fiunt, quasi daterem victus Deum laudibus canunt. Præterea petimus hac consecratione, vt vsus cibi, & corporis, & animæ valetudini sit vtilis & salutaris; vt, sicut dicitur Psal.103. *Vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet: nam aperiente te* (Domine) *manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Vtque inter vescendum mens aliqua pia cogitatione, vel lectione pascatur, hac præsertim, vt cogitemus in ipso cibi corporalis vsu edendum esse non tantùm vt saturemur, sed vt operemur etiam cibum, qui non pereat, sed permaneat in vitam æternam, Ioan. 6. & vt dicitur Luc.14. vt cogitemus etiam de edêdo pane in regno cælorum. Hinc pia lectio sacræ Scripturæ mensæ iam olim adhibita est tum ab alijs, tum ab Essenis, teste Philone lib. de vita contemplatiua; eandemque adhibendam esse docet S. Augustinus epist. 109. & S. Basil. in regulis breuior. cap. 150. imò talem lectionem hic ab Apostolo significari per verbum Dei putat. Vatab. & alij. Eâdem petimus, ne cibus Diaboli, aut magicâ potestate inficiatur; neue diabolus aut concupiscentia per cibum nos in comessationes, ebrietates, libidines incitet; facilè enim in comedendo, & bibendo surrepit intemperantia, & multi cum illo Epulone Luc. 16. toti sunt in deliriis. Itaque rectè monet S. August. lib.10. Confessionum cap.31. *Hoc*, inquit, *docuisti me Domine, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* & infrà. *Quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra miras necessitatis? quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum: ego autem non sum, qui peccator homo sum.* Quantum potestatis vsurparit sibi dæmon in cibos ante Christum, vt per eos noceret hominibus, docet S. August. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 17. & 18. & S. Gregorius lib. 1. Dialogor. 4. narrat Dæmonem inuasisse Monialem, quòd lactucam sumpsisset non præmissâ benedictione. Vnde Chrysost. contra hæc Diaboli venefitia remedium præscribens signum crucis, & benedictionem: *Medicamentum*, inquit, *in promptu est, signum crucis illi* (cibo, aut rei, quâ vti vis) *imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus omnis immunditia abcessit.*

Causa 3.

Causa 4.

Causa quinta.

Alimenta vt medicamenta sumpsit August.

Potestas dæmonis in cibos ante Christum.

Iam frangitur signo Crucis.

Verùm èxistimo hæc verba, non sic intelligenda, quòd iuxta morem mensæ benedixerint, sed quòd Deo verè egerint gratias de faustis nuptijs. Athenæus enim lib. 5. nuptialis epuli hanc caulam assignat: *Moribus*, inquit, *& legibus scitum est, vt in nuptijs epulum fiat, tum vt nuptiales Deos veneremur, tum vt pro testimonio, id fit.* Ad hunc modum credo, & de faustis nuptijs gratias egisse, quemadmodum enim idololatræ Deos suos in mensa laudabant; ita fideles verum Deum. De Balthazare dicitur Dan. 5. *Præcepit iam temulentus, vt afferrentur Vasa in Templum.*

5. *Benedicentes, idem est hic, quod Deo vero gratias agentes.*

Dij à Gentibus in conuiuijs laudati.

vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Hierusalem, vt biberent in eis rex, & optimates eius, vxoresq; eius, & concubinæ, &c. Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosq;, & lapideos. Sensus est, Cùm Rex iam incaluisset mero, eò progressus est insaniæ, vt afferri præceperit sacra vasa, quorum quædam aurea, quædam erant argentea; quæ Auus ipsius Nabuchodonosor è Solymitano templo quondam abstulerat, adhibuitque incestæ, atque profanæ mensæ, vt non solùm ipse ac regni proceres, sed etiam regiæ vxores, imò & concubinæ illis ad flagitiosos haustus vterentur. Et de facto bibebant ex ijs iam allatis, profanum vinum, laudabantque Deos, quos in mensa de more Rex ipse locauerat, quorum non vna erat, aut similis materia. Quidam enim aurei, quidam argenti, alij æræi, ac ferrei, alij lignei; lapideique inter conuiuas visebantur. Quod verò dij inter libationes, & preces laudarentur, res est non obscura, & docet ex veterum ritu Virgilius li. 8. Æneid. vbi conuiuium Euandri personuisse dicitur Herculis laudibus. Neque enim illic aliquid inusitatum fuisse puto, sed quod in Gentilium conuiuijs fieri solitum. Quare existimo prius, cùm Deorum libatione sacraretur mensa, factum esse silentium. Deinde ad Deorum Gentilium errore concepta merita instituras esse laudes, quorum imagines aureæ, argenteæ, & ligneæ aut in mensa, aut in conuiuiali aula proponebantur. Quo habitu, ac cultu dij apud Babylonios colerentur, vide Baruch cap.6. Laudes verò illæ esse videntur, quòd idolorum potentiæ aliarum Gentium idola succubuerint: quod à Iudæorum Deo ipsorum virtute superato spolia detraxerint, & domum exciderint. Cuius rei argumentũ coràm prostabat; vasa nempe sacra, quę quòdam è Solymitano templo transtulerat Nabuchodonosor, & ex idolio ad conuiuium illud inauspicatum, & impium produci iusserat. Gentiles porrò hæc à fidelium consuetudine mutuarunt, vt plura alia.

Aut fortè vult indicare textus, quòd vt fideles decet, verè & ex cordę Deo egerint gratias ob rem ipso auspice exorsam; non vt illi, qui ex rapina diuites facti apud Zachariam cap. 12. dicebant: *Benedictus Dominus, Diuites facti sumus*; quasi illas oblatas à Domino accepissent, & non potius à violentia & fraude: non vt Pharisæus Luc.18. vano & inflato spiritu dicens: *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiã hic Publicanus: ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo.* sed vt filios suos volebat fecisse Iob, qui veritus ne de intimâ gratiarũ actione ex præcordijs procedenda parum solliciti, partes suas neglexissent, quotidiano

6. *Vel Benedicentes hic est, quod verè & ex corde Deo gratias agentes.*

sacrificio id supplebat: Offerebat enim holocausta pro singulis consurgens diluculo, & dicebat: *Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Verebatur itaque ne ex qua parte filiorum esset temerata religio: In conuiuijs namque multis modis peccari potest, quia vbi Ceres regnat & Bacchus, ibi quoque Veneris regnum est, & lingua in omnem verborum licentiam laxari solet, cum Dei supina obliuione. De populo qui magistrum habuit optimum Moysen, & Deum moderatorem, & ducem, dicitur Exod. 32. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Sic igitur verè & ex toto corde benedicebat Raguel cũ suis Deum subnuptiali conuiuio, vt quidquid Deo displiceret, procul faceſſeret, quidquid placeret, religiosè adesset.

7. *Cur hic nulla mẽtio de solemnitatibus vsitatis?*

Porrò cùm multæ solennitates obseruari soleant in nuptijs Hebræorum, mirum est hîc nullam earundem fieri mentionem; sed dumtaxat præceptum esse à Raguele Annæ vxori, vt præpararet alterum cubiculum, introductamque Saram lachrymatam esse, & consolatoria verba accepisse. Solent enim olim puellæ ad nuptias sese præparantes, primò, se lauare & vngere, & induere cultioribus vestimentis. Hoc suader Noëmi Ruthæ, ad alliciendum Boozi animum: *Lauare*, inquit, *& vngere, & induere cultioribus vestimentis.* Iudith accessura Holofernem armat se pretiosis ornamentis; vnde cap. 10. legitur: *Lauit corpus suum; & vnxit se myrro optimo, & distriminuit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitq; sandalia pedibus suis, assumpsitq; dextrariola & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se.*

Puellæ ante nuptias solitæ olim se lauare, vngere, &c.

Fœmina Persica anno integro se disponebant ad Regis cõmercium, & cur?

Apud Persas puellæ vnguentis variis ac medicamentis sex & sex mensibus ad regiam consuetudinem parabantur. Hinc capit. 2. Esth. vers. 12. dicitur: *Cùm autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem, expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus veniebatur: ita dumtaxat vt sex mensibus oleo vngerentur myrrino, & alijs sex quibusdam pigmentis & aromatibus vngerentur.* An illud introductum sit ob grauem fœminarum, & quasi naturalem fœtorem, incertum est. Sanctius eo loci formar quæstionem? *Cur tanto tempore se disponerent fœminæ ad regium thalamum?* Et respõdet, quòd ad munditiam, nocturnumque congressum, proximũ, vnguento myrrino se coniuges, lectũque respergerent, cõmune fuit omnibus pene seculis illis saltẽ nationibus, in quibus fuit aliqua elegantiæ atque mũditiæ cura. De prophanis obuia sunt exempla. De sacris in Cãticis Salomonis sæpe auditur vnguentorũ nomẽ, & meretrix illa, quam describit Salomõ Prouerb. c. 7 aspersum dicit esse cubile myrrha & aloe, ac cinamomo. Iudith cap. 10. postquam lauit corpus suum lauit se myrro optimo, & Ruth cap. 3. præcepit Noemi nurui suæ, vt cum itura esset ad Booz, cuius ambibat nuptias, se lauaret, atq; vngeret. Hæc certa sunt, neque obscura causa cur autem semestri spatio vngendæ virgines, & alijs poliendæ pulchritudinis ascitendæ pigmentis alterò semestri ita vt annus impenderetur integer fingendæ, atque fucandæ formæ, & inungendo corpori: id verò obscurum, neque ea de re aliquid, quod ego viderim, adductum ab auctoribus.

Grauis hominum odor in aliquibus regionibus.

Ego inquit, sic puto in aliquibus regionibus nimium calidis ex intemperie corporis quã regionis intemperies induxit, grauem exhalari, & quasi naturalem odorem, quem homines aut omninò tollunt, aut certè minuũt, medicamento detersis aut delibutis assiduè aliquo vnguentorum genere corporibus. Hoc sanè nos quotidie experimur in his mãcipijs, quæ ex Æthiopũ finibus in Europam quotannis exportantur: quorum fœtor est grauis, & molestus. Item qui Mauritaniam incolunt, inamœnum aliquid & tetrum aspirant. Imò & ipsi Iudæi tam grauem ex se fœtorem emittunt, vt familiari, ac proprio cognomento fœtentes appellentur; an naturalis illis fuerit molesta hæc labes, vel à tempore Christi passionis aduenerit nihil dico. Illud scio à gentibus familiari conuitio appellari fœtentes. Martialis quidem l. 4. epigram. 4. inter res maximè fœtidas Iudæorum halitum annumerat. Et paulò post concludit: Sic ego suspicabar in regionibus illis, vnde puellæ illæ ad Regium thalamum accersebantur, naturalem esse grauem quemdam odorem, quia calidæ sunt. De Babylonia certum est, cuius feruidissimus, atq; perpetuus æstus prouerbiali figuræ locũ fecit, quæ dum impossibile dicit ab aliquo loco deferarũ aliquid, ab æstu Babylonis comparationẽ sumit, hoc modo, prius in Babylone æstus, & in Ponto frigus deficiet. Sanè Susanna Daniel. ca. 13. sæpè adibat balnea, & se smaragdo aut vngebat, aut defricabat; ne quid afferret, vt opinor, graue ac fœtidum ad coniugalẽ torum. Neque aliud spectabat Iudith cap. 10. dum se singulis baptizabat noctibus, nisi vt omne quod odiosum esse posset homini Persæ, id est, nimis delicato, detergeret. Quare quia odor ille, qui regionibus, quas suo assuetus premebat imperio familiaris erat fœminis, ingratus erat Regi, longo tempore, & assiduo vnguentorum vsu exterminari voluit, experimento edoctus semestri illo spatio myrrhino vnguento, & semestri altero, alio aromate, atque pigmento grauolentiam omnem à muliebri corpore, aut aboleri prorsus aut vehementer minui. Quòd indicauit Paraphra-

Iudæorum fœtor naturalis.

Babyloniis & Persis ingratum esse odorem probabile est.

sis

fis Chaldaica, quæ vbi vulgata legit: *& aliis sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur.* ipsa habet, *in aromatibus, & purificationibus mulierum.* Et quidem vox Chaldaica *Samthor*, nō tam vnguentum, quàm medicamentum valet. Quod etiam licet subobscurè indicat Hieron. quæst. in Gen. c. 12. *Iuxta librum*, inquit, *Esther, quæcunq; mulierum placuisset Regi apud veteres, sex mensibus vngebatur vnguento myrrhino, & sex, mensibus in pigmentis variis erat, & curationibus fœminarum.*

8. *Sponsa Sponsō curru obuiā procedebat.*

Sponsa curru ad sponsum procedebat; virginibus comitata, nuptiali apparatu obuiam prodibat sponso; quod indubitatum videtur: Præterquam enim quod Pausanias testatur nuptiali curru apud Græcos sponsam deferri in domum mariti; ipse etiam Salomon Cant. 1.9. assimulat sponsam *equitatui suo in curribus Pharaonis*, quasi diceret, perinde esse quod suo equitatu & curru ad se accederet, ac si pro more patrio, curru & equitatu Ægyptiaco ad sponsi domum deferretur. Neq; dubiū quin hæc equitatus & currus mentio amatoria, & nuptialis sit. Inde enim est illud Cant. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano; veni coronaberis.* Ita vt sponsus & sponsa domibus suis egressi sibi obuiam inuicem procederent, & sponsa à sponso in domum eius cum instrumentis musicis duceretur. Res clara est ex 1. Machab. 9. vbi sic legitur: *Renunciatum est Ionathæ & Simoni fratri eius, quia filij Lambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba filiam vnius de magnis principibus Kanaan, cum ambitione magna: & ecce tumultus, & apparatus multus, & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis.*

Quæ consuetudo erat non solùm Hebræorum, sed etiam illarum gentium, quæ terram habitabant vicinam. Hi enim extra vrbem in nuptialibus factis, festiuos agebant ludos, neque minima erat lætitiæ genialis pars, quæ ex introductione nouorum coniugum ex agris sumebatur. In Canticis Canticorū non pauca sunt, quæ hanc Hebræorum consuetudinem probant: nam c. 3. ascendentē sponsam de deserto, hymenæo cantico laudant adolescentulæ Psalteriæ: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Et c. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

Sacer hymnus in nuptijs cani solitus.

Sacer quoque in nuptijs hymnus decantari solebat, vnde est Psalm. 44. vbi Dauid filij sui nuptias auspicatissimas canit, de quo dicit Augustinus, Canticum esse de sanctis nuptijs, de sponso & sponsa, de Rege & plebe; & Hieronymus Psalmum esse nuptiarum spiritualium. Item faces, lumina, & lampades esse adhibitas declarat parabola decem virginum, Matth. 25.

9. *Sara pi-*

Quare hæc non adhibita in nuptijs Tobiæ

Mauden in Tobiam.

& Saræ? Credo primam causam fuisse, quòd Sara satis pulchra noluerit figmentis & pigmentis vti, quòd fictitia eiusmodi displicerent: vt satis colligitur v. 17. ca. 3. vbi inquit, *nunquàm cum ludentibus miscui me neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui,* quasi dicat, comparium quæcunque oblectamenta exsonui. Similiter Esther peracto anno probationis, cùm deduceretur ad regium thalamum respuit ornamenta, quæ aliæ quæsierant virgines, quibus sibi à beneuolo Rege gratiam initent, aut alia irritamenta libidinis puellis Persicis vsitata, cùm ipsa satis haberet à natura, quo amorem conciliaret, quodque honestissima fœmina, & à Mardochæo patruo ad pietatem, & religionem instituta has veneris illecebras horreret. *Euoluto,* inquit textus, *tēpore per ordinem, instabat dies, quo Esther, &c. deberet intrare ad regem. Quæ non quæsiuit muliebrem cultum, sed quæcunque voluit, Egeus Eunuchus custos virginum hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.* Esth. 2. vers. 15. *fucum odiosa*

Olim tripudia à nuptijs exulabant.

Adhæc credibile est Tobiam & Saram voluisse cantum, tripudia, aliaque lætitiæ signa in nuptijs adhiberi solita, longè facessere, quòd in veterum nuptijs de tripudijs, & choreis nihil legatur. Olim Isaac Rebeccam in vxorem duxerat, Gen. 24. Lege quæcumque in illis nuptijs peracta, nunquam choreas reperies, nunquam tripudia, idq; ante Euangelij lucem, à qua longius exulare vana ista, & inania tripudia debent. Audi B. Chrysostomum, quàm altè inclamet, hom. 48. in Gen. *Hic considera, ait, quomodo nusquam superflua illa, & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala, & tibia, & chorea, & satanica illa conuicia, & scommata omni obscœnitate plena. Intrauit inquit, in domum matris suæ, & accepit Rebeccam, & fuit ei vxor.* Hæc ille. Quæ maior insania est, quàm honestatem in vxore amare, & inhonestis tripudijs incęstare nuptiarū puritatem? hæccine prudentia, cùm nubit pudica fœmina, impudicitiæ instrumenta & occasiones nō admittere modò, sed dare? Pudeat vel ab Ethnicis eruditi. Talis Laban, dedit filiam in vxorem Iacobo, Gen. 29. nullibi tamen chorearum mentio, nec indictum. Fideles hoc exemplo premit idē sanctus Chrysostomus, cuius hîc verba sisto, sic enim ille scribit hom. 56. in Genes. æuique sui mores perstringit. nostri etiam, licet nō cogitauerit: *Vidisti, inquit, cùm quanta honestate nuptias olim egerint? Audite qui satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarum honestatem dedecere afficit: num tunc tibia? num tunc cymbala? num tunc diabolica chorea? Quare enim dic mihi tantum statim ab initio damnum induis in domum tuam, & eos, qui in scænis, & orchestris operam locant, vocas, vt cum intempestiuo*

Tripudia quare à Christianorum nuptijs arcenda.

ſumptu virginis ladas continentiam, & iuuenem impudentiorem facias? ſatis enim arduum erat abſque illis ſufflationibus illam ætatem poſſe ferre moderatè tempeſtatem affectionum. Cùm autem & hæc accedunt, tam quæ videntur, quàm quæ audiuntur, maiuſq; accenditur incendium, & fornax concupiſcentiarum magis inflammatur, quomodo non peſſimum it adoleſcentis anima? Hæc ille. Inſuper non ignorabant latentem, & immodeſtiam, aliaſque inconuenientia rei indifferenti facilè ſeſe immiſcere; vnde choreas, & tripudia, ac ijs ſimilia reſpuiſſe videntur. Ex quo capite Chryſoſtomus loc. cit. *Diabolicas* vocat *choreas*. Certè cùm Iſaias vates deſcriberet extremam Babylonis vaſtitatem, quòd ſcilicet ita deſolanda foret, vt fieret habitaculum dæmonum & monſtrorum, quò nemo ire auderet, inquit: *Et pilоſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi vlula in ædibus eius, & ſyrenes in delubris voluptatis*, cap. 13. Quaſi diceret: Dæmones ſpecie hircorum hirſuti, quos vetuſtas faunos & Satyros dixit, quaſi dij nemorum illic ſaltabunt, reſpondebit vlularum ac ſyrenum ſtridor, qui reſonabit ex magnificis quòdam ædificijs, quæ fuerunt domicilia, & quaſi delubra quædam voluptatis. Vti enim Babylon erat conſtructa & comparata ad omnem voluptatem, & pompam, ita poſt excidium in ea pro delicijs erunt fauni & Satyri horribiles, qui aduerſis frontibus congredientur, inſultabunt, cornutabunt, & tripudiabunt. Adeò, vt liqueat tripudia familiaria eſſe dæmonibus: imò & ex conſequenti certum eſſe, quod ad ea homines inſtigent, quòd ſciant ea præludia eſſe fœdæ libidinis, anſamque ſuppeditare homines in infortunij foueam præcipitandi, vt in quibuſdam nuptijs accidiſſe monumenta tradunt. In Gallia quibuſdam ſuper pontem choreas ducentibus, dirupto ſubitò ponte fortiſſimo in aquis validis Pharaones effecti, ſunt demerſi, vt refert Thomas Cantip. l. 2. Apum. Addit & puellam poſt choreas ſubitaneâ morte percuſſam expiraſſe. Non ſupprimo hîc illud, nec Albertus Crantzius l. 12. Wandalicæ hiſtor. c. 14. Agebantur Qualenſes in Lubicâ nuptiæ, aderatque frequentiſſima virorum, mulierumque multitudo choreas ducens; ignis incognitâ origine domum inuadit, perimuntur ab eo centum octoginta vtriuſque ſexus, ſoli ſponſi nudi è lecto euaſere incolumes, vnde datus eſt proverbio locus, *Nuptiæ ſcilicet Qualenſes*. Audin'. Hæc mala, huic ignè veritos fuiſſe Tobiam & Saram, non eſt vero abſimile; præſertim cùm ex abuſu ignis libidinis frequentius in choreis ſuas vires exerat, multoſq; ie permat, cùm occultè viſcera inuadit, & mentem occupat.

Choreæ dæmonibus familiares.

Tripudiantes quandoq; funeſtum finem ſequitur.

Varia exempla.

Secundò, credo ob captiuitatem & luctum multa ſtudiosè fuiſſe omiſſa: quòd coniunctura talis tempore non permitteret tot lætitiæ & hilaritatis ſigna inter captiuos exercere 3. quòd Sara præ triſtitia eorum quæ illi contigerant externa noluerit adhibere. Hinc enim videtur mentio fieri de ſolo cubiculo mutando. Licet enim ſeparata ſoleant viri à fœminis habere cõuiuij loca apud Hebræos, vt varijs Scripturæ locis conſtat: nam Iacob diſtinctum habuit tabernaculum à Rachel, & Lia, Geneſ. 31. vbi Laban ingreſſus eſſe traditur in illarum tabernacula. Et Gen. 24 Sara tabernaculum fuiſſe dicitur diuerſum. Et Eſther. c. 1. ſeorſim à viris fœminæ diſcumbebãt: & Herodias non eodem quo Herodes loco conuiuium init in Herodis natalitio die, quãdo puella à conuiuij loco exiiſſe traditur ad matrem ſuam, ad diſtinctum ſcilicet, Mar. ca. 6. verſ. 24. Cùm autem ſponſa induceretur in ſponſi domum, induci vtiquè debuit in Gynecæum, id eſt, in illam domus partem, in qua ſponſi mater cum muliebri comitatu morabatur; ſicut Iſaac nouam nuptam Rebeccam adduxiſſe dicitur in tabernaculum matris ſuæ Saræ, Geneſ. 24. v. 67. Quamuis, inquam, hæc ſoleant eſſe diuerſa à viris; tamen videtur probabilius de eo hîc non eſſe ſermonem, ſed vt alterum cubiculum pararetur Saræ, quàm illud, in quo funeſtas tot virorum neces ſuſtinuerat Sara: neque conſolatio matris aliò tendit, quàm vt filiam nihilominus lachrymantem ob diros caſus, quorum memoria, & cubiculi aſpectus illam turbabat; diuino præſidio confortaret: *Forti*, inquit, *animo eſto filia mea. Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpeſſa es.* Noli, inquit, filia tantum dolere ex aliorum morte, neque metum apprehendere tanquam impendentis periculi, Deus lachrymas tuas reſpicit, & compenſabit gaudio nouo antiquam & longam in tam acerba calamitate moleſtiam, præſertim illam, quam piæ lachrymæ pungunt & ſollicitant.

Pro fœminarum habitatione, aut vſu diuerſa à viris loca.

Quid ſit illorum illud cubiculum?

Libri TOBIÆ Capitis octaui

SYNOPSIS.

CÆNA peractâ introducitur Tobias ad cubiculum Saræ, vbi Raphaelis monitis obſecutus, partem iecoris poſuit ſuper prunas. Angelus Raphaël Aſmodæum exterminat, eumque procul ab ea ciuitate in Ægyptia ſolitudine alligat. Poſt longam vtriuſque coniugis orationem ſub galli cantum Raguel aperiri iubet foſſam, in qua cadauer conderet Tobiæ, ſi quid ei accideret aduerſum: Vbi autem per exploratricem ancillam omnia ſalua cognouit, actis Deo gratijs, foſſam manè oppleri, & ad nuptiale conuiuium conuocat amicos, & notos. Quo peracto dimidiam bonorum partem nouis coniugibus tribuit; reliquum tabellis ſcriptis poſt mortem ſpondet.

VERSVS PRIMVS.

Poſtquam verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.

PARAPHRASIS.

Verſ. 1. 2. & 3. Cœnâ peractâ deductus eſt adoleſcens ad cubile ſponſæ, in quo ſumpſerat genialem cœnam, ſeorſim à viris: vbi recordatus ſermonum Angeli, & quod faciendum primâ nocte præſcripſerat, fecit, ſcilicet partem iecoris prunis impoſuit. Et eodem veſtigio apprehenſus à Raphaele dæmon fugatus eſt, & in Ægypti ſuperioris ſolitudine religatus.

Verſ. 2. *Recordatus itaque Tobias ſermonum Angeli, protulit de caſſidile ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones viuos.*

Verſ. 3. *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.*

SECTIO PRIMA.

Quorſum non timuerit Tobias mortem ſibi imminere, quam experti fuerant ſeptem eiuſdem Saræ mariti?

1. *Terrere debent alienapericula. Eccl. 43.*

QVi maris pericula conſiderarunt, ea horrent, & iuxta Siracidem, *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Cato de tribus dolebat, 1. quòd ſuũ ſecretum reuelaſſet mulieri: ſecundum, quòd vel dies vnus ipſi per negligentiam effluxiſſet abſque fructu: tertium, quòd eò naui vectus eſſet, quo poterat pedibus proficiſci. Laodomas inde Homericus nihil miſerius eſſe cenſebat, quàm virum fortem ponto exagitari. Sed quid hæc ad Tobiam? Ille non ſolùm maris pericula non ignorabat, ſed iam publica fama percrebuerat ſeptem ſucceſſiuè Saræ maritos funeſtâ morte, Aſmodæi arte & aſtu occubuiſſe, & quaſi nihil horum contigiſſet, intrepidus cubile Saræ ingreditur. Quid cauſæ, quod eiuſmodi veſtigia iuuenem non terreant. Duæ occurrunt rationes.

Maldon in Tobiam.

Prima, quòd ſciuerat hanc eſſe Dei voluntatem, vt Saræ iungeretur ex verbis 1. Cauſa

quare Tobias non timuerit, fuerit quod sciuit esse voluntatem Dei.

Raphaëlis cap. 6. *Oportet eam te accipere vxorem.* Et cap. 7. ex dictis ab Angelo Ragueli: *Noli timere eam dare isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua.* Illa efficit hominem strenuum etiam in certissimis vitæ periculis. Cùm Paulum Hierosolymam abiturum Cæsarienses lachrymis morati conarentur, Paulus illis animosissimè respondit: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum: Ego enim non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini* IESV. Rursum idem sciens Dei voluntatem esse, vt iret Romam, ad Cæsarem appellat, & vltrò subit varia terrarum, mariumque discrimina: Cretam appellit; inde solutâ naue exurgit tempestas, omnesque desperantes animat Paulus: *Nunc suadeo vobis*, inquit, *bono animo esse. amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquàm nauis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere; & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Quia Paulus voluntati Dei se conformat, nulla metuens pericula, Deus ipsum, eiusque causâ, socios omnes per oraculum, & quasi miraculum certo mortis periculo eximit.

Consideratio voluntatis Dei in periculis efficit hominem strenuum.

Ribadineira lib. 5. ca. 4. scribit de constantia S Ignatij Patriarchæ Societatis IESV, hoc modo: Cùm esset, inquit, Præpositus Generalis dixit: Si Summus Pontifex imperaret, vt ad ostia Tiberina scapham, vel nauim primò obuiam, clauo, malo, velis, remis destitutam conscenderem, itaque sine commeatu mare traijcerem, id facerem animo non solum æquo, sed & libenti. Cumque Prælatus quidam admirans regereret, Quæ ista hæc est prudentia? Respondit S. Ignatius: *Prudentia Domine non tam est parentis, quàm imperantis.* Parentem secutus est filius S. Franciscus Xauerius, qui in Mauricas Insulas barbaras contendens, cum amici hoc iter dissuaderent, ac tandem vim facerent, negarentque nauigium, respondit: *Se nulla pericula, nullum genus mortis, vbi Dei cultus & animarum salus agatur, formidare: nec vllos hostes ducere, nisi qui diuino obstem obsequio; sibi certum esse in Mauricam Deum vocantem sequi; nec nauigium morari si nauis desit, semet Deo incubantem vtique transnaturum.* ita Tursel. lib. 3. vitæ eius cap. 2. Dixit, & præstitit.

Electorum est se voluntati Dei conformare.

Sic cælo destinati animum in bono stabiliunt, in id tota mente promissimi, quod & sr displiceat omnibus, modò vni sciant placere Deo hoc cogitant, hoc loquuntur, hoc serenâ & securâ mente exequuntur. Sciunt enim quàm verè Hieronymus de obitu Blesillæ scripserit ad Paulum: *Bonus est Deus, & omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est*; nec illi bonæ voluntatis homines pro malo habent, quidquid à bono Deo est. Cùm Dauide dicunt: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*; & cum Machabæis, *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.*

3. 2. *Causa quare non timuerit Tobias fuit, quòd haberet bonam conscientiam.*

Altera est, quòd bona fretus fuerit conscientiâ; *Secura mens*, inquit Hebræus Sapiens, *iuge conuiuium.* Et Siracides Eccles. 3. *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Summum vitæ gaudium bona conscientia: summum vitæ supplicium, mala conscientia. Maximum vel in gaudijs tormentum conscientiæ laniatus: maximum vel in dolore leuamentum pax & tranquillitas conscientiæ. Pelagus illud Sapientiæ Salomon apertissimè pronuntiat: *Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia*, Sapien. 7. Recogitans quanta bona pariat Dei cognitio cum verâ pietate coniuncta, depromit lætitiam in omnibus conceptam, eò quòd illa sicut dux sapiens, & caput, eum præcederet. Priscus Author, ex D. Dominici familia Olcot. lect. 94. ex lætitia illa Salomonis colligit lætitiam iustorum, qui in omnibus semper lætantur, & assiduò læti viuunt. Reuera iusti nihil timent sibi, dum pacatum Deum tenèt, omnia pro se stare reputant si Deus cum illis, vnde si perire cætera videant, de se semper securi sunt, sit ignis, sit grando, sint tonitrua, sit cælum turbidum, totusque fulgoribus rutilus aer, ipsi securi degunt nil metuentes, nil reformidantes. Exod. 9. 29. cùm Dominus misisset grandinem, & ignem in Ægyptum, & plueret, ita vt dicat Scriptura, quod *grando, & ignis mixta ferebantur, & quod tanta fuit magnitudinis, quanta antea nunquam apparuit in Ægypto.* Dum Pharao orater Moysen, vt pro ipso Deum deprecaretur, sic ei respondit: *Cùm egressus fuero de vrbe, extendam manus meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua.* Aduoto verba illa, cùm egressus fuero de vrbe. Grandines immensæ cadebant, moles, homines occidentes, & animalia, ignis per totum ferebatur aerem, tonitrua cadebant, & fulgura, totus horrendè resonabat æther, & [illegible] non obstante, Moyses vult egredi de vrbe ad orandum, potens in ipsamet orare domo. Quid est hoc? nisi quia etsi mundus totus consumitur, omnesque metu moriantur, vt penè moriebatur Pharao, solus Moyses, solus seruus Dei est, qui securus inter ignes, grandines, & tonitruâ incedit, & in medio eorum palmas ad Deum extendit orans securus & quietus. Sic pari modo iam timens Dominum Ionas, marenon timet, vnde & quod in illud eum proijciant, rogat, securior in vētri Ceti, quàm in naui, in cuius profundo, quia à Deo fugiebat, præ timore alto tenebatur sopore, dum experrectus, & placato iam Deo, in ventre Cæti tumulatus vigilans canit, & exultat, felix magis, vt inquit S. Zeno, serm. de timore, sepulchro, quàm naui: *Ionas*, inquit, *timens Dominum*,

Iusti etiam in medio periculorum non timent.

Moysi periclitanti ad Deū fiducia quanta.

Item Iona Deo placato.

minam ſponte natam non timet adire naufragium, Cato inhiãte miſerabilium ſepelitur, quàm præcipitatur, & tamen littus, quo tendebat, inuenit, antequã videat; felix niagis ſepulchro, quàm naui. Erat Ionas, ait Scriptura cap. 2. *in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis. Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamani, & exaudiſti vocem meam.* Quaſi dicat: Cùm in gurgite non aliter iacerem, quàm in ſepulchro, clamaui tamen ad te Domine, & tu preces meas ad aures & animum tuum propitius admiſiſti. Ego hic multa miracula conſidero, quæ Deus erga iuſtum timentem ſe operatus eſt. Primũ, quod venter piſcis calidiſſimus Ionam nõ conſumpſerit, & in chilum conuerterit. Secundum, quòd Ionas ibidem viuere & reſpirare, aeremque frigidum attrahere potuerit. Tertium, quod odor, qui in ventre cęti eſt olidiſſimus & intolerabilis, Ionam non exanimarit, quin potius ipſe eum commodè tu'erit. Quartum quod in hoc angiſtiſſimo & incommodiſſimo carcere non tantum animæ, ſed & mentis compos fuerit, ſpirituque Dei afflatus inſignè & pium carmen Deo cecinerit.

Quatuor miracula Ionæ in cete

Sanctis ſolum Deũ timent offendere.

Vides quàm ſecuri, & feliciter degunt Dei ſeruli, dum nil trepidant, etiamſi in medijs reperiantur vndis, ſolum *ſine fine*, vt inquit idem Zeno, *ſtudent timere, ne quid præter Deum, quem diligunt, timeant, cuius ſuffragio, Daniel populũ terribilem, inermis necat, draconem, leonibus obiectus in periculo prandet, qui ſolet extra periculum.*

Nihil timet, cui bona eſt conſcientia.

ieiunare. Verè dixit S. Martialis nihil illis metuendum, quibus bona eſt conſcientia. Per hanc Martyres coram tyrannis liberè fidem profeſſi ſunt, & tormenta quæuis fortiter ſuſtinuerunt. Tiburtius ad tyrannum: *Omnia*, inquit, *nobis vilis eſt pœna, vbi ſecura comes eſt conſcientia.* Tertullianus lib. 1. ad Scapulam Carthaginis præſidem in Chriſtianos ſæuientem, cap. 1. *Cùm omni*, inquit, *ſæuitiâ veſtra concertamur, etiam vltrò erumpentes, magiſq; damnati, quã abſoluti gaudemus.* Idem Apolog. cap. 50. *Licet*, inquit, *nunc nos ſarmentitios & ſemaxios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij axis deuincti ſarmentorum ambitu exurimur, hic eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus.* Et Iuſtinus Apologia prima: *Quantò magis in nos ſeuitur, tantò plures pietatem profitemur, haud ſecus quàm ſi quis vitem putatione prouocet ad vbertatem.* Stephanus Act. 6. diſputat cum Iudæis, eoſq; conuincens ab eis capitur, & reus violatæ legis Moſaicæ Concilio agitur: *qui autem ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.* Erat Stephanus naturali ſpecie, vultuque ſpecioſiſſimus, ait S. Auguſtinus ſerm. 6. de Sanctis: ſed præterea ſupra naturam contulit illi Deus nouum mirumque ſplendorem, & quaſi radios corporis gloriofi: vt exterior fulgor vultus indicaret interiorem fulgorem, & pulchritudinem mentis: nam vt ait S. Hilarius Arelat. hom. de S. Stephano, *abundantia cordis tranſierat in decus corporis, & in faciei pulchritudinem candor ſplendorq; animi exundabat, ac abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiabant, atque cum haberet in ſe Spiritum ſanctum, os præ ſe geſtabat Angelicum.*

D. Petrus in carcere conſtitutus inter duos milites, vinctus catenis duabus, poſtero die ad extremum ſupplicium offerendus; ob ſecuritatem conſcientiæ nihilominus tam altè dormiebat, vt neque ad ingreſſum, neque ad vocationem, neque ad fulgorem angeli euigilaret; ſed tandem opus fuerit, vt percuſſo latere è ſomno excitaretur, Act. 12. D. Paulus & Silas in Macedonia comprehenſi, datique in cuſtodiam, & ad lignum, vt mos erat, alligati, virgiſque cæſi, mediâ nocte tanquam pro beneficijs ſuſceptis orantes & laudantes Deum vigilabant. Dauid loquebatur coram Regibus, & non confundebatur: Vndè Theodoretus in Pſal. 118. *Vita*, inquit, *ſecũdum legem acta fiduciam affert.* ¶ *huius rei teſtis eſt magnus Dauid. Nam ante peccatum cum multa fiducia cum Saule ſermocinabatur; poſt peccatum parricidam fugitans filium, proſpiciens in terram, caputq; operiens ululabat.*

Tobias noſter retinuerat verba Angeli ad Raguelem, nempe malam conſcientiam & vitam ſubitaneæ mortis ſeptem maritorum fuiſſe cauſam, dum inquit: *Propterea alius non potuit eam habere, &, huic timenti Deum debetur coniux filia tua.* Et hinc nihil horum meruit, quod ſeptem impijs maritis contigit aduerſi, ſed in bona conſcientia poſuit omnem fiduciam. Appoſitè D. Ambroſius lib. 2. de Iacob & vita beata, cap. 6. *Perfecta*, inquit, *virtus habet mentis tranquillitatem, & ſtabilitatem. Perfectorum eſt enim non facilè mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari ſuſpicione, non terrore concuti, non dolore vexari; ſed quaſi in littore tutiſſimo aduerſus inſurgentes fluctus ſecularium procellarum mentem immobilem fidâ ſtatione placidare.* Et D. Chryſoſtomus hom. 63. ad populum: *Si virtutem arripuerimus, nil iam erit, quod nos contriſtet: hæc enim ſe poſſidentibus bonas prætendit expectationes: & Deo gratos, & apud homines reddit probabiles, & ineffabilem affert voluptatem. Licet enim in obeundo virtus laboris aliquid habeat, multa tamen conſcientiam implet delectatione, & ſanam intrinſecus affert voluptatem, quantam ſermo nullus exprimere poſſet. Quid enim tibi de præſentibus iucundum eſſe videtur? nonne lauta menſa, & corporis ſanitas, & gloria, ac diuitiæ? Sed hæc ſuauia, ſi illi compares voluptati, ſunt omnibus amariora ad eam collata. Nihil enim bonâ ſuauius conſcientiâ, & bonâ ſpe. Et ſi vultis hoc diſcere, hinc migraturum interrogemus, vel ſenio confectum, & commoniſa-*

Tobiæ inter pericula, bona conſcientia ſecurus

Summum bonum conſcientia bona.

cientes cum lauta mensa, quâ quondam oblectabatur, & honoris & gloriæ & bonorũ operum, quæ vnquam fecit: regemur, in quibus magis exultat. Et in illis quidem videbimus erubescentem & se celantem: in his verò gestientem & exultantem. Sic & Ezechias, cùm ægrotauit, non gloriæ, non regni, non opiparæ meminit mensæ, sed iustitiæ: ait enim, Memento Domine, quo modo ambulauerim in conspectu tuo, in via rectâ. Vide & Paulum ex his exultantem, & dicentem: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.

Esa. 38.

2. Tim. 4.

Paulus de bona conscientia maximè sollicitus.

Propterea S. Paulus de nulla re magis legitur sollicitus fuisse, quàm de bona conscientia: vnde sæpè de ea gloriatur: *Gratias*, inquit, *ago Deo, cui seruio à progenitoribus in conscientia puræ*, 2. Timoth. 1. vers. 3. & Act. 24. 16. *Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.* Et ad Hebr. 13. *Orate pro nobis; confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus, in omnibus benè volentes conuersari.* Eademque impensè Christianis commendat, *Gloria nostra hæc est*, inquit, *testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo*, 2. Corinth. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, 1. Tim. 1. 5. *Milites in illo bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.* & cap. 3. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura.* & cap. 4. ait hæreticos habere cauteriatam conscientiam: ad Tit. 1. *Infidelibus*, ait, *nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia.*

5. Mala conscientia affert timorem.

Nos verò de hac parum solliciti, vbique timemus. Præclarissimè Bernardus: *Conscientia mala*, inquit, *contristat animam, eamq; Deo exhibet immundam, angelisq; & hominibus fœdam & sibi ipsi turbatam & inquietam. Nulla enim pœna maior est malâ conscientiâ. Omnium siquidem delictorum nostrorum ipsa est testis, ipsa index, ipsa tortor, ipsa carcer. Ipsa accusat, ipsa iudicat, ipsa punit, ipsa damnat.* Testis sit Cain, qui Genes. 4. inquit: *A facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Ecce, inquit, Domine abstulisti à me gratiam & tutelam tuam: sum anathema, sum odium Dei & hominum, non potero euadere, quin ab aliquo occidar. En omen, en pauor malæ conscientiæ! Credit enim se internâ conscientiæ carnificina continuè discruciandum, vt graue illi futurum inter homines agere, & fore vt conscientia criminis ad singula & facinorosorum more, etiam ad filiorum motum expalleſcat. Luculèter Ambrosius de hoc Caini timore lib. 2. de Cain & Abel. c. 9. *Angustæ mentis homo præsentem mortem veretur, perpetuam neglegit, & diuinum iudicium non reformidat. Interitum solum corporis deprecatur. Sed à quo timebat occidi, qui solus parentes habebat in terra.* Potuit quidem & incursum bestiarum timere, qui legis diuinæ iura violauerat, nec præsumere de subiectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi; potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerunt posteri de parente. Hæc Ambrosius.

Exemplum Caini.

Pulcherrima super hoc loco Ambrosij sententia.

Qualis sit motus ac dolor improborum hominum.

In Psal. 31.

Mala conscientia comparatur vermi pœnæ.

En quisnam sit improborum hominum propter scelera ab ipsis admissa animus, quis sensus, quæ cura, quis timor; nimirum non dolent culpæ turpitudinem, aut offensam Dei, nec tam futura inferni supplicia perhorrescunt, quàm præsentis vitæ ærumnas, & calamitates, cruciatusque corporis, denique imminentis acerbitatem mortis. Diuus Augustinus comparat stimulantem cõscientiam marito, qui timet domum redire, quòd ibidem habeat vxorem latrantem & obiurgantem: *Dominus*, ait, *in Euangelio ait, intra cubiculum tuum, & claude ostium, & ora in occulto, cùm intras cubiculum, intra cor tuum. Beati qui gaudent, quando intrant ad cor suum, & nihil mali ibi inueniunt, quomodo nolũt intrare in domos suas, qui malas habent vxores, quomodo exeunt ad forum, & gaudent, cæpit hora esse quia intraturi sunt in domum suam, & contristantur, intraturi sunt ad tedia, ad murmura, ad amaritudines, ad euersiones, quia non est domus composita, vbi inter virum, & vxorem pax non est. Si ergo miseri sunt, qui redeunt ad parietes suos, quanto sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum reuertantur.* Et immediatè post hortatur ad mundam conscientiam: sequitur enim, *Ergo vt possis libens redire ad cor tuum, munda illud, aufer mala', & intra cor tuum, & gaudebis ibi, cùm ibi cæpris gaudere, ipsa munditia cordis tui delectabit te.*

6.

Quàm pauci nostrũm hæc perpendunt, imò potius omnium vitiorum cœno immergentes, nullam vel exiguam conscientiæ habemus rationem. Præterea *multi quærunt scientiam*, inquit Bernardus, *pauci verò conscientiam. Si verò tanto studio & sollicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur secularis & vana scientia & citiùs apprehenderetur, & vtilius retineretur. Cogitare namque de conscientia, sensus est consummatus: & qui custodit illam, semper erit securus.* Audiamus ergo Paulum, *Videte*, inquit, *fratres quomodo cautè ambuletis, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* Epictetus pulchrè submonet. Quemadmodum, inquit, in ambulando caues ne clauum calces, pedémue distorqueas, sic in degenda vita caue, ne gubernatricem actionum mentem tuam lædas. Quod si in re vnaquaque obseruabimus, omnia cautius aggrediemur. At si spinam aut clauum pede indueris, an non ea mox horâ eo certè die extrahes ne pars læsa in malignum vlcus suppuret? ita pedi consulis. Et conscientiam si læseris (septies enim in die cadet iustus) non

eodem

eodem mox die medicinam facies? mucronem subtilissimum pedi eximis, & lethale vulnus tolerabis in conscientia? Meritò hoc ita agendum; nam vt benè Bernardus *de interiore domo*: *Conscientia bona, titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis: hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus & clausus, & in die iudicij aperiendus.* Et immediatè post subiungit: *Nihil est iucundius, nihil tutius, nihil ditius bonâ conscientiâ: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit cùm corpus morietur: secura cùm anima coram Deo præsentabitur: secura cùm vtrumque in die iudicij ante tribunal terrificum iusti iudicis statuetur. Futuræ beatitudinis non est vtilius remedium, nec certus testimonium bona conscientia. Cùm mundus eum volubilitate circumroretur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquam marcescit bona conscientia. Subijciatur corpus in pœna, in ieiunijs macereture, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affigatur, secura erit conscientia.*

Fructus bonæ conscientiæ.

SECTIO II.

Quibus funibus ligatus sit Asmodæus ab Angelo? & quare adhiberi voluerit fumum iecoris? & penes quos nunc sit potestas dæmones expellendi: quin etiam an remedijs veteris Testamenti modo vti liceat?

1. *Dæmones posse ligari ex jure Scripturæ constat.*

DÆMONES ligari prodit sacra Pagina tum hoc loco, tum etiam Apocal. 9. vbi quatuor præcipui dæmones alligati leguntur, infestantes videlicet quatuor partes terræ ante aduentum Domini, vnus Orientem, alter Occidentem, tertius Meridiem, quartus Septentrionem, nitentes impedire hominum salutem, eosque in idololatriam, & in omnia peccatorum genera pertrahere: nam v. 13. vox vna audita est, *ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei*, dicens *sexto Angelo, qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Et soluti sunt, *quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.* Itaque significat Ioannes Euangelista quatuor præcipuos dæmones, qui quasi præsunt quatuor orbis partibus, ligatos in Passione Christi, ne tantùm noceant hominibus, quantum antea illis concessum fuit: eosdem in fine mundi rursus soluendos, vt liberè grassentur, puniantque homines impios. Et cap. 20. vidit Ioannes *Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem Abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illũ vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solui modico tempore.* id est. Vidit Angelum præsidem, & quasi prætorem inferni, habentem potestatem laxandi infernum, & in eum detrudendi Luciferum, ibique eum alligandi per catenam toto tempore Ecclesiæ militantis vsque ad Christum: quem realiter, & personaliter relegauit ad infernum, ibique ligauit, vt ex eo egredi non posset, nec ita nocere hominibus, ac si ijs præsens esset, vsque ad tempus Antichristi, quando soluetur, & egredietur modico tempore grassaturus.

2. *Quibus funibus ligantur dæmones.*

Qui autem hi funes sint, quibus dæmon ligetur, Scriptura non ita exprimit, quamuis innuat eos certo loco ligari, cùm in illo, per decretum & potestatem diuinam vel angelicam detinentur, vt se loco mouere, eoque egredi nequeant: Idque per Angelum vel hominem. Primùm illis subtrahendo concursum diuinum, qui necessarius est ad motum vel egressum, eosdemque conseruando in illo loco, cui eos vult affigere. Sic religatus est Lucifer in inferno, ne seduceret amplius gentes, sed permitteret eas liberè ad Christum conuerti, Christique fidem toto orbe per omnes gentes propagari. Sic ligati sunt quatuor illi superiores dæmones in flumine Euphrate Apocal. 9. Hinc S. Antonius, vt refert S. Athanasius in eius vita de diabolo inquit: *Hamo crucis vt draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus vt iumentum, & quasi mancipium fugitiuum vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium deuorare permittitur. Nunc miserabilis vt passer, ad ludendum irretitus à Christo, calcaneo Christianorum substratus gemit. Ille qui vniuersa maria à se deleta plaudebat, ille qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur, ecce à nobis vincitur, ecce me aduersum se prohibere non potest disputantem.* S. Augustinus ex huius consideratione sic philosophatur: *Si alligatus diabolus est, quare tantum adhuc præualet? sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est tanquam inexus catenis canis; & neminem potest mordere nisi eum, qui se mortifera securitate illi coniunxerit. Iam vides fratres, quia stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere; latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit*, vtique maximè per suos quasi emissarios canes, quos per orbem immittit, vt homines tentent & diuexent.

Secundò moraliter id contingit, quando 3. per mi-

Secundus. per minas,& acriores pœnas vetantur egredi, atq; puniuntur si egrediantur,& compellũtur regredi. *Tertiũ.* Tertiò cùm naturaliter per vim superiorem coguntur aliquem locum deserere, & certo loco se continere. Sic Angelus adhibito fumo iecoris per Tobiam apprehendit dæmonium Asmodæum,& religauit illud in deserto superioris Ægypti:ita vt non solum vetaretur in domũ illam remigrare,vnde discesserat;sed neq; in totam Assyriam,vt nullas ab illo noui coniuges timerent insidias: quod probabile est tam diu durasse,quàm Tobię ac Saræ vita: videtur enim Angelus in reliquum tẽpus voluisse securos reddere nouos cõiuges

4. *Qualia sint vincula rudentes ligando dæmoni necessaria.* Hi verò modi compescendi dæmonem solent vincula, rudentes & catenæ nuncupari. Sic enim 2. Pet. 2. legimus, *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et in Canonica S. Iudæ dicitur: *Angelos qui non seruauerunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Apocal. 29. Angelus,vt serpentem antiquum ligaret, habebat catenam magnam in manu sua. In quem locum Andreas Cretensis: *Catenam*, inquit, *ad nostram intelligentiam vocauit operationem, qua Satanæ malitiam coërcet.* Iniiciuntur verò hæc vincula, vel spirituali tantum modo, vel symbolis quibusdam, quæ sub sensum cadunt, adhibitis, cuiusmodi sunt res aut verba sacra, aut etiam fumus iecoris diuinâ ordinatione ad hoc eleuatus vt omne genus dæmoniorum extricet, quemadmodum latiùs deduxi Cap. 6. huius historiæ, sect. . . .

5. *Cur Angelus ad pellẽdum dæmonem fumum adhibuit.* Hisita positis, non inutiliter quæri potest, Cur Angelus cùm potuerit naturaliter sua potestate superiori, Asmodæum coercere, adhibere voluerit fumum iecoris? Huius rei causa est multiplex, nec illa leuis. Prima quia latere voluit, neque suam prodere naturam, donec res esset omninò confecta, id est, donec Tobias iunior accepisset vxorem, ditatus rediret ad parentes acceptâ à Gabelo pecuniâ, & vxore dotatâ luculenter, & parenti foret oculorum acies restituta. Quod si expulsus esset dæmon sine vllo suffimento, cui vis putaretur inesse medica, aut certè ex instituto lustralis, statim appareret in illo aliquid esse, quod humanam facultatem excederet. Secunda vt doceret non esse superstitiosum res corporeas contra dæmonem adhibere quibus vis aliqua ex instituto diuino inest contra eundem, qualem habet cereus Agnus, aqua piacularis, oleum benedictum, & campanæ,quarum vsus frequens est ad diaboli insidias compescendas, in quouis rerum articulo. Tertia vt ad suam, vxorisque incolumitatem aliquid videretur Tobias operatus: ne totum negotium Angelo relinqueret, & nihil sibi curæ, aut laboris assumeret. Quod faciunt multi, qui sibi otiosis sperant salutem,& vitam in sinum esse venturas, & ideò dum omnia aliorum sedulati permittunt, nihil assequuntur.

6. Sanctus Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 28. inquit: *Alligatio diaboli non solùm facta est ex quo capit Ecclesia in nationes dilatari, sed etiã nunc fit, & fiet vsque ad terminum sæculi: quia vnicuique fidelium iste fortis tunc alligatur, quando ab illo tanquam vas eripitur.* Eadem fiebat tempopore primitiuæ Ecclesiæ per quemlibet Christianum: Illi enim potestatem habebant curandi quoscumque dæmoniacos, vt colligitur ex cap. 16. Marci: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient*, Matth. 17. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis dicetis monti huic, transi hinc, illuc & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Deinde ex Tertulliano lib. de corona militis,cap. 11. ait enim milites expulisse dæmones, & de idololatria cap. 11. ait patentes Christianos solitos exorcizare proprios filios, si contigisset eos à dæmone torqueri: ex Epiphanio tom. 2. de hæresib. hæresi 30. Lactantius lib. 4. diuinarum Institut. cap. 17. Iustino Martyre in dialogo cum Triphone, de veritate religionis Christianæ. Imò non desunt qui putẽt idem priuilegium remanere apud quemlibet Christianum, ea lege vt fidem, vt oportet,retineat. *Antiquitus quilibet Christianus poterat dæmoniacos curare.*

7. In Euangelio verò constat Christum speciaIiter hanc potestatem dedisse Apostolis: *Ecce*, inquit Luc. 10. *Dedi vobis potestatem calcãdi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatẽ inimici.* Vnde ijdem Apost. dixerũt Christo Luc. 9. *Domine ecce dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Et plerosque curarunt, Luc. 8. 9. & 10. Act. 5. & 19. Cæterùm hæc potestas speciali quadã ratione, puta ex officio, successu temporis solis exorcistis ad hoc ordinatis conueniebat, vt constat ex epistola Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenum, referente Eusebio lib. 6. historiæ Eccles. c. 35. & ex Concilijs Carthag. IV. Romano, sub Syluestro huius nominis Pontifice I. Laodiceno. Ex Patribus, Tertulliano de præscript. aduersus hæret. cap. 41. damnat enim mulieres tum quòd docere in publicis conuentibus tentarent, & quòd dæmoniacos vellent exorcizare: *Ipsæ mulieres*, inquit, *hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere*, id est baptizare. *Apostolis concessa facultas.* *Modò solum exorcistis.*

8. Porrò exorcistis huius temporis remediis veteris testamenti pellere aut compescere dæmones vix videtur consultum: quia remedia sensilia,quibus tunc pellebant dæmones, qualia erant sonitus citharæ Dauidicæ 1. Reg. 16. suffitus iecoris piscis cuiusdam immanis, Tob. 6. radix Baaras sub signaculo annuli alicuius constituta, de qua lib. 8. antiq. Iudaic. Iosephus c. 2. & de bello Iudaico lib. 7. cap. *Remedia veteris Test. ad compescendos dæmones modò inefficacia.*

cap. 23. incertum est, vnde habuerint vim illam, an videlicet vis expellendi dæmones fuerit penes concentum citharæ Dauidicæ, an verò penes ipsum Dauidem psallentem, an etiam penes vtrumque simul: vide dicta cap. 6. huius historiæ sect. 7. num. 6. & 7. vel an Deus hoc tempore alligare voluerit dæmones concentui citharæ, sicut illo tempore. Latet etiam nos, quis sit piscis ille, cuius cor, iecur & fel conducebant ad dæmonis expulsionem. Ex sacris quippe literis solum colligitur piscem fuisse ingentis cuiusdam magnitudinis, non autem exprimitur nomen, aut illius natura. Radix Baaras nullis Medicis est nostris temporibus cognita, nec immeritò; asserit quippe Iosephus lib. 7. de bello Iudaico, cap. 23. à loco in quo nascebatur fuisse nuncupatam: variant autem indies locorum nomina. Adeoque non licet illa remedia dæmonibus compescendis adhibere; sed illa duntaxat, quæ Ecclesia probauit, qualia dixi cap. 6. sect. 7. num. 10. esse Nominis IESV, inuocationem, vsum reliquiarum Sanctorum, & rerum consecratarum, Crucis Christi signum, abiurationem per exorcismos. Addo nunc sacrosanctum Missæ Sacrificium, quod testatur D. Augustinus infestis locis curandis esse peropportunum: *Vir*, inquit, *tribunitius hesperus, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam, spiritu malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, vt aliquis eorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Peruexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante, cessauit.*

Adhibenda ab Ecclesia approbata.

Sacrificium Missæ compescendis dæmonibus efficacissimum remedium.

CAPITIS OCTAVI

VERSVS IV.

Tunc hortatus est Virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio.

Vers. 5. *Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita commisceri, sicut Gentes quæ ignorant Deum.*

Vers. 6. *Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.*

Vers. 7. *Dixitque Tobias: Domine Deus patrũ nostrorũ, benedicant te cæli & terra, mareq; & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ quæ in eis sũt.*

Vers. 8. *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistiq; ei adiutorium Heuam.*

Vers. 9. *Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.*

Vers. 10. *Dixit quoque Sara: Miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani.*

PARAPHRASIS.

Vers. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Memor Tobias, vt apparet, præceptorum Angeli tres dies impendere voluit orationi, vt placaret sibi Deum, quod idem vt faceret hortatus est sponsam, eò quòd essent filij fidelium, adeoque non liceret ad Matrimonij consummationem procedere instar Gentilium. Exordirur autem orationem à laude Dei. Proponit sinceriſſimam suam intentionem esse, vt posteritatem relinquat, qua Dei gloria amplificetur. Verbulo etiam Sara misericordiam Dei deprecatur.

SECTIO TERTIA.

Quare ad orationem priùs procedit Tobias, cùm diuinitùs illi sciat Saram destinatam vxorem?

1. ANTE Matrimonij consummationem precibus incumbit Tobias, vt felicem Matrimonij experiatur successum: Cùm autem tunc orare sit præter communem consuetudinem, quæritur quid eum mouerit tam sedulò orationi vacare. Ratio prima in promptu est, licet textus eam non exprimat, causam nempe dedisse præceptum Angeli cap. 6. *Tu autem cùm acceperis eam ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.* Inde memor existens, vt infensas dæmonis vires & insidias illuderet, orationi tres dies impendere voluit, sponsamque hortatus est idem vt faceret. Altera, quòd essent filij sanctorum, id est, fidelium (vide dicta Sect. 10. cap 2 huius histor. vbi explicatur qui Sanctorum nomine censentur) quibus vnicus horror erat tam inconditè & insulsè procedere ad Matrimonij cõsummationem, vt Gentiles; quales videntur fuisse septem priores Saræ mariti in libidinis ardore à dæmone confecti, aut ijs fuisse motibus, vt non procul abessent à Gentilibus: cum illis enim videtur facere comparationem Tobias, cùm inquit, *sicut gentes*, quasi dicat, ne in nos diuinus exardescat furor, sicut in septem viros, qui gentilico ritu, atque impetu prurientes in venereum congressum irruerunt. Gentiles vtique de sanctitate corporis in Scripturis commendata parum erant solliciti. Apud Lydos, vt scribunt Herodotus lib. 1. & 5. & Aelianus lib. 4. virgines antequam matrimonij legibus constringerentur, stupro patebant. Gentes etiam quædam in Aphrica dictæ Augiliæ vt narrat Pompeius Mela lib. 1. cap. 8. in vsu habebant, vt fœminæ nocte quâ nubunt, pateant stupro omnium, qui cum munere aliquo accesserint. Immò quæ cum pluribus cõcubuit, eam maius decus conquisiuisse ait. Et in posterum ad perpetuam pudicitiam eam legibus sæuerissimis constringi testatur. Atque adeò, vt constat ex cap. 6. Matrimonij congressum vt equus & mulus meditabantur. Lacedemones proprias vxores alijs communicabant, vt refert Plutarchus in vita Lycurgi.

Ratio prima

Secunda,

Gentilium spurcitiæ & immunditia.

2. Intellexit ergo Tobias, quod docuit tempore Euangelij Apostolus Paulus, voluntatem Dei esse sanctificationem nostram, 1. Thessal. 4. *Hæc est*, inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*: Hoc, inquit, vult Deus, vt studeamus sanctitati; *Sanctitas* autem, inquit S. Dionysius tam in Deo, quàm in nobis & Angelis, *est ab omni inquinatione libera, & incontaminatissima, & perfectissima puritas.* Sed sic sanctitas opponitur cuiuis peccato, estque omnium virtutum completio. verùm de qua hîc agit Apostolus est castitas; opponitur enim fornicationi & immunditiæ: vnde v. 7. dicit: *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem* Et 1. Cor. 7. v. 34. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Vnde rectè Tertullianus lib. 5. aduersus Marcionem c. 15. *Quam autem*, ait, *sanctitatem nostram, voluntas Dei dicat, ex contrarijs, quæ prohibet, agnoscetes. Abstinere*, inquit, *à stupro, non à matrimonio; scire vnumquemque vas suum in honore tractare; quomodo? dum non in libidine quâ Gentes; libido autem nec apud Gentes matrimonio adscribitur*: Et cùm ait, *Sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione*, loquitur de puritate & castitate, quâ vult vniuscuiusque corpus esse ornatum: corpus enim phrasi Hebræa dicitur vas, id est, instrumentum hominis; sicut enim faber sua regula, vel trulla quasi instrumento vtitur ad omnem fabricam, ita anima vtitur corpore instrumento, & organo ad omnes suas actiones, adeò vt nec intelligere quidem possit sine sensibus & phantasmatibus corporeis. Sic Plato dixit corpus vas esse animæ. Sic dicitur Paulus *vas electionis*, i. est, instrumentum à Deo electum, ad conuersionem Gentium. Sic Genes. 49. Simeon, & Leui dicuntur vasa, id est instrumenta iniquitatis, hoc est, iniquæ cædis, & vastationis Sichimorum. Vel secundò corpus dicitur vas animæ specialim & propriè, quia sicut vas recipit & continet vinum, ita corpus recipit & continet animam. Et sicut vas sordidum & putidum vinum ipsum afficit, & corrumpit; ita corporis sordes, pollutiones, & libidines inquinant animam. Hinc est illud Apostoli 1. ad Corinth. 6. 18. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*: quia illud polluit, sordidat, contaminat. Sic Dauid 1. Reg. 21. petens à pontifice sibi & suis dari in necessitate famis panes propositionis, cùm ille peteret. *Si mundi sunt pueri, maximè à mulie-*

Sanctitas idem quod castitas.

Vas est corpus quare.

Studendum puritati & sanctitati.

mulieribus, respondit: *Concinuimus nos ab heri & nudius tertius, & fuerunt vasa puerorum sancta*, id est, corpora impolluta. *Porrò via hac polluta est*, quasi dicat: Vsus hic laicus & pollutus est, vt scilicet ego & mei socij, qui sumus laici, vescamur panibus propositionis, quibus solis Sacerdotibus vesci licet, *sed sanctificabitur in vasis*, id est, non polluetur panis hic, sed sanctè recipietur in sanctis & puris corporibus nostris, in hac necessitate famis, qua etiam laicis licet vesci panibus sanctis, ita Abulens. ibid.

Vas ill. vxor

Sanctus August. lib. 1. de nuptijs, & concup. c. 8. & lib. 4. contra Iulian. cap. 10. & lib. 5. cap. 9. per *vas*, vxorem accipit, q.d. Quisque honestè & castè vxore sua vtatur. Sic Prouerb. 5. v. 15. dicitur: *Bibe aquam de cisterna tua*, vbi Septuaginta vertunt, *Fili bibe aquam de vasis tuis*, cuius loci sensus hic est: voluptatem coniugij castam, puram & fœcundam hauri de vxore tua, quæ tibi sit instar cisternæ, & vasis puri carentis luto fornicationis, zelotypiæ, morositatis, &c. Ita Beda, Iansen. & alij in dictũ locum. Sic S. Petrus epist. 1. cap. 3. monet maritos, vt vxoribus quasi infirmiori vasculo condoleant & condescendant. Pari modo videtur hîc iubere Apostolus viris, non tantum vt aliena vxore abstineant, sed etiam vt sua quasi vase sancto castè & moderatè vtantur: *Præcipitur*, inquit Hieronymus (aut potius Rabbanus) in cap. 1. Threnor. *viris, vt certa concubitus norint tempora, nam vt ait Ecclesiastes, tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Caueat ergo vxor ne victa libidine alliciat virum, & maritus, vim ne faciat vxori, putans omni tempore subiectam sibi esse debere coniugis voluptatem. Vnde & Paulus ait, vt nouerit vnusquisque vas suum possidere in sanctitate.* Præclara habet in hanc rem D. Augustinus, quæ recensui Sect. 15. in cap. 6. ideoque breuitatis causa ad eum locum Lectorem remitto.

Viri vxore sua moderatè & castè vti debent.

3. Dicet forsitan aliquis, stultum esse hoc tempore orare, præsertim cùm Deus destinauerit Saram Tobiæ in vxorem. Ita solent argumentari, quibus pruriens libido dominatur. Sed audi mi homo, stultè tibi exercet Deus; imperat illis paradoxa, & à communi vitæ vsu abeuntia, vt eos alioque doceat tum simplicem obedientiam, tum perfectum sui contemptum. Ita Oseas castissimus iubetur à Deo meretricem ducere vxorem, Ose. 1. Ita Propheta quidam, probabiliter Deo dicente, socio imperare 3. Reg. 20 *Percute me*, nolenti respondere, *Percutiet te leo*. Sic Isaias vir tantus, & regiâ stirpe oriundus, in regiâ vrbe palam nudus cogitur incedere. Hieremias cap. 27. velut seruus fugitiuus, & furcifer vinculis onustus vias vrbis obambulare. Ezechiel cap. 4. vesci pane in stercore cocto. Et cap. 5. iussu Dei ritu furentis rasam barbam capilloque gladio concidere, in aërem spargere, & flammâ comburere. Qui autem iussu Dei desipit, illi parens demùm ritè sapit. Appositè Theodoretus in cap. 1. Oseæ. *Esaiam quidem soluere de lumbis tunicam saccam, & pedibus non calceatis, reliquoq; corpore nudo incedere, itaque prophetiam edere & docere iussit Deus. Hieremiæ catenas siue furcas circum collum imponere iussit. Ezechieli sinistro lateri trecentos quinquaginta dies, dextro quadraginta incubare iussit: comedere panem humano stercore opertum, vasa captiuitatis accipere, murumq; perfodere, imaginem fugientium depingere, & præsignificare sic Sedechiæ fugam. Huiusmodi mille alia in sacrosancta Scriptura inuenire licet, quorum scopum & propositum si quis ignorauerit, prophetică virtute hæc indigna ducet: qui autem Dei studium & amorem in homines planè sciunt, vtq; omnia ad hominum salutem administrat, inde, vnde alij contemnunt, Dei laudationum occasiones arripiunt, ac diuinos prophetas omni ex parte domino obedire stupentes admirantur. Vniuersorum Deus postea quam ad homines ex inueterato & robusto morbo laborantes verba faciens, non verbis persuasit, rebus quibusdam adumbratis futura ostendit, visorumq; admirabilitate ad speculationem & considerationem, eos qui ad peccata obdurauerant, & percalluerant, trahit. Esaiam porrò nudum spectantes ad insolitæ nimirum rei spectaculum accurrerunt, illiusmodi causam incessu cognoscere studentes: qui Ezechielem omnia illa facientem viderunt, factorum causam, vt par erat, scisciabantur. In hunc modum vniuersorum Dominus beatum Oseæ ornat, & comparat ad ducendam vxorem impuram, & impudicam, vt hoc genere facti populi impietatem coarguat, & suam tolerantiam incredibilem ostendat. Si verò vniuersorum Deus libidine perditâ adulteram suscepit synagogam, & non contaminatus est sanctitatis fons ex impura hac, & execrabili: neque propheta ex illa stupri plena vxore maculam suscepit. non enim appetitioni immoderatæ inseruienti, sed Dei imperijs obtemperanti, cum illa consuetudo intercessit.*

Deus eã suis stultè agit, & paradoxa imperat, quæ.

Deus populum non verbis semper, sed signis quandoque institutis docuit.

Porrò cùm oratio non minus valeat ad depellendas dæmonis insidias quàm ad concilianda sibi Dei dona, mirum est, alicui videri difficile, quod continens fuerit ad triduum ab vxore, ac orationi vacauerit, quandoquidem Deus cùm magnum aliquid tribuere vellet populo, ad dignè eum præparandum, abstinentiam à contactu præcipiebat matrimoniali. Sic Exod. 19. v. 10. *Vade ad populum*, præcipit Moysi, *& sanctifica illos hodie, & cras.* Quam sanctificationem, abstinentiã ab vxoribus intellexit Origenes hom. 11. in Exod. *Audiatis*, inquit, *sanctificationis genus. Ne accesseritis, inquit, ad mulierem hodie, & cras, vt die tertia audias verbum Dei.* Vnde benè Lyranus rationem huius assignat sanctificationis: *Quia*, inquit, *licet actus matrimonialis sit licitus, tamen habet annexam quandam turpitudinem, quam oper-*

Continentia triduana propter orationem vtilis.

Deus cum populo locuturus actum venerit coniugij.

Actus coniugij licet honus, deprimit tamen mentem.

tet excuſari per bona matrimonij; habet etiam annexam depreſſionem mentis, propter vehementiam delectationis carnis. Vnde Gregorius dicit: *Tantò mens à ſuperno amore diſiungitur, quantò infernis delectatur: & ideò ante ſuſceptionem legis requirebatur magna munditia, & elevatio mentis.* Cùm Dauid 1. Reg 21. peteret à ſummo Sacerdote Abimelech vel quinque panes ad alimentũ ſociorum ſuorum cibo egentium, reſpondit: *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctum; ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus.* Optare ſe indicat Sacerdos Dauidi de victu, atque viatico commodare; verùm nihil dicit ſibi in præſentia ſuppetere præter panes propoſitionis, qui proximè, vt eorum loco recentes ſupponerentur, & calidi, ſublati fuerant. Quos ea lege daturum ſe dicit, ſi qui illos cometturi ſunt, maximè à nocturno concubitu mundi ſint, cùm ab immundis panes illi ſacri, ſicut neque alia, quæ Deo ſacrificata ſunt, ſumi nõ poſſint. Adhęc Apoſtolus, cũ vacandũ eſt orationi permittit abſtinere coniuges à congreſſu, 1. Cor. 7 Quæ omnia reuincunt, quàm decens ſit, ob rem grauem ad tempus abſtinere ab vſu matrimoniali. Author Operis audacter pronuntiat hom. 1. in Matth *Sicut*, inquit, *ſecundum præceptum Raphaelis angeli ad Tobiam, viro & vxore, more ſoluto, venturo ad coitum, oratio præcedere debet, vt quod concipitur, in ſanctificatione concipiatur: ſic vnigenito Deo virginem ingreſſuro, ſpiritus ſanctus præceſſit, vt præcedente Spiritu ſancto, in ſanctificatione naſcatur Chriſtus ſecundum corpus, diuinitate ingrediente pro ſemine.*

Abſtinentia triduana ab actu coniugij ſanctificat conceptũ.

Qui Deo inſerente deſipit ille ſapit.

Inſuper ponderabat haud dubio Tobias quod Deus pleraque non aliter velit concedere, quam oratione mediante. Vide dicta Sect. vlt. in cap. 6. Ita eſt, qui felicem optat Matrimonij ſucceſſum ab oratione debet incipere. Diſertè Chryſoſtomus lib. 1. de orando Deũ: *Vitam piam, ac Dei cultu dignam viris modis oratio conciliat. Conciliatam auget, ac cum theſaurum recondit animis noſtris.* Et deſcendens ad particularia ſubiungit: *Etenim ſive quis virginitatis amore tenetur, ſive quis ſtudet amplecti honorabilem coniugij cæſtimoniam, ſive quis meditatur injicere frænum iracundiæ, & cum manſuetudine familiaritatem habere, ſive quis cupit ab invidentia luce purius eſſe: denique ſi aliud quidquam facere ſtudet, quod ad rectè viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante, commodum ſimul & facilem habiturus eſt pietatis curſum. Neque enim fieri poteſt, non poteſt, inquam, fieri, vt qui poſtulant à Deo pudicitiam, juſtitiam, manſuetudinẽ, ac benignitatem, non aſſequantur id quod petunt. Petite enim, inquit Dominus, & dabitur vobis, quærite & invenietis; pulſate, & aperietur vobis. Quiſquis enim petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.*

Omnia Deus concedit mediante precatione.

4. Nos autem miſelli, qui maximè filij ſanctorum nomine inſignimur, Gentilium more ante ſolemnizationem Matrimonij genio indulgemus, libidini vacamus, orationem noſtri muneris nullatenus credimus: aperimus officinam dolorum, tribulationem carnis habituri, tribulationis incrementa augemus. *Deus ignoſcat*, ſtulto ore buccinamus: *Sint dies aliquot antè ſive poſt luxuria habenæ laxemus, Deus non reſpicit: hæc Sacerdotum tantummodò in nupturientes nota.* At ſtultè confiditis: *Peccare*, inquit Gregor. Magnus, *& de Dei Creatoris clementia præſumere, pelago iniquitatis eum exponi eſt.*

Reprehenduntur Chriſtiani, qui ante ſolemnizationem Matrimonij congrediuntur.

Quis vnquam ad virtutem balſami experiendam, luculentam plagam ſuo capiti inflixit? Quis ad vim antidoti probandam venenum intrepidus hauſit? Sic amens eſſet, qui ex diuinæ miſericordiæ largitate inducitur ad peccandum. Appoſitè Hieronymus epiſt. 9. ad Saluinam: *Nec*, inquit, *ſtatim nobis pœnitentiæ ſubſidia blandiantur, quæ ſunt infelicium remedia. Cauendum eſt vulnus, quod dolore curatur. Aliud eſt, integra naue & ſalua mercibus portum ſalutis intrare: aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recurſibus ad aſperrima ſaxa collidi.* Quaſi diceret: Quis vnquam adeò inſanuit, vt videns in naui tabulam accommodatam ad natandum in naufragio, nauem perforaret, vt adhærens illi tabulæ è naufragio eriperetur? Hæc cauſa eſt cur plerique præpoſteram libidinem acriter, multoque tempore in Matrimonio luant.

Propter liberalem Dei miſericordiã frequentius peccandum non eſt.

Elegans ſimilitudo.

5. Deus tibi bene vult, mi Chriſtiane, ſed requirit tuam cooperationem. *Spera*, inquit, Prophera regius. *in Domino, & fac benitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius.* Planiſſimè Chryſoſtomus hom. 53. in Geneſ. *Quando*, inquit, *quod à nobis eſt, offerimus; largiter diuinam operationem conſequimur. Nam ne deſides & ſupini ſimus, vult Deus etiam nos aliquid conferre; vt non totum ſit ſuperni auxilij. Neque à nobis iterum exigit totum, ſciens infirmitatem noſtram; ſed ſuam ſeruans miſericordiam, & volens occaſionem aliquam accipere, vt ſuam declaret liberalitatem, exſpectat, vt offeramus, quæ à nobis ſunt.*

Miſericordia diuina noſtram requirit cooperationem.

Deleturus Deus orbem terrarum per diluuium, & Noë eiuſque familiam ex diluuio liberaturus, eidem Noë imperauit, vt arcam, in qua ſaluaretur, fabricaret, Geneſ. 6. v. 14. Sed cur non aliter Deus ſeruum ſuum, quàm per arcam ab illo fabricatam liberauit? Reſpondet optimè D. Thomas: *Vt*, inquit, *per hoc daretur aliquis locus meritis & cooperationi ipſius: quia fabricando hanc arcam, probata eſt fides eius, & per hoc cooperatus eſt reſtitutioni ſalutis.* Rebecca diuino quidem inſtructa oraculo, à Deo certiſſimè ſperabat, fore vt Iacobus benedictionem à patre impetraret: & nihilominus ad hunc effectum conſequendum, multam

Exemplum Noe.

Item Rebeccæ.

tam adhibuit diligentiam; mittendo filium ad venatum, escas patri condiendo, Iacobi manus pellibus hædinis obuelando, Genes. 27. v. 9. Quorsum tam multa agit, ac si timeret, diuinum oraculum posse eludi? Id quidē non timebat Rebecca, sed suam nihilominus cooperationem requiri non ignorabat. Sic & Tobias abstinet & orat, licet de Deo bene confidat. Et quis quæso certior de diuina protectione, quàm Moyses in solitudine, cùm sciret Deum sibi ducem in columna nubis nunquam defuturum? Et tamen Hobab, quem dicunt fuisse Ietro socerum suum, multis precibus obsecrauit, vt sibi, eam solitudinem peragranti, ducem præstaret? *Noli*, inquit, *nos relinquere: tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus: & eris ductor noster*, Num. 10. v. 31. In quem locum Isidorus Clarius: *Rogat*, inquit, *Moyses, vt ei sua prudentia opituletur: quo exemplo admonemur, ita committendam esse omnem vitam nostram Deo; vt tamen non contemnamus humanum auxilium, dum præsto est.* Heliæus non aliter sanauit Naamanum, quā ad Iordanem, in quo septies lauaretur, remittendo: *Vade*, inquit, *& lauare septies in Iordane*, 4. Reg. 5. At cur non solo verbo statim contulit sanitatem? Credo, vt hominem doceret, etiam in rebus diuinâ virtute peragendis aliquam industriam humanam adhibendam. Sicut & ipse Heliæus sanaturus aquas Iericho, postulauit vas nouum, & sal, mittendum in fontem 4. Reg. 2. v. 20. Et rursum, oleum viduæ largiturus, iussit vt ipsa prius sibi *vasa vacua non pauca compararet*, 4. Reg 4. Et Isaias curaturus Regem Ezechiam, afferri iussit *massam ficorum* vlceri imponendam, 4. Reg. 20. Quia, quamuis hæc omnia diuina virtute peragenda forent, tamen humanam cooperationem non excludebant.

Exemplum Moysis.

Quin etiam Christus Dominus aquam in vinum conuersurus, iussit ministris, vt implerent *hydrias aquâ*, Ioan. 2. 7. Mirabile conuiuium in deserto quinque hominum millibus præbiturus, voluit, vt turbæ quinque panes hordeaceos & duos pisces ad conuiuium conferrent. Ioan. 6. Redditurus visum cæco à natiuitate, iussit. vt ipse se priùs lauaret *in natatoria Siloë*, Ioan. 9. Resuscitaturus Lazarum, iussit ijs, qui aderant, vt priùs ipsi lapidem è tumulo remouerent; immò vt iam excitatum soluerent institis, quibus ligabatur, Ioan. 11. Denique mensam miraculoso pisce instructā discipulis appositurus: *Afferte*, inquit, *de piscibus, quos prendidistis nunc.* Ioan. 21. Vt ostenderet, etiam humanam industriam cum diuina virtute coniūgendam; neque operationibus diuinis nostras cooperationes defuturas. Hoc sciuit, & planè perpendit Tobias noster, indeque non obstante diuina destinatione precibus se voluit munire.

Exemplum Christi Domini.

Mauden in Tobiam.

SECTIO IV.

Quare Tobias orans, à laude Dei incipiat, suamq; intentionem ad Matrimonium aperiat?

1. TOBIAS senior cap. 3. huius historię incipiens orare cum lachrymis dixit: *Iustus es Domine, & omnia tua iudicia iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia & veritas.* Quibus verbis primùm laudat Deum ab æquitate in iudicijs, & à veritate & fidelitate in promissis, quin etiam à misericordia. Hunc filius imitatus, & à domestico magistro apprimè institutus, laudat ipse Deum in orationis ingressu, & quidquid est in natura rerum ad illius laudem & prædicationem inuitat: *Domine Deus patrum nostrorum*, inquit, *benedicant te cæli & terra, mare q, & fontes, & flumina, omnesq; creaturæ tuæ, quæ in eis sunt.* Quorsum sic exorditur? Ratio in promptu est, quòd optima sit oratio quæ à laude Dei incipit. Vnde Hieremias Propheta vrgens Hierosolymitanos ciues ad supplicem orationem, & vt quæ orant, exorent, modum illum instruit, quem Tobias & Sara practicarunt: *Consurge*, inquit, *laudā in nocte in principio vigiliarum.* In primis itaque docet surgendum esse ad orandum: neque enim ab eo qui sedet lentus vel iacet ignauus, cùm aliter possit, oratio solet ardens esse, & efficax; certè non ille est idoneus orantis habitus. Vide Greg. lib. 17. Moralium cap. 23. ad illud Iob, cap. 37. *Sta, & considera mirabilia Dei. Sunt*, inquit, *nonnulli, qui Dei miracula iacentes considerant, qui operationis eius potentiam non sequentes admirantur. Stare quippe est recta agere: vnde* 1. Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat. Et sæpè quidam diuina iudicia mirantur, sed tamen amando, & viuendo ad hæc eadem opera assurgere negligunt. Iacentes ergo Dei miracula considerant, qui eius potentiam fiendo pensant, sed viuendo non amant.* Hinc hoc capite dicitur de Tobia & Sara, *Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.*

Optima est oratio, quæ ordiatur à laude Dei.

Tbren. 2.

Orantis habitus, & status.

2. Secundò docet à laude Dei orationem exordiendam: *Consurge, laudā in nocte in principio Vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Sicut enim petituri aliquid à Principe, eius beneuolentiam captamus initio laudando & commemorādo eius in nos, & alios munificentiam: ita decet magis in oratione ad Deum. Nouerat eam in rebus humanis vtilem esse prudēs illa mulier Thecuitis, Absalonem patri conciliare studens: *Sicut Angelus Dei*, inquit, *sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus est tecum.* Talis es, inquit,

Præfatio est in rebus humanis, cum primò laudare à quo aliquid postulas.

quit, vt neque humanam laudem neque vituperationem intuearis; sed id tantùm spectes, quod religio aut diuina voluntas requirit. Et Abigail 1. Reg. 25. deprecatura pro marito, qui immisericordiâ suâ grauiter Dauidem offenderat, hoc modo infit: *Si surrexerit aliquãdo homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum. Porrò inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu, & circulo funda.*

Item in diuinis. Nouerat similiter in diuinis eándem proficuam Ieremias vates Thren. 1. *Iustus*, inquit, *est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui.* quasi dicat. Iustus est Dominus dum his me modis punit & excruciat; neque enim sine magno meo merito hæc patior: os etenim Domini suauitate plenum, amarum mihi reddidi peccando, Mardochæus Esth. 13. deprecatus est Dominum, memor omnium eius, & dixit: *Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel. Tu fecisti, cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum.* Danielis cap. 3. Azarias stans in fornace Nabuchodonosoris ardentissima: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in sæcula: Quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia tua iudicia vera.* Virgo quædam Antiochena ad lupanar ducenda, *manibus ad cælum leuatis*, inquit Ambrosius, *quasi ad domum venisset orationis, non ad libidinis diuersorium: Christe, inquit, qui domuisti virgini feras leones, potes etiam domare hominum feras mentes. Chaldæus roranit ignis, Iudæus se vnda suspendit misericordiâ tuâ, non maris â suâ. Susanna ad supplicium genu fixit, & de adulteris triumphauit: aruit dextera quæ templi tui dona violabat, nunc templum ipsum attrectatur tuum, ne patiaris incestum sacrilegij qui non passus es furtum. Benedicatur & nũc nomen tuum, vt qua ad adulterum veni, virgo discedam*, lib. 2. de Virginibus. Sic Tobias nostet primò in oratione laudat Deum, qui in mundi primordio matrimonium instituit, illudque sanctum & honestum esse probat, quòd Adamo Euam sociam & adiutricem adiunxerit, cui virum sic adhærere iussit, Genes. 2. veaddiderit: *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.*

3. Subiungit Tobias: *Et nunc Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Quorsum producit hæc verba? Mihi res explorata videtur, vt vnicuique constet finis & intentio, ob quam ad Matrimonium conuolarit. Licet enim Deo nihil sit occultum, ad posterorum tamen documentum Spiritus sanctus hæc æternitati tradidit. Inde Esther cap. 14. populi causam actura, omnem à se superbiæ suspicionem depellit, & ex regia per Assueri connubium dignitate, negat se vnquam voluptatem accepisse; sed necessitate cogente illa non recusasse, quæ animus horrebat: *Domine*, inquit, *qui habes omnium scientiam, & nosti quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in die ostentationis meæ*, &c. Esth. cap. 14 Et Mardochæus cap. 13. cùm Amam omne malum moliebatur contra Iudæos, eò quòd noluisset ipse Mardochæus eum adorare. Cuncta, inquit, nosti & scis, vt supra. Sic Tobias refert intentionem suam, & finem Matrimonij cum Sara initi. Plurimùm enim refert, quâ intentione quis opus etiam bonum aggrediatur, v. g. Accedit aliquis ad seruiendum Deo metu supplicij æterni, & benè facit: hinc regius Propheta dixit: *Confige timore tuo carnes meas; à iudicijs enim tuis timui.* Ioannes Baptista Matth. 3. vt moueret homines ad pœnitentiam, hunc timorem suasit: *Progenies*, inquiens, *viperarũ quis demonstrauit vobis fugere à vẽtura ira?* Imò & Dominus ipse Matt. 10. *Timete eum*, inquit, *qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Et alibi persæpè minatur ignẽ gehennæ Matth. 13. stridorem dentium Matt. 24. tenebras exteriores, Marc. 9. vermem non morientem, & flammas inextinguibiles, Luc. 13. Ergo timor ille bonus est, & rectè dicitur *Domini*, quia à Deo est.

Opus bonũ intentione etiam bona aggrediendum.

Qui Deo seruit metu supplicij æterni bene facit.

Alius seruit Deo spe præmij sempiterni, atque is melius facit: Imitatur enim Moysem, de quo Hebr. 11. Paulus: *Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis esse: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Imitatur Dauidem, Psal. 108. dicentem: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionẽ.* Imò audit Christum Saluatorẽ Matth. 4. prædicationẽ suam ab huiusmodi proœmio exordiẽtem: *Pœnitẽtiam agite*, inquit, *appropinquabit enim regnum cælorum.* & Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Vide plura in hanc rem Disc. 27. in I. Præcep. per totum.

4. *Qui seruit spe præmij æterni melius facit.*

Est tertius aliquis, qui seruit Deo propter Deum, quẽ diligit super omnia; & se suaque omnia opera refert in Deum tanquam summum bonum, & vltimum supernaturalem finem. Is rectissimè facit; seruit enim Deo ex amore, vt parenti amantissimo filius. Pharaonis Regis Ægypti filia mercede conduxit matrem Moysis, vt paruulum illum sibi educaret,

5. *Qui seruit Deo propter Deum optimè facit.*

caret, at illa non nummis persuasa, sed amore materno inducta promptissimè fecit quod rogabatur. Hos tales oculos, hanc amoris intentionem vult Deus. Nam qui Deo seruiunt præmij spe, aut supplicij terrore, sic ei seruiunt, vti nos pani & vino, non propter ipsa, sed propter nos. hic se miscet plurimus sui amor, quem Christus suis coloribus depingens: *Quæritis me*, inquit, *non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis*, Ioan. 6. vers. 26. Opus namque hominis iusti, quod vel elicitur à charitate, vel ab eadem imperatur, atque in Deum vti finem vltimum supernaturalem refertur, Deo est gratissimum. hinc Christus Matth. cap. 10. promittit mercedem gloriæ operibus bonis, si fiant propter nomen eius, vel si exerceantur erga iustum in nomine iusti, id est, quia Dei seruus, Christi discipulus, à Deo dilectus est: *Qui recipit*, inquit, *vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipiet iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit, vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Similia videre licet cap. 19. Hæc etiam causa est cur Apostolus Paulus 2. Cor. 10. tam sollicitè moneat: *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* & ad Colos. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo, & glorificantes Deum.*

6. *Quâ intentione Matrimonium ineundum.*

Eodem ferè modo sese res habet in matrimonio, in quo sunt diuersi fines. Aliquis ex solo motiuo remoto, vt habeat scilicet venustam & formosam, aut etiam diuitem vxorem, matrimonium aggreditur, sepositio fine principali, propter quem Deus Matrimonium instituit, aut saltem secundario, quem Deus post Adæ lapsum indulsit: Is grauissimè peccat. Alius matrimonium init, vt habeat suæ incontinentiæ remedium ad vitandam fornicationem, aliaque damnanda libidinis peccata: is rectè facit; hoc enim expressit Apostolus 1. Cor. 7. *Vnusquisque*, inquit, *vxorem suam habeat, propter fornicationem: & vnaquæque suum virum.* Et rursus. *Qui non se continent, nubant.* Tertius matrimonium contrahit ad humani generis procreationem; honestam, & perfectam educationem. Is laudatissimè facit, testis est Apostolus 1. Timoth. 2. *Saluabitur autem* (mulier) *per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Verauerat Apostolus mulieri docere, & tum subiunxit hæc verba, & idem est ac si dicat: Esto non doceat mulier, non deerit illi pia occupatio, adeoque saluabitur non per librorum, sed per liberorum tractationem. Audi Chrysostomum:

Quomodo mulier saluabitur per liberorum generationē.

Mauden in Tobiam.

Deus, inquit. *ecce vobis & aliam occasionem salutis confert, filiorum scilicet educationem, vt non modò per vos ipsas salutem inueniatis, verum per alia quoque salutis adminicula capiatis.* Et paulò pòst: *Muliebre genus omne per filiorum generationem salutem consequetur.* Itaque indicat Apostolus causam & meritum, per quod mulier saluabitur, esse labores, quos patitur mulier in partu, & educatione filiorum in fide & moribus Christianis: nam sub generatione educationem complectitur, quia illa est quasi completa generatio, & formatio filiorum. Vnde sequentia verba eundem sensum habent, teste Chrysostomo, ac si diceret Apostolus: Saluabitur mater, si curet vt filii permaneant in Christi fide & dilectione, ac sanctitate, adiuncta sobrietate.

Tobias iniit Matrimonium vt bonos lib ros procrearet.

Et quia illud tam virum, quàm mulierem concernit, huc respexit. Tobias noster vers. 9. quasi dicat: Deum mihi in testem accipio, quod non vitandæ incontinentiæ causa accipiam Saram coniugem, sed sola posterorum dilectione, per quam gloria tua augeatur. Gloriantur alii in filiorum multitudine, propter speciem pulchritudinemque filiorum superbiunt, in hoc laborant, vt mundo vtiles sint: Ego autem hoc solum intendo, vt habeam, qui te super omnia vnicè diligant & repleant ruinas Angelorum. Hic finis fuit Tobiæ, & scopus ad quem collimabat. Quod perfectorum est, qui in omnibus rebus Dei honorem sic attendunt, vt omnem affectum, caduca hæc iugulent, id solum spectando, quod placet Deo. Author Operis Imperf. hom. 1. in Matth. libertinè pronuntiat: *Commendauit Angelus Tobiæ in nuptijs eius, vt cùm veniret ad illam cõsuetudinem humanam, surgeret prius, & oraret, & sic diceret: Domine tu scis, quia non propter libidinem accepi vxorem, sed propter liberos procreandos; quia si aliter oraffet oratio eius Deo non fuerat placiura.* Et longè antè laudat Booz, & Ruth, quod matrimonium amplexi religionis causa: Booz, inquit, *pro merito suæ fidei illam acceperit vxorem, vt ex coniugio tali sanctificato genus nasceretur regale. Nam Booz senior constitutus, non sibi vxorem accepit, sed Deo; non propter passionem corporis sui, sed propter iustitiam legis, vt susciuaret semen proximo suo: non magis amore, quàm religione feruentior; ætate senex, iuuenis autem fide, & ideò forsitan nominatus est in virtute, vel virtus in ipso prævalens. Quoniam qui secundum ætatem ad ineundum coniugium est in virtute, non est nominabilis & laudandus, quia est in virtute: sed qui extra ætatem coniugalem iam factus, accepit ex religione virtutem ad coniugium ineundum, sicut iste Booz, ille laudabilis & nominabilis est, quia existit in virtute, & illius talis viri virtus in ipso est. Iuuenis enim virtus non est in ipso, sed in iuuentute corporis eius, ideò & postmodum exhausta marcescit. Qui autem in anima sua fidei habet virtutem, sicut*

Piorum Parentum est liberos generare vt Dei honor augeatur.

Booz & Ruth, connubium qua ve laudandum.

& habebat Booz, illius virtus in ipso est, & ideò insenescibilis est. Consequenter & Ruth, insperatio est appellata. Nam nisi inspiratio Dei fuisset in ipsa, non dixisset, quæ dixit, nec fecisset, quæ fecit. Quid primùm laudatur in ea? Dilectio generis Israel, aut simplicitas, aut obedientia, aut fides? Dilectio quidem generis Israel, quia sic desiderabat filios suscipere ex semine Israel, & ipsa fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri desiderasset, quasi puella lasciua, aliquem iuuenem potiùs appetisset. Quoniam autem non lasciuia sua, sed religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potiùs sanctam elegit, quàm iuuenilem ætatem.

7. *Parentes in bene instituendis prolibus incumbant.*

Et huc respexerunt alii iusti, tum in veteri, tum in nouo Testamento. Sancta Monica filium enixa hoc solum curabat, vt eum, quem pepererat, Augustinum Deo lucraretur. Lucrata est, saluauit se, & multos saluos fecit per solicitam educationem & curam filii Augustini, de qua vide ipsum lib. 3. Confess. c. 11. & seq. Quàm eximia pietas & ardés studium fuerit Placillæ Theodosij Imperat. vxoris in educandis liberis, videre est apud Nicephorum lib. 12. hist. cap. 23. & 42. Quàm sedula fuerit nostri Tobiæ in hanc rem diligentia, manifestissimè prodit S. Spiritus cap. 14. cùm ait: *Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita & in sancta conuersatione permansit*, quod sine bona educatione fieri non potuit. Hunc imitentur coniuges, si Deo grati esse desiderant. *Qui matrimonio iuncti sunt*, inquit Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 10. *ijs scopus est, liberorum susceptio, finis autem, vt boni fiant liberi, quemadmodum agricolæ seminis dejectionis causa est, quod nutrimenti curam gerat, finis perceptio fructuum; multò autem melior est agricola, qui terram colit animatam.*

8. Volebam hac clausula sic obiter transire; sed pensiculata, & crebrius, interrupta lectio verborum, *Domine tu scis*, &c. vers. 9. viterius me cogit docere, quantum valeat bonus finis tum in oratione, tum in quouis fidelium opere. Sistu igitur mi homo, & attende paulumper. Sunt qui non edunt, sed vorant, & de iis propriè Plautus, *ebuccinantur*, grandes bolos properanter ingerunt, non mandunt, sed mox glutiunt: his cibus non tam alimento est, quàm detrimento. Ita fit cum iis, qui grandia superficialiter tantùm masticant. Pluuia quam stillam vocant, cœlo placido & guttatim rorante terram fœcundo illapsu penetrat. Nimbus vehemens & subitus plerumque primum sterilitatis adfert. Siquid audis, quod formandæ vitæ magis faciat, patere obsecro aliius te instrui, vt magis proficeret. Ad rem: Non aspicit, inquit, Publius Mimus, quam plenas quisque manus Deo, sed quàm puras Deo admouerat. Ezechias Rex & Pharisæus eodem ferè modo. Numini supplicant: Vnus plurimi cum summo fauore & gratia quod desiderabat, alter peiori loco habitus à templo recedit. Cur illius placuit, illius displicuit? Hoc dubium diuus Gregorius explicans, inquit: *Sæpè contingit vt iusti & iniusti habeant verba similia, sed tamen cor semper dissimile: & ex quibus dictis Dominus ab iniustis offendatur, in eisdem quoque à iustis placatur. Nam Pharisæus ingressus templum, dicebat: Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo: sed iustificatus magis Publicanus, quàm ille exijt. Ezechias quoque Rex cùm molestia corporis afflictus, ad extremitatem peruenisset vitæ, in oratione compunctus dixit: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto. Nec tamen Dominus hanc confessionem perfectionis eius despexit, aut renuit, quem mox in suis precibus exaudiuit. Ecce Pharisæus se iustificauit, in opere, & Ezechias iustum asseruit etiam in cogitatione: atque vnde ille offendit, inde iste Dominum placauit. Cur itaque hoc? nisi quia omnipotens Deus singulorum verba à cogitationibus pensat, & in eius auribus superba non sunt, quæ humilis corde proferuntur. Vnde beatus Iob, cum sua opera protulit, contra Deum nullo modo tumuit, quia ea, quæ varicaciter fecerat, humiliter dixit.*

Exile animalculum est crabro, illud tamen membrum quod læsit, quàm dolet & ardet, quàm vritur! multò exilius volatile est culex; quàm illi rostellum gracile! eo tamen quasi siphunculo sugit sanguinem, & pars, quam vulnerauit, mox intumescit. Quid subtilius scorpionis aculeo? vix oculis deprehenditur, illud tamen velut gladio vix visibili totus homo iugulatur. Exiguum fermenti quantam farinæ massam permeat paucis horis! vnicus aceti caliculus, aut modicum fellis, totum generosi vini dolium corrumpit. Sic intentio mala venenum tam potens est & malignum, vt optimam quamque actionem vitiet & deprauet. Optimè Theodoretus loc. cit. propugnans Oleam ducentem fornicariam: *Scopo & proposito*, inquit, *bonum & malum iudicari sciendum est: hoc speculo enim matrimonium ab adulterio seiunctum internoscitur. Coitus cum coitu nihil differret, nisi proposito & lege discrimen demonstraretur, hic fas nefasq; legitimum & illegitimum diiudicantur. Inuenire quispiam hoc idem posset in cæde, si modò consideret: interficit homicida, interficit & iudex: sed hic legitimè & iustè, ille iniquè & illegitimè. & cum sit vnum, & idem opus, solo tamen proposito differt & scopo.* Et rem aliùs repetens Scripturæ exemplis eam egregiè illustrat: *Vt verò*, inquit, *apertius ex sacra Scriptura hoc cognoscamus, hanc considerationem suscipiamus. Cædem fecit Cain, sed ex inuidentia laborans, & dolo malo, & fraude flagrans, Cædem fecit Phinees sed pro honestate, & pietate propugnationem suscipiens, atque odio malitiæ inflammatus, ab impietate abhorrens. Idem tamen opus, consideratio verò & propositum ex diametro contrarium. Eodem modo, tametsi*

Intentio mala venenum est potens.

Intentio diiudicat an opus sit bonum, an malum.

Genes. 4.

Numer. 25.

Probatur exemplis scriptura.

Intentio orationem reddit malã vel bonam.

tametsi furtum è genere eorum est, quæ per legem improbantur, à patre tamen Iacob benedictionem furatus est, & non modò furti non actus fuit, verùm etiam
Genes. 27. *ab omnibus generationibus ex hac re magnam laudem est adeptus. Helias magnus ille ieiunus fuit, &*
3. Reg. 21. *abstinuit, ieiuni fuerunt etiam hi, qui Naboth lapidibus obruerunt: sed ille honestatis studio, ij verò calumniam aucupantes. Saul misericors fuit in Agag, & spoliatus fuit regno, & denudatus, iniqua hac mi-*
1. Reg 15. *sericordia, & illegitima. Samuel interfecit Agag, & legi diuinæ satisfecit. Alia innumerabilia ifiusmodi inuenire facile est, neque id modò in sacra Scriptura, verùm etiam in quotidianis nostris factis. Itaque mirificus Osee non libidini seruiens, sed nutui diuino & arbitrio parère studens, accepit meretricem; atque omnibus nuptijs grauior, & laudabilior hac societas fuit, neque ob id solum, quod ex Dei natu & arbitrio facta fuerit, sed quòd Deum expresserit, & designatione quadam retulerit, vt sanctus ille, & in sanctis requiescens sponsum se fecit contaminatæ multitudinis Israelitarum.* Huc vsque Theodoretus.

Quandoquidem verò S. Doctor asserit alia tum in scriptura, tum in nostris factis huic rei adstruendæ inueniri posse, subijciam lectori aliquot similia exempla. Maria Magdalena osculata est Christum, & laudem meruit. Iudas idipsum faciens, audit: *Amice osculo filium hominis tradis, & melius esset homini illi, si natus non fuisset.* Herodes & Zachæus Christum videre cupierunt; ille vituperio & plagâ dignus; hic præmio: meruit enim Christum recipere in domum suam, & audire: *Hodie huic domui salus à Deo facta est, quoniam & hic est filius Abrahæ*, Luc. 19. Causa diuersitatis est, quòd eadem vtriusque actio disparem haberet intentionem. Chirurgus hominem ægrum arctè ligat, brachium ei vulnerat, manum amputat, pedem secat, illi tamen gratiæ agũtur & rependuntur aurei: prædo etiam hominem mulctat, sed in præmium ei debetur rota: & ratio est, ille vt læsum sanet, hic vt sanum lædat, ferrum expedit. Rursum assideat quis egrotanti amico, non quia bonus amicus est, & officij memor, sed quia captator, imò quia vultur est, qui lassa morbo pecora & casura è proximo speculatur; imminet morti, & hæreditatem exspectat. En vt bonam actionem fœdissimè corrumpat intentio mala. Duo vnà Romam eunt, ille religionis exercendæ, iste inimici iugulandi causa: illi merces è cœlo, isti ab Orco debetur. Imitare igitur Tobiam, qui nihil exterius voluit, quàm quod sciuit Deo intimè placere; neque aliud intendit, quàm nouerat Deo esse gratum, qui scrutatur renes & corda.

Elegans similitudo, qua ostenditur idem opus posse esse malum vel bonum ratione intentionis.

SECTIO V.

Quæ documenta vlterius Tobiæ oratio, & Saræ ad orandum incitatio suppeditet? An etiam hoc tempore huiusmodi obligatio sit orandi?

1. SACRA pagina non solùm palam facit Tobiam orasse, sed etiam Saram, instigante vtique Tobia ex præcepto Angeli. Cùm verò omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint; quæro quid ex his ducumenti? Primum est, vt innotescat mundo obedientia Saræ erga maritũ in re minùs vsitata, quod est orationi vacare post matrimonij solemnizationem, quando aliô natura corrupta ducit. Dicerent aliæ, Aliàs est tempus orandi, nunc tempus amplexandi: & fortitan, os petulantis, alia in secreto effutiret, de quibus in præsentia aliorum non auderet hiscere.

Grandis obedientia Saræ in re minus vsitata.

2. Secundum est; quòd orare liceat pro rebus priuatis: Tobias enim & Sara Deum orant pro incolumitate perpetua; Senior Tobias c. 3. vt à cæcitate liberetur, Anna vt ab improperio ancillæ, altera Anna Elcanæ vxor vt ab improperio Phenennæ liberetur. Sic Dauid petijt liberari de manibus Saulis eum persequentis, 1. Reg 26. Ezechias petijt intimis precibus à Deo vt ciuitas Ierusalem soluereturab obsidione, sanitas ipsi ad mortem liberanti restitueretur cum vitæ prorogatione; Ionas à vẽtre cæti liberari deprecatus est; Tres pueri eripi de camino ignis: Daniel solui captiuitatem Babylonicam, quâ Hebræi detinebantur.

Orare licet pro rebus priuatis.

3. Tertium est, Quòd euidens fiat esse perquam vtiles plurium preces in charitate coniunctorum simul conspirantes, ad hoc vt fiant voti compotes. Sic Tobias orauit pro sua & vxoris sanitate; illa preces suas iunxit, dicens: *Miserere nobis, Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani.* Euentus docuit votum successisse orationi. Iudith egressura ad memorabile illud facinus interficiendi Holofernem, vnicè commendabat: *Nihil aliud fiat, quàm oratio pro me ad Dominum Deum nostrum*, Iudith 8. Quanta fuerit istius orationis efficacitatis, optimi euẽtus felicitas comprobauit. Cùm olim Heliodorus Hierosolymam opprimeret, & pupillorum, viduarumque facultatibus inhiaret, *Sacerdotes ante altare cum stolis sacerdotalibus iacta uerunt se, & inuocabant de cœlo eum, qui de depositis legem posuit*, 2. Machab. 3. v 15. & vers. 18. *aliqui etiam gregatim de domibus confluebant, publicâ supplicatione obsecrantes.* & vers. 19. & 20. *Accinctæ, mulieres cilicijs pectus, per plateas confluebant: sed & virgines*

Vtilis sunt plurium iustorum preces simul conspirantes.

Huius rei plurima exempla ex sacra Scriptura.

qua conclusa erant procurrebant ad Oniam, alia autem ad muros, quadam verò per fenestras aspiciebant: vniuersa autem protendentes manus in cælum, deprecabantur. Cùm autem à scelerato consilio discedere nollet Heliodorus, respexit Deus & publicas preces, & piorum lachrymas, & domus suæ sacram gazam, à rapacibus impiorum manibus eripuit. Nam missi de cœlo decori quidam, & terribiles iuuenes sic acceperunt Heliodorum asperè vt semimortuus fuerit ex durâ iactatione relictus. Ad preces tamen Oniæ sanitati restitutus, & gratus Dei beneficio, pro recuperata salute sacrificium obtulit, & diuinam potentiam recognoscens, cui nemo vnquam restitit impunè ab illa cogitatione Seleucum Regem ducere conatus est.

Iudas, & qui cum illo erant, simul Dominum deprecabantur vt eriperet eos ab impio Nicanore, vt dicitur 2. Machab. 15. Saluator dicit. *Si duo ex vobis consenserint, de quacumque re petierint, fiet eis,* vt patet Matth. 18. Post ascensionem erant omnes discipuli Domini in oratione cum mulieribus, perseuerantes vnanimiter cum Maria Matre IESV, Act 1. Omnes fideles in primitiua Ecclesia erant vnanimes in oratione & doctrina Apostolorum, Act. 2. & 5. *Cùm orassent discipuli vnanimiter vna voce motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.*

4. *Oratio publica ad efficacior priuatâ.*

D. Chrysostomus hom. 3. aduersus Anomæos, cùm multa præclara de oratione disseruisset, orationisque præstantiam magnificasset: *Si omnis*, inquit, *oratio tantam vim habeat, longè magis eam, quæ ore multorum proueniat, valere consentaneum est. Plus enim neruorum in ea est, & multò audientia maior, quàm in domestica illa & priuata. Vnde id constet, Paulum ipsum dicentem audi:* 2. Cor. 1. *Qui ex tantis periculis eripuit nos & eruit, etiam speramus quod adhuc eripiet: vobis quoque in oratione pro nobis subuenientibus, vt donum in vos collatum, à multis personis gratiæ agantur pro nobis.* Act. 12. *Sic etiam Petrum carcerem euasit, Oratio enim pro eo ab Ecclesia sedulò agebatur ad Deum. Quod si Petro Ecclesiæ oratio profuit, & columnam illam ac stabilimen nostræ religionis carcere liberauit: cur eius vim tu contemnis & negligis? Qua te possis purgare ratione? Deum quoque dicentem audi, quam populo cum beneuolentia inuocante placetur, & parcat. Quippe qui se excusans apud Ionam Prophetam fructus argumento cucurbitæ, verba ad hunc modum faciat: tu doles super cucurbita, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret. Ego non parcam Niniue ciuitati meæ magnæ, in qua habitant plures quàm centum viginti millia hominum?* Non absre amplum populi numerum proponit, *sed vt intelligas plurimum eam pollere orationem, quæ cum consensu agitur, & iugi concordia plurium hominum.* Et immediatè post subiungit: *Quod exemplo quoque rei humanæ libet explanare. Nam ante hos decem annos capti sunt, nonnulli tyrannidem appetentes, cuius rei vos etiam meminisse arbitror. Fuit inter eos quidam dignitate ac principatu præditus, qui cùm damnatus capite ad supplicium duceretur: populus motus misericordiâ, vniuersus prætorem adijt, & deprecandi communi opera efficere potuit, vt reus ille venia nulla dignus liberaretur ab ira Imperatoris.* Eius verò rei argumento sic vrget suos: *Quod si cùm iram terreni imperatoris velitis extinguere, vniuersi cum liberis & vxoribus festinatis: cur quoties ad cælestem illum imperatorem placandum, reddendumque propitium ire pergitis, vt eius iræ non eximatis vnum, vt tunc: aut duos, aut tres, vel centum, sed omnes orbis terrarum peccatores, omnes dæmone agitatos, à flagello liberetis diaboli: foris sedetis, non vniuersi concurritis, & ecclesiam penetratis, vt Deus vestram reueritus atque exosculatus concordiam, & illius pœnâ dimittat, & vobis peccata absoluat: Si in negotijs necessarijs non omnis hora vehementius, disruptis omnibus vinculis, curriculo is & te confers ad supplicationem communem, quam spem habere possis salutis? Ne ita facias.*

Ex quibus omnibus euidentiùs constat orationem publicam, quæ fit in Ecclesia, hominibus magis esse vtilem, quam quæ priuatim domi fit. Erant aliqui tempore Chrysostomi, qui statim auditâ concione, ac finis factus erat dicendi, è templo discedebant omni vtilitate vacui, quasi fidicinam audissent aliquem; sed frigidam prætendebant excusationem. *Orare vel domi possumus, sed homiliam, doctrinamque nonnisi audire in Ecclesia.* Quibus ille respondet: *Te homo decipis, & magno in errore versaris. Nam si & domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, vt domi tam bene ores, quàm in Ecclesia, vbi tot patres, vbi clamor felici societate excitus ad Deum immortalem refertur: non pariter exoras cùm solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, Sacerdotum clamores: præsunt enim ob eam rem Sacerdotes, vt populi orationes quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexa simul in cælum euehantur. Adde quod nihil fructus ex homilia capi potest, nisi oratio adiungatur.* Et longè post eandem rem confirmat ob præsentiam Angelorum, qui tempore sacrificij immaculatam hostiam protendentes pro genere humano supplicant: *Tempore illo*, inquit, *mi frater charissime, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam angeli Domino genuflectunt, & archangeli rogant, habet sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere reges consueuerunt: eoque arboris genere misericordiam commemorant, & humanitatem: sic angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti vt pro eorum salute*

Oratio publica quæ fit in Ecclesia, quàm priuata.

5.

ſalute mortem obires animam in cruce efflares: pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti. Et paucis interiectis: *His itaque magis magiſq;*, inquit, *animaduerſis fratres chariſſimi, omnes tempore illo in Eccleſiam properemus, vt Dominum ad miſericordiam inuitemus, & tempeſtiui adiumenti gratiam comparemus.*

5. Hæc omnia proteſtantur Tobiæ iuſti oratio, & Saram interpellantis, vt idem ipſa faciat prouocatio. Neque enim Angelus iuſſiſſet ſimul orare cap. 6. neque Tobias eius præcepti memor, hoc loco incitaſſet Saram ad orandum ſecum, niſi credidiſſet multum ponderis & efficaciæ accedere precibus ſimul iunctis. Adhæc docuerunt Tobias & Sara inſtanter pro vtriuſque ſalute deprecantes propriæ virtuti non confidendum, ſed aliorú preces adhibere, eſſe perquàm vtile, vt quis in ſcopum deſideriorum feratur. Sed eheu! Nos bonitati propriæ præfidentes de aliorum precibus non ſumus ſolliciti. D. Chryſoſt. ſuo tempore deplorat quoſdam fuiſſe, qui palam dicerent ſe aliorum prece non indigere. Cùm enim multa diciſſet de reciproca prece, ſubdit: *Et quæ neceſſitas*, inquit, *eſt vt alius pro me oret, ſi ipſe bene placuero.* Quibus reſpondet: *Numquam hæc dixeris homo? neceſſe eſt, & multâ prece neceſſe eſt. Etenim audi quid Deus de amicis Iob dicat, Et orabit, inquit, pro vobis, & remittetur vobis peccatum veſtrum: peccauerant enim, verùm non adeò magnum peccatum.* D. Paulus quamuis ad exorandum Deum efficaciſſimus: tamen aliorum fidelium preces requirebat: *De cætero*, inquit, *fratres, orate pro nobis, vt ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud vos.* 2. Theſſal. 3. Denique Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos, ſi non ad orandum pro ſe (neque enim filius apud Patrem ſeruorum precibus indigebat) ſaltem ad orandum ſecum inuitauit: *Sustinete hic, & vigilate mecum*, Matth. 26. v. 38. Vnde rurſum Chryſoſtomus loc. cit. *Semper indigentes ſumus, ſiquidem rectè ſapuerimus. Paulus non dixit, quid mihi precibus aliorum opus eſt? tametſi illo eſſent indigni, qui pro eo precabantur, immò neque pares, vt tu dicis, quid mihi opus eſt aliorum precibus? Petrus non dixit, quid mihi neceſſe eſt, vt pro me oretur? Precatio, inquit, fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Et tu dicis, quid mihi aliorum precibus opus eſt? Propter hoc ipſum opus habes, quod te putas illis non habere neceſſe. Etiam ſi Paulo ſimilis eſſes, opus tamen haberes aliorum precationibus. Non extollas teipſum, ne humilieris. Sed quemadmodum dixi, ſi nos ipſi in virtutis ſtudio ſedulí fuerimus, efficaces erunt, & preces aliorum pro nobis. Audi quid Paulus dicat: Noui enim, inquit, quod hoc mihi cedet ad ſalutem, per veſtram precationem ac ſubminiſtrationem ſpiritus* IESV CHRISTI. *Et iterum: ſimul adiuuantibus & vobis per deprecationem pro nobis, vt ex multis perſonis pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis. Et tu dicis, quid opus mihi eſt aliorum precibus?*

Reprobantur qui aliorum preces contemnunt, ſibi ſuas ſufficere præſumentes

Piorum preces etiam aliis proficuæ ſunt.

Iſraelitæ verò, qui tempore Samuelis viuebant, quia ſe indignos iudicabant, Samuelem ſollicitabant, vt Deum ſibi propitium ac beneuolum exoraret: *Neceſſe*, inquit, *pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos de manu Philiſtinorum.* Ieremiæ cap. 42. eadem de cauſa *acceſſerunt omnes principes bellatorum* ad Ieremiam Prophetam, & dixerunt ei: *Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo, & ora pro nobis apud Dominum Deum tuum pro vniuerſis reliquiis iſtis, quia derelicti ſumus pauci de pluribus, ſicut oculis tuis nos intuentur.* Baruch etiam cap. 1. Iſraelitæ in Babylone captiui ad alios Hieroſolymis commorantes: *Pro nobis*, inquiunt, *ipſis orate ad Dominum Deum noſtrum: quia peccauimus Domino Deo noſtro, & non eſt auerſus furor eius vſque in diem hanc.*

Nos verò frigidi manemus, neque Tobiã imitamur, neque Iſraelitas, vt erubeſcentes, à prece aliorum deſideremus auxilium, neque Pharaoni ſimiles, aliquando reſipiſcimus, ſanctorum auxilium implorando, vt ille Moyſis & Araonis: *Orate*, inquit, *Dominum, vt auferat ranas à me & populo meo*, Exod. 8. ſed in peccato hærentes, ſanctorum piorumque precibus voti compotes fieri confidimus, abſque vlla prece noſtra. Erramus toto cælo. Oratio propria, & quidem virtutibus munita homini in quouis rerum articulo eſt neceſſaria; propterea dixit Dominus: *Petite, & accipietis*, &c. Neque feliciter ad Deum appropinquat oratio, orantis virtutibus deſtituta. Expreſſè id inſinuat Dauid: *Cuſtodiuit*, inquit, *anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua*, &c. Et ſtatim: *Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo.* Pſal. 118. Quaſi diceret: Non deficiat oratio mea, non reſiliat à ſuo aſcenſu, deorſum in terram non detorqueatur: ſiquidem diuinæ legis obſeruantiâ innititur, & virtutum præſidijs, tanquam alarum remigijs, in ſublime promouetur. Vnde D. Ambroſ. ſerm. 12. in eum pſalmum. *Volare*, inquit, *facit orationem bona vita, & dat alas precibus ſpirituales, quibus Sanctorum ad Deum euehatur oratio.* Et ſtatim: *Dauid orationem ſuam dirigit in cæleſtia, dans illi ſtabra iuſtitiæ, ſapientiæ ſtamina, & remigia deuotionis & fidei, innocentiæ, puritatiſq; ſubſidia: peccato enim ingraueſcit oratio, & longè ſit à Deo. Tanto autem plus grauatur; quantò improbior eſt vita deprecantis. Innocentium aſcendit oratio.* Vnde idem Regius Propheta Pſal. 37. *In te, Domine, ſperaui: tu exaudies me, Dominus Deus meus.* Collocaui, inquit, in te meam ſpem, ex qua orans non poſſum de tuo in me præſidio ac fauore dubitare. Præclarè Origenes hom. 2. in eum Pſalmum: *Si eſſemus*, inquit, *tales, quales nos eſſe vult ſermo diuinus: ſicut Helias* 3. Reg. 18. *duce-*

6.

Oratio virtutibus deſtituta, ad Deum non accedit.

Probi mores alas addunt orationi.

diceremus vtique Deo, vt daret pluuiam & plueret.
1. Reg. 12. *Sicut Samuel in diebus messium petebamus, vt praestaret de cælo imbrium copiam, & audiremur. Nunc autem quomodo nos audiet Deus, cùm nos ipsum non audiamus? Quomodo faciet ille, quod volumus, cùm nos, quod ille vult, non faciamus. Vult, nos tales esse Deus, vt quasi Dij cum Deo loquamur.*

Improbi oratio ineffica.

Multò minus efficient aliorum preces, si pietas à nobis exulet. Peccabat populus tempore Ieremiæ; orabat pro illis Propheta, cùm grauem ex parte Dei litim atque sterilitatem populo denunciasset ab imbrium defectu: sed quia populi malitia præualeret, monet illũ Dominus, vt à precibus abstineat: *Noli*, inquit, *orare pro populo isto in bono. Cũ ieiunauerint, nõ exaudiam preces eorum: & si obtulerint holocaustomata, & victimas, non suscipiam ea; quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos.* q.d. Noli, ô Ieremia, orare, vt populo huic aliquid contingat, quod saluti, atque vsui futurum sit: id enim non exorabis. Cùm ieiunijs orationem adiunxerint, illorum preces non exaudiam: respuam holocausta, & victimas, quas ad mea deduxerint altaria. Quin potiùs illos fame, gladioque conficiam. Et cap. 15. vsque adeò Dominus Ieremiam non audit orantẽ pro populo, vt etiam neget quidquam habituras esse apud se momenti Moysis atque Samuelis preces, si populi ac templi susciperet voluerint patrocinium. *Si steterint*, inquit, *Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Sensus est, Noli ô Ieremia, in ipsum orando frustra conficere: noli orationi tuæ plura tribuere, quàm illorum, quorum ardor fuit in orando maximus, & vis ad impetrandum potens: nam si illi nunc pro gentis huius salute precatores opponerent, nihilo audirentur benignius. Eorum exempla autem adducit, quia Moyses Exod. 32. ardentem animum, appetentemque vindictæ ad misericordiam inflexit, districtumque ferrum à vulnere retardauit. Nam, cùm Dominus dixisset: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*; Moyses sic se opposuit diuinæ offensioni, vt æstuantem ad vindictã animum temperaret. De quo statim: *Placatusq; est Dominus, ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduersus populum suum.* Consecutus item Samuel 1. Reg. 12. Nam, cùm fulgurante, atque tonante cælo, & nihil non horribile minante, populus graui concuteretur metu, dixisset Samueli: *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur*; respondit Samuel: *Absit à me hoc peccatum à Domino, vt cessem orare pro vobis.*

Ineffica. sunt preces impiorum pro peccatoribus perseuerantibus.

Appositè Chrysostomus hom. 1. ad Thessalon. *Si desides fuerimus, nemo nos iuuare poterit. Quid profuit Hieremias Iudeis? An non tertio Deum pro illis interpellauit, & vicissim tertiò audiuit: neque orauerit, neque obsecrauerit pro populo isto, non enim exaudiam te. Quid Saulem iuuit Samuel? An non ad extremum vsque diem lugebat illum, non tantum obiter precabitur? Quid profuit Israelitis? Non dicebat: Mihi verò absit ita delinquere vt cessem orare pro vobis? Non omnes perierunt? Nihil profunt, inquis, preces? Profunt plurimum. Sed quando & nos aliquid fatigerimus, Adiuuant enim & auxiliantur. Adiumento autem quis & auxilio ei demum fuerit, qui & ipse operatur. Si verò deses & otiosus manseris, non magnopere iuuaberis.* Ezechielis oratio reiecta hoc planè confirmat. Cùm enim Propheta pro Israelitis Deum consuleret, vt ab eo disceret, quid facto opus esset, audiebat quale ipsorum peccatum merebatur responsum acerbum & durum. Et ad extremum docet Deus, grassaturum in peccatricem illam gentem gladium, famem, pestem, & immites belluas, à quibus liberabitur nemo, etsi intercedat illorũ virorũ oratio, quorũ graues sunt ad exorandum preces; Nempe Noe, Daniel, & Iob: *Si autem*, inquit, *& pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meã super eam in sanguine, vt auferam ex ea hominem, & iumentum. Et Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt: sed ipse iustitia sua liberabunt animas suas.* Ezech. 14. Horum causa erat, hominum illius temporis peruersa malitia. Idem Ezechiel cap. 9. ex summa commiseratione rogabat Dominum, *Hei Domine, delesne reliquias Israelis?* Dominus autem vt declararet se iustè hoc facere, ostendit ei peccata illorum; & vt constaret simul ipsius supplicationem ideò non acceptari, quod illam Deus contemneret, subiungit: *Etiamsi starent ait Chrysostomus, Iob, & Daniel, &c. Non quod te contemnam, inquit, hoc facio, sed si & Noe, & Iob, & Daniel etiam pro filijs suis orarent, non obsequerer.*

Ezech. 14.

7. Noe, Danielis & Iobi oratio efficax.

Hi tres suo quique seculo principes à Deo nominati, quia & ipsi in orando ardentes, & assidui, & in exorando efficaces extitere. De Noë scribitur Eccli. 44. v. 17. *Noe inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. ideò dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluuium.* De Iob id quoque certum est, nam non solùm pro filijs orabat, sed assiduis vacabat quoque sacrificijs, & quidẽ pro se orasse ardenter, ac diu, ipsius liber non obscurè docet; impetrasse verò, quod orabat, exitus ipsi tam longi, ac duri certaminis manifestat, cùm neque confectus fuerit multorum annorum atrâ lue, & multo magis opibus fuerit, ac liberis auctus, quàm annis superioribus fuerat, cùm lauabat pedes suos butyro, & lucerna splendebat super caput. Hæc orabat Iob cap. 29. *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me.* Lege reliqua, quæ hîc Iob exorata vult à Deo, & vide quàm illa omnia

Res Scriptura locis palam fit.

Deus

Deus illustria magis, atque cumulata reddiderit cap. 42. v. 12. *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis, quàm principio eius.* De Danielis orationibus tam ardentibus, quàm assiduis, habes in eius prophetia documenta nõ pauca. Qui vsque adeò orationis studio capiebatur; vt proposito capitis periculo deterreri non potuerint, qno minus tribus temporibus in die genua flecteret conuersus ad Ierusalem. Quod vsque adeò frequens erat ac notum Babylonijs, vt ea ratione existimarent posse in Regis offensionem trahi; & non solùm de Principum, sed etiam de vitæ medio tolli. Quod orando consecutus fuerit ne in lacu leonum ab illis discerperetur, semel cap. 6. iterum cap. 14. mihi dubium nõ est, quas à Domino lustrationes habuerit, & illam de venturo Christo post septuaginta duas hebdomadas; nemo nescit. Quare hi tres perquam commodè in exemplum magnorum oratorum allati sunt.

8. *Ad tuendam orationem requiritur etiam virtus eorũ, pro quibus oratur.*

Vt autem euidentius dignoscas id verum esse, considera quod Deus regnante Ezechia liberauerit Ierosolymam de manu Sennacherib propter Dauidis sanctitatem. dicebat vtique: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Regnante verò Sedeciâ, ne quidem propter sanctitatem ipsius Dauidis eam liberauit è manu Regis Nabuchodonosor, qui eam obsedetat, 4. Reg. 25. *Quare*, inquit Chrysostomus, *non dixit hoc Deus etiam cùm Nabuchodonosor illos adoriretur, sed ciuitatem hanc tradidit?* Et respondet, *Ideò scilicet, quòd plus potuerit illorum malitia.* Vnius Regis pœnitentia Dauidis auctoritatem apud Deum promouebat; alterius malitia debilitabat.

Profuit quidẽ Iobi oratio amicis suis, iuxta illud: *Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciẽ eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Iob 42. Eadem nihilominus oratio minimè Iudæis profutura dicitur, iuxta illud: *Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, &c. Viuo ego, dicit Dominus; quia nec filios, nec filias liberabunt.* Ezech. 14. Ratio est: quia illi de suo peccato doluerant; hi verò in suo perseuerabant. Deinde Moysis oratio in monte Sinai, tenuit Deum, ne in populum irasceretur. Exod. 32. Et tamen tenere Deum non posset Ierosolymis; etiamsi ibi adesset, quominus in populum desæuiret, iuxta illud: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ierem. 15. Cur ita? Planè, quia populus in deserto aliquantulum à suo peccato resipuerat: Ierosolymis verò in suo peccato indurauerat. Tandem Samuelis oratio nihil profuit Sauli peccanti, 1. Reg. 16. Et multũ profuit Israeli pœnitenti, 1. Reg. 7. *Samuel*, inquit Chrysostomus, *pro Israelitis orauit, & efficax fuit precatio. Sed quando? Quando & ipsi bene placebant, & quiescebant, tunc & hostes vincebant.* Denique Noe, Ieremias, Ezechiel, & Daniel, alijque Prophetæ, Deo gratissimi extiterunt, & multa à Deo beneficia impetrarunt: & tamen orantes pro populo non audiuntur; aut certè si orent, dicuntur non exaudiendi: quia populus suis sceleribus adhærescens, nihil eorum precibus cooperabatur.

Alijs Scriptura locis probatur.

Addit D. Chrysostomus loc. sæpius cit. Quare Dominus Ezechieli horum det rationem, *Et meritò hinc*, inquit, *magis ista dicit: ipse namq; erat, qui multa passus fuerat: Iussisti, inquit, vt in stercore comederem, & commedi: iussisti, & tonsus sum: iussisti, super latus vnum dormiui; iussisti, vt foramen parietis onustus exirem, & exiui: abstulisti mihi vxorem, & iussisti ne lugerem, & non luxi, sed tuli fortiter: innumera alia illorum gratia feci, etiam te pro ijsdem oro & non obsequeris?* Vnde tandem concludit idem Doctor: *His itaq; cognitis, nec sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proijciamus, hoc quidem ne desideamus ac temerè insidijs opprimamur: illud verò ne extra multum lucrum & profectum excidamus, sed oremus etiam vt pro nobis precentur, manumq; porrigant, adhæreamusq; & ipsi virtutis studio, vt bona diligentibus Deum promissa consequi valeamus gratia & benignitate, &c.*

Si aues scire, an hoc exemplum Tobiæ & Saræ alios ad sic orandum obliget, paucis tibi rem aperiam. Exod. 19. præceperat Dominus populum sanctificari triduo ad susceptionem legis Decalogi. Hoc loco Tobias ex præcepto speciali Angeli Raphaelis cogitur triduo cum Sara orare, vt liberetur domus ab infestatione dæmonis. Hæc particularia sunt, neque alios concernunt. Triduanam orationem scimus insuper perquam vtilem. Exacto enim triduo pestilentiæ sæuientis in Israelitas, ira Dei quieuit, 2. Reg. 24. Sara post fletum & orationem triduanam cum ieiunio, non solum animo recreata, sed & ab infestissimo dæmone tandem liberata est, Tob. 3. Tribus diebus & noctibus ieiunantes & orantes Iudæi, prosperum ex Babylone in Iudæam per infestorum gentilium fines reditum meruerunt, 1. Esd. 6. Niniuitæ triduani ieiunij pœnitentia ciuitati suæ imminentem iram cœlestem euaserunt. Daniel ter in die orationi vacabat. Christus tertiò in horto mortem deprecatus, tertia die de morte triumphauit, Matth. 26. Paulus ter Dominum rogans, vt ab infestante Satana liberaretur, tandem audiuit à Domino; *Tibi sufficit gratia mea*, 2. Cor. 12.

9. *An coniuges ante matrimonij consummationem orare teneantur triduo.*

Triduana oratio est valde efficax.

Licet autem boni effectus sequantur triduo vacantes ieiunijs & orationibus, tamen post Matrimonij solemnizationem illud præcipi non expedit, quia non omnes habent donum continentiæ. Planissimè Hebræus Sapiens Prov. 6. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant;*

10. *Ad illam suadere, expedit, non præcipere.*

aut

aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius. Suaderi poſſunt. Sic Euariſtus Papa Martyr epiſt. 1. conſuluit: *Biduo*, ait, *vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant, vt bonæ ſobolis generentur, & Domino actibus ſuis placeant.* Bona quidem exhortatio; ſed quia hæc ipſa peti poſſunt à Domino ante Matrimonium, Concilium Tridentinum conſiderans hominis fragilitatem poſt lapſum primi parentis, ſic ordinat ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1. *Sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonij conſummationem ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum piè accedant.* Hæc concilij exhortatio ex conſuetudine fidelium in legis naturam tranſijt: ad Sacramenta enim ſanctè accedere, lex naturalis docet.

CAPITIS OCTAVI

VERSVS XI.

Et factum eſt circa pullorum cantum, accerſiri iuſſit Raguel ſeruos ſuos, & abierunt cum eo pariter vt foderent ſepulchrum.

Verſ. 12. *Dicebat enim: Ne fortè ſimili modo eueniet ei, quo & cæteris illis ſeptem viris, qui ſunt ingreſſi ad eam.*

Verſ. 13. *Cumque paraſſent foſſam, reuerſus Raguel ad vxorem ſuam, dixit ei:*

Verſ. 14. *Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat ſi mortuus eſt, vt ſepeliam eam antequam illuceſcat dies.*

Verſ. 15. *At illa miſit vnam ex ancillis ſuis. Quæ ingreſſa cubiculum, reperit eos ſaluos & incolumes, ſecum pariter dormientes.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 11. 12. 13. 14. & 15. Tribus horis ante lucem prouidus Raguel accerſitis ſeruis ſuis, foueam parat extra domum, in quo ſepeliat ante lucem Tobiam, caſu quo illi quid durius à dæmone contingat, ſicut cæteris Saræ maritis. Paratâ autem foſsâ, vt ante lucem ſine arbitris rem perageret vrget inquiti, per vnam ex ancillis Annæ vxoris, in quo ſtatu iunior Tobias exiſtat; Quæ ingreſſa geniale cubiculum, coniuges ſuauiter dormientes, & ſanos deprehendit.

SECTIO SEXTA.

Quid inſtruat nos Raguel dum tempeſtiuè parari iuſsit foueam Tobiæ ſepeliendo; & vnam ex ancillis ante lucem miſit ad cubiculum nouorum coniugum? Et quam Deus ſuorum famæ conſulat?

1. *Rationes quare tempeſtiuè Raguel curauit fieri foſſam.*

SPEM bonam ex verbis Angeli, & ex Tobiæ moribus religioſis conceperat Raguel de octauo filiæ ſuæ, ac poſtremo coniugio: vnde dixerat cap. 7. *Non dubium quod Deus preces & lachrymas meas in conſpectu ſuo admiſerit.* Verùm voluit nihilominus in omnem euentum honori ſuo, & filiæ maturè conſulere, curans ſummo mane parari foſſam, vt ſi Deus aliter diſponeret, quam confidebat, ante lucem eum ſepeliret, ipſiuſque mortem tegeret, vt euitaret populi calumniam, quæ facilè illum notâ infamiæ aſpergeret, Primùm, quia cognatus, deinde quia viri ſancti filius, omnibuſque chariſſimi, atque adeo ſi quid adoleſcenti

leſcenti accideret aduerſum, omnium contri-
bulium in ſe concitaſſet odia, cùm eò adduceret innocentem, vbi ſeptem alios ſciebat horribilem appetiſſe mortem, quæ dolorem grauem eſſet allatura parentibus. Ad hæc, viuebat in tali vrbe, in qua credebat ſe aliàs infamiæ notam non poſſe euadere. *Difficile eſt*, inquit Hieronym. *in maledicâ ciuitate, & in vrbe, in qua orbis quondam populus fuit, palmaq; vitiorum, ſi honeſtis detraherent, & pura ac munda macularent, non aliquam ſiniſtri rumoris fabulam contrahere. Vnde quaſi rem difficillimam, & penè impoſſibilem optat Propheta, potius quàm præſumit, dicens: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Immaculatos in via huius ſæculi appellat, quos nulla obſceni rumoris aura macularit, qui opprobrium non acceperint aduerſus proximos ſuos, de quibus Saluator in Euangelio, Eſto, inquit, beneuolus, ſiue bene ſentiens de aduerſario tuo, dũ es in via cum illo.*

Raguel bona famæ amans.
Epiſt. 16.
Difficile inter prauos infamiam euitare, etiã iuſto.
Pſal. 118.
Matth. 5.

2.

Veriſſimè idem Doctor Epiſt. 14. ad Celantiam de ratione piè viuendi: *Apoſtolici præcepti, & exempli eſt, vt habeamus rationem non conſcientiæ tantùm, ſed etiam famæ. Non ſuperfluum, & à fructu vacuum gentium magiſter hoc docet. Vult enim etiam extraneos ad fidem homines, per fidelium operâ proficere, vt religionem ipſam, religionis diſciplina commendet. Et ideò ſicut luminaria in mundo lucere nos iubet in medio nationis praue & peruerſæ, vt incredula mentes errantium ex noſtrorum actuum lumine ignorantiæ ſuæ tenebras deprehendant. Vnde ipſe ad Romanos ait, Prouidentes bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Et alibi; Sine offenſione eſtote Iudæis & gentibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis. Beatus eſt, qui tam ſanctè, tamq; grauiter diſpoſuit vitam, vt de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſſit, dum aduerſus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quiſquam auſus eſt, quod à nullo putat eſſe credendum.*

Magna cura habenda de bono nomine
1. Cor. 8.
Philip. 2.
Rom. 12.
2. Cor. 10.

Et quid, quæſo, carius? aut quid bono nomine, bonaque famâ præſtantius in hac vita? *Melius eſt nomen bonum*, inquit Sapiens, *quàm diuitiæ multæ*, Prouerb. 22. verſ. 1. *Super argentum enim, & aurum eſt gratia bona*; Pereunt enim diuitiæ, & cum vita amittuntur, perit & ipſa vita omnibus, & ſuper omnia charior; nomen tamen bonum, famaque nunquam perit, etiamſi vita amittatur, & tranſeunte homine, non tranſit ipſa: vnde licet mortuus, viuit. Hinc viri cordati maluerunt quamuis miſeriam tolerare, quàm famæ iacturam.

Bono nomine nihil præſtantius.

Cùm Moyſes & Aaron legationem obiiſſent apud Pharaonem, ipſeque illos contemneret, & magis premeret Hebræos, dixerunt ad illos ſeniores Iſraël: *Videat Dominus, & iudicet, quoniam fetere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & ſeruis eius*, Exod. 5. verſ. 21. Vindicet, inquiunt, Dominus, quia inuiſos & abominabiles nos feciſtis Pharaoni, cùm fœtere feciſtis coram eo famam noſtram. Eadem phraſis eſt, Geneſ. 34. verſ. 30. in Hebræo, 2. Corinth. 2. 15. *Chriſti*, ait, *bonus odor ſumus*, quia videlicet bonam Chriſti, & Chriſtianiſmi famam ſpargimus, vt homines benè de nobis, deque Chriſto ſentiant, & loquantur. *Habent enim mores, ſuos colores, habent & odores; colorem in conſcientia, odorem in fama*, inquit S. Bernard. ſerm. 71. in Cantica. Mirum planè. Infinita iſti tunc mala patiebantur, labore opprimebantur, flagellis cædebantur, iniuriam ſuſtinebant, duriſſimè ſeruitutem tolerabant, & tamen de nullo conqueruntur, niſi de malo nominis eorum odore coram Pharaone, eiuſque miniſtris, ac de mala fama ipſis per Moyſem, Araonemque originata; cur ergo non conqueruntur de oppreſſione, de flagellis, de ſeruitute, & iniuria? niſi quia apud cordatos, quales iſti erant, homines, plus æſtimatur bonæ odor famæ, & pluris ducunt bonæ famæ amiſſionem, quã ipſa flagella, imò ipſam mortem. Sara Raguelis filia improperium paſſa à procaci ancilla maluit mori, quàm improperata viuere: vnde enixà oratione rogabat: *Peto Domine, vt de vinculo improperij huius abſoluas me, aut deſuper terram eripias me.* cap. 3. huius hiſtoriæ. Cùm deprauati illi ſenes Daniel. 13. ſollicitarent Suſannam ad flagitium cum hac interminatione; *quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quod fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam dimiſeris puellas à te.* Tunc *ingemuit Suſanna, & ait: Angustiæ ſunt mihi vndique.* Quorum verborum ſenſum exiſtimat D. Hieronymus eſſe poſſe, quod magis infamiam timuerit, quàm mortem. *Humanæ quippe*, ait, *fragilitatis eſt, mortem timere, quæ infertur pro iuſtitia: niſi fortè angustiam interpretabimur, non imminentis mortis, ſed opprobrij & ignominiæ: qua perfundenda erat, illis accuſantibus atque dicentibus: fuit cum illa iuuenis, & idcircò dimiſit puellas.* Vt vt eſt, hoc exploratum eſt, quod ſenes illi libidine prurientes ſibi certiſſimè perſuaſerint Suſannam facilius peccato conſenſuram, quam iacturæ famæ; inde enim eſt illa comminatio, *Quòd ſi nolueris*, &c. Sed ignorabant conſtantiam iuſtorum. Eleazarus famoſiſſimus ille ſenex, 2. Machab. 6. maluit vitâ defungi, quàm vitam protrahere odioſam, & ignobilem apud Deum, & ſui generis homines, atque ideò ipſe vltrò ſupplicium appetijt, idque adeò non grauatè, vt ipſos Regiæ crudelitatis miniſtros, & ſatellites curſu præuerteret. Cùm enim noſſet quid fieri deberet honeſtè, & ſanctè, & in illud omninò offirmaret animum, prodigendam potius exiſtimauit vitam; & omnia illius commoda repudianda, ne vel modicè à patriæ legis obſeruatione recederet. *Eleazarum*, inquit ſacer tex-

Odor bonus idem quod bona fama.

Senes Iſraëlis plus infamiam doluerunt, quã labores.

Sara pluris fecit mori, quàm viuere infamem.

Eleazarus ſupra vitam æſtimauit famam.

tus, *vnus de primoribus Scribarum, vir ætate prouectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille glorioſiſſimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad ſupplicium. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere: patienter ſuſtinens, deſtinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Cùm autem multi, qui illius modeſtiam, & animi ornamenta præclara admirati, piè in illum afficiebantur, & benevolè, ferebant dolenter virum omnium amore, & honore digniſſimum per ſummum ludibrium ad genus mortis acerbiſſimæ trahi. Quare ſuadebant, vt paratum iam ſupplicium euaderet, vt aliquo ſigno teſtaretur parêre ſe velle Regis imperio, & ſimularet ſe carnes manducare porcinas, neque illas tamen adhiberet in cibum, ſed illas quas nullo modo Hebræorum conſuetudo reſpueret. Sed ille non ſolùm repetebat animo quod erat apud ipſum antiquius, nimirum omninò parendum eſſe Deo, qui contraria per Moyſem præcepiſſet, neque alia quantumcumque grauia vllius eſſe momenti. Sed etiam illud conſiderabat quò eſſet ætatis progreſſus, quantâ apud omnes auctoritate, quo loco, atque ordine, & quo modo ſuam ad illum vſque articulum, vitam inſtituiſſet; quantumque fama etiam ipſius proximis eſſet neceſſaria. Quare illicò conſtanter, & ingenuè reſpondit, malle ſe mori, & omne genus perferre acerbitatis, & ignominiæ quam ab eo diſcedere, quod fuerat amplexatus à puero, & ad canitiem vſque ſine vlla intermiſſione, aut dubitatione produxerat, & ſubdidit, quod ad noſtrum propoſitum pertinet: *Et per hoc maculam, atque execrationem meæ ſenectuti conquiram.* Ita ſollicitus erat de bona fama. Grauiſſima hæc erat, & tanto viro digna cogitatio. Debent quidem omnes, vt monet Apoſtolus, ab omni ſpecie mali abſtinere conſtanter, ſed illi præcipuè, quorum exemplum aliis poteſt, & ſolet magis eſſe noxium. Quales qui doctrinâ, ætate, & auctoritate præſtant, quos hominum vulgus exiſtimat, & noſſe quid ſit æquum, & iuſtum, & vſu didiciſſe, quid magis expediat. Hos ſi cadere contingat, alios multos in eandem ſecum ruinam communiter trahunt. Quemadmodum ſi magnæ molis ſaxum ex alto ruat, minoris molis ſaxa, & quidquid habet obuium ſternit, & protuit. Itaque charitas non ſolùm conſulebat, vt nominis ſui haberet rationem; ſed etiam præcipiebat ad ſuam & aliorum ſalutem. Vir vtique erat Eleazarus multis nominibus apud plebem venerabilis, &, vt inquit ſacer textus, *vnus de primoribus ſcribarum*; cuius exemplo cæteros in perniciem trahere Antiochus moliebatur; neque enim minus populus inferior à ſuperiorum moribus haurit diſciplinam, quàm à fontibus potum, qui id iure ſe facere putat, quod ad principis ſeu ſuperioris facit exemplum. Præclarè Cicero lib. 3. de legibus: *Non tantum, inquit, mali eſt peccare principi, quamquam eſt magnum hoc per ſeipſum malum, quantum illud quod permulti etiam imitatores principum exiſtunt. Nam licet videre ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcumq; viri ciuitatu ſummi fuerint, talem ciuitatem fuiſſe. Quæcumq; mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſecuturam. Ego autem nobilium vitia, victoq; mutatos mores mutari ciuitatem puto. Quo pernicioſius de republica merentur pernitioſi principes, quòd non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem, neque ſolùm obſunt, quòd illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt; plus exemplo, quàm peccato nocent.*

Abſtinendum ab omni ſpecie mali hic præcipuè, qui doctrina, & auctoritate præſtant.

Perniciofiſſima mala Superiorum exempla.

Apoſtolus Paulus euangelizabat Corinthijs gratis, quia facilè furiſſent ſcandalizati: vnde licet omnis lex & ratio dictarent æquiſſimum eſſe, vt pro illis laborans, ab illis etiam aleretur, maluit tamen iuri ſuo cedere, & manibus laborando noctes ducere inſomnes, vt ſibi, & ſuis victum compararet, ac illuſtre daret exemplum paupertatis, ſyncritatis, zeli, ad maiorem apud teneros in fide & diutes auaros, fidei, & Chriſtianiſmi commendationem & propagationem. Hoc autem tam heroicum opus, charitas non præcipit, ſed conſulit. Vnde dicebat: *Non autem hæc ſcripſi* de obligatione Corinthiorum, & quorumuis, Apoſtolos ſuos alendi, *vt ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet*, 1. Corint. 9. Quaſi dicat: Non ſcripſi hæc, quod eiuſmodi mihi officia à quopiam exhiberi cupiam: præſtat enim potius fame emori, quam vt mihi huius meæ gloriæ ſegetem eripi patiar. Pro *gloria*, græcè eſt *gloriatio*: vt quemadmodum ad Romanos dixit, gloriari ſe in tribulationibus, ita in præſentia gloriari ſe dicat in ſua inopia, & paupertate, & libera Euangelii promulgatione, cùm abſque illius offenſione, aut ſcandalo, non ſine magno ſuo labore, & fatigatione vbique poſſit Euangelicam doctrinam tradere. Intelligit autem Apoſtolus gloriationem illam, quâ gloriabatur aduerſus pſeudo-Apoſtolos, qui Corinthiis graues erant & ſumptuoſi; Aduerſus hos enim gloriam ſibi pepererat gratis euangelizando: quam & omni ſtudio conſeruare volebat; adeò vt potius eligat mori, id eſt, fame & egeſtate confici, quam vt patiatur à quoquam Corinthiorum, volente ſibi victum ſuppeditare, gloriam illam euacuari ſiue minui. Vnde propugnans filium Apoſtolatum contra pſeudo-Apoſtolos, qui illum deprimebant, dicit inter alia, quod ipſi pro lucro, ipſe verò Apoſto-

3.

Paulus malebat mori, quàm infamiâ perpeti.

lus

lus gratis euangelizauerit: *Aut nunquid peccatum feci, meipsum humilians, vt vos exaltemini? quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis? Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Et cùm essem apud vos, & egerem, nulli oneerosus fui: nam quod mihi deerat, supplenerunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo.* 2. Corinth. 11. Quasi dicat: Num id mihi vitio vertitur, aut quasi crimen obijcitur, quod me ipse vltra modum deiecerim, atque humile, abiectumque artificium exercuerim, vt vestram vos amplitudinem retineretis, & vobis prorsus gratuitò Euangelium prædicauerim? Equidem ab aliis mendicare potius volui, & alias Ecclesias accepto ab ijs stipendio quodammodo spoliaui, vt nullo vestro incommodo, vel iactura vobis Christianæ fidei præcepta traderem, &, vt ita dicam, inseruirem. Imò cùm apud vos essem, & egestate laborarem, nullius opem, aut subsidium imploraui, ne cuiquam molestus essem; sed strenuè manuum opificio vitam toleraui, & premente inopiâ nihil de laboribus remisi, vt quemquam grauarem; neque propterea meæ functioni torpui, aut Euangelicæ prædicationis muneri vlla ex parte defui, si quid mihi deerat suppeditarunt id fratres, qui venerant ex Macedonia, in omnibus denique me præstiti vobis, &(vt spero) præstabo minimè onerosum. Est ironia aut potius sarcasmus. Exprobrat enim Paulus Corinthijs in faciem eorum ingratitudinem, quod cùm potuisset euangelizando petere & accipere ab eis stipendium alimoniæ, nec tamen fecerit, sed ab alijs Ecclesijs pauperioribus sustentari voluerit agens & prædicans Corinthi: ipsi nihilominus Corinthii hæc Pauli beneficia parui penderint, magisque auscultarint pseudoapostolis Pauli æmulis, qui ipsorum bursas emungebant.

4. *Vita nostra non tantum Deo, sed etiã hominibus probari debet.*

Si tantoperè & viri & fœminæ ponderarunt famæ præstantiam; quid mirum, quòd vsque adeò in causa grauissimâ Raguel de ea fuerit sollicitus. Sciebat vtique nulli licere famam negligere sine iusta causa, neque fenestram aperiri posse calumnijs, quæ inde natæ erant orirt.

Nos verò satis esse volumus, quod Deus conscientiam nostram dignoscat. Itanè? Sicine docuit vos Apostolus? Nunquid vult Christianos ita honestè, amicè, iustè & sanctè viuere, vt vita eorum, & conuersatio bona, & amicabilis non tantum Deo, sed & hominibus probetur. nec à quoquam iure culpari posset; imò cæteris in exemplum virtutis lucet, & præfulget? Id planissimè exigit à Romanis cap. 12. *Prouidentes*, inquit, *bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: Deo enim debemus*, vt ait Bernardus, *conscientiam, proximo famam.* Idem noluit circumducere mulierem, quæ videlicet illi vitæ subsidia necessaria ministraret, ne Gentiles offenderet, eiue malam opinionem indere posset. Inopinabile enim erat apud eos, mulierem passim circumducere, & non tangere. Audi Hieronymum ad cap. 27. Matth. *Consuetudinis Iudaica fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abstinuisse memorat.* Rursum noluit Paulus colligere largas eleemosynas pro pauperibus Hierosolymæ degentibus, ne putaretur rem suam facere; sed Tito & Lucæ pecuniam bursamque commisit, 2. Corint. 8. Adhæc seuerissimè præcepit omnibus: *Ab omni specie malâ abstinete vos*, 1. Thessal. 5. Vide dicta Discur. 9. præuio in IV. Præcep. num. 11. Hieronymus Ageruchiam viduam pluribus exemplis ac rationibus ad viduitatem cohortans, monuit, *Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia: in quo breui accinctoq; precepto multa simul monita continentur. Ne propositum vidue exquisitior cultus infamet. Ne oculorum nutibus, & hilaritate vultus, iuuenum post se greges trahat. Ne aliud verbo, aliud habitu polliceatur, & conueniat ei versiculus ille vulgatus: Risit, & argento quiddam promisit ocello.* Et longè post aliud monet ad viduitatem, & bonã famam seruãdam perneccessarium: *Fuge*, inquit, *personas, in quibus potest male conuersationis esse suspicio: nec paratum habeas illud è trinio: sufficit mihi conscientia mea: nõ curo quid de me loquantur homines.* Et certè *Apostolum prouidebat bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus; ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus. Habebat vtique potestatem sororem mulierem circumducendi; sed nolebat se iudicari ab infideli conscientia. Et cùm posset de Euangelio viuere, diebus ac noctibus laborabat manibus suis, ne quem grauaret credentium. Si scandalizat, inquit, esca fratrem; in æternum carnem non manducabo. Dicamus & nos: Si scandalizat soror, vel frater non vnum; & alterum, sed totam Ecclesiam; nec sororem videbo, nec fratrem. Melius est rem familiarem minui, quàm salutem animæ perire. Melius est amittere, quod, velimus, nolimus aliquando perieturum est. Melius est sponte dimittere, quàm id amittere, pro quo omnia dimittenda sunt.*

Epist. 11. Species mali vitanda.

Mala suspiciones de se licet falsa, omnino cauenda.

Idem Doctor Epist. 47. de vitando suspecto contubernio: *Etsi conscientia criminis vulnus non habeat; habet tamen fama ignominiam.* Sedulò hortatur Chrysostomus lib. 5. de Sacerdotio: *Oportet*, inquit, *suspiciones prauas statim atque exortæ fuerint, intercidere, ac nihil prorsus omittere rerum earum, quæ prauam de te opinionem delere possint.* Et D. Hieronymus in Epist. ad Celant. *Hanc*, inquit, *adhibeamus nostræ vitæ diligentiam,*

Infamiatur declinanda.

gentiam, ne male mentes occasionem inueniant detrahendi: ne ex nobis scintilla procedat, per quam aduersus nos, siniſtra fama flamma conflatur. Alioqui fruſtra trascemur obtrectatoribus noſtris, ſi eiſipſis obtrectandi materiam miniſtramus. Id adamuſſim præſtitit Raguel noſter ſolâ conſcientiâ non contentus.

5. *Negligere bonam famam ſignũ eſt animi diſſoluti.*

Cæterùm bonam famam ſine iuſta cauſa ſpernere, non ſolùm animi arrogantis eſt, ſed diſſoluti, vt inquit Cicero 1. de Officijs: *Negligere enim*, ait, *quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis, ſed etiam omninò eſt diſſoluti.* Et Plato 12. de Legibus circa medium, cauet ne quis vnquam panifaciat, *probuſne alijs videatur, an improbus.* D. Auguſtinus reprehendens eos qui conſcientiâ tantum bonâ contenti nihil de cætero curant, etiamſi aliqua in publico faciant, quibus fama lædatur ipſorum, imprudentes tales dicit, & crudeles, lib. de bono viduit. tom. 4. cap. 22. *Non audiendi ſint*, inquit, *ſiue viri ſancti, ſiue fœmina, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam ſit, vt in malam veniant ſuſpicionem, vnde ſuam vitam longè abeſſe ſciant, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, tales enim exiſtimationem hominum non imprudenter ſolùm, verùm crudeliter contemnunt.* Et meritò quidem, nam malâ famâ non ſolum ſeipſos interimunt, ſed alios; *cùm occidunt*, inquit ibidem, *animas aliorum blaſphemantium vias Dei.*

Bonum nomen repudiantes, etiã iuſtis ſe crudeles ſunt & alios.

Fama cuſtodienda ſtudendum eſt.

Hoc primùm, & neceſſarium eſt documentum, vt, licet quis Dominus exiſtat famæ ſuæ, propter alios tamen exactam eius habeat rationem, ſi velit apud Deum eſſe ſecurus. Luculenter D. Auguſtinus cap. 28. lib. de bono Viduitatis. *Quiſquis à criminibus*, inquit, *flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benè facit: quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra: & vtique etiam quod alijs miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat vtilitatem. Vnde non* 1. *Cor* 8. *fruſtrà Apoſtolus, Prouidemus, inquit, bona, non ſolum coram Deo, verum etiam coram hominibus.* 1. *Cor.* 10. *Item dicit, Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. In quadam etiam exhortatione dicit: De cætero fratres quæcunq; ſunt vera, quæcunq; ſancta, quæcunq; iuſta, quæcunq; caſta, quæcunq; charißima, quæcunque bona fama ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate quæ & didiciſtis & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me.* Philip. 4. *Cernis quemadmodum inter multa quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere, quæcunq; bona fama, duobuſq; verbis cuncta concluſerit, vbi ait, ſi qua virtus, ſi qua laus. Ad virtutem namque pertinent quæ antea memorauit bona, fama verò ad laudem. Puto quod non laudem hominum pro magno* 1. *Cor.* 4. *ſumebat Apoſtolus alio loco dicens: Mihi autem minimum eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et* Galat. 1. *alibi, Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Et iterum, Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sed illorum duorum, id eſt, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod breuius dicitur, virtutis & laudis, vnum propter ſeipſum ſapientiſſimè retinebat, alterum propter alios miſericordiſſimè prouidebat.* Cùm verò quæ noſtrarum ſunt partium præſtiterimus, & vitam Chriſtiano homine dignam duxerimus, nulli dantes vllam offenſionem, non vereamur maleuolorum linguam. Auguſtini ſalutaris admonitio eodem loco nos roboret & confirmet: *Sed quoniam quantalibet humana cautela ſuſpiciones maleuolentiſſimas non poteſt omnis ex parte vitare, vbi pro exiſtimatione noſtra quidquid rectè poſſumus fecerimus, ſi aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcientiæ ſolatium, planeq; etiam gaudium, quòd merces noſtra magna eſt in cælis, etiam cùm dicunt homines multa mala de nobis, piè tamen iuſteq; viuentibus. Illa enim merces tanquam ſtipendium eſt militantium, per arma iuſticiæ, non ſolùm dextra, verùm etiam ſiniſtra, per gloriam* 2. *Cor.* 6. *ſcilicet & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.*

Maledicta ſine iuſta cauſa non curãda ſunt.

6. *Ad patresfamilias ſpectat primùm ſcire, quæ ſui agant.*

Alterum nobis ſuppeditat non minus homini fideli neceſſarium; mittens ancillam de ſtatu Tobiæ inquirendi cauſa, docuit ad patresfamilias ſpectare notitiam habere eorum, quæ in domo ſua geruntur. Raguel in hac ſollicitudine primas obtinuit. Iacob de filiorum moribus ſollicitus ad filium ſuum Ioſephum, *Vade*, inquit, *& vide, ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi, quid agatur.* Geneſ. 37. verſ. 14. Sic & Iſai ad filium ſuum Dauidem, *Curre*, inquit, *ad caſtra, & fratres tuos viſitabis, ſi rectè agant, & cum quibus ordinati ſunt diſce.* 1. Reg. 17. verſ. 18. Nec hemias cum à Rege Artaxerxe facultatem obtinuiſſet reſtaurandi muros Hieruſalem, litteris Regijs munitus conceſſit Hieroſolymam, vbi latuit triduo, & quaſi eſſet homo priuatus, ita ſe geſſit. Poſtea nocturno tempore ſurrexit cum paucis, vt videret, quo eſſent in ſtatu ciuitatis clauſtra, & quid inſtaurari priùs oporteret: quid denique præſens rerum ſtatus atque periculum maximè quod ſuam curam, & ſtudium requireret. Et ideò luſtranit mœnia, & ciuitatis portas explorauit, vt etiam contemplaretur, quid maximè hoſtium pateret iniurijs, aut quid eſſet minus ſiue ab arte, ſiue à natura munitum, quidue citiùs inſtaurari oporteret. Vnde ait ſacer textus ex perſona ipſius: *Et ſurrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Deus dediſſet in corde meo vt facerem in Ieruſalem, & iumentum non erat mecum, niſi animal, cui ſedebam. Et egreſſus ſum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam ſtercoris, & conſiderabam muros Ieruſalem diſſipatos, & portas*

Exemplum Iacobi & Iſai de ſuis ſollicitorum.

Nehemias pro ſua inobtinuiſſet reſtaurandi muros Hieruſalem, gens vigilantiæ.

tium conſumptas igni, 2. Eſdræ 2. Magna diligentia ac ſolertia viri ieiunio attenuati, & fortè ſenio confecti, vt cùm Reip. bonum id exigeret, primus eſſet, qui in illud nocturno tempore, & ſecretò inuigilaret, quatenus omnibus exploratis edoceret Magiſtratum Solymitanum id negotij aggredi audacius, quod hoſtili inſultationi, ac prædationi pateret, quamque Deus ipſorum rationibus faueret, & pro ipſorum cauſa, Regis Perſarum ſedulitas laboraret. Hunc in diſſimili cauſa imitatus eſt Raguel noſter, cùm miſit ancillam ad hoc oportunam, nocturno tempore inquiſituram de ſtatu Tobiæ, an mortuus eſſet, vt ſepeliret eum antequam illuceſceret dies.

7. *Reprehenduntur Superiores qui ſemper eſtimè non inuigilant in ſuorũ actiones, vt ſua familia conjulant.*

Nos verò tantum abeſt vt de procurandis bonis, aut cauendis malis, ſolliciti ſimus, & primi ſatagamus explorata habere domeſtica dedecora, quin priùs per omnium linguas foris decantentur, per omnium aures vagentur. Filius alicuius honeſti viri foris ſæpè pernoctans, patris bona cum ſcortis dilapidat. Dolent vicini interitum patris inſtare, ipſe in vtramque autem dormit, & filium circa auroram redeuntem, dum manè videt, credit è domeſtico prodijſſe lectulo. Eſt filia honeſtæ cuiuſdam matronæ, Amaſij amplexibus per noctes vtitur, ancilla mediante, quæ ei fores, dato ſigno, aperit: venter intumeſcit, vicini ſcandalizantur, & per commorantium murmura, res fit publica. Mater de filiæ honeſtate, & ancillæ fidelitate confiſa, planè ſecura quieſcit, dum ab alijs digito notatur: Iſta eſt mater filiæ iſtius impregnatæ; & neſcit quod in publico audiat quaſi leno filiæ. Nobilis illa fœmina, de qua Prouerb. 31. *conſiderauit ſemitas domus ſuæ*, circumſpiciens vias, actiones & mores domeſticorum ſuorum, quid ſcilicet agant, an ne torpeſcant otio, aut vitijs ſint dediti. De famulis quę non audiuntur nocturno tempore, heris dormientibus, perpetrata?

8. Hi Patresfamilias, hi ſuperiores imitantur ſocordiam Heli ſummi Sacerdotis, qui non naſcentia filiorum ſcelera, ſed penè ſeneſcentia audinit. Totum Iſraelem fama occupauerat, cùm primùm appulit ad parentem. *Heli*, inquit textus 1. Reg. 2. *Erat ſenex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij ſui vniuerſo Iſraeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi. Et dixit eis: Quare facitis res huiuſcemodi, quas ego audio res peſſimas ab omni populo. Nolite filij mei, non eſt enim bona fama, quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini.* Lucius Sylla cognomento Felix, vxorem habebat palam impudicam, & neſciebat, niſi cum ei ab hoſte primum, probro verteretur, teſte Hieronymo lib. 1. aduerſus Iouinian. *Metella*, inquit, *coniunx palam Mauden in Tobiam.*

erat impudica: & (quia nouiſſimi mala noſtra diſcimus) id Athenis cantabatur, & Sylla ignorabat, ſecretaq; domus ſuæ primum hoſtium conuicio didicit. Cn. Pompeio Muciam vxorem impudicam, quam Ponticiſpadones, & Mithridatica ambiebant caterua, cùm eam putarent cæteri ſcientem pati, indicauit in expeditione commilito, & victorem totius orbis, triſti nuntio conſternauit. Non ignorabat Aſſuerus quid proximis diebus petiiſſet Ammanus, & quid eſſet in aliquod hominum genus ab ipſo decretum: ignorabat tamen Reginam eſſe Iudæam, immò & ad Iudæos cruentum illud edictum pertinere. Quòd tandem primùm audit, & de illo à Regina interrogat: qui tantum ſibi aſſumpſit iuris, vt hæc audeat: *Quis*, inquit, *eſt iſte, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere?* Eſther. 7. Babyloni Medorum exercitus imminebat, vrbem in proximam noctem occupaturus, Daniel 5. & tamen Balthaſar ne ſomniabat quidem de armis, totus epulis indulgebat. Ibidem à verſ. 1. Totam Niniuen fama de illius excidio perualerat; omnes oppidanos ad ieiunium & ſaccum Prophetæ comminario adegerat, cùm tandem poſt hæc, *Peruenit verbum ad Regem Niniue*, Ionæ 3. v. 6.

Turpe eſt Regẽ ſuũ de regni ſui malis certiorem fieri.

Totam Iudæam prædicatio Chriſti Domini peruagata, nouiſſima ad Herodem peruenit: *In illo tempore*, inquit Euangeliſta, *audiuit Herodes Tetrarcha famam* IESV, Matth. 15. v. 1. At quo tempore? Illo ſanè, quo iam multa edidiſſet miracula, multa præbuiſſet exempla, multa promulgaſſet oracula: ac denique totam terram ſingulari omnium virtutum odore repleſſet: *In illo tempore*, inquit Matthæus, *audiunt Herodes famam* IESV. Quòd rectè D. Chryſoſtomus hom. 29. in Matth. obſeruauit: *Non otioſum*, inquit, *tempus Euangeliſta denotauit, vt faſtum tyranni, & negligentiam omnes intelligere poſſemus; Non enim ab ipſis ſtatim miraculorum exordijs famam* IESV, *ſed poſt multum tempus percepit. Huiuſmodi certè ſunt, qui in principatibus viuunt. Nam quoniam fauſtum rerum plurimum ſibi arrogant, parui facientes cætera, ferè ea perdiderunt.* Talis eſt per quam ſæpè magnatum & priuatorum reſpectiuè ad omnem caſum ſocordia. In quos proinde conuenit id, quod de omnibus dixit Hieronymus in Epiſt. 48. ad Sabinianum: *Solemus*, inquit, *mala domus noſtræ ſcire noniſſimi: ac liberorum & coniugum vitia, vicinis canentibus ignorare.*

Herodis Regis in Chriſto Domino audiendo ſocordia.

Quænam, obſecro, horum venia? Infideles nos confundent. Illi magis de idolis ſuis ſoliciti diem præuertunt, nos de creaturis ad imaginem Dei conditis curam gerere obligati, ſurdâ aure tranſimus neque oculis in rem attenti 1. Reg. 5. Philiſtini arcam Dei captam aſportauerunt in Azotium, & intulerunt in templum Dagon: *Cùmq; ſurrexiſſent*, inquit,

9. *Infidelium vigilantia arguit Chriſtianos.*

inquit sacer textus, *diluculo Azoty altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.* Cur, quæso, tam citò euigilarunt, qui de præcedentis diei labore fatigati potius ad multã lucẽ dormituri crederentur? Prior causa fuit, ad orãdum. Nã etiam Ethnici antelucanas preces suis Dijs offerebant; iuxta illud Maronis de suo Æneam. Æneid.

Cur Philistæi diluculo surrexerunt.

Vota Deum primo victor soluebat Ioue.

1. *Ratio.*

Altera ad gratulandum Dagoni de parta victoria. Ita Carthusianus: *Diluculo*, inquit, *surrexerunt, vt pro soluto Dagonem Deum suum honorarent, cuius virtute arbitrabantur, se tantum sortitos triumphum.* Tertia, ad consulendum suum Deum, interprete Philone Biblico. *Cùm venissent*, inquit, *interrogare Dagonem de exitu suo*: scilicet, diluculo surrexerunt: ac si hesi victores, iam hodie de sua ruina trepidarent. Quarta ad explorandum, quid suo Deo ex vicinitate Arcæ contigisset. Nam Ethnici quædam inter Deos diuersarum Gentium dissidia fingebant: vt D. Augustinus lib 3. de Ciuit. cap. 2. testatur: patetque ex Virgilio 10. Æneid. vbi Iupiter ad alios Deos:

2. *Ratio.*

3. *Ratio.*

4. *Ratio.*

Tantumne animis certatis iniquis?

Et paulò post:

Nec vestra capit discordia finem.

Et clarius ex Ouidio 1. Trist. 2.

Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Sicergo & Philistæi, inter suos Deos, & Deum Hebræorum inimicitias exercere arbitrabantur: vt colligitur ex ijs, quæ ipsi cap. quarto 1. Reg. vers. 8. exclamarunt. Modò igitur experiri voluerunt, essetne illa discordia iam finita; & sicut tectis conuenerant, ita & animis, factâ quodammodo pace, conuenirent: an potiùs adhuc ijsdem odijs dissiderent; alterque in alterum per nocturna silentia inueherentur. Quinta & vltima, nostro proposito seruiens, vt si quid detrimenti & infortunij Dagon ex vicinitate Arcæ subiisset; ipsi in tempore aduolarent, ad illud resarciendum, antequam in vulgus proderetur. Nam Philistæi, sicut audierant, Deos Ægyptiorum à Deo Israelis contritos, comminutosque fuisse: ita suo Dagoni simile infortunium ab Arca Dei maximè reformidabant. Vt igitur viderent, quid tandem ei accidisset, & si quid mali accidisset, opportunè prouiderent; matutini surrexerunt; seu, vt habet Chaldæus: *Anticipauerunt homines in Asdod.* Hoc est, Anticipauerunt, non solum auroram, sed & aduentũ cæterorum hominum in templum: ne quis prior de populo aduenies, vllam Dagonis ignominiam, si qua foret, spectaret. Tandem inuenientes Dagonem humi prostratum, quàm citissimè eum in suum locum retulerunt: antequàm veniens ac videns populus sui Numinis ignominiã offenderetur. Ita Dionysius: *Acceperunt*, inquit, *Dagon Sacerdotes ipsius, erubescentes de Dei sui tanta deiectione, & manè ac clam restituerunt eum, ne communitas hoc ipsum perciperet.* Similiter & Lyra: *Tulerunt*, ait, *Sacerdotes Dagon, & restituerunt eum in locum suum, antequam populus perciperet.* Tandem Abulensis: *Hoc*, inquit, *fecerunt Sacerdotes diluculo, antequam veniret populus, ne videret Deum suum humiliatum coram Arca; & crederet, maioris potestatis esse Deum Hebræorum.* Neque in hoc acquieuerunt, sed post restitutum Dagon rursum alterâ die manè consurrexerunt ijsdem de causis.

Dagonis iniuriam Sacerdotes quàm citissimè auertere curant.

5. *Ratio. Eurgilant Philistæi Deo sub consilentes.*

Quam rationem dabimus Deo, vsque adeò fœdos erga subditos, cùm illi infideles de turpi, & abominabili statuâ tam deprehendantur solliciti? Proh fidem Christianorum! *Qui suorum*, inquit Apostolus, *& maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior*, 1. Timoth. 5. Stupenda planè verba. Solus Raguel legitur diem præuertisse, vt familiæ suæ benè consuleret, licet optimè confideret, Dei ope, id fore superuacuum. Nos non solum secretas actiones nostrorum perscrutari, sed & explorata mala & facta domus nostræ corrigere negligimus. Dauid sciebat filium Adoniam impiè meditari regnum, Salomoni à Deo destinarum, & tamen eum non corripuit: *Adonias*, inquit sacra pagina, *Filius Haggita eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitq; sibi currus, & equites, & quinquaginta viros qui curre rent ante eum. Nec corripuit eum pater suus aliquando dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem, & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalon*, 3. Reg. 1. Non ignorabat Dauid quid eo tempore fecerat Adonias (quis enim ignoraret, quod sine strepitu, atque tumultu fieri non poterat?) neque quo spectarent Adoniæ consilia, in quo speciem quamdam intuebatur Absalonis, quem immaturi conatus, & præceps ambitio in mortem immaturam præcipitem egerunt. Vt autem erat animo in filios magis, quàm expediret, indulgenti, ac molli, neque corripuit, neque seuera aliquâ oratione perstrinxit. Nec refert quod Bethsabee filij partes actura apud Dauidem dixerit: *Ecce Adonias, regnat te, Domine mi Rex, ignorante.* Id enim dixit nolens offendere Regem; aut mente subintelligens, *vt dissimulas*; erat enim publicum, propterea dixi superius iuxta id Bethsabee.

10. *Socors pariter cum in filiorum vitam reprehensibilis.*

Exemplum Dauidis erga Adoniam.

Sed quis fructus eiusmodi dissimulationis? Dauid id consecutus est, vt dum filium lactat, in Salomonis gladium impegerit. Sicut antè Ammonem, qui sororem incesto concubitu compresserat, quem dum contristare

11. *Nimis parentum in filios indulgentia, parricidam auctorat.*

Dormientes & efficaces superuenit nitio nutriunt subditum.

ſtare ſeuerâ admonitione non vult, impunitum à parente frater Abſalom, non leuiori illum, quàm capitali ſupplicio mulctauit. Heli tantum effecit ſua negligentia, vt extremis mederi non potuerit, propterea addidit Scriptura de filijs ipſius: *Non audierunt vocem patris ſui*, 1. Reg. 2. Aut contingit, vt, patribus familias, & Superioribus dormientibus mala impudentius graſſentur. Subeat, precor, menti veſtræ, quæ mala dormientibus inexpectata ſuperuenerint. Nonne dormiente Noë, ſtatim eius filius Cham impudens euaſit, Geneſ. 9. verſ. 22 Dormiente Iſboſeth filio Saulis, illicò oſtiaria domus eius obdormiuit, & inſidiatoribus liberum aditum ad necandum ſuum Dominum reliquit, 2. Reg. 4. verſ. 5. Dormientibus agricolis, venit inimicus homo, *& ſuperſeminauit zizania in medio tritici*, Matth. 13. Id vobis veſtriſque familijs cauete, & ſeriò inuigilate animabus curæ veſtræ commiſſis. Raguel ſit vobis nitidiſſimum ſpeculum, & exemplar, qui præuenire voluit, ne alius dignoſceret mala domus ſuæ, antequam ipſe; vnde liberatus ab omni ſcrupulo audiuit bonum nuntium, videlicet, nouos coniuges ſaluos & incolumes ſub vno ſtragulo dormire.

11. Suorum fama cùm maximè periclitatur, Deus aſſidet.

Et rem paradoxam, quomodo Deus ſuorum famæ conſulat! Septem priores Saræ mariti domum infeſtam reddiderunt dæmonibus. Intrauit Tobias, orauit eum Sarâ, dæmon cogitur exulare, ipſi incolumes manent. Permittit Dominus ſuos aliquid pati, vt poſtea magis eleuet. Sara perpeſſa eſt tot funeſtas maritorum mortes, vt autem mundus cognoſceret ab eius parte culpam non fuiſſe, omnem infelicitatem eliminat, Tobia intrante. Malam de Iobo eius amici opinionem imbiberant: vt eam deponerent; & famæ ac exiſtimationi eius conſuleret Deus quàm diligentiſſimè prouidit, non ſolùm in priſtinum, imò & feliciorem ſtatum Iobum reducendo: ſed etiam eius amicos his verbis increpando: *iratus eſt*, inquit, *furor meus, quoniam non eſtis locuti contra me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.* Et ſtatim, *Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia*, Iob. 42. verſ. 7. & 8. Cur, obſecro, Iobum tam honorificè commendat; nili vt eius vita nunquàm amplius ab amicis tanquam reprehenſibilis arguatur? Cur item illorum non miſeretur, nili præuia Iobi oratione? Planè vt ipſi inteligant; quantum valeat apud Deum Iobi deprecatio, & præcipuè, vt intelligant, quanta ſit Iobi virtus, qui etiam pro ſuis calumniatoribus Deum deprecetur. Quod ingeniosè animaduertit Olympiod. in catena græca in Iobū, aſſerens voluiſſe Deum vt Iobus iniuriarum oblitus pro ſuis aduerſarijs oraret: vt ipſimet virtutis, quæ in Iobo erat, teſtes efficerentur. Nullum enim poteſt quis ſuæ probitatis argumentum efficacius exhibere, quam ſi pro ſuis aduerſarijs apud Deum intercedat.

Iobi ſanctitas prodijt.

Abrahami ſiniſtram opinionem Deus impedit.

Simile quid accidit regi Abimelech, qui cum malam de Abrahamo opinionem conciperet, virumque ſubdolum mendacem, & vereratorem exiſtimaret: eò quòd vxorem ſuam Saram, ſororem diceret, & propterea occaſionem daret ipſi regi, eam proprio viro auferendi, & multas plagas propter hoc ſcelus à Deo immiſſas tolerandi; cùm, inquam, ob has cauſas perperam ſentiret de Abrahamo, ſic eum Deus alloquitur: *Redde*, inquit, *viro ſuo vxorem, & orabit pro te, & viues*, Geneſ. 20. Vbi duplici ex capite Abrahami ſanctitas commendatur. Vno, quia dicitur Abrahamus pro rege Abimelech oraturus. Quid ſanctius? quid elementius, quàm preces offerre pro eo, à quo iniurias acceperis? Altero, quia dicitur Deus Abrahæ precibus exorandus. Tantum enim gratia, & auctoritate apud Deum valebat Abrahamus, vt quidquid à Deo peteret, impetraret.

Moyſes, ne Magus crederetur, Deus ſtrenuit.

Exodi cap. 7. cum Moyſes multa veraque miracula patraſſet, Pharaonis Magi ſimilia omnino ediderunt: vnde aliqui ſuſpicari potuiſſent & Moyſem eſſe Magum. Verùm vt ipſius famæ conſuleret Deus, poſtquam percutiens terram puluerem ſuſcitaſſet Cynipes per totam terram Ægypti, maleficii idipſum imitari volentes à Deo impediti ſunt: ita vt teſtimonium eius rei darent Pharaoni dicentes: *Digitus Dei eſt hic*, Exod. 8. Per quod dæmonum imbecillitas detecta fuit, & Dei potentia, ſine cuius permiſſione etiam in minimis nihil valent; & Moyſis pietas apparuit, quòd eſſet Deus Pharaonis, per quem ſcilicet ipſe contra Pharaonem miracula faceret. Innumeras olim ſuorum hoſtium ſtrages ediderat Ioſue; multas vrbes exciderat; multas copias euerterat; multos duces in crucem egerat, multum cruoris humani hauſerat, Reges quoque ſuorum militum pedibus calcandos ſubiecerat; adeò, vt iam non fortiter, ſed tyrannicè agere, & non tam militari gloria clarere, quàm barbaricâ crudelitate laborare videretur. Hæc dum ageret, aliquandoque hoſtes per declive fugientes inſequeretur. Ecce tibi *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael.* Ioſue 10. v. 11. Et paulò pòſt, cum recumbente iam ſole, ab hoſtium internecione ceſſare cogeretur; ſolem ſtare fecit, diem inaudito miraculo prorogauit: vt largior ſumeretur de aduerſarijs vindicta. Cur, obſecro, Deus hanc Ioſue potentiam, non ſolùm ordinarijs præſidijs, ſed etiam extraordinarijs miraculis promouit? Egregiè Rupertus lib. comment.

Malam de Ioſue exiſtimationem Deus euertit.

in Ioſue cap. 22. *Parum*, inquit, *erat apud homines tantum victorem, qui nec mortuis parceret: ſed mortuorum quoque colla pedibus calcari præciperet: mortuoſq; patibulis affigeret: de crudelitate excuſari præcepto legis, niſi etiam defenderetur nouo, & inaudito iuſti Dei miraculo.*

Trium puerorum fama in fornace à Deo ſeruata.

Inter fornacis Babylonicę flammas ambulabant tres pueri illæſi, & inter ipſos quartus alius auguſtiori ſpecie, quàm humana viſus eſt, Daniel. 3. ſimilis nempe filio Dei, & quem probatiſſimi Authores fuiſſe ipſum Filium Dei arbitrantur. Cur inter ea fornacis incędia apparet Deus? An vt oſtendat ſe ſuis ſeruis in periculis non deeſſe? Quo pacto olim Ioſepho in carcerem coniecto, *Deſcendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum*, Sap. 10. v. 13. Quo pacto item Hebræis in Ægypto vapulantibus virgis ex rubo præciſis; ipſe quoque ex ſpinoſo rubo Moyſi apparuit, Exod. 3. Optima quidem ratio. Sed in rem noſtram illa eſt aptiſſima. Vt illorum trium puerorum bonæ exiſtimationi conſuleret. Nam ſi Babylonij viderent ſolos pueros inter flammas ardentes ambulantes; magos illos, & præſtigiatores eſſe crederent: apparet igitur Deus inter illos, vt ex diuino conſortio credant; illud non eſſe maleficium diabolicum, ſed prodigium diuinum. Ita Vatab. *Miſit*, inquit, *Deus Angelorum, & apparuit Nabuchodonoſor, ne putaret hoc fieri maleficio.*

13. Cùm natus necdum eſſet Zachariæ & Elizabeth filius, de illis dicit Scriptura Luc. 1. *Erant autem iuſti ambo ante Deum.* Cur, quæſo, hoc de ipſis ſpecialiter pronuntiat Euangeliſta? Non vna ſuppetit ratio. Prima quòd non ſolâ parentum, nobilitate (de qua iam dictum erat) ſed etiam eorum iuſtitiâ & ſanctitate celebraretur Ioannes futurus eorum filius.

Cur iuſtitia parentum Ioannis Baptiſtæ cōmendatur.

Erant enim parentes eius ſecundum carnem quidem generis dignitate illuſtres: ſecundum verò animum, iuſtitia inſignes, ea autem iuſtitia, quæ vera eſt iuſtitia, & quæ hominem apud Deum ipſum iuſtum facit. Altera eſt, vt ipſorum parentum prophetia narranda maiorem conciliaret fidem; multa enim & Zacharias, & Elizabeth Spiritu ſancto inſpirante pronuntiarunt. Tertia eſt, vt Euangeliſta obuiaret hominum ſiniſtræ de illis opinioni.

Illorū fama ab Euangeliſta conſulitur.

Vna enim ex pœnis contra legis iſtius tranſgreſſores à Deo fulminatis videbatur ſterilitas. nam Exod. 23. & Deuter. 7. obſeruatoribus legis promiſſum erat: *Non erit ſterilis in terra*. à contrario ergo ſenſu tranſgreſſoribus comminari videbatur Deus ſterilitatem: ne igitur propria ipſorum culpa cauiſſe prole viderentur, iuſti pronuntiātur, vt diuinum in hoc myſterium, non autem eorum vitium agnoſcatur.

Audiuerat Nathanael à Philippo, *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus* IESVM, *filium Ioſeph à Nazareth*, Cui ille reſpondens dixit: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Docta & prudens erat hæc humilitas Nathanaelis. Is vir doctus, & in ſcripturis verſatus, audit ab homine illiterato rem nouam, & ſummi momenti: ſcit ſcriptum per Prophetam, qui errare non poterat, Chriſtum de Bethleem Iudæ venturum; audit Galilæum, & de ciuitate infima, admiratur, ac dubitat; non tamen omninò negat, nec exprobrat Philippo ipſum deceptum eſſe, idque fieri non poſſe, ſed cum admiratione quadam, quamuis dubitando, reſpondet: *A Nazareth poteſt eſſe aliquid boni?* Cuius ſimplicitatem cordis commendans Chriſtus, cum videret illum venientem ad ſe, inquit: *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Quonam hæc commendatio? Omiſſis alijs rationibus, illa eſt ad rem noſtram, ne circumſtantes arbitrarentur illum, quem Doctorem nouerat, calumniandi, aut cōtradicendi ſtudio acceſſiſſe; & quia carere dolo virtus eſt maximè ad intimum pertinens cordis, idcircò eum laudat, vt ſe cordis ſcrutatorem oſtendat; alluditurque ad illud, Pſal. 31. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus.* in eo quod verus Iſraelita prædicatur; non imputauit ei Dominus peccatum; alterum verbum expreſſum eſt, nec eſt in eo dolus. Duos Paulus ad Rom. 9. Iſraelitas deſcripſit, quidam ſunt ſecundum carnem, qui ex Abraham & Iacob ſecundum carnem deſcendunt; quidam ſunt ſecūdum ſpiritum, qui fidem Abraham & Iacob ſequuntur veram & viuam: non autem omnes, qui ſunt Iſraelitæ ſecundum carnem, ſunt ſecundum ſpiritum, omnes ſunt ſecundum carnem. Nathanael ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum erat, ob id à Chriſto verè Iſraelita prædicatur coram aliis abſentibus, ne vt dixi, ſiniſtram de eius aduentu opinionem conciperent.

Nathanael ne calumniator haberetur, Deus impedit.

Verè Iſraelita quis ſuerit.

CA-

CAPITIS OCTAVI

VERSVS XVI.

Et reuersa nunciauit bonum nuntium: & benedixerunt Dominum Raguel videlicet & Anna vxorius.

Vers. 17. *Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus.*

Vers. 18. *Fecisti enim nobis misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos.*

Vers. 19. *Misertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine plenius benedicere te, & sacrificium tibi laudis tuæ & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra.*

PARAPHRASIS.

Vers. 16. 17. 18. & 19. Ancilla exiliens gaudio dominis suis quid vidisset, retulit, & ipse Raguel & Anna gratias Deo pro illorum incolumitate retulerunt Deo Israel, quem coluerant parentes eorum, specialiter quòd ipsos exemerit ab infestatione dæmonij, quòd domum eorum multo tempore habuerat infestam, & funestarat septem maritorum morte. Optant autem nouis coniugibus gratiam, vt iuges Deo, & plenas laudes exsoluant, & sacrificijs prosequantur pacificis: vt Gentiles, qui ipsum Deum prius ignorabant, ex beneficiorum magnitudine cognoscant, & venerentur, tanquam vnicum Deum in vniuersa terra, spretis idolis, quorum nomina varia, & innumera monstra colebantur ab ijs, inter quos captiui degebant Raguel & Anna.

SECTIO SEPTIMA.

Quare Raguel & Anna hanc liberationem ab infestatione dæmonum soli Deo adscripserint; cùm certum sit ex cap. 7. Raguelem preces & lachrymas in illum finem effudisse?

1.

QVAM PRIMVM dignouerunt ex incolumitate nouorum coniugum Raguel & Anna, vereè excluſum esse hostem humani generis ab eorum ædibus, ne mortem amplius adferre posset inquilinis, illico confugiunt ad gratiarum actionem: *Benedicimus*, inquiunt, *te Domine Deus Israel*, *quia non contigit quemadmodum putabamus*, nullâ factâ mentione precum & lachrymarum. An nullius pretij preces & lachrymę iustorum apud Deum. Omninò. nam plurimùm valent, non solum ad iustorum conseruationem; sed etiam ad impiorum. Ob insignem Abrahæ pietatem, pepercit Deus Loth, & Abimelech, Genes. 19. &. 20. paratumque se declarat ob decem tantum iustos, omnibus Sodomitis, & Gomorrhæis, eorumque vicinis parcere, Genes. 8. Ob insignem Dauidis religionem, pepercit Salomoni, 3. Reg. 11. Propter Apostoli Pauli charitatem, ducentis naufragis animabus, Act. 28. Propter Moysis intercessionem, toti Israeli, Exod. 32. Propter offerentium fidem, Paralitico vtriusque hominis sanitatem præstitit, Matth. 9. Denique ipse inquit, Ezech. 22. *Quæsiui virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me, pro terra, ne dissiparem eam.*

Precum & lachrymarũ magnus valor apud Deum.

Cur ergo Deo Israel totum ascribunt Raguel & Anna? Non vna suppetit causa. Prima itaque sit, ne viderentur Gentium idolis gratias agere, quasi ijs illud beneficium maximum referrent acceptum. Hinc Deum Israel nominant, idque tam apertè, vt ipsæ etiam gentes audire potuerint. Hoc viris sanctis idcirco quasi legitimum erat in ore, *Deus cæli & terræ*, Sic Iudith. 6. cum Bethuliẽses intellexissent, quantopere prædicasset Achior Deum Israelitarum apud Holofernem, qui volebat solum Nabuchodonosorẽ esse Deum, ideoque eum alligasset prope Bethuliam, vt simul cum

2. *Cur Raguel totum Deo ascribat? 1. causa.*

cum Hebræis interiret, ſic preces ſuas exorſi ſunt: *Domine Deus cæli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem ſanctorum tuorum attende.* Cuius loci ſenſus eſt; Reſpice in populum tuum, quem de cunctis nationibus tibi ſegregaſti, & elegiſti ad cultum tuum, vt in eo inuocaretur nomen tuum. Et ſimile eſt quod in Completorio ex Ierem. 14. legimus: *Tu in nobis es Domine, & nomen tuum ſanctum inuocatum eſt ſuper nos; ne derelinquas nos Domine Deus noſter.* Regius Propheta ſic orabat: *Da gloriam nomini tuo; ne dicant gentes vbi eſt Deus eorum.*

3. *Deo tribuenda eſt omnis victoria.*

Alia cauſa erat, quia cognoſcebant Deo tribuendam omnem victoriam, ſi quam aſſequebantur. Hinc Abrahamo de bello cum victoria redeunti proceſſit obuius Melchiſedech, & benedicens dixit ei: *Benedictus Deus excelſus, quâ protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* Vnde & Abraham perſanctè iurauit nihil ſe de hoſtili præda accepturum, ne videlicet, victoriam ſibi attribuere videretur, quam Deo adſcribendam non dubitabat. Planiſſimè de hac re Chryſoſtomus hom. 45. in Gen. *Ego nihil ad bellum attuli præter voluntatem & promptitudinem: victoriam autem & triumphum operatus eſt Deus ineffabili virtute*, quaſi diceret, Non mihi debentur hæc munera, qui nihil egi, ſed Deo, qui totam victoriam reportauit. Samuel 1. Reg. 7. cùm plurimum oraſſet pro Iſraelitis, vt ſaluaret eos de manu Philiſtinorum, & obtuliſſet holocauſtum, & obtentâ victoriâ contra eoſdem, *tulit lapidem vnum, & poſuit eum inter Maſphat & Sen, & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij, dixitq;: Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus*, illi ſoli tribuens gloriam. Dauid recolens mirabilem victoriam Iſraelitarum in Ægyptios in mari rubro, plenis buccis exclamauit: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, Pſalm. 131.

4. *Sampſon quia ſibi arrogans victoriam de Philiſtæis, punitur.*

Ne miteris. Sampſon quia poſt victoriam neque aram Deo ſtatuit, neque hoſtiam immolauit, vt facere ſolebant, qui Deo de beneficio accepto gratulabantur, neque verba aliqua inſeruit ſuo cantico, quæ gratiarum actionem redolerent; ſed vincens Philiſtæos vnius maxillâ aſini, felicis pugnæ euentu intumuit, ſuperbè indè triumphans. Inaniter enim ſe iactabat, dicens: *In maxilla aſini deleui eos, & percuſſi mille viros*, Iudic 15. v. 16. Ab illo arrogantiæ vulnere conualeſcere non potuit, niſi aduerſitatis medicamine. Permiſit enim Deus, vt torqueretur ingenti ſiti: qua, vt docet Ambroſius, caſtigatus, victoriam, quam antea ſibi tribuit, poſteà Deo depurauit, dicens: *Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam.* Ibid. verſ. 18. Præclarè idem Ambroſius epiſt. 70. ad Vigilium: *Vtinam*, ait, *quàm fortis in hoſtem, tam moderatus in victoria fuiſſet. Verùm, quod facile vſu venit, inſolens rerum ſecundarum animus, qui debuit euentum pugnæ diuino fauori, & præſidio deferre, ſibi arrogauit.*

5. *Deus dimittit, vt ei victoria adſcribatur.*

Certè Dominus Deus tanti fecit ſibi adſcribi victoriam quamcumque, vt cæleſtibus præſidiis potius ſuos iuuaret, quàm humanis, ne ſi propriis viribus inimicos vincerent, ſuperbia vincerentur, ſibique tribuerent, quod à Deo acceperant. Sic olim cùm Ioſue aduerſus quinque Reges prælïaretur: *Dominus*, inquit textus, *miſit ſuper eos lapides magnos de cælo vſque ad Azeca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael.* Ioſ. 10. v. 11. Quod factum eſt, inquit Lyra, ne filij Iſrael ſibi victoriam adſcriberẽt: certo experimento cognoſcentes, eam potiùs Deo pro illis dimicanti tribuendam. Eódem ſpectarunt multa alia prodigia in fauorem Hebræorum à Deo edita, de quibus Dauid: *Multa feciſti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* Pſal. 39. v. 6. Quorum multitudinem D. Chryſoſtom. ad eum locum expendens: *Numerum*, inquit, *& omnem narrationem ſuperant miracula, quæ à tua potentia facta ſunt. Non eſt enim qui poſſit tibi facere ſimilia. Sunt enim pulcherrima, & maxima tua opera, Vincunt autem laudes humanas, ea, quæ adminiſtrantur à tua prouidentia; quæ in Ægypto, quæ in deſerto, quæ duce Moyſe, duce* IESV, *duce Samuele facta ſunt*, &c. Huius vltimi tempore, vt loquitur ſacer textus 1. Reg. 7. *intonuit Dominus fragore maximo in die illa ſuper Philiſtiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael.* Exterriti quidem per tonitrua magno fragore perſtrepentia; cæſi autem ſeu contriti per fulmina magno impetu faucianeia. Quæ miracula eò omnia ſpectabant, vt Hebræos contra externos hoſtes adiuuarent, & contra domeſtica vitia munirent: ne ſcilicet, hoſtilem potentiam vincentes, ab interna ſuperbia vincerentur: ſibi tribuentes, quod vni Deo acceptum referre oportebat.

Omnia Dei miracula ſuperant laudes humanas.

Deus aliquando infirmis vtitur inſtrumentis ne qua victoribus ſuperbia oriatur.

Atque ea cauſa eſt, cur ſæpè Deus infirmis admodum inſtrumentis magnas victorias operetur; ne aliqua inde ſuperbia victoribus ſuboriatur: ſed potiùs vnum Deum totius auctorem victoriæ fateantur. Quod egregiè, expendit, & pluribus exemplis illuſtrat Saluianus lib. 7. de prouidentia, aliquantulum poſt initium: *Per infirmos*, ait, *res acta eſt, ne opus cæleſtis dextera, virtuti aſſignetur humanæ, ſed diuinæ. Siquidem & dux Siſara, quem Hebræum timebat exercitus, à muliere proſtratus eſt. Et Abimelech ciuitatum expugnatorem feminea manu percuſſit. Et ferrata Aſſyriorum acies, viduâ opitulante ceciderunt. Et ne de ſolis feminis tacitum loquar, Benadab Regem Syriæ, cui præter innumera ſui populi millia, & triginta duos Reges, exercituſq; eiuſdem numeri ſeruiebant; nonne ideò à paucis Principum pediſſequis Dominus vinci voluit, vt, quis eſſet auctor talis victoriæ, noſce-*

Iudic. 4. 21.
Iudic. 9. 53.
Iudith 13.
4. Reg. 20.

noſceretur? Contra Madianitas quoque, qui inſtar locuſtarum, cuncta compleuerant; Gedeon iubetur pugnare cum paucis: non, quia plures in exercitu non haberet; ſed vetatur multos ad bellum ducere; ne multitudo ſibi poſſet aliquid de victoria vſurpare. Homini aduerſus innumera Barbarorum millia pugnaturo, trecentos tantùm viros Deus reliquit. In tam quippe exiguitatem redigi agmen militum iuſſit: vt *ſibi depatrato diuinitus opere pauciras vſurpare nihil poſſet.* Hactenus Saluianus. Igitur, ne Iſrael de ſuis viribus nimiùm intumeſceret, diuina illi, non humana præſidia conferuntur: vt non tàm ab his, quàm ab illis patratam victoriam Deo gratularetur.

Iudic. 4. 6.

Iſraeli ne ſuperbiat diuina auxilia conferuntur.

6. *Exempla Sanctorum, qui ſua merita & coronas Deo reſignant.*

Porrò Sancti omnes in hoc mundo merita ſua, eorumque coronas Deo obtulerunt, & reſignauerunt. Iſaias dicit cap. 26. verſ. 12. *Domine*, inquit, *dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis.* Ieremias cap. 17. v. 14. *Saluum me fac, & ſalua ero: quoniam laus mea tu es. Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideraui, tu ſcis.* Regius Propheta, Pſal. 15. v 5. *Dominus pars hereditatis meæ, tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi.* Porrò eius filius, & in regno ſucceſſor Salomon, 1. Paral. 29. *Tua*, inquit, *eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo ſunt & in terra, tua ſunt: tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tua diuitiæ, & tua eſt gloria, tu dominaris omnium: in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo & imperium omnium.*

Sic & beata Virgo: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum: quia fecit mihi magna, qui potẽs eſt, & ſanctum nomen eius.* Et Iudith occiſo Holoferne cap. 16. *Dominus conterens bella; Dominus nomen eſt illi.* Et Moyſes cum Hebræis tranſito mari rubro, & demerſo Pharaone Exod. 15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem &c.*

Sancta Agnes in flammis conſtituta, coronam virginitatis & martyrij Deo reſignauit, dicens: *Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini noſtri* IESV CHRISTI, *benedico te, quia per filium tuum vnigenitum euaſi manus hominum impiorum, & ſpurcitias diaboli impolluto calle tranſiui. Benedico te Pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te venire permittis.* ita refert S. Ambroſius lib. 4. epiſt. 34. Ita & beata Agatha cùm abſciſſionem mammillæ, carcerem, ignem, &c. viciſſet, *iam agens animam expanſis in cælum manibus: Domine,* ait, IESV CHRISTE, *magiſter bone gratias tibi ago, quia me feciſti vincere tormenta carnificum: iube me Domine ad te, quem ineffabiliter ſitio, & ad tuam immarceſſibilem gloriam feliciter perueniri.*

7. Huic rei magis incumbunt Sancti in cœlo. Hoc clariſſimè teſtatur Ioannes cap. 4. Apocalyp. vbi videt per oſtium apertum in cælo, Deum habitu Iaſpideo & ſardinio, in throno ſmaragdino reſidentem, ac inde amictum, & circumſedentes viginti quatuor ſenſores, id eſt, primarios ſanctos vtriuſque Teſtamenti, & quatuor animalia, id eſt, quatuor Angelos primarios ſtipatores, Principes, & adminiſtratores Dei circa curam Eccleſiæ, ac circa regimen hominum, totiuſque mundi, Deum aſſiduè laudantes ac dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*; ſine vlla intermiſſione. Primarij autem Sancti procidentes *adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes. Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

Sancti in cælo Deo ſuas coronas adſcribunt.

Enuclea hæc, mi Chriſtiane; Procidunt primò, & proiciunt in humum, quaſi oſculaturi terram; 2. Iuſtum & debitum latriæ cultum impendunt. 3. integram animi veritatem, ſinceritatem & gratitudinem, dum ſuas coronas, omnemque dignitatem exuũt, & quaſi ab ſe abdicant, atque Deo, quaſi vero earum Domino reſignant, & reddunt, tanquam regnum ſuum, quod in cælo adepti ſunt, victorias, triumphos, & coronas ſuas Deo acceptas ferentes: ſicuti Romani triumphatores conſcendebant Capitolium, & poſt triumphum coronas triumphales dicabant Ioui Capitolino, quaſi earum auctori, teſte Alexan. ab Alex. lib. 6. Genial. c. 6. Sic Pontifex in ſua tiara inſculptum habebat: *ſanctum Domino*, quaſi diceret, Omnis mea ſacerdotalis dignitas, omnis mea pontificalis conſecratio & ſanctitas, à Deo mihi obuenit: vnde publicè & iugiter profiteor, hanc meam ſanctitatem pontificiam non eſſe meam, ſed Dei; imò me ad hoc conſecratum eſſe Pontificem, vt iugiter Dei ſanctitatem quam in ſe habet, & mihi, ac per me aliis communicat, prædicem & celebrem. Denique imitantes primarios Angelos, dixerunt, *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem*, &c. quaſi dicerent, Dignus es Domine, qui ex ore noſtro, & omnium hominum & angelorum accipias confeſſionem & laudem tuæ immenſæ potentiæ & fortitudinis, quâ omnia creaſti, quaque nos, alioſque fideles nobis ſubditos, victores effeciſti: dignus es, vt hæc tua virtus & robur ab omnibus laudetur & celebretur. Rurſum ſub hac rádice Creationis de qua textus intelligunt ſimul opus recreationis, ſiue redemptionis, gratiæ & ſalutis. Ideò enim mittunt ſuas coronas ante thronum, quaſi ſua merita, & ſalutem Deo accepta ferentes, quaſi dicant: Tu Domine es creator & auctor omnium rerum,

8. *Triplex reuerentia geſtus.*

omnium

omnium bonorum tam naturalium, quàm supernaturalium; tibi ergo nostram gloriam debemus, tibi nos nostraque omnia offerimus & referimus, imò non nostra, sed tua tibi reddimus.

9. Vidéne, mi Christiane, quare dicant Raguel & Anna: *Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit, quemadmodum putabamus.* Lorinus v. 22. in Psal. 116. vertit, *merebamur*. Deo totum tribuunt sancti, sibi semper contumeliam & opprobrium. Sic Azarias Daniel. 3. dixit: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in secula*, &c. *quia in veritate, & in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra*, Et ipse Daniel cap. 9. orans pro liberatione Iudæorum è captiuitate Babylonica, inquit: *Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio, quia recessimus à te.* Pari modo peccatis suis stragem Antiochi, suamque in ea necem, & martyrum ascribunt septem fratres Machabæi, 2. Machab. 7. Et licet ipsi non tantum peccauerint, tamen publicas clades, suis suorumque peccatis ascribunt: quia videlicet ad cumulum peccatorum, ob quem Deus tam graues plagas immittit, aliquid cuiuisque etiam Sancti & Martyris peccata addunt & conferunt, licet parum id sit & exiguum. Sic Azarias nomine suo, & suorum ascribit persecutionem Nabuchodonosoris; Daniel captiuitatis Babylonicæ ad 70. annos afflictionem. Raguel hîc infestationem dæmonis, de oratione sua & merito prorsus silet, quasi illa nihil effecissent ad nouorum coniugum incolumitatem.

Deo omnia tribuunt sancti, sibi confusionem & opprobrium.

10. Nos verò miselli & mortales siquid egerimus præclari, id nobis ascribimus, nostramque gloriam vbique prædicamus. Hoc consilium à me est, bardis illis id numquam occurrisse: hoc prudentiæ meæ, istud meæ fuit vigilantiæ: Absque me negotium hoc nullum finem vidisset: est quod mihi agantur gratiæ, hoc ego effectum dedi: hoc quidem artis est, sed à me repertæ: officio meo, si quisquam alius, fungi scio; noui equidem neminem mihi in hoc genere parem: operam meam, fat scio, quanti desiderent. Est qui clamet: omnes voco gladiatores contra: Ille, & ego consiliarios omnes: Hic, & ego omnes Doctores: Iste, omnes ego torquatos equites: Alius, & ego cunctos voco artifices contra. O vanitas, ô somnia, ô quantum est in rebus inane! Amore inanis gloriæ quid inanius? Optimè Siracides Eccles. 34. de vanis hisce ostentatoribus: *Vana spes*, inquit, *& mendacium viro insipiato, & somnia extollunt imprudentes.* Omnis hominum laus, fauor, gratia, honor, commendatio, quid nisi ventus, aura, flatus, bulla, fumus, vanitas omnium somnium? Nam, *si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit*, ait Apostolus ad Galat. 6. Cùm exiguntur mella, fumo abiguntur apes. Fumus est vana gloria, quo sparso dæmon liquentia bonorum operum mella diripit, vt verè dixerit Basilius: *Odium, quo apes fumum prosequuntur; significat eos qui Deo mellificant, re nulla æquè offendi quàm humanarum laudum fumo.*

Reprehenduntur homines, qui sibi aliquid præclari ascribunt.

Nihil inanius vanâ gloriâ.

Plebs Israelitica Ægypto educta, impio cõsilio vitulum aureum quem fecit, pro Deo colendum proposuit cum acclamatione: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, Exod. 32. Vix aliud ab his faciunt, qui se ipsos suorum operum magistros, magnifico supercilio circumspiciunt, & siquid consilio, arte, industriâ efficiant, velut pro Diis haberi volunt. O idololatriæ! *Soli Deo honor, & gloria*, proclamat Paulus 1. Timot. 1. vers. 17. Soli Deo, soli, soli honor & gloria, omnis enim honor & gloria, quâ homines afficiuntur, solidè in Deum, vt in auctorem & vltimum finem referenda est: nostra est operum vtilitas, Dei est dignitas. Ridemus Nabuchodonosorem, qui sibi diuinum honorem in statua tribui volebat Daniel. 3. qui Iudith. 3. præ cæterat Holoferni omnes Deos exterminare, vt solus ipse diceretur Deus. Superbiam Sennacherib detestamur, gloriantis Deos Gentium sibi non potuisse resistere, & illis æquiparantis Deum Israel, 4. Reg. 18. Darij Regis audaciam contemnimus, qua Daniel. 6. instigantibus Satrapis, edixit, ne quis peteret quid à Deo vel ab homine spatio 30. dierum, nisi ab ipso solo, quòd sic crudeli modo se Deum significarit. Intolerabile iudicamus Ethnicos Romanos, plures Imperatores suos, in Deos retulisse: & ipsi quotidie hoc opere præstamus, omni infante infantiores. Sicut enim pueri tam se alios credunt in nouis vestibus, vt sibi persuadeant, notissimos etiam oculos ab ornatu suo decipi: ita nos quinquaginta aut centum annorum pueri, rebus etiam minimis ac vilissimis ambitionem induimus. Ille se iactat, quòd cæremoniam venustiùs adhibeat, iste quod cibos elegãtiùs carpat, hic quod aliis erectior incedat. infinita sunt ostentationum genera.

Ambitiosi infantibus similes.

11. Et quod peius est, Siquid boni à Deo obtinuimus, nostris meritis id libertimè adscribimus: mea oratio, meæ preces, meæ lachrymæ valuerunt ab hoc malo nos liberare. Non sic Raguel, non sic Anna; sed recognoscentes omne quod habet homo, esse à Deo, & Deum sua merita in nobis coronare, nullam precum & lachrymarum mentionem facientes, apertissimè profitentur: *Benedicimus te Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & eclusisti à nobis inimicum persequentem nos.* Ne miseris:

Nihil ab idolatra differt, qui sibi sua adscribit non Deo.

retis: Graue enim eſt hoc peccatum, & idololatriæ proximum. Palam hoc edicit Iob c. 31. verſ. 25. *Si lætatus ſum*, inquit, *ſuper multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi Solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Cùm videtem, inquit, domum meam illuſtrari die à ſolaribus radijs, & à lunæ ſplendore collucere nocte, id eſt, domum meam omnibus abundare copijs, & ornamentis maximis eſſe conſpicuam, felicitatem illam Deo bonorum omnium largitori, non ſol rtiæ meæ, & manibus attribui. Neque illas ideò impreſſo oſculo pro Deo veneratus ſum, mihi ipſi tacitè aſſentatus, & gaudens. Quæ ſanè intolerabilis impietas eſt, quæ veram religionem impudenter abiurat. Bernard. ſerm. 28. in Cant. citans hæc verba Iob, inquit: *Quod tunc fieri arbitror, cùm donum Dei, non Deo, ſed meritis aſcribitur actionum.* Et ſerm. 4. in Cant. *Si in te*, inquit, *& non magis in Domino gloriaris; propriam profectò, & non Domini manum oſculari conuinceris: quod iuxta beati Iobi ſententiam & iniquitas maxima, & negatio in Deum.*

12. *Idumæi manum venerari ſoliti, & quare?*

Ad clariorem intelligentiam nota, Gentiles ſolitos manum venerari, aut colere, quaſi ſingulare aliquod beneficium ab illa accepe-rint. Quod cùm commune fuerit omnibus ferè Gentibus, quibus oſculum, amoris & adorationis genus eſt: tamen videtur Idumæis fuiſſe magis familiare. Gens enim erat vaniſſima, quæque putabat habere à ſe contra omnes inimicorum machinas præſidij ſatis, vt docet Hieremias cap. 49. cùm ait: *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis: cùm exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detrahem te dicit Dominus.* quaſi dicat. Arrogantia tua, & inflatus ſpiritus ſeduxit te, & tot te calamitatibus implicuit: nam tum belluarum more in cauernis habites, terræque voraginibus, ſic tu te inſolenter effers, vt ſumma appetas montium faſtigia, & locum tibi deberi principem putes. Si in altum aſcenderis, & ſicut aquila in rupibus nidum tibi conſtruxeris, inde te ad infima deiiciam. Et Abdias, qui verſ. 3. ſic ad Idumæum populum: *Qui dicis in corde tuo; Quis detrahet me in terram?* Barbaros porrò, & arrogantes populos ſuas manus aut gladios, aut quid aliud habuerunt ſuæ felicitatis inſtrumentum pro Dijs coluiſſe, patet Habacuc. 1. vbi non aliter reti ſuo, ſeu ſagenæ diuinos attribuit honores Nabuchodonoſor, quam alij aut dexteræ, aut gladio: *Propterea*, inquit Vates, *immolabit ſagenæ, & ſacrificabit reti ſuo*: id eſt, tanquam Deo ijs immolabit, quia tantum in ſeipſo virtutis habere videbatur, vt ex-

Inſtrumenta victoriæ aut ſucceſſus felices aliquibus pro Dijs habita.

terno, aut etiam diuino non egeret auxilio. Et ſanè multos ſuis armis honores diuinos impendiſſe, non ſolùm in fabulis, ſed etiam in hiſtorijs veris inuenimus. Mezentius, & Capaneus præter ſuum robur, nullum aliud numen agnoſcebant. Cæneus haſtam ſuam inter Deos numerari iuſſit, & per illam concipi iuramentum; vnde prouerbium, *Canei haſta*. Apud Plutarchum in Pelopida Alexander tyrannus haſtam, qua Polyphronem interfecerat, ſacram habuit, coronis ornauit; & tanquam Deus eſſet, illam ſacrificijs, id eſt, diuinis honoribus, proſecutus eſt. Ad hunc ego modum arbitror Chaldæorum regem ſuæ ſacrificaſſe ſagenæ, id eſt, ſuis armis, quæ in metaphora piſcatoris, in ſagena & reti ſignificantur. Eſt itaque ſenſus verborum Iob: Non ita gauiſus ſum ſuper multis diuitiis, quaſi de illarum comparatione mihi ipſi, ac manui meæ gratularer, & manum meam oſculatus honores illi quodammodo diuinos impenderem. Huc tendit explicatio Olympiodori, qui ſic loquitur: *Sæpenumero nonnulli cum ſua facta eſſerunt, manus oſculantur ſuas.* Nilus; *Cur igitur ſpe à Deo ſeiuncti carne brachij ſuſtentamur, diuinamq; prouidentiam noſtris manibus metimur: & ſtatim: Multorum enim hic mos eſt manibus ſuis ſuauium dare; vt quidquid in his opis, facultatiſue eſt, à ſe ipſis habere teſtentur.* Auguſtinus in annotation. in Iob: *Si lætatus ſum cùm eſſet mihi cenſus multus, quaſi de meo, vt qui gloriatur in Domino glorietur.* & ſtatim: *Quod ſi oſculatus ſum manum meam ponens ad os meum: grauiſſimum ſum quaſi de operibus meis.* Ach indignum æſtimans hominem fidelem aliquid ſibi tribuere, cùm id ſit infidelium quibus aſſimulantur, qui ſuis votis, precibus, lachrymis, induſtriæ, artificio ſic proſpera omnia attribuunt, quaſi nihil Deo deberent.

13. *Nulla in re gloriandum;*

Longè hinc abducit Hieremias Vates cap. 9. *Non glorietur*, inquit, *ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in diuitijs ſuis.* Perſuaſerant ſibi Iudæi, ſatis ſibi paratum eſſe præſidij, quia homines habebant ſapientes, quorum conſilio tes adminiſtraretur bellica, & viros ſtrenuos, ac fortes, quos in aciem producerent, & Chaldæorum viribus, & caſtris opponerent; ac denique ſatis ſibi diuitiarum ſuppetere, vt externum militem conducerent. Quorum ſtultam cogitationem Dominus coarguit, oſtenditque à ſe ſolum ſperandum ſubſidium: reliqua, quæ comparare poteſt hominum induſtria, eſſe prorſus inania; vnde addit Propheta: *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me: quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra*; quaſi dicat: Glorietur potius in eo, quod verè cognoſcunt me, ea nempe cognitione, quæ ipſos meis præceptis obſequentes facit.

Omne præſidium à Deo exſpectandum.

Mauden in Tobiam.

omnium bonorum tam naturalium, quàm supernaturalium; tibi ergo nostram gloriam debemus, tibi nos nostraque omnia offerimus & referimus, imò non nostra, sed tua tibi reddimus.

9. Videsne, mi Christiane, quare dicant Raguel & Anna: *Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit, quemadmodum putabamus.* Lorinus v. 22. in Psal. 116. vertit, *merebamur.* Deo totum tribuunt sancti, sibi semper confusionem & opprobrium. Sic Azarias Daniel. 3. dixit: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & Laudabile, & glorioſum nomen tuum in ſecula*, &c. *quia in veritate, & in iudicio induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra*, Et ipse Daniel cap. 9. orans pro liberatione Iudæorum è captiuitate Babylonica, inquit: *Domine nobis confuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, patribus noſtris, qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te.* Pari modo peccatis suis stragem Antiochi, suamque in ea necem, & martyrium ascribunt septem fratres Machabæi, 2. Machab. 7. Et licet ipsi non tantum peccauerint, tamen publicas clades, suis suorumque peccatis ascribunt: quia videlicet ad cumulum peccatorum, ob quem Deus tam graues plagas immittit, aliquid cumulque etiam Sancti & Martyris peccata addunt & conferunt, licet parum id sit & exiguum. Sic Azarias nomine suo, & suorum ascribit persecutionem Nabuchodonoſoris; Daniel captiuitatis Babylonicæ ad 70. annos afflictionem. Raguel hîc infestationem dæmonis, de oratione sua & merito prorsus silet, quasi illa nihil effecissent ad nouorum coniugum incolumitatem.

Deo omnia tribuunt ſancti, ſibi confuſionem & opprobrium.

10. Nos verò miselli & mortales liquid egerimus præclari, id nobis ascribimus, nostramque gloriam vbique prædicamus. Hoc consilium à me est, bardis illis id numquam occurrisset: hoc prudentiæ meæ, istud meæ fuit vigilantiæ: Absque me negotium hoc nullum finem vidisset: est quod mihi agantur gratiæ, hoc ego effectum dedi: hoc quidem artis est, sed à me repertæ: officio meo, si quisquam alius, fungi scio; noui equidem neminem mihi in hoc genere parem: operam meam, si scio, quanti deliderent. Est qui clamet: omnes voco gladiatores contra: Ille, & ego consiliarios omnes: Hic, & ego omnes Doctores: Iste, omnes ego torquatos equites: Alius, & ego cunctos voco artifices contra. O vanitas, ô somnia, ô quantum est in rebus inane! Amore inanis gloriæ quid inanius? Optimè Siracides Eccles. 34. de vanissimis ostentatoribus: *Vana ſpes*, inquit, *& mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes.* Omnis hominum laus, fauor, gratia, honor, commendatio, quid nisi ventus, aura, flatus, bulla, fumus, vanitas merum somnium? Nam *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*, ait Apostolus ad Galat. 6. Cùm exiguntur mella, fumo abiguntur apes. Fumus est vana gloria, quo sparso dæmon liquentia bonorum operum mella diripit, vt verè dixerit Basilius: *Odium, quo apes fumum proſequuntur; ſignificat eos qui Deo melliſicant, re nulla æquè offendi quàm humanarum laudum fumo.*

Reprehendantur homines, qui ſibi aliquid præclari aſcribunt.

Nihil inanius vanâ gloriâ.

Ambitioſi infantibus ſimiles.

Plebs Israelitica Ægypto educta, impio cõsilio vitulum aureum quem fecit, pro Deo colendum proposuit cum acclamatione: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Exod. 32. Vix aliud ab his faciunt, qui se ipsos suorum operum magistros, magnifico supercilio circumspiciunt, & siquid consilio, arte, industriâ efficiant, velut pro Diis haberi volunt. O idololatriæ! *Soli Deo honor, & gloria*, proclamat Paulus 1. Timot. 1. vers. 17. Soli Deo, soli, soli honor & gloria, omnis enim honor & gloria, quâ homines afficiuntur, solidè in Deum, vt in auctorem & vltimum finem referenda est: nostra est operum vtilitas, Dei est dignitas. Ridemus Nabuchodonoſorem, qui sibi diuinum honorem in statua tribui volebat Daniel. 3. qui Iudith. 3. præ eperat Holoferni omnes Deos exterminare, vt solus ipse diceretur Deus. Superbiam Sennacherib detestamur, gloriantis Deos Gentium sibi non potuisse resistere, & illis æquiparantis Deum Israel, 4. Reg. 18. Darij Regis audaciam contemnimus, qua Daniel. 6. instigantibus Satrapis, edixit, ne quis peteret quid à Deo vel ab homine spatio 30. dierum, nisi ab ipso solo, quòd sic crudeli modo se Deum significaret. Intolerabile iudicamus Ethnicos Romanos, plures Imperatores suos, in Deos retulisse; & ipsi quotidie hoc opere præstamus, omni infante infantiores. Sicut enim pueri tam se alios credunt in nouis vestibus, vt sibi persuadeant, notissimos etiam oculos ab ornatu suo decipi: ita nos quinquaginta aut centum annorum pueri, rebus etiam minimis ac vilissimis ambitionem induimus. Ille se iactat, quòd cæremoniam venustiùs adhibeat, iste quod cibos elegãtiùs carpat, hic quod aliis erectior incedat. infinita sunt ostentationum genera.

11. Et quod peius est, Siquid boni à Deo obtinuimus, nostris meritis id libertimè adscribimus: mea oratio, meæ preces, meæ lachrymæ valuerunt ab hoc malo nos liberare. Non sic Raguel, non sic Anna; sed recognoscentes omne quod habet homo, esse à Deo, & Deum sua merita in nobis coronare, nullam precum & lachrymarum mentionem facientes, apertissimè profitentur: *Benedicimus te Deus Iſrael, quia non contigit quemadmodum putabamus. Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & exclusiſti à nobis inimicum perſequentem nos.* Ne miseris:

Nihil ab idololatra differt, qui ſibi ſua adſcribit non Deo.

reris: Graue enim eſt hoc peccatum, & idololatriæ proximum. Palam hoc edicit Iob c. 31. verſ. 25. *Si lætatus ſum*, inquit, *ſuper multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi Solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Cùm videlicet, inquit, domum meam illuſtrari die à ſolaribus radijs, & à lunæ ſplendore collucere nocte, id eſt, domum meam omnibus abundare copijs, & ornamentis maximis eſſe conſpicuam, felicitatem illam Deo bonorum omnium largitori, non ſolertiæ meæ, & manibus attribui. Neque illas ideò impreſſo oſculo pro Deo veneratus ſum, mihi ipſi tacitè aſſentatus, & gaudens. Quæ ſanè intolerabilis impietas eſt, quæ veram religionem impudenter abiurat. Bernard. ſerm. 28. in Cant. citans hæc verba Iob, inquit: *Quod tunc fieri arbitror, cùm domum Dei, non Deo, ſed meritis adſcribitur actionum.* Et ſerm. 4. in Cant. *Si in te*, inquit, *& non magis in Domino gloriaris; propriam profectò, & non Domini manum oſculari conuinceris: quod iuxta beati Iobi ſententiam & iniquitas maxima, & negatio in Deum.*

12. *Idumæi manum venerati, & quare?*

Ad clariorem intelligentiam nota, Gentiles ſolitos manum venerari, aut colere, quaſi ſingulare aliquod beneficium ab illa accepe-rint. Quod cùm commune fuerit omnibus ferè Gentibus, quibus oſculum, amoris & adorationis genus eſt: tamen videtur Idumæis fuiſſe magis familiare. Gens enim erat vaniſſima, quæque putabat habere à ſe contra omnes inimicorum machinas præſidij ſatis, vt docet Hieremias cap. 49. cùm ait: *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis: cùm exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detrahàm te dicit Dominus.* quaſi dicat. Arrogantia tua, & inflatus ſpiritus ſeduxit te, & tot te calamitatibus implicuit: nam tum belluarum more in cauernis habites, terræque voraginibus, ſic tu te inſolenter effers, vt ſumma appetas montium faſtigia, & locum tibi deberi principem putes. Si in altum aſcenderis, & ſicut aquila in rupibus nidum tibi conſtruxeris, inde te ad infima deiiciam. Et Abdias, qui verſ. 3. ſic ad Idumæum populum: *Qui dicis in corde tuo; Quis detrahet me in terram?* Barbaros porrò, & arrogantes populos ſuas manus aut gladios, aut ſiquid aliud habuerunt ſuæ felicitatis inſtrumentum pro Dijs coluiſſe, patet Habacuc. 1. vbi non aliter reti ſuo, ſeu ſagenæ diuinos attribuit honores Nabuchodonoſor, quam alij aut dexteræ, aut gladio: *Propterea*, inquit Vates, *immolabit ſagenæ, & ſacrificabit reti ſuo*: id eſt, tanquam Deo iis immolabit, quia tantum in ſeipſo virtutis habere videbatur, vt ex-

Inſtrumenta militaria aut ſucceſſus felices aliquibus pro Dijs habita.

terno, aut etiam diuino non egeret auxilio. Etſanè multos ſuis armis honores diuinos impendiſſe, non ſolùm in fabulis, ſed etiam in hiſtoriis veris inuenimus. Mezentius, & Capaneus præter ſuum robur, nullum aliud numen agnoſcebant. Cæneus haſtam ſuam inter Deos numerari iuſſit, & per illam concipi iuramentum; vnde prouerbium, *Canei haſta.* Apud Plutarchum in Pelopida Alexander tyrannus haſtam, qua Polyphronem interfecerat, ſacram habuit, coronis ornauit, & tanquam Deus eſſet, illam ſacrificijs, id eſt, diuinis honoribus, proſecutus eſt. Ad hunc ego modum arbitror Chaldæorum regem ſuæ ſacrificaſſe ſagenæ, id eſt, ſuis armis, quæ in metaphora piſcatoris, in ſagena & reti ſignificantur. Eſt itaque ſenſus verborum Iob: Non ita gauiſus ſum ſuper multis diuitiis, quaſi de illarum comparatione mihi ipſi, ac manui meæ gratularer, & manum meam oſculatus honores illi quodammodo diuinos impenderem. Huc tendit explicatio Olympiodori, qui ſic loquitur: *Sæpenumero nonnulli cum ſua facta efferunt, manus oſculantur ſuas.* Nilus; *Cur igitur ſpe à Deo ſeiuncti carne brachij ſuſtentamur, diuinamq; prouidentiam noſtris manibus metimur: & ſtatim: Multorum enim hic mos eſt manibus ſuis ſuauium dare; vt quidquid in hac opis, facultatisue eſt, à ſe ipſis habere teſtentur.* Auguſtinus in annotation. in Iob: *Si lætatus ſum cùm eſſet mihi cenſus multus, quaſi de meo, vt qui gloriatur in Domino glorietur.* & ſtatim: *Quod ſi oſculatus ſum manum meam ponens ad os meum: gauiſus ſum quaſi de operibus meis.* Ach indignum æſtimans hominem fidelem aliquid ſibi tribuere, cùm id ſit infidelium quibus aſſimulantur, qui ſuis votis, precibus, lachrymis, induſtriæ, artificio ſic proſpera omnia attribuunt, quaſi nihil Deo deberent.

13. *Nulla in re gloriandum;*

Longè hinc abducit Hieremias Vates cap. 9. *Non glorietur*, inquit, *ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in diuitijs ſuis.* Perſuaſerant ſibi Iudæi, ſatis ſibi paratum eſſe præſidij, quia homines habebant ſapientes, quorum conſilio res adminiſtraretur bellica, & viros ſtrenuos, ac fortes, quos in aciem producerent, & Chaldæorum viribus, & caſtris opponerent; ac denique ſatis ſibi diuitiarum ſuppetere, vt externum militem conducerent. Quorum ſtultam cogitationem Dominus coarguit, oſtenditque à ſe ſolum ſperandum ſubſidium: reliqua, quæ comparare poteſt hominum induſtria, eſſe prorſus inania; vnde addit Propheta: *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me: quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra* quaſi dicat: Glorietur potius in eo, quod verè cognoſcunt me, ea nempe cognitione, quæ ipſos meis præceptis obſequentes facit.

Omne præſidium à Deo exſpectandum.

Mauden in Tobiam.

omnium bonorum tam naturalium, quàm supernaturalium; tibi ergo nostram gloriam debemus, tibi nos nostraque omnia offerimus & referimus, imò non nostra, sed tua tibi reddimus.

9. Vidéne, mi Christiane, quare dicant Raguel & Anna: *Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit, quemadmodum putabamus.* Lorinus v. 22. in Psal. 116. vertit, *meritabamur*. Deo totum tribuunt sancti, sibi semper confusionem & opprobrium. Sic Azarias Daniel. 3. dixit: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & Laudabile, & glorioſum nomen tuum in ſecula*, &c. *quia in veritate, & in iudicio induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra*, Et ipse Daniel cap. 9. orans pro liberatione Iudæorum è captiuitate Babylonica, inquit: *Domine nobis confuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, patribus noſtris, qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te.* Pari modo peccatis suis stragem Antiochi, suamque in ea necem, & martyrium ascribunt septem fratres Machabæi, 2. Machab. 7. Et licet ipsi non tantum peccauerint, tamen publicas clades, suis suorumque peccatis ascribunt: quia videlicet ad cumulum peccatorum, ob quem Deus tam graues plagas immittit, aliquid cuiusque etiam Sancti & Martyris peccata addunt & conferunt, licet parum id sit & exiguum. Sic Azarias nomine suo, & suorum ascribit persecutionem Nabuchodonosoris; Daniel captiuitatis Babylonicæ ad 70. annos afflictionem. Raguel hîc infestationem dæmonis, de oratione sua & merito prorsus silet, quasi illa nihil effecissent ad nouorum coniugum incolumitatem.

Deo omnia tribuunt ſancti, ſibi confuſionem & opprobrium.

10. Nos verò miselli & mortales si quid egerimus præclari, id nobis ascribimus, nostramque gloriam vbique prædicamus. Hoc consilium à me est, bardis illis id numquam occurrisset: hoc prudentiæ meæ, istud meæ fuit vigilantiæ: Absque me negotium hoc nullum finem vidisset: est quod mihi agantur gratiæ, hoc ego effectum dedi: hoc quidem artis est, sed à me repertæ: officio meo, si quisquam alius, fungi scio: noui equidem neminem mihi in hoc genere parem: operam meam, fat scio, quanti desiderent. Est qui clamet: omnes voco gladiatores contra: Ille, & ego consiliarios omnes: Hic, & ego omnes Doctores: Iste, omnes ego torquatos equites: Alius, & ego cunctos voco artifices contra. O vanitas, ô somnia, ô quantum est in rebus inane! Amore inanis gloriæ quid inanius? Optimè Siracides Eccles. 34. de vanissimis ostentatoribus: *Vana ſpes*, inquit, *& mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes.* Omnis hominum laus, fauor, gratia, honor, commendatio, quid nisi ventus, aura, flatus, bulla, fumus, vanitas merum somnium? Nam, *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*, ait Apostolus ad Galat. 6. Cùm exiguntur mella, fumo abiguntur apes. Fumus est vana gloria, quo sparso dæmon liquentia bonorum operum mella diripit, vt verè dixerit Basilius: *Odium, quo apes fumum proſequuntur; ſignificat eos qui Deo melliſicant, re nulla æquè offendi quàm humanarum laudum fumo.*

Reprehendantur homines, qui ſibi aliquid præclari aſcribunt.

Nihil inanius vanâ gloriâ.

Plebs Israelitica Ægypto educta, impio cõsilio vitulum aureum quem fecit, pro Deo colendum proposuit cum acclamatione: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, Exod. 32. Vix aliud ab his faciunt, qui se ipsos suorum operum magistros, magnifico supercilio circumspiciunt, & siquid consilio, arte, industriâ efficiant, velut pro Diis haberi volunt. O idololatræ! *Soli Deo honor, & gloria*, proclamat Paulus 1. Timot. 1. vers. 17. Soli Deo, soli, soli honor & gloria, omnis enim honor & gloria, quâ homines afficiuntur, solidè in Deum, vt in auctorem & vltimum finem referenda est: nostra est operum vtilitas, Dei est dignitas. Ridemus Nabuchodonosorem, qui sibi diuinum honorem in statua tribui volebat Daniel. 3. qui Iudith. 3. præ eperat Holoferni omnes Deos exterminare, vt solus ipse diceretur Deus. Superbiam Sennacherib detestamur, gloriantis Deos Gentium sibi non potuisse resistere, & illis æquiparantis Deum Israel, 4. Reg. 18. Darij Regis audaciam contemnimus, qua Daniel. 6. instigantibus Satrapis, edixit, ne quis peteret quid à Deo vel ab homine spatio 30. dierum, nisi ab ipso solo, quòd sic crudeli modo se Deum significarit. Intolerabile iudicamus Ethnicos Romanos, plures Imperatores suos, in Deos retulisse: & ipsi quotidie hoc opere præstamus, omni infante infantiores. Sicut enim pueri tam se alios credunt in nouis vestibus, vt sibi persuadeant, notissimos etiam oculos ab ornatu suo decipi: ita nos quinquaginta aut centum annorum pueri, rebus etiam minimis ac vilissimis ambitionem induimus. Ille se iactat, quòd cæremoniam venustiùs adhibeat, iste quod cibos elegãtiùs carpat, hic quod aliis erectior incedat. infinita sunt ostentationum genera.

Ambitioſi infantibus ſimiles.

11. Et quod peius est, Si quid boni à Deo obtinuimus, nostris meritis id libentissimè adscribimus: mea oratio, meæ preces, meæ lachrymæ valuerunt ab hoc malo nos liberare. Non sic Raguel, non sic Anna; sed recognoscentes omne quod habet homo, esse à Deo, & Deum sua merita in nobis coronare, nullam precum & lachrymarum mentionem facientes, apertissimè profitentur: *Benedicimus te Deus Iſrael, quia non contigit quemadmodum putabamus. Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & exclusiſti à nobis inimicum perſequentem nos.* Ne miseris

Nihil ab idololatra differt, qui ſibi ſua adſcribit non Deo.

retis: Graue enim eſt hoc peccatum, & idololatriæ proximum. Palam hoc edicit Iob c. 31. verſ. 25. *Si lætatus ſum*, inquit, *ſuper multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi Solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Cùm videlicet, inquit, domum meam illuſtrari die à ſolaribus radijs, & à lunæ ſplendore collucere nocte, id eſt, domum meam omnibus abundare copijs, & ornamentis maximis eſſe conſpicuam, felicitatem illam Deo bonorum omnium largitori, non ſortiæ meæ, & manibus attribui. Neque illas ideò impreſſo oſculo pro Deo veneratus ſum, mihi ipſi tacitè aſſentatus, & gaudens. Quæ ſanè intolerabilis impietas eſt, quæ veram religionem impudenter abiurat. Bernard. ſerm. 28. in Cant. citans hæc verba Iob, inquit: *Quod tunc fieri arbitror, cùm donum Dei, non Deo, ſed meritis adſcribitur actionum.* Et ſerm. 4. in Cant. *Si in te*, inquit, *& non magis in Domino gloriaris; propriam profectò, & non Domini manum oſculari conniceris: quod iuxta beati Iobi ſententiam & iniquitas maxima, & negatio in Deum.*

12. *Idumæi manum venerati ſoliti, & quare?*

Ad clariorem intelligentiam nota, Gentiles ſolitos manum venerari, aut colere, quaſi ſingulare aliquod beneficium ab illa acceperint. Quod cùm commune fuerit omnibus ferè Gentibus, quibus oſculum, amoris & adorationis genus eſt: tamen videtur Idumæis fuiſſe magis familiare. Gens enim erat vaniſſima, quæque putabat habere à ſe contra omnes inimicorum machinas præſidij ſatis, vt docet Hieremias cap. 49. cùm ait: *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis: cùm exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detrahàm te dicit Dominus.* quaſi dicat. Arrogantia tua, & inflatus ſpiritus ſeduxit te, & tot te calamitatibus implicuit: nam tum belluarum more in cauernis habites, terræque voraginibus, ſic tu te inſolenter effers, vt ſumma appetas montium faſtigia, & locum tibi deberi principem putes. Si in altum aſcenderis, & ſicut aquila in rupibus nidum tibi conſtruxeris, inde te ad infima deiiciam. Et Abdias, qui verſ. 3. ſic ad Idumæum populum: *Qui dicis in corde tuo; Quis detrahet me in terram?* Barbaros porrò, & arrogantes populos ſuas manus aut gladios, aut ſiquid aliud habuerunt ſuæ felicitatis inſtrumentum pro Dijs coluiſſe, patet Habacuc. 1. vbi non aliter reti ſuo, ſeu ſagenæ diuinos attribuit honores Nabuchodonoſor, quam alij aut dexteræ, aut gladio: *Propterea*, inquit Vates, *immolabit ſagenis, & ſacrificabit reti ſuo*: id eſt, tanquam Deo ijs immolabit, quia tantum in ſeipſo virtutis habere videbatur, vt ex-

Inſtrumenta victoriæ aut ſucceſſus felicis aliquibus pro Dijs habita.

terno, aut etiam diuino non egeret auxilio. Et ſanè multos ſuis armis honores diuinos impendiſſe, non ſolùm in fabulis, ſed etiam in hiſtorijs veris inuenimus. Mezentius, & Capaneus præter ſuum robur, nullum aliud numen agnoſcebant. Cæneus haſtam ſuam inter Deos numerari iuſſit, & per illam concipi iuramentum; vnde prouerbium, *Canei haſta.* Apud Plutarchum in Pelopida Alexander tyrannus haſtam, qua Polyphronem interfecerat, ſacram habuit, coronis ornauit, & tanquam Deus eſſet, illam ſacrificijs, id eſt, diuinis honoribus, proſecutus eſt. Ad hunc ego modum arbitror Chaldæorum regem ſuæ ſacrificaſſe ſagenæ, id eſt, ſuis armis, quæ in metaphora piſcatoris, in ſagena & reti ſignificantur. Eſt itaque ſenſus verborum Iob: Non ita gauiſus ſum ſuper multis diuitiis, quaſi de illarum comparatione mihi ipſi, ac manui meæ gratularer, & manum meam oſculatus honores illi quodammodo diuinos impenderem. Huc tendit explicatio Olympiodori, qui ſic loquitur: *Sæpenumero nonnulli cum ſua facta efferunt, manus oſculantur ſuas.* Nilus; *Cur igitur ſpe à Deo ſeiuncti carne brachij ſuſtentamur, diuinamq; prouidentiam noſtris manibus metimur: & ſtatim: Multorum enim hic mos eſt manibus ſuis ſuauium dare; vt quidquid in hoc opus, facultatiſue eſt, à ſe ipſis habere teſtentur.* Auguſtinus in annotation. in Iob: *Si lætatus ſum cùm eſſet mihi cenſus multus, quaſi de meo, vt qui gloriatur in Domino glorietur.* & ſtatim: *Quod ſi oſculatus ſum manum meam ponens ad os meum: gauiſus ſum quaſi de operibus meis.* Ach indignum æſtimans hominem fidelem aliquid ſibi tribuere, cùm id ſit infidelium quibus aſſimulantur, qui ſuis votis, precibus, lachrymis, induſtriæ, artificio ſic proſpera omnia attribuunt, quaſi nihil Deo deberent.

13. *Nulla in rebus gloriandum;*

Longè hinc abducit Hieremias Vates cap. 9. *Non glorietur*, inquit, *ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in diuitijs ſuis.* Perſuaſerant ſibi Iudæi, ſatis ſibi paratum eſſe præſidij, quia homines habebant ſapientes, quorum conſilio res adminiſtraretur bellica, & viros ſtrenuos, ac fortes, quos in aciem producerent, & Chaldæorum viribus, & caſtris opponerent; ac denique ſatis ſibi diuitiarum ſuppetere, vt externum militem conducerent. Quorum ſtultam cogitationem Dominus coarguit, oſtenditque à ſe ſolum ſperandum ſubſidium: reliqua, quæ comparare poteſt hominum induſtria, eſſe prorſus inania; vnde addit Prophera: *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me: quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra* quaſi dicat: Glorietur potius in eo, quod verè cognoſcunt me, ea nempe cognitione, quæ ipſos meis præceptis obſequentes facit.

Omnis præſidium à Deo exſpectandum.

omnium bonorum tam naturalium, quàm supernaturalium; tibi ergo nostram gloriam debemus, tibi nos nostraque omnia offerimus & referimus, imò non nostra, sed tua tibi reddimus.

9. Vidéne, mi Christiane, quare dicant Raguel & Anna: *Benedictus es Domine Deus Israel, quia non contigit, quemadmodum putabamus.* Lorinus v. 22. in Psal. 116. vertit, *merebamur.* Deo totum tribuunt sancti, sibi semper confusionem & opprobrium. Sic Azarias Daniel. 3. dixit: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in ſecula*, &c. *quia in veritate, & in iudicio induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra*, Et ipſe Daniel cap. 9. orans pro liberatione Iudæorum è captiuitate Babylonica, inquit: *Domine nobis confuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, patribus noſtris, qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te.* Pari modo peccatis suis stragem Antiochi, saamque in ea necem, & martyrium ascribunt septem fratres Machabæi, 2. Machab. 7. Et licet ipsi non tantum peccauerint, tamen publicas clades, suis suorumque peccatis ascribunt: quia videlicet ad cumulum peccatorum, ob quem Deus tam graues plagas immittit, aliquid cuiuisque etiam Sancti & Martyris peccata addunt & conferunt, licet parum id sit & exiguum. Sic Azarias nomine suo, & suorum ascribit persecutionem Nabuchodonosoris; Daniel captiuitatis Babylonicæ ad 70. annos afflictionem. Raguel hîc infestationem dæmonis, de oratione sua & merito prorsus silet, quasi illa nihil effecissent ad nouorum coniugum incolumitatem.

Deo omnia tribuunt sancti, sibi confuſionem & opprobrium.

10. Nos verò miselli & mortales siquid egerimus præclari, id nobis ascribimus, nostramque gloriam vbique prædicamus. Hoc consilium à me est, bardis illis id numquam occurrisse: hoc prudentiæ meæ, istud meæ fuit vigilantiæ: Absque me negotium hoc nullum finem vidisset: est quod mihi agantur gratiæ, hoc ego effectum dedi: hoc quidem artis est, sed à me repertæ: officio meo, si quisquam alius, fungi scio: noui equidem neminem mihi in hoc genere parem: operam meam, fac scio, quanti desiderent. Est qui clamet: omnes voco gladiatores contra: Ille, & ego consiliarios omnes: Hic, & ego omnes Doctores: Iste, omnes ego torquatos equites: Alius, & ego cunctos voco artifices contra. O vanitas, ô somnia, ô quantum est in rebus inane! Amore inanis gloriæ quid inanius? Optimè Siracides Eccles. 34. de vanissimis ostentatoribus: *Vana ſpes*, inquit, *& mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes.* Omnis hominum laus, fauor, gratia, honor, commendatio, quid nisi ventus, aura, flatus, bulla, fumus, vanitas merum somnium? Nam, *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*, ait Apostolus ad Galat. 6. Cùm exiguntur mella, fumo abiguntur apes. Fumus est vana gloria, quo sparso dæmon liquentia bonorum operum mella diripit, vt verè dixerit Basilius: *Odium, quo apes fumum proſequuntur; ſignificat eos qui Deo melliſicant, re nulla aquè offendi quàm humanarum laudum fumo.*

Reprehenduntur homines, qui ſibi aliquid præclari aſcribunt.

Nihil inanius vanâ gloriâ.

Plebs Israelitica Ægypto educta, impio cõsilio vitulum aureum quem fecit, pro Deo colendum proposuit cum acclamatione: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Exod. 32. Vix aliud ab his faciunt, qui te ipsos suorum operum magistros, magnifico supercilio circumspiciunt, & siquid consilio, arte, industriâ efficiant, velut pro Diis haberi volunt. O idololatriæ! *Soli Deo honor, & gloria*, proclamat Paulus 1. Timot. 1. vers. 17. Soli Deo, soli, soli honor & gloria, omnis enim honor & gloria, quâ homines afficiuntur, solidè in Deum, vt in auctorem & vltimum finem referenda est: nostra est operum vtilitas, Dei est dignitas. Ridemus Nabuchodonosorem, qui sibi diuinum honorem in statua tribui volebat Daniel. 3. qui Iudith. 3. præ eperat Holoferni omnes Deos exterminare, vt solus ipse diceretur Deus. Superbiam Sennacherib detestamur, gloriantis Deos Gentium sibi non potuisse resistere, & illis æquiparantis Deum Israel, 4. Reg. 18. Darij Regis audaciam contemnimus, qua Daniel. 6. instigantibus Satrapis, edixit, ne quis peteret quid à Deo vel ab homine spatio 30. dierum, nisi ab ipso solo, quòd sic crudeli modo se Deum significarit. Intolerabile iudicamus Ethnicos Romanos, plures Imperatores suos, in Deos retulisse: & ipsi quotidie hoc opere præstamus, omni infante infantiores. Sicut enim pueri tam se alios credunt in nouis vestibus, vt sibi persuadeant, notissimos etiam oculos ab ornatu suo decipi: ita nos quinquaginta aut centum annorum pueri, rebus etiam minimis ac vilissimis ambitionem induimus: Ille se iactat, quòd cæremoniam venustiùs adhibeat, iste quod cibos elegãtiùs carpat, hic quod aliis erectior incedat. infinita sunt ostentationum genera.

Ambitioſi infantibus ſimiles.

11. Et quod peius est, Siquid boni à Deo obtinuimus, nostris meritis id liberrimè adscribimus: mea oratio, meæ preces, meæ lachrymæ valuerunt ab hoc malo nos liberare. Non sic Raguel, non sic Anna; sed recognoscentes omne quod habet homo, esse à Deo, & Deum sua merita in nobis coronare, nullam precum & lachrymarum mentionem facientes, apertissimè profitentur: *Benedictus es Deus Iſrael, quia non contigit quemadmodum putabamus. Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & exclusiſti à nobis inimicum perſequentem nos.* Ne miseris:

Nihil ab idololatra differt, qui ſibi ſua adſcribit non Deo.

reris: Graue enim eſt hoc peccatum, & idololatriæ proximum. Palam hoc edicit Iob c. 31. verſ. 25. *Si lætatus ſum*, inquit, *ſuper multis iuſtitijs meis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi Solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Cùm viderem, inquit, domum meam illuſtrari die à ſolaribus radijs, & à lunæ ſplendore collucere nocte, id eſt, domum meam omnibus abundare copijs, & ornamentis maximis eſſe conſpicuam, felicitatem illam Deo bonorum omnium largitori, non ſol rtiæ meæ, & manibus attribui. Neque illas ideò impreſſo oſculo pro Deo veneratus ſum, mihi ipſi tacitè aſſentatus, & gaudens. Quæ ſanè intolerabilis impietas eſt, quæ veram religionem impudenter abiurat. Bernard. ſerm. 28. in Cant. citans hæc verba Iob, inquit: *Quod tunc fieri arbitror, cùm donum Dei, non Deo, ſed meritis aſcribitur actionum.* Et ſerm. 4. in Cant. *Si in te*, inquit, *& non magis in Domino gloriaris; propriam profectò, & non Domini manum oſculari conuincris: quod iuxta beati Iobi ſententiam & iniquitas maxima, & negatio in Deum.*

ii. *Idumæi manum venerari ſoliti, & quare?*

Ad clariorem intelligentiam nota, Gentiles ſolitos manum venerari, aut colere, quaſi ſingulare aliquod beneficium ab illa accepe-rint. Quod cùm commune fuerit omnibus ferè Gentibus, quibus oſculum, amoris & adorationis genus eſt: tamen videtur Idumæis fuiſſe magis familiare. Gens enim erat vaniſſima, quæque putabat habere à ſe contra omnes inimicorum machinas præſidij ſatis, vt docet Hieremias cap. 49. cùm ait: *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis: cùm exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detrahàm te dicit Dominus.* quaſi dicat. Arrogantia tua, & inflatus ſpiritus ſeduxit te, & tot te calamitatibus implicuit: nam tum belluarum more in cauernis habites, terræque voraginibus, ſic tumore inſolenter effers, vt ſumma appetas montium faſtigia, & locum tibi deberi principem putes. Si in altum aſcenderis, & ſicut aquila in rupibus nidum tibi conſtruxeris, inde te ad infima deiiciam. Et Abdias, qui verſ. 3. ſic ad Idumæum populum: *Qui dicis in corde tuo; Quis detrahet me in terram?* Barbaros porrò, & arrogantes populos ſuas manus aut gladios, aut ſiquid aliud habuerunt ſuæ felicitatis inſtrumentum pro Dijs coluiſſe, patet Habacuc. 1. vbi non aliter reti ſuo, ſeu ſagenæ diuinos attribuit honores Nabuchodonoſor, quam alij aut dexteræ, aut gladio: *Propterea*, inquit Vates, *immolabit ſagenæ, & ſacrificabit reti ſuo*: id eſt, tanquam Deo ijs immolabit, quia tantum in ſeipſo virtutis habere videbatur, vt ex-

Inſtrumenta victoriæ aut ſucceſſus felicis aliquibus pro Dijs habita.

terno, aut etiam diuino non egeret auxilio. Etſanè multos ſuis armis honores diuinos impendiſſe, non ſolùm in fabulis, ſed etiam in hiſtoriis veris inuenimus. Mezentius, & Capaneus præter ſuum robur, nullum aliud numen agnoſcebant. Cæneus haſtam ſuam inter Deos numerari iuſſit, & per illam concipi iuramentum; vnde prouerbium, *Canei haſta.* Apud Plutarchum in Pelopida Alexander tyrannus haſtam, qua Polyphronem interfecerat, ſacram habuit, coronis ornauit, & tanquam Deus eſſet, illam ſacrificijs, id eſt, diuinis honoribus, proſecutus eſt. Ad hunc ego modum arbitror Chaldæorum regem ſuæ ſacrificaſſe ſagenæ, id eſt, ſuis armis, quæ in metaphora piſcatoris, in ſagena & reti ſignificantur. Eſt itaque ſenſus verborum Iob: Non ita gauiſus ſum ſuper multis diuitiis, quaſi de illarum comparatione mihi ipſi, ac manui meæ gratulater, & manum meam oſculatus honores illi quodammodo diuinos impenderem. Huc tendit explicatio Olympiodori, qui ſic loquitur: *Sæpenumero nonnulli cum ſua facta efferunt, manus oſculantur ſuas.* Nilus; *Cur igitur ſpe à Deo ſeiuncti carne brachij ſuſtentamur, diuinamq; prouidentiam noſtris manibus metimur: & ſtatim: Multorum enim hic mos eſt manibus ſuis ſuauium dare; vt quidquid in hac opis, facultatisue eſt, à ſe ipſis habere teſtentur.* Auguſtinus in annotation. in Iob: *Si lætatus ſum cùm eſſet mihi cenſus multus, quaſi de meo, vt qui gloriatur in Domino glorietur.* & ſtatim: *Quod ſi oſculatus ſum manum meam ponens ad os meum: gauiſus ſum quaſi de operibus meis.* Ach indignum æſtimans hominem fidelem aliquid ſibi tribuere, cùm id ſit infidelium quibus áſſimulantur, qui ſuis votis, precibus, lachrymis, induſtriæ, artificio ſic proſpera omnia attribuunt, quaſi nihil Deo deberent.

Longè hinc abducit Hieremias Vates cap. 9. *Non glorietur*, inquit, *ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in diuitijs ſuis.* Perſuaſerant ſibi Iudæi, ſatis ſibi paratum eſſe præſidij, quia homines habebant ſapientes, quorum conſilio res adminiſtraretur bellica, & viros ſtrenuos, ac fortes, quos in aciem producerent, & Chaldæorum viribus, & caſtris opponerent; ac denique ſatis ſibi diuitiarum ſuppetere, vt externum militem conducerent. Quorum ſtultam cogitationem Dominus coarguit, oſtenditque à ſe ſolum ſperandum ſubſidium: reliqua, quæ comparare poteſt hominum induſtria, eſſe prorſus inania; vnde addit Prophetæ: *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me: quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra* quaſi dicat: Glorietur potius in eo, quod verè cognoſcunt me, ea nempe cognitione, quæ ipſos meis præceptis obſequentes facit.

13. *Nulla in rè gloriandum;*

Omne præſidium à Deo exſpectandum.

cum Hebræis interiret, ſic preces ſuas exorſi ſunt: *Domine Deus cæli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem ſanctorum tuorum attende.* Cuius loci ſenſus eſt; Reſpice in populum tuum, quem de cunctis nationibus tibi ſegregaſti, & elegiſti ad cultum tuum, vt in eo inuocaretur nomen tuum. Et ſimile eſt quod in Completorio ex Ierem. 14. legimus: *Tu in nobis es Domine, & nomen tuum ſanctum inuocatum eſt ſuper nos; ne derelinquas nos Domine Deus noſter.* Regius Propheta ſic orabat: *Da gloriam nomini tuo; ne dicant gentes vbi eſt Deus eorum.*

3. *Deo tribuenda eſt omnis victoria.*

Alia cauſa erat, quia cognoſcebant Deo tribuendam omnem victoriam, ſi quam aſſequebantur. Hinc Abrahamo de bello cum victoria redeunti proceſſit obuius Melchiſedech, & benedicens dixit ei: *Benedictus Deus excelſus, quâ protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* Vnde & Abraham perſanctè iurauit nihil ſe de hoſtili præda accepturum, ne videlicet, victoriam ſibi attribuere videretur, quam Deo adſcribendam non dubitabat. Planiſſimè de hac re Chryſoſtomus hom. 45. in Gen. *Ego nihil ad bellum exiui præter voluntatem & promptitudinem: victoriam autem & triumphum operatus eſt Deus ineffabili virtute*, quaſi diceret, Non mihi debentur hæc munera, qui nihil egi, ſed Deo, qui totam victoriam reportauit. Samuel 1. Reg. 7. cùm plurimum oraſſet pro Iſraelitis, vt ſaluaret eos de manu Philiſtinorum, & obtuliſſet holocauſtum, & obtentâ victoriâ contra eoſdem, *tulit lapidem vnum, & poſuit eum inter Maſphat & Sen, & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij, dixitq;: Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus*, illi ſoli tribuens gloriam. Dauid recolens mirabilem victoriam Iſraelitarum in Ægyptios in mari rubro, plenis buccis exclamauit: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, Pſalm. 131.

4. *Sampſon quia ſibi arrogans victoriam de Philiſtæis, punitur.*

Ne miteris. Sampſon quia poſt victoriam neque aram Deo ſtatuit, neque hoſtiam immolauit, vt facere ſolebant, qui Deo de beneficio accepto gratulabantur, neque verba aliqua inſeruit ſuo cantico, quæ gratiarum actionem redolerent; ſed vincens Philiſtæos vnius maxillâ aſini, felicis pugnæ euentu intumuit, ſuperbè indè triumphans. Inaniter enim ſe iactabat, dicens: *In maxilla aſini deleui eos, & percuſſi mille viros*, Iudic 15. v. 16. Ab illo arrogantiæ vulnere conualeſcere non potuit, niſi aduerſitatis medicamine. Permiſit enim Deus, vt torqueretur ingenti ſiti: qua, vt docet Ambroſius, caſtigatus, victoriam, quam antea ſibi tribuit, poſteà Deo depurauit, dicens: *Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam.* Ibid. verſ. 18. Præclarè idem Ambroſius epiſt. 70. ad Vigilium: *Vtinam*, ait, *quàm fortis in hoſtem, tam moderatus in victoria fuiſſet. Verùm, quod facile vſu venit, inſolens rerum ſecundarum animus, qui debuit euentum pugnæ diuino fauori, & præſidio deferre, ſibi arrogauit.*

5. *Deus dimittit, vt ei victoria adſcribatur.*

Certè Dominus Deus tanti fecit ſibi adſcribi victoriam quamcumque, vt cæleſtibus præſidiis potius ſuos iuuaret, quàm humanis, ne ſi propriis viribus inimicos vincerent, à ſuperbia vincerentur, ſibique tribuerent, quod à Deo acceperant. Sic olim cùm Ioſue aduerſus quinque Reges præliaretur: *Dominus*, inquit textus, *miſit ſuper eos lapides magnos de cælo vſque ad Azeca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael.* Ioſ. 10. v. 11. Quod factum eſt, inquit Lyra, ne filij Iſrael ſibi victoriam adſcriberẽt: certo experimento cognoſcentes, eam potiùs Deo pro illis dimicanti tribuendam. Eódem ſpectarunt multa alia prodigia in fauorem Hebræorum à Deo edita, de quibus Dauid: *Multa feciſti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* Pſal. 39. v. 6. Quorum multitudinem D. Chryſoſtom. ad eum locum expendens: *Omnia Dei miracula ſuperant laudes humanas.*

Numerum, inquit, *& omnem narrationem ſuperant miracula, quæ à tua potentia facta ſunt. Non eſt enim qui poſſit tibi facere ſimilia. Sunt enim pulcherrima, & maxima tua opera, Vincunt autem laudes humanas, ea, quæ adminiſtrantur à tua prouidentia; quæ in Ægypto, quæ in deſerto, quæ duce Moyſe, duce* IESV, *duce Samuele facta ſunt*, &c. Huius vltimi tempore, vt loquitur ſacer textus 1. Reg. 7. *intonuit Dominus fragore maximo in die illa ſuper Philiſtiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael.* Exterriti quidem per tonitrua magno fragore perſtrepentia; cæſi autem ſeu contriti per fulmina magno impetu ſauciantia. Quæ miracula eò omnia ſpectabant, vt Hebræos contra externos hoſtes adiuuarent, & contra domeſtica vitia munirent: ne ſcilicet, hoſtilem potentiam vincentes, ab interna ſuperbia vincerentur: ſibi tribuentes, quod vni Deo acceptum referre oportebat.

Deus aliquando infirmis vtitur inſtrumentis ne qua victoribus ſuperbia oriatur.

Atque ea cauſa eſt, cur ſæpè Deus infirmis admodum inſtrumentis magnas victorias operetur; ne aliqua inde ſuperbia victoribus ſuboriatur: ſed potiùs vnum Deum totius auctorem victoriæ fateantur. Quod egregiè, expendit, & pluribus exemplis illuſtrat Saluianus lib. 7. de prouidentia, aliquantulum poſt initium: *Per infirmos*, ait, *res acta eſt, ne opus cæleſtis dexteræ virtutis aſſignetur humanæ, ſed diuinæ. Siquidem & dux Siſara, quem Hebræus timebat exercitus, à muliere proſtratus eſt. Et Abimelech ciuitatum expugnatorem faminea manus percuſſit Et ſeruata Aſſyriorum acies, viduâ opitulante ceciderunt. Et ne de ſolis fœminis tãtum loquar, Benadab Regem Syriæ, cui prater innumera ſui populi millia, & triginta duo Reges, exercituſq; eiuſdem numeri ſeruiebant; nonne ideò à paucis Principum pediſſequis Dominus vinci voluit, vt, qui eſſet auctor talis victoriæ, noſce-*

Iudic. 4. 21.
Iudic. 9. 53.
Iudith 13.
4. Reg. 20.

noſceretur? Contra Madianitas quoque, qui inſtar locuſtarum, cuncta compleuerant; Gedeon iubetur pugnare cum paucis: non, quia plures in exercitu non haberet; ſed veratur multos ad bellum ducere; ne multitudo ſibi poſſet aliquid de victoria vſurpare. Homine aduerſus innumera Barbararum millia pugnaturo, trecentos tantùm viros Deus reliquit. In eam quippe exiguitatem redigi agmen militum iuſſit: vt ſibi de patrato diuinitus opere paucitas vſurpare nihil poſſet. Hactenus Saluianus. Igitur, ne Israel de ſuis viribus nimiùm intumeſceret, diuina illi, non humana præſidia conferuntur: vt non tàm ab his, quàm ab illis patratam victoriam Deo gratularetur.

Iudic. 4. 6.

Iſraeli ne ſuperbiat diuina auxilia conferuntur.

6. *Exempla Sanctorum, qui ſua merita & coronas Deo reſignant.*

Porrò Sancti omnes in hoc mundo merita ſua, corumque coronas Deo obtulerunt, & reſignauerunt. Iſaias dicit cap. 26. verſ. 12. *Domine*, inquit, *dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis.* Ieremias cap. 17. v. 14. *Saluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es. Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſiderauí, tu ſcis.* Regius Propheta, Pſal. 15. v 5. *Dominus pars hereditatis meæ, tu es qui reſtituis hereditatem meam mihi.* Porrò eius filius, & in regno ſucceſſor Salomon, 1. Paral. 29. *Tua*, inquit, *eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo ſunt & in terra, tua ſunt: tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tua diuitiæ, & tua eſt gloria, tu dominaris omnium: in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo & imperium omnium.*

Sic & beata Virgo: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum: quia fecit mihi magna, qui potẽs eſt, & ſanctum nomen eius.* Et Iudith occiſo Holoferne cap. 16. *Dominus conterens bella; Dominus nomen eſt illi.* Et Moyſes cum Hebræis tranſito mari rubro, & demerſo Pharaone Exod. 15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem &c.*

Sancta Agnes in flammis conſtituta, coronam virginitatis & martyrij Deo reſignauit, dicens: *Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini noſtri* IESV CHRISTI, *benedico te, quia per filium tuum vnigenitum euaſi manus hominum impiorum, & ſpurcitias diaboli impolluto calle tranſiui. Benedico te Pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te venire permittis.* ita refert S. Ambroſius lib. 4. epiſt. 34. Ita & beata Agatha cùm abſciſſionem mammillæ, carcerem, ignem, &c. viciſſet, *iam agens animam expanſis in cælum manibus: Domine,* ait, IESV CHRISTE, *magiſter bone gratias tibi ago, quia me feciſti vincere tormenta carnificum: iube me Domine ad te, quem ineffabiliter ſitio, & ad tuam immarceſſibilem gloriam feliciter peruenire.*

7. Huic rei magis incumbunt Sancti in cœlo. Hoc clariſſimè teſtatur Ioannes cap. 4. Apocalyp. vbi videt per oſtium apertum in cælo, Deum habitu Iaſpideo & ſardinio, in throno ſmaragdino reſidentem, ac iride amictum, & circumſedentes viginti quatuor ſenſores, id eſt, primarios ſanctos vtriuſque Teſtamenti, & quatuor animalia, id eſt, quatuor Angelos primarios ſtipatores, Principes, & adminiſtratores Dei circa curam Eccleſiæ, ac circa regimen hominum, totiuſque mundi, Deum aſſiduè laudantes ac dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*; ſine vlla intermiſſione. Primarij autem Sancti procidentes *adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes. Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

Sancti in cælo Deo ſuas coronas adſcribunt.

Enuclea hæc, mi Chriſtiane; Procidunt primò, & proijciunt in humum, quaſi oſculaturi terram; 2. Iuſtum & debitum latriæ cultum impendunt. 3. integram animi veritatem, ſinceritatem & gratitudinem, dum ſuas coronas, omnemque dignitatem exuũt, & quaſi ab ſe abdicant, atque Deo, quaſi vero earum Domino reſignant, & reddunt, tanquam regnum ſuum, quod in cælo adepti ſunt, victorias, triumphos, & coronas ſuas Deo acceptas ferentes: ſicuti Romani triumphatores conſcendebant Capitolium, & poſt triumphum coronas triumphales dicabant Ioui Capitolino, quaſi earum auctori, teſte Alexan. ab Alex. lib. 6. Genial. c. 6. Sic Pontifex in ſua tiara inſculptum habebat: *ſanctus Domino*, quaſi diceret, Omnis mea ſacerdotalis dignitas, omnis mea pontificalis conſecratio & ſanctitas, à Deo mihi obuenit: vnde publicè & iugiter profiteor, hanc meam ſanctitatem pontificiam non eſſe meam, ſed Dei; imò me ad hoc conſecratum eſſe Pontificem, vt iugiter Dei ſanctitatem quam in ſe habet, & mihi, ac per me aliis communicat, prædicem & celebrem. Denique imitantes primarios Angelos, dixerunt, *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem*, &c. quaſi dicerent, Dignus es Domine, qui ex ore noſtro, & omnium hominum & angelorum accipias confeſſionem & laudem tuæ immenſæ potentiæ & fortitudinis, quâ omnia creaſti, quaque nos, alioſque fideles nobis ſubditos, victores effeciſti: dignus es, vt hæc tua virtus & robur ab omnibus laudetur & celebretur. Rurſum ſub hac radice Creationis de qua textus intelligunt ſimul opus recreationis, ſiue redemptionis, gratiæ & ſalutis. Ideò enim mittunt ſuas coronas ante thronum, quaſi ſua merita, & ſalutem Deo accepta ferentes, quaſi dicant: Tu Domine es creator & auctor omnium rerum,

8. *Triplex reuerentia geſtus.*

omnium

retis: Graue enim eſt hoc peccatum, & idololatriæ proximum. Palam hoc edicit Iob c. 31. verſ. 25. *Si lætatus ſum*, inquit, *ſuper multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi Solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Cùm videretem, inquit, domum meam illuſtrari die à ſolaribus radijs, & à lunæ ſplendore collucere nocte, id eſt, domum meam omnibus abundare copijs, & ornamentis maximis eſſe conſpicuam, felicitatem illam Deo bonorum omnium largitori, non ſolertiæ meæ, & manibus attribui. Neque illas ideò impreſſo oſculo pro Deo veneratus ſum, mihi ipſi tacitè aſſentatus, & gaudens. Quæ ſanè intolerabilis impietas eſt, quæ veram religionem impudenter abiurat. Bernard. ſerm. 28. in Cant. citans hæc verba Iob, inquit: *Quod tunc fieri arbitror, cùm domum Dei, non Deo, ſed meritis adſcribitur actionum.* Et ſerm. 4. in Cant. *Si in te*, inquit, *& non magis in Domino gloriaris; propriam profectò, & non Domini manum oſculari conuinceris: quod iuxta beati Iobi ſententiam & iniquitas maxima, & negatio in Deum.*

Ad clariorem intelligentiam nota, Gentiles ſolitos manum venerari, aut colere, quaſi ſingulare aliquod beneficium ab illa accepe-
Idumæi manum venerari ſoliti, & quare?
rint. Quod cùm commune fuerit omnibus ferè Gentibus, quibus oſculum, amoris & adorationis genus eſt: tamen videtur Idumæis fuiſſe magis familiare. Gens enim erat vaniſſima, quæque putabat habere à ſe contra omnes inimicorum machinas præſidij ſatis, vt docet Hieremias cap. 49. cùm ait: *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis: cùm exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detrahàm te dicit Dominus.* quaſi dicat. Arrogantia tua, & inflatus ſpiritus ſeduxit te, & tot te calamitatibus implicuit: nam tum belluarum more in cauernis habites, terræque voraginibus, ſic tu te inſolenter effers, vt ſumma appetas montium faſtigia, & locum tibi deberi principem putes. Si in altum aſcenderis, & ſicut aquila in rupibus nidum tibi conſtruxeris, inde te ad infima deiiciam. Et Abdias, qui verſ. 3. ſic ad Idumæum populum: *Qui dicis in corde tuo; Quis detrahet me in terram?* Barbaros porrò, & arrogantes populos ſuas manus aut gladios, aut ſiquid aliud habuerunt ſuæ felicitatis inſtrumentum pro Dijs coluiſſe, patet Habacuc. 1. vbi non aliter reti ſuo, ſeu ſagenæ diuinos attribuit honores Nabuchodonoſor, quam alij aut dexteræ, aut gladio: *Propterea*, inquit Vates, *immolabit ſagenæ, & ſacrificabit reti ſuo*: id eſt, tanquam Deo ijs immolabit, quia tantum in ſeipſo virtutis habere videbatur, vt ex-

Instrumenta victoriæ aut successus felicitas aliquibus pro Dijs habita.

terno, aut etiam diuino non egeret auxilio. Et ſanè multos ſuis armis honores diuinos impendiſſe, non ſolùm in fabulis, ſed etiam in hiſtorijs veris inuenimus. Mezentius, & Capaneus præter ſuum robur, nullum aliud numen agnoſcebant. Cæneus haſtam ſuam inter Deos numerari iuſſit, & per illam concipi iuramentum; vnde prouerbium, *Cænei haſtæ*. Apud Plutarchum in Pelopida Alexander tyrannus haſtam, qua Polyphronem interfecerat, ſacram habuit, coronis ornauit, & tanquam Deus eſſet, illam ſacrificijs, id eſt, diuinis honoribus, proſecutus eſt. Ad hunc ego modum arbitror Chaldæorum regem ſuæ ſacrificaſſe ſagenæ, id eſt, ſuis armis, quæ in metaphora piſcatoris, in ſagena & reti ſignificantur. Eſt itaque ſenſus verborum Iob: Non ita gauiſus ſum ſuper multis diuitiis, quaſi de illarum comparatione mihi ipſi, ac manui meæ gratularer, & manum meam oſculatus honores illi quodammodo diuinos impenderem. Huc tendit explicatio Olympiodori, qui ſic loquitur: *Sæpenumero nonnulli cum ſua facta efferunt, manus oſculantur ſuas.* Nilus; *Cur igitur ſpe à Deo ſeiuncti carne brachij ſuſtentamur, diuinamq; prouidentiam noſtris manibus metimur: & ſtatim: Multorum enim hic mos eſt manibus ſuis ſuauium dare; vt quidquid in his opis, facultatisue eſt, à ſe ipſis habere teſtentur.* Auguſtinus in annotation. in Iob: *Si lætatus ſum cùm eſſet mihi cenſus multus, quaſi de meo, vt qui gloriatur in Domino glorietur.* & ſtatim: *Quod ſi oſculatus ſum manum meam ponens ad os meum: gauiſus ſum quaſi de operibus meis.* Ach indignum æſtimans hominem fidelem aliquid ſibi tribuere, cùm id ſit infidelium quibus aſſimulantur, qui ſuis votis, precibus, lachrymis, induſtriæ, artificio ſic proſpera omnia attribuunt, quaſi nihil Deo deberent.

Longè hinc abducit Hieremias Vates cap. 9. *Non glorietur*, inquit, *ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in diuitijs ſuis.* Perſuaſerant ſibi Iudæi, ſatis ſibi paratum eſſe præſidij, quia homines habebant ſapientes, quorum conſilio res adminiſtraretur bellica, & viros ſtrenuos, ac fortes, quos in aciem producerent, & Chaldæorum viribus, & caſtris opponerent; ac denique ſatis ſibi diuitiarum ſuppetere, vt externum militem conducerent. Quorum ſtultam cogitationem Dominus coarguit, oſtenditque à ſe ſolum ſperandum ſubſidium: reliqua, quæ comparare poteſt hominum induſtria, eſſe prorſus inania; vnde addit Prophetæ: *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me: quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra*; quaſi dicat: Glorietur potius in eo, quod verè cognoſcunt me, ea nempe cognitione, quæ ipſos meis præceptis obſequentes facit.

15. *Nulla in re gloriandum;*

Omne præſidium à Deo exſpectandum.

Qui nouerunt me esse misericordem, & iustum, ex qua cognitione id consequentur, vt in me tãquam in misericorde sperent, & à me tanquam à iusto timeant, quia satis tunc habebunt præsidij contra Babylonios. Hunc audi, & bene tibi erit.

Dauid pluries de inimicis triumphauit, quòd primam victoriam Deo tribuerit.

Dauid post victoriam de Goliath, pluries de Philistæis triumphauit. Quare? quia partam de Goliath victoriam non suo robori, sed diuino auxilio adscripsit: vt ex eo colligitur, quòd gladium, quo Philistæum iugulauit, in Dei tabernaculo suspenderit, innuente Scriptura, 1. Reg. cap. 21. vers. 8. & affirmante Iosepho lib. 6. Antiquit. cap. 11. vt victoriam illam non sibi, sed Deo tribuendam fateretur. Dignus autem erat, vt victor ex consequẽtibus prælijs exiret, qui primùm non vi propria, sed ope diuinâ fretus inchoaret: dignus, vt victricibus palmis frequenter ornaretur, qui primam suæ victoriæ laudem in Deum auctorem referebat. Et propterea Psal. 43. planissimè dicit ad omnium instructionem: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis: non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.*

14. *De se parum sentiens, multum meretur apud Deum.*

Imitare igitur Raguelem & Annam; nihil tibi tribuas, & mereberis apud Deum. Disertè id asserit Chrysostom. hom. 3. in Matth. *Quando aliqua præclarè fecerimus, habemus eum* (Deum) *debitorem ob res bene gestas, quando verò arbitramur nihil nos operatos, egregium amplius etiam ob talem meremur affectum, quàm propter opera ipsa, quæ fecimus. Minimum itaque de se sensisse, tam magnum est, quàm maximas res fecisse.* Et hom. 3. de verbis Isa. *Vidi Dominum*: *Nihil perinde gignit, superbiam vt bona conscientia, nisi aduigilemus. Vnde & Christus sciens quod post benefacta nos hic morbus adoriatur, dicebat discipulis suis: Quum omnia feceritis, dicite, inutiles serui sumus. Quum enim hac noxia bestia parat inuadere nos: tunc, inquit, per hac verba fores illi occludite. Neque dixit: Quum omnia feceritis, inutiles estis: sed vos dicite, inutiles sumus. Dic, ne metuas, non ex tuo iudicio fero sententiam. Nam si tu teipsum dixeris inutilem, ego te vt vtilem coronabo.* Vita itaque hanc postem; recordare Pharisæi & publicani, vnus suis meritis fidebat, alter in Deo omnem spem collocabat. Sententiam pronuntiat Saluator: *Dico vobis*, inquit, *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Egregiè Chrysostomus hom. 4. de verbis Isaiæ: *Væ*, inquit, *tibi dicam quantum bonum sit modestia, & quantum malum arrogantia? Peccator iustum superauit, publicanus Pharisæum, & verba facta fuêre superiora. Quomodo verba? Publicanus dicit: Deus propitius esto mihi peccatori. Pharisæus dicit: Non sum sicut cæteri homines, rapax, auarus: sed quid: Ieiuno bis in sabbatho, decimas do de facultatibus meis. Pharisæus opera iustitiæ præstabat, publicanus verba dicebat modestiæ, & verba plus potuerunt quàm facta, tantusq; thesaurus tam contumelia reijcitur, & tanta inopia in diuitias commutata est. Venerunt duæ naues habentes, omnis amba portum ingressa sunt, sed publicanus pulchrè in portum appulit: Pharisæus autem naufragium perpessus est, vt disceres, quantum mali sit animi tumor.*

Luc. 17.

Luc. 18.

SECTIO VIII.

An gaudere liceat hoste prostrato victoriam adeptis, aut beneficium consecutis, simul cum explicatione versus 19.

1. *Hostis est triplex.*

LÆTITIÆ signa exhiberi solita, hoste prostrato palam est: Vt autem intelligas de quo id licitum; hostis triplex est, priuatus nempe, publicus humani generis, seu dæmon, & publicus inter mortales alicuius nationis, aut populi. De primo gaudere non licet: de eo enim intelligendum est, quod ait Hebræus Sapiens Prouerb. 24. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas in ruina eius, ne exultet cor tuum; ne forte videat Dominus, & displiceat ei*, Iob. 31. cap. protestatur id à se fuisse alienum: Si, inquit, *gauisus fuero ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quod inuenisset eum malum*, supplendum relinquit, graui pœna dignus fuissem. Siracides Eccles. 8. idipsum dissuadet à lege naturæ dictante, *Quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: *Noli*, inquit, *de mortuo inimico tuo gaudere sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire*, quasi dicat: Noli de hoste priuato gaudere, ne videaris studere priuatæ vindictæ: Noli, inquam, gaudere de inimico tuo mortuo, quia & nos omnes mortales sumus: nolumus alios de morte nostra, alijsque nostris infortunijs gaudere, ideoque nos de eorum morte gaudere non debemus.

De inimico priuato prostrato gaudere nõ licet.

2. *De publico humani generis hoste, seu dæmone gaudere licet.*

De publico humani generis hoste prostrato gaudere licitum esse nemo ambiget: Ad hoc enim venit Christus, vt ab eius tyrannide nos liberaret, & opera diaboli destrueret. De publico alicuius nationis hoste licitum esse lætari propter bonum communitatis, Reipublicæ vel Ecclesiæ, multis exemplis veteris testamenti probatur: Moyses enim cecinit canticum Domino post victoriam adeptam de Pharaone: *Cantemus*, inquit, *Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Debbora & Barach Iudic. 5. prostrato Sisera Rege Iabin, Chananæo, canticum gratiarum actionis Deo cecinerunt: *Audite Reges, auribus percipite*

Item de publico alicuius nationis hoste prostrato.

pite Principes, Ego sum, ego sum, qui Domino canam, & psallam Deo Israel. Dauid postquam deuicit Goliath, assumpsit caput Philistæi, & attulit illud in Hierusalem: arma verò eius posuit in tabernaculo suo, 1. Reg. 17. Traduxit itaque Dauid Goliathi caput per multas vrbes, & tandem illud quasi trophæum in excelso atque aspectabili loco prope Hierosolymam erexit, vbi obuiæ ciuitates cum choris & tympanis, & gratulatorio cantu prodierunt: quod textus indicat, 1. Reg. 18. in verbis: *Cùm reuerteretur percusso Philisteo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, choroscq; ducentes in occursum Saul Regis in tympanis, & in sistris: & pracinebant mulieres ludentes*, &c. Deuicto Holoferne benedixerunt Iudith, *omnes vna voce dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaueris, & post virum tuum; alterum nescieris: ideò & manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Et versic. 15. *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus, in organis & citharis.* Ita, vt nullus, lætitiæ communis & vtilitatis expers fuerit, sic etiam nullus fuerit, qui communem lætitiam, & publicum bonum publicâ significatione non profiteretur. Idem penè fecerunt Machabæi lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. vlt. in fine, cùm caput Nicanoris (quo cadente concidit hostilis furor & audacia) adductum fuit, & locatũ Hierosolymæ omnium sannis & ludibrio expositum. Priori enim loco sic dicitur: *Caput Nicanoris amputauerunt, & dexteram eius, quam extenderat superbè, & attulerunt, & suspenderunt contra Ierusalem.* Posteriori: *Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum seruauit. Suspendit autem Nicanoris caput in summâ arce, vt euidens esset, & manifestum signum auxilij Dei.*

3. *Reduitur ad Raguelu post acceptum beneficium in agendis gratijs.*

Hoc modo licèt ad honorem Dei non solum illa lætitiæ, signa edere; sed etiam ignes struere publicè ad exhilarandum populos. Verùm Raguel & Anna Dei gloriam desiderabant vlterius promoueri: hinc rogabant Deum, qui duobus vnicis misericordiam impertitus erat, *fac eos Domine, plenius benedicere te: & sacrificium tibi laudis tuæ & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra.* Enuclea singula mi Christiane, *Fac eos* plenius benedicere te, id est, sanctiùs viuere, iuxta illud quod Iacob Gen. 28. expertus visionem prouidentiæ diuinæ votũ emittens dixit: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domũ patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorum.*

Plenius benedicere idẽ quod sanctius viuere.

Mauden in Tobiam.

q; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi, quasi dicat, Si Deus mihi dederit victum, vestitum ac felicem reditum in patriam; ego ipsi voueo ac promitto, quòd deinceps eum colam speciali & maiori cultu, quàm antè eum, coluerim; nimirum quod dabo ei decimas, tum ad sacrificium, tum ad alium quemlibet eius cultum; quodque post meum ex Mesopotamia reditum, locum hunc Deo quasi aram & templum aut sacellum dicabo: ita enim hoc votum suum, in sequentibus explicat ipse Iacob, & cap. 35. vers. 7. illud votum explet redux ex Haran, atque super illo lapide, quasi arâ Deo sacrificium offert. Sic quoque Esther c. 10. rogabat Deum: *Conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine.*

Secundò postulant à Deo Raguel & Anna, vt Deum, noui coniuges sacrificijs prosequantur pacificis & plenas laudes exoluant. Sacrificium porrò laudis, quod offerendum esse dicit â genero, & filia, est illud, quod vocatur pacificum, quod pro felici successu vel obtinendo, vel obtento offerri solet, quod etiam gratulatorium dicitur, vel gratiarum actionis. De quo vide Leuitic. c. 3. & 7. Hæc dico explicationis gratia, quia S. Chrysostomus in Psalm. 95. enumerat decem religionis & sacrificij species. Primum, inquit, sacrificium est propriè dictum, de quo Apostolus Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.* Secundum est martyrium, iuxta illud ad Romanos 12. *Obsecro vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Tertium est, deprecatio iuxta illud Psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* Quartum, est laudis & hymnodiæ iuxta illud Psal. 49 *Immola Deo sacrificium Laudis.* Quintum, est iustitiæ Psalm. 50. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.* Sextum, est misericordiæ & eleemosynæ, Iac. 1. *Sacrificium* (sic enim legit Chrysost.) *mundum & immaculatum est, visitare pauperes & orphanos in afflictione ipsorum.* Septimum, est iubili, Psalm. 26 *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis*, Chrysost. legit, *iubilationis.* Octauum, compunctionis, Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Nonum humiliatis, ibidem: *Cor contritum & humiliatum non despicies.* Decimum prædicationis, Rom. 15. *Sanctificans* (græcè, ἱερουργοῦν, id est, *sacris operans*, sacrificans) *Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto.*

4. *Sacrificium Laudis, quid?*

Decem species sacrificij.

Tertiò petit Raguel hasce laudes vsque adeò esse publicas, vt ex illa expultione dæmonis ab obsessa domo, & liberatâ filiâ, à tanto tamque prolixo tædio, cognoscat po-

5.

pulus Gentilicis addictus religionibus, ſolum eſſe Deum illum in vniuerſa terra, cui Iſraelitæ ſupplicant; neque ab alio ſperari debere, aut poſſe ſanitatem. Veroſimile eſt quod legiones Aſſyriæ, vbi eo tempore ſuum habebat domicilium Raguel, occupatæ fuerint à dæmonibus, qui illas conturbabant, & grauibus quotidie diuexabant incommodis, imo cædes exercebant, in illos præcipuè, qui ſe in omnem intemperantiam impotenter effundebant. Hos omninò deſiderat, per hoc miraculum expulſionis dæmonis, cognoſcere Deum, & veram amplecti religionem: ad hoc enim miracula ducunt. Sic 3. Reg 18. Elias conuicit populũ Gentilẽ: *Dentur nobis*, inquit, *duo boues, & illi eligant ſibi bouem vnum, & in fruſta cædentes, ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant; & ego faciam bouem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam. Inuocate nomina deorum veſtrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus. Reſpondens omnis populus ait: Optima propoſitio. Dixit ergo Elias Prophetis Baal; Eligite vobis bouem vnum, & facite primi, quia vos plures eſtis: & inuocate nomina Deorum veſtrorum, ignemq; non ſupponatis. Qui cùm tuliſſent bouem, quem dederat eis, fecerunt: & inuocabant nomen Baal de manè vſque ad meridiem, dicentes, Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec* qui reſponderet: *tranſiliebantq; altare quod fecerant. Cumq; eſſet iam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur. Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis: donec perfunderentur ſanguine. Poſtquam autem tranſijt meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo ſacrificium offerri ſolet, nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec attendebat orantes: Dixit Elias omni populo. Venite ad me. Et accedente ad ſe populo, curauit altare Domini, quod deſtructum fuerat.* Illic adhibitâ aqua ſecundò & tertiò orauit Elias Deum, vt mitteret ignem, qui conſumeret holocauſtum: *Exaudi, inquit, me Domine, exaudi me: vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aqua ductu lambens. Quòd cùm vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.*

Miracula ſeruant ad conuerſionẽ infidelium ad fidem.

Exemplum Eliæ & Prophetarum Baal.

Achior infidelis (qui prius magnificauerat Deum Iſrael, ideoque relegatus ab Aſſyrijs ad interitum cum Iſraelitis) viſis mirabilibus, quæ egerat Deus per manus Iudithæ; viſo, inquam, capite Holofernis, *anguſtiatus præ pauore cecidit in faciem ſuam ſuper terram, & æſtuauit anima eius, & reſumpto ſpiritu recreatus eſt, procidit ad pedes eius, & adorauit eam, & dixit:*

Exemplum Achioris infidelis.

Iudith. 13.

Benedicta tu à Domino, in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſrael: Dixit inquam, non futurum quemquam, qui ipſius nomen, & illuſtre illius diei facinus audierit, qui non ideò Deum Iſraelis magnificis non proſequatur laudibus, & Deum eſſe verum, & ſolum fateatur. Et cap. 14. *Videns Achior virtutem, quam fecit Deus Iſrael, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſrael: & omnis ſucceſſio generis eius vſque in hodiernum diem.* Hoc eſt, In eodem nocturni temporis veſtigio antequam quidquam Bethulienſes eſſent moliti eorum, quæ fieri oportere Iuditha cenſuerat, cùm vidiſſet Achior in illo inſperato rerum euentu diuinam potentiam, quæ infirma corroborat, & fortia debilitat, atque confundit, abiuratâ patria religione, circumcisâ carne Iudaico more Hebræorum ſacra complexus eſt; quod etiam fecerunt, qui ab illo longâ ſeculorum ſerie propagati ſunt.

6. *Flagitioſos ſolet Deus per miracula reducere ad ſanam mentem.*

Breuiter, quoties voluit Deus mortales, ſiue Gentiles, ſiue Iudæos dicas, reducere ad ſanam mentem ab errore quo laborabant, per miracula id tentauit vſque ad Incarnationem etiam filij Dei, vt egregiè Nazianzenus orat. 38. *Multis*, inquit, *prius modis ob multa peccata, quæ ex vitij radice pullularunt, ſecundum diuerſas cauſas & tempora caſtigatus, Sermone, Lege, Prophetis, beneficijs, comminationibus, plagis, aquis, incendijs, bellis, victorijs, cladibus, ſignis è cælo, ſignis ex aere, ex terra, ex mari, hominum, verbis, gentium, inſperatis mutationibus (quæ omnia eo tendebant, vt malitia contereretur) validiori tandem medicamento propter grauiores morbos opus habere cœpit, nimirum ob mutuas cædes, adulteria, periuria, furioſos maſculorum amores, & quod omnium malorum extremum eſt, ac primum, idolorum cultum, atque adorationis à Creatore ad Creaturas tranſlationem. Quæ quoniam maius auxilium requirebant, maius etiam acceperunt. Hoc autem erat ipſe Dei filius ille ſæculis antiquior, ille inuiſibilis, ille incomprehenſibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, &c. ille, inquam, ad imaginem ſuam ſe confert, & carnem ob carnem gerit, & cùm intellectualis anima propter animam meam iungitur, vt ſimile per ſimile repurget, &c. Progreſſus autem Deus cum humanitate, vnum ex duobus inter ſe contrarijs, carne nimirum & ſpiritu, quorum alterum deificauit, alterum deificatum eſt. O nouam mixtionem! ô admirandam temperationem! Qui eſt, fit: qui creatus non eſt, creatur: qui nullo loco contineri poteſt, per interuentum animæ intellectualis, inter diuinitatem & carnis craſſitiem continetur. Qui locupletes alios dat, paupertate afficitur: carnis enim meæ paupertatem ſubit, vt ego diuinitatis ipſius opes conſequar. Qui plenus eſt, exinanitur: ſuâ enim gloriâ*

Dei filius factus eſt hominum filius propter ſalutem generis humani.

ad

ad breue tempus exinanitur, vt ego plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quanam ha bonitatis diuitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Hosce modos clariùs explicat Scholiastes eius Nicetas. *Sermone*, inquit, *atque alloquio. Complures enim Deus est allocutus, vel etiam λόγῳ, id est insita nobis & naturali ratione: Lege, per Moysem promulgatâ: Prophetis, id est, Prophetarum præceptis & institutionibus: Beneficijs, comminationibus, plagis: nam per contraria instruebantur, & corripiebantur. Aquis, vt diluuij tempore. Incendijs, vt cùm Sodomita cœlesti igne conflagrarunt. Signis è cœlo missis, vt cùm Sol steterit tempore Iosue. Signis ex aere, vt cynomyia illa, grandine, palpabilibus tenebris, coturnice, &c. Signis ex terra, vt aquarum ex petra effusione. Signis ex mari, vt maris rubri in continentem mutatione. Hominum, verbium, gentium insperatis mutationibus. Quibus omnibus rebus malitiam conterere, ac de medio tollere satagebat Deus.* Et post multa addit: *Quoniam maius auxilium requirebat humana natura, vtpote graui morbo correpta, maius quoque medicamentum & auxilium est consecuta. Illud autem erat, non Angelus, non homo; sed Dominus ipse, qui verbum dicitur, vt illud ostendatur, quod ex summâ illa mente prodijt, quod impatibili modo progenitus est, quod genitoris imago est, totum Patrem in seipso ostendens, ac perfectus per se existens, seculum prior, per quem etiam secula Pater fecit*, &c. *Quicùm hominem ad similitudinem suam à principio creasset, eundem rursus, ad exprimendam sui similitudinem reduxit, sua videlicet creatura similis effectus.* Quod erat manebat, quod non erat assumpsit. Quod erat miraculorum maximũ, & teste Nazianzeno, noua, & inaudita mixtura, magnum atque arcanum mysterium. Mira egit Christus iam carne assumptâ, cùm hominibus degens, per quæ conuicit Iudæos se esse filium Dei, præsertim cum homines à dæmonio liberauit, vt speciatim Luc. 11. vbi multis argumentis id probat. Apostoli ab eo missi in orbem terrarum ad promulgandum Euangelium, hac eadem ratione ostenderunt se in nomine eius operari, quando Petrus sola sui vmbra dæmones fugauit, Paulus sudarijs, & semicinctijs etiam longè à se missis, quibus planissimè innotuit mundo Christum nostri causa incarnatum, & quidem summo miraculo esse filium Dei, qui venerat restaurare genus humanum.

Sinenses per expulsionem dæmonu à domo quadam, mirũ confirmati in fide.

P. Nicolaus Trigautius, qui versatus est inter Sinas diu, de Christ. exped. apud Sinas lib. 4. cap. 8. scribit sanctissimæ fidei nostræ magnum apud Gentiles in Sina nomen dedisse discessum dæmonum, & expulsionem è quadam egregia domo, quàm in ciuitate Nanchina Suarum opulentâ dæmones adeò infestabant, vt omnes præ timore eam horrerent ingredi, per ingressum Patrum Societatis eorumque preces, & lustralem aquam, quâ vniuersam domum, præeunte Christi Seruatoris effigie conspersérant.

Vt ergo honor Dei cresceret & ampliaretur, voluit Raguel ex obtento beneficio dæmonis diuina virtute expulsi, à domo sua, nouos coniuges sacrificium gratiarum actionis, plenasque laudes Deo persoluere; quod ipsos reipsa præstitisse non est ambigendum. Nos autem si beneficium aliquod consecuti à Deo, statim ad recreationes illicitas confluimus: Si treuga, si pax, ad saltus properamus, Ecclesiam negligimus, sacros conuentus præterimus; & verum fit illud Hieremiæ. *Viæ Sion lugent, & non est qui veniat ad solemnitatem.* Hinc iterum bella exurgunt, saltus deuastantur, & quæ illicitæ recreationi subseruierunt, pessum eunt. Tale quid contigit tempore Hieremiæ cap. 21. vbi Dominus minatur tam saltus & lucos idolorum sacrificijs incestos, quàm hortos, quos habebant in circuitu vrbis Iudæi ad voluptatem & delicias, omni amœnitate instructos, ventri ibidem vacantes & veneri, incendio populandos: ita vt nec in vrbe, nec extra vrbem quidquam vel à ferro tutum sit, vel ab incendio immune. *Visitabo*, inquit, *super vos, iuxta fructum studiorum vestrorum, & succendam ignem in saltu eius, & deuorabit omnia in circuitu eius*, quasi dicat. Puniam vos pro meritis, vt qualia semina peccatorum seminastis, tales & inde fructus plagarum meatis: ventum seminastis, turbinem meteris, spinas seminastis, spinas incendij & excidij meteris. Vtinam hoc ruinæ in Belgio nostro non testarentur, cuius vestigia remanserunt aliqua, ex hortis deliciarum, quos diuites circum Antverpiam, Bruxellas, Gandauum, Brugas, aliasque vrbes Belgicas ad luxum, & peccata, liberius in ijs committenda, sibi olim construxerant. Faceſſant itaque hæc procul, & aliorum malo edocti, tandem sapiamus; Deo, à quo omnia, laudes assiduè impendamus, sanctiori vita alios ad meliorem frugem prouocemus? Christum audiamus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* 7.

Reprehenduntur ij, qui post acceptum beneficium à Deo, se voluptatibus dant. Thren. 4.

Mauden in Tobiam.

CAPITIS OCTAVI

VERSVS XX.

Statimque præcepit ſeruis ſuis Raguel, vt replerent foſſam, quam fecerant, priuſquam eluceſceret.

Verſ. 21. *Vxori autem ſuæ dixit, vt inſtrueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus neceſſaria.*

Verſ. 22. *Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis ſuis, cunctiſque amicis.*

Verſ. 23. *Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud ſe.*

Verſ. 24. *De omnibus autem, quæ poßidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit ſcripturam, vt pars dimidia, quæ ſupererat poſt obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 21. 22. & 23. 24. Cùm iam rem nuptialem in tranquillo eſſe cognouiſſet Raguel, prudenter iuſſit, vt ante lucem aperta repleretur foſſa, ne quod ſuperioris conſilij veſtigium remaneret. Præcepit item vxori, vt conuiuium inſtrueret geniale, ad quod amicos vicinos & cognatos de more inuitare decreuerat, & cibos præparari, profecturis, videlicet in Ragues Medorum ad Gabelum neceſſarios: quare duas vaccas ſaginatas occidi, & arietes quatuor voluit. Tobiam diuini nominis interpoſitâ religione vrget duabus hebdomadibus apud ſe morari. Tabellas conficit, in quibus teſtatum omnibus eſſe vult, dimidiam bonorum omnium partem in præſenti tribuendam eſſe Tobiæ, dimidiam verò alteram partem ad eundem poſt obitum vtriuſque Saræ parentis peruenturam.

SECTIO NONA.

Quid documenti nobis Raguel ſuppeditet ex repletione foſſæ, duabus vaccis, & quatuor arietibus duntaxat occidendis in epulum, ac confectione tabularum?

1. Documentum.

RAGVEL non repleuit foſſam, niſi ſecurus de incolumitate nouorum coniugum. Prudẽs ſanè factum, docens nos prouidè timere, rebuſque noſtris aſſiduè prouidere, donec periculum euaſerimus. Quod & alij ante ipſum præſtiterunt. Occurrit Iacob, Geneſ. 32. qui metuens fratrem, munera ad eum mittit; & licet per luctam cum Angelo, qui ſe ſinebat vinci ab ipſo, illi ſpes facta eſſet, quòd pari modo, immò multò magis fratrem ſuum Eſau, quem metuebat, mitigaret, vinceret, & ſuperaret: *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti*, inquit Angelus, *quanto magis contra homines prævalebis*? Non deſtitit tamen Iacob, donec ſua ſubmiſſione & muneribus placaret, & deuincret ſibi fratrem Eſau, Geneſ. 33. credens Deum per media id effectum velle. Rebecca Geneſ. 27. timens Iacobum ab Eſau interficiendum, iuxta illius minas: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*; tam diu laborauit, donec prouiſum eſſet ipſius ſecuritati. Iubet enim eum fugere ad Laban fratrem ſuum in Haran, *donec requieſcat furor fratris tui*; & ne alterius crimen & machinationem patri prodat, ita-que patri triſtitiam, filio patris indignationem conciliet, aliam prætexit ablegandi filij cauſam, eamque veram; ſcilicet nolle ſe Iacobum

Timere debemus, donec periculũ euaſimus.

Probatio exemplis è Scriptura.

bum ducere immorigeram & improbam aliquam Hethæam, sed cupere vt ducat cognatam aliquam ex Haran, in qua bene morata erat domus patris sui, quæ ratio mouit. Isaacum, eique persuasit: *Tædet*, inquit, *me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.*

Dauid cum vereretur, ne à Saule interficeretur, pacisciturcum Ionatha, vt sit illi fidelis: aufugit ad consilium vxoris dicentis, *Nisi saluatrix tenuit hæc, eras morieris*, 1. Reg. 19. Neque vlterius securus fuit, donec Deus morte Saulis intercedente omnem timorem ab ipso depulisset. Abigail, 1. Reg. 25. intelligens Dauidem resoluisse mortem Nabalis mariti sui, totiusque familiæ, varia munera præparauit, quibus eum placaret; cecidit ad pedes eius, audientiam petijt, & variis argumentis eius gratiam & beneuolentiam sibi conciliauit, donec munera acciperet, dicereique: *Vade pacifice in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honorani faciem tuam.* Sic Raguel non obstruxit fossam, antequam securus esset de nouorum coniugum sanitate.

2. *Reprobantur qui tempestiuè non prouidêt rebus suis.*

Nos autem rebus nostris egrè prouidemus: cùm malum experti sumus, meliora spondemus, & vt est in Prouerbio, *Vitulo submerso obstruimus puteum; prædâ direptâ viam sepimus*, filiâ corruptâ, procul arcemus, sed serius, eius mali auctorem; præpostere malis in familia occurrentibus aduigilamus: hinc omnia mala. Hæc securitas perdidit infinitos tempore Noë: hæc; inquam, securitas plures igni subiecit & gehennæ tempore Loth, ad quos, cùm ille dixisset, *Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem istam*, visus est eis, *quasi ludens loqui*, id est, iocari aut delirare, & ludicra proferre, eorum perquam funesto exitio. Pharao toties admonitus à Moyse dimittere filios Israel, alternans, sibi securitatem spopondit, donec diuina ira & strage, & aquis, pœnis inferni, eum cum suis, inuoluit, Exod. 14. Israelitæ Iudic. 20. post multam stragem suorum prius precibus ad Deum confugiant. Philistæi 1. Reg. 5. serius videlicet, postquam ditam stragem, acerbum vulnus, pestilentes ranas & noxias perpessi essent, aliaque mala in fœdum plurimorum exitium propter præsentiam Arcæ, tandem dixerunt: *Non manet Arca Dei apud nos, quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum. Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas Philistinorum ad se, & dixerunt, Quid faciemus de Arca Dei Israel?* Filiæ fatuæ Matth. 25. serius prouiderunt sibi de oleo, dum cæli clausa esset ianua. His nos plerique similes sumus, qui tam in rebus diuinis, quàm in humanis cæcutimus. Imitemur itaque Raguelem, qui tempestiuè prouidit honori suo & saluti. Audiamus quoque Saluatorem nostrum: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Hoc primum Raguelis documentum. 1. *Documentum.*

Exemplorum qui ob hanc causam petierit.

Alterum est, quod nos necessitati docuit seruire, magis quàm voluptati, luxum plurium ciborum esse abhorrendum, frugalitatem amplectendam, quando iussit necessaria tantum præparari adiuer, & ad epulas omnium vicinorum & amicorum, duas dumtaxat vaccas, & quatuor arietes iugulari. Hanc frugalitatã sacra pagina nos nõ vno in loco instruit à diuino fonte manare. Sirácides Eccles. 29. *Initium vitæ hominis*, inquit, *aqua & panis.* Legumina sufficiebant vitæ sustentandæ vsque diluuium: carnium esus postmodum expressius indultus. Abraham Genes. 18. tribus Angelis sub schemate humano ad hospitium inuitatis, primum offert buccellam panis, qua confortarent cor suum. Cùm autem intrassent, Saræ mandat, accelerare tria sata similæ commiscere, & facere subcinericios panes: ipse verò ad armenta cucurrit, *& tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, dedit q; puero: qui festinauit, & coxit illum: Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis.* Perdices, caupones, cerui, alia quæ ad voluptatem seruiunt, hîc non leguntur. Dauid 2. Reg. 6. & 1. Paral. 16. post introductionem Arcæ Domini in medium tabernaculi, quod tetenderat ei Rex, & oblatis holocaustis & pacificis coram Domino, factaque ab omnibus, qui eius ditioni parebant, lætitiâ, distribuit omnibus Israelis copiis à viro vsque ad mulierem, *singulis collyridam panis vnam, & assaturam bubulæ carnis vnam, & similam frixam oleo: & abiit omnis populus, vnusquisq; in domum suam.* 3. *Luxus plurium ciborum vitandus.*

Frugalitati à Deo donandæ.

Dominus Deus seruis suis in necessitate constitutis, vt Heliæ, Danieli, de carne, subcinericio pane, vase aquæ, & palmento respectiuè prouidit. Helisæus excepit aliquando ad herbarum conuiuium filios Prophetarum. Cùm enim ciborum amaritudinem percipierent, exclamarunt: *Mors in olla, vir Dei, & non potuerunt comedere.* Illi sentiebant, non Helisæus, qui cum nullo expostulabat. Causam reddit Hieronymus: *Homo*, inquit, *Dei non est luxus vocis, lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat.* Christus Dominus millia virorum in deserto pauit pane & pisce Ioan. 6. 4. *Deus seruos suos frugaliter pascit.*

Romani vsque adeò frugalitati studebant, vt quidquid voluptatem saperet, fastidirent. Tiberius delicias auersatus omnia opera pistoria in vrbe prohibuit, vt in eius vita cap. 34. testatur Suetonius. C. Fannij Consulis lege introductum est, ne quid apud Romanos volucrum, præter vnam gallinam, quæ altilis non esset, apponeretur: & singulis cœnis domesticis denos asses perfimiat, refert Ma- 5. *Romani magni pretij dederi parsimonia ciborum.*

crobius & Gellius. Plato Ariſtippi luxum in emendis pilcibus reprehendit. Phocion filiũ ſuum Phocum, qui plura ſolito obſonia coëmerat, obiurgans, ita comminatus eſt ei: ſi plura quam ſecundùm naturam veſceretur, vel ingurgitaret, ipſum condignas pœnas luiturum. Cicero Q. Craſſio & Q. Scevolæ non meram elegãtiam, ſed multâ parſimoniâ miſtam laudi dedit: *Craſſus*, inquit, *erat parciſſimus elegantium, Scævola parcorum elegantiſſimus.* M. Cato vinum in prætura & conſulatu, idem quod & operæ, bibebat: epulas ad cænam ex foro triginta comparabat aſſibus, idque ſe facere aiebat reip. cauſa, quo corpus ſuum eſſet ad perferendam malitiam robuſtum. Lectu digna ſunt, quæ de Romanis memoriæ prodidit Alexander ab Alexan. *Veteribus namque Romanis*, inquit, *cibus mundus erat, atque ſimplex, neque operoſis condituris, atque appetentia exquiſitus, ſed ſine apparatu, & ſine impenſa. Prandium enim & cœna in propatulo fiebant, quia palam cantare, dedecus non erat; ſecretò cantaſſe probro & ignominiæ fuit, id quod Lacedæmonijs quoque Lycurgi lege prohibebatur; hoc idcò conſtitutum ferunt, ne quis altero ſplendidius veſceretur.* Quare eodem Alexandro authore, lib. 4. cap. 3. cùm ædiles creabant olim Romani, voluerunt, *vt popinæ, & ganeæ obſonia interdicerentur.* Ac Neto quoque, ædilitio munere perfungens, *æris edicto ſtatuit, ne quid in popinis coqui, ac delitioſi pratur legumina, venum proſtaret*, vt de eorum frugalitate, mordax Satyricus egregiam laudem dixerit.

Lib. 5. Geniał. cap. 22.

Apud Romanos cœnare publicè decus erat.

Hæc olim noſtri, iam luxurioſa, ſenatus
Cœna fuit; Curius parvo quæ legerat horto,
Ipſe ſocis brevibus ponebat oluſcula; quæ nunc
Squallidus in magno faſtidit compedes foſſor.

Iuvenal. Satyr. 11.

Quare Fabricius Lucinus, & Quintus Æmilius Pappus Cenſores, Cornelium Ruffinum, bis conſulem ac dictatorem, ſenatu mouerunt, nullam aliam ob cauſam, quam quod competiſſent, enim cænæ gratia, decem pondo argenti expendiſſe. Et Marcus Antonius & Lucius Flaccus Cenſores, Duronium ſimiliter ſenatu excluſerunt, quod legem de coërcendis conuiuiorum ſumptibus, latam, cùm Tribunus plebis factus eſſet, tollere voluiſſet.

6. *Vituperanda noſtri temporis ingluuies ferculorum.*

Apoſtolus Paulus planiſſimè docet: *Habentes victum & amictum, his contenti ſumus.* Sed (heu) verum nunc eſt, quod olim Clemens Alexandrinus aſſeruit lib. 2. Pædagog. cap. 1. *Nullum habet terminum delicata ingluuies. In libis enim, placentas & bellaria prouecta eſt, merendarum & cœnæ appendicum multitudinem inuenies, omnes qualitates aucupans. At mihi quidem videtur homo qui eſt inſanus, nihil eſſe aliud quàm bucca aut maxilla.* De qua re ſimiliter conqueritur Innocentius Papa tertius lib. 2. de contemptu mundi, c. 17. *Initium vitæ hominis aqua & panis, & veſtimentum contegens turpitudinem. Nunc autem guloſis non ſufficiunt arborum fructus, non genera leguminum, non radices herbarum, non piſces maris, non beſtiæ terræ, non aues cæli; ſed quærunter pigmenta, comparantur aromata, nutriuntur altilia. Capiuntur ob eſcam, quæ ſtudioſè coquuntur, arte coquorum, quæ lautè parantur, officio miniſtrorum, alius contundit & colat, alius confundit & conficit, & ſubſtantiam vertit in accidens, naturam mutat in artem, vt ſaturitas tranſeat in eſuriem, vt faſtidium reuocet appetitum, ad irritandam gulam, non ad ſuſtentandam naturam, non ad neceſſitatem ſupplendam, ſed ad auiditatem explendam. Contemnitur mediocritas, & ſuperfluitas affectatur, in diuerſitate ciborum, in varietate ciborum. Auiditas neſcit modum, & varietas excedit menſuram: ſed & mens grauatur, ſtomachus turbatur, ſenſus opprimitur.* Et ſubdit: *Inde non ſalus & ſanitas, ſed morbus & mors.* Clemens Alexandrinus loc. cit. *Antiphanes Delius Medicus*, inquit, *vel vnam hanc dixit eſſe morborum cauſam, ciborum varietatem: cùm quis veritatem ægrè ferant, multiplici neſcio quâ vanâ gloriâ frugalem & moderatum victum abiurent, & tranſmarinas eſcas anxiè perquirunt.* Et immediatè poſt, impudentiam eorum deſcribit, quorum ipſe miſeretur: *Ac mihi quidem venit in mentem*, inquit, *eorum morbi miſerere: ipſos autem non pudet ſuas deuanare delitias, cumq; in freto ſint Siculo, murænas anxio & ſolicito animo perquirant, & Meandri anguillas, & qui in Melo ſunt hados, & qui in Sciatho, mugiles, Pelori conchas, & Abydena oſtrea nec manas quæ ſunt in Lipara prætermittant, nec bolum Mantinicum, nec beras quæ ſunt apud Aſcræos, & pectines exquirant Methymnæos, & pectas Atticas, & turdos Daphnios, & caricas Chelidonias, propter quas in Græciam cum quinquies mille millibus infelix Perſa profectus eſt: Phaſidis aues præterea coëmant, attagenas Ægyptias, Meducam pauonem. Hac condimentis immutantes, & qui ſunt gula dediti, obſonijs inhiant, quacunque tellus, & profundi, Ponti, immenſaq; alit latitudo aeris, ingluuiei ea ſua comparantes.* Tum ſubiungit: *Videntur hi inſatiabiles, & feliciti ac enixij ciborum indagatores, ad delitias & voluptates ſuas mundum irretire, ſibilantibus ſartaginibus vndique circumſtrepentes, & circa cochleas & mortarium tecum vitam ſuam conſumentes, edaces atque adeò omnivori homines, materiam ignis inflar apprehendentes.*

Luxus plurium ciborũ morborum & mortis eſt cauſa.

Inexplebilis belluarum edacitas exprimitur.

Verùm enimuerò ſingulariter annotandũ eſt vnicuique populo iuxta conſtitutionem loci varia eſculenta eſſe in delicijs quæ alibi parui fierent: & proinde pro quouis loco exceſſus venire taxandos. D. Hieronymus catalogum texit variarum gentium alijs atque alijs cibis delectantium; quem Lectori non grauabor communicare. *Cæterùm*, inquit, *quis ignorat vnamquamque gentem non communi lege naturæ, ſed ijs, quorum apud ſe copia eſt, veſci ſolitã? verbi gratia, Arabes & Saraceni, & omnis eremi barba-*

7. *Vnaquæque gens & regio ijs quorum apud ſe copia eſt veſci ſolet, & in delicijs habere.*

Lib. 2. ad verſus Iouinianum.

barbaria camelorum lacte & carnibus viuit: quia huiuſcemodi animal pro temperie & ſterilitate regionum facilè apud eos & gignitur, & nutritur. Exempla. *Hi nefas arbitrantur, porcorum veſci carnibus. Sues enim, qui glande, caſtaneis, radicibus filicum, & hordeo alì ſolent, aut rarò apud eos, aut penitus non inueniuntur, &, ſi inuenti fuerint, alimenta non habent, quæ ſuprà diximus. E regione, ſeptentrionales populos, ſi ad eſum aſinorum camelorumq; compellas, ſimile putabunt eorum veſci carnibus, ac ſi lupum comedere cogantur, aut coruum. In Ponto, & Phrygia vermes albos, & obeſos, qui nigello capite ſunt, & naſcuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus paterfamilias exigit. Et quo modo apud nos attagen, & fiſcedula, mullus, & ſcarus in deliciis computantur: ita apud illos ξυλοφάγον comediſſe, luxuria eſt. Rurſum orientales & Libyæ populos, quia per deſertum, & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt. Hoc verum eſſe, Ioannes quoque Baptiſta probat. Compelle Phrygem, & Ponticum, vt locuſtam comedat: neſcio putabit. Coge Syrum, Aſrum, & Arabem, vt vermes Ponticos glutiat, ita eos deſpiciet, vt muſcas, millepedas, & lacertos. Quamquam & Syri crocodilis terrenis, Aſri etiam lacertis viridibus veſci ſoleant. In Ægypto, & Paleſtina, propter boum raritatem, nemo vaccam comedit, taurorumq; carnes, & boum, vitulorumq; aſſumunt in cibis. At in noſtra prouincia ſcelus putant vitulos deuorare. Vnde & imperator Valens ſuper legem per Orientem dederat, ne quis vitulorum carnibus veſceretur, vtilitati agriculturæ prouidens, & peſſimam Iudaizantis vulgi emendans conſuetudinem, pro altilibus, & lactentibus vitulos conſumentis. Nomades, & Troglodytæ, & Scythæ, & Hunnorum noua feritas, ſemicrudis veſcuntur carnibus. Porrò Ichthyophagi, gens errans in littore maris rubri, ſuper petras, ſolis calore feruentes, aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant. Sarmatæ, Quadi, Vandali, & innumerabiles alię gẽtes, equorum & vulpium carnibus delectantur. Quid loquar de cæteris nationibus, cùm ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scotos, genitem Britannicam, humanis veſci carnibus, & cùm per ſilvas porcorum greges, & armentorum peducumq; reperiant, paſtorum nates, & fœminarum papillas ſolere abſcindere, & has ſolas ciborum delicias arbitrari?* Paradoxa hæc nobis videntur, qui ſub alio climate nati pleraque illa faſtidimus, & delectum habemus quarumuis deliciarum. Quædam barbara ſunt, vt humanis veſci carnibus; paſtorum nates, & fœminarum papillas pro delicijs habere.

8. Audis hæc, mi Chriſtiane, Fuge quod abſonum, quod barbarum, quod minus Chriſtianum, & à vera philoſophia abhorret: imitare veteres, quos vbi ſacra Scriptura prodit, & à multis malis eris immunis: *Erubeſcite*, inquit Chryſoſtomus, *qui ſuperflua opus habetis artibus & coquorum, & placentulariorum, & variè condientium cibos, & innumeris talibus alijs, vt viuatis.* Cùm priora ſecula homines bonarum artium peritiſſimos, & omni virtutum genere excultiſſimos ferrent, de ſuo ſeculo queritur Philo Hebræus lib. 5. de plantat. Noë, tales reperiri, qui ad deſtruendum intellectum cibos variè præparent: *Noſtra verò ætas*, inquit, *fert coquos & cupedinarios, tinctores & vnguentarios, magnâ curioſitate ſemper nouum aliquem colorem, nouamq; formam, aut odorem, aut ſaporem comminiſcentes in gratiam ſenſuum: vt Imperatorem ſuum oppugnent intellectum.* Divus Auguſtinus veriſſimè dixit lib. de ſalutar. ib. docum. c. 36. *Eſca multa ac varia, non ſolùm animas, ſed & corpora noſtra plurimùm ledunt, & ad infirmitatem perducunt. Solet quippe per nimiam auiditatem ciborum, & poculi intemperantiam, ſrangi ſtomachi fortitudo, nec non & abundantia ſanguinis, per choleram, & plurimæ agritudines, eſcarum largitate contingunt. Sicut enim anima & corpori ſunt iſta contraria, ita medela eſt vtriſque, ciborum parcitas.* *Cula animæ & corpori nocua.*

9. Quod multis rationibus euidenter conſtat: *Qui enim*, inquit Muſonius lib. de victu apud Stob. Serm. 18. de incontinentia, *communiſſimis cibis vtuntur, robuſtiſſimi ſunt. Itaq; ſeruos dominis, agreſtes vrbanis, pauperes diuitibus validiores, vt plurimùm videas, laboribus aptiores, tardius fatigari operando, rarius agrotare, facilius ferre frigus, eſum, vigilias, & quidquid eiuſmodi eſt.* Rurſum conſtat varios cibos, iuxta variarum qualitatum commixtiones, hic remiſſas, illic intentas, alibi mediocres, in alijs omninò modum excedentes, inueniri, quæ non ita facilè, vi nutritiuâ, ob varietatem, ſuperari, atque vt alimentum, aſſumi poſſunt. Id vel ex eo colligas, quod Medici conualeſcentibus, ad recuperandas amiſſas vires, non multos, nec varios, ſed vnum alterumue bonum ac ſolidum cibum ſuadeant. Huc accedit, quod natura ſit vniformis in operatione ſua, quaod conuerſionem ciborum, in ſubſtantiam humani corporis; quare cùm plures dapes ſtomacho ingeſſeris, eæ faciliùs concoquentur, quæ digeſtioni faciliori ſunt affectæ: & quod durius eſt, ac viſcoſius, hærebit in ventriculo diutiùs. Iam ſi poſt horas aliquot, alia ſuperingeſſeris, an non neceſſe erit, alimentum putreſcere, cùm concoctio magis ac magis impediatur? Sicut enim ſi ollæ bulienti frigidam ſuperinfundas, eius feruorem reprimes: Ita ſi crudis in ventriculo cibis, alios accumules, naturalem impedies digeſtionem. *Probatur ſex colorum multiplicitas, eſſe nocua corpori, parcitas profica.*

10. Neque minus malum generant deliciæ in Republica, emungunt enim diuitias, & ad paupertatem ſuos cultores redigunt, Muſonio teſte. Aliqui tota prædia in conuiuiorum apparatu conſumunt. Res palam eſt, & exempla ſunt nimis familiaria eorum, qui ob voluptatem ſeſe impotentes reddidêre ad familiæ ſuſtentationem & ſoluenda debita cum lethali *Delicia Reipub. damnoſæ.*

Delitioſi rubore digni.

Hom. 15. in poſter. ad Corinth.

Immiſericordia mater eſt voluptas.

thali noxa, Immiſericordiam non minus peſtiferam in pleriſque gignit hæc voluptatum ingluuies. Amos Vates ſic ad affluentes opibus, delicatè ac molliter viuentes, ſermonem inſtituit: *Væ*, inquit, *qui opulenti eſtis*, &c. *qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti*, id eſt, ad cibum, agnum pinguiſſimum de grege, & de armento ſaginatum vitulum adhibetis: *bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti*, hoc eſt, ne vllus ſenſus à ſua voluptate vacet, ad vinum in phialis largè diffuſum, gratiſſimum odorem vnguentorum nimis lauti ac delicati conuiuæ admiſcetis, nullâ ducti miſericordiâ erga decem tribus, durè ab hoſte vexatas, & peius ab illo formidantes: quod indicant verba: *Nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*, ærumnas populi tum priuatas, tum publicas non curabant. Voluptatis quippe filia propria & genuina eſt immiſericordia, iuxta illud Prov. 12. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia.* Ita Sodomitæ ex delicijs crudeles euaſerunt, iuxta illud Ezech. 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ*, &c. *ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum eius: & (vnde) manum egeno & pauperi non porrigebant*: quia putabant ſuo ventri, id eſt, gurgiti voluptatum, deceſſurum id, quod in eos expendiſſent. Diues Epulo non alia de cauſa in inferno ſepultus legitur, quàm quòd epulans quotidie ſplendidè, pauperis Lazari non miſereretur.

II. *Dei contemptum pariunt cupedia.*

Iſai. 22. Iudæi voluptuarij grauiter increpantur.

Gignit denique voluptas deliciarum, Dei contemptum. Hinc Optimates Iſrael loc. cit. excidium, quod minabatur Propheta per Aſſyrios, minimè curabant, neque per emendationem vitæ à ſe amoliri conabãtur. Tempore Iſaiæ Prophetæ vocabat Dominus Hieroſolymitanos in humanis præſidijs fruſtrà præfidentes, ad lachrymas, ad caluitium & ſaccum, quæ miſerorum ac mærentium certa ſigna ſunt, & offenſum Dei animum ad miſericordiam inflectunt: non audiebant illi, ſed vt ſubdit Propheta, *Et ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, Comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus & bibamus: cras enim moriemur.* Tollit itaque homini, Dei prouidentiam, iudicium & vindictam; perſuadet ei ipſum habere animam mortalem inſtar bruti & porci, & Deum non magis guloſum puniturum, quàm porcum, quaſi diceret Propheta: Tu verò ô Hieruſalem, quando plangere debebas, veſanis adducta cogitationibus, nihil præter ſplendidas menſas vitulorum, atque arietum carnibus, & generoſo vino luculenter inſtructas, nihil præter feſtiuos dies, citharam & tympanum meditabare, ſic tecum ratiocinata. Si nos cras morimur, quid hodie labore, meroreque conficimus? Interim dum vitæ vſura nobis conceditur, comedamus, & bibamus: mors enim vbi aduenerit, omnem deinceps fruendi facultatem eripiet. Sed quid ſubdit Propheta? *Et reuelata eſt*, inquit, *in auribus meis vox Domini exercituum; ſi dimitteretur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* q. d. Vox hæc Iudæorum veſana, atque impia ad aures meas peruenit, dicit Dominus. Si iniquitas hæc tanta impunita fuerit, & non potius ad mortem vſque mulctata, non recuſo quin, aut infirmitatis, aut leuitatis arguar, dicit Dominus.

12. *Grauis peccatum ventrem animæ & Deo præponens.*

Apoſtolus Paulus quoque taxat ſui temporis hæreticos vti Chriſti Crucis hoſtes, eumque crucifixum negantes, vitam in otio & delicijs, mollem, & laſciuam ac epicuræam ducentes; continentiæ, & auſteritatis vitæ Chriſtianæ oſores: *Multi*, inquit, *ambulant, quos ſæpè dicebam vobis* (ſcilicet exiſtere) *nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti*, quorum finis, interitus, quorum Deus venter eſt, qui videlicet omnia ſua ſtudia, cogitationes & opes, ad gulam & ventrem, quaſi ad ſummũ bonum & vltimum finem referunt; quare ventrem Deo præponunt, parati pro gula Dei legem & amicitiam violare.

Vitanda nimia medicina ad fouendum corpus.

Hunus vitij enormitatem pulchrè exaggerat Chryſoſtomus hom. 13. in epiſt. ad Philipp. *Tanta mala*, inquit, *non facit mare fines ſuos tranſgreſſum, quanta venter ſi corpus noſtrum cum anima ſuperauerit. Omnem orbem illud mare, & venter totum corpus. Pone illi terminum, natura ſufficientiam, quemadmodum Deus mari poſuit arenam. Et ſi æſtuauerit, & ferocierit, increpa illum virtute, quam in te habes. Vide quomodo Deus honorauerit te, vt ipſum imiteris.* Idem malum ponderans D. Bernardus ſerm. 30. in Cant. propterea ſuccenſuit Religioſis, qui medicè viuebant, & ſimul hortatur ad voluptatum fugã, carniſque mortificationem: *Si*, inquit, *mortifices membra tua, quæ ſunt ſuper terram, probabis te Pauli imitatorem, qui non facies animam tuam pretioſiorem teipſo: probabis & Chriſti diſcipulum etiã illam perdendo ſalubriter. Et quidem prudentium eam perdis vt cuſtodias, quàm cuſtodis vt perdas. Nam qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eã.* Et immediatè pòſt in eiuſmodi inſurgens, ait: *Quid his vos dicetis obſeruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & ſequaces eius docent animas ſaluas facere in hoc mundo: Chriſtus & eius diſcipuli perdere? Quemnam vos è duobus ſequi magiſtrum eligitis? An manifeſtum ſe facit, qui ſic diſputat. Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel ſtomacho nocet. Profectò vnuſquiſque quod à ſuo magiſtro didicit, hoc in medium profert. Num in Euangelio legiſti has differentias aut in prophetis, aut in literis Apoſtolorum? Caro & ſanguis pro certo reuelauit tibi hanc ſapientiam, non ſpiritus patris. Eſt enim carnis hæc ſapientia. Sed audi quid de iſta noſtri medici ſentiant. Sapientia, inquiunt, carnis mors eſt: Item: Sapien-*

Sapientia carnis inimica est Deo. Non Hippocratis seu Galeni sententiam, aut certè de schola Epicuri debui proponere vobis? Christi sum discipulus: Christi discipulis loquor. Ego si peregrinum dogma induxero, ipse peccavi. Epicurum atque Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem profert: meus magister utriusque rei contemptum praedicat. Et paulò post adducit verba Sap.7. *Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam*, super quæ verba sic philosophatur: *Si super salutem & pulchritudinem, quanto magis super voluptatem & turpitudinem? Quid vero prodest temperare à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatibus complexionum, ciborumq; varietatibus exquirendis, quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aqua non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut lutosa aqua mea penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, vt in totis fluuijs, agris, hortis, cellarijsque reperiri vix possit quod comedas? Putate quaeso, monachum esse, non medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione.* Et paucis interiectis, vt eos magis compungat: *Frustra*, inquit, *sibi quidam blandiuntur de exemplo Pauli hortantis discipulum non bibere aquam, sed modico vti vino propter stomachum, & frequentes suas infirmitates. Qui attendere debent: primum quidem Apostolum minimè sibipsi rem eiusmodi suadere, sed nec discipulum aequè exposcere sibi. Deinde non monacho hoc intimari, sed episcopo cuius vita tenera adhuc & nascenti Ecclesiae pernecessaria esset. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Timotheum, & ego cibo eum si vis etiam auro, & poto balsamo. Caterùm tu tibimetipsi dispensas, miserum tui. Suspecta est mihi (fateor) tua ipsius in te dispensatio, & vereor tibi illudi sub tegmine & nomine discretionis à carnis prudentia. Id te saltem volo admonitum esse, vt si tibi ita auctoritas Apostoli placet de bibendo vino modico, quod ille adiungit, non praetermittas.* Hæc masticet Christianus. Hoc est secundum Raguelis documentum.

Vitanda Monacho discretio ciborum.

Tertium subindicauit, quando de dimidio bonorum in præsentia dando fecit tabellam; reliquum sibi vsque ad mortem reseruauit. Solent enim quidam in gratiam vel filiorum, vel amicorum, dum eos admodum diligunt, sua illis ante mortem tradere bona & possessiones: quod suo facto iudicauit minus vtile, & imprudens, Raguel. Optimè idipsum confirmat Sirac ides, Eccles.33. *Filie*, inquit, *& mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in vita tua, & non dederis alij possessionem tuam, ne fortè paeniteat te, & deprecaris pro illis.* Admonet patrem familias, vt in suis bonis ac fortunis dominium retineat quoad viuet, nec ius suum ante mortem in alios transferat, sua bona à se alienando. Et exponens clarius quod prius dixerat, subijcit. *Dum adhuc superes, & aspires, non immutabit te omnis caro. Melius est enim vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.* id est, Quandiu viuis, & flatus vitæ est in te, non immutabit te omnis caro, hoc est, non sines vt quisquam quantumuis tibi amicus & charus, te dimoueat à proposito seruandi tua, tempore vitæ tuæ. Et subijcit rationem claram, & efficacem, post quam adiecit generalem monitionem: *In omnibus operibus tuis praestellens esto, ne deceris maculam in gloriam tuam.* Tene, inquit, principatum in omnibus operibus & bonis tuis, nec sinas vt in rebus, quas tuo labore peperisti, aliquis supra te ius habeat, ne aliqua labe aspergas gloriam tuam, quia insipientiæ argueris, si alios tibi tuisque rebus dominari permiseris, quasi non possis ipse tua benè administrare & curare.

3. Documentum. *Parentes nō debent dare omnia bona sua filijs ante mortem.*

14. *Lepidum filiorum ingratorum exemplum.*

Lepidum hac de re natrat exemplum P. Ioannes Dauid, in libello *Amputandum putabā*, cap. 6. de hæredibus ingratis deceptis, quod eius verbis ascribam. Memorabile, inquit, olim accidit in aliquo Flādriæ oppido, quod sine personæ cuiusquam nomenclatura ob causas hîc referam. Vir quidam non mediocriter opulentus ita profusè, vivus adhuc, pro libus bona sua est elargitus (putabat siquidē apud gratos hæredes nihil sibi defuturum) vt ipsi ab inopiæ contubernio non parum esset metuendum; adeò proles, cùm nihil amplius alicuius momenti superesse viderent, eum destituebant. Consilio itaque abegestate, artium magistra, accepto; è manu fidelis amici pecuniæ summam non modicam, postridie bonâ fide restituendam, mutuò accepit: vocatisque ad prandium prolibus; dū feruet sympolium, arte conceptâ à quodam ad portam vocatur pater; ille paucis verbis excipiens nuntium, ad musæum festinus contendit, pecuniamque illam versat & reuersat, quasi summam ingentem expediens ei, qui se vocarat, numeraridam. Dumque expedito negotio ad mensam redit; admirantes omnes rogarunt quid hoc rei esset, quod ita nummatum adhuc haberent patrem, cùm iamdudum exhaustum putarent: O, inquit, carissimi, tamne imprudentem me credidistis, vt omnia vobis in vivis elargirer, & ego postea vel inopiam paterer, vel à vobis cogerer dependere? absit tam imprudens consilium. Supersit, supersit adhuc portio non contemnenda in cista illa, cuius ternas confici iussi claues, vnam mihi, executoribus testamenti in morte dandam, alteram Pastori, & tertiam maximo è vobis natu. Et quicumque optimè de me meritus fuisse censebitur, illam esse habiturus. Ex hoc itaque tempore certatim omnes de parente quàm optimè mereri studuerunt; adeò, vt qui antea ab omnibus deserebatur, interea toto reliquo vitæ tempore lautissimè ac liberalissimè habitus

bitus fuerit. Illo autem iam vitâ perfuncto, ad arcam illam thesauri custodem, seruato clauium ritu, processum est: quæ, mox atque aperta esset, plus in illam oculorum auidissimè intuentium, quàm latentium illic nummorum & orbiculorum capax fuit. Nihil etenim aliud in ea repertum est, præter egregium fustem cum scheda hisce verbis notata. Quisque se ita ante mortem in filiorum gratiam despoliat, vt ipsemet postea egeat; hoc fuste lumbifragio castigari meretur. Sicque ad pietatem exercendam edocti fuerunt, & propter impietatem & priorem ingratitudinem optimo iure delusi; vt & *putabam* illos eluderet. Hactenus ille.

Vnde rursus Siracides approbans factum Raguelis tempus assignat alienandæ hæreditatis: *In die*, inquit, *consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam.* Iurisperiti docent ob ingratitudinem filiorum reuocari posse donationem. Sed quid? *Vana sine viribus ira.* Sine pecunia nemini ad tribunal est accessus; *Causa viduæ non ingreditur ad illos*, dicit Isaias Vates. Perpendãt hæc parẽtes, attendant filij, qui parentũ bona solent suffurari sine delicti agnitione: clarissimè enim dicit Hebræus Sapiens: *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Vide dicta Discur. 2. in VII. Præcep. n. 15. de adiumtione dicam capite sequenti.

Tempus alienandæ possessionis, est finis vitæ.

LIBRI

Libri TOBIÆ Capitis noni

SYNOPSIS.

TOBIAS adiuratus à socero, vt aliquot dies apud eum moraretur; ne longius tempus in pecunia à Gabelo repetenda consumeret, orat Angelum Raphaelem, vt rebus ad profectionem necessarijs instructus, illam sibi curam & laborem assumat. Perficit omnia diligenter Angelus, & Gabelum ad nuptias cohonestandas secum adducit. Qui exiliens ad Tobiæ conspectum, & illum de more consolatus, &. secunda omnia precatus, obijt cum alijs paratum geniale conuiuium.

VERSVS PRIMVS.

Tunc vocauit Tobias Angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixitque ei: Azaria frater, peto vt auscultes verba mea:

Vers. 2. *Si me ipsum tradam tibi in seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.*

Vers. 3. *Tamen obsecro te, vt assumas tibi animalia siue seruitia, & vadas ad Gabelum in Ragues ciuitatem Medorum: reddasq; ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas.*

Vers. 4. *Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies: & si tardauero vna die plus, contristatur anima eius.*

Vers. 5. *Et certè vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum spernere non possum.*

PARAPHRASIS.

Vers. 1. 2. & 3. 4. 5. Tobias cùm adiuratus à socero, vt poneret apud illum duas hebdomadas, obnixè rogat Angelum Raphaelem. quem putabat hominem esse mercenarium, ipse abiret in Rages medorum, assumptis ad id iumentis, ad itineris leuamen, & victui necessaria portanda, opportunis, & rem cum Gabelo, mandatam à parente transigeret, illumque ad celebrandas & conhonestandas nuptias inuitaret. Rationem reddens huius petitionis, quòd sciat Angelus, parentes numerate dies, & quantum adderetur moræ, tantum illis accresceret doloris & metus: neque fas esse non obtemperare soceri desiderio, à quo tantopere fuisset adiuratus.

SECTIO PRIMA.

In quem finem tam obnixè rogarit Tobias Angelum, quem mercenarium ſuum putabat, eius nomine ſubire iter, & commiſsionem ad Gabelum?

1. *Sanctos viros humiliter ſuperiores deprecatos eſſe.*

SANCTOS viros omni humilitate & ſubmiſſione deprecatos ſuperiores ſacra pagina ſatis pandit. Nam Abraham Geneſ. 18. cùm multoties deprecatus fuiſſet pro Sodoma & Gomorrha incendio deſtinata, tandem dixit: *Obſecro*, inquit, *ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel.* Gedeon Iudic.6.cùm audiſſet ab Angelo ipſi apparente, *Dominus tecum virorum fortiſſime. Obſecro*, inquit, *mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Et cùm illi poſtmodum animum adijceret, dicens: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian: ſcito quod miſerim te*; reſpondit: *Obſecro mi Domine, In quo liberabo Iſrael? Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei*; deſiderans enim ſcire ab Angelo, hanc eſſe miſſionem Dei, ſumma humilitate eum deprecatus eſt, quod eam diuina mateſtas requireret. Anna 1.Reg. 1. Oblatura filium Samuelem Heli, inquit: *Obſecro mi Domine, viuit anima tua: Domine, ego ſum illa mulier, quæ ſteti hic coram te orans Dominum*: quia Sacerdotem alloqui non audebat, prius petit loquendi facultatem. Berſellai 2. Reg. 19. cùm rex illi offerret menſam ſuam in recompenſam, quod alimenta tribuiſſet Regi in neceſſitate; excuſans ſeſe, inquit: *Obſecro, vt reuertar ſeruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & ſepeliar iuxta ſepulchrum patris mei, & matris meæ. Eſt autem ſeruus tuus Chamaam, ipſe vadat tecum, Domine mi Rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.* Recuſat Bercellai aulicas delicias, quia erat ætate, in qua omnes hebeſcunt voluptuarij ſenſus, neque ex Aulicorum, aut Regis conſuetudine aliquod haberet leuamentum, aut grauis, aut ingraueſcentis ætatis, & alijs poterat eſſe moleſtus. Tamen humillimè petijt, vt ſuum ſecum rex haberet filium, cuius ætas his rebus magis erat idonea, ad quem transferret illam, quam parenti pollicebatur, regiam humanitatem.

2. *Superiores honorare eſt inſtantiâ eſt.*

Hos obſecrare mirum non eſt, nam diuina & humana maieſtas ſuo quæque modo humilitatem expoſtulat. Iacob clariſſimè dixit, Geneſ. 32. petens liberari de manu fratris ſui Eſau, *Minor ſum*, inquit, *cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam expleniſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior*: Exilior, inquit, vilior, indignior ſum, quàm qui vllam tuam gratiam, vel miſericordiam etiam minimam mihi præſtitam meruerim, aut etiamnum merear. Hactenus expertus ſum, licet indignus, te fidelem in promiſſis mihi præſtitis: quare confido & oro, vt in futurum idem experiar, vtque nunc ab Eſau me protegas. Apud Sacerdotes & Reges eundem modum exiſtere, palam eſt.

Paradoxum verò eſt, cur Tobias ſandi non ſolum petat facultatem ab Angelo, quem mercenarium ſuum putabat, ſed & ſeipſum profundè humiliet dicens: *Si me ipſum tradam tibi ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.* Inſuper enixè roget aſſumère ſibi animalia ad commiſſionem ſubeundam apud Gabelū: *Tamen obſecro te, vt aſſumas tibi*, &c. Quæ ita ſeſe humiliat? Prima occurrit cauſa id feciſſe, vt mercenarii ſui amorem ſibi conciliaret. Sic Iob, qui domeſticos ſuos benignè in omnibus amplectebatur, & honeſtiſſimè tractabat, vt illi neſcirent, quomodo affectum erga eum exprimerent; cap 31. teſtatur: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* quaſi dicat. Domeſticos ſic ſum amplexus amanter, & molliter, vt illi, dum ſuam mi beneuolentiam ſignificare volunt, non obſcurè dicant cupere ſe præ amoris magnitudine ſic mihi adhærere, vt meis paſti carnibus in vnum atque idem corpus mecum coaleſcant. Amoris quippe inſania eò progreditur, vt dum aliquis ex amaſio immoderatas libat voluptates, illi non leues interdum afferat dolores, dum oſculando dentes infigit, & morſu genis, ori, aut collo plagas, aut liuorem inducit. Quòd quotidie experimur in matribus, ac nutricibus, quæ ita arctè oſcula imprimunt infantibus, vt dolorem exoſculando inferant, & vagire faciant: neque longè inſana illa oſcula à morſu recedunt. Sanè quod de ſimia produnt hiſtorici, id penè faciunt maternæ blanditiæ, & immoderata nutricis indulgentia. De qua Plinius lib.8.cap. 54. vbi dicit ſic in ſuos fœtus molliter affici ſimias, vt magna ex parte complectēdo enecent. Tanto ipſius domeſtici erga eum ſtudio & amore erant incenſi. Cùm Ruth. 2.

3. *Quare Tobias tam mitè obſecret Angelū.*

Horum mansuetudine, ſerui amorem ſibi conciliat.

Booz

Booz intellexisset ex iuuene, qui messoribus præerat, rogasse illam, vt spicas colligere posset remanentes, sequens vestigia messorum, audiuit à Booz: *Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis. Et vbi messuerint, sequere. Mandaui enim pueris meis, vt nemo molestus sit tibi: sed etiamsi sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt. Quæ cadens in faciem suam, & adorans super terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem?* &c.

4. *Mansuetudo est conciliatrix amoris.*

Planissimè Siracides Eccles. 3. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris*, significans plus valere mansuetudinem ad conciliandos hominum animos quàm sublimem statum; hoc enim timor, illo autem hominum amor conciliatur. Quæ sententia Chilonis est; is enim apud Laertium lib. 1. cap. 4. potentiæ, adiungendam mansuetudinem aiebat: *Vt à suis*, inquit, *princeps non tam metum exerceat, quam imperet reuerentiam; reuerentia comes est amor, metus odium; amari autem non solùm honestius est, verum etiam tutius.* Apposite D. Ambrosius lib. 2. Officior. cap. 7. *Bonitas*, inquit, *si mansuetudine morum adiuuetur, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Moyses sic sibi totius plebis mentem deuinxerat, vt plus eum pro mansuetudine diligeret, quàm pro facto admiraretur.* Addit & maximè ad rem exemplum Dauidis: *Dauid*, inquiens, *fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in conuitio, ferre magis promptus quam referre iniurias; ideò tam charus omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, & resistens cogeretur; senex ne prælio interesse à suis rogaretur, quod mallent pro ipso omnes periclitari, quàm illum pro omnibus. Itaque parentes cum filiis, filij parentibus præferebant.* Tantum potest ad conciliandos animos virtus mansuetudinis, tantumque ius habet siue ad parandum, siue ad confirmandum imperium; sic sunt ad comitatem ac beneuolentiam præstandam efficti mores. Subnectit Siracides: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Id præstitit ad amussim Tobias.

5. *Per mansuetudinem homo facile obtinet, quod petit ab alio.*

Altera est, quod vtilis stimulus sit ad obtinendum, quod petis: Hinc Apostolus à fide & dogmatibus transeuns ad mores fidei consonos, hoc modo sermonem exorsus est Rom. 12. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Enucleemus verba. Primò vocat *fratres*, quæ vox vim habet & energiam ad charitatem, aliaque quæ fidelibus commendat, persuadendum: nam vt pulchrè & verè ait Tertullianus Apolog. 39. scribens contra Gentiles: *Fratres*, inquit, *vestri sumus, iure nostræ matris vnius, etsi vos parum bonos*

Vis vocis, fratres.

nes, quia malos fratres. At quantò digniùs fratres & dicuntur & habentur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum hiberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem, ad vnam lucem, expauerint veritatis. Rursum ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos (ô Gentiles pene dirimit fraternitatem. Itaque quia anima animoq; miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiscreta apud nos, præter vxores. Vnde addit ibid. Tertull. hanc Gentilium de Christianis fuisse vocem & sententiam: *Vide vt inuicem se diligant, & vt pro alterutro mori sint parati.*

6. *Modestia & suauitas Pauli in corripiendis Romanis.*

Secundò per misericordiam Dei illos obsecrat, hoc est, ex intimis visceribus per miserationes à Deo per Christum exhibitas, qui sua viscera in nos voluit effundere, cùm vnigenitum suum Christum in nos effudit; De qua miseratione canit Zacharias Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto*: *Mira*, inquit S. Pet. Chrysologus, *pietas, quæ vt precetur, largiatur, exorat. Beatus namq; Apostolus non humana petens, sed diuina conferens, sic precatur: Obsecro, inquit, vos per misericordiam Dei. Medicus austera remedia cùm recipere persuadet ægrotos, agit precibus, non compellit imperio: sciens infirmitatis, non voluntatis esse, quod salutaria respuit, quoties profutura repellit infirmus. Et filium pater non potestate, sed amore ad rigorem pertrahit disciplina, non ignorans quàm sit aspera immaturis sensibus disciplina. Et si corporalis infirmitas ad curam precibus sic mouetur, sic puerilis animus vix ad prudentiam ducitur blandimentis, quid mirum si Apostolus, qui semper est & medicus & pater, humanas mentes morbis carnalibus sauciatas, vt ad remedia diuina subrigat, sic precatur: Obsecro, inquit, vos per misericordiam Dei.* Deinde rem altiùs repetens, subdit: *Quare non per virtutem? quare non per maiestatem, non per gloriam Dei, sed per misericordiam Dei? Quia per ipsam solam & Paulus crimen persecutoris euasit, & Apostolatus tanti adeptus est dignitatem: sicut ipse fatetur, dicens: Qui prius fui blasphemus & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam Dei consecutus sum. Et iterum: fidelis sermo & omni acceptione dignus: quia Christus in hunc mundum venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam sum consecutus, ad exemplum omnium, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Obsecro, inquit, vos per misericordiam Dei. Rogat Paulus, imò per Paulum rogat Deus, quia plus amari vult, quàm timeri. Rogat Deus, quia non tam Dominus esse vult, quàm pater. Rogat Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem.*

Tum denique rem exprimit Apostolus, *vt exhibeatis*, inquit, *corpora vestra hostiam viuentem*, &c. quasi dicat: Sistite, & offerte Deo corpora vestra, alienate illa à vobis, ac transferte ea tanquam hostiam viuam in Dei dominium, vt iis vtamini, non

ad libitum, ſed ad Dei cultum, & honorem.

7. *Idem leniter aggredi ſuos Corinthios.* Rurſum idem Apoſtolus, cùm Pſeudo-Apoſtoli, ipſum quaſi vilem & abiectum deprimerent, & Corinthios confirmare vellet, inquit: *Ipſe ego Paulus obſecro vos, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti*, vt videlicet, monita mea, & iuſſa de recta & Chriſtiana vita, quæ præſcripſi quaſi veſter Apoſtolus, obſeruetis, quaſi dicat. Non impero, cùm ex Apoſtolatu id poſſem, ſed obſecro per manſuetudinem Chriſti, quam imitor, & præ me fero; Chriſtus enim in corripiendis, docendis, dirigendiſque hominibus meram oſtendit patientiam, clementiam, modeſtiam, vt cùm Matthæum, Magdalenam, alioſque peccatores in gratiam recepit, omnem eis culpam & pœnam ſine vlla verberum, aut verborum aſperitate benigniſſimè condonauit.

8. Et Epheſianos c. 4. exhortans Apoſtolus ad mores Chriſtianos, & imprimis ad vnionem & concordiam tum in fide, tum in charitate Chriſti: *Obſecro*, inquit, *vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis*, &c. In quæ verba Chryſoſtomus: *Præceptorum virtus eſt nihil honoris, nihil gloriæ à ſubditis, ſed ſalutem ipſorum quærere, atque huius gratia nihil non facere, ita vt qui non iſtud ſed gloriam ſuam quærit, non iam præceptor, ſed tyrannus ſit. Non enim propterea te Deus illis præfecit, vt magis acquiras obſequium, ac famulitium, ſed vt neglectis rebus tuis, quidquid illorum eſt ritè diſpenſetur ac ædificetur. Hoc videlicet doctoris eſt; talis erat beatus Paulus, qui quidem omni faſtu liber, non aliter erat affectus, quàm vulgaris quiſpiam, immò & minimus etiam ipſorum. Propterea & ſeruum eorum ſeipſum vocat, & potiſſimùm per ſupplicandi modum loquitur. Et nunc quoque vide quam nihil imperioſum, nihil authenticum, ſed contractum ac ſubmiſſum ſcribat. Hortor itaque vos, inquit, vinctus ego in Domino, vt ambuletis ita vt exigit dignitas vocationis, qua vocati eſtis.* Et longè poſt: *Neque enim dicit: hortor vos ego, qui verba ineffabilia audiui: ſed quid? Hortor vos, inquit, ego vinctus in Domino.*

Præceptoris eſt, clementer cum ſubditis procedere.

9. *Ad impios conuertendos lenitas maximè vtilis.* Quòd amplius eſt, Apoſtolus non ſolùm manſuetudine erga alios vſus eſt; verùm omnibus doctoribus hunc modum inculcauit, cùm Gal. 6. in fide & moribus fragiles, recèntes, & imbecilles, falsâ perſuaſione Iudæorum ſeductos, & in Iudaiſmum, aliaque vitia impulſos (non autem obſtinatos in malo) vult ſuauiter corripi à Doctoribus: *Fratres*, inquit, *& ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et 1. ad Timoth. 6. inter cætera vult Timotheum Epiſcopum maximè ſectari manſuetudinem, quòd ea Doctori ſit valde neceſſaria, vt ſuauiter & efficaciter in animos influat, eiſque virtutes inſerat, & vitia eximat: nec enim homines vitioſi ferunt aſperitatem correptionis. Similiter docet Titum cap. 3. cùm vult Chriſtianos ab illo admoneri vt Magiſtratibus etiam Ethnicis ſint obedientes, modeſti item & manſueti. Immò & Chriſtus Dominus correpturus Phariſæum à quo fuerat conuiuio exceptus, non niſi præhabitâ veniâ, alloquitur. Cùm enim Phariſæus intra ſe diciſſet: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique qua & qualis eſt mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix eſt*, Luc. 7. Reſpondit Chriſtus: *Simon habeo tibi aliquid dicere*, illoque annuente, *Magiſter dic*; rem expoſuit. In quem locum rectè Ianſenius, cap. 48. ſuæ Concordiæ *Reprehenſurus*, inquit, *Dominus Phariſæum, qui ipſum inuitarat; non mox in illum inuehitur, ſed hoſpiti ſuo ciuiliter deferens, prius dicendi facultatem poſtulans, paradigma deinde proponit. Qua in re exemplum ciuilitatis etiam viris Eccleſiaſticis non negligenda reliquit.* Hac ratione proceſſit Tobias noſter, quando deſiderabat Angelum, quem hominem exiſtimabat, ſuſcipere commiſſionem ad Gabelum, docens Superiores, omni ciuilitate & modeſtiâ etiam ſibi ſubditos præuenire debere, dum aliquid ardui aut extraordinarii ab illis poſtulatur: Quòd maximè doctoribus conuenit dum malæ vitæ homines ad meliorem frugem traducere conantur: Solet enim manſuetudo & modeſtia plus operari quàm doctrina.

10. *Tobias iunior inanis gloriæ contemptor.* Ex his præterea docemur ſanctos viros longè abeſſe à vana gloria, dum ſuam excellentiam occultant, & humilius de ſe loquuntur, quàm aliis notum. Quid enim abiectius, quàm filium tanti viri dicere ſe non eſſe condignum prouidentiæ eius, quem mercenarium exiſtimabat? Sed ille eſt Sanctorum mos, de ſe modeſtè loqui, & ſupprimere quæ vanam redolent gloriam, ſuaſque prærogatiuas quaſi ignorare. In congreſſu illo, quem Iacob à Meſopotamia regreſſus habuit cum Eſau fratre ſuo, vt pariter cum illo in eius domum graderetur, humaniter ſe excuſauit Iacob dicens: *Noſti, Domine mi, quod parvulos habeam teneros, & oues & boues fetas mecum, quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vno die cuncti greges.* Genes. 33. Quo in loco quæro, Cur Iacob aliam excuſationem non oſtendit, quæ non minus idonea videbatur, Cur non dixit ſe altero pede claudicare: & propterea non poſſe iter tanta celeritate conficere? Dicet aliquis. Quia plus ſuis, quàm ſibi conſulebat, & egrius ſuum laborem tolerabat. Rectè quidem. Sed aliter quoque ad præſens inſtitutum accommodatè mihi videor poſſe reſpõdere. Quia ſi claudum ſe diceret, inquirenda vlterius erat ab Eſau claudicationis cauſa, &c

Sanctorum humilitas in ſuis laudibus tegendis.

Iacobi hac de re excuſatio.

& nisi subrustico, invrbanoque pudore dicere subterfugeret, quod rogabatur, dicendum erat, quomodo cum Angelo luctatus fuerit; quomodo ab eo benedictionem acceperit; aliaque id genus, quæ ad eius commendationem maximè conferebant. Ne igitur suas laudes aperire cogeretur, suam claudicationem censuit occultandam.

II. *Ioseph suum inter fratres honorem non attendens, eis seruiebat.*

Diuinum somnium, quod Ioseph habuit Genes. 37. declarabat illum fore Dominum parentum, ac fratrum suorum: ipse nihilominus, quasi dignitatem suam penitus ignoraret, se vtrique tanquam obsequentissimum seruum exhibebat. nam cùm vellet eum pater ablegare, vt de fratrum salute indagaret, promptissimus fuit: *Cumq; fratres*, inquit sacer textus, *illum in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente: Præsto sum, ait ei. Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem, inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. Dixitq; ei vir: Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergò Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain.* Quam eius humilitatem D. Ambrosius lib. 1. de Officiis cap. 17. admiratur: *Ioseph*, inquit, *cùm somniasset, quòd Sol, & Luna, & stella adorarent eum; sedulum tamen obsequium deferebat patri.* Non enim dignitatem sibi in somnio præmonstratam attendebat; sed propriam seruitutem à se humiliter seruiendam spectabat.

12. *Moysis præ humilitate non curabat ortu sui splendorem.*

Deus Moysi tabulas legis daturus, cum eodem hac de re colloquens in Sina, quasi sol radiatissimus Moysi suam gloriam, id est, radios suæ lucis afflauit adeò fulgidos, vt Hebræi in faciem Moysi, quasi in alterum solem intueri nō possent, sed ab eo facies suas auertere cogerentur: & tamen sacra pagina, inquit: *Cumq; descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas, & ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Quod planè mirum est. Nam licet splendorem in facie existentem videre non posset, vt notat Abulensis, radios tamen inde emicantes non posset non videre. Quemadmodum licet quis non videat Solem existentem à tergo; radios tamen inde in vlteriorem partem eiaculatas intuetur. Quo pacto igitur ignorabat? an solùm ignorabat lucis cautam; quod scilicet ex consortio sermonis Domini proueniret; non tamen ipsam lucem? Sed ne id quidem ignorare posset, cùm sciret, consortium præcessisse, & sufficientem illius splendoris causam fuisse, nulla posset ratione probabili dubitare. Vnde igitur hæc ignoratio? Fortè, quia præ humilitate ad gloriam vultus sui, non aduertebat; vel si non poterat non auertere ad tam insolitæ lucis splendorem; saltem, quia non curabat, non iactabat, non ostentabat; nec de illa gloria magis exultabat, quàm si non haberet, aut habere penitus ignoraret. Quod Oleaster expendit, dicens alios homines suas laudes passim prædicare Moysem verò etiam nescire.

Mauden in Tobiam.

Dauidis modestia in faciendis suis prædicandis.

Dauid plures vrsos, & leones interfecit tantâ facilitate, vt non cum illis confligisse, sed lusisse videretur, iuxta illud: *Cum leonibus lusit, quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, quasi cum agnis ouium in iuuentute sua* Eccles. 47. Et tamen cùm aliquando opus esset suas vires apud Saulem prædicare: vnum tantum leonem, & vnum vrsum à se interfectum asserit: *Nam & leonem*, inquit, *& vrsum interfecit ego seruus tuus.* 1. Reg. 17. Cur non dixit plures, si reuerà plures interfecit. Credo, vt res dicatur, & iactantia vitetur. Simile fuit Sampsonis exemplum. Qui cùm leonem interficeret, & *Sampsonis de suis laudibus silentium.* postea in eius ore mellis fauum inueniret, neutrum voluit parentibus suis indicare. Iudic. 14. Credo humilitatis causa: ne aut de interfectione leonis vllam fortitudinis laudem; aut de inuentione faui vllam sanctitatis commendationem captare videretur.

Dauid in Regem generè vocatus, suam tenuitatem prædicabat.

Idem Dauid in tãtam dignitatem electus, vt in generum Saulis regis optaretur; nihil præter suam vilitatem contemplabatur. *Quis*, inquit, *ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener Regis*, 1. Reg. 18. Et rursus ad seruos Saulis: *Num parum*, inquit, *videtur vobis generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper, & tenuis.* Ibid. Quod D. Chrysostomus hom. 1. de Dauide & Saule expendens: *Dauid*, inquit, *pro sua modestia res æstimans, recusauit coniugium, non deterritus periculis, aut hostium metu; sed, quod existimaret se indignum affinitate regia.* Et paulò post: *Debebatur, inquit, hoc honoris, vt merces laborum. Verum vsque adeò cor habebat contritum, vt post tot res cum laude gestas, post adeò splendidam victoriam, post expressam promissionem, indignum se iudicaret, qui debitam reciperet mercedem.* Quid humilius, quàm dignitatem tam multis nominibus sibi debitam non intueri, & ad solam vilitatem suam, attentâ mentis acie spectare?

D. Petrus humilitatis exemplum.

D. Petrus Cornelium sibi ad genua accidentem eleuauit, dicens: *Surge, & ego ipse homo sum.* Act. 10. Pontifex erat, ad cuius pedes etiam supremi Imperatores cernui procumbunt: & tamen non dixit; ego Pontifex sum, sed, ego homo sum. Vt non fastigium, sed consortium; non dignitatem, sed æqualitatem indicaret, proindeque humilitatem, D. Chrysostomo interprete, doceret. Sed rem paulò altius expende. Nam Petrus non ita pridem, dum oraret, actus in extasim, rerum quodammodo excesserat, cælo appropin-

quarat: & in aperto cælo noui cuiuſdam theatri ſpectator fuerat, noui cuiuſdam oraculi auditor, & ex vtroque admonitus, ne à Gentilium commercio abſtineret, ſed omnes, à quibus vocaretur, intrepidus adiret. Quæro igitur, cur à Cornelio accerſitus, cæleſtem illi, quam habuerat viſionem, non reuelat? Cur non dicit, ſe vidiſſe cælum apertum, lineum è cælo ſpectaſſe demiſſum, vocem diuinitus editam exaudiſſe: quibus omnibus gentilem hominem adire iuberetur? Optimè reſpondet D. Chryſoſt. homil. 24. in Act. *Quia erat*, inquit, *alienus à vana gloria.* Qui enim talis eſt, ſuam neſcit gloriam venditare, ſed occultare.

13. *Iuſti laudati à Chriſto in iudicio, ſe laudabiles non agnoſcent.*

Omnes Iuſti in extremo Iudicio à Chriſto Domino laudati, adhuc ſe laudabiles non agnoſcent. Nam laudanti eos Chriſto Domino, ac dicenti: *Eſurini, & dediſtis mihi manducare: ſitini, & dediſtis mihi bibere*, &c. Matth. 25. verſ. 35. ipſi, quaſi tantarum laudum ſibi conſcij non eſſent, reſpondebunt: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum?* Ibid. v. 37. Non omninò quidem ſuas virtutes ignorabunt; ſed quaſi ignorarent, præ humilitate omnes illas diſſimulabunt. Vnde Author Operis Imperf. hom 54. in Matth. admirabundus exclamat: *O humilitas*, inquit, *Iuſtorum, quæ nec poſt mortem deficit! Homo enim malus etiam falſis laudibus delectatur: vir autem bonus etiam debitam ſibi laudem fugit. Ecce, ſi per errorem perſona veniens aliquis, pro altero, alteri vano homini gratias agit pro beneficio quodam; quamuis in conſcientia ſua cognoſcat, ſe nihil tale feciſſe; tamen tacet, & congaudet, audiens quæ non ſunt ſua. Si verò bono alicui gratias agit; quamuis bonus ille intelligat, verum eſſe quod de ſe dicitur; tamen refugit, & repellit audire etiam ea, quæ ſibi debentur.*

14. *Deo gratiſſimum, ſe deprimere.*

Itaque iuſti nihil minus, quàm ſua ornamenta cõſiderant. Tobias noſter quaſi comparatione Mercenarij ad nihil vtilis eſſet, declarat ſe non eſſe condignum prouidentiæ eius. Hæc ſunt, quæ multum apud Deum merentur, hominemque magnificant: *Centurio dixit*, inquit Chryſoſt. hom. 3. in Matth. *Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: & propterea dignus effectus eſt, ſupraque omnes Iudæos iure mirabilis. Sic etiam Paulus ait: Non ſum dignus vocari Apoſtolus; ideò omnium primus factus eſt. Sic & Ioannes: Non ſum, inquit, idoneus ſoluere corrigiam calceamenti eius: & idcircò amicus factus eſt ſponſi. Et manum quam indignam calceamentis eſſe dicebat eam, Chriſtus ad caput ſuum ſublenauit. Sic etiam Petrus ait: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum: & propterea factus eſt Eccleſiæ fundamẽtum. Nihil enim ſic eſt amicum Deo, quàm ſi quis ſe minimis annumeret: hoc eſt enim caput totius philoſophiæ atque faſtigium. Qui enim humiliatur corde, atque conteritur, non efferetur inani gloriâ: non inuidia liuore, non iracundiæ furore vexabitur: non vllis alijs vitijs ſubiacebit.*

Matth. 8. 1. Cor. 15. Matth. 3. & Ioan. 1.

Luc. 5. cap.

Vnde olim Deus volẽs Synagogam ad ſanctitatẽ reuocare: *Scito*, inquit, *iniquitatem tuam.* Ieremi. 3. verſ. 13. Vbi Theodoretus: *Sanctitatis*, inquit, *principium eſt, infirmitatem ſentire.* Quam humilem de ſe opinionem ſolet Deus ſtatim remunerare. Non aduertit Iacobus filiorum ſuorum Sichimitas debellãtium ſtrenuitatem, ſed paucitatem; *Nos*, inquit, *pauci ſumus: illi congregati percutient me; & delebor ego, & domus mea.* Geneſ. 34. Adeò grata fuit Deo hæc humilitas Iacobi, ſuam potiùs tenuitatem, quàm firmitatem attendentis, vt ſtatim ipſo Deo illi apparente magnificè donaretur: Ego, inquit, Deus omnipotens, creſce, & multiplicare, gentes, & populi nationum ex te erunt, Reges de lumbis tuis egredientur. Geneſ. 35. Rem aduertit D. Chryſoſtomus hom. 60. in Geneſ. *Quoniam*, inquit, *dicebat: In paruo numero ſum ego, &c. propterea miſericors Dominus nunc dicit ad eum: Creſce, & multiplicare.* &c. Quaſi eo dignior Deo videretur, quem magnis beneficiis cumularet; quo ille ſibi indignior videbatur.

15. *Sanctitatis principium, humilitas.* *Humilis de ſe opinio à Deo remuneratur.* *Exemplum Iacobi.*

Ac propterea fortè magnificum quid de ſeipſo proferentes iuſti, nomen ſuum non pronuntiãt, ſed ſub tertia perſona locuti ſunt. Ioannes in cæna, cùm de ſeipſo loqueretur: *Erat*, inquit, *recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu* IESV, *quem diligebat* IESVS. Ioan. 13. v. 23. Sed cur ſuo ſe nomine non prodidit? Rectè quidem D. Cyrillus Alexandr. lib. 9. in Ioan. cap. 15. *Nomen*, inquit, *ſuum celauit, ne inanis cuiuſdam gloriæ cauſa, diligi ſe à Chriſto deberi videretur.* Dignus planè qui arctiſſimè à Chriſto Domino amaretur, qui ne tanto quidem faſtigio charitatis inaniter gloriaretur. Sed quid illud, quod ſcripſit de ſui traditione magiſtri? *Sequebatur*, inquit, *Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus.* Ioan. 18. v. 15. Quis, obſecro, ille alius? Nonne ipſe Ioannes? Ita planè. Cur igitur, Petri nomine expreſſo, ſuum præterit? Optimè D. Chryſoſt hom. 82. in eum locum. *Quia*, inquit, *rem præclaram narrat, quod, aliis diffugientibus, ipſe ſequeretur: ideò & ſuum nomen filet, & Petrum ſibi proponit.* Vt ſcilicet eximiam illam laudem nec derogaret Petro, nec arrogaret ſibi. D. Paulus, etiam coactus ob bonum aliorum, in ſuis reuelationibus euulgandis parciſſimus fuit: *Scio*, inquit, *hominem ante annos quatuordecim, ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit; raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum.* 2. Corint. verſ. 2. Multas profectò habuit reuelationes, vnam tantum prodidit, vt Theophilactus aduertit, non ſponte, ſed neceſſitate coactus, vt docet D. Hieronymus, non ſtatim, ſed poſt annos circiter quatuordecim, vt D. Chryſoſtomus obſeruat: non in propria perſona, ſed

Ioannis Euang. inanem gloriam fugit.

Item Paulus.

in

in aliena, vt notat D. Ambrosius. Licet autem Apostolus asserat se hac de re nihil scire certò, probabiliter tamen D. Thomas 2. 2 q. 175. ar. 5. & alij opinantur Pauli animam quasi formam mansisse vnitam corpori; alioqui enim Paulus mortuus fuisset, & mox resurrexisset; Deum autem non decet, vt cùm homines in extasim rapit, eos occidat, imò sic non fuisset hic raptus, & extasis, sed occisio & mors, multaque hîc interuenissent miracula, quæ frustrà multiplicamus; cùm sine iis suauius & naturalius manens in corpore rapi potuerit, vt alij Sancti rapti sunt. *Raptus* verò, vt inquit D. Thomas, *est ab eo quod est secundum naturam in id, quod est supra naturam ex vi superioris naturæ, eleuatio.* Vnde Angeli, & animæ beatæ non rapiuntur cùm Deum vident: quia licet supra naturam eleuentur, non tamen alienantur ab eo, quod est secundùm naturam, id est, à naturali animæ statu qui est in homine, vt per sensus corporeos, & phantasmata sua obiecta cognoscat & intelligat. Quia ergo anima in raptu à sensibus, & phantasmatibus abstrahitur, Paulus verè & humiliter dixit se nescire an in corpore, an extra corpus raptus fuerit ad tertium cælum.

Raptus seu extasis quid sit, & quibus competat.

SECTIO II.

Qualis fuerit adiuratio Raguelis, quam Tobias dixit nefas esse contemnere? Et an ea fuerit obligatus satisfacere desiderio Raguelis?

1. SATVERAT Tobias, iuxta Raguelis desiderium, duas hebdomadas apud eum morari; sed ne ex longiori mora, quam in repetenda à Gabelo pecunia traheret, parenti pareret sollicitudinem, & dolorem blandè & submissè Angelum, quem mercenarium suum rebatur, aggreditur: *Azaria frater*, inquit, *peto vt auscultes verba mea: Si me ipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ. Tamen obsecro te, vt assumas tibi animalia siue seruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum*, &c. Attamen ne Angelus illi obiiceret: Pater tuus non mihi, sed tibi onus illud imposuit à Gabelo pecuniam reperendi, præoccupans dixit: *Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies, & si tardauero vna die plus, contristatur anima eius.* Nolebat vtique contristare parentem; cui hac in re non poterat satisfacere simul & adiurationi Raguelis, qua eum adiurauerat cap. 8. vt duas hebdomadas moraretur apud se. hinc addit: *Et certè vides, quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiurationem spernere non possum.* Neutrum ergo voluit contristare.

Tobias commutat Angelum ad Gabelum, quem?

2. Verùm discussione dignum est, qualis fuerit illa adiuratio facta à Raguele erga Tobiã, & an illa eũdem obligauerit? Adiuratio enim importat aliquid diuinum, qua quis diuini nominis interpositâ religione vrgetur ad aliquid præstandum vel cauendum. Ea autem aliquando est deprecatoria, vt cùm subditus adiurat superiorem, vel amicus amicum, vel pauper diuitem, vt per Deum, vel per Christum, aut aliquem Sanctum sibi subueniant. Hoc genere adiurationis videtur vsus D. Paulus cum 2. Corinth. 5. rogat Corinthianos, vt velint Deo reconciliari: *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecro pro Christo, reconciliamini Deo.* Et 2. Corinth. 10. dum ait: *Ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi*, de quibus supra.

Quid sit adiuratio deprecatoria?

Alia est execratoria; quali vsus fuit Heli versus Samuelem. Cùm enim Deus indicasset Samueli se resolutum complere omnia, quæ præposuerat aduersus Heli, & domum eius. Dixit illi Heli: *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis sermonem ab omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi.* Quæ adiurationis, seu execrationis forma familiaris Hebræis, aliquid subaudiebat durum, ignominiosum & horribile. Quale superioribus accidit seculis, quod propter suiipsius naturam & pondus, non poterat omnibus non esse notissimum. Quales fuerunt Ægyptiæ plagæ, illorum, qui adorauerunt aureum vitulum, crudelis interitus; Nadab, & Abiu filiorum Aaron; Dathan & Abiron, & Sodomeorum dirum exitium. Neque est improbabile, quæ in hac execratione subaudiuit historicus, illa singulatim explicuisse Sacerdotem, quæ cùm homines adiurati consueta forma solerent audire, non fuit cur illa sacer scriptor sigillatim exprimeret; sed satis habuit dicere: *Hoc faciat tibi Deus, & hæc addat*; nempe quæ imprecationis optat communis, & legitima forma.

3. *Quid execratoria?*

Alia est adiuratio, qua quis promissionem cogitur iuramento confirmare. Sic Genes. 24. adiurauit Abraham seruum suum Eliezer, cum volebat eum accersire filio suo vxorem ex Mesopotamia, dicens: *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.* Et paulò pòst: *Posuit ergo seruus manum sub femore, Abraham Domini sui, & iurauit illi super sermone hoc.* Sic Iacob Genes. 47. adiurauit filium suum Ioseph, *vt non sepeliret eum in Ægypto; sed in terra sancta*, in qua videlicet solâ futurus erat Dei cultus. Et conformiter iuramentum præstitit. In Canticis Canticorum cap. 2. legitur sponsus etiam adiurasse filias Hierosolymitanas per creaturas irrationales ipsis gratas: Sic enim ait: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas,*

4. *Terra adiuratio.*

ceruósque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoad vſque ipſa velit. Quo loco videns ſponſus ſponſam, dilectamque ſuam paululum interquieſcere, non vult eam protinus excitare, ſed potiùs tanquam amator & pater, vel etiam medicus indulgentiſſimus adiurat, id eſt obſecrat, & obteſtatur filias Ieruſalem, id eſt, adoleſcentulas, amicas, & familiares puellas, ſeu mulieres Ieroſolymitanas, quæ ei languenti, & laboranti aderant, & miniſtrabant, eiuſque amoribus fauebant, vt nullo pacto eam à ſomno excitari permittant, ſed potiùs ſinant eam tantiſper quieſcere, quoad ipſi libitum fuerit.

5. Adiurat autem ſpõſus huiuſmodi puellas, ſeu mulieres, non per numen diuinum, vel res diuinas, religioſas, & ſacras, ſed potiùs prophanas, id eſt, per capreas, ceruoſque camporum, id eſt per res maximè ſibi notas, & familiares, gratasque, & charas, tanquam præcipuas agri delicias. Cuiuſmodi planè ſunt capreæ ſylueſtres, ſeu capreoli, & cerui, ſeu hinnuli ceruorum, & alia ſimilia animalia ſemifera, quæ ſolent gratiſſima, & chariſſima eſſe, ne dicam in deliciis paſtoribus, & venatoribus, & ijs qui vitam ruſticam profitentur, nec ſolùm viris, ſed etiam mulieribus, & pueris, atque puellis. Quam adiurationem aliqui ſimilem exiſtimant abiurationi Abrahami: ita vt ſenſus ſit ſponſi, Adiuro vos filiæ Ieruſalem per hæc duo genera animalium, nempe capreolas, ceruos, ſeu hinnulos ceruorum, quibus venandis, ſeu capiendis præcipuè delectamini, vt ne à ſomno excitetis dilectam donec ipſa velit. Facit autem pro hac intelligentia. Nam, vt proditum eſt in hiſtoria prophana, familiare iam erat olim virginibus Aſiaticis, præſertim verò Tyrijs, quæ pars eſt Palæſtinæ, operam dare huiuſmodi feris capiendis, ſeu venandis, vt patet ex illo loco Poëtæ Latini lib. 1. Æneid. cùm ita ait: *Virginibus Tyrijs mos eſt geſtare pharetram, Purpureóque alte ſuras vincire cothurno.* Indeque natum videtur, ne temerè per Deum iurarẽt, ſed per res, vel nobis, vel eis, quos adiuratos eſſe volebant, charas, cognatas & familiares tanquam creaturas Dei.

6. Similem adiurationem adhibuit ſponſa cap. 5. dum ait: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* id eſt, Adiuro, obſecro, & obteſtor vos puellas, ſeu mulieres Hieroſolymitanas, quaſque obuias, vt nuncietis ei, ſi fortè occurrat, me præ amore vehementi erga eum quaſi deliquium animi ſimul & corporis pati. Quemadmodum videlicet Dauid dixit Pſal. 118. *Defecit in ſalutare tuum anima mea*, Et rurſus: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* Hoc modo & Daniel languiſſe, atque egrotaſſe dicitur præ magnitudine diuinarum viſionum, ſeu reuelationum, Daniel. cap. 8. Et quamuis hic non additur per capreas, hinnuloſque ceruorum; eſt tamen veroſimile eodem modo adiuratas fuiſſe, quo fuerunt cap. 2. à ſponſo.

7. *Quanam adiuratio imponat aliquem obligationem implendi id, quod adiuratur.*

Verùm enimuero priores adiurationes non habent vim obligandi; non prima, quia deprecatoria eſt: nam ſola reuerentia ad Dei nomen, præſertim ab eo, qui legitimam poteſtatem non exercet, interpoſitum, etſi ſufficiat, vt res magis deceat, & expediat; non tamen vt obligationem inducat; aliquin mendici, alios per Deum adiurantes ad eleemoſynam faciendam, ſub graui culpa eos obligarent ex ſola vi adiurationis: quod abſurdum eſſe conſtat ex ſola fidelium praxi. Neque ſecunda: adeoque Samuel obligatus non fuit ex vi adiurationis, Heli aperire à Deo ſibi reuelata; quandoquidem in hoc non erat illi ſubditus. Tertia verò adiuratio, quæ facta eſt à ſuperiore, adeoque imperatiua, & in re graui inducit obligationem faciendi id quod imperatur, etiamſi non accedat iuramentum cum iuſta ſubeſt cauſa. Talis fuit adiuratio Abrahæ, & Iacobi Geneſ. locis citatis. Huiuſmodi naturæ exiſtimant aliqui etiam fuiſſe adiurationem Ioſue, quando dixit ad Achan cap. 7. *Fili mi, da gloriam Domino Deo, & confitere*, &c. Et Ioan. 9. quando Phariſæi dixerunt cæco reſtituto: *Da gloriam Deo Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt*; Vnde D. Antoninus clariſſimè dicit: *Tenetur ſubditus ſicut ex præcepto, & iuramento exacto facere, vel dicere, ad quod adiuratur.* Et in hanc ſententiam inclinare videtur Ianſen. in cap. 31. Concord. vbi ait orationem hanc *Adiuro te per Deum*, ita eſſe explicandam. *Per gloriam, & obedientiam Deo debitam te obſtringo, quaſi te iureiurando ad hoc adſtrinxiſſem, ita vt in intemeratæ religionis, & obedientiæ in Deum crimen incidas niſi parueris.* Vnde c. 78. Ita exponit verba illa Phariſæorum ad Cæcum: *Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt*, &c. quod fuerit forma adiurandi per Hebræos. Quod autem iuramento ſublecuto vnuſquiſque teneatur id explere, quando ſine diſpendio ſalutis æternæ id ſeruari poteſt, extra controuerſiam eſt.

8. *Tobias ex vi adiurationis non fuit obligatus ſatisfacere deſiderio ſoceri.*

Cardo autem rei inter Tobiam & Raguelem verſatur in eo, An ſolummodo adiuratione obteſtatus ſit Tobiam interpoſitâ diuini nominis religione, vt apud ipſum duabus ſeptimanis moraretur: an verò extorſerit iuſiurandum à Tobia, vt non aueheret ſecum in Niniuem vxorem, antequam duæ eſſent hebdomadæ tranſactæ. Aliqui id volunt; verùm cùm textus id non explicet, credo Raguelem ſolum iuraſſe perſanctè ſe non permiſſurum abire Filiam, & generum ex domo ſua, antequam duas hebdomadas apud ipſum ponerent, adeoque ex vi adiurationis

Tobiam

Tobiam non fuiſſe obligatum illic tamdiu hærere: ſed rationem habuiſſe iuramenti per ſocerum præſtiti, illiſque multum tribuiſſe. Quod indicant verba: *Cuius adiurationem ſpernere non poſſum.* Nam eius verba ſic conſtrinxerant nobilem adoleſcentis & religioſum animum, vt nefas eſſe duceret, adiurationem illam ſeu obteſtationem inurbanè, aut etiam irreligiosè contemnere.

CAPITIS NONI

VERSVS VI.

Tunc Raphael aſſumens quatuor ex ſeruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit: & inueniens Gabelum, reddidit ei chirographum ſuum, & recepit ab eo omnem pecuniam.

Verſ. 7. *Indicauitque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ geſta ſunt: fecitque eum ſecum venire ad nuptias.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 6. 7. Obtinuit Tobias, vt commiſſionem ſuſciperet Angelus, quem mercenarium credebat; neque improbauit Raguel, qui quatuor ſeruos ei addidit ad cuſtodiam, & duos camelos ad argenti pondus, & ad leuandam itineris moleſtiam. Peruenit autem ad Gabelum, à quo, reddito chirographo pecuniam accepit, quem ſecum adduxit, poſtquam omnia, quæ ei euenerant communicaſſet, vt nuptijs intereſſet, ſicut Tobias ſibi profecturo mandauerat.

SECTIO TERTIA.

Quare Scriptura hanc Angeli commiſſionem nobis ſcripto reliquerit?

1. ANGELVS Tobiæ mercenarius hanc prouinciam ſubit, & quaſi quæuis pericula inſtar hominis timeret, aſſumit quatuor ex ſeruis Raguelis, & duos camelos, tum quia via parum videbatur tuta, cùm iter futurum eſſet inter idololatras, quibus cum timor abſit Dei, & religionis amor, quiduis crudele, ac barbarum in hoſpites audent; in eos præcipuè, qui diuerſam ſequuntur viuendi formam, neque vllos illatæ iniuriæ metuunt vltores; deinde quia vis erat pecuniarum grandis, quæ non eſt à prædonum manibus omninò tuta, cui oportuit in regione audaci, atque auida adhiberi cuſtodes; diſſimulat ſe eſſe Angelum, & inſtar mercenarij ſe itineri committit periculoſo. Quorſum Scriptura id æternitati tradidit.

1. cauſa: 2. Homo tenetur ſua dona à Deo accepta in aliorũ vſum in neceſſitate expendere.

Duas potiſſimùm reperio cauſas. Altera, vt doceret hominem, quæ accepit à Deo dona in aliorum vſum tempore neceſſitatis debere deriuare. Sicut enim Angeli, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus, totum quod acceperunt à Deo, in vſum humani generis impendunt; ita decet magis hominem homini tempore & loco opitulari: Non enim ſibi quis natus eſt, ſed alteri. Veriſſimè dixit Nazianzenus: *Nihil tam diuinum homo habet, quàm de alijs benè mereri: & ſcimus neminem ſibi naſci, neque nos nobis tantum viuere.* Id agnouit Ioſeph, cùm in Ægypto ad altiorem ſtatum euectus eſſet, & fratres eius ope indigerẽt: dicit enim ad eas Geneſ. cap. 45. verſ. 5. *Nolite pauere, neque vobis durum videatur, quod vendidiſtis me in hìs regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Aegypto.* Et cùm expreſſiſſet annos reliquos quinque, quibus nec arari poſſet, nec meti, ſubdit verſu 7. *Præmiſitq; me Deus, vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuendum habere poſſitis.*

Nullus homo ſibi ſoli natus eſt.

Exempla Scripturæ.

Similiter Pſalm. 77. dicitur in quem finem Dauid electus ſit in Regem: *Elegit Dauid ſeruum ſuum & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fetantes accepit eum. Pascere Iacob ſeruum ſuum & Iſrael hæreditatem ſuam.* id eſt, Sustulit de officio & munere paſtoritio Deus Dauidem ad miniſterium paſcendi homines: Præpoſuit enim illum Regem populo ſuo, & hæreditati ſuæ, quæ Iſrael & Iacob appellatur. Cæterùm optimam fuiſſe diuinam, electionem euentus probauit: *Pauit eos in innocentia cordis ſui*

Dauid præfectus regio in populo ſalutem.

ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos. Rexit populum in innocentia cordis, & ſapientia operis. Non affectabat gloriam ſuam, ſed Dei, non vtilitatem ſuam, ſed populi. Cupiebat non tam præeſſe, quam prodeſſe. Paſcebat oues non vt ſuas, ſed vt Domini ſui, vt miniſter, non vt herus, idque cum conſilio & maturitate ac ſedulitate. Eſtheri cap. 4. electæ in Reginam dicebat Mardochæus: *Quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore pararetis?* vt videlicet afflicta Iudæorum fortuna per te haberet fidele refugium.

3. *Deus contradit diuerſa dona hominibus, vt Eccleſia & alijs proſint.*

Et, vt verbo complectar, Deus ſua prouidentia principibus confert potentiam, diuitibus opes, doctis ſapientiam, & aliis alia dona, non vt his pro ſua libidine abutantur: ſed vt aliorum ſaluti inuigilent, Eccleſiæ eius inſeruiant, & tueantur eam quibuſcumque modis poſſunt. Hæc enim quantumuis peregrinetur adhuc in terris, tanta eſt tamen in oculis Dei, vt ab vniuerſis hominibus exigat quo eidem obediant, & ſeruiant: *Ædificabũt*, inquit Dominus ad eam, *filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi.* Et paulò pòſt: *Gens & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit: & Gentes ſolitudine vaſtabuntur. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt veſtigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi, & vocabunt te, Ciuitatem Dei*, &c. Dedit robur pluſquam virile Sampſoni, vt Iſraëlem liberum faceret, Iudic. 14. 15. & 16. vlciſceretúrque de Philiſtinis. Docuit manus Dauidis ad prælium, & digitos ad bellum, vt præliaretur prælia Domini. Angelus hic de cælo miſſus, putatus mercenarius, periculo ſe exponit, ſi ſecundum hominem loquamur, cùm Tobiæ negotium expediturus proficiſcitur in Ragues Medorum. Laudis hoc eſt non exiguæ. Zabulon & Nephtali Iudic. 5. ſummis præconiis ad cælum vſque efferri merentur, quod vbi Dei nomine per Debboram Propheticem, bellum contra Siſaram indici cognouerunt, relictis oppidis, in quibus placidam agebant quietem; domo quoque, & liberis relictis, ſeſe ad pugnam, vitæ commodis poſtpoſitis, alacriter ineundam, accinxere. De quibus ait ſacra pagina, *Zabulon & Nephtali obtulerunt animas ſuas morti in regione Meroms:* Moyſes & Dauid amore gentis ſuæ concitati, id ſibi laudi vertendum putabant, ſi contumelias tolerarent, ab ipſiſmet ſubditis interdum illatas; & pro illorum ſalute, caput, vitamque ſuam in diſcrimen adducerẽt: *Quantas*, inquit D. Ambroſius offic. libr. 2. cap. 7. *Moyſes à populo illatas abſorbebat contumelias; & cùm Dominus in inſolentes vindicare vellet, ſe tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem ſubduceret. Quam miti ſermone poſt iniurias appellabat populum, conſolabatur in laboribus, & delinibat oraculis, fouebat operibus. Et cùm ille cum Deo conſtanter loqueretur, homines tamen humili, & gratâ appellatione affari ſolebat. Meritò æſtimatus ſupra homines*, &c. Quid Dauidis referam promptam ad propugnandum Iſraelem charitatem? Num priuata commoda, communi ſaluti anteculit? Domi, militiæque in ſubditorum vtilitatem, neglecta re familiari, & vitâ ipſâ, quâ nihil charius homini eſt, perpetuò inuigilabat. De eo, ita D. Ambroſ. loc. cit. *Ante regnum ſe pro omnibus offerebat Rex. cum omnibus æquabat ſuam militiam, & partiebatur laborem. Fortis in prælio, manſuetus in imperio, patiens in conuitio, ferre magis promptus, quàm referre iniurias. Idèo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, & reſiſtens cogeretur ſenex, ne prælio intereſſet à ſuis regaretur, quod mallent omnes pro ipſo periclitari, quàm illum pro omnibus*, &c.

Summa eſt laus deſcre ſuas in communem populi vſum applicare.

Exempla Scripturæ.

D. Chryſoſtomus hom. 15. in 1. Corinth. ſummis laudibus extollit eos, qui in vſum proximi ſuam vtilitatem negligunt. *Mi frater*, inquit, *quamuis fame conficiaris, quamuis humi iaceas, quamuis cinerem comedas, quamuis ſuper lachrymis madeas, & nihil cuiquam proficiai, nihil magnum facis: etenim antiquitus magnis & generoſis illis viris hæc maximè cura erat; ſumma cum diligentia aliorum vitam diſquirere, & manifeſtè cognoſces nullum eorum ad ſuam vnquam reſpexiſſe vtilitatem, ſed proximi vnuſquiſque. Quamobrem maiorem in modum claruerunt. Etenim Moyſes multa & magna operatus eſt miracula, ſed nullum tam magnum eum fecit, vt beata illa vox, quam ad Deũ habuit: cùm inquit, Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis dele me de libro tuo. Huiuſmodi erat & Dauid. Idcircò dicebat, Ego paſtor peccaui, & ego malè feci: & hi, qui ouile ſunt, quid fecerunt? ſiat manus tua ſuper me, & ſuper domum patris mei. Eodem modo Abraham non ſuam, ſed multorum quæſiuit vtilitatem. Ideo ſe periculis exponebat, & Deum pro his, qui nihil ſibi conferebant, obſecrabat. Hi quidem tantopere claruerunt. Qui autem ſibi tantum conſulunt, conſidera quantum acceperint detrimentum. Fratris igitur filius cùm audiuit: Si tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam: optione acceptâ, ſuam quæſiuit vtilitatem, quam non modò non inuenit, ſed ipſa quoque regio eſt incenſa. Qua autem Abrahæ contigit, incolumis ſeruata eſt. Ad hæc Ionas non alijs, ſed ſibiipſi proſpiciens, penè periclitatus eſt, & ciuitas conſeruata. Ipſe verò agitatus, iactatus, & obrutus eſt fluctibus. Sed cùm multitudinis ſaluti inuigilauit, ſuam inuenit. Ita & Iacob in cuibus proprium non quærens lucrum, plurimum lucratus eſt. Ioſeph autem fratrum ſtudens vtilitati, ſuam eſt conſecutus. Qui miſſus à patre non dixit, Quid? non audiſti, quod pro viſionibus & ſomnijs diſcerpere me aggrediebantur, & ſomniorum & amoris erga me tui pœnas dabam? quid non contra me molientur, cùm in eorum ero poteſtate? Nihil huiuſmodi cauſatus eſt, nec cogitauit quidem, ſed rebus omnibus*

Proximi vtilitatem ſua præponere, ſummi meriti eſt.

omnibus fratrum ſalutem præpoſuit. Idcirco omnia poſtmodum bona adeptus eſt, quæ eum clariſſimum, glorioſiſſimumq; reddiderunt. Præterea Moyſes (nihil enim prohibet iterum eius meminiſſe, & contemplari quo modo res ſuas contempſit, & alienas proſecutus eſt.) Exod. 2. *Moyſes, inquam, in regia domo educatus, cùm Chriſti opprobrium, maiores AEgyptijs theſauris diuitias, arbitraretur, omnibus abductis cum Hebræis malorum particeps eſſe non recuſauit.* Hebr. 11. *Quamobrem non ſolum ipſe non ſeruiuit, ſed illos à ſeruitute liberauit*: Et paulò antè probatex ſacris litteris proximi res non curare damnoſum eſſe. *Etenim*, inquit, *nullum valde magnum poteſt eſſe officium, quando nullum in proximos lucrum conferatur: quod oſtendit, qui totum reddidit talentum, & ſupplicio affectus eſt, quoniam id non auxit.* Locus eſt Matth. 25. vbi Dominus ad eum, qui talentum nõ multiplicatum ſibi reddiderat, *Serue male, & piger, ſciebas quia meto, vbi non ſeminio, & congrego, vbi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens ego recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.* ſignificans gratiam, quam à Deo acceperimus, omni ſtudio, omni diligentia, omni arte multiplicandam, quemadmodum diligentes mercatores ſolent pecuniam ne otioſa iaceat, nummularijs in fœnus dare; & omni qui gratiam quam accepit, non multiplicat, ſed otioſam & inutilem retinet, eam ipſam quam habet, gratiam auferri, quia indignum ſe reddidit, vt haberet: quin etiam inutilem ſeruum condemnationis ſubire ſententiam. Veriſſimè Chryſoſtomus, *Nihil enim boni facere, hoc ipſum eſt malum facere.* Idque duplici ſimilitudine illuſtrat: *Dicas enim velim*, inquit, *ſi famulum quempiam haberes, qui etſi nec furaretur, nec conuitiaretur, nec contradiceret, imò nec inebriaretur, nec reliquorũ malorum quicquam deſignaret, ſederet tamen perpetuò otioſus, nec aliquid eorum, quæ ſeruus hero ſuo præſtare debet, faceret, non flagellares illum, non vt peruerſum caſtigares, dic quæſo? Atqui nihil dum mali operatus eſſet. Itaq; hoc ipſum malum eſt. Producamus autem, & ad reliqua vitæ genera ſermonem. Sit agricolâ quiſquam qui nulla in parte lædat noſtra bona, nec illis inſidietur, nec furtum intendat, dumtaxat conſertis domi manibus otioſè ſedeat, nec ſeminans, nec ſulcum proſcindens, nec boues ſubiugans, nec vitem colens, nec aliquem quemquam eorum laborum faciens qui ad terræ culturam pertinent. An huiuſmodi non puniemus? Atqui nihil iniuriæ intulit, ne culpare talem poſſimus. Verùm hoc ipſo quod otioſus fuit, iniuriam intulit. Iniuriam enim committit communi ratione, qui, quam debet, vtilitatem ſuam non præſtat.*

Sibi dumtaxat vtiles, inferno digni.

Nihil bonum facere, eſt malum facere hom. 16. in cap. 4. ad Epheſ.

Inſignes ſimilitudines.

4. Olim illuſtrium virorum mentibus ea inſedit opinio, vt crederent omnibus, qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cælo, & definitum locum, vbi beati æuo fruantur ſempiterno. Iam in bello ſuſcepto pro patria mori, glorioſum putarunt Lacedæmonij. Hinc Lacæna mulier, cum filium ad prælium miſiſſet, & interfectum audiſſet, Idcirco, inquit, genueram, vt eſſet, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere. Alia quædam filium ad ſe venientem conſpicata, rogauit, quid ageret patria? Is cùm reſpondiſſet, Perire omnes. Lanceam in illum contorſit, occubuitque dicens: Te igitur nobis miſêre mali nuntium. Vitâ putauit indignum, qui cum ſuis perire non ſuſtinuiſſet. De Athletis Romanis quàm cordato fuerint animo in bonum publicum, res eſt notiſſima. Salomon illud ſapientiæ pelagus immenſas à Deo opes obtinuerat iuxta ſapiẽtiam, & quia eas impendit in conſtructionem tẽpli toto orbe auguſtiſſimi & ſplendidiſſimi ad honorem Dei promouendum, populique ſalutem, laudes meruit immortales. D. Bernardus alludens ad illud Apoſtoli Rom. 1. *Græcis ac barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum*, apertiſſimè pronuntiat omnes eos qui gratiam acceptam in commune bonum deducunt, fragrare vnguentis optimis: *Quicumque*, ait, *ſe in hac vita ita benevolos & beneficos præbuerunt, ita inter homines humanè viuere ſtuduerunt, quatenus omnem quam viſi ſunt habuiſſe gratiam, non ſibi tenerent, ſed in commune deducerent, æſtimantes ſe amicis pariter & inimicis, ſapientibus & inſipientibus debitores: cumq; fuiſſent vtiles omnibus, humiles in omnibus: & præ omnibus extiterunt dilecti Deo & hominibus, quorum fragrantia in benedictione eſt: quotquot, inquam, tales præceſſerunt, fragrarunt ſuis temporibus, fragrant & hodie vnguentis optimis.* Sapientiſſimus hominum etiam venuſtè ſubmoner, *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*: in ſenſu myſtico, inſinuans gratiam acceptã alijs communicandã Sic Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel rerũ diuinarũ inſignem intelligẽtiam & peritiam conſecuti, totam Eccleſiã inde erudierunt, & collustrarunt. Syracides Eccleſ. 33. non ſilet ſe poſt patriarchas & prophetas diuinam benedictionem aſſecutum, per quam poſt illos collegit, in libro Eccleſiaſtici, vtiles alijs ſententias: *Et ego*, inquit, *nouiſſimus euigilani, & quaſi qui colligit acinos poſt vindemiatores. In benedictione Dei & ipſe ſperani, & quaſi qui vindemiat, replẽ torcular.* q d. Cùm iam diu nemo ſcripſiſſet, tandem velut ſomno depulſo excitatus ſum ad ſcribendum, & quædam ab alijs relicta collegi, atq; in commune contuli, quemadmodum qui acinos colligit poſt vindemiatores: humiliter ſe comparans collectori acinorum, prophetas verò vindemiatoribus, qui primi & plenis

Reipub vtiles ſalo digni.

Lacæna mulieres inertes filios occidunt.

Prouerb. 5.

Syracides ſicus alij Prophetæ ſua ſcripta collegit in alterũ vtilitatem.

plenis cordibus vuas in torcular comportât. Quod autem fecit, significat se non præsumptuosè fecisse, sed ex spe benedictionis diuinæ: quâ factum est, vt non solum instar collectoris acinorum paucas vuas in torcular detulerit; sed etiam instar vindemiatoris impleuerit torcular, hoc est, varias, multiplices, & omnis generis sententias conscripserit prolixè, vnde vinum salutaris sapientiæ mentem inæbrians exprimi abundè, & hauriri possit. Vnde ad sententiarum suarum lectionem alios excitans, subdit: *Respice quoniam non mihi soli laborani, sed omnibus exquirentibus disciplinas.*

5. *D. Paulus omniam sanctis immolauit.*

Diuinum illud oraculum S. Paulus rem hanc apprimè masticans, dicit: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 1. Cor. 9. id est, Cùm nemini essem obstrictus, ad omnia me demisi, etiam ad inopiam, & famem; omnium infirmitatibus me accommodaui, vt cum Corinthios videtem in danda Apostolis sustentatione tardiores & parciores, ego noluerim quidquam ab eis in sumptum accipere, vt eorum infirmitati condescenderem, & sic omnes lucrifacerem. *Iis qui sub lege sunt* (Iudæis factus sum) *quasi sub lege essem*, Mosaicâ nimirum. Factus est Paulus quasi sub lege, cùm Timotheum circumcidit, ait OEcumen. cùm purificatus voti causa templum adijt, Act. 21. v. 6. *Iis qui sine lege erant*, Gentilibus factus sum, meque exhibui tanquam sine lege essem, quasi naturam tantum ducem & lucem sequerer, vt faciunt Gentiles. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos, non mentientis astu, vel peccantis, sed compatientis affectu, vt omnium moribus me contemperans, quantum honestas & Dei lex patitur, omnium morbis mederi possem. ita S. August. epist. 9. & 19. *Non mentiendo*, inquit, *sed compatiendo, non simulantis astu, sed commiserantis affectu, omnibus omnia factus est Paulus.* Nota, *vt omnes facerem saluos.* Non enim Apostolus per fas & nefas, vt aiunt Politici, omnibus sese accommodauit, vt simularet se cum hæreticis hæreticum, cum Turcis Turcam, cum castis castum, cum obscænis obscænum: neque cum ebriosis inebriatus est, neque cum rapacibus aliena rapuit, aut aliud tale fecit: sed omnium seruum se fecit, partim commiserando, partim similia quædam cum illis faciendo, quæ tamen cum lege Dei minimè pugnarent: vt ex omnibus saltem aliquos, etsi paucos ad salutem perduceret, quando sciret se non omnes saluos facere posse.

Quomodo Paulus omnibus omnia factus sit.

Idem Sanctus scribit ad Philippenses, licet cupiat dissolui, & esse cum Christo, se tamen in carne mansurum ad eorum consolationem. *Coarctor*, inquit, *è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens, scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei. Magnum*, inquit Chrysostomus, *hic mysterium aperuit, nempe potestatem se habere abeundi, per mortem; quando enim optio datur, & electio, potestatem habemus eligendorum. Quid eligam, inquit, ignoro: in tua ergo potestate est? vtique si voluero Deum orare gratiam. Ignoro. Quid dicis Paule? Cùm hinc abiens in cælum migraturus sis, & cum Christo futurus, ignoras quid eligere debeas? Acerbam hic vitam ducis in fame, siti, frigore, nuditate, curis, persecutionibus, angustijs, & acerbam hanc adhuc vitam desideras? Quis mercator nauem habens, multis rerum copijs plenam, cùm liceat iam ad portum appellere, tutoq; quiescere, adhuc tamen in mari nauigare mallet? Quis athleta cupiet amplius certamen, cùm iam liceat coronari? Quis miles cùm iam liceat cum celebritate & trophæis à bello liberari, ac cum Rege in ipsis quiescere, & refocillari regijs, sustineat adhuc in bello sudare, & in aciem collocari? Quomodo ergo cupis adhuc in hac vita consistere, quam adeò amaram vitis?* Et inferiùs: *Futura metuis, innumeris malis obnoxius es, & apud Christum tamen esse non vis? Non, inquit, atque id propter ipsum Christum, vt quos illi lucrefeci seruos, expeditiores constituam & solidiores, & agricolationem illam, quam plantaui, frugiferam reddam. Non audisti me, non quod mihi est vtile, sed quæ sunt proximorum quærentem? Non audisti, quomodo anathema à Christo fieri concupierim, quò ad ipsum multi concederent?* Tanti faciebat Paulus animarum lucrum, & salutem proximorum, vt propter eam suam cum Christo conuersationem differri optarit.

D. Paulus ob vtilitatem aliorum desiderat differri suam beatitudinem.

Sanctus Bernardus tantus est in promouenda salute proximi, vt vnumquemque ad eam inuitet: *Tu quoque*, inquit, *si donum quod desuper accepisti, nobis contubernalibus tuis libenter impertiaris, si te exhibeas vbiq; inter nos officiosum, si affectuosum, si gratum, si tractabilem, si humilem: testimonium habebis ab omnibus, quod fragres & ipse vnguentis optimis.* Et immediatè post: *Omnis in vobis qui fraternas infirmitates tam corporum quàm animorum non solùm patienter supportat, sed insuper si licet & si valet, iuuat obsequijs, confortat alloquijs, consilijs informat: si hoc non potest propter disciplinã, solicitis saltẽ orationibus solatiari non cessat infirmo; omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omninò spargit odorem inter fratres, & odorem de vnguentis optimis. Balsamum in ore, huiuscemodi frater in congregatione, monstratur digito, & dicunt*

Deus accepto in aliorũ vtilitatem ferendo.

dicunt de eo omnes: Hic est fratrum amator, & populi
2. Mach. 15. *Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate.*

6. Prima ergo causa instruit nos, necessitate exigente teneri ad benefaciendum proximis, si non ex iustitia, saltem ex charitate, & donorum nostrorum talenta à Deo accepta nũ abscondere, sed pro sorte viriliq́ue in Christifidelium vtilitatem & commoda impendere, seruientes tempori, quantum lex diuina patitur; vt transacto hoc vitæ curriculo nobis dicatur: *Euge serue bone, & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, ero te potestatem habens etc.*
Luc. 19.

7. Altera causa est, vt discat homo Angelos non solum in spiritualibus iuuare genus humanum; sed etiam in temporali necessitate, vt palam est in hac suscepta commissione, tum in alijs quamplurimis, in quibus mortalibus auxiliati sunt: Genes. cap. 24. adiurat Abraham seruum suum, vt Isaaco vxorem quærat ex Haran. Faciebat difficultatem seruus Eliezer, sed reddit illum securum Abraham dicens: *Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi dicens: Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.* Ex quibus patet priscos Hebræos firmiter credidisse, custodes Angelos à Deo dari hominibus, vt ipsos seruent, ducant, doceant, & dirigant in negotio arduo, quale est Matrimonium.
2. Causa. *Angeli etiã in temporalibus iuuare homines.*

Cùm fraudasset Laban Iacobum, qui illi fideliter seruierat, patriam cogitat, sed nouo pacto & mercede retinetur à socero. Dicebat illi Laban: *Quid tibi dabo?* Respondit Iacob: *Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, separa cunctas oues varias & sparso vellere: & quodcumque furuum, & maculosum, variumq́; fuerit, tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea. Respondebitq́; mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te.* q. d. Tecum facit natura pecorum, vt alba ex albis, nigra ex nigris nascantur; mecum verò iustitia mea, mihi respondens, id est, me remunerans, cùm Deus, vti certò confido, humilitatem meam respiciet, laboremq́ue meum iusta mercede, quam tu iniqua pactione à me auertere conatis, remunerabit, & compensabit, efficiendo videlicet vt ex vnicoloribus tuis mihi diuersicolores nascantur. *Omnia, quæ non fuerint varia, & maculosa, & furua, tam in ouibus, quàm in capris, furti me arguent. Dixitq́; Laban: Gratum habeo quod petis.* In hoc contractu dolosum socerum Iacob iusto dolo per decorticationem virgarum decipit, seque ditat. Hoc est quod dicit textus: *Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & platanus, ex parte decorticauit eas: detractisq́; corticibus, in his quæ spoliata fuerant apparuit candor; illa quæ integra fuerant,*
Iacob iusto dolo ab Angelo instructo, decepit Labanem.

viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius. Positq́; eas in canalibus, vbi effundebatur aqua; vt cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factumq́; est vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculosa & varia, & diuerso colore dispersa. Hanc autem artem docuit Iacobum Angelus, vt patet cap. 31. Genes. v. 11. & 12. vbi sic habetur: *Dixitq́; Angelus Dei ad me in somnis: Iacob? Et ego respondi: Adsum. Qui ait: Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos atque respersos. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban.* Illa visione & symbolo significabat Angelus diuersicolores nascituros Iacobo, simulque, vt videtur, modum id faciendi per virgas decorticatas cum docuit, licet id non exprimat hic Scriptura contenta narratione totius rei, quam dedit cap. præcedenti. Dum ergo biberent hæ oues Iacobi, simulque mares in femellas salirent, species directa virgarum decorticatarum, & diuersicolorum in aquis iacentium reflexæ speciei, siue vmbræ marium ineuntium in aquis mista, vnam quasi speciem variegatam fœmellis ingerebat, quasi cernerent suos mares pulchrè viridibus maculis & albis variegatos: vnde vi phantasiæ eosdem colores suo fœtui, quem tunc concipiebant, imprimebant. Idem faciebant mares, nimirum similem vim & formam diuersicolorem suo semini imprimebant, ex simili virgarum cum vmbra fœmellarum permista specie, visione & imaginatione. Ita S. Hieronym. Augustinus quæst. 93. Angeli fauentes Iacobo phantasiam ouium vehementissimè applicabant, & incitabant ad hanc diuersicolorem virgarum imaginationem. Et Deus volens benedicere, & ditare Iacobum, per hanc imaginationem peculiari suo concursu diuersos colores, validè & multipliciter fœtibus in ipso eorum conceptu imprimebat: ita vt S. Cyrillus, Chrysostomus, & Theodoretus existiment, hæc non tam naturaliter, quam Dei dono & prouidentia obuenisse Iacobo. Idq́ue fatetur ipse Iacob suis vxoribus Rachel & Liæ, dicens cap. 31. Gen. *Ipsa nostis, quod totis viribus meis seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi. Si quando dixit: Varia erunt mercedes tua: pariebant omnes oues varios fœtus. quando vero è contrario ait: Alba quæq́; accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt. Tulitq́; Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.*

8. Cùm in summo periculo versarentur filij Israel, persecuti ab Ægyptijs, Angelus in columna nubis interponit se inter eos & Ægyptios; quæ columna ea parte, qua Ægyptios respiciebat, ita densabatur, vt Ægyptij Hebræos
Hebræi manus Ægyptiorum ope Angeli tot columna mubis protegi effugerunt.

bræos neque cernere, neq; accedere possent: ea verò parte, quâ Hebræos respiciebat, habebat speciem ignis; castra illorum illuminabat, vt possent proficisci, & transire mare rubrum, itaque euaderent persecutionem Pharaonis, Exod. 14. Loth. ab incendio seruatur ministerio Angelorum; Agar & Ismael in solitudine pascuntur; Daniel in lacu leonum; Helias sub Iunipero; Iudicum 6. animat Gedeonem Angelus quoad victoriam obtinendam aduersus Madianitas; quod in illo rerum articulo videbatur paradoxum, hoste circum circa grassante, & omnia depopulante. Tobias iunior è faucibus piscis eripitur cõsilio Angeli, quod euentus probauit nõ fuisse inutile; Sara & tota Raguelis domus ab infesto dæmone liberatur, Angelo eum alligante, & relegante in exteriores partes Ægypti: Tobias senior visum recipit ex suggesto Angeli remedio: Tres pueri in fornace Babylonica conseruantur. 2. Machab. 10. cùm numerosis instructus copijs Timotheus, priùs à Iudæis superatus, & bellico apparatu aduenisset, quasi armis Iudæam capturus, Iudas Machabæus viriliter sese opposuit, & adiutus è cælo manifesto prodigio hostem superauit: Quod facet Textus sic exprimit: *Sed cùm vehementis pugna esset, apparuerunt aduersarijs de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conseruabant: in aduersarios autem tela & fulmina iacichant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.* Non diu post Gorgiæ, & Timothæi infelicem euentum, Lysias, cui erat regni gubernatio permissa, nouas acies instruit, quas in Iudæam inuehat, frustrà ab alijs toties impetitam. Et primùm Bethsuram inuadit opportunum Iudæorum, maximumque præsidium. Aduersus quem se Machabæus cũ socijs comparat, quibus animos addidit impauidus eques, qui cum veste candida visus est cum aureis armis vibrans hastam in aduersarias acies, quem omnes de cælo missum arbitrati, leonum instar irruperunt in hostem, & post ingentem cædem conuerterunt in fugam, vt ad longum describit Caput 11. 2. Machab. à versu 6. vsque 13. In nouo Testamento Magi, B. Virgo, & Ioseph insidias Herodis, consilio Angelico euaserunt, Petrus & Ioannes è carceribus educti, Paulus è præsentissimo naufragio ereptus, Ægroti in piscina probatica sanitatem consecuti.

Alia Angelorum erga homines suos fides.

Machabæi Timotheum superarunt opera Angelorum.

9. Disputant Theologi quomodo hæc fieri possint ab Angelis, & multis vltrò citroque adductis, concludunt Angelos nihil aliud immediatè posse efficere circa corpus, nisi motũ localem; quod etiam docet Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9. Atque hinc illa generalis regula sumenda est, Angelos mediante motu locali, posse applicare actiua passiuis; ac proinde omnes illos effectus producere, qui à causis naturalibus, produci solent. Ac primò, possunt ignem è suo elemento demittere, & applicare ad inflammandas domos, ac templa, iuxta illud Iob. 1. *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues pueros q; consumpsit.* Secundò, possunt immittere vehementes ac turbulentos ventos, qui magna diruant ædificia, vt est in eodem capite. *Repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angelos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Tertiò, possunt excitare tempestatem in mari, vel commouendo aquas maris ab imo; vel magnos ventos immittendo. Quartò possunt in humano corpore morbos, somnia & cruciatus efficere, conturbando humores, mouendo & conformando spiritus animales; disiungendo compages, & connexiones membrorum. Quintò, possunt varios morbos sanare, applicando naturales herbas & medicinas, quarum vim & naturam optimè perspectam habent. Sextò, possunt quælibet corpora ex vno loco transferre in alium; res præsentes subito è conspectu nostro subtrahere; absentes verò facere præsentes; mouere statuas vt ambulare videantur; & mouere linguam asinæ, vt videatur loqui. Hæc & similia faciunt per motum localem. Ex quibus etiam constat quomodo Magi Pharaonis, dæmonis ministerio produxerint ranas & serpentes, Exod. 7. & 8. Quomodo in aduentu Antichristi futura sint signa & prodigia mendacia, & genetatim loquendo, quomodo Angeli per motum localem administrent hunc mundum inferiorem.

Explicatur quomodo Angeli hominibus noceant, vel prosint.

Si placet, adde his recentia, quæ à paucis annis contigerunt in Germania, redacta in notam à Hieremia Drexelio; quæ ipsius verbis Lectori communicabo: Cùm serenissimus, inquit, Bauariæ Dux Maximilianus, Anno clɔ Iɔc xx. in rebelles Bohemos moueret, non procul Bilsnâ, in vili pago (Lithiz ei nomen) per aliquot dies castra habuit, hoste saris vicino, & ad insidias variè procurrente. multis frustrà tentatis, noctem vnam, quæ opportunior visa, delegit sibi hostis, forsan non minimam cladem illaturus, si inferre illi tam concessum, quàm destinare. Mens erat Ser.mum Maximilianum Ducem, & omnem illic militem vi repentinâ opprimere; & vt cruenta hæc fraus certiore iret successu, selectissimos quosque milites ad signa euocabant primipili. ibat agminis caput, quod & belli, Fredericus, quondam Elector Palatinus, cuius regiam dignitatem, annuum magistratum fuisse, euentus probauit: ibat Dux Anhaltinus, ibat & Ducis Anhaltini filius, ibant præstanti animo & numero duces cõplures, cum suis quisque selectis copijs. Primum

10.

Anno 1620. Bauara castra ab insidijs militis aduersarij, ope Angelica liberata.

mum agmen Comes ab Hollach, ducebat, coniunctis ex omni turmâ selectis equitibus & Mosquetarijs, vt essent mille trecenti. hos Vngari, illos Austrij, istos alij atque alij sequebantur. Principis Anhaltini filius (qui suâ manu hæc conscripsit) regem proximus antecedebat, Hi omnes castris suis, horâ septimâ primæ noctis, cœperunt egredi. Decem millium insidiosa hæc phalanx fuisse creditur. Euntibus nox fauebat, Ser.mum Ducem Maximilianum locus non defendebat, nec adeò numerosus, puto, miles qui hosti par esset, vigilabat; vigilabant tamen pro eo insomnes Angeli, qui (quod ipsis facile) confusissimum hostem, & iam insidias metuentem quas structurus venerat, in castra repulerunt, re non tantum infectâ, sed nec quidem incepta. Triplex hosti obiectum impedimentum. Primum: à via aberrarunt, qui apud illos, viæ duces peritissimi habebantur. Facillimum est errare, cum Angeli seducunt Alterum; tantæ viarum anguistiæ occurrebant, vt vniuersum agminis ordinem turbarint & soluerint. Tertium: terror planè Panicus viam omnem coëgit relegere, nam eæ inter Vngarorum præsertim ordines ortæ sunt turbæ, vt hostem quem quęsierant oppressuri, iam fugerent velut proditi perditique. Atque hæc vel ipsorum hostium testimonio vera esse comperta sunt. nam omnia quæ narraui, Principis Anhaltini filius, gallico idiomate accuratè perscripsit, sed in vltimo prælio & ipse & bellici ipsius commentarij sunt capti.

11. Attexo narrationem (in rem ipsam iudicis partes mihi non ascribo) & duorum colloquium, è quo pronum sit opinari, in vltima anni dicti & decretoria pugna, milites è cælo suppetias aduenisse, & luculentam opẽ tulisse Catholicis signis. Non ita diu post memorabilissimam illam cæsis rebellibus victoriam, Augustæ in eodem hospitio conuenerunt, miles vnus religione Catholicus, & gente nobilis; alter dux belli è VVirtembergia oriundus, qui rebellium Bohemorum castra sequebatur. Hic miles: quæso, inquit, strenue Domine, fas mihi sit quærere, quid tandem fieri potuerit, vt omnis adeò animus in pedes vobis conciderit? An non vobis æquè ac Catholicis copiosus exercitus? An non vobis locus multo æquior quàm Catholicis? An nõ penes vos Moraui equitatus robur? An nõ vos tormentorum curulium numero illic loci superiores? an non fessum Catholicorum agmen, vos iam dispositâ per quietem acie excepistis? An non vobis vrbs à tergo munimen? vicinum palatium, Stella nomine, propugnaculum? Vnde ergò Catholicis victoria, vobis fuga? Ignoscat mihi, domine, tuus genius, pænè ausim dicere, fœminæ fuistis, quia noluistis vincere. Audijt hæc è VVirtember-

Imperatrij de inimicis in prælio Pragensi fauentibus Angelis victoriã reportarunt.

gia militiæ dux. Et, si finisti, inquit, quæ in nos promere volebas, & me audi. Pugnæ ratio hæc fuit; nos nec nostras nec hostium vires ignorauimus; quis vtrimque numerus esset legionum, scimus, & ita equitatum equitatui, turmas turmis, legionem legioni opposuimus prout licuit, certè hic ducum nec industria potest accusari, nec prudentia: arma nobis cum hoste paria fuerunt; locus, fateor, nobis æquior, ac opportunior quàm hosti fuit; ex edito pugnabamus in subeuntes. Sed & alia, non nego, Bohemorum parti contra Bauarum militem fauebant. ideoque victoriæ iam ferè certi, non sicut illi, diu deliberandum de ineundo conflictu censuimus; è re nostra esse, visum est plerisque omnibus, *confligere*, At verò post aliquod pugnæ felix initium, noua nobis ex aduerso castra stare, gens incognita, & nunquam visa se opponere, legio se ostendere de qua nihil nobis vnquam innotuit hic, mihi crede domine, ea omnium animos inuasit consternatio, vt nemo nisi fugam cœperit circumspicere nec est quod quis, adeò id nobis vitio vertat; ipsi equi stabant, & tremebant. mox partes nostræ labare, dein multum inclinare; inde ruere, demum omnes apertissimè fugere; & sanè plures è nostris in fugâ cæsi quàm pugnâ.

Et quæ autem hæc inuisa legio fuit, quæ 12.
acies illa incognita, quæ noua castra? nos qui præsentes fuimus, vetera nouimus, non noua hæc nisi ea fuerint è cælo: certe nullus militũ è formidanda & fulminatrice hac legione, stipendium à nostris ducibus vllum exegit. Si Angelos à non nemine nostrorum visos, pro nobis pugnasse dicamus, nimiùm in rem nostram honorificè locuti videbimur. Sed suum hosti testimonium non refutamus; nobilissimum veritatis argumentum est, quod aduersarius suppeditat.

——— *Fas est, & ab hoste doceri.*

Addo tertium, & recentius: Anno 1622. 13.
Durlacensis Marchio, Georgius Fridericus, contra Bauaricam aciem ad Neccarum flumen inter VVimpffen & Hailbrun se ostendit, magnis copijs, nec minoribus minis. nam prædam (vtifertur) à se Monachij in foro breui diuidendam spondebat. Bauariam certè omnem, bonus Marchio spe iam deuorarat: nec vires deerant; miles ei copiosus; multorum millium censebatur. Atque hic illius exercitus, planè instructissimus fuit ab omni apparatu bellico. Tormenta curulia & maiores balistas grandi numero secum adnexerat. Fuit qui vbi hæc omnia oculis spectasset, dicere non est veritus: ad vrbem Parisiorum oppugnandam, hunc talem apparatum satis futurum. Ita Marchio hic, Poliorcetes dici potuisset, si ei successus perinde respondisset.

Anno 1622. Tillius Dux copi cui sdã Angeli superat Durlacensem militem.

Porrò Catholicum agmen genuino, sed non

non adeò numeroſo conſtabat milite Bauaro, & Hiſpano, illi Tillius ſupremus Dux, virtute ſua, nec vnâ victoria Orbi iam notus, huic Gonſaluus Corduba præerat. Et vt partes Catholicæ, vel ante pugnam vincerentur metu, ijs pridie commiſſi prælij, Durlacenſis miles, victoriæ iam certus, nuntiari iuſſit: operirentur modò, diem craſtini; cæſum iri ad vnum omnes, & nec nuntium cladis euaſurũ. Ergo pridie Nonas Maias, poſtridie Aſcendentis Domini in cælum, vtrimque velitationes præmiſſæ, conſueta prælij exordia. Inde conflictus cœpit, acer, vehemens, cruentus, & qui ad ſex horas tenuit. Diu anceps ſteterit victoria. Demùm ex equeſtrium numero vnus, vndeunde aduectus (*Albatum equitem dixere quòd equo candido niueoq; ſit vſus*) initium fecit victoriæ à parte Catholica ſtaturæ. Admiranda in hoc equite fuere complura, Primum illud: equus ei non ſolum niueus, ſed adeò permix & Pegaſeus, vt hoſti non tam currere quàm volare crederetur. Alterum, in hunc vnum equitem plures quàm quadringentæ plumbeæ glandes conuolabant, à Moſquetarijs aduerſæ partis emiſſæ; nulla læſit, ſed nec vlla tetigit. Tertium: auſu incredibili hoſtilem aciem omnem præteruectus, à tergo hoſtium, pulueri pyreo ſubiecit ignem. Atque ita victoriæ nobiliſſimæ præluſit. Nam vbi hoſtes volantem à tergo flammam viderunt, velut feræ indagine clauſæ, collapſis metu animis, ad fugam animarunt pedes. Sed vindicem numinis iram non effugerunt, eoque tunc numero ſunt cæſi, vt campi cadaueribus ſtrati, lugubri ſpectaculo docerent, inſultantem ſuperbiam decumuiſſe, minas recidiſſe in auctorem: non armis & viribus fidendũ eſſe, ſed *Domino exercituum*, cui ludus eſt vel Xerxianas copias, vnico è ſuis milite debellare. Qui verò facinoris illius animoſiſſimi auctorem ſe ferret, qui vnà cum equo illo candido, duci ſe ſiſteret, qui præmium poſceret, nullus fuit.

14. Hæc mihi viſa ſunt ſilentio non inuoluenda, quæ ipſorum hoſtium teſtimonijs ſunt firmata. De re, plura ego non diſputo, nec aduerſariorum narrationem conuello, quæ ſi è ſolido vera eſt, facilè liquet, albatum illum, vt vocabant, equitem, fuiſſe Angelum, qui Catholico exercitui aſpectabilis venerit ſuppetias. Angelis certò nil nouũ, militiæ gratuitis ſeruire ſtipendijs. felicia caſtra, quæ vel vnico tali gaudent milite! & quantam olim nocte vna, Angelus vnus in caſtris Sennacherib Regis ſtragem edidit? pænè ducenta millia hominum iugulauit, vnicus talis cælo archiſtrategus. Atque huius ipſius Angeli, qui Aſſyriorum caſtra tantis funeribus oppleuit, fuſilem è cera ſtatuam, ante mille ducentos annos D. Chryſoſtomus ſpectauit, non ſine ſuaui ſenſu, & piis lachrimis, vt ipſe teſtatur orat. quod vet. & nom teſtam. vnus ſit legiſlator. Ita pace belloque Angeli ſuam nobis probant obedientiam, & inuictum robur, neque tantum ſcipionem ferunt vt peregrini, ſed & clauam vt milites, & duces; pacem offerunt & bellum, vti olim Quintus Fabius Carthagine in Curia, ſinu è toga facto *Pacem*, inquit, *& bellum portamus; vtrum placet?* Pacem ferunt Angeli Hominibus bonæ voluntatis; bellum rebellibus.

Angeli pace bellog; hominibus præſto ſunt.

En quot modis ſuppetias hominibus ferãt Angeli! En quanta vbique eorum humilitas! Comes aſſiduus fuit Tobiæ, vſque ad ædes Raguelis ablegatur ad Gabelum in Rages Medorum: vbique præſto eſt. Nos autem ſtatim ſubmurmuramus, ſi quid præter conditiones ſtipulatas imponitur. Coruus olim pauerat Eliam, 3. Reg. 17. id muneris imponitur Angelo 3. Reg. 19. promptiſſime obedit. Non dicit, vt hominum quidam facilè obijceret, Coruus eum pauit, inauſpicata beſtia, & ego Dei Angelus eidem paſcendo præſtabo operam? Nequaquam: Sed ſine mora Dei voluntati ſeſe conformat. Et quam habemus nos comparationem cum Angelo? Angelus velut filius in arce regia natus, & educatus rex eſt, verus regni hęres: numquam deliquit, parentem ſibi numquam habuit offenſum. Homo, iræ filius, heu quam ignobili & fæda prodit origine! non ſine ingenti labore, aſſidua lucta, continuis miſerus ac ærumnis. Dei fauorem & cæli regnum meretur; & niſi longos ac catenatos labores & dolores, finis optimus coronet, fruſtra tulit, feciſque omnia. Terra cælo comparata, punctum: homo Seraphino collatus, formica eſt. Theologorum eruditiſſimi ad infimum Angelum pueruli ſunt balbutientes & alphabetarij, quam verè Eccleſiaſtes cap. 11. *Cuncta res*, inquit, *difficiles; non poteſt eas homo explicare ſermone.* Celſiſſimam Angeli arcem ab omni hoſte vndique ſecuram incolunt; Nos paradiſi exules, in ſordente & vliginoſo viculo; in combuſto pago degimus, & tamen genus atque proauos noſtros, noſtras terras, & palatia iactamus. Angelus ab omni labe immunis, nullum pendit vectigal morti: homo, ipſa putredo, ad mortem ſenſim defluit, tandem fit cadauer, & abiicitur; nec antehac nullus reſtitit, quin ſeſe præberet vermibus, expectatum epulum. Formam noſtram quãdoque ipſi adeò ſuſpicimus, veluti cælo delapſos homines, aut inſtar Deorum vel Dearum, nos coli non indigneműr. Sed hem quo purpuriſſo rubicundulas genas, vel leuis tingit febricula? mors & morbus, omnem oris purpuram extinguunt, & vultum vel venuſtiſſimum lurore cereo ſic fædant, vt non tantum non alij, ſed nec ipſi nos amplius nôrimus,

15. *Reprehenditur hominis ſuperbia, qui aliis inuare dedignatur.*

Quantum differat Angeli dignitas ab hominis.

mus, & ad ſpectaculum quæramus, *Quis est?* Non tantùm fragile, ſed breue quid eſt humana forma, & ad formam Angeli, ah neutiquam accedit. Conferam vnum humanas elegantias omnes, & vna fiat, nondum ſat digna erit, vel infimo Angelo. Niter quidem etiam aurichalcum, ſed quàm illud exiguæ dignitatis eſt, auro collatum? Angelorum pulchritudini, cum hominum formâ minus conuenit, quàm auro cum aurichalco. Quid nos ergo, ô homunculi, formiculæ, potentiam aut genus, aut ſcientiam noſtram crepamus? quid ſuperbimus? Delira vanitas eſt, & quæſo ponamus criſtas. Angelos cognatione proximâ ſanè non attingimus, neque de nobis pronuntiauit illud rex Dauid Pſalm. 8. *Minuiſti eum paullò minus ab Angelis*: Patum ad nos laus iſta; propria Chriſti eſt. Paulus id diſertiſſimè affirmat, ad Hebr. cap. 2. *Eum autem*, inquit, *qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus* IESVM, *propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Nos verò Angelis multo inferiores ſumus, nihilominus tamen Angeli, nobis tanquam dominis ſuis, inſeruiunt fideliſſimè. Nos verò nec Deo nec Angelis, nec hominibus. Fœtent iſta, & odorem tetrum exhalant.

SECTIO IV.

An vir iuſtus ſine nota vſuræ nihil recipere poſſit ſupra ſortem pecuniæ mutuò datæ? Et an quid laude dignum exiſtat ex parte Gabeli in pecuniæ redditione.

1. ANGELVS hoc loco ſub ſchemate humano dicitur recepiſſe omnem pecuniam à Gabelo, quam ſcilicet Tobias ſenior ante viginti quatuor annos ipſi egenti, mutuò dederat. D. Ambroſius cap. 2. libr. de Tobia, laudat Tobiam, quod in neceſſitate conſtitutus illam non repoposcerit, nullumque commodum inde reportarit: *Ille*, inquit, *plus honeſtati, quam pietati conſulens, cui ſua decrant, alimoniam commodauerat proximo ſuo; quam toto vitæ ſuæ tempore in tanta indigentia non poposcit. Vix vbi ſe feſſum vidit, & depoſitum ſenectute, inſinuauit filio, nontam cupiens commodatum repoſcere, quàm ſolicitus ne fraudaret hæredem. Quod igitur commendauit pecuniam, & non fœnerauit, iuſtè ſeruauit officium.* Quæritur an illicitum fuerit aliquid vltra ſortem accipere? Extra controuerſiam eſt, pium eſſe proximo mutuare. Nam Dauid ait: *Iuſtus miſeretur & commodat*, Pſalm. 36, & Sirac. Eccleſ. 29. *Fœnera proximo tuo in tempore neceſſitatis illius.* Certum etiam eſt ex vi mutui, nihil licere vltra ſortem accipere tanquam debitum: nam Deuter. 23. dixit Dominus: *Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et Luc 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Prior pars eſt conſilij, poſterior præcepti. Præterea de tali auctario Gregorius Nyſſenus hom. 4. in Eccleſ. ſic pronuntiat: *Fœnus, qui aliud latrocinium, & parricidium nominauerit, non procul ab eo quod dicet, aberrauerit. Quid enim refert, an clanculum perfoſſis muris prædonis more aliena habeat, & prætereuntis cade te eorum, quæ habeat, dominum conſtituas, an fœnoris neceſſitate acquiras ea, quæ ad te non pertinent?*

Pium eſt, proximo mutuare.

Impium eſt, fœnerare.

Fœnus & latrocinium paria ſunt.

Nec refert, quod videatur amicitiam præſtare, qui ſic mutuat. nam, vt ait Auctor operis imperf. hom. 12. in Matth. *Videtur quidem neceſſitati ſuccurrere, reuera autem in maiorem mittit neceſſitatem. De vno vinculo ſoluit, & multis vinculis alligat. Et non propter iuſtitiam Dei dat, ſed propter proprium lucrum. Similis enim eſt pecunia morſui aſpidis. Sicut enim qui ab aſpide percutitur, quaſi delectatu vadit in ſomnum, & ſic per ſuauitatem ſoporis moritur: ſic & qui accipit ſub vſuris, pro tempore delectatur, quaſi qui beneficium accipit: & ſic per ſuauitatem beneficij non ſentit, quomodo captiuus efficitur. Nam ſicut venenum aſpidis latenter per omnia membra diſcurrit, & corrumpit: ſic vſura per totas facultates eius diſcurrit, & conuertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conſperſionem corrumpit, & trahit illam & facit illa totam fermentum: ſic quum vſura in domum alicuius intrauerit, totam ſubſtantiam eius ad ſe trahit, & conuertit in debitum.*

Vſura ſimilis morſui aſpidis.

2. Licitè autem potuiſſet Tobias aliquid vltra ſortem accipere, ſi Gabelus gratis & liberaliter, non autem vt debitum, ipſi quid obtuliſſet. Rurſum potuiſſet licitè aliquid exigere à Gabelo, ſi intereſſe habuiſſet lucri ceſſantis, vel damni emergentis. Denique potuiſſet totum recipere vltra ſortem, quidquid ipſe oneris ſubijſſet ad eam pecuniam Gabelo procurandam, ad ſuam videlicet indemnitatem. Sic in Montibus pietatis mixtis declarauit Leo X. licitum eſſe aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad Montium conſeruationem, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra ſortem abſque lucro eorumdem Montium recipere, videlicet, quando maſſa ab aliquibus relicta eſt, ad mutuandum indigentibus, quæ montem conficiat; non autem quod neceſſarium eſt ad ſoluendum miniſtris, & alijs comparandis ad Montium conſeruationem, & indemnitatem neceſſarijs. Id enim definit, *neque ſpecies mali præferre; nec peccandi incentiuum præſtare, neque vllo pacto improbatis, quinimo meritiſſimum eſſe ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minimè vſurarium putari, licereq; illorum pietatem & miſericordiam populis*

Quando licitè aliquid vltra ſortem accipiatur?

Montes pietatis mixtos eſſe licitos.

Mauden in Tobiam.

prædicare, etiam cum Indulgentijs, à sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis.

3. *Montes pietatis in Belgio esse licitos.*

Vbi verò Mons conflatur titulo omnino oneroso, vt in Belgio, licet non solùm à mutuatarijs accipere vltra sortem quod necessum est ad conseruationem Montis, ejusque indemnitatem, & iustas ministrorum impensas, sed etiam quidquid necessarium fuerit ad Montis erectionem, & constructionem, ac canonem reddituum soluendum. Ratio est, quod Administrator Montis leuans massam pecuniæ sub reditu, vt assistat indigentibus, gerat vtiliter negotium alterius, & debeat indemnis seruari, ex l. *si quis absentu.* & toto titulo ff. de negotijs gestis: quandoquidem aliter, vt præsupponitur, iusto modo non potuerit indigentibus prouideri; & de illo pronuntiat regius Propheta Psal. 40. *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum, Dominus.*

4. *Montes Belgij vtilè, vocantur pietatis.*

Adhiscent aliqui, Nulla in hoc pietas. Audi mi homo; ne sic argumenteris. Quidquid enim ad proximi subleuamen fit, pietatem redolet: Vnde Ioseph Saluator dictus est, cùm in necessitate constitutis, & fame pressis sub titulo oneroso prouidit, dicens: *Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis*, Genes. 47. Et ipse Pontifex Leo decimus hoc planissimè declarat, in definitione superiùs recitata. Et ratio hoc ipsum dictat: Si enim pro conseruatione licitum est aliquid exigere, ne Mons concidat, & vt conseruetur in commodum publicum, cur non etiam, vt à fundamentis erigatur, & extet? Si vt commodum publicum continuetur; cur non vt ita primum inchoetur & procuretur? *Sicut enim tota conseruatio est in commodum publicum, ita & erectio. Sic non solum licitum exigere contributionem pro conseruatione Montis, domus publicæ, Ecclesiæ, mœnium ciuitatis; sed etiam pro prima erectione. Nec refert, quod Pontifex solum loquatur de conseruatione; quia non fuerat ei propositum de prima illa erectione, sed solum de conseruatione.* Similiter argumentandum est de aliis ad indemnitatem Montium necessarijs.

5.

Adhæc magna pietas est, ratione boni publici eo tendere & collimare, vt sensim minor taxa soluatur, donec ad sex, quinque, & minus in centum magno Reipubl. bono, & egentium solatio taxa deueniat. Vocat enim Apostolus proles sanctas, quæ sanctitati aut baptismo proximè destinantur, cum 1. Cor. 7. loquens de fideli manente cum infideli in coniugio sine iniuria religionis, dicit: *Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*, id est, quia conniuet infidelis, facilè fidelis parentis fide, & diligentiâ, ac curâ sanctificari, baptizari, & Christianè educari filij poterunt; cùm alias, si cum viro aut muliere infideli segregarentur, in Ethnicismo remanerèt.

Si hæc non satisfaciant, audi quid quamplurimi S. Theolog. Doctores Vniuersitatis Louaniensis de hac re sentiant: *Montes*, inquiunt, *Belgici, etsi non sint perfectissimè pij, nomen tamen Montium pietatis pluribus titulis sibi vendicãt. Primus est, quod Serenissimi Belgij Principes pro aucta & innata pietate in hanc Montium erectionem, notabilem summam contulerint, siue in pecunia numerata, siue in domibus assignatis, siue in remissu iuribus principalibus. Secundus, quod idem Serenissimi Principes operosam, & prolixam curam & prouidentiam eorum omnium, qua ad horum Montium erectionem facere posset, ex merâ & gratuitâ pietate subierint, & etiamnum subeant, ac post eos Primarius Montium Patronus, directionem suam gratuitam præstet. Tertius, quod nonnulli Montium Curatores fidem ac bona sua cautionis nomine obligarint pro magna capitalis parte, centum & amplius millium florenorum, solo pietatis, nullo lucri intuitu. Quartus, quod Serenissimi Principes Montes hos erexerint spe eosdem promouendi ad plenam & perfectam pietatem, partim sua, quam adhuc Serenissima Infans meditatur liberali contributione ex aduentitijs quibusdam bonis & iuribus, partim aliorum fidelium, quos isto nomine prouocat & excitat ad hoc pietatis officium.* Hactenus Doctores. Vide plura de vsura, Montibus pietatis Discurs. 8. & 9. in septimum Præceptum.

6. *Rationes aliquorum Doctorum Louaniensium.*

Ex parte autem Gabelli hoc laude dignum est, quòd ad primam petitionem, pecuniam mutuò acceptam reddiderit: *Nemini*, inquit Apostolus, *quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Hoc viri fidelis est, debita statim exsoluere: iniustorum verò, inuito domino, quod alterius est, retinere, super liquido chirographo dubium mouere, alteri litium causam dare propter auaritiam: *Vnde bella & lites in vobis*, inquit Iacob. Apost. cap. 4. *nonne hinc? ex concupiscentijs vestris, qua militant in membris vestris*, dum videlicet vultis coram Iudice obtinere causam per calumniam, prætextu iustitiæ: Omnes enim lites oriuntur propter meũ & tuum; tolle hæc duo pronomina è mundo, aut saltem è mentibus hominum, nullæ erunt lites, nulla bella, inquit Chrysostomus.

7. *Laudatur Gabelus quod statim reddiderit acceptam pecuniam.*

Porrò qui non solùm obliuiscuntur beneficij accepti, aut mutui dati, sed & malignè & cunctanter soluunt quod debent, & creditori quod suum est repetẽti succensent, quasi iniuriam patiantur, hi sanè, meo iudicio, extremam ingratitudinis Lineam attingunt. Hanc autem agendi rationem suggillat Ecclesiasticus, cùm ait: *Multis quasi inuentionem æstimauerunt sanus, & prestiterunt molestiam his, qui se adiuuerunt. Donec accipiant, osculantur manum dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam, & in tẽpore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædij, & murmurationum, & tempus causabitur. Si autem potueris soluere, aduersabitur, solidi vix reddes dimidium, & computabit illud quasi*

Ingratissimus qui succenset creditori sua repetenti.

quasi inuentionem. Sin autem fraudabit illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis, & conuitia; & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam. Ita Ecclesiasticus caput. 29. 4. Sententia est eos qui pecunia indigent, apud eos, qui tribuunt profiteri victuram semper in animo beneficij memoriam, se illis deditos ac deuotos perpetuò fore, & si quæ alia humiliora verba, quibus se opignorarent, inuenerunt. Cùm verò reddendum est quod est acceptum, & summa pecuniæ repræsentanda, eò perueniunt, quo pessimus quisque & ingratissimus, vt scilicet moras nectant, causas fingant, irascantur etiam, & benefactorem quasi molestum & importunum contumeliis impetãt. Quod dicitur, *solidi vix reddet dimidium & computabit illud quasi inuentionem*, hoc significat, totius summæ, quam debet, vix mediam reddere partem, atque ipsa se gerere, quasi illam humi abiectam inuenisset, non quasi ab amico acceperit, qui fortasse illa cum incommodo interim caruit, quæ res beneficij gratiam, rem vt par est reputanti, apud æquum æstimatorem augere multùm debuisset.

CAPITIS NONI

VERSVS VIII.

Cumque ingressus esset domum Raguelis, inuenit Tobiam discumbentem: & exiliens, osculati sunt se inuicem: & fleuit Gabelus benedixitque Deum.

Vers. 9. *Et dixit: Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deum, & eleemosynas facientis.*

Vers. 10. *Et dicatur benedictio super vxorem tuam, & super parentes vestros.*

Vers. 11. *Et videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum, vsque in tertiam & quartam generationem: & sit semen vestrum benedictum à Deo Israel, qui regnat in sæcula sæculorum.*

PARAPHRASIS.

Vers. 8. 9. 10. 11. Septemdiali celebritate nuptiarum nondum peractâ venit Gabelus, & Tobiam epulis accumbentem inueniens, præmimio gaudio exiliens, irruit in amplexus eius, & Hebræorum more mutuo se osculo vicissim exceperunt. Quo tempore recordatus Gabelus senioris Tobiæ viri eminentis in omni pietatum genere, & præsertim in misericordia erga contribules, omnem ipsius filio felicitatem precatus est, quin & vxori & parentibus, & copiosam nouis coniugibus sobolem, quæ sanctiori vitâ Deum glorificet.

SECTIO QVINTA.

Quare Gabelus in felici apprecatione nouorum coniugum addiderit,
Dicatur benedictio, &c. super parentes vestros?
& cur de sobole bona tam sollicitus?

1. SEPTEM diebus peragebatur nuptialis solennitas apud Hebræos, vt constat Genes. 29. in nuptijs Iacobi, Iudic. 14. in nuptiis Sampsonis, & hoc loco: qua durante superuenit vocatus ad nuptias Gabelus, adhibito osculo cum fletu ex singulari affectu erga Tobiam, ob senioris Tobiæ latè dissemina-tum, & suauissimum nomen ex morum integritate, religione eximia, & misericordia singulari, omnem ipsi felicitatem apprecatur. Quem locum fusius discussi Sect. 5. & 6. in cap. 7. huius historiæ, vbi de laude vtili viri eminentis; & an alicui contingat benedictio ob parentum merita, plura comperies, vnde

neceſſum non eſt hîc illa repetere.

2. *Filij mores exprimunt parentis mores.*

Hoc tantum quæro, quare Gabelus velit benedici parentes nouorum coniugum? Breuiter illud indicat Hebræus Sapiens Prouerb. 13. dum ait: *Filius ſapiens, doctrina patris.* Quod nonnulli ſic interpretantur, vt in filiorum virtute, ac moribus parentum cognoſcantur mores, & virtus. Vnde Baſilius imperator in capitibus, quæ dicauit Leoni filio, & imperij collegæ, ſic ait: *In mente habeto ſemper patris tui mores, & ad eorum exemplum vitam tuam ſtudioſè compone. Neque enim in ſocordia vitam otioſè traducimus, neque in rebus ignauiter verſamur: ſed vt vita noſtra, pro viua imagine virtutis proponi tibi poſſit, ſedulò agimus, inertiam in vitio ponentes, & laborem in laude ducentes.* Ex hoc capite ſacra pagina pluſimum ſuadet bonorum conſortium amplecti. Sirac. Eccleſ 6. *Si videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius extrabet pes tuus.* Si, inquit, videris prudentem, ſummo diluculo adeas illum, nec ſit tibi moleſtum ſomnium tuum rumpere, quo illum audias ſed tempeſtiuè vt feſtinanter, & frequens eius limen teras, vt audias ad ſalutem tuam neceſſaria. Et cap. 15. *Cum viro ſancto aſſiduus eſto, quemcumque cognoueris obſeruantem timorem Dei: Qui enim*, inquit Hebræus Sapiens Prouerb. 20. *cum ſapientibus graditur, ſapiens erit.* Optimo lateri crebrò adhærens, numquam non addiſces aliquid, vel dictum ſapienter, vel factum prudenter, vel obſeruatum ſanctè. Quare prudenter monet B. Hieronym. ad Demetriad. *Semper in comitatu tuo graues faminas habeas, mores enim & ſtudia dominarum, plerumq; ex ancillarum & comitantium moribus indicantur. Qualis enim quiſque ſit, talium conſortio delectatur.* Quod Iuliæ Auguſti filiæ, & Liuiæ exemplo illuſtrari poterat. Hæ dum in amphitheatrum prodijſſent, omnium oculos propter comitatus diſſimilitudinem, conuerterant: Liuiam cingebant viri graues, Iuliam luxurioſi iuuenes comitabantur, vt vel ipſa ſocietate, vel externo morum apparatu, interiorem animi morbū indicarent. Quemadmodum enim vina, non modo ſoli ſui ſaporem referunt, verùm etiam arborum aut fruticum vicinorum: ita non tantum eos, exprimimus, vnde progeniti ſumus, ſed & eos quorum aut conſuetudine aut commercio vtimur.

Bonorum conſortium amplectendum adoleſcentibus.

3. *Efficacia bonis conſortij.*

Benè D. Ambroſius libr. 2. Offic. cap. 20. *Prodeſt plurimùm vnicuique bonis iungi: Adoleſcentibus quoque vtile, vt claros & ſapientes viros ſequantur: quoniam qui congreditur ſapientibus, ſapiens eſt; qui autem adhæret imprudentibus, imprudens agnoſcitur. Et ad illuſtrationem igitur bonis iungi plurimum proficit, & ad probitatis teſtimonium: oſtendunt enim adoleſcentes ſe eorum imitatores eſſe, quibus adhæſerint: & ea conualeſcit opinio, quod ab his virendi acceperint ſimilitudinem, cum quibus conuerſandi hauſerint cupiditatem. ſit tibi exemplo Ioſue cum Moyſe, Loth cum Abrahamo, Eliſæus & Elias, Marcus, Barnabas, & Titus cum Paulo. Pulchra itaque copula ſenioris & adoleſcentum. Aly teſtimonio, aly ſolatio ſunt: aly magiſterio, alij delectationi.* Sic Leonem filium cognomento Philoſ. prudentiſſ. Imperator. Orientis Baſilius quoque inſtituit: *Vtere medicis animorum aſſiduè, & ipſe animo valeas: ab eis enim diſcere poteris, quas res expetere, & à quibus abſtinere debeas, quibus cum hominibus aſſueſcere, & à quorum conſuetudine abhorrere, & quomodo vitam totam diſpenſare oporteat, vt ne in frequentes morbos incidas. Si hanc inſtiteris viam, ad ſolida germana, virtutis veros limites breui poteris peruenire.*

Regius Propheta Pſal. 25. dicebat: *Lauabo inter innocentes manus meas*, pios, inquit, imitando, iuſtitiæ opera exercebo. Appoſitè Baſilius hom. in Gord. Martyr: *Quemadmodum*, inquit, *ſuauia aromatum odoramenta proprium quiddam aërem continentem ſpirant, quibus præſentes recreantur: ita vir bonus tori ſibi commorantium contubernio ſalutaris eſt, & iucundus.* Sic ſanctus Ambroſius loc. cit. de conſortio Ioſue cum Moyſe loquens, teſtatur, *quod non ſolum eum eruditi ad legis ſcientiam Moyſis copula, verùm etiam ſanctificauit ad gratiam.* Saul ipſe & impius, & impiè agens, Dauidem perſequēs, vbi ad locum venit, vbi erat cuneus Prophetarum, 1. Reg. 19. *factus eſt ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vſque dum veniret in Naioth*, id eſt, quaſi eo conſilio in Ramatha ad Samuelem, prophetarumq; collegium veniſſet, vt laudaret Deum, hymnoſque ſacros in illorum conuentu ritè concineret, ſic à diuino ſpiritu in eo articulo mutatus fuit, vt cantando illa recitaret carmina, quæ nunquam didiciſſet.

Ioſaphati ſocietas duobus Regibus idololatris ſitim extinxit, & victoriam peperit contra hoſtes.

Notabile eſt quod contigit duobus Idololatris Regibus, tempore Heliſæi Prophetæ, propter conſortium Ioſaphat Regis Iuda. Reddebant Moabitarum Reges ex ſuis gregibus, quos alebant in ſua regione coptoſiſſimos, ex pacto annis ſingulis centum agnorum millia, & totidem arietū Regibus Iſrael. Meſa porrò, qui tunc Moabiticum regnum obtinebat, Joramo, qui paulò ante regnum inierat Iſrael, tributum illud annuum præciſè negauit. Quod vitro noluit dependere Meſa, id armis extorquere ab inuito tentauit Rex Iſrael. Quare bellum adornat contra Moabitas, belliq́ue ſocium aduocat Ioſaphat Regem Iuda, qui cum domo Achab iam antè ſocietatem, affinitatemq́ue contraxerat: quibus ſe tertium ſocium adiunxit Idumæus Mouerunt caſtra per deſertum Idumææ, per terram videlicet ſiticuloſam, & arentem: cumque ſiti exercitus laboraret anguſtè, eaque cura grauiter vrgeret regios animos, contulunt Heliſæum, orantque vt pro ipſorum cauſa,

cauſa, quam in ſummum, putabant adductam, diſcrimen, precaretur Deum, & ab illo de rerum exitu, aut de pugnandi ratione conſuleret. Sed quid? Inquit facer textus: *Dixit autem Heliſæus ad Regem: Quid mihi & tibi eſt? vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ.* Ad filium Iezabelis & Achab reſpondit impauidè, nihil ſibi cum illo, aut fuiſſe, aut futurum fuiſſe commune, quare ſi Deum conſultum eſſe velit, id faciat per Prophetas, quos in honore parentes habuerunt, innuens quàm illorum eſſet futilis & inanis religio, qui Gentilicis adhærerent ſacris, & quàm Deo eſſent abominabiles. Vnde ſubiungit textus: *Dixitq; ad eum Heliſæus: Viuit Dominus exercituum, in cuius conſpectu ſto, quod ſi non vultum regis Ioſaphat regis Iuda erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. Nunc autem adducite mihi Pſaltem.* Iuramento affirmat ſe nullatenus obſecuturum Regis Iſraelis ſeu precibus, ſeu imperio, quem adeò vilem habebat, vt neque dignaretur aſpectu; ſed ob conſortium Ioſaphat Regis Iuda, quem pium eſſe nouerat, neque indignum cuius imperio & voto ſatisfaceret, acciri iubet Pſaltem, cuius ſe numeroſo cantico ad accipiendum à Domino reſponſum præpararet, & facta ſuper eum manu Domini, noua rerum cognitione illuſtratus à Deo, id quod quærebat aſſecutus eſt: *Hæc dicit Dominus*, inquit, *Facite alueum torrentis huius foſſas & foſſas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluuiam: & alueus iſte replebitur aquis, & bibetis vos, & familia veſtra, & iumenta veſtra. Parumq; eſt hoc in conſpectu Domini: inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras. Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuerſum lignum fructiferum ſuccidetis, cunctoſq; fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.* Iubet Propheta vt in ſinu illo aridi torrentis foſſæ fiant, aut ſcrobes plurimi (id enim valet foſſæ geminatum nomen) qui aquam accipiant, quas admirabili modo Dominus viberes, ſitienti multitudini, largietur. Prodigium vtique erat à diuina manu, cùm alueus qui non niſi à pluuia aquas colligit, ſine pluuia tamen, immò ſine vento, qui nubes cogit, & indicat pluuiam, aquis abundet, cùm alueus ille non haberet aquas fontanas, & iuges, ſed ad breue aliquod tempus è pluuia collectas. Non ſolum autem à Domino promittit Heliſæus abundantes aquas, quibus tantus ille exercitus reficeretur & declinaret malum, quod timebat, ſed etiam, quod non ſperabat, ſubijceret iterum Moabitidem gentem, quæ Iſraeliticum iugum ex ſuis ceruicibus excutere moliebatur, & illius regionem ita deleret, vt nullum vbertatis, aut pulchritudinis, aut fortitudinis antiquæ veſtigium relinqueret. En quantum profit conſortium vnius Ioſaphat viri pij & timentis Deum! Perire ſiti debuiſſent inglorie florentiſſimæ illæ copiæ, immò tradi hoſtibus inſtar ouium mactandæ, ſolus Ioſaphat ſanctitate ſuâ has neci eripuit.

Pauli conſortium facit naufragantes incolumes reddidit.

Cùm Apoſtolus Paulus à Centurione Iulio ducetur Romam verſus, & nauigaret per varia loca, aduerſante vento, vix peruenient ad quendam in Creta locum; à quo, licet prædiceret Paulus periculoſam eſſe nauigationem, diſcedentes patiuntur ingentem tempeſtatem, & cùm ablata eſſet omnis ſpes ſalutis, neque Sol, neque ſidera apparerent per plures dies multaque ieiunatio fuiſſet, *tunc ſtans Paulus in medio eorum dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucriq; facere iniuriam hanc & iacturam. Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe. amiſſio enim nullius anima erit ex vobis, præterquam nauis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego, & cui deſeruio, dicens: Ne timeas Paule, &c. ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.* Animæ autem in naui exiſtentes ducentæ erant & ſeptuaginta ſex, quas naufragium paſſas ob cõſortium Pauli omnes donauit euadere incolumes Deus. Quãtum eſt beneficium, eiſmodi vinctum iuxta ſe habere Pauli hoſtes, propter quem talia concedit moderator, cæli & terræ! *Si nauigantes periclitanteſq;*, ait Chryſoſtom. *& naufragium ſuſtinentes, ſi & vinculi per Paulum ſeruati ſunt, cogita quid eſt eſſe virum ſanctum in domo.*

4. Quantum ad efficaciam benedictionis attinet, dixi Sect. 10. capitis quinti, ad quæ Lectorem remitto.

5. *Præcipua parentum benedictio, erat copioſa ſoboles.*

Quare autem addiderit: *Et videatis filios veſtros, & filios filiorum veſtrorum*, ratio fuit, quòd vel vna ex præcipuis benedictionibus veteris Teſtamenti eſſet copioſa ſoboles. Vnde infelix æſtimabatur Matrimonium, quod filijs carebat, qui genus propagarent, & in quibus quodammodo defuncti vita parẽtes quam diutiſſimè viuerẽt, iuxta illud Eccl. 30. verſ. 4. *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſſet mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo: in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis. Reliquit enim defenſorem domus contra inimicos.* Ad hæc filijs deſtituti habebantur tanquam legis tranſgreſſores, quandoquidem Deus promiſiſſet ijs, qui in matrimonio viuebant, benedictionem & fæcunditatem, ſi cuſtodirent legem Dei. Vnde Oſeæ 9. iis qui ſe in omnem intemperantiæ & peccandi licentiam proiecerant, adeò vt multiplici ſcelerum profunditate cum Gabaatis, Sodomeiſque comparari poſſent, Deus ſterilitatem & orbitatem filiorum minatur: *Da eis Domine*, inquit vates, *Quid dabis eis? Da eis vulvam ſine liberis, & vbera arentia*, quaſi dicat. Puni vxores Ephraim

Parentes liberis deſtituti, habebantur legis tranſgreſſores.

phraim sterilitate, vt liberos non concipiant, aut si quos conceperint, aut peperierint, lactare & nutrire nequeant: vbera enim arentia sunt, quæ lacte carent. Sic puniuit Dominus domum Abimelechi Regis Geraræ, cùm eripuerat Abrahæ Saram vxorem, iuxta illud Genes.20. *Conclusérat Dominus omnem vuluam domus Abimelech, propter Saram vxorem Abrahæ.* Sic puniuit vxorem Dauidis Michol sterilitate vsque ad finem vitæ, quod deriserat Dauidem saltantem coram Arca Domini.

6. *Sancta fœmina ob sterilitatem erant opprobrio hominibus.*

Erat in tantum fidem obtinuerat apud Hebræos illa suspicio, vt etiam sanctæ fœminæ, quas longo tempore Deus, non propter earum culpam voluit steriles esse; sed vt nouo miraculo ostenderet filios ex eis nascituros, non naturæ viribus, sed Dei beneficio natos esse; vt etiam hæ, inquam, opprobrium & ignominiam paterentur ab hominibus, qua putabant eas a Deo puniri. Huiusmodi fuerunt Sara vxor Abrahæ, Rebecca vxor Isaaci, Rachel vxor Iacobi, Anna vxor Elcanæ, Sara filia Raguelis, Elizabeth vxor Zachariæ, & aliæ plures. Vnde Sara filia Raguelis, post longam sterilitatem orabat Deum dicens: *Peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me,* Tob. 3. Post partum verò dixit Rachel vxor Iacob. *Abstulit Deus opprobrium meum,* Genes. 30. & Elizabeth, ablatâ sterilitate, cùm iam concepisset in vtero, occultabat se mensibus quinque, dicens: *Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines,* Luc. 1. 24.

7. *Numerosa soboles & pia fortunat parentes.*

Verùm nota non satis fuisse Gabelo, numerosam apprecari nouis coniugibus sobolem, sed talem apprecatus est, quæ ex sanctitate vitæ valeat reparare ruinas Angelorum; & in qua Dei gloria augeatur, ac, vt Tobiæ iunioris, verbis vtar c.8. *In qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum*: non enim est homo à numerosa sobole fortunatus, si illa sit aut morata malè, aut fortunata parum: quia ista nouos quotidie parit dolores, & cruces figit ignominiosas, & duras miserias parentibus. Neque solet Deus concedere illis parentibus proles, qui in illis Dei gloriam non sectantur. Sic Augustus, Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, Traianus, Adrianus, cæteriqúe pœnè Imperatores omnes Gentiles, ob libidines & factum sobole caruerunt, neque vllum ex se tanti imperij reliquerunt hæredem.

8. *Parentes impij illiberi.*

Quod amplius est, parentes qui matrimonio turpiter, vel prolibus superbè vel impiè abutuntur, ad suam gloriam, Deiqúe offensam, punire solet orbitate filiorum. Exemplum est in Phenenna, quæ in filijs superbiens, Annamque sterilem irridens, ab ea supplantata est: Cùm enim Deus Annæ, ob pietatem filium dedisset Samuelem Prophetam, quem eius honori perpetuò dedicauerat; eaque de causa alias quinque proles donasset, ipla gratias agens Deo carmen eucharisticum cecinit, dicens: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos* (Phenennam, eiusque filios & assecias, mihi sterili insultantes, &c. *donec sterilis* (vtiego) *peperit plurimos, & qua multos habebat filios, infirmata est.* Tradunt Hebræi, & ex eis S. Hieronym. Abulens. Vatab. & alii, Phenennæ tot mortuos esse filios, quot nascebantur Annæ. Celebris est apud Gentiles Niobe, quæ septem filiis totidemque filiabus superbiens, seque Latonæ præferens ab Apolline Latonæ filio filiis & filiabus omnibus interfectis orbata, præ dolore attonita obmutuit, ac velut lapidescens malis diriguit, vti describit Ouid. 6. Metamorph. & Statius lib. 5.

CAPITIS NONI

VERSVS XII.

Cumque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad conuiuium: sed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.

PARAPHRASIS.

Vers. 12. Cùm votis Gabeli, & benedictionibus alij conuiuæ sua vota adiunxissent, redierunt alii commensales (qui etiam exurgentes, occurrisse videntur Gabelo) cum illo ad conuiuium, in quo erat cum timore Dei fidelis diuinæ legis obseruantia.

SE-

SECTIO SEXTA.

Quid ſit conuiuium exercere cum timore Domini.

1. *Quis ſit conuiuij finis.*

CONVIVIVM extruitur conſeruandæ mutuæ beneuolentiæ, atque amoris cauſa: vnde Iouianus Pontanus orator clariſſimus lib. de conuiuentia, ca. 2. *Qui oſtentationis ergo, amicos ad dapes inuitat, & non potius, amoris mutui excitandi, atque roborandi cauſa; is non conuiuium, ſed ſpectaculum amicis præbet.* Amoris cauſa faciebant conuiuia per orbem filii Iob, cap. 1. Illud autem exercere cum timore Domini eſt, quando quis ante menſam prouidam, & beneficam Dei gubernationem reſpicit, qua tum animalia, tum homines annuis eſcis & & frugibus, quaſi nouo opere creationis quotannis paſcit; quæ in menſa recoli vult Deus, vt ei gratiæ agantur. Hinc vates Iſaias reprehendit ebrietatibus deditos, quod operibus Dei contemplandis tempus non impendant: *Cithara*, inquit, *& lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis.* quaſi dicat. Perſtrepunt lauta veſtra, temulentaque conuiuia cithara, lyra, tympano, & tibia, quæ vos meliora audire, aut cogitare non ſinunt. Cùm potiùs interim multò vobis foret honeſtius, & vtilius meditari, quid in veſtram commoditatem, & ſalutem Dominus fecerit, quid vos viciſſim facere oporteat; quod denique vobis, veſtræque reipublicæ infortunium impendeat.

2. *Quid conuiuari cum timore Dei,*

3. *Gentiles aliquot ritus ante menſam.*

Gentiles aliquot hac in re exultiores fuerunt: *Perſarum Reges* ait Alexander ab Alexandro in Genialibus lib. 5. cap. 21. *ante cibum de modeſtia diſputabant, quemadmodum ante ſacrificium de iuſtitia, ante bellum de fortitudine. Apud Gymnoſophiſtas, paratis, inſtructiſq; menſis antequam dapes apponuntur, adoleſcentes ſinguli, qui ad Epulum conueniunt, quid generi humano lucrifecerint, quodue ſapienter dictum factumue fuerit, illa luce, coram ſenioribus exprimere coguntur. Et qui deſes, nihil in medium, quod frugi ſit, affert, impranſus manet.* De Ægyptijs memoriæ proditum eſt cùm menſæ accumberent ante appoſitas epulas, vnus quiſpiam cadauer ligneum, ſed quàm proximè ad verum effictum, oſtendebat omnibus, dicens: *Hunc intuens pota & oblectare, talis poſt mortem futurus*, quorum nobis exemplo, imprimenda foret mortis cogitatio, ne modum aut bibendo, aut comedendo excedamus. Teſtatur Athenæus, veteres Babylonios, priuſquam conuiuia inirent, Dijs ſuis ſacrificare conſueuiſſe, eoſque ſecum adduxiſſe poſtea in conuiuium videlicet, quo præſentium Deorum reſpectus & reuerentia, modeſtiæ intra ac temperantiæ terminos, eos contineret. Hoc ipſum videtur innuiſſe Daniel Propheta, cùm ait: *Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, argenteos, æreos.*

4. *Quale primorū Chriſtianorum conuiuium.*

De primorum Chriſtianorum conuiuio ſic ſcribit Tertullianus: *Cœna*, inquit, *noſtra de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim agape, quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum: ſi quidem inopes quoque refrigerio iſto iuuamus. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit: non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur: editur, quantum eſurientes capiunt: bibitur quantum pudicis eſt vtile: ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe; ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire: aquè oratio conuiuium dirimit.* Et paulò pòſt: *Conuiuium etiam ſolenne maiores inſtituerunt, idq; Chariſtia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt ſi qua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud acta menſa, & inter hilaritatem animorum ſauoribus concordiæ adhibitis tolleretur.*

5. *Gula & ebrietas abeſſe debet à conuiuio.*

Abeſſe itaque debet gula & ebrietas à conuiuio: id eſt, oblectatio ciborum, ob quam paratus ſis legem Dei grauiter tranſgredi, adeoque in cibo & potu vltimum finem conſtituere, iuxta illud Apoſtoli ad Philippenſ. 3. *Multi ambulant, quos ſæpè dicebam (nunc autem flens dico) inimicos crucis Chriſti*, &c. *quorum Deus venter eſt.* Item quando ratione ciborum graue incommodum corpori tuo aduerenter infers. Abeſſe etiam debet ebrietas, non illa, de qua Geneſ. 43. quæ hilaritatem ſignificat, *Biberuntq;, & inebriati ſunt cum eo*, ſupple fratres Ioſeph: ſed illa, quæ exceſſum ſignificat in potu inebriante cauſa voluptatis, quo vſque rationis vſus adimitur, de quo eſt illud Iſaiæ 5. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem, & potandum vſque ad veſperum, vt vino æſtuetis*, id eſt, Væ vobis, qui eo vſque bibitis, donec tandem calor à vino intemperanter hauſto vos ſternat, atque conficiat. Portò nota tunc hominem peccati mortalis damnandum, cùm pergit bibere poſteaquam aduertit periculum probabile ſecuturę priuationis rationis, niſi deſiſtat, etiamſi mentis ſpoliatio poſt vnam aut alteram horam, cùm in liberum aërem progreditur prouentura ſit: hinc enim præter animæ noxam mortalem, grauia mala exoriri ſolent, ratione gulæ & ebrietatis reſpectiuè. Teſtis eſt primus parens Adam,

Ebrietas quando peccatum mortale.

Gulæ funeſtus exitus.

Adam, Geneſ.3. Eſau Geneſ.25. Iſraëlitæ ex Ægypto,ductu Moyſis egreſſi, quamuis præſentem numinis benignitatem experientia ipſa aſſequerentur,primùm tamen aquæ defectu,deinde cibi inopia, contra Moyſem & Dominum ipſum murmurarunt. Aquas igitur de petra, cibumque cæleſti manna deſuper pluente, habuerunt. Idem ollarum Ægypti memores,ſeruitutis obliti, carnes flagitare cœperũt, Manna pertæſi, quam illorum importunitatem miſericors Dominus æquo tulit animo,coturnicum copiam ſubmittendo;ipſi autem,carnis eſu luxuriam ſtimulante, quid voracitatis querela ſunt aſſecuti? Dauid id in Pſ.77.docet: *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum.*

Exempla alia quàm plura. Iud 16. 2.Reg.2.

Philiſtæi epulabantur, & choreas ducebant: Sampſon verò implorato Dei auxilio, concuſſis ſenatoriæ domus columnis, vltus eſt iniuriam, ab inimicis dudum irrogatam. ſimulque cum ipſis periit. Nolebant filij Heli carnes coctas ab offerentibus accipere, ſed crudas exigebant, vt eas lautiori condimento præpararent: turpiſſimè tandem in prælio contra Philiſtæos ocubuére. In gulofo conuiuio innocens præcurſor Domini Ioannes, caput amiſit, Mar.6.Gula diuitem epulonem in inferno ſepeliuit.

6. *Ebrietatis horribilia exempla.*

Ebrietatis mala ſunt infinita. Benedad Rex Syriæ temulentus, maximo licet exercitu ſtipatus, per pueros principum oppreſſus 3. Reg.20 Holofernes ebrius per Iuditham capite truncatus, Iud.13.S.Hieronymus Epi. 3. ad Vitalem refert quamdam nutricem mero æſtuantem, puerum decennem ad copulam commouiſſe,indeque vterum intumuiſſe. Refert Delrio quid horribile de quodam in Flandria crapulæ dedito, qui cum finito ſympoſio cæteri Deo gratias agere vellent, dicens dæmoni potius agendas eſſe gratias,à dæmone abreptus,viuus aſſatus,& in cineres redactus eſt. Simile eſt quod refert Gabriel Prateolus in Chron.anno Domini 1580. de quodam bibone Nekerkouij in Germania, qui murmurans contra Deum illique præbibens, dicenſque: Tibi Deus, Si melius hoc anno feciſſes vinum, melius bibiſſes; obriguit,ac immobilis permanſit:nec funibus,aut equis à magiſtratu adhibitis extrahi,aut loco moueri potuit. Tertium recenſet Michael ab Iſſelt Anno Domini 1595. quod contigit in Baccharach inter Confluentiam & Moguntiam.Ebrioſus quidam vxori grauidæ dæmonem in ventre imprecatus eſt: peperit illa ſubitò monſtrum. Ebrioſus domum redit: mox monſtrum inſtar Falconis in eum inſiliens & ſibilans, caudæ ſuæ implicatum hominem venenoſis ictibus pupugit,& occidit.

7. Præterea abeſſe debent ſermones impuri: *corrumpunt enim bonos mores colloquia prava*, 1. Cor.15. Quæ ſi vino atque effrenatæ hilaritati,tanquam incentiuis quibuſdam adiungantur,mirum dictu eſt,quantopere audientium animos inficiant, & ad nefarias cupiditates, ad lubricas carnis titillationes, cæco impetu propellant. Quare tanquam exitialem peſtẽ ea fugiat,quem integritatis amor tenet. Illos taxat Iudas Apoſtolus,cùm ait: *Hi ſunt in epulis ſuis macula conuiuantes ſine timore.* Hi ſunt, inquit, qui in delicijs ſuis commaculant, tum corpus crapula,tum mentem ebrietate, gula, libidine, tum conuiuas prauâ doctrina & hæreſi,æquè ac detractione,maledicentia,atque impudicis verbis & aſpectibus: habent enim *oculos plenos adulterij, & inceſſabilis delicti*, vt ait Petr.2 Epiſ.2. *Conuiuantes ſine timore*,quia ſine Dei hominumque reuerentia intrepidè & impudenter ſe carne infarciunt,& vino ingurgitant geſtibus laſciuiunt,ac verbis virus pectoris ſui euomunt.

Abeſſe quoque debent impuri ſermones.

Abeſſe debent & impura cantica. Apoſtolus docens Epheſios,qualis debeat eſſe Chriſtianorum agape, menſa & conuiuia, inquit: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini Spiritu ſancto,loquentes vobiſmetipſis pſalmis, & hymnis,& canticis ſpiritualibus cantantes, pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Quaſi dicat: Dum in vnum conuenitis ad agapem, vel in domum ad menſam & cibum, ſtudete non vt vino,ſed vt gratia Spiritus S. adimpleamini;ſpiritualibus, ſanctiſq; colloquiis, & hymnis præſertim de Chriſto, Chriſtique beneficiis inuicem vos oblectate, paſcite & implete. Rurſum docet Apoſtolus illis verbis, vt cantionibus non laſciuis, ſed pijs & ſacris ſe recreent, & Deum laudent. Solet enim in conuiuiis animus excitari, hilareſcere, & in lepores,cantuſque reſolui.

A conuiuijs exulare debent impura cantica.

Notat Dionyſius accumbentem menſæ prę cæteris opus habere timore Dei, eumq; in ſe excitare debere, eo quod in mẽſa multæ gulæ,detractionum, ſuperbiæ, impudicitiæ, &c.ingerantur occaſiones, quæ ſine timore Dei ſuperari nequeunt. Quare S. Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſt. alijque Sancti conuiuia,licet inuitati,adire noluerunt,domi verò ſuæ conuiuium & conuiuas ſacra lectione condiebant. Qui ergo conuiuia adeunt, timore Dei ſe præmuniant, cogitentq; illud Sapientis Prouer.23. *Quando ſederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam:ne d.ſideres de cibis eius,in quo eſt panis mendacij.*

Timor Dei conuiuantibus neceſſarius.

Adhæc pauperum non debet exulare memoria. Dixit enim Chriſtus Luc.14. *Cùm facis conuiuium,voca pauperes,debiles,claudos & cæcos,& obliuiſcetur beatus eris*, &c. Eorum verò non recordari, eſt timorem Dei abiicere Filii Iacob ſedentes man-

Abeſſe debet pauperum obliuio.

manducant panem, nihil ducentes crudele fratricidium, quod eadē hora in Ioseph commiserant, Genes. 37. Sanctissimo inter natos mulierum Præcursore Domini in vinculis agente, Herodes epulatur, Herodias luxuriatur, & saltatrix in conuiuio tripudiat: Dives purpuratus cibo & potu indulget, Lazaro vulneribus pleno fame pereunte, Luc. 16. *Plorabitis & flebitis vos*, inquit ad Apostolos & seruos suos Christus, *mundus autem gaudebit.* Ioan. 16.

Gentilium alia peracto conuiuio.

Horum exempla te terreant, mi Christiane, & in mensa semper Deum cogita: conuiuio verò peracto de rebus pijs & honestis sermonem institue. De Gentilibus varia refert Alexander ab Alexan. li. 5. cap. 21. Nobis non probantur, nisi quæ virtutem sortita sunt caput atque originem atque hæc inter alia memorat: *Quidam eorum, sublata mensa, eruditas confabulationes, quidam fides, & tibias, ac Symphonias introducebant, quibus maiorum laudes, carmine decantatas adhibebant. Graci Ænigmata & Gryphos proponebant; quorum captiones soluenti, præmium carnis portio; non soluenti poena erat, vt salsum hauriret poculum. Tiberius ex lectione quotidiana quæstiones, post conuiuium discutiendas, adducebat. Alexander Severus interdum inter edendum, sæpius tamen finito conuiuio, vel ipse aliquid legit, vel alteris legentibus, benignas aures præbuit. Hadrianus Imperator, Comœdiarum lectores & Poetas admisit, qui aliquid recitarent, quod animum post conuiuia recreare posset.* Alfonsus Rex Aragoniæ, authore Iouiano Pontano, à prādio statim, vel Antonium Panormitam, vel alium è doctis viris audiebat, vt qui dignum iudicaret, animum quoque cibo suo, post pastum corporis, reficeret. De opulentissimo Cardinale. Alexādro Farnesio, Ecclesiæ Romanæ Cancellario, qui impensa sua, nobilem illam Ecclesiam, Societatis IESV patribus, ad domum professam Romæ extruxit, illud celebratur, quod cùm ipse litterarum expers esset, semper tamen ad prandium, aut cænam; viros quosque, eruditionis famâ notissimos, adhibuerit, quibus, peractâ præsertim refectione, varias de rebus variis quæstiones proponens, eosque in diuersas partes proposita discutientes diligenter attendens, tandem adminiculante sagaci, quo præditus erat ingenio, excellentissimus euaserit, atque omnium rerum scientia instructissimus.

Pontan. l. 1. de conuiuio.

Tales itaque adhibe conuiuas, quales suadet Siracides Eccles. 9. *Viri*, inquit, *iusti sint tibi conuiua & in timore Dei, sit tibi gloriatio.* Sic exercebant nuptiale conuiuium Raguel, Anna, & noui coniuges, ita vt illud conciliaret Dei timor, amor fidelis, oratio præmissa, vnde exitus bonus comes fuit. *Iusti epulentur*, inquit, Propheta, *& exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.*

Psal. 75.

Libri TOBIÆ Capitis decimi

SYNOPSIS.

TOBIA iuniore nuptijs impedito afflictantur in Niniue solliciti parentes, veriti ne quid aduersi filio contigisset, præcipuè mater, cuius dolorem nulla consolatio poterat leuare. Vrget interea iunior Tobias reditum in patriam, dolorem parentum non ferens. facultate ad hoc obtenta à socero, multis honoratus bonis dimittitur, accedente eiusdem benedictione, & instructione filiæ.

VERSVS PRIMVS.

Cùm verò moras faceret Tobias causa nuptiarum, sollicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas, quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi?

Vers. 2. *Putásne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam?*

Vers. 3. *Cœpit autem contristari nimis ipse, & Anna vxor eius cum eo: & cœperunt ambo simul flere: eo quòd die statuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos.*

Vers. 4. *Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu, heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ?*

Vers. 5. *Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.*

PARAPHRASIS.

Vers. 1. 2. & 3. 4. 5. Cùm aliquot dies definito à parente spatio addidisset nuptiarum solemnitas, solliciti erant in Niniue rerum ignari Tobiæ parentes, cùm ea omnia timerent, quæ accidere solent peregrinis, præsertim si longa est, & ignota via, & inter illos faciendum iter, qui non timent Deum; veriti præterea ne Gabelus esset mortuus, ad quem destinabatur illa profectio, aut aliquod esset impedimentum oblatum, quo minus res illa pecuniaria absolui posset expeditè, & facilè. Sic secum bonus senex meditabatur, neque ab hac cogitatione longè aberant Anna mater. Quare vterque assiduis se lachrymis conficiebat filij desiderio, sed præcipuè mater, quæ pluribus verbis suam solitudinem, & orbitatem deplorabat.

SE-

SECTIO PRIMA.

Quare Tobiam & Annam ita passus sit affligi Deus?

1. *Qui alterū amat, omnia illi timet.*

QVi amant, omnia amasijs timēt quæ hominibus accidere possunt aduersa. Quod expressit Comicus in Adelphis action. 1. scen. 1.

Ego quia non redijt filius quæ cogito? quibus nunc sollicitor rebus?
Ne aut ille alserit, aut rspiam ceciderit, aut fregerit aliquid.

Ouidius in epistola Penelopes hunc amantium erga amatos absentes affectum expressit?

Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
Quæcumque aquor habet, quæcumque pericula tellus,
Tam longa causas suspicor esse mora.

Sic hîc Tobias senior, & Anna eius coniunx propter vnici & chariſſimi filij longiorem moram definito tempore, mille cruciātur sollicitudinibus, veriti ne in itinere illi accidisset aliquid ab inhumanis Gentilibus aduersi, vel fortè ne Gabelus obiisset, aut aliquod impedimentum intercidisset, quominus pecunia debita recipi posset. Quare se assiduis lachrymis conficiunt, præsertim mater, quæ vix quietem oculis dabat.

2. *Quare Deus Tobiam & Annam tam angi permiserit.*

Iacobum tristitiâ affici permisit Deus ad annos viginti tres, antequam scire potuit Iosephum filium adhuc in viuis existere. Cùm verò in terra nihil casu fiat, discussione dignum est, quare Deus pium aliquem parentem tristitiâ velit affici? Prima ratio occurrit, quod Deus nimios Sanctorum circa rem, vel personam aliquam affectus seu amores per aduersa reuocet Deus.

1. *causa. Nimios Sanctorum amores per aduersa reuocat Deus.*

Probatur ex Augustino exemplo Iacob.

Sic sentit D. Augustinus serm. 28. de tempore. Deum leuiora peccata Iacobi, zelando Iosephi viram, voluisse purgare. *Hæc ego*, inquit, *sine Spiritus sancti dispensatione facta esse non credo. Deus enim, cuius iudicia plerumque sunt occulta, nunquam tamen iniusta; qui beato Iacob noluit indicare filium suum viuere; ille etiam Sanctum Ioseph non permisit, vt ei suam gloriam nunciaret, quinimò impulit, vt Simeonem in vinculis tenendo, & Beniamin auferendo patris sui angustias cumularet. Hæc, fratres charissimi, si fideliter attendamus, cum grandi misericordia Deum fecisse agnoscemus. Ab initio enim mundi hoc Deus in Sanctis suis exercuit, quod in beato Iacob magnâ cum pietate compleuit. Quamuis enim serui & amici Dei capitalia crimina vitauerint, & multa opera bona fecerint, tamen sine minutis peccatis eos fuisse non credimus: quia non est mentitus ille, qui dixit: Non est immunis à peccato, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Et B. Ioannes Euangelista, qui meritis non fuit vtique inferior Sancto Iacob, clamat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et alibi scriptum est: Iustus septies cadit, & resurgit. Quoniam igitur sine istis minutis peccatis Iacob esse non potuit, volens Deus illa parua peccata in hoc seculo, igne tribulationis consumere: impleuit in eo quod ipse per Spiritum sanctum dixerat: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis: & illud: Flagellat Deus omnem filium, quem recipit: Et illud: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Vt ergo sanctum Iacob Deus noster, velut aurum purgatum, in futuro iudicio præsentaret, prius ab illo omnes maculas peccatorum abstersit, vt in eo ignis ille arbiter, quod exureret, inuenire non posset.* Hæc B. Augustinus.

Iob. 25. 1. Ioan. 1. Prouerb. 24. Eccles. 27. Iob. 12. Act. 14.

3. *Leuia peccata sanctissimorum virorum nō relinquit Deus inulta.*

Hac de causa Deus peccata leuiuscula in viris sanctissimis, Moyse Araone & Samuele non reliquit inulta. Vnde regius Propheta de ijsdem inquit Psalm. 98. *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Prior versiculi pars est satis perspicua: Tuam erga eos, inquit, beneuolentiam semper ostendisti. Posterior est subobscurior. Nam illæ adinuentiones, seu rebelliones, seu peccata eorum, intelligi possunt; vel actiuè hoc est peccata, quæ ipsi committebant; vel passiuè, hoc est, peccata, quæ à subditis contra ipsos committebantur. Priori modo, & ad rem nostram, explicat D. Augustinus, asseritque Deum propitium, pariter & punitorem se illis præstitisse: immò in nulla re magis, quam in punitione suam erga eos beneuolentiam manifestasse: vt eos per temporales pœnas ab omni culparum macula expiaret. Culpam verò & peccatum Moysis & Araonis censet fuisse diffidentiam in aqua de petra educēda, ideoque damnatos fuisse ad mortem ante ingressum terræ promissionis subeundam, vt ex cap. 20. Numer. palam est. Samuelem autem propter occultam aliquam sui muneris negligentiam, punitum fuisse vitâ inter malos homines transigendâ. De qua re sic idem Author: *Agite fratres quomodo in illis vindicatum est si quæramus, aderit Dominus vt dicam. Quæramus enim tres illas personas, Moysen, Aaron, & Samuelem, & quomodo in eis vindicatum sit,*

quia dixit, Vindicans in omnes affectiones eorum. Vtique eas affectiones dicens eorum, quas Dominus nouerat in cordibus eorum, quas homines non nouerant. Etenim ſine querela hominum verſabantur in medio plebis Dei. Sed quid dicimus quia Moyſes habuit primam vitam fortaſſe peccatricem. Nam & percuſſo homine, fugit de Aegypto. Habuit & Aaron primam vitam, quæ diſpliceret Deo: nam ipſe inſanienti populo, & quærenti idolum, permiſit vt fieret, & factum eſt populo Dei idolum, quod adoraret. Samuel quid fecit infans ad templum datus? Omnes ætates ſuas inter ſancta ſacramenta Dei peregit, ab incunte ætate famulus Dei. Exod. 2. Exod. 32. 1. Reg. 1. & 3.

Et quandoquidem de Samuele ex ſacra Scriptura nihil tale conſtet, immediatè poſt ſubiungit: *Nihil vnquam dictum eſt de Samuele: nihil ab hominibus. Nouerat ibi fortè Deus aliquid quod purgaret: quia & quod perfectum iam videtur hominibus, ad illius perfectionem adhuc imperfectum eſt.* Et ſimilitudine rem illuſtrans, ſubdit: *Pleraq́, faciunt artifices, & oſtendunt imperitis, & cùm iam iudicauerint imperiti, eſſe perfecta, expoliunt illa artifices, qui nouerunt adhuc quid illis deſit, vt mirentur homines tantam expoliationem rebus accidiſſe, quas iam perfectas pronunciauerunt. Fit hoc & in ædificijs, & in picturis, & in veſtibus, & propè in omni genere artium. Primò iudicat illud iam quaſi perfectum eſſe, vt oculi eorum amplius nihil deſiderẽt. Sed aliud iudicat oculus imperitus, aliud iudicat artificis regula. Sic & illi ſancti verſabantur ante oculos Dei, tanquam ſine culpa, tãquam perfecti, tanquam Angeli: nouerat autem quid illis deeſſet, qui vindicabat in omnes affectiones eorum. Vindicabat autem non iraſcens, ſed propitius; ad hoc vindicabat, vt perficeret cœptum, non vt damnaret eiectum.* Et longè poſt, cauſam aliquam comminiſcens, inquit: *Samuel & ipſe ſanctus ſenex mortuus eſt, relictis filijs ſucceſſoribus ſuis. Quid eſt, quod in illis vindicatum eſt, quære, & ſecundum homines non inuenio: ſecundum autem quod ſcio pati ſeruos Dei, quotidie in illos vindicabatur. Legite & videte vindictas, ſed qui proficitis: fortè vindictas quotidie patiebantur, populos contradicentes, quotidie patiebantur iniquè viuentes, & inter illos viuere cogebantur, quorum vitam quotidie reprehendebant. Hæc erat vindicta.* Sic in Tobia veroſimiliter Deus vindicauit peccata aliqua leuia nobis ignota: in Anna fortè graniora, vnde irremediabiles lachrymæ leguntur.

4. 2. ratio.

Altera ratio eſt, vt probaret Deus ipſius Tobiæ & Annæ virtutem, reſignationem, amorem, & fiduciam in Deo, vti probauit obedientiam & virtutem Iſaaci & Abrahæ, cùm illi iuſſit immolare filium ſuum vnigenitum, quem diligebat Iſaac; quemadmodum & probauit virtutem Iacobi, quando paſſus filium viginti tribus annis latere patrẽ, adeò mœrentem & ſollicitum de eius ſtatu & vita. Vult enim Deus, ne nimiam in hominibus ponamus fiduciam. Blaterat hîc Anna, *Heu heu me filiuli, vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculũ ſenectutis noſtræ,* non in homine. *ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ? Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Nota verba, *Omnia ſimul in te vno habentes.* Reſecat hanc mẽtem Deus, qui eam vult magis confidere in ſe, quàm in quouis homine: Ipſe enim eſt, qui ſuſtulit de vita filium etiam vnicũ viduæ deſolatæ, Luc. 7. ipſe eſt, qui rurſus ad vitam reuocauit. Ipſe eſt, qui planiſſimè prohibuit etiam in principibus, qui plurimum valent inter nos, nimium fiduciæ conſtituere. Sic enim ait regius Propheta. *Nolite confidere in principibus, in quibus non eſt ſalus.* Pſalm. 145. Hoc ipſo in nullo nec potentiſſimorum regum, nec inuictiſſimorum Cæſarum fiducia reponenda, quia & ipſi homines ſunt. Quid enim, ô homo, confidis homini in quo non eſt ſalus? *Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terrã ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius.* Aman fidit in rege Aſſuero, eadem ſuſpenditur. Aman Eſth. 5. ſe per beatũ putabat, quod gratiã obtinuiſſet apud Aſſuerum Regẽ; vnicum tantum habebat ſcrupulum, quòd Mardochæus illi non aſſurgeret, vnde reuerſus in domum ſuam, *conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam. Et expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumq́, turbam & quanta eum gloria ſuper omnes principes & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet. Et poſt hæc ait: Reginaque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me: apud quam etiam eras cum Rege pranſurus ſum. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.* Parat ex conſilio vxoris & amicorum patibulum, cui appendatur Mardochæus, ratus quod à Rege obtineret & illam gratiam: ſed contrà res ſucceſſit, nam tanquam hoſtis, & inimicus Eſtheris, eiuſque Gentis, & oppreſſor Reginæ habitus à Rege, ſuſpenſus eſt in patibulo, quod parauerat Mardochæo. Vides, quid faciat fiducia in homine, & quid ſperari poſſit ab humana dextera, quę eodem deijcit impetu è ſublimi loco, quo eundem hominem, in eundem paulò ante ſuſtulerat. Quàm parum ſibi aſpirante aurâ fortunatus ac potens gratulari debeat, cùm inſtet à tergo horrida tempeſtas, & ridentis fortunæ ſubita, & luctuoſa conuerſio. *Beatus, ergo, cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius.*

Omnis fiducia ponenda in Deo.

Dauid Regi Achis, tanquam Angelus Dei viſus eſt; ſed quia Satrapis non placebat, excedere debebat à caſtris: *Scio,* inquit, *quia bonus es tu in oculis meis ſicut Angelus Dei: ſed Principes Philiſtinorum dixerunt, Non aſcendet nobiſcum in prælium.* Ioſephus gratus erat Regi Pharaoni, ſed mox ſurrexit nouus rex ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph, & multipliciter gentem Iſraeliticam affligebat. Sic nuſquam certa fiducia, niſi in Deo, qui ſuos ſeruat in medio

Nuſquam certa fiducia niſi in Deo.

medio laqueorum conſtitutos. Id expertus eſt Ioſephus cum ſuis, id expertus eſt Tobias Sēnacherib regi planè exoſus. Id expertus eſt Daniel Dario charus, quem fiducia in Deum à fouea leonum liberauit; omnis fauor Darij etiam reluctantis ſeruare non potuit. Hinc D. Auguſtinus in Pſal. 131. eleganter monet: *Attendite non præſumere de pecunia, de amico homine, de honore, & de iactantia ſæculi: tolle iſta omnia, ſed ſi habes illa, age Deo gratias ſi contemnis illa. Si autem inflaris inde, noli attendere quando eris præda hominum, iam diabolo præda es.* Et paulo ante: *Non ſit auxilium veſtrum niſi in vno Deo. Pecunia nihil eſt, non inde auxilium habebitis. Multi propter pecuniam præcipitati ſunt. multi propter pecuniam perierunt. Multi propter pecuniam multam quæſiti ſunt à rapteribus. Tuti eſſent, ſi non haberent quare quærerentur. Multi de amicis potentioribus præſumpſerunt, ceciderunt illi de quibus præſumpſerunt, & inuoluerunt eos, qui de ſe præſumpſerant.* Itaque *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius,* inquit Hieremias Vates cap. 17.

Iona vmbraculum ſuum perit.

Ionas Propheta dolens Niniuitis contra oraculum ſuum parci, *egreſſus eſt de ciuitate, & ſedit contra Orientem ciuitatis: & fecit ſibimet vmbraculum ibi, & ſedebat ſubter illud in vmbra, donec videret quid accideret ciuitati.* Effecit autē Deus, vt ſubitò naſceretur, & creſceret herba, quæ operiret vmbraculum, & Prophetæ caput à caloris inclementia, in nimio æſtu, defenderet. Ex quo tam inſperato, & opportuno ſubſidio magnam Ionas cepit voluptatem, ſecurum ſe autumans. Breuis ſanè voluptas: nam cùm gaudio exultaret ingenti, præcepit Deus vermi extraordinario, noſtris mordaciori & voraciori ſubito hederam, arroſâ radice, percutere, antequam Sol incaleſceret, qui cruciaret, & feriret ſuo æſtu caput Ionæ. Quàm vana Ionæ lætitia! quam inanis Ionæ fiducia! Vna nocte nata eſt hedera, deliciæ Ionæ, vna nocte etiam perijt. Vt vermis hederam ſubitò eroſit, ita vno die omnis hæc vmbratilis voluptas euaneſcit. Orbem mihi conſidera, & plenum reperies his talibus vmbraculis. Florent hæc aliquanto tempore; ſed proximum ſemper exitium huic hederæ imminet à diuerſis vermibus. Humanis fauoribus niti, heu quam commune, & peruagatum eſt vitium! Student tamen omnes aliorum ſibi gratiam & fauorem tectis ſtudiis colligere; vmbratica hæc tuguriola ſunt, quæ varij vermes inuidiæ, obtrectationis, calumniæ, mortis denique arrodunt, diſſipant, exedunt. Eſt famulus cui in ſuo domino plurimum fiduciæ; breui mors dominum rapit, & iam totum famuli vmbraculum vbi eſt? Alius patrono nititur opulento ac potente; patronus moritur, aut ipſius opes ac potentia imminuuntur, ita iam huius etiam hedera exaruit. Filij parentum ſubinde auctoritate, officijs, dignitate præclarè ſe defenſos credunt; ſubitò Deus aufert hoc vmbraculum, iamque miſeri contra quàm ſperarant, vruntur à ſole, quia perijt domus hederacea. Parentes è contra in filij vmbra plurimùm ponunt fiduciæ; ſed Deus contra ſpem noſtram, morbo vel morte eum è medio tollit, quem credebas baculum ſenectutis, ſpem poſteritatis, vnum, in quo omnia tibi perſuades habere.

Voluptatis & fauoris humani, vmbræ comparantur.

Putant Tobias & Anna quieſcere ſecurè in vmbra filij ſui, ſed illum retardat Deus, vt dignoſcant mortales, ſpes omnes, eſſe inanes, quas extra Deum in homine ponimus. Vult ergo Deus, ô Tobia, ô Anna, vt non in ipſo, non in pecunia, ſed in Deo, omnem ſpem colloceris. Optimus rex Aſa fiduciâ in Deum magnâ fuit, ſi modò etiam fuiſſet conſtante. Illam certè Deus ſic remuneratus eſt, vt decies centena millia militum, quos Æthiopiæ rex ſub ſignis habuerat, illuſtriſſimâ victoriâ profligarit. Sed heu, poſt tot annos præclarè actos, optimum hunc regem hæc vna in humanas vires fiducia perdidit. Sic aperte Propheta: *Quia habuiſti*, ait, *fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua.* Longa inde malorum ſeries ſecuta eſt. Audis, mi Chriſtiane; reprehenditur hic grauiter Aſa, quòd ab alienis populis auxiliares ſibi copias adſciuerit, cùm à Deo maiores ſibi conciliare potuerit: *Nonne*, inquit Propheta, *Aethyopes & Lybies multo plures erant, quadrigis & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm Domino credidiſſes, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egiſti: & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.* Quid dicam: Deus integrum populum vmbram vocat. Sic enim Iſaias vates expoſtulat contra Iudæos, qui poſt centum quinquaginta annos tempore Hieremiæ, occiſo ab Iſmaële Godoliâ, timentes Chaldæos, qui eum Iudææ præfecerant, ne videlicet eius necem vindicarent, fugerunt in Ægyptum, ſpreto Dei præcepto: *Væ*, inquit, *filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me; & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum. Qui ambulatis, vt deſcendatis in Aegyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra AEgypti. Væ*, inquit, filiis, qui mea mandata deſerentes conſilium eſtis aggreſſi, cuius me neque auctorem, neque hortatorem habuiſtis, vt opus inchoaretis inauſpicatum, me non ſolum non libente, ſed etiam reclamante: vt ad priora crimina noua fieret peccatorum acceſſio. Id enim agitis, vt contra ingruentem hoſtem auxiliares copias ex Ægyp-

Regem Aſa fiducia in Deum victorem effecit, fiducia in hominem perdidit.

Iſa. 30. cap. Integer populus, apud Deum tantum eſt vmbra.

to vocetis, me prorsus inconsulto, atque adeò prohibente fieri. Quasi in Pharaonis fortitudine spes salutis vestræ secura consisteret: & sub Ægyptia vmbra nihil foret ab hoste formidandum. Fallimini; nam *erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbra Aegypti in ignominiam*. Hinc collige, mi homo, fiduciam in humanis, sepositio Deo, esse inanem. Dum enim Iudæi se Ægyptiorum fidei, & patrocinio credunt, & se extricare conantur à Chaldæorum manibus, maioribus se implicuerunt malis: ita vt nullus penè emerserit, sicut testatur eiusdem capitis versus quintus.

6. *In Deo ponendam omnem fiduciam.*

Repeto igitur illud Ieremiæ Vatis cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius*: Maledictus, inquam, ille, qui in homine tanquam in Deo, aut magis quam in Deo, aut ita vt non in Deo confidit: *Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit, cùm venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili*: Hic vsque adeò infelix erit, vt pote à Domino maledictus, vt myricæ quàm simillimus sit, quæ in deserto nascitur; quia & ipsa inutilis, & despicabilis est, & quia in arido solo nata, deformis & misera: sed eò miserior, si cùm plantis alijs cælestis imber vitam, ac speciem afferat, ad ipsam tamen nunquam influat sed arentem semper, & hiantem relinquat, neque ad ipsam pertineat commune bonum: sed semper erit in arente solo, plenoque salsuginis: quod quia nihil habet, quod non horreat, inhabitabile est. Ne igitur tantum laboremus hominum fauori, neque tantopere innitamur exspectationi, quæ est ab homine, quasi illa à Deo non esset; quin potiùs omnia, quamuis per homines, ab illo emanare credamus. *Benedictus vir*, inquit idem vates, *qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius*. Is vtique longe aberit à myricæ, vel specie horrida, vel sterili planta: erit namque instar arboris, in qua nihil vel ad speciem, vel ad vbertatem requiras, vt subiungit ibidem Ieremias. Et propterea ille calumniis, opprobrijs & insidijs impetitus, ad Deum se totum conuertit: *Sana me Domine*, inquit, *& sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es*. Sana me à calumnia Iudæorum, qua dicunt meas minas esse mendacia: sana me ab animi dolore, & consequenter ab omnibus corporis malis & ærumnis. nam si sanaueris me, tunc me verè sanum arbitrabor; si salutem feceris, tunc veram mihi salutem aduenisse credam. Quod enim abs te habuero, id mihi laudi erit, quia verũ est, & laudabile bonum. Curarant hemorrhoissam complures medici, neque ex longa curatione quicquam aliud habuerat, quàm vt cum exhausta, atque exsangui corpusculo opes etiam suas videret exhaustas, donec tandem ad illum accessit, à quo vno vera sperari potuit, atque obtineri sanitas. Subijcit adhuc Prophera: *Non fis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis*. quasi dicat. Neque homines timeo, neque ab illis aliquid spero; à tuo tantum furore timendum esse scio, & à te in rebus angustis implorandum auxilium.

7. *In omni periculo, & angustia, oratio maximum valet.*

Docet ergo Prophera in rebus afflictis nõ eiulandum, non plorandum, quasi ab humano fauore hominis penderet salus, sed orãdum Deum in afflictione occurrit opportunè ad propositum nostrum, quòd Christus Dominus discipulis suis, quamdiu in mundo fuit, festis requies erat, mœstis lætitia, famescentibus cibus, periclitantibus subsidium: ita vt verè dicere poterãt discessuro, quod mater Tobiæ dixit hoc cap. 10. *Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis*. Lachrymis testabantur quàm sibi damnosum existimarent Christi discessum ad patrem: sed Christus Dominus illos consolatus est, commendans orationem efficacem ad Patrem propter sui etiam absentis merita. *Quidquid*, ait, *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Ioan. 16. Quasi dicat: Non est quod contristemini de discessu meo ex hoc mundo ad Patrem, quasi eo ipso destituti essetis omni fauore meo, quo vos in carne dignatus sum; ostendo vobis singulare in quauis afflictione subsidium, quod præsentiæ meæ æquiualebit: Quidquid enim petieritis Patrem meum ob merita passionis meæ, certò assequemini. Pius Rex Iosaphat 2. Paral. 20. omni humano auxilio destitutus, hostium videns instare cuneos, non ad eiulationem processit, neque in desperabunda verba prorupit, sed *cum ignoramus quid agere debeamus*, inquit, *hoc solum habemus refugii, vt oculos nostros dirigamus ad te*, id est, Quantumcumque sæuiat malorum in nos procella, vna nobis superest oratio, quâ pulsante tuum nobis aderit auxilium, ne fluctibus obruamur. Hæc Ezechiam, hostium armis obsessum, à præsentissimo periculo liberauit; hæc Danielem, ne à leonibus discerperetur in lacu, tutata est. Hæc tres pueros Hebræos in fornace Babylonica protexit. Hæc eripuit Dauid de manu Saulis; Iacob de manu Esau: Iudith, & populum Bethuliæ; Hester, & populum Israel de imminenti interitu. *Humilium*, inquit Iudith, *& mansuetorum semper tibi placuit deprecatio*, &c. Est enim deprecatio ramus oliuæ, misericordiæ index.

Daniel. 3.
Daniel. 2.
1. *Reg.* 19.
Genes. 8.
Iudith. 9.
Hester. 4.

SEC-

SECTIO II.

Quando lachryma vtiles sint?

1. *Honorum aliqui super mortuos fleuerunt.*

MVLTOS fleuisse diuersis de causis sacra Scriptura pandit. Aliqui ob mortem amicorum flere soliti. Sic planxit Iacob Genes. 37. multo tempore filium suum Ioseph, quem credebat à bestijs deuoratum. Dauid super mortem Saul & Ionathæ, & aliorum occisorum in bello 2. Reg. 1. Rursum idem Dauid, & omnis populus super Abner, quem Ioab prodditiosè occiderat, 2. Reg. 3. In morte Mathathiæ & Iudæ Machabæi, ac Ionathæ factus est planctus magnus, 1. Machab. 2.

2. *Aliqui præ nimio gaudio.*

Aliqui flere solent præ gaudio, quod de quodam concipiunt. Sic eleuata voce fleuit Iacob cognitâ Rachel consobrinâ suâ, Gen. 29. *Commota sunt viscera Ioseph super fratre suo Beniamin, & lachryma erumpebant*, Genes. 43. Raguel recognoscens Tobiam, cum lachrymis osculatus est eum. Similiter & Gabelus, Tob. 7. 8. & 9. Tobiæ redeunti occurrunt parentes, & ambo præ gaudio plorauerunt, Tob. 11.

2. 3. *Ob pias causas.*

Alij flere solent moti piis verbis. Sic fleuit Ioseph. Genes. 50. cum mortuo patre fratres eum rogarent, vt obliuisceretur sceleris in ipsum commissi. Sic fleuit Rex Saul, 1. Reg. 24. cum Dauid eius vitæ pepercerat, abscisâ orâ chlamydis in spelunca, illudque indicasset, quin potius inquiens: *Pater mi, vide & cognosce oram chlamydis tuæ, in manu mea, quoniam cum præciderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te.* Dixit illi Saul post completos eius sermones, *Numquid vox hæc tua est, fili mi Dauid? Et eleuauit Saul vocem suam, & fleuit, dixitq; ad Dauid, Iustior tu es, quàm ego* &c. Orpha & Ruth audientes pia verba socrus suæ Noemi, quam reuertentem ad patriã à longa sterilitate recreatam prosequebantur, *eleuata voce flere ceperunt, & dicere, tecum pergemus ad populum tuum.* Et cum illa insisteret vt manerent, & diceret, *Nolite, quæso filiæ meæ, quia vestra angustia magis me premit, eleuata voce rursum flere ceperunt.*

3. 4. *Ex desiderio alicuius rei.*

Aliqui flent ex desiderio rei, quam habere satagunt. Sic fleuit Esau pro benedictione paterna, quam desiderabat præ cæteris obtinere, Genes. 27. Vulgus promiscuum quod descenderat de Ægypto, ex carnium desiderio fleuit, Num. 11. Vociferans omnis turba fleuit, dicens: *Vtinam mortui essemus in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus in saturitate.* hoc ex desiderio carniũ procedebat, Num. 14. Moram faciente Tobia, mater hoc loco flebat irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: *Heu heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari?* Ob has & similes causas lachrymæ solent oriri.

4. *Vtiles sunt lachryma quæ ex compassione oriuntur proximi.*

Sed scitu necessarium, quænam vtiles sint? Breuiter aperiam. Vtiles primò sunt, quæ procedunt ex compassione erga proximum. Ex hoc capite Helisæus 4. Reg. 8. videns coram se Hazaelem cœpit flere, propter mala, quæ facturus ille erat Israelitis, cùm futurus esset Rex Syriæ, quod ei prophetico spiritu fuerat demonstratum. Cùm audiisset Mardochæus iniquam sententiam contra Iudæos latam, *scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea medie ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens*, Esth. cap. 4. Ieremias cap. 9. compatiens dicebat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculo meo fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei.* Deflebat enim excidium Iudæis impendens à Chaldæis. Isaias Vates tanta compassione deplorat excidium Ierusalem, vt omnem aut interpellatorem aut consolatorem repellat: *Recedite à me*, inquit; *amarè flebo: nolite incumbere, vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei.* q. d. Hæc ad importunos consolatores aio: Abscedite à me omnes, neque existimetis dolorem meum vlla posse leuari consolatione, nequicquam ex animo meo eximere quisquam studebit, quem capio ex filiæ populi mei casu doloris sensum. Venit enim summa dies, & tempus inclu&tabile, quo Deus statuit non iam montem, sed vallẽ visionis spoliare ciuibus, grassante cæde, & omnino conculcare, materiamque satis luculentam præbere, cur diu, & miserabiliter lugeat. Videre enim videor Deum scrutantem, vt duces solent, qua parte, & quomodo muros subuertat, stans in superiori loco, vt spectet melius, & commodius excindat. Sic Christus Dominus videns ciuitatem Hierusalem, fleuit super illam, quoniam à Romanis erat funditus destruenda Lucæ 19.

5. *Vtiles sunt lachryma, quando emittuntur à iustis ob peccata aliorum.*

Secundò vtiles sunt, quando à viris iustis emittuntur ob peccata aliorum. Sic fleuit Esdras & populus propter commistionem Iudæorum inter Gentes, earum exemplo peccantium, 1. Esd. 9. Sic Samuel 1. Reg. 16. Saulem Regem præuaricantem mandata Domini & ab ipso abiectum diutissimè fleuit, simul offensionem Dei & periculum Saulis deplorans. Dauidem quoque solitum copiosè aliorum peccata deflere, prodit Psal. 118. vbi habetur: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* peccatores videlicet, vt exponunt Theodoretus & Euthymius. de quibus etiam paulò post dicit: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Sic Apostolus non solùm per litteras grauiter corripuit Corinthianos, quòd non

lugerent inceſtum cuiuſdam cum Nouerca, ſed multas lachrymas fudit, dum reprehenſionem illam ad eos miſit: *Ex multa*, inquit, *tribulatione & angustia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas*, 2. Cor. 2. De qua re diſertè Hieronymus ad quemdam Sabinianum in luxu-
1. Reg. 16. riam lapſum: *Samuel*, inquit, *quondam lugebat*
2. Cor. 12. *Saulem, quia pœnituerat Dominum, quòd vnxiſſet eũ regem ſuper Iſrael. Et Paulus Corinthios, in quibus audiebatur fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes quidem, voce flebili commonebat, dicens: Ne, cùm rurſus venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, quas geſſerunt in impudicitia, & fornicatione. Si hoc Propheta, & Apoſtolus, nullâ ipſi labe maculari, clementi in cunctos mente faciebant: quanto magis ego ipſe peccator in te debeo, facere peccatore, qui non vt erigi poſt ruinam, nec oculos ad cælum leuare; ſed prodita*
Luc. 15. *patris ſubſtantia, porcorum ſiliquis delectaris; &*
Philip. 3. *ſuperbia prærupta conſcendens, præceps laberis in profun-*
Rom. 2. *dum? Deum ventrem vis habere pro Chriſto; ſeruis*
Exod. 4. *libidini; gloriaris in carne, & confuſione tua; & quaſi pinguis hoſtia, in mortem propriam ſaginaris; imitarisq; eorum vitam, quorum tormenta non metuis; ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te hortetur.* Et poſtquam multâ inuectione vſus eſſet, ſubdit: *Pro neſas non poſſum vltra progredi. Prorumpunt lachrymæ antè quàm verba, & indignatione pariter ac dolore, in ipſo meatu faucium, ſpiritum coarctatur. Vbi mare illud eloquentiæ Tullianæ? vbi torrens fluuius Demoſthenis? nunc profectò muti eſſetis ambo; & veſtra lingua torpeſceret. Inuenta eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat. Repertum eſt facinus, quod nec minus fingere, nec ſcurra ludere, nec Atellanus poſſit effari.* Non enim in vno genere tantum luxuriæ peccauerat.

6. *Vtiliſſima ſunt, ad peccata propria deflenda.*

Tertiò, Vtiles maximè ſunt, quando emittuntur ob peccata propria. Sic poſtquam Angelus Domini improperaſſet filijs Iſrael Dei beneficia, & eorum peccata, quæ coram Deo commiſerant, *eleuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt, & vocatum eſt nomen loci illius, locus flentiũ, ſiue lachrymarum*, Iudic. 6. Dauid amariſſimis & copioſiſſimis lachrymis defleuit peccatum adulterij & homicidij à ſe patrati. Sic enim loquitur ipſe de ſe in Pſal. 6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Singula verba penſanda ſunt, vt magnitudinem pœnitentiæ Dauidis intelligamus. *Laboraui in gemitu meo.* Hæc ſignificant, tam longo tempore, & tam amaro gemitu peccatum ſuum defleuiſſe Dauidem, vt vſque ad laſſitudinem flendo & gemendo laborauerit. Et tamen non contentus præterito fletu, proponit adhuc pergere, dicens: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* Nox enim commodior eſt ad lachrymas coram Deo fundendas, quàm dies, ob quietem communem, & negotiorum ceſſationem. Ego, inquit, vice ſomni & quietis, in noctibus ſingulis vbertim peccata deflebo. Notanda autem eſt vis verbi, *Lauabo*. non enim lauari dicitur, quod vna vel altera gutta reſpergitur; ſed quod ita largiter perfunditur aquis, vt à ſordibus eleuatur. Adde quod S. Hieronymus ex Hebræo rectè tranſtulit, *Natare faciã lectum meum*. quo verbo, copia lachrymarum maxima deſignatur. Quod idem ſignificant verba ſequentia, *Lachrymis meis ſtratum meum rigabo*. Rigare enim lachrymis ſtratum, nihil eſt aliud, niſi abundantia lachrymarum, decurrentium inſtar riuorum, ſtratum abluere. Magdalena pro contritione peccatorum ſic fleuit, quod Chriſti pedes lachrymis rigauerit, Luc. 7. Petrus poſtquam tertiò negauerat Chriſtum, recognitâ culpâ ſuâ egreſſus foras fleuit amarè.

Quanta fuerint lachrymæ Dauidis in peccato adulterij & homicidij deflendo.

7. *Triſtandum eſſe de peccato, non de rebus ſiue bonis temporalibus.*

Peccatorum igitur remedio fletus, lachrymæ, & triſtitiæ vtiliſſimæ ſunt; non autem amiſsioni rerum temporalium, aliorumque inconuenientium accidentijs. Hinc Chryſoſtomus hom. 5. ad populum: *Percurramus*, inquit, *ingruentium nobis malorum quodq;, & triſtitiam ſuperadducamus, & videamus quid ex hac vtilitatis fiat. Mulctatus eſt quiſpiam pecuniis, triſtatus eſt, mulctam non emendauit: filium amiſit, doluit; mortuum non reſuſcitauit, nec defuncto profuit: flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumelijs affectus, doluit; non reuocauit contumeliam. Valetudinem quis incidit, & ægritudinem grauiſſimam, doluit, ægritudinem non ſuſtulit, ſed & difficiliorem reddidit. Videsne horum nulli prodeſſe triſtitiam? Peccauit quis, triſtatus eſt, peccatum deleuit, diſſoluit debitum. Vnde hoc manifeſtum? ex domini ſententia. De quodam enim prænaricato loquens dicebat: Propter peccatum eius paululũper ipſum contriſtaui, & vidi quod contriſtatus eſt, & inceſſit mœſtus, & ipſius vias correxi, propterea & Paulus dicit: Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Igitur poſtquam manifeſtè oratio demonſtrauit, quòd neque pecuniarum mulctam, neque contumeliam, neque calumniam, neque flagella, neque valetudinem, neque mortem, neque aliud quid talium inducta triſtitia inſtaurare poſſet, ſed ſolum delere peccatum, & huius eſt deſtructiua, certũ quod propter hãc ſolam cauſam facta eſt. Ne amplius igitur pecuniarum iacturam doleamus, ſed cùm peccamus, tantùm doleamus: multa enim hic ex triſtitia vtilitas. Mulctatus es? ne doleas, neque enim proderit. Peccaſti? dole, vtile namque eſt, & Dei prudentiam & ſapientiam confidera. Duo hæc nobis peperit peccatum, triſtitiam & mortem. Quacumque die comedes, inquit, morte morieris: & ad mulierem, In doloribus paries filios. Et per hæc vtraque ſuſtulit peccatum & à filijs matrem curauit deleri. quæ enim cum triſtitia mors peccatum deſtruit, manifeſtum quidem & ex martyribus, manifeſtum ex his, quæ dixit Paulus ad peccatores, ſic inquiens: Ideo multi in vobis infirmi, & imbecilles, &* 1. Cor. 11. *dor-*

Peccatum delet triſtitia.
1. Reg. 21.
2. Cor. 7.

dormiunt multi, quia vos, inquit, morimini, vt morte peccata soluantur; intulit igitur dicens: Si enim nosipsos iudicaremus non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt cum hoc mundo non condemnemur. ¶ *Sicut vermis ex ligno nascitur, & illud rodit, & comedit, suam ab ipso originem habens: sic & tristitia & mors de peccato natæ sunt, & peccatum absumunt.*

8. Emplastrum parti læsæ applicandum non sanæ, nec ei cui non congruit: Collyrium oculis medetur non brachijs, catapotium stomacho recipiendum, non eo pes obligandus, malagma vlceri, non vicinæ parti imponendum: ita prorsus tristitia nec damno pecuniario, nec honoris dispendio, nec morbo, aut horum malorum vlli medetur. Mærore te confice, omnia lachrymis imple, & nec hilum proficies, non pecuniam, non honorem, nec valetudinem luctu reuocabis, sed damnum augebis & dolorem. Huius rei causa hæc: Tristitia proprium remedium est peccati, hæc lues hoc antidoto curatur; hoc malagma huic vlceri applica; peccasse tristare, non numos perdidisse. Appositè Chrysostomus loc. cit. *Remedia medicinalia propter illos tantum morbos facta sunt, quos tollere possunt, non propter illos, quos nihil adiuuare possunt. Puta, adhuc enim manifestiorem volo rationem facere, medicamentum oculos lippientes tantum iuuare valens, nullum verò alium morbum, propter oculorum egritudinem tantum factum esse dicere quis posset: non propter stomachum, neque propter manus, neque propter aliud vllum membrum.* Concinit Cassianus lib. 9. de Instit. renunciant. cap. 12. ait: *Omnis tristitia, præter illam, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, quasi tristitia sæculi, & quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritus, vel philargyria, de nostris cordibus penitus extrudenda.* Veritissimè, & vtilissimè. nam S. Scriptura locuples testis est, lachrymas Esau dolentis ob ereptam benedictionem paternam, nihil illi profuisse: *Scitote,* inquit Apostolus, *quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Hebr. 12. Scopus Apostoli erat, Hebræos admonere ne ad instar Esau ius sanctum, quod per fidem Christi habebant ad hæreditatem cælestem, venderent pro terrenis opibus, vt mallent eas retinere cum iacturâ fidei, & regni cælorum quàm retinendo fidem easdem perdere, cum Iudæi illos persequerentur, & vrgerent, vt vel bonorum, vel fidei Christi iacturam facerent. vnde inquit: *Ne quis fornicator, aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua,* Ius videlicet spirituale sacerdotij, venationibus, conuiuijs, delitijs assuetus, parui illud pendens. Et cùm postea pœnitudine dutus instanter cuperet benedictionem paternam, reiectus est ab Isaac, adeoque frustra pœnituit, neque locum pœnitentiæ etiam cũ lachrymis quęsitum inuenit. Ratio erat, quod dolor nõ esset ob peccatũ commissum, & Deũ offensum, sed humanus tantum, quo scilicet pœnitens facti, verbi gratia, venditionis tam noxiæ, eam rescindere & retractare sategit; ipse autem superbiâ intumescens, & indignatione ebulliens voluit fratrem occidere, & peccatum peccato addere: *Venient,* inquiebat, *dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum Iacob. Gen. 27. Sicut terra,* inquit Isaias Abbas, *sine aqua & semine ferre nequit fruges: ita nec pœnitere quis potest sine humilitate & carnis afflictione.*

Tristitia proprium emplastrum est peccati.

9. Talis ergo dolor, tales lachrymæ, non prosunt ad salutem, sed maximè obsunt. Saul Rex 1. Reg. 15. cum audisset à Samuele, *Pro eo quod abiecisti sermonem Domini,* non exequendo videlicet præceptum eius de penitus delendo Amalech cum suis, *abiecit te Dominus, ne sis Rex*; quamuis diceret, *Peccaui,* nihil profecit: quia non ob commissum peccatum doluit, & ob offensum Deum; sed quia regno priuandus apud populum subiret ignominiã. Hoc clarissimè reuincunt illa verba, quæ pronuntiauit postquam apprehenderat summitatem pallij, Samuelis à quo audierat hæc tristia nuntia, *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur*; hæc, inquam, verba; *Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.* Hæ voces non sunt animi verè pœnitentis, sed eius, qui pœnitentiæ simulatione, atque vmbra aliquod à se malum remouere studet. Cuius argumentum est, quia conseruare cupit suam apud populum æstimationem; idque vt per Samuelem obtineat, supplici voto, atque obsecratione contendit. Sanè quem verè pœniteat, neque de honore retinendo satagit, quem peccando videtur iure prodidisse; neque vmbram quærit, quam obtendat culpæ, quam execratur, & odit, vti hic Saul, nam versu 24. post verba, *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua,* subnectit, *timens populum, & obediens voci eorum.*

Rex Antiochus 2. Machab. 9. à Persepoli fugatus, dum Iudæos ad internecionem perdere meditaretur, cum maximis viscerum doloribus à Deo percussus, intolerabilique fœtore scatutientibus è corpore vermibus; sua crimina agnosceret, eorumque, vt videbatur, veniam postularet, addit S. pagina, *Orabat autem hic sceleſtus Dominum à quo non esset misericordiam consecuturus.* Quid oraret Antiochus, non est coniectatu difficile, nempe vt ab illis liberaretur angoribus, quibus ad mor-

tem

tem cruciabatur, & ne ab eo excideret loco, quem in ea prouincia ſummum obtinebat, Cuius gratia illa promittebat, quæ deinde ſequuntur. Qualia ſunt ornare templum, quod ipſe prius ſpoliarat, & gentilica ſuperſtitione polluerat; & largiri in ſumptus, qui forent ad ſacrificia neceſſarij; & eiurata religione patria ad Iudaica ſacra, & caſtra transfugere, & Dei poteſtatem vbique terrarum prædicare. Sed quia hæc aliquid ſpectabant humanum, non erat miſericordiam, quam implorabat à Deo conſecuturus. Ita S. Thomas hic, & 3. p. q. 86. ar. 1. ad 1. *Antiochus*, inquit, *non verè panituit: dolebat enim de culpa præterita non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem, quàm patiebatur.* In epiſtola, quã mox ſubijcit, quid optet, ſignificat, & quàm ſit longè, vt de ſpirituali ſalute cogitet, cùm de regno laboret, & apertè in extremo vitæ articulo mentiatur. Cùm enim abieciſſet iam ſalutis ſpem cùm hæc ſcriberet, vt habes v. 18. *Deſperans ſcripſit ad Iudæos.* In ipſa tamen epiſtola v. 22. ait. *Non deſperans memetipſum, ſed ſpem multam habens effugiendi infirmitatem.* Neq; in tota epiſtola vllum verbum occurrit, in quo appareat de culpæ venia ſollicitudo, aut peccati dolor, neque alium inuenimus de fœda illa, atque horribili plaga accepiſſe fructum, præter ſui ipſius cognitionem. Cùm enim ſe prius Deum eſſe crederet, aut aliquid habere ſe diuino ſimile, poſt diem illã, & obſcœnam plagam, mortalem ſe eſſe cognouit, neque ab alijs habere ſe diſſimilem naturam. Cùm igitur de vita in eo dolorum conflictu deſperaret, ſcripſit ad Iudæos deprecatoriam epiſtolam, in qua tamen ſuam voluit auctoritatem retinere.

10. *Dolor de peccatis debet ſummus eſſe appretiatiuè*

Nos autem naturaliter plus dolemus ob mortem charorum, iacturam opum, quàm ob peccata commiſſa. Patriarcha Iacob ita doluit mortem filij ſui Ioſeph, vt Scriptura teſtatur, Geneſ. 37. *Congregatis cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere, ſed ait, Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Et S. Dauid 2. Reg. 19. ita vehementer Abſalonem filium ſuum defleuit, vt licet multa legantur de inſigni contritione eius ob peccatum adulterij, atque homicidij; maiora tamen ſigna doloris ob filij mortem oſtendiſſe videatur. Et licet hic dolor tam intenſus non ſit neceſſarius ad peccatorum cõtritionem, ſed ſufficiat appretiatiuus; tamen vtilius eſſet ſic dolere. Quod peius eſt, ita dolemus ſæpè ob amiſſionem bonorum ſæculi, propter opes, voluptates amiſſas, amicos vel potentes offenſos, vt gehennæ digni efficiamur, cùm videlicet per Dei offenſam eiuſmodi bona recuperare ſtudemus. De qua triſtitia, inquit Apoſtolus: *Sæculi autem triſtitia mortem operatur*, ſupple æternam. 2. Cor 7.

11. *Multi extriſtitia nimiũ obiurmt.*

Ab hac igitur triſtitia longè ſis mi Chriſtiane, nam præter mortem animæ non rarò etiã operatur morbos, & mortem corporis. Multi enim dum ſuos, vel ſua lugent, luctu opprimuntur, tabeſcunt & moriuntur. Vtiliter igitur Siracides Eccleſ. 30. *Triſtitiam longè repelle à te; multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.* Sed non potes illico naturam compeſcere? Ota Deum. Ipſe erit conſolatio tua in quauis tribulatione: *Reuela Domino*, inquit Pſaltes, *viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Recordare Satæ cap. 3. huius hiſtoriæ. Recordare Annæ, quæ triſtis erat, & non capiebat cibum, & *cùm eſſet amaro animo orauit ad Dominum.* Appoſitè Chryſoſtomus hom. 1. de Anna: *Omnes ſimul imitemur mulieris philoſophiam, quam habuit ante partum, fidem quam habuit in partu, curam ſtudiumq; quod habuit poſt partum. Quid enim poſſet illa muliere magis philoſophicum, animiq; moderatioris, quæ calamitatem adeò intolerabilem, placidè fortiterq; tulit, nec priùs deſtitit, donec eam moleſtiam diſcuſſit, maliq; finem repperit, tum admirandum, tum incredibilem, nullo è terrenis accito adiutore & epitulatore? Nouerat enim humanitatem Domini, eoq; ſolatium adijt, & quidquid voluit impetrauit. Neque enim humanum auxilium, ſed diuinam gratiam requirebat, illius deſperationis correctio, quod ea non naſcebatur ex iactura pecuniarum, vt aliquis allato auro, diuere poſſet angorem: neque ex aduerſa corporis valetudine, vt accitis medicorum filijs morbum poſſet abigere. Natura erat maledicto obnoxia, cæleſtẽ manum deſiderans. Eoq; ſanè prætermiſſis omnibus terrenis ad naturæ dominum confugit, nec priùs deſtitit, quàm illum flectaret exoraretq; vt orbitatem tolleret ac vuluam aperiret, eque ſterili faceret matrem.* Si eam miraculo ſolari dignatus eſt Dominus, facilè tuum dolorem modo conueuienti vertet in gaudium, ſi & tu effuderis animam tuam in conſpectu eius. *Pſal 36. Malus ſua committere debet Deo.*

CAPI-

CAPITIS DECIMI

VERSVS VI.

Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, ſanus eſt filius noſter: ſatis fidelis eſt vir ille, cum quo miſimus eum.

Verſ. 7. *Illa autẽ nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, vt procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 6. 7. Afflixerat bonum ſenem & filij defideriũ, & mora ex motu præueniẽte. & magi vxoris immoderatus dolor cui mederi prouidè voluit. Et ſicut ex memoria reſicata de mercenarij, id eſt Angeli, fidelitate, non parum conſolatus fuit, ſic eadem ratione ſollicitam matrem de filij cunctatione conſolari ſtuduit, & adhibita quadam acrimoniâ, ad meliora cogitanda traducere. Illa verò conſolari renuens omnes adibat vias, vt colluſtrare poſſet filij in paternam domum, reditum.

SECTIO TERTIA.

Quid doceat nos Tobias mutato animo vxorem conſolans?

1. *Tobias conſolatur Annam.*

TOBIAS ſenior vxorem de filij reditu nimis ſollicitam ad meliora ſtudet traducere: *Tace*, inquit, *& noli turbari, ſanus eſt filius noſter: ſatis fidelis eſt vir ille, cum quo miſimus eli:* Deſiſte inquit, in verba impatientiæ prorumpere, animum tuum turbulentum reddere, quaſi filio, & omni ſolatio, quod ex illo tibi accidere poſſet, priuata eſſes. Confido filium noſtrum ſanum: ſi quid enim illi aduerſi contigiſſet, ſatis fidelis eſt comes ipſi deſignatus, qui promiſit illum ducere & reducere incolumem. Quantum mutatus ab illo? ſanè diuinum aliquid redolet. Modò enim ipſe querulâ voce hæc promebat vxori: *Putaſne, quare moratur filius meus, aut quare detentus eſt ibi? Putaſne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi pecuniam?* Cœpit contriſtari nimis etiam vſque ad lachrymas. Et nunc è contra vxorem conſolatur: *Tace*, inquit, *& noli turbari, ſanus eſt filius noſter.* Quæ cauſa tam ſubitæ mutationis? Eſtius hoc loco cenſet illam fuiſſe, quod non permiſerit motus ſenſitiuos dominari rationi: *Per hoc*, inquit, *quod Tobias prius contriſtatus eſt, ſignificatur præueniens motio partis ſenſitiuæ quam homo omnino excludere non poteſt; per hoc autem quod poſtea forti & virili animo etiam vxorem fuerit conſolatus, ſignificatur, quod officium rationis ſit cohibere motus illos ſenſitiuos, contra imperium eius inſurgentes, & non permittere vt dominentur.* Et paulò pòſt: *Ad literam commendatur magnâ & perfecta patientia Tobiæ, quod poſitus in tot malis, videlicet paupertatis (dixerat enim cap. 4. pauperem vitam degimus.) cæcitatis, ſenectutis, abſentiæ filij, immoderatæ triſtitiæ vxoris; nihilominus tamen ſe & vxorem pijs verbis conſolatus ſit.*

Tobias non permiſit motus ſenſitiuos dominari rationi.

Hæc igitur mutatio dexteræ Excelſi, quæ hoc effecit in Tobia ſeniore, quod edixit Hebræus Sapiens Prouerb. 11. *Non contriſtabit iuſtum, quidquid illi acciderit.* Sibi præſentior factus, fecit de neceſſitate virtutem. Cogitabat vtique euenire poſſe filio difficultates, ſed poſt inter medias eaſdem euentum correſponſurum Angelicæ promiſſioni: quidquid autem illi contingeret, ſecundum Dei beneplacitum futurum, ſine quo nec capillus de capite peribit: Vnde Deo totum conceſſit.

2. *De neceſſitate virtutem faciendo.*

Huius exemplum imitare, mi homo. Eueniunt multæ tuæ exſpectationi contraria, cogita Deo ſic placuiſſe, & quid melius in eo diſpoſuiſſe. Magnam inuenies turbato animo medelam. Iob & bona & proles perdiderat; ſed vt faceret de neceſſitate virtutem, vocem hanc cedro inſcribi dignam emiſit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Corruit in terram, vt Dominum agnoſceret

3. *Aduerſa patienter ferenda.*

Iobi patientia in aduerſis.

ceret illum, à quo tam graui erat vulnere percussus, & illum supplex adoraret, à quo bonorum illorum aliquamdiu accepisset vsuram. Laudat illum, & optat vt vbicumque locorum diuinum nomen celebretur, vt constet se non indignari, erepeam sibi esse cum alijs bonis dilectam & generosam prolem, quòd sciat illum sustulisse, qui liberaliter antea omnia concesserat. Sic Heli audiens à Samuele decretam illi pœnam, quod filios condignè non corripuisset; quamtumuis illa grauis erat, & adamantinum pectus consternere nata, respondit: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Dignum Sacerdote, & viro religioso responsum; qui vt se, ac sua Deo, vt pote suo Domino, ac rectori subiecit: sic etiã æquo fert animo, quacumque de se, rebusque suis ratione constituat. Præclarè Chrysostomus libr. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ: *Cùm*, inquit, *omnia ista audisset, sequt ad supremum cruciatum peruenisse conspiceret, non acerbè, non grauiter, non indignanter tulit: Non dixit: Quidnam istud est? vt fecissent plurimi. Num ego Dominus sum aliorum voluntatu? Peccatorum meorum pœnas persoluere habeo. Filij etatem habent, ipsiq; soli merentur cruciari. Nihil omninò horum dixit; ne cogitauit quidem, Cæterùm vt seruum fidelu, & gratus, & qui vnum tantum sibi obseruandum nouit; vt quæcumque Dominus sum ei intulerit æquanimiter & facilitèr ferat, quantumlibet illa tristia, & acerba sint; ista plenissima philosophiæ verba edidit: Dominus est: quod gratum est in conspectu suo faciat.* Eiusmodi autem responsio, teste Dionys. Carthus. meruit apud Deum remissionem peccatorum: Ex *hac*, inquit, *tam patienti & humili responsione Heli, dicunt aliqui, quod acceptando super se, & super suos damna sententia æquitatem, meruit, mediante sua contritione, peccatorum suorum remissionem, & pro eis temporaliter est punitus, non æternaliter damnatus.*

Heli commendatur patientia.

1. Reg 3.

Sic credidit sibi futurum Dauid, cùm 2. Reg. 16. præter filij persecutionem, impetitus maledictionibus Semei, quasi vir sanguinum esset, respondit vlcisci volenti: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* De hoc loco sic disserit Gregorius Magnus: *Quibus profectò verbis indicat, quia pro perpetrato Bethsabee scelere, exurgentem contra se filium fugiẽs, reduxit ad animam malum, quod perpetrauit, & æquanimiter pertulit quod audiuit, & contumelioſa verba non tam conuitia, quàm adiutoria credidit, quibus sepurgari sibiq; misereri posse indicauit. Tunc enim illata conuitia bene toleramus, cùm in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus.* Sequitur. *Et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Impudens esset, & stuporis insignis, qui à Deo quæreret cum stomacho, quid negato imbre cælesti, spem frugum ademerit, quid grandine protriuerit fruges, quid vrente vento spicæ sint exustæ, & arborum flores, cur de cælo vibrata fulmina, deiectæ turres, & discissæ quercus. Eodem etiam modo excors esset, & stolidus, qui cum ab homine, aut per homines potiùs infligantur mala, quæ à Deo nobis aut iubente, aut permittente aduenisse existimaret, indignemur tamen & quæramus à Deo, cur ita faciat, cur nostra disperdat, atque enecet, cur nomini nostro ab inimicis, aut à petulante turba patiatur illudi?

4. *Dauid pacienter tulit maledictionem Semei, quare.*

Ezechias Rex auditâ comminatione mortis per Esaiam non est indignatus, licet pro ciuitate obsessa multas ad Deum preces effudisset; sed sciens à Domino hæc processisse, conuertit necessitatem in virtutem, *& conuertit faciem suam ad parietem*, qui scilicet respiciebat templum Hierosolymitanum, *& orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* quasi diceret: Credo Domine hæc exercitij causa mihi à vate tuo intimata, & ne glorier in victoria contra blasphemum Sennacherib promissa, vnde precibus ad tuam misericordiam confugio, ratus quod innocentiæ meæ causa misericorditer mecum ages.

Ezechias non est indignatus auditâ comminatione mortis.

Hoc igitur in quouis malo vel præterito, vel præsenti, aut futuro tibi sit antidotum. Filius absens dira patitur, moritur, merces naufragio pereunt, paupertas, cæcitas, & quidquid malorum est, domum tuam non præterit, necessitatem conuerte in virtutem, fortiter & lubenter sustine, eò quod ansam tibi hic casus præbeat præclarissimas exercendi virtutes, vt patientiæ, magnanimitatis, fiduciæ in Deo: deinde tibi data sit occasio, Deo studiotius seruiendi, & plus apud eum merendi. Qua cogitatione munitus Dauid Propheta dicebat, Psal. 34. *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.* Eodem modo ratiocinabatur matrona illa Romana, cum amisso marito simul perdidisset duos filios, suscepit. Deo in posterum melius seruire. Rem ascribam verbis Hieronymi consolantis Paulam super obitu Blesillæ filiæ: *Sancta Melania, nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus, mihiq; concedat in die sua habere partem, calente adhuc marni corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed teste Christo non falsam. Quis illam tunc non putaret mœre lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus inuadere. Lachryma gutta non fluxit: steterit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expedimus, inquit, tibi seruitura sum Domine, quia tanto onere me liberasti.*

5. *Quam mala patienter ferenda sint.*

Aduersa debent esse homini occasio melius Deo seruiendi.

Melania orbata merito & prolibus, melius Deo seruiuit.

Porrò Tobias ad se reuersus, non solùm patien-

6.

patienter tulit filij abſentiam, ſed etiam cõſolatus eſt vxorem. Quod certè non minus diuinum eſt. Res palam ex Propheta Iſaia cap. 40. vbi poſt triſtia hunc ad Iudæos ſermonem inſtituit: *Conſolamini, conſolamini populo meus dicit Deus veſter.* quaſi dicat. Prædixi vos captiuos in Babylonem ituros; hinc meritò turbamini & mœretis: ſed conſolamini, nam poſt 70. annos inde vos eripiam, & in priſtinum, imò meliorem ſtatum reſtituam. Ita Ioſeph Patriarchâ conſolatus eſt fratres ſuos mœſtos pro illo graui peccato, quo ipſum occidere voluerant, Geneſ. 50. v. 19. Elcana pater Samuelis conſolabatur Annam, eiuſdem Samuelis matrem mœſtam, quòd æmula eius improperaret ipſi ſterilitatem, 1. Reg. 1. Tobias ſenior hic conſolatur vxorem triſtem ob longiorem filij ſui abſentis moram. Chriſtus Dominus conſolatur Martham & Mariam Magdalenam triſtes ob Lazari fratris ſui mortem, Ioan. 11. Sic S. Hieronymus Paulam loc. cit. conſolatur exemplo Noëmi & Iob: *Noëmi*, inquit, *famem fugiens in terra Moab, & maritum perdidit, & filios. Et cùm ſuorum auxilio eſſet deſtituta, Ruth alienigena ab eius latere non recedit. Vide, quanti meriti ſit deſertæ præſtitiſſe ſolatium. Ex eius ſemine Chriſtus oritur. Reſpice Iob, quanta ſuſtinuit; & videbis te nimium delicatam, illum erectis in cælum oculis, inter ruinas domus; pœnas vlceris, innumeras orbitates, & ad extremum vxoris inſidias, inuictam tenuiſſe patientiam. Scio quod reſponſura ſis, hoc illi quaſi iuſto ad probationem eueniſſe. Et tu è duobus elige, quod velis: aut ſancta es, & probaris: aut peccatrix, & iniuſtè quereris, minora ſuſtinens, quàm mereris.*

Diuinum eſt mœſtos conſolari.

Exemplum eorum qui in hoc opere excelluerunt.

Sanctus Antonius Didymum cæcum conſolatus eſt dicens: *Non eſt Didyme quod te ipſum mœrore conficias, propterea quod oculis careas, quos mures, lacerta & vilia animalcula habent. Voluptate potius & lætitia te efferri conuenit, qui itidem vt Angeli internis viges oculis, quibus clarè immortalem & diuinam cognitionem percipis, veritatemq; ipſam exactè perſpicis.* ita Nicephorus lib. 9. cap. 17. S. Gregorius lib. 2. epiſt. 44. conſolatus eſt Iuditham regno Hungariæ pulſam: *Cæterùm*, inquit, *ea quæ tibi nunc inſtat aduerſitas, non te terreat, nec mentem tua generoſitatis deprimat; ſed ſi quid mœſtum aut graue ingruerit, vultu regalis conſtantiæ, geſtuq; diſſimula, & moleſtias (quas Deus auertat) cauſas, naturali morum tuorum virtute patienter tolera, fiduciam & ſpem firmam habens in Deo ſaluatore noſtro, quoniam ipſi cura eſt de te, qui nunquam derelinquit ſperantes in ſe: & quãdo nunc animum tuum ſollicitudinibus verberari finit acerbis, tanto eum ex vicina & potenti virtute conſolationis ſuæ lætificat vberius. Age ergo, vt omnibus quæ regnum ſert & imperium tanto te excellentiorem oſtendas, quanto ea omnia mutari cognoſcis. Deus autem omnipotens, qui eſt mœſtorum conſolatio, infirmantium fortitudo, præſentem vobis lætitiam citò conferat, & veram æternamq; gloriam ſuperna felicitatis tribuat.* S. Bernardus epiſt. 110. Gaufridi parentes mœſtos ob filij in Clarauallem ingreſſum ita conſolatur: *Quotquot ſumus in Claraualle, vel de Claraualle, ipſum in fratrem, vos in parentes ſuſcipimus. At fortaſſis metuitis corpori eius vitæ aſperitatem, quod nimirum tenerum noſtis eſſe ac delicatum. Cæterùm de huiuſmodi timore dicitur, Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Confidite, conſolamini: ego ero illi in patrem, & ipſe mihi erit in filium, quouſq; de manibus meis excipiat eum pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Nolite ergo lugere, nolite flere, quia Gaufridus veſter feſtinat ad gaudium, non ad luctum. Ego ero illi pater, ego & mater, ego frater & ſoror. Ego faciam ei prauа in directa, & aſpera in vias planas. Ego ei omnia ſic attemperabo & diſpenſabo, vt & ſpiritus proficiat, & corpus non deficiat. Denique ſeruiet Domino in lætitia & exultatione, & cantabit in vijs Domini, quoniam magna eſt gloria Domini.*

SECTIO IV.

Quàm neceſſaria ſit humanitas & ſeueritas in quouis Superiore.

TOBIAS ſenior quantumuis patiens & lenis eſſet, iudicauit nihilominus occaſione datâ, acrimoniam verbis adiungendam; hinc conſolaturus vxorem aliquid ſinapi addidit conſolatoriis verbis: *Tace*, inquit, *& noli turbari.* Diſertè Bernardus charitatis hoc eſſe pronuntiat: *O bona*, inquit epiſt. 1. ad Fulconem, *charitas, quæ ſiue foueat infirmos, ſiue exerceat protectos, ſiue arguat inquietos, diuerſis diuerſa exhibens, ſicut filios diligit vniuerſos. Cùm te arguit, mitis eſt: cùm blanditur, ſimplex eſt. Pie ſolet ſeuire, ſine dolo mulcere, patienter nouit irasci humiliter indignari.* Et in epiſt. 24. ad Hugonem: *Habeat*, inquit, *charitas zelum, ſed adhibeat pro tempore modum ſeueritas. Cenſura quidem nũquam remiſſa; intermiſſa tamen plerumq; plus proficit. Rigor iuſtitiæ ſemper feruidus, ſed numquam præceps.*

1.

Miſericordia & iuſtitia Prælatis ineſſe debet.

Et rectè. Superioribus enim ineſſe debet & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſequens diſciplina. Docet hoc præclarè S. Gregorius 2. parte paſtor. cap. 11. eiuſque rei exemplum ducit à Samaritano, qui *alligauit vulnera*, proximi ſui, *infundens oleum, & vinum*, Luc. 10. v. 34. *Vt per vinum*, inquit, *mordeantur vulnera, per oleum foueantur. Neceſſe quippe eſt, vt quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur ſananda. Miſcenda ergo eſt lenitas cum ſeueritate, faciendum quoddam temperamentum ex vtroque: vt neque multa aſperitas exulceret ſubditi, neque nimia*

2.

Lenitatis oleum cum ſeueritatis vino in ſubditorum vulneribus curandis admiſcendum.

Cur simul virgam, & manna Arca vnierit.

benignitate soluantur. Quam doctrinam in Arca fœderis typicè figuratam credit. Vt enim Arca virgam simul, & manna continebat, Hebr. 9. *Ita planè*, inquit D. Gregorius, *in bonis rectoris pectore si est virga districtionis, sit in manna dulcedinis.* Virgâ vtatur, & baculo. Psalm. 22. vers. 4. vt illa percutiat, hoc sustentet, vtroque simul subditos consoletur. *Sit itaque*, inquit D. Gregor. *amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderatè seuiens, sit pietas, sed non plus quam expediat, parcens: vt dum se in arce regiminis, iustitia, clementiaq; permisceant; is qui præest corda subditorum, & terrendo demulceat; & tamen terroris reuerentiam demulcendo constringat.*

3. *Moyses est prælatis exemplar lenitatis & seueritatis.*

Hanc autem asperitatem cum lenitate necessariam esse Prælatis docuit suo exemplo Moyses nam in monte pro populo à Deo misericordiam postulabat: *aut dimitte*, inquit, *eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo*, Exod. 32. In campo iustitiam in populum exercebat: *Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum*, Ibid. vers. 27. Quis non miretur tantam pietatem cum tanta seueritate coniunctam. Scilicet, inquit eleganter D. Gregorius proximè citatus, *Intus arsit ignibus amoris, foris accensus est zelo seueritatis. Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret: tanta seueritas, vt eos, quos diuinitus feriri intimarat, ipse iudicij gladio feriret. Sic amauit eos, quibus præfuit, vt pro eis, nec sibi parceret: & tamen delinquentes sic persecutus est, quos amauit, vt eos, etiam Domino parcente, prosterneret. Causam populi apud Deum precibus, causam Dei, apud populum gladijs allegauit. Intus amans diuina ira supplicando obstitit: foris sæuiens culpam ferendo consumpsit. Sic currit citius omnibus, ostensa morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum suum, citius exaudiuit, agentem pro populo, quia vidit quid super populum acturus esset ipse pro Deo.*

D. Petrus, quamuis ex propriæ conscientiæ peccato condolere, & indulgere peccatoribus didicerat, tamen vbi vidit duos coniuges Ananiam & Saphiram ad ipsum Deum contemnendum prorepsisse, tanto diuini honoris studio flagrauit, vt vtrumque in interitum conijceret repentinum, Act. 5. D. Paulus quantumuis mansuetus aliquos tradidit Satanæ ad interitum carnis, vt spiritus saluus fieret in die Domini, 1. Cor. 5. alios vt discerent non blasphemare, 1. Tim. 1. Rursum D. Paulus petit à Corinthianis: *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* 1. Corinth. 4. idque quia incestum fornicarij cuiusdam Corinthij non lugebant.

4. *Epist. ad Riparium Laudatio*

D. Hieronymus magnoperè inuehitur in Episcopum, cui suberat Vigilantius in Martyrum reliquias debacchator, quòd in eum non animaduerteret: *Miror*, inquit, *sanctum Episcopum, in cuius parochia esse presbyter dicitur, acquiescere furori eius, & non virgâ apostolicâ, virgâque ferreâ confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt spiritus salus fiat: nec meminerit eius dicti: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et in alio loco: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Dei omnes operantes iniquitatem. Et iterum: Nonne odientes te, Domine, odio habui, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos.* Et nonnihil post: *Fatebor tibi dolorem meum. Sacrilegium tantum patienter audire non possum. Legi enim Siromasten Phinees, austeritatem Elie, zelum Simonis Chananæi, Petri seueritatem, Ananiam & Saphiram trucidantis, Pauliq; constantiam, qui Elymam magum, vim Domum resistentem, æternâ cæcitate damnauit. Non est crudelitas, pro Deo pietas. Vnde & in lege dicitur: Si frater tuus, & amicus, & vxor, quæ est in sinu tuo, deprauare te voluerit à veritate: fiat manus tua super eos, & effunde sanguinem eorum, & auferes malum de medio Israel.*

Hieronymus in quendam Episcopum, qui impium impunitum sinebat. *Psal. 49.* *Psal. 100.* *Ps. 138.* *Num. 25.* *3. Reg. 18.* *Matth. 10.* *Act. 5. & 13.*

5. *Prælati sic tempore debent esse seueri.*

S. Bernardus Ecclesiæ regendæ principes requirit, qui seueritatem tempore opportuno non negligant: *Qui*, inquit, *Regibus Ioannem exhibeant, Aegyptijs Moysen, fornicatoribus Phineem, Heliam idolatris, Heliseum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiatoribus Christum.* Hoc est, qui nullis difficultatibus retardentur, quominus diuinæ legis profanatores seueriſsimè vlciscantur.

Principibus quoque & Regibus eandem necessariam asseruit Ieremias Propheta cap. 48. *Maledictus*, inquit, *qui prohibet gladium suum à sanguine.* Petrus Damian. libr. 1. epist. 6. referens verba Moysis, ad Leuitas de cæde redeuntes: *Consecrastis, manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio*, Exod. 32. v. 29. subdit: *Planè sicut benedictione digni sunt, qui culpas corrigunt: ita nihilominus maledictioni obnoxij sunt, qui peccatoribus blandiuntur.* Saul cùm pepercit Regi Agag, & clementiorem se exhibuit, quàm oportebat, regnum amisit: *Abiecit te Dominus*, inquit Samuel, *ne sis rex.* 1. Reg. 15. v. 23. Nec immeritò, qui debita seueritate non vtitur, regia maiestate priuatur. Cùm enim regnum disciplina seruetur; aptus non est regno seruando, qui disciplinam relaxat. Quod si diuinam voluit misericordiam imitari, stultè egit: cùm illa iustitiæ soror germana sit, & nullo cum ignauia, ac dissidia cognationis iure teneatur. Vnde rectè Theodor. ad eum locum q. 33. *oportebat*, inquit, *stultum intelligere, qui vna gutta diuinæ benignitatis, & clementiæ, vincit omnem hominum benignitatem, sed infelix, cùm Deus iustissimus punire, misertus est, & cùm Deus mortis damnasset, ipse, vt existimauit, vitam tribuit.*

6. *In præcipi sæculari seueritas necessaria, ad resecanda vitia.* *Saul propter mendacium à in Regem Agag clementiam, regno priuatus.*

Magnum quoque sibi detrimentum struxit Achab

Achab in regem Beno-

dad inordinata pietas punitur.

Achab Rex Iſrael, dum iniuſta miſericordia, in Benadad Aſſyriorum Regem, vſus eſt: nam quem occidere debuiſſet, leuauit in currum, captis ciuitatibus donauit, fœderauit ſibi in ſocium, ac tandem liberum, & impunitum abire permiſit, 3. Reg. 20. ſed ſtatim qui iuſtas ab hoſte pœnas non exegit, iuſtiſſimas ipſe ſoluit; dicente ad eum Propheta: *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua; erit anima tua pro anima eius.* Ibid. verſ. 42. Neque enim fuit illa *clementia, ſed dementia*, vt loquitur Lyranus. Quod expendens D. Petrus Damian. epiſt. illa cit. 6. *Achab*, inquit, *rex Iſrael, dum regi Aſſyriorum Benadad inordinatâ pietate pepercit, diuini aduerſum ſe furoris ſententiam prouocauit.*

7. *Marito ſeueritatem quandoque exercere oportuit.*

Marito eandem eſſe neceſſariam, docuit exemplo ſuo vir etiam diuinâ commendatione ſanctiſſimus, Iob. Cùm enim accederet ad eum inſtigata à dæmone, & grauiter animo commoto coniunx, quæ cùm videret virum ſuum in ea dolorum excarnificina laudantem nihilominus dominum, cum offenſione, & irriſione ſubamara dixit: I nunc, & in laudando Deo perſeuera ſtultè planè, & fruſtrà, vt ipſe, niſi mens abſit, experiri potes, quando poſt tot laudes, nihil iam tibi reliquum eſt, niſi vt miſerum hũc ſpiritum, quem ægrè ducis, tandem exhales. Sed ait ad illam clemens Iob: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Idumæas mulieres imitata es. Quæ gens in ſuos Deos, cùm illos parum propitios experitur, non ſolum conuitiis, quod frequenter accidit, ſed etiam manu & telis inuehitur. Verba illa, *ait ad illam*, vertunt Septuaginta, *Reſpiciam in illam ait*; eumque reſpectum toruum fuiſſe ſignificant Baſilius & Chryſoſt. in catena Græca, *Cùm*, inquiunt, ea verba ſtomachum Iobo mouiſſent, pleno iracundiæ vultu, truciſque aſpectu ad vxorem conuertitur. Addit D. Chryſoſtom. hom. 5. in Iob. *Ante vocem*, inquit, *ab ipſo proſpectu machinamenta repulit, leone truculentior factus, furore plenus & iracundia.* Et rectè. nam vt ait Siracides Eccleſ. 7. *per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Audiuit olim Eſdras innumera totius populi peccata, nec tamen dicitur corripuiſſe, ſed fleuiſſe. *Cumq; audiſſem*, inquit textus, *ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ, & ſedi mœrẽs*, 1. Eſd. 9. verſ. 3. Quid factum? Conuenerunt ſtatim ad eum nõ ſolum principes, ſed etiam populares, fleuerunt pariter cum eo, & contracta ſcelera abiurarunt: vt patet ex cap. 10. vbi Gloſſa Ordin. *Nota*, inquit, *quantum exempla doctorum iuuent: nihil ſcribitur Eſdras loquutus eſſe, ſed tantum audito ſcelere, lachrymaſſe, & turbam ad ſe fidelium non vociferando, ſed lachrymando traxiſſe.* Sic Tobiam noſtrum triſtiori vultu iuxta aſperiora verba, conatum eſſe erudire vxorem, eſt veroſimile. Eumque modum eſſe vtilem ſatis inſinuat Abacuc vates cap. 3. dum ait de Deo: *Aſpexit, & diſſoluit gentes.* quaſi dicat. Sicut olim ſuo aſpectu Deus Chananæorum diſſoluit neruos, & fregit animos; ſic etiam cùm infenſis oculis Iudæos aſpexerit, illorum diſſoluet vires, & ad aduentum Chaldeorum exanimes reddet.

Solo aliquã do, vultu geſtu, & aſpectu vitia emendãtur.

8. *Patrisfamilias acrimoniam adhibere debet in domeſticis corripiendis.*

Patrifamilias vnà cum lenitate hæc acrimonia non ſolum peropportuna, vt debitè regat, ſed etiam neceſſaria. Planiſſimè hoc conſtat in perſona Heli, cui grauiſſima mala Deus interminauit, eò quòd filios ſuos grauiſſimè peccantes ſeuerè non redarguerit; Dixerat quidem illis: *Quare facitis res huiuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas, ab omni populo? Nolite filij mei, non enim eſt bona fama quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Dominus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 2. Sed quia non ſatis ſinapi, aut acrimoniæ verbis addiderat, illam correptionem nihili fecerunt filij, & Deus ægrè tulit. Vnde c. 3. inquit: *Prædixi ei, quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quòd nouerat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos.* In correptione enim illa magis apparebat parentis indulgentia, quam Sacerdotis zelus, & Iudicis ſeueritas. Quare correptio illa, quia leuis fuit, & filiorum non fregit audaciam, & profuſam illam intemperantiam non cohibuit; correptio appellari non debuit; iuxta Scripturæ morem, quæ id factum eſſe negat, quod vſum nullum attulit. Quomodo, ſi princeps aut prudentiam habeat nullam, aut in republica adminiſtranda dormitet, & langueat; in tali republica negatur eſſe princeps. Et ſi medicina ægroto corpori ſalutaris non fuit, abfuiſſe dicitur medicina: illa ſanè medicina non erat, qualem tam grauis ille, & ſanioſus morbus exigebat, qui cum candens deſideraret ferrum, vt vreret, aut acutum, vt ſecaret: oleum tamen adhibitum fuit, quod potius, quia lenit, blandimentum quoddam, & fomentum appellari debuit.

Heli ob leuẽ filiorum correptionem, à Deo grauiter punitus eſt.

Id fuiſſe negatur, quod inutile fuit.

Appoſitè Chryſoſtomus hom. 59. in Gen. *Quemadmodum*, inquit, *medicus ſi morbum ſectione indigentem, vnctione aut emplaſtro curare voluerit, citò morbum incurabilem efficiet, cùm congruam non adhibeat medicinam, ita & ſenex ille, cùm deberet filios ſuos pro peccatorum qualitate emendare, nimiâ vſus lenitate illos arguit.* Vbi ſatis indicat, non voces, ſed plagas illis fuiſſe infligendas. Quod in libr. 3. aduerſus vituperat. vitæ monaſt. clariùs expreſſit. *Minas*, inquit, *addere debuerat, & à ſuo conſpectu amouere, & verberibus afficere, multoq; illis grauius, & durius inſtare.* Clarius hoc inculcat D. Ephrem in Apologia Heli. nam ait, *ſi Heli diuinum cultum in corde haberet,*

Grauis pœna debet correſpondere peccatis grauibus.

beret, fore, vt filiorum scelus non solùm corripere, sed etiam è domo arcere, conaretur. Et paulò inferiùs, *si diuino tangeretur zelo, non aliter suos filios puniturus* fuisse, quàm Paulus, peccatorem illum Corinthiacum, & Petrus, illum magnum diuini Spiritus emptorem.

9. *Mirum vt reprehendatur à Chrysostomo non bene educantes filios.*

S. Chrysostomus hom. 68. in Matth. optimè ponderat patrum ignauiam, qui pueros crescere sinunt sine obiurgatione aliqua, ac sine doctrina. *Domitores equorum*, inquit, *cogunt vt studiosissimè sibi equos domitent, nec incuria committunt ad firmiorem indomitos etatem peruenire, sed frænum, ac catera, quibus opus est incipientes adhibẽt: liberos autem suos longè prouecti absque castigationis negligunt frano, & dimittunt circuire, sortis, aleis, & obscænis spectaculis inhiantes.* Hinc non mirum, quod postea grandes effecti, pessimi, animoque irreuerenti euadant, ac infrunito: culpa patrum est, qui negligentes in animaduersione & correptione existunt puerorum.

SECTIO V.

Quod Homo compositus Deo facilè passionibus resistat.

1. ONSOLATVR cum acrimonia Tobias senior vxorem, vt diffidẽtem compesceret. Sed quid? nihil proficit diuinis consolationibus, quibus illam attollere studuit. Considera in hoc, mi Christiane, differentiam animæ benè cõpositæ cum Deo, & temporalibus addictæ. Illa in angustijs constituta renuit consolationes terrenas, ad solum Deum confugit, *In die tribulationis mea*, inquit regius Propheta Psal. 76. *Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei: & delectatus sum.* Deum, inquit, solum quæro consolatorem & auxiliatorem, ipsoque solo delector, solus in animo & memoria mea versatur. Refuto quas ipsemet comminiscor, vel suggerunt alij consolationes. *Consolatores*, omnes alios *onerosos* reputabat Iob cap. 16. & *somniatores frustra loquentes*, qui *vanè consolabantur*. Zacharias cap. 10. *Risum reputabat errorem, & gaudio dicebat, quid frustra deciperis?* Ecclesiastes cap. 2. Ac si aperte dicat, inquit Gregorius 18. moral. cap. 24. tractans illud, *Nec inuenitur sapientia in terra suauiter viuentium*, Iob. 28. qui de temporalium amissione non lugeo, de temporalium abundantia consolari nequaquam possum. Solâ Dei me recreo memoriâ, cogitando quàm soleat ille beneficus esse erga suos, quamque potens sit.

Anima bene composita renuit in angustijs cõsolationes terrenas, sed Deum solũ quærit.

2. *Sponsa sua anima desolatur.*

Sponsa Cant. 5. fustibus percussa & vulnerata, & pallio suo expoliata à custodibus ci-

uitatis, ne sic quidem perterrita fuit, neque animum despondit, sed audentior & constantior reddita ad quærendum, & persequendum ipsum dilectum adiurat filias Ierusalem, vt si fortè inuenerint dilectũ eius, nuncient ei, quia præ amore & desiderio ipsius langueat, & quasi deliquium animi simul & corporis patiantur, donec ipso fruatur, reticens vulnera, quæ propterea perpessa est. Sic Apostolus ad Rom. 8. inquit: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an periculum, an persecutio, an gladius?* Hoc signum est summæ deuotionis, & admirandæ charitatis. Gregor. Nazianzenus verissimè dicit orat. 23. *Philosophicus animus ex eo, quod passum sit, generosior redditur: atque vt candens ferrum aqua frigida aspersione, ita periculis obdurescit.* Idemque Orat. 24. in Ægyptiorum aduentu pag. 648. laudans Athanasium, & Petrum, sic rursus ait: *Non tempus, non inuidia, non metus, non bellum, non exilia, non aliud quippiam eos adducere potuit, vt deteriores fierent: immò contra ex ipsis periculis robur collegerunt, atque ad pietatem acriores, & animosiores extiterunt. Huiusmodi enim est pro Christo pati, amori cumulum affert, atque animi magnitudine præditis viris ad sequentia certamina velut arrha existit.*

Vera mulier afflictionibus à Deo dimittitur.

Anima perfecta ex tribulationibus animosior fit.

3. *Anima carnalis cõsolationis diuinæ refutat, & deficit à desiderio.*

E contra anima carnalibus affectibus dedita Deum non quærit, & nisi concupito fruatur aut languet, aut perit. Plutarchus in Demetrio narrat Antiochum præ nimio amore Stratonicæ grauiter ægrotasse; Erasistratum autem medicum insignem ex hisce amoris affectibus, seu indicijs, & signis certò collegisse, ac deprehendisse non solum Antiochi morbum, qui ex amore natus erat, sed etiam cuius amore ille captus esset, cognouisse. Simile quippiam narrat Euripides in Hippolyto de Phædra regina vxore Thesei regis ex nimio amore Hyppolyti alias priuigni sui, sed tamen pulcherrimi simul & castissimi. Quin etiam Aulus Gellius l. 7. c. 8. vbi narrat historiã vltra fidem traditam super amatore delphino, & puero amato, inter alia sic ait: *Postea idẽ ille puer delphino amœnus, morbo affectus obijt suum diem. At ille, nempe delphinus amans, vbi sæpè ad litus solitum annatauit, & puer qui in primo vado, aduentum eius operiri consueuerat, nusquam fuit, desiderio tabuit, exanimatusq; est, & in litore iacens inuentus est ab ijs, qui rem cognouerant, in sui pueri sepulchro humatus est.* Insana sunt hæc, & ab animo Christiano longissimè profligenda: *Tristitia* enim *huius sæculi*, iuxta Apostolum, *mortem operatur.*

4. *Nimius amor in proles absentes consolari nequit.*

Porrò anima, quæ naturali amore nimiùm fertur in rem charã, vti proles, huic ex parte similis est: non admittit consolationem, nisi desiderio suo fiat satis vt hic Annæ amor. Patriarcha Iacob Genes. 37. existimans filium suum charissimum Iosephum, à fera pessima deuora-

deuoratum, *ſciſſis veſtibus induit cilicium, lugens filium ſuum multò tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt leuarent dolorem patris, noluit conſolationem accipere; ſed ait: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*: Ego, inquit, ô filij, nullam conſolationem admittam, donec Ioſephum videam, quent, vt pote iam mortuũ, viſurus non ſum, donec poſt mortem anima mea animæ illius in limbo coniungatur. Planè enim confido, Ioſephi innocentis animam ad maiorum animas acceſſiſſe in ſinum Abrahæ, quem etiam mihi reſeruari ſpero. Rachel Ierem. 31. videns filios ſuos duci in captiuitatem Babylonicam, noluit conſolari, quia reputabat illos pro mortuis. Hoc inſinuat Propheta verbis iſtis. *Vox in excelſo audita eſt, lamẽtationes, luctus & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt*: quia videlicet exules pro mortuis cenſentur. In Scriptura enim ſacra exilium cum ſepultura comparatur: vnde Ezechiel. cap. 37. cùm euocãdos eſſe dicit ab exilio captiuos, eruendos affirmat à ſepulchris. Idem dicitur Matt. 2. de matribus innocentium occiſorum, vbi locus Hieremiæ adducitur, quod ad litteram etiam locutus ſit Propheta de planctu matrum Bethlemitarum ob infanticidium Herodis; quæ conſolationem non admittebant, quòd miſerrimè viderent filios è medio ſublatos: agit enim illo capite de tempore, & Eccleſia Chriſti.

5. *Ex nimio amore in filios nata eſt idololatria.*

Sed vitioſus hic amor eſt, & nimis magna ſenſualitas, vnde aliquando idololatria nata, vt docet Hebræus Sapiens cap. 14. Sapient. *Acerbo*, inquit, *luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tãquam Deum colere capit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia.* Parit etiam mariti contemptum. Id prodit liber 4. Reg. cap. 4. vbi mulier quædam Sunamitis, Eliſæi precibus filio donata, cùm is obiiſſet, *vocauit virum ſuum, & ait: Mitte mecum, obſecro, vnum de pueris, & aſinam, vt excurram vſque ad hominem Dei, & reuertar. Qui ait illi: Quam ob causã vadis ad eum? hodie non ſunt Calenda, neque Sabbathum. Qua reſpondit: Vadam. Strauitq; aſinam, & præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo: & hoc age quod præcipio tibi. Profecta eſt igitur, & venit ad virum Dei.*

Vxoris nimium affectus in filios parit mariti contemptum.

Eò vergit affectus ille parentum naturalis, nimiùm fortis; imò quod & iniurius ſit in Deum. Vnde ſanctus Hieron. matrem plus ſatis deflentem obitum filiæ ſuæ, ſic perſtringit: *Senis nunc diabolus, & quia vnam cernit de tuis liberis triumphantem, obtritum ſe eſſe condolens, quærit in tormentis victoriam, quam in præcunte iam perdidit. Grandis in ſuos pietas, impietas in Deum eſt. Abraham latus vnicum filium interfecit: & tu vnam de pluribus quereris coronatam?* Et nõ nihil poſt: *Deteſtanda ſunt iſta lachryma, plena ſacrilegio, incredulitate pleniſſima, qua non habent modum, qua vſque ad viciniam mortis accedunt. Vlulas, & exclamitas, & quaſi, quibuſdam facibus accenſa, quantum in te eſt, tui ſemper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur* IESVS, *& dicit: Quid ploras? non eſt mortua puella, ſed dormit. Irrideant circumſtantes. Iſta infidelitas Iudæorum eſt. Te quoque, ſi ad ſepulchrum filia volueris volutari, angelus increpabit: Quid quæris viuentem cum mortuis? quod quia Maria fecerat Magdalene, poſtquam vocem Domini ſe clamantis agnouit, ad eius prouoluta pedes, audit: Ne tetigeris me: necdum enim aſcendi ad patrem meum, id eſt, non meretris tangere reſurgentem, quem mortuum exiſtimas in ſepulchro.*

Tobias verò noſter tacet, & paſſiones omnes remouet, & longanimitatem ſuam oſtendit erga vxorem nimis ſenſualem, tum quòd ſciebat huius affectus cauſa aliquos propè inſanire. Mos enim fuit apud antiquos, vt cùm puer primùm ſuſceptus eſſet in lucem, aliquod ſtatueretur illius diei, ac puerperij monumentum; quòd plerumque fiebat depactâ arbore, quæ cum puero creſcente ipſa quoque ſenſim adoleſceret, in qua ſibi, ſi quando filius abeſſet domo, parentes filium haberent quodammodò præſentem, & ſuam ſolitudinem, & nati deſiderium ſolarentur. Sic ſanè docet Donatus, dum Maronis deſcribit vitam: *Virga*, inquit, *populea more regionis in puerperijs eodem ſtatim loco depacta, ita breui coaluit, vt multò ante ſatas populos adæquarit.* Eodem quo natus eſt die Marius, plantata creditur quercus; quæ ab illo Mariana vocata eſt, de qua Cicero lib. 1. de legibus. Tum etiam, quòd ſpes proxima vires ſuppeditet affectui, iuxta Ambroſius comment. in pſal. 118. ad verba: Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, vbi ſic ait: *Quidquid eſt, quod vehementer expetimus, niſi eius maturiorem habeamus effectum, id nos videtur quadam intentione laſſare. Et quidquid eſt deſiderabile, ſi non contingat deſideranti, deficit in illud, & quaſi deponit ipſam animam, qui deſiderat. Si tamen ſpes proprior aſſurgat, dat vires ſpes proxima.* Et immediatè poſt ſubiungit huius Annæ exemplum: *Si autem abſentia ſit dilecti, eo ipſo, quo abſentem deſiderat, qua concupiuit anima ſua patitur defectionem. Itaque quanto longius eſt illud, quod deſideratur, tanto magis deficit qui deſiderat: vt ſi mater filij expectet præſentiam, quemadmodum expectabat Tobiæ vxor filium peregrinantem deficiens à deſiderio, & in anguſtijs conſtituta, & tanquàm reſoluta viribus.*

6. *Tobiæ longanimitas.*

In filiorum ortu arbor plantari ſolita, aut aliud memorale.

Dilectus abſens deſideratus cruciat deſiderantẽ.

Iniurius eſt Deo.

CAPITIS DECIMI

VERSVS VIII. PARAPHRASIS.

At verò Raguel dicebat ad generum ſuum: Mane hic, & ego mittam nuntium ſalutis de te ad Tobiam patrem tuum.

Verſ. 9. *Cui Tobias ait: Ego noui quia pater meus & mater mea modò dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis.*

Verſ. 10. *Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nullâ ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa: & ſalutem atque gaudentem dimiſit eum à ſe.*

Verſ. 11. *Dicens: Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes, & inueniatis omnia rectè circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros priuſquam moriar.*

Verſ. 8. 9. 10. & 11. Interim dum Tobiæ iunioris parentes anxio eſſent animo, & aſſiduo ſe luctu conficerent, Tobias filius de illorum cura, doloreque ſollicitus, mœrebat abſens, & ſuum ad parentes reditum vrgebat. Quem vt apud ſe ſocer retineret diutiùs, & parentes illâ moleſtiâ liberaret, promittit genero ſuo miſſurum ſe nuncium, qui doceat ſanum, & ſalutem eſſe filium: & ea, quorum cauſa venerat feliciter eſſe tranſacta. Cumque hic neque ſuâ auctoritate, neque adiectis precibus obtinere poſſet à genero, tradit illi Saram, ſicuti priùs obſignarat in tabulis, vt eam ad parentum domum ſecum abducat, & cum ea dimidiam bonorum omnium partem, quâ copioſam & lautam poſſet inſtruere familiam, quæ ſeruis, & ancillis, pecudum, armentorumque gregibus, multâ denique pecuniâ conſtabat. Ac tandem cum bona illum gratia lætum à ſe, & diuitem dimiſit, apprecando illis angelicam aſſiſtentiam, & aſſiduam cuſtodiam in itinere ad parentes, apud quos omnia ſalua reperire eos deſiderant, quin etiam vt ipſe tamdiu ſpiritum trahat, quoad vſque filios videre queat à nouis coniugibus prognatos.

SECTIO SEXTA.

Vnde tam fortunatus extiterit Tobias iunior?

1. AVE miſſus à patre ad quærendas aſinas deperditas, cùm diutiùs hæreret, quàm par eſſe videbatur, *dixit ad puerum, qui cum ipſo erat: Veni, & reuertamur, ne fortè dimiſerit pater meus aſinas, & ſollicitus ſit pro nobis.* Simile cogitabat Tobias iunior, nuptiis plus quàm æquum ei videbatur protractus. Tobiam fortè domum properaſſe, vt negotia patris perageret, probabile eſt, quandoquidem olim ſoleant filij iam grandiori ætate parentibus ſeruire, reſque curare domeſticas, & communes, Argumento nobis ſunt duo fratres, Iacob, & Eſau, qui in domo habitarunt paternâ, reſque curarunt communem ad parentis imperium; cùm tamen annos agerent tres & ſeptuaginta. Quin etiam moris erat apud Hebræos, filios poſt nuptias retineri à parentibus domi, illorumque operâ vti ad communes, & domeſticas curas. Sic ſanè Iudic. cap. 12. verſ. 8. feciſſe videtur Abeſſan Iudex Iſrael, qui triginta filios etiam poſt nuptias apud ſe retinuit domi, cùm tamen filias foras emiſiſſet, in domos videlicet ſocerorum, vbi nempe illarum coniuges habitabant: *Poſt hunc*, inquit, *iudicauit Iſrael Abeſſan de Bethlehem, qui habuit triginta filios & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, & eiuſdem numeri filijs ſuis accepit vxores, introducens in de-*

mum

mum ſuam. Hinc nullâ ratione pacari poterat, vt diutiùs apud ſocerum Raguelem hæreret quapropter Raguel traditâ illi vxore, & dimidiâ parte omnis ſubſtantiæ ſuæ, quam pro dote addixerat, gaudentem à ſe dimittit. Voluit enim fidem ſuam liberare, quemadmodum fidelem decet: *Abominatio enim Domini, omnis illuſor: & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Prouerb. 3. Neque voluit eſſe ſimilis Labano, cuius filiæ conqueſtæ ſunt de ipſo, Geneſ. 31. Cùm enim Iacob meditaretur fugam ſecretam ab auunculo, *vocauit Rachel & Liam in agrum vbi paſcebat greges, dixitq; eis: Video faciem patris mei, quod non ſit erga me ſicut heri & nudiſtertius: Deus autem patris mei fuit mecum. Et ipſa noſtis, quod totis viribus meis ſeruierim patri veſtro. Sed & pater veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus*: & plura in hanc rem. Ad quæ reſponderunt: *Numquid habemus reſidui quidquam in facultatibus, & hereditate domus patris noſtri? Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, commedit q; pretium noſtrum?* Quaſi dicerent: Nonne pater nos quaſi exhæredes fecit. Primò, dum nos indotatas tibi vxores tradidit. Secundò, dum pretium noſtrum, quo nos ſcilicet tibi coëmiſti vxores, puta laborem 14. annorum ſeruitutis tuæ, totum ſibi vſurpauit, vt non tam quaſi pater nos in matrimonio, conſignatâ dote collocaſſe, quam quaſi mango vendidiſſe videatur. Propterea igitur Raguel ex bono affectu dimidiam omnium bonorum partem liberaliter conſignauit. Quam plurimi parentes hodie ab exemplo Raguelis deuiant, & Labano ſimiles, filias nequaquam dotare volunt, imò quamuis ante coniugium promiſerint, poſt contractum tamen fidei ſatisfacere nolunt, vnde frequenter concordia coniugalis emoritur, & diſcordia perpetua inter coniuges exoritur.

Facilitas Raguelis in dote ſua filia, parentibus in exemplū.

2. *Vnde alij fortunati, alij infortunati.*

Cùm itaque in hoc negotio multi infelices ſint, diſcuſſione dignum eſt, vnde contingat quempiam altero eſſe fortunatiorem? Gentiles cæci cenſent fortunam eſſe Deam cæcam, quæ non pro merito, ſed fortuitò, & iam impijs & indignis felicitatem, pijs verò & dignis ſæpè infelicitatem aſſlaret. Genethliaci hominis cuiuſque fato id tribuerunt. Aſtrologi ſtellis & horoſcopo id aſſignât: vnde ex eo diuinant de cuiuſque ſorte & felicitate, vel infelicitate futura. Augures ex volatu & garritu auium bona vel mala homini futura arbitrantur, indeque præſagiunt. Res planè fatua. Nihil enim poſſunt animalia præſagire, cùm ratione carent. Hieremias vates apud Baruch cap. 6. in epiſtola quam dedit Iudæis in Babylonem iã iam ituris, dehortatur illos, ne Chaldæorum idola ſequantur, quod aliud non ſint, quàm truncі & lapides; idque probat ex eorum materia, fabrica, turpitudine, impotentia, & ineptitudine ad omnia, & inter alia inquit ver. 53. *Iudicium quoque non diſcernunt, neque regiones liberabunt ab iniuria, quia nihil poſſunt, ſicut cornicula inter medium cæli & terræ.* id eſt, Chaldæorum idola nihil poſſunt legitimo decernere, integroque iudicio, neque regiones vendicare ab iniuria; quia nihilo plus valent, aut illorum oracula plus habent fidei, quàm corniculæ cantus, qui crocitando regionem permeat, quæ media eſt inter cælum & terram. Ad clariorem intelligentiam aduerte, quod ſicut Gentiles obſeruabant volatus, & clamores cornicularum vt ex ijs ſuperſtitioſè diuinarent res futuras: ita & obſeruabant idola, id eſt, idolorum victimas, earumque geſtus & motus, vt ex ijs diuinarent futura. Et quod abſurdum planè, ad hunc modum olim puellæ nubiles, vt ominatas conſequerentur nuptias, opimum prandium offerebant cornici, vt patet ex Phœnice Colophonio apud Athenæum lib. 8. Quin & apud Romanos, ait Feſtus, *Corniſcarum Dearum in cuſtrano Tiberim cornicibus dicatum erat, quòd in Iunonis tutela eſſe putabantur.* Superſtitionis origo fuit, quòd cornix ſit coniugalis amoris ſymbolum. Mares enim fœminis connubio conjuncti, nunquam ad alteram diuertunt cornicem, nec fœmina quoad viuit, ad alium marem: quod ſi mors diuortium fecerit, qui ſuperſtes eſt, perpetuum ſibi indicit cælibatum. ita Horus Apollo lib. 1. Hierogl. 8. Vulgus caſu hæc euenire putat. Sed hi omnes grauiter errant.

Stellis, vel auium garritu hominis ſucceſſus adſcribere, fatuum eſt.

3. *Deus felicitatis vel infelicitatis eſt cauſa.*

Deus enim cauſa eſt, omnium dominus, qui ſingulis ſua pront vult, diſpenſat. Itaque ſicut huic ingenium, opes, ſanitatem, formã, robur, aliaque dona naturæ impertit: alterum verò facit ſtupidum, pauperem, morbidum, deformem, infirmum; ita pariter ſpeciali ſua prouidentia hunc facit fortunatum, illum infortunatum; ad illudque cauſas ſecundas flectit & contemperat. Hoc eſt quod ait Pſaltes Pſal. 30. *In manibus tuis ſortes meæ.* Planiſſimè Siracides Eccleſ. 11. *Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Et oculus Dei reſpexit illum in bono: & erexit eum ab humilitate ipſius. Et exaltauit caput, & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Contingit, inquit, vt ſit quiſpiam qui laborat, & feſtinat ditari, & multis doloribus angitur, dum non vt vult omnia ſuccedunt: & tamen non ideò magis abundant, ſed ſemper in egeſtate manet, nimirum quia Deus eum non vult diuitem eſſe: nec eius labores fortunat. Contrà contingit, vt ſit quiſpiam marcidus, hoc eſt, languidus: ad operandum tardus & piger, (id enim ſignificat dictio Græca, ἀτίθασος) egens

egens recuperatione, hoc eſt ſubſidio ipſum reparante, plus, hoc eſt, multum deficiens fortitudine, & abundans paupertate. Quem tamen Dominus reſpiciens benigno ſuo aſpectu ad benefaciendum, erexit ab humili eius conditione & ſtatu, & ſublimauit eum: ita vt mirarentur multi, quòd ea res præter expectationem omnium euenisſet. Et ne admiranda illa diuerſitas, quæ in hominibus cernitur, putaretur caſu & fortuitò euenire, rectè ſubiecit: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* id eſt, Ea quæ hominum opinione bona & mala ſunt, vt diuitiæ & paupertas, à Deo ſunt. Quibus verba falſam Gentilium de fato & fortuna confutat opinionem, docetque in omnibus rebus, quas admiramur, mentes noſtras conuertendas ad prouidentiam diuinam, & agnoſcere eam eſſe cauſam omnium: Deumque à quo omnia proficiſcuntur, inuocandum atque colendum, & eius diſpoſitioni atque voluntati noſmet ſubmittere debere. Syracides cap. 10. planiſſimè pronuntiat: *In manu Domini proſperitas hominis.* Senſus eſt, Dei nutu euenire, vt quis felicem exitum in ſuis negotijs ſortiatur, & proſperè regni negotia exequatur. Hinc rectè Daniel cap. 5. dixit Balthazari, *Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non glorificaſti.* Hiſtoriæ nobis ſuppeditant exempla Regum diuinitùs ſeruatorum. Cræſus enim, cum hoſtis eum occidere tentaret, filij voce qui mutus ad illud vſque tempus fuerat, ſeruatus eſt, A. Gellius lib. 5. cap. 9. Traianus terræmotu cuncta quatiente, & exſorbente, diuinâ monitus voce ereptus eſt, Dio lib. 53. Veſpaſianus ſimiliter in bello Iudaico hoſtium telis ſubtractus eſt, Ioſephus lib. 5. bell. Iudaic. cap. 7. Hinc Cæſar, vt Plutarch. in Sertorio, vectori, iam tempeſtati manus danti; *Quid times*, inquit, *an non Cæſarem vehis?* indicans nimirum in Dei manu Regem eſſe, ab eoque dirigi, vt felicem exitum ſortiretur; ab eo enim dependet, ab eoque habet, quidquid habet.

Hominũ negotia Dei nutu proſperè geruntur.

A Diuina prouidentia omnia proficiſcuntur, non à fato ſiu fortuna.

Diuina vis & prouidentia omnia ab omni æternitate præſciuit, omnia labente æuo moderatur, & in deſtinatos certoſque fines dirigit, dum ſua cuique tempora, ſuas humanis conatibus varietates præſtituit, vt vel ſic diuinæ prouidentiæ immemores, ab inopinatis caſibus, aduerſiſque euentibus diſcant, ſuis viribus non nimiùm tribuere, ſibique perſuadeant à diuino nutu pendere omnia. Fortuna priſcis tantopere culta, nunc quid eſt? verſatilis ſed inanis ex Orco larua. Numen illud quod cuncta pro arbitrio ſeu aduerſa, ſeu proſpera mortalibus partitur, ipſiſſima Dei prouidentia eſt. Verſat Deus ſanctiſſimâ voluntate ſuâ & prouidentiâ res humanas inſtar volubilis rotæ; ſortes cæcas & incertas ipſe temperat. Hoc Eſaias Vates clariſſimè dixit Regi Cyro, cui opes, victorias, proſperos ſucceſſus, & euerſionem Monarchiæ Chaldæorum Deus ibidem prædicit, & promittit, adhoc vt ipſe Iudæos Babylone liberet: *Ego Dominus*, inquit, *& non eſt amplius: extra me non eſt Deus: Accinxi te, & non cognouiſti me. Vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt. Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.* quaſi diceret: Gladio accingam te, armabo, vires & animos dabo ad ardua audendum; expeditum faciam, quaſi ſtrenuum militem; ad prælia te agiliter mittam, & meis auſpicijs manus conferes, ac vinces, eſto me non cognoſcas. Ex his omnes, tam qui ad orientem ſolem, quàm qui ad occidentem ſpectant, me Deum eſſe ſolum intelligent; neque mihi cum idolis diuinitatem eſſe cõmunem. Ego Dominus, neque eſt vllus Deus præter me, qui lucem mundo, & tenebras immitto, ſecunda videlicet & aduerſa. Nam pacem largior, & cum ea tranquillitatem, & abundantiam; & quod contrarium paci eſt, nempe malum, ærumnam, perturbationem, & inopiam inuecho. Quod ô Iſrael aliquando in pace vixeris, hoc meumerat beneficium. Rurſum quod nunc detineatis captiuus, & hoc meum eſt opus. Ita S. Hieronym. Adhæc, ego tibi creaui hoc malum captiuitatis Babylonicæ, ego rurſum per Cyrum faciam pacem, teque in libertatem aſſeram. Deus ergo eſt, qui omnia à ſe creata, ſua potentia & ſapientia gubernat: qui prius Iudæis induxit tenebras & malum, Chaldæis verò lucem & pacẽt deinde vice verſa, per Cyrum Iudæis creauit lucem & pacem, Chaldæis tenebras & malũ. Idem alijs ſeculis fecit, in ſingulis regnis, alternando vices, nuncque dando lucem, nunc tenebras. Idem facit hodie in Belgio, alijſque prouincijs.

Iſa. 45.

Deus pacis & belli author.

Summi igitur momenti eſt, in omnibus ſic animum inſtruere, vt omnem rei euentum diuinæ aſcribat prouidentiæ. Fit enim non rarò, vt viri docti, prudentes, bellicoſi, ſancti, & fortiter agant & peritè, exitu tamen minimè ſecundo, qui tamen non minus in Dei prouidentiam referendus, quàm feliciſſimus quiſque ſucceſſus. Ea de cauſſa Eccleſ. c. 9. *Vidi ſub ſole*, inquit, *nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus, caſumq; in omnibus.* Caſum vocat, quod nobis videtur tale, non Deo. Nil profectò rari eſt intelligentem & induſtrium ſpe ſuâ fraudari; hoc nos malum caſum cœnemus. At Thomas Aquinas è verbis Eccleſiaſtæ rectè colligi affirmat, nihil eſſe à caſu, aut præter voluntatem

4.

Felix mentus non ſemper reſpondet peritè auſpicanti.

tem ac præſcientiam cauſæ primæ. Inſinuat itaque primò Eccleſiaſtes, neminem poſſe ſine diuinæ prouidentiæ ope, quantumuis omni humanâ prudentiâ, & agendi dexteritate polleat, ex diſcriminibus euadere incolumẽ; ſed Deum, cui vult mirabilem illam velocitatem conferre, & ad declinanda pericula, & ad reportandam de hoſtibus potentiſſimis victoriam. Amos Vates priori parti commentarium exhibet; Cùm enim cap. 2. eladem & excidium intentaret Iſraelitis, inquit; *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam. Et tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam.* Eo, inquit, tempore nemo vltricis dexteræ vulnus effugiet: non velox curſu, non fortis robore, non potens viribus aſſequatur, vt vitam ſuam liberet ab interitu. Corruet, quantumcumq; hõmo fuerit ſagittandi peritus, neque vllus tã erit pedum pernicitate leuis, qui mortem euadat: neque efficiet quiſquam equeſtri fuga, vt inſtantem à tergo inimicum effugiat. Poſteriori parti Propheta Iſaias; Poſtquam ille perſuaſerat Iudæis eos, qui Deum colunt, in eoque ſperant, mutaturos fortitudinem, & volaturos vt aquilas, ſic loquitur: *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe? Dabit in conſpectu eius Gentes, & reges obtinebit. Dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulã vento raptam arcui eius. Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus eius non apparebit.* Quaſi dicat: Quis Abrahamum iuſtum ex Meſopotamia, quæ ad Orientem ſpectat, euocauit, edixitque, vt ſe antecedentem ſequeretur? Quis ante conſpectum eius Gentes proſtrauit, fecitque, vt de Regibus, illuſtrem obtineret victoriam? Quis Reges & Gentes gladio illius debellandas tradidit, ſicut puluerẽ à vento raptum; & arcui eius confringendas, perdendaſque propoſuit, eâ facilitate, qua ſtipula rapitur, aut iactatur à vento? Perſecutus eſt Gentes illas, & Reges ſecundo præliorum ſucceſſu. Quacumque pergeret, omnia illi contingebant proſpera, atque pacifica. Via verò ſic erat mollis, & expedita, vt in calceamentis ſemper recentibus, non apparuerit vllum peractæ viæ ſignum, & argumentum.

Sine Dei ope nullus quãuis prudentiſſimus euadet periculo.

Iſa. 41.

Secundò docet Eccleſiaſtes nullâ ratione vel ſalutem, vel victoriam parari ſine diuinæ prouidentiæ ope, ac ſæpè euentum minimè reſpondere ijs, qui ſuis viribus confidunt, & *in virtute ſua gloriantur*. Exemplum videre eſt, ex Hebræorum ſententia, 2. Reg. 3. v. 27. Abner fortiſſimus à Ioab interfectus. Sed opportunior Goliath, *Gibbor*, gigas robuſtiſſimus armis & viribus interemptus ab adoleſcente, *non haſta, gladio, & clypeo, ſed in nomine Domini exercituum*, ipſius enim eſt bellum, 1. Reg. 17. Deinde inanem quendam ſtrepitum, ſed ad vincendum exqu.. uidentia ludos faciente hoſtiu.. audire licet, 2. Reg. 5. *nam ſonitus gra.. cacumine pyrorum*, fudit Philiſtæos, q. d. vt indicat Theodoretus q. 19. *Quando videris ſyluas ſua ſponte moueri abſque vento, tunc deſcende ad bellum. Ne ſuis fidat viribus, ſed eius exſpectet auxilium.* Huius item generis ſonitus ille, quem *audire Dominus fecerat in caſtris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi; qui coegit fugere cum tenebris, animas tantum ſuas ſaluare cupientes*, 4. Reg. 7. v. 7. quæ ſanè videntur conſonare cũ Panico terrore, & repentino ſonitu, quo dicitur Pan perculiſſe ac profligaſſe hoſtes, vt ſcribunt Polyænus, & Phornutus in M. Antonij vita. Et ſanè in Prouerbio eſt, *Multa in bello inania*. Et expoſuit eleganter pro Cæcin. Cicero: *Exercitus maximi ſæpè pulſi, fugatiq; terrore ipſo, impetuq; hoſtium, ſine cuiuſquam non modò morte, ſed etiam vulnere.* Nonne etiam ludificatio illa coloris rubri aquarum, ex orientis ſolis repercuſſu, accedente etiam mentis perturbatione quadam, diuinitùs immiſſa, ita repræſentabat Moabitis ſanguinem vt putarent actum eſſe cum Iſraelitis; vt in eorum manus imparati & ſecuri vltrò ſe dederent, 4. Reg. 3. Quid de illa Gedeonis victoria, ſtratagemate tubarum, lampadum, & lagenarum, diuinitus, vt par eſt credere, imperato, & inſpirato? Iud. 6. Quid de ſimili Moabitarum & Idumæorum perturbatione, *multis ſe concidentium vulneribus*, caſu etiam aliquo, ſed diuinitus procurato, 2. Paral. 20. 33. Non eſt itaque *fortium bellum*, ſed diuinæ potius virtutis. Illud & confirmat poſtremus ille fortiſſimi Iudæ Machabæi cum hoſte conflictus, in quo poſt clariſſimas victorias, victus & occiſus fuit. Vbi nullas legitur præmiſiſſe ad Deum victoriæ largitorem preces: cùm tamẽ cap. 3. 18. non minùs pio, quàm forti & excelſo animo, ſuis militibus periculoſiſſimum ante prælium præfatus fuerit: *Non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberari in multis & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt.*

Panitus ruerunt in bello.

Bellum diuina virtutis.

5.

Omnis ſalus & victoria à Deo pendet non propriis viribus.

Tertiò docet Eccleſiaſtes, in tempore annonæ, neque induſtriam, neque peritiam vllã ſapientum, aliquid opis ferre poſſe, cælo pluuiam terrâ fruges negantibus. Rurſus humanam induſtriam nihil efficere ſine diuina ope. Quod & animaduertens Regius Pſaltes Pſal. 126. inquit: *Niſi Dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui edificant eam.* Omnis labor fruſtra conſumptus eſt, & fruſtra deinceps etiam conſumetur, niſi Dominus aduocatus cum fiducia operantibus adfuerit: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Filij Iſrael præ nimia ſollicitudine, dum

6.

Induſtria humana tempore neceſſitatis, ſine Deo inefficax.

egens recuperatione, hoc eſt ſubſidio ipſum reparante, plus, hoc eſt, multum deficiens fortitudine, & abundans paupertate. Quem tamen Dominus reſpiciens benigno ſuo aſpectu ad benefaciendum, erexit ab humili eius conditione & ſtatu, & ſublimauit eum: ita vt mirarentur multi, quòd ea res præter expectationem omnium euenisſet. Et ne admiranda illa diuerſitas, quæ in hominibus cernitur, putaretur caſu & fortuitò euenire, rectè ſubiecit: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* id eſt, Ea quæ hominum opinione bona & mala ſunt, vt diuitiæ & paupertas, à Deo ſunt. Quibus verba falſam Gentilium de fato & fortuna confutat opinionem, docetque in omnibus rebus, quas admiramur, mentes noſtras conuertendas ad prouidentiam diuinam, & agnoſcere eam eſſe cauſam omnium: Deumque à quo omnia proficiſcuntur, inuocandum atque colendum, & eius diſpoſitioni atque voluntati noſmet ſubmittere debere. Syracides cap. 10. planiſſimè pronuntiat: *In manu Domini proſperitas hominis.* Senſus eſt, Dei nutu euenire, vt quis felicem exitum in ſuis negotijs ſortiatur, & proſperè regni negotia exequatur. Hinc rectè Daniel cap. 5. dixit Balthazari, *Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non glorificaſti.* Hiſtoriæ nobis ſuppeditant exempla Regum diuinitùs ſeruatorum. Cræſus enim, cum hoſtis eum occidere tentaret, filij voce qui mutus ad illud vſque tempus fuerat, ſeruatus eſt, A. Gellius lib. 5. cap. 9. Traianus terræmotu cuncta quatiente, & exſorbente, diuinâ monitus voce ereptus eſt, Dio lib. 53. Veſpaſianus ſimiliter in bello Iudaico hoſtium telis ſubtractus eſt, Ioſephus lib. 5. bell. Iudaic. cap. 7. Hinc Cæſar, vt Plutarch. in Sertorio vectori, iam tempeſtati manus danti; *Quid times*, inquit, *an non Cæſarem vehis?* indicans nimirum in Dei manu Regem eſſe, ab eoque dirigi, vt felicem exitum ſortiretur; ab eo enim dependet, ab eoque habet, quidquid habet.

Hominũ negotia Dei nutu proſperè geruntur.

A Diuina prouidentia omnia proficiſcuntur, non à fato ſiu fortuna.

Diuina vis & prouidentia omnia ab omni æternitate præſciuit, omnia labente æuo moderatur, & in deſtinatos certoſque fines dirigit, dum ſua cuique tempora, ſuas humanis conatibus varietates præſtituit, vt vel ſic diuinæ prouidentiæ immemores, ab inopinatis caſibus, aduerſiſque euentibus diſcant, ſuis viribus non nimiùm tribuere, ſibique perſuadeant à diuino nutu pendere omnia. Fortuna priſcis tantopere culta, nunc quid eſt? verſatilis ſed inanis ex Orco larua. Numen illud quod cuncta pro arbitrio ſeu aduerſa, ſeu proſpera mortalibus partitur, ipſiſſima Dei prouidentia eſt. Verſat Deus ſanctiſſimâ voluntate ſuâ & prouidentiâ res humanas inſtar volubilis rotæ; ſortes cæcas & incertas ipſe temperat. Hoc Eſaias Vates clariſſimè dixit Regi Cyro, cui opes, victorias, proſperos ſucceſſus, & euerſionem Monarchiæ Chaldæorum Deus ibidem prædicit, & promittit, adhoc vt ipſe Iudæos Babylone liberet: *Ego Dominus*, inquit, *& non eſt amplius: extra me non eſt Deus: Accinxi te, & non cognouiſti me. Vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt. Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.* quaſi diceret: Gladio accingam te, armabo, vires & animos dabo ad ardua audendum; expeditum faciam, quaſi ſtrenuum militem; ad prælia te agiliter mittam, & meis auſpicijs manus conferes, ac vinces, eſto me non cognoſcas. Ex his omnes, tam qui ad orientem ſolem, quàm qui ad occidentem ſpectant, me Deum eſſe ſolum intelligent; neque mihi cum idolis diuinitatem eſſe cõmunem. Ego Dominus, neque eſt vllus Deus præter me, qui lucem mundo, & tenebras immitto, ſecunda videlicet & aduerſa. Nam pacem largior, & cum ea tranquillitatem, & abundantiam; & quod contrarium paci eſt, nempe malum, ærumnam, perturbationem, & inopiam inuecho. Quod ô Iſrael aliquando in pace vixeris, hoc meum erat beneficium. Rurſum quod nunc detineare captiuus, & hoc meum eſt opus. Ita S. Hieronym. Adhæc, ego tibi creaui hoc malum captiuitatis Babylonicæ, ego rurſum per Cyrum faciam pacem, teque in libertatem aſſeram. Deus ergo eſt, qui omnia à ſe creata, ſua potentia & ſapientia gubernat: qui prius Iudæis induxit tenebras & malum, Chaldæis verò lucem & pacẽ: deinde vice verſa, per Cyrum Iudæis creauit lucem & pacem, Chaldæis tenebras & malũ. Idem alijs ſeculis fecit, in ſingulis regnis, alternando vices, nuncque dando lucem, nunc tenebras. Idem facit hodie in Belgio, alijſque prouincijs.

Iſa. 45.

Deus pacis & bellorum.

Summi igitur momenti eſt, in omnibus ſic animum inſtruere, vt omnem rei euentum diuinæ aſſcribat prouidentiæ. Fit enim non tarò, vt viri docti, prudentes, bellicoſi, ſancti, & fortiter agant & peritè, exitu tamen minimè ſecundo, qui tamen non minus in Dei prouidentiam referendus, quàm feliciſſimus quiſque ſucceſſus. Ea de cauſſa Eccleſ. c. 9. *Vidi ſub ſole*, inquit, *nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus, caſumq; in omnibus.* Caſum vocat, quod nobis videtur tale, non Deo. Nil profectò rari eſt intelligentem & induſtrium ſpe ſuâ fraudari; hoc nos malum caſum cenſemus. At Thomas Aquinas è verbis Eccleſiaſtæ rectè colligi affirmat, nihil eſſe à caſu, aut præter voluntatem

4.

Felix euentus non ſemper reſpondet peritis authori.

tem ac præscientiam causæ primæ. Insinuat itaque primò Ecclesiastes, neminem posse sine diuinæ prouidentiæ ope, quantumuis omni humanâ prudentiâ, & agendi dexteritate polleat, ex discriminibus euadere incolumẽ; sed Deum, cui vult mirabilem illam velocitatem conferre, & ad declinanda pericula, & ad reportandam de hostibus potentissimis victoriam. Amos Vates priori parti commentarium exhibet; Cùm enim cap. 2. eladem & excidium intentaret Israelitis, inquit; *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam. Et tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam.* Eo, inquit, tempore nemo vltricis dexteræ vulnus effugiet: non velox cursu, non fortis robore, non potens viribus assequatur, vt vitam suam liberet ab interitu. Corruet, quantumcumq; hõmo fuerit sagittandi peritus, neque vllus tã erit pedum pernicitate leuis, qui mortem euadat: neque efficiet quisquam equestri fuga, vt instantem à tergo inimicum effugiat. Posteriori parti Propheta Isaias; Postquam ille persuaserat Iudæis eos, qui Deum colunt, in eoque sperant, mutaturos fortitudinem, & volaturos vt aquilas, sic loquitur: *Quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum, vt sequeretur se? Dabit in conspectu eius Gentes, & reges obtinebit. Dabit quasi puluerem gladio eius, sicut stipulã vento raptam arcui eius. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit.* Quasi dicat: Quis Abrahamum iustum ex Mesopotamia, quæ ad Orientem spectat, euocauit, edixitque, vt se antecedentem sequeretur? Quis ante conspectum eius Gentes prostrauit, fecitque, vt de Regibus, illustrem obtineret victoriam? Quis Reges & Gentes gladio illius debellandas tradidit, sicut puluerẽ à vento raptum; & arcui eius confringendas, perdendasque proposuit, eâ facilitate, qua stipula rapitur, aut iactatur à vento? Persecutus est Gentes illas, & Reges secundo præliorum successu. Quacumque pergeret, omnia illi contingebant prospera, atque pacifica. Via verò sic erat mollis, & expedita, vt in calceamentis semper recentibus, non apparuerit vllum peractæ viæ signum, & argumentum.

Sine Dei ope nullus quãuis prudentissimus euadit pericula.

Isa. 41.

Secundò docet Ecclesiastes nullâ ratione vel salutem, vel victoriam parari sine diuinæ prouidentiæ ope, ac sæpè euentum minimè respondere ijs, qui suis viribus confidunt, *& in virtute sua gloriantur.* Exemplum videre est, ex Hebræorum sententia, 2. Reg. 3. v. 27. Abner fortissimus à Ioab interfectus. Sed opportuniot Goliath, *Gibbor*, gigas robustissimus armis & viribus interemptus ab adolescente, *non hasta, gladio, & clypeo, sed in nomine Domini exercituum*, ipsius enim est bellum, 1. Reg. 17. Deinde inanem quendam strepitum, sed ad vincendum exqu... uidentia ludos faciente hosti... audire licet, 2. Reg. 5. *nam sonitu gra... cacumine pyrorum*, fudit Philistæos, q. d. vt indicat Theodoretus q. 19 *Quando videris syluas sua sponte moueri absque vento, tunc descende ad bellum. Ne suis fidat viribus, sed eius exspectet auxilium.* Huius item generis sonitus ille, quem *audire Dominus fecerat in castris Syriæ, currum & equorum, & exercitus plurimi; qui coegit fugere cum tenebris, animas tantum suas saluare cupientes*, 4. Reg. 7. v. 7. quæ sanè videntur consonare cũ Panico terrore, & repentino sonitu, quo dicitur Pan perculisse ac profligasse hostes, vt scribunt Polyænus, & Phornutus in M. Antonij vita. Et sanè in Prouerbio est, *Multa in bello inania.* Et exposuit eleganter pro Cæcin. Cicero: *Exercitus maximi sæpè pulsi, fugatiq; terrore ipso, impetuq; hostium, sine cuiusquam non modò morte, sed etiam vulnere.* Nonne etiam ludificatio illa coloris rubri aquarum, ex orientis solis repercussu, accedente etiam mentis perturbatione quadam, diuinitùs immissa, ita repræsentabat Moabitis sanguinem vt putarent actum esse cum Israelitis; vt in eorum manus imparati & securi vltrò se dederent, 4. Reg. 3. Quid de illa Gedeonis victoria, stratagemate tubarum, lampadum, & lagenarum, diuinitus, vt par est credere, imperato, & inspirato? Iud. 6. Quid de simili Moabitarum & Idumæorum perturbatione, *multis se concidentium vulneribus*, casu etiam aliquo, sed diuinitus procurato, 2. Paral. 20. 33. Non est itaque *fortium bellum*, sed diuinæ potius virtutis. Illud & confirmat postremus ille fortissimi Iudæ Machabæi cum hoste conflictus, in quo post clarissimas victorias, victus & occisus fuit. Vbi nullas legitur præmisisse ad Deum victoriæ largitorem preces: cùm tamẽ cap. 3. 18. non minùs pio, quàm forti & excelso animo, suis militibus periculosissimum ante prælium præfatus fuerit: *Non est differentia in conspectu Dei cœli liberari in multis & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.*

Panicus terror in bello.

Bellum diuina virtutis.

5. Omnis salus & victoria à Deo pendet non propriis viribus.

Tertiò docet Ecclesiastes, in tempore annonæ, neque industriam, neque peritiam vllã sapientum, aliquid opis ferre posse, cælo pluuiam terrâ fruges negantibus. Rursus humanam industriam nihil efficere sine diuina ope. Quod & animaduertens Regius Psaltes Psal. 126. inquit: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Omnis labor frustra consumptus est, & frustra deinceps etiam consumetur, nisi Dominus aduocatus cum fiducia operantibus adfuerit: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Filij Israel præ nimia sollicitudine, dum

6. Industria humana tempore necessitatis, sine Dei opis inefficax.

egens recuperatione, hoc eſt ſubſidio ipſum reparante, plus, hoc eſt, multum deficiens fortitudine, & abundans paupertate. Quem tamen Dominus reſpiciens benigno ſuo aſpectu ad benefaciendum, erexit ab humili eius conditione & ſtatu, & ſublimauit eum: ita vt mirarentur multi, quòd ea res præter expectationem omnium euenisset. Et ne admiranda illa diuersitas, quæ in hominibus cernitur, putaretur casu & fortuitò euenire, rectè subiecit: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* id est, Ea quæ hominum opinione bona & mala sunt, vt diuitiæ & paupertas, à Deo sunt. Quibus verba falsam Gentilium de fato & fortuna confutat opinionem, docetque in omnibus rebus, quas admiramur, mentes nostras conuertendas ad prouidentiam diuinam, & agnoscere eam esse causam omnium: Deumque à quo omnia proficiscuntur, inuocandum atque colendum, & eius dispositioni atque voluntati nosmet submittere debere. Syracides cap. 10. planissimè pronuntiat: *In manu Domini prosperitas hominis.* Sensus est, Dei nutu euenire, vt quis felicem exitum in suis negotijs sortiatur, & prosperè regni negotia exequatur. Hinc rectè Daniel cap. 5. dixit Balthazari, *Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti.* Historiæ nobis suppeditant exempla Regum diuinitùs seruatorum. Crœsus enim, cum hostis eum occidere tentaret, filij voce qui mutus ad illud vsque tempus fuerat, seruatus est, A. Gellius lib. 5. cap. 9. Traianus terræmotu cuncta quatiente, & exsorbente, diuinâ monitus voce ereptus est, Dio lib. 53. Vespasianus similiter in bello Iudaico hostium telis subtractus est, Iosephus lib. 5. bell. Iudaic. cap. 7. Hinc Cæsar, vt Plutarch. in Serto. vectori iam tempestari manus danti; *Quid times*, inquit, *an non Cæsarem vehis?* indicans nimirum in Dei manu Regem esse, ab eoque dirigi, vt felicem exitum sortiretur; ab eo enim dependet, ab eoque habet, quidquid habet.

Hominũ negotia Dei nutu prosperè geruntur.

Diuina vis & prouidentia omnia ab omni æternitate præsciuit, omnia labente æuo moderatur, & in destinatos certosque fines dirigit, dum sua cuique tempora, suas humanis conatibus varietates præstituit, vt vel sic diuinæ prouidentiæ immemores, ab inopinatis casibus, aduersisque euentibus discant, suis viribus non nimiùm tribuere, sibique persuadeant à diuino nutu pendere omnia. Fortuna priscis tantopere culta, nunc quid est? versatilis sed inanis ex Orco larua. Numen illud quod cuncta pro arbitrio seu aduersa, seu prospera mortalibus partitur, ipsissima Dei prouidentia est. Versat Deus sanctissimâ voluntate suâ & prouidentiâ res humanas instar volubilis rotæ; sortes cæcas & incertas ipse temperat. Hoc Esaias Vates clarissimè dixit Regi Cyro, cui opes, victorias, prosperos successus, & euersionem Monarchiæ Chaldæorum Deus ibidem prædicit, & promittit, adhoc vt ipse Iudæos Babylone liberet: Ego *Dominus*, inquit, *& non est amplius: extra me non est Deus: Accinxi te, & non cognouisti me. Vt sciant hi, qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.* quasi diceret: Gladio accingam te, armabo, vires & animos dabo ad ardua audendum; expeditum faciam, quasi strenuum militem; ad prælia te agiliter mittam, & meis auspicijs manus conferes, ac vinces, esto me non cognoscas. Ex his omnes, tam qui ad orientem solem, quàm qui ad occidentem spectant, me Deum esse solum intelligent; neque mihi cum idolis diuinitatem esse cõmunem. Ego Dominus, neque est vllus Deus præter me, qui lucem mundo, & tenebras immitto, secunda videlicet & aduersa. Nam pacem largior, & cum ea tranquillitatem, & abundantiam; & quod contrarium paci est, nempe malum, ærumnam, perturbationem, & inopiam inuecho. Quod ô Israel aliquando in pace vixeris, hoc meumerat beneficium. Rursum quod nunc derinearis captiuus, & hoc meum est opus. Ita S. Hieronym. Adhæc, ego tibi creaui hoc malum captiuitatis Babylonicæ, ego rursum per Cyrum faciam pacem, teque in libertatem asseram. Deus ergo est, qui omnia à se creata, sua potentia & sapientia gubernat: qui prius Iudæis induxit tenebras & malum, Chaldæis verò lucem & pacẽ: deinde vice versa, per Cyrum Iudæis creauit lucem & pacem, Chaldæis tenebras & malũ. Idem alijs seculis fecit, in singulis regnis, alternando vices, nunc que dando lucem, nunc tenebras. Idem facit hodie in Belgio, alijsque prouincijs.

Isa. 45.

Deus pacis & bellorum.

A Diuina prouidentia omnia proficiscuntur, non à fato sin fortuna.

Summi igitur momenti est, in omnibus sic animum instruere, vt omnem rei euentum diuinæ asscribat prouidentiæ. Fit enim non tardò, vt viri docti, prudentes, bellicosi, sancti, & fortiter agant & penitè, exitu tamen minimè secundo, qui tamen non minus in Dei prouidentiam referendus, quàm felicissimus quisque successus. Ea de caussa Eccles. c. 9. *Vidi sub sole*, inquit, *nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumq; in omnibus.* Casum vocat, quod nobis videtur tale, non Deo. Nil profectò tam est intelligentem & industrium spe suâ fraudari; hoc nos malum casum censemus. At Thomas Aquinas è verbis Ecclesiastæ rectè colligi affirmat, nihil esse à casu, aut præter voluntatem

4.

Felix euentus non sum per tribuendus priuo authori.

tem ac præscientiam causæ primæ. Insinuat itaque primò Ecclesiastes, neminem posse sine diuinæ prouidentiæ ope, quantumuis omni humanâ prudentiâ, & agendi dexteritate polleat, ex discriminibus euadere incolumẽ; sed Deum, cui vult mirabilem illam velocitatem conferre, & ad declinanda pericula, & ad reportandam de hostibus potentissimis victoriam. Amos Vates priori parti commentarium exhibet; Cùm enim cap. 2. cladem & excidium intentaret Israelitis, inquit; *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam. Et tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam.* Eo, inquit, tempore nemo vlricis dexteræ vulnus effugiet: non velox cursu, non fortis robore, non potens viribus assequatur, vt vitam suam liberet ab interitu. Corruet, quantumcumq; hõmo fuerit sagittandi peritus, neque vllus tã erit pedum pernicitate leuis, qui mortem euadat: neque efficiet quisquam equestri fuga, vt instantem à tergo inimicum effugiat. Posteriori parti Propheta Isaias; Postquam ille persuaserat Iudæis eos, qui Deum colunt, in eoque sperant, mutaturos fortitudinem, & volaturos vt aquilas, sic loquitur: *Quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum, vt sequeretur se? Dabit in conspectu eius Gentes, & reges obtinebit. Dabit quasi puluerem gladio eius, sicut stipulã vento raptam arcui eius. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit.* Quasi dicat: Quis Abrahamum iustum ex Mesopotamia, quæ ad Orientem spectat, euocauit, edixitque, vt se antecedentem sequeretur? Quis ante conspectum eius Gentes prostrauit, fecitque, vt de Regibus, illustrem obtineret victoriam? Quis Reges & Gentes gladio illius debellandas tradidit, sicut puluerẽ à vento raptum; & arcui eius confringendas, perdendasque proposuit, eâ facilitate, qua stipula rapitur, aut iactatur à vento? Persecutus est Gentes illas, & Reges secundo præliorum successu. Quacumque pergeret, omnia illi contingebant prospera, atque pacifica. Via verò sic erat mollis, & expedita, vt in calceamentis semper recentibus, non apparuerit vllum peractæ viæ signum, & argumentum.

Sine Dei ope nullus quãuis prudentissimus euadit pericula.

Isa. 41.

Secundò docet Ecclesiastes nullâ ratione vel salutem, vel victoriam parari sine diuinæ prouidentiæ ope, ac sæpè euentum minimè respondere ijs, qui suis viribus confidunt, & *in virtute sua gloriantur*. Exemplum videre est, ex Hebræorum sententia, 2. Reg. 3. v. 27. Abner fortissimus à Ioab interfectus. Sed opportunior Goliath, *Gibbor*, gigas robustissimus armis & viribus interemptus ab adolescente, *non hasta, gladio, & clypeo, sed in nomine Domini exercituum*, ipsius enim est bellum, 1. Reg. 17. Deinde inanem quendam strepitum, sed ad vincendum exqu... uidentia ludos faciente hosti... audire licet, 2. Reg. 5. *nam sonitus gra... cacumine pyrorum*, fudit Philistæos, q. d. vt indicat Theodoretus q. 19 *Quando videris syluas sua sponte moueri absque vento, tunc descende ad bellum. Ne suis fidat viribus, sed eius exspectet auxilium.* Huius item generis sonitus ille, quem *audire Dominus fecerat in castris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi; qui coegit fugere eum tenebris, animas tantum suas saluare cupientes*, 4. Reg. 7. v. 7. quæ sanè videntur consonare cũ Panico terrore, & repentino sonitu, quo dicitur Pan perculisse ac profligasse hostes, vt scribunt Polyænus, & Phornutus in M. Antonij vita. Et sanè in Prouerbio est, *Multa in bello inania*. Et expositi eleganter pro Cæcin. Cicero: *Exercitus maximi sæpè pulsi, fugatiq; terrore ipso, impetuq; hostium, sine cuiusquam non modò morte, sed etiam vulnere.* Nonne etiam ludificatio illa coloris rubri aquarum, ex orientis solis repercussu, accedente etiam mentis perturbatione quadam, diuinitùs immissa, ita repræsentabat Moabitis sanguinem vt putarent actum esse cum Israelitis; vt in eorum manus imparati & securi vltrò se dederent, 4. Reg. 3. Quid de illa Gedeonis victoria, stratagemate tubarum, lampadum, & lagenarum, diuinitus, vt par est credere, imperato, & inspirato? Iud. 6. Quid de simili Moabitarum & Idumæorum perturbatione, *multis se concidentium vulneribus*, casu etiam aliquo, sed diuinitus procurato, 2. Paral. 20. 23. Non est itaque *fortium bellum*, sed diuinæ potius virtutis. Illud & confirmat postremus ille fortissimi Iudæ Machabæi cum hoste conflictus, in quo post clarissimas victorias, victus & occisus fuit. Vbi nullas legitur præmisisse ad Deum victoriæ largitorem preces: cùm tamẽ cap. 3. 18. non minùs pio, quàm forti & excelso animo, suis militibus periculosissimum ante prælium præfatus fuerit: *Non est differentia in conspectu Dei cæli liberari in multis & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.*

Panicus terror in bello.

Bellum diuinæ virtutis.

Tertiò docet Ecclesiastes, in tempore annonæ, neque industriam, neque peritiam vllã sapientum, aliquid opis ferre posse, cælo pluuiam terrâ fruges negantibus. Rursus humanam industriam nihil efficere sine diuina ope. Quod & animaduertens Regius Psaltes Psal. 126. inquit: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Omnis labor frustra consumptus est, & frustra deinceps etiam consumetur, nisi Dominus aduocatus cum fiducia operantibus adfuerit: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Filij Israel præ nimia sollicitudine, dum

6.

Industria humana tempore necessitatis, sine Deo inefficax.

§.

Omnis salus & victoria à Deo pendet non propriis viribus.

egens recuperatione, hoc eſt ſubſidio ipſum reparante, plus, hoc eſt, multum deficiens fortitudine, & abundans paupertate. Quem tamen Dominus reſpiciens benigno ſuo aſpectu ad benefaciendum, erexit ab humili eius conditione & ſtatu, & ſublimauit eum: ita vt mirarentur multi, quòd ea res præter expectationem omnium euenisſet. Et ne admiranda illa diuerſitas, quæ in hominibus cernitur, putaretur caſu & fortuitò euenire, rectè ſubiecit: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* id eſt, Ea quæ hominum opinione bona & mala ſunt, vt diuitiæ & paupertas, à Deo ſunt. Quibus verba falſam Gentilium de fato & fortuna confutat opinionem, docetque in omnibus rebus, quas admiramur, mentes noſtras conuertendas ad prouidentiam diuinam, & agnoſcere eam eſſe cauſam omnium: Deumque à quo omnia proficiſcuntur, inuocandum atque colendum, & eius diſpoſitioni atque voluntati noſmet ſubmittere debere. Syracides cap. 10. planiſſimè pronuntiat: *In manu Domini proſperitas hominis.* Senſus eſt, Dei nutu euenire, vt quis felicem exitum in ſuis negotijs ſortiatur, & proſperè regni negotia exequatur. Hinc rectè Daniel cap. 5. dixit Balthazari, *Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non glorificaſti.* Hiſtoriæ nobis ſuppeditant exempla Regum diuinitùs ſeruatorum. Cræſus enim, cum hoſtis eum occidere tentaret, filij voce qui mutus ad illud vſque tempus fuerat, ſeruatus eſt, A. Gellius lib. 5. cap. 9. Traianus terræmotu cuncta quatiente, & exſorbente, diuinâ monitus voce ereptus eſt, Dio lib. 53. Veſpaſianus ſimiliter in bello Iudaico hoſtium telis ſubtractus eſt, Ioſephus lib. 5. bell. Iudaic. cap. 7. Hinc Cæſar, vt Plutarch. in Serto. vectori iam tempeſtati manus danti: *Quid times*, inquit, *an non Cæſarem vehis?* indicans nimirum in Dei manu Regem eſſe, ab eoque dirigi, vt felicem exitum ſortiretur; ab eo enim dependet, ab eoque habet, quidquid habet.

Hominū negotia Deo nutu proſperè geruntur.

Diuina vis & prouidentia omnia ab omni æternitate præſciuit, omnia labente æuo moderatur, & in deſtinatos certoſque fines dirigit, dum ſua cuique tempora, ſuas humanis conatibus varietates præſtituit, vt vel ſic diuinæ prouidentiæ immemores, ab inopinatis caſibus, aduerſiſque euentibus diſcant, ſuis viribus non nimiùm tribuere, ſibique perſuadeant à diuino nutu pendere omnia. Fortuna priſcis tantopere culta, nunc quid eſt? verſatilis ſed inanis ex Orco larua. Numen illud quod cuncta pro arbitrio ſeu aduerſa, ſeu proſpera mortalibus partitur, ipſiſſima Dei prouidentia eſt. Verſat Deus ſanctiſſimâ voluntate ſuâ & prouidentiâ res humanas inſtar volubilis rotæ; ſortes cæcas & incertas ipſe temperat. Hoc Eſaias Vates clariſſimè dixit Regi Cyro, cui opes, victorias, proſperos ſucceſſus, & euerſionem Monarchiæ Chaldæorum Deus ibidem prædicit, & promittit, adhoc vt ipſe Iudæos Babylone liberet: *Ego Dominus*, inquit, *& non eſt amplius: extra me non eſt Deus: Accinxiſte, & non cognouiſti me. Vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt. Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.* quaſi diceret: Gladio accingam te, armabo, vires & animos dabo ad ardua audendum; expeditum faciam, quaſi ſtrenuum militem; ad prælia te agiliter mittam, & meis auſpicijs manus conferes, ac vinces, eſto me non cognoſcas. Ex his omnes, tam qui ad orientem ſolem, quàm qui ad occidentem ſpectant, me Deum eſſe ſolum intelligent; neque mihi cum idolis diuinitatem eſſe cómunem. Ego Dominus, neque eſt vllus Deus præter me, qui lucem mundo, & tenebras immitto, ſecunda videlicet & aduerſa. Nam pacem largior, & cum ea tranquillitatem, & abundantiam; & quod contrarium pacieſt, nempe malum, ærumnam, perturbationem, & inopiam inuecho. Quod ô Iſrael aliquando in pace vixeris, hoc meumerat beneficium. Rurſum quod nunc derinearis captiuus, & hoc meum eſt opus. Ita S. Hieronym. Adhæc, ego tibi creaui hoc malum captiuitatis Babylonicæ, ego turſum per Cyrum faciam pacem, teque in libertatem aſſeram. Deus ergo eſt, qui omnia à ſe creata, ſua potentia & ſapientia gubernat: qui prius Iudæis induxit tenebras & malum, Chaldæis verò lucem & pacē: deinde vice verſa, per Cyrum Iudæis creauit lucem & pacem, Chaldæis tenebras & malū. Idem alijs ſeculis fecit, in ſingulis regnis, alternando vices, nuncque dando lucem, nunc tenebras. Idem facit hodie in Belgio, alijſque prouincijs.

Iſa. 45.

Deus pacis & bellorum.

A Diuina prouidentia omnia proficiſcuntur, non à fato ſeu fortuna.

Summi igitur momenti eſt, in omnibus ſic animum inſtruere, vt omnem rei euentum diuinæ aſſcribat prouidentiæ. Fit enim non tarò, vt viri docti, prudentes, bellicoſi, ſancti, & fortiter agant & peritè, exitu tamen minimè ſecundo, qui tamen non minus in Dei prouidentiam referendus, quàm feliciſſimus quiſque ſucceſſus. Ea de cauſſa Eccleſ. c. 9. *Vidi ſub ſole*, inquit, *nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus, caſumq; in omnibus.* Caſum vocat, quod nobis videtur tale, non Deo. Nil profectò rati eſt intelligentem & induſtrium ſpe ſuâ fraudari; hoc nos malum caſum cenſemus. At Thomas Aquinas è verbis Eccleſiaſtæ rectè colligi affirmat, nihil eſſe à caſu, aut præter voluntatem

4.

Felix euentus non ſemper reſpondet peritis authori.

tem ac præſcientiam cauſæ primæ. Inſinuat itaque primò Eccleſiaſtes, neminem poſſe ſine diuinæ prouidentiæ ope, quantumuis omni humanâ prudentiâ, & agendi dexteritate polleat, ex diſcriminibus euadere incolumẽ; ſed Deum, cui vult mirabilem illam velocitatem conferre, & ad declinanda pericula, & ad reportandam de hoſtibus potentiſſimis victoriam. Amos Vates priori parti commentarium exhibet; Cùm enim cap. 2. cladem & excidium intentaret Iſraelitis, inquit; *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam. Et tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam.* Eo, inquit, tempore nemo vltricis dexteræ vulnus effugiet: non velox curſu, non fortis robore, non potens viribus aſſequatur, vt vitam ſuam liberet ab interitu. Corruet, quantumcumq; hõmo fuerit ſagittandi peritus, neque vllus tã erit pedum pernicitate leuis, qui mortem euadat: neque efficiet quiſquam equeſtri fuga, vt inſtantem à tergo inimicum effugiat. Poſteriori parti Propheta Iſaias; Poſtquam ille perſuaſerat Iudæis eos, qui Deum colunt, in eoque ſperant, mutaturos fortitudinem, & volaturos vt aquilas, ſic loquitur: *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe? Dabit in conſpectu eius Gentes, & reges obtinebit. Dabit quaſi pulverem gladio eius, ſicut ſtipulã vento raptam arcui eius. Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus eius non apparebit.* Quaſi dicat: Quis Abrahamum iuſtum ex Meſopotamia, quæ ad Orientem ſpectat, euocauit, edixitque, vt ſe antecedentem ſequeretur? Quis ante conſpectum eius Gentes proſtrauit, fecitque, vt de Regibus, illuſtrem obtineret victoriam? Quis Reges & Gentes gladio illius debellandas tradidit, ſicut puluerẽ à vento raptum; & arcui eius confringendas, perdendaſque propoſuit, eâ facilitate, qua ſtipula rapitur, aut iactatur à vento? Perſecutus eſt Gentes illas, & Reges ſecundo præliorum ſucceſſu. Quacumque pergeret, omnia illi contingebant proſpera, atque pacifica. Via verò ſic erat mollis, & expedita, vt in calceamentis ſemper recentibus, non apparuerit vllum peractæ viæ ſignum, & argumentum.

Sine Dei ope nullus quãuis prudentiſſimus euadet pericula.

Iſa. 41.

Secundò docet Eccleſiaſtes nullâ ratione vel ſalutem, vel victoriam parari ſine diuinæ prouidentiæ ope, ac ſæpè euentum minimè reſpondere ijs, qui ſuis viribus confidunt, & *in virtute ſua gloriantur*. Exemplum videre eſt, ex Hebræorum ſententia, 2. Reg. 3. v. 27. Abner fortiſſimus à Ioab interfectus. Sed opportunior Goliath, *Gibbor*, gigas robuſtiſſimus armis & viribus interemptus ab adoleſcente, *non haſta, gladio, & clypeo, ſed in nomine Domini exercituum*, ipſius enim eſt bellum, 1. Reg. 17. Deinde inanem quendam ſtrepitum, ſed ad vincendum exqu... uidentia ludos faciente hoſti... audire licet, 2. Reg. 5. *nam ſonitus gra... cacumine pyrorum*, ſudit Philiſtæos, q. d. vt indicat Theodoretus q. 19 *Quando videris ſylvas ſua ſponte moueri abſque vento, tunc deſcende ad bellum. Ne ſuis fidat viribus, ſed eius exſpectet auxilium.* Huius item generis ſonitus ille, quem *audire Dominus fecerat in caſtris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi; qui coegit fugere cum tenebris, animas tantum ſuas ſaluare cupientes*, 4. Reg. 7. v. 7. quæ ſanè videntur conſonare cũ Panico terrore, & repentino ſonitu, quo dicitur Pan perculiſſe ac profligaſſe hoſtes, vt ſcribunt Polyænus, & Phornutus in M. Antonij vita. Et ſanè in Prouerbio eſt, *Multa in bello inania*. Et expoſuit eleganter pro Cæcin. Cicero: *Exercitus maximi ſæpè pulſi, fugatiq; terrore ipſo, impetuq; hoſtium, ſine cuiuſquam non modò morte, ſed etiam vulnere.* Nonne etiam ludificatio illa coloris rubri aquarum, ex orientis ſolis repercuſſu, accedente etiam mentis perturbatione quadam, diuinitùs immiſſa, ita repræſentabat Moabitis ſanguinem vt putarent actum eſſe cum Iſraelitis; vt in eorum manus imparati & ſecuri vltrò ſe dederent, 4. Reg. 3. Quid de illa Gedeonis victoria, ſtratagemate tubarum, lampadum, & lagenarum, diuinitus, vt par eſt credere, imperato, & inſpirato? Iud. 6. Quid de ſimili Moabitarum & Idumæorum perturbatione, *multis ſe concidentium vulneribus*, caſu etiam aliquo, ſed diuinitus procurato, 2. Paral. 20. 33. Non eſt itaque *fortium bellum*, ſed diuinæ potius virtutis. Illud & confirmat poſtremus ille fortiſſimi Iudæ Machabæi cum hoſte conflictus, in quo poſt clariſſimas victorias, victus & occiſus fuit. Vbi nullas legitur præmiſiſſe ad Deum victoriæ largitorem preces: cùm tamẽ cap. 3. 18. non minùs pio, quàm forti & excelſo animo, ſuis militibus periculoſiſſimum ante prælium præfatus fuerit: *Non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberari in multis & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt.*

Panitus terrorem in bello.

Bellum diuina virtutis.

Tertiò docet Eccleſiaſtes, in tempore annonæ, neque induſtriam, neque peritiam vllã ſapientum, aliquid opis ferre poſſe, cælo pluuiam terrâ fruges negantibus. Rurſus humanam induſtriam nihil efficere ſine diuina ope. Quod & animaduertens Regius Pſaltes Pſal. 126. inquit: *Niſi Dominus ædificaueris domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Omnis labor fruſtra conſumptus eſt, & fruſtra deinceps etiam conſumetur, niſi Dominus aduocatus cum fiducia operantibus adfuerit: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Filij Iſrael præ nimia ſollicitudine, dum

6. *Induſtria humana tempore neceſſitatis, ſine Dei inefficax.*

5. *Omnis ſalus & victoria à Deo pendet non propriis viribus.*

CAPITIS DECIMI

VERSVS VIII. PARAPHRASIS.

At verò Raguel dicebat ad generum ſuum: Mane hic, & ego mittam nuntium ſalutis de te ad Tobiam patrem tuum.

Verſ. 9. *Cui Tobias ait: Ego noui quia pater meus & mater mea modò dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis.*

Verſ. 10. *Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nullâ ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa: & ſalutum atque gaudentem dimiſit eum à ſe.*

Verſ. 11. *Dicens: Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes, & inueniatis omnia rectè circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros priuſquam moriar.*

Verſ. 8. 9. 10. & 11. Interim dum Tobiæ iunioris parentes anxio eſſent animo, & aſſiduo ſe luctu conficerent, Tobias filius de filiorum cura, doloreque ſollicitus, mœrebat abſens, & ſuum ad parentes reditum vrgebat. Quem vt apud ſe ſocer retineret diutiùs, & parentes illâ moleſtiâ liberaret, promittit genero ſuo miſſurum ſe nuncium, qui doceat ſanum, & ſalvum eſſe filium: & ea, quorum cauſa venerat feliciter eſſe tranſacta. Cumque hic neque ſuâ auctoritate, neque adiectis precibus obtinere poſſet à genero, tradit illi Saram, ſicuti priùs obſignarat in tabulis, vt eam ad parentum domum ſecum abducat, & cum ea dimidiam bonorum omnium partem, quâ copioſam & lautam poſſet inſtruere familiam, quæ ſeruis, & ancillis, pecudum, armentorumque gregibus, multâ denique pecuniâ conſtabat. Ac tandem cum bona illum gratia lætum à ſe, & diuitem dimiſit, apprecando illis angelicam aſſiſtentiam, & aſſiduam cuſtodiam in itinere ad parentes, apud quos omnia ſalua reperire eos deſiderant, quin etiam vt ipſe tamdiu ſpiritum trahat, quoad vſque filios videre queat à nouis coniugibus prognatos.

SECTIO SEXTA.

Vnde tam fortunatus extiterit Tobias iunior?

1. SVI miſſus à patre ad quærendas aſinas deperditas, cùm diutiùs hæreret, quàm par eſſe videbatur, *dixit ad puerum, qui cum ipſo erat: Veni, & reuertamur, ne fortè dimiſerit pater meus aſinas, & ſollicitus ſit pro nobis.* Simile cogitabat Tobias iunior, nuptias plus quàm æquum ei videbatur protractus. Tobiam fortè domum properaſſe, vt negotia patris peragere, probabile eſt, quandoquidem olim ſoleant filij iam grandiori ætate parentibus ſeruire, reſque curare domeſticas, & communes, Argumento nobis ſunt duo fratres, Iacob, & Eſau, qui in domo habitarunt paterna, remque curarunt communem ad parentis imperium; cùm tamen annos agerent tres & ſeptuaginta. Quin etiam moris erat apud Hebræos, filios poſt nuptias retineri à parentibus domi, illorumque operâ vti ad communes, & domeſticas curas. Sic ſanè Iudic. cap. 12. verſ. 8. feciſſe videtur Abeſſan Iudex Iſrael, qui triginta filios etiam poſt nuptias apud ſe retinuit domi, cùm tamen filias foras emiſiſſet, in domos videlicet ſocerorum, vbi nempe illarum coniuges habitabant: *Poſt hunc*, inquit, *iudicauit Iſrael Abeſſan de Bethlehem, qui habuit triginta filios & totidem filias, quas emittens foras marito dedit, & eiuſdem numeri filijs ſuis accepit vxores, introducens in do-*

mum

Facilitas Raguelis in dotanda filia, parentibus in exemplo.

mus *suam.* Hinc nullâ ratione placari poterat, vt diutiùs apud socerum Raguelem hæreret: quapropter Raguel traditâ illi vxore, & dimidiâ parte omnis substantiæ suæ, quam pro dote addixerat, gaudentem à se dimittit. Voluit enim fidem suam liberare, quemadmodum fidelem decet: *Abominatio enim Domini, omnis illusor: & cum simplicibus sermocinatio eius.* Prouerb. 3. Neque voluit esse similis Labano, cuius filiæ conquestæ sunt de ipso, Genes. 31. Cùm enim Iacob meditaretur fugam secretam ab auunculo, *vocauit Rachel & Liam in agrum vbi pascebat gregem, dixitq; eis: Video faciem patris mei, quod non sit erga me sicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum. Et ipse nostis, quod toto viribus meis seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus*: & plura in hanc rem. Ad quæ respondérunt: *Numquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hereditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, commedítq; pretium nostrum?* Quasi dicerent: Nonne pater nos quasi exhæredes fecit. Primò, dum nos indotatas tibi vxores tradidit. Secundò, dum pretium nostrum, quo nos scilicet tibi coëmisti vxores, pura laborem 14. annorum seruitutis tuæ, totum sibi vsurpauit, vt non tam quasi pater nos in matrimonio, consignatâ dote collocasse, quam quasi mango vendidisse videatur. Propterea igitur Raguel ex bono affectu dimidiam omnium bonorum partem liberaliter consignauit. Quam plurimi parentes hodie ab exemplo Raguelis deuiant, & Labano similes, filias nemiquam dotare volunt, imò quamuis ante coniugium promiserint, post contractum tamen fidei satisfacere nolunt, vnde frequenter concordia coniugalis emoritur, & discordia perpetua inter coniuges exoritur.

2. Vnde alij fortunati, alij infortunati.

Cùm itaque in hoc negotio multi infelices sunt, discussione dignum est, vnde contingat quempiam altero esse fortunatiorem? Gentiles cæci censent fortunam esse Deam cæcam, quæ non pro merito, sed fortuitò & iam impios & indignos felicitatem, pios verò & dignos sæpè infelicitatem afflaret. Genethliaci hominis cuiusque fato id tribuerunt. Astrologi stellis & horoscopo id assignát: vnde ex eo diuinant de cuiusque sorte & felicitate, vel infelicitate futura. Augures ex volatu & garritu auium bona vel mala homini futura arbitrantur, indeque præsagiunt. Res planè farua. Nihil enim possunt animalia præsagire, cùm ratione careant. Hieremias vates apud Baruch cap. 6. in epistola quam dedit Iudæis in Babylonem iã iam iturís, dehortatur illos, ne Chaldæorum idola sequantur, quod aliud non sint, quàm truncí & lutea; idéque probat ex eorum materia, fabrica, turpitudine, impotentia, & ineptitudine ad omnia, & inter alia inquit ver. 53. *Iudicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria, quia nihil possunt, sicut cornicula inter medium cæli & terra.* id est, Chaldæorum idola nihil possunt legitimo decernere, integróque ludicio, neque regiones vendicare ab iniuria; quia nihilo plus valent, aut illorum oracula plus habent fidei, quàm corniculæ cantus, qui crocitando regionem permeat, quæ media est inter cælum & terram. Ad clariorem intelligentiam aduerte, quod sicut Gentiles obseruabant volatus, & clamores cornicularum vt ex ijs superstitiosè diuinarent res futuras: ita & obseruabant idola, id est, idolorum victimas, earumque gestus & motus, vt ex ijs diuinarent futura. Et quod absurdum planè, ad hunc modum olim puellæ nubiles, vt ominatas consequerentur nuptias, opimum prandium offerebant cornici, vt patet ex Phœnice Colophonio apud Athenæum lib. 8. Quin & apud Romanos, ait Festus, *Cornificarum Diarum lucus trans Tiberim cornicibus dicatus erat, quòd in Iunonis tutela esse putabantur.* Superstitionis origo fuit, quòd cornix sit coniugalis amoris symbolum. Mares enim fœminis connubio conjuncti, nunquam ad alteram diuertunt cornicem, nec fœmina quoad viuit, ad alium marem: quod si mors diuortium fecerit, qui superstes est, perpetuum sibi indicit cælibatum. ita Horus Apollo lib. 1. Hierogl. 8. Vulgus casu hæc euenire putat. Sed hi omnes grauiter errant.

Stellis, vel auium garritu hominis successus adscribere, fatuum est.

3. *Deus felicitatis vel infelicitatis est causa.*

Deus enim causa est, omnium dominus, qui singulis sua prout vult, dispensat. Itaque sicut huic ingenium, opes, sanitatem, formã, robur, aliáque dona naturæ impertit: alterum verò facit stupidum, pauperem, morbidum, deformem, infirmum; ita pariter speciali sua prouidentia hunc facit fortunatum, illum infortunatum; ad illudque causas secundas flectit & contemperat. Hoc est quod ait Psaltes Psal. 30. *In manibus tuis sortes meæ.* Planissimè Siracides Eccles. 11. *Est homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Et oculus Dei respexit illum in bono: & erexit eum ab humilitate ipsius. Et exaltauit caput, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Contingit, inquit, vt sit quispiam qui laborat, & festinat ditari, & multis doloribus angitur, dum non vt vult omnia succedunt: & tamen non ideò magis abundant, sed semper in egestate manet, nimirum quia Deus eum non vult diuitem esse: nec eius labores fortunat. Contrà contingit, vt sit quispiam marcidus, hoc est, languidus: ad operandum tardus & piger, (id enim significat dictio Græca, νωθρος) egens

egens recuperatione, hoc eſt ſubſidio ipſum reparante, plus, hoc eſt, multum deficiens fortitudine, & abundans paupertate. Quem tamen Dominus reſpiciens benigno ſuo aſpectu ad benefaciendum, erexit ab humili eius conditione & ſtatu, & ſublimauit eum: ita vt mirarentur multi, quòd ea res præter expectationem omnium euenisſet. Et ne admiranda illa diuerſitas, quæ in hominibus cernitur, putaretur caſu & fortuitò euenire, rectè ſubiecit: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* id eſt, Ea quæ hominum opinione bona & mala ſunt, vt diuitiæ & paupertas, à Deo ſunt. Quibus verba falſam Gentilium de fato & fortuna confutat opinionem, docetque in omnibus rebus, quas admiramur, mentes noſtras conuertendas ad prouidentiam diuinam, & agnoſcere eam eſſe cauſam omnium: Deumque à quo omnia proficiſcuntur, inuocandum atque colendum, & eius diſpoſitioni atque voluntati noſmet ſubmittere debere. Syracides cap. 10. planiſſimè pronunciat: *In manu Domini proſperitas hominis.* Senſus eſt, Dei nutu euenire, vt quis felicem exitum in ſuis negotijs ſortiatur, & proſperè regni negotia exequatur. Hinc rectè Daniel cap. 5. dixit Balthazari, *Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non glorificaſti.* Hiſtoriæ nobis ſuppeditant exempla Regum diuinitùs ſeruatorum. Cræſus enim, cum hoſtis eum occidere tentaret, filij voce qui mutus ad illud vſque tempus fuerat, ſeruatus eſt, A. Gellius lib. 5. cap. 9. Traianus terræmotu cuncta quatiente, & exſorbente, diuinâ monitus voce ereptus eſt, Dio lib. 53. Veſpaſianus ſimiliter in bello Iudaico hoſtium telis ſubtractus eſt, Ioſephus lib. 5. bell. Iudaic. cap. 7. Hinc Cæſar, vt Plutarch. in Serto. vectori. tum tempeſtati manus danti; *Quid times*, inquit, *an non Cæſarem vehis?* indicans nimirum in Dei manu Regem eſſe, ab eoque dirigi, vt felicem exitum ſortiretur; ab eo enim dependet, ab eoque habet, quidquid habet.

Hominũ negotia Deus ſua proſperè gerunt.

Diuina vis & prouidentia omnia ab omni æternitate præſciuit, omnia labente æuo moderatur, & in deſtinatos certoſque fines dirigit, dum ſua cuique tempora, ſuas humanis conatibus varietates præſtituit, vt vel ſic diuinæ prouidentiæ immemores, ab inopinatis caſibus, aduerſiſque euentibus diſcant, ſuis viribus non nimiùm tribuere, ſibique perſuadeant à diuino nutu pendere omnia. Fortuna priſcis tantopere culta, nunc quid eſt? verſatilis ſed inanis ex Orco larua. Numen illud quod cuncta pro arbitrio ſeu aduerſa, ſeu proſpera mortalibus partitur, ipſiſſima Dei prouidentia eſt. Verſat Deus ſanctiſſimâ voluntate ſuâ & prouidentiâ res humanas inſtar volubilis rotæ; ſortes cæcas & incertas ipſe temperat. Hoc Eſaias Vates clariſſimè dixit Regi Cyro, cui opes, victorias, proſperos ſucceſſus, & euerſionem Monarchiæ Chaldæorum Deus ibidem prædicit, & promittit, adhoc vt ipſe Iudæos Babylone liberet: *Ego Dominus*, inquit, *& non eſt amplius: extra me non eſt Deus: Accinxite, & non cognouiſti me. Vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt. Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.* quaſi diceret: Gladio accingam te, armabo, vires & animos dabo ad ardua audendum; expeditum faciam, quaſi ſtrenuum militem; ad prælia te agiliter mittam, & meis auſpicijs manus conferes, ac vinces, eſto me non cognoſcas. Ex his omnes, tam qui ad orientem ſolem, quàm qui ad occidentem ſpectant, me Deum eſſe ſolum intelligent; neque mihi cum idolis diuinitatem eſſe cõmunem. Ego Dominus, neque eſt vllus Deus præter me, qui lucem mundo, & tenebras immitto, ſecunda videlicet & aduerſa. Nam pacem largior, & cum ea tranquillitatem, & abundantiam; & quod contrarium paci eſt, nempe malum, ærumnam, perturbationem, & inopiam inuecho. Quod ô Iſrael aliquando in pace vixeris, hoc meumerat beneficium. Rurſum quod nunc detineatis captiuus, & hoc meum eſt opus. Ita S. Hieronym. Adhæc, ego tibi creaui hoc malum captiuitatis Babylonicæ, ego rurſum per Cyrum faciam pacem, teque in libertatem aſſeram. Deus ergo eſt, qui omnia à ſe creata, ſua potentia & ſapientia gubernat: qui prius Iudæis induxit tenebras & malum, Chaldæis verò lucem & pacẽ: deinde vice verſa, per Cyrum Iudæis creauit lucem & pacem, Chaldæis tenebras & malũ. Idem alijs ſeculis fecit, in ſingulis regnis, alternando vices, nuncque dando lucem, nunc tenebras. Idem facit hodie in Belgio, alijſque prouincijs.

Iſa. 45.

Deus pacis & belli author.

A Diuina prouidentia omnia proficiſcuntur, non à fato ſiu fortuna.

Summi igitur momenti eſt, in omnibus ſic animum inſtruere, vt omnem rei euentum diuinæ aſſcribat prouidentiæ. Fit enim non rarò, vt viri docti, prudentes, bellicoſi, ſancti, & fortiter agant & peritè, exitu tamen minimè ſecundo, qui tamen non minus in Dei prouidentiam referendus, quàm feliciſſimus quiſque ſucceſſus. Ea de cauſſa Eccleſ. c. 9. *Vidi ſub ſole*, inquit, *nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus, caſumq; in omnibus.* Caſum vocat, quod nobis videtur tale, non Deo. Nil profectò rari eſt intelligentem & induſtrium ſpe ſuâ fraudari; hoc nos malum caſum cenſemus. At Thomas Aquinas è verbis Eccleſiaſtæ rectè colligi affirmat, nihil eſſe à caſu, aut præter voluntatem

4.

Felix euentus non ſemper reſpondet peritæ authori.

tem ac præſcientiam cauſæ primæ. Inſinuat itaque primò Eccleſiaſtes, neminem poſſe ſine diuinæ prouidentiæ ope, quantumuis omni humanâ prudentiâ, & agendi dexteritate polleat, ex diſcriminibus euadere incolumẽ; ſed Deum, cui vult mirabilem illam velocitatem conferre, & ad declinanda pericula, & ad reportandam de hoſtibus potentiſſimis victoriam. Amos Vates priori parti commentarium exhibet: Cùm enim cap. 2. cladem & excidium intentaret Iſraelitis, inquit; *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam. Et tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam.* Eo, inquit, tempore nemo vlricis dexteræ vulnus effugiet: non velox curſu, non fortis robore, non potens viribus aſſequatur, vt vitam ſuam liberet ab interitu. Corruet, quantumcumq; hõmo fuerit ſagittandi peritus, neque vllus tã erit pedum pernicitate leuis, qui mortem euadat: neque efficiet quiſquam equeſtri fuga, vt inſtantem à tergo inimicum effugiat. Iſa. 41. Poſteriori parti Propheta Iſaias; Poſtquam ille perſuaſerat Iudæis eos, qui Deum colunt, in eoque ſperant, mutaturos fortitudinem, & volaturos vt aquilas, ſic loquitur: *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe? Dabit in conſpectu eius Gentes, & reges obtinebit. Dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulã vento raptam arcui eius. Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus eius non apparebit.* Quaſi dicat: Quis Abrahamum iuſtum ex Meſopotamia, quæ ad Orientem ſpectat, euocauit, edixitque, vt ſe antecedentem ſequeretur? Quis ante conſpectum eius Gentes proſtrauit, fecitque, vt de Regibus, illuſtrem obtineret victoriam? Quis Reges & Gentes gladio illius debellandas tradidit, ſicut pulueré à vento raptum; & arcui eius confringendas, perdendaſque propoſuit, eâ facilitate, qua ſtipula rapitur, aut iactatur à vento? Perſecutus eſt Gentes illas, & Reges ſecundo præliorum ſucceſſu. Quacumque pergeret, omnia illi contingebant proſpera, atque pacifica. Via verò ſic erat mollis, & expedita, vt in calceamentis ſemper recentibus, non apparuerit vllum peractæ viæ ſignum, & argumentum.

Sine Dei ope nullus quãuis prudentiſſimus euadit pericula.

5.

Secundò docet Eccleſiaſtes nullâ ratione vel ſalutem, vel victoriam parari ſine diuinæ prouidentiæ ope, ac ſæpè euentum minimè reſpondere ijs, qui ſuis viribus confidunt, & *in virtute ſua gloriantur*. Exemplum videre eſt, ex Hebræorum ſententia, 2. Reg. 3. v. 27. Abner fortiſſimus à Ioab interfectus. Sed opportunior Goliath, *Gibbor*, gigas robuſtiſſimus armis & viribus interemptus ab adoleſcente, *non haſta, gladio, & clypeo, ſed in nomine Domini exercituum*, ipſius enim eſt bellum, 1. Reg. 17. Deinde inanem quendam ſtrepitum, ſed ad vincendum exquiſitum, à Diuina prouidentia ludos faciente hoſtibus, procuratum audire licet, 2. Reg. 5. *nam ſonitus gradientis in cacumine pyrorum*, fudit Philiſtæos, q. d. vt indicat Theodoretus q. 19 *Quando videris ſyluas ſua ſponte moueri abſque vento, tunc deſcende ad bellum. Ne ſuis fidat viribus, ſed eius exſpectet auxilium.* Huius item generis ſonitus ille, quem *audire Dominus fecerat in caſtris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi; qui coegit fugere cum tenebris, animas tantum ſuas ſaluare cupientes*, 4. Reg. 7. v. 7. quæ ſanè videntur conſonare cũ Panico terrore, & repentino ſonitu, quo dicitur Pan perculiſſe ac profligaſſe hoſtes, vt ſcribunt Polyænus, & Phornutus in M. Antonij vita. Et ſanè in Prouerbio eſt, *Multa in bello inania*. Et expoſuit eleganter pro Cæcin. Cicero: *Exercitus maximi ſæpè pulſi, fugatiq; terrore ipſo, impetuq; hoſtium, ſine cuiuſquam non modò morte, ſed etiam vulnere.* Nonne etiam ludificatio illa coloris rubri aquarum, ex orientis ſolis repercuſſu, accedente etiam mentis perturbatione quadam, diuinitùs immiſſa, ita repræſentabat Moabitis ſanguinem vt putarent actum eſſe cum Iſraelitis; vt in eorum manus imparati & ſecuri vltrò ſe dederent, 4. Reg. 3. Quid de illa Gedeonis victoria, ſtratagemate tubarum, lampadum, & lagenarum, diuinitus, vt par eſt credere, imperato, & inſpirato? Iud. 6. Quid de ſimili Moabitarum & Idumæorum perturbatione, *multis ſe concidentium vulneribus*, caſu etiam aliquo, ſed diuinitus procurato, 2. Paral. 20. 23. Non eſt itaque *fortium bellum*, ſed diuinæ potius virtutis. Illud & confirmat poſtremus ille fortiſſimi Iudæ Machabæi cum hoſte conflictus, in quo poſt clariſſimas victorias, victus & occiſus fuit. Vbi nullas legitur præmiſiſſe ad Deum victoriæ largitorem preces: cùm tamẽ cap. 3. 18. non minùs pio, quàm forti & excelſo animo, ſuis militibus periculoſiſſimum ante prælium præfatus fuerit: *Non eſt differentia in conſpectu Dei cœli liberari in multis & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.*

Omnis ſalus & victoria à Deo pendet non propriis viribus.

Panicus terror in bello.

Bellum diuina virtute.

6.

Tertiò docet Eccleſiaſtes, in tempore annonæ, neque induſtriam, neque peritiam vllã ſapientum, aliquid opis ferre poſſe, cælo pluuiam terrâ fruges negantibus. Rurſus humanam induſtriam nihil efficere ſine diuina ope. Quod & animaduertens Regius Pſaltes Pſal. 126. inquit: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Omnis labor fruſtra conſumptus eſt, & fruſtra deinceps etiam conſumetur, niſi Dominus aduocatus cum fiducia operantibus adfuerit: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Filij Iſrael præ nimia ſollicitudine; dum

Induſtria humana tempore neceſſitatis, ſine Dei auxilio.

dum in angustijs essent, ante lucem opus ædificationis aggrediebantur; monet illos Spiritus sanctus, nihil profuturum, quod ante lucem operari incipiant, nisi Dominus illis adfuerit: sed si Dominum adiutorem habuerint, & in illo spem suam posuerint, opus prosperè successurum, etiam si post necessariam quietem, orto iam sole operi se accingant.

Ars artificis absque Dei manu.

Denique asserit, neque peritiam insignem alicuius artificis per se sufficere ad opus aliquod perficiendum. nam vel optimi & præstantissimi artifices non semper digna præmia honoris, gratiæ, lucriue reportant: sed id diuinæ Prouidentiæ opus est, qui gratiam, qui dat *auferte fortem, & bellatorem, iudicem, & prophetam, ariolum, senem, principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis* Ipse est, *qui vocauit ex nomine* (elegit, & gratia sua dignatus est) *Beseleel, implenitq; eum Spiritus Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, & omni doctrina, ad excogitandum & faciendum opus in auro, & argento, & ære, sculpendisque lapidibus, & opere carpentario. Quidquid fabre adinueniri potest, dedit in corde eius.* Apelles, vt refert Plutarchus lib. de fortuna, canem pinxerat, cumque in reliqua omni parte sibi ipse satisfeciſſet, exprimere in eo spumam anhelantis se posse non iudicabat. displicebat autem ars ipsa, nec alia inueniri potemt, & videbatur spuma illa pingi, non ex ore nasci, sicque longius à veritate discedere: Abscerserat sæpius, mutaueratque penicillum animi cruciatu, & nullo modo sibi approbãs, cum in picturâ verum esse non verisimile vellet. Postremò iratus arti, spongiam eam impegit inuiso loco tabulæ, & illa reposuit ablatos colores qualiter cura optauerat, & sic summam apud omnes gratiam artifici desolato & desperato conciliauit. Hoc exemplo similis & Nealcem successus in spuma equi similiter impacta spongia secutus dicitur. Nos hæc talia meritissimos casus interpretamur, & totum fortunæ tribuimus, quæ in pictura fecerit naturam. Erramus splendidè; nam quod fortunam dicimus, altissima Dei sapientia, & prouidentia est. Qui fortunæ aliquid tribuunt, Dei prouidentiam sepelinnt.

Fortuna, Dei prouidentia est.

Animaduerte hoc in illis verissimum esse, quos ex humili statu vides euectos ad altiorem. Ioseph è carcere peruenit ad principatũ Ægypti, non casu, sed diuina prouidentia, vt ipse testatur fratribus Genes. 49. iuxta somnium quod prius habuerat. Gedeon ex area euocatus ad ducatum Israelis, Iudic. 6. Saul dum patris sui asinas quæsiuit, regnum inuenit. Diuinam in hunc virum Prouidentiam paulò altius consideremus. Dixerat Deus Samueli? *Hac ipsa hora, qua nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israel.* Mittendi modus hic fuit. Pater Saulis asinas amisit, has quæsitum amandauit filium. Saul patris dicto audiens, ascito in viam comite, omni conatu iumenta quæsijt: Ephrinum montem transcendit, terram Salisa percurrit, asinas non reperit: tractum Iemini, & oram Salim lustrauit, sed nullum vspiam asinarum vestigium. Demum Saul ad comitem: Domum, inquit, redeamus, ne patri meo grauiorem nos sollicitudinem injciamus quàm asinæ, cogaturque quærere quærentes. Hîc comes consilium suggerere, & dicere, non procul inde virum Dei habitare, videri prorsus optimum factu, si hunc adeant, & super amissis iumentis interrogent. Saul occasionem non spernendam ratus, instituit & istud viæ deuorare. Sic sanè post longa diuerticula delatus est ad Samuelem, futurorum planè ignarus. Vix autem in mutuũ aspectum & colloquium ventum est, cùm Deus Samueli dixit, hunc ipsum esse, quem Hebræo imperio destinasset, hunc in Regem vngendum. Omnia ordine facta. Ita Saul asinas quæsiuit, & illas & regnum inuenit, quod nunquam somniauit. O quanta diuinæ prouidentiæ abyssus! arcanum quantum! Nihil minus Saul cogitabat, quàm sceptrum & diadema, cùm in solium diuino calculo attollitur. Ita non casu perditæ sunt asinæ: Non casu missus est Saul, qui eas indagaret: nec casu factum vt illas non statim inueniret, sed nec casu consilium adeundi Samuelis à famulo suggestum: singulari Dei prouidentia, eoque fine facta sunt hæc omnia, vt Sauli deferretur sceptrum in Israelem.

Aliorum fidelium exempla, qui ex humili statu ad altiorem euecti sunt.

Dauid mirabiliter ab ouibus ad regnum euectus. Iubet Deus post peccatum Saulis Samueli, vt sacrificiorum artificioso prætextu, ne quid grauius aut suspicetur Saul, aut moliatur, proficiscatur Bethlehem; & ibi vnum è liberis Isai, Israeliticæ gentis Regem sacra vnctione consignet. Fecit illicò Samuel imperata, omnes filij Isai accersiti iubet: cumque illorum, quos ad Samuelis imperium pater asciuerat, placuisset nullus; tandem Dauid, qui erat omnium minimus ætate, & nullo apud domesticos, aut postremo in loco, ad regni gubernacula vocatur. Dixerat pater Dauidis Samueli percunctanti. *Numquid iam completi sunt filij? Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* Eoque accersito & comparente, *ait Dominus: Surge vnge eum, ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps.* Septem filij Isai comparuerunt, nullum eorum dicebat Samuel electum à Deo; sed Dauidem omnium minimum natu. Vngitur in medio fratrũ, sed solus intelligit se vnctum esse in Regem. Mira sanè Dei prouidentia! Eliab ætate maximus, qui procero erat corpore, & speciem habe-

7. *Ioseph è carcere ad principatum euectus, aliud Dei prouidentia.*

bat

bat dignam imperio, negatur à Deo electus; Dauid verò ætate minimus, quem Pater ad ruſticum opus, & paſtoritiam curam abiecerat, ac indignum iudicabat, qui Samuelis oculos ſubiret, eligitur, & vngitur in Regem. Theodoretus ruminans verba Regij Prophetæ, *Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem*, Pſalm. 112. & verba cantici Annæ 1. Reg. 2. *Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem*, inquit: *Cernimus hæc ipſa à Deo vniuerſitatis continuè fieri. Sic beatum Dauidem, cùm paſtor eſſet, Regem fecit: & Ioſephum, cùm in ſeruitutem incidiſſet, in regali conſtituit ſolio. Sic Moyſen, cum opilio eſſet, populi gubernatorem declarauit, Pharaonisq; Deum elegit; ſic gentes impietatis, paupertati ſeruientes, & in peccati ſtercore ſedentes, bonis, quæ Iſraeli conceſſa fuerant, dignatus eſt: ſic humanam naturam, cùm in ipſum mortis profundum decidiſſet, aſſumpſit, & ſurſum erexit, & collocauit ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non modo in ſæculo hoc, ſed etiam in futuro.*

Gentilium exempla de hac re.

Iephte ex latrone factus eſt princeps, Arſaces ex latrone factus eſt rex Parthorum, Gyges ex paſtore factus eſt rex Lydorum, Darius Hyſtaphis Cyri pharetrophorus fuit, Valentinianus primus Imper. patrem habuit funes torquentem, Tamberlanes ex bubulco factus eſt rex Tartarorum, Agathocles Syracuſanorum tyrannus patrem habuit figulum, Tullus hoſtilius ex paſtore factus eſt rex Romanorum, Aurelianus & Diocletianus humili genere natus eſt vterque, Maximinus fuit opilio, Maximus Puppienus patrem habuit fabrum ferrarium, Iuſtinus primus Imp. 1. fuit ſubulcus, 2. bubulcus, 3. faber lignarius, 4. miles, inde Imperator, Mohometes auctor Mahometiſmi & Alcorani, camelarius fuit. Et ſic quàm plurimi non caſu, ſed diuina prouidentia ex humili ſtatu ad altiorē euaſerunt. Matthias ſorte à Deo temperatâ ſurrogatus eſt in locum Iudę proditoris. SS. Petrus, Iacobus, Ioannes à piſcatione & retibus vocati ſunt ad Apoſtolatum, quòd eos elegerat Deus, contra quem non eſt conſilium.

Dauid, quem Saul putat occidendum, Dei prouidentia ſeruatur.

Vis hiſtoriam non minus mirabilem, quam veram? Hæc eſt. Saul rex videns Deum eſſe cum Dauide, deſpondit illi filiam ſuam: *Ecce*, inquit, *filia mea maior Merob ipſam dabo tibi vxorem: tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini.* Benigna ſanè verba, ſed ab animo amaro & felle pleno prolata: *Saul enim reputabat, dicens: Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.* Non ſtetit promiſſis Saul; nam oblata Dauidi, imò debita vxor Merob, data eſt alteri: vnde ſtatuit illi dare alteram filiam, Michol nomine: *Dabo*, inquit, *eam illi; quo fine? vt ſiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.* Cumque ad nobiles illas nuptias parum ſe putaret idoneum Dauid, quòd pauper eſſet, neque ex Hebræorum more ad ſponſam Regiam coemendam facultatem haberet, Rex dotis nomine centum exigit Philiſtinorum capita: *Cogitabat* eum *Saul tradere in manus Philiſtinorum*: aſt ille præter opinionem capita ſtipulata duplicata reddidit. En quot modis Dauidi mortē machinetur Saul; en quot dolos ſtruat ad decipiendum electum à Deo! Sed fruſtra. Saluatur enim, & contingit illi vxor filia Regis, non alia de cauſa, quàm quod mors & vita, honeſtas & paupertas, iuxta Siracidem à Deo ſint. Voluit rurſum occidere Saul Dauidem, ſed impeditur per dolum bonum & licitum filiæ, quæ *ſtatuam tulit, & poſuit ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum ad pedes eius opertam veſtimentis, loco Dauidis*, quem demiſit per feneſtram vt fuga ſe ſaluaret. Denique voluit Laban decipere Iacobum, ſed multipliciter à Deo impeditur, ne fugientem durè tractet; ditatur à Deo, & dotem multiplicantem, inſtructus artificio angelico; inuito patre reportat.

Sic Deus eſſe dignoſcitur, qui homines fortunatos reddit, & inter alios Tobiam iuniorem, pecuniâ & honoribus auctum ad patrem remeare concedit. Abſit ergo à te, mi Chriſtiane, Gentilium error; abſit inuidiæ ſtimulus. Habet ſuas rationes diuina illa maieſtas, quare diſpares faciat hominum gradus & euentus, nempe, vt cognoſcatis Deum eſſe omnium abſolutum dominum. Licet enim effectus ſæpè caſuales ſint, fortuitique reſpectu cauſarum ſecūdarum, à quibus non ſunt præuiſi, ſed præter earum mētem & cauſalitatem, quaſi per accidens, & fortuitò eueniunt; tamen reſpectu Dei non ſunt fortuiti, ſed præuiſi & prouiſi, ac ordinati in ſe. Qui ergo ad ſtatum, & diuitias anhelat, à Deo illas poſtulet: qui felices ſunt, ad Dei gloriam, & aliorum auxilium ſuâ felicitate vtantur. Infelices verò in ſua infelicitate habeant materiam virtutis, modeſtiæ, & patientiæ; quiâ Deus per eiuſmodi infelicitatem eos dirigit ad contemptum mundi, ad veram ſapiētiam, ad decus patientiæ & fortitudinis, ac deniq; ad felicitatem æternam. *Diligētibus Deum*, inquit Apoſtolus, *omnia cooperantur in bonum. Beatus* igitur *vir qui non abijt in conſilio impiorum*, vt inquit Propheta Regius Pſal. 1.

Effectus hominis caſuales, Deo minimè fortuiti ſunt.

SEC-

SECTIO VII.

An expediat in omnibus proſperitatem experiri?

1. APPRECATVR Raguel nouis coniugibus angelicam in itinere cuſtodiam; quemadmodum & pater iter ſuſcipienti ad Gabelum optauerat. Dixi copiosè de hac re Sect. cap. 5. huius hiſtoriæ, nec plura occurrunt. Optat deinde, vt circa parentes omnia proſperè conſtituta experiantur.

2. *Sancti horruerunt nimiam felicitatem. Probatur exemplo Iacobi.*

Dubium videtur, an rectè hoc ipſum apprecatus fuerit ipſis Raguel; primò quia Sancti timuerunt nimiam felicitatem. Iacob à filio ſuo in Ægyptum euocatus, quamuis incredibili eum videndi deſiderio teneretur: nihilominus pauens, ac timens in medio itinere hærebat, & reſiſtebat: adeò vt opus fuerit à Deo illis vocibus compellari: *Iacob, Iacob, ego ſum fortiſſimus Deus patris tui, noli timere, deſcende in Aegyptum.* Geneſ. 46. Quid times, ô Iacob? An difficilem in patriam regreſſum? Sic exiſtimat Rupertus. An corruptiſſimos mores Ægyptiorum, quibus periculum creari poterat ſuis infectionis ac idololatriæ? Ita innuit Caietanus. An verò Ægypti nimiam felicitatem? Ita ſentit Ioſephus lib. 2. Antiq. cap. 3. Cenſebat enim Iacobus, certiſſimam bonorum morum corruptricem eſſe felicitatem.

Diuſtca Heliſæo ad proſperitatis vitandam neceſſarius ſpiritus.

Heliſæus, ab Helia in cælum iam iam transferendo optabat fieri in ſe duplicem ſpiritum eius. Variæ rationes dantur ab Interpretibus. Hæc ad rem noſtram eſt, quod intelligeret duplo grauiora certamina à proſperitate, quàm ab aduerſitate contra virtutem excitari, ideoque duplo maiorem ſpiritum, quo illis reſiſteret, poſtulabat. Auctor lib. 2. de mirabil. ſacræ Scripturæ cap. 26. *Heliſæus*, inquit, *cum magno honore, & ſeculi dignitate, virtutum, & prophetiæ donum habuit, quod Helias profugus, & perſecutus in montibus, & ſpelæcis degens, & eiectus ab hominibus retinebat.* Sciebat vtique Heliſæus Eliam inter labores vixiſſe, ſe inter fauores victurum; Eliam perſecutionibus Achabi vexatum, ſe donationibus Naamiani honorandum; adeoque iudicauit grauiorem eſſe tentationem à proſperis, quàm ab aduerſis, quæ non niſi extraordinario quodam diuinæ beneuolentiæ præſidio, ſuperari poſſet. Propterea Salomon vir rerum humanarum & diuinarum ſummam habens experientiam vnicè petit à Deo: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & periurem nomen Dei mei.* Flagitat his verbis Salomon à Deo, ne ſibi aut ingentes diuitias, aut magnas cenſus anguſtias donet, ſed ea tantum, quæ vitæ alendæ ſufficiant. Sentiunt aliqui, & non incongruè ad propoſitum noſtrum, ea verba à Salomone pœnitente dictata fuiſſe, cum opulentiæ & copiarum damna expertus, meliora & ſaniora ſeriò cogitans, illas ſibi adimi, aut plurimùm extenuari poſtulauit. Vt vt eſt, ſiue ſuo ipſius nomine, ſiue aliorum hæc verba pronuntiarit, proſperitatis ſeu diuitiarum, quin etiam pauperratis nimiæ notat incommoda. Obſecrat itaque ne diuitijs vſque adeò abundet, ne fortè earum ratione dementatus Deum neget, idolis affectus, & faſtuosè interroget inſtar Pharaonis, *Quis eſt Deus?* quia ſcilicet diuitiæ ad cuncta ſcelera perpetranda adminiſtræ ſunt, & auxiliares.

Prouerb. 30.

3. *Hebræos nimia felicitas, Dei contemptores effecit, aduerſitas cultores.*

Deus quoque Hebræos prælijs fatigatos, perfectâ pace, ac quiete nõ donauit, ſed moleſtis ſemper hoſtium incurſibus afflixit, Ioſ. 13. & 16. & Iudic. 1. quia ſciebat Hebræos, niſi his laboribus in officio continerentur, effuſis habenis in idololatriam, aliaque vitiorum genera tuituros. Ita planè ſentit Theod. l. 6. in Iudic. *Chananæorum*, inquit, *gentem non prorſus interemit, ſed plures prope illos habitare permiſit, vt expugnati, & in ſeruitutem redacti, procedens ab errore damnum ſentiret, & fugerent ad conſeruatorem Deum, eiuſq; beneficijs fruerentur.* Adeò aduerſitas virtutem fouet, adeò faulitas euertit. Vndè rectè etiam Bernardus ſerm. 3. in Dominica Palmarum: *Licet*, inquit *multos frangat aduerſitas, tamen multo plures extollit proſperitas.* Et ſerm. de obitu Malachiæ: *Habes in pſalmo caſuros à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, quòd multò plures proſperitatis falacia, quàm aduerſitatis flagella deijciant.*

4. Experientia hocipſum docet, neque deſunt exempla ex S. Scriptura, quæ ad oculum nobis demonſtrant, quantum diuitiæ alienẽt à Deo. Ephraimitæ inſtar Chananæorum fraudulenter agebant, & doloſis vtebantur ſtateris, quò ingentes ſibi conflabant facultates. Admonebantur à Prophetis ad meliora: ipſi verò liberâ voce crepabant: *Diues effectus ſum, inueni idolum mihi. Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.* quaſi dicant: Obſtrepunt nobis Prophetæ, noſque ob ſtateras doloſas culpant & arguunt: at nos has voces non moramur, ſed vt garritus graculorum deſpicimus: habemus enim penes nos idolum, id eſt, Deum fortiſſimum (puta Mammonam, id eſt, diuitias, quas noſtra vnius induſtria nobis peperimus) quo præſente neminem timemus: quia omnibus bonis abundamus. ita Hieronym. Non poterit inueniri in noſtris negotijs, contractibus, ponderibus,

Oſee 12.

bus, esto scrutetur ea, quisquis volet, qua peccauerimus. Hæc est vox diuitum, quos cæcauit cupiditas & auaritia, qui Deo suo, puta Mammonâ, & opibus superbientes & tumidi, omnia iusta & licita sibi putant. Vni enim intendunt lucro: hoc eorum idolum est, hoc eorum ius, siue per fas, siue per nefas illud conquirant. Diues ille Luc. 12. *angustatur abundantia*, inquit Ambros. serm. 81. *constringitur, & coarctatur ex opulentia. Ager ei non tam reditu largiores, quàm gemitu attulit grauiores: terra ei non fructuum copiam, sed curarum molestiam germinauit. Egens vox ita est. Quid faciam? vnde cibus? Vnde vestitus? Eadem conqueritur & diues: ijsdem cruciatibus pro solicitudine facultatum, quibus pauper pro egestate torquetur.*

5. *Prosperitas audaciam contra Deū subministrat*

Abundantia diuitiarum audaciam contra Deum subministrat, vt ait quidam amicorum Iob cap. 12. *Abundant*, inquit, *tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum.* Prædonum nomine Reges improbi, & potentes significantur: vel quod ipsi reuera tanquam insolētes prædones, alienas inuolēt in fortunas: vel saltem, quod cum suas sibi opes arrogent, quas Deo acceptas referre debuerūt, perinde se habent, ac si eas omninò prædarentur. Hi igitur, vt D. Greg. ad eum locū docet, *eò magis contra Deum eleuantur, quo magis ab eius largitate contra meritum ditantur.* Veniamus ad Reges alioquin probos, qui de suo statu declinauerūt: rogemus illos, quis sæuus turbo à diuinis legibus illos auulserit? & alium non reperiemus, quàm nimiam felicitatē. Planissimè Aug. ser. 13. de verbis Domini: *Magna virtutis est, cum felicitate luctari, magna felicitatis à felicitate nō vinci.* Vnde ibidem huius mūdi felicitatem, mare vocat, *quod*, inquit, *amatores vorare nouit, non portare.* Saul cùm esset paruulus in oculis suis, caput in tribubus Israel factus est, 1. Reg. 15. Cùm magnus sibi videri cœpit, & de prosperis rerum successibus inaniter gloriari: debitam Deo reuerentiam, & obedientiam negauit, v. 19. Dauid omnibus locis, ac focis pulsus, Deū inquirebat; sceptro, & solio donatus, alienum thorum violabat 2. Reg. 11. Ioas prosperis rerū successibus elatus, & adulatorijs suorum obsequijs delinitus, à prima illa diuinæ legis obseruantia, quam sub Ioiada tenuerat, defecit 2. Paralip. 24. 27. & seqq. & in Zachariam Ioiadæ filium, qui eum reprehenderat, sic ingratus extitit, vt eum lapidandum curarit, ibid. vers. 21. ea pœna agens in eum, qui se arguerat; quâ agi consueuerat in eos, qui Deum blasphemabant: perinde, ac si ipse parem sibi cum Deo dignitatem habere videretur: nec minoris culpæ reum crederet, qui sibi iniurias, quàm qui Deo blasphemias ingerebat. Iam verò Ozias dum felicibus rerum euentibus, tanquam secundis à tergo auris, promouetur, à diuinis legibus obseruandis retardatur. *Nam cùm roboratus esset*, inquit textus, *eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominū Deum suum.* 2. Paral. 26. Quasi ab ipsa felicitate, quâ fruebatur, vires sibi, ac præsidia ad eam iniquitatem, qua furebat, mutuaretur. Tandem Ezechias de hostibus victor, de morbo sanatus, claris de cælo prodigijs magnam in spem erectus, sic intumuit, vt suas omnes diuitias Babylonijs legatis inaniter ostentaret; maiorem fortasse in superbiam proditurus, nisi ab Isaia grauissimi comminatione supplicij refrenaretur, 4. Reg. 20. vbi hæc ad illum verba pronuntiat: *Audi sermonem Domini: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc in Babylonem, non remanebit quidquam, ait Dominus. Sed & de filijs tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis.* Longum esset singulos Reges Israelitici populi recensere, qui blandientibus secundis rebus elati, in insaniam, imò quàlibet insaniâ deteriorem scelerum voraginem corruerūt.

Nimia felicitatis turbo plurimos reges à Deo auulsit.

6. *Cur Raguel Tobiæ genero optat omnia felicia.*

His ita constitutis, quæro, cur Raguel optet nouos coniuges omnia recta, siue prospera circa parentes suos, ad quos iam properabant, inuenire? Ad hoc quæsitum respondeo, Raguelem non latuisse, pietatem Tobiæ senioris, vt patet cap. 7. vbi multa bona legitur dixisse Angelo, & Tobiæ iuniori de patris persona. Quâ præsuppositâ optabat illis omnia prospera. Deinde mos istius temporis exigebat iustis omnia bona apprecari, quia vna ex benedictionibus veteris Testamenti erat abundantia rerum temporalium. Vnde Isaac dans benedictionem Iacobo filio suo, inquit: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.* Imò Deus ipse promittebat Iudæis, si legem seruarēt, terram fluentem lacte & melle. Secundò, scrēbat diuitias res esse indifferentes, & ex malo, vel bono vsu sortiri effectum, neque vllum esse periculum parentibus illorum de malo vsu, qui in prosperis vti & in aduersis, nullam spem in diuitijs posuerant, sed proximorum miseriam ad extremum vsque subleuarant. Talibus autem competere rerum abundantiam, satis insinuat Dominus, dum apud Oseam cap. 2. quosdam reprehendens, quòd frumentum, vinum, oleum, & argentum mutipliciter eis concessum, & aurum in vsum idolorum impenderint, dicit: *Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius*, quasi dicat. Vt intelligant, in quem vsum hæc omnia conferri debebant, faciam vt parum frumenti in messe, & parum vini in vindemia colligant, aut si multum collectum sit, euanidum sit, parumque det

1. *causa.*

2. *causa.*

Bene vtentibus abundantia competit.

panis & vini; aut certè incendio, grassatione hostili, alioue modo illud disperdam, *Et liberabo lanam meam & linum meum*, ab iniquo possessore, & dabo iustis & pijs, qui in honorem meum illis vtentur: impijs itaque auferam, & pijs tradam. Narrat vir eruditus se in hoc Belgio audiuisse celebrem Concionatorem, qui calumniatoribus nonnullis, obiectantibus Clericos & Religiosos quosdam lautè viuere, pro concione respondit, Primò hoc esse calumniam & mendacium; Secundò, esto id verum esset, non esse iniquum; sed secundum ordinem rerum: Deus enim creauit creaturas, vt seruirent pijs, non impijs; famulis, non hostibus. Quocirca, inquit, si panis, si vinum, si oua, si perdices loqui

Creatura inuitè seruiūt impijs.

possent, clamarent: Comedant nos viri sancti, serui Dei nostri, non comedamur ab inimicis Domini nostri. Substantia nostra, caro nostra incorperetur sanctis, vt in iis ad gloriam resurgat, non peccatoribus; in illis enim resurget ad gehennam. Quæ enim creatura non malit esse in cælo & gloria, quàm in inferno, & igne? Tertiò sciebat, necessium esse, 3. causa. vt huiusmodi probati temporalibus abundarent, vt ex hoc Assyrij ad cultum Dei inuitarentur: Hinc enim Patriarchas Deus fecit felices, & in rebus temporalibus superabundare, vt Iobum Abrahamum, Isaacum, & Iacobum, vt Gentiles spe huiusmodi felicitatis allecti, eumdem Deum agnoscerent, & colerent.

CAPITIS DECIMI

VERSVS XII.	PARAPHRASIS.
Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire.	*Vers.* 12. 13. Parentes Saram de more Hebræorum filiam dimittentes, eandem osculati sunt, & seorsim auocantes, præcepta connubialia, eaque præcipua, quæ vxori, matrique familias tradi solent, monuerunt obseruare.
Vers. 13. *Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.*	

SECTIO OCTAVA.

Quorsum parentes Saræ eam alioquin bonam præuiâ exhortatione dimiserunt?

1. *Homo quāuis bonus, exhortationibus opus habet.*

TAmetsi deprauata est natura humana, vt facilè labatur, nisi salutaribus monitis fulciatur. Id videre est in Rege Ioas, qui tam diu fuit bonus, quam eum Ioadas sacerdos exhortaretur: ipso vero mortuo factus est pessimus. retrahebat enim exhortatio Sacerdotis ipsum à malo 2. Paral. 24. & 4 Reg. 20. Hoc apprimè intelligebant parentes Saræ, hinc primum voluerunt eandem erigere bonis exhortationibus, imò animare, vt quouis casu ab eis non deflecteret: quando quidem exhortatio eam vim habeat, vt homines incitet, & confirmet ad bonum & virtutem. Vnde Iudas Machabæus hortabatur, & animabat populum sermonibus bonis. 1. Machab. 3. & 4. & 2. Machab. 8. 10. & 11. Iudith sua exhortatione animauit conciues suos de Bethulia, ad viriliter resistendum Holoferni & ad complacendum Deo, Iudith 8. Paulus & Barnabas hortabantur fratres, & animabant, vt permanerent in fide, Act. 14.

Exhortatio stimulus est ad virtutem & bonum.

2. *Monitum honorare socros, Nupta tenetur de coniugis sui familia, non parentum suorum.*

Monita autem Raguelis & Annæ erant illa, quæ matrifamilias tradi solent. Primum *honorare socros*; quia illi loco parentum succedunt, & eo loco habendi sunt, quo parentes priùs atque ita transibat sponsa in familiam sponsi, vt parentum quodammodo iuberetur obliuisci. Inde in nuptiis Hebræorum tam olim, quàm hoc tempore repetitur illud Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui*; imò eiurare familiam, ac in familiam sponsi & genus coaptari. Nam ex alijs Scripturæ locis apertè colligitur, eam, quæ nuptit,

nupſit, ad coniugis familiam, & non ad parentum pertinere, Leuit. vtique 21. ſacerdos prohibetur contaminari in funere ciuium ſuorum, ſed permittitur in conſanguineorum & propinquorum funeribus vti cerimoniis apud Hæbræos conſueris, quas tamen adhibere non poteſt in funere filiæ viro traditæ. Textus illud ſic explicat, *niſi tantum in conſanguinitis, & propinquis, id eſt ſuper patrem, & matrem, & filium & filiam, fratrem quoque, & ſororem virginem quæ non eſt nupta virgo.* Cuius rei ratio eſt, quod nupta non eſſet domeſtica, nec ſub parentum cura, ſed in externa domo, ſub cura mariti viuerer. Et cap. 22. Leuit. vbi permittitur illis, qui ſunt è familia ſacerdotis, cibis vti ſanctificatis, etiam vernaculis, excluditur filia matrimonio iuncta: *Si filia*, inquit textus, *cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ ſanctificata ſunt, & de primitijs non veſcetur*, quia videlicet, iam ad alteram familiam Mariti, non exiſtentis de genere ſacerdotali migrarat. Quod etiam ſeruarũt Romani, vt docuit Gellius lib. 18. cap. 6. vbi ait, matrem familias in mariti ſui familiam venire. Vnde fit vt ſponſa coniugis ſui matrem, ſuam quoque matrem appellet; imò coniuges ſeſe inuicem fratrum ac ſororum nomine ſalutare, & maximè quando ex eadem familia, aut tribu conſortem acceperunt. Inde eſt quod Raguel etiam cognatum ſuum Tobiam ſeniorem, fratrem vocet: *Noſtis*, inquit, *Tobiam fratrem meum.* Inde etiam eſt quod Tobias iunior cap. 8. in precibus ſuis dicat: *Nunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem.* Adeoque mitum non eſt, quod primum iubeant honorare ſocero: *Si vir*, inquit Auguſtinus, *& vxor eſt vna caro, non eſt aliter nurus reputanda, quàm filia.*

Coniuges fratrum ſe & ſororum nomine ſalutant.

Lib. 22. contra Fauſt. cap. 61.

3. *Soceri non aliter ſunt ſaluandi, quàm proprij parentes.*

Addo ego ex eodem capite, ſoceros non aliter tractandos, quàm parentes. Et quia illud coniugibus nouellis ſæpè durum videtur, hinc parentes hanc monitionem noluerunt omittere. Hinc etiam ſacra pagina laudi vertit Ruthæ Moabitidi, quod adheſerit, & ſequi voluerit Noemi ſocrum ſuam, eamque pauperem ac viduam deſolatam. Imò ex hoc capite multam gratiam experta eſt à Booz homine potente, & magnarum opum: lubet enim vt menſam habeat, quamdiu duret meſſis, cum meſſoribus communem, puellisque ſuis. Admiranti Ruth, vnde illi hoc contingeret, reſpondit: *Nunciata ſunt mihi omnia, quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri ſui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram, in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea neſciebas.* Quia ergo audierat eius nomen, & honeſtos mores, excepit illam beneuolo animo, & liberali manu, collaudatis meritis, & officiis tam in mortuos. filios, quàm in Matrem Noemi viduam à marito, & orbatam à filiis: & quod amplius eſt, eam ſibi accepit in vxorem, Ruth 4.

Ruth laude digna quòd ſocrum adhæſerit.

Origenes lib. 1 in Iob. deprædicat primùm obedientes nurus: *Iob*, inquit, *fuerunt ſeptem filij & filiæ tres, vt cùm ipſas ſanè filias foras traderet viris, haberet extrinſecus filios adoptiuos: & cum filijs ſuis de foris acciperet vxores, haberet etiam in his extrinſecus adoptiuas filias. Sæpè enim generi, vel nuru filijs ſinceriores reperiuntur circa ſoceros, vel ſocrus ſuas, illæ quæ Dei timorem ac pietatem habuerunt animabus ſuis. Talis fuit illa beata Ruth, quæ ita dilexit ſocrui ſuæ veteranæ, vt vſque ad mortem non eſſet paſſa eam relinquere. Idcirco ſanè in Scriptura in perpetuo magnificatur, apud Deum verò in infinita ſæcula beatificatur.* Et immediatè poſt taxans proteruas nurus, eiuſdem Ruthæ exemplo declarat eaſdem condemnandas à Deo: *Iudicabit nihilominus*, ſupple Ruth, *atque condemnabit in reſurrectione omnes malignas & impias nurus, quæ ſoceris vel ſocribus ſuis contumeliam vel iniuriam ingeſſerint, non reminiſcentes, quòd ipſi eis viros genuerint, atque nutrierint, & pro ſubſtantia, & pro victu illis laborem acquiſierint.* Sunt qui autumant Ruth Moabitidem & alienigenam aſſumptam, Matthæi cap. 1. in Iesv parentem, quod alia nurus non repetiatur, quæ adeò ſe concordem ſocrui præbuerit, in pietatis negotio, quàm ipſa. Auctor Epiſtolæ 20. de vera Circumciſione ad Theraſiam inter opera Hieronymi, poſt varia exempla, quibus oſtendit veteres non ex circumciſione, ſed proprijs virtutibus aſſecutos à Deo benedictionem, idem per Ruth alienigenæ exemplum confirmat. *Ad alienigenas*, inquit, *ad quos prouocans, veniamus: quoniam nullam nobis arborem exemplorum ager diuinorum omni ligno feracium plantariorum nec in eo germina de vimine, ſed de fruge cenſentur. Oſtendamus in Iſrael gloriam peregrinam, & benedictionis germen in ligno fluxiſſe non ſuo dicimus Ruth, quo magis confundãtur in fœmina. Promittitur per Prophetas de radice Ieſſe, virga pro noſtra ſalute proditura: in quam flos conſcẽderet, qui vel ſolus vtique pleni agri odore fragraret præ cõſortibus ſuis: quem in odorem vngentorum ſuper omnia aromata lætitiæ oleo pater vnxiſſet. Hic tamen Ieſſe auiam non Iſraelitidem habuit, ſed Moabitam. Cui tantùm peregrinæ conceditur, quantum nulla de patriarcharum germine prometeretur: vt ſuo vtero deſtinata benedictionis ſemen acciperet, & Iſraeli non Iſraelita parturiret dignitatem: cornuq; populi ſui, in alterius populi benedictionibus aliena ſuſtollat.* Et immediatè pòſt, quæsit cauſam tantæ benedictionis: *Vnde*, inquit, *iſtud, oro, promeruit? Credo quia dicit ſocrui ſuæ: Populus tuus, populus meus eſt. & Deus tuus, Deus meus eſt. O virtutem viris etiam præferendam! Abrahæ fidem incircumciſæ gentis mulier imitatur, quam viriles circumciſio dereliquit, & per aliena veſtigia meritum iuſtificationis ingreditur, à quibus majorum cæca hæreditas deuiauit.*

deuiauit. Deos suos Moabita contemnit, cùm tu Israel desideres alienos. Illa in vnum Deum, suorum iam oblita, coniurat; & tu post multitudinem fornicaris idolorum: hinc eligitur à Domino, hinc fit Israelita mente, non genere, fide non sanguine, virtute non tribu: hinc vsque adeò benedicitur, vt Prophetarum tuorum mater vocetur, & regum.

5. Quid dicam? Maximus ille Patriarcha Isaac mores sponsæ suæ Genes. 24. videtur inde æstimasse, & censuisse, quod socrui suæ moribus essent consormes. Quàm primùm enim venit Eliezer cum futura Isaaci vxore Rebecca, *Introduxit eam in tabernaculum Sara matris sua*, vt videlicet non antea duceret eam vxorem, quàm nouisset an in minimo à socrus moribus desciscceret: sequitur enim immediatè pòst. *Et accepit eam vxorem.* Chaldæus huc videtur vergere, cùm ait: *Et introduxit eam Isaac in tabernaculum, & vidit, & ecce opera eius recta erant, sicut opera Sara matris sue. Et accepit Rebeccam, & fuit ei in vxorem.* An genuinum sensum attigerit, non disputo. Id certum est Isaacum non duxisse Rebeccam vxorem, nisi triennio post mortem Saræ. Vide Salianum anno mundi 2175. n. 1. & 2. quin etiam manifestum est mores Rebeccæ fuisse optimos. nam Scriptura non solùm dicit, quod Isaac acceperit eam in vxorem, sed etiam, quod in tantum dilexerit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret, fortè quod in vxore mores ac pietatem matris continuò spectaret.

Vnde mirum non fuit, quod parentes Saræ hoc loco inter connubialia monita, primum posuerint, *honorare soceros*; quasi exinde totius æconomiæ nuptialis felicitas dependeat. Origenes loc. cit. propterea exhortationem instituit ad omnes, quæ ab hoc tramite deuiant: *Si*, inquit, *diligis virum tuum ô mulier, dilige & eos qui genuerunt eum, & nutrierunt sibi filium, tibi verò maritum. Noli separare filium à patre vel matre. Noli compellere filium, patrem aut matrem inhonorare, ne in condemnationem incidas apud Dominum Deum in die terribilis inquisitionis, atque iudicij. Sufficiat tibi ô mulier, quia possides virum, quem non nutristi, & substantiam quam non acquisisti, quia venis in domum, quam non adificasti, & era domina, & potestatem habens laborum alienorum, pro quibus tu nullatenus laborasti. Noli ergo retribuere mala his, qui tibi preparauerunt, atque sue labore acquisierunt omnia, sue virum, sua substantiam, sua resumptionem, ô mulier, ne ascendat super te maledictio à Domino Deo.*

Socrui diligendi, vt maritus.

6. Alterum, quod monuerunt parentes filiam seruare, est, *diligere maritum*, hoc est, seriò concordiam seruare coniugalem in omnibus licitis & honestis. Iuxta Salomonem enim Cantic. 8. *Fortis est vt mors, dilectio; & aquæ multæ, non poterunt extinguere, charitatem, nec flumina obruent eam.* Quibus verbis insinuat sponsus, amorem, quem præstare sponsa debet, vsque adeo nimirum fortem esse debere, vt neque aquarum fluctibus, neque alijs amatorum machinis succumbat. Duobus autem modis expugnari potest fides cõiugalis, metu videlicet, & muneribus. vnde vult sponsus amorem esse vsque adeò fortem & constantem, vt si proponantur aut ampla munera, aut dura mortis certamina, à sponso non recedat. Porrò aquæ multæ & flumina, vim tormentorum maximam, & multitudinem significant: quæ si cum donis ac blandimentis ad amorem expugnandum conspirent, despicientur tamen à constanti pectore, quasi nihil. Huc spectat illud Siracidis Eccles. 25. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi bene consentientes.* Huc spectat illud sponsæ Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, quasi dicat. Per omnia mihi cum sponso conuenit, pareíque sumus ambo non solùm mutuo amore, ad maximo, sed etiam ingenio, officio, seu obsequio, moribus, studiis, cæteriſque rebus omnibus. Non satis est enim vxorem, seu sponsam esse probam, atque pudicam, nisi hæc sit accommodata viri moribus, aut vir vxoris ingenio: munusque Dei singulare est, magna laude dignum, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus huiusmodi inter coniuges conuenientia, concordia, consensioque, iuxta illud Ecclesiastici modò citatum. Nota verba, *bene consentientes:* Vult enim honestam esse hanc concordiam, non qualem desiderabat Iobi vxor in marito, vt impatiẽs malediceret Deo, & moreretur; non qualem Thamnatæa vxor Sampsonis erga eum ostendit, quæ fundebat apud maritum lachrymas, & quærebatur, dicens: *Odisti me, & non diligis, septemq; diebus ante ipsum flebat*, vt aperiret ei sensum problematis, nuptialibus conuiuis propositi, ad hoc vt in præiudicium mariti, eisdem illum proderet, Iudic. 14. non qualem ostendit erga Jezabel Achabum, cùm eius tristitiam consolata est, & subleuauit calumniis, & iusti effuso sanguine, 3. Reg. 21. sed qualem Abigail erga Nabalem, quæ impietatem viri muneribus, & efficacibus verbis ita placauit apud Dauidem (cuius indignationem maximam meritò incurrerat) vt marito, & familiæ vitam obtineret, 1. Reg. 25. Talis debet esse concordia, qualis inter Theodosium Imperatorem, & Placillam eius vxorem fuit, de qua Nicephor. lib. 12. cap. 42.

2. monitum diligere maritum, id est concordiam seruare coniugalem.

Vxor accommodare debet se viro in honestis & licitis.

Itaque verus amor præsertim coniugalis, seu nuptialis non aliunde, quam ex ingeniorum, ac morum similitudine nasci, & conseruari debet; nec licet vxori libidinis causa, marito

marito dumtaxat adhærere; sed ex animo: Nihil enim præstabilius, nihil melius est, quàm viri & vxoris consentiens, & conspirans pia voluntas. Amorem verò nouorum coniugum formâ solum corporis conciliatum, momento euanescere opottet, nisi bonis etiam præfultus moribus, ac prudentiâ coalitus, radices miserit altiùs.

7. De vero autem amore coniugali, ac iusta concordia, sic disserit Chrysostomus: *Quando,* inquit, *concordia, & pax, & vinculum dilectionis cum muliere & viro fuerit, omnia simul affluunt bona, & nullis insidiis expositi sunt, magno & inexpugnabili quodam muro circumdati, suâ, iuxta Dei sententiam, concordiâ.* Idem hom. 4. ad Titum præclarè in hanc rem: *Præcipuum*, ait, *illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si vxor viro per omnia consentiens sit. Nam vbi hoc fit, nihil triste contingere poterit. Quo pacto enim, cùm caput corpori connexum, coniunctumq; sit, vlla ibi seditio, vlla dissentio possit exoriri? Necessariò profectò reliqua omnia in pace sunt. Principibus namque pacatis, quis tam pacem dimidere possit, atque discindere? Quemadmodum è contra, his inuicem dissentientibus, nihil salubre esse poterit, totaq; simul ruinabit familia. Nihil igitur hac re maius, nihilq; magis necessarium, verùm præstat id & pecuniis, & ingenuitati, atque potentiæ, & cæteris omnibus longè vtilissimum est.*

Hom. 37. in Genes.

Vxor consentiens vere, bonorũ omnium est fons.

8. Apostolus Paulus amorem vxoris erga maritum in subiectione constituit: *Mulieres*, inquit, *viris suis subditæ sint, sicut domino*, Ephes. 5. Rationem huius præcepti Apostolici, reddit Chrysost. hom. 20. ad Ephes. *Neque*, inquit, *sanè temerè, neque frustra Paulus multum studij huic rei impendit, dicens: Vxores proprijs viris subditæ sint, veluti domino. Qua ratione? Quoniam si vir & vxor concordes fuerint, & liberi benè educantur, & domestica probè instituuntur, & vicini ex eo pariter & amici, & cognati, quasi boni odoris fragrantiâ fruuntur. Si verò contrarium fuerit, omnia subuersa sunt, & confusa. Et quemadmodum militibus inter se benè pacatis omnia prosperè succedunt, & vicissim turbatis illis omnia sursum ac deorsum voluuntur; ità sanè & hic vxores, inquit, proprijs viris subdita sint veluti Domino*

Ex cõcordia coniugali multa bona domestica proueniunt.

S. Ioannes Damascenus, ex Nazianzeno, quædam particularia in medium adducit, paci, inter coniuges seruandæ, mulieri prudenti necessariò practicanda: *Sapientia*, inquit, *mulieris est, Matrimonij legibus cedere, & obtemperare. Marito irascenti cede: laborantis mollibus verbis, ac probis consilijs opitulare. Nam nec is, cui leonum cura commissa est, ira æstuantis ac rugientis belluæ robur, corporis viribus frangit, ac vicissim irascendo: sed eã blanda manu, molliq; verborum sono, permulsam domat. Nunquam tibi accidat, vt detrimentum vllum, iacturamq;, quamuis grauissima ira percita, marito exprobres. Nam ipse multo pluris tibi esse debet, quam omnes facultates. Illud quoque caue, ne quem marito tuo, parum amicum, laudes. vt per comparationem, versutâ cum oratione, perstringas. Rursum autem communes cum eo voluptates atque molestias habe. Hoc enim rem familiarem auctiorem reddit. Cum marente viro, nonnihil ipsa quoque mœre. Marito enim in mœrorem aliquem prolapso, commodissimus portus est vxor.*

Lib. 3. cap. 2. parall. Quædam maiori obtemperare necessaria vt pax conseruetur domestica.

9. D. Chrysostomus hom. 27. in Matth. describit signa veræ & non fictæ dilectionis vxoris erga maritum, *Ecce*, inquit, *si vir habeat vxorem, quomodo agnoscitur vxoris plena dilectio? Vxor neminem debet sapientiorem putare, quam virum suum: & si sit alter sapientior, tamen illa sapientiorem esse alterum intelligere non debet. Vxor neminem fortiorem debet putare; quam virum suũ; & si sit alter fortior, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem. Vxor neminem debet formosiorẽ putare, quàm virum suum; etsi sit alter formosior, tamen coram oculis eius alter formosior non debet apparere. Perfectum enim odium, & perfectus amor verum indicium non cognoscit: vt puta si perfectè odias aliquem, qualiacumque fuerint, apud illum, omnia tibi displicent, siue quæ loquitur, siue quæ agit: & si sint bona, tamen tibi mala videntur. Sic, & si perfectè aliquem amas, quæcumque sunt apud eum, tibi placent, siue quæ loquitur, siue quæ agit: & si mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo & vxor si videns aliquem dixerit, quàm sapiens vir, vtinam vir meus talis esset, iam amor eius minus habet aliquid de perfecto amore. Si videns aliquem dixerit: Quàm formosus homo, vtinam vir meus talis esset: iam amor eius minus habet aliquid de perfecto amore. Et pro quantacumque parte amplius aliquid laudauerit in altero viro, quàm in suo, tanto dilectio minor est ad virum suum.*

Vxor meminem præferre debet marito.

10. Perbellè etiam Damascenus ex Nazianzeno loc. cit. *Nata mea, munus hoc à Gregorio patre accipe. Nam patris admonitio longè optima ac saluberrima est. Deum primo, ac deinde maritum, vitæ tuæ oculum, ac consilij arbitrum & moderatorem reuerere. Hunc vnum ama & desidera, atque hoc vno te oblecta: eoq; magis, quo te perfectiori amore complectitur. Ne tantum fiducia, libertatisq; capias, quantum tibi mariti desiderium præbet, sed quantũ honestas ipsa concedit. Quandoquidem omnium rerum satietas est. Ac sanè rerum omnium satietas est: sed ab amore satietatem arceri satius fuerit. Caue, ne, cùm femina sis, in virilem tumorem ac libertatem prorumpas. Ne generis tui amplitudinem marito præferas, nec propter opes ac sapientiam supercilium attollas.*

11. Tertiò monuerunt *regere familiam*, hoc est, tum filiorum, tum domesticorum curam habere. Quod ad mulierem etiam spectare docet Apostolus, cùm inquit, *Saluabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* q. d. Saluabitur mater, si curet, vt filij permaneant in Christi fide, dilectione, & sanctitate, adiunctâ sobrietate. *Qui matrimonio nectis*, inquit Cle-

3. Monarum regere familiam. Ad matrem familias etiã spectat cura domestica.

1. Timot. 2.

Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. c. 10. *ijs scopus est & institutum, liberorum susceptio; finis autem, vt boni sint liberi: quemadmodum agricola seminis quidem dejectionis causa est, quod nutrimenti habendi curam gerat; ei autem agriculturæ finis est, fructuum perceptio. Multò autem melior est agricola, qui terram colit animatam.* Vide de hac re latius à me dicta Disc. 4. 5. & 6. in 4. præcept. Rursum Apostolus docet tã ad matremfamilias, quàm ad patremfamilias spectare curam domesticorum: ait enim, *Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior.* Vide quamplurima in hanc rẽ Disc. 16. in IV. Præcept. vbi ad longum descripsi dominorum officium quoad domesticos. Quæ vtinam omnes ad amussim seruarent, quibus domus cura est; non tam multi filij & filiæ peruerterentur domesticorum nequitia. Arcebat propterea Dauid à domo sua superbos, mendaces, & qui ea facerẽt, & coram alijs liberè gererent, quæ in conspectu eius non auderent: *Ambulans*, inquit, *in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus meæ; qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.*

Impij domestici è familia arcendi.

Psal. 101.

12. *4. Monitã gubernare domum.*

Quartum est, *gubernare domum*, assiduè in ea manendo, non huc & illuc oberrando; penum, cellas, supellectilem, opera que & pẽsa quotidiana bene curando, vt fortis laudata illa mulier Prov. 31. De qua Salomon, *Considerauit semitas domus meæ, & panem otiosa non comedit.* Quasi dicat: Mulier hæc fortis domesticorum mores non negligit; sed singulorum actiones speculatur, ne quis otio, aut incuriæ se dedat. Ac ne solicitudo hæc frustra fit, ipsa quidem exemplo suo præit, & nisi præmisso multo labore, nunquam cibos sumit. hæc enim præcipua cura est matrisfamilias, ea quæ ad domesticorum mores pertinent, solicito studio obseruare. Vel rursum sensus est: Aditus exitusque domus suæ attentius obseruat, ne quid ipsâ nesciente in domum intret, vel exeat; tantaque est illius sollicitudo, & animi angor in domo gubernanda, vt etiam cùm cibum sumit, quieta nõ sit. Apostolus quoque diligenter instituit discipulum suum. Titum cap. 2. & morum præcepta ei proponit, quæ singulis ferè hominũ generibus conueniunt; & inter alia præcipit, vt moneat vetulas, prudentiam docere adolescentiores, viros suos amare, & quod ad propositũ nostrũ seruit, domos suas, ac familias benè custodire, ac regere: *Domus*, inquit, *curã habentes*, quod propriũ est vxoris. Perspexerunt id Philos. qui volunt totius domus principatũ ad vxorem propriè pertinere: ita vt maritus foris sub dio, in agro, in foro, in rep. omnia suo arbitrio conficiat, diuitiasq; comparet, quæ tectis recondãtur, vxor verò domi rebus domesticis conseruandis, & præparandis præsit, & tectis illatas diuitias, resque alias omnes custodiat; quæue maritus sudore, vel industriâ suâ acquisiuit, debitè ac vtiliter domi dispenset. Et Xenophon: *Mihi videtur*, inquit, *Deus naturam mulieris ad curam domesticam intus suscipiendam, in lucem protulisse; mollioremq; corpore, vt intra parietes officia obiret: viri autem corpus, animumq; ad frigora, æstus, itinera, expeditiones facilè tolerandas constituisse: ideoq; res illi foris agendas delegisse.* Aristoteles lib. 2. Oeconomic. cap. 1. indecorum existimat viro, domesticis sese immiscere: *Probam*, inquit, *mulierem omnibus, quæ sunt intus, dominari oportet; viro quidem indecens videtur ea scire, quæ inter ades fiunt, turpeq; est quicquam eorum, quæ sunt domi facere.*

Indecorum est viro, domesticis sese immiscere.

Et quia munus illud fideliter exercere non potest vxor, nisi domi se contineat quantum necessitas exigit; hinc inter benedictiõnes viri ponit Propheta Regius, vxorem sicut vitem abundantem, curam domus interioris habentem: *Vxor tua*, inquit, *sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Mulierum enim ornamentum est, morum probitate, & elegantia florere, pedem limine non admodum frequenter efferre, nisi magna vrgeat necessitas. Ioannes Damasc. loc. cit. *Radius porro & tela tibi curæ sint, atque etiam sacrorum oraculorum meditationi da operam. Ne pedem tuum limine efferre studeas, nec ad publicos ludos proficiscaris.* Eò vrget Græcus textus qui significantius insinuat sensum Apostoli quoad verba, *Domus curam habentes*; nam loco istorum verborum habet οἰκουρούς, id est, vt Vatablus vertit, domus custodes. vult ergo adolescentulas coniugatas per domos non vagari: hoc enim reprehendit 1. Timoth. 5. ver. 13. sed assiduè domi manere, domum custodire, eiusque curam gerere: viri enim est foras prodire, victum sibi & suis quærere, negotia tàm priuata quã publica tractare: vxoris verò est domum, proles cæteraque quæ domum spectant, curare vt superius etiam dictum. Intellexit hoc nobilis illa patrona, quæ Theano percunctanti qua ratione celebris esset euasura, respondit: *contexens telam, & meum curans coniugium.* Sensit mulier illustris tum demùm claram se fore si maritum amaret, prolem educaret, & rem domesticam curaret. Et Lacæna illa captiua, quæ cùm interrogaretur, quid sciret? respondit, probè gerere domum, vti refert Plutarchus in Lacon. Hinc veteres insignis matrisfamilias imaginem & symbolum dixerunt esse testudinem, vt docet Plutarchus: testudo enim est domi porta, suæque domus, & cochleæ perpetua silensque custos. De Ægyptijs memorat idem Plutarchus in præcept. connubial. quò se domi mulieres continerent, nullum ijs calceorum fuisse vsum;

13.

Testudo symbolum matrisfamilias.

Res domestica ad vxorẽ spectant, extranea ad maritum.

vsum; & addit, si plerisque mulieribus auratos calceos detraxeris, armillas, periscelidas. purpuram, & vniones, domi mansuras. Sed in his patriæ consuetudo multum spectanda est, quia plerisque in partibus mulieres domũ curare non possunt, nisi foris procurent, quæ ad gubernationem domus sunt necessaria. Alibi mulieres rarò exeunt, & non nisi cum res sacra audienda est, reliqua necessaria per famulos ex foro sibi procurant: propterea Apostolus dicit indefinitè, *Domum curam habentes.* q. d. ea curantes quæ ad domus gubernationem spectant, & illa vitantes, quæ illi muneri officiunt. Vtinam hæc studiosè mulieres obseruarent! vtinam plus scirent de re domestica, non tot pateretur maritus dispendia.

14. 5. *Sit irreprehensibilem se exhibere.*

Quintum & vltimum est, *irreprehensibilem se exhibere*, vt videlicet mandata Dei obseruet sine querela, vt vana & indecentia statui suo, & scandalum parere nata, ad voluntatem mariti deponat. Verè Theophrastes, *Mulier nec alios videre, nec ipsa videri debet, præsertim quæ eleganter ornata fuerit* (intelligе *præter statum, aut mariti voluntatem*) *Vtrumque enim ad res inhonestas incitamentum est.* Cælius Rodig. lib. 13. Lect. antiq. cap. 6. fusè tractat, quod mulier proba non frequenter, sed rarissimè prodire debeat visenda in publicum, idque operta facie, vbi etiam admonet, & tanquam scitu dignum ex historia profana affert, quod apud Spartanos diu ille mos obtinuerit, vt nuptæ mulieres conuelatæ in propatulo viserentur. Quin etiam ex eadem historia profana obseruat ibidem, Chalcedonias mulieres eum seruasse morem, vt si in alienos viros incidерent, dimidium retegerent faciei. Et hoc sensu fortasse dixit Abimelech Saræ vxori Abrahæ, cũ eam ipsi Abrahæ cognato, & viro suo restituit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo? Hoc erit in velamentum oculorum tuorum*, vt refert sacra historia, Genes. cap. 20. alludens videlicet ad morem istum muliebrem, nempe velandæ faciei. Plutarchus in præceptis Matrimon. cap. 33. refert Phidiam quemdam Athenienſem statuarium clarissimum, Venerem ita finxisse, vt pedibus testudinem calcaret. Quo quidẽ tacitè significabat mulieribus domi manendum, silendumque testudo enim animal est mutum, & extra corticem non egrediens. Et Valer. Max. lib. 6. cap. 3. de seuerit. circa fin. agens de causis diuortij, ita scribit: *Horridum quoque Sulpitij Galli maritale supercilium. Nam vxorem dimisit, quod eam capite operto foris versatam cognouerat.* In his autem consuetudo loci multum valet, adeoque respicienda est, cùm versatur circa res adiaphoras, quod suppono.

Mulier proba rarò in publicum prodire debet.

15. Præterea vt vxor sit irreprehensibilis, fidem viro seruare debet, non sit vt vxor Putipharis, quæ quotidie sollicitabat Ioseph ad nefandum congressum. Non conuersetur cum viris suspectis, non loquatur de rebus carnalibus, præsertim coram filijs & domesticis, multo magis caueat prauarum mulierum cõsortium. *Nec earum*, inquit Damascen. loc. cit *mulierum consuetudine vtere, quæ superbo collo sunt, & facie meretricia: nec eorum virorum, qui marito tuo displicent. Cura denique, vt virginum pudor egregium sub palpebris tuis ruborem marito fundat: vtq; vel ad solum hominum aspectum erubescas, oculos cæcos, superciliumq; humi depressum habens.* Nihil agat marito absente, quod coram non auderet: facilè enim occasionem scandali præbet, si secretò prandiola instituat, tripudia, aliaque quæ specie mali non carent: & *væ homini illi, per quem scandalum venit.* Math. 18. Quod tamen facilè fit, dum domestici, matrisfamilias exemplo ad malũ declinant, filij familias bona parentum surripiunt, & dilapidant cum meretricibus: *Neque enim*, inquit Nazianzenus, *vel pannum tincturam ita facilè contrahit, vel is qui fatido, aut suaui odori propiùs se adiunxit, eius particeps fit, vel vapor quidam morbidus & noxius pari facilitate in aerem diffunditur, ac per aerem animantibus impertitur (quam nos veru nomine pestem dicimus) vt subditi præfectorum vitio celerrimè imbui, atque impleri solent: & quidem multo facilius, quàm virtute.* Probat id eleganti sententia Haggæi cap. 2. 13. quà docet attactu carnis sanctæ neminem sanctificari, contaminari autem, qui pollutam tetigerit.

Vxor abominibus scandalosis abstinere debet.

Vitia superiorum facilè imbuuntur à subditis.

16. Absit itaque hæc à matrefamilias; oscula, iocos cum alijs viris domi forisque seuerè caueat. Attendat ad illud Christi: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Enucleent rursum verba Saluatoris: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Vide dicta Disc. dicto præuio in IV. Præcept. n. 6.

17. Bone Deus quàm multæ mulieres flocci-pendunt hanc, cuius necessariam admonitionem! Aliæ cum aliarum contubernalibus liberè versantur, quasi nullum in eo foret peccatum. Apostolus præcepit, *Ab omni specie mala abstinete vos.* Illæ negant speciem scandali subesse huiusmodi conuersationi. Consuetudinem prauam allegant; aulicum volunt, adeoque licitum liberè, & absque scrupulo cum viris alijs sermocinari, iocari, & verba texere, quæ ipsas destruant, & ædificationem minimè præbeant audientibus. Aliæ minus solicitæ vt placeant Deo, diem terunt excogitandis nouellis, vt vocant, modis habituum parandorum, in eo vim ponentes, quod necdum visum, prodant primæ, in publicum

Reprehenduntur mulieres mundana.

habitum, vel ab aliis inuentum illico sibi curent per fas vel nefas. Centies in die specula arripiunt, vt se & formam illam admirentur, de Deo parum sollicitæ scandala non curant, etiamsi de prauo fine constet. Super vno crine capitis ad nutum non vergente, alias consultare non cessant; aquam angelicam, puluerem Cyprum lauandæ faciei, fricandæ & fucandæ fronti, incessabili cura, & summo pretio ambiunt. Aliæ in rhedis vanè efferri, & sui similes quadrigâ vehentes, ex inuidia mordent. In puerperijs quæ non detractiones? Finaliter, quædam tempus terunt aliis noxia effutiendo, quædam lasciuè tripudiando: & se irreprehensibiles existimant. Quid dicent, cùm Seruator apparebit, rationem exactuus totius vitæ? Obmutescent haud dubio cum illo, qui indutus non erat veste nuptiali, & horribilem illam sententiam audient: *Ligatis manibus & pedibus ejicite eas in tenebras exteriores.* Quod auertat Deus, ad meliora illas stimulando.

LIBRI

Libri TOBIÆ Capitis vndecimi

SYNOPSIS.

ANGELVS conſiderans, quàm relicti parentes, filij deſiderio languerent, monet Tobiam, vt ſecum gradu celeri reliquam turbam, & impedimenta præcedat; alij omnes ſedato greſſu, quo cœperant, ſubſequantur. Admonet præterea Tobiam, vt ſecum afferat fel piſcis. Mater admodum ſollicita prærupta loca quotidie aſcendit, vnde filium redeuntem videre poſſet. Quem tandem à longe dignoſcens properauit exiliens gaudio, vt Tobiæ marito ſuo nunciaret; quod poſtmodum plenius cognouit, cùm canem viæ comitem, blandientem caudâ, adueniſſe didicit. Dumque interea pia monita ab Angelo accepiſſet iunior Tobias, ſenior licet cæcus, illi occurrit; quem excepit oſculo. Filius mandata Angeli exequitur oratione præmiſsâ; felle piſcis paternos inungit oculos, & videndi reddit facultatem. Conſecuta eſt gratiarum actio, gratulatio amicorum ingens, omnium lætitia, quam auxit ſeptimo poſt die adueniens Sara cum multis opibus, & copioſa familia: ita vt ſeptem diebus epularentur.

VERSVS I.	PARAPHRASIS.
Cumque reuerterentur peruenerunt ad Charan, quæ eſt in medio itinere contra Niniuen, vndecimo die.	*Verſ.* 1. 2. 3. & 4. Cùm Angelus & Tobias cum omni familia lento gradu ad partem itineris dimidiam peruenisſet, nempe in Charam ciuitatem, vbi aliquando moratus eſt Abraham, & in Geneſi Haran, vocari ſolitam, Angelus ad diuinum imperium, de patentis conſolatione, laborabat, ideoque admonet adoleſcentem ſuæ commiſſum fidei, vt gradum, quem alligatus tot impedimentis, tardius moliebatur, acceleret, præcedatque familiam, quæ ſubſequi feſtinantes non poterat. Et ne aliquid ſupereſſet incommodi, quod tardaret, aut minueret nuptiale gaudium; iubet vt ſecum fel illud aſſumat, quod ex piſce detraxerat, cuius ad reſtituendam oculorum aciem, magnum erat, præſenſque remedium.
Verſ. 2. *Dixitque Angelus: Tobia frater, ſcis quemadmodum reliquiſti patrem tuum.*	
Verſ. 3. *Si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu ſequantur iter noſtrum familiæ, ſimul cum coniuge tua, & cum animalibus.*	
Verſ. 4. *Cumque hoc placuiſſet, vt irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piſcis: erit enim neceſſarium. Tulit itaque ex felle illo, & abierunt.*	

SECTIO PRIMA.

Rectè aliquando Superiorem ab inferiori cum modestia doceri.

ANGELVS, qui existimabatur mercenarius Tobiæ, eundem blandè & modestè monet patris habere rationē: *Tobia*, inquit, *frater scis quemadmodum reliquisti patrem tuum. Si placet itaque tibi, præcedamus* &c. docens hac ratione, parentes citiùs ab angore & sollicitudine filij, liberandos; quod Tobiæ in mentem non venerat, cùm pecudum, & ancillarum greges afferrent impedimenti plurimùm, licet ipse aliàs de parentibus maximè fuisset sollicitus, neque vlla ratione à socero amplius detineri potuerit. Perbellè ad propositum nostrum lib. 1. Officior. Ambrosius: *Quantumlibet* inquit, *quisq; proficeris, nemo est qui doceri non egeat, dum viuit.*

Nemo non indiget doctore.

2. Ad loid quandoque rectè fieri ab inferiori, si cum modestia, & respectu, non tàm per modum correptionis, quàm obsecrationis, fiat, vti hic suis verbis Angelus, habitus pro mercenario, satis insinuat: quod & palam est, in præstantissimis viris, qui ab inferioribus aliquando edocti sunt. Sic Moyses à socero suo Ietro docetur alios assumere iudices, qui in rebus inferioribus populi causas diiudicent, ne stulto labore se consumat Exodi 18. Appositè Chrysostomus hom. de ferendis reprehension. & conuers. Pauli: *Si discere vis, quod etiamsi acrimoniâ ingenij antecellat alios, sitq; valde perfectus, peruenerisq; ad summum ipsum virtutis fastigium, opus tibi sit consiliario, & aliquo qui te corrigat, & arguat, Audi historiam veterem. Neque enim Moysi facilè par fuerit, qui vt Scriptura inquit omnium hominum erat mitissimus, amicusq; Deo, & in externa philosophia benè institutus, & non minus spiritualium intelligentia insignis. Vides omnig-nam eius eruditionem? Erat autem potens in verbo & opere, aliisq; virtutibus. Cuius & aliud habet testimonium. Multis Prophetis, inquit familiaris fuit Deus, sed nulli sicut Moysi. Nam alijs quidem per anigmata & somnia, Moysi verò facie ad faciem. Quæris ne aliud maius virtutis illius argumentum, quàm quòd omnium dominus seruo vt amico, loquitur? Erat itaque sapiens, tam domestica quā peregrina eruditione; erat potens verbo & opere. Imperabat creaturæ, quia amicus erat domini creaturæ. Eduxit tantum populum ex Ægypto, mare diuisit, & iterum coniunxit, miraculum sanè admirabile, Tunc enim primum sol vidit mare, non nauali, sed pedestri itinere transiri, pelagusque non remis & nauibus, sed equorum pedibus transmitti. Nihilominus sapiens ille, qui tam potens in verbo & opere, aliisq; virtutibus, qui amicus Dei, qui creaturæ imperauit, qui tanta miracula operatus est, non animaduertit rem, quam mortalium plerique facilè considerant. Socer autem eius, homo barbarus & obscurus, statim animaduertit, & in medium attulit, quam ille non temerè cogitauit.*

Moyses docetur ab indocto socero.

3. Quid dico? Rex Samuel, ad diuinum imperium, edocuit summum Sacerdotem & Iudicem Heli, quod filios suos non satis corripuisset; quin etiam Deum in ipsius familiā durum supplicium decreuisse, 1. Reg. 3. Nathan docuit Regem Dauid, quantum mali commeruisset de adulterio perpetrato & homicidio, in quibus respectiuè nomen mensibus & tex mensibus absque singultu cordis deluerat. Inductâ enim parabolâ hominis opulenti, qui vt suis parceret, vnam pauperculi cuiusdam ouem occidit, vt peregrino cuidam conuiuium instrueret, Dauidi peccatum proprium, expressit in alieno, fecitque vt in eo, quem reum capitis iudicarat, ignarus artificij, seipsum condemnaret: *Iratus autem indignatione Dauid*, inquit textus, *aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc: Ouem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, & non pepercerit. Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir*; ouis verò, quam homo ille barbarus, & rusticus de sinu abstulit, fuit Bethsabeæ, quam de sinu. id est, de legitimo Uriæ thalamo abduxit Dauid. Quam Urias emerat nuptiali more, sicut Dauid ipse cum sui capitis periculo centum Philistinorum præputijs emit Saulis filiam: & Jacob septem annis duræ seruitutis emit sponsam Rachel. Neque fortasse paruo stetit Uriæ Bethsabee coniugium propter eximiam illam venustatem, qua primum oculos, deinde animum cepit Dauidis. Postquam igitur in adumbratum illum virum, hostilem spiritum imbiberat Dauid, & seuerum mortis iudicium fulminarat, accommodat inductam parabolam Nathan, & Regem ipsum, artificij nescium, ad veritatis cognitionē, fœditatemque criminis agnoscendam, & in seipso puniendam pertraxit. 2. Reg. 12.

Dauid Prophetam ab homine Sacerdote Nathan ad pœnitentiam permouetur.

4. Rursus idem Dauid, non semel à mulieribus instruitur. Abigail 1. Reg. 25. cùm Rex iurasset in mortem Nabalis, eius coniugis, omniumque domesticorum, quod noluisset eius necessitati subuenire; cum muneribus illi obuiam progreditur, ad pedes eius aduoluitur

Abigail muliercula Dauidem oratione sua ad clementiam permouit.

uitur: *Loquatur, obsecro*, inquit, *ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ.* Excusat se à dura mariti & inciuili tractatione. Deinde docet quid inimicis ipsius futurum sit, si parcat; denique illum instruit, quousque potestas ipsius Regis sese extendat: *Cùm*, inquit, *fecerit Dominus tibi Domino meo omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, & scrupulum cordis domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fuerit: & cùm benefecerit Dominus Domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* Quasi diceret: Moneo te, ô rex, ne aliquid nunc, dum tuo nimium obsequeris furori, infigas animo, quòd in æternum cruciet, & incessanter ploret. Nabal licet ingratus fuerit, & iniquus, intemperantis & maledicæ linguæ; nihil tamen admisit, cur capitali pœna, neque à potestate publica mulctari debuerit. Neque enim alienum rapuit, sed suum homini supplici negauit in quo licet reprehendi possit inclementia, & sermonis inurbani libertas; non tamen ea fuit vtriusque grauitas, vt cum tam seuero supplicio comparata, Nabalis sanguis iudicari non posset innoxius. Et quod maximè considerare debes ô rex, non potes iustè, atque legitimè tuas iniurias persequi absque singultu & scrupulo cordis. Considerare etiam debes, te quidem vnctum à Samuele Regem, & aliquando futurum, sed necdum à populo esse admissum. Deinde etiamsi publica tibi esset potestas, esse iniquum, vno peccante, omnium quæ ad familiam illã pertinebãt, interitum moliri; cùm pœna vltra delinquentem & complices non debeat, nec possit extendi. Ad quam grauem & attemperatam orationem resipuit Dauid, & recepit se ab eo furore, quem ante conceperat: & gratias agit primùm Deo, qui hanc mentem dedit Abigail, vt se offerret obuiam, & æstuantem animum ardore vindictæ, quasi gelida irrorata, restingueret. Respondit enim ipse Abigail: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum. Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne venirem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.*

2. Reg. 14. *Mulier Thecuitis simulatâ historiâ Dauidem commodat filio Absaloni.*

Mulier quædam sapiens volens conciliare Absalonem cum patre simulatâ historiâ, seu inductâ parabolâ, ab illo obtinet, vt reuocatum fratricidam, filium in gratiam admitteret, saluo, quòd ad biennium in parentis conspectum venire non liceat. Lugubri enim veste ingreditur ad Regem; & quasi duos filios haberet, quorum post rixas in agro alter alterum interfeciisset; & superstes ab vniuersa cognatione quæreretur ad mortem, agit causam Absalonis. Cumque sponderet rex pro filio suo, quem timebat interficiendum, alio argumento vtitur, quo placet animum Regis aduersus Absalonem iratum nimis. *Omnes morimur*, inquit, *& quasi aqua dilabimur in terram*; non solum securitatem extorquere studuit à Rege iuramento confirmatam, quo non ab vno aut altero è cognatorum stirpe, sed ab omnibus prorsus, filij sui salutem, & vitam seruatam esse, & iubeat, & curet; sed etiam argumento mortis ineuitabilis, Regem prorsus placare nititur, Cur, inquit, tanta contentione persequeris adolescentem, cùm satis illum naturæ persequatur infirmitas, & moriendi necessitas: Vt enim aqua in decliui loco semper labitur, donec se marinis fluctibus infundat; sic etiam ad mortem properat, & cum morte conuiuit, aut etiam commoritur vita mortalium. Aut rursum: quid tantopere indignaris, quodcumque vindictæ studium, aut modum adhibueris, nullus Amnoni iam mortuo futurus est salutaris; cùm ad vitam vlla humana solertia, aut contentione reuocari non queat. Vtrumque insinuat illis verbis: *Quasi aquæ dilabimur in terram, quæ numquã reuertuntur.* Prior pars concernit Absalonem; posterior Amnonem iam mortuum. Post quæ verba aperit Thecuana mulier, se illa similitudine, seu parabolâ intendere à Rege, vt ignoscat fratricidæ filio, liberetque à metu, & redire sinat in Hierusalem. Quod sub prædicta conditione tandem obtinet.

1. Reg. 5. *Ancillula quædam docuit Naamã modum liberandi à lepra.*

Ancillula quædam, puella paruula Israelitis, *quæ erat in obsequio Naamani*, 4. Reg. 5. ait ad Dominam suam: *Vtinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria: profectò curasset eum à lepra, quam habet.* quod etiam marito suo vxor communicauit, vt colligitur ex sacro textu, adeoque docuit paruula illa præfata Naamanum, mediante vxore, qua ratione à lepra quâ infectus erat, curari posset, nempe adeundo Elisæum Prophetam; à quo ad Iordanem ea de causa mittitur, & iubetur septies in eo abluere. Quod curationis genus cùm ægrè ferret Naaman, qui ex oratione Prophetæ, mollique tactu salutem speraret è cælo; & indignans recederet, suorũ exhortatione cogitur dictis parêre propheticis, & septies in flumine baptizari: *Cùm ergo*, inquit S. pagina, *vertisset se, & abiret indignans, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis?* Quid inde secutum? *Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. Reuersusq; ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Vere scio, quod non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel.* Hæc, inquam ancillula, captiua abiecta, Naamum non solum à lepra, sed & ab infidelitate, suo consilio liberauit, vide 4. Reg.

5.

Vis alia non minus tuta. Floruit olim in na-

naſcentis Eccleſiæ principijs Apollo, cuius laudes, tam in vita, quàm in doctrina celeberrimæ, in Actis Apoſtolorum deſcribuntur. Dicitur enim *vir eloquens, & potens in Scripturis.* Et ſtatim additur: *Hic erat edoctus viam Domini; & feruens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt* IESV, Act. 18. v. 24. & 25. Quid ad vitæ, doctrinæque commendationem illuſtrius, & glorioſius dici poterat? Et nihilominus tantus vir libens ſe tradidit in diſciplinam vnius vulgaris, non ſolum hominis, ſed etiam fœminæ: nempe Priſcillæ, & Aquilæ, vt ab vtroque coniuge, quæ circa Religionẽ Chriſtianam ignorabat, plenius edoceretur. Sequitur enim: *Quem cùm audiſſent Priſcilla, & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt viam Domini.* Hic videtur baptiſmo Ioannis fuiſſe baptizatus, in eoque audiſſe IESVM eſſe Chriſtum: &, vt erat vir doctus, de Chriſto venturo cum feruore prædicaſſe. Quod audientes Priſcilla & Aquila aſſumpſerunt eum in domum ſuam, pleniùs in Chriſtiana fide erudiendum, & inſtitutum Chriſtianiſſimi à Deo ſancitum, diligentius ei expoſuerunt, vt ſuum feruorem, vtilius, rei Chriſtianæ impenderet. Magna ſanè humilitas viri eloquentis & potentis in ſcripturis, quod erudiri ſe ſinat à Priſcilla & Aquila, cùm ſcientia ordinariè inflet, Apoſtolo teſte & experientiâ.

Ioannes Euangeliſta à fœmina didicit.

Ex hac cauſa quoque mundo admirabilis eſt ſanctus Ioannes. Quis illo ſapientior, qui Chriſti Domino lateri incumbens, diuinæ Theologiæ fontes eporauit? & tamen myſteria Reſurrectionis ab vna fœmina didicit, & ingenuo pudore confeſſus eſt, per quam profeceiit, dicens: *Et hæc dixit mihi*, Ioan. 10. Notat hoc D. Chryſoſtomus hom. 84. in Ioannem, eloquens de Magdalena: *Omnia*, inquit, *diſcipulis nuntiat. Euangeliſta autem tanta laude mulierem non fraudauit; neque ſibi dedecori arbitratus eſt, vt ab ea, noctu profecta, primùm hæc intelligeret.*

6. Nos verò miſelli hoc nœuo laboramus; vt à nullo inferiore doceri velimus: Iſténe me docebit? illéne homo imperitus ſapientiam habet, vt me inſtruat? Abeat in malam crucem. Doceant me illi, quorum hoc munus eſt: ab inferiori ne verbum admittam. Audi, mi Chriſtiane, quid in hanc rem Chryſoſtomus olim aduerterit: *Non rarò*, inquit, *multi exaſperantur, & intra ſemetipſos cogitant, & dicunt: Sapiens ego, & tanta à proditum intelligentia, hunc ferrẽ?* Et immediate poſt: *Ignorant autem, quod hoc extremæ dementiæ ſit indicium. Videbam enim*, inquit, *hominem, qui ſibi videbatur ſapiens, & maiorem illo ſpem habet inſipiens. Ea propter & Paulus dicit: Neſcitis prudentes quod veſmetipſos. Nam licet tuum in modum ſapiens ſis, & perſpicias ea quæ oportet, attamen homo es, & conſiliario tibi opus eſt, Solius enim Dei eſt nullius indigere, & nullo opũ habere conſiliario. Et propterea de eo ſolo dicitur: Quis cognouit ſenſum Domini, vel quis eius conſiliarius fuit? Cæterùm homines nos, etiamſi plurimùm ſapientes ſimus, in multis tamen reprehendi meremur, atque hinc natura noſtræ apparet infirmitas.* Iſa. 40.

Extrema dementia, eſt non velle doceri ab inferiore.

Rom. 12.

Moyſes cum omni manſuetudine audiuit ſocrum conſulentem ſibi: *Fac tibi tribunos, centenarios, quinquagenarios, decanos, & ſi res aliqua grauior fuerit, deferant ad te; ſin leuior, diiudicent ipſi.* Hæc vt audiuit, non erubuit, non eſt confuſus, non eſt reueritus ſubditos, non dixit intra ſemetipſum: Contemnent me ſubditi, ſi ab alijs quid faciendum ſit didicero: ſed obtemperauit, & fecit iuxta conſilium eius. De qua re latiùs Sectione ſeqq.

Moyſes obtemperans conſilio ſoceri iuſſit ſubditi. Exod. 18.

SECTIO SECVNDA.

Quemuis monitorem, iuſtè corripientem libenter eſſe audiendum.

1. *Tobias obtemperando monitioni Angeli, docet veram conſiderem eſſe audiendum, quamuis ſubditus ſit.*

TOBIAS iunior, cùm admoneretur ab Angelo, quem mercenarium putabat, patris habere rationem (quem varijs infortunijs afflictum domi reliquerat) adeoque celeriori gradu præcedere, quàm ad dimidium itineris vſque perrexerat, relicta familia cum coniuge, & animalibus lentiori greſſu ſubſequi; nihil contradixit, quamuis verba mercenarij cum modeſtia prolata, etiam aerem continerent correptionem, quòd nunc ob coniugem & opulentam familiam, parum ſollicitus eſſet de parente, cui multum obſequij & conſolationis quàm citiſſimè deberet impendere; quandoquidem ab illo intellexiſſet fel valere ad vngendos oculos: Nihil, inquam, contradixit, ſed eius ſententiam ſecutus aſſumit fel, quod ex piſce detraxerat, & expeditus iter, cum mercenario, quàm celerrimè pergit. Docens ſuo exemplo, veracem monitorem libenter audiendum, & ſequendum eſſe. Vtiliter Chryſoſtomus hom. de ſeiend. reprehenſion. *Si quid vtile, vel commodum conſulat aliquis, eſto, minſter ſis, tu tamen admonitionem ſuſcipias.*

2. *Moyſis in audiendo ſocero humilitas.* Exod. 18.

In hac re emicuit ſingulariter Moyſes, qui ſe à vili perſona paſſus eſt argui, videlicet à Ietro, qui eum palam & coram omnibus de ſtultitia reprehendit: *Non bonam*, inquit, *rem facis, ſtulto labore conſumeris*, quamdiu videlicet, cauſas omnes, in populo, ſolus, iudicare volueris; cuius correptionem ipſe quantumuis ad ſublimem ſtatum euectus à Deo benignè tulit. Iniquè non ferebat ſe principem à priuato, argui, ſe ſapientem, à barbaro doceri. *Erat enim Ietro*, inquit Chryſoſtomus loc. cit. *homo aliqui barbarus & inſipiens, quia in ſolitudi-*

ni vi-

ne vitam egerat, neque vlli communicarat, qui populos legibus rexerat; & ad hæc impius erat; quo non eſt certum inſipientiæ argumentum: nihil enim Gentilibus eſt inſipientius. Non indignè tulit, ſe iuſtum, ab impio, damnari; ſe miraculorum operatorem à cultore idolorum reprehendi etiam in præſentia populi. Vnde ibid Chryſoſtomus: *Neque rubore ſuffundebatur, quòd tot præſentibus, ipſe à ſubdito, corrigeretur. Sed conſiderabat, quòd licet magna à ſe ſigna fierent; humana tamen particeps eſſet naturæ, quam non rarò multa latent; atque ideo cum manſuetudine conſilium ſuſcipit.* Adhæc non ſolùm paſſus fuit ſe publicè reprehendi; ſed etiam ſuam ipſe reprehenſionem omnium poſterorum memoriæ cõmendauit, literis eam conſignando apud omnes, perpetuò duraturis: *Moyſes*, inquit, *tanquam honeſtatum hac ſoceri admonitione, non illos ſolum, qui tunc erant homines, ſed etiam eos, qui vſque ad noſtram ætatem ſequuti ſunt, & vſque ad Chriſti aduentum erunt, per totum orbem factum hoc literis docuit: & quod non potuerit animaduertere, quid facto opus fuerit; & quod conſilium & correctionem à ſocero acceperit.* Illud autem præclariùs & mirabilius, quod reprehenſorem honorauerit. Nam ad Hobab, quem eundem eſſe cum Iethro ſentiunt multi: *Veni*, inquit, *nobiſcum, vt benefaciamus tibi*, Numer. 10. v. 29. Illo autem renuente, iterum inſtitit: *Noli, inquit, nos relinquere, etc. & eris ductor noſter. Cumq; nobiſcum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus eſt Dominus, dabimus tibi.* Ibid. Vbi non ſolum preces adhibuit, vt veniret; ſed etiam, vt eum exoraret, promiſit opes & honores, & illam denique felicitatem, quam in terra Promiſſionis ſperabat.

Moyſes ſuã reprehenſionem non poſteritati ſcripſit tantũ ſuam.

Moyſes reprehenſorem ſuum honorauit.

Non minus illuſtre fuit in hac re Dauidis exemplum. Nam, cum eum Propheta Nathan acri obiurgatione pulſaret, dicens: *Quare ergo contempſiſti verbum Domini, vt faceres malum in conſpectu meo.* etc. 2. Reg 12. Dauid ſuam, impatiens obiurgationem non abiecit; ſed pœnitens auſcultauit, dicens: *Peccaui Domino.* Ibid. Qua de re D. Ambroſius in Apol. 1. de Dauid cap. 2. *Ille Rex*, inquit, *tantus & potens, ne exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam; ſed præmatura confeſſione, atque immenſo dolore, reddidit peccatum ſuum Domino.* Et immediatè poſt, ad propoſitum noſtrum, admirans, interrogat. *Quem nobis nunc facile reperias honoratum ac diuitem; qui, ſi arguatur alicuius culpa rei, non moleſtè ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cùm à priuato homine corriperetur, quod grauiter deliquiſſet, non indignatus infremuit, ſed confeſſus ingemuit.* Nec ſolùm reprehenſionem benevolis auribus excepit; ſed etiam ipſum reprehenſorem omnibus benevolentiæ ſtudijs decorauit: vt teſtatur D. Epiphanius lib. de Prophetarum vita & interitu in Nathan: *Honorabat*, inquit, *Dauid, & venerabatur hominem, tanquam Numen, aut ſanctum Dei.* Argumento, quod filium, quem vnicè diligebat, Salomonem, in eius tradiderit pædagogiam: vt ex illis verbis, *Miſit in manu Nathan Prophetæ*, colligitur; quo nullum erat in domo regia gloriosius munus.

3. *Dauid ſuã reprehenſorem patienter & libenter audiuit, & pædagogi munere nobi fungi.*

Heli, cùm remiſſius, quàm par erat filios admonuiſſet, & ea de cauſa audiret à Samuele, omnia, quæ Dominus in illum decreuerat, ſupplicia, tantum abſt, quod indigne ferret, talia à puero Samuele, illi, abſque vllius verbi ſuppreſſione, intimari, vt potius laude dignã emiſerit vocem: *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* Quæ verba enucleans Chryſoſtomus lib. 3. aduerſus vituper. vit. Monaſ. *Cùm*, inquit, *iſta omnia audiſſet, ſeq; ad ſupremum cruciatum peruenisſe conſpiceret, non acerbè, non grauiter, non indignanter tulit. Non dixit: Quidnam iſtud eſt? vt feciſſent plurimi? Num ego dominus ſum aliorum voluntatis? Peccatorum meorum pœnas perſoluere habeo. Filij ætatem habent, ipſique ſolis mererentur cruciari. Nihil omnino horum dixit; ne cogitauit quidem. Cæterùm vt ſeruus fidelis, & grauis, & qui vnum tantum obſeruandum nouit; vt quæcunque Dominus ſuus ei intulerit, æquanimiter & faciliter ferat, quantumlibet illa triſtia & acerba ſint; illa plenißima Philoſophiæ verba edidit: Dominus eſt, quod gratum eſt in conſpectu ſuo, faciat.*

4. *Heli Samuelem corripiens tam æquo animo tulit.*

In nouo Teſtamento præclarum habemus exemplum quod nobis exhibuit Apoſtolus Petrus, quem D. Paulus minimus Apoſtolorum (vti ſeipſum vocat) aliquando aciriter reprehendit, iuxta illud Galat. 2. *in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Et rurſus ibid. *Dixi Cephæ coram omnibus; ſi tu, cùm Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare?* Petrus tantum venialiter peccauerat; erat enim in gratia confirmatus. Putabat enim bona fide ſe Iudæorum, quorum præcipuè hactenus fuerat Doctor & Apoſtolus, offenſionem cauere debere, potius quã Gentium, & Gentes idipſum ſcire, aut facilè cogitare poſſe. Vnde quaſdam Iudæorum cærimonias adhuc obſeruabat, cùm necdum eſſent mortiferæ, licet mortuæ, vt facilius Iudæorum animos ad Chriſti fidem alliceret. Errabat tamen in ſua opinione, quia Gentibus dabat occaſionem ſuſpicandi Iudaiſmũ eſſe neceſſarium ad ſalutẽ. Portò ea de cauſa reprehẽſus à Paulo, nihil contradixit: Ex quo ſingularis Petri humilitas colligitur; qui tam leuem ob delectum tam grauẽ reprehenſionem patienter tolerauit. Vnde D. Cyprianus epiſt. ad Quintum, de Hæreticis baptizandis: *Nec Petrus*, inquit, *quem proximum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam; cùm ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret;*

5. *D. Petrus ob culpam leuiſſimam, ſed venialem, grauiter reprehenſus à Paulo, humiliter tulit.*

ſceptaret; vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arrogantèr aſſumpſit; vt diceret, ſe primatum tenere; & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſia prius perſequutor fuiſſet; ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quâ Paulus vindicabat, conſenſit: documentum nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus; ſed quæ aliquando à fratribus & collegis noſtris viriliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra ducamus.

6. *D. Petrus multis nominibus maior D. Paulo, eius tamen reprehenſionem non ægrè tulit.*

Ampliat eandem D. Petri humiliratem verbis cedro inſcribi dignis D. Gregor. hom. 18. in Ezechiel. *Ecce*, inquit, *à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat, quòd primus in Apoſtolatum vocatus ſit, non quòd claues regni cæleſtis acceperit, non quòd peccata, quæcunque in terra ſoluerit, eſſent ſoluta & in cælo, non quòd in mari pedibus ambulauit, non quòd paraliticos in* IESV *nomine imbendo erexerat, non quòd ægros ſui corporis vmbrâ ſanauerat, non quòd mentientes verbo occiderat, non quòd mortuos oratione ſuſcitarat. Ne igitur increpationes dedignaretur audire, omnia dona quæ acceperat, quaſi è memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret.* Deinde ad alios argumentum conuertens, ſubijcit: *Quis ergo noſtrum ſi vel extremum aliquod ſignum feciſſet, à minori fratre increpatus, increpationis verba patienter audiret? Nihil enim ſigni fecimus, & ſi quis nos fortaſſe de actione noſtra reprehenderit, ſtatim intumeſcimus, magnos quoſdam nos tacitis cogitamus, virtutes nobis ad animum deducimus, etiam quas non habemus. At contra Petrus cum virtutibus, humilis in reprehenſionibus permanſit. ſed porta ſurrexit in altitudinem.*

7. *Reprehenſorem ſuum & dilexit, & laudauit.*

Sed illud eſt, quod in hac Petri humilitate amplius admirêre; nempe, quòd non modò reprehenſionem libenter audierit, ſed etiam ipſum reprehenſorem diligentiùs dilexerit. Tantum enim abfuit, vt Petrus ex hac reprehenſione Paulo redderetur infenſus; vt eum poſtea incredibiliter commendaret. Nam ſcribens tum ad alios, tum etiam ad eoſdem Galatas: *Satagite*, inquit, *immaculati & inuiolati ei inueniri in pace; & Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini; ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis*, &c. 2. Petr. 3. Vbi chariſſimum fratrem vocat, à quo fuerat reprehẽſus. Veritas enim, quæ alijs odium parit, maiorem Petro charitatem ingerebat. Sapientiam è cælo datam illum habuiſſe confitetur, qui ſuam ignorantiam arguerat: vt eorum arrogantia frænetur, qui ſuam tantùm ſapientiam venditãtes; omnium, qui ſe docere volunt, extremam etiam ſtultitiam arbitrantur. Quare D. Gregorius loc. ſuprà cit. dictum Petri locum egregiè commentatus; *Ecce*, inquit, *Paulus in Epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem: & ecce Petrus in Epiſtolis ſuis aſſerit, Paulũ in his, quæ ſcripſit, admirandum.* Et paulò pòſt: *Penſate ergo, inquit, in quo mentis vertice ſteterit, qui illas Epiſtolas laudauit, in quibus ſcriptam ſe vituperabilem inuenit? Quæ illa manſuetudo tanta eſſe potuit? Quæ quies animi, quæ ſoliditas, atque imperturbatio cogitationis.*

Sic ſe geſſerunt clariſſima illa lumina: 8. *Reprehendantur illi, qui malè agunt, & tamen ab inferiore reprehendi nolunt.*

Nos autem miſelli, & mille correptionibus digni, & perniciem noſtram, nullam ab inferiore correptionem admittimus: *Eſt nunc videre, aliquos*, inquit Chryſoſtomus, *qui ne putentur alieno indigere conſilio, malunt potiùs vitiatæ conſilij carere, quàm ſuſcepta admonitione peccatum emendare: imò eligunt ignorare, quàm diſcere, quãuis ſciant, non eſſe crimen, non ignorare, ſed nolle diſcere: non indoctum eſſe, ſed doctrinam reſpuere: non reprehendi, ſed inemendabiliter peccare. Et ſæpè abiectum quiſpiam & vilem inuenit, quod magnum & ſapiens vir præterit.* Et longè ante: *hoc eſt quod omnem vitam noſtram confundit, hoc eſt quod ordinem omnem ſubuertit: quia neque bonis conſulimus, cùm reprehendimur, neque alios reprehendere volumus. Ideò enim moleſti ſumus cùm arguimur, quia & exaſperamur, cùm arguimur. Enimuerò ſi ſciret frater, quod à te laudaretur te arguens, ipſe etiam eandem vicariam operam tibi impenderet.* Et longè pòſt: *Reprehenſionem bene ferre, non vulgaris, ſed ſummæ philoſophiæ præconium & laus eſt.* Idque Moyſis exemplo confirmat: *Non adeò*, inquit, *laudamus & admiramur bodie Iethro, qui Moyſem correxit, ſicut ſanctum illum, qui non erubuit tot præſentibus corrigi, & factum hoc memoriæ commendare. Declarans in omnibus ſapientiam ſuam, quòd gloriam in tanta eminentia, quæ ſibi à pluribus impenſa fuiſſet, contempſit, & conculcauit.*

9. *Salus noſtra in correptionis admiſſione poſita eſt.*

Addo ſalutem noſtram in admiſſione correptionis eſſe poſitam. Planiſſimè id docuit Baſilius reg. 158. *Sicut*, inquit, *infirmus anxius de ſalute corporis, libenter ſuſcipit quidquid ordinat medicus, licet acerba ſit, & aſpera curationis ratio; ſic humilis, & qui verè ſalutem animæ deſiderat prompte & hilariter ſuſcipit correptionem, quantumuis mordacem & acrem.*

Correptionem contemnens ruinæ proximus.

E contra accidit ei, qui pium monitorem ſpernit. Hinc Hebræus ſapiens Prouerb. 29. inquit, *Viro, qui correptionem durâ ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus.* Nam ſicut infirmus reſpuens Medici ſalutaria remedia exitio proximus eſt: ita & ille, qui neceſſariam correptionem videt & corripiẽtem odit. Sapiens planiſſimè de eo pronũtiat, *Qui increpationes odit, morietur*, Prou. 15. quaſi dicat. Qui eò deuenit nequitiæ, vt increpationes & hortamenta iuſtè corripientium odio habeat, is miſerrimè interibit. Plutarchus in Moralib. optimè diſtinguit tria hominum genera. Primum eorum, qui præceptores ſuos adeunt, vt ab his corripiantur. Secundum eorum, qui non quærunt quidem eos, qui

qui monent, & corripiunt, tamen cum fortè inciderint, eorum obiurgationes non ægrè ferunt: Tertium denique illorum, qui nec querũt, nec ſuſtinent. Addam eius verba: *Qui*, inquit, *dentibus laborant, medicum ipſi adeunt, malum exponunt; qui febre tenentur, accerſunt. At phreneticum non accerſit, nec admittit ad ſui morbi vehementiam. Ita qui vitia ſua celant & admonitiones recuſant, de his nulla ſalutis ſpes eſt.* Sanè Prophera Amos cap. 5. graue exitium prædicit Samariæ ob peccata ſua, inter alia vel præcipuum videtur, quod oderint Samaritæ pium monitorem. Nam verſu 10. inquit: *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt.* quaſi dicat. Non immeritò Deus eos delebit, eorumque ciuitates vaſtabit; quia non ſolum ſubſannarũt, ſed etiam habuerunt odio tam Prophetas, quàm alios, qui ſuo iure, & rectè atque legitimè ipſorum mores corripiebant in porta, vbi frequentes de more populi conuentus. Idem Sapiens loc. cit. non ſolùm miſerè moriturum dicit odientem increpationes, ſed peſtilentem vocat: *Non amat*, inquit, *peſtilens eum, qui ſe corripit: nec ad ſapientes graditur.* Quaſi dicat: Ille qui vitiorum contagio alios inficit, peſtilens eſt, oditque valde eos, qui eum increpant; & coarguunt; quin etiam fugit ſapientum conſortium, ne ipſius labem, ac peſtem detegãt, & in apertum deducant. Alios inuenies qui nugis & facetiis irrident correptorem. Vnum eiuſmodi nugacis addam exemplum. Tempore D. Bernardi Guilielmus Aquitaniæ Dux, vir diues & potens, in omni ſordium genere volutabat, cùm malè faceret, gloriabatur: adhæc malè facta condiebat ſale nugarum & facetiarum. Illum Petrus Pictauorum Epiſcopus liberrimè reprehendit, & officium facere detrectantem à piorum ſeclusit ſocietate. Ille verò ſtringens gladium, & capillos præſulis apprehendens: Jam, inquit, morieris ſenecio, niſi Eccleſiæ me reſtitueris. Præſul ſibi præſentiſſimus, & planè impauidus: Sine, inquit, loquar. Conceſſo dicendi ſpatio, dirum in eum compoſitum carmen abſoluit, & inferorum pœnis deuouit. deinde porrecto iugulo: Feri iam, inquit, feri. At Guilielmus pro more tam ſeria ludificans: Adeò, inquit, te odi, vt nec te meo dignet odio; nec vnquam cælum ingredieris, hac meâ manu adiutus. Suaſu autem pellicis ſuæ exilio damnauit ſanctiſſimum monitorem. Idem tandem ſchiſmaticus effectus, & ſchiſmaticorum fautor, ab Epiſcopo Carnotenſi, & Abbate Claræ vallenſi monetur Eccleſiam vnam eſſe multis modis & rationibus, & quidquid extra eam eſt, quaſi extra arcam iudicio Dei neceſſe eſſe interire & dilui. Exempla quoque adducuntur Dathan & Abiron, quos reatu ſchiſmatis terra viuos abſor-

Inſignis hiſtoria.

buit: nec tanto malo vindictam Dei defuiſſe monſtrabatur. Scopus erat corripientium, vt ſeſe Eccleſiæ, eiuſque ſummo Pontifici reconciliaret, Epiſcopos, quos de ſedibus ſuis expulerat, reſtitueret. Priori conſenſit, & dedit manum; ad poſteriùs verò reſpondit, ſe nulla ratione induci poſſe ad reſtitutionem Epiſcoporum, quia implacabiliter eum offenderant; tum etiam, quia iurauerat ſe eorum pacem nullo tempore ſuſcepturum. Diu per internuntios protractus eſt ſermo, ſed D. Bernardus, dum verbis fruſtrà contendunt, efficaciora arma ſuſcipit. Procedit ad altare, & conſecratâ hoſtiâ, poſtquam dixerat, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, &c. hominem aggreditur, & efficaciter monet. Quâ monitionem deſcribit Guilielmus Abbas in vita S. Bernardi lib. 2. capit. 6. quam eius verbis Lectori communico: *Dum viciſſim verbis ſe mutuò occupant, vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare ſanctum oblaturus, & ſupplicaturus accedit. Intrauerant Eccleſiam quibus licebat diuinis myſteriis, comes ſuſtinebat proſoribus. Peractis igitur conſecrationibus, & pace datâ, & diffuſâ in populum; homo Dei iam non ſe agens vt hominem, corpus Domini ſuper patenam ponit, & ſecum tollit atque igneâ facie & flammeis oculis, non ſupplicans, ſed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur ducem. Rogauimus te, inquit, & ſprenisti nos. Supplicauit tibi in altero, quem iam tecum habuimus, conuentu, ſeruorum Dei ante te adunata multitudo, & contempſiſti. Ecce ad te proceſſit filius virginis, qui eſt caput & dominus Eccleſiæ, quem tu perſequeris. Adeſt iudex tuus, in cuius nomine omne genu curuatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum Adeſt iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet. Nunquid & ipſum ſpernes? Nunquid & ipſum ſicut ceteros eius contemnes? Lachrymabantur vniuerſi qui aderant, & orationibus intenti præſtolabantur exitum rei: & omnium ſuſpenſa expectatio, neſcio quid diuinum fieri celitus expectabat.* Et immedaitè poſt idem Author ſubiungit horribilem ſucceſſum: *Videns*, inquit, *Comes Abbatem in ſpiritu vehementi procedentem, & ſacratiſſimum Domini corpus ferentem in manibus, expauit, & diriguit, membriſq; tremebundis metu, & diſſolutis, quaſi amens ſolo prouoluitur. Eleuatus à militibus rurſum in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, ſaliuis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus epilepticus videbatur.* Inſtat vlterius S. Bernardus, & ſeriò & ſeuerè illi proponit difficultatem: *Tum vir Dei*, inquit idem Author, *ad eum propius accedit, & pede pulſatum ei clinem ſurgere iubet, & ſtare ſupra pedes, & Dei audire ſententiam. Præſens eſt, inquit, Pictauenſis Epiſcopus, quem ab Eccleſia ſua expuliſti: vade & reconciliare ei, & in oſculo ſancto, pacis cum eo iungito fœdera, & ipſe ad ſedem ſuam eum reducito: & ſatisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, &*

in vniuerſo principatu tuo diuiſos & diſcordes ad charitatis reuoca vnitatem. Subdere Innocētio Papæ, & ſicut ei vniuerſa obedit Eccleſia, ita quoque electo à Deo tanto pare Pontifici. Attende nunc, quantum mutatus fuerit ab illo ſchiſmaticus ille Dux; ſequitur: *Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus ſancti, & ſanctorum ſacramentorum præſentiâ victus, nec audebat reſpondere, nec poterat: ſed ſtatim occurrit, & in pacis oſculo recepit Epiſcopum: & eadem qua eum abiurauerat manu, cum totius exultatione ciuitatis ad propriã ſedem reduxit. Sed & dominus Abbas cum comite iam familiarius & ſuauius loquens, paterne eum monuit ne ad tam impios, & tam temerarios auſus vltra exurgeret, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitijs, ne pacem factam in aliquo violaret.* Non ſatis fuit Duci huic Aquitaniæ Guilielmo ad ſaniorem redijſſe mentem, caput Eccleſiæ, Pontificem agnouiſſe, &c. ſed grauia à ſemetipſo ſupplicia exegit vitæ licentiùs actæ. Lachrymis, cachinnos, nugas & facetias eluit, ſummis rigoribus corpus domuit, torâ vitâ reliquâ loricam nudo corpori appreſſam geſſit, acerrimus ipſe vindex priorum noxarum. Altiùs enim menti impreſſerat quantis ſuppliciis & pœnis Deus oſores & perſecutores correptorum plecteret.

10. Quare optimè Galenus in libro, quem ſcripſit de cognoſcendis curandiſque animi morbis, docet, ſicut vnica ægroti ſpes recuperandæ ſalutis ſita eſt in Medico, ita totam animi ſalutis ſpem cõſiſtere in eo, ſiquis quærat, & inueniat virum virtute & prudentia præditum, illique ſe totum inſtruendum, & corrigendum, ac formandum tradat, illique credat, non ſibi, etiamſi defectus, quos ipſe notat, in ſe non videat. Nota, quod dicat, ſpem ſalutis conſiſtere non ſolùm, quòd quis quærat, ſed etiam ſi quis inueniat virum & virtute, & prudentiâ præditum, illique credat; nec rationem habẽdam eſſe perſonarum: *Nam nonnunquam euenit*, teſte Chryſoſtomo loc. cit. *vt ſapiens non videat, quod oportet, & minor & habetior clarè & accutè illud perſpiciat. Hinc eſt, quare neque ſapiens extolli, neque abiectior miſerum ſe dicere debeat.*

Corripientis perſona non eſt habenda vana.

SECTIO III.

Cur ſtatim acquieuerint verbis Angeli Tobias & Sara; & quare vxorem cum ſuis, Angelus, ad locum deſtinatum non tranſtulerit?

1. *Non fuiſſe inurbanum, hoc Tobiæ factum.*

MIRVM videbitur, cur nouam cõiugem, pulchram & opulentam ſic poſt ſe ad verbum mercenarij reliquerit Tobias iunior, imò inurbanum, eam ſic deſerere in medio itineris, relictis dumtaxat circa illam ſeruis, & ancillis. Adhæc paradoxum eſt, vxorem ne aſpero quidem verbo taxaſſe inciuilitatẽ mariti, quemadmodum nunc paſſim ſolent aut ſaltẽ per lachrymas non demonſtraſſe, quantum ſibi diſpliceret mariti accelerario, vti mulieres aſſueuerunt, quando decoquere non poſſunt ſibi diſplicentia. Si ad humanũ modum, regulaſque communes hoc negotium trutinemus, ita planè eſt: ſed exiſtimo hic aliquid diuinum interceſſiſſe, videlicet Tobiam & Saram diuinitus fuiſſe illuminatos & inſtructos, eam eſſe Dei voluntatem.

2. *Deus præuenit D. Petrum, ne reuocaret Cornelium inſtruere, quòd ciuilis eſſet.*

Solet enim Deus mirabiliter aliquando præuenire nos in rebus à ſe deſtinatis. Actor. 10. erat vir nomine Cornelius Centurio cohortis Italicæ, *religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper.* Hic vidit *Angelum Dei introeuntem ad ſe*, qui illi dixit: *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei: & nunc mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus, &c. hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Hic Cornelius à Iudæis, quibuſcum Cæſareæ verſabatur, didicerat & hauſerat fidem explicitam vnius Dei, & implicitam Chriſti Mediatoris, colebatque verum Deum, ſicut & Iob, eiuſque amici: Opus autem erat illi poſt factam promulgationem nouæ legis diſcere explicitam fidem in Chriſtum omniumque eius myſteriorum. Per bona autem opera meruit de ijs ſufficienter inſtrui: Vnde Angelus declarat orationem, & eleemoſynas eius, Deo fuiſſe gratas, ideoque ſe miſſum, vt iubeat accerſere Petrum qui explicitè eum doceat illa, quæ de Chriſto ſcire & credere neceſſarium erat. Paruit ille Angelo, & miſit viros in Ioppen, qui accerſerent Petrum. Et quia Cornelius Gentilis erat, & Petrus fortè difficultatem feciſſet, quaſi ſalus ad ſolos Iudæos pertineret; durâ viſione inſtruxit illum Deus, antequam viri appropinquarent. *Vidit*, enim *cælum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de cælo in terram; in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca*; qua ei ſignificabatur arcanum myſterium in cælis, & Dei prædeſtinatione reconditum, de Gentium vocatione ad Chriſtum, iam toti mundo referandum & pate faciendum eſſe. Per animalia enim intelliguntur Gẽtiles, per linteum Eccleſia, per occiſionem & manducationem, infidelitatem in Gentibus occidendam eſſe, & viria; vt in eis viueret Chriſtus, fides & virtus. Poſteam viſionem pulſarunt viri à Cornelio miſſi; Petro autem cogitante de viſione, *dixit ſpiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Surge itaq; deſcende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego miſi illos.*

Ad

Ad hunc modum verosimile est vtrumque
3. Coniugem præuentum inspiratione diuina, antequam Angelus sub forma mercenarij Tobiæ proponeret, relictis post se coniuge, seruis, & ancillis, ac gregibus accelerare iter: alias enim ferè impossibile fuisset, à Tobia sic acceptari propositionem, eique acquiescere; à Sara verò nil murmuris prodire. Fuit ergo in hoc cæca Tobiæ obedientia, ceu olim Abrahæ Genes. 12. cùm è terra sua exire iubebatur, & inter alienos exulare: præsertim ducturus secum vxorem suam Saram, cuius pudori certissimas insidias ab hostibus machinandas præuidebat Et nihilominus prõptus obediuit, Genes. 12. vers. 4. de sui honoris dispendio minimè sollicitus, vt Dei imperantis auctoritas inuiolata seruaretur. Vnde D Ambros. lib. 1. Officior. cap. 24. *Nonne*, inquit, *considerabat vxorem imbecillem ad labores, teneram ad iniurias, decoram ad incentiua insolentium, sine summo non posse duci periculo? Et tamen subire omnia, quàm excusare, consultius iudicauit:* Similis fuit illa Genes. 22. quando iussus fuit in montem ignotum concedere, ibique immolare filium suum vnicum, quem diligebat. Samuelis etiam, qui ad imperium Heli obediens fuit, vt audiens vocem Domini responderet: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* 1. Reg. 3.

Tobia sicut & Abraha olim obedientia caeca.

4. Vnde constat inurbanitatis in his non taxandum Tobiam, quandoquidem, vt est probabile, diuinis se inspirationibus conformarit, in quibus nihil latet inciuile. Quod vt melius intelligas; quid ignominiosius, & non solum Propheta, sed etiam honesto viro indignius, quam coniugium cum meretrice cõtractum? Hoc tamen præceptum vbi Oseas à Deo accepit, sine vlla cunctatione obtemperauit, Oseæ 1. vers. 2. & 3. Qua in re, inquit ibi Rupertus, *Non est Propheta culpandus, sed laudandus; quod non sua libidine, sed superno imperio seruierit: quo iubente, etiam eorum, quæ turpia vel inhonesta videntur, nihil fieri, turpe aut inhonestum est.* Ait Isaiam olim Dominus: *Vade*, inquit, *& solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis*, Isa. 20. Quid nobili Propheta, qualis erat Isaias, indignius? Et tamen sequitur statim: *Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus.* In quem locum D. Hieronymus: *Mira*, inquit, *obedientia Propheta. Solo cilicio induebatur vir nobilissimus, cuius filiam, vt tradunt Hebræi, Manasses Rex accepit vxorem. Non tamen erubuit nudus incedere, nihil honestius indicans, quàm obedire præceptis diuinis.* Denique perfectus obediens tam promptus esse debet ad vilissima munia, quantumuis honoris existimationi aduersentur; vt dicat D. Basilius in Constit. Monasticis, cap. 24. *debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cum studio, magnaq; cum animi alacritate suscipere, sentiens nihil mi-*

Tobias ab inciuilitate excusatur. Oseas cum periculo honoris sui, obediuit.

Isaias non curauit infamiam, vt seruaret obedientiã.

nutum esse, quod Dei causa fiat, sed grande & spirituale, & eiusmodi, quod cælum nobis, & præmia cælestia conciliat. Et immediatè pòst concludit hoc modo: *Quamobrem licet communibus vtilitatibus inseruientia sarcinaria sequi iumenta oporteat, recusare tamen non debet.* Et probat exemplo Apostolorum, qui missi ad soluendam, adducendamque asinam cum pullo eius illicò obedierunt: Subiungit enim: *Siquidem venire in mentem Apostolorum debet, quàm alacriter illi domino paruerunt, quando ipsis mandauit, vt ad se pullum adducerent: cogitareq; & illos quoque, quorum causa iumentorum curam susciperent, fratres, domini esse, & tributam ipsis benevolentiam, studiumq; in ipsum saluatorem redundare, qui dixit, Quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. 25.

Ne igitur mireris, sed disce potiùs mi Chri-
5. stiane exemplo Tobiæ & Saræ, diuinæ voluntati te conformare, si velis inter iustos censeri. Diuus Paulus in diuinis præceptis, nihil magis rationes, quàm si rationis expers esset, inquirebat. Nam ad Romanos scribens cap. 1. *Sæpè*, inquit, *proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc.* In quem locum Diuus Chrysostomus hom. 2. *Vide*, inquit, *seruilis obedientiæ modum. Quod fuerit prohibitus, dicit: quam ob rem autem, non item.* Neque examinat Domini mandatum, sed paret tantum. Et quidem non deerant rationes dubitandi & admirandi, cur Romam venire prohiberetur, ad illam totius orbis arcem expugnandam; qua semel capta, facilis ad totum orbem cõuertendum via pateretur. Sed tamen addit D. Chrysostomus: *Nihil horum Paulus curiosè indagat; quin potius incomprehensibili prouidentiæ cedit: partim animi sui moderationem spectatam faciens: partim nos omnes erudiens, à Deo numquam exigendam esse, eorum, quæ facit, rationem; etiamsi ea multorum animos turbare videantur. Domini enim solius est iubere, famulorum parere.* Non exi-
Philippus Diaconus præcepti rationes non inquirens obediebat.
guam quoque in hac re habuit laudem Philippus ille Diaconus, ad quem Angelus: *Surge*, inquit, *& vade contra Meridianum*, &c. Act. 8. Philippus multum boni faciebat in Samaria, prædicabat illis Christum, & credentes verbis ipsius de regno Dei, in nomine IESV baptizabantur viri ac mulieres; venit tunc Angelus ad eum, non explicat illi terminum, aut causam itineris; sed *Surge, & vade contra meridianum*, &c. Potuisset respondere; Quid me hinc ablegas, qui tantam hic fructum facio? Mitte illuc alium: Verùm minimè ignorans rationes humanas apud Deum non valere, promptè obediuit: Ait enim textus: *Et surgens abiit.* Et quod laudabilius est, inquit Carthus. *Promptè obediens, nec causam iussionis inquirens. Qua informamur, vt subditi Superioribus sine superflua inquisitione obediant.* Quod veterum sanctorum exemplo confirmat; qui

etiam in his, quæ irrationabilia & inutilia videbantur, celeriter obtemperabant.

Abraham Deo contra-ria imperãti obtemperat.

Abraham nonne pugnantia inter se oracula accipiens; vnum de propagatione sui seminis, Genes. 17. alterum de immolatione sui filij, Gen. 22. difficultatem non discussit: sed vtramque partem sine vllo discursu cæca quadam obedientia complexus est, teste Apostolo, *Contra spem*, inquit, *in spem credidit*, Rom. 4. & statim sequitur. *Confortatus est fide, dans gloriam Deo.* Ibid. v. 20.

6. *Datur ratio-nes, quare Deus Tobiã præcedere voluerit,*

Porrò animaduertendum est, Deo fuisse suas rationes, neque frustra voluisse Tobiam præcedere ad ædes patris; quamuis Textus nullas exprimat. Videtur Deus per Angelum voluisse primùm docere Tobiam, in necessitate magis succurrendum esse patri, licet vxor tenerius & intentius diligi possit, quàm pater, propter carnis coniunctionem. Deinde, perfectum familiæ Tobianæ, voluisse accedere gaudium, seu patrem sanitati restitutum, priusquam vxor adueniret. Id colligitur ex eo, quod Angelus iuniori Tobiæ accelerationem admittendi, iusserit fel secum conferre ad vngendos oculos peropportunos; item ex euentu restituti visus. Voluit etiam amota omnia, quæ sponsæ aduenienti displicere possent, domumque ritè præparari, ne vxor admirata miserum socerorum statum, deplorandi haberet causam, recentis coniugij, & nouelli amoris, in rixas & turbationes commutandi. Quonam deueni? Cui me in vxorem tradiderunt parentes? Vellem in malam crucem actos, qui huic Matrimonio se immiscuerunt. Et similia, quæ in connubijs inauspicatis effutire solent garrulæ & impatientes mulierculæ.

7. *Cur Angelus familiã Tobianam non transtulerit*

Hæ, rationes mihi verosimiles videntur. Excogitet plures alius. Nunc discutere libet, cur Angelus Saram cum suis non transtulerit repentè, de medio itineris, in Niniuem quandoquidem id facilè potuisset. Legitur enim, Angelus Domini Prophetam Abacuc, à capillato vertice apprehendisse, & captum ab vno capitis cirro, ea celeritate, quà cælestes spiritus moueri solent, momento temporis, ex Iudæa in Babylonem transtulisse; idque cum pulmento, quod destinauerat messoribus in campo, vt inde pasceret Danielem in lacu leonum constitutum, quòd Belem & draconem, quem pro Deo coluerant Babylonij, interfecisset. Acclamauit enim Abacuc illic existens, *Daniel, serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.* Cumque Daniel agnouisset dulcem Dei, & fidelem memoriam, debitas illi gratias egit, & surgens oblatos cibos, ab Abacuc, comedit. Quo tempore rursum Angelus Domini restituit Abacuc confestim in locum suum. Act. etiam 8. spiritus Domini rapuit Philippum, & transtulit vsque ad 40. milliaria, hoc est ex via Gasensi in Azotum, quæ à Gaza distat 40. leucis, vt docent D. Chrysost. Oecumen. & alij.

8.

Cur idem non fecit cum familia Tobiana? Dicam tibi breuiter, quod sentio. Primùm non conueniebat sic fieri propter rationes suprà allatas. Secundò, non solet Deus miracula facere sine necessitate. Vnde numquam comperies miracula à Deo patrata, nisi graui de causa. Talis erat quæ mouebat Deum erga Danielem; Cùm enim pro Dei honore insignem se ostendisset. Deus non solum voluit miraculosè compescere leones, sed etiam supernaturali modo cibũ procurare seruo suo, vt omnes intelligerent, quàm prouidus sit Deus erga suos. Et hoc est, quod Daniel recipiens cibum ab Abacuc proclamat: *Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te:* Recordatus es, inquit, Domine afflictionis meæ; neque passus es in his rerum angustijs aliquid mihi accidere molestum, noui ingenium, qui amantes te redamas; neque deseris qui te vnum diligunt, neque præter te aliquid aut curant, aut expectant.

Datur ratio quare Angelus Abacuc transportauerit ad Danielem.

Philippum autem rapuit (qui iussus fuerat ab Angelo ire contra meridiem ad viam quæ descendit ab Hierusalem in Gasam, vbi conuerterat ad Christi fidem Eunuchum Reginæ Ethiopum in curru legentem Esaiam Prophetam, eumque in fide instructum baptizauerat.) illum, inquam, rapuit Angelus primò vt per eiusmodi raptum sciret Eunuchus, Philippum fuisse virum admirabilem & diuinum, ait S. Chrysostomus. Secundò vt sciret Philippum à Deo, ad ipsum catechizandum & baptizandum, esse missum: vnde eo facto, ab eodem arripi. ita Lyranus. Tertiò, quia alias Eunuchus diutiùs detinuisset Philippum, quem Deus volebat alijs quoque euangelizare. ita Oecumen.

Philippus raptus ab Angelo ab tres tantum.

Similes quamplures in Scripturis reperiũtur rationes, propter quas miracula à Deo & Sanctis patrata leguntur. Et sicuti Deus sine causa & iusta necessitate non assueuit miracula facere, sic viri sancti numquam sine iusta causa à Deo miracula petierunt, quemadmodum Abraham Genes. 15. Gedeon Iudic. 6. & similes: alias enim tentassent Deum. Vide dicta Disc. 30. in prim. Præcept. vbi latè discussum inuenies, quando liceat miracula à Deo petere, quando non. Tobias & Sara, quamuis facilè deprehenderint aliquid diuinum inesse mercenario, non leguntur ab illo miraculum petijsse, quandoquidem sciebant nullam eius petendi necessitatem.

9. *Deus sine magna necessitate miracula non facit.*

CAPI-

CAPITIS VNDECIMI

VERSVS V.

Anna autem ſedebat ſecus viam, quotidie in ſupercilio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo.

Verſ. 6. *Et dum ex eodem loco ſpecularetur aduentum eius, vidit à longe, & illicò agnouit venientem filium ſuum; currenſque nunciauit viro ſuo, dicens: Ecce venit filius tuus.*

Verſ. 7. *Dixitque Raphael ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, ſtatim adora Dominum Deum tuum: & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum.*

Verſ. 8. *Statimque lini ſuper oculos eius ex felle illo piſcis, quod portas tecum, ſcias enim quoniam mox apperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aſpectu tuo gaudebit.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 5. 6. 7. & 8. Anna à tempore, quod erat reuerſuro filio à parentibus conſtitutum, de filij ſalute ſollicita, diebus ſingulis ſecedebat extra ciuitatem ad ſublimem locum, à quo non procul aberat via, per quam exſpectabat filium in patriam reuerſurum. Quæ cùm primum redeuntem agnouit, vix ſui compos præ lætitia aduolat, vt eam, quam iam ipſa libarat, lætitiam, mærenti marito, & ſatagenti impertiret. Verùm Angelus noluit Tobiam ſtatim huic gaudio adſtipulari, ſed quàm primum paternam domum ingreſſus fuerit, Deum adorare, & gratias agere pro oblatis beneficijs, vt videlicet ad plura obtinenda eius miſericordiam inflectat. Inſuper poſt hæc patrem accedere, eumque oſculari, & felle piſcis illius oculos inungere, neque de illius ſanitate dubitare, ex qua totius domus, & nuptialis feſti ſolemnitati & gaudio magnus accedet cumulus.

SECTIO QVARTA.

An conſultum præpropere nouarum adferre rerum nuntia? Et quæ ex his verſibus documenta?

1. ANNA admodum læta accurrit ad maritum, vt eum unciet aduentum filij multum exſpectati: Angelus verò retardat filium, ne illicò accedat patrem, ſed alia iubet præmittere, antequam eius oſculo ſeſe ſiſtat. Quid cauſæ? An fortè periculum in eo aliquod? Ex ſacra Scriptura colligitur aliquando neceſſarium eſſe, rerum nouarum quam primum deferre nuntium. Sic 2. Reg. 17. cenſuerunt Ionathas & Achimaas neceſſarium eſſe, Dauidi inſinuare conſilium, quod Chuſai Arachitas dederat Abſaloni in fauorem Dauidis, quodque illi placuerat ignoranti ſibi id fore noxiũ, poſt habito etiam conſilio, quod propoſuerat Achitophel, in Dauidis exitium. Illi enim quàm primum potuerunt, Dauidem adierũt etiam cum vitæ periculo, & docuerunt, quid hoſtes Hieroſolymæ dixiſſent, & decreuiſſent, atque omnes tollendas eſſe moras, & quam ocyſſimè traijciendum eſſe Iordanem. *Surgite*, inquiunt, *& tranſite citò fluuium.* Cùm 2. Reg 7. grauis Samariam fames vrgeret, immiſerat Deus ſubito coorto ſtrepitu pauorem in Syrorum animos. Qui ſuſpicati obſeſſorum ſubſidio externas adueniſſe copias, aufugerunt quàm maximè potuerunt feſtinatò, relictis in caſtris omnibus, quæ ipſi ad victum, ſeu ad ornamentum attulerant. Erãt autem quatuor viri leproſi, qui deſperantes de vita propter annonæ defectum, reſoluerant

Quandoque neceſſarium eſſe nouas nuntias adferre.

Probatur exemplis Scripturæ.

rant transfugere ad castra Syriæ, vt si fortè illis parcerent, & viuerent. Cumque eò appellerent, *ingressi sunt vnum tabernaculum, & comederunt, & biberunt: tuleruntq; inde argentum, & aurum, & vestes, & abierunt, & absconderunt, & rursum reuersi sunt ad aliud tabernaculum, & inde similiter auferentes absconderunt.* Quod experti, dixerunt ad se inuicem: *Non rectè facimus: hæc enim dies boni nuncij est. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare vsque mane, sceleris arguemur: venite eamus, & nunciemus in aula Regis.* Prudenter autem cogitarunt leprosi sibi aliquid à Rege imminere supplicij, nisi quamprimum de Syrorum fuga, & castris derelictis admonerent. Quæ perire poterat oblata diuinitus occasio, quæ magnas posset obsessis commoditates afferre. Hoc verò illius est, qui hostium vellet commodis seruire, & patriæ prodere libertatem; à qua cum vitæ etiam periculo contra hostium pernicios a etiam consilia stare debuisset; referunt igitur, quod de Syrorum castris, & fuga compererant. In eiusmodi negotijs prudentia & festinatione opus est.

2. *Id quando que Scrupulosum esse.*

Quandoque scrupulosum esse, nouarum rerum adferre nuncia, præsertim si addantur mendacia, Scriptura pandit 2. Reg. 1. vbi quidam adolescens veste concisa, & puluere conspersus caput, retulit ad Dauidem, Regem Saulem & Ionathan esse occisos, Hebræorum cecidisse plurimos, & alios ignobiliſe fugæ tradidisse; idque verè. Cùm autem Dauid ab illo petèret: *vnde scis quia mortuus est Saul, & Ionathas filius eius?* vt à Dauide aliquam iniret gratiam, & ex iucundo, vt ipse existimabat, nuncio aliquod captaret lucrum, historiæ veræ aliquod verosimile intexuit mendacium: Dixit enim se, Saulis ipsius rogatu, illi attulisse mortem: quod plane falsum fuit. Vnde *ait ad eum Dauid: Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini? Vocansq; Dauid vnum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est. Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te dicens: Ego interfeci Christum Domini.* Itaque & festinanti nuntio, & mendacio intexto longè illi aliter accidit, quàm crediderat.

3. Inutiliter etiam 2. Reg. 18. verissimum ex integro nuntium, certatim duo viri, quasi iucundum aliquid foret, post commissum prælium, & viginti millia hominum interfecta exercitus Absalonis, exitum eius infaustum ad patrem deferunt; sed è contra ipse extinctum filium miserabiliter luget; *Fili mi Absalon, Absalom fili mi: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?* Vnde importunis lachrymis tam aliis optatam turbat, & incestat victoriam: vt & salus regni periclitaretur. Hinc 2. Reg. 19. Ioab ingressus ad Regem, illius nimiam in filium indulgentiam reprehendit, parumque gratum animum in populum tam de ipsius honore, & vita, viriliter meritum, accusat. Minatur etiam, nisi vultum explicet, & hilarem se ostendat, futurum vt omnes eodem excedant die, alij aliò dilapsi, & maius ex eo consequatur malum, quàm antea numquam; idque iuramento affirmat: *Iuro enim, inquit, tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & peius erit hoc tibi: quàm omnia mala, quæ venerunt super te ab adolescentia tua vsque in præsens.*

4. *Nimia lætitia quandoque mortem affert.*

Filiorum autem aut amicorum adhuc viuentium, aut aduenientium subitus nuntius, (de quorum vita, vix fuerat ambigua spes) quamuis ordinariè recreet, vt videre est in Iacobo Genes. 45. tamen suis periculis non caret. Nemo enim nescit inopinatum, & insperatum gaudium nonnũquam homini magis pestiferum esse; ac tristitiam. Extant huius rei sacra exempla. Refert Metaphrastes apud Surium in vita S. Spiridionis, matrem quamdam obijsse, licet iterum diuina virtute reuixerit, quod filium suum iam mortuum precibus sancti Spiridionis ad vitam reuocatum esset conspicata. Ex quo factum est, vt Romani, teste Plutarcho, in Proœmio, redeuntes ad propria, ne tali inopinato gaudio vxores; & filij oprimerentur, nuntios præmitterent, qui suum ipsorum regressum consanguineis referrent: quod scirent, mortalem non tam esse, doloris exuberantiam, quàm inopinati gaudij immoderationem. Nec desunt huius rei profana exempla in Romanorum Annalibus; vt de muliere illa, quæ filium sanum, & incolumem conspicata, de cuius morte, qua tempestate apud Cannas exercitus populi Romani cæsus fuerat, nuntium acceperat, statim copia inopinati gaudij oppressa, exanimata est. Ferunt etiam alteram in ipsa porta, sospite filio repentè oblato, in conspectu eius expirasse. ita Aul. Gell. 3. noct. Attic. Tertullianus lib. de anima cap. 52. multis exemplis ostendit, mortem contingere repentinam, etiam inter magnas voluptates: immò tunc maiori cum dolore, quàm inter magnas aduersitates. Inter amara enim, amarum mortis calicem haurire, leuius quisquis ferat: inter dulcia & suauia, quis patiatur: *Etsi*, inquit, *præ gaudio quis spiritum exhalet, vt Chilon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur; etsi præ gloria, vt Clidemus Atheniensis, dum ab histrionibus ob præstantiam auro coronatur; etsi per somnium, vt Plato; etsi per risum, vt P. Crassus: multo violentior mors, quæ per aliena grassatur: quæ animam per commoda expellit; quæ tunc mori affert, cùm iucundum viuere est, in exultatione, in honore, in requie, in voluptate.* Quod statim illustrat eleganti similitudine

Mors repentina inter voluptates amarior.

desumptâ

desumptâ à naufragiis, quorum acerbiora iudicantur, quæ in serenitate contingunt. Et concludit, nihilo referre integram abire corporis nauem, ad dissipatam, dum animæ nauigario euerratur.

5. Atqui certùm est, magnopere fuisse afflictos Tobiam & Annam de longiori mora filij, omniaque ventilasse, quæ illi potuissent contingere, vti colligitur ex initio capitis decimi, adeoque gaudium ex nouo nuntio conceptum illis naturaliter potuisse nocere, nisi Deus illud temperasset, vt pium est credere; nam retardare videtur eum Angelus, ne tam citò sese parentibus sistat, dum illum docet, quod melius est, & familiæ vtilius, hoc est, primùm adorare Dominum, eique gratias agere. Sacra enim pagina non vult nos bonis frui, nisi primum adorato Deo, eique gratijs actis. Hinc Deuteron. 26. iubentur Hebræi primitias frugum offerre Deo, cùm publicâ professione, quòd fruges suas Deo acceptas referant, antequam epulentur: *Dimittes eas*, inquit Moyses, *in conspectu Domini Dei tui, & adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus dederit tibi.* Quibus verbis clarissimè insinuat, ante actum illum Religionis illicitum fuisse epulari ex bonis à Deo concessis. Postquam 1. Reg. 1. bene apprecatus fuisset Heli Elcanæ & eius vxori de desiderata prole, antequam egrederentur, subdit Scriptura: *Et surrexerunt mane, & adorauerunt coram Domino*, videlicet Elcana & vxor: An ritu solenni per sacrificia, an priuato cultu per orationem, Deum adorauerint, Scriptura non explicat. Vide significationem verbi adorandi, Discur. 38. in I. Præceptum numer. 2. 3. 4. Vtrouis autem modo factum sit, bonum gratitudinis exemplum posteris reliquerunt: vt à quibus beneficium accipitur, eisdem statim gratiæ referantur: *Ad locum*, inquit Bernardus, *vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant: remittatur ad suum principium, celeste profluuium, quo vberius terra refundatur. Qualiter inquit? Qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes.* Dauid, qui multis precibus à Deo postulauerat liberationem ab hostibus, tandem liberatus subdit; *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*, Psalm. 9. vers. 15. Quasi ad hoc beneficia tantum acceperit, vt debitas Deo gratias decantaret: & ideò decantaret, vt à Deo deinceps maioribus beneficijs donaretur; vt D. Chrys. ad eum Psalm. rectè annotat: *Vide perpetuo orationi affixum, à malis enim liberatus, & in tuto collocatus, non cessat rursus orare. Semper enim egemus Dei prouidentia, maximè autem, dum liberamur à malis. Aliud enim bellum excipit priori difficilius, discordia, & arrogantia: tunc enim spirat vehementius diabolus: quare maximè postquam liberati sumus à malis, illo opus habemus auxilio, vt facilè res secundas seruemus.*

Deo agenda sunt gratia post accepta beneficia, antequam ijs fruamur

Serm. 13. in Cant.

Gratus animus maioribus à Deo beneficijs cumulatur.

Rectè quoque ad propositum nostrum Ieronymus Epist. 22. ad Eustochium sub finem: *Egredientes*, inquit, *de hospitio armet oratio; regredientibus de platea oratio occurrat, antequam sedeto: nec prius corpus cultum requiescat, quàm anima pascatur.* Abraham cùm illi Deus promisisset terram Chanaan, & semini eius, venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron, ædificauitque ibi altare Domino. Notat Chrysostomus hom. 35. in Genes. gratam Abrahæ mentem, quòd antequam obtineat promissa, Deo gratias agat. *Vidisti*, inquit, *mentem gratam? quia mox vt tabernaculum fixit, statim pro facta sibi promissione, gratiarum actiones obtulit Deo. Et in singulis locis vbi tabernaculum fixit, inuenies hoc pra omnibus eis fuisse curæ, vt extructo altari preces offerret, & Apostoli præceptum impleret, iubentis vt in omni loco oretur, & eleuentur sancta manus.* Et immediatè post congrua ad nostrum propositum subijcit: *Vidisti animam diuino amore succensam, & ad diuina promptam, perq; omnia gratias agentem? Non enim exspectauit, donec promissa complerentur: sed & mox pro promissione gratias egit, & faciebat quod in se erat, vt de præmijs dignam & sinceram gratitudinem pra se ferens, Dominum suum prouocaret ad promissiones suas implendas. Illum sanè & nos imitemur, & promissionibus diuinis fidamus, & neque alacritas obsolescat tempore, neque mens remissior fiat propediem tis, quæ interueniunt: sed virtute diuina fidentes, quasi iam ante oculos videremus promissiones impleri, ita puram, & inadulteratam declaremus virtutem. Magna enim & immensa promisit Dominus, & quæ nostram transcendunt rationem, nempe participes regni, & ineffabilium bonorum fore, vtpote conuersationem cum Angelis habituros, & liberationem à gehenna.* Hoc igitur primum fuit, quod docuit Tobiam Angelus, gratias agere Deo pro incolumi reditu, eumque rogare, vt cætera ad lætitiæ cumulum necessaria secundet, & parentibus Deum præferre.

Abraha post promissionem terræ Chanaan gratitudo.

6. Alterum, vt post osculum patri de more datum, illicò cogiteret, ipsi benè facere, & artem quam ab eo didicit, ad parentis sanitatem executioni mandare. Potuisset enim Angelus ipse æquè linire oculos patris, visumque illi restituere, vti Asmodæum ablegauerat, & ligauerat in finibus superioris deserti: sed voluit filium docere, curam proximi, vti etiam Actor. 8. volebat Philippum desertâ Samariâ, secedere in aliam partem, vt viam salutis doceret Eunuchum Reginæ Candacis. Nam beneficio alicui concesso, Deus nihil gratius ab eo æstimat sibi fieri, quam dum illud in aliorum salutem tam temporalem, quàm spiritualem impenditur. Hinc Dauid dicebat, obtentâ remissione pecca-

Docet Angelus Tobiæ curam proximi.

Deus gratissimum saluti aliorum impendere.

peccatorum: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Christus dicebat Petro, qui eum negauerat, & amarè peccata defleuerat, post resurrectionem, *Pasce oues meas:* Si inquit, me diligis, vt asseris Petre, hoc à te expecto, vt ouium mearum suscipias curam. D. Chrysostomus hom. 60. in Matth. masticâs, quantum Dominus pro salute humana perpessus est, vult nos omnem adhibere operam in aliorum salutem. *Obsecro,* inquit, *summo manè cùm à domo exieritis, hanc vnicam intentionem habeatis, & hoc ante omnia studium, vt è periculis aliquem liberare possitis.* Quod deinde similitudine illustrat. *Si enim mercator, vt rem familiarem amplificet, terrorum plena maria nauiget; si opifices, vt rebus suis quicquam adijciant, duros tolerant labores: & nos pariter salutis nostræ salutem proximorum adijciamus, præsertim cùm qui sua contentus, negligit alienam, nec suam quidem consequi potest.* Idque deinde exemplis magis edocet: *In prælio enim, ac expedita acie, qui sibi solum consulit miles, nec aliud respicit, quàm quomodo possit fugiendo animam suam seruare, is ceteros quoque milites in perniciem secum trahit: quemadmodum è contra, generosus miles cum alios tutari conatur, se quoque ipsum defendit.* Concludit autem exhortando: *Quoniam igitur bellum quoque nobis indictum est, & prælium agitur amarissimum, & acie instructâ iam pugnamus: sic magno animo, vt noster iubet Imperator, ad sanguinem, & ad necem sumus præparati, vt ad salutem omnium pugnemus, alios cohortatione, alios auxilio iuuantes: multi enim in hac acie fratres perfossi, atque sanguinolenti iacent, nec vllus inuenitur, qui medicetur, non è vulgo aliquis, non presbyter, non pontifex, non amicus, non frater, non alius quispiam: sed singuli quæ nostra ipsorum sunt, quærimus: ac propterea nostra diminuimus.* Alludit ad Sacerdotem & Leuitam Luc. 10. qui vulneratum præterierunt, & non vt Samaritanus, oleum & vinum vulneri infuderunt, aliaque præstiterunt, quæ exprimuntur ibidem.

Insignis locus de re D. Chrysostomi sententia.

7. *Officium hominis Christiani, est vitare malum. & facere bonū.*

Vult ergo Angelus Tobiam illicò sua remedia, medendo parenti applicare: vt sciat non satis esse declinare à malo, sed etiam faciendum bonum; quod est officiū viri Christiani iuxta ordinem charitatis. Vnde Apostolus, *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Nos verò tergiuersamur, & dicimus nemini malum facio: at id satis non est: Ait enim Isaias vates, cap 1. *Quiescite agere peruersè, & discite benefacere.* Regius Propheta inquit: *Declina à malo, & fac bonum.* Atqui virgines illæ fatuæ non sunt repulsæ à facie Dei, quod malum fecissent; sed quia opera charitatis erga proximum non exercuerant: quod insinuant verba: *Quinq; fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Item seruus ille qui vnam mnam in sudario alligauerat, non autem fructum, fecerat, sicut alij qui duo & tria talenta acceperant, propterea condemnatus est. Matth. 25.

Nos præteximus, & mediorum allegamus inopiam. Faciamus quod Angelus: Ipse pecuniam non habebat; præstitit, quæ potuit sua bona voluntate. Exhibeamus alteri, quod in nostra est potestate. Non requirit amplius Deus. Cur in diuinis paginis tam multa æstimationis, vilissimæ alioquin adeò exaggerantur? Calix aquæ frigidæ porrectus, pugillus farinæ, & paululum olei filiæ obsequio impensum, duo illi nummuli viduæ, quibus Christus magnum dedit elogium: *Verè dico vobis: quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit.* Luc. 21. Nisi quòd hæc munera, non in rebus, sed in ipsa benefaciendi voluntate consistant. Noemus vir Arcâ egressus mox aram struxit tumultuariam, *& tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare,* certò sciens voluntatem bonam, in his Deo plurimum probari. *Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis.* En etiam nidorem & fumum sacrificij gratissimum fecit bonus affectus. Non æstimauit Deus aues aut quadrupedes, sed odorabatur in eis fragrantissimum quid, affectum Noemi: *Qualecumq;*, inquit Chrysostomus, *nostrum sacrificium sit, siue oremus, siue ieiunemus, siue eleemosynam demus, hic illius sacrificij sit odor, qui solus placet.* Hoc sensu dixit Bernardus: *Sola interdum bona voluntas sufficit, cætera non prosunt, si sola defuerit. Valet itaque intentio ad meritum, actio ad exemplum.* Clariùs Augustinus: *Deus coronat bonam voluntatem, quando non inuenit facultatem.*

Non habentibus media ad benefaciendum, sufficit bona voluntas.

Gen. 8.

Exemplo, quod dicimus, sic ob oculos ponimus. Videt quis mendicum miserrimum, ipse non diues, animo dolet huius vicem, suspicit cælum, agitque Deo gratias ob sibi concessa, &, ô si, ait ipse secum, & huius mendici penuriam ex integro subleuare possem, quam id facerem hilariter! Hic talis, etiamsi nihil, aut exiguum quid det, mercedem tamen, ac si dedisset, recipiet. Pari modo si æget, seriò & ardenter exoptet, & preces fundere, & inediâ corpus affligere, aut alia pietatis opera exercere, ea tamen virium defectu præstare nequeat, non minus Deum sibi debitorem habebit, quàm si omnia illa quæ optarat facere, fecisset, modò animus cum Deo sic agat: Mi Deus quàm ego in tuum honorem hoc libens facerem! sed tu scis Domine, id in mea potestate non esse: hoc ergo desiderium & voluntatem meam in locum operis tibi submissimè offero.

8. *Illustratur exemplo.*

Hinc Chrysostomus ingenti plurimorum solatio affirmans hom. 7. de pœnit. inquit: *Da indigenti, si minus habueris, vel suspirium, si profers, emme tribuisti. nam insomnis ille oculus videt te dedisse, quod habueras.* Hinc & Gregor. hom. 5. in

9. *Pauperimus æquè sunt media ad benefaciendum, ac ditissimo.*

in Euangel. *Ante Dei oculos*, inquit, *numquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate.* Ideo & à fortunis pauperrimi, & à morbis afflictissimi, tam opulenta & præclara possunt Deo offerre munera, quàm ditissimi atque sanissimi. Non hoc opum aut virium negotium est, voluntatis est; quæ si verè bona sit, & opes, & vires, & omnia exæquat. Quomodo est disertus etiam qui tacet, fortis etiam, qui compressis vel alligatis manibus: quo modo gubernator, etiam qui in sicco est: ita & liberalis, & laboriosus, & obsequiosus est, qui vult tantum, nec habet huius voluntatis suæ vllum alium, quàm se testem. Regius psaltes Psalm. 55. inquit: *In me*, inquit, *sunt Deus vota tua quæ reddam laudationes tibi.* Et si; ô Deus, extra me non reperiam, quod aræ imponam; in meipso tamen inuenio, quod tibi offeram in memoriâ, in intelligentiâ, maximè verò in voluntate mea reposita sunt, quæ tibi oblata, numquam accepta non sunt.

10. Hæc omnia disertissimè confirmat Christus: *Quicumque*, inquit, *potum dederit, vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam*, Matth. 10. Scio, non esse omnium hospitium præbere, & vitæ necessaria subministrare, ergo quod pauperrimis quibusque in manu est, haustum frigidæ præbeat sitienti, *non perdet mercedem suam.* Ergo nemo per inopiam sese excuset, quò minus ijs, qui Christi sunt, subueniat, cùm ijs etiam beneficijs, quæ nullius sunt æstimationis, tam nobile sit promissum præmium, *non perdet mercedem suam.*

11. Tertium exigit ab illo Angelus, vt oratio ipsius Tobiæ sit cum fiducia, quando-quidem subiunxit: *Statimq; limi super oculos eius ex felle illo piscis, quod portas tecum: scias enim, quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cæli.* Noli, inquit, de sanitate patris dubitare. Volebat prius ipsum Tobiam iuniorem, & orare Deum, & gratias agere; quod antea dixi nouam continere petitionem. Declarat autem Apostolus Iacobus petitionem requirere fidem & fiduciam. Cùm enim sermonem facit de postulanda sapientia à Deo, subdit: *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Hanc fiduciam, poposcit Christus à paralytico Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* & ab Hemorroissa ibid. *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Vnde S. Thomas 2.2. quæst. 83. art 15. ad 3. *Oratio*, inquit, *efficaciam merendi habet à charitate: at verò efficaciam impetrandi à fide & fiducia.* Hinc quoque Christus Dominus eiusmodi fidem declarauit, quasi certum præsagium rei consequendæ etiam per miraculum si opus foret. *Si habueritis*, inquit, Matth. 21 *fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis; sed & si monti huic dixeritis, Tolle & iacta te in mare fiet. Et omnia quæcumque petieritis credentes, accipietis.* Quare si vis fructuosè orare ante eam, & in ea, excita ingentem fidem & fiduciam, ac pro ea Deum inuoca, dicens cum Apostolis: *Adauge nobis fidem*, Luc. 17. & cum patre lunatici: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*: *Qui enim hæsitat*, inquit Apostolus, *similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* Nunc sperat se obtenturum, nunc desperat.

Ad orationem efficacem necessaria est fiducia.

Ante orationem imploranda à Deo fiducia.

Si autem Angelus ad orationem illa verba non refert, vult saltem post orationem, magnam illum habere fiduciam in Deo de successu boni operis, quod iubet illum patri impendere.

CA-

CAPITIS VNDECIMI

VERSVS IX.

Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via: & quasi nuncius adueniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.

Vers. 10. *Et consurgens cæcus pater eius, cæpit offendens pedibus currere: & data manu puero, occurrit obuiam filio suo.*

Vers. 11. *Et suscipiens osculatus est eum cum vxore sua, & cæperunt ambo flere præ gaudio.*

Vers. 12. *Cumque adorassent Deum, & gratias egissent, consederunt.*

PARAPHRASIS.

Vers. 9.10.11.& 12. Cùm Angelus edoceret Tobiam, quid ipsi faciendum esset; post ædium ingressum, canis qui simul fuerat in via, caudæ suæ familiari blandimento nuncium seniori Tobiæ & Annæ se præbuit, filij reditum significans. Audito filij sui aduentu cæcus pater exilijt, & planè cæco impetu, & pedibus offendens festinus occurrit filio, quem excepit amplexu, & osculo, quod item fecit vxor, & vtrique præ gaudio obortæ sunt lachrymæ. Cumque iuxta Angeli mandata Tobias iunior, & cum illo parens vterque ex domestica, vt reor, disciplina adorassent Dominum, & gratias egissent pro felici reditu consederunt omnes.

SECTIO QVINTA.

An in hac historia otiosè positum sit, Canem aduenientem blandimento suæ caudæ fuisse gauisum.

1. *In Scriptura, multa otiosa contineri putant aliqui, sed falsò.*

Vnt nonnulli, qui existimant in sacra Scriptura, quid esse otiosum, & multa inutiliter narrari, videlicet filios Israel debuisse penes se habere paxillum in deserto, ad tegenda stercora Deuteron. 23. Moysem etiam in ætate centum viginti annorum non caligasse oculis, nec dentes illius fuisse motos: quòd Tobias habuerit canem, qui *blandimento suæ caudæ gaudebat*: quod Saul ingressus fuerit speluncam, *vt purgaret ventrem* 1 Reg. 24. quod Paulus habuerit *penulam, quã reliquerat Troadæ apud Carpum*, & libros & mẽbranas. Et sic de cæteris. Sed grauissimè errant: nam disertè inquit Apostolus scribens ad Timotheum: *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*, quasi dicat: Sacræ Scripturæ vtiles sunt ad hoc vt faciant te perfectum Doctorem, ô Timothee, vt ad omne opus bonum, præsertim docendi, arguendi, corripiendi. Nota, quod dicat, *omnis Scriptura diuinitus inspirata*: Omnis, inquam, nulla ergo excipitur. *Diuinitus inspirata*, indicat eam profundos & diuinos habere sensus, ac proinde eos non cuiuis esse obuios & claros, sed scripturam arcana multa continere instar fluuii, cuius extima aquarum superficies tantum patet, sub qua interior, ac longè maior aquarum copia recondita latet.

2. *Scriptura profundè meditantibus, thesaurus.*

D. Chrysostomus explicans illam Patriarcharum seriem, quæ cap. 5. Genes. continetur, *Ne mireris*, inquit homil. 21. in Genes. *quod in hac nominum enumeratione, multas, latentesq; diuitias sententiarum, me ostensurum pollicear. Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris litteris, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus.* Et rectè dicit, *in cuius profundo*; nam in primo aspectu nullum sæpè mysterium præfertur. Vnde D. Basilius hom. 9. in Exam. *Sacra*, inquit, *Scripturæ verba, si vtrumque legantur, aut perfunctoriè, syllabæ tantum quædam esse videntur, & eadem perexiguæ; sed cùm verborum sententia perueſtigantur: tunc quanta sit sapientia Creatoris perspicitur.* Rationem verò, cur ne vna quidem syllaba in sacris litteris superflua sit, sed planè necessaria, optimam reddit D. Chrysostomus loco citato. *Nam si in scriptis*, inquit, *quæ de secularibus negotijs ab hominibus conficiuntur, sæpeq; tempore corrumpuntur; vel vnam præ-*

q

præcepti ſyllabam deeſſe multum momenti habet. Quanto magis hoc in ſcripturis diuinis à Spiritu ſancto compoſitis inuenitur? Idem hom. 23. in Gen. verba, *Noe verò inuenit gratiam coram Domino*, Geneſ. 6. expendens notat poſt narrata aliorum hominum flagitia, ſtatim Noe ſanctitatem commendari; vt eo maior eius perfectio probaretur, quo grauiora inter peccata efflo-reſceret. *Vide*, inquit, *ſcripturæ diligentiam: quomodo ne ſyllabam quidem vnam inutilem contineat.* Exiſtimare aliquis poſſet, Geneſ. 9. verſic. 18. otioſè recitari hæc verba, *Porrò Cham ipſe eſt pater Chanaan*: quia prius Scriptura recenſuit filios Noe poſt diluuium egreſſos ex Arca: *Erant*, inquit, *filij Noe, qui egreſſi ſunt de Arca, Sem, Cham, & Iaphet.* Et immediatè poſt ſequuntur verba citata, *Porro Cham ipſe*, &c. nam ea non videntur habere connexionem cum præcedentibus, quia octo tantum animæ ex Arca fuerunt ſaluatæ, videlicet Noe, & trium eius filiorum, & vxorum ſingulorum quatuor: Chanaan autem in Arca non fuerat, quia necdum natus. Verùm nemo ſibi perſuadeat fruſtrà eò loci mentionem fieri Chanaan; Dicitur enim illic Cham pater Chanaan, quia ex Cham naſciturus erat, & tempore Moyſis, qui ea ſcribebat, natus erat Chanaan, & Chananæi, quos Hebræi ex Sem oriundi ſubegerunt, & vaſtarunt. Deinde meminit eò loci Moyſes Chanaan, vt viam ſibi ſterneret ad maledictionem Chanaan enarrandam, qua propter Cham patrem à Noe mulctatus eſt, verſu 25. in verbis: *Maledictus Chanaan Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis*; vtque conſtaret Chami irriſionem punitam in Chanaan filio, cùm eius poſteri Chananæi ſeruitute & vaſtitate à Ioſue & Hebræis mulctati ſunt.

S. Chryſoſtomus homil. 41. in Geneſ. expendens illa verba Geneſ 18. iuxta LXX. *Non celabo Abraham puero meo*, videlicet excidium Sodomæ, ponderat, hominem ætate ſenem, à Deo puerum vocari; vt eximia Dei charitas erga hominem, & hominis apud Deum dignitas exprimeretur: *Dignum*, inquit, eſt, *vt neque illud prætereamus: neque enim ſyllabam vnam, neque apicem in ſcriptura diuina præterire oportet: Quanta enim dignitatis eſſe putas, quod dicit Abraham puerum ſuum? quanta affectionis, quãti amoris*, &c. Idem hom. 35. in Ioannem explicans miraculum probaticæ piſcinæ; & multa quæ in eo myſteria continentur: *Quemadmodum*, inquit, *in auri metallis, ne minimam quidem venam, quiſpiam, qui rem intelligat, omittere patitur: vtpote quæ ad augendas diuitias plurimum faciat: ita & in diuinis ſcripturis, nec vnum iota, aut vnus apex, ſed ne dimidium quidem prætermittendum eſt: ſed omnia diligenter explicanda, nam à Spiritu ſancto omnia proueniunt.*

3. Quare quo religioſior quis eſt, ac diuinæ legis obſeruantior, eò promptior eſſe debet, ac diligentior ad omnes Scripturarum non ſolum ſententias, ſed etiam ſyllabas colligendas, & animo conſeruandas. Hoc enim myſterio Chriſtus Dominus præcepit, non turbis, ſed Apoſtolis, vt colligerent, quæ ſuperauerant fragmenta, ne perirent, Ioan. 6. Nam, vt bene D. Ambr. libr. 6. in Lucam c. 4. *Non*, inquit, *otiosè, qua turba ſuperſunt, à diſcipulis colliguntur: qui ea, quæ diuina ſunt, apud electos facilius poſſit, quàm apud populos reperire.* Scilicet imperiti homines, ac terreni, illis tantùm locis factarum ſcripturarum capiuntur, quæ in prima fronte maiorem præferunt maieſtatem, & ſublimiorem oculis exhibent apparatum: ad alia tamen, quæ in ſpecie videntur humiliora, conniuent, & obdormiſcunt. At verò prudentes homines, & ſpirituales, quidquid de ſcripturis offeras, recipiunt, & magni faciunt, & oblatum gratulantur, & admirantur, & venerantur: ſcientes nihil ibi diuinitatis cuiuſdam expers, contineri. Et rectè. Nam ſi in hac mundi vniuerſitate, vt benè philoſophatur D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 24. *Illa plus habens admirationis, quæ minus minimum: plus enim formicularum, & apicularum opera ſtupemus, quàm immenſa opera balenarum.* Quid mirum, ſi in ſcripturis non magis maxima, quam minima quæque admiremur, cum vtraque à Deo inſpirata fateamur.

Scriptura vel etiam minima colligenda.

Et natura, & ſcriptura minima plus admirationis habent.

4. Itaque, vt ad rem veniamus, non otioſè habetur Deut. 23. illud præceptum. *Habebis locũ extra caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ, gerens paxillum in balteo: cumq; ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies.* Voluit enim Deus hac lege non tantùm naturali honeſtati conſulere, & valetudini; ſed etiam ad reuerentiam erga Deum, reſque ſacras hanc legem Judæis imponere. Vnde addit: *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos. Et ſint caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te*, qui ſcilicet fons eſt omnis puritatis, ſpiritus quippe puriſſimus. Ex quo docemur, quantum honorem, quantámue reuerentiam in ſacris Conuentibus, vbi ſancta ſanctorum fulgent, exhibere debeamus: *Quantâ*, inquit, Bernardus ſerm. de quatuor modis orandi, *cum reuerentia, quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens & repens ranuncula vilis? Quàm tremebundus, quàm ſupplex, quàm denique humilis & ſollicitus, & toto intentus animo maieſtati, gloriæ, in præſentia angelorum, in concilio iuſtorum & congregatione aſſiſtere poterit miſer homuncio?*

4. *Explicantur loca in initio addueta.*

Munditiei caſtrorum Hebræorum, munditiei locorum ſacrorum ſignum

5. Non otioſè, neque gratis Spiritus ſanctus æternitati tradidit, Moyſen ſeruum Dei, ætatis centum & viginti annorum paſſum non eſſe caligationem oculorum, neque den-

5. *Moyſes nullis defectibus ſenectutis obnoxius fuit.*

tes ipsius fuisse motos, quod senibus est familiare, vti scribit de miserijs senectutis Siracides Eccles. vlt. v. 3. *Quando*, inquit, *mouebuntur custodes domus*, putà visus, alijque sensus; *& nutabunt viri fortissimi*, puta crura. *& otiosi erunt molentes*, puta dentes, *in minuto nostro*. Sed ex his patet Moysem non esse mortuum ex defectu virium, vel ex morbo, sed tantum ex Dei iussu & voluntate, qui noluit eum intrare in terram promissionis propter diffidentiã. Nam validus ascendit in montem, ibique statim defunctus est, cùm Deus ipsum dissolueret, animamque à corpore separaret, & educeret ad limbum patrum. Ruisum hinc patet, quid familiaritas, & Dei præsentia effecerit in Moyse. hic enim præter lucis radios, quos habebat in facie, etiam habuit vires perdurantes in omnibus membris: ita vt eo anno, quo mortuus est, ad bellum processerit contra duos Reges scilicet Og & Seon, Numer. 21. Vox etiam non defecit, quia voce maximâ & stentoriâ, quæ à toto populo audiretur, totum Deuteronomium ingenti spiritu Hebræis promulgauit paulò ante mortem.

Dei præsentia quanta efficacis.

6. *Saulis furor contemptis honorum.*

Neque etiam gratis habetur 1. Reg. 24. Saulem ingressum esse speluncam, vt purgaret ventrem: sed primùm insinuat textus, furorem, omnem prodidisse maiestatis curam, vt non verecundaretur efficere audacter, quæ honori minus, aut pudori fauent. Solebant enim olim, qui longè etiam aberant à fortuna regia, portare in reliquo instructu viatorio, vas aliquod, quod ventris exciperet onus, & hoc interdum è pretioso metallo, quod lasanum appellabant. De quo est illud Horatianum lib. 1. Satyr. 6.

——— *Præterea quinque sequuntur*
Te pueri lasanum portantes, enopheramq;

Dauidis in Saulem clementia.

Sed melius & verius, dicitur Saul speluncam ingressus, ad purgandum ventrem, vt clarior Dauidis in eum misericordia, & clementia probaretur, qui ne in discinctum quidem, & inarmatum hostem, quod facile poterat, irrueret occisurus. Ad huius rei intelligentiam nota Dauidem in eadem spelunca fuisse cum sexcentis viris, qui eum hortabantur, ne oblatam diuinitus occasionem perire sineret: *Ecce*, inquiunt, *dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum.* Imò cum Dauid præcidisset oram chlamydis Saulis silenter, quod fortè ea longiusculè à Saule esset reiecta, vt naturæ operi commodiùs vacaret, & illicò pœniteret, quod laciniam chlamydis abscidisset, dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Statuerunt ipsi viri sexcenti in Saulem irruere, quorum ipse Dauid repressit efferuentes animos & ad cædem anhelantes, neque permisit vt in Regem securum, quidquam hostile molirentur; quod fas non esset sacrosanctum corpus, in quo redoleret adhuc aliquid ex oleo sacro, subditorum hominum ferro temerari. Porrò Saul speluncâ egressus, & acclamatus à Dauide, visâque orâ chlamydis abscisâ hanc clementiam Dauidis ita extulit, vt diceret: *Numquid vox hæc tua est fili mi Dauid?* leuansque vocem suam, & flens addiderit: *Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi hanc veritatem pro eo quod hodie optatus es in me. Et nunc quia scio quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel: iura mihi in Domino ne deleas*, etc. Voluit itaque iuramento à se caueri, ne familiam eius deleret, quod paradoxum cùm in omni fermè natione soleant nobilitate priuari, qui in regem aliquid insidiarum ausi fuissent. Ex illustrium familiarum imaginibus sublati sunt Cassius, & Brutus, quia Iulio Cæsari manus attulerunt violentas. Tacitus lib. 3. fine, cùm ageret de Iuniæ funere, quæ Cassij vxor fuit, & Bruti soror, ad extremum addit: *Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlij, Quintij, aliaq; eiusdem nobilitatis nomina. Sed præfulgebant Cassius, atque Brutus, eo ipso quæ effigies eorum non visebantur.* Et idem lib. 2. longiusculè ante medium prodit, decretum esse, ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur, quasi alienus foret à nobili familia. Et ne quis Scribonius cognomentum Drusi assumeret. Sic Saul ex promeritis suis iustè timebat, ne illius nomen de paternâ familia deleretur; vnde iuramento securitatem postulat.

Nobiles de Reges insurrexi, nobilitate eorum priuabantur

7. *Admirabilis D. Pauli paupertas.*

Similiter nemo debet persuadere sibi, gratis consignata esse in Scripturis penulam, libros, & membranas, quæ reliquerat Troade apud Carpum Apostolus; sed vt singulare, & paupertatis, & religionis ipsius exemplum probaretur. Paupertatis quidem, quod Paulus totius orbis Doctor Timotheo totius Asiæ primati nullas alias diuitias, quàm penulam fortè obtritam & obsoletam, & paucos libros, & membranas commendaret. Mundi Principes ab externis prouincijs, quibus per suos ministros præsunt, ingentes diuitias requirunt: Paulus autem vnam tantum penulam, non quidem indebitam, imperat afferri, sed depositam exigit: ne cui in carcere grauis esset; sed vt ipse contra aeris, hyemisque iniurias corpus suum communire posset: Hyems enim instabat, & penula capitur pro pallio, aut veste simili extima, ad frigus & pluuiam arcendam. Sic enim de penula scribit iuue-

Penula idem quod pallium.

Iuuenalis Satyra 5.

——— *Et multo ſtillaret penula nimbo.*

Et Lampridius in Seuero, *Penulis*, inquit, *intra vrbem frigoris cauſa vt ſenes vterentur permiſit, cū id veſtimenti genus ſemper itinerarium aut pluuiæ fuiſſet.* Ita Lazarus Bayphius lib. de re veſtiaria.

Itaque ab illo Primate non alia munera, ſed ſua tantum, eaque exigua repoſcit. Quid dico ſua, Nam vt bene D. Hieronymus ibi obſeruauit, non dixit penulam meam, vel quia propria non erat, ſed commodata: vel quia paupertatis amator nullius rei tanquam propriæ ſibi dominium vendicabat. Religionis verò exemplum hinc elucet, quod dicit: *maximè autem membranas*: hoc eſt interprete Theodoreto, diuinas ſcripturas: quas in membranis deſcribebant. Quaſi Paulus, & ſi penulam, libros, membranaſque exegerit: facilè tamen cæterorum omnium iacturam pateretur, dummodo membranæ ſeu ſcripturæ ſanctæ ad eum incolumes adducerētur. Rurſum hinc patet, quantopere Paulus ſtudio ſacræ Scripturæ fuerit deditus, vt illi immori vellet. Petit enim in carcere, & morti vicinus afferri ſibi libros, & membranas, in quibus ſcilicet ſcripta erat S. Scriptura, ſiue libri veteris teſtamenti. Libros vocat vetuſtiores, ab alijs ſcriptos; membranas verò recentiores à ſe conſcriptos.

Singularis D. Pauli in ſacram ſcripturam religio.

8. *Canis Tobiæ, gratitudinis exemplum.*

Veniamus modò ad canem Tobiæ. Scriptura itaque mentionem facit, quòd blandimento ſuæ caudæ gauderet, vt doceret homines gratitudinis officium, teſte Ambroſio lib. 6. Hexamer cap. 4. *Canem*, inquit, *Raphael non otioſe ſibi, & Tobiæ filio adiungendum putauit: memoris enim affectus gratia pellitur dæmonium, ſtabilitur coniugium.* Et paulò poſt: *Muta*, inquit, *ſpecie, beſtia, ſanctus Raphael Angelus, Tobiæ inuenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ trudebat affectum. Quis enim non erubeſcat, gratiam bene de ſe merentibus non referre, cùm videat etiam beſtias refugere crimen ingrati? Et illa impertitæ alimoniæ ſeruant memoriam, tu non ſeruas ſalutis acceptæ.* Hebræus Sapiens Prouerb. 6. pigrum ablegat ad formicam, vt diſcat in neceſſitate ſibi procurare hyemis annonam. Iob. cap. 12. cùm tres amici eius patum officioſè & vrbanè cum illo agerent, quaſi ipſi altiſſimam tenerent abditarum rerum cognitionem, modeſtè illos reprehendit, docetque ſcientiam illam neminī eſſe ignotam, qui mediocri ſit ingenio, & paulò attentius rerum naturas, & obuias proprietates conſiderare voluerit, cùm nulla ſit creatura, quantumcumque rationis, ſenſus, imò & vitæ expers, à qua homo illa doceri non poſſit, quæ tam illi, de ſe ſuperbè, prædicant: *Nimirum*, inquit, *interroga iumenta, & docebunt te; & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terra, & reſpondebit tibi:*

& narrabunt piſces maris. Hæc Iobus animalia conſuli ab amicis iubet, cùm volebant Deum à nemine, quam à peccatore pœnas exigere, & ab ipſis animalibus diſcere, quibus Deus aut largiatur bona; aut inferat mala, cùm præferoces belluæ, atque carniuoræ exultent, & graſſentur impunè; innoxiæ verò, manſuetæ, & dociles, aliarum ſint alimentum, & præda.

Ab eiſdem discimus gratos eſſe.

Ab iſdem ergo licet gratitudinem diſcere. Nam & volucres cæli ſuo authori & benefactori Deo, gratiſſimæ, noſtram ingratitudinem deteſtantur. Optimè D. Ambroſius lib. 5. Examer. cap. 12. de auiculis loquutus: *Surgente*, inquit, *& occidente die, ſuos tantum inſtaurare conſueuerunt, vt decurſi, vel adoriendi temporis laudes ſuo referant creatori.* Et ſtatim: *Quis*, inquit, *ſenſum hominis gerens, non erubeſcat, ſine pſalmorum celebritate diem claudere, cùm etiam minutiſſimæ aues ſolemni deuotione, & dulci carmine ortus dierum, ac noctium proſequantur?*

9. *Canis Tobiæ nuntius aduenientis ſuis ad exhilarandos parentes.*

Vir doctiſſimus in ſacris Scripturis, Eſtius, valdè ideò in ſacra pagina mentionem fieri de Tobiæ cane, quòd fuerit nuncius aduenientis ad exhilarandum parentes: *Solent*, inquit, *nonnulli mirari, quomodo hæc tam minuta, & leuia ſcripta ſint, dictante Spiritu ſancto; & veluti in dubium reuocant, an neceſſariò credendum ſit, canem habuiſſe caudam. Quibus reſpondeo, non cenſenda eſſe minuta & leuia, quia iuſtam habuerunt cauſam cur ſcriberentur, quale iſtud eſt de cane Tobiæ. Deſcribitur enim hic canis, tanquam nuncius aduenientis, vt ſcriptura loquitur, hoc eſt, vt nuncius filij aduenientis, quo tantopere pij illi parentes ſunt recreati.* Neque hoc mirum eſt, cùm Geneſ. 8. columba emiſſa ex arca Noe, cum aquæ, vſque ad arbores & terram eſſent diminutæ, redierit ad illum veſperi *portans ramum oliuæ, virentibus foliis in ore ſuo*, quo Noe, ſignificauit aquas ceſſaſſe ſuper terram. Idem Eſtius adhuc aliam rationem adiungit, videlicet per hoc doceri, Dei prouidentiam vſque ad minutiſſima ſe extendere: *Deinde*, inquit, *ad huiuſmodi per ſe exigua ſcribenda, idcirco Spiritus ſanctus monit authores ſacros, vt doceret Dei prouidentiam ad omnia omninò, etiam minutiſſima extendi iuxta illud Matth. cap. 10. Vnus paſſer non cadit in terram ſine voluntate patris.*

Diuinæ prouidentiæ amplitudo ab animalibus nobis propoſita.

Voluit etiam Deus à brutis animantibus diſcamus amplitudinem diuinæ prouidentiæ, in quam recumbamus. Hanc enim vt apertiſſimam faciat, non adducit, Matth. 6. ad euitandam nimiam ſolicitudinem paſtum in deſerto Iſraelem annis quadraginta: non laudat Eliam à coruis nutritum, ſed brutas animantes obijcit, idque non leones, vrſos, elephantes, aut alia id genus grandia animalia, quæ & ipſa diuinitùs paſcuntur, ſed animalium minima, auiculas, quæ cùm cantui ferè vacent, & veluti obiter ſumant cibum,

maximè à ſollicitudine liberæ videntur.

10. *Blandimentum canis ſignificat, Nihil in domo Tobiæ fuiſſe ſine gaudio.*

Sanctius vir in ſacris litteris expliceandis ſagaciſſimus hoc loco exiſtimat ideò Scripturã huius meminiſſe, vt oſtenderet Deus nihil in domo Tobiæ fuiſſe ſine gaudio. *Nihil eſt*, inquit, *in Scriptura ſacra otioſum, non iota, non apex, atque ideò neque canis hic domeſticus, neque illius cauda familiare blandimentum. Quo ſignificatur quàm ſit Deus in cumulandis ſuis ſeruis liberalis, & prouidus, qui in Tobiæ domo nihil voluit expers eſſe lætitiæ, nihil quod non exhilaret maſtam priùs, & ſollicitam domum. Quaſi nihil ſit in illis etiam, quibus rationis vſus negatus eſt, quod in iuſti lætitia non exultet, & gaudente Deo, non gaudeat. Aliquid ſimile refert Homerus Odyſſ. 15. & 16.* Quod omninò probabile. Cùm enim Deus vellet familiam aliquam penitus contriſtare, & extirpare, iubebat omnes occidi, vſque ad mingentem ad parietem, id eſt, canem. Hic è contra voluit etiam canem ſigna lætitiæ edere.

11. Puteanus è D. Auguſtini familia vir eruditiſſimus Tom. 3. Commentar. in Summam D. Thomæ, quæſt. 1. art. 1. dubit. vltima, docet verba Capitis 6. de cane: *Profectus eſt Tobias, & canis ſecutus eſt eum*; pertinere ad articulos fidei Chriſtianæ, quod illa ſint expreſſa in ſacris litteris: *Nihil*, inquit, *datur in ſacris codicibus, quod non fuerit à Deo reuelatum, quodq; non pertineat ad fidem Catholicam, vt definitum eſt in Trid. in decreto de libris Canonicis.* Et immediatè poſt ſubijcit: *Hiſtoria iſta de cane Tobiæ conducit ad ſalutem æternam*; *ait enim Paulus 2. Timoth. 3. Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Quid ni & illud, quod modò tractamus de cane redeunte, & gaudente blandimento ſuæ caudæ? Idem Auctor docet non eſſe contemnendam hanc Scripturam, quamuis eam non intelligamus: *Licet*, inquit, *vtilitas iſtius hiſtoriæ ſumpta in particulari, non ſatis euidenter intelligatur à nobis*; *non tamen propterea neganda eſt: multa ſiquidem continentur in ſacris literis virtute & ſimpliciter, quæ non percipiuntur à nobis; intelligentur tamen à poſteris noſtris, ſi tamen id Deus iudicauerit eſſe conueniens, propter bonum vniuerſalis Eccleſiæ.* Itaque pro hoc tempore hæc de cane ſufficiant, donec meliora affulſerint.

Vtilis eſt quamuis ſæpe pluria, quam nos lateat eius vtilitas.

CAPITIS VNDECIMI

VERSVS XIII.

Tunc ſumens Tobias de ſelle piſcis, liniuit oculos patris ſui.

Verſ. 14. *Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horam: & cæpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana ouis, egredi.*

Verſ. 15. *Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recepit.*

Verſ. 16. *Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & vxor eius, & omnes qui ſciebant eum.*

Verſ. 17. *Dicebatque Tobias: Benedico te Domine Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 13. 14. 15. 16. & 17. Quàm primùm fecit ſenior Tobias, filius paternos oculos inunxit felle piſcis, vt didicerat ab Angelo. Et poſt mediam horam impedimentum illud excidit, quod exterius videndi etiam facultatem adimebat, quod erat membranula quædam, qualis ſolet eſſe in ouo. Quam abſtraxit primum Tobias iunior, deinde viſum recepit. Vnde gratias agit Deo ſenior Tobias, ſimul cum vxore, totaque familia, & cognatione, quod percuſſiſſet prius, deinde ſanaſſet, & poſt ablatum oculorum lumen, remque domeſticam, & opes vel ereptas, vel exhauſtas, omnia cumulatè reſtituerit, viſum ſcilicet oculorum, fortunas, & filium, quem gaudebat mirificè, ſeſe propriis oculis iam cernere.

SECTIO SEXTA.

An miraculosè sanatus sit à cæcitate corporali Tobias? Et an remedium reperire sit in sacra Scriptura, cæcitatibus spiritualibus quibusdam, aliisque morbis?

1. TOBIAS iunior postquam amplexu & osculo paterno exceptus, cum parentibus adorasset Dominum, & gratias egisset pro felici reditu, consederunt omnes. Quo facto, non distulit filius, quod didicerat ab Angelo, felle videlicet piscis paternos inungere ocutlos à quibus post mediam horam abstraxit albuginem: ita vt statim vitium receperit pater. Multum refert ad Dei gloriam, an supernaturaliter oculi senioris curati, an naturaliter?

Prima opinio.

2. Variant in hoc Authores. Nicolaus Serarius quæst. 2. in hunc locum, vult supernaturale fuisse, quod fel hoc, Raphael Angelus filio monstraret; naturale autem opinatur ex eo monstrato & oculis appositio cæcitatem fuisse curatam. Neque magnopere repugnãdum credit, si quis ad celeritatem dimidiæ horæ, diuinâ vi opus fuisse contendat.

Monstratione fellis fuisse supernaturalem, curationem narratam.

3. Franciscus Vallesius cap. 42. de sacra Philosophia non longè ab eo recedit: sic enim ait, postquam de curatione oculorum senioris Tobiæ multùm disseruisset, *Omnia*, inquit, *hæc per naturales causas euenerunt Tobiæ, permissu tamen Dei, qui primùm quidem virum sanctissimum morbo tanto probari voluit, deinde medicamen idoneum, cùm sibi placitum est, reuelauit, & in maiorẽ sui gloriam auxit virtutem medicamenti: vt hinc euidenter constet, eam etiam sanitatem, quam Medicorum industriâ recepimus, esse in Dei benignitatem referendam, qui illa pro re præsenti idonea indicat medicamina.* Dum ergo ait, medicamen fuisse reuelatum, insinuat fuisse supernaturale: & cùm subiungit, sanitatem industriâ Medicorum receptam indicat curationem fuisse naturalẽ, quod antea magis explicat, cùm inquit ad extergendas albugines inueteratas, nil magis à Medicis celebratum esse, quàm fel; & inter omnia eius genera omnium maximè commẽdari fel Callionymi piscis, & mox Hyenæ. Ad hoc confirmandum adducit auctoritatẽ Galeni, Plinij, & aliorum: *Galenus 10. de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 12. ita inquit: Porrò quorundam animalium singulariter bilis à medicis extollitur, tanquam aciem exacuat Mauden in Tobiam.*

Fel Callionymi & Hyænæ medetur albugini oculorũ.

oculorum, & suffusionum initia digerat, velut piscis, quem vocant Callionymum, Hyænæ, & scorpij marini, tum galli, & perdicis. Itaq; primas defert Galenus hac in re bilis Callionymi piscis, secundas Hyænæ. Plinius quoq; cap. 7. lib. 32. ita scripsit: Callionymi fel cicatrices sanat, & carnes oculorum superuacaneas consumit; nulli hoc piscium copiosius vt existimauit Menander in Comœdijs. Itaque dicit Plinius, & ex sua, & Menandri auctoritate huic pisci fel esse copiosius, quàm vllialiorum, idque albugines sanare. Idem dicit Ælianus, idem & Odoardus Oxonienſis, qui diligentissimè nuper scripsit de animalium differentijs. An fuerit autem Callionymus piscis ille, ex quo fel habuit Tobias, incertum est.

Estius in notis huius Cap. 11. existimat fuisse curationẽ miraculosam, tũ quòd nulla naturalis historia, vt ipse credit, referat fel alicuius piscis efficax, ad tollendam ab oculo eiusmodi albuginem, aut pelliculam; tum etiam, quia calida stercora, quæ inciderant in oculos Tobiæ lumina verè extinxerint, sicut calx extinguere solet.

4. Opinio. Curationem fuisse miraculosam.

Ad conciliandos hos auctores, necesse primùm scire, diuersas dari causas cæcitatis corporalis. Prima est naturalis, quæ est ab ortu hominis, eaque tribui debet vitio materni vel paterni seminis, aut defectui virtutis formatiuæ ipsius fœtus in vtero matris; Ob cuius virtutis defectum, organum oculi incapax fuit virtutis visiuæ. Talis fuit cæcitas cæci nati, de quo Ioan. 9. resoluit Dominus ex peccato patentum non esse cæcum: *Neque hic peccauit*, inquit, *neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* quasi dicat. A causa naturali prodijt, sed ex mea ordinatione, vt per eius illuminationem diuina opera manifestarentur.

5. Diuersa causa cæcitatis. 1. est naturalis.

Altera causa cæcitatis, est humana, eaque duplex. Vel enim quis per vim ab alio homine cæcatur, effossis oculis, aut corruptis: vel à seipso cæcatur: cùm ipse sibi est causa cæcitatis, quæ ei accidit. Hoc autem fieri potest, & cum vitio, & culpa hominis, & cum laude: Cum vitio, si cui ob intemperantiam cibi, potus, aut veneris, cæcitas contingat. Cum laude, si ob assiduum luctum peccatorum suorum, vel frequentem, & copiosam in precando

6. 2. est humana, & duplex.

cando Deum, lachrymarum profusionem, perdat quis visum, cæcusque fiat.

3. *diuina, quæ est duplex.*

Tertia cæcitatis causa, quæ diuina dicitur, est duplex, vel omninò à Deo profecta, qualis fuit cæcitas Pauli qua percussus est à Deo in sua vocatione, & conuersione ad Christum, Act. 9. (Et ea, quâ per Paulum Deus percussit Elymam illum magum, Act. 13.) quæ non videtur fuisse intrinseca, nimirum sita in læsione organi, puta in deficcatione, vel extinctione humoris chrystallini, vel tunicæ ocularis: sed extrinseca, scilicet quod oculi eius obducti fuerint pelliculis, quasi squamis. Vel hæc cæcitas est partim à causa proueniens naturali: ordinatiuè autem diuina, quòd eam fieri permittens Deus ordinauit ad magnum aliquod bonum. Talis fuit cæcitas Tobiæ (vti & cæci nati) quæ ex calido hirundinum stercore, in oculos eius dilapso, naturaliter facta est, & à Deo ad illustrem virtutis eius probationem, & in exemplum posterorum ordinata fuit: quæ secundum aliquos videtur fuisse intrinseca, quia c. 2. dicitur plaga cæcitatis secundũ alios, & cõmunem, extrinseca, nempe sita in pellicula ex humore concreta, & visum impediẽte.

7. *Naturalis est humana cæcitas naturaliter incurabilis.*

Duæ igitur priores cæcitates naturaliter curari non possunt; quod vt Dominus ostenderet Ioan. 9. exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius. Contraria enim medicamenta adhibuit, vt ostenderet se diuina virtute operari. Quam causam affert Chrysostomus hom. 4. in 1. ad Corinth. Cùm enim eius opera dæmoni nonnulli attribuerent, luto ad exsiccandum potius apto, visum restituit: & posito etiam, quod daremus dæmonem alicui cæco visum restituere, id non posset per contrarias virtutes, sed applicando virtutes naturales creaturarum accommodatas visioni. Secundò id fecit, eo modo. Christus, vt illo facto ostenderet se esse eundem, qui à principio totum hominem fecerat. Creauerat Deus à principio hominem de limo terræ, nunc partem quamdam etiam limo quodam terræ reparat; vt dum eadem materiâ vtitur ad partem reparandam, credatur ille esse, qui de eadem materia totum fecit hominem: sicut si magnus quidam artifex statuam insignẽ faceret, & vt ille ipse auctor statuæ crederetur, relinqueret vnam partem imperfectam, quam omnibus perficiẽdam proponeret; vt dũ nemo inueniretur qui id valeret efficere, ipse superueniens & perficiens, ipsa perfectione, se fuisse totius auctorẽ probaret. Sic fecit Christus in huius hominis creatione: reliqui oculos imperfectos, quos nulla ars, nulla vis naturalis potuit efficere perfectos, etiãsi ad multos annos imperfecta exspectauerit; superuenit tandem idem artifex, & perficit, eadem materiâ vtens, quâ à principio erat vsus, hacque perfectione se totius hominis auctorem manifestat. Hanc rationem huius mysterij adducunt Ambrosius epist. 75. ad Bellicium, & Chrysostomus hom. 56. in Ioan. & ante eos Irenæus lib. 5. cap. 15.

8. *3. cæcitas, sitas extrinseca naturaliter curari potest.*

Tertia cæcitas naturaliter curari potest, quia est tantum pellicula, quæ oculos tegit, & felle plurium piscium applicato oculis, à medicis curari potest; sicut & illa, quæ hodie multis contingit ex humore defluente in pelliculam concreto, oculosque velante, quam videmus sæpè peritos Chirurgos arte sua curare, acu pelliculam auferendo. Quæ tamen cæcitas in Paulo miraculosè sanata est, per impositionem manuum Ananiæ, viri inter fideles insignis (vt ipse Paulus insinuat Act. 22. versus 12.) Inquit enim Scriptura Act. 9. *Et abiit Ananias, & introiuit in domum: & imponẽs ei manus dixit, Saule frater, Dominus misit me* IESVS, *qui apparuit tibi in via, qua veniebas: vt videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit.* Quamuis enim hæc cæcitas curari posset remedio naturali; per impositionem tamen manus nullatenus curari potuit, nisi supernaturaliter, quòd illa non esset remedium appositum.

9. *Tobiæ cæcitas, quamuis extrinseca miraculosè fuit sanata, & tenet quæst.*

Quod autem ad Tobiæ cæcitatem attinet; si ea intrinseca fuit, vt sustinet Estius, ex eo quòd *plaga cæcitatis* dicatur cap. 2. quodque albugo etiam veræ cæcitati supercrescat, necessariò debuit supernaturaliter curari: si verò extrinseca tantum fuerit, vt communior tenet sententia, sic naturaliter curari potuit virtute fellis: videtur tamen supernaturaliter curata, quod fel inueteratæ albugini non tam citò posset ferre medelam. Sicuti ergo lepra Naamam Principis militiæ Syriæ septenâ lotione in aquis Iordanis (quæ per se quidem vtiles esse potuerunt ad eluendam omnem cutis immunditiam; tamen sufficiens non fuit ad tam citò sanandam inueteratam lepram) miraculosè sanata est, ita cæcitas Tobiæ miraculosè curata dici debuit, etsi albugo naturaliter tolli poterat vno eodemque remedio. Quod nemini mirum videri debet, quandoquidem etiam admorto cataplasmatis, quod ex massa carricarum adhibuit Esaias Vates vlceri Ezechiæ Regis curando, & naturaliter proficuum, illud tamen non sanauit; sed diuina virtus, quæ huic adfuit iuxta communem Doctorum sentẽtiam, qui docent tam subitò vlcus naturaliter proficuum vires non potuisse curari. Medici florentissimi Francisci Vallesij dumtaxat sententiam apponam: *Etsi*, inquit, *est indicatum ficus vim medicamentosam habere, ad illius morbi curationem accommodatam: tantam verò non habent, vt qui ægrotabat vsque ad mortem, die tertia posset sanus*

sanus in templum ascendere, vt Ezechias euasit, nisi Deus peculiari auxilio, & foliis maiori vim medicaminis vim auxisset.

10. *Quomodo dignoscendi verum miraculum.*

Habes, mi Christiane, rationem, vnde miraculum dignoscas, nempe cùm vel malum remediis naturalibus, & humanâ ope curari non potest: aut si queat illis curari, non tamen tam subitò, adeoque in huiusmodi eusu soli Deo gloriam deberi. Et ne fine vlteriore fructu abeas, accipe & aliud documentum ex hac subitanea curatione Tobiæ, videlicet non tam fidendum medicamentorum facultatibus, quàm gratiæ Dei, qui his ipsis assuret. Nam fauente Numine medicamenta etiam mediocria plurimùm possunt. Argumento est Ezechias loc. cit. & Tobias hîc. Illo non fauente tota medendi ars nihil efficit, argumento est Asa Rex, qui ex podagra mortuus est intra triennium, neque excessit quadragesimum primum ætatis annum, quia vt dicitur cap. 16. secundi Paralip. *Neque in infirmitate sua quæsiuit Deum, sed magis in Medicorum arte confidit.* Ita ergo fidendum arti est, vt Deum potiùs quæras: ita verò orandus Deus, vt artem non temnas, quandoquidem & sancti Dei viri medicamentis vtebatur, scilicet, vt apud homines commendaretur medicina, vt factum Dei donum.

Non tam medicinæ fidendum est, quàm Deo.

11. *Scriptura S. per curationes corporales, hominem ducit ad spiritualia.*

Sed forsitan quebis scire, an etiam morbis, & cæcitatibus spiritualibus remedia præscribat sacra pagina. Audi mi homo, Sacra pagina, sicut corporalium quorundam morborum continet medicamenta; ita multò magis spiritualium. Nam per curationes corporales miraculosè procuratas, ad spiritualia hominem ducit, vt palam est in Euangelio ex miraculis Christi. Pulchrè Augustinus serm. 44. de verbis Domini: *Dominus noster* IESVS CHRISTVS, inquit, *ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula, propter miracula faciebat, sed vt illa quæ faciebat mira essent videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodum qui videt literas in codice optimè scripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem, sed quid sibi velint, quid indicent illi apices, nescit, & est oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem & laudat artificium, & capit intellectum, ille vtique qui non solum videre, quod commune est omnibus, potest, sed etiam legere, quod qui non didicit non potest. Ita qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt quid sibi vellent, & quid intelligentibus quodam modo innuerent, mirati sunt tantum quia facta sunt. Alij verò & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus.*

12. *Scriptura est singulare myrotheciû ad animi*

Sicut ergo in myropolio omnia corporalium membrorum medicamenta reperiuntur: ita planè in Scriptura omnia spiritualium. Vnde sapiens loquutus de Hebræis, qui inter Ægyptios multis plagis sauciatos, incolumes consistebant: *Neque verba*, inquit, *neque malagma sanauit; sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.* Sap. 16. vers. 12. Quasi ab hoc vno myrotheco omnia morborum remedia depromantur. Et Dauid: *Misit*, inquit, *verbum suum, & sanauit eos.* Psalm. 106. Quasi hoc vnum sit panchrestum omnium ægritudinum medicamen. Quare nullius ita est desperata ægritudo, vt si ad scripturam confugiat, medicamentum non inueniat, quo facilè conualescat, Quod D. Basilius in epist. 1. ad Gregorium Theologum expressit: *Ab scriptura*, inquit, *vnusquisq; tanquam ab officina medicina appositum sua infirmitati medicamentum inuenire poterit.* Quod exemplis illustrat. Nam si quis morbo incontinentiæ laborat; eximiam Iosephi castitatem recognoscat. Si laborum pondere frangitur; infractum Iobi animum contempletur. Si iniurijs lacessitus stomachatur, Dauidis clementiam intuitus detumescat. Si prouocatus suorum rebellionibus in vindictam exardescit; Moysis singulari mansuetudine admonitus, iras ponat, ac toto animo tranquilletur. Ita ferè D. Basilius de hac re philosophatur. Eandem Philosophandi rationem tenet D. Chrys. hom. 29. in Genes. nam de sacris literis loquutus: *Nulla*, inquit, *est in humana natura, vel corporis, vel animæ passio, qua medicinam hinc accipere nequeat.*

morbos curandos.

Cuique animi infirmitati in Scriptura conueniens remedium est.

Certè D. Augustinus libr. 9. confess. cap. 4. videns à Manichæis diuinas literas contemni: *Quàm vehementi*, inquit, *& acri dolore indignabar Manichæis, & miserebar eos rursus quod illa sacramenta, illa medicamenta nescirent, & insani essent aduersus antidotum, quo sani esse potuissent?* Dauid diuina oracula editurus, *Audite*, inquit, *hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quiq; terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper*, Psalm. 48. Quorsum verò tam multos vocat ad audiendum, nisi vt omnes remedium suis vulneribus necessarium ex auditis consequantur? Quod D. Ambrosius expendens ad eum locum: *Omnes*, inquit, *vocantur ad Ecclesiam, vt omnes redimantur à Christo. Qui ager est, medicum inuenit; qui sanus, sapientiam acquirit: captiuus redemptorem: liber remuneratorem. Omnes ædificat Scriptura diuina. In ea inuenit vnusquisq; quo aut vulnera sua curet, aut merita confirmet.*

13.

Manna scripturæ symbolum præsens medicina.

Vnde manna aptissimum diuinæ scripturæ symbolum, vt ex dicendis patebit, coriandro confertur, Exod. 16. Nam vt refert D. Cyrillus Alexand. lib. 3. in Ioan. cap. 34. Sicut coriander ob insitam à natura frigiditatẽ, immoderatis æstibus medetur: *Ita*, inquit, *frigidior est diuini sermonis virtus, passionum ardores frigiditate sua extinguens.* Adde sicut populus illo pane cælesti conuiuatus non ægrotabat; iuxta illud: *Non erat in tribubus eorum in-*

firmus, Psalm. 104. ita qui diuinis eloquiis vel-cuntur, nullis passionibus laborare. Quod significauit D. Chrysost. hom 36. in Ioan. 5. ad illa verba: *Vis sanus fieri: Omnium*, inquit, *medicinarum thesaurus, diuina scriptura sunt, & siue stultitiam exuere, siue affectus sedare; siue pecuniarum cupiditatem expellere: siue dolores contemnere: siue fortem animum induere: siue aduersa aequo animo tolerare velimus, quàm plurima hinc remedia inuenire possimus.*

Scriptura medicinæ omnium thesaurus.

14. *Medicum agit Christus variis sanans scripturæ medicaminibus.*

His medicamentis vsus fuit Samaritanus ille, qui in hominem à latronibus vulneratum incurrit: *Nam appropians alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum*, Luc. 10. Vbi D. Ambrosius Christum Dominum per hunc Samaritanum ad literam interpretatus: *Multa*, inquit, *medicamina medicus habet iste, quibus sanare consuuit. Sermo eius medicamentum est. Alius eius sermo constringit vulnera, alius oleo fouet: alius vinum infundit. Constringit vulnera austeriore præcepto: fouet remissione peccati: sicut vino, compungit denuntiatione iudicij.* Vbi omnia medicamentorum genera, & lenitora, & austeriora in diuino sermone, seu in diuina scriptura inclusa referuntur.

15. *Tres sunt cæcitates spirituales. 1 eorum qui se iustos putant, cum sint Deo contemptui.*

Specialius, tres regnant cæcitates spirituales admodum noxiæ, quas sacra pagina nobis pandit. Prima est eorum, qui se putant admodum iustos, cùm sint coram Deo contemptibiles. Talis fuit Pharisæus ille Luc. 18. qui oraturus dicebat: *Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus: ieiunio bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo.* Talis quoque fuit superior ille Apocal. 3. qui seipsum magnificabat, & à Deo contrarium intelligit, nempe se esse in statu mortali, quem & incipiet euomere ex ore suo. *quia dicis*: inquit, *Quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* En quàm diuersa Dei iudicia, & hominum! Tu gloriaris de tua innocentia, & sanctitate, quasi diues esses virtutibus, & nullius auxilio egeres: Ego te contra pauperem iudico, carentem charitate, cæcum, & imprudentem in rebus agendis, ac nudum operibus bonis per præfidentiam, & hypocrisin. Pulchrè S. Gregorius libr. 34. Moral. cap. 3. hæc Apocal. verba explicat: *Quasi diuitem se asserit*, inquit, *qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper cæcusq; & nudus arguitur. Pauper vtique, quia virtutum diuitias non habet: cæcus quia nec paupertatem quam patitur, videt: nudus, quia primam stolam perdidit: sed peius, quia nec perdidisse se cognoscit. Quia ergo egestas reproborum, est defraudatio meritorum, rectè de Leuiathan dicitur: faciem eius præcedit egestas.* Autea est sententia S. Augustini num. 27. *Nemo, ait, tam eruditus, nemo tam doctus est, qui supernæ illustratione non egeat. Non enim vlli ita diuinorum bonorum augmenta sufficiunt, vt non semper superfit, quod mens rationalis & intelligendum desideret, & gerendum.*

Arrogans sanctitatis, cæcus est.

Hac cæcitate laborant Christiani quàm plurimi, qui pessima vitia occuire communiunt: qui palam alijs detrahunt, & nihil mali se patrare arbitrantur. Tales denique cæci erant illi, qui arbitrabantur se obsequiũ præstare Deo, si Apostolos occiderent: *Venit hora*, inquit Christus, *vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*, Ioann. 16.

Altera cæcitas est eorum, qui ex mala intentione opus bonum aggrediuntur, neque in eo aliquod peccatum aduertunt. Talis fuit Absalon, qui admodum humanus, obsequiosus, & modestus fuit erga populum. *Primo diluculo stetit ad portam regiam: velut ianitor; & vbi quispiam accessit salutaturus illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum.*

16. *2. eorum, qui mala intentione opus bonum faciunt.*

Quis vnquam regij sanguinis iuuenem æqualis vidit esse humanitatis? nam si quis negotia in aula tractaturus venisset, eum humanissimè ad se vocatum interrogabat, è qua ciuitate adesset. quod ibi cognouisset, familiarissimè solatus hominem: *Videntur, mihi, aiebat, sermones tui iusti & boni, sed non est qui te audiat constitutus à Rege.* O mitem, ô benignum Dominum, & quàm olim idoneus eric, qui ad regni gubernaculum sedeat, & imperet! Nam audite: *quis me*, inquit, *constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuste iudicem?* En, tam laboris, quàm iustitiæ amantissimum. Sed *quorsum* omnis illa mansuetudo, & prolixa humanitas, quorsum tot blanda obsequia? quorsum tam manè surgit, aduentores & hospites manu prensos osculatur, se iudicem promittit, nisi vt coronam regiam parentis capiti decutiat, & imponat suo? En quanta cæcitas, bonum opus alijs offert, sed finis gehennam clamat: *Si oculus tuus*, inquit Christus, *simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Luc. 11.

Absalonis exemplum.

Rursum Absalon sacrificium, & peregrinationem vouit, eaque de causa à domino parente abeundi veniam petens: *Vadam*, inquit, *& reddam vota mea quæ vouit Domino in Hebron. vouens enim vouit seruus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ dicens: Si reduxerit me Dominus in Hierusalem sacrificabo Domino.* Quid porrò sanctus, quàm vouere Deo, & reddere? Eximius ille actus est; sed quia eò tendebat, vt optimum patrem solio pelleret, pœnam grauissimam commeruit. Grandis ergo hæc cæcitas.

Vulpes illa Galilæa Herodes, cùm ad Christi pueri præsepe, atque straminea cu-

Herodis exemplum.

nas

nas, tres ab ortu, magni Principes venirent adorate eum, & de illo inquirerent, *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum*, grandi ore pronuntiabat: *Cùm inueneritis, renunciate mihi: vt & ego veniens adorem eum*: Sed quia finis erat, vt infantulum recèns natum in cunis iugularet, non vt adoraret, quemadmodum tres illi Reges, totum opus vitiauit. Magna cæcitas, aliorum exitio intendere, & non videre grauiorem sibi noxam. Quàm verò in aulis Principum frequens, quàm penè quotidianum est, simulare & dissimulare, manus osculari & amplissimè porrigere, ad aliorum genua se submittere, mille delicias facere, ceremoniarum nil omittere, omne obsequium polliceri, amicissimum se fingere, verba sesamo & papauere sparsa ingerere, merum mel loqui. Sed vbi cor & intentio? Lingua in melle; cor in felle. Inter vulgares illud non minus frequens est: vnde cecinit quidam, *Annis mille iam peractis, Fides nulla est in pactis, Mel in ore, verba lactis, Fel in corde, fraus in factis.*

Reprehenduntur aulici, quorum verba minimè respondent animo.

17. *3. cæcitas, qui peccantes à Deo non videri putant.*

Tertia eorum est, qui mala audacter perpetrant, & vsque adeò cæci sunt, quòd credant Deum illa non videre. Talis fuit Cain, qui fratrem ducebat in agrum, ibiq; intrepidè occidit existimans hoc Deum, sicut homines, latere. Respondit enim Deo scisciranti: *Vbi est Abel frater tuus? Num custos fratris mei sum ego?* Tales fuerunt primi omnium parentes, qui cùm post peccatum audirent vocem Dei deambulantis in paradiso, *Absconderunt se, quasi eos videre non posset*, quem nihil latet. Tales, inquam fuerunt seniores illi Daniel. 13. qui Susannæ dicebant: *Ecce ostia pomerij clausa sunt, & nemo nos videt: assentire nobis.* Talis denique ille, qui iuxta Siracidem Eccles. 22. *Quis*, inquit, *me videt? tenebræ circumdant me, & paries cooperiũt, & nemo circumspicit me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur altissimus.* Quot modò hac cæcitate laborant, qui in multa peccata non inciderent, si ab hominibus ea videri scirent; Deum verò intueri, aut ignorant, aut non curant! Hæc sanè densissima est cæcitas.

18. *Remedium 2. cæcitatis est, ornare se puris virtutũ operibus.*

Habes oculorum morbos, accipe remedium. Christus Dominus ptioti cæco hocipsum præscripsit: *Suadeo*, inquit, *tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris*, scilicet innocentiâ, vitæ puritate, sanctis & puris virtutum operibus; quemadmodum postea monuit Apostolus Colossenses cap. 3. *Induite vos sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ*, benignitatem, humilitatem, modestiam & parientiam: *Et collyrio iunge oculos tuos, vt videas*: Cor, inquit, verâ humilitate purifica, vt paupertatem videas, & diuitias bonitatis Dei agnoscas: ne pernicioſa tuipsius ignoratione, & præfidentiâ labores. *Collyrio*, inquit Gregorius, *oculos iungimus, vt videamus, cùm ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectum nostri acumen medicamine bonæ operationis purgamus.* Rursum *collyrio iunge oculos tuos*, hoc est, pœnitentia & compunctione cordis, quæ instar collyrij initio oculum pũgit, & turbat, deinde noxios humores ex eo per lachrymas educit. Collyrium autem est pharmacum oculorum, præsertim lippitudinis, quo reprimit pituitam & noxium humorem, qui ad oculos fluens visum impedit. Fit verò ex saccharo & aqua rosacea, ac tuzia, quæ est spuma subnigra argenti inueniturque in fodinis argenti. Inde habet venulas argenti, estque friabilis; vt fiat instar arenæ subnigræ. Ab ea collyrium est subnigrum, ac mordicans, & pungens instar argenti & arenæ. Vnde Horatius lib. 1. Serm. Satyra 5.

Quid collyrio iungere oculos significet

Collyrium propriè quid sit

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus Illinere.

19. *2. remedium est, bona intentione opus bonum aggredi.*

Remedium alterius cæcitatis est, verum sibi scopum habere propositum in operibus bonis, id est, gloriam Dei. Vnde Apostolus Ephes. 6. præcepit Ephesianis id cordi imprimere: *Non*, inquit, *ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo.* Vtque hoc altius infigat, idipsum ingeminat, *Cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus.* Nam opera nostra non ponderat Deus, neque æstimat ex opinione vulgi, aut nitore exteriori, aut oculorum fide; sed è sola intentione cordis. Quoties nobilissima opera vix vnius drachmæ censentur, quæ à Deo æquissimo rerum æstimatore velut centenarium argenti pondus recipiuntur? Aera duo minuta Hebrææ viduæ quantilli pretij credebantur, ad illam argenti molem, quæ à Pharisæis iactabatur? & tamen hanc illa longè superabant. Quam ponderosæ videri poterant Pharisæi in templo se laudantis preces, ieiunia eleemosynæ, vix æquabant dilcolorem lapillum; frigidissimis hominum elogijs omnia pensari poterant. Magnoperè æstimat Deus simplicem oculum, vt illum recipiat, alium condemnet. Rex Ezechias audito nuntio mortis ab Esaia Vate, orans Deum, sua opera in medium adducit: *Obsecro*, inquit, *Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* Quidam Pharisæus ascendit in templum orare Deum, & inquit, *Gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum.* Quid hoc est aliud dicere, quàm ambulasse se coram Deo, in veritate, & corde perfecto, quod Ezechias de se dixit: Pergit Pharisæus: *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo.* Vterque se laudat, eadem vtriusque precatio. Cur ergo illius placuit, illius displicuit? Hoc dubium D. Gregorius explicat: *Sapè*, inquit,

Ex intentione ponderat Deus opus bonum.

quit, *contingit, vt iusti & iniusti habeant verba similia, sed tamen cor semper dissimile: & ex quibus dictis Dominum ab iniusto offenditur, in eisdem quoque à iusto placatur. Ecce Pharisæus iustificat se in opere, Ezechias etiam in cogitatione, vnde ergo hic offendit, & iste placat? Omnipotens Deus singulorum verba à cogitationibus pensat, & in eius auribus superba non sunt, quæ humili corde proferuntur.*

20. 3. *remedium est, cogitare Deum præsentem.*

Tertium cæcitatis remedium est, cogitare Deum semper præsentem. Sic inquit Hebræus Sapiens de iustis: *Cogitatio illorum apud altissimum*, Sap. 5. Hinc monebat filium Tobias senior: *Omnibus autem momentis vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Hoc enim hominem cohibet à peccato, & ad sanctitatem euehit. Hinc Caietanus in illa verba Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*: Nullum, inquit, *maius frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba & actiones hominis, quàm ambulare ante faciem principis.* Vide plura in hanc rem Sect. 2. in cap. 4. huius Historiæ.

SECTIO VII.

An ad morem Tobiæ iunioris, liceat cuiusuis suadentis remedia, morbis applicare?

1. TOBIAS iunior applicat ex consilio Angeli, quem mercenarium putabat, fel, quod ex pisce cap. 5. extractum, seruarat. Discussione dignum est, An licitum sit alicui consulta à quouis remedia morbis applicare? Sunt diuersi, qui morbis sanandis sese immiscent, de quibus dixi Discursu 72. in I. Præcep. n. 8. & 9. Sũt qui alijs remedia varia suggerunt, vnus hoc, alter illud: Medicorum enim infinitus est numerus. Varij sibi medicinæ scientiam arrogant absque studio; cumque iuuant, licet superstitiosa sint, sese, peritis Medicis doctiores autumant. Gloriantur, quòd breui curare valeant ad quæ ars medicinæ longius tempus requirit.

Multi Medici, dicũtur absque studio.

2. *Medicina periti remedium est adhibẽdum.*

Dicam tibi breuiter, quid sentiam. Non licet tibi cuiusuis remedium morbis applicare. Medicos gratis noluit Deus esse in hoc mundo: eorum opera est adhibenda: *Honora medicum*, inquit Siracides, *propter necessitatem etenim illum creauit altissimus. A Deo est enim omnis medela*: Et rursum vers. 11. *Da locum medico; etenim illum Dominus creauit, Et non discedat à te, quia opera eius sunt tibi necessaria*: Ne putes, inquit, te illum admittendo, recedere à Domino: quia illum Dominus in vsum hominum formauit. Vtere ergo Dei beneficio, nec sinas vt temerè à te discedat: quia opera eius sunt tibi necessaria ad sanitatis consecutionem, & conseruationem.

Sin verò alius in medium prodeat artis medicinæ minimè peritus, considerare debes primùm, an remedia suggerens, persona sit Catholica, ac bonæ vitæ. Solent enim aliqui donum curationum sibi vendicare, & verbis ac signis vti, ex aliorum disciplina, ad curandum, alijsque similia suggerere, quasi à quouis applicata eumdem sortiantur effectum. Sed hoc signum est, eosdem non habere donum curationum, quod est gratia gratis data: Illa enim non adhæret verbis, sed personæ, cui à Deo communicata est, quæ etiam non valet alteri illam communicare: quia Deus non solet illam facultatem per alios dare, sed ipsum donum conferre certæ personæ, cui vult iuxta illud Apostoli 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij gratia sanitatum in vno spiritu*, id est, per eũdem spiritũ, &c. *Has autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Et pessimis hominibus ratò solet Deus permanenter dare gratiam curationum: vnde certum est, abstinendum esse à talium curatione; eò magis quod etiam certum sit, neminem posse complexionem, & temperamentum suum trãsfundere in alium, neque ex alterius communicatione, halitu suo, vt quidem solent, morbum alterius sanare.

3. *Conditiones requisitæ in curante tum medico. Prima, debet esse persona Catholica & bonæ vitæ.*

Donum curationum ab homine alteri communicari nequit.

Secundò examinandum tibi est, an remedia, quæ suggerunt, naturalem vim habeant ad sanandum illud malum, vt herbæ lapides, & similia. Deinde an repentè, aut citius sanet hominem, equum, aliúdue animal. naturalia enim tempore egent, neque subitò curant, nisi ex diuina virtute, aut ex superstitione diabolica. Vnde si ab huiusmodi suggesta remedia superant humanas vires, & industriam, signum est prouenire à dæmone.

4. *2. remedia debent esse communicantia illi malo sanando.*

Tertiò seriò aduigilandum, an adhibeant preces, quibus misceantur falsa, vt solet fieri nimis frequenter in quibusdam schedulis, quibus vulgus ad curationem vtitur, sacræ Scripturæ verba continentibus, aut obscura, vel incognita, vt sæpè deprehenditur. Auctor speculi exemplorum narrat quamdam fœminam à cæcitate sanatam ex scedula collo appensa, cui inscriptio erat talis, *Damone vel ad oculos tuos, vel stercoribus adimplent loca vacantia.* Noui ego quemdam, qui bolum panis sumpserat à febri obtinendæ sanitatis gratia, cui inscriptum erat verbum quoddam exoticum, *Habebruus.* Bolus autem ille sumi debebat certo modo inuersus. Quæ omnia conuincunt superstitiosa hæc esse remedia, vti est etiam signum Crucis, quando prodit ex disciplina dæmoniaca: quia eo dumtaxat, moneri vult tanquam signo dato ad cooperandum.

5. *3. preces nullis falsitatibus miscendæ sunt.*

Tom. 2. disp. 10. n. 16.

Quamuis ergo tales videantur viri boni, 6. mulie-

Bonitas illa rum incantatricum, aut bona fides à superstitione non excusat.

mulieres bonæ & Catholicæ, remedia eorum omninò detestanda sunt; quia prodierunt ab ijs, qui pactum expressum habent cum dæmone: adeò vt neque bona fides, neque etiam bona verba, neque quod remedium sortiatur effectum, excuset à superstitione. Parum enim est, quòd dicant se cum dæmone pactum non inijsse eumque non inuocare, aut ex disciplina dæmoniaca non suggerere; sed satis est, quòd signa adhibeant, quibus dæmon tacitè inuocatur & inuocatus cooperatur, vt facere solet, licet applicans id ignoret. Sicut enim nocturno tempore per excubias turus transit, qui scit verbum transeuntibus, in amici signum, necessarium; siue id sciat ex ipso Principe, Cõsule ciuitatis, aut aliundè, eò quòd excubias agens tantum istius verbi habeat rationem: Sic dæmon operatur ad signum à se institutum à quocumque applicetur: & inde

Simile.

7. applicans tacitè eum inuocat.

Optimè in hanc rem Chrysostomus hom. 8. ad Colossenses: *Superstitiosa illa*, inquit, *qua aegrotis applicantur etiamsi mille modis philosophẽtur, qui quaestum ex ipsis faciunt, dicentes: Deum inuocamus, & praterea nihil facimus, & quicquid eiusmodi praetendunt, &, Christiana est haec anus & fidelis, idololatriam tamen sapiunt.* Et paulò post: *Dic mihi, si medicus ad aegrotum accedens, relictis medicinae pharmacis incantatione vteretur, an hunc medicum diceremus? Nequaquam: non enim videntur medicina pharmaca ista neque hic sunt Christianissimi. Alia verò fluuiorum nomina collo appendunt, & mille talia audent. Ecce dico, & praedico vobis omnibus; si quis deprehendetur, postea non parcam, siue superstitiosa collo alliget, siue incantet, siue aliud quidquam huiusmodi artis faciat.* Et rursum homil. 21. ad populum sic inuehitur in illos,

Inuehitur Chrysostomus in vtentes superstitiosis remedijs.

qui mulierculatum eiusmodi remedia quaerunt, & se excusatos volunt, quod Christiana sit mulier, ac bona verba vsurpet: Non, inquit, *ligaturas tantum, sed etiam excantamenta tibi conducit, vetulas ebrias & titubantes domum ducens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam ad haec trepidans disciplinam: & quod grauius est errore, quando haec admonemur, & dissuademur, putantes se excusari, dicunt, quòd Christiana est mulier, haec excantans, & nihil aliud loquitur, quàm Dei nomen. Propterea namq; magis ipsam odi, & auersare, quod Dei nomine ad contumeliam vtitur, quòd se dicens esse Christianam, Gentilium opera facit: etenim & daemones Dei nomen fatebantur, sed tamen erant daemones, & ita Christo*

Luca 4.

dicebant: Nouimus te, quoniam es sanctus Dei: & tamen ipsos increpauit, & tacere fecit. Propterea quippe vobis supplico, vt ab hac fili fallacia pueri, & tanquam baculum Dei verbum habeatis. Et sicut sine calceamentis, vel vestimentis vestrum nemo in forum descendere eligeret: ita sine verbo hoc numquam in forum prodeas, sed cum es ianuae vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum: Abrenuncio tibi satana, & coniungor tibi Christe.

Refert Guilielmus Abbas in vita S. Bernardi, cum sanatum à dolore capitis, cùm carminatricem abegisset: *Cùm Bernardus*, inquit, *adhuc puerulus, graui capitis dolore vexatus, in lectum decidisset, & mulier quaedam dolorem carminibus mitigatura, ad eum accessisset, ille acri indignatione commotus, incantatricem clamoribus à se repulit, & abegit, & impetu quodam Spiritus, è lecto exiliens, eandem repulsurus, mox diuinitus, ab omni dolore se liberatum agnouit.* Vtinam omnes, hoc animo, maleficos à nobis repelleremus, quàm plurimæ, sine dubio, animæ, dæmonis potestati eriperentur, & ab ipsius orci faucibus præseruarentur.

8. *S. Bernardus abigit vetulam incantatricem, & sanatur.*

Sed dicent aliqui: Ego operâ Medicorum vsus fui, nec remedium expertus: diu torqueor, opus est, vt qualicumque remedio meipsum iuuẽ. Falleris mi Christiane. Ochosias Rex 4. Reg. 1. cùm cecidisset per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, consuluit per nuntios Beelzebub Deum Accaron, an ex illa infirmitate moreretur, an non: sed à Deo audiuit triste responsum, nempe quod ideo ex illo morbo moreretur, aliàs non moriturus. Præuenit enim nuntios Deus, nam per Angelum locutus est ad Eliam Prophetam; *Surge, & ascende in occursum regis Samariae, & dices ad eos, Numquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem haec dicit Dominus; De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Nota verbum, *quamobrem*, quasi dicat, Hoc effecisti mittendo nuntios ad consulendum, vt pœna mortis tibi infligatur, alias sanitati restituendo. Prædictionem secutus est illicò euentus: *Mortuus est enim Ochozias, iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias.* In hodiernum adhuc diem, simili pœna Dominus Deus plectit omnes eos, qui in ægritudinibus suis, ad diabolum Beelzebub, & eius ministros, confugiunt: Nam multi, qui si à Deo opem auxiliumque expeterent, salui & incolumes euaderent; Deo iustissimè apostasiam eorum vindicante, è medio tolluntur, & intempestiuè extinguuntur.

9. *Excusatio eorum hominum reiicitur. Punitio Ochosiæ Regis, ob consultum Deũ Accaron.*

Ad Deum igitur & Medicos in necessitate confuge, tolerans cum patientia visitationem Dei; neque conqueraris de morbi diuturnitate. Multi enim plura & diu passi sunt, neque ad illicita remedia confugerunt. Scitè Chrysostomus hom. 5. aduersus Iudæos: *Quid dicis? Affligit te, premitq; corporis morbus? Atqui nondum tanta passus es, quanta beatus ille Iob, imò ne minimã quidem partem malorum illius. Siquidem postquam simul interissent greges & armenta cum ceteris omnibus, in praedam abducta est, & puerorum totus chorus eaq; omnia vno die peracta sunt, vt non modò natura calamitatum, re-*

10. *Non recurrendum est ad illicitas artes ob morbi diuturnitatem sed ad Deum.*

Exempla sanctorum virorum, qui diuturna infirmitate detenti, nullis remedijs illicitis quæsierunt.

rum etiam perpetuitas deijcere posset athletam. Post hæc omnia vulnus accepit lethale, vidit vermes toto vndique corpore scatentes, nudusque sedit in sterquilinio, publicum ijs, qui aderant, calamitatis spectaculum, ille iustus, ille pius, ille ab omni malo opere abstinens athleta, &c. Atqui vxor consilium dedit, vt ab his omnibus malis liberaretur, ita loquens: Dic aliquod verbum aduersus Dominum, ac morere. Dic, inquit, blasphemiam, & ab vrgentibus malis liberare. Quid igitur? Num subuertit sanctum illum virũ mulieris consilium? Imò contrarium fecit, magisq; sibi sumpsit alas, sic etiam, vt increparet vxorem. Potius enim duxit, maioribus affici cruciarijq; doloribus, innumeraq; perpeti mala, quam blasphemiâ vllâ tantorum malorum relaxationem consequi. Subiungit etiam exemplum paralytici Ioan. 5. *Itidem & ille*, inquit, *qui triginta octo annis detentus fuerat in infirmitate sua, singulis annis currebat ad piscinam, & singulo quoque anno repellebatur, nec assequebatur sanitatem: sed quotannis conspiciebat alios sanari, propterea quod multos haberent à quibus curarentur, se verò quoniam nullos haberet, qui ipsum exhiberent, in perpetua manere paralysi: Ne hic quidem confugit ad diuinos, non adijt incantatores, aut profiliit ad eos qui per applicaturas promittunt sanitatem; sed exspectauit diuinam opem, eoq; tandem admirandam quamdam & inauditã sanitatem adeptus est.* Deinde subijcit exemplũ Lazari, qui toto vitæ tempore laborauit: *Lazarus autem*, ait, *cum fame, cum morbo, cum solitudine per omnem vitam colluctatus est, non triginta & octo annis versatus in his, sed per omne vita tempus. Sic igitur & exspirauit in diuitis vestibulo iacẽs, contemptus, irrisus, esuriens, canibus obiectus pabulũ. Sic autem illius corpus debilitatum erat, vt nec canes irruentes, vlceraq; illius lingentes posset abigere. Haud tamen quærebat incantationem, non petala circumligauit, non expertus est impostoras, non veneficos ad se vocauit, nec aliud quicquam vetitarum artium tentauit, sed prius habuit illis immori malis, quàm vlla ex parte deserere pietatem.* Denique ad hominem sermonem conuertit: *Quam igitur nos veniam impetrabimus, qui cum illis in tantis malis perdurarint, ob febriculam, aut leue vulnus procurrimus ad synagogas, veneficos, & impostores in ades nostras accersimus? Non audisti, quid dicat Scriptura: Fili si accedis seruiturus Domino, præpara animam tuam ad tentationem: dirige cor tuum, & perdura in morbo ac paupertate: in illo fidens esto.*

Recursus ista ad dæmones est inexcusabilis.

Idem Doctor dicta orat. 5. idem argumentum prosequitur: *Si leui*, inquit, *aliquo morbo tentatus, illicò resiliens à Domino, ad dæmones, accurras, quam tandem veniam consequeris? quo pacto valebis illum denuo tibi propitium reddere? quinpotius nec alius pro te deprecari poterit, etiamsi valeat auctoritate apud Deum, quantum Moyses: non est, inquam quisquam, qui hoc facere poterit. Itaque ne tantam in nos prouocemus iram; etiamsi videantur aliqui febrem incantamentis sedare, ratione atque conscientia quotidie flagellante, & decente: Impiè feciſti, iniquitatem perpetrasti, violasti fœdus cum Christo ictum, ob paululum bonæ valetudinis, pietatem deseruisti.* Et paulò pòst laborantem erigẽs hoc modo consolatur: *Quod, si* inquit, *perdurauerit paulisper, eosq; qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel applicationes aliquas adhibere corpori, multa etiam cum contumelia domo tua ejeceris, protinus ab ipsa conscientia, refrigerationem acceperis. Etiamsi millies exuret febris, conscientia tua quouis liquore, quauis irroratione, meliorem, vtiliorem q; irrigationem adducet. Quemadmodum enim, postquam receperis incantationem, sanusq; factus fueris, miserior es ijs, qui febre laborant, dum peccati reputas magnitudinem; sic nunc quoque, etiamsi febricitaris, innumeraq; patiaris mala, repulsis impijs illis, quouis fæno, melius affectus eris animo, gestiente conscientia, & ob patientiam tuam, proximo post Martyres loco stabis in illa die.* Hæc doctor ille sanctissimus contra illos, qui incantatorum opera ad pellendos morbos, vtuntur.

Insania est in morbis recurrere ad iuratum hostem.

Animaduerte insaniam tuam, mi Christiane. Dic mihi, An non planè stultus esset, qui in periculo quopiam constitutus, ad illum confugeret, quem sciret, iuratum hostem suum esse, & ipsi, nec non eius adhærentibus, vitam suam temerè crederet? hoc tu facis in morbis tuis, ad magos, & consequenter ad diabolum, opis causa accedens. Si ægrotares, an Medicinam, à Medico, vel Pharmacopæo sumpturus esses, quos scires mortem tibi iurasse? Diabolus semper in tuam perniciem est, paratus; Magi diabolo iurare coguntur, quod velint omni humanæ creaturæ, quantum possint, nocere, & tu eos accedis, & remedium quæris? Stultissimus est, qui ad canem cathenâ alligatum accedit, & se ab eo mordeti finit. Diaboli potestas limitata est; si hoc modo accedis, arripit te, & in corpore pariter & in anima lædit, & æternæ mortis gladio contrucidat.

Magna est dementia parentum, filios vellepotius curare istis superstitiosis, quàm permittere mori.

Imò in tantum excreuit mulierculatum dementia, vt spretis Concionatoribus cum lethali noxa hæc flocci pendant: Permittam ne mori, inquiunt cui hoc pharmaco secura erit incolumitas? Sic de charis prolibus solẽt impudentes & vesanæ mulierculæ argumentari. Notauit illam dementiam suo tempore Chrysostomus hom. 8. cit. *Quid igitur? Moritur ne puer, inquis? Si hoc pacto viuet, tum mortuus est: si verò sine istis mortuus est, tum viuit. Iam si videris filium scortis deditum, mox velles defossum & sepultum, ac dicis: quid enim profuerit illum viuere? Cum verò videas salutis illum subire periculum, vis ita viuentem videre? Non audisti Christum dicentẽ? Qui perdiderit animam suam, inueniet eam: qui verò inuenerit, perdet? Dic mihi, si diceret quispiam, duc ægrotum tuum in templum simulachrorum, & viuet: ferres istum? Non, inquis. Quare? Quia ad simulachrorum cultum adigeret, inquis: hic verò non*

eſt ſimulachrorum cultu, ſed ſimpliciter incantatio. Hæc ſatanica cogitatio eſt, iſta ſunt inſidiæ diabolicæ ad occulendam ſeductionem, & ad porrigendum ſub melle venenoſum pharmacum. Sciens enim te ad ſimulachrorum templum perſuaderi non poſſe, hac via ingreditur, ad amuleta & aniles fabulas abducens. Et crux quidem Chriſti deboneſtatur, elementorum verò ſuperſtitioſi characteres preferuntur, Chriſtus ejicitur, & inducitur vemulenta & nugatrix anus, myſterium noſtrum conculcatur, & ſeductio diaboli tripudiat. Et paucis interpoſitis, dicit tales Gentilibus eſſe ſcandalo. *Quid vero & alia ridicula commemorem? Cinerem fuliginem, & ſalem, & rurſus vetulam in medium productam? Reuera ridiculum & dedecus. Et oculus quiſquam, inquit, faſcinauit puerum. Quouſque ſatanica iſta? Quomodo non videbunt nos Graci? quomodo non ſubſannabũt? Quando illis dicimus magnam eſſe crucis virtutem, quomodo credent, cùm videant nos iſtis egere, quæ ipſi rident?* Ac immediatè poſt varias rationes, mulierculis familiares, obijcit, & ſoluit, vt hoc malum de medio tollat: *An ideò, inquit, Deus Medicos dedit & pharmaca? Quid autem ſi illi non curauerint, & morte diſceſſerit puer: quò diſcedit puer, dic mihi, miſer & infelix? An ad dæmones abit? an ad tyrannum? Non ad cælum hinc abit? non ad dominum ſuum? Quid ergo doles, quid ploras? quid lugis? cur puerum plus amas, quam Dominum tuũ? Non per ipſum etiam puerum tuum habes? Quare ingratus es, donum magis quàm datorem diligendo? Sed imbecillus ſum, inquis, & non fero timorem Dei. Si in corporalibus malis, quod maius eſt minus abigit, multò magis in anima timor timorem, & mæſtitia mæſtitiã extinguit.* Deinde adducit aliam rationem: *Elegans & bonus erat puer? At qualiſcumque tandẽ fuerit, formoſior non fuit, quam Iſaac. Vnigenitus erat? Et ille. In ſenectute tibi natus eſt? Et ille. Vrbanus autem erat? At* ET *vt fuerit, non erat elegantior Moyſe, qui & barbaricam faciem ad ſui deſiderium attraxit, idq; in ea ætatis articulo, in quo nundum apparet aliqua venuſtas. Et tamen illum tantopere amabilem in fluuium expoſuere parentes. Tu quidem & decumbentem vides, & ſepultura tradis, & ad monumentum abis, illis verò ignorabant etiam, an futurus eſſet puer cibus vel piſcium, vel canum, vel alterius cuiuſquam beſtiæ, quales circa mare aberrare ſolent, atque hoc fecerunt, cùm nondũ ſiue de regno, ſiue de reſurrectione quicquam cognouiſſent. At non eſt vnigenitus, ſed poſt multos & ipſe mortuus eſt? Verùm non adeò ſubitanea, & cumulata, & triſtis eſt iſta calamitas, atque erat illa Iob. Nõ hic delapſum tectum, non inter conuiuandum interitus, non calamitates annunciatæ. At erat tibi dilectus. Sed non magis quàm Ioſeph, cuius tamen calamitatem pater, cùm putaret à beſtia deuoratum, patienter tulit, non ſolùm eam quæ erat ex perdito Ioſeph, ſed & eam quæ erat propter Beniamin. Flebat pater, ſed impiè nihil agebat: lugebat, at moleſtus & difficilis non erat, ſed in verbis tantum conſiſtebat dicens: Ioſeph non eſt, Symeon non eſt, & Beniamin auferẽ: in me*

Mauden in Tobiam.

Ridicula ſunt ſatanica illa remedia.

Adhortatur Chryſoſtomus exemplis Scripturæ, vt matres abſtineant à ſuperſtitioſis, in curandis filijs.

recidunt hæc omnia. Vides quomodo illum famis vis & tyrannis liberos ſuos adegerit contemnere? Apud te verò non tantum poteſt timor Dei, quantum fames? Plora, non prohibeo. Verùm nihil blaſphemũ vel dicas, vel facias. Qualiſcumque fuerit filius tuus, non tamen eſt vt Abel, verùm nihil huiuſmodi dixit Adam, quamquam grauis admodum eſſet calamitas à fratre occiſum eſſe Abelem. Sed & aliorum fratricidarum mentionem faciam, vtpote Abſalomi, qui Amnon primogenitum fratrem occidit. Et Dauid Rex diligebat filiolum egrotum, & in ſacco quidem, & in cinere iacebat, verùm neque diuinos, neque incantatores adduxit, quamquam tum tales eſſent, id quod in hiſtoria Saulis liquet, ſed Deo ſupplicauit. Hoc & tu facias. Quod iuſtus hic fecit, hoc, inquam, & tu facias. Et paucis interiectis, eiuſmodi matrem ſic conſolatur: *Quid putas paſſam eſſe Rebeccam, cum Eſau minitaretur Iacobo? Et tamen nihil mœſtũ reddebat virum Iſaac, ſed iubebat illum dimittere aliò. Perpende quàm filio tuo peiora accidere potuerint, ſi quando aduerſi quicquam paſſus fueris, & abundè ſolaberis. Et cogita, quid ſi in bello interũiſſet? Quid ſi in igne? Atque ita quicquid patiamur, cogitemus atrociora, & habebimus ſufficientem conſolationem, proponamuſq; perpetuò ob oculos, eos qui grauiora paſſi ſunt, & nos etiam ipſos: ſiquidem aliquando duriora paſſi fuerimus: Ita & Paulus admonet, cùm dicit: Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatum decertantes. Et iterum: Tentatio vos non cepit niſi humana. Quidquid igitur accidat mali, deteriora perpendamus: (poterimus enim ſemper deteriora reperire) atque ita crimus grati.* Recordamini adhæc reguli Ioan. 4. quod is abierit ad Chriſtum, & rogarit, *vt deſcenderet, & ſanaret filium eius: incipiebat enim mori.* Ad Chriſtum confugit, & illicò medelam inuenit.

An Tobias tenere appli cauerat Angeli remedia?

12. Dices iterum, Tobias hominis mercenarij audiuit remedium, oculis paternis vngendis, & ſanandis opportunum, nempe fel piſcis quod & applicent neque vllus ſcrupulus illi ſuccreuit ſuperſtitioſum id eſſe, quamuis tale quid numquam antea audijſſet. Verum eſt: ſed Tobias, aut credere potuit naturaliter felli vim ineſſe, albugini oculorum tollendæ, vt Angelus illum docuerat, Fel, inquiens, *valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur*, cap. 6. Aut credidit probabiliter, diuina virtute accedente patrem à cæcitate curandum. Viderat enim quid diuinum ex conſilio Angeli, in extractione immanis & carniuori piſcis: & antequam adhiberet fel oculis patris, expertus erat ablegationem dæmonij, accenſâ parte iecoris ſuper carbones viuos, ex conſilio eiuſdem Angeli: quod nonniſi diuina virtute fieri poterat. Non igitur temerè proceſſit, aut cum periculo ſuperſtitionis in hoc negotio Tobias iunior; ſed cum ſumma probabilitate hoc conſilium à Deo prodire credidit. Hunc imitari licet,

quando eiuſmodi fundamenta ſubſunt.

13. *Concluſio Abſtinendũ ab huiuſmodi pharmacis.*

Non dicamus igitur verba damnationis plena, quæ mancipia diaboli, non verentur malitioſè effutire: *Si me diabolus ab hoc morbo, dolore, infeſtatione, infortunio, tribulatione liberaret, non dubitarem ad eum recurrere, & opem eflagitare; perinde eſt, quicumque opitulatur, dummodo malorum meorum ſentiam leuamen, ſiue Deus ſit ſiue diabolus; ſiue bonus Angelus, ſiue malignus ſpiritus*, vti Theophraſtus Paracelſus ſentiebat, Lib. de morbo caduco, & lib. de Hyperphyſicis morbis curandis. Sed attendamus ad præceptum Leuit. 19. *Non declinetis ad magos, neque ab Ariolis aliquid ſciſcitemini*: id eſt, ne remedia morborum, & tribulationum veſtrarum, exquiratis ab eis: quid ita Domine? *vt polluamini per eos, quia ego Dominus veſter.* Et intonent auribus noſtris verba Dei Leuit. 20. *Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis*, auxilia ab ipſis eflagitando, *ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi ſui.* Ecce eorum mercedem, qui in morbis diuina permiſſione inflictis, & immiſſis ad diabolum, & eius vaſſallos recurrunt: *Auferam*, inquit Deus per os Micheæ, cap. 5. *maleficia, quæ ab illis accepiſti, de manu tua, & diuinationes, non erunt in te*, id eſt nullum ſortientur effectum, *& faciam in furore & indignatione, vltionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt*; qui huic mandato meo non obtemperauerunt.

Grauis manus pœna in morbis remedia magorũ ſequentes.

Quare addit dicit Tobias Tu caſtigaſti me.

quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me. Et ecce ego video Tobiam filium meum. Quid eſt hoc, *Tu caſtigaſti me?* Nonne ſtercus de more hirundinum emiſſum è nido incidit in oculos eius, eumque excæcauit? Ita eſt. Sed quia nihil caſu fit in terra, indicat primùm hoc Dei nutu contigiſſe. Hæc priſcorum Patrum laudatiſſima conſuetudo, qua omnia, quocumque modo & ratione eueniſſent, in vnius Dei prouidentiam & voluntatem reiecerunt. Sic Iob cùm omnia aduerſa illi à Chaldæis & Sabæis, contingerent, dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit*: Quod Chaldæi & Sabæi fecerant, Dei aſcribit prouidentiæ. Hinc & illa Ioſephi in diuinam voluntatem tanta deuotio, vt omnia, quæ ſibi contigerunt mala, in hanc vnam referret: hinc illa nobiliſſima ad fratres oratio, qua diuinæ voluntatis arcanum explicans: *Non veſtro conſilio*, inquit, *ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*: hinc illa tam benigna parricidis fratribus, data venia? *Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.* Niſi Ioſeph diuinæ prouidẽtiæ ſecretum tam probè cognitum habuiſſet, in crucem fratres rapi iuſſiſſet, non tot beneficijs præueniſſet. Dauid à filio bello impetitus, & à Semei calumnias patiens 2. Reg. 16. noluit eas vindicari. Dicebat enim Abiſai filio Saruiæ partes Regis ſuſcipienti: *Quid mihi & vobis eſt fili Saruiæ? dimittite eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis eſt qui audeat dicere quare ſic fecerit? Et ait Rex Abiſai, & vniuerſis ſeruis ſuis, Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam: quanto magis hic filius Ieminĩ? Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini.* Res ſanè memorabilis, & magis illa, quæ Geneſ. 42. ſcripto aſſignatur. Ioſephi fratres, cetera rudes, & etiam improbi, eò tamen plurimùm laudandi, quod cùm pecuniam emendo tritico allatam, in ſingulis ſaccis repoſitam reperiſſent, obſtupefacti *mutuò dixerunt: Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus?* Verba digniſſima obſeruatu, *quod fecit nobis Deus.* Quis noſtrum non dixiſſet: Hæc quidem manifeſta fraus eſt; occaſionem quærunt Ægyptij ad perdendos nos: hoc factum eſt ſtruendæ in nos calumniæ. Niſi forſan œconomus ex incuria numorum oblitus, eos neſcio quo caſu in ſaccos frumentarios raptim abdiderit: Quid ſi fortaſſis eleemoſynæ loco, reddere nobis voluerit monetam noſtram? Quid ſi plures hac ratione emptores allicere cogitarit? Illi nihil horum, ſed ſapienter omninò, *Quidnam eſt hoc*, aiunt, *quod fecit nobis Deus?* Quidquid erroris interuenerit, aut fraudis; hoc Deus fecit, & nobis id fecit, horum omnium cauſa eſt, Voluntas Dei, ſine cuius nutu nec arenula quidem è monte, nec capillus è capite, nec foliolum ex arbore, nec paſſer-

Priſcorum patrum ſuis mos, aduerſa ſua diuina aſcribere voluntati.

Iobi & Ioſephi exempla.

Dauidis quoque exemplum.

Ioſephi fratrum exemplum.

SECTIO VIII.

Quorſum dicat Tobias in gratiarum actione, TV CASTIGASTI ME, *cùm ſtercus hirundinum oculos eius excæcauit* ET TV SALVASTI ME, *cùm Tobias filius felle piſcis eum curaret? Et quare hoc tempore?*

1. *Plurimi in Scriptura, gratias egerunt Deo, ſanitate recepta.*

SACRA pagina, ad noſtram doctrinam, plurimos refert, qui ſanitate receptâ gratias Deo egerũt: Matth. 9. & Marc. 2. turbæ videntes paralyticum curatum à Chriſto, glorificabant Deum, quòd dediſſet talem poteſtatem hominibus. Poſtquam Chriſtus vitam & ſalutem adoleſcenti vnico viduæ filio reſtituiſſet, *accepit omnes timor, & glorificabant eum.* Cùm vnus de decem leproſis miſſis ad Sacerdotes deprehenderet ſe ſanatũ, reuerſus eſt, cum magna voce magnificans Deum, Luc. 10. Claudus ſimiliter ſanatus ab Apoſtolo Petro Act. 3. *ſurrexit ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* In hunc morem olim Tobias, & vxor eius, & omnes qui ſciebant eum, reſtituto viſu glorificabant Deum. *Dicebatq; Tobias: Benedico te Domine Deus Iſrael,*

passerculus ex aere decidit.

2. *Reprehendimur, qui statim in aduersis indignamur causis secundis.*

Nos frequentissimè, more canum, percussi funem, fustem, aut lapidem mordemus, aut ob scripturam malam calamo indignamur, aut in pictura errorem penicillo assignamus, & manum iacientis, scribentis, pingentis non consideramus; Dei manus facit hæc omnia. Et quod peius est in Deum murmuramus. Non sic regius ille Prophera; altius contemplabatur: *Obmutui*, inquit, *& non aperui os meum: quoniam tu fecisti*: Ideò, inquit, sileo, quia voluntatis tuæ hoc esse video. Fit quandoque, vt excitatioris ingenij herus, serui ædes ingressus, disijciat, turbet, misceat omnia, & mox abeat, ne auctor deprehendatur in facto. Seruus domum rediens, & omnem supellectilem disturbatam cernens, graviter quidem excandescit: at cùm à suo Domino id factum audit, silet & mitescit. Ita Dauid hic de seipso: *Obmutui, & non aperui os meum.* Cur ita? *quoniam tu fecisti?* Ita prorsus qui diuinæ voluntati se totum obtulit, aduersa sentit quidem, sed diuinâ se prouidentiâ solatur; vanis questibus nihil se profecturum non ignorans: *Leuaui*, inquit, *oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino*, Psal. 120.

3. *Quare Tobias addat, tu saluasti me.*

Rursum quare addit: *Tu saluasti me.* Numquid filius eius Tobias ex Angeli consilio, fel oculis eius adhibuit, vnde visum recepit pater? Ita est. Sed considerabat, quod olim in medium adduxerat vnus amicorum Iob Eliphas cap. 5. *Ipse* (Deus) *vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Per ipsum enim contingit sanitas, licet altero mediante, iuxta Ecclesiasticum cap. 38. *A Deo est omnis medela.* Venit Samaritanus Luc. 10. misericordia motus ad vulneratum & semiviuũ relictum, infudit vinum & oleum vulneribus, eaque alligauit; sed quo motore? Deo. Venit Angelus Ioan 5. ad probaticam piscinam ad Dei beneplacitum, & sanitati restituti sunt, quos Deus voluit, Leprosi decem mundantur in via, vnus ex eis tantum agnoscit à Deo sibi sanitatem restitutam: Deus enim est, à quo omnis curatio. Laboras animo; hæres in rebus fidei? Venit aliquis, qui te instruat; putas forte fortuna id contingere? Erras, sed Deus est, qui talem suppeditat. Mira res. Philippus Act. 8. singularem faciebat fructum in Samaria: *Angelus autem Domini locutus est ad eum: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Hierusalem in Gazam: hæc enim est deserta. Et surgens abijt*, ibique deprehendit virum Æthiopum Eunuchum venientem, adorare in Hierusalem, & legentem in curru Isaiam Prophetam. Iussus est autem à spiritu illi se adiungere. Instruxit eum, & catheczizauit, & baptizauit, & spiritus Domini rapuit inde Philippum. Sic Ezechias Rex habuit medicum Isaiam Prophetam, sed Dei nutu, qui eum etiam miraculosè sanitati restituit. Sic in humanis omnibus argumentari debemus.

A Deo est omnis curatio tam corporis quàm animi.

En præterea quid paradoxum. Tobias cæcus rem totam Deo commisit, & nullam in hoc seculo medelam exspectauit, sed in futuro; vnde cap. 2. parentibus eum irridentibus, postquam plaga cæcitatis ei euenerat, dixit: *Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quã Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo. Sed Deus adiutor est in opportunitatibus in tribulatione.* Illi itaque committenda omnia & longanimi animo quæuis perferenda, donec eidem placuerit suppetias ferre: nouit vtique ipse, quando id nobis expediat. Potuisset statim Tobiam sanare; potuisset vsque ad alteram vitam solamen differre, sed exercuit paulisper, vt erigeret glorioſiùs. Isaias Vates, inquit: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui; dixit redemptor Dominus tuus.* Facit autem illud, quando ipsi placet. Ioseph rogabat pincernam Pharaonis, cuius somnium fauorabiliter explicuerat: *Memento mei, cùm tibi benè fuerit, & facies, quæso, mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebræorũ, & hic innocens in lacum missus sum.* Gen. 40. Sed *successibus prosperis, Præpositus pincernarum* toto biennio *oblitus est sui interpretis.* Quare hoc permisit Deus; quia oportebat exspectari tempus opportunum, vt maiori cum gloria inde educeretur. Chrysostomus egregiè supet hac re Philosopharus: *Si quis*, inquit, *ex vulgaribus fuisset, dixisset fortasse ita intra se: Quid hoc rei? Præfectus pincernarum mox vt interpretatum sum ei somniorum visionem, pristinam felicitatem accepit: & non est memor eius qui sibi prædixit? Ille quidẽ solitâ felicitate fruitur, ego qui nihil mali operatus sum, hic concludor cum homicidis, cũ furibus cũ latronibus, cum his, qui innumera mala commiserunt. Nihil horũ vel dixit, vel cogitauit: sciebat enim quod ampliùs cauea fieret in qua decertandum, vt legitimè certando clariori redimiretur coronâ. Considera enim, quomodo post restitutionem illius duo anni præterierunt. Oportebat enim exspectari tempus opportunum, vt maiori cum gloria inde educeretur. Si enim præfectus pincernarum ante somnia Pharaonis recordatus authoritate sua eum liberasset, fortasse non tam perspicua fuisset aliis eius virtus. Nunc autem omnipotens & sapiens Deus sciens, sicut optimus artifex, quanto tempore in igne debeat aurum teneri, & iterum inde reduci: permittit ad tempus duorum annorum præfectum pincernarum illius obliuisci, vt & tempus somniorum veniat, & compellente necessitate ipsa, iustus ille in toto re-*

4. *Tobias in tempore probatus, copiosam medelam sensit.*

Deus suis modico tempore affligit vt gloriosius sanet.

Isai. 54.

Ioseph biennio incarceratus, vt in maiori cũ honore educeretur.

Hom. 63. in Genes.

gno Pharaonis notus fiat.

5. Idem Doctor explicans illa verba Genes. 41. *Ioseph autem erat triginta annorum, quando stetit coram Pharaone*, animaduertit non temerè assignatum esse numerum annorum: sed quia ab anno decimo septimo ætatis deductus in Ægyptum, & varia passus, tanquam adamas permanserit, & Deus tempus opportunum exspectauerit, quo perueniret ad principatum. Et subnectit ad nostram instructionem: *Has audientes, in afflictionibus animum nunquam desponeamus, neq; proprias rationes sequentes morosi simus & difficiles: sed magna patientia clari spe bonâ foueamur, scientes omnipotentiam Domini nostri: & quod finens nos experiri asperâ, non relinquit, sed vult vt certantes clariori corona cingamur. Ita omnes sanctis probati sunt. Propterea & Apostoli dicebant, Per multas afflictiones oportet nos in regnum Dei intrare. Et ipse Christus dicebat discipulis suis. In mundo afflictionem habebitis. Ne igitur mœreamus in afflictionibus, sed audiamus Paulum dicentem, quod volentes piè viuere in Christo, persecutionem patiuntur. Et ne admiremur, neque ægrè feramus, sed omnia cum fortitudine & patientia toleremus: non ad afflictiones respicientes, sed ad lucrum, quod inde congregamus. Spiritualis enim quædam negotiatio est, & sicut qui pecunias colligere volunt, & huius sæculi negotiationem exercent, non aliter possunt augere suas opes, nisi multa pericula terra marisq; sustinuerint. Necesse enim vt ferant latronum & piratarum insidias. Attamen omnia magna alacritate suscipiunt, & ob exspectationem lucri vix sentiunt amara quæ sentiunt.*

Patienter tollerandæ afflictiones, quamuis diutiùs durent propter magnum inde lucrum

Act. 14. Ioan. 3 & 16.

6. Nos autem ad vota nostra nimis præproperi sumus; & nisi mox fiat, quod cupimus, omnem spem nostram in impatientiam, aut etiam desperationem præcipitamus. Hæc sæpe causa cur à malis non liberemur: longanimitatis defectu pleraque nostra omnia corrumpimus. Israeliticus populus pertæsus in monte Moysis moras, ad idola se vertit, & vitulum aureum pro Deo statuit, emansionem nimis diuturnam causatus. Quoties audias hominem longanimitatis expertem dicere: Iam volo, statim volo; non expecto, nolo differri; ni breui hoc fiat, desponi animum. Ita rex Hebræus Saul non potuit vnam quæ restabat alteramue horam expectare Samuelem: ideò illi in os apertè obiectum, quod stultè egisset, 1. Reg. cap. 13. Ita plerumque & nos cum Deo agimus, si non mox obtineamus quod impetratum volumus, cadimus animo, & in tristitiam ac querelas soluitur. Nostræ preces plerumque sunt quales erant saltatricis puellæ: *Volo vt protinus des mihi.* Mat. 6. Nos diuinæ ordinationi metas figimus, & tempus præscribimus; nimiùm cunctatur nobis in morbis opitulatrix Dei manus; vociferamur: Et quando tandem Domine, cur moraris, quid differs opem? quamdiu supplicandum? tot iam annis clamo, nec exaudis. Nisi Domine succurras hoc anno, precari desinam, & actum putabo. In hoc certè non absimiles sumus Bethuliæ ciuibus, qui: *Contestamur*, aiunt, *hodie cælum & terram*, &c. *vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, vt sit finis noster breuis in re gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis.* O minimè longanimes? Itane in rebus omnibus desperatis ciuitas tradenda hosti? an nullum è cælo auxilium sperandum? Hâc ciuium extinctam longanimitatem non modice fouit Ozias Sacerdos, qui lachrymis infusus ait: *Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies exspectemus misericordiam. Forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo. Si autem transactis quinque diebus, non venerit adiutorium faciemus hac verba, quæ locuti estis.* O mi Ozia, ô Sacerdos, quam hîc non altum sapis supra vulgus! Siccine vos tempus Deo admetiri, & ferendæ opis constituere diem? adeòne omnis apud vos non extincta tantùm, sed & sepulta est longanimitas? Non tulit hoc generosissima Iudith, & accersitis presbyteris: *Quod est hoc verbum*, inquit, *in quo consensistis Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat: Posuistis vos tempus misericordiæ Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* Quid ergo faciendum suades ô Iudith? *Dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam sic, faciat nobiscum citò misericordiam suam: expectemus humiles consolationem eius.* Hæc longanimis voluntas sic Deo coniungit hominem, vt quantumcumque afflictus, dicat tamen: O Domine, etsi decem annis, etsi viginti, aut triginta, etsi annis quinquaginta ad te clamauero, clamare tamen non cessabo, nullos tibi terminos figo: & quamuis scirem me penitus à te non audiendum, id me tamen fides docet infallibilis, me vacuum à te non dimittendum, si neges petita, dabis meliora. Itaque si moram feceris, expectabo te, quia veniens venies, & non tardabis, Abac. 2. 3.

Iudith. 7. Exemplum ciuium Bethuliæ.

Iudith. 8. ea.

Voluntas longanimis Dei amicis patienter expectat.

Nemo longanimitatis expers diuinæ maiestati metas figit.

Reprehenduntur qui desperant, si vota statim compotes non fiant. Impatientia multorum malorum origo.

7. Ita faciendum est. D. Paulus in carcerem coniectus Act. 16. ipso orante cum Sila, & laudante Deum, ita vt omnes audirent, qui erant in custodia, subitò terræ motum magnum expertus est, adeò vt mouerentur fundamenta carceris, aperirenturque illicò omnia ostia, & vniuersorum vincula soluerentur: neque tamen exire volebat, cùm posset. D. Chrysostomus hom. 8. ad Ephesios hanc historiam commemorans, inquit. *Quemadmodum carcerem Paulus non egrediebatur, tametsi potuisset, donec qui in illum coniecerat ipsum, & euocaret, & educeret: ita neque hi tres pueri, caminum egressi*

Dei auxilium tantò exspectandum.

egressi sunt, donec qui iniecerat, egredi quoque iussisset. Alludit ad illud Nabuchonosoris Daniel 3. dicentis ad eosdem in igne Deum glorificantes, solutis vinculis: *Serui Dei altissimi, egredimini & venite.* Subiungit Chrysostomus: *Quid hic discemus? Respondet: Ne videlicet, in captiuitate sollicitiores simus, neue in afflictionibus anxiè liberari festinemus.* Dauid poterat 1. Reg. 24. se à tyrannide Saulis omninò expedire. Sexenti viri illum incitabant, vt istius diei haberet rationem, quam ipsi liberando præstituerat Deus; sed maluit verba illa Hoccipendere, & expectare finem, quem Deus præfinito tempore ad gloriam designarat.

Præclarè Chrysostomus expendés quàm mirabiliter Genes. 12. tandem è manibus Pharaonis Saram vxorem Abrahæ liberarit: *Talia, ait, sunt, quæ à Deo dispensantur, rara semper & admirabilia: & quando apud homines desperatum est, tunc potentiam & sapientiam suam Deus declarat. Enimuerò sicut admirabile & rarum erat videre virum desideriorum stare in medio ferarum, & nihil pati: sed quasi oues eũ circunstetissent, ita illasũ egredi è lacu. Et tres pueros in camino, quasi in prato & paradiso versari, & nihil ab igne læsi, sed egredi igne, vt virorum fortissimos. Ita admiratione dignũ est & hoc facinus, quod iusti vxor nullam contumeliam experta à Rege AEgyptio, tyranno, intemperante, exiuit salua: Deus enim erat qui faciebat omnia, & in inuijs viam dabat, & spem bonam semper in rebus deploratis afferre valet.* Scimus igitur patientes cum Tobia, quem Deus suo tempore saluauit minimè talia cogitantem.

Deus in extremis adest

8. Optimè Siracides Eccles. 2. *Sustine sustentationes Dei, coniungere Deo, & sustine. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe. Respicite filij, nationes hominum, & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt vsque ad inspectionem illius.* Longanimi patientiâ diuinum auxilium est exspectandum. Paralyticus ille Ioan. 5. qui ad probaticam piscinam triginta octo annis patienter exspectauit hominem, quo mediante posset ad Angeli motum, eam primus intrare, & sic curari similiter calcar addidit.

9. *Impatientes mora sæpè in afflictionibus ad magos currunt, sed quo exitu.*

Nos impatientiâ victi, si quid mali euenerit, & medela vltra appetitum differatur, id ferè dicimus: Ach idem penè mihi contigit, quod Sauli, qui *consuluit Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*, &c. *Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eum, & sciscitabor per illam*, 1. Reg. 28. Ego hoc & hoc perdidi, in morbum hunc incidi, calamitas extrema me affligit, Deũ sæpe orani, nullum subleuamen: quo ibo nisi ad Magos. Multis vix alius medicus, quàm magus, nec alius pharmacopola, quàm diabolus quæritur. Mementote quàm malè id successerit Ochoziæ, 4 Reg. 1. de quo Sect. Præced. Recordamini quàm durum nuntium acceperit Saul consultâ pythonissa: Si bonus es, ærumnis exerceri te sentias; si lapsus, alleuari; si improbus puniri. Ne dixeris quod Saul ad Samuelem: *Contristor nimis, si quidem Philistiim pugnant aduersum me, & Deus recessit à me.* Non recessit à te ô rex, nisi tu priùs ab illo. Hoc & tu mi Christiane, cogites: neminem deserit, nisi desertus. Si sapuisset Saul, id quod Mauritius Imperator, dixisset: Domine hîc potiùs me punias, quàm ibi. Sic, ô Christiane, ne in angustijs, ad Magos, Dei inimicos curre, ne animum desponde, ne Deo diffide: tu potius ad Dei amicos, ad cælites Angelos, ad matrem Dei, ad crucifixi pedes confuge, hîc tuum est asylum, hîc salus tua, hîc illud Dauidis & Iobi vociferare: *Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam: Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* *Psal. 70. Iob. 13.*

10. *Diuina auxilia ante humana applicanda.*

Ad hæc ille plurimorum intolerabilis & error & abusus est, vt priùs ad humana sese auxilia conuertant, quàm ad diuina, neque hæc, nisi illis omnibus frustra tentatis, rebusque iam planè depositis censeant aduocanda. Quo sanè fit, vt humana remedia ordine plerumque præposteto adhibita, vindicante Deo, incassum nobis eant.

SECTIO IX.

An rectè ganisus de restituto visu Tobias senior?

1. *Cæcitatis amaritiem exempla.*

GAVDET Tobias videre filium suum: *Et ecce, Ego, inquit, video Tobiam filium meum*, quem vxor ca. 10. vocauerat *lumen oculorum nostrorum.* Quæritur an rectè? Moneor exemplis varijs plurimorum, qui ægro animo tulerunt à cæcitate liberari. S. Audomarus Episcopus Teruani, anno Christi 658. cæcus existens. cũ Atrebati in eleuatione corporis S. Vedasti, eius meritis, lumen recepisset, ægro animo id tulit, oransque pro cæcitate, eam rursum impetrabit: dictabat enim eam, in salutem suam sibi à Deo immissam esse. ita Sigeb. in Chronico. Nam vt de S. Spe Abbate cæco, per 40. annos, ait S. Gregorius 4. Dialog. 10, *Deus venerabilem senem dum exterioribus tenebris premeret, interna numquam luce & consolatione destituit.* S. Aquilinus Episc. Ebroicensis petijt à Deo, vt sibi oculorũ lumina clauderet, quò melius & attentius cælestia contemplaretur: impetrauit, & tamen Episcopatu, egregiè concionando, ritè perfunctus est.

2. Venerabilis Beda, qui ex sua probitate

Mirabilis de Beda hiſtoria.

apud homines venerabilis erat; in ſua cæcitate apud lapides venerabilis fuit, ſi vera ſunt, quæ de illo à Petro de Natalibus, & ab alijs referuntur. Nam, cùm eum nebulones quidam ad prædicandum in templo vacuo hortarentur, frequentem concionem adeſſe mentientes; prædicante illo, ac tandem perorante, ſolennibus verbis, *Per ſæcula ſæculorum*: lapides, qui ſoli aderant, reſponderunt: *Amen venerabilis Presbyter.* Vt ſicut olim Chriſto Domino Ieroſolymam ingredienti dicuntur lapides acclamaturi, ſi homines tacerent, Luc. 19. ita nunc Bedam, hominibus illudentibus, lapides venerarentur.

3. *Cæci bonarum artium periſſimi.*

Inſuper cæcitatis incommodum non ſolum ſanctis hominibus, ſed etiam Philoſophis naturalibus leue viſum fuit; cùm ne cæci quidem à præclaris artibus exercendis retardentur. Vt vel ipſe Tullius lib. 5. Tuſculè. qu. ad finem egregia philoſophatur. Nam Appium multos annos cæcum, & ex magiſtratibus, & ex rebus geſtis conſtat, nec priuato, nec publico muneri defuiſſe. Ad Druſum conſulendum, quamuis cæcum, multi vndique confluebant, & qui oculari ſua, non videbant, cæco duce regebantur. Anſidius vir prætorius poterat, quamuis cæcus, & in Senatu ſententiam dicere, & Græcam hiſtoriam ſcribere, & amicis conſulentibus patrocinari, & in ſolis literis videre. Diodorus Stoicus minimè impediebatur cæcitate, quominus in Philoſophia, muſica, & hiſtoria, aſſiduè verſaretur. Immò, quod ſine oculis vix fieri poſſe videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, vnde, quò, quamque lineam ducerent. Quocirca Homerus cecinit Tireſiam cæcum ſolũ ſapere apud inferos, cùm cæteræ animæ vmbratum more vagarentur, & Cicero libr. 5. Tuſcul. *Tireſiam*, inquit, *augurem nunquam Poeta inducunt deplorantem cæcitatem ſuam.* Democritus Abderites cenſuit cęcitatem plurimùm ad ingenij acumen & quietam contemplationem conferre: quare oculis ſe priuauit, ait Gellius lib. 10. ratus commentationes ſuas exactiores & vegetiores fore, ſi eas oculorum illecebris & impedimentis liberaſſet. Homerus mente oculatiſſimus, fuit cæcus. Audi eũ in hymno: *Sum cæcus vir, habito vero in ſaxoſa Chio.* Oculi enim ſunt cupidinum illices, & in amore duces. Vnde Virgilius in Bucol.

Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.

4. *Cæcitas aliquando infligitur à Deo ad ſalutem, vel aliã cauſam*

Deinde neſcitur an cætitas, quæ naturaliter incurritur, diuinitus ad ſalutem immiſſa ſit, aut ob aliquam aliam cauſam. D. Hieron. exiſtimat Iſaacum cæcum fuiſſe in ſenectute, Geneſ. 27. quia voluit Deus ne videret filium, quem primùm benedicebat: ſic enim ait Epiſt. 125. ad Damaſum: *Ego puto diuina diſpenſationis fuiſſe, vt oculis cæcaretur, & cùm ipſe diceret: Vox quidem, vox Iacob eſt, manus autem manus Eſau, tamen non intelligeret, minorem eſſe filiũ, qui ad benedictionem patris præceptor adſiterat.* Nam ex malis naturæ aliquando bona gratiæ colliguntur; ex pœnis, medicinæ; ex corporum morbis, animorum ſanitates. Idem Doctor ſolatur Caſtrutium cæcum hoc exéplo, Epiſt. 33. *Obſecro*, inquit, *ne imbecillitatem corporis, quam ſuſtines, de peccato tibi exiſtimes eueniſſe. Quod quidem & Apoſtoli ſuſpicantes de eo, qui natus erat cæcus ex vtero, interrogante ſq; Dominum Saluatorem: Iſte peccauit, an parentes eius, vt cæcus naſceretur? audiunt: Neque hic peccauit, nec parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Et paulò pòſt: *Si cæcitatis cauſam putas eſſe peccatum, & id Dei inferre iram, quod crebro medici remediantur inſimulabis Iſaac, qui in tantum lucis iſtius expers fuit, vt, etiam cui nollet, errore deceptus, benediceret. Referes crimen in Iacob, cuius caligauerat acies: & cum interioribus oculis, & ſpiritu prophetali longè poſt futura proſpiceret, & Chriſtum cerneret de ſtirpe regia eſſe venturum, Ephraim & Manaſſem videre non poterat. Quid inter reges, Ioſiâ ſanctius? AEgypto mucrone interfectus eſt. Quid Petro? quid Paulo ſublimius? Neronianum gladium cruentarunt. Et (vt de hominibus taceam) Dei filius ſuſtinuit ignominiam crucis. Et tu putas beatos, qui felicitate iſtius ſeculi, & delicijs perfruuntur?* Sic ille.

Cæcitas nõ ſimper eſt à peccato. Ioan. 9.

5. *Tobias reſtã gauiſus fuit ob liberationem à cæcitate.*

Verùm his & alijs non obſtantibus, apertè pronuntio, rectè gauiſum fuiſſe Tobiam, quia ipſe cæcitatem, vt cæcitatem non deplorauit, ſed quia impedimentum putaret ſeruiendi melius Deo. Ita Ambroſius libr. de Tob. cap. 2. *Fraudare*, inquit; *magis ſe doluit obſequiorum, quàm oculorum munere: nec cæcitatem pœnam, ſed impedimentum putabat.* Vnde legitur numquam indignatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis illi euenifſet, ſed immobilis permanſiſſe, Deoque gratias egiſſe, c. 2. Queſtus autem legitur c. 6. ab Angelo conſolationem quærens: & cùm Deo placuit, viſum illi reſtituere, lætus ipſi gratias agit de impedimento ſublato. Quòd ergo gauiſus fuit iam reſtitutus, ſignum eſt, quod agnouerit beneficium procedere à Deo, vt illi melius ſeruiret. Vnde Scriptura teſtatur eundem cum magno profectu timoris Domini perrexiſſe in pace: Adhæc. inquit Eccleſiaſtes cap. 11. *dulce lumen, & delectabile illi oculis videre Solem.* & Prouer. 15. *Lux oculorum lætificat animam*, videlicet, quæ in bonum finem oculos ſuos dirigit. Quòd autem Pygmenius presbyter quidam Romanus de ſua cæcitate lætaretur, & gratularetur Deo, ne inimicos Eccleſiæ, & præcipuè Iulianum Apoſtatam videre cogeretur, vt auctor eſt Sabellicus lib. 5. cap. 7. id particularis fuit deuotionis, de neceſſitate, facientis virtutem. Nam cum Pygmenius & Iulianus ſibi mutuo obuij occurrerent, diceretque Iulianus, *Gratias*

tias ago Deo, ô Pygmeni, quod te video; ſtatim Pygmenius: *Et ego*, inquit, *quod te non video.*

6. *Cæcis ſernanda eſt integritas mentis, ſeu oculus mentis.*

Diſcatergo hoc exemplo homo peccator non indignari, ſi ei, Deo ita lubente accidat viſus corporalis cæcitas, ſed oculum mentis ſeu ſinceram mentem ſeruare Deo. Sic Hieronymus conſolatur Abigaum cæcum Epiſt. 32. *Ne doleas*, inquit, *ſi hoc non habeas, quod formicula, & muſca, & ſerpentes habent, id eſt, carnis oculos; ſed illum te oculum habere lætare, de quo in Cantico dicitur Canticorum, Vulneraſti me ſoror mea ſponſa, vno de oculis tuis, quo Deus videtur de quo à Moyſe dicitur: Tranſiens videbo viſionem hanc magnam. Denique quoſdam etiam mundi Philoſophos legimus, vt totam cogitationem ad mentis cogerent puritatem, ſibi oculos eruiſſe.* Et S. Antonius eodem modo conſolatus eſt Didymum illum Alexandrinum, oculis quidem, nõ mente captum; erat enim vir eruditiſſimus. Percontatus igitur eum, an de ſua cæcitate triſtis eſſet, & illo primò modeſtè reticente, ſed tandem ingenuè affirmante, ſubiecit Antonius, vt refert D. Hieronymus in Epiſt. 33. ad Caſtrutium: *Miror*, ait, *prudentem virum eum vti dolere damno, quam formicæ & muſcæ, & culices habent: & non lætari illius poſſeßione, quam ſancti ſoli, & Apoſtoli meruerunt.* Quibus verbis conſolatur D. Hieronymus eundem Caſtrutium pari oculorum cæcitate laborantem: *Ex quo*, inquit, *peruides, quod multo melius ſit ſpiritu viuere, quàm carne; & illos oculos poſſidere, in quos peccati feſtuca non poſſit incidere.*

Rurſum gaudere licet, quando Deo placet viſum reſtituere; cũ videlicet ſcopus tuus ad bonum vergit: ſed fleant illi, triſtentur iſti, quibus mors inſtar per has feneſtras. Fleãt illi, qui gaudẽt de viſu, quia *oculos habẽt plenos adulterij, & inceſſabilis delicti*; de quibus dixit Chriſtus Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.* Audiant illi Ezechielem cap. 18. dicentem: *Vnuſquiſque offenſiones oculorum ſuorum abijciat.* Et Chriſtus: *Si oculus tuus ſcandalizauerit te, erue eũ.* Vulgò enim dicitur, *Quod non videt oculus, cor non dolet.* Refert Ioan. Moſchus in prato ſpirit. cap. 96. de ſanctimoniali quadam, quod, cùm ob ſpeciem, perſecutionem aſſiduam pateretur à iuuene, ab eo quæſierit, quid eum ita in ſui amorem raperet: cumque ille dixiſſet, Oculi tui; illa effodit ſibi oculos, eoſque miſit iuueni: qui ſtupefactus & compunctus, vitam mutauit, monachumque ſe fecit. Idem fecit S. Lucia Virgo, ſed hæc miraculosè poſtmodum oculos à ſe effoſſos recuperauit, vti refert Iacobus de Vitriac. & Chronica fratrum Prædicat. Id ſine diuino inſtinctu non licet: precari verò Deum, vt iuxta beneplacitum ſuum, cæcitatem immittat, cùm experimur lumen oculorum impedire feliciorem curſum ſalutis, vti S. Audomarus, & S. Aquilinus ſuperiùs relati, quis vetat?

7. *Recuperato viſu vtendũ eſt in bonũ finem.*

S. Lucia ſibi oculos eruit, ne eſſet occaſio ruinæ.

CAPITIS VNDECIMI

VERSVS XVIII.

Ingreſſa eſt etiam poſt ſeptem dies Sara vxor filij eius, & omnis familia ſana, & pecora, & cameli, & pecunia multa vxoris, ſed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo.

Verſ. 19. *Et narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem, qui eum duxerat.*

Verſ. 20. *Veneruntq; Achior & Nabath conſobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus.*

Verſ. 21. *Et per ſeptem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.*

Verſus hi clari ſunt nec Paraphraſi indigent.

SECTIO DECIMA.

Quare S. Scriptura aduentus Saræ incolumis, post septem dies, faciat mentionem?

1. *Causa quod ad veritatē historiæ sit necessarium.*

OTIOSVM alicui videri posset, hoc loco fieri mentionem Saræ aduenientis, cum multis opibus, & copiosa familia incolumi. Sed ne mireris? Sacra enim pagina primùm omnia refert, quæ ad veritatem historiæ sunt necessaria, neque respicit, qualia illa sint, sed nudam veritatem intuetur; qualia sunt multa in hac historia, quæ scriptionem non videntur mereri. Cuius contrarium ostendimus, quando de blandimento caudæ canis Tobiæ occurrit sermo. Et certè si quid omittendum fuisset, ea erant flagitia à bonis commissa, vt sunt inobedientia Adæ Gen. 3. incontinentia Loth Genes. 29. iniustitia Simeonis & Leui Genes. 34. inuidia reliquorum fratrum Iosephi, Genes. 37. timiditas Araonis, Exod. 32. debilis fiducia Moysis, Num. 20. ignauia Heli, 1. Reg. 2. & his similia. Satius enim videbatur peccata illorum religioso silentio præterire, ne virtutum incitamenta tolli & scelerum irritamenta subministrari viderentur; sed diuinus Spiritus, qui sacrorum Scriptorum linguas & calamos dirigebat, hæc non siluit, vt sincera & incorrupta veritas scripturarum habeatur, quę tunc clarior elucescit, cùm etiam Sanctorum mala deteguntur; deinde vt diuina erga peccatores misericordia prædicetur: denique vt nemo se in hac vita securum autumet, sibique caueat à ruina. De quibus antea alibi latiùs egi.

Secunda.

Tertia.

2. *2. vt ostendat Deus se esse protectorem derelictorum.*

Secundò igitur Spiritus sanctus meminit aduentus Saræ cum multis opibus & copiosa familia sana: vt ostendat Deus se patronum esse & custodem eorum qui deseruntur. Præclarè illud attestatur Regius Propheta, Psal. 26. *Quoniam pater meus*, inquit, *& mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* quasi diceret: Quamuis necessarij mei maximi, ipsęque pater ac mater destituant, quorum tam cara vocabula extremam naturæ lege charitatem præ se ferunt, ac promittunt; licet amici & proximi etiam aduersum me appropinquent & stēt; & qui iuxta me erant, de longe stent, etiāsi me sicut ouum vel pullum apud nidum, vel extra, vt alere, ac tueri me nequeam, parentes deserant; at non derelinquet Deus, suóue præsidio, cura, fauore nudabit. Aut rursum: Ego sum instar infantis recèns nati, quem pater & mater deleliquerunt humi iacentem, atque omni iniuriæ expositum: tu autem Domine ita abiectum & desolatum benignissimè collegisti & fouisti.

3. *Exemplum Iosephi.*

Exempla quàm plurima prouidentiæ diuinæ in derelictos sacra Scriptura nobis suppeditat, Ioseph à fratribus venditus & derelictus in omnibus prosperè egit. Rationem dat Scriptura Genes. 39. *Fuitq; Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens.* Desertus erat à tribus, inuenit eum Deus, eiusque actiones per omnia direxit, & prosperauit, vt omnibus amabilem, & gratiosum eum reddiderit. Virum vocat iuuenem septemdecim annorum propter prudentiam & grauitatem, quā illum Deus dignatus est. Moyses in illa tyrannide Pharaonis Exod. 2. à matre exponitur in carecto ripę fluminis. Assumitur, & adoptatur à filia Pharaonis, & regio more educatur, non sine diuino instinctu, qui voluit eum à filia Pharaonis infesti Hebræorum hostis assumi, eruditndum curari in aula Pharaonis, vt regiam vrbanitatem, morum elegantiam, animi magnitudinem, liberalitatem, aliasque regis virtutes, quasi rector populi futurus, addisceret, & imbiberet; secundò vt postea legatus Dei pro populo apud Pharaonem futurus, maioris esset apud eum auctoritatis; præsertim accedentibus tot eius signis, portentis & plagis. Israelitarum in deserto Deus singularis fuit protector ac tutor, de quibus Moyses Deuter. 32. *Inuenit eum in terra deserta in loco horroris & vastæ solitudinis: circumduxit eum & docuit, & custodiuit, quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* quasi dicat. Deus vt aquila, Israēlem quasi pullum suum per varia signa in Ægypto, ad inde exeundum & euolandum prouocauit, eumque iam exire parantem, velut in expansis suæ prouidentiæ alis assumpsit, protexit & subuexit, tum per se, tum per Angelum viæ ducem, tum per columnam ignis & nubis. Estheris quoque non minorem habuit curam, quam regno destinatam adoptari voluit à Mardochæo viro Iudæo: hic enim puellulam in captiuitate vtroque parente orbatam de vita pudicitiaque inter barbaros periclitātem domo suâ colligit, vestit, fouet, docet, atque vt propriam filiam curat: quod eximiæ charitatis, & pietatis opus fuit. Vndę cap. 2. v. 7. leguntur hæc verba: *Mardochæus, &c. qui fuit nutricius filiæ fratris sui Edissa, quæ altero nomine*

Nec non Israelis ad in deserto.

Esthers quoque.

Voca-

vocabatur Eſther, & vtrumq; parentem amiſerat: pulchra nimis & decora facie. Mortuiſque patre eius ac matre, Mardocheus ſibi eam adoptauit in filiam. Cæcus natus Ioan. 9. eiectus foras à Iudæis, à Chriſto ſuſcipitur & inſtruitur. Ioannes Euangeliſta poſtquàm dixerat, *Et eiecerunt eum foras*, ſubiungit: *Audiuit* IESVS, *quia eiecerũt eum foras; & cùm inuenisset eum dixit ei: Tu credis filium Dei? Respondit ille, & dixit. Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei* IESVS, *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est: At ille ait, Credo Domine: Et procidens adorauit eum. Et dixit ei* IESVS: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, caci fiant.* Quaſi dicat: Meo in mundum aduentu vnum hoc conſecutum eſt, iudicium nempe, & diſcretio multorum in partes contrarias, vt illi, qui non videbant, & ſimplices, ac ignorantes erant, viſum mentis receperint credentes; qui verò videbant, quia ſcientiam ſcripturarum, & legis profitebantur, cæci facti ſint per incredulitatem. Hoc propter cæcum illum dixit, cui datum eſt, cùm idiota & ſimplex homo eſſet, in Dei filium credere, & eum agnoſcere; cuius etiam multi ſimiles fuerunt. at illi legis Doctores, & Phariſæi ſapientes, & ſcripturas tota die ſcrutantes, viſum mentis, quem habebant, perdiderunt, & incredulitate excæcati ſunt.

4. *Varia Gentium huius rei exempla.*

Si vera referunt hiſtoriæ Gentium, plurimi paruuli à parentibus crudeliter expoſiti; vel ab aliis humaniter collecti, vel (quod longè mirabilibus) etiam à brutis animantibus lactati, vel nutriti fuerunt. Tradit enim Liuius Romulum, & Remum infantes à Rhea Syluia Veſtali editos, & Amuly iuſſu in ripam Tiberis proiectos, à lupa, lactatos & ſeruatos. Iuſtinus lib. 1. ex Trogi hiſtoria ſcribit, Cyrum Perſarum Regem potentiſſimum, ab Aſtyage auo, per Harpagon feris expoſitum in ſylua, à cane tamdiu lactatum, & à feris defenſum, donec à paſtore inueniretur, & in tugurium abductus ab eodem nutriretur. Sabellicus etiam author eſt lib. 1. cap. 2. Camillam Volſcorum reginam, infantem expoſitam armentali lacte fotam & educatam fuiſſe. Ælianus adfirmat Atlantem Iaſonis, vel (vt alij volunt) Iaſij Argiuorum regis filiam à patre expoſitam (nõ enim fœminis, ſed viris opus ſe habere dicebat) ab vrſa, catulis per venatores ſpoliata, turgentibus, præ lactis nimia copia, vberibus lactatam, & à morte ſeruatam. Idem Pindarum, è patria domo eiectum vt periret, ab apibus mella ſua in os paruuli congerentibus aliquanto tempore altum teſtatur, Lib. 12. Eadem prorſus de Hierone, poſtea Syracuſanorum rege, à patre, quòd ex ancilla natus eſſet, expoſito, literis prodiderunt, Iuſtinus hiſtoricus libr. 23. & Alexander ab Alexand. lib. 2. cap. 31. Diodorus quoque confirmat libr. 4. Telephum Herculis filium ex Auge, ſiue Agaue, Arcadiæ regis filia ſuſceptum, auiſque iuſſu expoſitum, in ſiluis à cerua nutritum: ideoque Telephum appellatum.

Hæc credibilia ſunt, & ad fiduciam in Deum excitant. Qui enim coruos, vt Eliæ miniſtrarent, procurauit, leones vt Danielem ſeruarent, benignos reddidit, immanem cætum vt Ionam in mari conſeruaret, & triduò poſt in littus euomeret, præparauit, Quid mirum, ſi ad arguendam hominum immanitatem & barbariem, & curam, quam de parvulis habet, maximam oſtentandam, altiſſimo prouidentiæ ſuæ conſilio eò inclinarit? Prouerb. 23. clariſſimè indicat ſe pupillorum vindicem. Ita enim inquit Hebræus Sapiens: *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas*, id eſt. Ne attingas terminos paruulorum, orphanorum, ad transferendum eos, & dilatandos proprios agros: neque ingrediaris eos, ad inuadendum, & occupandum, aut ad metendum, & colligendum fructus eorum: *Propinquus enim illorum fortis est, ipse iudicabit contra te causam illorum.* Quaſi diceret: Perſuaſum eſt hominibus, pupillos defenſore ac vindice carere, ideoque eos audacter multi inuadunt. Non ita eſt: ſed Deus ipſe illorum patrocinium ſibi ſumit, vt eorum res ſartas, tectaſque inuaſoribus iniuſtis præſtet. Et ipſe redemptor, & iudex fortis eſt, qui non derelinquet eos, ſed iudicabit, & redimet agros è manibus vendicantium illos iniuſtè. Vide plura ad huius loci intelligentiam Diſc. 5. in VII. Præcep. num. 5.

Deus orphanorum fortis vindex.

5.

6. *Deus Sarai & eius familiæ in itinere fuit protector.*

Sic hoc loco Spiritus S. recenſet aduẽtum incolumem Saræ poſt ſeptem dies cum tota familia ſana, multiſque opibus, vt oſtendat ſe eam à marito & mercenario deſertam ad patrem vſque protexiſſe, vt beneficium agnoſceretur, quo eam affecerat. Sic Dauid enarrat Pſalm. 104. quomodo Deus populum ſuum non ſolum de captiuitate Pharaonis liberauerit, ſed etiam magnis ditarit opibus; imò cùm varijs morbis Ægyptij afficerentur, primogenita eorum occiderentur; apud filios Iſrael nulla plaga deſæuerit: *Eduxit*, inquit, *eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.*

7. 3. *causa. Deus maiora nobis concedit, quàm ipſi poſtulemus.*

Tertia cauſa cur Deus hæc ſcripto conſignari voluit, fuit, vt liberalitas Dei erga ſuos innoteſceret, qui multò plura elargitur, quàm ab homine deſiderantur. Jacob Geneſ. 45. filium ſuum Ioſephum tantum videre cupiebat: *Sufficit*, inquit, *mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit: vadam & videbo illum antequam moriar.* Et nihilominus Deus ipſe ad ipſum Iacobum: *Deſcende*, inquit, *in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi*, Geneſ. 46. Vbi Diu-

Chryſoſt

Chryſoſtom. hom. 63. *Vide*, inquit, *quomodo ea, quæ iuſtus ille deſiderabat, ea illi Deus pollicetur, imò, & multò maiora. Liberalitate enim ſua noſtras petitiones tranſcendit.* Promiſerat Deus olim Moyſi, fore vt virga eius, quem in ſummum ſacerdotem elegiſſet, germinaret: quæ poſtea non ſolum germinauit, ſed etiam vt Numer. 17. veſ. 8. ſcribitur, *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* In quem locum Orig. hom. 9. *Vnum*, inquit, *promiſit Deus fructum in virga, & plures dedit.* Et paulò pòſt: *Promiſionem*, inquit, *ſuam Deus in quadruplum dedit, & multo plura, & pretioſiora largitus eſt, quàm promiſit.* Anna filium perijt, 1. Reg. 1. & Prophetam accepit. Zacharias cùm loquendi vſum à Deo obtinere vellet, vſum accepit & prophetandi, vt notat D. Ambroſ. in cap. 1. Lucæ. *Vide*, inquit, *quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non ſolùm ablata reſtituit, ſed etiam inſperata concedit: ille dudum mutus prophetat.* Prodigus ille filius Luc. 15. poſtulabat à patre, vt inter mercenarios haberetur; *Fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.* Et tamen à parente inter filios adnumeratur, vt notauit D. Ambroſ. in Gloſſ. citatus: *Pater*, inquit, *occurrens non contentus minora concedere, priſtina filiorum dignitati reſtituit, nec iam de mercede conductoris, ſed de hæreditate facit cogitare parentis.* Simile quid accidit impio illi ſeruo, qui ſolum petebat, vt ſibi patientia ad tempus præſtaretur: & nihilominus bonus Dominus *omne debitum dimiſit illi*, Matt. 18. Vbi D. Chryſoſtomus hom. 27. in Geneſ. *Bonus*, inquit, *Dominus miſericors, noſtriq; curam gerens non ſolum quantum petijt; ſed quantum, ne cogitare quidem auſus fuit dedit.* Ad hunc modum egit Deus cum Tobia, Ipſe pecuniam tantum quæſiuit à Gabelo ſaluam, ſed Deus illi, mediante Angelo, & vxorem pulchram, virtute præditam, ac diuitijs abundantem adiungit. Inde recitat Scriptura ad gaudij Tobiæ complementum aduenisſe Saram poſt ſeptem dies cum lauta familia', cum multa pecunia, ac numeroſo grege ſanã & ſaluam.

Tobias plura obtinuit, quàm deſiderauit.

8. Hinc factum eſt, vt Tobias iunior in hoc totus eſſet, vt parentibus narraret beneficia Dei, quæ Angelo mediante, illi exhibuerat. Res ſanè præclara, Dei beneficijs recenſendis vacare, quod piorum eſt, & magnæ virtutis. Mulier illa Samaritana Ioan. 4. cùm Dominus vlcus ei terigiſſet, & ſoluiſſet quæſtionem de loco & modo ſacrificij, reliquit hydriam ſuam, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæ ego feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?* Fructus narrationis huius ab Euangeliſta profertur: *Ex ciuitate autem illa*, inquit, *multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcunque feci*, Luc. 24. Diſcipuli qui in Emaus cum Chriſto locuti fuerant, *dixerunt ad inuicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas.* Paulus & Barnabas Act. 14. cùm peruenisſẽt Antiochiam, *congregarunt Eccleſiam, & retulerunt, quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei.* Act. verò 21. Paulus Hieroſolymæ *ſenioribus narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius. Qui cùm audiſſent, magnificabant Deum.* Eò collimabat Tobias, vt parentes cum ipſo Deum glorificarent.

Res pia eſt Dei beneficijs recenſendis vacare.

SECTIO XI.

An achior & Nabath, rectè amici Tobiæ dici queant, qui in rebus ſecundis nunc gratulantur ei?

MONET Apoſtolus Paulus Romanos cap. 12. *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*, vt, quod exigit membrorum eiuſdem corporis ſocialis communio, bona ac mala aliorum, id eſt, proſpera & aduerſa, velut noſtra reputemus, atque iis, vt proprijs afficiamur, lætantes de bonis, dolentes de malis: *Si enim patitur vnũ membrum, compatiuntur omnia mẽbra, etſi gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Achior & Nabat conſobrini Tobiæ, videntes fortunam illi arridere, gratulati ſunt *Tobiæ & tibi in præſi de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus. ſpem ſolam* Præſtiterunt idipſum Iobo amici eius, qui, *modo amici.* poſtquam acceſſiſſet illi integra & repentina ſanitas, Deique illuſtre de illius ſanctitate iudicium, ac duplicata bona, *Venerunt*, inquit textus, cap. 42. *ad eum omnes fratres ſui, & vniuerſæ ſorores ſuæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederũt cum eo panem in domo eius: & mouerunt ſuper eum caput, & conſolati ſunt eum ſuper omni malo, quod intulerat ſuper eum Dominus.*

2. *Vetus conſuetudo fuit gaudendo ad ſibi mutuo congratulandi in rebus proſperis.*

Vetus autem fuit conſuetudo (quæ nunc etiam piè, & quodammodo religioſè ſeruatur) vt mutuò ſibi homines gratularentur per ſe aut legatos, ſi quid aliquando ſucceſſiſſet ex voto. Sic Thou Rex Hemath audiens *quòd Dauid percuſſiſſet omne robur Adarezer, miſit Ioram filium ſuum ad Regem Dauid, vt ſalutaret eum, congratulans, & gratias ageret, eò quòd expugnaſſet Adarezer, & percuſſiſſet eum* 2. Reg. 8. Similiter miſit Rex Tyrij Hyram legatos ad Salomonem, qui illi de regia dignitate gratularentur: *Audiuit enim*, inquit Scriptura, *quod ipſum vnxiſſet Regem pro patre eius: quia amicus fuerat Hiram Dauid omni tempore.* Merodach Rex Babylonis cùm audierat, quòd Ezechias ægrotaſſet, & conualuiſſet, miſit ad ipſum legatos tum amicitiæ cauſa, vt ei ſanitatem gratularetur, tum vt de portento illo, ſolis ſcilicet retroceſſione, veritatem, modum, & cauſam inquireret & cognoſceret, vti dicitur 2. Par. 32.

Hoc

Hoc vſque adeò vſitatum & legitimum fuit, vt conſultandum dixerit Iſaias cap. 14. quid reſpondendum Gentium legatis, quĭ gratulatum venerint, de victoria: *Et quid*, inquit, *reſpondebitur nunĭjs gentĭs?* qui ſcilicet, de more, è vicinis prouinciis & gentibus venient, vt de ſtatu belli rogent, an Philiſtini, an Iudæi ſuperent, & vincant: aut potiùs, vt victoria iam parta Ezechiæ congratulentur: quibus Ezechias & Iudæi non ſibi, ſed Deo tribuentes victoriam, reſpondebunt id quod ſequitur: *Quia* (quod) *Dominus fundauit Sion, & in ipſo ſperabunt pauperes populi eius*, quaſi dicat. Gratias agimus Deo, qui nobis hanc dedit victoriam, eò quòd amet Sionem & Hieruſalem, eamque firmare & ſtabilire deſtinauerit: quocirca deinceps pauperes & afflicti in populo noſtro hoc videntes & cogitantes, in quauis calamitate ardentiùs in eum ſperabunt, eumque inuocabunt.

3. *Veri amici in aduerſis perſeuerant.*

Portò veris amicis id etiam legitimum fuit, vt ſi quid ſuis accidiſſet durius, eos ſolarentur. Sic Dauid 2. Reg. 10. legat nuntios ad Ammonitarum Regem, vt illum de patĕtis obitu ſolarentur: *Faciam*, inquit, *miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam.* Miſit ergo Dauid legatos conſolans eum ſuper patris interitu. Hoc veræ & ſinceræ amicitiæ ſymbolum, non tantum in rebus ſecundis alicui adhærere, ſed in aduerſis, & flere cum flentibus, eiſque ſolamen exhibere. Laudatur inde Ruth, quæ ſocrui ſuæ deſolatæ adhæſit, neque vlla ratione paſſa fuit ſe ab illa diuelli: *Ne aduerſeris mihi* inquit illa Noëmi ſocrui ſuæ, *vt relinquam te, & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam; & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus. Quæ te terra morientem ſuſceperit, in ea moriar, ibiq; locum accipiam ſepulturæ. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi non ſola mors te & me ſeparauerit.* Sic Ionathas filius Saulis, cuius anima veræ amicitiæ fœdere cõglutinata erat animæ Dauid, numquam in aduerſis amicum ſuum deſeruit; ſed amico fauens, impietati paternæ, quantum poterat, reſtitit. Verus amicus Ieremiæ fuit Abdemelech, qui eum à Principibus in lacum cænoſum miſſum procurauit liberari. Darius audiens in lacu leonum eſſe Danielem, præ dolore dormiuit incænatus, Daniel. 14. Hoc amore etiam ferebantur Ruben & Iudas erga Ioſeph, qui ei compatientes nitebantur eum liberare è fratrum manibus, Geneſ. 37. Eſther audita tribulatione populi ſui compatiens ei, ſe morti expoſuit, vt eum liberaret Eſther. 7.

Vera amicitiæ ſymbolũ eſt flere cum flentibus.

4. *Iuſtorum eſt quibuſuis afflictis condolere.*

D. Chryſoſtomus ſcitè & clarè docet iuſtis eſſe proprium, pro quibuſuis afflictis dolere, ho. 29. in Gen. *Mos*, inquit, *Prophetarum & iuſtorum omnĭũ non ſolum pro ijs qui iuxta eos dolent, qui ſibi proximi ſũt, ſed & pro reliquis omnibus. Et ſi quis recĕſere velit, inueniet omnes hanc compaßionem præ ſe ferre: & audiet Eſaiam quidem dicĕtem, non valebitis conſolari me in contritione filiæ generis mei.* Hieremiam autem, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Ezechielem verò, *Hei mihi Domine, delebis tu reliquias Iſrael.* Et Danielem lamentãtem, & dicentem, *Pauculos nos feciſti vltra omnes gentes.* Et Amos, *Paniteat te Domine ſuper hoc.* Et Habacuc, *Quare oſtendiſti mihi labores & moleſtias?* Et iterum, *Et facturus es homines, quaſi piſces maris.* Et beatum illum Moyſem dicentem audiet, *Si quidem dimittis eis peccatum, dimitte, aut & me dele.* Et rursum cùm promiſiſſet illi Deus maiorĭ populi ducatum ſe traditurum, & dixiſſet, *Dimitte me, & delebo homines iſtos, & faciam te in gentem magnam: neque hoc voluit, ſed præeſſe iſtis maluit.* Item orbis doctor beatus Paulus, *Optabam ipſe ego anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis cognatis ſecundum carnem. Vidiſtis, quomodo iuſti omnes magnam compaßionem erga proximos præ ſe ferebant?* Id eſt, quod diuinus Paulus ſuperiùs Romanos edocuerat, *Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* Isa. 22. Hieron. 9. Ezech. 9. Daniel. 9. Habac. 1. Exod. 32. Rom. 9.

5. *Amici Iobi & Tobiæ nõ fuêre veri amici.*

Verùm tales non erant amici Iob, ſed oneroſi conſolatores, vt ipſe Iob atteſtatur cap. 13. Neque Tobiæ; dum enim ãduerſa eum premeret fortuna, *parentes & cognati eius irridebant vitam eius dicentes: vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas.* Hæc inter vtriuſque amicos erat tantum differẽtia, quod illi ex diabolico errore decepti, triſtiora proponerent Jobo: hi ex mera malitia Tobiæ inſultarent. De eiuſmodi dixit Syracides Eccleſ. 6. *Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis.* Et rurſum: *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Præclarè Chryſoſtomus hom. 61. in Matth. *Qui caduci*, inquit, *inſtabilibuſq; de cauſis, amicitias ineunt; eorum coniunctio perpetua eſſe non poteſt.* Paulò pòſt: *Si ſpiritualis eſſet radix, nullæ res ſecularis illa euerteret; ea certè charitas, quæ Chriſti cauſa fundatur, firma, ſtabilis, atque inuicta eſt, nec vlla obtrectatione, non periculis, non morte, non alia re temporali cõquaſſatur.* De verâ amicitiâ ſic pronuntiat Caſſianus coll. 16. cap. 3. *Hæc amicitia*, inquit, *ſola ſimilitudine virtutum iuncta eſt, quæ in nullo vnquam caſibus ſcinditur: quam non ſolum diſſociare, vel delere locorum, vel temporum interualla non prænalent, ſed ne mors quidem diuellit.* Quare verus amicus, teſte Philoſopho 7. Ethicor. non fortunas, ſed perſonam amici diligit: falſus verò, non perſonam, ſed fortunæ bona, vt videre eſt in amicis Tobiæ, qui dum omnia rediiſſent proſpera, gratulantur ei, & ſeptem diebus epulantur cum eo, gaudio magno gauiſi; cùm antea illum in paupertate iacentem, & viſu orbatum vix cognoſcerent, imò irriderent.

Amicitia qualis eſſe debeat.

Sic Mortales inconſtantiſſimæ fortunæ varieta- 6.

varietatem ſequuntur. accreſcunt opes? Vndique aduolabunt qui amicitiam ambiant. decreſcunt? celeriùs auolabunt, quàm aduolauerant, comedones, laudatores. Gratiâ aliquis valet apud Reges, aut Principes, ne nomine quidem antè notus? inueniet veteres amicos, quos nec viderat antè, inueniet nouos. excidit gratiâ? nec veteres iam amici, nec noui ſunt: imò omnes illi, quales antè erant, hoſtes ſunt. Factum in Petro, qui ſecundam Domini fortunam ſecutus, aduerſam fugit, imò in hac Dominum negauit, & quidem ad ancillæ vocem. Steterat cum Chriſto in monte Thabor, inter conuiuia Zachæi, Matthæi, Phariſæi, Canæ Galileæ, in panum multiplicatione, agni Paſchalis eſu, miraculorum operatione nimirum, ſecunda hæc erant. & quis non amet eſſe menſarum ſocius? quis deſtituat Dominum ſeruus in proſperis? quis inter fortunata non præferat amici nomen? at vbi aduerſa ingruunt, magis ſi obruunt, euolãt fortunarum noſtrarum amici. hirundines cogita & ciconias, æſtatis amicas, inimicas hyemis.

Fidi amici, fortunæ amici.

Non ſic veri amici. Hi in aduerſis permanent. Talis fuit Jonathas; nam cum Saul, hoſtis Dauid, cum delectâ ſuorum manu omninò crederet actũ eſſe de Dauide, quem audierat à Ziphæis, in ſuis finibus, viſum; neque euadere poſſe, *ſurrexit Ionathas filius Saul, abijtq; ad Dauid in ſyluam, quæ erat in deſerto Ziph: & confortauit manus eius in Deo, dixitq; ei, Noli timere; neque enim inueniet te manus Saul patris mei. Et tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecundus,* 1. Reg. 23. Poſtrema hæc verba enucleans D. Ælredus in ſpeculo charitatis libr. 3. cap. 19. ſic exclamat: *O virum ſummis laudibus efferẽdum! virum expertem inuidiæ, qui amicum regno prætulit, qui quod videbatur ſuum, eſſe voluit alienum. Ego ero, inquit, ſecundus poſt te. O ſumma humilitatis pectus! Vir regij ſeminis, cui ex ſucceſſione ſperabatur hereditas, cui ſpem auxerant culminis potiundi, genus, virtus, militum gratia, populi fauor, ipſius etiam mirabilis fama triumphi, quo vno tantum munitus comite, armatos cuneos agminis hoſtilis inuaſit, ac ſuæ genti inſperatam victoriam reportauit, infra ſeruum ſemet deijciens, Ego, inquit, ero ſecundus poſt te.* Idem Author preſſius eadem verba expendens: *Quis rogo,* inquit, *hæc etiam de vterino ſuo fratre ſine immani ſaltem cogitaret inuidiâ? Quis amici cauſa tantum ſpem in deſperationem deduceret? Filij Iacob paterna gratia, qua vnus cæteris dulcius fouebatur, immoderatius inuidentes ſeruitutem fratri, patri ſummam inuexere triſtitiam. Sapientiſſimus Salomon fratrem æmulum regni, accepta qualibet occaſione, deleuit. Ionathas ſolus infra amicum, patrem, patriam, regnumque deſpiciens: Tu, inquit, eris rex, & ego ero ſecundus poſt te. Qui ſi dixiſſet, ego ero Rex, tu autem eris ſecundus poſt me; nec legem amicitiæ, nec amici gratiam violaret.*

7. *Exempla vera amicitiæ.*

Nempe Ionatha erga Dauidem.

Sic verus amicus fuit Dauidi Regi in neceſſitate exiſtenti Ethai Gethæus 2. Reg. 15. qui fugientem Dauid à facie Abſalonis, cum alijs ſecutus eſt: & cum eo labore ipſum leuare cuperet Rex, quòd peregrinus eſſet, abeſſe tamen noluit, ſed eadem cum Rege ſubire diſcrimina. Vnde reſpondebat Regi eum remittere volenti: *Viuit Dominus, & viuat dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus.* Hinc Theodor. q. 30. *Quanto maiorem eius curam Rex gerebat, tanto ille in eum maiorem oſtendebat benevolentiam. Hæc autem ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam, vt diſcamus quod non oportet in rebus quidem ſecundis verſari cum amicis; ſin autem in res aduerſas inciderint, eos deſerere.* Verus item fuit amicus Berzellai, de quo 2. Reg. 17. & 19. S pagina mentionem facit, qui Dauidi, dum eſſet in caſtris, ad militum ſubſidium magno vſui fuit. Et cùm gratiam referre vellet illi Dauid, & aulicas delitias offerret, ſeſe excuſauit.

8. *Item Ethai Gethæi.*

Et Berzellai.

Tobias verò noſter amicos ſenſit inimicos in rebus aduerſis, qui, cùm priſtinæ eſſet reſtitutus ſanitati, cumulatuſque diuitiis, filij aduentu, illicò aduolarunt ei gratulaturi, *Et per dies ſeptem epulantes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.* Ne mireris. Nemo illorum amicus perſonæ fuit; fortunæ fuerunt, quare nil mirum, ſi cum illa, quam amarunt, euolauerint, & redeũte, aduolarint: immò ſinguli horum ſibi ſoli amici fuerunt, ſibi amarunt, coluerunt ſibi, honoribus nimirum, commodis, opibuſque ſuis.

9. *Tobiæ amici, ficti fuere amici.*

Proh dolor! Non ſolum innumeri ſunt fortunæ amici, qui eâ recedente recedunt, & illâ accedente accurrunt; ſed his longè peiores, quandoque exiſtimus, qui ex inuidia gratulationis officium negligimus, vt fratres Ioſephi, qui cùm intelligerent eum aliquando magnum futurum ex ſomnio, quod habuerat illud portendente, illi potius meditabantur mortem. Quoties Saul Dauidi, cui regni ſalutem debebat, inſidias ſtruxit, non ferens, quod mulierculæ illi gratularentur, dum canerent: *Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia?* Sic animam noſtram contaminamus, inuido oculo non ferentes, vt alter nobis præferatur, vel nobis præſentibus laudetur auidiùs. Et quod peius eſt, ſpirituale donum aliquando proximo inuidemus. Cain nullatenus ferre poterat, quod Abelis fratris ſui ſacrificium Deus flamma conſumeret, ſibique gratum eſſe teſtatum faceret: *Multi,* inquit Chryſoſtom, hom. 53. ad populum, *quod grauius eſt, perpeſſi, facilius non expediuerunt: ſed tabeſcunt, & pereunt, cùm alios ſe præclarè gerentes, cùm omnem Eccleſiam vel verbo, vel quopiam alio modo adiuuari viderint, quo quid peius eſſe poſſit? Nec enim iam fratri, ſed & Dei ſalui repugnat voluntati.*

10. *Reprehenduntur qui proſperis proximi inuident.*

Grauiter peccatum eſt inuidere alicui bonũ ſpirituale.

Et

Et paulò pòſt : *Quid quaſo palles, & fremis, & trepidus factus es? Quid mali factum eſt quod ſplendidus frater, & illuſtris eſt, & probabilis?* Et oſtendens per hoc Deum impugnari : *Gaudeat*, inquit, *ſe glorioſum exhibente fratre, & per te rurſum Deus clarificabitur, & omnes dicẽt: Benedictus Deus, qui tales habet ſeruos ab omni liberatos inuidia, mutuis gaudentes bonis.* Et argumentum reſumens : *Quid*, ait, *dico fratrem? Nam licet hoſtis eſſet & inimicus: ſi tamẽ per hunc Deus glorificaretur, amicum propter hoc fieri oporteret : tu verò amicum facis inimicum, quoniam propter illius proſperitatem Deus glorificatur. Si quis corpus tuum malè ſe habens curauerit, licet ſit inimicus, ipſum iam de primis amicorum eſſe cenſebis : Chriſti verò corpus ornantem, id eſt, Eccleſiam, & amicum ducis inimicum: & quomodo contra Chriſtum pugnam aliter prætuliſſes? Propterea ſiue quis ſigna faciat, ſiue virginitatem, ſiue ieiunium, ſiue humi ſtratum excolat, ſiue ipſos Angelos virtute præueniat, omnium erit ſceleſtiſſimus hunc habens defectum, & adultero, lenone, & latrone ac fure iniquior. Et ne quis ſermonis exceſſum redarguat, illud à vobis libenter interrogauerim : Si quis ignem ſumens, & foſſorium, hanc deſtruxiſſet domum & incendiſſet, & hoc ſuffodiſſet altare : nonne quilibet eum lapidibus obrueret, tanquam prophanum & impium? Quid igitur ſi quis voraciorem hoc igne flammam inferat, inuidiam dico, non lapidum adificia deſtruentem, nec aureum ſuffodientem altare : ſed quod parietibus, & altari multo precioſius eſt, doctorum adificationem ſubuertentem & corrumpentem, quali venia dignus eſſet? Nemo namque mihi dicat, quod frequenter aggreſſus non valuit : ex voluntate enim negotia iudicantur: quoniam & Saul Dauidem occidit, licet votum non impleuerit.* Et longè pòſt inuidiæ malum exaggerans : *Cui*, inquit, *talem aliquis animam comparauerit? Cui Vipera? cui aſpidi, cui vermi? cui ſcarabæo? nihil enim ſceleſtius huiuſmodi anima, peius nihil : hoc enim, hoc Eccleſias ſubuertit, hoc hæreſes peperit, fraternam manum armauit, & fecit vt dextera pio tingeretur cruore, & naturæ leges abſtulit, & morti fores aperuit, & in opus illam deduxit maledictionem, & neque partum, neque parentum, nec vllius alterius illum permiſit miſerum reminiſci: ſed eum ita furiauit, & in tantum egit furorem, vt & Deo ſe commonente atque dicente : Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi : nec ita acquieſceret, licet & à crimine eum abſoluerit, & ſubdiderit fratrem : attamen tam inſanabilis eſt iſte morbus, vt & innumeris medicaminibus ſuperpoſitis propriam ſcaturiat tabem.*

Talia repugnat Dei voluntati.

Nihil ſceleſtius inuido animo.

Libri TOBIÆ Capitis duodecimi
SYNOPSIS.

COMMEMORATIS beneficijs maximis, & plurimis, quæ accepiſſet ab Angelo, rogat à parente iunior Tobias, vt dimidium offerat illorum bonorum, quæ ſecum attuliſſet, ſed Angelus ſatis ſibi mercedis eſſe dicit, ſi gratias agant Deo, illumque benedicant, à quo, quicquid bonorum accepêre, profectum eſt. Deinde laudat orationem, miſericordiam, ieiunium, & illa virtutum omnium opera, quibus ſe Tobias impensè tradidit. Quæ ipſe offerebat in conſpectum Dei, à quo miſſus eſt, vt illa perficeret, quæ tunc admirabantur. Deinde Angelum ſe eſſe dicit: & ea voce perterritos confirmat, & erigit, monetque, vt Deum benedicant, illiuſque admiranda facinora perpetuò prædicent. Quod illi confeſtim, vt imperatum fuerat, præſtiterũt.

VERSVS I.

Tunc vocauit ad ſe Tobias filium ſuum dixitque ei: Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum.

Verſ. 2. *Reſpondens Tobias, dixit patri ſuo: Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius?*

Verſ. 3. *Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, meipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi adhæc poterimus dignũ dare.*

Verſ. 4. *Sed peto à te pater mi, vt roges eum, ſi fortè dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata ſunt, ſibi aſſumere.*

Verſ. 5. *Et vocantes eum, pater ſcilicet & filius, tulerunt eum in partem: & rogare cæperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 1. 2. 3. 4. & 5. Vocato, ad ſe filio ſenior Tobias audiuit ab illo, quot extarent beneficia à comitte itineris, quæ bonus pater compenſare voluit, eaque de re cum filio rerum omnium conſcio, ſecretò deliberat, qui repetitis beneficiis omnibus, eiſque ſuis momentis diligenter expenſis placere ſibi dicit, vt dimidiam bonorum omnium partem ille accipiat, per quem ipſe illa omnia conſecutus eſt. Probat pater quod viſum eſt filio, & à conuiuarum, ſeu domeſticorum turba ſeorſim euocatum orant, vt eorum quæ allata ſunt, dignetur accipere dimidium.

SE-

SECTIO PRIMA.

Quomodo vterque Tobias ostendat quod sit officium gratitudinis? Et quæ documenta ex mercenarij ope, & Tobiæ recognitione vlterius resultent.

1. VMSimon magnus Sacerdos 1. Machab. 14. plurima præstitisset in communes Iudæorum vsus opportuna valdè, & misso Numenio habēte clypeum aureum magnum; pondo mnarum mille, vt statueret cum Romanis societatem; dixerunt Romani: *Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filijs eius? Restituit enim ipse fratres suos, & expugnauit inimicos Israël ab eis, & statuerunt* ▪ *libertatem, & descripserunt* ▪ *tabulis eneis, & posuerunt in titulu in monte Sion.* Similiter agit hoc loco vterque Tobias. *Tunc vocauit*, inquit sacer textus, *ad se Tobias filium suum, dixitq; ei, Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Respondens Tobias, dixit patri suo, Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficijs eius? Me duxit, & reduxit*, &c.

2. *Documentū 1. Quid sit officium gratitudinis.*

In quo nos docent officium gratitudinis, esse beneficium agnoscere, gratias agere, & retribuere loco & tempore pro sua facultate. Sic agnoscens beneficium, & gratias agens Abrahæ, Rex Sodomorum, postquam per eum liberatus cum populo esset, de præda quatuor Regum, obtulit ei omnia spolia, Genes. 14. Sic Ietro Exod. 2. intelligens Moysen defendisse filias suas virgines nobiles, quę exercebant artem pastoritiam, (mirabili temporum illorum castimonia) contra Pastores, ad haustum à puellis, paratumque potum, agentes sua pecora; statim rogauit, Vbi esset vir Ægyptius, quem dicebant ipsas liberasse de manu pastorū, hausisse cum ipsis aquam, ac potum dedisse ouibus: *Quare*, inquit, *dimisistis hominem, vocate eum, vt comedat panem. Iurauit ergo Moyses, quod habitaret cum eo, acceptāq; Sepphoram filiam eius vxorem.* Scriptura breuitati studentes, paucis multa intelligenda relinquit, nempe filias ad fontem reuersas esse, indeque Mosen, patris verbis persuasum, domum deduxisse, amanter ab eo salutatum esse, exploratáque statim eius indole, post multa vltro citroque verba, tandem ad pactum habitandi cum eo descendisse, illudque iuramento affirmasse, ac denique eius filiam Sephoram vxorem duxisse. Gratus sanè Iethro animus.

Plurimorū exempla, ex S. Scriptura, qui se grates exhibuerunt benefactoribus.

Non minùs gratus fuit Naamam Cyrus in Elisæum Propheram; nam liberatus à lepra, ex consilio ipsius, per septenam lotionem in Iordane, reuersus ad ipsum est, & agnouit verum Deum, ac dona non pauca obtulit: *Verè*, inquit, *scio, quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel: Obsecro itaque, vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Rursum Elisæus Propheta à Sunamitide hospitio receptus, noluit ingratitudinis notā maculari, sed dixit ad puerum suum: *Loquere ad eam: Ecce sedulò in omnibus ministrati nobis, quid vis vt faciam tibi? Nunquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, siue Principi militiæ?* indignum ratus non statim rependere, quod susceperat beneficium. nam cùm ex illa intelligeret se nullius indigere auxilio aut patrocinio, quod inter suos habitaret, quorum operâ, si quid incideret molestum, vti posset, sed filio catere, ac virum eò peruenisse ætatis, quæ inepta esset posteritati propagandæ, impetrauit illi suis precibus prolem masculam, quam postea mortuam etiam rediuiuam reddidit parenti. Paulus Galat. 4. recognouit collata in se beneficia: vnde ait: *Sicut Angelum Dei accepistis me, sicut Christum* IESVM &c. *testimonium enim perhibeo vobis: quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* 4. Reg. 4.

3. *Gratitudo Assueri in Mardochæū.*

Plurima huius tam promptæ gratitudinis extant in Scripturis exempla, quæ longum foret recensere. Vnum dumtaxat addam gentilis Regis Assueri, quod Christianorum in suos benefactores retundet ingratitudinem. Is cùm noctem quamdam traduceret insomnem, iussit sibi afferri historias & annales priorum temporum in quibus cùm inuenisset, *quomodo nunciasset Mardochæus insidias Bagathæ & Thares Eunuchorum, Regem Assuerum*, incautum, *iugulare cupientium*, interrogauit: *Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est?* Intelligens autem ex ministris tanto beneficio nullam respondisse mercedem, summo honore curauit illum affici, & regio apparatu equo insidentem, regijs instratō phaleris Mardochæum per frequentiora ciuitatis loca per Amā traduci iussit, cum hac publicatione, *Hoc honore condi-*

gum est, quemcunque Rex voluerit honorare.

4. Nos autem si quid beneficij ab alijs accepimus ad altiora euecti, vel obliuiscimur cum culpa, vel ex contemptu respondere nolumus, non sine lethali noxa, similes illi Pincernæ Pharaonis Genes. 40. quem prædixerat Ioseph, interpretato prius somnio, ex carcere restituendum pristino officio, simulque rogauerat, vt restituturus sui recordaretur, & suggereret Pharaoni, vt se isto carcere eriperet innocentem: *sed succedentibus prosperis prapositus pincernarum oblitus est interpretis sui*: ita vt integro biennio in fauorem Ioſephi ne verbum diceret. Imò sunt alij, qui formaliter enorme quid committunt contra benefactores, & humanitatis ac Dei iura fœdè violant, similes Amano, & aliis de quibus Assuerus Esther. 16. *Multi*, inquit, *bonitate principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: & non solùm subiectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias. Nec contenti sunt gratias non agere beneficijs, & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam.* Ille enim Aman idcirco Mardochæum & Estherem, regiæ vitæ custodes tollere de medio satagebant, vt Regem etiam tolleret, & Persicum imperium ad Macedonicam potestatem traduceret. Sic bonam gratiam quidam ex hominibus delentes, ipsius naturæ iura violant: quæ docent ijs plurima deferre, à quibus multa accepimus. Ingratum autem est primò, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: deinde, qui id dissimulat: hinc, qui non reddit: omnium autem ingratissimus, qui beneficium obliuiscitur. Rectè verò monet Seneca libr. de beneficiis: Ingratitudinem esse rem per se fugiendam; quoniam nihil æque concordiam generis humani dissociat atque distrahit, quàm hoc vitium. Ingrata fuit Agar, erga Saram dominam suam, & ideo ab Angelo reprehenditur, Genes. 16. Ingratus Laban de beneficiis quæ accepit à Iacobo, ingratus pincerna Ægyptius in Ioseph: ingrati Saul, Ceilani, Ziphæi, & Absalon, erga Dauid. Ioas Rex Iuda occidit Zachariam filium Ioiadæ summi Saderdotis, immemor beneficiorum, quæ in illum contulerat pater illius. Tales carpit Apostolus 2. ad Timoth. 3. cùm dicit in nouissimis diebus fore tempora periculosa, in quibus *erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes*; & addit; *Ingrati*, &c. *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*, quos vult Timotheum deuitare.

Ingrati similes sunt pincernæ Pharaonis, & Amano.

Quis ingratus dicatur.

Ingratitudo est fugienda.

5. Sed quid? Horum exemplo ne quidem mouemur imò potius operarios, & mercenarios, & quod peius est, parentes ipsos, fastidimus, à quibus plurima accepimus beneficia. Proh fidem Christianorum! Confundat nos Ethnicus ille Pharao, qui sublimas Ioseph post explicata somnia: confundat nos Nabuchodonosor, qui Danielem virum Iudæum ob detectum somnij misterium in *sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis: & præfectum magistratuum, super cunctos sapientes Babylonis.*

6. Sic Tobias vterque humiliter agnoscunt beneficia, quæ à comite itineris receperunt, & virum sanctum mercenarium nominant: vnde non solùm gratias agere, sed ea retribuere satagunt pro sua facultate, & dimidium offerunt omnium eorum quæ allata fuerant. Præclara sanè gratitudo: potuisset enim iuxta pactam cum Raphaele mercedem dragma vna in singulos dies satisfacere Tobias: sed considerans potiùs animum comitis & magnitudinem beneficiorum voluit beneficium beneficio compensare, & omnium bonorum allatorum medietatē offerre, quâ vix credebat, se respondere, existimationi beneficiorum. Rarissimum exemplum, nec à pari auditum.

Liberalitas vtriusque Tobiæ in recognoscendis beneficijs mercenarij sui.

7. Assuerus quidem Rex, cùm videret Esther Reginam, oculis suis placentem, aliquid meditari, *extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu*: cuius summitatem dum osculata esset Esther, dixit ad eam Rex: *Quid vis Esther Regina; quæ est petitio tua? Etiam si dimidiam partem regni petieris dabitur tibi.* Esther. 5. Idem c. 2. post magnificum cōuiuium exhibitum Principibus pro coniunctione & nuptiis Estheris, *dona largitus est iuxta munificentiā principalem*: qualia illa fuerint Scriptura non recenset. Multa data à Persarum Regibus, eaque splendidissima dona disces ex Xenophonte, Strabone, Herodoto, qualia sunt aurea frœna, equique χρυσοχάλινοι: id est aureis instrati frœnis, & egregiè phalerati, & similia, & multo maiora. Sed illud magis illorum ostendit potentiam, & liberalitatē, seu potiùs, stuporem, & insaniam, quod ciuitates copiosas & lautas, indignissimis interdum dominus non solum stultè, sed etiam inuerecundè tradiderint; de quibus Cicero actione 5. in Verrem. *Solere, aiunt, Barbaros Reges Persarum, ac Syrorum plures vxores habere; his autem vxoribus ciuitates attribuere hoc modo. Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat: Hæc in collum: hæc in crines. ita populos habent vniuersos non solum conscios libidinis suæ, verùm etiam administros.* Idem in Alcibiade confirmat Plato, vbi docet quasdam ciuitates ab his ornamentis fœminarum accepisse nomen ad quæ à Persarum regibus destinatæ fuerant. Quare alia dicebatur Reginæ Zona, alia Reginæ caliptra. Antiochus qui in bona successit Persici imperij, vt habes lib. 2. Machab.

Regum Persarum in concubinas prodigalitas.

Ciuitates à Persarum Regibus donatæ concubinis.

cap.

cap. 4. vers. 39. duas ciuitates nobilitate donatas tradidit in sumptus concubinæ: quam ignominiam vsque adeò ciues tulerunt impatienter, vt contra Regem ipsum excitatâ seditione rebellauerint: *Cùm hæc*, inquit Textus, *agerentur, contigit Tharsenses & Mallotas, seditionem mouere, eo quod Antiochi Regis concubinæ dona data dicuntur.* Sic puto ab Assuero inter alia dona, & Regij conuiuij apophoreta, donatas esse ciuitates concubinis, & pellicibus, quarum apud se habuit numerosos greges; id sanè indicat, *dona largitum est iuxta magnificentiam principalem.* Herodes similiter cùm natalis sui cænam faceret *principibus, & tribunis, & primis Galilææ, & introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset & placuisset Herodi simulq; recumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi: & iurauit illi, quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Marci cap. 6. & Matth. 14.

8. *Quàm damnosum sua dilapidare & ablinisti mercenariorum.*

Sic in meretrices, in concubinas profundere solent liberaliter sua media Reges, viri principes, ciues opulenti. Adeò prodigi sunt Principes circa mulieres, nebulones, ganeones, adulatores, proditores, & id genus: Erga milites, verò mercenarios, pauperes, & afflictos parcissimi & sordidissimi. Genimina Iudæorum, qui ad conflandum vituli execrabile idolum, etiam filiorum, filiarum, & vxorum suarum ornamentis aureis non pepercerunt: ad construendum diuinum oraculum seu tabernaculum vix pelles caprarũ præbuerunt, Exod. 35. Horum similiter posteris præsto fuit pecunia multa ad inescandum Proditorem, comparandaque mendacia militum excubitorum sepulchri, aduersus veram manifestamque Christi resurrectionem: egenorum verò omnem curam abiecerant, Matth. 27. & 28. Longè aliter vterque Tobias in Mercenarium, quem Angelum nesciebant. Enucleatè hæc, qui pauperes mercenarios vsque adeò fastiditis, vt de mercede debitâ audire vos pigeat, aut non lubeat.

9. *Documentū. Honores non debent mutare mores*

Cæterùm dum mercenarium virum sanctum nominat iam restitutus Tobias ostendit pro morali documento, honores non debere mutare mores. Ioseph ad summum honoris culmen eleuatus, fratres mediocris cõditionis, peregrinos, fame tabescentes, ipsiusque operâ indigentes, non respuit, licet ab iis fuerat morti adiudicatus, sed Genes. 43. iussit illis instrui conuiuium à dispensatore domus suæ, qui *introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes suos, dedit q; pabulum asinis eorum*; & commota sunt viscera ipsius Iosephi super fratre suo Beniamin, ita vt erumperent lachrymæ, & seorsim inebriati sunt cum eo. Imò Genes. 47. patrem & fratres Pharaoni sistit, qui dat eis exulibus terram Gessur, omnemque operam impẽdebat, quasi vnus illis. Moyses in aula Pharaonis educatus, vt fratres inuiseret, & iuuaret, *negauit se esse filium filiæ Pharaonis, malens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias thesauro Ægyptorum æstimans, improperium Christi*, vt ait Apost. Heb. 11. Christus, ipse iam immortalis mortis & inferorum triumphator, pauperculos piscatores discipulos suos non despexit; sed frequenter visit, & donis suis auxit. Deus quoque optimus & maximus nos terræ vermiculos, & plurimis, grauissimisque peccatis contaminatos non aspernatur.

Exempla Scriptura.

Mauden in Tobiam.

Esther sublimata in regiam dignitatem, ista sua potestate non insolescit, aut honore tumet: vt vel Mardochæi miserrimè lugentis & afflicti pudeat, vel oppressos populares suos aspernetur. Non in has impiorum voces erumpit: Quocumque res cadant, ego in portu nauigo. Res meæ in tuto sunt, ille suarum sataget, si velit, aut valeat. Sed mira compassione cum ipso (etiam si adhuc rationem ignoret) dolet, luget, exhorescit, animoque consternatur. Præclarum sanè in summo fastigio pristinam retinere comitatem. Villegisus, teste Nauclero, Zieglero, & aliis, patre rhedario natus, ab Othone tertio subitò primus inter Electores adoptatus, ne se efferret, sibi crebrò suggerebat: *Vide quis sis, memento quis fueris.* Vnde & rotas suo musæo appingi curauit, ipsique subscribi *Villegise prioris fortuna memor, quis nunc sis considera.* Hæc rota postmodum insigne Archiepiscopatui Mogũtino fuit, atque ab Henrico II. Imperat. confirmatum. Benedictus vndecimus ex paupere creatus Pontifex, cùm matrem à matronis Romanis splendidiori cultu ornatam, ad se venientem videret, dissimulauit se eam agnoscere, ac monitus adesse matrem: *Egóne*, ait, *matrem tam speciosè amictu esse credam? non agnosco. matrem enim & pauperem scio & ignobilem.* Exuit ergo ipsa vestes sericas, ac suas pannosas induit: tum Põtifex eam amplexatus: *Hoc habitu*, inquit, *matrem reliqui, & talem libenter agnosco, recipióque.*

Præclarum est in honore pristinam seruare comitatem.

10.

Nos autem ter quaterque miseri, si aliquando ex humili loco ad aliquem dignitatis gradum ascendere contingat, intollerabili arrogantiâ tumemus, & pauperculos affines tanquam ignotos & peregrinos fastidimus. Quænam istorum venia?

11. *Documentum. Deus per viles personas aliquando magna operatur.*

Alterum documentum morale suppeditat nobis beneficium, per mercenarium, Tobiæ præstitum: videlicet, Deum, per viles & minùs æstimatas personas, aliquando magna operari. Ioseph venditus in seruum, & adulterij insimulatus illicò ad carceres & furcam rapiendus, non modò ipsam Ægyptum, sed & vicinas prouincias gentesque à

crudelissimâ fame morteque seruauit. Iephte à contribulibus & agnatis, vt nothus & vilis patriâ pulsus, eos tandem liberat ab Ammonitis, factus Israelis Iudex & imperator. Mardochæus exul captiuus, ex Gente Ethnici contemptibili, plus Assuero profuit, quàm omnes cohortes, Satrapæ, opes, & arces, ac palatia: Defendit enim Regem ab insidiis Eunuchorum. Nemo igitur pauperculum viticolam, agricolam, rusticum dicentem aspernetur: quandoquidem est olitor aliquando opportuna locutus: & sub sordido palliolo, sæpè latet sapientia. Nemo, inquam, quantumuis coram mundo despectum, aut exilem, aut denique paupertatis nomine contemnendum putet; præsertim cùm videat à mercenario tot beneficia emanasse. Consideret quoque Deum in oculis hominum exiles & humiles ad magna sæpè euehere. Sic Iosephum sæpius dictum è carcere euexit ad principatum Ægypti; Gedeonem ex area euocauit ad ducatũ Israelis; Dauidem ab ouibus, Saulem ab asinis eleuauit ad regnum. Sic à piscatione & retibus S. Petrum, Iacobum, Ioannem, &c. vocauit ad apostolatum.

Deus humiles ad magna quandoque euehit.

12. Rursum Deum, sicut voluit Angelum sub schemate humili, magna patrare, ita eundem eximios viros, quos ad magna destinat sæpe corpore paruos formasse, vt exilis statura semper humilitatis eos admoneret. *S. Chrysostomus*, vt refert ex Menæis Græcorum Raderus in Viridario Sanctorum die 30. Ianuarij, *fuit corporis specie & statura parua, caput grande humeri sustentabant, tenuissimus ipse ac macie summa confectus, pallidissima facie, canis interspersis, minibus atque introrsum recedentibus: cæteris corporis & oris lineamentis malum quid præferebat cùm extenuata, sed lata & magna esset fronte, rugis vndique sulcata, magnis auribus mento pusillo. Vixit annos 63. in episcopatu sex.* Hæc Raderus, qui ex iisdem de S. Nazianzeno sic scribit: *Gregorius ille Theologus statura mediocri erat gracili, magis breuitate, subpallidus, naso simo, rectis supercilijs, vultu placido, & modesto, oculorum altero, dextro, inquam tristiori, quem & cicatrix in hirquo contrahebat, decenti capitis calui-tie, de quo hoc iure dici potest: Si statua figura humana efformanda esset ex omnibus ac singulis virtutibus conflata, talem in hoc eximio Gregorio effulsisse, qui vita splendore Laudatissimum quemque superaret. Vixit vltra annum octogesimum, in episcopatu duodenos.* S. Paulus vti nomine, ita re fuit paruus: *Tricubitalis est*, inquit S. Chrysostomus, *& calos transcendit.* S. Hieronymum paruo fuisse corpore scribit Ribadeneira in eius vita: atque hinc forte illi tanta mentis acredo. S. Constantius Mansionarius ex paruitate corporis documẽtum sumpsit humilitatis, & virtutis adeò illustris, vt & miracula patraret, atque aqua quasi oleo ardentem in ecclesia lucernam aleret, vti narrat S. Gregor. lib. 1. Dial. cap. 5. S. Antoninus Archiep. Florent. adeò pusillus fuit, vt, cùm ei nomen esset Antonius, diminutiuè vocatus sit Antonius; is tamen monstrum fuit memoriæ, æquè ac doctrinæ & sanctitatis. Cùm enim tredecim tantum esset annorum, totum ius Canonicum memoriter calluit nam iuxta Poëtam.

Eximij viri subinde corpore, & statura parui sunt.

S. Chrysostomus fuit parum.

Et Nazianzenus.

Et Paulus & S. Hieronymus.

Ac Antoninus.

Ingenio pollet, cui vim natura negauit.

CAPI-

CAPITIS DVODECIMI

VERSVS VI.	PARAPHRASIS.
Tunc dixit eis occultè : Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.	*Verſ.* 6. 7. 8. 9. & 10. Seorſim vocauerant Raphaelem vterque Tobias; Angelus ſimiliter ſecretò ſignificat eis, cui acceptum referre debeant beneficium, Deo nempe cæli, cui coram omnibus exhibendæ laudes. Reuelaturus autem diuina myſteria, ſecernit illa à Principum ſacramentis, ſeu ſecretis conſilijs, quæ numquam reuelare licet, quòd proditis conſilijs deſignati impediantur rerum euentus; diuina autem conſilia ſuo tempore declarare, dicit honorificum; quod nihil niſi bonum Deo & hominibus inde accreſcere queat. Deinde reuelat per orationem & ieiunium, ac eleemoſynam multa bona in Tobiæ ſinum influxiſſe, quæ neque congeſſiſſet, qui theſauros congregat, neque quæuis humana ſolertia. Nam eleemoſyna à periculo mortis temporalis liberat, & æternâ; ac in tempore caſus præbet firmamentum: vlterius expiat à culpis, & æternæ vitæ tribuit poſſeſſionem. Qui autem peccata perpetrant, in animam ſuam ferrum exacuunt, & in eam hoſtilem in modum violenti irruunt.
Verſ. 7. *Etenim ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt : opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.*	
Verſ. 8. *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis quàm theſauros auri recondere:*	
Verſ. 9. *Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam.*	
Verſ. 10. *Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.*	

SECTIO II.

Quid doceat Angelus hiſce verbis, Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei.

1. SIcvti oblatum fuerat ſecretò bonorum omnium Angelo dimidium, ſic etiam Angelus ſecretò, cui acceptum referri debeat illud beneficium edocet. In quo primùm obſeruo fidelis mercenarij animum ingenuũ, quòd vanam gloriam planè à ſe repellat, & ex rebus admiratione dignis aſcribi nihil ſibi velit, neque propter illas ſibi gratias referri aut haberi, cùm tamen eius nonnulla eſſet virtus & induſtria. Optimus quiſque cælo & Deo teſte contentus eſt, & cum Iobo ſe ſolatur: *Ecce enim in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis*, Iob. 16. Hoc noſtræ ſtultitiæ pars eſt, cùm videmur nobis fruſtrà laborare, niſi ſint multi ſpectatores, & teſtes laboris noſtri, Chriſtus Dominus, cum Iudæi obijcerent: *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit*; reſpondit: *Doctrina mea non eſt mea.* Paulus docuit: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: & ne quidem cogitationem bonam voluit nobis adſcribi. Apoſtoli cùm miracula facerent, Deo illa aſcribebant: hinc Actor 3. Petrus ſanato claudo à natiuitate, populo ad ſe confluenti dixit: *Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham etc. glorificauit filium ſuum* IESVM, *etc. & in fide nominis* IESV *hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius; & fides quæ per eum eſt dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium hominum.* Petrus dixerat illi: *Reſpice in nos.* Et iterum: *Argentum & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine* IESV CHRISTI *ſurge & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum.* Nihilominis Deo totum arrogat: Fides, inquit, quæ per Chriſtum eſt prædicata & euangelizata dedit ſanitatem claudo: *Idcirco*, inquit, S. Gregorius, *viri ſancti ſemper laudem Creatori red-*

Angelus vanam gloriã reſpuit, & Deo totum aſcribit.

Sancti viri ſua opera Deo arrogant.

Hom. 5. in Ezech.

reddunt, vt vera ſtabilitate perſiſtant in ea virtute, quam accipiunt, ipſum ſuo exemplo docet nos hic Angelus: Sciebat vtique ad Dei nutum, & miraculum, & omnia felicia contigiſſe Tobianæ familiæ. Quemadmodum autem illæ fidelis ſeruus eſt, qui multa millia florenorum numerat ſuo domino tantâ fide, vt nec vnicus quidem quadrans piceatis vnguibus adhæreſcat: ita is optimâ fide agit cum Deo, qui quidquid humanæ laudis accipit, huic domino ſuo in ſolidum adnumerat, nec ſibi vel minimum inde reſeruat. De quo inſigniter Chryſoſtomus in Matth. hom. 9. *Maxima virtus eſt*, inquit, *omnia Deo aſcribere, nihil ſuum eſſe ducere, nihil ſua gloriæ cauſa facere, ſed ad Dei voluntatem perpetuò intentam oculorum aciẽ habere.* Fecit ergo Angelus, quod prudentior quis facit, qui litteras accipit non ſibi, ſed alteri domino inſcriptas; quamprimum is literarum frontem inſpexerit, ſtatim: hæ litteræ, dicet, ad me non pertinent; hęc tituli præfatio non me alloquitur, nec mihi tam grandia nomina conueniunt: ita prorſus facit qui laudes non ſibi, ſed Deo deberi agnoſcit, qui omnem à ſe gloriam in Deum deriuat, hic demum fidelis ſeruus, Deo ſincerè ſeruit, huius ſiniſtra ignorat, quid dextera faciat.

Fidelis ille ſeruus eſt, qui humanas laudes Deo aſcribit

2. Sed preſſius hic examinandum venit, Quare Angelus diuina myſteria aperturus, ſe ipſumque manifeſtaturus, occultè dicatur pronuntiaſſe hæc verba: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei*, &c. Item, cur ſolum dicat: *Benedicite Deum cæli*, cùm etiam terrarum ſit Deus. Ad prius; nota, Deum non aſſueriſſe ſuis reuelare myſteria, aut ſua aperire oracula, niſi auocatis à turba, quod hominis à tumultu populari ſegregati mens ſit quieta, ſibi præſens, & collecta, atq; apta rebus cæleſtibus, & æternis percipiendis. Patet hoc in Moyſe, cui Dominus, cùm iam *minaſſet gregem ad interiora deſerti, apparuit in flamma ignis de medio Rubi*, Exod. 3. Rurſum in Ezechiele, qui ſecus fluuium Chobar, à Deo inſignem accepit illuſtrationem. Vide Sectionem 19. Cap. 3. vbi latiùs de hac re, & ſolitudinis vtilitate diſſeritur. Hunc Dei morem imitari videntur ſupremi illi ciues, ſupremorumque vertices Angelorum, quando aliquid ex eius mandato creaturis reuelare tenentur: ſummum enim requirunt ſecretum, vt ſilenter, & occultè ſuum munus exequantur. Nonne Danieli poſtquam trium hebdomadarum ſpatio ab eſcis abſtinuiſſet delicatis & lautis, & orationi ſe dediſſet, eaque reſpoiſſet, quæ cenſeri ſolent genij atque naturæ blandimenta; nonne, inquam, illi poſt hæc, ad fluminis Tigris ripam auguſtâ, atque horrificâ ſpecie occurrit Gabriel, vt illius ſatisfaceret votis, & de rerum quarumdam euentu doceret, quæ vel ad ſtatum pertinerent rei Iudaicæ, vel ad vniuerſi, æconomiam ſummam, atque multiplicem? Sic etiam hic Angelus Raphael, comes Tobiæ iunioris, cùm illi vterque Tobias, rependere ſatagens, beneficia accepta, offerret dimidiam partem omnium quæ attulerant, eâ implicitè recuſatâ, *dixit eis occultè*: *Benedicite* &c. Quare additur *occultè*, cùm ſoli erant, nullusque extraneus adeſſet; tractus enim erat à Tobia *in partem*, id eſt, ſeorſim? videlicet, vt reuelaturus cæleſtes res, dicturuſque quis eſſet, etſi non ab extraneo audietur, ſignificaret Dei reuelationes requirere ſecretã & liberam auſcultationem, quâ facillimè ad animum penetrant; nam mundanis tumoribus implicato, vix poſſibile eſt, Deo, Deiq; reuelationibus vacare.

Dei reuelationes fiunt à populari turba ſegregatis.

Secretus aptus eſt meditationi.

Quoad poſterius: Angelus Raphael Deo cæli gratias vult impendi: quia Gentiles videntur in ea perſuaſione fuiſſe, quòd Deus cæli, ſi quis eſſet, tantùm curaret cælestia, & quòd eius poteſtas & prouidentia non extenderet ſe ad res humanas, iuxta illud Iob. cap. 22. *Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Rurſum quia Reges Aſſyriorum vocabant ſe Deos terræ, & omnes alios Deos nationum iubebant exterminari, cùm in ipſis non eſſet maior poteſtas, quàm à Deo cæli permitteretur: ita vt Daniel. 4. legatur eiectus Nabuchodonoſor è conſortio hominum donec agnoſceret, quod dominaretur Excelſus ſuper regnum hominum, & cui-cumque voluerit, daret illud. Hinc populus Bethulienſis, cùm Holofernes ablegaſſet Achior, qui potentiam Dei magnificè prædicarat, quam Holofernes contemnebat, *Adorantes Dominum, & communi lamentatione ac fletu vnanimes preces ſuas Domino effuderunt, dicentes*: *Domine Deus cæli & terra, intuere ſuperbiam eorum*, &c. Iud. 6.

Deus cæli, & non terra apud Gentiles erat.

Reges Aſſyriorum habebãt pro dijs terra.

3. Secundò voluit eos, Deum cæli benedicere, quod nulla alia mercede operam ſuam compenſari vellet, quàm gratiarum actione Deo impendenda: Suum enim honorem arbitrabatur illum, quo Dei celebraretur prouidentia fidelis, & immenſa benignitas: quodque ſciret gratiarum actionem eſſe neceſſariam, vtilem, ſanctam, ac Deo gratam: à Deo enim in vtroque teſtamento præcepta & ſancita legitur ſub grani culpa & pęna, non vtique ad Dei ipſius (quid enim Deo accedit ex hunuunculorum gratitudine?) ſed ad noſtrum commodum. Verè S. Auguſtinus in Pſal. 134. initio: *Si*, inquit, *non laudauerint ſerui Dominum, ingrati, irreligioſi erunt. Quid faciunt non laudando Dominum, niſi vt ſeuerum ſentiant Dominum?* Itaque ſtatim ab initio creationis mundi, Deus iuſſit hoc beneficium hebdomadatim recoli, ac gratias agi, ideoque ex tunc inſtituit, & ſanctificauit ſabbathum,

Gratiarum actio in vtroque teſtamento præcepta eſt in noſtrũ commodum.

Geneſ.

Geneſ. 2. 3. Sic beneficium conſeruationis & gubernationis rerum creatarum, grata memoria iuſſit recoli, & expendi primo quoque die menſis, ideoque inſtituit feſtum Neomeniæ Numer. 28. Sic beneficium liberationis à Pharaone & Ægypto, memori gratitudine rememorari quotannis iuſſit celebrando Paſcha, Exod. 12. Datæ legis memoriam iuſſit renouari in Pentecoſte; protectionis & deductionis per deſertum 40. annis in feſto Tabernaculorum, & ita de cæteris. Quin & Levit. 7. peculiare ſacrificium pro gratiarum actione, cum ſuis libaminibus & cæremonijs ſanxit. Deuteron. verò cap. 26. v. 2. *Tolles*, inquit, *de cunctis frugibus tuis, etc. accedeſque ad Sacerdotem, & dices: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terram, pro qua iurauit patribus noſtris, vt daret eam nobis.* Sic frugum decimas & primitias exegit in gratiarum actionem, vt ipſæ eſſent, quaſi homagium terræ ſanctæ, Hebræis quaſi in feudum datę.

4. *Vſus eſt fidelibus obtento beneficio, Deo gratias publicè agere*

Vſus etiam fidelium obtinuit, vt publicè Deo laudes impenderentur pro obtentis beneficijs. Hinc Canticorum illa conſuetudo, Exod. 15. Iudic. 5. 1. Reg. 2. Iſa. 38. de quo ibidem v. 9. ſacra pagina: *Scriptura Ezechiæ Regis Iuda cum egrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua.* q. d. Cùm ab ipſa penè mortis neceſſitate reuocatus, & priſtinæ valetudini reſtitutus eſſet Ezechias, illius beneficii extare voluit publicum documentum: quare rem totam in tabulis deſcribendam curauit, vt impendentis mortis, & receptæ diuinitus ſanitatis gratulatorium extaret monumentum. Quod enim ab impijs gentibus piè ſolitum eſſet fieri, vt accepti diuinitus beneficij memoriam publico profiterentur teſtimonio: id à Rege pio, factum eſſe inſinuat Iſaias vates. De Gentibus apud profanos authores ſatis multa; de naufragis, qui in tabula ad Deorum aras ſuſpenſa incolumitatem ſuam teſtantur, paſſim occurrunt teſtimonia. Satis modo pro omnibus ſit nobis Cicero lib. 1. de natura Deorum. *Tu qui Deos putas humana negligere non animaduertis, ex tot tabulis pictis, quàm multi vim tempeſtatis effugerint, in portumq; ſalui aduenerint.* De morbis teſtimonia non minus aperta. Tibullus elegia 1. ad Iſidem.

Apud gentes Tabulæ in Templis declinati periculi monumenta, poni ſolita.

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Vide Mercurialem de re Gymnaſtica; vbi adducit multa vota ſoluta inciſa in æs, eorum, qui diuino beneficio ſe putabant mortem euaſiſſe, vbi morbi genus, & grauitas, & ratio medicinæ notantur. Strabo libro octauo refert Epidauri templum eſſe Æſculapio ſacrum, ægrotantium multitudine vndequaq; confertum; prudentibus paſſim tabellis, quibus ſanati languores inſcripti erant.

5. Sed eſſe hoc etiam vſitatum apud Hebræos vicinaſque gentes nonnulla coniectura eſt. Nam & id factum eſſe proditur à Philiſtæis: Hi enim 1. Reg. cap. 6. cùm ab vlceribus illatis ab vlrore Deo, & muribus eminentia viſcera corrodentibus liberari vellent, iuxta numerum prouinciarum fecerunt, quinque aureos mures, & totidem anos, quos delicti expiandi cauſa, iuxta arcam fœderis in capſella poſuerunt. Item quia Deus beneficiorum, quæ in populum ſuum contulit, extare voluit memoriam perpetuam, erigique iuſſit ſigna, aut ſolemnitates inſtitui, quæ quotannis aliquorum beneficiorum memoriam renouarent. Traiecto Iordane tam iniectis in alueũ duodecim lapidibus, quàm extractis ex alueo totidem ad ripas fluminis, illius beneficij memoriam perire noluit. Et vt Hebræorum magiſtri docent, adhuc in maris rubri alueo quadrigarum orbitæ viſuntur, quæ Ægyptios in medios fluctus inuexerunt, demerſeruntque. Quod ſi ita eſt (nam mihi numquam non ſuſpecta eſt Hebræorum fides) plane mirabile eſt diuini beneficij monumentum. Quod momento temporis delendum, & periturum eſt, id in aqua, aut puluere ſcribi dicitur prouerbiali ſpecie, ſed Deus ibi in arena & aqua æternam conſernat Ægyptij beneficij memoriam. Num. 19. ex thuribulis, in quibus à ducentis quinquaginta viris, qui ab igne conſumpti ſunt, thus offerebatur, laminas fieri iuſſit Deus, affigique altari, vt poſteri deinceps admonerentur, ne quid auderent ſimile.

Probabile eſt id etiam moris apud Hebræos.

In mari rubro adhuc ſeruata veſtigia domus Pharaonis

6. Quia ergo Sancti tum ex præcepto diuino, tum etiam ex vſu pio ſoliti ſunt certo ſigno proteſtari victoriam obtentam, ſeu quoduis beneficium à Deo eſſe, vt Exod. 17. Moyſes; 1. Reg. 7. Samuel; ideo Angelus iubet Tobiam hos imitari: *Optima enim beneficiorum cuſtos*, teſte Chryſoſtomo hom. 26. ad pop. *eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio.*

Gratitudo eſt beneficiorum cuſtos.

7. Quanta in nobis deſidia! Ex mille vix vnus debitas gratiarum actiones Deo impendit. Conquerebatur Chriſtus Luc. 17. cum ſanaſſet decem leproſos, vnum tantum redire, qui Deo daret gloriam: *Nonne decem*, inquit, *mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* Ille qui Samaritanus erat, *vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens.* Cæteri Iudæi neglexerunt. Sic notauit Chriſtus ſuorum ingratitudinem. Ne mireris. Hoc vnicum eſt, quod Deo præſtare poſſumus & debemus, quodque ei maximè eſt honorificum & gratum. Vnde S. Auguſt. de Spirit. & litt. cap. 11. *Cultus*, ait, *Dei in hoc maximè conſtitutus eſt, vt anima ei non ſit ingrata; vnde in ipſo veriſſimo & ſingulari ſacrificio, Domino*

Pauci tas gratias agentiũ.

Gratiarum actio Deo eſt gratiſſima.

Domino Deo nostro gratias agere admonemur. Deus enim bonorum nostrorum non indiget.

8. Hoc non ignorauit Dauid, qui olim clamabat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Imò Dauid multos scripsit Psalmos eucharisticos, nempe Psalmum 8. 102. & inter plures alios 135. vbi tertiò repetit: *Confitemini Domino, quoniam bonus*: & ad singulos versus addit: *quoniam in æternum misericordia eius.* Et quod amplius est, Christus ipse in plerisque mirabilibus suis primùm gratias agit, eâque gratiarum actione multum boni nobis præstitit. Ioan. cap. 6. vim multiplicandi & nutriendi elicuit, vt quinque panes, & duopisces plura hominum millia satiarent. Relicturus nobis corpus suum, primò gratias egit, patri, & impetrauit virtutem transubstantiandi panem in suum corpus, & vinum in suum sanguinem. Suscitaturus Lazarum: *Pater*, inquit, *gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Diuinus ille Paulus apprimè recognoscens virtutem & energiam gratiarum actionis, eamque esse propriam dotem Sanctorum noui testamenti, iuxta illud Isa. 51. 3. *Consolabitur Dominus Sion, & ponet solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis*; millies gratias agit Deo pro beneficiis non tantum sibi, sed & aliis collatis, Rom. 1. v. 8. & ibid. cap. 6. v. 17. ad Cor. 1. v. 4. & alibi: millies pro seipso, 2. ad Timoth. 1. *Gratias ago Deo, cui seruio à progenitoribus in conscientia pura.* 1. ad Tim. 1. *Gratias ago ei, qui me confortauit, Christo IESV Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quòd Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Præterea nihil aliud tam impensè suis inculcat, quàm gratiarum actionem, ad Eph. 5. v 3. & 20. Philip. 4. v. 6. Coloss. 3. v. 15. c. 4. v. 2. 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo IESV in omnibus vobis.*

Christus in operibus Deo Patri egit gratias.

Gratiarum actio sapissimè à Paulo commendata.

9. Nos autem altum sertimus, nec de gratiarum actione, obtento aliquo beneficio multum solliciti sumus: *Ideò*, inquit Thomas à Kempis, *non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus authori, nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia dignè gratias referenti: & auferetur ab elato, quod dari solet humili.* Sequamur ergo eiusdem pientissimi Doctoris sententiam: *Esto*, inquit, *gratus pro minimis, & eris dignus maiora accipere. Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro ablata; oret vt redeat, cautus sit & humilis ne amittat.* lib. 2. de Imitat. Christi cap. 10.

Ingratos Deus non dignatur beneficijs.

SECTIO. III.

Cur viri sancti à muneribus tantoperè abstinuerint?

1. DVRIMA extant exemplа sanctorum virorum in sacra pagina, qui munera contempserunt. Inter alios occurrit Moyses, qui Num. 16. suam innocentiam ostendens apud rebelles Core, Dathan, Abyron, & Hun ambientes Sacerdotium, sic sese purgat ad Dominum verba faciens: *Ne respicias sacrificia eorũ, tu scis quod ne asellum quidem vnquam acceperim ab eis*: Ne respicias Domine ad thurificationes eorum, cùm enim tibi palam sit me nihil muneris ab iis admisisse, euidenter constat, quã iniquè me ambitus, tyrannidis, & duri dominatus accusent. Samuel 1. Reg. 12. cum gentem ingratam obiurgare vellet, prius innocentiam suam publicè manifestat: *Conuersatus*, inquit, *coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi; & contemnam illud hodie, restituamq; vobis. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.* Existimabat Samuel se non posse iustè loqui, si munera accepisset; vnde iudicem suæ vitæ & causæ vult esse Deum, cuius intelligentiam nihil latet; & Regem ipsum tum vnctum publicè, atque ideò Christum Domini, cuius neque censuram respuit, neq; imperium recusat. Putat autem Iosephus vsq; adeò Samuelem auidè studuisse, suam vitam, & mores in publico illo conuentu examinari ad seueriſſimam amussim, vt non solum petierit, oraritque; sed etiam per Deum adiurarit populum, vt de suis rebus diligenter statuat, videat, & seuera censura castiget, si quid in tot annorum administratione peccatum sit: *Samuel*, inquit, *Propheta, priusquam comitia dissolucrentur, sic est allocutus populum: Adiuro vos per maximum Deum, qui vobis optimos illos fratres, Moysem & Aaronem misit, vt patres vestros ex Ægypto educant, vt absque pudore, & metu, omniq; affectu liberè dicatis, numquid contra ius, & æquum fecerim, vel proprij lucri cupiditate, vel in alterius cuiusquam gratiam. Coarguite me, si cuiusquam vitulum, aut bouem, aut aliud quid tale accepi.* Vnde Siracides eum cap. 46. Eccles. sic deprædicat: *Antetempus finis vitæ suæ, & seculi testimonium præbuit in conspectu Domini, & Christi, pecunias, & vsque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusauit illum homo.*

Exempla plurimorum Sanctorum, qui munera horruerunt.

1. *Moyses.*

1. *Samuel.*

Angelus hic pro mercenario habitus ad tã libe-

1. *Angelus Raphaelis.*

liberalem oblationem, atque, præter pactam mercedem, illi offerebat vterque Tobias, noluit respicere; sed dixit: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit*
4 *Elisæi Prophetæ.* *vobiscum misericordiam suam.* Elisæus Propheta, cùm rediret ad eum Naaman Syrus, purgatus à lepra per septenam, ipsius iussu, lotionem, in aquis Iordanis eumque obsecraret, vt reciperet ab eo munera: *Obsecro itaque*, inquit, *vt accipias benedictionem à seruo tuo*; quæ verosimiliter ascendit ad decem talenta argenti, & sex mille aureos, & decem mutatoria vestimentorum: quæ secum ante tulerat ad honorandum Regem Israel: Ast Heliseus, mediante iuramento, respuit eiusmodi benedictionem: *Viuit Dominus*, inquit, *ante quem sto, quia non accipiam. Cumq; vim faceret, penitus*
5. *Danielis.* *non acquieuit.* Daniel quoque, cum cap. 5. à Balthasare Rege honoribus propositis, & muneribus, sollicitaretur, vt explicaret verba, quæ in aduerso pariete digiti quidam apparentes exararant, respondit: *Munera tua sint tibi, & dona domus tua alteri da: scripturam autem legam tibi rex, & interpretationem eius ostendam ti-*
6. *D. Pauli.* *bi.* Paulus Act. 20. desecturus Ephesianos vocat maiores natu Ecclesiæ, & inter cætera, quibus suam innocentiam declarat, inquit, *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt istæ manus.*

3. *Opus præstantissimum, non accipere munera.* Igitur non accipere munera, opus est Mosaicum, opus est Propheticum, opus Apostolicum, imò Angelicum. Res obseruatu planè necessaria; quod viri illi sancti vel munuscula paruula contempserint, vt Moyses & Samuel; vel vltra pactam mercedem non attenderint, vt Raphael Angelus in schemate mercenario personatus; vel ob periculum scandali, aut melius bonum omninò fastidierint, vt respectiuè Heliseus & Paulus.

4. *Iudicibus illicitum accipere munera, & cur.* Clarissimè Apostolus: *Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Quis dubitat, quin & illud, quod Angelus Raphael hic non aspexerit ad munera, illi in gratiarum actionem oblata? Nempe vt doceat nos, speciem mali habere, vltra honorarium constitutum quid muneris accipere. Attendant hoc Iudices quandoquidem ad iniustè iudicandũ nimis magna fit illecebra, munerum acceptio, ad animos etiam iustorum in deteriorẽ partem inflectendos. Præscripsit propterea Moyses Exod. 23. iudicibus hanc legem: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Appositè Chrysostomus hom. 65. in Ioan. *Auaritia*, inquit, *& auri cupiditas, grauis morbus est, grauis, inquam, qui & oculos cæcat*, attende singula, *& aures obstruit, & ferâ seniores reddit, non conscientiam, non amicitiã, non consuetudinem, non propriæ animæ salutem cognoscere sinit, sed semel ab omnibus diuinens, in seruitutem sibi, quos capit, more sæuissimi tyranni vindicat.* Perpende singula Chrysostomi verba, auaritiæque conditiones, quas si semel iudici applicaueris, perspicies illa laboranti impossibile æquum, iustumque ab illo edici, cùm nec oculos habeat ad verum discernendum, nec aures ad verum audiendum, immo nec conscientiam, vnde Deum non timens, nec homines verens, non quod ius, sed quod aurum ei suggerit, pronunciat, & edicit. Huic consonat Petrus Damianus epist. 23. *Acceptis*, inquit, *muneribus, si contra dexterem quid agere volumus, mox in ore nostro verba molescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentia præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia debilitat iudicialis censuræ vigorem; reprimit eloquentia libertatem. Nam etsi iudicij rectitudo funditus non adimitur; iudicandi tamen authoritas eneruatur.*

Auaritia effectus in Iudice, & munerum vis.

Constat idipsum exemplo filiorum Samuelis, de quibus sic sacra pagina: *Non ambulauerunt filij eius in vijs illius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperunt q; munera, & peruerterunt iudicium*; 1. Reg. 8. Verissimè idem Damianus: *Filij Samuelis nullum aliud crimen habuisse leguntur, nisi quia munera dilexerunt: & quia paterna munditia non sequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiserunt plebis Israeliticæ principatum.* Immediatè post subiungit: *Et notandum, quia, cùm de illis Scriptura dicit: Declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera; protinus intulit: Peruerterunt iudicium. Vicinum quippe est, & contiguum, vt post munus acceptum peruertatur etiam corrupto Censore iudicium.* Hac de causa Ietro socer Moysis, illi consulens partiri onus Iudicis cum alijs: *Proui de*, inquit, *de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Quod amplius est Moyses Deuter. 10. dum pergit inculcare Hebræis Dei legem & metum, inquit, *Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera.* quasi diceret, si Deus munera acciperet, non esset terribilis; si acciperet personam, non rectè iudicaret: sed quia Deus munera non accipit, eius iustitia timenda est. Sanctissimus Princeps Iosaphat, cùm Iudices suo regno præficeret; *Videte*, inquit, *quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini*, de quo subdit: *Non est enim apud Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Mirum ter mirum. Putans homines sibi permitti munerum acceptionem, & rectissimè posse administrare iustitiam, etiãsi munera admittant: toto aberrant cælo, cùm Deus ipse natura essentiaque incorruptibilis, vt sciatur facere iudicium pupillo & viduæ, munera dicatur non accipere, sed nec concupiscere. Melius his senserunt Thebani de quibus sic scribit Plutarchus lib. 1. de Iud.

Munerum acceptio & iniustitia sunt vicina.

Deus ipse in actu iudicij à muneribus se cauet.

Thebi

Thebana imagines veterent is Iudices cur sine manibus.

Thebis iudicum imagines visuntur absque manibus, & summi iudicis oculis connivent. Cuius interpretationem addens sequitur, *eò quòd iustitia, nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.* Optimè sanè: nam Princeps, qui iudicat, iudex, qui iustitiam administrat, omninò impotens natura ad recipiendum inueniri debet; non enim sufficit manus habere, aut clausas, aut non extensas, aut ligatas, sed illis prorsus carere; ita vt impossibile sit munera accipere *Verus Princeps*, inquit, Themistocles, *est, qui auro inexpugnabilis est*: Hinc non satis vnquam laudatur in historijs Martius Curius Dentatus Senator, cui ad forum sedenti cùm Samnites ingens auri pondus attulissent, illud repudians dixit: *Mementote me, nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse, neque enim præclarum est, aurum habere, sed ijs, qui aurum habent, imperare.*

Iudices munera recipientes. vocantur fures, homicidæ, latrones.

5. Eheu nos Christiani; quantum deuiauimus ab horum exemplis! Recipiunt nunc munera plerique Iudices contra apertam Dei legem cum periculo salutis, & scandalo aliorum; quibus coaceruare thesauros solùm in votis est; imò munera accipiunt non solum libera, sed coacta, & quod peius est, ad peruertendum rectum iudicium: & se iustos credunt. Longè aliter pronuntiat de ipsis Isaias Vates, qui c. 1. furum nomine eos dignatur: *Principes*, inquit, *tui infideles, socij furum*: quare? *omnes*, inquit, *diligunt munera, sequuntur retributiones.* Appositè Chrysostomus hom. 81. in Ioan. *Iudices quidem nomen iudicum habent, re autem latronum, & homicidarum.* Tales erant, & modò multi sunt, quos sic perstrinxit Isaias Vates: *Quomodo*, inquit, *facta est meretrix, ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.* Quomodo, inquit, Hierusalem, antea fidelis Deo, indeque pios & iustos habuit iudices, iustaque tribunalia; nunc facta meretrix, ad idola, quasi ad adulteros, indeq; ad fraudes & iniustitias deflexit? Vbi domicilium erat æquitatis, & legum custodia, facta est latibulum, perfugiumque illorum, qui fratrum suorum vitæ insidias moliuntur, & necem, dum enim iniquè iudicando alijs bona surripiunt Iudices, rectè homicidas eos vocat Isaias Vates, quemadmodum & Hebræus Sapiens de filijs loquitur, qui suffurantur bona parentum: *Qui subtrahit*, inquit, *aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est:*

Prouerb. 28.

6. En quàm diuersa iudicia Dei sint ab hominum censura. Nos corradimus thesauros, coemimus agros, construimus palatia, & rem familiarem ex his muneribus in infinitum augemus sine singultu cordis, & cum lethali noxa, & obligatione restitutionis: & tamen securos nos æstimamus. Sed audiamus sententiam Isaiæ Vatis, quam in cupidos munerum fulminat: *Va*, inquit, *qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Audiamus, inquam, quibus rationibus illos in ordinem redigere satagat: non profectò suauiter monendo, sed extrema in medium adducens, quærit an cum igne infernali deuorante habitare poterunt: *Quis*, inquit, *poterit de vobis habitare cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quasi dicat: Quidquid proferrem, floccipenderetis, & quasi graculi garritum æstimaretis, propterea quod sensile est, & tormentum inexplicabile vobis propono, an videlicet qui omnia contemnitis, etiam sustinere poteritis ardores sempiternos? Ad cuius loci intelligentiam nota quod Judæi aliqui hypocritæ, & impij terrebantur videntes grauem Assyriorum cladem, timebant ne Deus ipsos, vtpote impios pari furore plecteret, optabant Deum non tam habere vicinum: respondet Deus, si ignem illum Dei temporalem effugiant, in incendia gehennæ æterna ruituros, nisi in iustitia ambulent, auaritiam detestentur: & ab omni munere abstineant: *Quis*, inquit, *poterit de vobis habitare cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* q. d. Spectastis ignem temporalem, qui quasi momento necauit Assyrios: verùm hoc spectaculo sapite: quod enim contigit Assyrijs, hoc, imò longè grauius continget post mortem omnibus impijs: in illos enim iræ diuinæ ignis non terrenus, sed infernalis; non temporalis, sed æternus desæuiet, vt semper in æternis gehennæ incendijs sint volutandi, nec tamen incinerandi, sed viui semper permansuri & arsuri. Itaque hæc est via, qua euadere poteritis, quam subnectit idem Vates: *Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere*: qui ab omni, inquit, munere, & largitione manus continet, *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius*: panis ei datus est, *aquæ eius fideles sunt.* Hic, inquit, longè aberit à sempiterna flamma, habitabit enim in excelso loco, in sublimi nempe saxorum munimento. Neque panis vnquam inopia laborabit, quia, quas è cælo exspectat aquas, fideles habebit, opportunas, & abundantes. Id asserit etiam regius Propheta, qui Psal. 14. dicit: *Ille habitabit in tabernaculo Altissimi, qui munera super innocentem non accepit.* Eliu vnus amicorum Iob iustitiæ & æquitatis amantibus felicem promittit fortunam, & rerum abundantiam: & existimans Iobum à Deo propter eiusmodi iniquitatem puniri, hortatur illum, si ad priorem statum aliquando redierit, in re iudiciali nullo habito personarum delectu, æquitatem seruet; nec se donorum multitudine à recta iudicandi via aliorsum agi patiatur: *Nonne*, inquit, *superet ira, vt aliquem opprimas*

Isa. 5.

Iudices corruptibiles manet æterna pœna.

Iudices munera fastidientes æterna & temporalia sequuntur felicitas.

primas, nec multitudo donorum inclinet te. Posterior pars ad propositum nostrum pertinet, & à quouis fideli debet esse aliena : Nam non solum accepta à iudice donaria pro sententia iniusta ante omnem repetitionem & condemnationem in iudicio latam; sed etiam recepta munera ab inuoluntario, & ad redimendam vexationem ab aliquo recepta, sunt restituenda danti: non enim darentur, si iudex vt deberet officio satisfaceret. Vide dicta Disc. 18. in VII. Præc. n. 6. & 7. Sanè si solum quis attenderet ad verba illa Iob. 15. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*, etiamsi peponem loco cordis haberemus, staremus nihilominus attoniti, & de meliori fruge intensissimè essemus solliciti. Quid si ignis temporalis deuorabit domus & bona illorum, qui libenter in hoc seculo munera accipiunt; quid, inquam, non faciet in altero sæculo ignis infernalis circa eiusmodi.

7 Audis hæc fulmina, mi Christiane: attende ad tuam obligationem. & verba Regis Iosaphat: *Apud Deum non est acceptio personarum, nec stipido munerum.* Quibus pietas cordi est, nequitiæ aures non præbent, munera respuunt: meminerunt verborum Siracidis, *Munera impiorum reprobat altissimus*: recordantur præcepti Apostolici: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Heliseus obnixè rogatus à Naamo Syro nobili accipere munera in gratiarum actionem, nulla ratione induci potuit, etiam post factũ quidpiam admittere, ne speciem mali daret, & famulum suum Giezi, qui munera extorserat, quæ magister vltrò oblata contempserat, leprâ percutiendum etiam in semine suo prædixit, cùm diuinitus illi reuelatum esset, duo talenta argenti, aliaque munera sub falso prętextu à præfato nobili.

Giezi ob munera accepta leprâ percussus.

8. Attende ad hæc, quicumque in authoritate ecclesiastica es constitutus, & aliorum curam suscepisti: *Multos enim*, teste Siracide, *perdidit aurum & argentum*, Eccles. 8. Libertatem & authoritatem persuadendi, ac fructum corripientis vel minuit, vel ex toto tollit. Præclarè S. Hieronymus epist. ad Nepotianum: *Numquam*, ait, *petentes, varò accipiamus rogati. Nescio enim quomodo, qui te precatur vt tribuat, cùm acceperis viliorem te indicat: & mirum in modum, si rogantem contempseris, plus ei posterius venerabitur.* Sanctus Columbanus obiurgans Theodoricum regem Gallorum de suis sceleribus, dapes Regias ei à Rege submissas refutauit, dicens: *Munera impiorum reprobat altissimus*, Ecclesiast. 35. Vix autem verba protulerat, cùm vasa omnia quibus dapes continebantur, diffrupta sunt: qua re rex territus, in eius potestatem in omnibus rebus fore pollicitus est.

Prædicatos munera respuat.

Exempla.

Paradoxum est, quod contigit S. Antonio de Padua. Ezelinus enim tyrannus, quem grauiter ob cædes & rapinas increparat Antonius, misit ad eum quosdam cum præclaris donis, quibus ita mandarat, vt precibus & omni importunitate id agerent, vt ea acciperet: quod si faceret, illicò eum obtruncarent. Sin nõ acciperet, patienter ferrent quidquid ab eo diceretur. Illis igitur fictà humilitate instantibus vt dona admitteret, Antonius voce liberrimâ: *Abite*, inquit, *ilicò cum vestris impijs donis, ne vel ruente tecto, vel debiscente terra, nos quoque exitio vestro inuoluamur.* Ita illis dimissis, Ezelinus re cognita, semper illum deinceps vt hominem sanctum veneratus est. S. Bernardinus Senensis aliquando liberè in concione redarguerat Ducem Mediolanensem; submisit illi Dux poculum aureum auro plenum; quod S. Bernardinus cum stomacho reiecit, & legatis instantibus, atque vrgendi finem non facientibus, surrexit Bernardinus, & iussit eos eum sequi ad carcerem, quo obærati tenebantur vt ære pro ijs persoluto, vinculis eximerentur. Quod ita factum est: meminerat illius verbi Seruatoris nostri: *Beatius est magis dare, quàm accipere.*

Iterum repeto millies repetendum verbum Isaiæ Vatis: *Qui proiecit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere*, &c. *Iste in excelsis habitabit.* Angelus ille Raphael vnus ex septem, qui semper astant ante Dominum planissimè ostendit, cum in forma mercenarij ad nostram instructionem liberalia munera respuit, & mercedem, quam pactus erat, vt suam dignitatem celaret, ne quidem cogitauit. Qui ergo perfectus esse vult, contemnat munera; audiat Hebræum Sapientem: *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet.* Appositè P. Damianus loc. cit. *Dicet aliquis: Ego quidem nihil quæro, sed si quid gratis offertur, accipere non recuso. Ecce hic*, inquit, *non notantur ij qui munera quærunt, sed qui tantummodo diligunt.* Expendit Prophetæ verba: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Tu expende, tu enuclea mi Christiane, qui clauum reipublicæ tenes: Ora Deum, vt Regius Propheta, *Inclina cor meum Deus in testimonia tua: & non in auaritiam.* tibi, & publico bono, eris vtilis, Deo gratus, Vtinam contingat tales Rempublicam nanciscì viros! Vtinam, inquam, nisi enim hoc fiat, omnia pessum ibunt.

Perfectus munera non rapinam non quærit, sed odit.

Mauden in Tobiam.

SECTIO IIII.

An regis secreta semper celanda; Dei semper reuelanda.

ANGELVS Raphael dicit Tobię: *Sacramentum Regis abscondere bonũ est; Dei autem opera reuelare, & confiteri, honorificum.* Sacramenti autem nomen dupliciter in S. Scriptura accipitur. Primò pro re arcana, abscondita & latente. Sic Hebræus Sapiens Sap. 1. de diuinis Dei consilijs, quæ impios latent, qui sanctitati nullam mercedem asscribunt, inquit: *Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum.* Adeò, inquit, cæci sunt, vt iustitiæ præmium nullum putent, neque iniustitiæ pœnam. Et rursum Sap. 6. cum Principibus lumen sapientiæ commendasset; inquit: *Quid est autem sapientia, aut quemadmodum facta sit referam? & non abscondam vobis sacramenta Dei.* Sic Apostolus incarnationem Verbi vocat sacramentum 1. ad Timoth. 3. *Magnum est*, inquit, *pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne* Et rursum Ephes. 3. de ea, & vocatione Gentium sic loquitur: *Secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum.* Et ibid. v. 9. *Data est mihi gratia illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti abscondisi à sæculis in Deo.* Illis enim locis incarnationem Verbi, & vocationẽ Gentium ad fidem appellat sacramentum, seu mysterium, id est, rem in æterno Dei decreto ac consilio absconditam, quam nemo hominum aut angelorum potuit cognoscere, nisi quando Deus per Prophetas, & Apostolos dignatus est eam aperire.

1. *I. Sacramentum idem est quod res arcana.*

2. *II. accipitur pro signo rei arcanæ.*

Secundo modo accipitur pro signo rei arcanæ, absconditæ & latentis, atque ita intelligendus est locus Danielis 2. de intelligentia visionis Nabuchodonosoris: *Tunc Danieli mysterium per visum nocte reuelatum est.* Et Ephes. 5. de matrimonio sic loquitur Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Posteriori sensu Baptismus, Eucharistia, Pœnitentia ac similes cerimoniæ à Christo institutæ sunt sacramenta, seu mysteria, signa rei arcanæ & latentis, signa visibilia inuisibilis gratiæ. Sed de huiusmodi nunc non agimus: verùm vt priori modo sumitur, id est, pro re secreta, quales sunt consilia Regum, quæ dicimus non solum bonum esse celare, sed etiam pro tempore necessum esse, quia proditis consiliis, designati impediuntur rerum effectus, cum magno Reipub. damno. Quod ad Consiliarios & Legatos Principum maximè spectat, quibuscum solet inire consilia. Vnde Rex Syriæ 4. Reg. 6. cũ intercederet bellum inter ipsum & Regem Israel, deprehendens consilium, quod inierat cum suis consiliarijs de struendis insidijs Regi Israelis, eumque locum præoccupatum à militibus Israelitis, planè fuit conturbatus, & conuocatis seruis suis, ait: *Quare non indicastis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel.* Proditorem vocat, non consiliarium, qui Regis arcana manifestat. Cùm autem intellexisset Elisæum Prophetam indicare Regi Israel omnia verba, quæcumque locutus fuerat in conclaui suo, de capite eius actum declarauit misso exercitu, qui eum caperet: at res fuit diuinitus impedita. Cæterùm vsque adeò tenetur Consiliarius aut Legatus Regius, seruare secretum, quod reuelatum vergeret in graue dammum Reipublicæ, vt potiùs grauia tormenta subire debeat, quàm illud prodere. Et hac de causa Pompeius, legationis munere functurus, cùm ab Illyriorum Rege interceptus, Senatus consilia, & mandata (quæ alieni neutiquam arbitrij sunt) aperire iuberetur, blanditias, minasque pari loco habuit, nec animo cecidit vel in ipso casu. Sed ardenti lychno admotum digitum cremandum præbuit, & suam ipsius virtutem fidemque allocutus, Pompei, ait, hic prius in cineres te flamma rediget, quàm patriam populúmque tuum proditorie prostituas. Sic viri graues ad focos & aras Principibus suis fideles existunt. Inter eos aliquando zizanium reperitur, & ambiguæ fidei Consiliarius, ne dicam Proditor. Principis vtique aut Reipublicæ consulta reuelare, est Principem aut Remp. prodere. Taciturnitas verò est optimum tutissimumq; administrandæ rei vinculum. *Sacramentum Regis abscondere, bonum est.* Apud Persas certè in consiliorum societatem nemo venit, nisi taciturnus & fidus: & è veteri eorum disciplina, Regum arcana cum vitæ periculo custodiebantur. Et vera vox Curtij est, lib. 4. hist. *Res magnæ ab eo sustineri non possunt, cui tacere grave est.* Ægyptij hac in re seueri, quibus lex erat, linguam ei abscindere, qui arcana Reipublicæ detexisset, cùm meritò dici possit proditorem secretorum, regnorum proditorem esse. Neque ab hoc multum abest, qui priuata cum aliorum principum legatis colloquia init; proditionis certè suspicionem incurrit. Romani cruce aut rogo tale genus piaculi multarunt.

Pompeius elegit cremari, quàm Senatus consilia pandere.

Consiliarij loquaces puniendi.

Regum secreta celanda, quare?

Iudith quidem ad castra ptocedens Assyriorum exploratoribus dixit se venisse ad partes Holofernis, vt indicaret illi secreta Bethulienſium; & multa vafrè coram imposuit ipsi Holoferni, vt felicem sui consilij exitum perficeret. Verùm nunc vel perfidi & infideles reperiuntur Regibus consiliarij, qualis fuit Architopel, qui Dauidem deferens partes Absalonis iniquissimi filij, fædo consilio fouit. Alij qui palàm quidem suam operam addi-

addicunt Principi Catholico, & ordinarium ſtipendium ab eo percipiunt; ſed occulta conſpiratione de duplicato vel triplicato paciſcuntur cum alio Principe hæretico aut infideli, ea conditione, vt quidquid apud Catholicos in ſecreto conſilio deciſum eſt, ei integrè aperiant, & de omnibus certiorem faciant. Non conſiliarij iſti ſunt, ſed proditores. Et tamen non paucos eſſe, fama eſt. Eheu, quot centena millia gratis conſumpſerunt aliquando Reges ob tales conſiliarios. Vtinam contingeret ex aduerſo multos eſſe qui inſtar Heliſæi ſecreta Principum iniuſtè belligerantium Principi iuſtam cauſam defendenti aperirent. Vtinam Ionathæ ſimiles qui iniuſtam patris iram Dauidi intimauit.

4. Sed ad quid Angelus verba iſta, *Sacramentum Regis abſcondere, bonum eſt: opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum eſt*, in medium adducit? Verbo expediam. Volebat à ſe depellere, quam quis ſilentij prauam ſuſpicionem excogitare potuiſſet. Vnde inquit, arcana Regum celare, bonum eſſe, videlicet vſque ad tempus requiſitum; quin etiam opera Dei quouſque Deus ea reuelari vellet; quod illo rerum articulo inſinuabat diuinæ eſſe voluntatis. Certum vtique eſt Deum quædam arcana velle perpetuum celari, quædam ad tempus. Voluit enim res quaſdam diuinas in veteri Teſtamento ſecretò fieri, & non palam coram populo. Hinc templum Salomonis diuiſum fuit in tres partes. Extima omnium porticus dicebatur & veſtibulũ; exterior templum; intima omnium, ſanctum ſanctorum, quæ erat pars totius templi ſanctiſſima in qua erat arca, & propitiatorium & Cherubim quam nõ licebat ordinariè, aut ædificato templo, aut fixo tabernaculo tempore Moyſis ingredi, niſi ſummo Sacerdoti, idque ſemel in anno. De qua re Magnus Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 27. cùm tractaſſet de traditionibus non ſcriptis: *Quid*, inquit, *tandem ſibi voluit magnus ille Moyſes, qui non omnia quæ erant in templo paſſus ſit omnibus eſſe peruia, ſed prophanos extra ſacros cancelles ſtatuit. Sed priora atria purioribus permittens, Leuitas ſolos dignos cenſuit numinis miniſterio: mactationes autem & holocaustomatum oblationes, reliquumq; miniſterium ſacerdotibus aſſignauit: atque vnum ex omnibus ſelectum in adyta recepit: ac ne id quidem ſemper, ſed vno tantum die quotannis: rurſus & huius diei certam horam qua fas eſſet ingredi, præſtituit, quo propter nouitatem & inſuetudinem, cum ſtupore intuerentur ſancta ſanctorum: probè ſciens pro ſua ſapientia, res vſu tritas & vndecunque parabiles, expoſitas eſſe contemptui: cæterum ei quod ſepoſitum eſt, quodque rarum eſt, huic naturæ connatam eſſe ſummam admirationem ac ſtudium.*

Soli ſummo Sacerdoti licitum introire ſanctũ ſanctorum quare.

Mauden in Tobiam.

Danieli quoque dixit Deus, quod ea, quæ illi reuelauerat, videlicet à capite 10. ipſius libri, obſcura & longinqua, ſed certa, putà de reſurrectione bonorum & malorum, ac de Doctorum gloria futura in fine mundi, ſub figuris ſignaret, & clauderet. Sic enim ait S. pagina: *Tu autem Daniel claude ſermones tuos, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum. Plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Quaſi dicat: Tu, ô Daniel, quidquid à me nuncaudis, obſcurum eſſe puta, & quaſi librum obſignatum, & clauſum, vſque ad tempus, in quo euentus ipſe rerum veritatem aperiat. Legent quidem multi, verſabuntque iterum, atque iterum hunc librum, & à variis varius proferetur ſenſus, & explicatio multiplex. *Dan. c. 12.*

5. Veteres Ægyptij in foribus templorum pingebant ſphinges, vt ſignificarent diuina dogmata, oracula & myſteria abſtruſa & abdita eſſe; atque in arcanis dumtaxat inter ſapientes religionis cultores tractanda: & quia Auguſtus Cæſar ſilentij rerum ſacrarum amantiſſimus, hinc ſphingem ferebat ſculptam in annulo, quo literas ſignabat. Erat enim ſphinx monſtrum, capite & manibus ſimile puellæ, corpore cani, alis aui, vnguibus leoni, cauda draconi, voce homini; quod homines prætereuntes difficilibus & inextricabilibus quæſtionibus remorari ferebatur. Ita Pierius hierog. 1. & 7.

5. Sphinx ænigma ſilentij rerũ ſacrarum.

6. Apud Gentiles paſſim profanus populus ab arcanis Dei arcebatur, & tantùm ſolis myſtis, hoc eſt, ſacrorum diſcipulis, & myſteriis initiatis concedebatur intereſſe, illa tantum lege, vt ſilentio contegerent omnia ne cui myſterium patefieret: quapropter ante adytum, vt inquit Auguſtinus de Ciuit. 18. cap. 5. ſtatua Harpocratis collocabatur, quæ digito labiis impreſſo admonebat ſilentium fieri debere, & in omnibus, quæ intrò fiebant obſeruari.

6. Apud Gentiles ſolis myſtis intereranr arcanis Dei.

7. Similiter iudicauit Deus ad ſuam gloriam ſpectare, Sacram Scripturam non eſſe vſque adeò apertam; quod inſinuat Hebræus Sapiens Prouerb. 25. dum ait: *Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria Regum inueſtigare ſermonem.* Ad gloriam, inquit, Dei maximè ſpectat, ea, quæ per ſuos Prophetas enũtiat myſteria, aut documenta, allegorijs tegere, aut ænigmatibus inuoluere. *Et gloria Regum inueſtigare ſermonem*, id eſt decorum valdè Principibus eſt ea, quæ Deus ipſe ad eum modum occultauit, retegere, & euoluere, eorumque arcanos ſenſus rimari. Appoſitè in hanc rem Gregorius hom. 6. ſuper Ezechiel. *Ipſa quidem per ſe veritas diſcipulis ſuis dicit: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, id eſt, apertè exponite quæ in allegoriarum obſcuritatibus auditis. Magna verò vtilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia*

7. Ad gloriam Dei ſpectat Scripturam eſſe obſcuram.

exercet ſenſum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non poteſt otioſus. Habet quoque aliud maius, quia ſcripturæ ſacræ intelligentia ſi in cūctis eſſet aperta, vileſceret. Atque adeò in quibuſdam locis obſcurioribus tanto maiori dulcedine inuenta reficit, quanto maiori labore fatigat animum, quæſita. Adhæc Chriſtus ipſe docens quædam ad tempus celanda Matth. 17. noluit transfigurationem ſuam ante mortem propalari: *Nemini*, inquit, *dixeritis viſionem: donec filius hominis à morte reſurgat.* Actuum etiam 1. noluit Apoſtolis interrogantibus aperire tempus reſtitutionis Regni Iſrael.

Angelus hìc per ſex ſeptimanas celauit quiſnã eſſet; quin etiam quid boni proueniret Tobię ex oratione, ieiunio, & eleemoſyna: quãdo autem id cum vtilitate fieri potuit, tũc aperuit. Sic Lucas ſuo tempore actus Apoſtolorum æternitati tradidit, quid concionando profecerit Petrus in cuius virtute claudum à natiuitate ſanarit, quòd vmbra Petri ſpiritus immũdos eiecerit, & infirmos ſanitati reſtituerit; quod ſudaria & ſemicinctia Pauli etiam à corpore eius ſeparata eandem vim habuerint: quòd Magum quemdam, Proconſulem à fide auertere conantem, cœcitate percuſſerit: & his ſimilia, quæ ad Eccleſiæ bonum, & fidei propagationem neceſſe fuit omnibus eſſe publica. Et hoc modo intelligendus Stephanus Pontifex apud Rhegionem anno Domini 753. *Sicut*, ait, *nemo ſe debet iactare de ſuis meritis: ſic non debent opera Dei, quæ in illo, per ſuos ſanctos fiunt, ſine ſuis meritis fieri, ſed praedicari, ſicut Angelus admonet Tobiam.* Hinc olim miraculorum libelli, de quibus videre licet Auguſtinum lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. in vſu erant.

8. *Scopus Angeli.* Fuit ergo ſcopus Angeli qui ſub ſchemate mercenarij fuerat comes viæ Tobiæ, celare toto itineris tempore quantus bonorum cumulus accederet Tobiæ ex oratione, ieiunio, & eleemoſyna, donec reipſa eundem experiretur: tunc verò vtile cenſuit ad totius Eccleſiæ profectum ea publicæ lucis facere. Sic Ioannes cenſuit viſiones, quas habuerat de Eccleſia militante, & triumphante ſcripto conſignare.

9. *Morale vtilia reuelanda, inutilia celãda.* Hic tu pro moribus obſerua, mi Chriſtiane, vt vtilia in tempore pandas, inutilia ſemper celes. Iſaias Vates cùm ſpiritu prophetico præuideret Gẽtes in vltimis terræ finibus, nouâ illuſtratas luce, diuinas cantare laudes, & gloriam Chriſti; Iudæos verò, ad cæleſtem doctrinam duros, dixit caput 24. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, ve mihi.* quaſi dicat. Cùm in fine mundi tantam electorum, in fide & ſanctitate, perſeuerantium gloriam, eos tamen fore tam paucos; atque ex aduerſo tanta damnandorum tormenta, eos tamen eſſe tam multos proſpicio, vt ea, & illos eloqui non poſſim, nec ſi eloquerer audientes crederent; hac de cauſa illa ſecretò mecum rumino & meditor. Nos autem rimarum pleni, nihil ſecretum ſeruamus, quod amicum concernit; vndique effluimus, quo nihil turpius, ſed impetu quodam ferimur ad eloquendum etiam quæ proximis noxia fore dignoſcimus. Imò ſæpè geſtimus ea libidine effutiendi, vt non viſa ſolùm, & audita narremus, quæſitâ occaſione; ſed & illa quoque miſceamus, quæ vel ſuſpicamur, vel fingimus. Vera ſint an falſa, parum refert. Vndique effluimus, quo nihil turpius. Si quid ad Canis aut felis caudam alligatum fuerit, videbis eos currere, ſalire, furere, vt inſana animantia non ſine ſpectãtium riſu & cachinnis; nec conſiſtere donec alligatum excuſſerint. Eodem ferè modo ſeſe res habet cum eiuſmodi loquacibus. Syracides tales fatuos dicit, & mulieri parturienti comparat: *A facie*, inquit, *verbi, paturit fatuus, quaſi genitus partus infantis.* Eccleſ. 19. Senſus eſt: Sicut propter conceptum intra ſe infantem mulier parturit, & ſummo cum labore conatur infantem proferre, nec priùs ab onere quo grauatur, & dolore quem patitur, liberatur, quàm infantem enixa fuerit: ita fatuus & imprudẽs homo propter conceptum auditu ſermonem, quamdiu illum intra ſe continere cogitur, torquetur tanquam graue geſtans onus, omnemque occaſionem captat, vt in alios audita effundat, tum primùm ſe onere leuatum exiſtimans. Subiũgit Eccleſiaſticus: *Sagitta infixa in femore carnis, ſic verbum in corde ſtulti.* Quo aptè dicit verbum auditum ſic ſe habere in corde ſtulti, ſicut ſe habet ſagitta infixa in fœmore corporis: quia ſicut ſagitta illa grauiter hominem affligit, donec extrahatur: ita & verbum auditum & receptum in corde ſtulti, torquet eum grauiter, donec datum fuerit ei illud in aliorum ſinum effundere. D. Auguſtinus de amicis loquens lib. de amic. cap. 3. *Secretorum*, inquit, *reuelationis inter amicos nihil turpius, nihil exetrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos: ſed omnia replens amaritudine indignationis, & odij.* hæc ille. Hebræus Sapiens talem fraudis inſimulat Prou. 11. *Qui ambulat*, inquit, *fraudulenter, reuelat arcana.* Et Siracides Eccleſ. 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit.* Hinc Ægyptij, vt Diodorus Siculus libr. 2. cap. 2. linguam abſcindi iubebant illi, qui ſecreta reuelaſſet; Romani autem huiuſmodi hominem aut viuum comburendum, aut furca ſuſpendendum exiſtimabant, Paulus l. *ſi quis* §. *de panis.* Ne mireris. Hebræus Sapiens planiſſimè dicit Prouerb. 17. omne malum ab huiuſmodi prouenire: *Qui*, inquit, *meditatur diſcordiat, diligit rixas. Et conuitia denudabit*; ſecreta videlicet quæ in amici opprobrium cedunt: quod

Secreti reuelatione inter amicos nihil turpius.

Supplicia ijs inflicta qui ſecreta reuelabant.

ſummæ

ſummæ infidelitatis eſt. Vnde Siracides Eccleſ. 6. *Eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitiam: & eſt amicus qui odium, & rixam, & conuitia denudabit.* Vt enim ex optimo vino optimum fit acetum, ſeu acerrimum: ita ex amico in bilem conuerſo, omnia illi olim ſecretò commiſſa, proſiliunt in medium ad alterius opprobrium: quod (proh dolor) experientia nimis teſtatum facit.

10. *Nemini ſecretum fidendum eſt.*

Quid dico? Videntur redire tempora Michææ Vatis, qui palam pronuntiabat, tunc tantam eſſe hominum perfidiam, vt nec ſocius ſocio, nec vxor marito, nec ſubditus Duci, nec ſocrus nurui credere poſſet, quod domeſtici homines eſſent inimici eius: *Nolite*, inquit, c. 7. *credere amico, & nolite cõfidere in Duce; ab ea qua dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Ne vxori quidem credas, neque reueles ei tua ſecreta: os & linguam ei clauſam teneas: neque enim apud illam, ſemper fida ſecuritas. Oſtendit hoc ſuo exemplo vxor Sampſonis Thamnatæa, quæ ciuibus magis addicta, quàm marito, aut timore aliquo perculſa cum tempore nuptiarum propoſuiſſet Sãpſon problema ſodalibus triginta, *de comedente exiuit cibus; & de forti egreſſa eſt dulcedo*, ſoluendum intra ſeptem dies conuiuij, ſub pœna triginta ſindonum & totidem tunicarum: illa blanditijs maritum aggreſſa, & lachrymis permoleſta ſolutionem elicuit importunè, quam ſtatim ciuibus ſuis indicauit, cum mariti damno: ita vt diceret ad illos: *Si non arraſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam:* Si ſtudio & verſutia coniugis meæ petulantis & laſciuæ non fuiſſetis vſi, non diſſoluiſſetis propoſitum ænigma meum. Sic Dalila eundem Sampſonem prodidit, cùm ipſe ei reuelaſſet ſuam fortitudinem ſitam eſſe in coma, Iud. 16. Sic, inquam, Iezabel perdidit Achab, cùm ei reuelaſſet cauſam ſuæ triſtitiæ, eſſe cupidinem vineæ Naboth, 3. Reg. 21. Vnde prudenter Seneca, *Alium filere quod velis, primus file.* Et Valer. Max. lib. 6. cap. 11. *Taciturnitas optimum atque tutiſſimum rerum adminiſtrandarum eſt vinculum. Nulla enim*, teſte Cicerone, *ſunt occultiores inſidiæ, quàm ea, qua latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Vnuſquiſque*, ergo cautè ambulet, & iuxta Hieremiam Prophetam *ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Ierem. 9. Senſus Propheræ eſt, Ea eſt morum peruerſitas, eoque progreſſus dolus, & fallacia, vt à proximo ſibi quiſque cauere debeat, & nemo in fratre poſſit habere ſecurè fiduciam. Omnis quippe frater fratri ſuo molietur inſidias, neque vllum ſincerum meditabitur, & ſine calliditate conſilium.

Lib. de amicit.

Iud. 14.

11. Tu igitur, mi Chriſtiane, cæleſtem Tobiæ mercenarium imitare, qui ſecretum ad dies quadraginta, & amplius celauit, neque aperuiſſet & tunc, niſi diuina voluntas iuſſiſſet pandere. Recogita ſeriò inter plura, quæ humanam ſocietatem diſſoluunt, eſſe reuelationem ſecreti. Syracides hoc affirmat Eccleſ. 22. *Ad amicum*, inquit, *ſi aperueris os triſte, non timeas: eſt enim concordatio.* Et ſubiungit: *Excepto cõuitio, & improperio, & ſuperbia, & myſterij reuelatione, & plaga doloſa. In his omnibus effugiet amicus.* Indicat his verbis Sapiens hæc quatuor in amicitia ita eſſe odioſa, vt cùm fiunt, aut dicuntur amicos ſine reconciliationis ſpe alienare ſoleant, inter quæ eſt, *myſterij reuelatio*, id eſt, ſecreti, quod amicus amico commiſit. Eccleſiaſticus cap. 27. diſtinguit maledictum & reuelationem ſecreti. A maledicto dicit reconciliationem obtineri poſſe, à reuelatione autem ſecreti amici ſui non item: *Maledicti*, inquit, *eſt reconciliatio, denudare autem amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis.* Senſus eſt, Denudatio ſecretorum amici deſperationem recuperandæ amicitiæ adfert infelici animæ eius, qui per ſtultitiam, aut perfidiam in eam denudationem prolabitur. Si quis autem maledictum & conuitium aliquod amico ingeſſerit, poterit reconciliatio obtineri.

Humanam ſocietatem diſſoluunt reuelatores ſecreti.

Vt vt eſt, id manifeſtum apud omnes arcana non celare ingentium malorum eſſe originem, præſertim cùm res grauis eſt, & ſecretioris conſilij. Propterea Romanorum illud columen Metellus ſenex militiæ peritiſſimus tanti æſtimauit ſecreta poſſe contegere, vt interrogatus, quid in ſequentem diem iuberet, dixerit: Si ſcirem intimam meam tunicam arcani mei conſciam, in ignem eam abijcerem, nec enim ſolum linguæ vitium eſt, aliena ſecreta effutire, ſed etiam ſua, præſertim apud imprudentem. Metellum ſecutus Petrus Aragonius, *Comburam*, aiebat, *tunicam meam intimam, ſi conſiliorum meorum eſſe guaram ſciero.* Sapientiſſimè monuit Salomon: *Cauſſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles.* Prouerb. 25. Significat Sapiens non debere quemquam nimis fidere ſibi in dirigendis ſuis negotijs & cauſis, ſed ſi quod habeat negotium maximè ſingulare & arduum, tractandum illud cum alio, non tamen cum quouis, ſed amico quopiam de cuius fide non dubitetur, qui & benè conſulere velit, & ſecretum ſeruare. Cauendum enim ne quis ſecretum ſuum homini extraneo, cuius integritas non ſit ſatis explorata reuelet, ne fortè quod audiuit ſecretum publicè obijciat, & ſine ceſſatione improperet.

Magna diligentia ſecreta contegenda.

SECTIO V.

Quenam iusti oratio sit efficax.

1. *Ad orationis efficaciam necessaria est fides.*

PLVRES sacra pagina suggerit conditiones, ad efficacem iusti orationem necessarias. Prima & fundamentalis debet esse fides, sine qua impossibile est placere Deo. Cassianus Coll. 8. cap. 33. inter plures hanc secundo loco assignat: *Habes*, inquit, *in duorum consensione fructum exauditionis Dominicâ voce assignatum, secundum illud: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Habes aliam in fidei plenitudine, quæ grano synapis comparatur; Si enim, inquit, habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic: Transi hinc, & trãsibit, & nihil impossibile erit vobis. Habes in assiduitate orationum, quam propter indefessam petitionum perseverantiam, importunitatem sermo Dominicus nominavit: Amen enim dico vobis, quia si non propter amicitiam, vel propter importunitatem eius surget, & dabit ei, quantum opus habuerit.*

2. *fiducia impetrandi, quod petitur*

Altera est fiducia impetrandi, quod petitur. De qua inquit Iacobus cap. 1. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, &c. postulet autem in fide nihil hæsitans*, id est, Non tantum generaliter Dei omnipotentiam, prouidentiam, munificentiam, veritatem, paternam curam & amorem erga nos credat, qui orationi incumbit, quod scilicet & vt Deus possit, & vt pater velit nobis quasi filiis, suis benefacere; sed & specialiter confidat Deum id daturum, quod petimus, si illud nobis expediat. Huc enim cogunt nos verba Matth. 21. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Hinc Moyses hæsitans ob populi rebellis indignitatem, Numer. 20. dicens: *Num de petra hac poterimus vobis aquam ejicere?* mulctatus est morte in deserto, nec permissus ingredi terram promissam. Petrus hæsitans dum Matth. 14. videret ventum in mari, & mergi timeret, audiuit à Christo: *Modicæ fidei quare dubitasti?*

3. *Oratio ornata eleemosynâ & ieiunio efficacissima.*

Angelus verò hic, cùm Tobiam docere vult vnde repentè multa bona in sinum ipsius influxerint, quæ neque congessisset, neque conseruasset humana solertia, & quomodo omnia illi successerint ex voto, quando nullus sese ostentabat ad salutem, prioremque fortunam reditus in primis declarat orationem horum esse causam, sed duabus alis fultam & ornatam, videlicet ieiunio & eleemosyna: *Tria*, inquit Petrus Chrysologus, *sunt, tria, fratres, per quæ stat fides, constat deuotio, manet virtus, oratio, ieiunium, misericordia; quòd oratio pulsat, impetrat ieiunium, misericordia accipit.* Et paulò pòst: *Hæc sunt fratres, hæc sunt quæ tenent cœli arcem, qua secretum Dei iudicis pulsant, qua ante tribunal Christi causas humani generis exequuntur*, &c. *Per hæc in templum Dei pectora humana confurgunt, hæc hominem præstant Angelum, homini deitatis deferunt hoc honorem. Hinc est, quod sit horum suffragio Moyses Deus, & ad triumphos suos militare sibi omnia mandat elementa. iubet mare discedere, durari vndas, profunda siccari, cœlum pluere, dat frumenta, ventos spargere cogit carnes, noctem splendore solis illustrat, solem nubis temperat velamento, petram percutit, vt de recenti vulnere frigida sitientibus det fluenta, primum dat terris legem cœli, scribit vitæ normam, figit terminos disciplinæ. Per hæc Elias nescit mortem, relinquit terras, cœlos intrat, commoratur angelis, conuiuit Deo: & terrenus hospes supernas possidet mansiones. Per ista Ioannes fit angelus in carne, cœlestis in terra, & auditu, visu, tactu, totam solus capit, tenet, complectitur Trinitatem.*

Exod. 7. Exod. 14. Exod. 16. Exod. 13. Num. 28. Exod. 14. & 15. 4. Reg. 2. Mar. 1.

4. *Ieiunium intimam cum Deo familiaritatẽ, futurum ignorantiam parit.*

Præclarè cõmendat Tertullianus ieiunij præstantiam, dum notat lib. aduersus Psychichos Deum, Adamum in paradiso terrestri comedentem, quodammodo ignorasse, Eliam verò quadraginta diebus ac noctibus ieiunantem familiariter allocutum: *Cùm*, inquit, *Helias in spelunca diuertisset, quàm familiari congressu Dei exceptus est: Quid tu, Helia hic? Multo amicior ista vox, quàm, Adam vbi es? Illa enim pasto homini minabatur; ista ieiunio blandiebatur. Tanta est circumscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuera pari.*

Paucis multa complectitur dictus Chrysologus serm. 12. *Ieiunium*, inquit, *fratres, scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis tropheum. Hoc Adam seruauit in paradiso: quem inde detraxit gula. Hoc in arca custodiuit Noë, mundum ebrietas cùm demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incendium: qui per ebrietatem incesti est adustus incendio. Hoc Moysem diuini fauoris secit lumine perducere, quando commessatio & ebrietas Israeliticum populum simulacrorum tenebrauit erroribus. Hoc Elias peruexit ad cœlum: quando Achab impium ebrietas ad inferna detexit. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit esse maiorem, quando temulentia Herodem Principem imperio mulierum reddidit homicidam. Quadragesima ieiunium vetustas diaboli prodidit, & patefecit insidias. Diabolus namque qui mãducantem contempserat Christum, bibentem velut hominem computarat: vbi ieiunantem vidit, suspicatur Deum, Dei filium confitetur: Si filius Dei es, inquit, dic vt lapides isti panes fiant.*

Ieiunij laus. Genes. 3. Genes. 7. Genes. 19. Exod. 32. 4. Reg. 3. Mar. 6. Matth. 4.

5. *Veteres in afflictione posiri orationi iungebant ieiunia.*

Propter hæc ieiunij commoda & efficaciam solent veteres orationi ieiunium conjũgere. Sic olim Dauid afflictus humiliabat animam suam in ieiunio, cinerem tanquam panem manducabat, potum cum lachrymis miscebat, clamabat ad Dominum cum tribularetur, & exaudiebatur. Ezechias in communi ciuitatis sanctæ periculo, cùm ab exercitu Assyrio-

Psal. 34. & 68. Psal. 101. & 119. 4. Reg. 19.

Serm. 43.

Assyriorum obsideretur, hortatus est populum ad orationes & ieiunia, ipse priùs scissis vestibus plorans, orans, & ieiunans: continuoque mirabiliter liberatus est. Et pius Rex Iosaphat publica instituit ieiunia & vota, cùm hostes ex improuiso incursionem fecissent in fines regni sui. Esther cùm ad Regem Assuerum graue haberet negotium, populi videlicet liberationem à tyrannide Amani, nec pulchritudini, nec fauori, nec virtuti propriæ confidit, vt Regem adeat non vocata, sed iubet fieri preces, & ieiunia publica, vt negotium totum Deus ipse sua prouidentia dirigat, & ad felicem exitum perducat. In communi discrimine communes voluit esse preces, & ieiunia publica: vnde mãdauit Mardochæo: *Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, orate, & ieiunate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus; & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem contra legem faciens non vocata, tradensq; me morti, & periculo.* Daniel cum sociis ieiunat & orat priusquam somnium Nabuchodonosoris reuelet ac interpretetur. Rursum Daniel supplicaturus Deo pro liberatione à captiuitate Babylonica, lugebat tribus septimanis, panem desiderabilem non comedit, carnem & vinum corpori nõ indulsit. Christus ipse opus redemptionis humanæ auspicaturus, quadraginta diebus & noctibus ac omni alimento abstinet, pernoctat in orationibus, iubetque discipulos secum orare.

2. Par. 20.

Esth. 5.

Dan. 2.

Dan. 10.

Matth. 4. & 14.

6. *Ieiunium pacis mater.*

Vtiliter S. Basilius orat. 5. de ieiunio: *Si ieiunium*, inquit, *omnes in rebus agendis adhiberent: nulla res profectò prohibere posset, quo minus optimã pacem per omnem terrarum orbem traheremus; & neque Gentes, ita me Deus amet, contra se arma moueren, neque locæ deserta homines, qui scelere & maleficio pascuntur, alerent; neque Ciuitates Calumniatores, neque mare Piratas: denique neque vita nostra tot arumnis esset referta.*

7. *Perfecta est oratio comite ieiunio & eleemosynã.*

Si accedat ieiunio eleemosyna comes, iã perfecta est oratio. Diuinus ille Chrysologus, quem audiuimus Angelo adstipulantem multum deprædicare ieiunium, iuxta orationem, sic de ieiunio sine misericordia philosophatur: *Fames*, inquit, *est auaritiæ ieiunium sine misericordia; cupiditatis pœna est, sine pietate ieiunium: vitio, non deuotio est, non Deo ieiunare, sed sæculo: atterere se abstinentia, & hydropi cupiditatis inflari: exonerare ventrem cibis, & mentem pecuniæ pondere prægrauare. Ipsum se redigit in sæculum, qui pecuniam nescit prorogare, sed claudere: iste alienorum custos, non dominus est suorum, quia parat alij, negat sibi, cùm miser icors eroget, quod auarus oppressit, & mox subiungit. Est ager cultus sine semine, sine miseratione ieiunans. Ager cultus caret sentibus, vitat gramina: euadit totum quod est negligentia, quod est squaloris, sed sicut sine semine sit sterilis, ipso cultu fructum non dat, dat laborem, & ad bonam frugem non valet peruenire: ieiunans ita excolit animam, purgat sensus, cor mundat, abscindit vitia, eradicat crimina, dat menti cultum, corpori dat decorem, sed sine misericordia ad fructum vita non peruenit, ad salutis præmium non vadit.* Pergit: *Quod est sine Rege aula regia, hoc est sine largitate ieiunium. Aula Regis fulget auro, nitet marmore, picturis splendet, grandescit spatiis, leuatur culmine, amœnatur viretis, ipso terribilis est secreto: sed sine Rege honorem non habet, caret gloriã, est vacua solitudo, est clausa tremor, est horribilis solitudo: sic ieiunium licet innocentiã, radiat castitate, fulget actu, pingitur moribus, incessu micat, sanctitatis toto magnificatur ornatu; sed sine misericordia gloriam non habet, mercede caret, palmam non tenet, perdit fiduciam supplicandi, impetrandi meritum non capescit: attestante Scriptura, qua dicit: Qui claudit aurem ne audiat infirmum, & ipse clamabit, & non erit qui exaudiat. Quomodo petet misericordiam, qui negarit? Iudicium, inquit, sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam: misericordiam, qui non dat alteri, tollit sibi. Misericordia sibi erit, qui spargit pauperi. Dispersit, inquit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Misericordiam qui seminat impi. sibi metet.*

Eccles. 30.

Item aula regia absente Rege.

Prou. 21. Iuxta LXX. Psal. 111.

Psal. 125.

Hoc est quod Angelus inculcatum hîc voluit Tobiæ, idemque est ac si dicat: Si seruasses, ô Tobia, parta, & auara manu, opes tibi concessas, periissent omninò, quia illas non potuisses tutari à tyrannorum maiori potentia, aut à prædatorum insidijs: Verùm dum orationi, ieiunio, & misericordiæ te totum impendisti, Deum rerum tuarum custodem constituisti, & fidelem vadem, qui fidem nũc liberat, quam misericordibus obligauit, & quæ alij periisse credebant, non solùm integra, sed etiam cumulata restituit: *Qui parcè seminat*, inquit Apostolus, *parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo: non ex tristitia, aut necessitate. hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9.

8. *Vnda Tobiæ omnia hæc bona.*

Attende adhæc mi Christiane, qui contracta manu ad eleemosynam procedis: nam si humanas tantum rationes intuearis, euidenter cognosces eum multò prudentius sibi cõsulere, qui piè facultates dispergit, quàm qui thesauros congregat, illosque in terræ potius, quàm in pauperum visceribus abscondit. Vide dicta Sect. 6. cap. 4. huius historiæ. Illud dumtaxat adiungo, quod sicut eleemosyna ars est omnium quæstuosissima; ita ex aduerso immisericordiam & auaritiam diuites depauperare. Solet enim Deus segetes, fruges, & opes auarorum immissis locustis, tineis, ærugine, hostibus disperdere, iuxta illud Prouerb. 11. *Qui abscondit frumenta, maledicetur; benedictio autem super caput vendentium.* Ita Iohannes Moschus in Prato Spirit. cap. 85. nar-

9. *Liberalitas eleemosyna danda.*

Eleemosyna ditat, auaritia depauperat.

Infructuosum est ieiunium sine eleemosyna.

Comparatur agro.

Exempla. rat in monasterio Abbatis Theodosij triticum omne fuisse corruptum, eò quòd Monachi consuetam & statutam à Theodosio eleemosynam, ob annonæ caritatem pauperibus subtraxissent, ac pro quingentis modiis, quos de more daturi erant pauperibus, quinque millia modiorum perdidisse. Vnde Abbas eos arguens: *Quantum*, inquit, *nobis ipsis nocuimus? Duo profectò mala egimus; vnum, quia mandatum Patris nostri prætermisimus: alterum, quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus fratres, quia Deus est qui disponit omne genus humanum, quodque S. Theodosius invisibiliter pro nobis filijs suis curam sollicitè gerit.* Deltrius tom. 2. Magic. libr. 3. p. 1. qu. 7. ex Petro Bisaio narrat, Sueuum quendam opulentum, instante annonæ caritate coëmisse omne frumentum, vt carò venderet; cumque pauperi illud solito pretio nollet vendere, pauperem ei diras imprecatum; atque illicò visos fuisse nigros boues (vtique dæmones erant specie boum) in horreo, qui omne frumentum absumpserunt. Idem de multis monasterijs legimus, imò vidimus, scilicet ea fuisse opulenta quamdiu liberales dederunt eleemosynas; at vbi eas restrinxerunt, Deum pariter restrinxisse suam manum, ac prouentus annuos minuisse. Festiuè quidam cuidam huius depauperationis causam perquirenti, hanc dedit. *Date*, inquit, *& dabitur vobis*, sunt sorores iugiter sibi associatæ à Christo, Luc. 6. vers. 38. vos vnam expulistis, nimirum, *date*, sororem ergo expulsam secuta est soror altera, nimirum, *dabitur vobis*.

10. *Reprehenduntur qui supellectilem habent argenteam, & pauperes sinunt fame mori.*

D. Chrysostomus acerrimè perstringit eos, qui matulas argenteas conficiunt, quando pauper egeret: *Quid vero mulieres*, inquit homil. 7. ad Colost. (*pudet quidem: sed necessarium est vt dicam*) *quæ matulas faciunt argenteas? vos oportebat pudefieri quæ illas facitis. Tu Christo tuo esuriente ad hunc modum deliciaris? imò desipis & insanis? Quam istæ panam non pendent? quæris adhuc cur sint latrones, cur homicidia, cur tot mala, cùm vos ita vexet ac distrahat diabolus? Etenim scutellas habere argenteas, neque istuc quidem animo philosophico conuenit, sed totum deliciarum est, vasa verò etiã immunda ex argento facere, an deliciarum est? At non dixerim hoc esse deliciarum sed stultitiæ, immò ne hoc quidem, sed insaniæ, quin insaniæ quoque peius.* Et vt acrius percellat, resumit argumentum: *Noui*, inquit, *multos me huius gratia figillaturos. Verùm nihil hoc curo, modo aliquid efficaciam. Reuera stultos faciunt diuitiæ & insanes. Si tanta fuisset copia, voluissent vtique & terram esse auream, & muros aureos, forsan & cælum aureum, & aerem quoque ex auro. Quæ est insania? quæ iniquitas? quæ febris? Alius frigore perit, qui ad imaginem Dei factus est, tu verò talia struis? ô factum: quid enim insanus amplius fecisset? Ita scilicet tua excrementa honorat, vt argento excrementa excipiantur, &c. Est enim istud prodigalitas, & crudelitas, & inhumanitas, & feritas, & obscæna petulantia. Qua scylla? qua chimæra? quis draco? Immò quis dæmon? quis diabolus ista fecit? quid proderit huc Christus? quid fides?*

11. *Nihil meminit Deus magis, quam misericordiæ*

Verissimè & disertissimè Chrysolog. serm. 14. *Verus amor est fecisse suas angustias angustias: nimis est quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis prophetizat in regno cæli coram omnibus angelis in conuentu resurgentium. Quòd Abel passus sit, quòd seruauit mundum Noe, quòd Abraham fidem suscepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc solum clamat quod comedit pauper. In cælo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cælo, erogatio pauperis prima diuinis scribitur in diurnis.* Genes. 4. Genes. 6. Genes. 15. Exod. 20.

12. *Eleemosyna à morte temporali liberat.*

Addant tibi calcar, ô Christiane, quæ subiungit Angelus: *Quoniam eleemosyna à morte liberat.* Periclitata vtique fuerat sæpè Tobiæ vita, quando disjecto exercitu ignominiosa fuga reuersus fuit in patriam Sennacherib. de quo cap. 1. vers. 22. periclitata quoque Tobiæ iunioris salus, cùm piscis illum in Tigri flumine deuorare voluit; & iterum cùm illam duxit sponsam, cuius septem viros Asmodæus occiderat, quæ omnia figillatim ab Angelo, & à filio senior ante didicerat. Hæc Angelus eleemosynæ tribuit, cuius id est proprium, vt à morte liberet, & in tempore casus præbeat firmamentum, tam autem temporariam mortem, quàm æternam intelligit. De his latè cap. 4. Sect. 7. huius historiæ.

13. *Eleemosyna disponit pœnitentem ad gratiam iustificationis* Daniel. 4.

Subiungit & alium eleemosynæ fructum, auro non comparandum: *Et ipsa est, quæ purgat peccata*, &c. vtique disponendo hominem pœnitere incipientem ad gratiam iustificationis. Hinc suadebat Daniel Nabuchodonosori post interpretationem arboris: *Quamobrem, ô Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Dubitanter addit, *forsitan ignoscet delictis tuis*: quia nesciebat an satis se rex ad veniam disponeret. Cornelius Centurio Act. 10. per eleemosynas impetrauit à Deo gratiam fidei Christianæ, & iustificationis perfectæ, teste Augustino. Idem docet D. Gregorius homil. 19. in Ezechiel. *Non virtutibus*, inquit, *venitur ad fidem, sed per fidem attingitur ad virtutes. Cornelius enim Centurio, cuius eleemosyna ante baptismum angelo testante laudata fuit, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam & ei per Angelum dicitur: Orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt in conspectum Dei. Si enim Deum verè & ante baptismum non crediderat, quid orabat? Vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bono perfici petebat? Sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quod eius omnipotens filius* Lib. 1. de prædest. Sanct. *Exemplum Cornelij centurionis.*

lius incarnatum esset, ignorabat. Neque enim poterat bona agere, nisi ante credidisset. Scriptum namque est: Sine fide impossibile est placere Deo. Fidem ergo habuit, cuius operationes & eleemosyna placere potuerunt. Subiungit, ad propositum nostrum, *Bona autem actione promeruit, vt Deum perfectè cognosceret; & incarnationis eius mysterium crederet, quatenus ad sacramentum Baptismatis perueniret. Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatum in fide.*

Impetrat misericordi iusto vitam aeternam.

Subnectit Angelus: *Et facit inuenire misericordiam, & vitam aeternam*, vtique hominem iustum, qui ex charitate fecit eleemosynam. Hoc palam pronuntiat Dauid. Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Et Psalm. 111. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Et Salomon Prouerb. 14. *Qui miseretur pauperis, beatus erit.* Et Prouerb. 21. *Qui sequitur iustitiam, & misericordiam, inuenict vitam, iustitiam, & gloriam.* Idem docet Lactantius sexto diuinarum institutionum. *AEgros quoque, quibus defuerit, qui assistat, curandos fouendosque suscipere, summa humanitatis, & magna operationis est: quod qui fecerit, hic vitam hostiam Deo acquiret, & quod alteri dederit ad tempus, ipse accipiet à Deo in aeternum.* Gregorius Nyssenus de amandis pauperibus, orat. 1. *Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui bonis benignisq; fuerint, summa & perpetua requies tribuitur in regno caelesti, inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idq; sempiternum.*

SECTIO VI.

Quae sit differentia inter virum iustum & peccatorem?

I. SANCTVS Raphael Angelus, quando locutus erat de operibus bonis viri iusti, eorumque efficacia & commodis, subnectit: *Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animae suae.* Libet igitur hanc differentiam paulò latiùs explicare, vt & iustificentur adhuc & qui in peccatis sunt, ad meliorem frugem sese conuertant. Prima igitur sit,

I. *Aduersa iusto non nocent, sed prosunt.*

iustis omnia mala, & tribulationes in melius cedere teste Apostolo ad Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*, q.d. Multa Sancti patiuntur in hac vita; veruntamen animosè & laeto animo omnia perferunt, quia tribulationes omnes, in bonũ illis cedunt: *Et quis est*, inquit Petrus 1. Pet. 1, *qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?* Hoc est quod orans profitetur Ecclesia: *Nulla nobis nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.* Sic Iobo, sic Tobiae quaecumque aduersa nihil nocuerunt, quia perseuerarunt in bono. Sic Valerianus suâ igneâ craticulâ non nocuit S. Laurentio, sed profuit, quia eius charitatem magis accendit. Sic Arriani persequentes assiduè S. Athanasium terra mariq́ue, eius virtutem auxerunt & illustrarunt. Sic Decij, Aureliani, Nerones, Domitiani, Diocletiani, suis tormentis non nocuerunt S. Vincentio, S. Sebastiano, S. Mauritio, S. Tiburtio, S. Georgio, caeterisque Martyribus, sed eis laureas martyrij adornarunt, nec eis aliud extiterunt, quàm fabri & aurifices coronarum caelestium.

2. *Malefici sui necessarij ad maiorem in aeternum gloriam.*

Praeclarè Origines hom. 23. in Num. *Ita*, ait, *in hoc mundo sunt dispositi, vt nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiamsi malum illud sit. Malitiam Deus non facit, tamen cùm ab aliis inuentam possit prohibere, non prohibet, sed cum ipsis à quibus habetur, vtitur ea ad necessarias causas. Per ipsos enim in quibus est malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam si perimeretur malitia, non esset vtique qui contrairet virtutibus. Virtus autem non habens aliquid contrarium non claresceret, nec splendidior & examinatior fieret. Non probata verò, nec examinata virtus, nec virtus est.* Dat exemplum in Iosepho: *Tolle malitiam fratrum eius, tolle inuidiam, tolle illud omne parricidale commentum quo saeuierunt in fratrem, vsquequo venderent eum. Si hoc auferas, vide quantã peremeris dispensationem Dei. Simul enim abscindes cuncta illa quae apud AEgyptum non tantùm per Ioseph, sed & per Moysen pro salute omnium gesta sunt: periisset AEgyptus, periissent & finitimae regiones fame, interiisset ipse Israel. Nusquam plaga in AEgyptios, nec virtutes illae quas fecit Deus per Moysen & Aaron. Nemo per mare rubrum siccis vestigiis incessisset, nemo terram promissam intrasset, cibum manna mortalis vita nesciisset. Nulla de sequenti petra aquarum fluenta prorupissent. Lex à Deo hominibus data non fuisset*, &c

3. Secunda differentia est hoc loco notanda, quòd vel vnus iustus multis iniustis praeualeat: *Melius est*, inquit Siracides, *vnus timens Deum, quàm mulli filij impij. Et ab vno insensato inhabitabitur patria, tribus impiorũ deseretur. Quanã*, inquit Chrysostomus, *precor, vtilitas, multum esse fanum potius quàm paucos lapides pretiosos? Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo consistit. Helias vnus erat, sed totus mundus non erat dignus, qui retineretur ipsi. Et mundus quidem innumera millia sunt, sed non sunt milia, cùm nec ad vnius mensuram perueniant. Melior est vnus Dei faciens voluntatem, quàm decem peccatorũ millia: nam decem millia nondum ad vnum peruenerunt.* Et paulò post: *Melius est esse decem peritos & generosos milites, quàm decem inexpertorum millia: hi praeter id quod nihil efficiunt, etiam operantes impediunt. Hoc in naui quis videat. Melius est duos esse peritos nautas, quàm innumeram multitudinem inexperterum: hi namque nauem submergerent.* Idem Doctor hom. 27. ad Hebr. vnum Iosue

II. *Vnus iustus pluribus iniustis praestat.* *Hom. 1. ad pop.* *Simile.*

toti

Vnus Iosue multis mandis præfertur

toti mundo anteponit. Expendens enim quo pacto Sol ad imperium Iosuæ steterit, Iosue. *Veniat*, inquit, *omnis mundus; magis autem duo; aut tres, aut quatuor, & decem, & viginti mundi, dicant, & faciant hoc, sed non poterunt.* Iam verò D. Greg. Nazianzenus Orat. 32. v. 33. pulchrè in hanc rem testatur: *Tres in nomine Domini congregates, plures apud Deum censeri, quàm multos diuinitatem abnegantes.* Quod statim pluribus illustrat exemplis: *An tu*, inquit, *vniuersos etiam Chananæos Abrahamo vni anteponis? An Sodomitas vni Loth? An Madianitas Moysi? An illos trecentos viros, qui cum Gedeone lamberunt, tot hominum millibus pedem referentibus, inferiores esse contendes? An Abraha vernaculos numero haud multo plures, multis illis regibus, atque innumerabilibus copijs, quas, quamuis ipsi pauci essent; persecuti tamen sunt atque in fugam verterunt?* Quasi dicat: Minimè omninò: cùm illi pauciſſimi digni sint, qui innumeris præferantur. Et immediatè post subiungit: *Illud autem quomodo intelligendum esse censes, Si fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiæ saluæ fiant? Quo item modo illud, reliqui mihi septem millia virorum, qui non flexerunt genu ante Baal? Non est ita, non, inquam, est ita. Non in pluribus beneplacitum est Deo. Tu quidem myriades numeras: at Deus eos, qui saltem consequuntur. Tu infinitum puluerem: ego electionis vasa. Nihil enim apud Deum ita amplum & magnificum est, vt doctrina perpurgata, & anima dogmatibus veritatis instructa atque perfecta.*

Genes. 19. Exod. 2. Iud. 7. Genes. 17. 3. Reg. 19.

4. *Multitudo non æstimanda, nisi proba.*

Hinc ergo infert D. Chrysostomus hom. 40. *Ne satagamus hoc, vt multi duntaxat fiant, sed ante hoc, probabiles: cùm hoc comparatum fuerit: tunc & illud. Nemo domum spacioſam prius vult facere sed prius firmam, & probatam, & tunc spacioſam. Nemo fundamenta iacit, vt deideatur: prius hoc quæramus. & tunc illud cùm hoc fuerit, & illud erit facilè. Cùm autem illud non sit, licet hoc sit, vtilitas nulla. Cùm enim sint, qui possint in Ecclesia fulgere, velociter erit & multitudo: cùm huiusmodi verò desint, multitudo nunquam erit probabilis.*

5. *Vnius iusti preces multùm sunt æstimes.*

Tertia differentia sit, quòd vnius iusti preces apud Deum valdè sint efficaces, & toti familiæ proficuæ. Quid enim non effecerunt Tobiæ preces, ieiunio, & eleemosynæ adornatæ Angelus edixit. Familia erat in summa rerum angustia; ipse orabat, ipse ieiunabat, ipse eleemosynas in pauperum vsus liberaliter erogabat; & magnos sibi recondit in futurum thesauros, quos nulla solertia seruare potuisset; filio opulentam vxorem procurauit; sibi causa fuit diuinâ virtute recuperandi visum. Ne dicamus ergo; Quantulus sum ego vnus? quæ sunt precariunculæ meæ, vt familiam meam à malis conseruem, in tuto reponam? Aut rursum, quando pro salute patriæ preces, ieiunia & eleemosynæ exiguntur; Quis sum ego, vt iis vel totum Belgium, vel vniuersam Galliam, vel latissimam Hispaniam, vel amplissimam Germaniam, aut Italiam omnem, aut Principes Christianos omnes fulciam? Deus enim tam bonus est, vt ad paucorum imò vnius castas purasque preces maximis quandoque populis pepercerit: neque dici potest, quantum virtus vnius, etiam, & solius homunculi possit, si Deus eam posse velit. Recente mundo vnicus Abrahamus Deo supplicat pro quinque ciuitatibus, & benignissimè auditur. Vnus soluſque Ioseph fuit, qui fame perituram Ægyptum ab interitu seruauit. Vnus soluſque Moyses tot centenis millibus Hebrææ plebis toties saluti fuit, suis partim consilijs partim precibus. Vnus soluſque Sampson fuit, tantum asini mandibulâ, non ære aut ferro armatus, cùm tot simul Philistæos trucidauit. Vniuersus Israelis populus idolis litasset, nisi per vnum & solum Eliam Thesbitem à tam immani scelere fuisset reuocatus, dum iussit boues parari in sacrificium tam à parte Gentilium quam Israelitarum, & vtriusque Gentis Deo inuocato solus flammam obtinuit, quæ sacrificium ab Elia positum consumeret, & dissidium de diuersis dijs colendis, palam dirimeret. Vnus soluſque Dauid fuit qui Israeliticam remp. restituit, etiam adolescentulus & contemptus, cùm carneam illam & loquentem Philistæam turrim, & quasi sedem belli Goliathum, in oculis trepidantis exercitus fundâ saxoque expugnauit. Quid? etiam vna & sola mulier Hebræa Holofernem, tunc terrorem Orbis, suo sibi gladio iugulauit, itaque Assyriam militiam vniuersam vna illa superauit. Vnus Mardochæus & vna Esther omnẽ Iudæorum gentem à certo interitu seruarunt. Hierosolyma funditus euersa in magnum cadauer corruisset, sed vnus soluſque Mathathias cùm lugendo & suadendo, tùm hortando & agendo restituit rem. Daniel vnus soluſque iuuenis, lugens, ieiunans, & Deum humiliter exorans precibus suis à diaboli tyrannide liberationem populi citiùs contingere obtinuit, ac plenum Hebræorum reditum in patriam, quàm homines putabant. Is senum plebisque decreta rescidit, & Susannam paratæ neci eripuit, ipsosque iudices morte mulctandos æquissimè iudicauit. Quid non poterunt iusti preces? Audi Iacobum: *Multum*, inquit, *valet deprecatio iusti assidua.*

Exempla.

6. *Vir vnicus piè viuens Gentem integram seruare potest.*

Ne mihi obtrudas, ô Christiane: Non sumus Abrahami, non Iosephi, non Samsones, non Dauides, neque sanctioris notæ homines. Id cura vt sis: Non enim necessum est huiusmodi athletas existere; sed pios esse. Pietas enim totam potest sustinere familiam, potest & patriam: *Vir quidem vnus*, inquit Chrysostomus serm. de virtut. & vicijs, *rectè viuens, diuina ira populum omnem liberare sufficiet: è contra*

è contra verò ciuitas omnis corrupta, in ſuam penam atque ſupplicium imminens trahere ac rapere non poterit. Quod quidem ex Noe liquidim patet, preuntibus ſiquidem omnibus liberatur vnus: & ex Moyſe hoc idem videre licet, potuit ſcilicet vnus tantam reſtinguere gentem. Vnus & ſolus Laurentius Iuſtinianus Venetorum vrbem ab excidio ſuis precibus ſeruauit. nam quo tempore bellum inter Venetos & Mediolanenſes arſerat, in Corcyrano nemore Eremicola vaticiniis clarus degebat. Hunc è Venetis optimatibus vir nobilis adiit, quæſiuitque, cui parti bellũ illud feliciter ceſſurum eſſet? huic reſpondens Anachoreta: Deus, inquit, vrbi Venetorum vehementer iratus, quod nulla morũ emendatio poſt tot admonitiones, poſt tantos clamores ſequatur, illam perinde vt Paleſtinæ Pentapolim iam dudum deleſſet, niſi vnicus illorum Patriarcha, ſuis precibus vindictam diuinam auertiſſet. ita Bernar. Iuſtinianus orator, nepos illius apud Zach. Lippeloo tom. 1. die 8. Ianuar. Vnica ancillula, vti narrat Illuſtriſſimus Baronius tom. 3. Ann. 327. n. 11. ſuis precibus & cilicio, quo multos ſanârat, totam gentem Iberûm ad Chriſti fidẽ perduxit. Carolus V. Imperator, cum Thomam Morum, qui Regis Angliæ fuit Cancellarius, capite plexum inauduiſſet, dixiſſe fertur: Henricus Rex, totius Angliæ caput præcidit. Tanti erat vniuerſo regno virum hunc, vnicum amiſiſſe.

Exemplo.

Nullus peccati.

Audiſti partes iuſti, nunc, ſi placet, attende peccatoris. Angelus edicit: *Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Ita eſt: nam quis magis hoſtis, quàm qui animam interficit; quod fit per peccatum. Sic apertè pronuntiat Hieremias Vates: *Homo per malitiam occidit animam ſuam*, cap. 31. Et Apoſtolus: *Stipendium peccati mors*, Rom. 6. Veriſſimè dixit Cyprianus, peccata eſſe lapſis quibuſdam ſuo tempore, *quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod nauigijs ſæua tempeſtas.* Rurſum quis magis hoſtis animæ ſuæ, id eſt, vitæ corporali, quàm peccator? nonne languit triginta octo annis paralyticus ob peccatum, Ioan. 5.? Nonne peccatum eſt fons & parens omnium malorum, quæ ſub ſole ſunt, fuerunt & erunt? Quis ex Angelo fecit dæmonem & Luciferum? peccatum. Quis Adã & homines, paradiſo & cælo eiecit in hanc vallem miſeriarum? quis eos morti & inferno addixit? peccatum. Quis diluuium ſub Noe toti orbi induxit? peccatum. Quis Pentapolim igne cæleſti concremauit? peccatum. Vitam corporalem vocat Deus animam, cùm Iob primo dicit diabolo: *Verumtamen ſerua animam eius.* Vir quidam pius & doctus, nempe Ludouicus Granat. l. 2. Duc. peccat. c. 3. inquit: Hoc ſibi quiſque certiſſimum perſuadeat, ſi in libræ lancem vnam mala & ſupplicia ſimul omnia, quotquot adhuc ab Orbe condito fuerunt, ſi egeſtas, ſi ærumnæ carcer, catenæ, ſi cruces, rotæ, ignes, ſi membrorum lacerationes, ſi morbi, dedecus, dolores, ſi mors, ſi omnes humanæ vitæ formidines, ſi vniuerſi inferorum cruciatus, in vnã, inquam, lancem componantur, in alteram verò vnum atque vnicum lethale peccatum immittatur, ab hoc vnico, illa prorſus omnia, immani pondere ſuperanda.

7. Peccatores occidunt animam ſuam.

Omnium malorum parens eſt peccatum.

Anima idem eſt, quod vita corporalis

Ad rem noſtram. Vbi vtiliter orat iuſtus ſibi & alijs, peccatum reddit orationes inutiles. Planiſſimè Ioannes Apoſtolus 1. Ioan. 3. *Charißimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Vnus amicorum Iob cap. 11. dicebat illi: *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia: Tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis*: quaſi diceret: Quod ſi tu, ô Iobe, ab operibus iniquis, & vanis, quibus honeſtatis ſimulatam ſpeciẽ prætexuiſti, iniquitatem abſtuleris, & puras à puro corde manus ad Deum expanderis, relegata à tabernaculo tuo, quæ in eo diu inueterauit, iniuſtitia: Tunc mundam abſque confuſione leuabis ad Deum faciem tuam, quam à ſuo conſpectu non repellet Deus: neque ex tuo amplius deijcieris loco? aut vllus te motus de imminente ruina, aut turbine concutiet. *Voluntatem enim timentium ſe faciet, & deprecationẽ eorum exaudiet*, inquit Regius Propheta Pſal. 144. Optimè Origenes in Pſal. 37. ſuper illa verba: *Quoniam in te ſperaui Domine, tu exaudies*, &c. *Si eſſemus*, inquit, *tales, quales nos vult eſſe ſermo diuinus, ſicut Helias diceremus vtique Deo, vt daret pluuiam, & plueret, ſicut Samuel in diebus meſſis peteremus, vt præſtaret de cælo imbrium copiam, & audiremur: nunc autem quomodo nos audiet Deus, cùm nos ipſum non audiamus? quomodo faciet ille quod volumus, cùm non quæ ille vult, nos faciamus?* Nil verius. Audiamus Deum, ſi audiri volumus, faciamus eius voluntatem, ſi noſtram volumus vt ipſe faciat, & tunc exaudiemur, ſi mandata eius obſeruabimus, ſicut & tunc fiduciam veram habebimus, ſi cor noſtrum nõ reprehenderit nos, vt inquit Apoſtolus. Pulchrè quidem Tertul. adnotat. lib. aduerſus Pſych. cap. 6. Orationem Eliæ, quando verbo cælum clauſit, 3. Reg. 17. ideò firmam plenamque extitiſſe fiduciæ, quia *ieiunio abſtinentiaq; vallabatur.* Cui concinnans D. Ambroſ. lib. de Elia cap. 2. ait: *Elia ieiunio, ore vox emiſſa, cælum clauſit, ſacrilego populo latronũ digna pœna; qua intemperantiam dignè coercet, vt cælum impijs clauderetur, qui terrena polluerat.* Fiducialiter ergo orauit Elias, quia opera exercebat virtutis,

8. Peccatorum orationes ſunt inutiles

Oratio noſtra cur inefficax

Oratio Eliæ vnde fiducia plena?

tutis, quia Sanctus, quia iustus, ideò tunc certissimè se exaudiendum dixit, quia cor eius in nullo eum reprehendebat. Sis tu Eliæ similis, opera exerce virtutis, indemnatum te exhibe, & confidenter spera; quod si cor tuum te non reprehendit, quidquid oraueris, accipies.

9. *Fundamentum exaudi tionis est ob seruantia Dei præcepto rum.*

Fundamentum ergo exauditionis obseruantia est mandatorum, cordisque irreprehensio, sicut & spei immortalitatis, tunc enim immortales, & felices nos esse rectè sperabimus, quando cor nostrum nos non reprehenderit, immò quando nec diabolus: vanè enim sperat exaudiri qui Dei voluntatem minimè exequi desiderat. Nam Deus fastidit & nauseat ab oratione peccatoris. Audi Esaiam Vatem contra iniustos Primores nomine Dei loquentem, Isa. 1. *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Et alibi cap. 12. 1. 2. *Aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Et Malach. 2. *Maledicam benedictionibus vestris.* Et clarius Salomon Prouerb. 28. v. 9. *Qui declinat aurem à Dei lege, oratio eius fiet execrabilis.* Vnde ad hoc vt oratio sit efficax, in iustitia, Deique obseruantia præceptorum, fundari debet, quia, vt inquit Gregor. lib. 9. epist. 95. *Inanis fit oratio, vbi prauæ est actio.*

10. *Saul vt conuictus ad comedendum à pythonissa*

Mulier pythonissa 1. Reg. 28. optimè nouerat prius esse Domini voluntatem exequẽdam, antequam exauditio speranda. Nullo enim alio vsa est argumento, ad Saul, vt comederet, conuincendum, cùm comedere nollet, nisi quia ipsa prius se totam eius subdiderat voluntati: *Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea, & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me, nunc ergo audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te*, &c. Putauit ergo, & optimè, debere Saulem eius voluntati obtemperare, dum ipsa prius obtemperauerat suæ, & impossibile esse, vt non cederet, cui ipsa prius cesserat. Nec eam eius fefellit argumentum, nam etsi prius renitens, tandem deuictus surrexit, & comedit, quia, vti diximus, nulla maior extat vis ad alicuius conuincendam voluntarem, quàm ad illam subiectio, præceptorumque, seu, vt sic dicam volitorum eius executio.

11. *Peccatum reddit ieiunia cassa.*

Reddit ieiunia cassa: hoc apertè pronuntiat de impiis Esaias Vates cap. 58. *Rogat*, inquit, *me iudicia iustitia, appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti*, quasi diceret: Abesse à me putant iudicia æqua, & ea de re iudicio mecum disceptare volunt: Quare, inquiunt, ieiunio corpus exhausimus, neque tamen nos tuo dignatus es aspectu? Et cùm ad ieiunia alias etiam corporum molestias adderemus, illa tamen neque probare visus es, imò neque nosse, cùm nullum abs te illorum fructum habeamus? Hæc illi. Respondet Deus: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & ad contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.* q. d. In ieiuniis vestris vestra vobis quæritur voluntas, non mea; vestra vos commoda & priuata consilia magis trahunt, quam religionis studium; tunc enim contrà, quam à me præceptum est, iudicio vrgetis seuero, & inhumano debitores, qui soluendo non sunt. Itaque si velitis ieiunia vestra mihi esse grata: *Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Numquid conturbare quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Numquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino?* q. d. Nolite ieiunare sicut ad hanc diem, si vultis, vt clamor vester, & preces, quæ de more comitantur ieiunia, audiantur in cælo, exorentque ibi, quod precantur à Deo. Illud enim ieiunium non exigo, quod nihil habet solidæ, atque internæ, sed tantum fucatæ sanctitatis, speciem; nec mihi probatur quod in circuli formam caput flexili ceruicis inclinatione curuetis, quod induti sacco, & aspersi cinere in sordibus esse atque squalore significetis; sed illud ieiunium mihi gratum & acceptum est, si dissoluatis pactiones, quas iniquè contraxistis: si rumpatis chirographa, quibus vobis à debitore cautum est: neque deprimatis illos, qui licet à vobis legitimè debitum contraxerint, soluendo tamen non sunt; vt habetur v. 6. seq. Ne mireris, ieiunium aliàs Deo gratum corrumpi per propriam voluntatem. Si quis homini cæpas auersanti, ferculum cetera pretiosissimum proponat, cæpis tamen infectum, nihil inibit gratiæ, nec lassum stomachum peruellet; nauseam mouebit, non appetentiam ciborum. Ita ieiunium velut generosi saporis edulium est, ab Angelo etiam laudatum, *Bona est oratio cum ieiunio*: ac si huic edulio cæpe & allium propriæ voluntatis misceantur, apage hoc fastidium à cælesti mensa.

12. *Peccatoris eleemosyna inutilis*

Reddit eleemosynas inutiles. Planissimè hoc pronuntiat Apostolus: *Si distribuero*, inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas*, &c. *charitatem autem non habuero, nihil mihi* *sunt inutiles* *prodest.* Si, inquit, optimum modum eleemosynæ seruauero diuersos pauperes rerum mearum participes reddendo: nihil mihi proderit ad salutem, nihil mihi blandiri possum, nisi charitate præditus sim. Audi quàm vere & disertè Augustinus cap. 75. Enchiridij concinat: *Sanè*, inquit, *qui sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam moresq; corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare*

quem tamen cessant, frustrà sibi ideò blandiuntur, quoniam Dominus ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hoc enim quam latè pateat, non intelligunt. Vnde capite sequenti docet, quemque debere primùm dare eleemosynam sibi, iuxta illud Sapientis: *Miserere animæ tuæ placens Deo*, Eccles. 30. Eodem modo philosophatur S. Gregor. lib. 19. Moral. cap. 20. *Multi*, ait, *proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed iniustitia facta non deserunt. Qui si proximis veraciter misericordiam facere studerent, sibimetipsis prius debuerant, iustè viuendo, misereri. Vnde scriptum est, Miserere animæ tuæ placens Deo: Qui ergo misereri vult proximo, à se trahat necesse est originem miserendi. Scriptum namq; est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

13. *Deus per peccatum diuiditur ab homine.*

Diuidit inter Deum & hominem. Conquerebantur Iudæi, cur è Babylone, fuisque hostibus, & calamitatibus non liberarentur: sed respondet Isaias nomine Dei: *Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate. Labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur.* q.d. Si minus adhuc Deus exaudiuit vos, neque ad vestras preces, aut vota respondit, non ideò est, quia debilis est illi, atque contracta manus, ita vt saluare captiuos, aut optata impartiri non possit: aut quia obturatæ sunt aures, & obstructæ, ne per illas ad animum oratio penetret. Peccatis hoc vestris potiùs ascribite, quæ inter Deum & vos, grandem interposuerunt molem: diuinamque faciem, atque clementiam auerterunt, ne votis vestris, ac precibus annueret. *Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine*, id est, manus vestræ, quas supplices in oratione leuatis, sanguine stillat, & digiti vestri multiplici se iniquitate polluerunt: neque à mendacio labia, neque ab iniquitate, & dolo lingua vestra se continet.

14. *Ciuitates ob peccatum protinus excidunt statu.*

Instabiles fiunt ciuitates. Threnor. 1. *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Ideò, inquit, Hieremias Synagoga suo loco mota, & captiua in Babylonem abducta est, quia à suo fundamento, puta à Deo, recessit. Sicut enim nauis deserta à nauclero, omnibus ventis & vndis iactatur: sic & Ierusalem, & quælibet ciuitas deserta à Deo, rectore suo, bellorum & tumultuũ fluctibus iactatur & propellitur. Quid dicam? Diuina iustitia nostris sceleribus prouocata adeò intumescit, vt supra omnes aggeres atque obices à diuina misericordia præfixos latissimè restagnet, & in maximas hominum strages effundatur. Sic totum Orbem diluuio absumpsit, Genes. 7. à v. 10. Totam Pentapolim incendio deleuit, Genes. 19. à v. 24. Totam Ægyptum sub mari rubro demersit, Exod. 14. Totum exercitum Hebræorum de Ægypto egressum, duobus tantum exceptis, ferro ac flamma profligauit, Num. 14. à v. 29. Quin etiam in Palæstina, quæ ampliores fines non habebat, quàm Iudæa, propter Arcæ captiuitatem, ducenta & viginti millia hominum interfecit, vt ex Philone in Antiq. Biblicis colligitur. Iam verò ex Assyrijs, centum octoginta quinque millia virorum vna in nocte Angelus Domini demessuit, 4. Reg. 19. Præterea diuina indignatio propter Dauidis culpam populum contra legem recensentis, aut de illius multitudine gloriantis, non maiori spatio, quàm sex horarum, septuaginta millia virorum pestilentia extinxit, 2. Reg. 24. Denique totum regnum Iuda, & Israel, suis in sceleribus obdurarum, innumeris cladibus atque infortunijs labefecit: vt ex lib. Iud. Reg. & Paralip. facilè deprehendes. Quas calamitates Ieremias contemplatus, queribundus exclamat: *O mucro Domini! vsquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile:* Ierem. 47. Spectabat Propheticis oculis Ieremias Vates sequentem Domini gladium, latéque in Palæstinæ finibus, & durè grassantem; & miseratus eius populi casum, admiransque tantam in laceranda ea regione constantiam, exclamat. O mucro Domini, quousque tandem inclementer grassabere? quando furori impones, atque vindictæ modum? ecquis erit lacerandi, atque mactandi finis? *Refrigerare, & sile.* Depone aliquid ab ardore & studio cædendi; Vides vt diuina Iustitia plurima & maxima vltionum monumenta excitarit?

15. *Diuina vindicta ad peccata puniendo vigilat.*

Facit diuinam vindictam ad peccata excubare & vigilare, vt ea citò plectat & puniat. Sic ad parricidium Caini vigilauit Deus dicens, Genes. 4. *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. nunc igitur maledictus eris super terram vagus, & profugus*, &c. idque ante illi prædixerat Deus: *Si bene*, inquit, *egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum* (pœna peccati) *aderit.* Sic *vigil & sanctus de cælo descendit, clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem*, id est, Nabuchodonosorem superbum regno ad bestias ejicite, Daniel 4. Cùm Balthasar biberet cum suis in conuiuio ex vasis templi Domini, laudans idola sua, mox vidit manum scribentem in pariete, *Mane, Thekel, Phares.* Qua visione sic territus est, vt expalluerit, omnibusque artubus contremiscere cœperit: *Tunc*, inquit S. pagina, *facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se invicem collidebantur*, Daniel. 5. Quæ, obsecro tanti pallóris, tanti terroris causa? Vidit manum inscribentem in proximo pariete, sed hominis. Quis vnquam vidit humanam manum sic timeri à Rege? Si leo-

nis, aut vrſi, aut draconis vngues vidiſſet, cauſa formidinis aliqua fuiſſet. Sed vnius hominis dextram, quid tantus monarcha metuat, ad cuius nutum mox centenæ alæ equitum aduolaſſent ſubſidio? Ecquid illa tam formidanda manus armorum tulit? Nihil niſi calamum quo ſcripſit. Ad pennam ſcriptoriam virum, ne dicam regem, expalleſcere. Si trigeminam Ioabi lanceam, ſi romphæâ Cherubim ignitam in ſe vnum vibrari vidiſſet, non ſine ratione timuiſſet. Sed quid? Timuit haud dubio diuinum quid in ſcribente manu. Terrore concuſſus eſt ad vigilem Dei vindictam, quod ſacrilegus, & temulentus bibens ex vaſis templi, Deo vero neglecto, laudaret idola. Ipſe Rex, & optimates eius turbati, aduocatus Daniel, qui cælitus afflatus ſcripturam explicuit. *Hæc eſt interpretatio ſermonis. Mane: numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud. Thecel: appenſus es in ſtatera, & inventus minus habens: Phares: diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Et eadem nocte ipſi & regno exitium intulit Deus.

16. *Deus contra peccatores ſæpè dimicat de cælo.* Cauſat bella, ſtrages, & è cælo Deum contra nos dimicare? Quàm ſæpè Deus contra peccatores de cælo dimicauerit, quot torſerit tela ex aërea plaga expertus eſt Pharao, & Ægyptiorum populus, expertus duce Siſarâ exercitus Iabin, de quo Iud 5. verſ. 20. *De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Sic Samuelis tempore contra Philiſtæos pugnauit, 1. Reg. 7. & Ioſue cap. 10. v. 11. *Dominus miſit ſuper eos* (Gabaonitas) *lapides magnos de cælo, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael.*

17. *Peccatores æterna manet mors.* Cùm verò hæc omnia non conterunt peccata, neque compeſcunt; tunc inexplicabilibus malis inuoluit peccatores ipſos eorum delictum; nam ad ſecundam mortem priori interueniente eos adducit. Teſtis eſt Euangeliſta Matthæus cap. 25. vbi adducit Iudicem pronuntiantem in impios horribilem hanc ſententiam: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Et quamuis de extremo iudicio loquatur, certum eſt, quod vnuſquiſque in particulari iudicio agonizans Dei iudicium intelligat. Porrò duo mala continet illa Dei ſententia; prius ab ipſo diſcedere, ſeu æternũ arceri à beatifica viſione, poſterius igne infernali, inextinguibili ſemper cruciari. Illud vocant Theologi pœnam damni; hoc pœnam ſenſus.

18. Eheu quantum hoc malum, Affici pœnâ damni & ſenſus, idque in æternum! Audi quid de priore ſentiat aureum illud os, Chryſoſtomus: Tam eſſe incomprehenſibile, vt mille gehennas minus exiſtimet, quàm à Deo reijci: *Noui*, inquit, *quòd plurimi pertimeſcant tantum gehennam, ego tamen illius gloriæ amiſſionẽ, multo amarius, quàm ipſius gehennæ dico eſſe ſupplicium.* Et pauculis interiectis: *Intolerabile quidẽ res eſt gehenna: quis neſciat, & ſupplicium illud horribile non perhorreſcat? tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt à beatæ illius gloriæ honore repelli, exoſumq; eſſe Chriſto, & audire ab illo*: Non noui vos. *Eſt enim ſatius vel mille fulmina ſuſtinere, quàm vultum illum manſuetudinis pietatiſq; plenum, nos tamen aduerſantem videre, & illos placidiſſimos oculos nequaquam nos aſpicere ſuſtinentes. Quid ergo luctuoſius eſſe poterit, quàm horrendum illud tonitru, vocem audire diuinam, ſic repellentem: Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ. Inutilem*, inquit, *ſeruũ ejicite in tenebras exteriores*, Matth. 25. Quæ denſiſſimas illas Ægyptiorũ tenebras longè ſuperabunt. Addit Euangeliſta: *Vbi erit fletus & ſtridor dentium*; hic damnatorum fletus, vlulatus, rugitus velut pecudum, ex acerbiſſimo dolore proueniet, qui vel ſaxeis pectoribus deſperatiſſimam complorationem excutiet. Sempiternus ibi horror inhabitat; fœtor intolerabilis continuò aderit. Omnes exteriores ſenſus peccatum inficit, omnes vindicta punit: *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarũ pars calicis eorum, inquit, Regius* Vates, Pſal. 10. Rea inſuper damnatorum conſcientia velut rabidus canis aſſiduo latratu & morſu in deſperatiſſimam rabiem aget miſeros. *Vermis eorum non morietur*, affirmat Iſaias cap. 66. ijſdem verbis conſignat hoc Chriſtus, Mar. 9. *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* & hoc ipſum pauculis interiectis (vt id ſtupor nollet capiat) tertiùm repetit: *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Et hæc quidem æternùm durabunt. Veriſſimè Caſsiodorus: Vt mortaliũ, inquit, nemo intelligit, quid præmium ſit æternum; ita nemo capit quid tormentum ſine fine duraturum. *In gehenna*, inquit Gregorius lib. 9. Moral. cap. 49. *miſeris erit mors ſine morte, finis ſine fine: quia ibi mors viuit, & finis ſemper incipit.* O tormentorum æternitatem horrendam! *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum*, Pſal. 48.

Pœna damni grauior eſt pœnâ ſenſus.

Deſcriptio pœnarum inferni.

Pœnæ inferni ſunt æternæ.

19. Talia ſibi ipſis ſtruunt palatia impij: *mortuus autem eſt diues, & ſepultus eſt in inferno.* ô profundum ſepulchrum! hoc mauſolæo, hic Lazari tortor eſt conditus, cui pro lectulo flãma, ſitis pro nectare, pro dapibus ſulphur, pro tripudijs eſt deſperatio. Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem; hic nulla ſalus; ſed nec ſpes ſalutis vlla, ſed deſperatio æterna. Concionem non tam longam quàm horrendam dictauit Ezechieli Deus, in hæc verba: *Et dices ſaltui meridiano: audi verbum Domini, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum: non extinguetur flamma ſuccenſionis.* Ezech. cap. 20. Quot nunc cedri, quot impij ho-

homines in hac vitâ,& virent fortunæ ſucceſſu,& arent virtutum inopiâ. Audite ergo vos, & virentia, & arida ligna, ſuccendetur ignis, & flamma ſuccenſionis non extinguetur. In gehenna, quò vos properatis, nulli dies feſti ſunt, quibus ſuccenſa fornax interquieſcat; æternus dolor, æterna mors, æternus luctus, nullis intermiſcendus vnquam ſolatiis; noctes atque dies, inſopita, peruigil, inextincta in vos flamma vindicabit; viuetis ad aſſiduam, perpetuam mortem. Caino poſt quinque millia annorum, quos illic vixit, aſſiduè moriendo, tam adhuc integer reſtat luctuoſorum annorum numerus, ac ſi hoc primum die, in flammeum illud ergaſtulum detruderetur. Et poſt aliquot annorum milliones, ex hoc numero conſumptos, non magis decreſceret ipſe numerus, quàm ſi hâc primùm horâ inciperet ardere. Et quamuis Euangelici illius opulenti helluonis tormenta ad duo millia annorum accedant, tamen ardet adhuc & æternùm ardebit, & nec guttulam pridem poſtulatam, æſtuanti linguæ impetrabit vnquam.

20. *Peccatoribus hæc pauenda ſunt. Pſal. 10.*

Huc adeſte ô peccatores, ô animæ hoſtes; *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, inquit Regius vates. Hæc cogitate auari, qui ob paucos obulos, ob paruam iacturam, lachrymarum grandes guttas effunditis, de iniuſtitia, de pauperum oppreſſione, qua gehennam vobis accerſitis, ne ſuſpirium edentes, immenſum, irreparabile damnum hilari cachinno decoquentes. Adeſte ebrij, adeſte ebrioſi, audite verba Apoſtoli: *Non hæreditabit regnum Chriſti & Dei.* Audite immiſericordes, & ob oculos ponite, quò ſeceſſerit diues ille Epulo: *Sepultus eſt*, inquit Lucas, *in inferno.* Luxurioſos percellat ſaltem pœna ſenſus. Olim pluit Deus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur, & ignem, Geneſ. 19. His pluuiis extinguendus erat æſtus libidinis. igni ſummus ardor, maximus fœtor ineſt ſulphuri: qui ergo laſciuâ carnis concupiſcentia fœtebant, igne & ſulphure peribant, vt ex animaduerſione iuſta diſcerent, quid ſpurcâ libidine commeruiſſent. Quiſquis es, cùm te vrit libido, admoue, oro, extremum digitum gracili cereo, nec eum priùs flammulæ illo ſubtrahe quàm, orationem dominicam ſemel dumtaxat pronuntiaris. Ex hoc philoſophus fies, & experientia diſces, quid ſit in tremendis illis gehennæ flammis ardere, non horæ partem, non diem, non menſem, vnum aut annum, aut ſæculũ, ſed per annos innumerabiles, infinitos, in omne æuum, in æternum. Sapies inquam niſi in merum ſaxum dirigueris, aut certè in pecudem degeneraueris. Silex eſt, quem tremendum hoc, & verè infandum inferorum ſupplicium non percellit vel cogitatum. Audite peccatores omnes, & ſeriò cogitate ſulphureum illud ſtagnum, quod Apocalypticus ille Angelus ſæpiùs vobis minatur, *Pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne & ſulphure*, Apocal. 21. Audite præceptum Apoſtoli, *Videte*, inquit, *fratres, quomodo cautè ambuletis: non quaſi inſipientes: ſed vt ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt:* Quarumuis rerum diſpendio, benè agendi opportunitas eſt comparanda, *quoniam dies mali ſũt*, dies vitæ huius pleniſſimi ſunt doloribus, periculis, tentationibus, ærumnis, quæ benè agendi occaſionem vel adimunt, vel minuũt, inquit Anſelmus. Circumſpectè, diligenter, accuratè negotium ſaluris curandum eſt; inſipientiſſimi ſunt: qui breue hoc tempus, felici æternitati comparandæ conceſſum non expendunt, ſed prodigunt in vaniſſimas oblectatiunculas; iocando, ludendo, otiando cælum mercaturi, non fabulis redimendum eſt tempus, non otio vel poculis, ſed crebris precibus, ſerio labore, conſtanti induſtriâ. *Vita noſtra*, inquit Nazianzenus in ſentent. *quaſi mercatus eſt, cuius dies cùm abierit, tempus amplius non erit emendi qua velis.* Nunc ergo emendum eſt, dum ſunt nundinæ, nunc pie viuendum eſt, dum vires ſuppetunt. hoc ipſum Eccleſiaſtes identidem inculcat: *quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*, Eccleſ. 10. Hoc ipſo temporis & occaſionis ſtimulo ſæpiùs nos vrget Apoſtolus: *Dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*, Galat. 6. Rom. 13. Hæc ſedulo executioni mandate, ô Chriſtiani, & vtiliter experiemini, quæ inter iuſtum & peccatorem ſit differẽtia, quam Angelus Tobiam & te meditari omninò voluit: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.*

Ephes. 5. Tempus vitæ bene impendendũ eſſe.

Maulin in Tobiam.

CAPITIS DVODECIMI

VERSVS XI.

Manifesto ergo vobis veritatem & non abscondam à vobis occultum sermonem.

Vers. 12. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

Vers. 13. *Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.*

Vers. 14. *Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.*

Vers. 15. *Ego enim sum Raphael Angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.*

PARAPHRASIS.

Vers. 11. 12. 13. 14. *&* 15. Angelus postquam docuit diuina mysteria nihil Deo detrahere, sed potiùs apud homines dignitatem, obseruantiamque conciliare, arcana illa & occulta mysteria reuelare incipit. Et primùm docet nihil eorum, quæ Tobias fecit, aut religiosè orando Deum, aut clementer mortuos sepeliendo, excidisse frustra; sed cùm ieiunus obiret eiusmodi pietatis officia, tunc orationem vim accepisse maximam, & suum apud Deum habuisse pondus, adeoque à se quasi sequestro oblatam esse coram Deo. Et ne tacitè secum diceret Tobias, quomodo id foret possibile, quandoquidem variis affligeretur malis, occurrit Angelus tacitæ illius cogitationi, edicit id tribuendum esse Dei in illum beneuolentiæ, quæ non vult suorum virturem esse ignauam aut otiosam, sed probari dura vexatione, quæ à paterna venit manu. Insuper docet, Deum non abiecisse curam ornandæ, & locupletandæ domus Tobiæ; sed se singulari Dei prouidentia missum, vt restitueret Tobiæ videndi facultatem, & Saram à dæmone, qui domum obsederat, & septem virorum cædibus infestarat, liberaret. Ac vt se omni exceptione superiorem, & dignum fide probaret, adiunxit se non esse de qualiumcumque Angelorum numero, sed de ijs septem, qui astant Deo, quosque Deus, ad grauissima quæque negotia expedienda demittit.

SECTIO SEPTIMA.

Quòd Angeli obseruent hominum preces, & bona opera, & quo fine.

1. *Angeli obseruant iustorum opera, & calculo inscribunt.*

ANGELVS Raphael, vt apertè hæc historia prodit, acta Tobiæ, eiusque preces, lachrymis irroratas, ad amussim notauit, & Dei conspectui incessanter obtulit. Mirum dictu, quantopere Angelus aduigilet, & calculo inscribat, quæ à iustis exercentur bona: vbique præsentem se exhibet. Sic astitit Abrahæ volenti sacrificare Isaac, eiusque bonam voluntatem, promptissimam obedire Deo sedulò notauit: *Nunc cognoui*, inquit, *quòd times Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*, Genes. 22. Vnde gladium eius continuit, ac pro Isaac substituit arietem immolandum. Nonne Angeli visi sunt ascendere & descendere scalam, quasi per eam preces Iacobi fugientis à facie Esau sursum in cælum ferrent, & dona è cælo in terram ad eum deferrent, significantes Deum considerare labores & opera eius? Genes. 28. Nonne quoque Angelus adstitit Gedeoni sacrificanti, ac summitate virgæ, quam tenebat in manu, tangens victimam elicuit ignem de petrâ, qui victimam incendit, & consumpsit, postquam notauerat pœnitentiam Israelitarum, eosque à tyrannide Madianitarum statuerat liberare Deus? Iud. 6. Nec Danielis religiosa

Exempla.

opera

opera intnotata reliquit, ſed poſtquam luxerat tribus ſeptimanis, panem deſiderabilem non comediſſet, carne & vino abſtinuiſſet, Deum pro ſuis deprecans, ſiſtit ſe illi Angelus dixitque ad eum: *Daniel vir deſideriorum, intelige verba, quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim ſum miſſus ad te, &c. Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita, ſunt verba tua; & ego veni propter ſermones tuos.* quaſi dicat. Procul eſto metus omnis, ô Daniel. Nam ex quo primùm applicuiſti animum, vt intelligeres, & vt eius gratia ieiuniis te, atque alijs corporis moleſtiis affligeres in conſpectu Dei, exauditæ ſunt preces tuæ, quæ obtinuerunt à Deo, vt ego ad te legatus deſcenderem, & ſignificem breui, vti poſtulaſti, templum reædificandum eſſe, nimirum poſt Cambyſem, qui ſeptem tantum annis regnabit, ſub initium regni Darij Hyſtaſpis, tumque multos Iudæorum è Babylone eo conuolaturos. Rurſum Artaxerxem anno ſeptimo regni miſſurum Eſdram, & anno vigeſimo miſſurum Nehemiam, qui reliquos in Babylone Judæos ſecum abducant in Ieruſalem, eiuſque muros & domos reædificent, & perficiant. Id enim reipſa præſtabit Nehemias. Verisimile eſt hæc, vel horum partem, Gabrielem reuelaſſe Danieli, etiamſi id ipſe ibi non enarret, quia ad alia feſtinat.

2. Angelus ille, qui Zachariæ apparuit à dextris altaris incenſi, exactè nouerat, quid à Deo flagitaret precibus Zacharias: Vnde dixit timenti apparitionem ſuam: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua. Et vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium*, Luc. 1. Cùm vir religioſus ac timens Deum Cornelius centurio aſſiduò eleemoſynis & precibus vacaret, *vidit Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem illi: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen*, &c. quaſi dicat. Ego diligenter obſeruaui quas ad Deum fudiſti preces, ego eleemoſynas conſideraui, quas in pauperum vſus erogaſti: vidi quantopere ſecteris ſcire neceſſaria ſalutis: Ego adſum fidelis tibi nuncius, Deum eleemoſynas tuas, & orationes reſpexiſſe, & ſuggero tibi medium, quo ad explicitam fidem Mediatoris citò peruenies, Luc. 15. Sacra pagina planiſſimè pronuntiat Angelos conuerſionem noſtram exactiſſimè notare; declarat enim *Angelis* Dei maius gaudiũ eſſe *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui pœnitentia non indigent.*

3. *Angelus cuſtos pia quæque opera hominis ad numerũ reuocat.*

Et vt verbo dicam, mi Chriſtiane. Angelus tuus cuſtos ſemper te inſequitur nũquam à te abit, omnem inceſſum tuum, paſſuſque ſingulos ad numerum reuocat: quidquid agas, actiones ille omnes numerat; precaris tu? voces ille vel ſingulas dinumerat: ſtipem erogas? numerat obulos: flagellis te caſtigas? numerat verbera, ieiuniis te maceras? numerat abſtinentias: luges peccata populi? conſiderat hoc exactiſſimè Angelus. Ezechiel Propheta amplius dicit, videlicet Deum mãdare Angelo, vt Hieroſolymæ pios lugentes peccata populi ſignet ſigno, *Tau*: *Tranſi*, inquit, *per mediam ciuitatem in medio Hieruſalem, & ſigna tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* hoc eſt, Signo crucis illos ſigna, qui dolore tabeſcunt, quod Deum videant à peccatore deſpici ac conculcari, vt hoc illos à gladio ſecuros præſtet quo latè graſſante, multi conficiemur è populo. Iubet enim alijs ſex Angelis, quorum manus ferro, mortiferiſque telis armauerat, vt ſignatis parcãt, ac prætereuntem hominem inteatum ſequerentur, & quid facto opus eſſet, ab illo diſcerent, & in illos tantum manus extenderent, & per Chaldæos occiderent, quos non ſignatos deprehenderent. Cæterùm quoties tentationes carnis vincis? numerat Angelus victorias: carnem cilicio domas? numerat horas: animum piâ meditatione inſtruis? hic vel puncta horæ dinumerat: mentem confeſſione purgas? hîc ille dies numerat: legis demùm, ſcribis, laboras? nec hîc ille ſuum numerandi munus negligit; modò tu Deo laudando legas, ſcribas, labores, aut aliud quippiam in honorem Dei facias. Id planiſſimè indicat hoc loco Angelus, cùm dicit Tobiæ. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, &c. ego obtuli orationem Domino.* Preces obſeruauit lachrymis irroratas, mortuorum etiam ſepulturam, & quæcumque in eum finem pietatis opera exercuit Tobias. Profectò opus erat ſummæ pietatis, illo rerum articulo mortua corpora humi condere, illiſque honores exhibere parentales, præſertim relicto prandio, cùm alios deterrerent ſæpè ab hoſte violento intenta pericula, quæ in contemptum religionis minabatur. Vide dicta Sect. 37. in cap. 1. huius hiſtoriæ. Illis adde verba S. Cypriani epiſt. 68. quibus taxat Martialem, quod filiis, exterarum Gentium more, apud profana ſepulchra depoſitis & alienigenis conſepultis apud Iudicem Ducenarium idololatriam profeſſus ſit: inſinuans initũm fuiſſe idololatriæ, profanis ſepulchris filios condidiſſe, & apud alienigenas depoſuiſſe: *Martialis quoque*, ait, *præter gentilium turpia & luxuria conuiuia: & collegia diu frequentata, & filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana ſepulchra depoſitos, & alienigenis conſepultos; acta etiam publicè habita apud procuratorem Ducenarium obtẽperaſſe ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit.* Pamelius annot. 25.

Olim idololatrarum erat, fideliũ corpora condere in Gentilium ſepulchris.

Mauden in Tobiam.

illo loco taxat eos, qui nullam differentiam ponunt inter sepulchra: *Est autem*, inquit, *locus insignis contra eos, qui nullam habent sepulturæ curam, sed quibus perinde est, sive apud hæreticos, sive apud Catholicos, immò sive in terra consecrata, sive foris sepeliantur. Nam vocando sepulchra illa profana, satis insinuat, in ecclesiarum locis sacris fuisse, in quibus sepelirentur fideles, quæ κοιμητήρια à Græcis nuncupantur* Ἀπὸ τῆς κοιμᾶν, *quod est dormire.* Et paulò pòst: *Certè cœmiterij, in quo passus & sepultus est Xistus Pontifex, meminit Cyprianus epistola penultima, & Pontilius in vita Cypri. Sua etiam ætate conqueritur Opt. Milevit. à Donatistis (lib. 6. contra Parmen.) fuisse occupata, ita vt non permitterentur in illis sepelirì corpora Catholicorum.*

Cœmiteria vnde, & quis vsus.

4. Porrò Angelus addit quod illo tempore, quo sepeliebat mortuos, obtulerit orationem eius Domino; quasi diceret: Cùm relicto prandio Dei causam ageres, curam tui gessi, & diuinæ Maiestati obtuli preces tuas cũ maximũ ex bonis operibus haberent pondus.

Dices, ad quid opus est, vt Angeli preces nostras offerant, & sistant Deo? Nunquid illi omnia nota & aperta? Nunquid aliquid illi occultum? Minimè? Quæ ergo vtilitas in hac precum oblatione? Paucis tam expedio. Deo notas esse mortalium preces, nemo ambiget: ex ea parte non opus esse, vt ab Angelis offerantur, manifestum est. Verùm ob altas causas id ponderandum est. Primò quia Deus ad maiorem suæ potestatis, & bonitatis demonstrationem, & gloriam, Angelos fecit administratorios Spiritus. Apertè hoc dicit. Hebr. 1. *Nonne*, inquit, *omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Quibus verbis insinuat Apostolus, ex omnibus ordinibus mitti ad nos Angelos, & res nostras curare. Hoc Angelorum munus esse pronuntiat Bernardus: *Credimus*, ait, *Angelos sanctos adstare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum.* Sed requirit preces istas esse iustorum, vnde subiungit: *Vbi tamen sinceræ, & discretione leuari puras manus perspexerint.* Et confirmat præsenti loco Tobiæ: *Probat*, inquit, *hoc Angelus ita loquens ad Tobiam: Quando orabas cum lachrymis, & sepelichas mortuos, & derelinquebas prandium tuum: & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepelichas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

5. *Angeli cur sint administri hominũ apud Deum.*

1. *causa.*

Munus Angelorum est, hominum bona acta Deo offerre. Serm. 7. in Cantica.

D. Augustinus ad rem nostram tria asserit de Angelis. Primò, Angelos venire ad nos de cœlorum habitaculo. Secundò, hoc eos facere, vt nos inuisant, bona consilia suggerant, opem & præsidium ferant. Tertiò, eos ad hoc faciendum impelli charitate, qua Deum, nos, & seipsos diligunt. Et ne dubites de mente ipsius Augustini subijciam verba ipsius, quæ habet lib. 2. Meditat. cap. 3. Sic enim ait: *De excelso cœlorum habitaculo ad consulendos, visitandos, & ad adunandum nos attrahit supereminens charitas Angelos: propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum vtique cum tã tra erga nos pietatis viscera, ipsi quoque, vt deo unum esse, unamur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem admirantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.*

Verùm enimuerò Patrum testimonio opus nõ est, cùm S. pagina etiam alibi declaret Angelos in hoc esse administratorios spiritus. Sic pronũciat S. Ioannes c. 8. Apoc. cùm ait: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum; & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incẽsorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Manifestè alludit ad altare quod erat ante Sancta Sanctorum; quod altare thymiamatis, siue incensi dicebatur, in quo thura, & aromata incendebantur, vt legimus Exod. 30. dicitque Angelum habuisse thuribulum aureum quale ferebat summus Sacerdos, vt igne delumpto ex altari imponeret aromata, id est, orationes sanctorum: *Et data sunt incensa multa*, confecta, & compositæ ex orationibus sanctorum. Sicut enim thymiama ex varijs aromatum generibus cõficiebatur, ita eiusmodi incensa ex variis sanctorum orationibus compositæ sunt: ita vt sensus sit, datum esse Angelo thuribulum, vt in illud, eiusque ignem conijceret thymiama confectum ex variis orationibus, & desiderijs sanctorum perentium euerti in regnum peccati, impietasque puniri, vt deinde illud imponeret ipsi altari thymiamatis, ibique illud Deo per suffitum adoleret, & offeret, easque sic oblatas Deo gratissimas esse, indicant verba sequentia: *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* id est, orationes Sanctorum ascenderunt ad eum, offerente eas Angelo, quæ ab ipso exaudite sunt. Oratio enim assimulatur incenso; vnde rogat Propheta Regius: *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.*

6.

Vt ergo officio suo faciant satis, offerunt Angeli preces nostras Deo; Secundò vt eadem reddant nobis efficaces. Inde enim altari assistere dicitur loc. cit. Apocal. Et toties fidelium legitur adstitisse oblationi, vt Iud. 13. vbi dicitur de oblatione Manue, cui promiserat Angelus filium Samsonem: *Cumq; ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter ascendit in flamma.* Sic Luc. 1. apparuit Angelus Domini stans à dextris altaris incensi, cùm Zacharias offerret thymiama. Sic locis supra citatis Angelus sacrificus adstitit, vti & in nouo Testamento celebranti: vt & ipse

7. *Angeli offerendo nostras preces facimus efficaces.*

populo

populóne Sacerdoti pró populi salute facienti suppetias ferat, eorumque preces, apud Deum exaudiri faciat. De quare præclare Chrysostomus homil. 3. contra Anomæos: *Tempore illo in fratrem charissimè, non solùm homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam angeli Domino genua flectunt, & archangeli rogant, habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines vanos oleorum gerentes inuenere reges confugerunt; eóque arborum genere misericordiam commemorant & humanitatem: sic Angelorum pro vanis oleagnis corpus Domini ipsum protendentes, vt gant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obieris, immanem in cruce effluxeris: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolatum.* Exempla exarant plurima, quorum ia-Celebranti Angelus adstat, & quare? ctificiis Angelus astitit, & celebrantibus apparuit, videlicet S. Basilio, Chrysostomo, Gregorio, & aliis. Angelus verò Raphael, qui preces Tobiæ Deo obtulit, specialem hanc curam Tobiæ gessisse videtur, quòd patronus esset, & custos eorum, quos ex decem tribubus hostis victor in Assyriam abduxerat, quèadmodum Angelus Gabriel custos fuit illorum, qui postea è duabus tribubus apud Chaldæos exularunt, vt videre est Daniel. 10.

8. Moralis. Quo fine proximi actiones observare debeamus.

Hæ cantæ sunt, ob quas Angeli rerum nostrarum sollicitæ, actiones nostras & preces obseruant. Nos autem non sic; vel enim obseruamus actiones proximi ob commodum nostrum, quemadmodum solet pater familias, cùm ponit alicubi pecuniam, vt obseruet an aliquis de familia furto inhiet, eóque cognito maiora incommoda euitet; aut cùm aliquis in matrimoniis oblatis, & officiis mortes nupturientium & prætendentium acutè inuestigat, vt exploret, quid vtile factu: Et hic modus obseruandi licitus est. Alij, quod iniquum est, vt iustum vexent, eiusque requiem perturbent, obseruant singulas eius actiones; quod vetat Hebræus Sapiens: *Ne insidieris*, inquit, *& quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius: septies enim in die cadet iustus, & resurget.* Prouerb. 24. Alij vt ad peccandum pertrahant, quemadmodum videre est Daniel. 13. vbi duo senes iudices Susannam obseruabant quotidie sollicitiùs, vt explere cum ea possent libidinem. Alij rursum, cum animo nocendi, proximorum actiones obseruant, aliaque faciunt quæ non conueniunt. Sic Absalon inuitauit Amnonem fratrem ad conuiuium, vt eum interficeret: Præcepit enim pueris suis, dicens: *Obseruate cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite. Nolite timere: Ego enim sum, qui præcipio vobis. Roboramini, & estote viri fortes.* Quod ita factum est, 2. Reg. 13. Sic Nabuchodonosor obseruauit Zedechiam, Regem Iuda, aliosque principes à se captos, eosque inebriauit, hoc fine, vt ebrij & vino æstuantes discingerent tunicas (femoralibus enim non vtebatur Hebræi & Chaldæi) suas, itaque veranda sua nudarent, vt hinc ratione & probro eos illuderet, omnibusque conuiuis ridendos proponeret, vti Noe ebrius illusus est à filio Cham, Genes. 9. 22. Quod in Nabuchodonosore redarguit Propheta Habacuc, cap. 2. *Væ*, inquit, *qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians vt aspiciat nuditatem eius.* Chaldæis enim in conuiuijs vsitatum fuit aliorum se crapula, nuditate, ac fœditate, quàm pars esset splendidæ mensæ, oblectare. Sic obseruabant Christum Dominum Pharisæi, in domo cuiusdam Principis Pharisæorum inuitarum sabbatho manducare panem, num aliquid in illo deprehenderent contra legem, ex quo mortis reus fieret. Quod notandum reliquit Euangelista Lucas cap. 14. cùm ait: *Et factum cum introisset IESVS in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem & ipsi obseruabant eum*, suo vtique malo. Audi Prophetam Regium Psal. 36. *Obseruabit*, inquit, *peccator iustum*, Attentè respiciet peccator omnes actiones iusti vt inueniat aditum ad eum perdendum. *Et stridebit dentibus suis super eum*, id est, instar famelici canis desiderabit interitum eius, ac præ iracundia, & indignatione dentibus frendebit. *Dominus autem irridebit eum*, id est, Dominus, qui omnia prospicit, & in cuius manu sunt omnia, ita vt non cadat folium in terram, nisi ipso iubente, vel permittente, *irridebit eum. Quoniam prospicit, quòd veniat dies eius*, id est, irridebit eum, quoniam videt instare diem interitus eius, & illum ante rapiendum, quàm iusto nocere poterit.

9. Dæmon obseruat hominum iniquas actiones, & quo fine?

Attende ergo, mi Christiane, quid facias, quò vergas, cùm proximum malo fine obseruas. Similis es demoni, quia animabus hominum insidiatur. hic extorris cœlo ciuis, æquè atque tutelaris Angelus, in suos pugillares refert omnia quæ facis, dicis, cogitas. Si iuras aut peieras, verba; si lasciua loqueris, syllabas; si fœda, meditaris, cogitationes; si rem diuinam neglegis, horæ quadrantes: quàdo demum peccato lethali te maculasse etiam momenta numerat, dum momentum illud veniat, quo te inimicum Dei, exhæredem cœli, Diuorumque hostem, in suum regnum casu irrenocabili præcipites, vt Deo insultet, qui te precioso suo sanguine redemit: Scitè admodum Cyprianus de Opere & eleemosynis: *Ponat vnusquisque, ante oculos suos diabolum cum seruis suis, id est, cum populo perditionis ac mortis in medium prosilire, plebem Christi, præsente & iudicante ipso comparationis examine prouocare dicentem: Ego profui, quos mecum video, nec aliquis*

accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis & cruoris redemi: sed nec regnum illis cœleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuò reuoco; & munera mihi quàm pretiosa, quàm grandia, quàm nimio & longo labore quæsita sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris comparatione, vel venditis; ac nisi edito honesta successerit, conuicijs ac sibilis eijciuntur, & furore populari nonnunquam pæne lapidantur? Tuos tales munerarios Christe demonstra præceptis tuis monitos, & pro terrenis cœlestia recepturos, illos diuites, illos copiosis opibus affluentes.

SECTIO. VIII.

Quare Angelus subiungat hæc verba: Quia acceptus eras Deo, necesse erat, vt tentatio probaret te: *quænàm illa necessitas?*

1. ANGELVS Raphael postquam reuelauerat Tobiæ suas preces, lachrymas, ieiunium, & sepulchralem operam, Deo gratas fuisse, & ab ipso eidem oblata, subijcit: *Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Quænam hic connexio? Breuiter tibi pandam. Sciebat Angelus viros sanctos cum Deo familiariter expostulasse, cur impij fortunati viuant, & commodis affluant, nec eis accidat quidquam aduersi, viri tamen iusti assiduis exerceantur infortuniis, & improborum maledictis, & ludibrio pateant; quemadmodum videre est Iob. 21. *Quare impij viuũt, subleuati sunt, confortatiq; diuitijs?* Regius Propheta eandem difficultatem obijcit, Psal. 72. Ieremias cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prænaricantur, & iniquè agunt.* Habacuc pariter queritur cap. 1. de Iudæorum prauitate, quod scilicet nullus apud eos iuri & rationi sit locus, sed impunè dominetur opum, honorisque cupido, ideoque iniustus prævaleat aduersus iustum, & egrediatur iudicium peruersum. Hæc probè nouerat Angelus, & ne idipsum percunctaretur Tobias, tacitæ eius obiectioni primus occurrit, quasi diceret: Fortè dices ô Tobia, Si meæ preces, aliaque pia opera Deo fuêre accepta, cur hactenus tot grauibus obruor incommodis, & afflictionibus? cur nullum à Deo solamen? sed respondeo; quòd hactenus aduersâ fortunâ premaris, non pœna, non damnum, sed maximum Dei erga te beneficium æstimandum est, qui sibi dilectos filios hic in paucis vexari vult, vt postea eos maiori donet præmio. Quod mihi verosimilius videtur, quòd Angelus ille, qui apparebat Danieli post preces & ieiunia similiter eius tacitæ cogitationi prævenerit. Dixerat enim illi post trium septimanarum preces: *Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos*, propter preces tuas exauditas à Deo. Et immediatè pòst subiungit: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus. Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum: & ego remansi ibi iuxta Regem Persarum.* quasi dicat. Dices mihi, ô Daniel, Si oratio mea, die primo fuit exaudita, vt modò dixisti, cur ergo illicò ad me non venisti? cur exspectasti ad tres septimanas? Aperiam tibi causam: Viginti & vno diebus tui impeditus. Cùm enim ego instarem apud Deum, vt Iudæos omnes è Babylone in patriam reduceret, ne Babyloniorum idololatriâ & vitijs inficerentur; vtque vrbem & templum restaurari curaret iuxta promissa suas vt tibi piè, securè, & quietè seruirent Deo Iudæi (quod tam instanter & assiduè, mi Daniel, postulaueras, cùm templi fabricam anno primo Cyri inchoatam, sed anno secundo eiusdem propter hostes interruptam & inhibitam fuisse intellexisses) & insuper allegarem merita Abrahæ, Isaac, Iacob, Moysis, preces Ieremiæ, Ezechielis, Nehemiæ, Iesu, & aliorum tum viuentium, maximè tuas, ô Daniel; Angelus Persarum regioni præfectus è cõtrario orabat, vt Deus aliquos Judæos in Babylone relinqueret, ad Babyloniorum & Persarum conuersionem, vtque illi à Iudæis vnum verum Deum, eiusque cultum discerent, illudque Iudæis esse vtile, vt pote qui aduersis, meliores fierent; verùm Michael primus Ordinis Archangelorum causam meam iuuit, tum quia præpositus erat Hebræorum, tum quia meliorem causam tuebar. Iam enim effluxerant 70. anni captiuitatis, quibus elapsis promiserat Deus Iudæos Babylone liberare. Adhæc remansi iuxta Regem Persarum, vt scilicet Cyrum, & Cyro ad bellum Scythicum abeunte, Cambysem eius filium flecterem, eosque Iudæis benevolos redderem: adeoque ita causam Iudæorum apud Deum egi, vt eandem quoque egerim apud Regem Persarum, à quo post Deum Iudæorum liberatio pendet. Hãc rationem tacitæ obiectioni Danielis opposuit Angelus, qui vers. 20. dicit se reuerti, vt præliaretur aduersus Principem Persarum, donec videlicet à Deo auditis vtriusque rationibus definitiuam sententiam pro Daniele & Hebræis impetret. Licet enim concertarent quique pro sua gente, tamen absolutè se in voluntatem, & sententiam Dei refugnabant: Quemadmodum Aduocati apud Iudicem, forense agentes bellum, dum vnus reum capitis ad necem adigere, alter eripere, & defendere conatur in Iudicis decretũ se refignant.

Angelus tacitæ Tobiæ obiectioni præuenit.

Probatur exemplo

Angeli Danielis cap. 10.

resignant. Eodem modo ergo cum Tobia agit Angelus Raphael, cùm rationem suarũ afflictionum inquit esse, quod acceptus esset Deo, quem proinde necesse esset, per tentationem probari.

2. *Multiplex est necessitas.*

Sed quæ, inquies; illa necessitas? Si peccatores forent, illi tentatione indigent, vt præterita peccata deleantur, aut vt grauiora impediantur. Sed quænam pro iusto necessitas? Apud Theologos multiplicem reperio necessitatem; prima est necessitas medij, qua omnibus necessaria est explicata fides de Christi Incarnatione, passione & morte, resurrectione, ac sanctissima Trinitate, si velit saluari: *Hæc est*, inquit Ioannes, *vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM*, Ioan. 17. Altera est necessitas præcepti, qua necessaria est confessio peccatorum, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, Luc. 19. Et *quorum remiseritis peccata, remissa sunt*, Ioan. 20. Item communio, de qua Christus Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Tertia necessitas est finis, de qua dicit Apostolus 1. Cor. 11. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sint, manifesti fiant.* q. d. Sicuti propter multorum fidelium imperfectionem oportet esse dissidia de rebus minoribus; ita propter quorumdam malitiam, & animosam pertinaciam oportet permitti dissensiones in doctrina fidei: vt qui probi, integri, ac sinceri sunt in fide, manifesti fiant in Ecclesia, dum sectis se non iungunt, nec ab vnitate recedunt, quamuis tentati multorum exemplis, sed fidei sinceritatem cum charitate retinent. Nam teste Augustino, *Melius iudicauit Deus de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* Itaque indicat Apostolus, non quis finis sit ipsarum hæreseon, sed in quem finem Deus illas ordinarit, non excitando, sed permittendo, vt magnum aliquod bonum ex eis eliciat. Sic inquit Euangelista Matthæus cap. 18. *Necesse est, vt veniant scandala*, videlicet ex præsuppositione, seu spectata hominum inconstantiâ, superbia, & malitia, qua à peccatis sibi cauere nolunt. Quod D. Thomas hac similitudine illustrat: *Sicut enim*, ait, *si aliquis medicum videns aliquos indebitâ dietâ vtentes, dicat: Necesse est tales infirmari: quod intelligendum est sub hac conditione, si dietam non mutent: & similiter necesse est euenire scandala, si homines conuersationem malam non mutẽt.* Necessitas alia est, quam hic ponit Angelus, quia acceptus erat Deo, quia Deo gratus, quia pius, quia iustus, & cælo natus.

3. *A Deo amatur, qui tentatur.* Act. 14

Mirum dictu: Hoc signum esse, à Deo prædestinatum, esse dilectum: Audi Apostolum: *Nemo*, inquit, *coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Audi D. Lucam, *Per multas*, ait, *tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei.* q. d. Tantum abest, vt res aliquibus insolẽs, nouaque accidere debuerit, Pauli lapidatio, vt ipsosmet paratos esse oporteat, si præmiũ æternę beatitudinis consequi velint, non pauca, & leuia ferre, sed multas tribulationes, *Omnes qui piè volũt viuere in* CHRISTO IESV, *persecutiones patientur*, scribit idem Apostolus Paulus Timothæo, 2 epist. cap. 3. reuocans illi in memoriam ipse, quam multa toleraſſet, ibid. v. 11. Imò Luc. dicit c. vlt. *Christũ oportuit pati et intrare in gloriam suã*, iure iam illi alio debitum.

4. *Quo quis iustior, eo tẽtationibus locupletior.*

Hæc est legis Euangelicæ conditio liberalis, ac ingenua, in ipso primo ingressu planè, & clarè denuntiare tolerantiam rerum arduarum, experientiam incommodorum, nõ polliceri suauia, non blanda proponere, non spe falsâ illectos decipere. Quò quis iustior, hoc tribulationibus locupletior: *Multæ enim tribulationes iustorum*, Psal. 33. Non habuit Machabææ gentis auctor Mathatias iam moriturus ad confirmandos in tribulatione positos aptius argumentum, quam vt respicerẽt maiores, & eandem inisterent viam, quam suo illi exemplo triuisſent, 1. Machab. 2. Eodemque argumento vsa est Iudith in sua illa plusquam virili concione cap. 8. Quid dico? Non solum exempla, sed & ipse Hebræus Sapiens, planissimè ostendunt in veteri Testamento hanc solam fuisse viam ad gloriam. Sic enim de iustis loquitur: *In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se.* En fructus tentationis, quæ nos dignos efficit Dei amicos, consummatos, & perfectos. Propterea Siracides neotericum fidelem sic admonebat: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Appositè Bernardus Serm. 64. in Cant. ad verba, *Capite nobis vulpes parulas: Vulpes*, inquit, *tentationes sunt, necesse est vt veniant tentationes, quis enim coronabitur nisi qui legitimè certarit, aut quomodo certabunt si desit qui impugnet. Tu ergo accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem, certus, omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem passuros* hæc Bernardus. Similia Gregorius serm. 63 in Cant. *Bona vinea iustus est, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui linguæ torcular expressionis: cæterùm tali vineæ numquam infestationes, numquam insidiæ deerunt, nempe vbi multæ opes, multi & qui comedunt eas.* Et de Christo Hieronymus sic ait, in cap. 4. Matth. *Nisi enim ieiunare cepisset, tentandi occasio non fuisset diabolo secundum illud: Fili accedens ad seruitutem*, &c. Ad diem respexisse videtur Tertullianus lib. de baptismo, *Ipsum*, inquit, *Dominum post lauacrum statim tentationes circumsteterunt quadraginta diebus ieiunio functum.* Verissimè igitur S. Chrysostomus in epistol. 2. ad Titum cap. 3. *Impossibile est vt qui malo indixerit bellum, pressura*

Vnica via ad gloriam cælestem, est tentatio.

Eccles. 2.

careat ne fas ſit pugilem Dei vacare delicijs, non licet epulari luctantem; luctamen enim ſunt preſentia omnia, certamen, bellum, preſſura, anguſtia, ſtadium: aliud eſt quietis tempus, hoc arumnis deputandum eſt atque ſudoribus.

5. *Act.19. Paulum dicitur vas electionis, & quare.*

Cùm Ananias ad Paulum à Deo mitteretur, vt ab eo erudiretur, obijciebat ei Ananias: *Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Hieruſalem, & hic habet poteſtatem*, &c. ſed reſpondit Dominus: *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus, & filijs Iſrael: ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, quaſi dicat. Vis ſcire vnde ſit vas electionis, id cognoſces, quòd portando nomen meum coram Gentibus & Regibus, multa, magnaque pro me generosè & conſtanter patietur, quæ illi per internam inſpirationem ſuggeram, & prædicam, vel per Prophetas enunciabo (vt cap.11. per Agabum, prædixit ei vincula, quæ tum paulò poſt ſubijt Hieroſolymis) quin etiam per experientiam quotidianam, cùm quotidie nouas & maiores eum faciam ſubire, & experiri perſecutiones & cruces, quas ipſe exprimit 2. Cor.11. *Hoc in legale eſt*, inquit Rupertus, *apud cæleſtem Regem, vt ſicut ipſi Pater, ita nobis ipſe diſponat in regno premium permanentibus cum illo, in tentationibus eius, vt ſi ſuſtineamus, conregnemus, ſi compatiamur, conglorificemur; ſi amarum calicem bibamus, confideamus in regno; ſi configamur cum Chriſto cruci, ſauum mellis deguſtemus*, vt ait Tertullianus de corona militis, cap.14. *Si decuſſata*, inquit idem lib. de Baptiſmo cap. 8. *in modum crucis Dei ſuper nos manus fuerint, benedictionem ſortiamur.* Hinc ſuos animat Iacobus Apoſtolus dura paſſuros his verbis: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.*

In cap.2. Apocal. Luc.22. 2.Tim.2. Rom.8. Matth.10. Iacob.1.

6. *Commoda tentationū. Tentatio eſt cos virtutis.*

Tentatio eſt enim cos virtutis, mentis induſtriam, Deique amorem exacuans perinde ac cos acuit aciem gladij: Quapropter S. Leo ſerm. 1. de Quadrag. *Nulla ſunt ſine tentationum experimento opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fides, nullum ſine hoſte certamen nulla ſine congreſſione victoria. Si volumus ſuperare, pugnandum eſt.* Illuminat mentem Hominis, *Qui enim non eſt tentatus*, inquit Siracides, *quid ſcit vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non eſt expertus, pauca recognoſcit: qui autem in multis factus eſt, multiplicat malitiam. Qui tentatus non eſt, qualia ſcit? qui implanatus eſt, abundabit nequitiâ.* Eccleſ.34. Qui amore ſapientiæ varijs periculis & laboribus non eſt probatus, is aut nihil aut parum ſcire poteſt. Qui multo ſtudio, peruagatione regionum, & audiendo doctus, multam ſibi collegit experientiam; is multa apud ſe cogitabit, occaſionem habet magnam multa & varia cogitandi: & qui ſic multa & ab alijs didicit, is enarrare poterit alijs intelligentiam. Contrà, qui non eſt expertus varia, is pauca cognoſcit. Eodem modo ſe res habet cum fideli tribulationes non experto. Opus eſt ad notitiam ſui experimento. Nemo ſciet quid poſſis, ne tu quidem ipſe, ſi nullam tibi difficilior caſus det occaſionem. Quouſque tubæ ſonitus progrediatur, tunc ſciri poteſt cùm tuba inflatur. Piper integrum quàm ſit odoriferum, tunc ſentitur cùm teritur. Teſtudo aut chelys, quàm correctas habebat fides, tunc cognoſcitur, cùm manus aut pecten admouetur. Quàm patiens fuerit Iob, fuerit Tobias, alij tentatio manifeſtum fecit. Ægrotorum plurimi ea patiuntur, quæ ſani nunquam credidiſſent ſe pati poſſe. Sed & hoc patiendo diſcimus, quàm tenuis & exigua ſit noſtra patientia. Facile cuiuis eſt patientem ſe gerere, cùm quod patiatur non habet. Ieiſæus rex ſeipſum arguens: *Ego dixi*, ait, *in abundantia mea, non mouebor in æternum. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Pſalm. 29. Tam imbellem ac timidum Petrus ſe nunquam credidiſſet, niſi tam miſerabili lapſu corruiſſet. In cænaculo magnificas ſparſit voces: *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo; etſi omnes ſcandalizentur; non ego.* Sed paulò poſt qui eſſet didicit. Hanc ob cauſam Siracides hortatur: *Fili, in vita tenta animam tuam, & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem.* Eccli. 37. Quod idem eſt ac ſi dicat, Periculum fac propriæ conſcientiæ, dum es in hac vita, & explora affectum animæ tuæ. Si inueneris eam vitijs deditam, non des illi poteſtatem faciendi, quod deſiderat, ſed refræna & cohibe eam.

Tribulatio, ſeu aduerſitas probat hominem.

Similis.

Exempla.

Denique hominem virtutibus illuſtrem deprimit, & in humilitate, Deique timore continet, ne in ſuperbiam erectus, omnia ſecum perdat. Ita Paulus: *Ne magnitudo*, inquit, *reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* 2. Cor.12. verſ.7. & Eccleſ.cap. 2. *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino tribulationis.* Præclarè S. Gregorius lib.2. Moral.cap.37. *Mira*, ait, *hoc nobiſcum diſpenſatione agitur, vt mens noſtra culpæ nonnunquam pulſatione feriatur. Nam eſſe ſe magnarum virtutum homo crederet, ſi nullum vnquam earundem virtutum defectum intra mentis arcana ſentiret. Sed cùm tentatione irruente quatitur, & quaſi vltra quam ſufficit, fatigatur, ei contra hoſtis ſui inſidias munimen humilitatis oſtenditur, & vnde ſe pertimeſcit enerviter cadere, inde accipit fortiter ſtare.* Ita videmus ſubinde viros doctos, & virtute eminentes pulſari tentatione puſillanimitatis, vtique prouido Dei con-

Tentatio hominem in virtutibus continet.

consilio, ne scientia more suo eos inflet, ne virtus extollat.

7. *Quo tribulatio grauior, eò quis dilectior.*

Et quo maior est tentatio, eiusque perpessio, eo diuinior quis existit: quapropter tantum abest, vt ereptio à tribulatione sit Dei filiationis signum, quin potius derelictio in illa, cùm patientia sit talis filiationis argumentum: *Quia acceptus eras Deo*, Sancto Tobiæ dixit Angelus, *necesse fuit, vt probatio tentaret te.* Tentatus ergo, quia acceptus, ergo signum acceptionis experimentum extitit tentationis, non equidem quomodoliber, sed grauissimæ, mortis periculi, bonorum expoliationis: tandem cæcitatis: quod homines non intelligentes carnales, inde ipsi argumentum Dei derelictionis assumpserunt, vnde Dei Angelus dilectionis: nam cognati, eiusque parentes, sacer inquit textus, improperabant ei, dicentes: *Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas?* Immò cum eis se adiungens vxor similiter exprobrans illi aiebat: *Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosyna tua modò apparuerunt*, cap. 2. ex tribulatione, seroque Dei auxilio arguentes Tobiam Dei filium non esse, quia non eripiebatur à tentatione, sed in manibus derelinquebatur inimicorum, non considerantes miseri, vt inquit Hieronymus in epist. ad Virginé quamdam in exilium missam, tom. 4. *Quod arborum ipsa, tanto numerosiore grauantur fructu, quanta acerbioris frigoris violentia reprimuntur, cùm praecoces flores opportuna castigatio refranando, ad periculum festinare non patitur, & vtile impedimentum prunæ, quod reprimit, non obsecat, sed includit.*

Tobias Deo charus quia non citò à tribulatione eripitur.

8. *Nemo Sanctorum à tentatione immunis.*

Et vt paucis expediam; nemo sanctorum à tentatione immunis. Numera mihi ab Orbis incunabulis omnes Dei amicos, & in omnibus hanc prædestinationis notam reperies: *Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se.* Abraham decies tentatus variè exercetur, & affligitur. Moysen Deo vocanti obtemperantem, & aulâ egressum glomeratâ clade inuaserunt paupertas, ignominia, contemptus, insidiæ Regis, pericula mortis, fuga, exilium; *Electos Dei*, inquit Gregorius, *cernimus & pia agere, & crudelia pati.* Dauid à Saule durissimè prosecutus, à filio iniquissimam patitur rebellionem; à Semei maledicitur, vir Belial, & sanguinum vocatur, Isaias de stemmate regio ignominiosè ad populi salutem iubetur nudus in publicum prodire, secari ferrâ medium pro mercede contingit; Ezechiel elisso cerebro per saxa raptatur, lapidatur Hieremias, Michæas gladio feritur, Amos secundum tempora clauo transfigitur, Naboth saxis obruitur: Elisæus deridetur, Iob vlcerosus, etiam conspuitur, Tobias noster excæcatur, Susanna innocens damnatus, paucos dixi, & quid malorum, non subijt Paulus? Apostolorum cæteri flagellantur, crucifiguntur, necantur, Apostolo teste, *Lapidati sunt*, nempe viri fideles & iusti, *secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Nemini suorum parcit Deus, quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnē filium, quem recipit, omnē, omnem. Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo Iesv, persecutionem patientur. Si quis innocēs Abel in Adami familia, occiditur; si quis in ædibus Iacob, obsequens Ioseph, in foueam deijcitur, exteris vēdītur, in carcerem detruditur; si quis feruidus Elias, in exiliū pellitur, fame cruciatur; si quis pius Daniel, ad leones damnatur; si quis patiēs Iobus à diabolo flagellatur; si quis sceleris purus Baptista, in Herodis vincula trahitur; si quis ardens amore Petrus, ad Neronis gladium rapitur. Euolue sacra oracula à primo Geneseos ad vltimum Apocalypseos caput, nil pœnè crebrius spectabis, quàm proborum calamitates. Ite, mortales, per cuncta retrò secula, sacram profanamque historiam omnem peruestigate, nusquam non lachrymas sanctiorum hominum deprehensuri.

Hebr. 11.

Hebr. 12.

2. Timoth. 3.

At hoc *habet pro certo omnis qui te colit* (ô Deus) *quod vita eius si in probatione fuerit, coronabitur, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum, exultationem infundis.* Tobiæ 3.

9. *Non esse ægrè ferēdā tentationes, & quare.*

Verùm apud nos hæc somnia sunt; signa hæc amoris & filiationis odimus, amatorias hasce litteras respuimus. Bonorum vitam tribulationibus abūdare, liberè taxamus. Querula ista vox à multis auditur. Ecquis virtutem colat, cùm tamen misera sint virtutis præmia? In vinculis gemit Ioannes Baptista, Herodes inter delitias tripudiat, Lazarus fame moritur, opulentus ille Lazari carnifex in purpura quot diebus splendidè epulatur. *Multa tribulationes iustorum*, Psalm. 7. multæ prorsus, multæ. Et quoties, vanè lamentamur cùm affligimur; quoties puerilem in modum queritur, ac ad omnem penè ictum trepidi expauescimus, nec agnoscimus paternam Dei & medicam manum vulnerantis; cùm tamen & pueri sciant, vulnus quod à chirurgo est, medicamentum esse & initium valetudinis: vt medeatur & sanet, vulnerat Deus, non vt iugulet. testis horum beatus Petrus: *Si quid patiamini*, ait, *propter iustitiam beati: hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati sufferetis: sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Imò Seneca vir gentilis apertè pronūtiat lib. de prouid. Dei. *Nihil eo infelicius, cui nihil euenit aduersi argumentum est talem à Deo contemni*

1. Pet. 3. Constituit à Deo, qui sine tribulatione vitam.

temni vt imbellem & ignauum. Et Ludouicus Blosius planissimè affirmat cap. 8. Instit. spirituał. *Non est vllum certius signum diuinæ electionis, quàm si quis afflictionem, vel quidquid à Deo aduersorum immittitur, non tantùm non repugnanter, sed submissè atque patienter sustineat, cùm hominis vtilius nihil eueniat, quàm affligi. Si exceptus es*, inquit Augustinus, *à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Nolis, inquit Gregorius in Iob. 5. *esse iniquo sensu & puerili, vt dicas: plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult, quàm me, quia si me moueo contra eius iussionem flagella inuenio. potius gaude sub flagellis, quia tibi seruatur hæreditas illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit.* Deus cùm amicissimis ita agit? Aut enim quod illis charissimum est, aufert, aut quod frequenti prece, postulatum est, negat. Vni delitias, & in quo maximè gaudet, tollit exercitij causa: alteri quod summis precibus flagitauit, negat, quemadmodum Paulo petenti, vt tolleret à se stimulum carnis. Tertio etiam amicissimo, morbum, infirmitatem, vel cæcitatem immittit, atque sic ipsum cor hominis configit.

10. *Proprium iustorũ est, tentatione probari.*

Et hæc gratia, hoc Dei præmium est. Sic Angelus Tobiam hîc solatus: Quia, inquit, acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. Perinde si dixisset: Vbi virtus, ibi & virtutis præmium afflictio. Afflictus est, quisquis Deo charus est. Hoc iustorum esse olim dixit magnus ille athleta Iob, cùm refellit Eliphasis calumniam, qua putabat eum propter sua peccata, à Deo tam vehementer affligi. Asserit enim id omnibus hominibus commune, & ab ipsa haustum natura, vt assiduis afflingantur incommodis, neque quietem habeant vllam à laboribus, nisi in morte: *Militia*, inquit, *est vita hominis super terram.* Septuaginta pro *militia* reddunt *tentatio*, quæ non minus significanter explicat humanæ vitæ casus, atque discrimina, quàm militiæ nomen: idemque est ac si dicat, non deesse homini iusto in hoc mortali statu afflictionis materiam, qua ipsius exploretur virtus, atque constantia: perinde atque aurum, quod numquam extraheretur è fornace, vbi ipsius nitor probaretur, & pretium. Ilic autem, qui cum laboribus conflictatur, aut mala fortunâ, militare dicitur. Sic Iobus ipse cap. 14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Et c. 4. *Terrores*, inquit, *Domini militant contra me.*

Iob. 7.

11. 1. Pet. 4.

D. Petrus in primitiua Ecclesia id vsque adeò legitimum declarauit Christianis, vt admirationẽ nõ admittat: *Nolite*, inquit, *peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi nouum aliquid vobis contingat; sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*: Nolite, inquit, admirari, & æstimare rem peregrinam, quod multa aduersa vobis quasi Dei seruis obtingant & ingruant; aut vt Oecumenius explicat, Nolite hoc ab amicis Dei extraneum ducere, cùm hoc eis proprium & glorioſum sit, quod vt aurum igne tribulationis probentur, purgentur & illustrentur, quodque Christo patienti conformentur, vt eidem resurgenti configurentur. Alludit ad illud Eccles. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Sic enim fiet, vt supra modum exiliatis præ gaudio, quando præmium instabit. Tanta enim beatitudinis & gloriæ cælestis est magnitudo, vt cor humanum illam capere nequeat; imò præ gaudio findereture, & rumpereture, nisi Deus illud omnipotenti sua manu contineret, & constringeret. Vnde Propheta Regius in exilio positus ex spe futuræ gloriæ clamauit: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Psalm. 85. & de omnibus iustis pronuntiauit: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*, Psal. 25. Et Malachias Vates c. 4. *Oritur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & salietis, sicut vituli de armento.*

Quanta beatitudo maneat iustos afflictos.

12. *Deus aduersa orditur à iustioribus.*

Absit igitur à te, mi Christiane, absurda hæc cogitatio, quod Deus te non amet, cùm tentat: flagellat enim omnem filium, quem recipit, & à iustiore incipit: *Si vt Christianus*, scilicet patiaris, inquit Petrus, *non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine, quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei*, quasi dicat. Nón debet alicui nouum videri, & peregrinum, fideles præ infidelibus exerceri & affligi: quia Deus vult suam domum & familiam, puta Ecclesiam, & fideles domesticos suos, per tribulationes iustiiudicij libramine examinare, & à peccatis leuioribus purgare, erudire, & perficere: vnde iudicium suum ab eâ inchoat: *Natura comparatum est*, ait S. Basilius apud Oecum. *vt contra eos qui familiarissimi nobis sunt, cùm in nos peccant, indignemur: familiarissimi autem Deo non sunt alij quàm fideles, qui domum Dei, id est Ecclesiam, complent, & construunt*: Isaias Vates idem insinuat, cùm apertissimè prædicit excidium Hierusalem, quam ob munitionem vocat *ariel*, id est, leonem Dei, sic nuncupatum ob templi altare in ea existens, quod Ezech. 43. dicitur *ariel*, quia in altari maximè relucet fortitudo, maiestas, & cultus Dei: *Væ*, inquit Isaias, *ariel, ariel ciuitas, quàm expugnauit Dauid: additus est annus ad annum, solemnitates euoluta sunt*, quasi dicat. Væ Hierusalem, quam à Iebuzæis occupatam expugnauit Dauid, quæ olim vt leæna fortissima frendebat in gentes, illa nunc miserrimè à Chaldæis vastabitur, & postea à Romanis. sicut enim primò eam cepit Dauid cæcis claudis, & cæcis, quos Iebusæi

loci

loci munitioni præſidentes ad deriſionem Dauidis conſtituerant: ita ſecundò, eandem capiet Chriſtus alter Dauid, & Dauidis filius ac hæres, atque per Titum & Romanos occidet cæcos Iudæos & claudos in ſemitis Dei, Chriſti irriſores. Tunc autem euerſa Hieroſolymæ maieſtate, feſta eius erunt euoluta, & ceſſabunt.

Deſundi ſunt peccatores delitijs affluentes.

S. Iuſtinus q. 79. ad Orthodoxos, vt probet iudicium incipere à domo Dei, dat exemplum Ioſiæ Regis Iuda: qui licet pius, cæſus eſt in prælio, vt lueret leuia ſua peccata. & citè admodum Chryſoſtomus homil. de Lazaro: *Vbi*, ait, *videris improbam vitam agentem, nec quidquam acerbi hic patientem, ne putaueris illum beatum, ſed deſide potiùs ac deplora, velut illic (in gehenna) omnia triſtia perpeſſurum, ſicut diues fecit. Rurſus, vbi quem videris virtutis ſtudioſum innumeris affligi moleſtijs, beatum exiſtima, vt qui & hic omnia ſua peccata diluerit, & illic multam habet paratam mercedem, ſicut Lazaro euenit.*

13. *Hæreticis, quamuis prædicent, non eſſe veram Religionem; ſed eis minari æterna flagella.*

Noli itaque animo cadere mi Chriſtiane cùm à Deo viſitaris: ingens enim Dei beneficium eſt, quod ſuos puniat in hac vita, *ne cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat*, 2. Machab. 6. Noli putare ô Hæretice, quod veram Dei fidem & cultum habeas, quod victoriâ, pace, & opibus potiaris; nam dura te in æternum exſpectant flagella: *Si primum à nobis*, inquit, Petrus, *quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?* quaſi dicat. Si Deus ſuos fideles & ſanctos, ita iudicat, id eſt, examinat, explorat, exercet, & affligit, quid exſpectent ab eo infideles, qui vicijs & delicijs affluunt, quis finis eos manet? quæ pœna, quæ gehenna? Hoc Dei in impios iudicium graphicè depingit Sapiens cap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum*, & quæ ſequuntur. *Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Eodem modo argumentatur Hebræus Sapiens Prouerb. 11. *Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator.* Si iuſtus pro delictis caſtigationem recipit, & pœnas peccatorum, quantò magis impius recipiet merita ſupplicia non in terra, ſed in inferno: *Si tanta eſt*, inquit venerabilis Beda, *fragilitas humanæ vitæ, vt nec iuſti quidem in cælo coronandi ſine tribulationibus, propter innumerabilem vitiatæ naturæ labem, tranſeant, quanto magis hi, qui cæleſtis gloriæ ſunt exterres, certum damnationis ſuæ exitum expectant.* Hoc reſpondit amicis ſuis Iob, cùm putarent eos tantùm opibus abundare, & nihil ab hominibus pati aduerſi, qui pietatem ſectarentur; impios verò quoſcumque caſus aduerſos experiri; *Ducunt*, inquit, *in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*, quaſi dicat. Impij etiam ad altiora euehuntur, diuitijs ac voluptatibus abundant, omniaque proſpera experiuntur, lætos ſemper ducunt

Mauden in Tobiam.

atque geniales dies, muſicis ſe numeris oblectant, & organis: ſed cùm omni diffluunt voluptate, ſubitò è viuis tolluntur. Cùm Hieremias quereretur ſe & alios innocentes tot mala pati, impios bonis affluere; reſpondet Deus, vt ſit maiori animo, eum adhuc grauiora paſſurum in Hieruſalem, cap. 12. verſ. 5. ſed ſe tandem eam cum alijs Gentibus grauiſſimè puniturum, & verſ. 14. hoſtibus Iudæorum quoque minatur excidium. Similiter reſpondet Propheta Abacuc. cap. 1. verſ. 5. ſe prauitatem ſupradictam Iudæorum puniturum per Chaldæos, eamque Iudææ excidio vindicaturum: *Aſpicite in gentibus*, inquit, *& videte, admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldeos, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur*, quaſi dicat. O Iudæi, qui eſtis contemptores Dei, & hominum, aſpicite opus horrendum vindictæ, quo ego hunc veſtrum contemptum caſtigabo: adducam enim Chaldæos, qui funditus vos cum Hieroſolyma exſcindent. Ex hac gente, exibit illud onus ferinum, & truculentum, quod tibi denuntio, & illud iudicium, quod tuis peccatis conſentaneum eſt.

14. Audite hæc viri impij, viri infideles, viri hæretici. argumentatio enim veſtra non ſolum vacillat, & claudicat, ſed planè corruit, nullo nititur fundamento. Si enim ex hoc validè quis ſuſtinet, hæreſim Deo eſſe gratã, quod victoriâ, & abundantiâ temporali gaudeant: concludere pariter licebit, Turciſmum, & Ethniciſmum eſſe veram Dei Religionem. eò quòd Turcis & Ethnicis Imperatoribus tot victorias, & Regna conceſſerit, & etiamnum concedat Deus. Valeant hæ ratiocinationes, neque frangat animum iuſti. Patere ô Chriſtiane, & ſuſtine aduerſa tanquam Dei beneficium: Nam æterna prouidentia hominem probum in delitiis non nutrit, ſed aduerſis caſibus ſibi illum præparat, eique perpetuò adeſt. Habes firmam Dei promiſſionem: *Cùm tranſieris*, inquit Iſaias Vates, *per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. cùm ambulaueris in igne, non comburêris, & flamma non ardebit te.* Nimirum in vndas immittit nos Deus, & in flammas, vri ſinit & mergi, æſtu ſuos explorat & gelu, ſed quos ad vitam prædeſtinauit, non comburi permittit, aut ſubmergi. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*, inquit Paulus ad Cor. 1. cap. 10.

Homo iuſtus à Deo variis tentationibus ad cæleſtia adaptatur.

Iſa. 43.

SECTIO IX.

Quare Deus sepè differat post preces remedium. Et cur per Angelum vnum ex septem tandem, curati Tobias & Sara.

1. ANGELVS Raphael postquam declarasset gratas Tobiæ fuisse preces, easque à se diuino conspectui oblatas, eumque necessariò tribulationibus propterea probandum, subiungit: *Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.* Hoc tempore, inquit, visum fuit diuinę maiestati precibus tuis, & Saræ satisfacere, insinuans Deo rationes esse, quare non statim opituletur. Quænam autem sint rationes, cur Deus horum & illorum iam & tunc opitulationem post preces differat, ex sacra pagina indagandum est. S. Iacobus cap. 4. vnam causam explicat: *Petitis*, inquit, *& non accipitis, eo quod malè petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis.* Occurrit Apostolus obiectioni concupiscentium ac dicentium: Ecce nos petijmus sæpè à Deo res quas concupiscimus, & non impetrauimus: frustra ergo nos moneret petere eas à Domino, non pet lites & bella occupare: Respondet S. Iacobus: Petitis quidem, sed non accipitis; eò quod malè petatis, vt ijs abundamini contra Deum ad vestram libidinem pascendam & nutriendam. Neque enim Deus mala & noxia cõcedere solet, quibus expletur cõcupiscentia, sed aures suas planè obstruit, quia turpia odit; adeoq; misericordiam suam ostendit, dum illa negat; iram verò, cùm talia tribuit & cõcedit. *Multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad salutem.* ait Isidor. l. 3. de summo bono cap. 7. & S. Augustinus epist. 34. ad Paulinum: *Bonus Dominus qui non tribuit sæpè quod volumus, vt quod mallemus attribuat.* S. Bernardus serm. contra vitium ingratitudinis: *Misericordia res est, hac in parte subtrahere Deum misericordiam:* Denique S. Gregorius 15. Moral. 12. *Maeroris iracundia est*, inquit, *cùm hoc tribuitur, quòd malè desideratur, atque inde repentina vitio sequitur: nam quanto citius malum votum impleri permittitur, tanto citius punitur*; sicut Deus puniuit Iudæos concupiscentes carnes, dum eas illis dando, illicò plagam mortis in pœnam eis immisit, num. 11. 33. ideoque loco, datum est nomen, *Sepulchra concupiscentiæ.*

Deus non annuit aliquando postulatis, eò quòd noxia sint.

Dei misericordia est, iniqua desiderijs non satisfacere, iracunda annuere.

2. Altera ratio est, quare Deus non concedit illicò postulata, quod ipse sciat nobis non expedire, quamuis ipsi cum bona conscientia credamus nobis vtile fore ab aliqua vexa, qua affligimur, liberari. Sic Apostolus Paulus stimulo carnis grauiter afflictus, sæpè Dominum rogauerat, vt Deus angelũ satanæ à se auerteret; sed responsũ accepit: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*, quasi dicat. Non expedit vt fiat, quod petis, seu vt auferatur à te stimulus carnis: sed sufficit tibi, vt victoriam reportes ab illo Angelo colaphizante, fauore ac beneuolentia mea: quia potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate. Nam quo maior est carnis tentatio, eo maiorem tibi communico fortitudinem, qua eam superes, & illustris reddaris. D. Augustinus rem similitudine illustrat, quare nus videlicet Deus egerit cum Paulo: cuius stimulum ad preces non abstulit: *Sicut*, inquit, *ager cum ei applicatur pharmacum molestum, & ardens, rogat medicum vt illud auferat; medicus autem egrum consolatur & hortatur ad patientiam, quia nouit quàm vtile sit quod apposuit.* *In Psal 130.*

Deus non annuit aliquando postulatis, eò quod necdũ expediant homini.

3. Tertia occurrit ratio, quod Deus velit postulantium animos patientiâ perseuerantiâ, alijsque virtutibus excoli in exemplum posterorum. Sic passus est Isaacum viginti annis continuis deprecari pro sterilitate vxoris tollenda: *cùm quadraginta esset annorum duxit vxorem*, inquit Moyses, *Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Et paulò post subiungit: *Sexagenarius erat, quando nati sunt ei paruuli*; ita vt viginti annos intermedios sine liberis, sed in continuis precibus pro liberis traduxerit. Cur autem tam serò exauditus sit, docet optimè Chrysostomus: *Vult*, inquit, *docere nos Deus magnitudinem patientiæ Isaac, & clarè indicare, quanto tempore liberis caruerit, vt & nos emulantes iustum, assidui simus in diuinis precibus, si quando aliquid à Deo petierimus.* *Homines vota Deus serò quandoque adimplere dicitur, vt eorum fides & constantia spectetur.* *Gen. 25.* *Isaaci exempli patientiæ & constantia.*

Sic passus est multas lachrymas, & preces effundere Annam vxorem Elcanę, antequam ei filium, quem postulabat, concederet, vt eius fides, & constantia clarior spectaretur, teste Chrysostomo, qui in hunc modum philosophatur: *An non*, inquit, *poterat dare Deus etiam absque oratione? An nescibat etiam ante petitionem mulieris desiderium? Sed si dedisset ante petitionem, non apparuisset mulieris animi alacritas, non fuisset manifesta eius virtus, non tantam acquisisset mercedem. Quamobrem dilatio fuerat inuidiæ, sed curæ, ac prouidentiæ.* Eandem ob causam Christus Dominus mulierem Chananæam clamantem post se, non solùm se audire dissimulabat, sed etiam tanquam canem repellebat, Matth. 15. v. 22. Vt dum ipsa sæpiùs repulsa orationi instaret, & sibi maius præmiũ acquireret: & aliis illustrius exemplum ante oculos proponeret. Vnde D. Chrysostomus hom. 53. in Matth: *Noluit*, inquit, *tantam mulieris virtutem ignorationis tenebris obfuscari. Non ergo, quia negligebat, verùm, vt repositum, atque absconditum rogauerat, vt Deus angelũ satanæ à se auerteret; sed responsũ accepit: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*, quasi dicat. Non expedit vt fiat, quod petis, seu vt auferatur à te stimulus carnis: sed sufficit tibi, vt victoriam reportes ab illo Angelo colaphizante, fauore ac beneuolentia mea: quia potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate. Nam quo maior est carnis tentatio, eo maiorem tibi communico fortitudinem, qua eam superes, & illustris reddaris. D. Augustinus rem similitudine illustrat, quare nus videlicet Deus egerit cum Paulo: cuius stimulum ad preces non abstulit: *Sicut*, inquit, *ager cum ei applicatur pharmacum molestum, & ardens, rogat medicum vt illud auferat; medicus autem egrum consolatur & hortatur ad patientiam, quia nouit quàm vtile sit quod apposuit.* *In Psal 130.*

Tertia occurrit ratio, quod Deus velit postulantium animos patientiâ perseuerantiâ, alijsque virtutibus excoli in exemplum posterorum. Sic passus est Isaacum viginti annis continuis deprecari pro sterilitate vxoris tollenda: *cùm quadraginta esset annorum duxit vxorem*, inquit Moyses, *Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Et paulò post subiungit: *Sexagenarius erat, quando nati sunt ei paruuli*; ita vt viginti annos intermedios sine liberis, sed in continuis precibus pro liberis traduxerit. Cur autem tam serò exauditus sit, docet optimè Chrysostomus: *Vult*, inquit, *docere nos Deus magnitudinem patientiæ Isaac, & clarè indicare, quanto tempore liberis caruerit, vt & nos emulantes iustum, assidui simus in diuinis precibus, si quando aliquid à Deo petierimus.* 3.

abſconditum in animo eius virtutis theſaurum in lucem protraheret, eam repellebat. Et hom. 17. ex variis in Matth. locis declarat quare Deus laudet fidem mulieris Hemoroiſſæ intercedentis pro filia à dæmonio obſeſſa: *Propterea*, inquit, *laudo conſtantiam eius, laudo fidem: quia inuiriata permanſit, & ratione extorſit. Si enim ab initio dimiſiſſem illam, nec illa paulatim erudita fuiſſet, nec tu ſciſſes virtutem animi eius latentem fidei theſaurum: & ideò ſuſpendi donationem, vt tu agnoſceres fidem. O mulier, Deus dixit, ô mulier.*

4. *Tobiæ quadriennalis conſtantia, mundo in ſpeculum propoſitus.*

Sic Deus diu exercuit Tobiæ conſtantiam & fidem, vt omnibus conſtaret quadriennalis patientia, quandoquidem in exemplum poſterorum eum volebat, etiam orantem, cacitate affligi: Deus enim adiutor eſt in opportunitatibus; ipſe ſcit, quando nobis expediat, quando aliis vtile erit, noſtrum exemplum. Patriarchæ Abrahæ iuniori promiſerat ſemen eius multiplicandum, vt numerari non magis poſſet, quam aſtra cæli. Verùm ſobolem illi conceſſit, quando naturalis vis in eo erat extincta ad procreandum, & iamiam moriẽdi tempus inſtaret, tunc viſum fuit Deo expedire illi prolem concedere, tum vt patientia eius eſſet manifeſta, tum vt omnes ſcirent ex dono Dei ſanctis viris proles naſci. Sic paraliticum Ioan. 5. voluit ad triginta octo annos expectare, antequam in piſcina probatica eum, Angelo mediante, ſanitati reſtitueret, tunc ei opportunum viſum, quod in cæleſti Conſiſtorio decretum erat, neceſſe eſſe illum ad iſtud tempus à peccatis purgari. Appoſitè Chryſoſtomus hom. 4. ad populum Antiochenũ: *Poteſt*, inquit, *Deus omnia grauia hac ipſa die ſoluere: ſed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuerſionem, & penitentiam firmam & inconcuſſam, non diſſoluit tribulationem. Etenim aurifex donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: ſic & Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendauerit. Qui enim tentationem permiſit, ipſe nouit, & tentationis ſoluendæ tempus. Et ſicut citharœdus neque nervum intendit, vt non abrumpat; neque remittit vltra modum, ne harmoniæ concentum ladat: ſic & Deus agit, neque in remiſſione continua, nec in longa tribulatione noſtram conſtituit animam, ſecundum ſuam prudentiam vtrumque faciens.* Hoc modo permiſit Deus iuſtos illos affligi, donec in fornacem accenſam, à Nabuchodonoſore miſſi pati cœpiſſent: tunc enim, non citiùs, iudicauit Deus illos liberandos, tùm vt conſtantia virorum illorum manifeſtaretur, & euidentiſſimè Dei potentia omnibus inclareſceret, qui iuxta conſilium ſuum, & non aliter de medio ignis iuſtos illos voluit eripere.

Deus non liberat niſi bene purgatos.

5. Hoc itaque eſt, quod Angelus quoad Tobiam & Saram inſinuat his verbis: *Et nunc miſit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.* Ecce, inquit, tu, ô Tobia & Sara eodem tempore diuerſis locis Deum deprecati eſtis, vt poſſetis liberari, Deus exadiuit preces veſtras, ſed effectum diſtulit vſque ad quadriennium. Diſce ex hoc mi Chriſtiane Deo non eſſe ſtatuendum tempus miſerationis ſuæ. Bethulienſes obſeſſi ab Holoferne, ad quintum diem Dei auxilium exſpectandum decernebant, alias ſeſe dederent: ſed reprehendit eos prudens mulier Iuditha cap. 8. *Qui*, inquit, *eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non iſte eſt ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accẽdat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei.* Et poſtea eos hortatur, vt humiliter, & cùm lachrymis Deum exorent, vt ſecundum voluntatem ſuam faciat cum eis miſericordiam. D. Chryſoſtom. exemplo paralytici eiuſmodi homines confundit & perſtringit, hom. 35. in Ioan. *Pudeat nos*, inquit, *pudeat dilectiſſimi, & incredibilem ſocordiam noſtram deploremus: octo & triginta annos hic exſpectauerat, expectabatq;, neque eius impletum eſt deſiderium, neque negligentia ſua non ſanabatur, ſed præuentus ab alijs neque propterea deſperauit: nos autem ſi vel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, iam tepeſcimus: hominibus verò quam diligentiſſimum exhibemus miniſterium, in militia, in difficultatibus, ſeruientes, & tandem frequenter omnem ſpem amittimus: dominum autem noſtrum, vbi ſine dubio merces ſequitur, longè laboribus amplior, (Spes enim non confundit, inquit:) debito ſtudio & diligentia proſequi non patimur. Et quonam hoc ſupplicio dignum? nam ſi nihil accepturi eſſemus, ipſius tamen frequens conſuetudo nonne innumera nobis bona attuliſſet.*

1. *documentum. Deo non eſſe ſtatuendum tempus exaudiendi, & ſuccurrendi.*

Immoderatus feruentem perſtringit Chryſoſtomus.

6. Syracides, ad ſpem, in Domino collocandam, hortatus, exemplo eorum, qui, ſperantes, vberem fructum ſuæ ſpei receperunt, per vrget. *Reſpicite*, inquit, *filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Mathathias filios ſuos adhortans eodem argumenti genere vſus eſt. *Mementote*, inquit, *operum patrum quæ fecerunt in generationibus ſuis*, &c. Et poſt enumeratos, Abraham, Ioſeph, Phinees, Ieſum, Caleb, Dauid, Eliam, Ananiam, Azariam, Miſaelem, & Danielem. *Et ita*, inquit, *cogitate per generationem, & generationem, quia omnes, qui ſperant in eum non infirmantur.* 1. Machab. 2. 51. Chryſoſtomus querulam mortalium mentem recogitans, introducit eam ſic loquentem: *At ego*, inquit, *ſperaui, & ſum pudore affectus:* & eandem compeſcens ſubiungit: *Bona verba quæſo, ô homo; ne diuinæ ſcripturæ obloquaris. Nam ſi pudore affectus es, ideò affectus es, quòd non vt oportuit, ſperaueris, ex eo quod ceſſeris, ex eo quod finem non exſpectaueris, ex eo quod puſillo & anguſto animo fueris.* Veriſſimè Auguſtinus in Pſalm. 123. *Veritas nec falli poteſt, nec fallere bonum eſt, vt hæreamus illi.* Et Chryſoſtomus loco citato ſalu-

Nullus verè ſperantium in Deo, deceptus eſt. Eccleſ. 2. 11

Hom. 18. in pſal.

briter admonet, non obloqui Scripturis: Illæ enim contrarium reuincũt. Vnde addit, post præfatam monitionẽ. *Sed non ita facias: verùm quando videris quæ sunt mala & difficilia imminere, ne animũ demittas. Hoc enim vel maximè est sperare, quando in media mala & grauia pericula fueris conjectus, tunc erigi.* Deinde cõfirmat multis exemplis eorum, qui in rebus desperatis adiuti sũt: *Quid barbari illi, Niniuitæ, inquam, erat miserius? & tamẽ cùm iam essent ipso laqueo irretiti, & ruinam ciuitatem expectarent; ne sic quidem desperarũt, sed summam ostenderunt pœnitentiam, & effecerunt vt Deus rursus suam reuocaret sententiam. Vidistis quantæ sint spei vires. Quid verò ipse Propheta? An non cùm esset in ventre ceti, & templi, & suæ Hierosolymæ reuersionis meminerat?* Clamaui, inquit, de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me, de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo tẽplum sanctum tuum, Ionæ 2. Pergit Chrysostomus: *Et tu ergo quamuis vel ad ipsam mortem deueneris, & vndiq; tibi maxima immineant pericula, ne desperaueris. Potest enim Deus in rebus vel difficillimis, & impeditissimis existum inuenire: & ideò dicit quidam Sapiens, A mane vsque ad vesperam mutationes multæ, & in conspectu eius sunt omnia facilia. Non vidisti præfectum in summa rerum copia fame enectum? Non vidistis viduam in fame abundantem?* Et immediatè pòst subiungit ad propositum nostrum vtilia: *Quando res*, inquit, *in maximam inciderint inopiam, tunc tu spera maximè. Tunc enim Deus maximè suam ostendet potentiam, non à primordio, sed quando res fuerint planè desperatæ ab hominibus. Hoc est enim tempus diuini auxilij. Et ideò nec pueros eripuit à principio, sed postquam fuerint conjecti in fornacem: nec Danielem, antequam esset immissus, sed septem post diebus. Nec attende rerum naturam, quæ præcipites agunt in desperationem, sed Dei potentiam, quæ sunt desperata, adducit in bonam spem*, qui videlicet adiutor est in opportunitatibus. Vide dicta Sect. 8. Cap. 11.

In rebus desperatis maximè sperandum.

Eccles. 18.

4. Reg. 7. 8.

Deus non nisi in extremis adest.

Daniel. 3. 6.

Et sanè docet Angelus preces nostras apud Deum non esse cassas, & irritas, si illicò non exaudiamur. Deus enim differt eas ad opportunum tempus, & quando illi visum est, tunc cum fœnore illas efficaces ostendit. Optimè Augustinus serm. 39. de diuersis: *Ne contristemini*, inquit, *quando petitis, & non accipitis, & arbitremini, quod ante oculos suos non habeat Deus, si ad tempus non exaudit voluntatem vestram. Non enim semper ægrum exaudit Medicus ad voluntatem, quamuis eius sine dubio procuret, atque appetat sanitatem. Non dat, quod petit: sed quòd non petit, hoc procurat. Petit frigida, non dat. Crudelis factus est, qui venit sanare? Artis est, non crudelitatis. Non dat ad horam, quod detrectat; vt sanus possit omnia, dum sano negantur aliqua.* Et rectè. Cùm enim expedit, tunc Deus preces exauditas esse liberaliùs ostendit.

2. Preces nostras non esse cassas, si statim non exaudiamur.

Numquid hoc in Tobia & Sara euidenter liquet, quorum Deus annuens postulatis, etiam Angelum deputauit, qui omnia parageret, quæ ad illorum commoditatem, & salutem curandam conducerent. Atqui eum non ex infimo Angelorum grege, sed ex præcipuo destinauit, vt dignoscas quanti faciat Deus homines iustos, quorum probat patientiam. *Ego sum*, inquit, *Raphael Angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Hæc verba maiestatem quamdam eminentem insinuãt; sed antequam ea explicem, vnus atque alter scrupulus enodandus est. 7.

Dicit Angelus Raphael: *Ego sum vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Quid hoc sibi vult? An non omnes Angeli assistunt Domino, vti septem de quibus hic Raphael? Omninò assistunt; sed hi septem peculiari modo. Res perinde se habet, atque in aula terreni Regis ac Imperatoris. Multi astant, & circumstant regem; sed aliter Principes, aliter Comites & Barones, aliter alij. Ad cuius intelligentiam nota, aliter atque aliter Angelos pro diuersitate functionum nuncupari. Zachariæ cap. 4. dicitur: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* Vbi septem lucernæ dicuntur significare septem Angelos, qui toti mundo præsident, quique propter ministerium sibi à Deo datum, oculi dicuntur Dei; quia Angeli septem hi primarii sunt administri, & executores diuinæ prouidentiæ, cuius symbolum erat candelabrum, vnde ibi mentio. Vocantur autem oculi, quia maximè vigiles & intenti sunt in nostram salutem, vbique opem ferẽtes. Apocalyp. 4. dicuntur *septem lampades ardentes ante thronum Dei.* Quare lampades? Quia nos in tenebris ac caligine degentes suâ luce, & claritate illustrant. Quare ardentes? Quia charitatis ardore nos inflammant. Apocal. 5. dicuntur *septem cornua Agni.* Cornua sunt, quia pro hominum salute cõtra ferociſſimos hostes dæmones præliantur. Hoc ergo Maiestatẽ Angeli nostri magis auget. Hic vnus scrupulus est, qui necessariò veniebat remouendus. 8. *Omnes Angelos esse assistentes, & ministrantes.*

Alter est, quod dicat Angelus Raphael sese adstare ante Dominum, & quod caput 3. post exauditas preces Tobiæ & Saræ dicat facer textus, *Missus est Angelus Domini S. Raphael. vt curaret eos ambos.* Quæstio est, quomodo adstet ante Dominum, & quomodo missus sit ad curandos Tobiam & Saram, præsertim quia Daniel distinguit ministrantes ab assistentibus Deo: quasi illi curam habeant hominum; hi non item. Cùm enim habuit reuelationem, de qua agit cap. 7. dicit quod 9. *Ex omnibus Ordinibus mitti Angelos ad externa ministeria.*

quod millia milliũ miniſtrarint Deo, & decies centena millia ei adſtiterint? Dicam quod ſentio, & quomodo hæc duæ inter variè ſentientium opiniones conciliari poſſint. Videtur Daniel nihil aliud ſignificare voluiſſe, quàm quòd eo tempore, quo ſuam habuit reuelationem, multa Angelorum millia fuerint occupata in miniſterio circa homines; & multò plura millia Deo adſtiterint, vt, & ipſi exſpectarent iuſſionem Dei, ad aliquid exequendum. ex quo ſequitur, non aliud eſſe diſcrimen inter aſſiſtentes & miniſtrantes, quàm quod hi actu miniſtrent, illi parati ſint miniſtrare. Ita ſentit Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos, cùm ait: *Multi Archangeli, multi Throni, multæ poteſtates & Dominationes, millies millia, & decies millia centena millia miniſtrorum aſſiſtunt, & apparent, qui ſe promptos offerunt, vt emittantur.* Quid dico? Sacræ literæ hoc ipſum reuincunt, cùm planiſſimè pronuntiant, illos ipſos Angelos, qui vno loco dicantur adſtare Deo, mitti ad externa negotia & miniſteria hominum, vt de Raphaele patet, qui ſe hoc capite dicit adſtare ante Dominum, & cap. 3. legitur miſſus eſſe ad curandos Tobiam & Saram. Item Luc. 1. vbi Angelus Gabriel dicit Zachariæ: *Ego ſum Gabriel, qui adſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te.* Ac Zachar. 3. vbi Michael Archangelus nomine Dei, dicit, Ieſu Pontifici, quod dabit illi aliquot ex Angelis, qui Deo aſſiſtunt, *Et dabo*, inquit, *ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt*, vt videlicet præter Pontificatum, quem iam promiſerat, haberet primarios Angelos, quorum auxilio circumvallatus, & ab hoſte ſecurus, populum optimè regeret, & ad ſalutem deduceret. Quaſi dicat, Illi enim tecum ambulabunt, teque dirigent, ac protegent. Hinc videmus verum eſſe, quod dixit Apoſtolus, nempe omnes eſſe adminiſtratorios ſpiritus, Hebr. 1. & tàm aſſiſtéres, quàm miniſtrantes ad hominũ ſalutem deſtinari; illos circa grauiora mitti, hos ad minora.

10. His ſcrupulis remotis, explico verba Angeli, quæ non exiguam maieſtatem redolent, & idem ſonant, ac ſi diceret: Ego ſum vnus ex primariis Angelis, qui aſſiſtunt Deo, quaſi ſtiparores ac primores regni ipſius, parati ad omne imperium Dei exequẽdum, præſertim in cura & adminiſtratione hominum. Rurſum ſum vnus ex iis, qui aſtant Deo, quoſque Deus ad grauiſſima quæque negotia expedienda dimittit. Vnde Apocal. 5. de ſeptem his Angelis primariis dicitur, *Qui ſunt ſeptem ſpiritus emiſſi in omnem terram.* & Zachar. loc. citat. *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in vniuerſam terram*: quia videlicet perſpicaciſſimi ſunt, & vigilantiſſimi ad Dei voluntatem cognoſcendam, & explendam, ad Eccleſiæ & hominum ſalutem procurandam. Hoc ſenſu Philo Iudæus libro de ſomniis ad medium: *Sunt*, inquit, *quædam purißima* (nempe ſubſtantiæ) *optimæq;, quæ altius, diuiniuſq; ſapiunt, aſpernata iſta terreſtria, & humilia miniſtra omnipotentis, tanquam magni Regis aures, & oculi audientes, videnteſq; omnia. Has, genios Philoſophi, Angelos vocant ſacræ litteræ.*

Sed neque hic ſiſto. Videtur enim Angelus Raphael amplius inſinuare, & vlterius dicere: Ego ſum vnus ex ſeptem conſiliariis, quibuſcum Deus de rerum gubernatione deliberat, maximè cùm res intercedit grauior. Licet enim Deus conſultatione non egeat, tamen ſic loquitur vt appareat cum aliis de conſilio capiendo deliberare. Cùm formaturus eſſet hominem, qui microcoſmus erat, id eſt, rerum vniuerſarum mirabile compendium, quaſi conſultans dixerit: geneſ. 1: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* & cap. 11. cùm confuſuras eſſet hominum linguas, & illorum audaces & ſuperbos ſpiritus depreſſurus, dixit verſ. 7. *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Et Daniel. 7. multæ Angelorum myriades aſtabant, ad Dei præceptum & nutum ſemper intentæ: & cùm antiquo dierum, id eſt, Deo conſederunt futuri Iudices. Et aperti ſunt libri, in quibus cauſæ continebantur ac merita, quæ in illius ſeueri iudicij examen adducebantur. Cùm enim ibi dicit, *iudicium ſedit*, ſignificat Deum Patrem, eiuſque aſſeſſores Angelos viſos ſibi eſſe ſedere in thronis ad iudicandum. Et Apocalyp. 1. decretum aliud à Deo, & à ſeptem ſpiritibus editum, & confirmatum oſtẽditur: inquit enim Ioannes verſ. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu Throni eius ſunt.* Quo loco S. Ioannes gratiam ſuis poſtulat à ſeptem Angelis Dei: qui enim in aula Regis, habet gratiam & fauorem principum intimorum Regi, habet & gratiam ipſius Regis. Et ſimul inſinuat, conſilium, & conſultationem inter Deum & Angelos intercedere. Neque aliam ob cauſam iam olim ab antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus depictum eſſe arbitror Michaelem cum ſtatera, & lance, quaſi in particulari animarum examine, atque iudicio, quod Deus exercet ſolus, ſuas quoque partes Angelus obeat, & quaſi iudicij conſors meritorum omnium pondus exploret.

11. *Septem illi ſpiritus quaſi conſiliarij Dei ſunt. Cur Deus conſiliarijs vti dicatur.*

Cur Michael cum ſtatera pingatur.

Itaque ſpectaſſe videtur hoc loco Raphael, & apud Zachariam alius Angelus, & Ioannes in Apocalypſi, Perſarum & Aſſyriorum in capiendo conſilio, rebuſque legitimè adminiſtrandis antiquam formam, vtique à ſeptenario numero cenſebantur apud Perſas

12. *Nomina ſæpè ſumpta ab aliarum gentium conſuetudine.*

Septem Angeli ſunt, quibus vniuerſi adminiſtratio, & res magnæ committuntur.

& Aſſyrios, qui Regibus aſtabant, illiſque nobile, aſſiduum & familiare præſtabant miniſterium. Sic conſiliarios eſſe ſeptem docemur ex cap. 7. lib. 1. Eſdræ, vbi à Rege, & ab illius ſeptem conſiliariis quoddam decretum exiiſſe traditur. Sic autē ibi Artaxerxes ad Eſdram. *A me decretum eſt, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de ſacerdotibus eius, & de Leuitis, ire in Ieruſalem, tecū vadat. A facie enim Regis, & ſeptem conſiliatorum eius miſſus es.* Eodē numero pueri atrienſes, qui Regibus aſſidui ſunt, & illius faciem perpetuò vident, & ad illius nutum ſemper intenti, quid velit, aut iubeat, vigilanter exſpectant, ſeptem ſunt, vt conſtat ex cap. 1. lib. Eſth. verſ. 10. Cùm Rex eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero, præcepit Mahmam, & Bazatha, &c. ſeptem Eunuchis, qui in conſpectu eius miniſtrabant, vt introducerent Reginam Vaſthi. Deinde duces præcipui, quibus regni committebantur habenæ, quoſque Rex maiori proſequebatur ſtudio, & ornabat magis, ſeptenario claudebantur numero. Id indicat cap. 1. lib. Eſth. verſ. 14. vbi cum Rege dicuntur accubuiſſe mēſæ ſeptem duces Perſarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant. Hæc omnia munera obeunt Angeli illi, quorum è numero ſe eſſe affirmat Raphael.

Aſſyriorum, & Perſarum Regium ſeptem conſiliarij.

Totidem atrienſes & præcipui duces.

13. *Perſæ & Medi ſubiecti olim Aſſyrijs & Chaldæis.*

Improbabile non eſt, quod de Perſarum moribus, perſonarumq; muneribus ſentiunt, nonnulli, videlicet illa ab Aſſyriorum, Chaldæorumque legibus ac moribus accepiſſe Perſas. Deinde veri eſt per quam ſimile, ſub hæc tempora Tobiæ Perſas, & Medos ſubditos eſſe primùm Aſſyriis, deinde Chaldęis eſſe ſubiectos; neque aliam tenuiſſe reipublicæ formam, quàm eo tempore tenuerunt Aſſyrij primum, deinde Chaldæi. De Aſſyriis illud facit veriſimile quod captiui ab Aſſyriis ſubacti, trāſlati dicuntur ad ciuitates Medorum, qui vicini ſunt Perſis, & cum illis in idem regnum, & corpus aliquando coaliti. Neque ad Medos captiuos ſuos tranſtuliſſent Aſſyrij, niſi ſuo forent imperio ſubiecti. De his lib. 4. Reg. cap. 17. v. 6. & cap. 18. v. 10. *Tranſtulit Rex Aſſyriorum Iſrael in Aſſyrios, collocauitq; eos in Hala, & in Habor fluuij Gozan in ciuitatibus Medorum.* Et Tobiæ tempore multos fuiſſe ex Iſraelitide gente captiuos in Media, ex hoc libro non obſcurè conſtat. Nam Raguel, & Gabelus Tobiæ contribules, & noti in Rages Medorum inter alios exules, domicilium habuiſſe dicuntur. Quòd autem Perſæ ſubiecti fuerint aut fœderati Chaldæis ex eo conſtat, quia euocati à Chaldæis arma ſumpſerunt contra Iudæos, cùm à Nabuchodonoſor excita eſt Hieroſolyma. De his eſt illud Iſa. cap. 22. *Et Aelam ſumpſit pharetram currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus.* in Ælam ſignificari Perſas nemo dubitat. Adeoque vt vno verbo dicam, videtur Angelus Raphael reſpexiſſe ad Perſicos mores, & nihil aliud ſignificare voluiſſe, quàm ſe illum habere locum apud Deum, quem ſeptem illi viri ſiue conſiliarij, ſiue duces, ſiue atrienſes famuli habuerunt apud Perſarum Regem: vt ſic melius intelligeret Tobias, qualem Principem ex aula cæleſti, ad eum & Saram curandos miſiſſet Deus. Nam Reges præfati in vſu ſeptem conſiliariorum imitati ſunt Deum eiuſque prouidentiam, & iuxta Ariſtotelem, & ex eo Apuleium; *Maieſtas & gubernatio Regum Perſarum fuit imago diuinæ poteſtatis & prouidentiæ.*

Lib. de mūdo ad Alexand. poſt med.

Magnus ſanè honos, quo ſuos dignatur Deus. Nam vnum è ſeptem Principibus, quorum ad prouinciarum, rerumque magnarum adminiſtrationem miniſterio vtitur, ad vnius Tobiæ & Saræ commoditatem mittit, qui ſubſtantiâ puriſſimus, humili vel ex aēre aſſumpto corpore, tam ſtrenuè, atque accuratè illorum ſaluti incumbit.

14. *Dei amor, & cura pro iuſte.*

Denique docemur ex verbis Angeli, Deum hominem deprecantem non exaudire ſecundum id, quod ipſe magis appetit, ſed ſecundū id quod Deo melius viſum fuit. Rogauerat Tobias, vt Deus ſecūdum voluntatē ſuam faceret cum ipſo, & præciperet in pace recipi ſpiritum eius, quòd magis illi expediret mori, quàm viuere: verùm Deus non conceſſit illi mori, quod actualiter petebat; ſed exaudiebat illum, ſecundum ſuam voluntatem, benefaciendo ipſi vltra captum & expectationem; ac miſericordiam ſuam multipliciter illi exhibendo. In quo exaudita fuit in conſpectu Dei Tobiæ oratio, vt diſcamus non inhærere noſtræ voluntati; ſed maximè in oratione ad Dei voluntatem noſtras preces dirigere, vti habemus exemplum Saluatoris noſtri, qui in grauioribus paſſionis ſuæ doloribus conſtitutus, paululum à ſuis digreſſus, demiſſus pronus in terram, Patri ſupplicauit: *Poſitus*, ait Euangeliſta, *genibus orabat dicens: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me, verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Pulchrè in hanc rem Auguſtinus Epiſt. 121. ad Probam: *Si aliquid* inquit, *contra quàm eramus accidrit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuiſſe, quod Dei, non quod noſtra voluntas habuit, minimè dubitare debemus. Nam & huiſmodi exemplum præbuit ille nobis Mediator, qui cùm dixiſſet: Pater ſi fieri poteſt, trāſeat à me calix iſte, humanam in ſe voluntatem ex hominis ſuſceptione transformans, continuò ſubiecit: Verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu vis, pater. Quiſquis autem illam vnam petit à Domino, & hanc requirit, certus ac ſecurus petit, nec timeat ne fortè obſit, cùm acceperit, ſine qua nihil prodeſt, quidquid aliud, ſicut oportet, acceperit.*

15. *Deus exaudit aliquando hominem non ſecundū ipſius voluntatem, ſed iuxta ſuam.*

Preces noſtræ ad Dei voluntatem ſunt dirigendæ.

CA-

CAPITIS DVODECIMI

VERSVS XVI.

Cùmque hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam.

Verſ. 17. *Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.*

Verſ. 18. *Etenim cùm eſſem vobiſcum per voluntatem Dei eram: ipſum benedicite, & cantate illi.*

Verſ. 19. *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.*

Verſ. 20. *Tempus eſt ergo vt reuertar ad eum, qui me miſit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.*

Verſ. 21. *Et cùm hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltrà eum videre non potuerunt.*

Verſ. 22. *Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22. Vterque Tobias cùm Angeli nomen inaudiſſent, ſubitò cohorruerunt, & in terram cum timore ſeſe proſtrauerunt. Angelus verò pacem illis apprecans, iubet eos tranquillo eſſe animo, & vt fidelis ſeruus, qui Domini ſui honori ſtudet, omnem à ſe meritorum remouet rationem, ſeque quando illorum cauſa laborare videbatur, voluntati paruiſſe diuinæ, cui omninò aſcribendum quidquid eo tempore ipſis acceſſiſſet boni, aut depulſum eſſet mali: vnde iubet eos Deum æternis proſequi laudibus. Præterea ne propterea actiones, quas videbatur exercere, humanas, quales ſunt comedere & bibere, verbis Angelicis increduli, de veritate dictorum dubitarent, declarat ſe paſtum meliori cibo, qui humanis nequit oculis ſpectari, aut vllo corporis ſenſu contrectari aut capi. Perfuncto dato ſibi à Deo negotio, adiungit tempus eſſe, vt ad eum reuertatur, hortatus vtrumque Tobiam, ne vnquàm ceſſent à diuinis laudibus, ſed admiranda Dei opera aſſiduâ prædicatione commendent. Et his dictis è veſtigio ab illorum oculis euanuit. Mandatum verò Angeli receperunt libenter Tobias ſenior & iunior; quare procidentes in faciem tribus horis gratias egerunt Deo, & exurgentes illius opera admiranda plenâ voce omnibus euulgant.

SECTIO DECIMA.

Quare vterque Tobias poſt cognitionem Angeli ſeſe proſtrauerit in terram. Et quid ex hac humiliatione reportauerit conſolationis.

1. *Supplices tam Hebræi, quàm Gentiles terram oſculabãtur.*

CVM Angeli nomen audierunt vterq; Tobias, proni ceciderunt in terram. Qua de cauſa hoc ab ijs factũ, An ſupplicandi videlicet gratiâ, an Angelici ſpiritus gloriâ, quãtum quidem creaturis fas eſt ad diuinam maieſtatem acceſſu, non ita patet. Solent enim ſupplices ante facie cadere, & terræ os oſculantium in modum apprimere: quæ conſuetudo non Hebræis ſolùm, ſed etiam Gentibus familiaris fuit. De Hebræis eſt illud Pſalm. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Iſaias cap. 29. *Humiliaberis, de terra loqueris.* Ieremias Thren. 3. *Ponet in pulvere os ſuum ſi forte ſit ſpes.* De Gentibus eſt illuſtre illud Lucij Piſonis apud Valerium, lib. 8. cap. 1. qui iniuriarum reus eo artificio quod impendebat, iudicium declinauit. *Nam per idipſum tempus* (Valerij verba ſunt) *quo triſtes de eo ſententia ferebantur, repentina vi nimbi incidit: tum ille proſtratus humi pedes iudicum oſcula-*

retur, os ſuum cano replenit. Apud Perſas autem in adoratione, ſeu veneratione Regum puluerem exoſculari, vbi Reges poſuiſſent veſtigia, docet Martialis lib.10.epig.71.

Et turpes, humileſq;, ſuppliceſq;
Pictorum ſola baſiate Regum.

Quòd autem Perſarum Reges ſtratis corporibus adorari ſint ſoliti, docet Herod. l.7.

2. *Vterq; Tobias in facie prorutus non adorandi cauſa, ſed ex conſideratione altioris naturæ Angelicæ.*

An ad horum conſuetudinem Tobias vterque procubuerit in faciem ſuam, vt adoraret Angelum, non videtur verosimile: ſed potiùs ob apprehenſionem & conſiderationem altioris naturæ, conſternatos in terram proruiſſe. nam hinc legitur Daniel in faciem procidiſſe: Sic enim ait poſt conſpectum eâ ſpecie quæ nec viſitata eſſet, nec facile ab humanæ naturæ imbecillitate tolerabilis, *Audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus, herebat terræ.* Et paulò pòſt: *Cumq; loqueretur mihi huiuſcemodi verbis, dereci vultum meum ad terram, & tacui.* Dániel 10. Sic Tobias vterque humiliter demiſit in terram oculos, tum ex admiratione quadam aut ſtupore, cùm viderent, quàm amanter Deus ac prouidè eorum ſaluti conſuluiſſet; tum quia longè ſupra ſua merita exiſtimabant tantum Angelorum Principem leuandi mœroris gratia ad ipſos fuiſſe delapſum, & à Dei benignitate conceſſum.

3. *Dei cognitio parit humiliatem.*

Tu verò conſidera, mi Chriſtiane, & ſeriò expende ex hoc quantam Dei cognitio gignat humilitatem. Si enim apprehenſio maieſtatis Angelicæ tantopere perculit vtrumque Tobiam, vt in faciem procíderent: quid non efficiet immenſus diuinæ maieſtatis ſplendor, cuius lux eſt inacceſſibilis. Certè Abraham coram Deo cauſam agens Sodomorum, ſe nullum planè exiſtimauit: *Loquar,* inquit, *ad Dominum meum cùm ſim puluis & cinis,* Geneſ.18. Moyſes audiens Deum è rubo, *abſcondit faciem ſuam, non enim audebat reſpicere contra Dominum,* Exod.3. Et cap.ſeq. cùm accepiſſet à Deo ſuæ miſſionis ad Pharaonem tria ſigna, triplicis conuerſionis, nempe virgæ in colubrum, manus in lepram, aquæ in ſanguinem, dixit: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Appoſitè Baſilius homil.15. de fide, *Nemo,* inquit, *ita demens, aut tantâ mentis cecitate eſt, vt ad ſummam Dei comprehenſionem ſeſe perueniſſe exiſtimet: ſed quantò magis ad ipſius notitiam accedere videbitur, tanto maiorem ſentiet infirmitatem. Talis erat Abraham, talis Moyſes. Quando enim Deum videre, quantum fas erat hominí, potuerunt, tunc maximè vterq; ſe humilem tenuémq; putauit; Abraham ſe puluerem ac cinerem nuncupans, Moyſes verò ſe linguâ balbum, ac ſermone tardum appellans. Videbat enim ſe rerum cognitarũ magnitudini nequaquam linguæ debilitate poſſe reſpondere.*

Exempla.

Iſaias Vates, cùm Deus enm dignatus eſſet viſione illa magnifica, qua viderat ipſum in throno magnifico, & Seraphim ei acclamantes, *Sanctus, ſanctus,* &c. dixit: *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Iſa. 6. Væ mihi, inquit, quia cùm loqui debuiſſem, & peccata populi ac Procerum inſectari, & nominatim Regis impij Oziæ ſacrilegam audaciam, quòd, cùm Sacerdos non eſſet, vellet adolere incenſum, & ſacerdotium inuadere, tamen conſtricta metu lingua, ſicut & multitudinis reliquæ, quam à libertate ſermonis, aut metus, aut auaritia retardat, in Dei cauſa ſilui, quem nunc in tanta maieſtate præſens ipſe præſentem intueor. Tunc igitur ſe condemnauit Iſaias, tunc peccatorem ſe agnouit, & tunc ſententiam pollutionis contra ſe protulit, & tamen omnes illi Sancti erant, iuſti, Dei amici, & dilecti, ſed licet ſic, tamen cum illâ ſummâ, & incredibili comparati pulchritudine, impuri, peccatores, & pœnâ inueniebantur digni. Quod grauiſſimè dixit Gregorius Magnus lib.35. Moral. cap.2. exponés illa Sancti Iobi verba: *inſipienter locutus ſum,* cap.42.verſ.3. vbi ſic ait: *Omnia enim humana, qua iuſta, qua pulchra ſunt, Dei iuſtitiæ, & pulchritudini comparata, neque iuſta, neque pulchra ſunt, nec omnimò ſunt. Beatum ergo Iob, quæ dixerat, ſapienter ſe dixiſſe crederet, ſi verba ſuperioris ſapientia non audiret. Hinc Abraham inter verba Dominica nil ſe niſi puluerem vidit: hinc Moyſes omni AEgyptiorum ſapientiâ inſtructus, ex quo loquentem Dominum audiuit impeditioris, & tardioris linguæ ſe eſſe deprehendit: hinc Eſaias poſtquam ſedentem Dominum ſuper ſolium excelſum, & elenatum vidit, ad ſe ipſum rediens ait: Væ mihi, quia tacui, mox q; ipſam pollutionem vnde cognouerat, ſubdens ait: & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.*

4. *Iſaias quàdo ſe pollutum agnouit.*

Sanctorum puritas Dei puritati comparata, impuritas dicenda.

Ieremias audiens à Deo. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te,* &c. dixit: *A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum,* cap.1.v.6. ita Daniel videns antiquum dierũ in throno, & millia millium aſſitentium ei: *Horruit,* inquit, *Spiritus meus, territus ſum, & viſiones capitis mei conturbauerunt me,* cap.7.verſ.15. Et ca.10.verſ.8. viſo Angelo, *Non remanſit,* ait, *in me fortitudo, emarcui, nec habui quidquam virium: & audiui vocem ſermonum eius, & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus herebat terræ.* Sic Tobias noſter cum ſuis, agnito Angelo Raphaele, *proſtrati per tres horas in faciem benedixerunt Deum.* S. Paulus in tertium cælum raptus vocauit ſe nunc abortiuum, nunc peccatorum primum, nunc minimum Apoſtolorum, nunc nomine Apoſtolico indignum.

Nota rurſum, mi Chriſtiane, ſi iuſtus con- 5

tingit

Christi & Sanctorum præsentia quàm acriter in iudicio torquebit malos.

tingit terreri ad apprehensionem angelicam quid erit peccatoribus & impuris, quando eos Deus iuxta seruos contraponet suos, quis resistet; qualis Angelus, ne dicam homo, coram iudicio stare poterit sic terribili? *Quid est homo, vt immaculatus sit?* inquit Eliphas Themanites Iob ca.15. vers.14. *Et vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter Sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius, quantò magis abominabilis, inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Si Angeli, si Sancti comparationis iudicio non sunt stabiles, non sunt mundi, qualis erit peccator, & immundus? si illi non euadent, quomodo ipse euadet? Si Petrus gratias, beneficiaque recipiens sic ad conspectum humilis Christi obstupuit, vt rogaret ipsum à se exire, Luc.5.vers.8. *Exi à me, quia homo peccator sum Domine, stupor enim circumdederat eum in capturæ piscium:* quid in iudicio faciet peccator? qualis erit eius tunc terror? quando opera Christi non humilis, sed in maiestate sedentis, videbit, non equidem ad eum bonis cumulandum, sed perdendum, iudicandus ab ipsis, non ditandus, vti Petrus; recognouit se Petrus tunc peccatorem, quando vnum tantùm Christi maiestatis vidit potentiæ signũ, non elatus ob beneficium, sed magis oppressus à maiestate, vt egregiè dixit Ambrosius libr. 3. de Virgin. paulò ante finem vbi sic: *Non confusus est Petrus dicere, Exi à me Domine, quia peccator sum; vir enim sapiens, & grauis, in quo esset Ecclesia firmamentum, & magisterium disciplina, nil vtilius sibi esse prospexit, quàm ne secundantis operis attolleretur euentu.*

Petrus in præsentia Christi peccatorem se cognouit, à maiestate oppressus.

6. *Helia vidua, quando sua cognouit peccata.*

Certè vidua illa, quæ pascebat Eliam, non aliam equidem mortis filij sui causam, quàm peccata dedit sua, quæ tunc vidit, tunc ponderauit, tunc quanta ea erant mensurauit, quando è contra virtutes, Eliæque vidit sanctitatem, 3.Reg. 17. vers. 18. *Ægrotauit filius mulieris, & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus, dixit ergo ad Eliam: quid mihi, & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Cur rememorarentur? aut quomodo Helias interfecit filium? virtutibus namque, & sanctitate: putauit enim bona ista mulier vitam suam Heliæ vitæ contrapositam, ita Deo displicuisse, vt amplius eam non sustinens, in filio castigauerit, tunc enim se infirmam, tũc peccatricem, tunc meruisse se pœnam intellexit, quando præsentem sanctum habuit Prophetam: *Sunt admiratione digna verba vidæ*, inquit Theodor. quæst. 52. *tuo inquit lumine, aperta sunt mea peccata, quæ occulta erant; non dixit: fuisti mihi malum auspicium, mala mihi consiluit tuus aduentus, sed potius suis peccatis tribuit, quod acciderat.* Nam, vt inquit Ambro. serm. 10 super Psalm. 118. *Plerisq; iusti aspectus admonitio correctionis est.* Et infra: *Sicut iustus lætificat cor innocentium, cùm videtur, ita & improbi iustorum, cognitione torquentur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur.* Sic equidem impij tũc videbunt, & tabescent, tunc se confundent, quãdo in illa die iuxta eos ponet Sanctorum Deus vitam, quæ sola condemnabit, eosque occidet, dum velint, nolint, facier, vt quantò à recto ipsi declinauerint apertissimè videant, & videndo dignos se æternis æstimẽt pœnis.

Impij torquentur, dũ vitam in ipsis iustorum Sanctorum.

Adhæc palam fit humiles meteri instructionem & cognitionem rerum diuinarum, ex hoc, & alijs S. Scripturæ locis. Sic Exod. 3. Moyses iussus soluere calceamentum de pedibus suis, neque audens aspicere contra Deum, ab Angelo Deum repræsentante intelligit, quo vergat rubus ardens & nõ comburens: *Vidi*, inquit, *afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius exaudiui: propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Hoc vtique significabat rubus ardens & non comburens, quòd Iudæi ab Ægyptijs vexati, illæsi euaderent, & cùm vastati viderentur, tunc maximè inclarescerent, Deo illos per Moysen liberante. Iosue, postquã viderat in loco campestri vibis Iericho virum stantem, euaginatum tenentem gladium, principem vtique exercitus Domini, & cecidisset pronus in terram, soluisseque calceamenta de pedibus suis ad instar mancipij in signum summæ humiliratis ca. 5. intelligit ab eodem, quomodo non humanis medijs, sed diuinâ ope vrbem Iericho superabit: vnde cap. 6. habetur: *Dixit Dominus ad Iosue: Ecce dedi in manus tuas Iericho, & Regem eius, omnesq; fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. Septimo autem die Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in tubicen, & præcedent arcam fœderis: septiesq; circuibitis ciuitatem, & sacerdotes clangent buccinis. Cumq; insonuerit vox tubæ longior, atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione magna, & muri funditus corruent ciuitatis, ingrediturq; singuli per locum, contra quem steterint.* Audijt Gedeon Iudic. 6 ab Angelo, coram quo se humiliauerat, dicens: *Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei*; audijt, inquam, *Ego ero tecum, & percuties Madian quasi vnum virum.* Idque duobus miraculis confirmauit, vt fidem Gedeonis augeret. Danielis etiam cap. 10. postquam Daniel vultum suum demiserat coram Angelo augusta formâ, illi apparente, audit ab eo causam aduentus sui: *Numquid scis*, inquit, *quare venerim ad te? & nunc reuertar vt prælier aduersum principem Persarum. Cum ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Verumtamen annunciabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis*, quasi dicat:

7. *Humiles merentur cognitionem rerum diuinarum.*

Exemplo.

Non

Non videris nosse cur ad te venerim, sed ego tibi dicam: veni vt dicerem tibi Primò, preces tuas esse exauditas quoad plenum Hebræorum reditum in patriam. Secundò, quid sit populo Persico euenturum. Tertiò, quid futurum sit in fine mundi; sed reuertar citò, vt in conspectu Dei resistam Angelo Persarum: nec enim omninò sum securus; grauius enim certamen mihi instare vereor ex Angelo Græcorum. Nihilominus priusquam ab eo, & ad pugnam redeo, breuiter tibi futura nunciabo, quæ expressa sunt in scriptura veritatis, id est, in libro præscientiæ & prædestinationis Dei, quæ verissima & certissima est, ac fallere nequit; nempe tria illa superiùs dicta, quæ Angelus cap. seqq. Danieli explicat. Tobias vterque similiter intelligit, qua ratione Angelus Raphael ad ipsos venerit, & licet humano modo comedere & bibere visus sit, se tamen sola visione Dei pastum & satiatum. Sic agit cum iustis Deus.

8. *Prou. 3. Familiaritas Dei cum iustis.* Vnde verè dixit Hebræus Sapiens: *Cùm simplicibus sermocinatio eius.* Cùm enim à Deo diuina mysteria sunt alicui reuelanda, potius rectitudo morum, quàm altitudo honorum spectatur. Concinit regius Propheta Psalm. 24. *Firmamentum est*, inquit, *Dominus timentibus eum, & testamentum suum vt manifestetur eis.* *Esa. 24.* In quem locum sic Theodoretus: *Hoc manifestum Symmachus & Theodosion interpretati sunt, Mysterium Domini timentibus eum, & testamentum ipsum declarabit illis. Ipsum autem Dominum audire licet per Vatem Esaiam, dicentem: Mysteria mea mihi & meis. Hæc enim non temerè omnibus, verùm timentibus aperit, diuinorumq; oraculorum propositum demonstrat.* Itaque Isaias Vates nullum discrimen inter Dominũ & seruos Domini, saltem ad diuina mysteria cognoscenda videtur interponere. *Seruus Dominum, idem est Domino.* Quid dico seruos, cùm Christus Dominus amicos appellarit? *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quod faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcumq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15. Nam, vt bene D. Greg. l. 27. Mor. c. 8. *Amicus*, inquit, *anima custos dicitur.* Sicut enim res custoditæ suum latere nequeunt custodem; ita neque Dei arcana Dei amicum.

9. De qua re Christus Dominus Æterno Patri gratulatur: *Confiteor*, inquit, *tibi, Pater Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Matth. 11. Vbi D. Gregorius lib. cit. cap. 7. egregiè notat, *paruulis* dixisse, non stultis. *Qui*, inquit, *non subiunxit, reuelasti ea stultis sed paruulis; tumorem se damnasse innuit, non acumen.* Diuinis enim, mysterijs cognoscendis, non ingenij felicitas, sed mentis cæcitas, durities & arrogantia aditum præcludit. Vnde est illud: *In manibus abscondit lucem, & annuntiat de ea amico suo.* Iob. 36. Hoc est, vt D. Gregorius, Hugo & Lyr. interpretantur, Magnatibus, superbis & fastuosis, qui à diuinis secretis agnoscendis repelluntur, ad quæ tamen humiles audienda atque intelligenda euocantur. Hoc euidenter patuit in supradictis, & 1. Reg. 3. in Samuele, cui Deus reuelauit, quæ abscondit Pontifici & Iudici Heli.

Esto ergo humilis, si edoceri à Deo cupis, quæ ad salutem tuam maximè spectant, quia ad humilitatem maiestas Dei inclinatur, teste Bernardo serm. 43. in Cant. *Ante*, inquit, *Rex, modò dilectus; ante in accubitu regio, modò inter sponsæ vbera. Magna humilitatis virtus, cui etiã maiestas Deitatis tã facile se inclinat. Citò reuerẽtia nomen in vocabulum amicitiæ mutatum est: & qui longè erat, in breui factus est propè.* Alludit ad illa verba Cant. 1. vers. 12. *Dum esset Rex in accubitu suo*, & alia ibid. vers. 13. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Adiungatur ergo cùm sublimitate factorum, eximia innocentia & humilitas, & Deum quodammodo trahes, seu elicies ad colloquium, & teipsum magis illustrabis. Verissimè Bernardus serm. 43. in Cantic. *Magna*, inquit, *& rara profectò virtus est, vt magna licet operantem, magnum te nescias; & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem: mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. Hæc ergo ipsis virtutibus mirabilius iudico:* quia planè est difficillimum.

10. *Ad hominis humilitatẽ, Dei maiestas inclinatur.*

Humilitas in sublimitate operum rarior, & mirabilior.

Discat ex hoc loco etiam anima fidelis bonis Angelis esse legitimum & commune, primùm terrere, deinde suos consolari, & corroborare. Solent enim homines ad aspectum & vocem superioris naturæ cohorrere, aut cùm tantam maiestatem sustinere non possunt, cadere in terram. Vidit Iosue cap. 5. Angelum, & cecidit in terram. Vidit Gedeon Iudic. cap. 6. & territus est, quasi viso Angelo mortem effugere non posset, atque ita dixit: *Heu mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini.* Viderunt parentes Sampson, Iud. 13. & quasi actum iam esset de ipsorum vita dixerunt: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* Vidit Zacharias, Luc. cap. 2. vers. 9. *& turbatus est videns, & timor irruit super eum.* Vidit Daniel cap. 10. & sic affectus est, vt ipse de se dixerit: *Non remansit in me fortitudo, sed species immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.* Quod ortum videtur ex insita hominibus opinione de immenso diuinæ maiestatis splendore, & Angeli Deum repræsentantis gloria. Nam Patriarcha Iacob cùm Angelum, vidisset, Genes 32. & cum eo luctatus esset, gratulans sibi quod mortuus non esset, exclamauit: *Vidi Dominum facie ad faciẽ, & salua facta est anima mea.* Hunc timorem vel ex errore natum, vel ex alia insita opinione de humanæ naturæ nostræ, à diuina, & alia quacũmque

11. *Angeli boni primò præsentia terrorem afferunt hominibus, deinde erigunt.*

Qua fiat transfusio istius terroris.

eumque ſpiritali abſceſſu ac diſiunctione, vel etiam ex agnaro conſcientiæ noſtræ ſenſu, & interiore videlicet accuſatione, diſtantis nos ob peccatum tam originale, quàm alia, indignos proſus eſſe Dei & Angelorum congreſſu: hunc, inquam, timorem ſtatim Angelus à ſuis remouet: *Angelorum*, inquit Magnus Antonius apud Athanaſium, *tanta benignitas eſt, vt ſi quis pro conditione fragilitatis humanæ timuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuo ex corde auferat metum, ita Gabriel cùm Zacharia loqueretur in templo: & Angeli cum diuinum virginis partum paſtoribus nunciarunt, & qui Dominici corporis agebant excubias, ſecurus ſe videntium mentibus oſtendentes, ne metuerent, imperabāt.* Plura ſuppetunt in hanc rem exempla Scripturæ, videlicet Gedeonis, quem Angelus poſt conſumptum igne ſacrificium, mori timentem ſic ſolatus eſt, *Pax tecum: ne timeas, non morieris.* Iud. 6. Item Tobiæ vtrique hoc loco præ timore humi proſtrato dixit: *Pax vobis, nolite timere.* Et Dan. 10. vbi nimis timentem Danielem ſic erigit: *Noli metuere Daniel*, vers. 12.

Angeli boni animos primò turbatos ſtatim tranquillant.

12. Hoc ergo indicium eſt boni ſpiritus, ſi cùm initio turbet, & terreat, ſtatim tamen ſedet, & tranquillet animos, magno Antonio teſte. *Cùm beatus*, inquit, *Angelus, bonis hominibus apparet, etiam ſi initio inſtato aſpectu timorem injecerit, ad extremum conſolationem, & animi tranquillitatem relinquit.*

SECTIO XI.

Quænam documenta nobis ſuppediſtent Angeli Raphaelis verba, quæ de cibo & potu ſuo dixit vtrique Tobiæ.

1. ANGELVS Raphael occurrens taciturnæ obiectioni, qua rogare eū potuiſſet Tobias: Si Angelus es, quomodo exerces actiones humanas, quales ſunt comedere & bibere? inſinuat longè abfuiſſe ab illo, vt humano indigeret alimento & poculo, cùm ſpiritualis ſubſtantia corporeo non poſſit ſuſtentari cibo; ſe autem inuiſibili cibo & potu vſum, qui ab hominibus videri non poteſt. Quibus verbis primùm docet Angelos poſſe quidem in aſſumptis corpotibus exercere operationes varias, quæ ſint maximè ſimiles operationibus vitalibus, vt ſecundum vel motum vel ſonū videātur cibū dentibus diuidere ac terere, & tandem in ſtomachum nutrimenti cauſa trajicere; non autem operationes propriè vitales: nam fieri nulla ratione poteſt, vt detur actio vitalis, quæ non ſit à principio vitali vitaliter operante, quale non eſt in Angelis: vnde Angeli tam Gen. 18. hoſpitio ſuſcepti ab Abraham, quàm Angelus Tobiæ, non verè comederunt, ſed tantùm apparenter propter ſimilitudinem, quam habuerunt cum comeſtionibus veris; ſed traiecerunt cibum & potum intra corpus à ſe aſſumptum, ibique eum reſoluerunt in aërem, perinde ac ſol humorem terræ in vaporem reſoluit & conſumit, non autem in ſe conuertit.

1. Documentum. Angeli non exercent propriè actiones vitales quales.

Ex quo patet, hominis dignitatem in hoc excellere præ Angelica: nam ex eo quod Angeli non poſſint propriè exercere actus vitales, non poſſunt conficere Sacramenta, cùm ad eſſentiam Sacramentorum requiratur verum & naturale verbum: quamuis ex alio capite etiam ſint ad eorum adminiſtrationem incapaces, quia non ſunt aſſumpti à Deo vt inſtrumenta iuſtificationis, quemadmodum Apoſtoli & Sacerdotes. Vnde D. Chryſoſtomus libr. 3. de Sacerd. enucleans illa verba Matth. 6. & 18. *Quæcunque alligaueris ſuper terram*, &c. inquit: Etenim qui *terram incolunt, atque in ea verſantur, ijs commiſſum eſt, vt ea quæ in cœlis ſunt diſpenſent: ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus opt. neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt, Quæcunque alligaueris in terra, erunt alligata & in cœlo: & quæcunque ſolueris in terra, erunt ſoluta & in cœlo. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum ipſum etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit: vſque adeò vt quæcunque inferne ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet.*

2. *Angeli ſunt incapaces ad confectionē & adminiſtrationem Sacramentorum.*

Secundò docemur alium eſſe ingenui ſpiritus metaphoricum cibum, quo exhilaretur, & quodammodo paſcitur diuinæ gloriæ ſtudioſus animus, quique id agit, & curat, vt omnia diuinæ voluntati læta, gratæque contingant: Huiuſmodi autem in domo Tobiæ habuit familiare pabulum, Angelus, quippe Angelorum eſt cibus, qui diuinum ſtomachum oblectat, & paſcit. Cibus eſt Chriſti facere patris ſui voluntatem, Ioan. 4. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Quidquid ergo animam ſanctificat, cibus eſt diuino palato, & eam ob rem etiam Angelica ambroſia, nectareque ſuauior. Lachrymæ pœnitentium cibum eſſe Angelorum dixit Bernardus ſerm. 30 in Cantic. *Lachryma*, inquit, *pœnitentium vinum ſunt Angelorum: quia in illis odor vitæ, ſapor gratiæ, guſtus indulgentiæ, reconciliationis iucunditas, ſanitas redeuntis innocentiæ, ſerenata ſuauitas conſcientiæ.*

3. *2. Documentum. Cibus Angelorum quidquid homines ſanctificat & purgat.*

Tertiò docet nos Angelus, hominem tunc ſatiari, cùm peruenit ad cæleſtem gloriam, vbi ſubſtantiæ Angelicæ aluntur, & pingueſcunt optimo cibo, qui humanis nequit oculis ſpectari, aut vllo corporis ſenſu contrectari

4. *3. Deus ſolus poteſt ſatiare animam.*

ri aut capi, qui Deus est, & vnus & solus explere potest capacissimos animæ sinus, illiusque famem & sitim satiare; Vnde Dauid, cui quotidie epulæ delicatissimæ ac regiæ abundabant quasi nihil eas æstimauit & ad delicias spirituales, quæ sunt in cælo; mentem dirigens, ait: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua* Psal.16. & penitius peruoluens animo, quantum sit Deo frui, inquit: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* q.d. Nihil creatum inuenio, quod mihi satisfaciat, nihil in quo cor meum penitus acquiescat, neque in cælo, neque in terra præter te Domine, tu solus es centrum omnium desideriorum meorum, tu pars mea, portio mea, hæreditas mea, totum id quod prætendere possum in æternum habeant alij partes alias, siue aurum & argentum, siue delicias carnis, siue superba palatia, siue regna & imperia; mihi Deus sufficit in hac vita, & in futura: quia si quando per amorem carnem meam & cor meum collocaui in creatis rebus, putruerunt & corruptæ sunt; tu solus es petra, in qua quiescit securè cor meum, vt neque cadere, neque deficere possit.

5. *Angelicum est, præter Deum nihil quærere.*

Multum profectò valet, nil aliud à Deo quærere, quàm ipsum Deum; id enim est in terris vitam ducere angelicam. Angeli edunt non edentes, sicut hîc inquit S. Raphael: *Etenim cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate illi. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Qui totum amorem in Deum transferunt, vtuntur hoc mundo, quasi non vtantur, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 7. se conformantes: *Fratres, tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. præterit enim figura huius mundi.*

Considératio cælestis felicitatis elimat affectum mundanum.

Qui cogitat seriò felicitatem cælestem arguit se quod eo vsque terrena desiderauit. Sic Psal. 72. regius Propheta: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram.* Terrenis inhiamus, quasi in ijs summa felicitas. In carcere nati videmur. Illi, tenebras illas, quibus innutriti sunt, eximij boni loco reputant. sed luminis aërei participes effecti, condemnant prius illud suum iudicium, & narrant qualibus spectaculis solis & stellarum, omnisque pulchritudinis, quæ in cælo conspicitur, præposuerint caliginem, cui assueti erant, quòd meliora ignorarint. Ita oportet nos Christianos Spiritus S. gratiâ illuminatos fastidire terrena, & amare cælestia, nam in solo Deo vera quies & felicitas; propterea ad illam perfectionem totis viribus conemur. D. Chrysostomus idcircò salubriter monet hom. 5. in epist. ad Roman. vt ametur Christus propter se: *Sunt*, inquit, *omnia propter Christum agenda, non propter mercedem. ob hoc & gehennam comminatus est, & calorum regnum promisit, vt à nobis ametur. amemus igitur illum, vt amare quidem par est. hoc enim magna certè merces, hoc calorum regnum, & voluptas, & delitiæ, & gloria, & honor, hoc lumen, hoc beatitudo infinita, quam ipsam nec oratio repræsentauerit, nec mens comprehenderit.*

Simile.

6.

Est & aliud singulare documentum, quod nobis præbent verba Angeli Raphaelis, singulariter ponderandum, nempe bona illa, quæ Deus promisit electis ad remunerationem, fore spiritualia, quibuscumque tandem verbis, terrena indicantibus, significata sint, per metaphoram in scripturis: ita vt toto genere differant à voluptatibus cibi & potus, & aliarum eiusmodi rerum externarum, vnde hoc cap. 12. Angelus de bonis loquens, quibus in altera vita perfruemur, inquit: *Ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Erunt autem homines in regno cælesti sicut *Angeli Dei*, Matth. 22. & Luc. 20. Item Isa. 64. & 1. Cor. 4. *Oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.* Et Matt. 19. *Habebis thesaurum in cælo.* Et Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum.* Siquidem res externæ procul dubio in cor, & in sensus hominis secundum naturam suam iam passim incurrerunt: illa autem bona erunt sublimiora omni sensu.

4. *Spiritualia bona sublimiora sunt omni sensu.*

7. *Quanti faciendum Eucharisticus cibus.*

Quid dicam? Ex his facilè colliget homo verè Christianus & spiritualis, quanti faciendus sit cibus ille, de quo Ioan. 6. dicit Euangelista: *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Qui vitam corporalem etiam sine alio cibo conseruare potest. Quemadmodum enim Elias olim ambulauit in fortitudine cibi illius, quem ab Angelo accepit, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb, 3. Reg. 19. ita multi Sanctorum solam Eucharistiam sumentes absque vllo victu in multos dies vitam protogarunt. Idque magna ratione fieri posse asseritur, vt notat D. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 14. Nam cùm diuinum verbum secundum naturam vita sit, corpus eius quoque viuificat; coniunctum, scilicet, ineffabiliter verbo, à quo vniuersa viuificantur. Et quidem, si corpus Helisæi exanime, in cadauer, quot tetigit, animam reuocauit, 4. Reg. 13. v. 21. quid mirum, si corpus Christi Domini ad diuinum verbum, quod est vera vita, hypostaticè assumptum, in vitam mortuos reuocat? Testis huius rei est S. Bonauentura lib. de perfect. ad Sororem, vbi scribit sæpè personas debiles in

Similes Pane Eucharistico vitâ dies sustentarunt.

S. Synaxi

S. Synaxi tantum sentire roboris, consolationis, & lætitiæ, vt ab eo robustæ discedant, perinde acti nulli infirmitati essent obnoxiæ. In vitis SS. Patrum legimus Sanctos nonnullos sine cibo, solâ Eucharistiâ sustentatos, vitam sanam & longæuam egisse. Palladius in Lausiaca cap. 15 scribit Ioannem Monachum cibum numquam sumpsisse, nisi die dominico Eucharistia & modico pane refectus, per reliquum hebdomadæ nihil amplius comedebat. Ludouicus Pius Imper. in supremo morbo quo obijt, totos quadraginta dies ieiunus transegit, Eucharistiam solam quotidie sumens, vt qui adfuit ei scriptor testatur, inquit Thomas Bozius tom. 2. lib. 15. de signis Eccles. cap. 2.

Exempla.

Scribit Sigebertus in Chronico, anno Domini 823. in ditione Tullensi puellam quamdam duodennem, sumptâ in Paschate Eucharistiâ per triennium omni cibo abstinuisse. S. Maria Oigniacensis, in Belgio sanctitatis famâ celebris, infirma cibum omnem respuebat, solâ Eucharistiâ viuebat & valescebat; ac subinde facies eius quosdam ex se radios lucis vibrare & diffundere videbatur, inquit Card. Vitriaco in eius vita lib. 2. cap. 12.

Scribit S. Gregorius Nazianzenus orat. 19. in funere patris, patrem suum ardentissima & diuturna febri exhaustum, sumptâ S. Eucharistiâ conualuisse, ac subiungit idem miraculum matri suæ aliquanto post contigisse. *Nam cùm numquam nō*, inquit, *dolore premeretur* (parer) *& quidem persæpè singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola liturgia robur concipiebat, ac morbus tanquam ex edicto & imperio fugatus se subducebat.* Idem in funere Gorgoniæ sororis suæ, scribit illam ad S. Eucharistiam orantem à membrorum omnium dissolutione, ac grauissimis cruciatibus quibus angebatur, sanitati, sibique restituram. S. Ambros. in funere Satyri fratris sui, scribit eum Eucharistia ad collū appensa è naufragio incolumē enatasse.

8. *Eucharistia fortitudinē confert Martyribus.*

Optimè Zacharias Vates, vocat, Eucharistiam frumentum electorum, quod videlicet efficit, vt à Deo eligamur ad vitam æternam, dicente Euangelista Ioan. 6: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Reddit nos validos, alacres, expeditos ad omne opus bonum æquè ac ad quoduis prælium quantumuis arduum ac difficile. Hinc Martyres Eucharistia se muniebant & roborabant ituri ad tribunalia, eculeos, catastas, & supplicia, vt patet ex S. Cypriano libr. 1. Epist. 2. ad Cornelium, eaque de causa Eucharistiam tempore persecutionis domum deferebant, vt illam instanti periculo sumerent. Dum enim Christi sanguinem pro nobis fusum suscipimus, roboramur & excitamur vti & nostrum sanguinem pro ipso generosè, & libenter profundamus, ait S. Cyprian. quia fortis est vt mors dilectio:

Mauden in Tobiam.

addiṫque eos in hoc prælio non posse fortiter pugnare, qui his armis induti non sint. Quocirca S. Anacletus à S. Petro quartus Pontifex & Martyr anno Domini 112. incrudescente persecutione Traiani sanxit, vt omnes Christiani sacrificio Missæ præsentes, eo peracto communicarent, vt habet eius vita & decreta.

Hinc rursum fideles rabiem & impugnationem dæmonum superare volentes, robur sumebant ab Eucharistia ad eam profligandam. Vnde D. Chrysostomus hom. 61. ad populum: *Tanquam leones*, inquit, *ignem spirantes ab hac mensa recedamus, facti diabolo terribiles, iuxta illud* Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Scribit S. Prosper de Promiss. & prædict. dimid. temp. cap. 6. Carthagine virginem quamdam energumenam, à dæmone vi Eucharistiæ liberatam. Hac de causa Christus ituus cum suis ad passionem, prius Eucharistiam instituit, sumpsit, & suis distribuit, vt nos idem in omni tentatione & tribulatione facere doceret. Vnde S. Chrysostomus loc. cit. *Cùm nos*, ait, *ab ira corripi videmus, vel ab alio vitio, cogitemus quibus facti sumus digni, & sit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio.* Hinc etiam D. Bernardus serm. in Cœna Domini rectè docet, suos Monachos hoc Sacramento, contra carnem ac Diabolum fortiter armatos esse: *Duo*, inquit, *illud Sacramentum operatur in vobis, vt videlicet, & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omninò consensum.* Quasi hoc Sacramento muniti prauis appetitionibus ac tentationibus facilè aduersentur. Et statim monet, vt hinc fortitudinem diuino Sacramento acceptam referant: *Si quis vestrum*, inquit, *non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut caterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Quasi hoc vno Sacramento omnes spirituales nequitiæ, & carnales concupiscentiæ penitus sopiantur. Sic & D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. c. 17. de hoc diuino Sacramento loquutus; *Non mortem solum*, inquit, *verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim feruentem nostrorum membrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & ab omni nos erigit casu.* Sed & D. Chrysostomus in Psal. 22. ad verba versus 5. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*: rectè ostendit quàm facilè in hac mensa omnes tribulationes carnis superentur: *Qui tribulationes*, inquit, *carnis habent, veniunt ad mensam potentis, & tribulationes fiunt consolationes.* Quasi in hac mensa cælestibus præsidijs firmentur, quibus aduersarias potestates demoliantur.

Eucharistia roborat ad Diaboli tentamenta.

Huius Sacramenti virtus quæ in nobis operetur.

Quanta sit velocitas demonis hanc mensam fugientis.

Quod idem Chrysostomus hom. quadam ad Neophytos in 5. tomo luculentiùs expressit: *Cùm*, inquit, *te egredientem post conuiuium Dominicum viderit inimicus, post cælestes epulas, tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, & deserit omni vento velocior, nec approximare contendit: & cùm cruentam linguam tuam de longè ille crudelis prospexerit, mihi crede, non stabit; & cùm os tuum senserit rutilare, gressum tuum retrò cum timore torquebit.* Et illustrat exemplo Angeli percutientis primogenitos Ægypti, qui vbi videbat litum sanguinem paschalis Agni, formidabat, & à cæde abstinebat, Exod. 12. Vnde egregiè argumentatus D. Chrysostomus: *Si Angelus*, inquit, *exemplo; quantò magis terrebitur inimicus, si ipsam prospexerit veritatem?* Itaque qui in hac mensa epulantur; non solùm spiritualem hauriunt vitam, sed etiam spirituales vires, quibus aduersus spirituales hostes fortiter prælientur. Vnde populus Israeliticus, postquam cælesti pane refectus est, Exod. 16. & aquâ de petra satiatus, Exod. 17. tunc primũ legitur ad bellũ prouocatus. Sequitur enim: *Venit Amalech, & pugnabat contra Israel.* Ibid. v. 8. non permittente Deo, vt antequam muniretur cælesti prandio, in prælium prodiret, ne facilè vinceretur: munitum autem illo cælesti cibo non dubitauit Deus in pugnam extrahere, facilè de hostibus triumphaturum, quem cælestis cibi præsidium confirmasset.

In bello pauis victoriã hac sacra sumptio.

Vnde & Otho Imper. prælium commissurus cum Hungaris, prius cum suis Eucharistiã sumpsit, ac deinde dimicans ingentem hostium numerum trucidauit, & illustrem victoriam obtinuit anno Domini 955. vti in eius gestis scribit Vdalricus, & ex eo Cardin. Baronius. Qui & anno Domini 1040. ex Curopalata & Cedreno narrat, Catalacum Præfectum Michaelis Imper. magnas Saracenorum copias Messanam inuadentes profligasse, militibus ante aciem sacro viatico communitis. Idem solitum facere ante prælia Henricum Imper. maritum S. Cunegundis, ex Petro Damiano, & Bonifacio narrat anno Domini 1022. Scribit Theodor. lib. 3. hist. cap. 3. Constantium Magni Constantini filium, milites suos hortatum ad percipiendã Eucharistiam ante certamen cum Magnentio. Idem fecisse Christianos in bello sacro cum Hierosolymæ obsiderentur, scribit Guill. Tyrius, & ex eo Molanus in Natal. Belgij 15. Iulij, Appendice 2. & plures alij.

9. Cælestis panis vitam præbet æternam, etiam de præsenti.

Tandem æternam vitam in Eucharistia communicari frequens Christi Domini oraculum conuincit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, Ioan. 6. Immò de præsentis *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* scilicet in spe certissima, & pignore iam possesso futuræ gloriæ. Nec mirum, d pane æternæ vitæ, vitam æternam nobis communicari: nam verè D. Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Ioan. cap. 37. *Viuificat*, inquit, *corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit: Non enim alterius cuiusdam, sed ipsius vitæ corpus est: virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum possessorem illius, quo vniuersa viuunt, & sunt.*

Hæc sunt præclara documenta, quæ ex Angeli Raphaelis verbis, Christiano vtilia sunt. Sumat ergo plenâ fide, & purâ mente mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis. sic Eucharistiam appellat D. Ignatius in Epist. 14. ad Ephes.

SECTIO XII.

An animæ Beatorum, aut in Purgatorio existentium, ad nos aliquando veniant, rebus humanis iuuandis, Deo iubente, vel permittente, sicut Angelus Raphael venit ad Tobiam?

I.

Probatur Angelos sæpè hominibus cum suis conditionis, & vbique apparuisse, rebus humanis iuuandis.

SANCTOS Angelos in assumptis corporibus quandoque rebus nostris interesse, non solum ex Historia hac Tobiæ patet, sed ex variis Scripturæ locis, quibus leguntur hominibus apparuisse videlicet Genes. 18. vbi Abrahæ in conualle Mambre ita se exhibuerunt Angeli, vt ab eo hospitio exciperentur, & tota familia Abrahæ ipsos quasi homines intueretur. Similiter apparuerunt Angeli Loth in Sodomis, Genes. 19. cùm illi auctores fuere, vt Sodomorum consuetudinem relinqueret; & quidem tali modo, vt impiorum conspectum non fugerent. Denique Scripturæ, quæ docent legem Dei, Angelorum ministerio ad Iudæos perlatam esse, Act. 7. & aliæ, Luc. 1. & 2. Act. 5. & 8. quæ plurima per Angelos docent præstita esse & perfecta, satis reuincunt apparitionem Angelorum, vti & illæ, quæ designãt quibus locis, & quibus hominibus apparuerint. Nunc enim ruri apparuerũt, Gen. 32. nunc inter priuatos parietes domi, Iud. 6. nunc in tẽplo, Luc. 1. nunc in fornace accensa, Daniel. 3. nunc in carceribus, Act. 12. nunc in sepulchris mortuorum, Matth. 28. nunc in locis desertis, ab omni hominum frequentia separatis, vt Genes. 21. Sed & omnium generum hominibus sese spectandos exhibuerunt. Gentibus, inquam, Act. 10. Iudæis Luc. 1. & Christianam fidem profitentibus, Act. 12. mulieribus, Matth. 28. & virtis Act. 13. hominibus integræ & inculpatæ vitæ, Luc. 1. atque barbaris, 2. Machab. 3. ætate prouectis, Genes. 18. & quorum adhuc tene-

tenerior eſt ætas, Daniel. 3. nobilibus & generis ſplendore claris, 2. Machab. 3. atque ignobilibus, vti Geneſ. 21. Ancillæ Agar.

Adeò vt tot ſuppetant exempla, vt etiam ad rem hanc barbaris perſuadendam nihil amplius requiratur.

2. An verò animæ Beatorum, aut de ſua ſalute ſecurorum in Purgatorio exiſtentium, Deo iubente vel permittente rebus humanis iuuandis aliquando ad nos redeant, ſicut Angelus Raphael, de ſe teſtatus eſt, non omnium æqua eſt fides. Verùm antequam ad quæſitum adæquatè reſpondeam, diſtinguo: Vel ſermo eſt de reditu ad hanc vitam mortalem, vel de regreſſu animarum ad nos pro certo negotio. Prius aſſerit ſacra pagina aliquando fieri. Lege caput 9. Actuum Apoſtolicorum, & comperies quamdam diſcipulam in Ioppe nomine Tabitham plenam operibus bonis, & elemoſynis, quas faciebat, è viuis exceſſiſſe: & à S. Petro ad inſtantiam viduarum flentium, & oſtendentium ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Thabitha, precuiâ oratione ſuſcitatam, ac ſanctis & viduis viuam aſſignatam. Eam credunt Doctores vel è purgatorio fuiſſe reuocatam; vel ſi nihil purgandum habuerit, ſuſpenſam fuiſſe eius beatitudinem: quia deſtinabat Deus eam remittere ad vitam mortalem, orante S. Petro, ad viduarum vtilitatem.

Animæ beatorum ad vitam mortalem reuerti ſolent.

Exemplum viduæ Tabithæ.

Item Saluij. Scribit Gregorius Thuronenſis lib. 7. Hiſtor. Francor. cap. 1. S. Saluium, qui poſtea fuit Epiſcopus Albigenſis, cùm defunctus raptus eſſet ad cælum ibique vocem Dei audiſſet: *Reuertatur hic in ſæculum: quoniam neceſſarius eſt Eccleſiis noſtris*, ingemuiſſe, & dixiſſe, *Heu, heu Domine, cur mihi hæc oſtendiſti, ſi his fruſtrandus eram? Ecce hodie ejicis me à facie tua, vt reuertar ad ſæculum fragile, & huc vltrà redire non valeam: Ne quæſo, Domine, auferas miſericordiam tuam à me, ſed deprecor, vt permittas me hic habitare, ne illuc decidens peream.* Et ait vox quæ loquebatur ad eum: *Vade in pace: ego enim ſum cuſtos tuus, donec reducam te in hunc locum.* Id veriſſimè creditur, cælo deſtinatos, à certo ſalutis ſtatu, non reuocari ad dubium, ſed certos eſſe de ſalute: alioqui enim beneficium eis non eſſet, ſed potius maleficium. Chriſtina ſanctitatis famâ celebris, defuncta, & deducta ad Purgatorium, videns horrendas animarum pœnas, optionem accepit à Domino: *Optionem*, inquit, *tibi facio, vel nunc in æternum apud me permanere in gloria, vel redire ad terras, ibiq; harum animarum pœnas luere, eaſq; illis liberare, efficereq; vt homines tua pœnitentia & vitæ exemplis ad me conuerſi, à ſuis facinoribus abſtineant & reſipiſcant, ac peracto omnibus, ad me multis auctis meritorum cumulis reuerti.* Illa verò ilicò reſpondit, ſe ad corpus velle reuerti; ac reuerſa admirabiles pro animabus illis ſubiit cruces & pœnitentias.

Anima redeuntes certa ſunt de ſalute in hoc mundo.

Mauden in Tobiam.

quibus peractis glorioſè ad Deum tranſijt. ita habet eius vita apud Surium die 23. Iunij c. 3. & ſeq. quàm laudat Iacobus de Vitriaco Epiſcopus & Cardinalis.

3. *Non eſſe ſuperſtitioſum, animarum beatarum apparitiones aſſerere.*

Quo ad poſterius plures repetire eſt, qui ad ſuperſtitionem omnia reuocant, quæcumque de animarum apparitione afferuntur, & tanquam muliercularum ſomnia explodunt, & aliquibus hæc aſſerere, pro ſua auctoritate ſatis eſt. Alij ſunt, qui rem ſpecioſam faciũt, neſcio quibus malè intellectis Scripturis. Quia enim mortui dicuntur dormire, vt 2. Petr. 3. negant rebus noſtris adeſſe poſſe, & *Puluis ſumus*, inquit Propheta, *homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri efflorebit, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet locum ſuum amplius.* Pſal. 102. Sed & *Omnes morimur, & velut aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* 2. Reg. 14. Addunt alij Abrahami orationem Chriſti auctoritate confirmatam; qui non mortuos mittendos docet, ſed *Moyſen & Prophetas audiendos.* Luc 16.

4. *Exempla Scripturæ.*

Verùm hi ſine ratione inſaniunt, cùm exploratum ſit ex diuino oraculo animas Beatorum, aut in Purgatorio exiſtentium rebus humanis, certis de cauſis quandoque intereſſe. Defunctus enim Samuel viuo apparuit Sauli, 1. Reg. 28. eique finem vitæ ſuæ prædixit: *Quid interrogas me*, inquit, *cùm Dominum receſſerit: abiit, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, &c.* Et Siracides Eccleſ. 26. cum multa de Samuele illuſtria dixiſſet ſubiungit: *Et poſt hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ.* Quod ſanè alibi Samuel feciſſe non legitur, quàm loco cit. Anima Moyſis ſiue in corpore proprio, illi ad tempus, diuina virtute, reſtituto ſiue in aſſumpto, vnà cùm Elia, obtulit ſe Chriſto in monte Thabor, & tribus primariis Apoſtolis, Petro, Iacobo, & Ioanni, vt refertur Matth. 17. & Luc. 9. Animæ Oſiæ & Ieremiæ Prophetæ per viſum ſe exhibuere Iudæ Machabæo, eique ad hoſtes patriæ debellandos animum addidere, 2. Machab. 15. Extendit enim Ieremias dexteram, & dedit Iudæ gladium aureum, dicens: *Accipe ſanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies aduerſarios populi mei Iſrael* Et ita feliciter pugnarũt, vt ex inimicorum caſtris triginta quinque caderent hominum millia, & cùm illis, Dux ipſe Nicanor, cuius Machabæus abſciſſum caput, & manum cum humero ſuſpendit è regione templi, quaſi diuinæ virtutis illuſtre trophæum, linguam verò quæ contra Deum verba inſana, blaſphemaque protulerat, in minutiſſimas conſiſam partes volucribus carpendam tradidit, edixitque quod communi conſilio decretum fuit, vt dies ille anniuerſariâ

uersaiâ celebritate coleretur.

5. *Exempla ex Scriptoribus Ecclesiasticis desumpta.* Apostoli Petrus & Paulus in somnis apparuere Constantino Imperatori eique remedium lepra, ostendêre: vti refertur in Septima Synodo Act. 2. & testantur Historici complures. Ioannes Euangelista & Philippus Apostolus apparuerunt Theodosio, eique victoriam aduersus Eugenium promisere, quæ statim non sine ingenti miraculo secuta est. Idem visum, cuidam militi, eodem tempore oblatum est, ne ab impetatore confictum putaretur refert Theodoretus lib. 5. hist. cap. 24. Idem Euangelista, cum B. Virgine, augustissimâ specie, se exhibuit Gregorio Thaumaturgo vigilanti, eumque mysterium Trinitatis edocuit. Rem totam & ipsam doctrinæ formulam refert Gregor. Nyssenus in vita Thaugmaturgi.

6. Beata Virgo, cùm insigni beatarum Virginum choro, apparuit cuidam puellæ, cui nomen Musa, eamque ad sanctiorem vitam traduxit, & breui cùm illis virginibus futuram promisit. Eadem visio eidem puellæ rursum post triginta dies, cùm mors instaret, se obtulit: refert S. Gregor. lib. 4. dial. cap. 17. Eadem B. Virgo apparuit Ioanni Patritio, & ostendit qua ratione opes suas optimè collocaret, quod ipse nosse iam diu desiderabat: atque vt fides certior huic visioni constaret, eadem nocte apparuit Liberio Summo Pontifici, & similia monita dedit. Veritatem huius visionis declarauit nix locum Ecclesiæ in monte Esquilino signans, & magnifica basilica ibidem opibus Ioannis ædificata. Refertur in precibus Canonicis, & in monumentis Basilicæ S. Mariæ Maioris. Apparuit Ioanni Damasceno, eiusque manum, fraude & calumniâ per Leonem Isaurum structâ, abscissam restituit: vt testatur Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus in eius vita. In cuius rei fidem relicta in brachio ad locum incisionis rubra linea. Refert Gregor. Turonensis lib. de Gloria Martyrum cap. 8. puerum quemdam filium vitriarij Iudæi à parente in ardentem fornacem coniectum, eò quòd vnà cum Christianis in æde B. Virginis Eucharistiam sumpsisset: verùm illæsum conseruatum; & iam egressum reuulisse, se contra vim ignis protectum ab illa, cuius imaginem in templo viderat.

7. Omitto innumeras eiusdem beatissimæ Virginis apparitiones. Extant & aliorum Sanctorum plurimæ. Sancta Agnes post mortem choro beatarum virginum stipata, parentibus ad ipsius monumentum pernoctantibus apparuit, eosque consolata est. Eadem se per visum exhibuit Constantiæ Constantini filiæ, eiusque vlcus insanabile curauit. refert Sanctus Ambrosius sermone 90. Sancta Potamiena tertio à suo martyrio die astitit Basilidi suo carnifici per noctem, & capiti eius coronam imposuit, dicens, se illi gratiam à Domino impetrasse propter humanitatem, qua erga illam vsus fuerat: quam ob causam & ipse Christianus factus est, & pro fidei confessione mortem subiit, narrat Eusebius lib. 6. histor. cap. 5.

Mirabile est quod subiicio exemplum S. Stanislaus cum à Boleslao rege vrgeretur proferre tabulas, vel testes venditionis agri, quem à Petro quodam, ante triennium defuncto, pro Ecclesia emerat, ne quisquam auderet pro eo testimonium ferre, omnibus regis itam meruentibus; ipse spiritu zeloque Dei correptus, *Quoniam*, inquit, *deminuta sunt veritates à filijs hominum, de terra veritas oriatur, & iustitia de cælo prospiciat. In nomine IESV CHRISTI cui seruio, & cuius Ecclesiam tueor, recipio me abhinc tertio die ipsum Petrum viuum, ipsius veritatis & æquitatis causa mea ad hoc tribunal ducturum.* Inde tres dies orationi & ieiuniis vacans, adit Petri sepulchrum, eumque nomine Dei omnipotentis compellans, *Exi*, inquit, *foras Petre, ac sepulcra à viuis veritati mortuus de sepulchro perhibe testimonium.* Prodit ille triēnalis mortuus, quem dextrâ apprehensum Stanislaus ad tribunal Regis adducit. Tum ille: *Ego sum*, inquit, *Petrus, qui testimonium veritatis redditurus ex quietis sedibus huc venio. Huic ego rus meum iusto pretio vendidi, & addixi.* Regem deinde ac hæredes suos increpat, quod sancto viro negotium absque causa facessat. ita habet eius vita, & Breuiarium Polonicum die 13. Martij. Postquam verò Petrus testimonium reddidisset, quæsiuit ab eo Stanislaus Episcopus, Cracouiensis postea Martyr: *Visne Pater, vt gratitudinis ergo petam, à Domino vt liceat tibi nobiscum ad annos aliquot in terris commorari?* Cui respondit Petrus: *Ego pater sancte nolim in hac vita permanere, quam rectius mortem appellandam censeo; sed illam potiùs verè beatam, in qua videtur præsens Dei vultus. Verser in Purgatorio, spero me breui ad superos migraturum. Tu quæso, mi pater, pro me ora, vt id citò fiat.* Promisit Stanislaus se curaturum quod petebat, & ille rediens ad sepulchrum, animam rursus expirauit.

8. Infinitum esset recensere omnia, quæ de apparitionibus animarum de sua salute certarum (de quibus hic solùm agimus) reperiuntur apud Scriptores. Nimiæ impudentiæ est, dicere illa omnia esse conficta. Hoc enim est tollere fidem omnium historiarum, & plurimis viris sanctitate & eruditione clarissimis, auctoritate grauissimis crimē imponere falsi, idque absque vlla probabili ratione.

9. Quid ad hæc? Non dubito quin relictis historijs, quoad scripturæ probationes statim obiicies indignum cēseri virum sanctum Samuelem à pythonissa suscitari, adeoque non

non fuisse animam Samuelis, quæ apparuit Sauli; sed inanem vmbram arte dæmonum suscitatam, eò magis quòd nihil protulerit Sauli ad consolationem, sed potiùs ad desperationem. Quid ais? Nescis iustorum animas in manu Dei esse, & mortuorum animas non posse excitari, verborum seu characterum efficacitate, aut vlla dæmonum arte, seu potentia dæmonum, sed quasdam fingi ab illis mortuorum imagines, seu inanes vmbras, quibus viuorum oculis specie vanâ illudunt: adeoque nullo modo excitatum à pythonissa Samuelem, sed antequam pythonissa expediret, & applicaret veteratoris illius artis instrumenta, & carmina proferret Necromantica, excitata fuit à Domino Samuelis anima, & euentu ipso subsecuto, præuentum & occupatum magicum studium; non minus quàm Nuntij ex parte Ochoziæ Regis 4. Reg. 1. missi ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, impediti fuerunt per Eliam interuentu Angeli. Quod & ipsa Scriptura satis insinuat: quia simulatque allocutus est Saul pythonyssam illam, & à metu eam liberauit, quem ex ipsius Saulis contra maleficos edicto, conceperat, apparuit Samuelis anima: Sic enim ait facer textus: *Dixitq; ei mulier, quem suscitabo tibi? qui ait, Samuelem mihi suscita. Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: quare imposuisti mihi, tu es enim Saul.* Vidit vtique statim antequam exspectaret illum esse venturum, quia illa nondum leges impleuerat Necromanticas, aut quia nō illo apparebat modo illa animata species, quo apparere solent animæ, quæ fingunturmagicis elici carminibus. Interrogata enim à Saule, *Quid vidisti*, respondit: *Deos vidi ascendentes de terra*, quasi diceret: Maius aliquid video, & diuino similius in eo, quem ascendentem de terra video, quàm in aliis, qui magicis eliciuntur carminibus. Talis enim apparebat Samuel, qualem illum extremo vitæ tempore agnouerat Saul, videlicet senex, Iudex & Propheta, & sacerdotali munere functus, ideoque pallio amictus. Est autem vsitatum inter Gentiles, vt quidquid eximium est, & naturam, aut statum hominum videtur excellere, Deum esse dicant, aut diuino simile; à quorum ingenio non longè aberrant, qui inter Hebræos, mores aut artes expressere Gentilium. Adhæc iuxta translationem Septuaginta lib. 1. Paral. c. 10. in fine apertè dicitur visus esse Samuel: *Interrogauit Saul in ventriculo ad quærendum, & respondit ei Samuel Propheta.* Adde locum Eccles. 46 vbi breui quadam complexione omnia fermè Samuelis gesta illustria narrantur: & totus locus in laudando Samuele à versu 16. vsque ad finem capitis consumitur.

Anima mortuorum nec dæmonū vi, nec verborum suffosarti possunt.

Samuel non fuit à pythonissa suscitatus, sed à Deo.

10. Porrò si tantum apparuisset Samuelis vmbra, & hæc veteratorio dæmonis artificio simulata, quæ esset Samuelis tanta commendatio? Turpi potiùs, pars hæc extrema, Samuelis vitam obscuraret notâ, quàm illustraret encomio. Quis porrò sanus sibi persuadeat eâ figuratâ, aut phantasticâ Samuelis oratione, contra impietatem, quam ipse induxerat, & omni studio firmare laborabat, aliquid diabolum fuisse molitum? Prophetia præterea non est ab inani vmbra, neque aliquo [illegible] propheta esse dicitur, nisi propria loquatur [illegible]ce, qualis hæc fuisse dicitur. Non audiuit vox esset Samuelis, si à diabolo fuisset in Samuelis imagine formata. Neque refert quod tristia Regi denunciarit, missus enim à Deo fuit Samuel, vt impium Regem corriperet, eique supplicia instantia denunciaret, sicque eum ad pœnitentiam hortaretur. Concionatoris enim & Prophetæ subiit munus, cuius officium, hominibus breuitatem vitæ proponere, & dicere illud Isaiæ Vatis: *Dispone Domui tuæ, quia morieris, & non viues.* item, *Stulte hâc nocte tollunt à te animam tuam.* Et alia eiusmodi, quibus sanctum inducant timorem.

Vera Samuelis anima apparuit, non inanis eius vmbra.

11. Illud exploratum est, non rarò vindictæ sumendæ à peccatoribus causa, similes appariticnes factas. Ob fores coronatas, Christianus tempore Tertull. diuinitus fuit flagris cæsus: quod factioni hæreticæ communicasset. Netalius eodem modo ab Angelis exceptus, auctore Eusebio serm. 117. inter editos Louanij, de ciue Hipponensi, vt rem sibi notam, ob delatum peieraturo iusiurandum, similia narrat Augustinus. De Laurentio Cantuariensi Episcopo, fugam à grege meditante, ei B. Petrum plagas inflixisse, est testis Beda lib. 18. cap. 33 Hospiti, Mauritio imperante, B. Virgo in somnis apparens, eò quòd blasphemantes hospitio non eiecisset, vimini genua circumarauit, & mane tibiæ à cruribus inuentæ absessæ, vt habetur in Nicephori historia. Quod si ergo peccatores ansam arripiant desperandi, cùm similia audiūt, extra controuersiam est, culpâ vacare Concionatorem, sibi reum id debere imputare, quod bono pharmaco sit abusus. Similia est cernere in hoc facto Samuelis; qui, quæ ad pœnitentiam apta proponebat, Saul in malum succum conuertit.

Lib 5. hist. cap. 28.

Beda lib. 2. hist cap. 6.

12. Quod alij scrupulum injiciant ad verba Samuelis; *Cras tu, & filij tui mecum eritis*, quasi significasset Saulem in Abrahæ sinu iustorum nempe receptaculo futurum, absurdum est. Nihil enim aliud Sauli Samuel significare voluit, quàm illum è viuis excessurum esse, sicut ipse excessit, & aggregandum esse defunctorum numero, Qui loquendi modus vsitatus est Hebræis, qui dum aliquem mortuum esse significant, hoc fermè modo explicare

plicate solent: *Appositus est ad parentes*, seu *aggregatus est cum mortuis*; quod non tam ad animam, quàm ad corpus pertinet. Et in Scriptura sæpiùs audimus aliquos appositos esse ad parentes suos, aut cum parentibus dormisse, quorum vita & mores fuêre dissimillimi.

13. *Solvuntur obiectiones antea positæ.*

Quæ verò initio dixi, quosdam contra animarum apparitionem in medium producere, facilem admittunt solutionem. Quod primum, dormiebant Moyses, Onias [illegible] remias (mortui enim iam fuerant multis culis) & tamen ille cum Christo vi[illegible] multa loqui, vt Matth. 17. In tua præsentia animos addunt Iudæis, 2. Mach. 15. Quod si ipsorum dormire vocas, nunquam in hominum conspectum redire; corporum tollis resurrectionem: si otium & sensuum omnium quietem; in omnes prorsus animas, ne Deum dicam, es iniuriosus. Somnus hic, huius, quam circumferimus, sarcinæ est depositio, & ipsamet mors: cuius imaginem quidam somnum esse dicebat, Ouidius 2. de mor eleg. 9. Sic *omnes morimur*, *& velut aqua dilabimur*. & certè, si illæ non reuertuntur, nos quandoque sumus reuersuri. Neq; enim errabat Iob, cùm dicebat cap. 19. *Scio, quia redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse.* Certùm est omnes animas, ad iudicium esse prodituras, vt dicitur 2. Cor. 5. Certum est, veterum Patrum spiritus, qui ante Christum natum & passum, in limbo detinebantur, ibi iam amplius non detineri, vt insinuatur Psal. 67. Abrahami vox & oratio tantum abest, vt hanc nostram assertionem euertat vt vel maximè confirmet. Neque enim negat fieri posse, vt ad viuos redeat Lazarus, qui Epulonis fratres admoneat; sed iudicat non expedire: quando omni exceptione maiores testes sunt, quibus credere possunt, Prophetæ videlicet & Moyses. Maneat ergo sartum tectum, animas præfatas ad nos, rebus nostris redire posse.

14. *2. docetur ex animarum apparitionibus, animã non interire cum corpore.*

Libuit prolixius hasce obiectiones soluere, quia apparitiones animarum de rebus grauibus nos admonent. Primùm vtique docent, animam hominis non interire cum corpore, brutorum more, vt impiè docuerunt Saducæi, Matth. 22. & Arabici quidam apud Augustinum de hæresibus cap. 83. sed corporis ergastulo exutam, immortalem persistere, & eorum quæ in vita gesserunt, præmia vel pœnas referre.

2. possibilem esse corporũ resurrectionem.

Secundò docent, non impossibile esse corporum resurrectionem, cuius quædam similitudines sunt hæ spirituum apparitiones, esto alia sit illorum corporum propriorum, alia assumptorum ratio. difficilius non est Deo proprium restituere, quam accommodare alienum: quod Deus Ezechieli Vatiocinium ostendit cap. 37. cum sub typo ossium aridorum reuiuiscentium ex auditu verbi Domini, significat captiuorum in Babylone liberationem, qui non habebant spem reditus in patriam, & symbolicè resurrectionem mortuorum. Quam futuram demonstrauit Christus, dum ostendit se multoties post mortem in corpore glorioso: item Sancti apparêres post mortem. Ita S. Acholius Episcopus Thessal. apparuit S. Ambrosio, dicens se in cælo quiescere, vti refert Ambros. lib. 3. epist. 22. Ita S. Agnes post mortem patentibus apparuit, dicens: *Ne me quasi mortuam lugeatis; nam vnà cum his virginibus vivo apud illum in cælis, quem in terris tota mente dilexi*, vti refert idem S. Ambros. ser. 90.

3. Deum viuis & defunctis dominari.

Sed & Deum viuis simul atque defunctis dominari, perspicuè hinc colligitur: quando & defunctorum animas in negotiis Dei occupari; & Dei nutu atque voluntate gubernari; non secus atque viuentium res perspicimus.

15. *4. animam esse spiritualem.*

Quid, quod ipsarum animarum conditio & natura, non parum hac ratione innotescat? Intelligimus hinc ipsas ad Angelicas mentes, & prorsus, spirituales creaturas proximè accedere. Intelligimus non ea lege corpori coniunctas esse; vt sine ipso nequeant subsistere. Intelligimus non ita intelligendo phantasmatibus indigere, vt si ipsis destituantur, prorsus otio debeant dissolui. Adde, quod, si diligentius animum aduertamus, insignem quoque in hoc negotio Dei prouidentiam & potentiam perspicimus: quando talem Spiritum creauit, qui & corpore non videatur egere, cùm corporis nexibus absolutus in peregrina sè forma exhibet: & à corpore non videatur posse separari, quando corporis mole est circumdatus. Denique societatis, quæ nobis cum ipsis communis esse debet, nos admonere videntur: ne ideircò illam deponendam putemus, quia grauem hanc, vt ita dicam, corporum sarcinam deposuerunt: sed tanto studiosius fouendam, & augendam sciremus; quanto ipsi præter status sui conditionem, plura nobis argumenta, eius & conseruandæ & augendæ præbent. Plura seligat alius si libet documenta; hæc mihi sufficiunt.

5. Mirabilis Dei potentia innotescit.

SE-

SECTIO XIII.

Peculiares aliquos Angelos præter Angelum custodem, ad hominis vtilitatem, aliquando mitti. Et an rectè crediderit Tobias hunc Angelum esse bonum.

2. OMNIBVS hominibus, ab ortu ipsorum, attribui proprium Angelum custodem, communis Theologorum est sententia: deinde singulis Regnis atque Prouinciis etiam infidelium singulos Angelos esse præpositos, docent plerique Patres, & confirmant ex cap.10. Danielis, vbi introducuntur quatuor Angeli, quorum vnus erat Princeps Persarum, alter Princeps Græcorum, tertius Gabriel Princeps captiuorum in Perside, quartus Michael Princeps populi Dei. Adhæc tàm opere Deo salus hominis cordi est, vt non solum demandet, quæ ad bonum cuiusque hominis spectent, siue illa animi sint, siue corporis Angelo ordinario custodi, sed ad speciales effectus, peculiarem Angelum, aliquando mittat. Sic Isa: 6. ad Isaiam Vatem conquerentem quòd vir pollutus esset labiis, volauit *vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os eius, & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* quasi dicat Esaias: Cùm in ea essem cogitatione defixus, quod polluta haberem labia, ecce aduolat ad me vnus de Seraphinorum numero cum candenti carbone, quem de altari forcipe tulerat. Is ergo cùm labiis ardentem admouisset calculum, vt illo purgatorio igne impedimentum, quod à peccato natum erat, ab ore iam purificato remoueret, Ecce, ait, tetigi os tuum, & quod in ea iniquum erat atque pollutum, confestim excedet. Vnde idem est ac si dicat Angelus: Ecce hoc signo tactus labiorum imaginario significat Deus te & tibi peccata remittere, & te implere spiritu prophetico, ac simul fiduciâ & magnanimitate, vt superato metu Magnatum intrepidè deinceps prophetes, ac populi, procerumque cæcitatem arguas. Luc.1. Gabriel Angelus apparet Zachariæ incensum adolenti stans à dextris altaris incensi, eique aperit exauditam esse deprecationem suam, Christumque, pro cuius aduentu orauerat, iam iam aduenturum ex hoc cognosceret, quod vxor illius Elizabeth illi pareret filium appellandum Ioannem, qui videlicet ostenderet eum, qui peccata remissurus est, dicendo, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et quia incredulus erat verbis ipsius propter suum & vxoris senium, respondit illi Angelus: *Ego sum Gabriel, qui assto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.* Postquam verò hac ratione veritatem horum dictorum confirmarat, Zachariam pœnâ, eius credulitati conuenienti, corripit: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* Raphael Angelus in hac historia dicit se missum à Deo, vt Tobiam senioren sanaret, Saram liberaret ab Asmodæo.

Præter Angelum custodem datur cuique Regno peculiaris.

Ad salutem hominum Deus mittit particulares aliquos Angelos.

Exempla.

1. *Probatur mitti extraordinarios Angelos ad hominum salutem.*

3 Certum autem indicium, ex quo colligi possit, non esse Angelos ordinarios custodes, qui homini iam & tunc patrocinantur, sed extraordinarios, videtur esse quod dicantur mitti. Tales fuerunt illi, qui Genes.19. dixerunt ad Loth: *Habes hic quempiam tuorum? generum aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac: delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Talis fuit ille, de quo dixit Abraham ad Eliezer, seruum domus suæ seniorem, quem adiurauerat, vt è terra & cognatione sua acciperet vxorem filio suo Isaac, & cùm hæreret seruus an ad votum posset secum ducere mulierem aliquam de Mesopotamia, confortauit eum Abraham hisce verbis: *Dominus Deus cæli & terræ, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens, Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum coram te, & inde accipies vxorem filio meo.* Gen.24. Talis fuit & ille, de quo Daniel missus in lacum leonum, dixit ad Darium Regem, Angelica ope absque vlla læsione præseruatus: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi; quia coram eo iustitia inuenta est in me; sed & coram te Rex, delictum non feci.* Talis denique fuit ille, de quo dixit Petrus Act.12. mirabiliter liberatus è carcere: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Quòd planissimè reuincunt verba sacri textus, quæ sequuntur post enarrationem specificam mirifici egressus Petri è carcere, *Et exeuntes processerunt vicum vnum*, videlicet Angelus & Petrus, *& continuò discessit Angelus ab eo*, nimirum disparuit Angelus dimittendo corpus assumptum, illudque in aerem, & sua elementa resoluendo. Sicut enim natura & Deus nec desunt in necessariis, nec redundant in superfluis; sic & Angeli. Satis erat Angelo Petrum in tuto collocasse, sibique restituisse: non ergo vlterius cum eo progreditur, sed quasi officio & legatione sua perunctus discedit; reliquum Petri industriæ committit. Pontifices & Scribæ in Petro quasi in Capite conabantur extirpare nouam Ecclesiam & Christianissimam; sed Deus eorum consilia, & spes euer-

tit, ac conuertit in maius Ecclesiæ bonum, & maiorem Petri gloriam, mittendo peculiarem Angelum è cælo, qui eum liberaret. Vnde Petrus ad se reuersus, qui se existimauerat antea à se visum videre, & comperiès se longè à carcere deductum ope Angelica, ita vt securus esset à militibus, & ab excubitoribus palatij Herodis, dixit: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & liberauit*, &c. Et hoc loco constat Angelum Raphaelem fuisse extraordinariè missum ad salutem Tobiæ & Saræ, quia dixit ad Tobiam legatione iam peractâ: *Tempus est, vt reuertar ad eum, qui me misit.*

3. *Etiam ex supremis ordinibus destinantur Angeli ad hominum salutem.*

Quid dicam? Non solum constat ex prædictis alios præter Angelum custodem ad hominum salutem, & vtilitatem à Deo demandari: quin etiam ex supremis hierarchijs extraordinariè mitti ad externa hominum ministeria. Vnde rectè Apostolus: *Omnes sunt administratorij spiritus missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Hebr. 1. Appositè Cyrillus in cap. 6. Isaiæ *Idem quasi iugum est omnibus spiritibus, & heroïs nutui seruiunt; non indignam ducentes seruitutem, sed honori laudiq; ducentes. Hæc virtus germana, atque genuina illis inest.* Sic, vt iam vidimus, Seraphim missus est ad Isaiam, Cherubim ad Paradisum cum flammeo gladio atque versatili ad custodiendam viam ligni vitæ, vt ab eius aditu prohiberet tum Adam & homines, tũ etiam dæmones, ne scilicet ipsi paradisum ingressi fructum arboris vitæ discerperent, quem hominibus offerrent, pollicentes eis immortalitatem, vt ea ratione ipsos ad sui amorem, & cultum pellicerent. Sic Michaelem scimus missum in adiutorium Gabrielis, vt citiùs posset peruenire ad Danielem, eiúque aperire preces suas fuisse exauditas.

4. *Angeli perfunctis negotijs redeũt ad Deum.*

Cùm verò negotijs perfuncti sunt suis, ad maiestatem diuinam; quæ eis hoc negotium demandarat, reuertuntur, & hoc est, quod Raphael hîc dicit, *Tempus est ergo, vt reuertar ad eum, qui me misit.* Sapienter igitur Cyrillus loc. cit. *Omnia ab illis supremis potestatibus ornatè, splendidèq; administrantur, & administrationis termini, finesq; gloria quique sunt constituti à Deo, qui omnia pro arbitratu suo dispensat.* Et verosimile est eosdem propterea corpora assumere ex aëre, quem sua virtute condensant, & ad quascumque formas volunt, componunt, vt munijs suis expletis in priorem formam facilius redire possint, naturali virtute; non secus atque calefacta aqua infrigescit. Si enim ex terra & aqua corpora formarent, non ita subitò ex hominum sensibus se subducere possent, quemadmodum illi qui Abrahæ in conualle Mambre, & Loth in Sodomis apparuerunt, & hîc qui Tobiæ alijque qui se nostris sensibus in instanti subtrahunt: *Cùm hæc dixisset*, inquit textus, *ab aspectu eorum ablatus est, & vltra eum videre non poterant.* Cùm iniunxisset admiranda Dei opera assiduâ commendatione prædicare, è vestigio ab illorum oculis euanuit.

Angeli formant sibi corpora ex aëre, & quare?

Verùm enimuerò inquisitione dignum est, cur vterque Tobias, his auditis, nullum dubium mouerit, an Angelus bonus fuisset, qui comes viæ fuerat, & hæc dixerat; sed *prostrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt mirabilia eius.* Dicit enim Ioannes, *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex Deo sint*; præterquam quod Angelus satanæ se transformare possit in Angelum lucis. Iosue cùm illi appareret in campestribus Iericho Angelus in schemate ducis militum, illicò rogauit eum: *Noster es an aduersariorum?* Disquirit interrogatione quis esset, nec adorat incognitum, Iosu. 5. Iacob Patriarcha audit à filio suo Iosepho eius somnia, quæ illum euehendum supra patrem ac matrem ac fratres portendebant, ipse rem tacitus considerat, num videlicet ab insanâ mente, aut superbo spiritu, an verò à Deo procederent, Genes. 37.

5. *Non statim credendum est cuique eius.*

Dum Israëlitæ à Madianitis quasi opprimuntur, & Gedeon grana excuteret in torcular, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: *Dominus tecum, virorum fortissime.* Et paucis interiectis à querula voce Gedeonis, audit idem: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian: scito quòd miserim te*, & postquam obiectâ humilitate familiæ, quæsiisset: *Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel*, audijt: *Ego ero tecum: & percuties Madian quasi virum vnum.* Nihilominus vt experiretur, an is, cum quo loquebatur, Angelus esset, vel Propheta à Deo missus, petit humiliter signo id demonstrari, vt securus procedat. Iudic. 6. Audit Samuel vocantem Deum, nec respondet Domino, sed accurrit ad Heli, donec monitus esset ab ipso, quomodo se gerere deberet. Helias discernit inter turbinem, commotionem, ignem & auram tenuem, cùm à Deo consolationem expectat tristis ob persecutionem Iezabel, quæ mortem ipsius iurabat, & perpendit prudenter, in quo illorum Dominus se manifestaret, 3. Reg. 19. vbi eiusmodi sermo ad ipsum: *Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; non in spiritu Domini, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* Et immediatè post: *Quòd cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio spelunca.* Cognouit quod non in tur-

turbine, neq; in ingenti metu, neque in igne adesset Dominus, sed quod hæc antecederent Deum, quasi stratores viarum & præcursores ad parandum hospitium: in aura verò refrigerante, ac placida adesse Dominum percepit, ex qua diuinam accepit vocem, & ab ea mandatum, vt recta inde abiret Damascum, & ibi Regem Syriæ Hazaelem designaret, & Iehu Regem Israel, & pro se Prophetam vngeret Heliſæum. Hæc à metu liberabant sollicitum animum Prophetæ, cùm occidendi dicantur illi, quorum vt effugeret longas, & cruentas manus, tam longam intenderat, & molestam fugam. Item mærentem spiritum à dolore leuabant, quia graue dicitur inferendum bellum diuini nominis inimicis, & his qui in Israelitico populo gentilicam fouent religionem. Quotquot enim hi vncti dicuntur, & quasi bellorum duces designati, illos præsertim insectabuntur, & magnis afficient detrimentis, qui à vero Dei cultu ad superstitionem vanam transfugerunt. Iubetur primum Elias per desertum pœnè repetitis magna ex parte vestigijs adire Damascum, vt ibi vngat Syriæ Regem Hazael, quem acerrimum hostem experientur Israelitæ. Deinde Iehu Regem Israel, qui familiam Iezabelis, & Achab sic insectabitur hostiliter, vt omninò deleat. Deinde sui spiritus, ac muneris successorem designet, qui quod ab alijs reliquum fuerat ex impio idololatrarum ordine, ipse persequatur, & extinguat. Salutat virginem sacratissimam Gabriel Archangelus, Luc. 1. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, an videlicet à Deo, an à dæmone, ab Angelo lucis, an ab angelo satanæ, vt optimè Euthymius, neque acquieſcit, donec ab Angelo plenè instructa mysterium intelligeret.

6. *Tobias vterque prudenter ſibi perſuaſit Angelum eſſe.*

Tobias verò noster, nullum mouet scrupulum in terram prosternitur, & ad gratiarum actionem prouoluitur. maiestatem nullam viderat augustam, qualem Daniel latè describit se vidisse cap. 10. Quid causæ quòd nihil dubitaret, nihil inquireret; sed supplex & venerabundus gratiarum actioni omninò incumberet. Dicam quod res est. Considerauerat iam sæpiùs in mercenario, plura intercedere, quæ diuinum aliquid sapiebant, & plusquam humanum. Prædixerat patri quærenti, quomodo gaudere posset, qui non videret lumen cæli, illum breui curandum: *forti*, inquit, *animo esto, in proximo est vt à Deo curetur*. Ostenderat ipsi iuueni modum quo immanem piscem, ipsum inuadere conantem, facili modo ad terram protraheret. Prædixerat Saram filiam Raguelis diuinitus illi destinatam vxorem. Liberauerat domum Raguelis à vexatione Asmodæi. Consilium dederat, quo patera longa cæcitate subitò sanaretur. Et cùm de compensandis beneficijs sedulò cogitarent, explicat se Angelum Dei esse, & nihil allegat eorum, quæ maligni spiritus adducere solent, aut rem suspectam reddere possent. Adhæc omninò credibile est, verba Angeli Raphaelis non fuisse nuda, sed coniuncta diuinæ virtuti, quæ intellectum vtriusque Tobiæ illustraret, vt agnoscerent vera esse quæ proferebantur; quemadmodum censet Cardinalis Toletus cum Zacharia actum a Luc. 1. cùm Gabriel illi dixit: *Ego ſum Gabriel, qui adſto ante Deũ, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare* Ad quæ verba Cardinalis Toletus: *Quia Zachariæ incredulitas in eo poſita erat, quod de veracitate perſonæ annuntiantis dubitauit, Angelus perſonæ ſuæ excellentiam, & cuius nomine loquatur, aperte denuntiat, vt ſe omni exceptione ſuperiorem, & omni dignum fide declaret. Ego, inquit, ſum Gabriel, qui non ſum de Angelorum qualumcumque numero, ſed adſto ante Deum, id eſt, de primis qui adſtant ante Deum, iuſſa eius executuri. Alludit ad illud Tob. 12. Ego ſum Raphael, vnus ex ſeptem, qui adſtamus ante Deum. Præterea non meq; auctoritate tecum locutus ſum, ſed miſſus à Deo; verba ergo Dei ſunt, quæ dixi tibi. Præterea non infauſta tibi prænuntiaui, vt timore futuri mali occaſionem aliquam non credendi arriperes, ſed euangelizarem, & bona annuntiarem: igitur nulla te ratio compulit, vt de meis dictis dubitares, quamuis magna, & ſupra naturam annuntiauerim.* Et paucis interiectis ad rem nostram subiungit: *Attende non fuiſſe hæc verba nuda, nam nec ei fidem Zacharias dediſſet, ſed coniuncta diuinæ virtuti, quæ intellectum Zachariæ illuſtrauit, vt agnoſceret vera eſſe, quæ nunc proferebantur.*

Non temerè itaque æstimauit illum esse Angelum, cùm nimis probabilem haberet rationem, quem mercenarium putauerat, esse ex præcipuis cæli spiritibus vnum: vnde meritò ad gratiarum actionem confugit, veritus ingratitudinis vitium nimis detestandum incurrere, propter virtutem diuinam, quam toties expertus fuerat. Et rectè. Hanc enim magni ponderat Deus. Cùm in Corozain, & Bethsaida multa feciſſet miracula Christus, & nullus sequeretur fructus, sic intonuit in habitatores earundem: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sydone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes: quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, forte manſiſſent vſque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi.* Matth. 11.

7. *Gratiarum actionem magni facit Deus.*

Ingratus à Deo grauiter puniendus eſt.

Vnusquisque nostrum hic se excutiat, videatque quam gratus fuerit pro beneficijs in se

in ſe collatis. attendat quas improperationes à Deo expectare debeat, quâ verecundiâ afficiendus, quo rubore in oculis omnium, quod pro tam multis beneficijs nec gratias rependerit, nec vitam emendarit. Cogitet quibus pœnis ingratitudo illa ferienda, quid in excuſationem adferre poſſit, qui longè pluribus beneficijs donatus, pluribus ſe grauioribuſque ſceleribus commaculat. Quod experientia teſte in multis experimur nimis eſſe verum. Cogitet igitur Chriſtianus, magnam requirere à nobis gratitudinem beneficia diuina, cùm inſigni vitæ mutatione. Ponderet quàm multi vix centeſimâ diuinorum in ſe beneficiorum collatorum parte ſuffulti, ob duo aut tria peccata grauiora tormentis addicti ſunt æternis, non addicendi, ſi vel decimâ beneficiorum in te collatorum parte præuenti à Deo fuiſſent. Si Tobias iuſtus, & multa ob gloriam Dei perpeſſus tantopere cauit ingratitudinis officium, quid tu reſpondebis ad Dei tribunal, qui peccatis obrutus, beneficia Dei, quæ te ad meliorem vitam vocabant, flocci pendiſti?

Dei beneficia requiſita ab homine, vicem ... dantem.

Libri

Libri TOBIÆ Capitis decimi-tertij

SYNOPSIS.

TOBIAS hoc capite prius orationem habet, qua laudet intimè Deum, ſeque in perpetuum facere promittit: & vt alij imitentur ſeriò hortatur. Poſtea de Ieruſalem tanquam in typo, & de Eccleſia præcipuè, illuſtre vaticinium ſubiungit, vbi multa, eaque glorioſa prædicuntur de Hieroſolyma reſtituta, quæ ad duodecim tribus ſe extendunt, quarum decem iam tunc erant variè diſperſæ, duas verò non diſſimilis exitus, manebat. In deſcribenda porrò Hieroſolyma poſt exilij ſordes, & Eccleſia cum aliquo reſpectu ad cæleſtem Hieruſalem, mira eſt oratio Tobiæ prophetica.

VERSVS I.

Aperiens autem Tobias ſenior os ſuum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſæcula regnum tuum.

Verſ. 2. *Quoniam tu flagellas, & ſaluas: deducis ad inferos, & reducis, & non eſt, qui effugiat manum tuam.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 1. 2. Tobias ſenior Dei magnitudinem primò ſuis commendat, & regni illius ſine vllo termino durationem. Deinde extollit beneficia, quæ numerauit Angelus: quia nimirum Deus percuſſit prius, deinde ſanauit inflictam plagam, & collapſa aut ſublata commoda reſtituit, etiamſi quis ad extremum malorum peruenerit, ab illo reſtituitur, neque vllus quantumuis potens effugere poteſt Dei manum ſiue vindicem, ſiue probantem.

SECTIO PRIMA.

Quid ſignificet, Tobiam aperire os ſuum. Et ab æternitate Dei magnitudinem verè eſſe prædicabilem.

1. TOBIAS ſenior laudauerat Deum trium horarum ſpatio, deinde admiranda Dei opera obuijs quibuſque effuſâ prædicatione narrauerat, nõ ſuffecit hoc illi, ſed pluribus aggreditur diuinorum operum enarrationem: *Aperiens*, inquit Scriptura, *Tobias ſenior os ſuum benedixit Dominum*, id eſt, magna dicturus de immenſitate Dei, iam primùm videtur os aperire.

2. Quid hoc eſt? qui admiranda Dei opera obuijs quibuſque prædicauit, quomodo poſtea dicitur, os ſuum aperiendo, benedixiſſe Dominum? Attende, mi Chriſtiane; Non vult Scriptura dicere, quod tunc prius aperuerit os ſuum Tobias, cùm magna dicturus erat de immenſitate Dei. Illud enim nõ conueniret cum præcedentibus, quæ apertiſſimè pronuntiant: *Proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.* Sed quod de Deo mira dicturus ſermonem alium inchoabat. Ad cuius rei intelligentiam nota, *os aperire*, non vnàm in ſacris litteris habere ſignificationem. Hebræis *os aperire*, eſt loqui incipere. Vnde

Verbum, Os aperire *varia ſignificatio.*

Vnde aliqui volunt verba, quæ Matth. 5, de Chriſto habentur, *Aperiam os ſuum*, eſſe hebraiſmum. Rurſum *os aperire*, aliquando ſignificat liberè & clarè loqui. Sic Ezechielis 24. dicitur aperiendum os Propheticum, quando certo nuntio de excidio Hieroſolymæ, ac ciuium clade conſtabit: *In die illa*, inquit ſacra pagina, *cùm venerit fugiens ad te, vt annunciet tibi*: &c. *aperietur os tuum cum eo qui fugit, & loqueris, & non silebis vltrà*. In die illa, inquit, aperiam os tuum, vt non iam amplius obſcurè in ſymbolo, atque ænigmate loquaris; ſed apertè, & ſine vllo verborum integumento. Loquebatur, quo tempore hæc audijt Propheta, imò & locutus ante fuerat ſæpè; ſed quia obſcurius plerumque atque in ænigmate locutus videbatur; & quaſi ore aut clauſo, aut impedito: iubet Deus, vt poſtquam à Nuntio, qui communem ciuium, ac ciuitatis ſtragem, teſtis ipſe oculatus, retulerit, excidium illud lamentabile didicerit, aperiat os ſuum, neque iam amplius obſcurè, ac timidè loquatur, cùm audaciam ex rerum euentibus, quos antè prædixerat, poſſit aſſumere. Vide etiam Cap. 29. v. 21. vbi dicit Deus, quod eo tempore, quo excitanda erit oppreſſa Iudaici nominis gloria, dabit Ezechieli *apertum os in medio eorum*, qui ſcilicet timidè ac dubitanter loquuntur. Illi autem aut mutire & muſſitare, aut ore clauſo loqui exiſtimantur, quia magis illi opprimunt, & obſcurant, quàm exprimunt, ac dilucidant cogitationes ſuas. Talis videri poterat Ezechiel, qui pleraque locutus eſt inuoluta parabolis, & quaſi ore titubante, ac clauſo: ſic Deus, qui in Teſtamento veteri per Prophetas ſuos quaſi clauſo, atque obſignato loquebatur ore; poſtea in nouo, quia clarius, & ſine vllo integumento quid vellet, expreſſit, aperuiſſe dicitur os ſuum.

Os clauſum & aperium quid.

3. Verùm omiſſis alijs ſignificationibus, *Os aperire*, aliquando hunc habet ſenſum, vt is, qui præclara dicturus eſt, os aperire dicatur, ſeu tunc primùm loqui. Et ſanè ex vſu Scripturæ, frequenter ſignificat *os aperire*, quid præclarum, & extraordinarium in medium adducere, quod reſpectu præcedentium dictorum longè excellens eſt. Sic Iob cap. 3. quamuis multa præclara cap. 1. & 2. protuliſſet. & poſtea, cùm diu ſilentium tenuiſſet, dolorem ſuum, ærumnoſamque vitam eo dicendi modo ſignificaret, qui Iſraelitis & Idumæis videtur fuiſſe familiaris, & execrationis præ ſe ferre ſpeciem, dicitur os aperire: *Poſt hæc*, inquit textus, *aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo*, &c. id eſt, execratoriâ quaſi oratione vim doloris maximam apertè indicauit, ſicut videlicet Ieremias cap. 20. eadem de cauſa etiam maledixit diei, in qua natus erat, quia durum illi erat ſuis anothytis tã infauſta annuntiare, atque à Deo acceperat in mandatis. Vnde & Iob beatos appellat qui aut in maternis viſceribus extincti ſunt, aut qui cùm primùm emerſerunt in lucem, periêre. Deinde quot in morte commoda ſint, quamque illa deſiderari ſoleat, & debeat, eleganti oratione deſcribit. Dolor autem, deſperatio, ac metus, & ſi qui alij affectus ſunt eiuſmodi; aut anguſta & ærumnoſa conditio, nullo modo poſſunt explicari commodiùs, quàm vitæ faſtidio; aut mortis deſiderio. Sic Mathathias lib. 1. Machab. c. 2. hac figura ſignificauit quàm doleret grauiter patriæ ſuæ, gentiſque fortunam. cùm dixit: *Va mihi: vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ?* Quod perinde eſt ac ſi diceret: Vtinam natus non eſſem, aut periiſſet vtinam dies natiuitatis meæ: ne ego vnquam in lucem prodiiſſem. Sic cùm Iezabelem Elias fugeret, & de ſua ſalute deſperaret 3. Reg. 19. *Petiit animæ ſuæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Sic Paulus ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.*

Sæpè in mœtis voto, aut vita tædio exprimitur ingens dolor.

Os aperire, idem quod aliquid præclari proferre

Siracides cùm multa præclara ad mores ſpectantia à ſacris aliis Scriptoribus prætermiſſa æternitati tradidiſſet, inquit: *Aperui os meum, & locutus ſum*, Eccleſ. 51. Vt, inquit, veſtræ ſiti & inopiæ ſatisfacerem, & ad ſalutem vobis vtilia panderem, aperui os meum, & locutus ſum verba ſapientiæ, quibus ſitis veſtra reſtingui poterit. Cùm Ezechiel comeſtione libri, viſione gloriæ Dei, crebra iuſſione, & corroboratione factus quaſi adamas, excitaretur, vt liberè propheraret Iudæis obſtinatis, inquit: *Aperui os meum, & cibauit me volumine illo.* id eſt, Cùm Deus per viſionem imaginariam mihi offerret volumen, illudque iuberet comedere, ſeu in ſignum legationis omnes ſermones ipſius, quos loquebatur ad me, in intima animæ meæ ruminando & meditando, tranſmittere, vt cum affectu & feruore interno, ac toto animo & ſpiritu ea proloquerer, *aperui os meum, & cibauit me volumine illo*. Viſus ſum mihi volumen illud comedere; videbatur enim mihi, quod Deus volumen in os meum ingereret, ac faceret, vt illud deuoratem, dum docuit me cuncta quæ in eo erant ſcripta, minas videlicet, & excidia Iudæorum, aliarumque Gentium, eis à Deo decreta, & quemadmodum cibus & vinum ſanguinem & ſpiritus excitant, & nouos ſuggerunt, qui linguam faciunt diſertam, ſic plenè excitatus ſum accipiendo volumen prophetiarum à Deo, vt munere Propheræ liberè fungar, quod mihi per traditionem voluminis commiſſum eſt. Sic ergo *os aperire* ſignificat ad grandem legationem idoneum fieri. Quando Chriſtus Dominus Matth. 5. ſermonem illum inſignem de perfectiori vita dictu-

dicturus erat, sacra pagina inquit: *Aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu.* &c. Non quòd antè locutus, aut etiam concionatus non esset: sed quòd nunquam ante sublimem illam de Euangelica perfectione doctrinam proposuisset. Tunc ergo aperuit os suum, id est, diuina mysteria, vt ait Hilarius, quæ ante tacuerat, patefecit: sicut magnus ille apud Ciceronem Orator Brutus, cùm multa de Oratore perfecto disputasset, victus ad extremum precibus, & adiutores nactus idoneos: *Dicam*, inquit, *quod semper tacui, semperq; tacendum putaui. Mibi quidq; optimè dicunt, quidq; id facillimè facere possunt, nisi initiò dicendi contremiscant, penè impudentes videntur.* Et Act. 10. S. Petrus post visionem lintei & quadrupedum, significantem Gentibus palam aperiri ostium ad Euangelium & Ecclesiam, iussus instruere Cornelium in fide Christi, cùm idipsum aggrederetur, sic exordium ipsius describit Spiritus sanctus: *Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* q. d. Deus in distribuendis suis fidei & gratiæ donis non respicit personam, an videlicet Iudæus iis an Gentilis, sed vtrilibet eam offert, ac præsertim *in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

4. Sic hoc loco Tobias senior immensas Dei laudes magis explicaturus, etiam dicitur os suum aperire, hoc est, singularia ad Dei laudem spectantia in medium prolaturus. Cùm Daniel. 3. sacra pagina recensere vellet, qualiter Dei magnalia prædicasset Azarias, in medio fornacis, solutus à vinculis, & ab igne cum socius liber, inquit: *Aperiensq; os suum in medio ignis, ait: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in sæcula.* Sic, inquam, Tobias aperiens os suum *benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum.* Deum prædicat à magnitudine, & à regno ipsius sine vllo termino duraturo. Post oculorum recuperationem, post perfectam acceptã sanitatem, post non solùm filij, sed suæ vxoris visionem, & tandem postquam vidit filium cum magno reuersum comitatu, magnisque diuitiis, dum vix cum vno egressus socio fuerat, incipiens Deum laudare, & gratias illi agere, non à visu incepit recuperato, non à reditu filij, non à diuitiis acceptis, sed illum ab æternitate regni laudauit, de quo summopere, & plus quàm omnibus lætabatur. *Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum.* De hoc sanctus lætatus est senex, de hoc exultauit, Deum scilicet pro Rege habere magno, & excelso, & insuper quod regnum suum in omnia esset sæcula, nullo modo timens aliquando domi-

Tobias Dei laudat à regni ipsius æternitate, & quare.

natum Domini sui defuturum, de hoc intimè gaudebat, & simul cum illo gaudent omnes Sancti, dum vident Dominum illorum, regnaturum in perpetuum. Sic Hebræus Sapiens de iustorum Domino sermonem faciens, postquam dixit de gloria Sanctorum, *Fulgebunt iusti, & quasi scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt dominationes, & dominabuntur populis*; subiicit: *Et regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Quibus verbis magnam insinuat felicitatem iustorum, quod talem Regem habeant, qui perpetuò regnabit.

Magna felicitas est iustorum habere Dominum pro Rege, & perpetuò.

5. Quotquot sunt in sæculo potentes, quotquot sceptra tenent, breui habebunt finem: Dei autem regnum in æternum manet. Appositè Philo Iudæus lib. *quod Deus sit immutabilis. An putas rem vllam mortalem veram esse, & non tanquam in suggestu quodam ab inani, & incerta opinione sustineri, non aliter quam somniorum ludicra? Quod si non libet singulorum fortunam perquirere, vide regionum integrarum, & gentium mutationes. Floruit quondam Gratia, sed Macedones potentiam ei abstulerunt, postea Macedonia viguit opibus, sed diuisa in plures portiones, debilitata est, donec omninò interijt. Ante Macedonum imperium inclyta fuit Persarum felicitas, sed vna dies tam ingenti regno finem attulit; & nunc Persæ, penes quos paulo antè fuerat imperium, sunt Parthorum prouincia. Fuit AEgypti olim peramplа & magnifica potentia, sed nubu in modum præterijt eius potentia. Quid AEthiopes? quid Carthago in Africa? quid Pontici Reges? quid Europa, Asiaq;, & vt compendio dicam totus orbis habitabilis? nonne more nauis fusq; deq; iactata marinis fluctibus, nunc secundo vento, nunc aduersis vtitur? Nam Verbum diuinum choreas in vrbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat, & omnes gentes circumlustrando, nunc hu, nunc illis Imperia vel tribuit, vel adimit.* Et paucis interiectis, *Nihil ergo est in humanis rebus ac negotiis præter vmbram, auramq; leuissimam sine mora præteruolantem*: Sed Deus in æternum manet.

Regnorum huius mũdi inconstantia

6. Verùm enimverò altiùs respexisse videtur Tobias, quam vt Deum ab æternitate simpliciter laudaret. Id enim magnum non est homini fideli. Vnde non puto abertaturum à scopo, qui diceret Tobiam Assyriis voluisse prædicare Dei æternitatem, vt dignoscerent Deos suos, seu Idola nihil esse, & superari à vero Hebræorum Deo, adeoque durare non posse eorum regnum. Moueor ex cantico Moysis, qui submersis in mari rubro Ægyptiis cum Pharaone, neminem vult comparari Deo Israelitarum. *Quis similis, inquit, tui in fortibus Domine? Quis similis tui? magnificus in sanctitate: terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia?* Exod. 15. 11. Quod idem est ac si dicat: Hanc fortitudinis tuæ declarationem, dum considero, Domine, exclamare lubet, quis inter eos, qui fortitudine excellere existimantur,

Dei veri æternitas commendatur, respectu fatuitatis & breuitatis Idolorum.

siue illi dij appellentur, siue homines sint, tibi queat comparari? Quis, inquam, similis est tibi Domine? Quis sanctitatis præconio ita se effert, vt debeat, cum formidine & religioso metu laudari, sicut tu Domine, qui solus patrator es miraculorum, quæ ab aliis diis nequeunt fieri? Nemo profectò est qui vel sanctitatis tuæ sublimitatem æquare valeat, vel potentiæ magnitudinem, per quam, & impiis terrorem incutis, & iustis suppeditas laudis argumentum. Et postea cum petiisset Moyses, vt populus introductus in terram promissam, altissimas ibidem ageret radices, subiungit v. 18. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.* Sensus est: Erunt hæc: quia Dominus, quem Israel colit, amplissima & plusquam regia pollet virtute. Euertit principatus & regum ditiones: dudumque contriuit capita draconum in aquis, ne populo suo nocerent. Victor ergo & triumphator Deus, in omnem sæculi æternitatem regnabit; imò vltra omnem temporis prælentiam.

7. *Moyses non tantum lætatur de inimicis subactis quàm de Dei perpetuo dominatu.*

Atque hinc, vt apparet, Moyses obtentâ victoriâ aduersus Ægyptios, nihil iudicauit se dicere, etiamsi præclara in medium proferret, veluti sunt hæc, *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est. Equum & ascensorem dejecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem*; & eximia illa quæ sequuntur cap. 15. Exod. nisi comparatione facta inter illum & idola v. 11. tandem versu 18. adderet: *Dominus regnabit in æternum & vltrà*, velint, & nolint videlicet inimici eius.

Scriptura regno Christi eius apponit semper æternitatem.

Et quia illud ad summum Dei honorem spectat, hinc est, quod quotiescumque Prophetæ, sacraque Scriptura aliqua de regno prædicunt Messiæ, semper in illo notam apponunt æternitatis, vt Isa. 14. v. 1. & 1. Paralip. 17. 12. promittens Deus Messiam Dauidi ait: *Cumq; impleuerit dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam, regnum eius, ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius vsque in æternum.* Hinc rursus factum est, quod Angelus annuncians Virgini dominatum, filiique sui Principatum, non contentus fuit dicere ipsum Regem, & Dominum futurum; sedemque Dauid possessurum; sed illud addit Christi Regni peculiare, scilicet ipsum nunquam finem habiturum, Luc. 1. v. 32. *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quod apposuit Angelus, vt lætitiam accumularet Virginis, imò perficeret, regnumque Christi à Dauidis regno discerneret perpetuitatis, æternitatisque notâ, Acutè adnotat Augustinus in libr. ad Orosium contra Priscillianistas, & Origenistas, Angelum non solum dixisse regnaturum Christum in æternum, sed apposuisse, *& regni eius non erit finis, quod non casu dictum*, inquit Augustinus, *sed, ne quisquam hic sic æternum acciperet, quemadmodum sæculum, finem quandoque habiturum.* Quapropter non improbabilis censeri debet hæc explicatio: quia planè corruit Idolorum fabricata & ficta Majestas, cùm Dei veri adstruitur æternitas.

Angelus cur perpetuitatē regni Christi Virgini annunciauit.

Porrò si ad verba subsequentia quis oculos & mentem conuertat, optimus & genuinus sensus erit, quod magnitudinem & æternitatem Dei commendet Tobias: quia nimirum Deus illum percussit prius, tenuitque vehementer, deinde per Raphaelem sanauit inflictam plagam, & collapsa, aut sublata commoda restituit. Id enim valet illud, *flagellat, & saluat*; Vnde idem est, ac si dicat Benedico Dominum qui magnus, æternus, & immutabilis est, & tantam vicissitudinem circa hominem, ad melius bonum, aut ordinat, aut permittit, aut procurat ab æterno. Æternitas enim Dei est fons, origo, & causa omnium temporum & sæculorum: hæc enim ab illa emanant & oriuntur, sicut radius à sole, sicut aqua ex fonte, sicut scintilla ex igne. Quare sicut varij radij vicissim & successiuè emanant à sole, variæ aquæ ex fonte, variæ scintillæ ex igne; sed idem semper manet constatque sol, idem fons, idem ignis, qui hos radios, has aquas, has scintillas iugiter iaculetur: ita varij dies, anni, ætates, tempora, omnesque sæculorum ordines & vicissitudines ab æternitate Dei emanant; sed ipsa sibi semper eadem, fixa & immota constat æternitas. Ipsa enim est, id quod in rota axis, quod in circulo centrum.

8. *Æternitas Dei adstruit vicissitudo rerum.*

Æternitas Dei causa vicissitudinum temporis.

Sanè D. Paulinus censuit non modicam vim in consideratione æternitatis Dei esse positam; nam ex eo capite Epist. 34. scriptâ ad militem quemdam, illi suadet vt temporaneo Cæsare derelicto, ad illum accedat, qui omnibus dominatur, qui Rex æternus, qui cum regno perenne consortium largitur. *Nequis enim*, inquit, *quicumque terrenus Rex totius terræ Dominus est, Christus autem totius mundi Dominus, & Rex est, & ipse est Rex Regum, & Dominus dominantium, & in terris, & in mari, & abyssis omnia, quæ vult, facit: hunc igitur sequamur, huic militemus, cui communia* (notanda verba) *numquam disjungitur miles, qui militantibus sibi gloriam vitæ æternæ, honorem regni cælestis, & dominæ hæreditatis suæ, & diuinæ cognitionis consortium perenne largitur.* Imitatus videtur in hoc S. Paulinus magnum illum Apostolum, qui cum salutaria monita daret Virginibus, & coniugatis Corinthijs, postquam dixerat, *Tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tan-*

9. *Cur potius Deo quam Regibus seruiendum.*

tanquam non vtantur: subiũgit hanc clausulam: *Praeterit enim figura huius mũdi*. Non tribuit mũdo formam Apost. quia illa solidior est, & cõstantia, sed figuram, quæ mobilis est, fugax e-nanida. *Nolite*, inquit Anselm *constantem mundum diligere, quando ipse, quem diligitis non potest, constare. incessum cer, quasi manenter figitis, dum fugit ipse, quem amatis.* Si mundus fugit, ergo & nuptiæ, de quibus egit Apostolus, & omomnia quæ clauduntur in mundo, prætereunt. Est enim mundus instar scænæ, in qua peragitur fabula vitæ huius homines personæ sunt, intrant, abeunt: locus theatri est terra. *Generatio praeterit*, inquit Ecclesiastes c. 1. vers. 4. *& generatio aduenit, terra autem in aeternum stat.* Duæ in scena sunt portæ, ingredientibus ortus, egredientibus occasus, siue mors; vestes hic quisque commodatò accipit: qui regem agit, non auferet secum purpuram, quam hic gestauit. breui finitur hæc comœdia. Audi Senecã: *Prima quæ vitam dedit hora carpsit.* Vulgò dicimus, Dic mihi, ô villa, ô præbenda, ô pecunia quot dominos habuisti, & quot adhuc habitura es? Dic, vbi Salomon ille rex sapientissimus, vbi Sampson fortissimus, vbi Absalon pulcherrimus, vbi Cicero disertissimus, vbi Aristoteles acutissimus. Tot clari proceres, tot rerum spatia, tot ora præsulum, tot membra fortia, tot mundi Principes, tanta potentia? in ictu oculi clauduntur omnia. O esca vermium, ô massa pulueris? ô ros, ô vanitas, quid sic extolleris? quid quæris? quid ambis? Felix qui potuit mundum contemnere. Pulcherrimè & breuissimè singularum rerum quæ sunt in hoc mundo fugacem vanitatem, sigillatim, & quasi punctim perstringés describit Nazianzenus tract. de vitæ itineribus, qui extat sub finem operum eius, & multis similitudinibus eam illustrat, quas prolixitatis vitandæ causa omitto, lectorem ad Authorem remittens.

Mundana omnia sunt transitoria.

Patethicè verò Hebræus Sapiens cap. 5. v. 8. impiorum querelam, & seram pœnitentiam huius vanitatis adamatæ describens, eamdem comparat tenui vmbrę, nuncio præcurrenti, naui mare secanti, aui transuolanti, sagittæ emissæ, lanugini, spumæ, fumo, vento, hospitio vnius diei. Hæc ipsa fusius explicat S. Hieronymus in epist. ad Cyprianum. explanans verba illa Psalm. 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam, dies hesterna quæ praeterijt: Æternitati*, inquit, *comparata, breuis est omnium temporum longitudo.* Et inferiùs explicans versum. 6. *Manè sicut herba transeat, mane floreat & transeat, vespere decidat, indurat, & arescat: Sicut enim*, inquit, *manè virens herba, & suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimq; marcescens amittit pulchritudinem, & in fœnum quod comprehendum est, vertitur: ita omnis species hominum vernat imparuulis, floret in iuuenibus, viget in perfecta etate viris; & repentè dum nescit, inanescit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur, & extremo fine, quod hic dicitur vespere, id est, senectute, vix moueri potest: ita vt non cognoscatur quis prior fuerit, sed penè in alium commutetur. ac denique vt Symmachus vertit Psal. illo 89. vers. 10. succidimur repentè & auolamus.*

Vita brevitas.

Vita caduca fœnisimile.

SECTIO II.

Quid doceat nos Tobias, benedicendo Deum, qui flagellat & saluat, ducit ad inferos & reducit.

1. PROPHETA Abacuc cap. 2. docens Nabuchodonosorem frustrà in Belo, Deo suo, seu Idolo confidere, quod non sit aliud quàm simulachrum mutum, fictum, & pictum; Dei veri maiestatem extollit. *Dominus autem* inquit, *in templo sancto suo: sileat à facie eius omnis terra.* Quasi dicat: Deus non est ex auro sculpto vel conflato, in tempore ab artifice formatus, ideoque non habitat in idolo sculptili vel conflatili; quod in terra, puta in suis delubris, locant idololatræ; sed in cælo, quod est eius solium & templum, glorioſus habitat ab omni æuo, nam & ille æternus est, & è cælo prospicit, & moderatur, ac dirigit omnia ad nutum suum: *Sileat* ergo *à facie Domini omnis terra*, præ reuerentia, pauore, admiratione, ac stupore. Tanta est enim Dei maiestas, tanta potestas, tanta iustitia & vindicta, vt eam expertus Nabuchodonosor, cùm in bestiam versus, sibi postea est restitutus, pleno ore eandem celebrarit: *Quia potestas eius*, inquit, *sempiterna, & regnum eius in generatione, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt*, &c. Daniel. 4. Idem fecit impius Antiochus, sed serò, dum vindicem Dei manum sensit, qua infelicem animam exhalauit. Cùm enim percussus à Deo factorem suum ferre non posset, exclamauit: *Iustum est subditum esse Deo; & mortalem non paria Deo sentire*, 2. Machab. 9. 12. significat ergo hic Propheta, tantam esse Numinis potestatem & maiestatem, vt eam potius casto, profundoque silentio, vt ait S. Dyonisius lib. de Mystica Theolog. quàm exili nostro præconio venerari debeamus. Veriſſimè igitur Syracides, *Multa dicemus, & deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.* Sensus est, finem & summam verborum esse, Deum esse omnia, quia videlicet ipse rerum omnium est principium, medium & finis: ipse est omnium causa, finalis, conseruans & efficiens: ipse est qui creatis omnibus dedit, & iugiter dat suum esse, ac substantifico suo influxu perpetim illud fouet. Si enim

Diuinorum quanta sit.

Dei maiestas ita est inef-fabilis.

enim ad momentum laxaret manum ſuam, ilicò omnes in nihilum ſuum, ex quo ab eo educta ſunt, corruerent, & velut vmbra peritent. Nihil enim eſt ſolidi, vel in corporibus, vel in ſpiritibus, niſi quatenus virtus Dei intrinſecus ea continet & conſtringit, ne velut aqua diffluant, vel inſtar fumi diſſipentur vel vt ſomnium quoddam, & phantaſma inane euaneſcant.

2. Hæc verò dicebat vates Habacuc quia audiuerat Deum poſtquam puniiſſet Iudæos manu Chaldæorum, eoſdem Chaldæos exciſurum, & ex magna rerum muratione quam oculis intuebatur propheticis ſibi & gẽti ſuæ libertatem & pacem à Dei benigna liberalitate promiſerat. Tobias verò noſter ex ſimili argumẽto prædicat Dei magnitudinem, eiuſque regnum ſine fine duraturum, *Quoniam*, inquit, *tu flagellas & ſaluas*: Tua, inquit, permiſſione accidit, ô magne Deus, quod ſtercus hirũdinum incidens in oculos meos, eoſdem excæcarit, tu es Deus ille, qui tempore opportuno eam cæcitatis plagam à ſeruo tuo miſericorditer & mirabiliter abſtuliſti. Vides gratum animum boni Senis? Conſidera mi Chriſtiane, quàm excelſam eius verba doctrinam ſpirent, videlicet primùm nihil à fortuna, aut caſu hominibus accidere, ſed ex Dei beneplacito, aut permiſſione ad probationem, aut in pœnam peccatorum: ſtupidi verò ac impudentis eſſe hominis exiſtimare quidquam eſſe, quod Deo nolente, aut repugnante fiat. Hæc erat impia olim Gentilium opinio, qui putabãt otioſum eſſe Deum, neque quidquam curare, ſed humana omnia caſu, & fatorum neceſſitate contingere. Hæc fuit aliquando cogitatio Iudæorum, qui cap. 9. Ezech. cùm mala ingruerent, *Dereliquit*, inquiunt, *Dominus terram, & non videt*. Hæc fuit tempore D. Auguſtini hæreſis Manichæorum, qui duplex principium, vnum bonorum, alterum malorum diſtinguebant; cùm tamen vtraque tam bona, quàm mala pænè ab vno Deo oriantur. Hic eſt error ferè communis Mortalium, à Deo non procedere tot afflictiones; ſed Tobias noſter ſuſtulit omne dubium prædicat enim Deum, quia flagellat & ſaluat. Cõtra hunc errorem olim Jeremias Vates, cùm inuectiua exclamat: *Quis eſt iſte, qui dixit, vt fieret Dominus non iubente? Ex ore Altiſſimi non egredientur nec mala, nec bona.* Quis, inquit, tam impius, vt dixerit nec aduerſa, nec proſpera euenire nobis ex ore, id eſt, ex præcepto & ordinatione Dei? Quæ ſententia in Scriptura frequens eſt; Eccleſ. 11. dicit Siracides: *Bona & mala vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Iſaiæ cap. 45. *Ego Dominus*, &c. *faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.* Porrò malum hoc loco illud eſt, quod malum dicitur pœnę; quod nempe trãquillitatem turbat, aut quietem, quæcumque externa aut domeſtica vexatio; & quidquid rerũ, quæ ad vitam neceſſariæ ſunt, facultatem & opportunitatem eripit; quale eſt exilium, deprædatio, ſeruitus, inopia. Subiungit Hieremias: *Quid murmuratur homo viuens, vir pro peccatis ſuis?* quaſi dicat: Temerè & iniuſtè murmurat homo cùm pro peccatis punitur, quia tantum & plus commeruit. Deus enim citra cõdignum punit, & iudicium in hac vita miſericordia temperat: non excuſet ſe ergo, accuſando fatum, fortunam, Dei voluntatem; ſed ſuæ voluntati malæ, & peccatis id tribuat, dicatque illud. Pſalm. 118. *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.* & rurſum: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*; vti dicebat Mauritius Imperat. cùm à Phoca ſuos filios coram ſe interfici videret.

5. Hoc probè ſciens Hieremias Vates. Cùm cap. 47. propheticis oculis contemplatus eſſet ſæuientem Domini gladium in Paleſtinos, & inclamaſſet, *O mucro Domini vſquequo non quieſces?* &c. (Quæ verba explicaui Sect. 6. cap. 12. num. 14.) ſeipſum ſtatim correxit, recogitans Deo volente illam ſtragem futuram: *Quomodo*, inquit, *quieſcet, cùm Dominus præceperit ei aduerſus Aſcalonam, & aduerſus maritimas eius regiones, ibique condixerit illi?* Quibus verbis corrigit ſe Propheta, quaſi ſtultè ſæuiẽti, atque igneo mucroni dixerit, vt ſe rurſus in vaginam reconderet, & aliquid remitteret de ardore pugnandi. Cùm mucro ille, nempe Nabuchodonoſor, qui non ſecus fuit gladius in manu Domini, quàm olim Aſſur in eiuſdem manu virga furoris, Iſaiæ cap. 10. Domino iubente graſſetur. Quare fruſtra orat à Nabuchodonoſor vt in vaginam redeat, reuertatur, nempe, in patriam ſuam, ac ſæuire deſinat, cùm miſſus à Deo fuerit in Aſcalonem, ibique ſtragem, & cædem exercere iuſſus. Si quis autem negat ad Dei nutum bona & mala euenire, prodeat in medium, & doceat, vnde leo, qui virum Dei occidit 3. Reg. 13. cadauer intactum reliquerit, & aſinam ſaluam, cui inſederat. Sic enim ait ſacra pagina: *Qui cùm abiiſſet, inuenit eum* (ſcilicet virum, qui contra Dei mandatum pranſus erat loco, quo Dominus vetuerat, quamuis ſeductus) *Leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: aſinus autem ſtabat iuxta illum, & leo ſtabat iuxta cadauer.* Mirum ter mirum. Viro Dei ad ſuum populum reuertenti immittitur leo. Rapit fera hominem, interficit, ſed nec cadauere paſcitur, nec contingere audet; nec iumen, tocui inſidebat homo, vllã moleſtiam affert, & cùm innatum ſit omnibus animalibus ad leonis viſum pauere, trepidare;

Nihil à fortuna ſeu caſu hominibus contingit ſed à Deo.

Hæreſis Manichæorum duplex diſtinguens principium boni & mali

Thren. 3.

Probatur, nullum malum accidere poſſe, niſi ex Dei permiſſione.

dare; asinus, vt notat Eucherius, leoni iunctus intrepidus stat: Cur leo non incutit metum asino? Cur qui vinum hominem aggressus est, non vorat occisum? D. Gregor. Papa lib. 4. Dialog. cap. 24. *Qui occidendi vsum habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit.* Nullum malum, nullus timor audet prosilire, sine Dei licentia, sine diuina permissione, nec pilus læditur, qui intra ea non sit designatus, & explicatus; quę Deus lędi permittit.

4. *Idem Deus bonorum & malorum auctor.*

Scitè igitur Tertullianus aduersus supradictos errores, l. 2. contra Marc. c. 14. *Ad omnia*, inquit, *tibi occurrit Deus: idem percutiens, sed & sanans: mortificans, sed & viuificans: humilians, sed & sublimans: condens mala, sed & pacem faciens.* Et l. 4. c. 1. reprehendes Manichæum, qui ex diuersitate bonorum, diuersos Deos distinguebat: *Quid*, inquit, *differentiam rerum ad distătiam, interpretaris potestatem? Quid amittes exemplorum distorques aduersus creatorem, quas in ipsis quoque sensibus, & affectionibus eius potes recognoscere? Ego, inquit, percutiam, & ego sanabo*, &c. Et rursum eodem libro cap. 34. ostendit Moysen, & prophetas, vnum Deum prædicare creatorem, *& vtrumq; iudicium pœnæ, & salutis æternæ apud vnicum Deum positum: qui occidat, & viuificet.* Eandem hæresim condemnat Diu. Hieronymus ad illa verba, *Quis est iste, qui dixit, vt fieret, Domino non iubente?* Thren. 2. Vbi contra quosdam hæreticos, quos non nominat, dicit Deum facere mala, *cùm res benè conditas, nobis malè agentibus, in flagellum formet: Vt ea ipsa, & per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala sint, & per naturam, qua existunt bona.* Quod veneni similitudine confirmat: nam *venenum*, inquit, *mors est homini, sed tamen vita serpenti.* Magnus ille athela Iob hæc probè aduertit, cùm vxorem reprehendens, sic protestatur: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?*

5. *Deus vt Medicus tribulationis ferrum, & ignem nostris plagis curandis admouet.*

Considera rursum, & pressius animæ fidelis philosophiam nostræ Tobiæ: *Quoniam tu flagellas?* addit, *& saluas.* Medicum dicit esse Deum. Ille enim vrit & secat, vt sanet, & saluum reddat ægrum; cælestis medicus pressuras admouet, ac calamitates pro ferro, & igne plagis curandis adhibet, vt eleganter S. Bernardus tract. de Gradibus humilitatis: *Sicut Medicus*, inquit, *non solùm vnguento, sed igne vritur, & ferro, quo omne quod in vulnere sanando, superfluum excreuerit, secet, vrat: Sic medicus animarum Deus, huiusmodi animæ procurat tentationes, immittit tribulationes; quibus afflicta, & humiliata gaudium vertat in luctum.* Nouit etiam cælestis medicus flagella, & afflictiones adhibere in medicinam, *Ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt*, Iob. 5. Vestes, quæ arcis inclusæ tineis expositæ sunt, quæque puluere asperguntur, solent virga percuti; vt puluis excutiatur. Idem hic fit: flagellis à Dei manu cædimur, sed vt purior, nitidiorque animæ vestis euadat, omnemque mundanæ, ac terrenæ cõuersationis puluerem relinquat, peccatique sordibus operta, tribulationis virga puluerem, quo mens fædatur, penitus excutiatur. Laudat hanc Dei manum S. Petrus Damianus lib. 8. epistol. 6. *Laudanda*, inquit, *diuina dispensatio, quæ ad hoc suos tempora liter verberat: vt perpetuò eos flagellis abscondat, ad hoc premit, vt eleuet: ad hoc secat vt sanet: ad hoc deijcit, vt exaltet. Qui enim bona agit, & mala suscipit, quidquid sibi iustæ retributionis in terra subtrahitur, hoc illi in Cælo multiplicius cumulatur. Porrò autem medici corporum, quos desperant, ad percipienda passim quæque petierint alimenta relaxant: at quos erigendos esse coniiciunt, cuncta eis noxia delectationis edulia, minaciter interdicunt: antidota insuper, & amara propinant, vt per amaritudinis haustum, ad incolumitatis dulcedinem conualescant.* Et immediatè pòst subiungit: *Quid ergo mirum, si medicus animarum Deus omnipotens, & quos perpetuæ morti cernit obnoxios, viuere delectabiliter finat: & quos ad vitam eligit, substrictâ seueritatis suæ lege constringat?* Quod statim mactandorum animalium, & sterilium arborum similitudine illustrat: Praui enim homines tanquam victimæ, qui ad inferni macellum destinantur, corpori indulgere permittuntur, ac terrenis voluptatibus pinguefieri; & velut steriles arbores nec calamitatibus inciduntur, nec pressuris putantur. Sed audiamus ipsa B. Patris verba: *Nam & animalia*, inquit, *quæ in proximo mactanda disponimus, indulgentius victitare permittimus, & largiora illis alimẽta præbemus: eorum verò penuriam, & maciem parùipendimus, quæ ad vsum seminis, & ad propagandam sobolem reseruãmus. Vites quoque, & quæque fœcundæ arbores putationibus iacent; steriles autem, & quæ ignibus sunt tradendæ, ramis euagantibus, quo liberius, eo diffusius patent.*

Flagella, & tribulationibus peccati puluis ex animæ vestis excutitur.

Deus flagellat, vt curet.

6. *Extraordinarius Deus medicus ejus.*

Porrò Tobias noster ostendit Deum non vulgarem esse medicum, dum inquit, *Tu flagellas, & saluas*: sed eximium, qui ex grauibus periculis nouit liberare, penè desperantes de remedio, sicut Tobias grauiter afflictus solâ spe regni cælestis se consolabatur, dum amici insultarent cap. 2. dicebat enim: *Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quàm Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutauit ab eo.* Vnde quædam ex summis angustiis erutа canebat, *Dominus mortificat, & viuificat*, 1. Reg. 2. Quid est mortificat, & viuificat? nisi in sũmis periculis Deum constituere iustos, & ab illis liberare. Sic Deus mortificauit, & viuificauit Dauidem, Ezechiam, Iobum, Tobiam nostrum, cæteroſque Prophetas, & Apostolos, qui ex magnis sæpè periculis, afflictionibus, & morbis, in quibus fuerant à Deo constituti, diuinitùs euaserunt.

7. *Mortuum dicitur, quod splendorem misit vel nunquam habuit.*

Nota verò mortificatum, aut mortuum, dici id quod in eo ſtatu eſt, vt parum habeat viriditatis, & ſplendoris, quod aut iam amiſit, cùm haberet, aut nunquam acquiſiuit; quomodo mortuæ vocantur arbores in autumno, aut hyeme, quia illam venuſtatem amiſere, quam habuerunt à foliorum luxuria, & florum vbertate. Sic à Iuda verſ. 12. quædam arbores dicuntur autumnales bis mortuæ. Et moriens à Poëta dicitur herba, quæ ſiti aret mortua imago dicitur, cuius diluti ſunt colores, & forma nondum ad viuum expreſſa. Quare qui inductis riuis faceret, vt viderent herbæ, aut fronderent arbores, aut imagini viuidos induceret colores, & aboleret, aut obliteraret marceſcentes, & flaccidos, viuificare diceretur colores, & imaginem, & vitam plantis reddere, quam amiſiſſe videbantur. His omnibus comparantur miſeri, in quibus aut exhauſto corpore, aut colore emarcido aridi ligni ſpecies apparet; aut imago animati cadaueris, in quibus obſcura quædam apparent lineamenta vitæ potius quàm vitæ ſpiritus, aut qui diuturno cruciatu, captiuitate, aliiſue miſeriis extenuati ſunt. Qui autem tales reſtituit priſtinę ſanitati, aut vigori, viuificare dicitur. Sic enim Abacuc Propheta oraſſe legitur Deum pro populo Iſraelitico in Babylone affli&to, *Domine, opus tuum,* *Abac. 3.* *in medio annorum viuifica illud.* Id eſt, Obſecro, Domine, vt definito tępore opus verè tuum, qui miſericors es, cumulatè compleas; & populum tuum, qui ſepultus videri poteſt in exilio, oblata libertate viuifices. Sic intellexit etiam verba citata Gregorius ille cognomento Theologus orat. 32. vbi, cum multis afflictionibus enarratis, quibus grex orthodoxus Conſtantinopolitanus preſſus fuerat, eiuſque miſeriam prophetarum oraculis expreſſiſſet clariùs ſubdit: *Atque hæc quidem priſtina noſtra paupertas, & miſeria fuit.* Et immediatè poſt ad rem noſtram, addit: *Ex quo autem tempore Deus, qui pauperem facit & ditat, qui mortificat & viuificat, qui ſola voluntate omnia facit, atque immutat, qui ex nocte diem facit, ex hyeme ver, ex tempeſtate tranquillitatem, ex ſiccitate pluuiam, idq; plerumq; vnius iuſti, diuturnâ perſecutione vexati, precibus permotus*, puta Moyſis ſupplendum reliquit, manum adhibet, facilè afflicti reſtituuntur. Et tum Iudæorũ, quos ex Ægypto liberauit Deus & Joſephi exemplo confirmat: *Videns*, inquit, *vidit afflictionem Iſraelis: nec luto ac conficiendorum laterum labore diutius opprimentur: ac locutus viſitauit, & viſitans ſalutem attulit, populumq; ſuum eduxit in manu potenti, & brachio excelſo, in manu Moyſis & Aaron electorum ſuorum: quid ſit? quid deſignatur? nimirum ea, quæ & memoria prodita, & literarum monumẽtis commendata circumferuntur. Nam, vt miracula in via edita, magnumq; illum ſonum taceam, as rem vno* *Exod. 3.* *verbo complectar, Ioſeph vnus in Aegyptum proficiſcitur, ac ſexenta hominum millia non multò poſt ex Aegypto excedunt (quid hoc: admirabilius aut illuſtrius diuinæ magnificentiæ argumentum, cum ex rebus perditis ac deploratis iter ſecundis aperire voluerit?) ac promiſſionis terra per vnum hominem odio habitum ſorte diſtribuitur, atque, is qui venditus* *Pſal. 37.* *fuerat, gentes ſedibus pellit, ipſeq; in gentem magnam conſtituitur, ac parua illa propago vinea lata, & palmitibus abundans efficitur, in eamq; magnitudinem euadit, vt & ſupra filios aſcendat, & vſque ad mare extendatur, & à montibus ad montes porrigatur, ac dilatetur, & gloria ſublimitate montes operiat, & cedrorum magnitudinem ſuperet, & quidem cedros Dei, quicunque tandem montes illi, & quacunque cedri exiſtimanda ſunt. Talis quondam hic grex erat, taliſq; rurſum nunc, tamq; ſucculentus, lateque ſeporrigens, ac ſi nondum perfectionem aſſecutus, ad eam tamen quotidianis incrementis progrediens, atque etiam, vt auguror, progreſſurus.* Sic ille oſtendit Deum deſperata viuificare poſſe, & Ezechielis oraculo concludit: *Poſteaquam enim ſemel ab eo, qui mortuos ad vitam reuocat, oſſa cum oſſibus, & commiſſura cum commiſſuris iungi cœperunt, ac ſiccis rebus Spiritus vitæ & regenerationis datus eſt, reſurrectionem vtique omnibus ſuis numeris, partibuſque perfici atque expleri neceſſe eſt. Ac proinde, qui exacerbant, non exaltentur, in ſemetipſis, nec vmbram, aut ſomnium exurgentium, aut auram perflantem, aut nauis veſtigia aquis impreſſa tenentes, quicquam ſe habere exiſtimẽt.*

8. *Deus lætis triſtia, proſperis aduerſa præmittit.*

D. Baſilius notat ex ſimilibus ſacræ Scripturæ verbis, morem Dei eſſe triſtia præponere, lætis ſubſequentibus. Sic enim aſſerit in Pſalm. 29. *Mos eſt*, inquit, *ſacri eloquij, ſi quando triſtia, lætaq; commemorat: triſtia lætis in ordine præponere: fruitio enim boni efficitur iucundior, triſtibus iam exactis. Beneficium pœnâ eſt poſterius: Percutiam, & ego ſanabo. Ego occidam, & ego viuere faciam. Quæ nos afflictant, præcurrunt, quo maiore cum conſtantia multiplicem gratiam nobis collatam conſeruemus.* Soleut & Prophetæ ad hunc morem nomine Dei triſtibus læta ſubiungere. Celebre eſt illud oraculum ad Hieremiam ca. 18. *Repentè loquar aduerſum gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei. Et ſubitò loquar de gente, & de regno: vt ædificem & plantem illud.* Quaſi dicat: Loquar aduerſus gentes & regna, minaborque ſtragem, ſubuerſionem, & cladem. Si gentem illam facti pœnituerit, propter quod aduerſus eam loquutus ſum, mutabo ego quoque, quàm ante ſuſceperam cogitationem, de vaſtitate, & cæde. Et ſtatim reuocabo minas, promittam benignior inſtaurationem, plantationem, & ſi quid eſt, quod ad gentis illius firmi-

Prophetæ ſolent etiam triſtibus læta ſubiungere.

firmitatem pertineat. Sic Deus à comminatione malorum, ad promissionem bonorum procedit. Tanta est enim Dei bonitas, vt per Prophetas primùm quidem terreat Israeliticum populum, sed postmodum demulceat. Amos vates, vt refert caput 9. Vidit Deum stantem super altare, & iubentem Angelo, vt percusso cardine illud quertat, ob auaritiam, & scelera populi, quem se perquisiturum & perditurum asserit, etiamsi is se in cælo, abysso, vel in inferno absconderet. Et versic. 7. comparat Israelitas Ægyptijs, Syris, & Palæstinis, tam in culpa, quàm in pœna, excidij & dispersionis. Sed vers. 11. se eos per Christum restauraturum promittit, daturumque copiam fruméti & vini, adeò vt montes stillent dulcedinem. Horrenda sunt quæ præponit, læta subijcit. Quid, quæso, horribilius, quàm tonitru illud, quod fulminat vers. 9. & 10. *Ecce enim*, inquit, *mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel: sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet super nos malum.* Licet, inquit, vbicumque gentium egerit Israel, sic durè est, & continenter excutiendus, atque vexandus, sicut in cribro frumentum, quod modò huc, modò illuc incessanter impellitur, & ab vno latere in aliud assiduè reuersatur, non tamen ex tam ampla domo, vel vnus, qui lapis in eo ædificio vocari possit, excidet in terram. Peribunt sanè peccatores, qui in Israelis domo non erant lapides, sed stupulæ ac stramenta palustria, quæ nihil habent firmitatis: hi verò sunt, qui Prophetarum minas nihili faciunt, neque futurum putant, vt aliquando malum, quod ipsis denunciatur, adueniat. Sed audi, an quid benignius, solatio, quod subdit vers. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & readificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerat, instaurabo: & readificabo illud sicut in diebus antiquis.* Quæstio autē verti potest, de quo tēpore, ac tabernaculo loquatur hic Propheta; de tempore ne post captiuitatē, quando extorres redierūt in patriam, & reædificarunt, habitaruntque desertas ciuitates, quod non videtur esse aliud, quàm suscitatum esse tabernaculum Dauid, & murorum ruinas, aut aperturas instauratas esse. Ita putant Chrysostomus in capit. 15. Actum, Cyrillus & Rufinus hic, & omnes pene Hebræorum magistri, quibus subscribit Pagninus; ita tamen vt mysticè de Christo exponat, & Ecclesia. Quòd hac ratione suaderi posset, quia è decem tribubus in patriam remigrauere quàm plurimi, qui reædificasse videntur tabernaculum Dauid, & omnes illius aperturas implesse, quas fecit olim Ieroboam, dum decem tribus à Dauidico dominatu distraxit. Omnes enim tribus quotquot edicto Cyri redierunt, ducem habuerunt Zorobabelem è genere Dauidis, neque ducem habuerunt, aut principem è suo genere cui parerent, sed se adiunxerunt tribui Iuda, ex qua Dauid ortus est, & relicto Gentilitio nomine, Iudæi deinceps appellati sunt. Quare vt temporibus antiquis totus Israel vni obsequebatur Dauidi, sic post solutam captiuitatem nullū alium regem agnouerunt, aut ducem, nisi qui Hierosolymæ, aut Iudææ præfuisset. Neque difficile, quæ supersunt ex hoc capite ad hanc sententiam aptari possent. Veruntamen communis est sententia, de Euangelij tempore accipienda verba Prophetæ: ita vt sensus sit verborum: Postea verò, Euangelij tēpore, aduocatis Gētilibus, qui, quia mores expriment Israelitæ vocari, & Abrahami filij meritò poterunt, instaurando tabernaculum Dauid, & quidquid in illo hians videbatur, & debile, complebo, firmaboque: excitabo collapsa, & ad præclaram illam spēciem restituam, quam habuerunt antiquitus. Vt vt est, manifestum euadit, Prophetas tristibus læta subiungere, etiamsi diu post futura.

Deus Israeliticum populum nunc terret, nunc demulcet.

Rursum Amos 5. cap. prædicit iterum imminētes Israeliticæ plebi casus, & incommoda: *Audite*, inquit, *verbum istud, quod ego leuo super vos planctum: Domus Israel cecidit, & non adijciet vt resurgat. Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.* Audite, inquit, ô viri Israelitæ verbum, quod ego mœrens & lugens, quasi patentale carmen instituo, cuius hæc est materies, & summa complexio. Cecidit, cecidit virgo Israel, & eo casu sic est contrita grauiter, vt spes nulla de illius resurrectione, atque instauratione superfit. Et cùm eandem postea monuisset, vt si salua esse vellet, Bethel obliuiscerentur & Galgala, & si quæ alia impiæ religionis sacraria, à quibus nihil sperari potest vtile, addit vers. 6. *Quærite Dominum, & viuite.* Nunc terret, nunc demulcet. Verissimè in vers. 4. eiusdem capitis Hieronymus, & in rem nostram: *Mos est Scripturarum semper aduersis læta subiungere, & postquam tristia Deus fuerit comminatus, ad pœnitentiam eos quos terruit prouocat: iuxta illud quod in Esaia legimus: Væ gens peccatrix, populus plenus delictis, semen pessimum, filij iniqui. Cumq; dixisset terra vestra deserta, ciuitates vestræ igne consumptæ, regiones vestras coram vobis alieni comedent: loquitur ad eos, meliora promittens: Lauamini, mundi estote: auferte malitias vestras ab animis vestris. Discite benefacere, quærite iudicium, iudicate pupillo, iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Quomodo ergo in Esaia, quos seuerâ voce terruerat, blandâ oratione sustentat: ita & in hoc Propheta, quibus dixerat, domus Israel cecidit, non adijciet vt resurgat: virgo Israel erruit in terra,*

9.

Iustitia & misericordia vices alternans, illa puniendo, hac subleuando.

Esaiæ 1.

non est qui suscitet eam. Nunc loquitur ad eos, & dicit: domus Israel, id est, decem tribus: quærite me, & viuetis: quoniam in eo quod me non quæritis, estis mortui. Cumq; quæsieritis, inuenietis: & cùm inueneritis, viuetis. Et nolite quærere Bethel, in qua erat vitulus aureus: & Galgalam locum idololatriæ. Hoc solenne Scripturarum tenuit & Dauid in eo versiculo, *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Psalm. 29. vers. 6. Quasi Deus pro nostra malitia supplicia inferat: pro sua beneuolentia præmia conferat, puniat, quia iustè indicat pœnas nostris sceleribus deberi: parcat, quia suapte sponte ad benefaciendum incitatur.

10. Notatu dignum est, quod ex hac diuina consuetudine D. Bernardus Epist. 245. ad Eugenium Papam eandem hortetur, vt Episcopo cuidam peccatori se ostendat non modo seuerum, sed etiam benignum, delinquentem puniat, sed pœnitentem amplectatur: vt in vno iustitia, in altero misericordia conseruetur: *Numquid*, ait, *potestatem habetis deponere potentes de sede: & exaltare humiles non habetis? Porrò potestate accepta malè in malo, quàm in bono vti, abuti est.* Et in epist. sequenti ad eundem Papam, quem pro eodem Episcopo deprecatur: *Numquid*, ait, *potestatem habetis tantum percutere, & nequaquam sanare? Nostis, qui dixerit, Percutiam, & ego sanabo? Absit, vt cuius tenetis vicem, non vsurpetis, & vocem: vocem præcipuè pietatis.* Quod scripsit Bernardus ad Eugenium, omnes tangit Superiores, vt eadem ratione cum subditis agant.

In puniendo seueritas simul & benignitas.

11. Verùm enimuerò subiungit Tobias noster, prædicans Dei maiestatem, & æternitatem, *Ducis ad inferos, & reducis.* Quibus verbis primâ fronte videtur insinuare ex inferis aliquos educi posse. An in inferno vlla redemptio? Hoc aliquando videtur Origenes sensisse, & Scripturæ aliquot videntur id innuere: nam D. Petrus docet Christum suscitatum fuisse, *solutis doloribus inferni.* Actor. 2. Quasi aliqui damnati ex doloribus inferni soluerentur. Et rursus in sua Canonica: *Hic*, inquit, *qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando: quando expectabat Dei patientiam in diebus Noë*, 1. Petr. 3. vers. 19. Qua prædicatione ad fidem veniisse etiam damnati infideles significantur. Quod vlterius confirmans: *Mortuis*, inquit, *Euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne: viuant autem secundum Deum in spiritu.* 1. Pet. 4. Vbi vides hanc prædicationem dici mortuis fructuosam ad vitam.

2. Obiectio contra parcam æternitatem, Christum ad inferos descendentē aliquos inde damnatos exuisse.

Adhæc multi damnatorum referuntur, Sanctorum precibus ex inferis euasisse. In primis beatæ Agnetis precibus, filius Præfecti Symphronij in lethali peccato decedens, ad vitam redijt, profanum idolorum cultum detestatus, vt refert D. Ambrosius serm. 90.

3. Obiectio. Multorum exempla, qui ad superos diuinitus euocati sunt

S. Perpetua Martyr fratrem suum septennem, nomine Dinocratem, sine baptismo mortuum, atque adeò damnatum, suis precibus ab inferis excitauit, vt refert D. Augustin. libr. de orig. animæ ad Renatum cap. 10. Falconilla Gentilis fœmina precibus beatæ Theclæ virginis protomartyris ab inferis ad vitam resurrexit, vt refert D. Ioan. Damascenus serm. de iuuandis meritis. Traianus idololatra, & Ecclesiæ persecutor, & infami pæderastiæ vitio notatus, precibus Gregorij magni à gehenna, in qua iam torquebatur, accepta suorum peccatorum venia, liber euasit, vt grauissimi testantur auctores.

12. Verùm dico resolutè, in inferno nullam esse redemptionem, quia damnati ad eum locum ita deducuntur, vt numquam inde reducantur. Vt patet in primis ex testamento nouo. *Ite in ignem æternum.* Matth. 25. Et ne dicant hæretici, ignem quidem fore æternum; non tamen combustionem, seu supplicium, addit Christus Dominus de reprobis, *Et ibunt hi in supplicium æternum*, seu *in combustionem æternam*, vt legit D. Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 15. Vti scilicet, interprete eodem D. Augustino, non solùm ignem, sed etiam combustionem, seu pœnam ex illo prouenientem æternam fore significaret. *Ignis eorum non extinguitur*, Mar. 9. *Qui non obediunt Euangelio pœnas dabunt æternas*, 2. Thessal. 1. *fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Apocal. 14. Huc pertinet illud Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Quid autem est aliud iudicium sine misericordia, quam damnatio æterna? Huius generis testimonia, multa passim occurrent.

12. Æternos esse damnatorum cruciatus, à quibus nemo reducitur, firmatur ex nouo testamento.

13. Ex veteri testamento res est æquè clara. Isaias enim Propheta de illis inquit cap. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem omni carni.* Vbi obserua, mi Christiane, ex illis verbis, *vsque ad satietatem omni carni*, impios non solùm dandos esse in tormentum æternum, sed etiam in æternum spectaculum proponendos: vt non solùm proprijs flammis, sed etiam alienis oculis crucientur. Vnde & beati, vt loquitur ibidem Propheta. *Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt.* Vt cùm iusti viderint tormenta impiorum: diuinæ iustitiæ illos punienti, & diuinæ misericordiæ seipsos miseranti gratulentur, & cùm rursus iniusti senserint, se à iustis videri, non solum præ dolore, sed etiam præ pudore torqueantur. Concinit eidem Daniel capit. 12. *Multi*, inquit (id est omnes) *de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper*, Id est, vt semper experiantur, quantum à veritate aberrauerint, quàm in hac vita non cognoscebant,

13. Idem ex vsu eiusdem testamenti stabilitur.

bant: erant enim hic in luce cæci: illicerunt in tenebris videntes. Deinde Regius Propheta inquit Psalm. 48. *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.* Vbi & pœna, & vita dicuntur esse simul in æternum, quod neutra sit alteri defutura.

14. *Solvuntur obiectiones aliatæ.*

Nec obstant citata loca: Actorum enim cap. 2. nihil aliud dicitur, quàm quod Deus per Christum resurgentem dissoluerit, & destruxerit mortis & inferni regnum cum omnibus suis doloribus & ærumnis. Alter locus 1. Petr. 3. mentionem facit de prædicatione facta ad eos, qui erant in sinu Abrahæ: qui etsi viuentes, aliquando fuerint incredduli, morientes tandem fidem, & gratiam receperunt: quibus proinde Christus Dominus ad inferos descendens prædicauit, & manifestauit seipsum. Fit autem peculiaris mentio eorum, qui in diebus Noe diluuio perierunt, quia hi præcipuè fuerunt carne mortificati, quos Petrus potissimùm dicebat spiritu viuificandos. Et attulit eis lætissimum nuntium Redemptionis, liberationis, & beatitudinis, communicando ipsis visionem beatificam. Tertius locus Petri nihil aliud innuit, quàm Deum iudicaturum, mortuos æquè ac viuos, eò quod Christus descenderit ad mortuos patres in limbo degentes, qui in hac vita vixerunt piè, castè, sanctè secundum spiritum, non secundum carnem, ijsq; euangelizarit, id est, attulerit lætum nuntium beatitudinis, nimirum adiudicando eos cælo & vitæ beatæ, eamque quasi iudex reipsa illis largiendo, ita vt licet illi iudicentur & æstimentur *secundum homines*, id est, ab hominibus mundanis esse mortui, id est, planè interijsse *in carne*, ideoque fuisse miseros, superstitiosos vel fatuos, quod dum viuerent, carnis voluptates spreuerint, eamque cum vitijs & concupiscentijs mortificarint & crucifixerint, vt sese assimularent Christo, postea passo & crucifixo, ijdem tamen *viuant secundum Deum*, id est, coram Deo, & dono Dei in spiritu gratiæ & gloriæ cælestis.

15. Vt rem melius assequaris, sermonem instituerat Petrus contra Gentiles & Epicuræos viuentes in luxurijs, vinolentijs, comessationibus, dicentes:

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Quasi omnis felicitas in ijs, & in hac vita consistat. censebant enim animam interire cum corpore, ac proinde stultum esse voluptatibus huius vitæ abstinere, & carnem mortificare spe futuræ vitæ, vtpote quæ nulla sit, ac proinde nullum in ea de gestis præsentis vitæ sit expectandum iudicium, nulla merces & retributio. mortuos enim nihil sentire, nihil scire, nihil pati, imò planè non esse. Euertit hoc S. Petrus docens Christum iudicaturam tam mortuos, quàm viuos, eisque pro meritis præmia redditurum: mortuos ergo viuere quoad animam, ac proinde Christianos debere pristinis cupiditatibus renuntiare, vitijs carnis abstinere, ac Christo passo & crucifixo se conformare, crucifigendo carnis appetitus, *Vt iam*, inquit vers. 2. *Non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat tempore*, vt nimirum in altera vita cum Christo resurgatis ad gloriam.

16. *Sententia eorum fuit suspensa, qui post mortem, ad vitam, redierunt.*

Quòd autem graues Authores testentur, quosdam in graui peccato ex hac vita discessisse, & postmodum resuscitatos esse ad vitam, non conuincit pœnas damnatorum non esse æternas; sed aliquorum sententiam, & iudicium, ob Sanctorum preces, à Deo fuisse suspensum, adeoque vitæ restitutos, vt ad meliorem frugem per pœnitentiam rediirent, & eundem ad æternam beatitudinem peruenirent.

17. Sensus ergo verborum, quæ Tobias adducit, non de inferno propriè dicto intelligenda sunt, sed de graui calamitate, seu periculo morborum, carcerum, persecutionum, & similium. Infernus enim tripliciter sumitur; primò pro inferno proprie dicto: vnde Luc. 16. habetur, *Mortuus est autem & dives, & sepultus in inferno.* Secundò pro peccato. sic Isa. 57. dicitur Synagogæ, quæ de sublimi sanctitatis statu in profundam totius impuritatis voraginem descenderat, *Humiliata est vsque ad inferos*, quasi dicat. Quæ olim cultrix Dei eras sublimis & gloriosa, iam cultrix dæmonum depressa es in lupanar, & barathrum libidinum, id est, idololatriæ. D. Hieronymus tropologicè illum locum explicans, docet quo pacto humiliata fuerit: *Non*, inquit, *ea humilitate, quæ in laude est, sed qua Ammon sororem suam Thamar humiliauerat. Et reuera grandis humilitas: imò vsque ad inferos præcipitatio, de luce, & culmine castitatis, in tenebras lupanaris, imò in barathrum libidinum præcipitatur.* Et certè cùm omne peccatum magnam habeat, cùm inferno similitudinem, sanè impuritas, & obscænitas maiorem cum illo habere videtur cognationem. Ille quondam Sampsonis ingressus in domum meretricis, Iudic. 16. significauit Christi Domini ad inferos descensum: vt D. Gregor. hom. 21. in Euangel. D. Augustinus serm. 107. de temp. alijque testantur: quasi intrare in eam domum, perinde sit, atque ad inferos intrare. Cuius rei opportunam affert rationem D. August. cit. *Pro inferis*, inquit, *ponitur domus meretricis, quia neminem repellit, omnem intrantem ad se trahit.* Vel etiam vt ibidem addit, *quia ignem inferni habet domus meretricis*: ille enim concupiscentiarum ignis, qui in ea domo flagrat, & ille ignis flammarum, qui in inferno exæstuat, nihilo quodammodo distinguuntur.

Inferni triplex significatio.

1. *Pro inferno proprie dicto.*

2. *Idem est, quod peccatum.*

Impuritas inter reliqua peccata maximam habet cum inferno similitudinem.

Quare

Homines libidinosi sicut Dathã, & Abiron viui ad inferos deturbantur.

Quare Parœmiastes de hac domo loquutus: *Vie*, inquit, *inferi domus eius*, Prou. 7. Quasi qui hanc domum ingrediuntur, si non infernum ipsum, certè vias ad infernum recta tendentes ingrediantur. Quare D. Augustinus, epist. 48. docet eos, qui à suis concupiscentiis abrepti, in suas libidines præcipitantur, similes esse infaustis hominibus, Dathan, & Abiron, qui descenderunt viui in infernum, Numer. 16. non enim infelicius dici potest infortunium eorum; qui à gehenna, quam eorum, qui à sua concupiscentia abripiuntur.

18.

3. infernus idem est, quod calamitas grauissima.

Tertiò sumitur infernus in sacra Scriptura pro dolore, & afflictione grauissima. Vnde Dauid ab hoste circumdatus, inquit: *Circumdederunt me dolores mortis*, &c. *dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis*, Psal. 17. hoc est, grauissimi, & acerbissimi dolores, similes illis quos damnatum inferno patiuntur, me circundederunt: vnde etiam Psal. 114. loquens de grauissimis periculis, à quibus non magis, quam ab inferni laqueis te expedias, inquit: *Pericula inferni inuenerunt me.* Sic Anna 1. Reg. 2. liberata à superba, & inuida vexa Phenennæ, causa suæ sterilitatis, iam prolem nacta, in cantico gratiarum actionis sic Deum laudat: *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad infernos & reducit.* Siracides Eccles. 51. concludit librum Ecclesiastici singulari gratiarum actione, qua se Dei munere à grauibus periculis liberatum agnoscit; quæ mirum in modum exaggerat, & tandem profundo inferni comparat: *Confitebor*, inquit, *tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione*, &c. & v. 8. *ab altitudine ventris inferi.* Videtur hic vir à quibusdam æmulis, grauiter fuisse falsis criminibus delatus apud Regem Ægypti, qui tunc in populo Israelitico magnam obtinebat authoritatem: ita vt multum periclitaretur de vita, & grauibus supplicijs: vnde liberatum se agnoscit, Dei ope de profunditate ventris infernalis, quia protectus fuit, ne à morte, quæ quasi ventrem habens inexplebilem multos absorbet, etiam ipse absorberetur: aut quia, cùm iam videretur à morte absorptus, & in ventre mortis sic conclusus, sicut Ionas in ventre cæti, Dei beneficio morti sit subtractus, & vitæ tum Iona redditus. Sic & Dauid dicit: *Nisi quia Dominus adiuuit me paulo minus habitasset in inferno anima mea*, Psal. 93. &: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis & in umbra mortis.* Psal. 87.

19.

Deus suos ad extrema demittit antequam liberat. Mori dicitur qui miseretur.

In hunc modum locutus est Tobias: qui propterea Deo gratias agit, quod à summis periculis, quæ subijt tempore Zennacherib, qui, illum, cùm aliis eiusdem furoris, & insaniæ ad mortem exspectabat, eum liberauerit. Porrò viuere negatur, qui cum mala & difficili fortuna conflictatur. Martialis lib. 6. epigram. 69. ex communi, vt opinor, hominum sensu, & loquendi modo, non putat dies illos esse virales, aut numerandos in vita, qui in angustiis, & corporis, aut animi vexationibus aguntur.

Et quantum tetrica tulere febres,
Aut languor grauis aut mali dolores,
A vita meliori separentur.
Non est viuere, sed valere vita.

Imò Regius Propheta Psal. 37. inimicos prosperè agentes, in viuis numerat, se verò assiduis pressum incommodis, in mortuis, *Ego*, inquit, *in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Inimici autem mei viuunt.* At si dicat, Ego morior, illi viuunt. Et Paulus 1. ad Thessal. 3. dum viuere se dicit, dum alij stant, mori se fatetur, si cadere contingat. Sic autem ille vers. 8. *Quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino.* Hinc meritò Tobias phrasi illa vsus est in gratiarum actione: *Deducis ad inferos, & reducis*, quando expertus est se à grauissimis periculis liberum. Et verè cum Regio Propheta dicere potuisset illud Psalm. 9: *Qui exaltas me de portis mortis.* In quem locum acutè Chrysostomus, *Non dixit*, inquit, *qui liberas, sed qui exaltas: non enim in eorum malis tantum soluendis subsistit Dei beneficium: sed facit eos etiam admirabiles, insignes, & clariores. Non dixit autem ex porta, sed ex portis, multa pericula significans:* qualia fuerunt Tobiæ nostri.

20.

Deus suos ad extrema demittit, antequam liberat.

Cæterùm disce ex hoc loquendi modo, Tobiam aliam docere philosophiam, nempe Deum etiam suos, sibique charissimos, ad extremum periculorum labi permittere, antequam illos eruat: *Deducis*, inquit, *ad inferos, & reducis*, vt me seruum tuum deduxisti, & tandem reduxisti. Habet hoc pro more Deus, vt aliàs sæpè in hoc opere probauimus, & præsertim Sect. 9. cap. 12. num. 6. & alibi. Libet addere exemplum Israelitarum in Ægypto, quorum Deus afflictionem longè distraxit sub Ægyptorum iugo; neque liberare voluit nisi ad extremitatem redactos. Nam Exod. 3. dicit Moysi: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto: & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus.* quasi dicat. Omninò & certissimè vidi, licet hactenus siluerim. Ablegat tandem Moysem ad Pharaonem, & per varia miracula cogit sæpè illum ad dimissionem populi Israelitici. Liberatos tandem ex Ægypto iubet castrametari è regione Phihairoth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon, vbi videlicet à sinistris vallati erant mari, à tergo exercitu Ægyptorum eos persequentium, ante, & à dextris præruptis montibus: vnde eos velut mures in muscipula comprehendere cogitabat Pharao, quem sciebat Deus dicturum, *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum*, id est, perplexi sunt, quia videli-

Exemplum Israelitarũ.

videlicet in arctis constituti, & circumquaque rupibus, mari, & armatis concluſi exitum non inuenient: itaque vel fame, vel gladio eos cõficiam, aut potiùs ad deditionem, & ſeruitutem priſtinam redigam. Iſraelitæ timebant Ægyptios ſeſe inſequentes, *valde clamauerunt ad Dominum, & dixerunt ad Moyſem: Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto, ideò tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex Aegypto? Nonne iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes: Recede à nobis, vt ſeruiamus Aegyptiis? multo enim melius erat ſeruire eis, quam mori in ſolitudine.* Exod. 14. Sed Moyſes ſciens Dei propoſitum, inquit ad populum: *Nolite timere: ſtate & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie: Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltrà videbitis vſque in ſempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Sic reſpondet, & animat incredulum & durum populum Moyſes. Ioſephus ait Moyſen populum tumultuantem placaſſe, & animaſſe hac oratione: Deus vos in arctum hunc locum concludi voluit, vt hîc ſuam in vos curam & potentiam oſtenderet: hic ergo locus magis vos ad ſpem excitare debet. Deus enim maximè adeſt in arduis, quando ſpei ſupereſt minimum. Ille vos ex Ægypto vocauit, ille viam & exitum dabit: ipſe poteſt hoſce montes in planitiem, & hoc mare in terram vertere. Ita dictum, ita factum eſt, vt videre eſt eodem c. 14. verſ. 21 & 22. Sic voluit Deus filios Iſrael ad extremitatem redigi, vt omnem ſuam ſpem in Deum conijcerent: & Pharaonem eos inſequi, vt eum hac ratione pertraheret ad mare rubrum, ibiq́ue pro anteactis ſuis ſceleribus & rebellionibus eum puniret, & mergeret, matiſque vndis inuolueret, Hebræos glorioſiùs liberaret.

Bethulienſes extremè miſeros à Holoferne in ſuis eripuit.

Bethulienſes Deus ad tantam miſeriam redigi paſſus eſt, vt etiam Sacerdotes quinque dies conſtituerent, infra quos ſi auxilium non ferret Deus, ſeſe dederent Holoferni: ſed Deus neque tunc ſuppetias attulit, neque eos liberauit: verùm permiſit vſque ſummam peruenire pænuriam, & cum ſumma fame luctari; & tunc tandem per manum fœminæ Bethulienſes miro modo liberauit. Sanctum Iobum paſſus eſt per ſeptennium omnis generis morbis, paupertate & inedia affligi; Tobiam pluribus annis ante cæcitatem, quatuor poſtea; tunc verò illos reſtituit, quando ſibi viſum fuit opportunum. Appoſitè Chryſoſtomus hom. in pſalm. 117. *Quamuis vel ad ipſam mortem deueneris, & vndiq; tibi maxima immineant pericula, ne deſperaueris. Poteſt enim Deus in rebus vel difficillimis & impeditiſſimis exitum inuenire.* Et paulò pòſt: *Nec attende rerum naturam quæ præcipites agunt in deſperationem, ſed Dei potentiam, quæ ſunt deſperata, adducit in bonam ſpem. Hoc oſtendens Pſalmographus, & quanta ſit Dei potentia facilitas, volens monſtrare, quod ſcilicet eos etiam, qui in grauia mala inciderunt, proſtrati & conculcati ſunt, poſſit educere, & non tantum à principio, audi quid ſubiungat: Omnes gentes circumierunt me. Vidiſti periculum inenitabile. Neque enim erat acie conſligendum, neque ſtabant inimici è regione ſed erat intertextus, & tanquam ſagenâ aliqua circumdatus, & veluti quibuſdam retibus comprehenſus, non ab vno, duobus, aut tribus, ſed ab omnibus gentibus: ſunt tamen hæc omnia vincula confracta à ſpe in Deum. Et nomine Domini, inquit, vltus ſum eos. Circumdantes circumdederunt me, & nomine Domini vltus ſum eos. Circumdederunt me ſicut apes fauum, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & nomine Domini vltus ſum eos.* hæc Chryſoſtomus qui paucis interiectis ſubdit ad verba, *Impulſus, euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me, Dixit malorum magnitudinem, à multitudine, à figura, à promptitudine & animi alacritate, ab ira eorum qui inuadunt. Dixit etiam ab ijs quæ ipſe paſſus eſt. Ita, inquit, me mala adorta ſunt, vt parum abfuerit quin caderem & decumberem. Impulſus enim, ita ſum euerſus, vt eſſem etiam caſurus: ſed cùm iam eſſem ſuper genua lapſurus, & inclinarer, & rerum humanarum nulla eſſet ſpes relicta, tunc ſuum oſtendit auxilium.*

Non eſt deſperandũ, quamuis maxima pericula inſtent.

Deus in extremis periculis auxiliatur.

Nauigabant Ioan. 6. diſcipuli, nec IESVS aderat. Ingruebant tenebræ, & nox atra mari incubabat: nec IESVS ſuæ luce præſentiæ diem faciebat. Tumeſcebant vndæ; crebeſcebant venti, totum mare concitatum ſæuiebat: nec IESVS ſuæ imperio vocis tempeſtatem ſerenabat. Quid tandem? *Cùm remigaſſent ergo*, inquit Euangeliſta, *quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta.* Hoc eſt, cùm procul à terra aucherentur, adducerenturq́ue in extremum periculum, morti, quàm vitæ propiores, *Vident IESVM ambulantem ſuper mare, & proximum naui fieri.* Quaſi IESVS non niſi ſupremo diſcrimini auxiliaturus aduenirent, vt & ſuam potentiam oſtenderet, & diſcipulorum fidem exploraret. Quod D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 23. rectè expendens: *Operæ pretium*, inquit, *eſt obſeruare non ſtatim, neque in principio periculorum, ſed quando nam longè à terra remigauerant, Chriſtum diſcipulis apparuiſſe. Non enim incipientibus aduerſis gratia Chriſti conſeſtim, nos ſaluat, ſed poſtea quam terror increuerit, & certum videatur imminere periculum, tunc è mediis fluctibus eripit, timorem abijcit, & ab omni periculo liberans, ineffabili virtute in ſummam tranquillitatem periculorum fluctus tranſponit.* Permittit ſcilicet Deus creſcere pericula, vt periclitantium merita augeantur, & fides erigatur, ſpes in Deum excitetur. Extremè autem periclitantibus opem ferr, vt ſuam potentiam demonſtret, quæ deſperatis quoque rebus, ac deploratis medicinam conferre poteſt ſalutarem. vide dicta, ſect. 9. citata.

Nauigantes diſcipuli iam iam ſubmergendi vident Chriſtum ſuper mare.

SE-

SECTIO III.

Quam Dei manum velit Tobias, neminem posse effugere. Et quomodo illam effugere aliquando queat homo?

1. TOBIAS prædicans magnitudinem Dei, eiusque æternitatem, idipsum confirmat hac ratione, quòd nemo existat mortalium, qui manum eius possit effugere. Cùm autem multiplex sit significatio *manus Dei* in sacris Scripturis, rectè inquiro, quam ille existimet neminem posse effugere. Ad huius rei intelligentiam, scitu necessarium est manum Domini in scriptura significare 1. Dei virtutē ac potentiam, quæ supra vires hominum operatur, eam verò non semper talem existere, quā quis meritò vellet effugere; sed eiusmodi aliquando esse, quæ ex circumstantiis benignos ostendat effectus. Nam subinde illa auxilium fert, & protegit. Hanc 1. Paralyp. 4. inuocauit Iabes, dicens: *Si benedicens benedixeris mihi, & dilataueris terminos meos & fuerit manus tua mecum, & feceris me à malitia non opprimi.* Similiter Ezechiel spiritu Dei translatus ad Iudæos habitātes iuxta Chobar, dicit se adiutum à Deo, qui vrgebat eum dira suis vaticinari, seu mortem ex parte Dei denunciare: *Spiritus*, inquit, *quoque leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum confortans me.* q. d. Ego tanquam auis transferor ex Chobar, in suburbia transmigrantium, & depositus ab Angelo abij lento gradu meditabundus, & tristis, quia, cum Deo, indignabar sceleribus populi mei, propter quæ Deus vrbem & templum volebat euertere: & anxius quid facerē sic ratiocinabar mecum: Si hæc, quæ Deus iubet, prædicem populo, eum contra me concitabo; si non, Dei maiestatem offendā. Pilula voluminis in ore dulcis, quia exterius saccharata, in ventre dissoluta operabatur, eumque torquebat, & lancinabat, sed Dei manus, seu virtus & auxilium me roborabat, vt parerem Deo, & prædicarem: & spiritus prophetiæ me vehementius vrgebat, fortior fuit, ac in me præualuit. Et cap. 1. dum prophetiæ donum acciperet, ait Scriptura: *Facta est super eum ibi manus Domini*, id est, secus flumen Chobar. Cùm enim diuinus afflatus aliquid magnum in Prophetarum animis efficit, fit vt prophetiæ spiritus, manus dicatur Domini. Sic 4. Reg. 3. cum Helisæus Prophetiæ spiritu aquam siue pluuiam promissurus erat, & victoriam de Moab tribus aliis Regibus, & in eum finem iussisset adduci Psaltem, inquit Scriptura: *Cùm caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus, facite alueum torrentis huius fossas & fossas, Hæc enim dicit Dominus, Non videbitis ventum, neque pluuiam: & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra. Parumq; est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras.* Ezechieli verò Domini manus duo videtur præstitisse; & spiritum propheticum, vt visionem aspiceret, & futura cognosceret; ac constantiam, & robur, quo improborum minas, & audaciam contemneret, & adamantinā fronte aduersariorum frontes, & spiritus frangeret. Sic cùm Eliæ vis, atque celeritas describitur, qui currum antecedebat Regis Israel; manus Domini facta fuisse traditur super eum 3. Reg. 18. *Manus Domini facta fuit super Eliam, accinctusq; lumbis currebat ante Achab.* Actor. cap. 13. *Esto manus Domini super te, & eris cæcus.*

Manus Dei, idem quod eius virtus ac potentia.

Hæc quandoque benigna est.

Ezech. 3.

Spiritus prophetiæ dicitur, manus Domini.

Psalmo verò 118. significat ad misericordiam, & gratiam inclinari. Illic enim sic orat regius Propheta: *Fiat manus tua, vt saluet me: quoniam mandata tua elegi*: Sit, inquit, tua misericordia & potentia ad me saluandum, quia mandata tua obseruare mihi præ cæteris in votis fuit. Act. 11. significat robur ad Euangelium fructuosè prædicandum: *Erant autem*, inquit sacer textus, *quidam ex eis* (dispersis à tribulatione facta sub Stephano) *viri Cypri & Syrenæi, qui cùm introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes Dominum IESVM: & erat manus Domini cum eis. Multusq; numerus credentium conuersus est ad Dominum.* Luc. cap. 1. significat opera mirabilia, aut miracula. Cùm enim Iudæi rogarent de sancto Ioanne, *Quis putas puer iste erit?* subiungit Scriptura: *Etenim manus Domini erat cum illo.* q. d. Cùm ratione inquirimus, qualis euasurus sit vir Ioannes, quia ex admirandis operibus, quæ in eius natiuitate effecta sunt, apparet & agnoscitur, virtutem Dei in illo esse, creditúrque Deus per eum magna operaturus.

2.

Hoc verò loco Tobiæ significat neminem tam esse potentem, tam fortunatum, tam denique à natura, seu fortuna munitum, qui effugiat Domini probantem, aut vindicem manum. Prius constat ex ipsa Tobiæ historia, quem cùm Dominus vellet posteris patientiæ exemplum statuere, multis calamitatibus eum affligi permisit, tum ab externis Regibus, tum ab amicis, ac vxore, necnon cæcitatis plaga diuinitus permissa. Constat idipsum ex historia Iob, quem præter filiorum cædem, domus ruinam, abactos greges, vxoris diabolicos stimulos Deus tradidit Satanæ omnis generis morbis affligendum. Qui sciens hæc permissione diuina, non aliter posse contingere, dixit cap. 19. ad amicos: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici*

3.

Qualis quis sit subditur Dei probantis, aut vindicis manui.

Iob. 19.

amici mei, quia manus Domini tetigit me. q. d. Quando nemo, in meo, mihi, dolore, ſolatio eſt, neque manum quiſquam iacenti porrigit, & diuinam manum tam in me duram, & infenſam experior; obſecro vos, ô amici; ſi quid apud vos valet fidei, atque amicitiæ nomen, vt mei tandem miſerti aliquam opẽ, aut condolentis animi ſignum afferatis, quia Dei ſeuera manus me tetigit, dum diabolum in me ſic permiſit ſæuire. Imò licet conſcientia eum in nullo ſtimularet, cùm grauia hæc patereturꝰ idipſum quod Tobias hicaliis verbis confeſſus eſt: *Deus*, inquit, *cuius ira nemo poteſt reſiſtere, & ſub quo curuantur qui portant orbẽ.* Talis, inquit, eſt Deus, cui obluctari nemo, aut irato repugnare audebit, niſi ſtultus & amens. Ante cuius faciem illi procumbunt, & ſupplices adorant, qui ſuis humeris totam mundi molem ſuſtinere creduntur. Ait itaq́; *Deus cuius ira nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuãtur qui portant orbem*, quicumque illi ſint ſiue Angeli, ſiue dæmones, ſiue viri in hoc ſæculo potentes, quia in illo licet interdum inuiti experientia magiſtra cognouerunt maiorem eſſe potentiam, quàm vt ab humana manu debilitari poſſit. Atque ideò quantumcumq; inflati rerum ſucceſſibus, aut abundantia, & gloria eò adiguntur, vt fateantur ſe eſſe nihil; & vni Deo gloriam, & honorem deberi. Sic Sanè Nabuchodonoſor, qui cùm ſibi auteà excitatâ ſtatuâ diuinũ nomẽ communi plauſu, atque acclamatione vendicaret, curuauit tandem ſe coram Deo, Daniel. cap. 3. verſ. 96. & iterum cùm dixit cap. 4. v. 34. *Nunc igitur*, inquit, *ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Et Antiochus illuſtris, qui diuinũ ſibi nomen aſſumpſerat, & Deus à Samaritanis ſalutatus fuerat, vt tradit Ioſephus lib. 12. cap. 7. Sic tamen à Deo vexatus, vt clamaret; *Iuſtum ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Vnde ſequitur d. c. Iob. *Quantus ſum ego, vt reſpondeã ei.* Si, inquit, hi ita ſe abiiciunt, quid ego faciam tantulus homo, aut quid quærar à tanta maieſtate deterritus? Non reſpondebo, etiamſi iuſtam haberem depulſionem: quia cum Deo nulla poteſt eſſe prudens, veliſque contentio, niſi humilis oratio, quæ ab offenſo Deo clementiam exorat, miſericordiam aduocet, atque ſollicitet.

Lib. 9.

Omnes potentes curuãtur ante Deum.

Poſterius verò, ſeu vindicem manum experiuntur velint nolint homines peccatores, aut refractarij. Cùm multis Dei miraculis nõ moueretur Pharao ad dimittendum filios Iſrael, dicebat illi Moyſes nomine Dei: *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos & aſinos, & camelos, & boues, & oues, peſtis valdè grauis.* Id eſt, niſi dimiſeris populum meum ô Pharao, immittam peſtem valde grauem ſuper equos, oues, & boues tuos, qui ſunt in agro, manu mea, & poteſtate mea ſola, non Moyſis, non Aaronis, inficiendo aëtem & corpora. Porrò ſæpè hanc Dei manum experimur, cùm inſtar Pharaonis in peccatis obſtinati obſurdeſcimus, & quaſi ad nos non pertineret immiſſa plaga, noſtro more tranſimus. S. Gregorius Nazianzenus orat. 15. cũ in Tiberina regione fruges maturæ, grandine proſtratæ eſſent, iſtius calamitatis cauſam inquirit: *Cur*, inquit, *ſegetes exaruerunt, horrea confuſa ſunt, paſcua ouium defecerunt, extenuata ſunt ſpecioſa terræ, campi non pinguedine, ſed mœrore perfuſi ſunt, valles, non frumento abundarunt, ſed deplorata ſunt, montes nobis, quemadmodum poſtea iuſtis viris, dulcedinem non ſtillarunt, ſed ornatum ſuum exuerunt, ignominiaq; affecti ſunt, ac montium Gelboë maledictionem contrario modo acceperunt? Facta eſt vniuerſa terra vt à principio, cùm nondum pulchritudine ſuâ exornatâ eſſet.* Et nonnihil poſt: *Proh triſte ſpectaculum! In culmo ſertilitas nobis eſt, & ſementis ex parua reliquijs agnoſcitur, ac vix primitias Domino meſſu noſtra edit, atque ex menſibus potius quàm ex manipulis percipitur. Tales impiorum diuitiæ ſunt, tales malè ſeminantium meſſes: nimirum iuxta veterem maledictionem, reſpicere ad multa, & pauca inferre; ſeminare, & non metere, plantare, & non exprimere: vbi decem iuga boum operantur, lagunculam vnam facere: atque apud alios frugum vbertatem audire, cùm interim ipſi rerum penuriâ premantur? Vnde hæc tandem? & quæ nobis huiuſce calamitatis cauſa eſt?* Et cùm ad longum diuerſis peccatis eam plagam adſcripſiſſet, videlicet pauperum oppreſſioni, fœnori, defraudationi in primitiis erga Deum, immiſericordiæ erga viduam & orphanum, vexationi iniuſtæ ad iuſtorum depreſſionem, odio Correptoris; ac pauperis predæ deterentæ, ſubdit: *Ob hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Ob hæc, vel clauditur cælum, vel malè aperitur: eoq́; magis, ſi, ne percuſſi reſipiſcamus, atque ad eum, qui naturæ ſuæ ad nos appropinquat, accedamus. Quid ad hæc dicemus, qui frumentum emimus, & vendimus, ac temporum difficultates obſeruamus, vt opes nobis comparemus, & in alienis calamitatibus delicias capiamus, atque, non vt Ioſeph AEgyptiorum facultates maioris diſpenſationis cauſa (vtrumque enim norat, nimirum & rectè colligere, & rectè annonam tribuere, quemadmodum etiam, & famem proſpicere, & eminus ei obſiſtere) ſed, vt iniqui, & conſcelerati, populari in noſtrorum opes acquiramus? Qui dicimus. Quando tranſibit menſis, vt vendamus: & Sabbatha vt aperiamus? Qui duplicibus menſuris, & ſtateris iuſtitiam corrumpimus, ac plumbeam iniquitatis menſuram nos ipſos inclinamus.* Et longè antè inquirens etiam, quænam illa grandinis plaga, & vnde vtrum vt virtus noſtra exploretur, an vt improbitas vindicetur? reſpondet: *Præſtat velut*

Obſtinatio in peccatis, grauiora mala cauſat

4. *Nullus potentiorum effugere poteſt Dei vindicem manum.*

ob pœnam (etiam si aliter res se habeat) animos demittere, ac sub potenti manu Dei humiliari, quam velut ob probationem in altum efferri. Hæc doce, atque admone, ne ob præsentem plagam grauius discruciemur, aut quod plerique faciunt, in profundum malorum prolapsi, contemnamus: verùm prudenter in hac castigatione nos geramus, ne ad hanc obstupescentes, maiorem accersamus, vt fecit obstinatus Pharao.

Confirmat D. Basilius.

D. Basilius hom. 8. famem Cæsareæ ex siccitate ortam similiter adscribit peccatis suorum, & conqueritur de tarda resipiscentia: *Nos autem,* inquit, *peccata velociter quidem promptóq; animo admittimus, pigrè verò postmodum ac serò pœnitentiam agimus. Quisnam orans aut supplex lachrymam ex ore mittit, vt imbrem terris tempestiuum prouocet? Quis scelera relinquens sanctum Dauid imitatur, qui quæstibus ac lachrymis stratum riguit? Quis hospitum lauit pedes, aut pulverem ex itinere aspersum abstersit, vt in hac siccitatis calamitate Deum exorare valeat? Quis orphanum aliquē paruulum pauit, vt & nobis Dominus frugem telluris aleret, velut orphanum ventorum intemperantia percussum? Quis vidua victus difficultate afflicta opitulatur, vt alimenta frugum necessaria recipiat?* Cùm igitur Dei manum non effugimus, aut ab ea non liberemur, causa est, quod à peccatis non resipiscimus.

5. Hanc Dei manum, numerato populo contra legem Dei euadere non potuit Rex Dauid. Vnde 2. Reg. 24. optione ei datâ, in pœnam peccati, eligendi vel septemnalem famem in terra sua, aut tribus mensibus fugere aduersarios persequentes, aut trium dierum pestilentiam in terra sua, respondit Prophetæ: *Melius est vt incidam in manus Domini (multa enim misericordia eius sunt) quàm in manus hominum.* Dum itaque gladium, aut quod idē est, manum eligit Domini, pestem vtique eligit, quam homo non potest, aut non solet immittere, sed Deus qui solus in elementa, aut naturæ vires potestatem habet. Hanc manum quòque senserunt, neque effugere potuerunt Philistæi, 1. Reg. 7. post oblatum à Samuele sacrificium pro filiis Israel: quia adfuit Deus, & subitâ coorta tempestate, tonante ac fulgurante cælo perterriti, tum in ipso certamine, tum in fuga ingenti clade perierunt; de qua ibidem dicitur v. 13. *Facta est itaque manus Domini super Philistæos cunctis diebus Samuelis.* Hanc denique sensit, neque effugere potuit Ionas Propheta fugiens in Tharsis à facie Domini nauigio, ne prædicaret Niniuitis, veritus ne iacturam nominis sui pateretur, si post eà Dominus cum illis misericorditer ageret: sed Deus eum insequitur, ventum & procellam in mari excitat, nautæ iaciunt sortem, vt reum deprehendant, sors indicat Ionam, ille fugæ culpam agnoscit, & ait: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniā propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Præclarè Chrysostomus hom. 5. ad pop. Ionas. inquit, *fugiebat terram, & Dei iram non effugiebat, fugiebat terram, & in mare tempestatem induxit; nec tantum nullum ex fuga bonum nactus est, sed etiā eos, qui se susceperant, in extremum periculum adduxit: vt discas, quod, sicut in peccatis viuenti, neque nauigium prodest, sic peccato exutum neque mare perdit, neque bestia consumunt. Ipsum igitur vnda susceperunt, nec suffocauerunt. Cetus suscepit, & non interemit: verum & animal, & elementum incolume depositum Deo reddiderunt, & per omnia discebat Propheta esse mansuetus & humanus, & neque fluctis nautis, neque fera vndis, neque bestijs crudelior esse. Redijt ergo, prædicauit, minatus est, persuasit, saluauit. Propterea ipsum non statim de nauigio ad vrbem perduxit, sed naute mari tradiderunt, mare cete, cetus Deo, Deus Niniuitis, & per longum circuitū profugum reduxit. Vt omnes doceat, quod Dei manus effugere impossibile sit.*

Ionas fugiēs Dei manum effugere non potuit.

6. Fortè inquies, exempla sacræ Scripturæ satis testari, iræ Dei reluctari posse. Mouit hanc quæstionem magnus ille Gregorius li. 8. moral. cap. 9. vbi ad verba Iob. 9. superius citata sic inquit: *Mirum valde est, quod ira Dei nullum posse resistere dicitur: cùm multos indignationi superne animaduersionis obuiasse, eloquia diuina testentur. An non ira Dei Moyses restitit, qui pro cadente populo erectus, ipsum superne percussionis impetū mortis sua oblatione restinxit, dicens: Dimitte illis hanc noxam: alioquin dele me de libro tuo, quem scripsisti? An non ira Dei Aaron restitit, cum inter viuentes ac mortuos thuribulum sumpsit, atque animaduersionis ignem, incensi fumo temperauit? An non Phinees ira Dei restitit, qui luxuriantes cum alienigenis, in ipso coitu trucidans, zelum suum diuinæ indignationi obtulit, & furorem gladio placauit? An non ira Dei Dauid restitit, qui Angelo ferienti se offerens, placationis gratiam, & ante tempus propositum exegit? An non Elias ira Dei restitit, qui longo iam tempore, terra arente, subductas de cælo pluuias, verbo reuocauit. His ita constitutis, quæstionem hanc ponit. Quomodo ergo diuina ira nullum posse resistere dicitur: cū multos sæpè restitisse exemplis existentibus demonstratur.* Et immediatè post sic nodum soluit: *Sed si subtiliter & hæc beati Iob eloquia, & illorum facta pensamus; & verum cognoscimus, quia diuinæ iræ non resistitur: & verum, quia multi sæpè restiterunt. Omnes etenim sancti, qui iræ Dei obuiant, ab ipso accipiunt, vt contra impetum percussionis eius opponantur: atque vt ita dixerim, cum ipso se erigunt contra ipsum, eoq; diuina vis sibi opponit secum: quia in eo quod aduersum sæuientis iram foris obtinent, intus eos gratia irascentis fouet: & famulantes interius leuat, quos quasi aduersantes exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium, quā aspirat, & velut nolentis opponitur, quod ab ipso vt fiat, imperatur. Moysi etenim dicit: Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam. Quid est seruo dicere, dimitte*

Exēpla plerorum, qui diuinæ iræ restiterunt.

Exod. 32.

Num. 16.

Num. 25.

1. Reg. 14.

3. Reg. 18.

Soluitur obiectio.

dimitte me, nisi deprecandi ausum prebere? Ac si apertè ei diceretur: Pensa, quantum apud me valeas, & cognosce, quia obtinere poteris quidquid pro populo exoras. Quod quia hac mẽte agitur, statim venia subiuncta tollatur. Cùm verò superna indignatio sese, vt ita dixerim, medullitus mouet, hanc oppositio humana non retinet: nec se vtiliter cuiuslibet deprecatio obijcit, cùm semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. 3. Reg. 17. *Hinc est enim quod Moyses qui reatum totius plebis apud Deum suis precibus terfit, dumq; se obicem obtulit, diuinæ iracundiæ vim placauit: ad petrã Oreb veniens, & pro aquæ exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi, Domino irascente, non potuit. Et sæpè hac de re affligitur, sæpè desiderio se excitante turbatur, & dispositæ vltionis iracundiam repellere, à semetipso non valuit, qui hanc, volente Domino, &* Num. 20. *à populo amouit. Hinc Dauid, qui, prostratâ plebe, postmodum angeli gladium prece compescuit, prius plorans, & eiulans, nudis pedibus filium fugit: & quousque perpetrati facinoris vltionem ad plenum reciperet, iram Dei pro semetipso temperare nequaquam* 2. Reg. 24. *valuit. Hinc Elias, vt sicut homo parum aliquid quasi de diuina animaduersione sentiret; qui verbo cælos aperuit, ante indignationem mulieris territus per desertum fugit: & pro semetipso infirmatur in formidine, qui furorem Dei placat alijs per interuentionem,* Ira Dei resisti potest ipso cooperante. *hac distinctione posita, sic concludit Gregorius. Ira Dei igitur & resisti valet, quando ipse, qui irascitur, opitulatur: & resisti omninò non valet, quando se & ad vlciscendum excitat, & ipse precem, quæ ei fundatur,* Hierem. 17. *non aspirat. Hinc ad Hieremiam dicitur: Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam te in tem-* Hierem. 35. *pore clamoris eorum ad me. Et rursum: steterunt Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

7. Intellexisti hæc Athleta Christiane, intellexisti homo peccator, facetiam prouentum. Tu audi Siracidem Eccl. 2. v. 4. *Omne*, inquit, *quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurũ & argentũ, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Audi Apostol. 1. Cor. 10. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Veriſſimè B. Ephrem ſerm. de patientia. *Nouit ipse, quantã subire possit probationem atque tentationem anima, & tantam quoque permittit.* Et poſt pauca Apoſtoli ſententiam aptâ ſimilitudine lumentorũ & Vaſorum figuli illuſtrat: *Si*, inquit, *homines exigua intellectu, ac mente præditi, probare ac discernere norunt, quantum pondus atque onus singula ferre queãt animalia, veluti mulus, aut camelus, tantumq; addunt onerũ, quantum vires animalis tolerent. Et figulus vasa formans, nisi in fornacem ea immiserit, vt igne probata solida ac dura reddantur, humanis vsibus seruire nequeunt: nouit autem quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec vtilia efficiantur. neque contrà, vltra quàm sit opus, ea in fornace relinquit, ne adusta corrumpantur; neque vicissim ea minus in fornace relinquit, quàm necesse sit; ne dissoluantur, neminiq; sint vsui. Si inquam in rebus corruptibilibus & apparentibus, tanta consideratione atque cognitione præditi sunt homines; quantò magis Deus, qui incomprehensibilis est, & ineffabilis scientia & intellectu, totusq; sapientia plenus, nouit, quantis probationibus, atque tribulationibus, tentationibusq; indigeant animæ ipsi placere volentes, vitamq; æternam consequi desiderantes; ficq; fortiter, promptq; omnem in spe tribulationem perferunt, ad finẽ vsque. Tuncq; probati, & apti regno cælorum reddun-*

Elegans similitudo, qua ostenditur Deus non alia probare iustos, quàm necesse sit.

tur. Subdit Paulus Apoſtolus cit. loc. *Sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere,* quaſi dicat: Deus qui ſinit vos incidere in tentationem, idem faciet, vt tentatio benè eueniat, &, vt Anſelm. eam, prout vobis & veſtræ ſaluti expedit, faciet prouenire, vt ea cuadere poſſitis ſine læſione, imò cum victoria & gloria. Jmò Deus vires addet ad plura ſuſtinenda.

Deus dat vires ad tentationes ferendas.

Sis igitur generoſo animo, qui Dei manum probantem experiris, & pro perſeuerantia deprecare. Thecla poſt ſuperatas pro Chriſto varias afflictiones, ſic locuta eſt: *Etiamſi*, inquit, *in ſingulos dies mihi cum igne, bellua, vinculis, carceribus rem esse contingat: adeò mihi omne etiam mortis & discriminis genus pro pietate subeundum, ipſimet paradiſi delicijs epulisque inſtructiſſimis portus ducitur: tantummodo digna, quæ pro te & nomine tuo cruciatus tolerare semper possim.* ita Baſilius Seleuciæ Epiſcopus in eius vita.

Quid ni? S. Chryſoſtomus, *Pro Chriſto*, inquit, *pati munus eſt maioris admirationis, quàm ſit reuerà mortuos ſuſcitare, & ſigna miranda patrare. Nam illic quidem debitor ſum, hic verò debitorem habeo Chriſtum.* hom. 4. in Epiſt. ad Philip. Sic Tobias noſter omnia mala ſummâ cum fiduciâ deuorauit, ſpe mercedis æternæ per Chriſtum longè poſt conſequendæ, & nunc Deo gratias agit.

Tu autem homo peccator noli cogitare fugam à Deo, cùm impoſſibilis ſit, ſed mutâ prauos mores, qui manum Dei vltricem in te coëgerunt. Salubriter Chryſ. hom. 5. ad pop. *Quocumque quis proficiscatur, peccatum pertrahens, infinita sustinebit detrimenta, & si hominum nemo adsit, ipsa vndecumque creatura cum multa resistet vehementia. Ne igitur fugam salutem nostram credamus, sed morum mutationi. Non enim quia in ciuitate manes, propterea Deus irritatur, vt fugias: sed quoniam peccasti, propterea indignatur. Igitur peccatum depone, & vnde vulneri causa inde mali fumitem contrahe: contraria enim contrarijs curare & medicorum pueri iubent. Ex crapula nata est febris, inedsâ morbum corrigunt: ex tristitia quis infirmatus est, lætitiam huic aptam medicinam esse dicunt.* Caue ergo obdurari in peccatis, ne indurescat Deus nullis Sanctorum precibus exorabilis.

8. *Peccatoribus Deo vlciscente non est fugiendum, sed praui mores corrigendi.*

CAPITIS DECIMI-TERTII

VERSVS III.

Confitemini Domino filij Iſrael, & in conſpectu gentium laudate eum.

Verſ. 4. *Quoniam ideò diſperſit vos inter Gentes, quæ ignorant Deum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt Deus omnipotens præter eum.*

Verſ. 5. *Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras: & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.*

Verſ. 6. *Aſpicite ergo, quæ fecit nobiſcum, & cum timore & tremore confitemini illi: regemque ſæculorum exaltate in operibus veſtris.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 3. 4. 5. & 6. Hortatur Tobias concaptiuos in Niniue, vt laudent Deum, & illius opera Gentibus quæ Deum ignorant, narrent & euulgent. Cùm autem concaptiui conſtarent ex bonis & malis, tradit primis documenta, nempe ſuos, Deum inter alienos à religione populos, latè diſpergere, vt admiranda ipſius opera Gentibus manifeſtent, & Dei Iſrael maieſtatem omnium Deorum Gentilium longè ſuperare; malis autem documentum hoc inculcat, quod tam quæ hominibus accidiſſe exiſtimantur aduerſa, quàm quę ſalutaria atque benigna omnia à Deo fuiſſe profecta: illa immiſſa propter iniquitatem hominum, vt percuſſi ſapiant, & in camino tribulationis à ſcelerum concretione purgentur; hæc à diuinâ miſericordiâ, quæ rebus afflictis leuamentum & deſperatis affert ſanitatem. Cæterum hinc infert Dei laudem cum tremore debere eſſe coniunctâ, eumque à contribulibus per opera bona glorificandum, quibus palam faciant, quid Deus in ipſis maximè aut probet, aut commendet.

SECTIO IIII.

Quare Tobias tantopere commendet ſuis contribulibus concaptiuis, Deum in captiuitate laudare.

REGIVS Propheta Dauid poſtquã euaſiſſet manus Regis Achis, immutans vultum ſuum 1. Reg. 21. dixit: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius, in ore meo.* Cùm bonitatem Dei ex hoc beneficio planè perſpectam haberet, quod in tribulationibus non minus appareret, quàm in rebus proſperis, tàm in illis, quàm in iſtis affectu magno decernit, numquam à laude Dei ceſſare; imò alioſque inuitat, vt ſecum aſſociati ſinguli Deum magnum prędicent, & nominis eius, qui ſolus altiſſimus eſt, notitiam famam ac maieſtatem extollant: *Magnificate*, inquit, *Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* Similiter Tobias hoc loco Deum laudat, & vt idipſum alij efficiant, ſuo exemplo docet, & quantum poteſt, edicit & obſecrat, vt liberè Dei maieſtatem prædicent inter Gentiles. Idem præſtitit Iſaias Vates cap. 12. *Confitemini Domino, inquit, & inuocate nomen eius. Notas facite in populis adinuentiones eius. Mementote quoniam excelſum eſt nomen eius.* Laudate, inquit, Dominum, illius inuocate nomen, contendite vt cogitationes eius, & opera mirabilia omnes Gentes intelligant, & illum eſſe excelſum, atque omni creatâ virtute ſuperiorem.

1. Pſal. 33.

Verùm notandum hîc, quod concaptiui Tobiæ ex bonis & malis conſtarent, & vt vtroſque efficacius ad Dei laudem permoueret, primò prævenit bonorum obiectionem, qui allegare potuiſſent, quid confiteremur Deo? potuiſſet noscripere ex hoc carcere, quemadmodum Noë ſeruauit à diluuij exitio, Loth eripuit ex incendio Sodomæ, noſtramque Gentem à plagis & calamitatibus Ægyptiorum: hanc, inquam obiectionem prævenit & cauſam illorum diſperſionis & captiuitatis declarat, diuini eſſe conſilij, nempe vt enarrent Genti idololatriæ addictæ mirabilia

2.

Deus inſtos diſpergit, ad alienum vſum & ſalutem.

mirabilia Dei opera, ac eminentem eius maiestatem, vt sic spreto prophano Deorum cultu, illum solum agnoscat, & colat: *Quoniam idcò*, inquit, *dispersit vos inter gentes, qua ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.*

3. Sed vnde Tobiæ constitit hanc Dei fuisse rationem, cur bonos cum impiis in Assyriam abduci passus sit Deus? Nunquid iusti sæpè impiorum causa temporalibus pœnis rectè inuoluit Deus? Nunquid vnius facinus in Dei populo sæpè pestis est multorum? Ob iniustam libidinem Regis Dauidis in Iudaico populo abstulit 70000. hominum, 2. Reg. 24. Ex facto vnius Acham fugit populus Dei innocens ab isto crimine, Iosue 7. Ex zelo Saulis præpostero excitata est pestilentia, 1. Reg. 21. Nonne propter membri vnius morbum, vulnus, & vlcus, videmus alia languere omnia, & cruciari. Apostolus 1. Cor. 12. dicit: *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra* Ergo mirum non est, eiusdem Reip. ciues inuicem pati. Vnde ergo Tobias hæc deprompsit; an ex Dei reuelatione? Est id valdè probabile, cùm futura contingentia etiam suis præmuntiarit, vt cap. 14. attingemus. Non erraret tamen, qui existimaret Tobiam ex more, quo Deus agit cum iustis, in tali rerum articulo, hæc dixisse. Legitur Genes. 12. Abraham, cùm fames inuasisset in terra Chanaan, descendisse *in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi.* Si eius consilium & animus spectetur, non alia certè, fuit causa, quàm inopia frumenti, & vt famis necessitati occurreret. At verò diuina prouidentia, per hanc famis occasionem, sapientem illum & sanctum virum eò misit, vt quemadmodum Palæstinos, ita quoque Ægyptios verbo prædicationis, & suarum virtutum exemplo erudiret. Sic profectò vsu venit, vt per mala quæ sancti viri patiuntur, aliorum bona promoueantur, ignorantibus etiam vtrisque, Deo tamen dirigente, & ad destinatos prouidentiæ suæ fines omnia perducente. Audi quid in hanc sententiam scriptum reliquerit B. Chrysostomus: *Dispensabat Deus*, ait Chrysostom. *vt Abraham non tantum Palæstinorum doctor esset, sed etiam lucem doctrinæ ac virtutis suæ imperiret AEgyptijs. Quasi enim luminare quoddam eum, qui in Chaldæorum terra delituerat, illinc euocauit; vt eos qui in tenebris errorum sedebant, vbi à veritatis luce illuminaret. Sed fortè diceret aliquis, Cur non potius eos qui in Chaldæa erant, vt ad veram religionem venirent, sua pietate effecit? Verisimile est illorum salutem per aliorum prouidentiam esse procuratam. Attamen audi Christum dicentem: Non est Propheta absque honore, nisi in patria sua. Vt igitur opere impleret quod ei promiserat* ... *Mauden in Tobiam.*

Deus Abrahami peregrinationem in Aegyptū direxit ad Aegyptiorū salutem.

dicens: magnificabo nomen tuum, propterea & famem oriri permisit, & cogente necessitate, ire fecit in Aegyptum, vt discerent qui illic erant, quanta eius viri esset virtus, & quanta in gratia esset is apud Deū. Fames namque quasi lictor fuit, qui necessitatis iniecto vinculo, vi eum in Aegyptum abstraxit. Sic Chrysostomus.

Sic Deus passus est ante famem venturam tempore Iacob, Iosephum vendi à fratribus mercatoribus pergentibus in Ægyptum. De quo Regius Propheta Dauid Psal. 104. *Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph.* quasi dicat. Dei prouidentiâ permisit Iosephum vendi & asportari in Ægyptum, vt per eum mirabili ratione, & modo introduceretur Iacob cum filiis in Ægyptum, vt ex ipsa historia clarissimè patet. Nam in Ægypto positus Ioseph, & accusatus falsi criminis ab vxore domini sui coniectus fuit in carcerem. vbi ferrum compedium dolore afflixit animam Ioseph, & quodammodo eam pertransiuit per multos dies, donec impleretur vaticinium eius, quo prædixit pincernæ Regis Pharaonis liberationem ex carcere, Deo inspirante: ex cuius vaticinij impletione processit eius liberatio. Inde ait idem Propheta: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum, misit Rex, & soluit eum Princeps populorum, & dimisit eum.* Neque solum liberauit eum de carcere, sed *constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ*: vt omnia tam in aula Regia, quam in toto regno quasi Princeps & Dominus administraret; quin etiam vt, præter curam alendorum corporum tempore famis, erudiret Principes regni, & seniores Consiliarios, quæ cum Rege negotia Regni tractare solebant, eâ sapientiâ & prudentiâ, quâ ipse pollebat. Atqui hac occasione ingressus est Patriarcha Iabob cum familia sua in Ægyptum eo tempore, quo terram grauissima fames opprimeret, ibique firmam habitationem constituit: Vnde post seriem prædictam, tanquam cardinem rei subiungit Scriptura: *Et intrauit Israel in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham.* Psal. 104. v. 21.

Ioseph missus à Deo in Aegyptum vt cibaria pararet fratribus suis.

Sic Ezechiel ductus fuit in Babylonem, vt ipse esset sui sæculi portentum, vtque portentosis suis dictis, & factis flecteret & frangeret Iudæorum duritiem & obstinationem in peccatis. Hac de causa obsidionem vrbis in latere descripsit, panem stercore boum coctum, comedit, & super vnum latus cubauit 360. diebus, cap. 4. vers. 1. Hac de causa describit cap. 1. currum bellicum Dei, cùm angelis bellum, vindictam & excidium Iudæis, aliisque gentibus minitantis & comparantis.

Ezechiel ductus in Babylonem, vt Iudæos emanderet.

Sic Danielem permisit Deus duci in captiuitatem cum impio Rege Ioachim, iisdem-

Daniel cur passus à Deo

in captiuitatẽ abſtrahi.

que malis & calamitatibus afflictari, quibus cæteri: vt Daniel Hebræis, qui erant in illa captiuitate eſſet quaſi conſultor, doctor, & ſpiritualis medicus, eiuſque auctoritate, & doctrina, exemploque continerentur illi in cultu veri Dei, ne ad impias gentium, quibus cum verſabantur, ſuperſtitiones, & idololatrias dilaberentur: & eſſet quoque calamitatum, ac miſeriarum, quibus in illa ſeruitute premebantur, conſolator, & ſubleuator, nec non & ſoluendæ captiuitatis procurator, & adiutor. Deinde, vt in captiuitate Danielis nomen nobilius, atque illuſtrius exiſterer, nempe multò maiorem dignitatem ac poteſtatem, gloriamque adeptus eſt in captiuitate Daniel apud alienos reges gentesque barbaras, quàm liber, & apud ſuos vnquam conſequi potuiſſet. Denique, vt per Danielem apud ſuperbiſſimos Reges, & populos tenebris idololatriæ obcæcatos, veri Dei cognitio, eluceſceret, atque innoteſceret. Eandem ob cauſam tres pueri in Babylonem abducti ſũt, quantumuis iuſtiſſimi, vt ſuâ conſtantia & abſtinẽtiâ, ipſum Regem idololatram ad Dei cognitionem adducerent.

4. Sic Actor. 8. cap. permiſſa eſt à morte Stephani grauis Eccleſiæ perſecutio, vnde fideles diſpergerentur, & Samariam conuerterent. *Apoſtoli in perſecutione diſperſi ad fidem propagandam.* *Facta eſt autem in illa die*, inquit ſacer textus: *perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, & omnes ſunt diſperſi per regiones Iudææ, & Samariæ.* Et paulò pòſt: *Igitur qui diſperſi erant pertranſibant euangelizantes verbum Dei.* Vnde D. Athan. hom. de ſemente, non tribuit imbecillitati, ac metui diſcipulorum, ſed prouidentiæ Dei, qui eâ diſperſione conſultum eſſe voluit aliorum ſaluti. Sic enim ait: *Audis in actis Apoſtolorum poſt lapidatum Stephanum diſcipulos diſperſos, & quaſi ſeminatos, non quod imbecillitate diſiecti, ſed fidei gratia ita diuiſi eſſent. Sed enim ita diſperſi ſunt, quaſi ſeminantes frumenta effecti ſint ad panem ſuper cæleſtem conficiendum, vniuerſumq; orbem peragrantes vnifica doctrinæ virtutes, efficaciaſq; diſſeminarunt.* Huic conſonat S. Gregor. Nyſſenus in orat. de S. Stephano. *Hinc*, inquit, *in orbem terrarum diſcipuli currere cæperunt. Hoc omnes in partes ſermonis diuulgationis initium eſt. Nam niſi ab illius (Stephani) cæde populus Iudæorum in diſcipulos ſeuiſſet, forſitan ſolummodo Hieroſolymis Euangelij gratia incluſa eſſet. Nunc verò agitati à Iudæis, alij alibi gentium per orbem diſperſi ſunt, vndiq; per myſteriorum doctrinam diabolum exturbantes:*

5. Dum Apoſtoli Paulus & Barnabas Antiochiæ morarentur, ibique aliquamdiu euangelizaſſent verbum Domini: *dixit ad Barnabam Paulus, Reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbũ Domini, quomodo ſe habeant. Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (vt qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphylia, & non iſſet cum eis in opus) non debere recipi.* Ex hoc orta eſt *diſſentio*, *ita vt diſcederent ab inuicem. Et Barnabas quidem aſſumpto Marco nauigauit Cyprum; Paulus verò electo Sila profectus eſt, traditus gratiæ Dei à fratribus.* Paulus iuſtitiâ ductus peccantem aliquando Marcum repellebat, quem Barnabas miſericordiâ tactus tandem reſipiſcẽtem ſibi reconciliabat. *Ex Pauli & Barnabæ diſſidio obtentus fidei propagatio.* Sic ſuæ quiſque virtutis ſtudio incenſi in diuerſas partes receſſerunt, non ſine diuino aliquo inſtinctu, vt videlicet pluribus gentibus diſperſi prædicando Euangelium prodeſſent. Non igitur fuit inimica diſſentio, ſed quædam æmulatio pro ſalute animarum, quam Deus in bonum aliorum permiſit. Veriſſimè Chryſoſtomus hom. 34. in Acta: *Vtne melius*, inquit, *conſuluerit, non eſt noſtrum pronuntiare; ſed quod magna fuerit Dei ordinatio.* Et paulò pòſt: *In hac quæſtione audiendum*, inquit, *non quod diuerſi fuerint in ſententijs, ſed quod alter alteri iniuriam geſſit: vnde ex diſceſſione maius bonum fuit, & res hinc occaſionẽ ſumpſit. Quid igitur? Inimici ne inter ſe diſceſſerunt? abſit. Vides enim quod Barnabas poſtea multum à Paulo in epiſtolis celebratur. Exacerbatio, inquit facta eſt, non inimicitia, neque contentio. Tanta autem fuit exacerbatio, vt ſepararentur. Et meritò: nam vterque ſtudebat eſſe bonæ frugis. Hoc poſtea non accidiſſet propter communionem illo. Mihi videtur etiam diſertè ſeparatio illa facta, & quod inter ſe dixerint: Quoniam ego non volo, nec tu vis, neque pugnemus, diſtribuamus prouincias: & ita ſibi mutuò multum cedentes hoc fecerunt. Volebat enim Barnabas nõ deijci, quod à Paulo erectus, Idcirco & ſeceſſit, volebat ſimiliter & Paulus, non infirmare quod illi viſum. Ea propter & ipſe idem facit, ac ſecedit.* Et poſt hæc verba immediatè ſubiungit: *Vtinam & nos tales ſeceſſiones faceremus, & ſic ad prædicandum abiremus.* Hinc D. Hieronymus in Apologia ad Ruffinum: *Nonne*, inquit, *Apoſtoli, ſaluis inter ſe amicitijs, diſſenſerunt; cùm Paulus & Barnabas propter Ioannem cognomento Marcum ſtomachati ſunt; & ſeparauit eos nauigatio, quos Chriſti Euangelium copulabat?* Vnde D. Petrus Dam. lib. 2. epiſt. 11. in eos inuehitur, qui ad ſuarum diſcordiarum patrocinium hoc Apoſtolorum iurgio vtuntur: *Quod vtique*, inquit, *conſtat, non diſcordiæ vitio, ſed diuinæ diſpenſationis factum eſſe iudicio, vt nimirum ſancti Apoſtoli, tanquàm grana tritici, eò ſpargenda fidei vberiorem meſſem redderent, quo procul eos ab inuicem diſſenſionis aura perflaret.*

Galat. 2.

6. *Cur certamen inter Angelos apud Danielem.* Huc præterea facit, quod ideò putent Auctores Daniel. capite 10. inter Perſarum & Græcorum principes, qui cum Gabriele pugnauerint, ortum fuiſſe certamen, & duos illos principes repugnaſſe vehementer, quia videbant Iudæorum commorationem magno populis ſuæ fidei commiſſis vſui futuros. Sciebat enim Perſarum princeps ex Iudæorum

dæorum familiari congressu ex sua clientela nonnullos veri Dei cognitionem habere, feréque posse, vt nefariis relictis sacris veram religionem plures amplecterentur. Atque ideò contendebat, vt in Perside hærerent, diutius; imò vt ibidem esset æterna commoratio. Quod idem optabat, curabatque vehementer Græcorum princeps, quia nouerat regionem illam, vbi exules morabantur Iudæi in Græcorum potestatem aliquando venturam, quibus ad veri Dei notitiam magno videbantur adiumento futuri captiui.

Eodem modo igitur Tobias noster declarat suos concaptiuos melioris notæ, eo consilio inter gentiles populos fuisse dispersos à Deo, vt ijsdem diuinorum operum cognitionem impertiant, & per mirabilia Dei ab ipsis euulganda intelligerent nullum tandem esse Deum, præter illum, quem agnoscit, & veneratur Israel, adeoque idolorum vanum & superstitiosum esse cultum. Vnde & ipse Raguel cum vxore Anna c. 8. postquã deprehendit nouos coniuges à dæmonio liberos funestam illam plagam euasisse, quam septem antea mariti ex ordine subierant, sic rogat Deum: *Fac eos Domine plenum benedicere te: & sacrificium tibi laudis tuæ & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersus gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra.* Hac enim ratione intellexerunt plurimi gentiles eminẽtem Israelis Dei, supra suos Deos maiestatem. Quod Raab cõfessa legitur Ios. 2. vbi exploratoribus, quos absconderat, causam sui terroris explicans, inquit: *Noui quod Dominus vobis tradiderit terram, &c. Audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, & elãguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum.* Et concludens subijcit: *Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.* quasi dicat. Eius maiestas est supra omnes, qui se Deos arbitrãtur, etiam in terra. Similiter Gabaonitæ auditis mirabilibus Dei stratagematibus cõfugerunt ad ducem Iosue, dicentes: *Venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui: audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in Ægypto, & duobus regibus Amorrhæorum, qui fuerant trans Iordanem*, &c. Iosue cap. 9. Item Philistini 1. Reg. 4. cùm intellexissent Arcam Dei venisse in castra Iudæorum, dicebant: *Væ nobis: quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt dij qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.* Addere potuissent: *Qui corruere fecerunt muros vrbis Iericho.* Dum enim Arca septimo die circumferretur circum ciuitatẽ Iericho septies, & sacerdotes clangerent buccinis, *Muri illicò corruerunt, & ascendit vnusquisque per locum qui contra erat, ceperuntq; ciuitatem, & interfecerũt omnia quæ erant in ea, à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem, boues quoque & oues, & asinos in ore gladij percusserunt.*

Ex Dei miris operibus Gentiles verum Deum agnouerunt.

Dixit rursum Tobias, quod confiterentur Domino filij Israel propter hanc dispersionem: vt intelligerent Deum ex aliorum malo, seu ex hostium persecutione elicere bonum. Vendiderunt fratres Iosephum Madianitis, & cogitantes eum perdere, effecit Deus, vt crearetur princeps Ægypti: vnde dicebat ipse ad fratres, Genes. 45. nimio timore perterritos: *Nolite pauere*, &c. *pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Et rursum v. 8. ibid. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti.* Aman persequẽs Mardochæum, illum existimabat neci tradere, cum omni gente Judaica; sed eius occasione longè contrarium operatus est, vt videlicet ipse Mardochæus ad summum honorem euectus, populum suum ex destinata iam nece penitus eriperet. Iudæi persequendo Christum eumque occidendo fecerunt eumdem Seruatorem mundi, & fundatorem Ecclesiæ. S. Prosper ad obiecta Gallorum resp. 13. latè docet per miram Dei prouidentiam persecutiones cedere in bonum Ecclesiæ, adeoque persecutores fabricare coronas iis, quos persequuntur. Vnde concludit verbis Apostoli Ecclesiam Dei ad perseuerantiam pietatis instituentis: *In nullo*, inquit, *terreamini ab aduersariis, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo*, Philip. 1. Quasi dicat: Vterè intelligam vos persistere in vno eodemque spiritu, vno pariter animo pro Euangelica fide decertantes: Neque vllatenus terreamini; nam persecutio illa gentium ipsosmet perdet, & ducet in gehennam; vos autem ducet ad salutem, & gloriam, Deo vos dirigente ac ducente.

7. *Deus ex hostium persecutione elicit bonum*

Exempla.

Vides igitur, mi Christiane, quàm vtile sit iustis in peregrinas regiones dispergi. Imò plus emolumenti dimanare ex huiusmodi dispersione, quàm ex quauis terrarum visitatione. Expende causas omnes, ob quas plurimi longinquas & laboriosas peregrinationes suscipiant, & comperies hanc ex dispersione natam multò esse potiorem. Quidam enim longinquas & exteras nationes petunt, quòd nullo possint loco diu consistere & naturalis quædam vanitas est, & instabilitas. Alij ex necessitate in longinquas partes concedunt, vt videlicet magnum aliquod malum vitẽr, vel famis, vt Abraham Genes. 12. vel supplicij propter scelus aliquod patratum ipsis impendentis, vt experientia passim docet: & est prudentia quædam, quæ corpori & honori consulendo adhibetur. Alij vtilitatis causa mari

8 *Diuina causa, cur homines peregrinentur.*

terraque peregrinationes ſuſcipiunt, vt Mercatores, & hæc ad vſum vitæ corporalis facit. Plurimi cupiditate diſcendi res nouas & abſtruſas; comparandæque multiiugis doctrinæ ac prudentiæ, variarum gentium ingenijs, moribus, inſtitutis, & diſciplinis cognoſcendis ac percipiendis, alienas regiones frequentant. Hanc ob cauſam memoriæ proditum eſt, Pythagoram, Empedoclem, Democritum & Platonem longinquas orbis perluſtraſſe; exilijs verius, vt inquit Plinius, quàm peregrinationibus ſuſceptis. Legimus in veteribus hiſtorijs, ait B. Hieronymus, quoſdam luſtraſſe prouincias, nouos adijſſe populos, maria tranſiſſe; vt eos, quos ex libris nouerant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, ſic Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragrauit: & cætera, quæ deinceps ille diſertiſſimis verbis ſubdit. Quæ licet vtilis ſit, tamen ad diſperſionis emolumentum, vnde diximus, non accedit, niſi quis ad melius bonum, & magis fructificandum, has luſtrationes ordinauerit. Nonnulli ſunt, qui ex ſancta quadam, & religioſa cupiditate, atque curioſitate viſendi, ac venerandi loca ſacra, ad illa excurrunt; atqui hæc viſitantibus tantum proficua per ſe loquendo. Sunt alij, ſed pauci, qui ex ardenti ſtudio iuuandi quàm plurimos, & ad veri Dei cognitionem adducendi quaſuis prouincias obeunt. Hoc zelo incenſi Apoſtoli toto propemodum terrarum orbe ex commiſſione Chriſti peregrinati ſunt, qui illis dixit Marci vltimo, *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et ſicut vltima hæc cauſa laudabilis eſt, vtpote in commune bonum, animarumque ſalutem tendens; ſic Tobias voluit iuſtos diſperſos in Aſſyriam Deo laudes dicere, quod illos diſperſiſſet, quandoquidem inſtrumenta ſalutis aliorum à Deo eſſent deſtinati; adeò vt illa diſperſio materiam potius præberet gaudendi, quàm triſtandi: quod ex alijs peregrinationibus, & locorum viſitationibus nunquam fuiſſent aſſecuti.

9. *A Deo prouenire in bonorum perfectionem.*

Porrò animaduerte Tobiæ noſtri philoſophiam, quod hiſce verbis non ſolum doceat, Deum ex aliorum malis elicere bonum, ſed etiam componat iuſtorum animas, eò quod hæc eorum diſperſio Deo permittente contigerit: *Confitemini*, inquit, *Domino*, ſine cuius nutu nihil in vos potuiſſet inimicorum poteſtas; Deus permiſit, Deus voluit, Deus fecit: ſumma iuſtitia eſt voluntas Dei, ſumma prudentia diuinæ voluntatis, ac prouidentiæ decretis placido animo acquieſcere. Edixerat aliquando Iſaias Vates Ezechiæ Regi, qui oſtenderat legatis Regis Babylonis omnes ſuas opes hoc durum Dei decretum: *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, & quæ theſauriſauerunt patres tui vſque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus. Et de filijs tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.* Omnes, inquit, opes tuæ capientur à Babylonijs omnes ſuas opes, & filij quos aliquando genueris, rapientur ſimul, & in palatio barbari regis Babylonis fient Eunuchi, atque adeò poſteritatis incapaces. Reſpondit autem Ezechias: *Bonum verbum Domini quod locutus eſt:* Accipio, inquit, & admitto quod Domino de me viſum eſt, etiamſi mihi, ac generi meo durum & graue. Ita oportet fidelem planè Dei voluntati acquieſcere. Sint in domo alicuius res domeſticæ plurimum turbatæ, egrè id ferat ſeruus, & de auctore inquirit; intelligens herum domus fuiſſe, ſtatim ſe componit. Eſt alius quiſpiam magnus in oculis ſuis, tranſit per plateas: videt eum per cancellos amaſia per tranſeuntem, pirum, pomum, aut quod opportunius venit ad manum, ad caput proijcit ſemel, iterùm, tertiò, & ſtatim ſubtrahit oculis reſpicientis. Ille indignatur, tumultuatur: quis, inquit, me hac ignominia petit: tandem animaduertens amaſiam eſſe, non ſolum ſe componit, ſed benigno vultu, placidis oculis, & corpore inclinato oſtendit quàm ſibi gratum, etiam manus & pomi oſculo, tali affectu tangi: Quid ni, & multo potius à Deo?

Fidelis quiſque Dei voluntati acquieſcere debet quod duabus ſimilitudinibus illuſtratur.

10. *Conſuetudo familiaris Gentilium aut hæreticorum multos Catholicos vitiauit.*

Dices, hæc quidem ad iuſtos oportuna exhortatio, apud quos ſiue proſpera, ſiue aduerſa grata omnia, quòd prouenient, à Dei benigna manu: ſed quâ ratione laudare vult Tobias impios Deum, qui potiùs rebus terrenis inhiantes, ex diuturna conſuetudine cum Gentibus, eorum moribus & ritibus ſe accommodant, quàm Deum laudent: imò quæuis incommoda aliorum ignauiæ aut ſocordiæ adſcribunt. Nunquid Iſraelitæ Numer. 11. memores eorum quibus in Ægyptia- ca ſeruitute fruebantur, murmurantes dixerunt: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnem? Recordamur piſcium, quos comedamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ, & allia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri Man.* Nunquid ijdem poſt 70. annorum captiuitatem in Babylone vſque adeò deprauati ſunt infideliũ illorum conſuetudine, vt cùm tibi prius à Cyro, deinde à Dario potentiſſimis regibus facta eſſet copia redeundi, permulti eorum noluerint redire, ſed capti ædium, agrorum, & mercaturæ commoditate, inter Chaldæos, Medos, Perſas reſtirabant: adeò in illis pietatis amor, & ſtudium religionis refrixerat. Corripiebantur quidem ab Eſdra, Nehemia, & Za-

& Zacharia, ſed paruo cum fructu. Quàm multi Catholici tanquam ſemen bonum relicti, ſuperatis ab hæreticis vrbibus, aut conſeruandorum bonorum cauſa illic hærentes, hæreſim ex familiari conſuetudine amplexi ſunt. Rurſum quàm multos expetimur, & audimus quotidiè exilium, diſſenſionem cauſatam per occupationem vrbium ab hæreticis, gubernantibus adſcribi. Ita eſt. Idque non latuit Tobiam, & propterea ad impios hunc dixit ſermonem, cùm ad laudandum Deum eos hortaretur: *Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.* Quaſi dicat: Laudate Deum in captiuitate, quam experimini, quia miſericordiæ diuinæ eſt ea ſeruitus. Caſtigat: vtique ſic peccata veſtra; & licet ea amplius, imò perpetuam mereantur ſeruitutem; tamen ex liberali ſua miſericordia indulgentius vobiſcum aget Deus, & præter opinionem liberabit citius. Conſiderabat itaque Tobias, quod impij contribules potuiſſent ſuæ captiuitatis cauſam in alios torquere, vt paſſim videmus clades ab hoſtibus acceptas mortales in ſuorum ducum ac militum ignauiam transfundere, aut in praua conſilia gubernantium: præoccupat eorum obiectionem Tobias ſenior, & palam edicit, hanc captiuitatem à Deo, in eorum ſcelera vindice & vltore proficiſci. Et rectè. Ille enim dixit per os Iſaiæ Vatis: Ego *Dominus*, &c. *Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens hæc omnia.* A me procedit quies, opulentia, libertas, felicitas, & bonorum omnium affluentia, ex me ciuſmodi beneficium: A me turſus procedit, quidquid ſub malo pœnæ comprehenditur, rerum videlicet turbatio, inopia, peſtis, fames, bellum, ſeruitus, captiuitas, & quidquid hominem affligit. Dicitur Deus beneficia formare ſeu facere, quod eſt de aliquo præuio producere; ſupplicia autem creare, quod eſt producere de nihilo; quia beneficia expromit de ſuæ opulentiæ theſauris; ſupplicia verò, de peccatorum noſtrorum nihilo producit.

Impiorum Captiuitas, clades, non Ducum ignauia, ſed noſtris peccatis imputãda ſunt

Quòd igitur in hoſtium manus peruenimus, nemini imputare debetis, ſed peccatis veſtris omnem deſolationem tribuere. S. Hieronymus Epiſt. 3. ad Heliodorum poſtquam innumeras ſtrages Romani Imperij commemorauerat, concludit: *Noſtris peccatis barbari fortes ſunt: noſtris vitijs Romanus ſuperatur exercitus.* Et paulò poſt: *Infelices nos, qui tantum diſpliceamus Deo, vt per rabiem Barbarorum illius in nos ira ſeuiat.* Quaſi diceret: Non externi hoſtes, ſed domeſtici peccatores extremam perniciem Romano imperio moliuntur. Non ſua hoſtes arma, ſed noſtra eos peccata in nos roborant & confirmant. Vt autem palam eſſet omnibus impios propter iniquitatem propriam in hoſtium manus deuenire, eorumque poteſtatem in iuſtos, quos Deus permittit ijſdem calamitatibus inuolui, eſſe nullam, oſtendit hoc Deus tempore Nabuchodonoſoris, cùm videlicet Iſraelitas tradidit in illius tyranni poteſtatem, Daniel 1 tres autem pueros è fornace ignis ardentis liberauit, Dan. 3 illos quidem, quia ſceleratos; hos autem, quia innocentes. Ac ſi diceret: Non Rex Hebræos ſuis viribus ſuperauit; alioqui etiam ignis, qui maiores habet vires, tres pueros ſuperaret: ſed Hebræorum peccata Hebræos in ſeruitutem redegerunt, puerorum autem virtutes, illæſos inter flammas ipſos pueros conſeruarunt. Ita hunc locum D. Chryſoſt. homil. 18. in priorem ad Corinth. exponit: *Conſidera*, inquit, *quantum ſit, tot ſpectantibus oculis à tribus captiuis pueris tyrannum illum contemni? Oſtendit enim* (nempe tyrannus ipſe contemptus) *eorum ſe ciuitatem cepiſſe, non ſuis viribus, ſed propter peccatum multitudinis. Nam, ſi deuictos ſuperare non potuit, & maximè in fornacem intruſos: quonam pacto omnes, cùm tales eſſent* (nempe, quales pueri innocentes) *lege belli ſuperaſſet? Ex quo perſpicuum eſt, multitudinis peccata ei ciuitatem tradidiſſe.*

Hebræos non Nabuchodonoſor, ſed ſua peccata in captiuitatem redegerunt.

Si non eſſent peccata, nihil Rex in populum valeret, ſicut non ignis valuit in tres pueros innocentes

II. *Hoſtes noſtris peccatis fortiores ſunt.*

Idem planè conſtat ex multis promiſſionibus & comminationibus diuinis. Qualis eſt illa: *Si*, inquit, *in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis: perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis*, Leuit. 26. verſ. 3. & 7. Et paulò poſt: *Quòd ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea; ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubijciemini his qui oderunt vos.* Ibid. verſ. 14. & 17. Ieremias Vates plurimum laborauit, vt Iſraelitis inculcaret peccata eos in hoſtium poteſtatem tradidiſſe, Deo iuſtè illos puniente: *Propter quod*, inquit Baruch. 2. *ſtatuit Dominus Deus noſter verbum ſuum*, quòd videlicet antè Prophetarum ore contra nos detonuerat, *Vt adduceret Dominus ſuper nos mala magna, quæ non ſunt facta ſub cælo, quemadmodum facta ſunt in Ieruſalem; ſecundum quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi.* Ita vt talia nobis induxerit mala, qualia nulla regio, cuicumque ſubſit cælorum plagæ, vnquam experta eſt: illa nempe mala, quæ iam ante dudum per Moyſem comminatus eſt Dominus populo ſuo, ſi quando diuinarum legum obſeruantiam abijceret. Eo enim nos ſceleterum grauitas, & dira neceſſitas adduxit, vt parentes ad filiorum ſuorum, & filiarum carnes comedendas adegerit: *Vt manducaret*, inquit, *homo carnes filij ſui, & carnes filiæ ſuæ.* Hoc idem minatus fuerat Deuteron. 28 verſu 51. *Comedes fructus ventris tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum.* Quòd in obſidione Samariæ contigiſſe habes ex lib. 4. Reg. cap. 6. Et in Ieruſa-

12. *Ob peccata intendit eorum ſupplicia.*

lem

lem docuit Ieremias Thren.2. vers. 20.& cap. 4. vers.10. & Ezechiel aliquid addidit amplius cap.5.vers.9. Vbi neque aliquid simile vnquam futurum esse dicit,& non solùm parentes filiorum, sed etiam filios parentum carnibus esse pascendos. *Faciam*, inquit, *in te, quod non feci, & quibus similia vltrà non faciam propter omnes abominationes tuas, siquidem patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Addit Baruch vers. 4 *Et dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in improperium,& in desolationem, in omnibus populis, in quibus nos dispersit Dominus.* Adhæc, inquit,nos Deus regum omnium, qui nos vndecumque circumstant, potestati subiecit, qui nostra diriperent, atque subuerterent, nosque superbè, atque contumeliosè vexarent. Quàm ignominiam, atque ludibrium in omnibus populis, ad quos nostra nos peccata dispersere,patimur. Sic peccata Iudæos omnibus regibus vicinis subijciebant: nunc enim ab Ægyptijs, nunc ab Assyrijs, nunc à Chaldæis,nunc à Syris, nunc ab Ammonitis sub iugum mittebantur. Et cap. 4. idipsum refricat, *Venundati*, inquit, *estis Gentibus, non in perditionem; sed propter quod irritastis ad iracundiam prouocastis Deum, traditi estis aduersarijs.* Traditi, inquit,estis in seruitutem Chaldæis, perinde ac si eis in seruitutem essetis venditi, non vt penitus vos perderet,& aboleret,sed vt castigaret,& expiaret.

Iudæi in panam peccati filiorum, & filij parentũ, carnibus pasti.

Iudæi vbique terrarum exules, & subditi.

13. Ne igitur in homines culpam reijciatis, sed confitemini cum regio Propheta: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ*, Psalm. 39. Nam simulatque peccata commissa sunt,statim in peccatorem tanquam iustitiæ diuinæ lictores irruunt S. Iob postquam sua Deo peccata confessus est, subdit. *Instaurat testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduersum me,& pœnæ militant in me,* Iob.10. Quasi ex Iobi peccatis magnus militum & satellitum globus, seu magnus pœnarum ac supplicio-rum exercitus.

Peccata tanquam lictores irruunt in peccatorem.

Diabolicum est creaturis pœnas, quas patimur, ascribere. Multiplex illi nuntius, qui Iobo suas clades denunciabat,id palam facit: nunquam enim illas [illegible] sed creaturis tribuebat. Nam vnus: *Irruerunt*, inquit, *Sabæi, tuleruntq; omnia*, Iobi 1.vers.15.Et rursum alius: *Chaldæi*, inquit, *fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos.* Ibid.vers.17. Ac tandem tertius: *Ventus*, inquit, *vehemens irruit à regione deserti,& concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos,& mortui sunt.* Vbi suprà, v.19. Vides, vt nunquam Deum memoret punitorem: sed Sabæos,sed Chaldæos, sed turbines vehementes? Cur ita? Causa in promptu est, vt hominem ad impatientiam stimularet,id ab eo factum esse: nam qui Deum suarum pœnarum auctorem non recognoscit, facilè excandescit in hominem, eique diras imprecatur. Sed errat: non homo est, sed peccatum quod vincit. Cùm Caini munera non respexisset Deus, vindicare id voluit in fratrem, cuius oblationem tanquam holocaustum susceperat Deus: audiuit ab eodem: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit:* tibi allatrabit,te mordebit,& lancinabit, quemadmodum tyrannus cum suis assectis lictoribus te insequetur, quousque in extremum supplicium præcipitet.

Diabolus curabat, vt Iobus suas pœnas creaturis tribueret. Cur?

Hoc Tobias voluit suos contribules impios agnoscere,quin etiam quod Deus misericorditer cum ijs ageret, puniens citra condignum,& liberare cogitans ex misericordia, quæ superat omnia eius opera. Adeoque ex hoc capite intelligere quantum Dei erga eos benignitatem prædicare necesse sit, eamque prædicãdo ad ipsius misericordiã confugere.

14. Redite ergo ad sanam mentem,& salubriter inquirite,quanam de causa vos hæc mala crucient. Iudæi 1. Reg.4. postquam stragem quatuor millium virorũ Philistæorum gladio passi sunt, rogarunt: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistijm?* Supplicia Deo tribuerunt, non hominibus. Hoc planè est necessarium, vt quis ad meliorem frugem perueniat; hoc necessarium, vt quis culpam agnoscat. Iam verò plerumque vsque adeò hebetes sumus, vt plagas sentiamus,& peccata illarum causas ignoremus, aut agnoscere nolimus. D. Hieronymus agnoscens ob nostram duritiem mala pœnæ succrescere, sic ait: *Horret animus temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti, & eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim, & alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasq; Pannonias, Gothus, Sarmatæ, Quadus, Alanus, Hunni, Vvandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliaq; corpora hu belluis fuere ludibrio? Capti Episcopi, interfecti Presbyteri, & diuersorum officia clericorum. subuersa Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossa reliquiæ. vbique luctus, vbique gemitus, & plurima mortis imago.* Et immediatè post vlcus tangit: *Romanus orbis ruit; & tamen ceruix nostra erecta non flectitur.* Et paulò post deplorat, quòd causas morbi nõ amputemus, vt morbus pariter auferatur. Et quid, quæso,demẽtius, quàm incẽdi,& incendij fomitẽ non subtrahere? ægrotare,& ægritudinis causas nõ remouere. diuinitus puniri,& peccata, ob quæ, punimur, non abiurare. Certè strenuissimi illi duces, Moyses, Iosaphat, & Ezechias, vt refert D. Hieronymus detestando potiùs peccatum, quàm arma tractando, diuina

14. *Deus pœnarum auctor.*

Plagas sentiunt peccatores; culpas eorũ causas esse ignorant

Epist. 3. ad Heliodor.

diuina per hoſtes ſupplicia effugiebant, clariſſimaſque de illis victorias reportabant:
2.Paral.17. *Exechias*, inquit, *egit panitentiam, & centum octoginta quinque millia Aſſyriorum ab vno angelo vna nocte deleta ſunt. Ioſaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudante ſuperabat. Moyſes*
Exod.17. *contra Amalech non gladio, ſed oratione pugnauit.* Et immediatè poſt grauiter viget meliora cogitare: *Si*, inquit, *erigi volumus, proſternamur. Propudor, & ſtolida vſque ad incredulitatem mens. Romanus exercitus, victor orbis, & Dominus, ab his vincitur, hoſpauet, horum terretur aſpectu, qui ingredi non valent; qui ſi terram tetigerint, ſe mortuos*
Iſaiæ 30. *arbitrantur. Et non intelligimus prophetarum voces: fugient mille vno perſequente? Nec amputamus cauſas morbi, vt morbus pariter auferatur: ſtatimq; cernamus ſagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere.*

15. *In perſecutione culpa agnoſcenda, & Dei miſericordia precibus implorandæ.*

Sanè Tobias noſter docet ſatis citatis verbis neceſſarium ad Dei miſericordiam confugere: Baruch cap.4. ſic captiuos incitabat: *Animaquiores eſtote filij, clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum.* Animæquiores, inquit, eſtote filij, & ad benè de veſtra, communiſque fortuna ſperandum animos incitate: ſeriò, & conſtanter in preces incumbite, & ad Deum clamate; ipſe enim eripiet vos de illorum poteſtate, quorum in præſentia ſubiacetis imperio. Et verſu 20. ſuo exemplo docet, qua ratione Deus ad miſericordiam inflectendus: *Exime*, inquit, *ſtola pacis, indui me ſacco obſecrationis, & clamabo ad altiſſimum in diebus meis.* Quod viribus, inquit, ab hoſte potentiore obtinere non poſſum, id vt à clemente Deo precibus obtineam, quàm potero ſtudioſiſſimè curabo. Quare maieſtatis, atque lætitiæ ornamenta depoſui, & ſaccum, ac cinerem aſſumpſi, quæ vt orationem plurimùm iuuant, ſic etiam obſecrationis indumenta dicuntur. Et quamdiu hæc veſtra calamitas, & mea ſolitudo durauerit, non intermittam, quominus clamando diuinam miſericordiam ſollicitem.

In luctu enim quis habitaut

Stola pacis erat veſtis talaris ac muliebris, qua vtebantur tempore proſperitatis & lætitiæ Iudæi, quàm dicit ſe depoſuiſſe, & ſaccum induiſſe, habitum videlicet qui ad dolendum excitet, & infenſos aliorum ſpiritus ad miſericordiam inflectat. Talem aſſumpſit habitum Achab ſeuerâ Eliæ admonitione deterritus, 3.Reg.cap. 21. & Ioel cap.1. homines in euentu rerum infelici ad ſaccum, & lugubrem habitum vocantur. Hic porrò habitus obſecrationis dicitur, quia tunc homines vt diuinam ſibi miſericordiam cõcibent habitum ſibi ſqualidum, & horridum aſſumunt. Sic fecit Iudith c.9. ſic Eſther, cap.14. & Dauid 2.Reg.c.12.

16. Hæc eſt via, & modus, quibus hoſtium poteſtatem, & vires confringetis, & Dei miſericordiam vobis conciliabitis, ac in poſterum ab hoſtium manu minus formidabitis. Præclarè oſtēdit S. Ambr. ſerm. 88. Vrbes nõ tam à ſuis militibus, quàm à ſuis virtutibus defendi: nec tam à ſuis hoſtibus quàm à ſuis ſceleribus expugnari. *Tunc*, inquit, *ciuitatis porta munita eſſe poterit; ſi prius in nobis portæ iuſtitiæ muniantur. Cæterùm nihil prodeſt, muros munire propugnaculis, & Deum prouocare peccatis.* Et ſtatim ducit exemplum à Dauide, qui inermis Goliam ſuperauit armatum, 1. Reg. 17. v. 40. *Vrbes non militibus ſed virtutibus defendũtur.*

Cùm, inquit, *ſanctus Dauid non operiretur galea, non præcingeretur clypeo, non lancea vteretur: occidit illum; (nempe Goliam) non telo ferreo, ſed gladio ſpirituali. Quamuis enim inermis oculis hominum videretur, ſatis tamen erat gratia diuinitatis armatus.* Et paulò pòſt, contrario modo de Golia philoſophatur: *Quamuis*, inquit, *eſſet Goliat vndique armorum protectione munitus; frons tamen eius patebat ad mortem; quia ſignaculum, Saluatoris non geſtabat: atque adeò ibi perimitur; vbi nudus à Dei gratia reperitur.*

Dauid non ferro, ſed gratiâ armatus, fortior quàm Goliat non ferro, ſed gratia inermis.

SECTIO V.

Quare velit Tobias ſuos contribules Domino confiteri cum timore & tremore, eumq; in ſuis operibus exaltare?

1. OSIAS ſenior recogitans nihil vtilius eſſe, quam Deum æquè laudare in proſperis ac aduerſis, ſuos contribules in primis hortatur, vt quaſi in ſpeculo intueantur, quomodo cum illo egerit Deus, ipſum viſitando, & tandem miſericorditer liberando: Aſpicite, inquit, & attendite ea, quæ nobis contigerunt non fuiſſe à fato aliquo ſtellarum, aut cauſæ naturalis euentus; ſed Dei probantis, aut caſtigantis manum. Rurſum attendite, quemadmodum tempore opportuno reſtituti ſumus priſtinæ ſtatui, abundanter locupletati: Ergo qualeſcumque ſitis, ſiue peccatis obnoxij, ſiue vitam exoſi bonam, confitemini diuinæ maieſtati, à cuius manu & pijs & impijs quæuis infortunia contingunt, cum timore & tremore.

2. *Deus vexat malos vt illum timeant.*

Non enim fruſtra etiam malos ærumnoſæ vitæ aſſiduis vexat, & exercet incommodis: ſed vt ex his Deum timere incipiant. Hoc planiſſimè teſtatur Malachias Vates cap.1. vbi Iudæos ingratitudinis, irreuerentiæ, & impietatis accuſat, quod ſuæ dilectioni, qua Iſraelitas proſecutus fuerat, non reſponderint: ſed Deum amantem ſe odio habuerint, inhonorarint, & contempſerint: *Filius*, inquit, *honorat patrem, & ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum,*

ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? quaſi dicat. Cùm filius patrem honorare, & ſeruus Dominum reuereri ſoleat; vos tamen vtrumque prodidiſtis officium, neque enim me vt patrem honoraſtis, neque vt Domino debitum obſeruantiæ exhibuiſtis obſequium: redite ergo ad cor. Appoſitè S. Ambroſius in hæc Malachiæ verba in fine tom. 2. *Si ſeruus es*, inquit, *redde Domino timoris obſequium: ſi filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cùm gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris. Vnde aut contumax ſeruus, aut ſuperbus es filius.* Huic concinit Bernardus ſerm. 16. in Cant. *Ita ipſe*, inquit, *patrem exhibuit mihi, ſed non ego me vicißim illi filium. Quânam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? pudet indigna geßiſſe genere meo, pudet tanto patri vixiſſe degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confuſio faciem meam*, &c.

Deo, vt patri debetur amor, vt domino timor.

S. Chryſoſtomus duas vtilitates recenſet, quas timor in animam hominis inducit, homil. 15. ad pop. *Vbi timor*, inquit, *eſt, liuor non eſt: vbi timor eſt, pecuniarum amor non vexat: vbi timor eſt, extinctus furor eſt; cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis paſſio exterminata. Et ſicut in domo ſtante milite ſemper armato, non latro, non fur, non alius qui talia mala patrantium apparere proprius audebit: ſic & metu animas noſtras detinente, illiberalium nulla perturbationum facilè nobis ſubrepit, ſed omnes fugiunt, & pelluntur, timoris imperio vndiq; exacta.* Et immediatè poſt alteram ſubiungit: *Nec hoc*, inquit, *ſolum eſt, quod ex timore lucramur, verùm & aliud hoc multò maius. Non enim improbas tantum noſtras expellit paßiones, ſed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Vbi timor eſt, ibi & eleemoſyna ſtudium, & orationis intentio, & lachryma feruentes, & continua, & gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum peccata quidem conſumit, virtutem verò creſcere facit & germinare, quantum continui timoris natura.* Deinde probat exemplo ciuium Antiochiæ timorem eſſe admodum vtilem. Cùm enim quidam impij homines Regis ſtatuas contumelijs affeciſſent, magna exorta eſt ob iram Regis tribulatio, multus timor, ex quo ad meliorem mentem ſunt redacti ciues: *Ne igitur doleamus dilecti, neque animum deſpondeamus præſenti tribulatione, ſed incogitabilem Dei ſapientiam admiremur. Vnde namque ciuitatem noſtram diabolus euertere ſperauit, inde reſtituit in ſam, & correxit. Diabolus namque quibuſdam hominibus impiis inſpirauit, vt regis ſtatuas contumelijs afficerent, quo & ipſum vrbis ſolum deſtrueretur. Deus autem hoc ipſo facto ad maiorem correctionem noſtram vſus eſt. expectata comminationis timore omnem extrudens torporem. Et factum eſt contrarium quàm damon volebat, ex his quæ ipſe ſtruebat. Ciuitas enim quotidie nobis expurgatur. & angiporti, & bilitia, & plateæ meretricius*

Timor ex anima omnium genus peccata expellit.

Timor inducit in animâ virtutem.

Ciuitas Antiochia diſſoluta & vitioſa ex timore Regis irati facta eſt quaſi Eccleſia.

& fractis abſolutæ ſunt cantibus: & quocunque reſpexerit aliquis, ſupplicationes, & benedictiones, & lachryma pro riſu ſoluto, & verba philoſophiam habentia pro verbis turpibus. Et Eccleſia facta nobis eſt ciuitas tota, officinis clauſis, & omnibus in his vniuerſalibus ſupplicationibus diem totum agentibus, & Deum vna & communi voce cum multa inuocantibus alacritate. Demum admirando infert manifeſtum eſſe timoris bonum. *Quis*, inquam *hac ſermo vnquam expedire potuiſſet? quæ admonitio? quod conſilium? quanta temporis longitudo? Propterea Deo agamus gratias, non moleſtè feramus, nec indignemur; quòd enim bonum ſit timor, & memorata demonſtrauerunt.* Hoc igitur petit Tobias, vt contribules qui iram Dei meruerunt à Deo confiteantur cum timore & tremore & ex eo ſcelera ſua agnoſcant, & quemadmodum olim Niniuitæ in oraculo, & minis Ionæ, quaſi in ſpeculo incuiri ſua peccata, pœnituerunt in ſacco & cinere, vitam mutarunt, excidium à Iona cõminatum euaſerunt, dicentes: *Si fortè ignoſcat Deus*: ita ipſi ab hoc carcere Aſſyriorum miſericorditer à Deo liberẽrur. Sciebat vtique magnam eſſe vtilitatem in correptione iuſti. Nec mirum; cùm & Dauid Rex in oraculo Nathan peccatum ſuum agnouerit cum ſummâ cordis contritione: Nabuchodonoſor ad oraculum Danielis ad eleemoſynarum remedium ſeſe cõuerterit, ſi forte ignoſceret Deus ipſius peccatis per eleemoſynas ad miſericordiam inflexus.

Sic Tobias ad eos, quibus adhuc peccata longiorem carcerem portendebant, illos autem, qui meliorem vitam exorſi in virtute faciebant progreſſus, iiſdem verbis incendit ad laudem Dei, cùm captiuitatem æquè ac iniuſti apud Aſſyrios paterentur: *Cum timore*, inquit, *& tremore confitemini illi*: nam teſte D. Gregorio 29. Moral. cap. 9 *Ve etiam laudabili vitæ hominum ſi remota pietate iudicetur.* Nemo enim certitudine fidei ſcire poteſt peccata ſua ſibi eſſe remiſſa, niſi diuinitus illi reueletur, quemadmodum Dauidi 2. Reg. 12. Magdalenæ Luc. 7. Vnde Hebræus Sapiens, inquit: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*, Et alibi: *Beatus vir qui ſemper eſt pauidus*, nempe metuẽs Deum offendere, & à ſeueritate iudiciorum timens ideoque ſollicitè cauens à Dei gratia excidere. S. Gregorius Magnus à Gregoria cubicularia Auguſtæ importunè ſollicitatus, donec ſcriberet ſibi eſſe reuelatum remiſſa eſſe eius peccata; reſpondit epiſt. 22. libr. 6. Regiſtri: *Rem & difficilem etiam, & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia ego indignus ſum cui reuelatio fieri debeat. Inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quoniſq; veniat ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus*

3. *Iuſti etiam timere debent, 1. quia nemo certus eſt de peccatorum ſuorum remiſſione.*

2. Cor. 12. *tibus lauere. Certè Paulus Apoſtolus iam ad tertium cœlum aſcenderat, in paradiſum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non*
2. Cor. 6. *liceret; & tamen adhuc trepidans, dicebat: Caſtigo corpus meum, & ſeruituti ſubiicio, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar. Adhuc timet qui iam ad cœlum ducitur, & iam timere non vult qui adhuc in*
Prouerb. 28. Pſal. 2. *terra cõuerſatur?* Vnde ſalubriter concludens, ſubiungit: *Habete ergo in hac vita non debes ſecuritatem, per quam negligens reddaris. Scriptum eſt enim: Beatus vir, qui ſemper eſt pauidus. Et rurſus ſcriptum eſt: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

4. Secundo. Nullus certus ſibi eſt, an ſit in gratia Dei, nec ne.

Nemo ſcire poteſt, an ſit in gratia Dei, an non. Aperte id pronuntiat Eccleſiaſtes cap. 9. *Sunt*, inquit, *iuſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo vtrum odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* quaſi dicat. Nemo iuſtorum aut abſolutè, aut propriè ex euentibus poteſt certus eſſe de propria gratia. Vnde Hieronymus in illum locum inquit: *Hic ſenſus eſt: Etiam in hac dedi cor meum, & ſcire volui, quos Deus diligeret, quos odiſſet, & inueni iuſtorum quidẽ opera in manu Dei eſſe: & tamen vtrum amentur à Deo an non, nunc eos ſcire non poſſe, & ambiguo fluctuare, vtrum ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium. In futuro igitur ſcient, & in vultu eorum ſunt omnia*, id eſt, *antecedit eos, cùm de vita hac diſceſſerint, notitia huius rei, quia tunc eſt iudicium, nunc certamen. Et quicunque aduerſa ſuſtinent, vtrum per amorem Dei ſuſtineant, vt Iob, an per odium, vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum.* Hinc etiam Iob planiſſimè confitetur ſuam ſibi iuſtitiam eſſe ignotam: *Si*, inquit, *iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me; ſi innocentem oſtendero, prauum me comprobabit. Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea:* Iob. cap. 9. Et cap. 7. *Etiamſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo ei, ſed iudicem meum deprecabor.*

Iobum latebat propria iuſtitia.

Scitè admodum D. Bernardus ad verba Hieremiæ 17. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes*, epiſtol. 42. ad Henricum Archiepiſc. Senonenſem: *Prauum eſt*, iniquit, *cor hominis & inperſcrutabile, ita vt nemo ſciat, quæ ſunt in homine niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. ſed neque ipſe plenè. Nam cùm Apoſtolus diceret: Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, adiecit: ſed neque ego meipſum iudico. Quare? Quoniam non poſſum, ait, ratam vel ipſe de me perferre ſententiam. Ego enim nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc iuſtificatus ſum. Non ex toto credo me vel ipſi conſcientiæ meæ, quippe cum neipſa quidem queat me comprehendere totum: nec poteſt iudicare de toto, qui totum non audit. Qui autem iudicat me Dominus eſt: Dominus, inquit, cuius veritatis ſcientiam non effugit, ſententiam non ſubterfugit, etiam quod propriam latet conſcientiam. Audit*

Solus Deus perſcrutatur conſcientias.

Mauden in Tobiam.

Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipſe, qui cogitat.

Idem Doctor ex eo capite graue cenſuit onus, aliorum curam gerere, & pro multis animabus reddere rationem: *Quid ego*, inquit, *infelix, quò me vertam, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſum iudicauit, negligentius cuſtodiri? Si ſtillantem in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, effetq; repoſitum penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpius oportuerat, quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? Et certè id ſeruandum accepi, pro quo mercator non inſipiens (ipſa vtique ſapientia) ſanguinem illum dedit. Sed & habeo theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & quibus multò plura quàm vitreis imminere pericula videantur.* Et immediatè poſt ſubiungit, quod noſtro propoſito congruit: *Accedit ſanè ad ſollicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cùm & meam & proximi conſcientiam ſeruare neceſſe ſit, neutra mihi ſatis eſt nota. Vtraq; abyſſus eſt impenetrabilis, vtraq; mihi nox eſt, & nihilominus exigitur à me vtriuſq; cuſtodia: & clamatur: Cuſtos qui de nocte, cuſtos qui de nocte. Non eſt mihi dicere cum Cain: Numquid cuſtos fratris mei ego ſum?*

Serm. 2. de aduentu Domini.

Nemo certitudinem habet ſuæ perſeuerantiæ & ſalutis.

Nemo ſcit, an perſeueraturus ſit vſque in finem. Quod probè nouerat & Apoſtolus: vnde ſic monebat Philippenſes, qui ſibi ſapientes, ſancti & perfecti videbantur cùm primùm cœperant benè operari; *Cùm metu & tremore veſtram ſalutem operamini*; Cùm multa, inquit, ſolicitudine, diligentia, ac tremore pergite veſtram ſalutem bene operari. Certè ſi quis conſideret verba ipſius Apoſtoli ſanctè viuentis & timentis, numquam ſibi omnimodam ſecuritatem ſpondebit: *Sic currite*, inquit 1. Cor. 9. *vt comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne forte cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Nam inſinuat hiſce verbis Paulus ſe non habuiſſe reuelationem de ſua ſalute, nec ſe ità fuiſſe confirmatum in gratia: quin ab ea excidere potuiſſet. Verè Chryſoſtomus: *Quod ſi Paulus hoc timuit, cùm talis eſſet præceptor, & poſt prædicationem, & orbis terrarum ſuſceptum patrocinium formidauit, quinam nos dicemus?* Quis ergo quantumuis ſanctus non metuat? Cecidit ſapientiſſimus & ſanctiſſimus Lucifer, cecidit Adam, cecidit Saul, cecidit Dauid, cecidit Salomon, cecidit Petrus Apoſtolorum Princeps, cecidit Origenes, cecidit Tertullianus, ceciderunt tot hæreſiarchæ, ceciderunt tot anachoretæ ſanctiſſimi: quis ergo lapſum non timeat? quis certum & ſecurum ſe putet? Vnde, precor, ſibi certitudinem perſeuerantiæ & ſalutis polliceri audeat?

Multi exiit mia ſanctitatis & doctrina tandem lapſi ſunt.

Quarto. Timor optimum est medium, & stimulus ad salutem.

Deniqúe nouerat Tobias, timorem nos miseros confirmare, & certiores reddere de fate: Vti enim spes, ita timor à Deo est ordinatum medium ad salutem: *Timete Dominum omnes sancti eius*, inquit Psalmista. Præclarè S. Bernardus serm. 15. in Psal. *Qui habitat*: *Timor*, ait, *maxima spei est materia, quia timor est domus Dei dirigens nos ad salutem, & ex præceptione præcedentium donorum, firma est expectatio futurorum, & quia beneplacitum est Domino super timentes eum, & vtique vita, in voluntate eius, & in beneplacito eius salus æterna.* Pulchra similitudine illustrat S. Chrysostomus hom. 8. ad Philip. *Artifex*, inquit, *regularius etsi valde peritus sit, cum timore tamen, & tremore illas* (in tecto) *metuens, ne ab ædificio decidat; & tu credidisti, multa bona patrasti, in sublime ascendisti, cautè teipsum contine bis, & cum timore stabis, oculumq; vigilantem habebis, ne inde decidas: sunt enim multæ nequitiæ spirituales, quæ te deijcere conantur*: nam *circuit diabolus tanquam leo rugiens*, inquit Petrus, *quærens quem deuoret.*

Plurimi primò summò pij postea non timentes ecciderunt.

Atqui manifestum est, suæ virtuti & sanctitati nimium confisos grauiter lapsos: *Vidimus*, inquit auctor Soliloquiorum, *vidimus, inquam, multos Domine, ex Patribus nostris* (tales fuerunt Origenes, Tertullianus, & Lucifer Calaritanus) *quod vtique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodo vsque ad cælos, & inter sydera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse vsq; ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu ferientis cauda draconis, & eos, qui iacebant in puluere terræ, à facie sublevantis manus tuæ Domine mirabiliter ascendisse. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte surgentes, & eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignotorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lucem processisse: quia publicani, & meretrices præcedunt incolas in regno cælorum, filij autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores.* cap. 22. tom. 9. operum S. Augustini.

Vtiliter ergo suos contubules malos æquè ac bonos monuit Tobias cum timore & tremore Domino confitendum.

Sequitur, *Regem sæculorum exaltate in operibus vestris.* Si misericordiam Dei, experiri velitis, in bonis operibus Deum glorificate. Deum vtique, quantum in se est, deprimit peccator: qui verò bonis operibus incumbit, Deum glorificat, vt planissimè docet Apostolus 1. Cor. 6. Dehortatus enim multis rationibus Corinthianos à fornicatione, cui erant plurimum emancipati, concludit exhortationem hoc modo; *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Quod idem est ac si dicat: Deum ignominiâ & contumeliâ affecistis, cùm corpora vestra, & animas per fornicationem, & immunditiam polluistis; glorificate ergo nunc eundem abstinendo à fornicatione, & bonis operibus templum Dei exornando. Per opera vtique bona glorificatur Deus apud homines, teste etiam Euangelista Matthæo cap. 5. Volens enim Saluator noster ad summam perfectionem accendere Apostolos (quos vocat Sal terræ, lucem mundi) aliúque prælucere exemplo, inquit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.*

Elegantèr Diuus Cyprianus in oratione Domin. *Meminisse*, inquit, *fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filij Dei agere debemus, vt qui modo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Conuersamur quasi Dei templa, vt Deum constet in nobis habitare. Nec sic degener actus noster à spiritu, vt qui cælestes & spirituales esse cæpimus, non nisi spiritualia & cælestia cogitemus & agamus, quia & ipse Dominus Deus dixit: Eos qui clarificant me, clarificabo: & qui me spernit, spernetur. Beatus quoque Apostolus in epistola sua posuit: Non estis vestri, empti enim estis pretio magno: clarificate, & portate Deum in corpore vestro.* Diuus Chrysostomus in Psalm. 148. inquirens, quo pacto creaturæ, etiam quæ ratione, & locutione non vtuntur, ad glorificandum Deum nos inuitent: plures glorificandi Deum modos distinguit: vnam per tacitam quamdam sui coram Deo exhibitionem: quo pacto omnes creaturæ, etiam sensus & rationis expertes Deum glorificant: alterum, per loquutionem, qui hominibus tam bonis, quàm malis conuenit: tertium omnium excellentissimum, qui per vitam, & rectè facta exercetur. *Nam hominibus*, inquit, *non solum loquentibus, sed etiam tacentibus gloria Deo effertur.* Quèadmodum Christus quoque dicit Matt. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*

Triplex modus exaltandi Deum.

Dei exaltatio per bona opera perficitur.

D. Cyrillus Alexandrinus lib. nono in Ioan. cap. 20. vbi hæc verba referens, *Glorificabo glorificantes me*, de bonorum operum glorificatione exponit: *Glorificatur*, inquit, *in nobis, & per nos Deus; cùm sordibus peccati abiectis, illustrem virtutibus vitam viuimus.* Hoc enim pacto ad gloriam Dei homines viuere dicuntur. Idem D. Cyrillus in cap. 1. Malach. vers. 6. ibi: *Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? ostendens, nullo modo aptius, quàm bonis operibus honorem Deo deferri: Quærenda, inquit, à nobis, quæ Deo sunt honorifica, & ad opera sancta incumbendum, cùm sciamus, scriptum esse, Glorificantes me glorificabo, &c. Glorificabitur autem à nobis pater vniuersorum Deus; si non quod nobis iucundum, & animum est, agere studuerimus: sed illis potius mentem nostram dedicauerimus; & in omnibus ad eius nutum nos conformauerimus.* Huc collimat Tobias

bias noſter cum impios exhortatur Deum in operibus ſuis exaltare.

5. Chriſtus Dominus monet etiam diſcipulos ſuos exemplis bonis, aliis, prælucere, Deiq́ue gloriam promouere, cùm ait Matth. loc. cit. *Sic luceat lux veſtra, &c. vt glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Hinc & D. Petrus, ſciens humanam infirmitatem maximè duci bonâ vitâ & exemplo, ſic ſuos hortatus eſt: *Cõuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis, tãquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum*, 1. Petr. 2. Gẽtiles calumniabantur Chriſtianos, dicebantq́ue eos eſſe contemptores principum, numinis, & Deorum, voluptuarios, vſurpare promiſcuos concubitus (quia id faciebant Gnoſtici hæretici, ex Chriſtianis prognati) veſci carnibus humanis (ſcilicet carne Chriſti in euchariſtia, cuius rumorem inaudierant Gentiles, ſed modum & myſterium non intellexerant, &c.) adeo vt omnes orbis plagas & clades tribuerẽt impietati Chriſtianorum, ideoq́ue per trecentos annos eos atrociſſimè perſecuti ſunt omnes penè Imperatores vſque ad Conſtantinum. *Si Tiberis*, ait Tertull. Apolog. 40. *aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arua, ſi cœlum mouet, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem.* Petrus monebat Chriſtianos ita prælucere exempla vt gentiles perſpicientes bonam eorum conuerſationem, loco calumniarum Deum verum Chriſtianorum potius laudarent, cuius gratia tàm pié viuebant, & conuerſabantur, illiuſque cultum amplecterentur. Tam potẽs eſt enim virtus vt ab hoſtibus fidei non tantum teſtimonium extorqueat, ſed & conuerſionem ad Deum in iis operetur. Angelus Perſarum propterea volebat Iudeos captiuos manere in Perſide, vti dictum Sectione præcedenti. Iuſtinus Philoſophus & Martyr Chriſtianorum ſanctitate perſpectâ conuerſus eſt, vt ipſe narrat dialog. contra Tryph. Multi quoque iudices & torrores conuerſi fuêre, vt patet ex vita S. Iac. Alexand. Luciani, Tryphonis, aliorumq́; Martyr. Eâdem victus Porphyrius, licet iuratus Chriſti hoſtis, ſcripſit librum de Eſſæis, in quo eorum mores angelicos deſcribit & dilaudat. Hoc igitur æſu pij ſua conuerſatione Dei gloriam promouent.

Multi infideles peripetiâ fidelium ſanctitate conuerſi ſũt.

6. Porrò exaltare Deum in operibus bonis vtile eſt ad bonum temporale expreſſit Dominus clariſſimè, cùm dixit ad Heli, qui filios alios ſcandalizantes, & proprium commodum Dei honori præferentes, non ſatis corripiebat: *Quare calce abieciſtis victimã meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo: & magis honoraſti filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnis ſacrificij Iſrael populi mei? Propterea ait Dominus Deus Iſrael, Loquens locutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo, vſque in ſempiternum: Nunc autem dicit Dominus, abſit hoc à me: ſed quicumque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt: & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua. Et videbis æmulũ tuum in tẽplo in vniuerſis proſperis Iſrael: & nõ erit ſenex in domo tua omnibus diebus.* Quaſi dicat: Cur, ô Heli, permiſiſti vt filij tui non adolerẽt mihi victimarum adipem, & ſibi arrogarent quas ego mihi vendicaui partes è victimis? Cur permiſiſti templum violari ſacrilego concubitu; & ne filiorum immoderato deſiderio aliquid ſubtraheres, quæ Deus è ſacrificiis ſibi ipſi ſepararat, ab ijſdem eripi? Debueras vt Iudex & Pontifex filiorum referare in temeranda religione licentiam: ſed quia illorum voluntati prius voluiſti ſatisfactum, quàm diuinæ. Audi meam in te ſententiam: Decreveram domum tuam perpetuo ſacerdotio honorare: ſed iuſtitia mea exigit, vt familiam neque obſequentem, neque ſanctam, eo beneficio priuem. Vnde in obſequentes, & diuinæ gloriæ ſtudioſos beneficum me oſtendam, & in contra facientes ſeuerum vindicem: ita vt ſordidam trahant, & ignobilem vitam. Specialim tuæ domui, ô Heli, denuntio vitæ breuitatem in pœnam præteritorum ſcelerum, tum deiectionem familiæ tuæ, ac æmulorum ſic florentem, vt vtaris inuidiâ, & diſcas Deum honore afficere eos, à quibus honoratur ipſe. Grauiſſima ſanè pœna. Qui omnibus imperabat, ab omnibus dicitur contemnendus: & qui ab omnibus gloriam accipiebat, ab omnibus ignominiam acceptarus declaratur.

Deum exaltare bonis operibus non ſolum efficax ad ſalutem, ſed bonum temporale.

7. Qui Deum contemnunt, etiam ab hominibus contemnuntur: vt eò ignominioſior ſit eorum contemptus, quo à contemptibilioribus oriatur. Patet hoc in Salomone, qui quamdiu fuit Dei cultor, Deum quoque expertus eſt ſui cultorem: vbi verè eſſe cœpit Dei contemptor, homines quoque ſui contemptores paſſus eſt, iuxta illud Dei decretum: Ego, inquit, *ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: qui ſi iniquè aliquid gefferit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*, 2. Reg. 7. non dicit: in virga mea, aut in plagis meis: nam à Deo flagellari, & vulnerari glorioſum illi eſſe poterat, ac decorum: ſed *in virga virorum, & in plagis filiorum*: vt ſignificaret, qui Deum ſupremum Imperatorem contempſit, etiam à ſuis ſubditis, vt contemptibiliot eſſet verberatio, acerrimè verberandum. Quod poſtea completum eſt. Nam vbi Salomon, Deo contempto, tria idola coluit, Aſtarthen, Chamos, & Moloch: ſtatim à ſuis contemptus, tres hoſtes contra ſeipſum rebellantes ſuſtinuit, Adad, Razon & Ieroboam, vti patet ex 3. Reg. 11. à verſ. 5. de qua re D. Iræneus lib. 4. aduerſus hæreſes cap. 45.

Deum contemnentes, ab hominibus contemnuntur.

Exemplum Salomonis.

Mauden in Tobiam.

Cùm, inquit, *sine offensa seruiret Deo, & ministraret dispositionibus eius, tunc glorificabatur. Cùm autem vxores accipiebat, ab vniuersis gentibus, & permittebat eis erigere idola in Israel, iratus est Dominus in Salomonem*, &c. Clarius D. Thom. lib. 3. de regimine princip. c. 8. *Ex luxuria*, inquit, *& idololatria factus est abominabilis populo suo; in tantum vt serui eius rebellarent ei, diripientes spolia sua regionis, & vastantes terram, absque resistentia aliqua: cùm tamen prius omnes obedirent ad nutum, sicut testatur Regina Saba. Ad magna igitur promotus in principio sui regiminis propter diuinam reuerentiam, quam exhibuit: in fine sui regiminis decidit in vitia, propter delicta, qua commisit: quia miseros facit populos peccatum.* Tobias igitur salubriter admonet suos, exaltare Deum in operibus bonis, si velint à contemptibili seruitute meliorem nanciſci fortunam. Vide dicta Sect. 26. in cap. 1. huius historiæ.

8. *Conditionatæ sunt promissiones Dei quoad bonum temporale.*

Cæterùm ex dictis agnoſcimus promiſſiones Dei quo ad bonum etiam temporale eſſe conditionatas. Rabbi Samuel Marochianus tom. 4. Bibliothecæ veterum Patrum lib. de aduentu Meſſiæ cap. 5. id probat multis exemplis: *Peccauerunt*, inquit, *Patres noſtri ante illos ſeptuaginta annos*, captiuitatis Babylonicæ, *qui exiuerunt de AEgypto, & promiſſio eis facta, in eis locum non habuit, ſed in peccatis ſuis in deſerto mortui ſunt. Peccauit enim Moyſes ad aquas contradictionis, & terram promiſſionis non meruit. Peccauit ipſe Aaron & portauit panam. Heli Sacerdos peccauit, & ruptis ceruicibus expiranit, & poſteritas eius ſacerdotio priuata eſt, & tamen Deus promiſerat Sacerdotium in aternum. Sed huiuſmodi promiſſa intelliguntur ſemper, niſi propter peccata non mereantur accipere, vt patet in regno Dauid, quod carnalis poſteritas eius priuata eſt regno. Sicut etiam Deus verus & glorioſus promiſit Abrahæ, & ſemini ſuo terram illam in aternum poſſidendam, & frequenter perdiderunt eam propter peccata ſua, & frequenter reſtituit illis Dominus vſque ad vltimam vicem qua perdiderunt.*

Rursũ ex loc. 1 Reg. 2. cit. diſcimus promiſſiones aliquas in Scriptura ſacra videri abſoluras, quę tamen omninò conditionatæ ſunt. Quod ex eo facilè cognoſcitur, quia aquæ vno loco ſine conditione, illa eadem cum expreſſa conditione promittuntur. Actor. cap. 10. ſine expreſſa conditione dicitur: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Sed conditionem, quam Petrus non adhibuit, expreſſit Paulus ad Hebr. 5. *Chriſtus per paſſionem conſummatus, factus eſt cauſa ſalutis omnibus obtemperantibus ſibi.* Ioan. 6. ſine conditione dicitur: *Qui manducat meam carnem*, &c. *habet vitam æternam*; conditionem optimus interpres Paulus adhibuit 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Quod in aliis promiſſionibus, vnâ, aut alterâ exceptâ communiter eſſe intelligendum, atque in omni etiam minaci vaticinio, docent exempla plurima; vbi promiſſa omninò completa non ſunt, aut minæ illum habuerunt, quem intentabant exitum. Sic Abrahami poſteritati æternam poſſeſſionem promiſit terræ Chanaan; & Niniuæ intra quadraginta dies ſubuerſionem: ſed neque æternam habuit hęreditatem illam Abrahami poſteritas; neque Niniuæ prædicto ſpatio ſubuerſa eſt: quia hæc pœnitentiam oppoſuit offenſioni diuinæ; illa peccando meruit, vt à datâ ſibi poſſeſſione, & prius toto Babylonicæ captiuitatis tempore, & nunc poſt Chriſti mortem in ęternum excideret. Eodem modo locutus eſt Dominus ad Heli, & illius domo ſacerdotale nomẽ in æternum promiſit; quia tamen in eo munere pręſtando nimis ſe geſſit infidelem, & languidum, non diu in illius domo hæſit ſacerdotium. Vnuſquiſque igitur qui exaltari cupit, & cumulari florentis fortunæ bonis, Deum prius exaltet piâ ac laudabili vita, & inxta monitum Tobiæ ſeſe conformans, meliora experietur.

9. *Promiſſiones aliquæ conditionatæ ſunt, quæ abſolutæ videntur.*

CA-

CAPITIS DECIMI-TERTII

VERSVS VII.

Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi : quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem.

Vers. 8. *Conuertimini itaque peccatores, & facite iustitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam.*

Vers. 9. *Ego autem, & anima mea in eo lætabimur.*

Vers. 10. *Benedicite Dominum omnes electi eius : agite dies lætitiæ & confitemini illi.*

PARAPHRASIS.

Vers. 7. 8. 9. 10. Tobias senior exul è patria in populo alieno & barbaro Deum laudibus prædicare promittit, quia suæ maiestatis præclara dedit documenta, cùm scelcratos homines, quantumcumque robore & auctoritate valerent, ad ima deiecit, subitoque prostrauit. Quare hortatur peccatores, qui à lege religioneque defecerant, & ideò in alieno solo, & iugo subiecti tyrannico innumeris iactantur incommodis, vt si Deum clementem esse cupiunt, quem adhuc experti sunt seuerum, ad disciplinam redeant quam abiecerunt, & mores religioni, & nomini, quod profitentur attemperent. De se autem verè ac seriò affirmat Tobias senior, siue in paupertate & captiuitate, siue in diuitiis & libertate in Deo vbicumque locorum gauisurum, quando illum propitium & placatum habuerit. Vnde & alios hortatur spiritum Dei habentes, vt Dominum laudibus prosequantur, dieisque festiuos agant & lætos quia videlicet, *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, vt dixit Siracides Eccles. cap. 15.

SECTIO VI.

Quid sit ostendere diuinam maiestatem in gentem peccatricem. Et qualem desideret Tobias peccatorum conuersionem, vt misericordiam Dei consequantur.

1. *Tobiæ senioris captiui mira in laude Dei constantia.*

TOBIAS senior plurima expertus in terra captiuitatis, & alia adhuc timés infortunia, non vult cessare à laudibus Dei: quam constantiam singulariter considerauit S. Cyprianus, quod videlicet in medio nationis peccatricis & prauæ diuinam profiteantur virtutem: *Tobias*, inquit, *sub regali licet, ac tyrannica, sensu tamen, ac spiritu liber, confessionem suam Deo seruat, & virtutem maiestatemq; diuinam sublimiter prædicat, dicens: Ego in terra captiuitatis meæ confiteor illi, & ostendo virtutem eius in natione peccatrice.* Verùm non ideò solùm Deum confitetur, sed vt ostendat se neutiquam in quauis fortuna à laude Dei cessaturum. Magnum enim indicabat etiam per se in laudibus Dei versari, recogitans fortè illud, quod dixerat Dominus ad Heli: *Qui me glorificauerint, glorificabo eos.* Appositè Chrysosto-

Magnum opus semper in laudibus Dei versari.

mus: *Quod si nulla esset alia nobis pro ea vt proposita merces, illud tamen vel maximè nobis ad gloriam valeret, si in diuinis in laudibus versari indigni non haberemur. Siquidem & qui principum laudes eloquuntur, vel hoc vno si nil reliqui esset mercedis, quod principem magnificiunt, satis videntur ornamenti assecuti.*

Nec hic sistit Tobias, sed vt alios, illo rerum articulo ad eandem laudem hortetur, ostendit & hoc inter beneficia Dei reponendum, quòd scelerum eorum errata æquo atque seuero supplicio captiuitatis puniuerit. Quod verosimile illos, non ita considerasse, vt consideratu necesse erat: libet proinde ad nostram doctrinam & institutionem præcisius enucleare, quando, & quomodo ostenderit Deus maiestatem in homines peccatores siue gentem peccatricem, vt simile quid experientes resipiscamus ab iniquitate. Primò igitur ostendit Deus maiestatem in homines peccatores, quando virum aliquem eximium gratiâ miraculorum dignatur, vt obstinatos

2. *Multipliciter ostendit Deus in peccatores suam maiestatem.*

1. *Per miracula illos admonendo.*

& refractatios ad meliorem frugem, eorum terrore & maiestate perducat. Quòd factum est erga Ægyptios, cùm Moysen constituit Deum Pharaonis, vt per manum validam filios Israel liberaret à tyrānide Pharaonis & Ægyptiorum: *Ecce*, inquit, *constitui te Deum Pharaonis*, &c. *& multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Aegypti*, &c. *Immittamq; manum meam super AEgyptum, & educam exercitum, & populum meum filios Israel de terra AEgypti per iudicia maxima. Et scient AEgypti quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super AEgyptum, & eduxerim filios Israel de medio ipsorum.* Vnde diuinâ virtute Moyses ad instantiam Pharaonis virgam suam in colubrum vertit, deinde aquas omnes Ægypti conuertit in sanguinem, aliaque miracula plura in plagis ostendit, quæ videre licet à cap. 7. Exodi vsque 15. eiusdem libri: quibus coactus fuit Pharao dimittere filios Israel.

Exemplum Pharaonis.

3. *2 Per mirabilas visiones.*

Secundò ostendit Deus maiestatem suam in gentem peccatricem, quando magnificâ visione seruos suos Prophetas dignatus est, quâ ostendit se Deus talem in maiestate, vt Angeli eam non valeant satis prædicare. Sic Isaias Vates prædicaturus genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, vidit Deum in throno magnifico, & Seraphin ei acclamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius*: vt eius maiestate compunctus liberè, audacter, Zelosè, & intrepidè propheraret & prædicaret Iudæis, illisque Dei maiestatem excelsam, quam offenderant, præoculis poneret. Vti enim S. Paulus raptus in tertium cælum ibi Doctor & Apostolus creatus, missus est ad Gentes, ita Isaias vidit Deum, ab eoque creatus est Propheta vnde Eccles. 48. vers. 25. Isaias vocatur Propheta magnus, sanctus & fidelis; quia quæ Deus illi reuelauerat, alacriter, liberè, constanter & fideliter nunciauit: alacritatis testimonium est cap. 6. vers. 8. vbi Deo quasi hæsenti quem mitteret ad duros Iudæos, fidens ipse & lætus sese offert. Deinde, quia à Seraphim accensus calculo ignito consecratus est Propheta, factusque quasi Seraphinus, & ordinis Seraphici, ca 6. v. 6. Destinabatur enim à Deo ad hoc, vt frigida & gelida hominum corda ardenti sua concione, vitâ & charitate, Dei cognitione, & amore inflammaret.

Esaiæ 6.

Sic Ezechiel cap. 1. vidit currum gloriosum, Deumque in solio ei præsidentem, tanquam Hebræis iratum, & quasi curru suo bellico vectum, vt Hebræos puniat, vti olim protriuerat Ægyptios. Simili enim curru quasi processit Deus in aciem contra Pharaonē. Abacuc. 3. 8. *Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ salutio.* Psalm. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex.* Psal. 76. 19. *Vox tonitrui tui in rota*: eoque currus Pharaonis subuertit, Exod. 15. Vnde post hanc victoriam, mox hunc currum Cherubim Moysi in Sina ostēdit, Exod. 25. eumque fabricari & in tabernaculo poni iussit in perpetuum monumētum, victoriæ & liberationis Hebræorum ex Ægypto; Hac igitur ratione validè probare poterat. Ezechiel maiestatem diuinam supra omnes esse potestates, eamque omninò formidandam, ac de meliori fruge omnino cogitandum, nisi experiri velint eius furorem, quemadmodum obstinati Ægyptij olim cum Pharaone experti erant.

Tertiò cùm ad humiliandos superbos Deus ita cordis & corporis eorum temperamentum immutauit, & efferauit, vt simile fuerit feræ bestiæ, quantum fieri potuit citra humanitatis, siue naturæ humanæ amissionem. Quod factum legitur cum Rege Nabuchodonosore Daniel 4. Vbi vers. 28. dicitur superbienti Regi in Babylone magna, quam ædificauerat in domum regni, in robore fortitudinis suæ, & in gloria decoris sui: *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur, Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Quòd ita continuò expertus est: vnde sequitur: *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est; donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.* Primùm itaque eiectus est ab hominum conuictu Nabuchodonosor, in agris egit, lociisque syluestribus inter feras, quasi vnus esset ex illarum grege, fœnum illi pabulum fuit, & sub aperto cælo pernoctans imbre ac rore cælesti commaduit, læsa ac perturbata fuit ipsius phantasia, sensus quoque mutatus & cor: ita vt quæ belluarum sunt propria cogitaret, illa amaret, & quæreret, & quæ belluæ horrent, ipse quoque respueret; recta videlicet & humana consortia. Id significare videtur vigilum decretum ver. 13. *Cor eius ab humano commutetur, & cor ferę detur ei.* Ferinam autem figuram ita præ se ferebat, vt ferę eum non læserint, quia imaginabantur esse feram, licet nouam & monstrosam, aut potiùs quia Deus eas auertit, ipsumque per septem annos miserabiliter custodiuit, & conseruauit.

4. *3 Humiliãdo superbos, & transformando in feram.*

Mira Nabuchodonosoris metamorphosis.

5. *Exempla eorum, qui melancholia laborantes putarẽt se in alias formas mutatos.*

Ne mireris hanc Regis mutationem, aut Regem suâ imaginatione viriatâ se transformatum existimasse, cùm id ex morbo multi contrahant. Refert mira & multa exempla Galenus, & post eum Leuinus Lemnius lib. 2. de Complex. sub finem: Quidam, inquit, puta-

putabat naſum ſibi excreuiſſe in immenſum, vt Elephantis proboſcidem circumferre videretur. Medicus hunc ei morbum & phantaſiam hac arte exemit: longum farcimen naribus admouit, arreptaque nouacula illud ſenſim abſcidit, & tandem extimam naſi partem perſtrinxit, vt ſanguis deflueret; itaque imaginarium ei naſum auulſit: atque præſcripta ei ſoporiferâ potione, & ſalubri diætâ eum plenè curauit. Alius hypochondriacus, hoc eſt, cui præcordia humore melancholico ac flatibus turgebant, credebat ranas ac bufones interiora ſua perterebrare. Medicus dedit ei potionem, ac ſubdito clyſtere procurauit, vt aliquot ranæ & bufones in ſubiectam ei peluim conijcerentur, quibus viſis opinio illi hæc adempta eſt. Tertius cenſebat ſe membra poſteriora habere ex vitro, vnde ſemper ſtabat, metuens ne; ſi ſederet, ea quaſi vitri fragmenta diſſilirent. Quartus nuper fuit, qui ex nimia capitis fatigatione, ſe mortuum eſſe dicebat, nec comedere volebat, vtpote mortuum ſe credens. Iamque inſtabat ſeptimus dies, qui inedia confectis lethalis eſſe ſolet. Vt enim morbo & morti eriperent, quidam perſonati linteis obuoluti quaſi mortui, conclaue obſcurum ingreſſi menſam inſtruere, ac liberaliter ſe reficere cœperunt. Æger autem hæc conſpicatus, ſciſcitatur quid moliantur, & quod ſint genus hominum? reſpõſum eſt, mortuos eſſe ſe. Tum ipſe: Ergóne mortui comedunt? illi, Comedunt vtique; veni, vide, & guſta. Ille lecto exilit, cùm mortuis commentitijs largè veſcitur, indormit ad id confecto liquamine, experrectus ad ſe redit, & ſanatur. Hæc omnia Lemnius.

Franciſcus Valeſius de ſacra Philoſophia cap. 80. Hieronym. Mercurialis lib. 6. Variar. Lect. cap. 20. hanc Regis Metamorphoſim non aliud fuiſſe cenſent, quàm morbum, quem Melancholiam Medici vocant, quo qui laborãt, inſaniunt, & in aliorum ſubinde animalium formas mutatos ſe eſſe imaginantur, faciuntque & patiuntur omnia quaſi reuera ita eſſet: alij in canes, & latrant: alij in gallos, & cantant, & concutiunt latera: alij in lupos, & exeunt noctu domo, quæruntque ſepulchra, & verſantur libenter cum cadaueribus. Sed Scriptura clarè indicat cordis & corporis huius Regis temperamentum ita immutatum, vt eſſet ſimile feræ beſtiæ.

6. Ne rurſum tibi paradoxum videatur, Regem quaſi feram cum feris in ſyluis verſatum, earumdemque victu paſtum: illum enim ex imaginatione & appetitu ferino appetebat, quem illi indiderat Deus. Et ſimilia deprehenduntur apud Auctores. Narrat Abenեſra de homine quodam melancholico, qui in montes Sardiniæ ſeceſſit, ibique cum cer-

Plurimi peregrino & ferino ſui affectu facti.

uis diu herbis victitauit. Sic Arcadas glandibus, Argæi pyris ſilueſtribus, Æthiopes locuſtis, milio Sauromatæ, Perſæ, cardamo, Eremitæ herbis, Ophiophagi ſerpentibus veſcebantur. Mithridatem veneno ita aſſueuiſſe, vt eo occidi non poſſet, teſtantur hiſtoriæ. Feminam quandam Coloniæ araneis paſci, vidiſſe ſe narrat, Albertus Magnus: non mirum ergo Regem iſtum herbis tamdiu victitaſſe. Cùm mentis vſu etiam oris & linguæ vſum amiſerat nec articulatas & humanas, ſed inconditas & beſtiales voces daret, & mugiret vt bos. Habitus eius ferinus erat, capilli adeò creuerant, vt totum ferè corpus contegerent, vngues quoque creuerant, vt auium diceres, non hominum. Incedebat ſemper nudus, rori, imbri, & alijs cæli iniurijs, vt fera obnoxius.

Sic oſtendit Deus per ſeptennium maieſtatem ſuam in Regem ſuperbiâ turgentem, eumque ita humiliauit, donec ſeptennali hac pœna ſeriò ad Deum verum conuerteretur, & diceret iam reſtitutus ſenſui & priſtino decori: *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Tertullianus lib. de pœnitentia in fine exemplo hortatur peccatores ad pœnitentiam dicens: *Mutæ animæ medicinas ſibi diuinitùs attributas agnoſcunt. Cerua ſagitta transfixa, vt ferrum & irreuocabiles moras ſuas de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illes oculare rurſus de ſua chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſin ſciẽs, præteribit illam, qua Babylonium Regem in regna reſtituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, ſeptenni ſqualore exomologeſin operatus, vnguium aquilinum in modum efferatione, & capilli incuria horrorem leoninum præferente. Prò malæ tractationis! Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat.*

Quartò oſtendit Deus maieſtatem ſuam in gentem peccatricem, dum idola fregit, & inutilia reddidit, illorumque cultores & peccatores quoſcumque plagis & carceribus afflixit, vt clariſſimè videre eſt 1. Reg. 5. Vbi Deus poſtquam Philiſtini deduxiſſent in ſuam prouinciam Arcam, magna edidit diuinæ virtutis, atque furoris documenta. Cùm enim inducta foret in templum Dagonis ipſum ab arâ, vbi religioſè colebatur ab Azotijs deturbauit: & ad aram, vnde ceciderat, iterum relatus, denuò cum maioribus ſui detrimentis excutitur ſine capite ac manibus, quæ à reliquo trunco diſtracta diſſilierunt. Poſuerant quippe Philiſtini Arcam in templo Dagonis, quaſi trophæum quoddam, & magnæ victoriæ monumentum, qua Palæſtinus, Deus Hebræorum Deum gloriosè ſub-

8. *4. Idola deſtruendo & peccatores puniendo.*

Exemplum Philiſtinorũ

iugauerat. Deus è contra maiestatem suam ostendit, & infirmitatem Dagonis, primò ratione loci, quia in proprio domicilio Dagonem deiecit. Turpior est enim calamitas inflicta in natiuo solo: glorioſior victoria parta in peregrino. Appositè Venerabilis Beda: *Fortiùs*, inquit, *erat Dagon, quando stulta gentibus arma suo custodiebat in atrio: fortior est Arca fidei, quæ huic victrix spolia impietatis eripuit, & hæc pietatis arma & spolia fecit.* Quasi diceret: Miserabilis fuit ruina Dagonis, quia domestico ruit in atrio: inclyta victoria Arcæ, quia in externa domo superauit.

Arca potentia, & Dagonis imbecillitas triplicata ostenditur. Primò, ex loco.

Secundò, ex tempore.

Secundò ratione temporis. Nam quando Arca maximè deiecta, & Dagon maximè sublimis videbatur, tunc Arca de Dagone triumphauit. Hanc rationem innuit Isidorus Clarius. *Cernis*, inquit, *vt vbique gloria Domini emineat, etiam tunc cùm deiecta existimatur.* Insinuat & Petrus Blesensis epi. 124. *Arca*, inquit, *fœderis ab allophylis capta, & posita iuxta Dagon, à virtutibus non cessauit.*

Tertiò, ex modo quo victoria reportatur.

Tertiò ratione modi, quo hæc victoria parta est. Nam in primis Dagon non fugit penitus è templo, ne videretur effugere posse diuinæ iustitiæ vltionem: sed iacuit ante Arcam, vt eius imperio deiectus ac ligatus quodammodo videretur. Non cecidit resupinus in tergum, ne adhuc putaretur, velle ab Arca resilire, seu contra Arcam rebellare: sed pronus in faciem cecidit, vt Arcam Dei, seu potius latentem, operantemque ex Arca Deum adoraret: vt Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 1. interpretatur. Cui consonat in cap. 10. D Basilius: *In faciem*, inquit, *prolapsus erat ipse Dæmon, à claritate gloriæ deuictus, quæ circa Arcam Dei splendescebat.* Imò vers. 4. huius capit. 5. 1. Reg. exprimuntur Azotij tanquam testes oculati Dagonis in faciem prolapsi, ne in tenebris tantùm Arcam adorasse putaretur. Quæ de re Theodoretus serm. 10. de Prouidentia, ad finem: *Deus*, inquit, *allophylis Arcam tradit, populi iniquitatem arguens: tradita autem maiestatem tuetur, allophylos docès, quòd non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem. Propterea Dagon quoque, quem illi, ceu Deum, adorabant, ante Arcam corruere facit; & eundem cultoribus suis spectandum exhibet, vt allophyli discrimen discerent.* Quasi diceret: Voluit Deus vt Dagon omnibus Azotijs spectantibus Arcam adoraret: vt tandem intelligerent Philistini, quantum discriminis esset inter Arcam & Dagonem, inter Deum ac dæmonẽ. Verùm cùm debuissent satis intelligere monstrum illud Palæstinum calcandum esse potius, quàm religiosè colendum, nõ solum laboriosè, sed indecorè ingrediuntur templum, transiliuntque limen, ne pedibus terant locum illum, quem dissipatis membris suis initiasse videbatur Dagon. Vnde non tantum in mutum illud,

Dagonis infirmitas Azotijs spectanda proponitur.

Azotij perfunctantes

& saxeum simulachrum ostendit Deus suam maiestatem, sed etiam in populum idololatram, nec ex hoc miro spectaculo pœnitentem, quem Arca Dei fædo percussit, & acerbo vulnere, imò & in agros, quos enatæ repentè mures infinito numero, & ranæ pestilentes & noxiæ populabantur, vt hac ratione intelligerent Dei maiestatem longè superare idola, neque vllatenus ea secum pati.

in idololatria grauiter punientur.

Sic maiestatem suam ostendit Deus tempore Eliæ Prophetæ, demonstrans signo cælitus dato vanitatem Idolorum. Populus illo tempore, modò Deum verum colebat, mox ad Achabi & Iezabelis vota, ad Baalis aras supplex accedebat. Illum redarguebat Helias, dicens: *Vsquequo claudicatis in duas partes: Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum. Populus verò non respondit ei verbum.* Illa enim erat dicentis auctoritas, ille spiritus, illud orationis pondus, vt turbaret animos, fauces præcluderet, neque vllam relinqueret loquendi facultatem, aut respondendi. Dignoscens verò Helias obmutuisse populum vniuersum, neque respondisse vllum ad obiecta de religione verbum; Ipse rationem ostendit, quâ quiuis intelligat, vtra sit vera, falsaue religio; cuius examen in Sacrificio atque oratione posuit: Ait enim, *Ego remansi Propheta Domini solus: Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frusta cadentes, ponant super ligna ignem autem non supponant: & ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam. Inuocate nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis, populus ait: Optima propositio.* Et ne quis personarum contentione, ac viribus, & non potius vera sanctitate iudicium, aut aliquo artificio elusum esse putet, partes alijs superiores concedit: ita vt alijs omnibus rebus præterquam religionis professione, & sanctitate vincant. Primùm itaque Helias se magnæ Prophetarum multitudini solum opponit: ipse enim solus è veris, sanctisque Prophetis in eo cõgressu reperiebatur. Deinde iubet, ne qua in sacrificijs esse posset fraudis, callidaque suspicio, vt ipsi eligant duos boues suo arbitratu, & ex illis eligant, quem magis suis votis, atque rationibus opportunum esse putauerint: quorum alterum ipsi sumant, & sacrificali ritu in frusta concidant, suppositisque lignis sine igne superimponant. Quòd item ipse faciet, tunc autem ille verus Deus existimabitur, qui preces exaudierit supplicantis, & emisso desuper igne oblatum sibi sacrificium combusserit. Et eodem consilio, cùm de aqua nihil inter disceptantes de religione conuenisset, neque ab alijs aliquid

9. Idolorum vanitas ab Elia miraculosè ostenditur.

3. Reg. 18.

aquæ

aquæ ſuper ſacrificiũ, & ligna foret infuſum, quominus res ſuſpicioni pateret, non ſolùm ſuper ſacrificium, & altare, ſed etiam latè circum aquarum plurimum induxit. Quòd diuinæ cuiuſdam ſolertiæ, & magnæ in diuina promiſſione fiduciæ argumentum fuit. Omnium verò conſenſu admittitur, vt ille verus habeatur Deus, qui à ſuis cultoribus implo-ratus, miſſo deſuper igne oblatum ſibi ſacrificium conſumat. Quod cùm omni adhibitâ contentione, effuſoque ſanguine non obtinuiſſent. Sacerdotes Baal, ſed facile obtinuiſſet Helias, cecidit omnis populus in faciem ſuam, & ait: *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* Prodigium illud inopinatum, & rarum commouit populum, qui licet aſſentatus Iezabeli, & Achab ad peregrinam, & barbaram religionem defecuiſſet, non tamen antiquam ſuperiorum temporum memoriam abiecerat, nec ignorabat, quot olim modis ſuam Deus, & ſuis, & alienis diuinitatem probauiſſet. Quare præteritorum memor, & hoc grandi miraculo perculſus, corruit in terram adorabundus, & ſupplex, & Hebræorũ Deum, verum eſſe Deum profeſſus eſt. Sic maieſtatem ſuam oſtendit Deus Genti idololatriam amplexæ. Vnde ſecutum eſt, vt populus Helia iubente Prophetas Baalis omnes ad vnum trucidaret, Rege Achab præſente, cuius ſpiritus fregerat admiratio ſubiti illius incendij cæleſtis ſimulque experiebatur timorem illi à Deo incuſſum, vt nihil auderet contra verbum Heliæ.

Apud Eſaiam Vatem cap. 41. diſceptat Deus cum idolis, eaque non eſſe Deos duobus argumentis conuincit. Primùm eſt certa futurorum prædictio, quâ ſe pollere, nõ Deos Gentium demonſtrat. Alterum eſt quod idola ex ſe nec ſint, nec firma ſint, ſed à fabris ſint facta, & glutino firmata ne diſſoluantur, & corruant, ac proinde nemini vel bene, vel male facere poſſint. Chriſtus Dominus ſuam maieſtatem oſtendit, cùm idola per Apoſtolos deſtruxit, & eorum phana in Eccleſias commutauit, & loco Idolorum, Sanctorum reliquias induxit. Longum foret recenſere miracula, quibus Deus ad Idolorum confuſionem per Sanctos operatus eſt.

10. *Antiochus ſuperbiens. Dei maieſtate humiliatur.*

Simili modo Deus oſtendit ſuam maieſtatem contra Antiochum, qui, cùm aſcriberet ſibi diuinos honores, auditâ ſuorum ſtrage, & Machabæi glorià incredibilem cepit animi triſtiam, & à Deo percuſſus fœdo, atque intolerabili vulnere, cum ſuperbè cogitaret, imò palam diceret, ſe venturum Hieroſolymam, & cõgeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum. Vix enim finierat ſermonem, quin apprehenderit eum dirus dolor viſcerum, & amara internorum tormenta, & poſtea cecidit de curru, & graui corporis colliſione mẽbra vexabant. *Iſte, qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo contectans: ita vt de corpore impij vermes ſcaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fetore exercitus grauaretur. Et qui paulò ante ſidera cæli contingere ſe arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam fetoris portare.* Ex quo tandem pronunciauit, *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.*

2. Machab 9

Sic in Iudæos per captiuitatem Babylonicam & Aſſyriacam, in quas illos abduci, ibique grauiter affligi permiſit, oſtendit ſuam maieſtatem & potentiam. Eſt enim potentiæ ſingularis ſceleratos homines, Dei maieſtatem contemnentes, quantumcumque robore & auctoritate valeant, hoſtium & inimicorum iugo repentè ſubijcere, ſubitoque proſternere. 11.

Hac de cauſa Tobias noſter monet peccatores vt ſeriò, & ex corde ad Deum conuertantur, mala deteſtentur, bonum operentur in conſpectu Dei: ea verò facientes firmiter confidãt, miſericordiam Dei ſibi non defuturam. Videtur Tobias ſenior animaduerſiſſe, quod quidam exultarent & lætarentur, quaſi Deum ſibi propitium haberent, & peccata omnia, cùm Deus illis eſſet grauiſſimè offenſus, ita vt loco lætitiæ dolere & gemere debuiſſent: quales notat grauiter Amos Propheta, qui in eiuſmodi inuehitur cap. 6. dum ait: *Qui canitis ad vocem pſalterij ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa Cantici.* Quaſi diceret: Canebant perinde, ac ſi Dauidis haberent ſpiritum, cùm tamen hic rotum ſe diuinæ addixiſſet voluntati, & peccatum ſuum ad oculorum vſque cæcitatem deflcuiſſet, illi tamen epulis indulgeant, & frequentibus poculis, denique immoderatis dediti voluptatibus impensè luxurient.

11. Tobias vult peccatores ex corde conuerſura ad Deum, vt eius miſericordiam conſequãtur. Plurimi conuerſi ſed Dei miſericordia participes minimè fiũt

1. Quòd pœnas reſpiciant, non culpam.

Rurſum videtur Tobias recogitaſſe promiſcuum vulgus in varia abire cõſilia, vt plagas euadat, adhæc alios cautam captiuitatis non attendere, alios obdureſcere ad omnem plagam, alios ſancta remedia importunè & cum Deo minus conciliatos cogitare. Sic enim pœnas reſpexiſſe, non peccata, legũtur Iſraelitæ 1. Reg. 4. quando poſt quatuor millium virorum ſtragem rogarunt: *Quare percuſſit nos Dominus?* Alij non conſiderantes plagam ob culpam prouenire, ſolliciti ſunt, vt à ſe ablegent quod inſtrumentum plagæ arbitrantur. Sic Pharao Patriarcham Abrahamum de terra ſua abire fecit, ne propter illum vlterius vapularet. Gen. 12. verſ. 19. Sic Ægyptij Iſraelitas vrgebant de terra exire velociter: ne omnes ex eorum præſentia morerentur. Exo. 12.

2. Quòd à ſe ablegent inſtrumentum plagæ, non cauſa quod eſt peccatum

Sic

Sic facere ſolent reliqui idololatriæ dilectores, inquit Beda ad hunc locum: *Qui videntes potentiam Chriſti contra Deos ſuos, nolunt fidem eius recipere, ne propter hanc ſolam cogantur omnem Deorum ſuorum turbam abdicare.* Immò ſic facere ſolent & mali Chriſtiani, vt notat idem Beda: *Qui videntes*, inquit, *propter fidem Chriſti interdicta ſibi peccata, quæ amant; ipſam fidei religionem, quantum valent, deteſtantur: ne huius occaſione, deſideria, quibus pro Deo ſeruiunt, inbeantur extinguere.* Hi ſimiles ſunt Philiſtinis 1. Reg. 5. qui grauem Dei plagam ſentientes, non inquirebant cauſam plagæ, ſed arcam à ſe ablegare cogitabant: Videntes viri Azotij, inquit ſacer textus, huiuſcemodi plagam, dixerunt: *Non maneat Arca Dei Iſrael apud nos: quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.* Ex nimia mentis cæcitate Arcam à ſe repellere voluerunt, ne ipſis nocere pergeret. & ſuo Dagone maior videretur; à cultu verò Dagonis non receſſerunt, nec ad fidem Iſraelis commigrarunt, quo maieſtas & potentia Arcæ ipſos ducebat, & quodammodo cogebat.

Peccatores ea, quæ amant, deteſtantur, ipſâ religionem deteſtantur.

Alij quidem confugiunt ad Deum, & ſe iuuandos confidunt, à tribulatione temporali, minimè ſolliciti de ſpirituali ſalute, aut culpæ dolore, & vitæ emendatione, vt Hieremi. 15. & Ezechiel. 14. videre eſt: ſed Deus ne aliorum quidem orationem pro eiuſmodi admittit. Dicti filij Iſrael 1. Reg. 4. poſt dictam ſtragem quatuor millium virorum agnoſcentes pœnam à Deo prodire, non confitentes culpam dicebant: *Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum.* Sed quid? Adduxerunt eam in caſtra, ſed maiorem plagam ſubiere: Ceciderunt enim de filiis Iſrael triginta millia peditum. Cauſa in promptu eſt: quia præſidia diuina adhibuerunt, non dolentes de culpa. Hoc ipſum Chriſtianis aliquando accidit, vt rectè aduertit Dionyſius Carthuſianus ar. 10. myſticæ interpretationis coloci: *Per Iſraelitas*, inquit, *Arcam Dei afferentes, intelliguntur Chriſtiani, qui inſtante tribulatione quacumque, ſeu peſtilentia, circumferunt Sacramentum, atque Reliquias; non tamen emendant ſuam conuerſationem & mores: idèo propter ſua demerita non iuuantur; imò interdum graniori peſte cadunctur: & hoc iuſtiſſimo Dei iudicio, qui cordium videns arcana, ſcit, illos pro cuaſione & ceſſatione periculorum corporalium deprecari, non ex rectâ radice, hoc eſt, non ex charitate, neque ſincera intentione; ſed ex amore carnali, quo diligunt vitam præſentem, ac proſperitatem: ſicq; oratio eorum fit in peccatum, & indignationem prouocat Deitatis; quoniam importunè & indiſcretè orant, pro his rebus, de quibus ignorant, an ſaluti eorum expediant; & ea, quæ Deus requirit ab eis, & ſunt de neceſſitate ſalutis, omittunt.*

Chriſtiani ad Deum ſine debita diſpoſitione confugientes aliquando grauiùs puniuntur.

Hi ſimiles ſunt Antiocho, de quo dicit Scriptura 2. Machab. 9. *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Quid oraret Antiochus, non eſt coniectatu difficile, nempe vt ab illis liberaretur angoribus, quibus ad mortem cruciabatur, & ne ab eo excideret loco, quem in ea prouincia ſummum obtinebat. Cuius gratia illa promittebat, quæ dicto capite deinde ſequuntur. Qualia ſunt ornare templum quod ipſe prius ſpoliarat, & gentilicâ ſuperſtitione polluerat; & largiri in ſumptus, qui forent ad ſacrificia neceſſarij, & eiuratâ religione patriâ ad Iudaica ſacra, & caſtra transfugere, & Dei poteſtatem vbique terrarum prædicare. Sed qua hæc aliquid ſpectabant humanum, non erat miſericordiam, quam implorabat, à Deo conſecuturus. Ita S. Thomas 3. p. q. 86. ar. 1. ad 1. *Antiochus*, inquit, *non verè pœnituit: dolebat enim de culpa præterita non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.* Ex epiſtola, quam mox ſubiicit Antiochus, quid optet, ſignificat, & quàm ſit longè, vt de ſpirituali ſalute cogitet, cùm de regno laboret, & apertè in extremo vitæ articulo mentiatur. Cùm enim abieciſſet iam ſalutis ſpem cùm hæc ſcriberet, vt habes v. 18. *Deſperans ſcripſit ad Iudæos.* In ipſa tamen epiſtola v. 22. ait: *Non deſperans mei metipſum, ſed ſpem multam habens effugiendi infirmitatem.* Neque in tota epiſtola vllum verbum occurrit, in quo appareat de culpæ venia ſollicitudo, aut peccati dolor, neque alium inuenimus de fœda illa, atque horribili plaga accepiſſe fructum, præter ſui ipſius cognitionem. Cùm enim ſe prius Deũ eſſe crederet, aut aliquid ſe habere diuino ſimile, poſt diem illam, & obſcœnam plagam mortalem ſe eſſe agnouit, neque ab aliis habere diſſimilem naturam. Cùm igitur de vita in eo dolorum conflictu deſperaret, ſcripſit ad Iudæos deprecatoriam epiſtolam, in qua tamen ſuam voluit retinere auctoritatem.

13. *Antiochus ad Deum effugiens, cur eius miſericordiam nõ conſecutus fuerit.*

Hæc & ſimilia veroſimiliter notabat in ſuis Tobias noſter ſenior; vnde inquit: *Conuertimini itaque peccatores, & facite iuſtitiam coram Deo*, hoc eſt, Ex toto corde pœnitentiam agite, & talia iuſtitiæ opera exercete ea mente & animo, vt non ſolùm hominibus placeant, ſed diuino etiam ſint grata conſpectui. Deus enim intuetur cor, & illud ab homine exigit: *Præbe mihi*, inquit, *fili mi cor tuum.* Scitè admodum Apoſtolus Iacobus cap. 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.* Vnus amicorum Iob cap. 11. cùm exiſtimaret erroneè illum ob iniuſtitiam à Deo tã grauiter affligi, inquit: *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia: tunc leuare poteris faciem tuã abſque*

14. *Vnà & ex corde pœnitentibus Deus præſto eſt.*

absque macula, & erubescabis, & non timebis. Miseria quoque obliuisceris; & quasi aquarum quæ præterierunt, recordaberis. Quod si, inquit, à manibus tuis, id est, ab operibus iniquis, & vanis, quibus honestatis simulatam speciem prætexuisti, iniquitatem abstuleris, & puras à puro corde manus ad Deum expanderis, relegata à tabernaculo tuo, quæ in eo diu inuexerauit, iniustitia: Tunc mundam absque confusione leuabis ad Deum faciem tuam, quam à suo conspectu non repellet Deus, neque ex tuo amplius deiicieris loco, aut vllus te motus de imminente ruina, aut turbine concutiet. Ea deinde accedet rerum abundantia, ea instauratæ, & in meliorem statum renouatæ familiæ valetudinis, & existimationis antiquæ vicissitudo, vt non magis superioris miseriæ recorderis, quàm aquæ quæ in flumine defluxit, in cuius locum longè maior aquarum abundantia successit.

15. Luculentum huius rei exemplum extat 1. Reg. 7. vbi Israelitæ postquam ad vocem Samuelis eos adhortantis, vt in toto corde suo reuerterentur ad Dominum, auferentes Deos alienos, corda sua purificarent, eique soli seruirent, securi quod de manu Philistinorum liberarentur, à quibus iam aliquoties deuicti erant; pœnitentiam egerunt orantes cum Samuele in Maspha, quamuis hostilem exercitum experirentur audacius eorum exitium moliri, nihilominus victores euasere, pugnante scilicet Domino pro eis: *Intonuit autem Dominus, inquit Scriptura, fragore magno in die illa super Philistiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à filijs Israel.* Ecce diuinus furor. Philistæi exterriti sunt per tonitrua magno fragore perstrepentia, cæsi autem & contriti per fulmina magno impetu deuorantia: vt ostenderet Deus quemadmodum diuina præsidia præsto haberet pro verè pœnitentibus. pugnat enim Deus pro suis, & eos laniænæ inimicorum eripit, vt videre est Iud. 5. Ios. 10. & alibi. Vnde Psalmista Psal. 39. *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* Appositè ibidem Chrysostomus: *Numerum*, inquit, *& omnem narrationem superant miracula, quæ à tua potentia facta sunt. Non est enim qui possit tibi facere similia. Sunt enim pulcherrima & maxima tua opera. Vincunt autem Laudes humanas, ea, quæ administrantur à tua prouidentia, quæ in AEgypto, quæ in deserto, quæ duce Moyse, duce IESV, duce Samuele, facta sunt*, &c. Eò namque illa omnia miracula spectabant: vt Hebræos contra externos hostes adiuuarent. Siracides inter cæteros viros gloriosos loquutus de Samuele, *Inuocauit*, inquit, *Dominum omnipotentem in oppugnando hoste, circumstantes vndique in oblatione agni inuiolati. Et intonuit de cælo Dominus; & in sonitu magno auditam fecit vocem suam; & contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philistiim.* Eccles. 46.

Insigne exemplum Israelitarum. 1. Reg. 7.

Vnde sequitur in textu: *Egressiq; viri Israel de Maspha, persequuti sunt Philistæos, & percusserunt eos vsque ad locum, qui erat subter Bethchar*

Sed videamus quænam pœnitentia præcesserit hanc victoriam. Statim abstulerunt Deos alienos eo modo, quo illos Samuel auferendos præceperat, & soli Deo seruierunt à Samuele conuocati in Maspha ad adorandum Deum, ad renouandum pactum inter Deum & populum ad tractandum de communi bono, & publica abiuratione peccata delenda, ibidem comparuerunt: & primò hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt: *Peccauimus Domino.* Mirabilis cærimonia, quod & elementarem aquam hauserint, & in conspectu Domini effuderint. Cærimonia plena mysteriis: nam primò, fiebat in modum execrationis: vt sicut aqua effundebatur, ita sanguis eorum, qui ad idololatriam redirent, effunderetur. Ita Carthusianus. Secundò, in signum spei de remissione peccatorum; quasi dicerent: Sicut aqua in terram effusa euanescit: ita peccata coram Deo abiecta delebuntur. Ita Vatablus. Tertiò, in signum propriæ humiliatis: vt sicut aqua frigida, vilis est, & facilè effunditur; & effusa ad nihilum valet vltrà: ita & ipsi nihil se ipsis vilius & abiectius & infructuosius coram Deo existimarent. Ita Lyranus ex Rabbi Salomone. Quartò, ad perfectam peccatorum renunciationem significandam: vt sicut aqua effusa, nihil sui relinquit in vrna, nec coloré, nec odorem, nec saporem; ita illius idololatriæ abiuratæ nulla in animis expressa vestigia relinquerentur. Ita Caietanus sequutus fortassis Rabbi Leui, idem asserentem. Quintò ad ostendendum firmum animorum decretum, numquam amplius in idololatriam relabendi: vt sicut aqua effusa ex vrna, numquam amplius in vrnam redit: ita illa peccata ex animis eiecta, numquam amplius in animos remigrarent.

16.

Israelitæ pœnitentes aquam effuderunt, Varia huius cærimoniæ mysteria.

Ostendebant itaque hac externa cærimonia animorum veram innocentiam. Nam sicut populus diuinam legem acceptum, lauare iubetur vestimenta sua, Exod. 19. Et maiores ciuitatis in casu homicidij manus suas abluebant, Deuteron. 21. Et Iob aquis niuis se lotum desiderabat, Iob. 9. v. 30. Et Dauid lauabat per singulas noctes lectum suum, Psal. 6. v. 7. Et rursum lauabat inter innocentes manus suas, Psal. 25. v. 6. Et sic plures alij de more Hebræorum, vt suam innocentiam testarentur. Ita hoc loco Hebræi, vt se post abiuratam idololatriam innocentes asseterent; aquam, quâ abluerentur, effundebant. Tertullianus aduersus Phychicos, cap. 7. hanc cærimoniã *Aquationem* vocat: adhibitam videlicet ad confirmandum fœdus, quod Israelitæ cum Deo

Ex illa cærimonia colligitur animorum innocentia.

Deo de numquam amplius idololatrando inierunt. Nam fœdera nõ solum apud Ethnicos, sed etiam apud Hebræos externo aliquo signo firmabantur: nempe, aut occisione animalium, vt Genes. 15. v. 9. & Ierem. 34. v. 18. aut erectione lapidum, vt Genes. 31. v. 45. & Iosue 24. v. 17. aut celebratione conuiuij, vt Genes. 26. v. 30. & Exod. 24. v. 11. aut denique effusione aquæ, vt loc. cit. 1. Reg. 7.

17. *Israelita ieiunium adhibuerunt. Vt in peccatis prodis animæ, sequitur caro, sic in pœnitentia, anima dolore, caro afflictione. Li. 1. aduers. Iouinianum.*

Deinde adhibuerunt ieiunium in satisfactionem: *Dum mens*, inquit Gregorius, *flendo compungitur, necesse est etiam, vt caro, quæ delectationibus subiacuit, affligatur.* Et D. Cæsarius Arelatensis hom. 1. *De constritione animi*, inquit, *redimuntur crimina voluptatum & per dura crucis exercitia, decepta dudum carnis gaudia puniuntur: ac si mortificatione præsenti futura mortis sententia præeuitur.* Hinc & Hieronymus tanquam parti pœnitentiæ victoriam tribuit: *Congregatum*, inquit, *Samuel populum in Maspha indicto ieiunio roborauit, & fecit hostibus fortiorem.*

Israelita peccata sua publicè confessi sunt.

Denique peccata sua publicè confessi sunt. Cerimoniales vtique apud Hebræos, non sacramentalis extabat confessio; in qua non solùm Deo, sed etiam homini peccata sua nõ solùm in genere, sed etiam in specie cum firmo proposito non relabendi confitebantur; qualis fuit & illorum confessio, qui à Ioanne baptizabantur, Matth. 3. v. 6. *Confitentes peccata sua.*

18. Hæc fuit via, & modus, ac arma, quibus Israelitæ à tyrannide Philistinorum à Deo fuerunt liberati. Reuertamur ergo & nos ad Deum, detestantes præterita peccata, & facientes opera iustitiæ coram eo si velimus ab imminentibus cladibus liberari. Spondet suis contribulibus verè pœnitentibus Tobias senior diuinam misericordiam: *Conuertimini itaque peccatores*, ait, *& facite iustitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suã.* Spondet eandem nobis S. Chrysostomus hom. 5. ad populum: *Non sum*, inquit, *Prophetæ, neque filius Prophetæ: futurum tamen manifestè scio, & magna & clara voce proclamo, quod si mutemur & aliquam animæ nostræ curam agamus, & ab improbitate absistamus, nihil molestum ingruet & triste. Et hoc manifestè nunc ex Dei clementia, & ex his, quæ in viros, & ciuitates, & gentes, & populos integros fecit. Et enim Niniuitarum ciuitati minatus est, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Quid igitur, dic mihi? Niniue subuersa est, & destructa fuit ciuitas? Contrariuin totum, & exaltata, & clarior facta est, & tantum tempus præteritum ipsius gloriam non destruxit, sed omnes eam cantamus adhuc quoque, & admiramur.* Et paulò post: *Etenim legem, quam ab initio Deus cunctis hominibus posuit per Prophetam loquens, hanc & tunc conseruauit. Quam autem legem? Exitium loquar, inquit, ad gentem & regnum, vt eradicem, & suffodiam, & perdam: & erit, si pœnitentiam egerint ma-*

Pœnitentibus ad Deum conuertentibus, in quocunque periculo diuinũ præsidium spondet Chrysostomus. Iona 3. cap.

Niniu. 18.

litia, & ego ira, quam locutus fueram facere illis, obliuiscar. Hanc igitur legem custodiens pœnitentes saluauit, & à vitio discedentes ab ira liberauit.

SECTIO VII.

Quare Tobias senior solos electos ad Dei laudem, discq; lætitia agendos inuitet.

1. CUM Tobias senior peccatores ad meliorem frugem admonuisset, rursum cum emphasi protestatur se lætaturum in Domino sub quacumque fortuna, modò Deum sibi habeat placatum & propitium, & simul inuitat omnes & solos electos ad benedicendum Domino: *Benedicite*, inquit, *Dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi.* Quænã huius rei ratio? Sanctus Chrysostomus hom. in Psal. 148. dicit esse morem iustorum accersere multos socios laudationis: *Est hoc Sancti*, inquit, *in more positum, propter pium & gratũ suum animum, vt, cum Deo sint acturi gratias, accersant multos laudationis socios, & hortentur, vt hoc pulchrum munus secum obeant*: Hoc non semel egit Regius Propheta, sed quauis occasione. Psalmo 33. recolens beneficium euasionis de manu Regis Achis: *In Domino*, inquit, *laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur.* Non solum, inquit, ego benedicam Dominum ob hoc beneficium in omni tempore, sed etiam alij benedicent: quicumque enim hoc audierint, laudabunt me, quod tam mirabili arte eluserim illum Regem, & simul Deum laudabunt ac benedicent, qui me per illam artem de mortis periculo liberauit. Et illicò sermonem conuertit ad ipsos mansuetos, quos iusserat aures adhibere & lætari, eosque hortatur, vt cum ipso coniuncti, pariterque vniti Dominum glorificent: *Magnificate*, inquit, *Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum:* Potentiam, inquit, & maiestatem eius coram hominibus extollamus. Placere vtique sciebat Deo, vt fideles coniuncti in Ecclesiis, vnanimes, vno ore ipsum glorificent, vt postea docuit Apostolus ad Rom. 15. Et Psal. 133. liberatos à tentationibus & persecutionibus vult omninò in persoluendo tributo perpetuæ laudis & gratiarum actionis incumbere: *Ecce nunc*, inquit, *benedicite Dominum, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Psalmo 148. etiam Angelos ad hoc munus aduocat: *Laudate*, inquit, *Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius.*

Prima ratio. Iustis mos est, in laudando Deo multos imitare socios laudationis.

Dauid in hac re assiduus.

Deo est gratũ plures vnanimiter ipsum laudare.

Hoc etiam fecerunt tres pueri, qui quando erant in fornace accensa, & miraculosam Dei

2.

Tres pueri in fornace accenſa illæſi ad Deum laudandum omnē creaturā excitant.

conſeruationē experiebantur, omnem creaturam ad laudibus celebrandum, quod acceperant beneficium, & hymnos Dei dicendos conuocarunt: *Qui* enim *ſolis non ſufficiunt ad Deum laudibus celebrandum, quoque verſus obeūt, vt in dicendis hymnis ſocios accipiāt*, inquit Chryſoſtomus loco cit. Primùm itaque ob tam illuſtrem, & tam miraculoſam Dei in ſe beneficentiam, qua fornacem vt Eccleſiam ſentiebant, ignem vt rorem, omnes creaturas etiam inanimes ad Dei laudem prouocant, præſertim quia ipſæ iſtius miraculi & beneficentiæ, quâ Dei potentia & prouidentia celebrabatur, fuerunt teſtes, aut etiam cooperatrices, veluti Angeli, ventus, ignis, &c. Deinde ad electos ſe conuertunt: *Benedicite, inquiunt, filij hominum Domino*; tum ad Hebræam gentem ſuper omnes mundi nationes à Deo tunc amatam & honoratam pergunt: *Benedicat*, inquiunt, *Iſrael Domino laudet & ſuperexaltet eum in ſecula*. Sacerdotū quoque non obliuiſcuntur, ad quos maximè ſpectabat diuinas laudes prædicare, quod eos aliarum rerum ſolutos, & expeditos ſuo cultui & obſequio, diuiniſq; precationibus & laudibus deſtinauerat, & conſecrauerat: *Benedicite*, inquiūt, *ſacerdotes Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula*. Denique ſeruos Domini, ſpiritus & animas iuſtorum, ſanctos & humiles corde, imò ſeipſos ardenter ſtimulāt ad gratiarum actionem: quia eos eruit de inferno, & ſaluos fecit de manu mortis, & liberauit de medio ardentis flammæ, & de medio ignis: *Benedicite*, clamant, *omnes religioſi Domino Deo Deorum, laudate & confitemini ei, quia in omnia ſecula miſericordia eius.*

3. *Secunda ratio Iuſtorum laus Deo eſt grata, impiorum ingrata*

Altera ratio mihi videtur, quare ſolos iuſtos ad gratiarum actionem aſciſcat, quòd illorum laus Deo grata ſit, dicente Pſalmiſta Pſal. 32. *Lætamini iuſti in Domino, rectos decet collaudatio*: quodque Siracides dicat peccatorū laudem Deo diſplicere: *Non eſt*, inquit, *ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Et Pſal. 49. conſonat regius Propheta, vbi ait; *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Quare, inquit, profiteris te ſcire legem meam, vt enarres præcepta mea in quibus omnis iuſtitia continetur, & profiteris etiam ad te pertinere teſtamentum, ſiue pactum meum, dum te filium Abrahæ eſſe gloriaris; cùm neque legem meam ſerues, neque pactum cuſtodias, neque veſtigia Abrahæ imiteris? Hinc etiam Chriſtus Luc. 4. cùm dæmonia à multis hominibus exirent, clamantia, & dicentia: *Quia tu es filius Dei*; *increpans non ſinebat ea loqui*, ne veritas ab impuris & fallacibus dæmonibus, & ante tempus proderet. D. Paulus Act. 16. cùm eum ſubſequeretur puella habens ſpiritum pythonicum, & clamaret: *Iſti homines, ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis*; *dolens, & conuerſus ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine IESV CHRISTI, exire ab ea. Et exiuit eadem hora.* Dixerat enim hæc dæmon per puellam, vt arte ad ſe plures pelliceret, quaſi ſpiritus eſſet diuinus, vtpote ſeruos Dei dilaudans: ſed noluit hanc laudem & teſtimonium recipere à diabolo Apoſtolus, tum vt oſtenderet eum patrem eſſe mendacij, & verum ſubinde dicere, vt deinceps mentienti credatur; ſpiritumque expulit, licet præuideret, heros pythoniſſæ iam priuatos ſuo diuinationis quæſtu, in ſe accenſos iri, vt eum malè mulctarent, vel occiderent.

Chriſtus increpauit dæmonia ipſum laudantia, quare?

Lacedæmonij, ſi quam improbus aliquis ſententiam edixiſſet bonam, & Reipublicæ vtilem, recipere tamen nolebant, niſi à probo aliquo denuò enunciaretur. Sic Plutarchus lib. de audit. & apoph. Laco. & Gellius lib. 18. cap. 3. Sanctus Auguſtinus antequam Dei laudes aggrederetur, ab eo petebat purgari prius, vt dignè his poſſet intendere: *Deus*, inquit, *meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare me laudare te, da mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris & quia vir polluta labijs ego ſum, munda obſecro cor meū ab omni inquinamento, ſanctifica me ſanctificator omnipotens interius, & exterius, & fac me dignum laudibus tuis.* hæc Auguſtinus lib. medit. cap. 33. & alludit ad verba Siracidis iam citata, & Iſaiæ Vatis, qui cap. 6. videns Seraphinos tantâ reuerentia, tremore & clamore laudare Dei majeſtatem, dolebat quod ob peccati conſcientiam in huiuſmodi Angelorum hymnodia & concentu tacere cogeretur, & mutire non auderet: Non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: *Væ mihi*, inquit, *quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Heu mihi, inquit, quòd peccata populi ac Procerum, vel tedio vel metu victus inſectari deſiterim: quòd, inquā, Oziam Regem, cùm Sacerdos non eſſet, volentem adolere incenſum, & ſacerdotium inuadentem labiis audacibus ipſe vt Propheta, & de regio ſanguine oriundus non corripuerim. Ego factus ſum quaſi vnus de plebe, quę in tā graui caſu mutire nō eſt auſa, cùm tamē aliis tacentibus, ego vtpote præco Dei loqui, eumque intrepide increpare debuerim. O miſerum me, qui nihilo ſum ciuibus meis hac in re ſanctior; cùm ipſi merè prophani & polluti ſint? ideoque videns Dei puritatem & ſanctimoniam, ac Seraphim clamantes tanta cum reuerentia, *Sanctus, Sanctus* &c. agnoſco quàm peccatum hoc meum impurum ſit, & horridum, impuramque reddat linguam & ineptam ad diuinas laudes proferēdas. Vnde

4.

D. Auguſt. petebat à Deo prius mundari antè recitationem Dei laudum.

Iſaias ob peccatum ſe obturuiſſe in increpando Oziā, indicat ſe indignum ad laudandū Deū.

ad Prophetiæ munus non obtulit se Isaias Vates, nisi postquàm vnus de Seraphim calculo ignito peccatum labiorum eius expiasset: tunc enim, audita voce Domini dicentis: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Dixit; *Ecce ego, mitte me.* Ego, inquit, paratus sum: considero enim ad hoc me designari, ex eo quod sentiã labia mea calculo mundata, linguam solutã. & animo meo nouam libertatem, & desiderium prophetandi à te inseri; præsertim cùm simul me stimulet gloria maiestatis tuę, quam conspicio, & Seraphim quos volantes & paratos ad omne tuum obsequium intueor.

tus decretorum obtentã victoriã, aut beneficio.

3.
Dei laudes præcedere debet mundatio cordis. Sacrificium vituli cur eium præcedebat sacrificiũ arietum.

Quare vt Deo recitario diuinarum laudũ placeat, mundanda prius corda, vt illæ non à peccatore, sed à iusto proficiscantur. Hinc legimus Exod. 29. offerri prius præcipi sacrificium vituli, quod erat pro peccato, tum sacrificium arietum, quorum alter erat in holocaustum, alter in victimas pacificas, cuius rei hanc rationem afferens Abulensis in Exod. q. 9. *Sacrificium*, inquit, *quod est pro peccato, est directè ad remissionem peccatorum, sacrificium holocausti est ad laudem, & honorem Dei, sacrificium pacificum est ad gratiarum actiones, sed non est speciosa laus in ore peccatoris, vt Deo accepta sint posteriora sacrificia, oportet vt illud primum præmittatur tanquam dispositio ad illa.*

6.
Tobias senior cur alios Dei ad dies lætitiæ agendos incitet.

Vides quod magna ratione Tobias senior præ peccatoribus aduocet iustos ad laudem Dei, imò vt agant dies lætitiæ. Eorum enim est lætari, & exultare, quorum sors est Deus. *Cognoui*, inquit Ecclesiastes cap. 3. *quòd non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua.* Vnde & Propheta regius omnes fideles ex vniuersa terra conuersos de tenebris ad lumen admirabile, seu notitiam veri Dei, inuitat & cohortatur magna voce laudare Deum, gratias agere, cantare linguis, exultare animis, psallere moribus: *Iubilate Deo*, inquit, *omnis terra, cantate, & exultate, & psallite.* Vbi etiam subiicit varia genera instrumentorum, quibus Deo psallere debent, qui viderunt salutare Dei per fidem, & videre cupiunt per speciem: *Psallite*, ait, *Domino in cithara, in cithara, & voce psalmi, in tubis ductilibus, & in voce tubæ cornex.* Bellarmin. asserit *signum fidei esse, gratias agere Deo, & pro lætitia spirituali exultare, & iubilare.* Et probat hisce exemplis: *Sic ille*, inquit, *qui inuenit thesaurum, Matth. 13. abijt, & præ gaudio vendidit omnia, quæ habuit. Sic Act. 8. cùm prædicasset Philippus in Samaria, & recepissent Samaritani Verbum Dei; factum est gaudium magnum in illa ciuitate: & ibidem conuersus, & baptizatus Eunuchus ibat per viam suam gaudens. Sic 1. Pet. 1. Credentes exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata.*

Signum fidei est, exultare præ lætitia spirituali.

7.
Iustis olim legitimum dies lætitiæ Deo perpetuo decretos obtentâ victoriâ, aut beneficio.

Porrò vt ad scopum Tobiæ redeamus, comperiemus in S. Scriptura legitimum fuisse iustis, post victoriam reportatam, aut beneficium aliquod adeptum dies agere lætitiæ, & in perpetuum Deo solennes decernere. Sic Esth. 9. cùm omnia læta fulserant in locum fatalis decreti, quod Aman in perniciem Iudæorum euulgauerat, & præter expectationem Aman ipse cum suis in magna multitudine tum extremo supplicio, tum gladio Iudæorum interiissent; scripsit Mardochæus, vt in sua quique prouincia duos dies, quibus hæc victoria obtenta erat, quotannis agerent geniales & festos: alij decimâ quartâ die, illi nempe qui extra Susa degerent; alij verò qui Sutis, die decimâ quintâ: quia videlicet hi decima quinta, illi 14. cædere desierant. Neque id in hac solemnitate abesse Mardochæus voluit, quod in præcipuis solemne illis fuit, & conuiuia instruerent splendida, & læta, & sibi vicissim ex mensa munera mittitarent, neque pauperes illius lætitiæ ac mensæ paterentur expertes. Hæc ratio describitur v. 22. his verbis: *Quia in ipsis diebus vltis sunt Iudæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumq; conuersa sunt: essentq; dies ipsi epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur.* Illi autem dies appellati sunt *Phurim*, id est, sortium, non à libertate quam eo die consecuti sunt Iudæi hostibus interfectis, aut domitis: sed à sortibus quas consuluit Aman, & quæ in eundem decimum tertium diem mensis Adar Iudæorum cædem destinarunt, vt dum dies ille anniuersario reditu recurrit, periculi illius renouatur memoria, in quo fuerunt, & qualem habuerunt animorum consternationem, & angorem, cùm de sortibus, ac die nuncium acceperunt. Vide alia Disc. 71. in 1. Præcept. n. 7. quæ ad huius loci intelligentiam seruiunt.

Exemplum Mardochæi deuicto Aman.

Cur hæc festa Phurim appellata.

8.
Vnde Iudæorum festis nomen impositum.

Nam multa Iudæorum festa nomen ab aliquo siue periculo, siue labore sumpserunt, quo iam perfuncti, seu à quo fuerunt liberati. Sic Phase nomen habet ab Angeli transitu, qui cùm Ægyptiorum occideret primogenitos, ab Hebræorum domibus victricem manum abstinuit. Et dies Azymorum celebrati, quia dies habuerunt sumptuosos, & timoris plenos, Deuteron. 16. v. 3. *Septem diebus comedas absque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egressus de Ægypto, vt memineris diei egressionis tuæ.* Sic festum tabernaculorum, seu scenopegiæ memoriam renouat eorum laborum, quos Hebræi dum vastam solitudinem peruadunt, in tabernaculis subierunt.

Sic 1. Machab. 4. Hebræi qui vrgente Antiocho insolente, ac barbaro habitauerunt diu exules, & profugi in speluncis, locisque desertis, cùm nacti sunt quietem, & templum habuere iam suum purificatum, & antiquæ sanctitati restitutum, celebrem atque

1. *Mach. 4. Decreto Antiocho octo dierum celebritas, quæ luminum vocabatur, instituta est.*

atque æternam tanti beneficij memoriam habere voluerunt. Quare in dedicando altari octo dies posuere geniales, & lætos, quos voluerunt annis singulis solemnes, statosque recurrere. Ita docent quæ habemus lib. 2. cap. 10. v. 6. *Cum lætitia*, inquit, *diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem solemnem tabernaculorum in montibus, & speluncis more bestiarum egerunt. Propter quod thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui prosperauit mundare locum suum.* Audi insuper Iosephum: *Celebrauit*, inquit, *Iudas recepti templi festiuitatem per dies octo sacrificans, in quibus nullum honesta voluptatis genus omissum est, sed populo quidem sumptuosum, ac splendidum epulum exhibitum est: in Dei verò laudem in hymnis, & canticis personabant omnia. Tanta verò lætitia ob reductos patrios ritus, & pristinam religionem occupauit eius animos, maximè quod ea lætitia insperatò obtigerat, vt lex lata sit ad posteros, quæ iuberet quotannis hoc festum reparati in carimonijs templi per octo dies celebrari. Et ex eo tempore mos hic apud nostros obtinuit: vocamusq; hanc festiuitatem luminum opinor, ideò quod ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas.* Hæc Iosephus.

9. Ad hunc modum 2. Machab. 1. ediount Iudæis, qui apud Ægyptios morabantur, ne tanti Dei beneficij immemores, à quo pestis illa religionis & patriæ Antiochus depulsa est, officium illud sanctum, & gratulatorium omittant, quod communi populorum consensu decretum est ob templi renouationem: deinde vt diem etiam ignis, qui in aqua crassa effossus est è puteo, & Nehemiæ datus, religiosum agant: de cuius inuentione longiuscula ibidem instituitur narratio, & quomodo reduces ex exilio sacerdotes aquam illam crassam, & ex illa igné expressum ad sacrificium adhibuerint; ad quem locum, quia clarus est, Lectorem remitto. Cæterùm simile quid statuerunt ob cæsum Nicanorem 1. Machab. 7. & 2. Mach. 15. Cùm enim ille esset infestus Iudæorum hostis, confirmabat suos oratione graui Machabæus, & precatione præmissâ illorum pectora muniebat egregiè. Orationi magnum accessit pondus ab specie quadam per quietem oblatâ Mardochæo, in qua obiectus fuit augustâ specie decorus Onias orans pro populo, & Ieremias qui suis etiam precibus populò fauebat, & gladium porrigebat aureum, quo Dei populi inimicos deuinceret. Et rursus diuino auxilio communibus votis implorato inimicorum adoriuntur castra, in quibus triginta quinque hominum millia cadunt, & cum illis dux ipse Nicanor, cuius Machabæus abscissum caput, & manum cum humero suspendit è regione templi, quasi diuinæ virtutis illustre trophæum; linguam autem quæ verba contra Deum insana, blasphemaque protulerat in minutissimas concisam partes volucribus carpendam tradidit, edixitque quod communi consilio decretum fuit, vt dies ille anniuersaria celebritate coleretur. De quibus dicitur 2. Machab. vlt. *Omnes igitur cœli benedixerunt Dominum dicentes: Benedictus qui locum suum incontaminatum seruauit. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, vt euidens esset, & manifestum signum auxilij Dei. Itaq; omnes communi consilio decreuerunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire.*

2. *Mach.* 15. *superato Nicanore Deo dies lætitiæ decretus est.*

CAPITIS DECIMI-TERTII

VERSVS XI.

Ierusalem ciuitas Dei, castigauit; te Dominus in operibus manuum tuarum.

Vers. 12. *Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum, vt reædificet in te tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos & gaudeas in omnia sæcula sæculorũ.*

PARAPHRASIS.

Vers. 11. & 12. Tobias senior indicat suis contribulibus ciuitatis Hierosolymæ ruinam, siue ciuium Hierosolymitanorum plagam & carcerem, quem patiuntur, à Dei peccata illorum castigantis manu procedere. Quare hortatur, vt si illum liberalem & promptum habere voluerit ad restitutionem, honoret illum in bonis operibus manuum suarum, vt qui deiicere solet insolentes, afflictos restituat pristinæ lætitiæ & gloriæ, & ad regni vsque maiestatem euehat.

SECTIO OCTAVA.

Quorsum dicat Tobias, peccatum esse causam Hierosolymitanæ ruinæ, ciuium exilij & ignominiæ, & ad pœnitentiam hortetur:

1. TOBIAS senior in eo quod reliquum est huius capitis statum describit spoliatæ ac dirutæ Ierosolymæ, aut afflictionis Hierosolymorum ciuium, deinde eiusdem ciuitatis aut ciuium post exilij sordes, & ignominiam peractâ pœnitentiâ, describit futuram lætitiam & gloriam. Verùm quia admirati videntur contribules captiui de desolatione tantæ ciuitatis, & destructione templi, illis causam tantæ desolationis edicit fuisse peccatum, & innuit simul eximiam fuisse olim Hierosolymę gloriam. Nam Hierusalem erat vrbs regia, quam totus Israel olim suspiciebat, ac venerabatur perfecti decoris, adeò vt ab ea Salomon in Canticis similitudinem duxerit ad explicandam miram Sponsæ pulchritudinem, *Decora sicut Ierusalem*, Cantic. 6. Erat item suauis, & gaudium vniuersæ terræ (nempe promissionis) quæ eo confluebat religionis gratia in præcipuis quibusque solennitatibus: & ideo Dauid Psal. 47. vers 3. decinit: *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion.* Et Psal. 86. ver. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Vtrumque complexus est ibid. vers 3. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Et Salomon Canticor. 6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Hierusalem.*

Quantus fuerit Hierosolyma splendor & gloria.

2. Porrò tantæ ciuitatis commendatio, non solum ex loci situ ingenti, atque magnificâ mole, & ciuium multitudine pensanda est, sed ex imperio quod in decem tribus olim exercuit, quia Regia sedes, & tot prouinciarum mater, & Princeps: de qua, Threnor. 1. Ieremias cecinit: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? facta est quasi vidua domina Gentium: princeps prouinciarum facta est sub tributo?* Quasi dicat: Eheu, quomodo Ierusalé frequẽs quondam ciuibus, versa iam est in solitudinem, & quæ amplexa Deum tanquam sponsa Regina vocabatur Gentium, iam à sponso repudiata, & è gradu deiecta, quasi vidua mœret, & silet; penditque tributum, quod olim prouinciarum Princeps exigebat? Aut rursum, fierine potuit, vt magnifica & inclyta Ierusalem, ciuitas sancta, orbis ocellus deliciæ Dei & hominum, à Deo & Chaldæis profanaretur, euerteretur, combureretur? vt tot milliones hominum qui in ea erant, ad tam paucas, viles & pauperes animas redigerentur? vt Dauid, Salomon, Ezechias, Iosias, alijque illustrissimi eius reges & principes in hoc regni deliquio vna omnes quasi interirent? vt amplum illud & nobile Salomonis imperium concideret, & seruiret Chaldæis? Quare sicut illa, vtpote metropolis omnium tribuum mater appellari potuit, sic etiam tribus omnes illius potuere vocari filiæ, atque ideò Hierosolymæ casus ad prouincias omnes quantumcumque dissitas iure pertinuit. Hæc tamen ciuitas non de gloria solum, & maiestate, sed etiam de statu, ac vita repentè cecidit: neque tam fuit Hierusalem viuens, & florens, quàm illius iam deformis, & mortuæ ferale bustum. Vnde Thren. 2. Hieremias Vates scribit, quale externorum fuerit de Hierosolymæ mutatione iudicium: *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes, per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem: Haccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Complosione manuum, inquit, agitato capite, & ore procaciter sibilante insultarunt tibi ô Hierusalem, viatores omnes, & dixerunt: Hæccine est vrbs illa nobilis, ad cuius splendorem & speciem nulla fieri posse videbatur accessio; vnde vniuersa terra promissionis vberem exultandi sumebat materiam. Illud enim, *haccine*, stuporem indicat ex magna rerum conuersione conceptum. Quomodo illi, qui paulo antea viderant Iezabel cum eximia forma, & splendore regio, deinde lacerati à carnibus cadaueris, & deformes reliquias, & carnes sicut stercus super faciem terræ, *prætereuntes dicebant: Haccine est illa Iezabel.* 4. Reg. 9. Hæccine, inquiũt, est illa superbissima, crudelissima, tam studiosa pulchritudinis, quàm modò pictis stibio oculis, & capite, mitra redimito, videbamus, quæ suo Regem, regnumque moderabatur arbitratu, &c. En quò redacta illa pulchritudo à natura concessa, & quotidianis aucta lenocinijs, en regij fastus, en terror bonorum, &c.

Hierosolyma quam prodigiosa ruina & casus.

3. Nec igitur admirentur contribules se exules à Hierosolyma, inter Assyrios agere, ciuitatis ac templi desolationis assignat causam, illorum peccatum, vti alias etiam hoc capite insinuauerat. Res singulariter notanda, ne alijs afflictionem nostram imputemus aut miremur,

Tobias Hierosolyma desolationi imputat peccatis incolarum.

thiremur, sed ad cor & mentem redeamus. Hoc autem peccatum vocat Tobias hic opus manuum tuarum. Sic olim Hieremias ruinam Hierosolymæ adscripsit peccatis. Nã Threnor. cap. 1. dans causam, quare hostes dominentur, Hierosolymitis, & olim rerum Domini facti sint Chaldæorum mancipia, inquit: *Quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius.* Quasi dicat: Quod hostes, facti sint caput, & Domini Hierosolymæ, non fortuitò, aut casu factum est; sed quia Dominus minas impleuit, quas longè antea per Moysem & Propheras comminatus fuerat, si quando à fide data deficerent, & suæ se magis libidini conformarent, quàm diuino Imperio: seu mirum id non est, quia Domino visum fuit sic Solymitas tandem deprimere, propter innumera eorum peccata. Et vers. 8. ibidem, *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est* Ideò inquit, in suo gradu non stetit Hierusalem, sed alienis vagatur spatijs, quia à Deo peccando recessit, in quo vno stabile firmamentum est. Vt autem, qui doctrinam sequitur aliam, quàm quæ à sacris hauritur oraculis, nil habet stabile, ac certum, atque ideò vagus, & deuius oberrat; de quo Paulus ad Ephes. 4. vers. 14. *Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*; sic qui à Deo defecerit, in quo vno firmatur, atque stabilitur gradus, incertus errat, & varijs abducitur consilijs: & delertus, quasi nauis, à rectore Deo, variè iactatur ab omni vento, & ad varios scopulos miserè, & continenter alliditur. De quibus Isaias cap. 57. *Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Quod ergo in ciuitate omnium lautissima, & in parentum gloria populus ille non steterit, sed instabilis erret per ignota loca, egens, exul, inuisus, id peccato Ieremias ascribit, quod vbi primùm insedit animo, ab eo firmamento deducit, extra quod paratus est casus, & promptum exitium.

Nullum nisi in Deo firmamentum stabile.

Vis aliud huius rei argumentum? Hieremiæ cap. 21. obsessâ iam Hierosolymâ ob peccata à Nabuchodonosore, mittit Sedecias Rex legatos ad Hieremiam vatem, vt precibus diuinam clementiam sollicitet, quatenus in illis rerum angustijs renouare dignetur quæ maiorum ipsorum memoriâ edidit maxima, atque horribilia suæ virtutis documenta; & potentem illum, atque insolentem Regem ab ipsorum finibus auertat: sed graue audiunt responsum referendum Regi, nempe frustrà id tentari à Sedecia, quandoquidẽ non tam Chaldæorum, quàm diuina manus ipsam ciuitatem oppugnaret, & in ira sua grãdi debellare decreuisset & Incolas, nõ solum gladio Chaldæorum, sed & fame, & peste exinguere: & addit nomine Dei: *Post hæc, ait Dominus, dabo Sedeciam Regem Iuda, & seruos eius, & populum eius, & qui derelicti sunt in ciuitate hac à peste, & gladio, & fame, in manu Nabuchonosor Regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & in manu quærentium animam eorum, & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur, neque parcet, nec miserebitur.* Id est, post hæc, dicit Dominus, tradam Sedeciam Regem Iuda, & domesticos eius, tum denique populum, & quibus obsidionis tempore pestis, fames, & gladius pepercere, in manus Nabuchodonosor (& in illorum potestatem, qui ad ipsorum cædem inhiabant) qui neque muneribus flectetur, aut precibus, neque parcet, neque vlla tangetur misericordia. Deinde conuertit se Propheta ad domum Dauid. Iudæorumque populum: *Ecce ego*, inquit, *do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.* Prouerbiale hoc verbum est, quo ostendit quid ex populi vsu futurum sit: proponitque duo; in quorum altero vitã, meliorem que conditionem promittit, in altero, mortem, atque exilium minatur: mortem quidem, si obstinatò pergant obluctari Chaldæis, à quibus omnia imminent aduersa: vitam autem, si illorum se potestati tradant: quod sæpiùs repetit, & commendat. Sequitur, *Posui enim faciem meam super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum, ait Dominus: in manu Regis Babylonis dabitur, & exurat eam igni* vtique propter peccata. Post hæc ad Regis Consiliarios, atque eos, qui Rempub. moderantur, se conuertit Hieremias Propheta, vt intelligant peccatum totius mali causam: *Domus Dauid*, inquit, *hæc dicit Dominus: Iudicate mane iudicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis: ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum.* Quasi dicat: Audite domus Dauid, si studiò vobis est, à vobis calamitatem, & cædem, & à vestra ciuitate flammam auertere. Infirmam hominum conditionem à potentiori vi, calumnijsque defendite; neque iudiciorum æquitatem, in quam primum quodque tempus impendere debetis, vlla munerum largitione, aut priuata commoditate peruertite: alioqui erumpet sicut ignis indignatio mea, & durum excitabit incendium, quod nulla vis humana restinguet, propter animi vestri cogitationes prauas, & studia peruersa. Et cũ populus putaret, satis se esse munitum contra hostiles machinas, loci natura, & his munimentis, quæ hominum excitauerat industria: idque ipsum publicè prædicaret, dicens: *Quis percutiet nos, aut quis ingredietur domos nostras?* Ad illum sic Deus, vt à spe in saxis, atq; operibus locata dejceret, illis futurum esse certamen, non cum Chaldæis, atque mortali manu, sed secum, cui moles nulla ardua, nulla potentia, insuperabilis est, qui videlicet ipsos visitabit

4. *Exemplum aliud, quo ostenditur, peccata esse causam ruinæ Hierosolymitanæ.*

Hominis iuxta opera sua, messis fructus.

iuxta fructum studiorum illorum: vt quemadmodum seminarunt, ita & metent, iuxta illud Galat.6. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*: qui spinas plãtauerit, aut tribulos, tribulos vtique, atq; spinas colliget: qui peccata seminauerit, stragem, calamitatem, exilium, aut quid peius metet: *Væ impio in malum*, inquit Isaias cap. 4. *retributio enim manuum eius fiet ei.* Væ peccatori, inquit, cui à seuero Dei iudicio paratum est malum: expendet enim pœnas eorum operum, ad quæ impias, & sceleratas manus adiecit. Et propterea Deus Hier.21. post verba, *Visitabo vos iuxta fructum studiorum vestrorum*, subiunxit: *Et succendam ignem in saltu eius: & deuorabit omnia in circuitu eius.* Saltum vocat domos & plateas Hierusalem, quasi dicat: Vos ô Iudæi in loci munitione confisi, post peccatum rogatis, *quis ingredietur domos nostras?* Ego Deus, per Chaldæos, omnia quantumcumque munita, fortia & secreta ad exitum perducam: & vt ignis in syluam immissus peruadit, donec omnia deuoret flamma; ita ira mea in vestra omnia intus & foris sita debacchabitur. Sacrificarant in saltibus Iudæi, atque sub omni ligno frondoso, vt dixit Ieremias cap.2. Habebant in ciuitatis circuitu lucos, & hortos, vbi suas sibi delicias collocarant: tam ergo saltus, & lucos, idolorum sacrificijs incestos, quàm hortos ad animorum laxationem plantatos, & instructos, incendio populandos esse denuntiat; ita vt in valle solida, atque campestri, id est, tam extra, quam intra ciuitatis mœnia, nihil futurũ sit, vel tutum à ferro, vel ab incendio summorum. Ne igitur admirentur contribules se inter Assyrios degere, & Hierosolymam à decore suo excidisse, peccatum est in causa, vt apertè pronuntiauit Ieremias Thren.1.v.6. *Et egressus est à filia Sion omnis decor eius.* Decor multa significat, tam quæ ad honestatem, dignitatemque, quàm quæ ad opes, maiestatemque pertinent. Decorem, & quasi decentiam amisit Sion, cùm ancillarem habitum assumpsit, & pro longa stola, prolixaque lacinia nudauit crura, & quæ honestis, & ingenuis ignominiæ sunt, gentibus reuelauit. Decorem exuit, cùm opes, & diuitias expilarunt exteri, quæ fastus alunt, & quæ vulgus hominum in ornamentis numerat. Quo etiam in numero censentur Sacerdotes, & Principes, quique rem Iudæorum publicam, & sacram administrabant; qui omnes abacti sunt ab vrbe, & in Babylonem ignominiosè traducti. Denique, cùm vasa illa, sacramque supellectilem abduxit hostis, quæ cap.52. latè recenset Ieremias, & vno verbo complexus est Ezechiel c.16.v.39. *Denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenamq; ignominiâ.*

5. Verissimè Hieronymus, aut quisquis Auctor est in Prouerbia apud ipsum lib.1. *Quidquid in mundo, vel bonorum accidit, vel malorum non absque prouidentia; & fortuito casu accidit, sed iudicio Dei, terra nunc fertilis non est, herba siccatur, vis nocet ratione malitiæ habitatorum eius hoc faciunt, ita vt animalia super herbam, & volatilia cæli consumantur, quia in vsum hominum hæc creata sunt omnia.* Res palam est in Adamo, cui ob peccatum dixit Deus Genes.3. *Maledicta terra in opere tuo.* Appositè Anastatius Sinaita lib.11. Anagogicarum contemplat. in exameron, & rectè ponderat: Deum non maledixisse Adamo, licut serpenti, & Caino, sed terræ, & hoc ob peccata, quæ in illa homo erat patraturus. *Non enim dixit, ait, sicut serpenti & Caino, maledictus tu, sed maledicta terra in operibus tuis: in operibus, inquit, tuis, quæ es compacturus, terram adorans, & lapides, & statuas, & eius aquas, & ignem eius in eam tu facies eam maledictam, in doloribus comedes eam, me inducente siccitatem, & sterilitatem, & sæpè famem, ad tuam castigationem, & afflictionem.* Peccante ergo homine maledicta fuit terra, quæ prius erat in statu illo manente iustitiæ, benedicta.

Peccata inhabitantiũ terram desolatam & incultam.

Deus ob peccata terram sterilem reddit.

Idipsum manifestè pronuntiat Regius Propheta Psal. 106. *Posuit*, &c. inquit, *terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* In pœnam peccatorum eorum, qui terram illam incolebant, terram fructiferam, sterilem reddidit, quasi esset operta sale. Exẽplum præsto est Genes.13. vbi dicitur: *Eleuatis Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam, & Gomorram, sicut paradisus Domini* hanc verò terram irriguam, instar paradisi, Deus sulphure, & igne de cælo demisso totam siccauit, & sempiterna sterilitate damnauit, vt legitur in eodem lib.c.19.

6. Isaias Vates cap.5. extrema omnia minatur Iudæis ob peccatum iniustitiæ. *Væ*, inquit, *qui continguis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* quasi dicat: Væ, qui domum domui continenter adiungitis: & agrum agro cum aliorum iniuria copulatis, donec totum occupetur spatium, quod vestræ ambitioni, atque cupiditati deinistis. Nunquid terra vobis propria est, & nõ communis cum alijs, vt à vobis solis habitandam esse existimetis? Sed mox subiungit Propheta: *In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum, Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes, & pulchræ, absque habitatore. Decem enim iugera vineæ faciunt lagunculam vnam, & trigenta modij seminis faciunt modiostres.* Hæc omnia, inquit, quæ vos abscondita esse, atque silere arbitramini, clamant ad me, & in auribus meis perpetuò peccatorũ vestrorũ resonat clamor, vindictam petẽs, & furoré excitans; quem breui sentietis: nam domibus amplis, & pulchris,

Deus peccatis iniustis pœnas ad vindictam rependit.

charis, quas cum aliorum iniuria dilataſtis, & lauto decoraſtis inſtructu, vos ſpoliabo, imò extrudam vel hoſtili ferro, vel ſi illud abſit, ingruente fame: quæ ſic erit angusta, vt ex eo ſpatio, quod decem aratur iugis, tam tenuis ſit futura vindemia, vt vix tantum exprimatur muſti, quantum implere poſſit lagenam vnam: Et ex triginta modiorum ſemente, vix tres exarentur frumenti modij, decima videlicet iacti ſeminis portio.

7. *Impij alios falso aſcribunt clades, cum deberis peccatis.*

Verùm quamuis ſacra pagina apertè pronunciet, à Deo calamitates & afflictiones alicuius patriæ, propter peccata incolarum, dimanare, impij tamen vel mirantur plagas diuinas, vt Iſraelitæ 1. Reg. 4. quemadmodum ſuperiùs alia de cauſa attigimus: vel audacter viris inſtis pœnuriæ aut afflictionis cauſam imponũt. Sic Achab, cùm ob peccatum idololatriæ cælum clauderetur annis tribus, & menſibus ſex, reperiens Eliam Prophetam illi occurrentem, ait: *Tune es ille, qui conturbas Iſraël?* Túne es ille, qui vrgente fame compellis Iſraelem exire domo, ab alienis quærere neceſſaria vitæ ſubſidia? ſed reſpondit Elias: *Non ego turbaui Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecutus eſtis Baalim:* Propter te, inquit, ac parentis tui impietatem, turbatus eſt Iſrael, & ad extremum pœnè ſtatum deductus, quòd veram religionem abieceris, & gentilicos mores, & barbaram impietatem induxeris, 3. Reg. 18. Apud Ieremiam cap. 4. videntur Iudæi idipſum alijs imputaſſe; quia reſpondet illis idé Ieremias: *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi, illa malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum,* quaſi dicat. Quod Chaldæi Iudæam inuaſerint, & expugnauerint, numquam ſanè potuiſſent, niſi quæ intra mœnia graſſabatur iniquitas, & mentem ademiſſet Principibus, & bellatorum inciditſſet neruos, nudamq; propugnatoribus vrbem hoſtibus prodidiſſet. Nam omnia præſidia, quæ parare poteſt humana ſolertia, ſunt proꝛſus infirma, ſi peccatum intus contra pugnet. iuxta illud Iſaiæ c. 1. *Et erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla.* Et paulò antè: *Et qui dereliquerint Dominum, conſumentur.*

Fruſtra igitur homo in alium reijcit cladem, cùm à Dei vindice manu omnia mala pœnæ procedant, qui transferi etiam regna in alios propter hominum iniuſtitias; neque ſancta reſpicit, aut templa ſibi ſuoque cultui dicata, quemadmodum hoc loco innuit Tobias, cùm ait: *Confitere Domino in bonis tuis, &c. vt reædificet in te tabernaculum ſuum,* quaſi dicat: Si templa, ſacraque omnia priſcæ ſanctitati & gloriæ à Deo reſtitui velitis, qui ea prophanari & à Gentibus pedibus conculcari permiſit, in pœnam iniquitatum veſtrarum, conuertimini ad eum, & laudate in operibus

8. *Deus propter peccata hominum etiam ſacra prophanari patitur.*

bonis. Idipſum planiſſimè innuit Ieremias cap. 7. 4. *Nolite,* inquit, *confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt:* Nolite, inquit, falſis abduci pſeudoprophetarum, aut inſipientium vocibus, qui oblatis in templo ab impijs etiam manibus ſacrificijs, omne ſcelus expiari poſſe credunt: neque vobis tam ſit in ore templum Domini, quo ſtante nil arbitramini accidere poſſe contrarij. Et verſu 12. ablegat ipſos Iudæos ad ea quæ contigerunt 1. Reg. 4. Arcæ Domini, quam permiſit à Philiſtæis ignominiosè capi: *Ite,* inquit, *ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſrael. Et nunc, quia feciſtis omnia opera hæc, dicit Dominus: & locutus ſum ad vos mane conſurgens, & loquens, & non audiſtis: & vocaui vos, & non reſpondiſtis: faciam domui huic, in qua inuocatum eſt nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco, quem dedi vobis, & patribus veſtris, ſicut feci Silo.* Si ſcire, inquit, vobis animus eſt, quo loco apud me ſit templum, quod tantam vobis confidentiam parit, ite ad Silo, vbi tabernaculum quondam fuit à Moyſe conſtructum: vbi ego in principio, ſicut in templo poſtea ſtabile mihi fixi domicilium. Ac tandem expendite, quid ego de illa propter populi peccata veſtris quàm ſimillima actum eſſe voluerim. Et nũc, quia talia vobis admiſiſtis ſcelera, qualia veſtri quondam parentes, non maiori vobis erit præſidio templum à Salomone, quàm parentibus antea Tabernaculum à Moyſe conſtructum. Loquutus ſum ad vos multò mane; multò, inquam, antè, quàm inſtaret ab hoſte calamitas, neque dociles admouiſtis aures; vocaui vos, neque me tamen reſponſione dignum exiſtimaſtis. Fiet ergo de domo hac, quæ mei nominis inuocationi dedicata eſt, quæ veſtram tantopere confidentiam alit; & de loco, quem vobis, patribuſque veſtris incolendum dedi, quod olim de Silo.

Arca Dei ob peccata Iudæorum fuit capta à Philiſtæis.

Hæc perpendens Tobias ſenior in primis mandat peccatis aſcribere quidquid aduerſi illis contigerit. Id noſtrarum quoque partium eſt, maximè cùm Deus etiam peccata occultiſſima reſpiciat & puniat: *Ego Dominus,* inquit apud Ieremiam cap. 17. *ſcrutans cor, & probans renes; qui do vnicuiq; iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum:* *Licet,* inquit, in cordibus hominum multæ ſint latebræ, & receſſus abditi, vt illorum conſilia, atque ſtudia ab homine explorari non poſſint; nihil mihi eſt clauſum, nihil occultum: ego enim penitiſſimas cordis cogitationes introſpicio; ego affectus omnes, intimoſque motus intueor, & examino; qui vnicuique iuxta vias ſuas, atque conſilia, & iuxta laborum fructus digna remetior. Hinc maximè San-

9. *Si quid aduerſum accidat, peccatis adſcribendum.*

cti, quos conſcientia de peccato non ſtimulat, æquitatem Dei in ſupplicijs agnoſcunt, vt Tobias noſter c. 3 poſt inflictam cæcitatem: *Quoniam nõ obediuimus præceptis tuis, ideò traditi ſumus in direptionem, & captiuitatẽ, & in mortẽ, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus in quibus diſperſiſti nos.* Daniel c. 9. *Tibi Domine, iuſtitia, nobis autem confuſio facici, ſicut eſt hodie viro Iuda, &c. his, qui prope ſunt, & his, qui procul in vniuerſis terris, ad quas eieciſti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te.* Vnico verbo; Gentilium hoc malum eſt, ſi quid aduerſi contigerit, aut ſe infortunio indignos clamare, aut Deum crudelitatis & iniuſtitiæ accuſare, vel eſt impiorum hominum, qui minimè perſpectum habent, Deum peccata non relinquere impunita; aut minus obſequentium Deo.

Quantum malum indignari in infortunijs.

Ionas cap. 4. cùm minus ſe ad voluntatem diuinam attemperaſſet, arefactâ hederâ, cuius ad vmbram, conſederat, grauiter æſtuaret, rogatus à Domino an rectè iraſceretur, ſummo furoris æſtu inflammatus illi exprobranti furorem illum amarè reſpondit: *Bene iraſcor ego vſque ad mortem.* Satis grauem, & iuſtam exiſtimat iracundiæ cauſam, vt mirum videri non debeat, ſi furor illi, & ex eo dolor vitam eripiat: quaſi magna foret iactura, amiſiſſe arbuſculam vſque adeò infirmam, vt vna nocte creuerit, vſque adeò futilem, vt temporis momento ab vno vermiculo ſuccidi, ac labefactari potuerit. En cur doleat, & iraſcatur Propheta Domini: en cur morte illum animi angorem redimere voluerit. Non conſiderabat à Domino, inſtructionis cauſa, repentinum hederæ interitum proficiſci, vt eum dolentem contra oraculum ſuum parci Niniuitis, per vmbram hederæ, & vermem eam corrodentem corriperet, & erudiret: vt enim ſequitur: *Tu doles ſuper hederam, in qua non laborauiſti, neque feciſti vt creſceret: quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ*, quaſi dicat. Tu doles, ô Iona, quòd herba exaruerit: quid ſi arbor procera, atque robuſta, & nobilium pomorum ferax; quid ſi à te plantata; quid ſi multis annis, magno ſtudio, atque opere exculta; quid ſi ex illa futura tibi non ad cibum ſolùm, ſed ad vmbram, & mille alias delicias futura commoditas? Atqui ego plantaui Niniuen, illam totiam ſæculis conſeruaui, & colui, & ad eam amplitudinem euexi, ad quam, aut nullus, aut pauciſſimi hominum conuentus peruenere. Quæ licet nunc ſpinis horreat, & aridæ ac mortuę videatur eſſe ſimilis, ex illa tamen & capiam poſtea, & nunc etiam capio cum voluntate pœnitentiæ fructus. Nos illo peiores longè ſumus, qui præſenti animo Deum iniuſtitiæ accuſamus, cùm peccata noſtra caſtigat, & inulta non relinquit grauia delicta, quibus iram eius prouocauimus: Ionas autem turbato animo, & ex indiſcreto amore honoris proprij ſic locutus fuit; neque putauit ſe iniuſtum quid optare, cùm vellet Niniuitas etiam pœnitentes exſcindi iuxta ſententiam Dei in eos latam, cùm iudex latronem ſuſpendat, licet pæniteat.

Tobias caſtigatis ſe emendantibus promittit felicia omnia.

Porrò quia hæc conſiderabat Tobias, & hominis murmurationem nihil prodeſſe, hinc hortatur ſuos ad meliorem frugem: & promittit quod quæ ceciderunt, omnia tunc reſtituenda eſſe cùm mutauerint mores, idq; fecerint, quod primi ciuitatis conditores, & incolæ, qui videlicet in diuinas laudes ſeriò & cõſtanter incubuerũt, tunc reædificãdum eſſe templum, quod erat non ciuitatis ſolùm, ſed etiam totius Iudaici generis ornamentum, & ad antiquas ſedes redituros eſſe captiuos, quos in alienum ſolum ex decem tribubus abegerant Aſſyrij.

9. Ex emendatione vitæ proficiſcitur felicitas ſpiritualis & temporalis.

Sed quorſum tam ſeriò & inſtanter ad vitæ emendationem ſuos adhortatur contribules, diſcuſſione dignum eſt. Prima cauſa occurrit, quod à vera contritione, & ſpiritu contribulato dependeat felicior mutatio Iſaias vates hoc ipſum c. 1. grauiſſimis peccatoribus affirmat: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſè. Diſcite benefacere: quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo: defendite viduam: Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quaſi diceret: Si meliorem mentem ſuſcipere, rationemq; viuendi, quem modo præſcribo, tenere volueritis, tollam à vobis incommoda, quæ propter peccata veſtra vobis, rebuſque veſtris inferebantur ab hoſte: neque patiar vt vobis ſimilis ruina contingat; imò & peccata veſtra, quamuis fuerint eiuſmodi, vt deleri poſſe non exiſtimẽtur, quemadmodum è lana non eluitur ſuccus, quem è cocco imbibit; etiamſi millies laues, aut vſu teras: ita tamen ab iis, animus dealbabitur, vt niuis imitetur candorem. Et ſi in vermiculi modum infectus rubeat, reddetur tamen albus tanquam lana munda, quam numquam imbuit aut cocci puluiculus, aut conchilij ſanguis. Præterea, *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Si volueritis, inquit, vitam ſic inſtituere, vt præceptis meis obſequamini, quidquid erit in terra pretioſum & optabile, id vſui veſtro ac commoditati ſubijciam.

Idipſum aſſerit Ieremias cap. 7. *Si bene*, inquit, *direxeritis vias veſtras & ſtudia veſtra; ſi feceritis iudicium inter virum & proximum eius, Aduenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, &*

poſt

poſſi deos alienos non ambulaueritis in malum vobiſmetipſis: Habitabo vobiſcum in loco iſto: in terra quam dedi patribus veſtris à ſeculo, & vſque in ſeculum. Si, inquit, inſtituta, conatuſque veſtros in finem direxeritis rectum, ſi eorum, qui iure inter ſe legitimo diſceptant, cauſam integrè, incorrupteque iudicaueritis. Si viduis, aduenis, & pupillis nulla à vobis illata fuerit calumnia, nulla fraus intenta, ſi in loco hoc abſtinueritis ab innocente ſanguine, neque dijs adhæſeritis alienis, quod vobis perniciem afferat extremam. In hoc ipſo loco in aliud, atque aliud ſæculum vobiſcum habitabo in terra, quam parentibus olim veſtris attribui. Vnde ait Threnor. 3 *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum*; ſed addit: *animæ quærenti illum.* Audi quid dicat Hebræus Sapiens: *Cùm placuerint, vias hominis Deo*, inquit, *inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Cùm, inquit, ad voluntatem Dei homines vias ſuas diſponunt, Deus viciſſim conuertit hoſtium corda, quæ in manu eius ſunt, vt ad pacem inclinentur. Sic Laban & Eſau ob pietatem Iacobi, ei obſequia ſua obtulerũt, Gen. 31. Sic cor Regis Salmanaſar emollijt, vt Tobiæ libertatem concederet: ſic Aſſueri benignum reddidit Eſtheri & Mardochæo, totique genti Iudaicæ; Danieli & ſocijs gratiam conciliauit apud Reges Chaldæorum & Perſarum: Alexandrum proſtrauit coram Iaddo ſacerdote, cuius hiſtoriam videre eſt apud Ioſephum lib. 11. de captiuit. Iudaica, cap. vltimo: Hoſtes Chriſtianæ religionis, etiam ſummos orbis Monarchas non tantum à perſecutione ceſſare fecit, ſed etiam iugo fidei promptiſſimè ſeſe ſubmittere.

Deus ſuæ voluntati ſtruenti ſuos reddit inimicos pacificos.

10. *Ex dilata pœnitentia pullulant infortunia.*

Altera cauſa eſt, quod mala ſuccreſcant, propter dilatam pœnitentiam: quod pluribus in locis per Prophetas palam fecit Dominus, & planiſſimè per Iſaiam Vatem c. 48. vbi inquit ad Iſraelitas: *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. Ego*, inquit, Dominus Deus tuus ſum ille, qui ea doceo, quæ tibi futura ſunt ex vſu quacũque ratione illa confideres, qui in via, quam ingreſſus es, & ita moderor veſtigia, vt nuſquam offendas. Sed quia obijcere potuiſſent: Cur illum ergo in hoſtiles manus, & ludibriũ inimicis tradis, & in æruminoſum, atque diuturnum protrudis exilium, huic obtrectationi occurrit Deus, dicitque non ſibi defuiſſe gubernandi curam, ſed populum illum ſibi, ſuæque libidini potiùs, quàm diuinis monitis obſecutum, indocilem ſe præbuiſſe cæleſti diſciplinæ, ideoque varia incommoda ſubiiſſe, & ſubiectum manſiſſe alieno iugo: *Vtinam*, inquit, *attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia ſicut gurgites maris. Et fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps veteris tui vt lapilli eius non interiiſſet, & non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea.* Quod, inquit, nunc tot tibi, tamque ignominioſa ac dura tibi impendent infortunia, inde natum eſt, quia meis tè conſilijs regi nõ ſinis. Vtinam mandatis meis vtilibus obſequutus fuiſſes ſanè in tuum ſinum inſtar maris influxiſſent, quæ optari poſſent, vniuerſa bona, & præmia, quæ iuſtitiæ tuæ merita compenſarent, tam eſſent ampla, ac plena, quàm pleni ſunt, & ampli gurgites maris. Et in eam multitudinem excreſceret tua progenies, & arenæ maris non eſſet inferior; & qui ex te naſcerentur filij, conferri non immerito poſſent cum fabulo, quod calcatur in littore, neque interijſſet odioſum, & vile filiorum tuorum nomen, neque à me fuiſſet attritum, & à facie mea longè proiectum.

Deus quoque apud Amos Prophetam ca. 4. aſſerit ſe Iudæos percuſſiſſe ſex plagis, ſcilicet, fame, ſiccitate, vento vrente, aurugine, eruca, peſte, eò quod non redierint ad ſe: *Percuſſi*, inquit, *vos in vento vrente, & in aurugine, multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum: oliueta veſtra, & ficeta veſtra comedit eruca: & non rediſtis ad me, dicit Dominus. Miſi in vos mortem in via Ægypti, percuſſi in gladio iuuenes veſtros, vſque ad captiuitatem equorum veſtrorum, & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.* Quod ſi acceperunt, inquit, agri ſerotinæ pluuiæ beneficium, frugeſque ad culmum, & ſpicam adductæ ſunt, cùm certa ſeſe futuræ vbertatis ſpecies offeret, feci, vt ventus perflaret igneus, & vrens, qui vredine, atque aurigine feſtinantes iam ad maturitatem fruges excoqueret, & hiantem agricolarum expectationem eluderet. Hæc frugum calamitas, & peſtis. Neque hortis, ac vineis ſuã quoque lues, atque calamitas defuit. Miſi enim erucam, quæ hortos veſtros, quorum ingens eſt in veſtris finibus multitudo corroderet: quæ vineas, oliueta, ficetaque veſtra popularetur, ac perderet. Neque tamen tot affecti detrimenti detrimẽtis, damnata idolorum inſania, rediſtis ad me. Neque aliter affecti eſtis, aut morbo, aut morte; dum in veſtra, obſtinato conſilio, perſeuerantis inſania, quàm olim Ægyptij, quando contra diuina monita, non animos ſolùm, ſed etiam aures obdurarunt. Qui inter vos erant robuſti iuuenes, confecti ſunt gladio, capti ſunt atque interfecti equi, & teterrimus odor veſtras afflauit nares, quem fœdiſſima caſtrorũ ſtrages exhalabat. Neque tamen, dicit Dominus, perfecit hæc grauiſſima plaga, vt ad me reuocaretis gradum. Deinde ſubiungit ſe eos penè ſubuertiſſe ſicut Sodomam: *Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodomam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.* Denique, inquit, non

aliter

aliter atque Sodoma olim ſubuerſa eſt, ſic eſtis à me iactati, atque ſubuerſi: neque aliam ſpeciem à dura vexatione retuliſtis, quàm habet lignum, quod vſtulatum eripitur à flamma. Neque tamen tam grauis, atque ignominioſa plaga ad fidem, quàm integram conſeruare debuiſtis, & ad patriam religionem reduxit. Vnde dira, & extrema quæque illis intentat, niſi reſipuerint, additque, *Præparare in occurſum Dei tui*, qui videlicet formet montes, creat ventos, & facit matutinam nebulam: Quaſi dicat: Si præteritæ plagæ tibi leues videntur; en ego formans montes, & creãs ventos, &c. te inuadam tanquam eques cataphractus, vires exeram, haſtas telaque mea omnia in te contorquebo.

11. Similia dicit per Aggæum Prophetam c. 2. vbi indignatus quod populus domos priuatas præponeret fabricæ templi, inquit: *Cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fuerunt decem: & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti. Percuſſi vos vento vrente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum veſtrarum: & non fuit in vobis, qui reuerteretur ad me, dicit Dominus.* Et deinceps benedictionem promittit, ſi emendatio ſequatur: *Ponite corda veſtra ex die iſta, & in futurum, à die vigeſima & quarta noni menſis: à die, qua fundamenta iacta ſunt templi Domini, ponite ſuper cor veſtrum. Numquid iam ſemen in germine eſt; & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit? ex die iſta benedicam.* Quaſi diceret: Superiorem repetite memoriam ab illo die, ex quo intermiſſa eſt templi conſtructio, ad illud vſque tempus, in quo continuatum eſt opus, cognoſcetis quænam vera fuerit præteritæ ſterilitatis cauſa. Vt autem vos de continuando opere ſedulam & piam curam ſuſcepiſtis, ſic ego quoq; ero de veſtra commoditate ſollicitus. Et licet nullũ appareat tam in frugibus, quàm in arboribus futuræ fertilitatis indicium; quia neque frumenta germinant, neque arbores florent, ex quo ſumi poteſt de prouentu coniectura. Tamen ex hac die in poſterum fæcunditatem labori veſtro dabit mea benedictio.

11. *Deus peccatores differentes ſemper punit.*

Tertia denique cauſa eſt, quod ex nimiùm dilata pœnitentia omninò timendum ſit, ne Deus planè eos deſerat. Hoc indicat Hieremias Propheta cap. 6. *Erudire*, inquit, *Hieruſalem, ne forte recedat anima mea à tenie forte ponam te deſertam, terram inhabitabilem*: Fac inquit, ô Hieruſalem, vt aliquando attrita plagis diſciplinam accipias, fac meliora vt cogites, ne fortè deſeraris à me ſicut ægrotus cuius à medico deſperatur ſalus. Caue ne eò te indignatus redigam, vt inſtar deſertæ ſolitudinis, & efferatæ ſyluæ à nemine deinceps habitari poſſis. Supplicijs alijs atque alijs, tanquam medicamentis ægro corpori adhibitis, ſanare tentauerat Dominus Iudæos gentem ad proximum iam interitum laborantem: neque tamen illa toties admota medicina morbum depulerat. Cùm ergo Deus videret, longum illud medendi ſtudium ſuſtra eſſe ſuſceptũ, minatur, quod ægroto grauiſſimum videri debet, non iam amplius ſibi de illius ſalute laborandum. Anima enim Domini ab aliquo recedit, cùm neque nouis emollit beneficus, neque virgâ corrigit, & reducit ad officium, ſed proprijs relinquit deſiderijs, permittitque, vbicumque velit, impunè vagari. Quod quaſi ſupplicioru maximum obſtinatis animis minatur, & intentat Dominus. De quo grauiſſima ſunt & Scripturarum oracula, & Patrum teſtimonia lere. 51. *Curauimus Babylonem, & nõ eſt ſanata, derelinquamus eã.* Pſ. 80. *Non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi, & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum.* Ezechiel c. 16. *Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, neque iraſcar amplius.* Gregorius hom. 12. in Ezechielem: *Peccantes quoſque tunc conſideranmus amplius miſeros, quando eos conſpicimus in culpa ſua ſine flagello derelictos.*

Animam Domini ab aliquo recedere, quando

Grauis ſupplicium à Domino datum.

Minatur autem loco Hieremiæ citato præter deſertionem Deus aliud infortunij, quo Iudæis nihil poterat contingere durius, vt illos ab inueterata deterreat peccandi conſuetudine: *Ne fortè*, inquit, *ponam te deſertam, & inhabitabilem.* Amabant illi patriam, & templum, in quo ſuam ſibi incolumitatem, & vitam ab omni aut hoſtium, aut temporum iniuria tutam exiſtimabant, quibus nihil accidere poterat acerbius, quàm templum, & ciuitatem exſcindi, eoque redigi ſolitudinis, vt neque vllum antiquæ frequentiæ, ac gloriæ reliquum eſſet veſtigium. Quod tandem experti ſunt miſeri, quia Prophetarum voce ſæpius admoniti, pertinaci tamen obſtinatione, in eadem ſemper amentia perſtiterunt.

CA-

CAPITIS DECIMI-TERTII

VERSVS XIII.

Luce ſplendidâ fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te.

Verſ. 14. *Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationem habebunt.*

Verſ. 15. *Nomen enim magnum inuocabunt in te.*

Verſ. 16. *Maledicti erunt, qui contempſerint te: & condemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te: benedictique erunt, qui ædificauerint te.*

Verſ. 17. *Tu autem lætaberis in filijs eius, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.*

Verſ. 18. *Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua.*

Verſ. 19. *Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Hieruſalem ciuitatem ſuam à cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noſter.*

Verſ. 20. *Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Ieruſalem.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. Tobias ſenior omnem ſplendorem prædicit Hieroſolymæ, ſi pietatem ſectetur, & inter alia ſpiritu Prophetico enarrat decem tribus, quæ olim terram promiſſionis inhabitarunt, ornaturas, atque adoraturas Hieroſolymam. Nationes, quæ coluerunt alienam religionem, admiratas ciuitatis inſtauratam gloriam, ad illam confluxuras, munera quoque ex ſuis quaſque regionibus adlaturas, quodque terram eius ſanctam exiſtimabunt: quia Deum magnum colit, & eius nomen, & auxilium implorat. E contra verò maledictioni obnoxios fore, qui Hieroſolymam contempſerint: & condemnationi, qui blaſphemam linguam, in eam ſoluerit: rurſum benedictione donandos, qui ad eius reſtaurationem quid contulerint. Vnde ad Hieruſalem ſe conuertens, dicit, quod gaudebit, quia ex omnibus tribubus in captiuitate poſitis maior pars reuerteretur ad eam, & benedictionem à Deo accipiet, & congregabitur ad Dei cultum & gloriam. Deinde precatur ſecunda omnia illis omnibus, qui Hieruſalem diligunt, & cum eâ triumphante triumphant. Ipſe verò lætus cùm futuram patriæ felicitatem contemplatur, gratias agit Deo, quòd afflictum tamdiu Iſraeliticum genus ab innumeris exilij ac ſeruitutis incommodis reſtituet libertati & paci. Cumque in re diuina Hieruſalem aliquid proſpectaret omni ex parte mirificum, quod ipſe præſens videre non poſſet, felicem ſe fore clamabat, ſi ſui ſeminis reliquias, id eſt, ſeram poſteritatem illam tantam Hieroſolymæ gloriam ſpectare contingeret.

SECTIO NONA.

Rempublicam maximè à pietate reddi florentem.

1. *Iudæis Deus legem ſeruantibus promittit omnis felicitatem.*

DOMINVS Deus Leuit. 26. promittit benedictiones Iudæis, ſi leges eius ſeruent: *Si in præceptis meis*, inquit, *ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis: & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem.* Tanta, inquit, erit vobis abundantia frumenti & vini, vt antequam trituram abſolueritis, incipiat vindemia. vindemia viciſſim tanta erit, vt eam non ſitis abſoluturi antequam ſerendi tempus aduenerit; quin imò illa ſementis faciendæ tempus quoque occupabit: *Et comedetis panem veſtrum in ſaturitate,*

tate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, hostes, nec bella metuetis, pauci de vestris multos fugabunt. Tantam vestri curam geram, ac si inter vos ambularem vndequaque & circumquaque, ita vt nullus hostibus vos inuadendi, vel oprimendi locus detur, cùm vndique vos protegens, ac pro vobis pugnans, quasi custos & gladiator potentissimus inambulem. Similia Moyses repetit à versu 1. vsq; versum decimum quintũ

2. *Holofernis irrisus fuit conatus in Bethulienses Deo merito.*

Achior Ammonita Iudith. 5. Holoferni admiranti Bethulienſium reſiſtentiam (Aduocabat vtique Moabitarum, Ammonitarumque Principes, quos Iſraeliticarum rerum non ignaros putabat, à quibus rogat, quid tantum confidentiæ addat Hebræorum animis, vt id moliri audeant, quod aliarum gentium tentauit nemo) pro omnibus vnus, inquam, Achior reſpõdit, dixitque Hebræorum ſpem omnem in Deo ſitam eſſe, quem niſi obſtent, peccata adiutorem habent, & patronum; & contrà, oppugnatorem, & hoſtem ſi in peccatis ſint. Quod multis probat exemplis ex Scriptura ſacra accommodatè ſumptis. Quare nihil timere Hebræos placato Deo; ſperare nihil eodem infenſo. Et tandem concludit non eſſe cur quicquam vtile ſperet Holofernes quantumcumque vires contendat Aſſyrias, ſi Deus propitius ſit Hebræis, & contra nihil eſſe quod ſperare non poſſit, ſi Deus offenſus ab illis patrocinium auertat. Et quantumuis indignè ferrent Magnates Holofernis hoc Achioris reſponſum, experti tamen ſunt Deum in ſumma perplexitate mirabiliter opitulatum Bethulienſibus, qui prece & lachrymis ad ipſum in tanta neceſſitate confugerant.

3. *Tobias prædixit Hieroſolymam à pluribus frequentandam.*

Tobias noſter quoq; magnam à morum emendatione ſpondet concaptiuis ſuis mutationem. Et in primis ſpiritu prophetico, ſplẽdorem & gloriam Hieroſolymæ diu poſt futuram certiſſimè affirmat. *Luce*, inquit, *ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.* Quaſi diceret: Longè aliter continget cùm Hieroſolyma poſt reditũ è captiuitate, quàm ante eum fieri ſolet: tunc admodum pauci eam frequentabant adoraturi Iſraelitæ, idque furtiuè & timidè (vt latiùs deduxi cap. 1. Sect. 8.) nunc autem decem tribus aut maxima pars earum eam frequentabunt, vt adimpleãt præceptum Domini Exod. 23. & Deuteron. 16. eique gratias agant pro beneficiis adeptis ibidem mentionatis. Ad cuius rei intelligentiam obſerua ex S. Scripturæ vſu familiari *omnem terram*, ſeu *omnes fines terræ*, & ſimilia non ſignificare abſolutè, quidquid vbique ſub cælo terrarum eſt, ſed accommodatè ad id de quo eſt ſermo: quam regulam tradidit Hieronymus ad illud Iſaiæ cap. 13. *Et diſperdam omnem terram.* Non, inquit, *totum orbem, ſed omnem terram Babyloniæ, & Chaldæorum. Idioma eſt enim ſcripturæ, vt omnem terram illius ſignificet prouincia de qua ſermo eſt.* Actorum cap. 2. *Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi ab omni natione, quæ ſub cælo eſt.* ab omni nempe natione in qua erant Iudæi. Eſdræ c. 1. ait Cyrus: *omnia regna terræ dedit mihi Dominus*, nempe Aſſyriorum, & Chaldæorum, vbi ipſe regnabat. Sic ergo cùm Tobias dicit: *omnes fines terræ adorabunt te.* De terra loquitur promiſſionis, quam decem tribus habitauerunt olim, à quibus dicit ornandam eſſe, atque adorandam Hieroſolymam poſt reditum quod tamen ante captiuitatem non fiebat, niſi ab admodum paucis, idque clanculum, & cum timore.

Iuxta vſum Scripturæ, Omnis terra, & ſimilia de ea tamen terra dicitur, de qua ſermo eſt.

4. *Secundò prædicit multos ex Gentilibus ſuperſtitioni Iudaicæ cumulatim, &c.*

Secundò prædicit nationes gentiles, quæ alienam coluerunt religionem, Iudæorum religioni acceſſuras: *Nationes*, inquit, *ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum: & terram tuam ſanctificationem habebunt.* Hoc etiam prædixit Zacharias Vates cap. 8. vbi ait, Omnium populorum, atque linguarum futuros eſſe concurſus magnos in Ieruſalem admiratione earum rerum, quæ Hierotol. ab exilio acceſſerunt: *In diebus illis*, inquit, *in quibus apprehẽdent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi: ducẽtes: Ibimus vobiſcum, audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt* id eſt, Eo tempore ex omnium Gẽtium linguis decem (id eſt, plurimi homines) adhærebunt Iudæis; & apprehẽſa eorum lacinia dicent: In eandem nos ciuitatẽ, & religionem ſocios aſſumite. Exploratum eſt enim nobis id, quod iam multo populorũ accepimus rumore, Deum eſſe vobiſcum. Quod autem plurimæ gentes religionis alienæ, iuxta hæc vaticinia, quo tempore Hæbræorum eſt ſoluta captiuitas, illis adhæſerint, non ſolùm ex hiſce prophetiis cõſtat, ſed etiam ex libro Eſtheris cap. 8. vbi poſt mutatam in melius Iudæorũ fortunam (quos omnes neci deſtinarat Aman) & Aſſueri decreto omnes Iudæorum hoſtes miſerè interiiſſent habetur: *Apud omnes populos, vrbes atque prouincias, quocumque regis tuſſa veniebant, mira exultatio, epule atque conuiuia & feſtus dies: in tantum vt plures alterius gentis & ſectæ eorum religioni, & cærimoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.* Cùm enim Gentiles prius captiuos viderent, & ignobiles Iudæos, & ex eorum ſeruili atque ærumnoſo ſtatu Dei quem colebant, potentiam, aut bonitatem metirentur; non poterant ſibi perſuadere, magnum eſſe Deum, aut ſuorum amantem, qui ſuos cultores tamdiu ſqualere, ſeruire, dureque iactari pateretur impunè: cùm alij triumpharent, abundarent opibus, & gloriâ, & tanquam rerum domini verſarentur omnia, & in aliorum vitam habere

Exempla.

ſe

ſe ius, & poteſtatem arbitrarentur. At vbi regio decreto exaltatus fuit Mardochæus, & in meliorem ſtatum adducta Iudæorum fortuna, quod non videbatur ab humana poſſe fieri potentia, tunc obſeruare, & venerari cœperunt, quos cõtemplſſent prius, & illorũ ſeriò, ac verè religionẽ amplecti, quod magno cumulauit renouatos Judæorũ animos gaudio; & deſpectam ante gentẽ ſingulari gloria.

Achior ille, cuius ſuprà mentionem feci, quem ob prædicatam Dei Hebræorum potentiam Magnates Holofernis in Hebræorum caſtra, & ſocietatem contruſerant: vt cum illis ſimul opprimeretur, & reipſa cognoſceret nulli in terris niſi Nabuchodonoſori vim eſſe diuinam, conſiderans quanto miraculo Bethulienſes à tyrannide Holofernis per manum fœminæ Iudithæ liberauerat, abiuratâ patriâ religione, circumcisâ carne Iudaico ritu, Hebræorum ſacra complexus eſt. Quod etiam fecerunt qui ab illo longâ ſæculorum ſerie propagati ſunt: quod clariſſimis verbis ſacra pagina æternitati tradidit Iudith cap. 14. *Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſrael, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſrael: & omnis ſucceſſio generis eius vſque in hodiernum diem.* Eſdræ lib. 3. cap. 5. poſtquam ad menſem ſeptimum confluxiſſe ex aliis locis dicuntur Iudæi, ſtatim additur: *Et conuenerunt ibi ex alijs nationibus terræ & erexerunt ſacrarium in loco ſuo omnes gentes terræ, & offerebant hoſtias, & holocauſtomata Domino matutina.* Quod ſi inchoato templo multæ nationes à genere Iudæorum diuerſæ, vt modus ipſe loquendi indicat, cum Iudæis conuenerunt, vt ſacra Iudæorum obirent, quid facturas fuiſſe gentes exiſtimandum eſt, abſoluto iam templo, & inſtaurata iam antiqua Iudæorum gloria?

6. *Tertio. Quanta fuerit liberalitas externorum erga Hieruſalem.*

Cæterùm rãta erit deuotio ad religionem conuolantium, vt vacui non prodibunt. Hoc prædixit Iſaias Vates c. 60. *Ambulabunt gẽtes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.* q. d. Ad illud lumen, quod in te fulgebit, gẽtes vndecumq; conuolabunt, tanquam ad pharum in portu lucẽtem Nautæ ſalo iactati: & ad ſolẽ, qui in tuis orietur finibus, Reges etiam, & Principes accedent. Et in luce iam ambulabunt illi, qui priùs læſis, fallacibuſque veſtigiis errabant in tenebris. Et quaſi res præſens eſſet, ſubiungit: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Demùm addit quale gaudium erit cùm viderint cum muneribus Gentiles vbertim aduolare: *Tunc videbis*, ait, *& afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* quaſi dicat. Cùm circumſtare videas ſobolem numeroſam, tunc exultabis gaudio: & animus quondam tuus mœrore contractus, & anguſtus, rerum viciſſitudine, dilatabitur. Quando innumera populorum multitudo, & Gẽtium diuitiæ in maris ſimilitudinem in tuum tibi ſinum immigrauerint. Ea frequentia venient ad te cameli qui filios tuos, & opes in tuum vſum regias compottent; atque ea feſtinatione properabunt, vt inſtar habeant inundantis maris. Venient ad te ex Madian, & Epha, venient ex Saba dromedarij ferentes id. quod in illis regionibus in pretio, atque in honore eſt: aurum videlicet, & thus, quæ omnia tam libenter offerent, vt ad oblata munera, vocis quoque modulationem adiungant, & diuinæ maieſtatis præconia. Hoc eſt quod à Tobia hic quoque prædicitur de Hieroſolyma cùm ait: *Et munera deferentes, adorabunt in te Dominum.*

7. *Quid externi Reges contulerint ad fabricam templi.*

Quàm autem externi reges magno ſtudio & liberalitate Ieroſolymam complexi ſunt, donis ornauerint, & in eius reſtaurationem incubuerint diligenter, videre eſt 1. Eſdr. 1. vbi Cyrus Rex Perſarum cùm primùm Chaldæorum imperium occupaſſet, vt gratias referret Iudæorum Deo, cuius beneficiis referebat acceptum, quod dominaretur, & viueret; facultatem conceſſit omnibus, qui ex Iſraelitico genere in regionibus ſibi ſubiectis morabantur in patrios fines liberè remigrandi, & inſtaurandi templi, quod Chaldæorum manus antè ſubuerterant. Quoque iter illud longum poſſent conficere commodius, edixit aliis, qui mallent in loco, vbi diu inueterauerant, permanere, vt profecturos in patriam, argento & auro, & reliquis vitæ profectioniſque ſubſidiis adiuuarent: quod fecerunt amicâ, & liberali manu. Et Rex ipſe pro ſacræ ædis familiari miniſterio, omnia vaſa aurea, atque argentea, quæ Nabuchodonoſor in templi, vrbiſque direptione multo ante ſuſtulerant, magnâ liberalitate reſtituit, vt palam eſt à verſu 7. vſque finem cap. 1. l. 1. Eſdræ Darius 1. Eſd. 6. vbi cõfirmauit Cyri decretum, quod ab Artaxerxe, qui Cambyſes eſſe creditur, ſublatum fuerat, ſic ait ad Præpoſitos, qui ſunt trans flumen: *A me præceptum eſt, vt de Arca Regis, id eſt, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſè ſumptus dentur viris illis* (Ieſu & Zorobabeli) *ne impediatur opus.* Deinde iubet vt dentur victimæ, & quæ in templo iuxta legem offerri ſolent. Quod ita decreuit auidè, vt ad extremum adiecerit: *A me ergo poſitum eſt decretum, vt omnis homo qui hanc mutauerit iuſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur.* Et ibid. cap. 7. Ar-

taxerxes non minori ſtudio, ac liberalitate præcepit vt præfecti trans flumen de theſauro Regis expenderent, quantumcumque neceſſe eſſet ad domum Dei: & præfecti ijdem, qui ad Darium, & Artaxerxem ſcripſerant de impedienda templi, murorumque fabrica executi Regium imperium, neceſſaria contulerunt ad illam abſoluendam. Idem lib. 2. Eſd. cap. 2. ampliſſimam Nehemiæ inſtaurandæ ciuitatis facultatem & ſubſidium præbuit. Quàm fuerit in Iudæos & templum munificus Alexander docet Ioſephus lib. 11. Antiquit. cap. 8.

8. *Quarto. Hieroſolymam etiam ab inimicis eſſe prædicandam.*

Demùm prædicit Tobias noſter ſenior, quòd Gētes Hieroſolymam *in ſanctificationem habebunt*, ſeu templum & locum, vbi ipſius maieſtas celebratur, ſanctum credent, Hoc maximè cōfirmat diuinæ maieſtatis gloriam, ab iis qui alienam religionem coluerūt etiam locum ſanctum declarari, vbi Deus Iudæorum colitur. Moyſes Deuteron. 32. planiſſimè aſſerit Deum verum à falſis diſtingui diis, quòd his teſtimonium perhibeatur tantum ab amicis, Deo vero etiam ab inimicis: *Non enim, inquit, eſt Deus noſter vt Dij eorum; & inimici noſtri ſunt iudices.* Falſorum Deorum, inquit potentiam domeſtici tātum, eorumque adulatores & fautores commendant; veri autem Numinis maieſtatem, & poteſtatem etiam externi, & aduerſarij, & perſecutores veritatis admirantur & confitentur. Quod dixit Moyſes, euidenter patet in Nabuchodonoſore. Quis eo ſuperbior? quis magis veri Numinis contemptor, quam ille qui ſpreto Deo voluit imaginem ſui ipſius auream cultu latriæ adorari? Sed poſtquam animaduertit tres pueros fornaci nimium accenſæ immiſſos minimè læſos, ſed ſolutos diuino miraculo, Dei gloriam magnificare, ſingularis extitit eiuſdem Numinis prædicator: *Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Miſach & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſeruos ſuos, qui crediderunt in eum; & verbum Regis immutauerunt: & tradiderunt corpora ſua, ne ſeruirent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo ſuo,* Daniel. 3. Vbi & fidem ſeruorum erga ſuum Dominum, & beneuolentiam Domini erga ſuos ſeruos non mediocriter commendat. Et ſtatim: *A me ergo poſitum eſt hoc decretum, vt omnis populus tribus & lingua, quecumque loquuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach & Abdenago, diſpereat, & domus eius vaſtetur. Neque enim eſt alius Deus, qui poſſit ita ſaluare.* Ibid. verſ. 96. Vbi verum Deum non modò laudat, ſed etiam laudandum omnibus proponit, & maiora in diuinæ, quàm in regiæ maieſtatis violatores ſupplicia decreuit: nam Regis contemptores paulò antè in perſonis tantum propriis, miſſis in fornacem ignis puniebat: nunc autem contemptores Numinis & in perſonis propriis, & in omnibus eius domeſticis deuaſtari iubet: *Diſpereat, inquit, & domus eius deuaſtetur.* Nec verbis tantum, ſed ſcriptis etiam ſuum decretum conſignat, datis ad omnes literis, in hæc verba: *Nabuchodonoſor Rex omnibus populis, gentibus & linguis, qui habitant in vniuerſa terra, pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus. Placuit ergo mihi prædicare ſigna eius, quia magna ſunt; & mirabilia eius, quia fortia; & Regnum eius, Regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione & generationem.*

Falſi Dei ab amicis tantum; Deus verus etiam ab inimicis commendatur.

Firmum hoſtium teſtimonium.

Ad hunc modum Dei Maieſtatem magis prædicat, quod conuerſi ad Iudaicam religionem locum etiam ſanctum æſtiment, ſicut Deum ſanctum & magnum cognoſcunt, qui mirabiliter ſuos è captiuitate liberat. Atque hinc in nouo Teſtamento magis Deum prædicaſſe creditur Thomas dubitando, quàm beata Virgo credendo. Ille dubitabat, an Chriſtus verè reſurrexiſſet à mortuis; vnde dicebat: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. non credam,* Ioan. 20. & poſtquam intuliſſet digitum in latus, dixit Dominus: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.* Quibus verbis confeſſus fuit veram Chriſti reſurrectionem: nam, D. Auguſtino teſte, ſerm. 115. de temp. aliis Apoſtolis in Symbolo alios articulos conferentibus; D. Thomas contulit illum qui eſt de Chriſti reſurrectione; *Tertia die reſurrexit à mortuis.* Cur voluit Deus illum reſurrectionis ſuæ prædicatorem? Ratio manifeſta eſt, vt eo maior eſſet prædicationis fides, quo maior fuerat infidelitas prædicantis. Aliorum Apoſtolorum, qui hunc Articulum ſtatim crediderunt, ſuſpecta foret de illo prædicatio; at verò Thomæ, qui illo toto octiduo negauerat, locupletiſſimum teſtimonium videretur. Quis enim non crederet inimico, ipſam, quam negauerat, veritatem confitenti? Vnde eſt illud D. Gregorij hom. 26. in Euang, *Plus nobis Thoma infidelitas ad fidem quàm fides credentium diſcipulorum profuit.* Mirabilius eſt illud Haymonis: *Plus nobis profuit dubitatio Thomæ, quàm certiſſima fides Mariæ.* Hanc enim proterui homines, vt pote matris, ſuſpectam dicerent: illam, vt pote aduerſarij, incorruptam iudicarent.

9. *Thomas reſurrectionis negator, illius officium concionatoris quæritur.*

D. Cyrillus Ieroſolymitanus exiſtimat Spiritum ſanctum ſimili de cauſa permiſiſſe vt Apoſtolus Paulus multas conſcriberet epiſtolas; alij Apoſtoli paucas: *Miratus ſum,* inquit, *ſanctū Spiritus diſpenſationem, quod aliorum quidem epiſtolas parua numero conſcripſit: Pauli autem antea ſuperſecutoris quatuordecim eſſe conceſſit. Nec enim eo quod minor eſſet Petrus, aut Ioannes, præcidit gratiam. Abſit: Sed quod dubia non eſſet doctrina illius, qui antea eſſet inimicus & perſecutor; plura conceſſit illum ſcribere: vt omnes ſic nobis facilius perſuadeamus:*

D. Paulus plura reliquit fidei teſtimonia, vt perſecutor.

mur: Stupebant enim omnes de Paulo dicentes: Nonne hic eſt, qui prius perſequebatur? Act. 9. v. 2.

10. *Vtilitas pietatis in Deū*

En quanta nobis bona, quaſi ab vbere fonte emanant à pietate in Deum: Captiui liberantur, vaſtata reſtaurantur, templum muneribus copioſis floridum reuiuiſcit, gentium infinitus numerus religionem ſacram complectitur, & quod deteſtatus, fuit ſacro cultu, deuotione & muneribus prædicat. Vnde ſalubriter ad pietatem maximè hortatur Apoſtolus: *Pietas*, inquit, *ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* Huc omnia ſpectabant, quæ à Tobia prædicuntur. nam quæ de Hieroſolyma hiſtoricè conſcribuntur, de Eccleſia typicè intelliguntur; ad quam proſelyti ex variis nationibus in die Pentecoſtes Act. 2. leguntur confluxiſſe; muneribus ampliſſimis donatã eſſe & Iſaias Vates & Tobias prædixerunt, & hiſtoriæ prodiderunt: ſanctum etiam locum habitum, vbi Chriſtus paſſus eſt, refert Baronius Anno Chriſti 34. num. 140. *Terra ipſa*, inquit, *quæ Domini adiacet ſepulchro, diuinam quamdam ex Dominico corpore proximè, poſito virtutem hauſit, vt meritò fideles illuc peregrinantes auidè ſolerent accipere, quæ tum ad morbos curandos, tum etiam ad dæmones perfugandos vti conſueuerint.* Et huius rei locuples teſtis eſt ſanctus Auguſtinus, dum lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. hæc ait de Heſperio viro Tribunitio: *Acceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam de Ieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit, eamq; ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At vbi domus ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat. Fortè accidit, vt ego, & collega meus Epiſcopus Sinitenſis Eccleſiæ Maximinus in proximo eſſemus, vt veniremus rogauit, & venimus, cumq; nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationi locus fieret, vbi etiam poſſent Chriſtiani ad celebrandum, quæ Dei ſunt, congregari.* Hæc Auguſtinus. Loca autem ſacra haberi, vbi ſacrificiis Dei maieſtas colitur, tam eſt manifeſtum, vt nullius calculo indigeat.

Prædicta à Tobia de Hieroſolyma, typicè ſunt de Eccleſia.

Terra Hieroſolymitana mira efficacia, & ſanctitatis habita.

SECTIO X.

Qualiter maledictionem experiantur maledicentes Hieroſolymæ vel templo, & benedictionem ei benedicentes.

1. *Deus ob peccata hominum ſimpliciter maledicit creaturis irrationalibus.*

DOMINVS Deus ob peccata ſolet tripliciter creatoris irrationalibus maledicere, vt inquit Gratianus cap. *Eccleſia* 1. q. 4. §. *his itaque*. vbi habetur: *Inſenſibilia & irrationabilia peccato hominum vel execrantur, vel anathematizantur, vel morte perduntur, non participatione*

peccati, ſed cauſa ſacramenti, vel deteſtatione peccati, vel flagello delinquentium. Quod dicit, tale eſt. Cauſa ſacramenti, ſeu figuræ Deus aliquando maledicit irrationabilibus creaturis, vt deſignet quàm pœnam homo peccator meritus ſit, quamque deteſtanda fuerint eius ſcelera. Sic muri Iericho tanquam à Deo maledicti corruunt, ciuium theſauri in Iericho anathematizati leguntur. Ægyptiorum poſſeſſiones grandini traduntur, iumenta, & primogenita morte conſumuntur. Kurſum in figuram & deſignandum quid homini euenturum ſit eiuſmodi creaturis aliquando maledicit Deus, quemadmodum Matth. 21. infrugiferæ ficui ſubitò maledixit Chriſtus, vt diſcipulis iam moriturus oſtenderet ſe rerum dominum, & poſſe tam facilè ſe omnium inimicorum vires vno nutu conterere, ſi mori iuberet, quàm ficum arefacere. Aut clarius; maledicendos Iudæos, qui folia cærimoniarum inanium nullos veros veritatis fructus haberet, quamuis triennio verbis & miraculis Chriſti edocti. *Primò.*

Secundò.

Secundò ſolet Deus maledicere dictis creaturis ob deteſtationem peccati, vt patet Leuit. 26. & Deuteron. 28. vbi Dominus minatur negligentibus legem ſuam maledictionem horrei; fructus ventris, fructus terræ, armentorum, boum ſuorum, & gregum ouium ſuarum. Sic Arca Dei capitur 1. Reg. 4. nauicula Ionæ periclitatur.

Tertiò.

Tertiò, inquit Gratianus flagello delinquentium, id eſt, ad puniendum delinquentes irrationales creaturas Dei maledictionem experiri. Sic etiam expertus eſt Adam poſt peccatum, vt ipſi laboranti & ſudanti paucos daret fructus, imò ſæpè tribulos & ſpinas. Similiter filius eius Cain patrato fratricidio. Dixit enim illi Deus: *Cùm operatus fueris eam* (terram) *non dabit tibi fructus ſuos.* Vide plura in hanc rem vtilia toto Diſcurſ. 12. in VIII. Præceptum.

2. *Rebus inanimatis ex inuidia, ſeu contemptu Dei maledicentes grauiter puniuntur*

Quod autem Deus iuſta de cauſa in creaturis punit, (quo etiam iudices nomine Dei vrbes aliquas iuſtè puniũt) hoc in peruerſum æmulantur maligni homines, qui iuſtorum felicitati inuidentes, quantum in ſe eſt, creaturis inſenſibilibus & irrationalibus veluti ciuitati, ſub qua ciues comprehenduntur, maledicunt, Aut turſum ciuitati vel templo propter Deum maledicunt, blaſphemiis inceſſunt, & impetunt, diris deuouent, & quatenus poſſunt armata manu, eorumdem ruinam moliuntur. Quæ propterea non nuda exiſtit maledictio, ſed in Deum blaſphemia, & quatenus fieri poteſt, aduerſus ipſum bellum adoritur, qui eſt eiuſmodi. De talibus prædicit hoc loco Tobias, quod quouſque ſui pietatem ſectabuntur, & tales aduerſarios cõtingat experiri, qui vrbem & templum ma-

ledictis inceſſant, blaſphemiis imperant, Dei vindicem manum non enaſuros, quod Deus paratus exiſtat in defenſionem bonorum pietatem ſectantium tales durâ manu compeſcere vel è medio tollere: *Maledicti*, inquit, *erũt, qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te.* Vbi ex duplici capite inſinuat hoſtes eorum fore maledictos, nempe ex contemptu ſeu maledictione, & blaſphemia.

3. *Probatur exemplis.*

Id manifeſtum euadit ex iis, quæ ante hiſtoriam hanc Tobiæ, & poſt eam contigerũt. Ieroboam ex humili ſtatu euectus ad regnum, per fas & nefas ſtuduit Imperium ſuum ſtabilire. Itaque cùm meueret ne ſi populus ſacrificij cauſa quotannis adiret templum Domini in Ieruſalem ſenſim conuerteretur ad Roboam Regem Iuda, & ipſe regnum amitteret, ipſo facto contempſit Hieruſalem Deumq́; blaſphemauit, aſtutum in ſpeciem excogitauit conſilium, quo hoc impediret, formatis & in Deos erectis duobus vitulis aureis, & excitatis phanis in Dan & Bethel, illis idolis ſacrificare. Quid hoc aliud erat, quàm bellum contra Deum ipſum mouere, & creaturas turbando, Deum ipſum blaſphemiis laceſſere? Sed durè hoc illi conſtitit. nam propter hanc cauſam *euerſa eſt domus Ieroboam, & deleta de ſuperficie terræ*: vt habemus 3. Reg. cap. 13. Regnauit ipſe annis viginti duobus non ſine multis doloribus & incommodis. quo mortuo cùm Nadab filius ſucceſſiſſet, & vix biennium obtinuiſſet Imperium, vitâ pariter & regno à ſeruo ſuo, Baaſa nomine, priuatus eſt. qui mox omnem familiam Ieroboam ita deleuit, vt ne vnus quidem eſſet reliquus. Hoc ipſum Dominus ei per Prophetam minatus fuerat.

1. *Ieroboam.*

Item Baaza, ac Achabi & Iezabelis.

Baaza, qui poſt Ieroboam eiuſque filium Imperium Iſraeliticum tenuit, ipſorum exemplo nihil melior factus, ſed perſiſtens in idololatria ſimile excidium expertus eſt. Idem poſt aliquot annos ob idololatriam aliaque ſcelera cõtra Deum & templum accidit Regi Achab & vxori eius impiiſſimæ Iezabel. Nam & ipſe Achab poſt triennalem & ſemeſtrem ſiccitatem, aliaſque calamitates, in prælio contra Syros eſt occiſus; & poſt mortem eius, Iehu dux militiæ à Deo excitus, filium Achab Othoziam regni ſucceſſorem interfecit, & omnem progeniem eius è medio ſuſtulit, & Iſabel Reginam è ſublimi præcipitatam canibus deuorandam obiecit. Quæ non paſſus eſt Pharao, cùm à ſacrificiis deineret populum Iſraeliticum, & in obſtinatione perſiſteret? Horrendam ſanè clauſulam vitæ cum ſuis habuit.

4. *Hiſtoria Sennacherib*

Nota eſt hiſtoria Sennacherib, & quãtam ille blaſphemiam euomuerit per legatum ſuum Rabſacem contra Deum, vt obtineret Hieroſolymam: Deum enim Iſrael cum Dijs Gentium, qui nihil aliud ſunt quàm dæmonia, comparauit: *Nec conturbet vos*, inquit, Ezechias *dicens, Dominus liberabit nos. Numquid liberauerunt dij gentium vnuſquiſque terram ſuam de manu Regis Aſſyriorum? Vbi eſt Deus Emath, & Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim? Numquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quis eſt ex omnibus Dijs terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea, vt eruat Dominus Hieruſalem de manu mea?* Quaſi diceret: Ne moueat vos Ezechias hæc ingeminans: Dominus pugnabit pro nobis, Dominus liberabit nos. Nulli Dij Gentium poterunt ſuos ciues, & cultores liberare de manu Sennacherib. Circumſpicite ciuitates omnes Aſſyriorum virtute debellatas; ac exquirite an pro ſuis ſtare potuerint contra Regis potentiam. Numquid Iudæorum Deus maius aliquid molietur, aut conferet, quàm Gentium aliarum implorata, & Aſſyriorum auſpiciis ſuperata numina? Minimè. Ad quam blaſphemiam Iudæorum legati ex Ezechiæ præſcripto nihil reſponderũt ſed Rex ipſe cum accepiſſet à legatis, qualiter eſſet res cùm Aſſyrio tranſacta, ſcidit, vt in dolore ſolet, veſtimenta ſua, & ſacco veſtitus cilicino in domum Domini ſupplex ingreſſus eſt, & miſit legatos, quos antè ad Rabſacen mandarat, & ſeniores de ſacerdotum ordine obuolutos ſacco ad Iſaiam Prophetam; qui Ezechiæ nomine hæc ad ipſum detulerunt: Ad extremum diſcrimen res videtur deduci Iudaicæ; & in eo laborate ſtatu, in quo mulier, quæ cùm proxima ſit partui, vires tamen non habet ad ædendum fœtum. Qui rerum articulus non procul abeſt ab interitu. Ora ergo Dominum, ô Iſaia, pro reliquiis populi, quas Rex impius, & potens ad eadem exquirit. Si quomodo Deus impios, & audaces ſermones puniat, quos locutus eſt Rabſaces; quem Rex Aſſyriorum eo miſit conſilio, vt linguam acueret procacem, & impiam contra Deum viuentem, cuius ipſe ſermones præſẽs audiuit. Sed audi qua ratione Dominus cõſolatus ſit Ezechiam Regem, ne vereretur inflata verba, quæ ore ſacrilego Aſſyrij Regis legatus contra nomen ſuum, & gloriam effutierat: *Ecce ego dabo ei ſpiritum*, nempe timoris, *& audiet nuncium, & reuertetur ad terram ſuam, & corruere eum faciam gladio in terra ſua.* Prædicit ſe immiſſurum in Senacherib metum & animi conſternationem, qua ab obſidione Hieroſolymæ deſiſtat, vti fortè olim perturbationem iniecit in Chananæos, ne perſequerentur Iacobum, Geneſ. 35. & ne reſiſterent Hebræis aduentantibus Exod. 23. & in Syros obſidentes Samariam 4. Reg. 7. Deinde auditurum nuncium, qui videlicet eum ab obſidione ſubmoueat. Sic cùm Saul cingeret vndique Dauidem, vt nullum pate-

Deum Iſrael contemnitis, ſimilis clades.

ret

ret effugium, Deus misit ei nuntium dicentem Philistæos irruere in fines Israel: quare à Dauide auocatus est coactusque regredi ad suos fines tuendos. Denique reuersum in patriam suorum gladio occumbendum. Hæc Dominus ostenderat Isaiæ antequam accederent ad ipsum legati Ezechiæ, vt sciret quid Regi esset respondurus Rabsaces. Sennacherib nihilominus instat, & potestatem suam non solùm vltra Gentium Deos, sed etiam Deum Israel extollit in litteris per legatum Ezechiæ dandis. Quibus acceptis è nuncium manibus Ezechias; atque perlectis, in templum ascendit, & illas ante faciem Domini explicuit, & expandit, multisque verbis Dominum deprecatus est, vt ab illo periculo defenderetur, quod Assyrius minabatur, & intentabat; vt omnes videlicet intelligerent ipsum verum & solum esse Deum, quem non impunè blasphemârit, atque exprobrârit Sennacherib. Quem iterum Isaias per internuncios consolatur, & confirmat à metu, primùm seuera denuncians Sennacherib, quem, ac si coram adesset, terribili vaticinio compungit, nempe, quòd Deus illum in patriam ita reducet, quemadmodum bubalus ad aratrum trahitur, seu plaustrum affixo naribus circulo, aut ad sarcinas asinus, vers. 29. cap. 37. cit. Isa. Deinde secunda omnia promittens Ezechiæ, & Hierosolymę multam & magnam felicitatem enarrans, & inter alia quod *non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam: & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem*, &c. Quod Deus tũc per Isaiam promittebat Ezechiæ, id biennio exacto post peractam Æthiopicam expeditionem compleuit. Nam cùm victrices copias ad obsidendam Hierosolymam retulisset Assyrius, Angelus Domini aggressus eius castra, centum octoginta hominum millia percussit, in quæ cùm ortâ iam luce, ingrederentur Iudæi, nihil ibi, præter mortuorum cadauera repererunt. Quam cædem cùm Rex Assyriorum Sennacherib effugisset, in patriam, vnde venerat, reuersus est; habitauitque, vt antea in Niniue, Regia sede, & totius regni metropoli. Accidit autem, vt non pridem ab illa fuga, in templo inter adorandum Deum suum Nesroch, filiorum gladio miserè animam efflauerit. Sic Deus blasphemam linguam compescuit, & Hierosolymæ maledicentem puniuit.

5. *Quidam Hierosolymæ hostes infelicissimè moriun.*

Similia contigerunt Hierosolymæ postquam ad meliorem statũ reuocata est. Nam multi qui illam bello tentarunt, aut Hebræorum religioni insultarunt audaciùs, quasi à Deo maledicti, aut è cælo percussi sunt, aut fædè perierunt. Testis est Antiochus, qui suis, ac sibi odiosus interijt, quia neque alij, neque ipse ex vlceroso corpore tetrum halitum tolerare poterant. Testis Heliodorus, quem aliquid contra templi sanctitatem impiè meditantem cælestis plaga percussit, & terruit. Testis Holofernes, cuius armata Deo fœminæ manus impium caput exacuit. Multa ex libris Machabæorum occurrent exempla, quæ prudens omitto.

6. *Qui Ecclesiæ persecuti malè periũt.*

Verùm enimuerò sicut Deus typicè tutatus est Hierosolymam, & templum, cùm meliora sequerentur studia Iudæi: sic persecutores Ecclesiæ omnibus penè sæculis mulctauit, impietatis eorum tristia relinquens, & horribilia documenta. Qui verè appellari possunt maledicti, quia diuinitus inflicta plaga, quasi hostes diuini nominis fædo, atque diro mortis genere perierunt. Primus Ecclesiæ persecutor Herodes Act. 12 consumptus à vermibus expirasse dicitur; & alia quædam horribilia, ac fœda de eiusdem interitu tradidit Iosephus libr. 19. Antiq cap. 7. Quomodo Maximianus & Maximinus tabe consumpti fuerint, & vermibus vide Eusebium de vita Constantini lib. 1. cap. 51. Iulianum apostatam occisum esse diuinitùs satis notum est, quem etiam communi caruisse sepulchro, vt porcè à terra, quæ se sponte aperuit absorptum docet Nazianzenus oratione in Athanasium. Quantas cladis fidelibus intulerint Wandali Ariani; eorumque Rex Hunericus, videre est apud Victor. Vticens. tribus libris, quos de persecutione Wandalorum scripsit. At quis finis? Hunericus diu sanctorum sanguine pastus, tandem à dæmone correptus proprijs se morsibus laniauit ait Gregor. Turon. atque vt auctor est Victor Vticens. patefacto in secretioribus partibus corpore, scatẽs vermibus expirauit. Aistulphus Longobardorum rex grauiter, diuque vexauit Ecclesiam, fideles occidit, destruxit templa, fidem datam rupit, minatus est se omnes Romanos vno gladio iugulaturum: minatus est & Stephano Papæ ac Pipino, tandem Romam obsedit. At quis finis? Audi Anastasium: *Infelix*, ait, *Aistulphus quodam loco in venationem pergens, diuino ictu percussus defunctus est* anno Domini 756. Quo mortis genere planè horrendo, ac diro, quidam nostro tempore hæreticorum principes interierint, docuit Bellarminus lib. 4. cap. 17. de notis Ecclesiæ.

Exempla.

Qui igitur fidem Christianam oppugnant, sibi interitum parant adeò certum, vt illa ipsa oppugnatio sit euidentissimum damnationis argumentum. Hoc planissimè insinuauit diuinus Apostolus, qui contra eiusmodi persecutores animãs Philippenses cap. 1. Epistolæ ad eosdem, inquit, *In nullo terreamini ab aduersarijs: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo.* Nihil verius: fidei enim ac religionis hostes, sunt veluti flagella, quibus

Fidei Christiana inimici, interitui proximi.

plerumque vel pueri etudiuntur, vel plectuntur serui, quæ deinde conijciuntur in ignem. Vnde Moyses Deuter. 32. vult Gentes laudare populum Dei, quòd Dominum habeat, qui hostes eius vlciscitur: *Laudate*, ait, *Gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum.* Atque vt omittam Pharaonem, Seon, & Og, Reges populo Israelitico infestissimos, de quibus multa Dauid Psalm. 134. & vt taceam Ægyptios, Babylonios, Assyrios, Medos, Moabitas, Philistæos, Antiochos, & Herodes Reges dignis supplicijs mactatos, vt sacræ literæ tradiderunt: denique, vt nihil dicam de Dathan, & Abiron, de quibus in libro Numerorum cap. 16. & de Iezabel, de qua in libris Regum 4. Reg. 9. 16. ipse Iudæorum populus, qui aduersus Christum, & Christi discipulos tam hostiliter desæuiit, adeò graui supplicio diuinitus affectus est, vt propè humana fide maiora sint quæ de illo narrant historici, quorum quædam superiùs recensui.

7. Vides mi Christiane, quàm durum sit contra stimulum calcitrare. Malum est alicui maledicere, vt dixi latè Discursu. 11. & 12. in VIII. Præceptum; quid erit de illo, qui columnam, & firmamentum veritatis concutere satagit maledictis & blasphemijs? seipsum conficiet. Planè ita est. Nam Ecclesia persecutionibus potius crescit, quàm deficit. Vt enim aquæ diluuij palatia Regum obruebant, atque dejiciebant, arcam verò Noë semper magis ac magis attollebant: ita persequutiones regna temporalia facilè destruunt; Christi regnum, quòd est Ecclesia, non modò non destruunt, sed etiam illustrant. Vnde rectè ijs congruit, quod Romanus Sapiens verissimè olim dixit contra virtutis osores: *Vos quidem*, inquit, *qui virtutem, cultoresq; eius odistis nihil noui facitis. Nam & Solem lumina agra formidant, & aucrsantur diem splendidum nocturna animalia, quæ ad primum eius ortum stupent, & latibula sua passim petunt, abdũtur in aliquas rimas timidas lucis. Gemite, & infelicem linguam bonorum exercete conuitio. instate, commordete: citius multò frangetis dentes, quàm imprimetis.*

Ecclesia Dei persecutionibus potius crescit quàm deficit.

Seneca de Vita beat. 21.

Simile.

8. Aliò igitur studia vestra conuertite, vt benedictionem Dei consequamini. Nostis quid Deus dixerit Abrahæ: *Benedicam*, inquit, *benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi*, Genes. 12. Nostis quid ad Iacobum Isaac, Genes. 27. *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Quid inuitus, Deo inspirante, Balaam de castris Israelis pronuntiauit? *Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus; qui maledixerit, in maledictionis reputabitur.* Idem multò magis de fautoribus Ecclesiæ credite. Historiæ clarissimè manifestant quanta adfuerit diuinitus fælicitas Ecclesiam propugnantibus. Notæ sunt in primis victoriæ in Testamento veteri Abrahæ, Mosis, Iosuæ, Gedeonis, Samuelis, Dauidis, Ezechiæ, Iosiæ, Machabæorum. Mirabilis fuit felicitas Abiæ Regis Iuda, contra quem venit Ieroboam cum octaginta millibus: ille se imparem videns tantæ potentiæ, cum suis ad preces confugit; quibus diuinam opem implorantibus, Deus immisso terrore exercitum Ieroboam in fugam compulit, quem insecutus Abia, quinquaginta millia occidit, & multas ciuitates hosti ademit. Maiorem longè victoriam obtinuit Asa. Mouerat illi bellum Zara Æthiops, maximo exercitu, in quo decies centena millia armatorum, in eum producto. Huic tanto exercitui Asa etsi viribus longè inferior obuiam prodit diuino fretus auxilio: cumque instructa acie Deum supplex inuocaret, exterriti sunt diuinitus Æthiopes, & in fugam acti. Fugientes persecutus Asa cum suis vsque ad internecionem deleuit, infinitis spolijs ditatus. Nec minus miranda victoria Iosaphat, qui sua pietate maximum exercitum ex tribus gentibus numerosissimis, Ammonitis, Moabitis, & Idumæis conflatum absque armis deleuit. Eductis enim suis contra hostes copijs, iussit cantores, qui diuinas laudes concinerent, aciem antecedere, quibus concinentibus, & contra hostilem exercitum canendo procedentibus, hostes subitò veluti in rabiem acti se mutuis vulneribus confecere, & Iudæis immensam vim spoliorum reliquere.

Dei religionem propugnantibus benedictionem concedit Deus.

Exempla veteris Testamenti.

9. In nouo Testamento Constantinus, qui primus publicè ex Imperatoribus Ecclesiam defendit, eo ferè modo Maxentium vicit, quo Moses Pharaonem. Vide Euseb. lib. 9. hist. cap. 9. de eo sic ait Augustinus. lib. 5. de Ciuit Dei cap. 25. *Constantinum Imperatorem, non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deũ colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet: Vniuersum orbem Romanum vnus Augustus tenuit, & defendit, in administrando & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandeuus egritudine & senectute defunctus est: filios imperantes reliquit.* De Theodosio seniore scribit idem Augustinus ibidem, cap. 26. ei, quod verè pius & Catholicus esset, adeò prosperè omnia successisse, vt in prælijs hostium tela in auctores, Deo agente, retorquerentur. Addit Theodoretus lib. 5. histor. cap. 24 sanctos Ioannem & Philippum Apostolos apparuisse in equis albis in eodem prælio pro Theodosio Imperatore pugnantes. De Honorio etiam planè Catholico, & Romano Pontifici addictissimo, vt patet ex eius epistolis ad Bonifacium Papam, scribit Augustinus lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 23. ita Deum pro illo pugnasse, vt vno prælio multò amplius, quã centum millia Gothorum prosternerentur, &

Exempla noui Testamenti.

Rex

Rex ipſe Radagaiſus cum filiis caperetur, & occideretur, ex Romanis ne vllo quidem vulnerato, nedum extincto.

10. Hoc notabile eſt; Tempore Innocentij III. in Gallia ab octo millibus Catholicorum cæſa ſunt vno prælio centum millia Albigenſium hæreticorum, vt ſcribit Æmilius lib. 6. hiſtoriæ Francorum. Noſtris temporibus anno M.D.XXXI. quinque prælia commiſerunt pro fide Catholici Heluetij cum hæreticis Heluetiis, & ſemper Catholici vicerunt, cùm tamen eſſent numero & armis multo inferiores: vide Ioannem Cochlæum in actis Lutheri anni M.D.XXXI. Carolus V. miraculo diuino victoriam retulit de Lutheranis anno M.D.XLVII. Inuictiſſimus quoque Imperator noſter Ferdinandus II. non ſemel, Catholicæ fidei hoſtes ab aliquot iam annis, diuina planè virtute debellauit, ſed vaſtiſſimam Germaniam pacauit. In Belgis quoque multas victorias Catholici de hæreticis, non ſine miraculo, reportarunt; immò vix vnquam fuerunt hæretici ſuperiores, quando iuſto prælio dimicatum eſt. Qui plura volet, legat Bellarminum de notis Eccleſiæ cap. 18.

11. *Tobias lætatur præmiſſo proſpero ſtatu Hieroſolymæ.* Tobias noſter precatur ſecunda omnia his qui Ieruſalem diligunt & cum ipſa triumphante illi quoque triumphant vti prius malum illis videbatur imprecatus qui Hieroſolymam contemnerent, & maledictis ſuperbè concinderent. Ipſe verò lætus cùm futuram patriæ felicitatem contemplatur, gratias agit Deo, quoniam afflictum tamdiu Iſraeliticum genus liberatum ab innumeris exilij, ac ſeruitutis incommodis, & multis oneratum bonis, & ornamentis, antiquæ reſtituit libertati, & paci. Præterea ſe beatum credebat ſi poſteritas eius tantam Hieroſolymæ gloriam ſpectaret. Videbat credo cùm hæc diceret propheticis oculis ſplendorem, & ornamenta omnia à domeſticis, & peregrinis principibus collata, videbat patrios fines abundare ciuibus copioſis, & lautis, quos ſqualidos viderat, & orbatos. Vnde ipſe lætus exultat, & Deo gratias agit, optatque aliquem ex ſuo ſemine, quod ipſe non poterat, tale ſpectaculũ cernere, hoc eſt, *gaudere cum gaudentibus*, vt Apoſtolus præcipit. Iunge ergo ô Chriſtiane, ad omnia Eccleſiæ proſpera tuas partes ſi Catholicus cenſeri vis. Caue ab inuidiâ; caue à maledictis, Vtrumque malum eſt. Prius vitè latè tractatum Diſcurſu .... in V. Præcept. alterum horreſce, quia hæreticorum eſt: Vnde & Chriſtus ad ſuos maledicos, Matth. 12. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali: ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala.* Rectè Hebræus Sapiens Prouerb. 10 18. *Qui profert contumeliam, inſipiens eſt.* Blaſphemiæ horrendum malum deuita iuxta dicta Diſc. 6. in II. Præcept.

Hæreticum eſt maledicere.

CAPITIS DECIMI-TERTII

VERSVS XXI.	PARAPHRASIS.
Portæ Ieruſalem ex Sapphiro, & Smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius.	*Vers.* 21. 22. & 23. Pergit Tobias ſenior terrenæ Ieroſolymæ ſplendorem & gloriam hyperbolica narratione deſcribere, vnde Sapphiro & Smaragdo portas eius ſimiles efficit, muros eius lapidi pretioſo, plateaſq; ciuitatis ex lapide pretioſo & mundo ſtratas, in quibus canticum audietur lætum, feſtiuuſque plauſus. Denique agit gratias Domino, quod exaltarit populum propter miſericordiam ſuam, quem propter illius impietatem ante deprefſerat, oratque, vt in ciuitate, vbi ſtabile ſibi domicilium parauerat, perpetuò regnet, neque permittat ſic iterum labi reſtitutum populum, vt rurſus abiiciat, & in ſeruile, durumque iugum iterum compingat.
Verſ. 22. *Et lapide candido & mundo omnes plateæ eius ſternentur: & per vicos eius alleluia cantabitur.*	
Verſ. 23. *Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & ſit regnum eius in ſæcula ſæculorum ſuper eam, Amen.*	

SECTIO VNDECIMA.

An hic Scripturæ ſenſus de ſola Hieroſolyma terrena intelligi queat, an verò etiam de Eccleſia militante & triumphante? Et quare eiuſmodi verbis ſplendor cæleſtis Hieruſalem deſcribatur.

1.

NOTVM eſt Sacræ Scripturę ſenſum aſſignari duplicem; Litteralem videlicet qui alio nomine Hiſtoricus appellatur: & Myſticus, quem aliqui ſpiritualem, alij figuralem appellant. Rurſum Myſticum ſenſum eſſe triplicem; Allegoricum, Tropologicum, ſeu Moralem, & Anagogicum. Senſus litteralis eſt, quem verba ſiue propriè, ſiue metaphoricè accepta ex Spiritus ſancti loquentis intentione primò & immediatè ſignificant. Qualis eſt hoc loco, Splendorem & gloriam Hieroſolymæ terrenæ tantam fore, vt aliter exprimi vix poſſit, niſi rebus pretioſis aſſimiletur. Quod hyperbolicè hic facit Tobias, cũ eximiam ſpeciem, & pretium Hieroſolymæ reſtitutæ vult ſignificare. Neque enim portæ ciuitatis contextæ fuerunt ex Sapphiro, Smaragdo, aut nitri, ſeu plateæ pretioſo lapide; ſed ea materia, atque arte elaborata, vt aliquid referant ſmaragdo, & ſapphiro, aut pretioſo lapidi non diſſimile. Eſt autem hyperbole in ſcriptura vſitata, quæ vehementer rem auget, aut minuit, in qua verborum proprietatem non quærimus, ſed quod alienis vocibus ſignificamus, nempe raram quandam excellentiam in eo quod maiorem in modũ attollimus, aut deprimimus. Sic Deuteron. 9. v. 1. murorum altitudo his verbis explicatur à Moyſe; *Audi Iſrael, tu tranſgrederis hodie Iordanem, vt poſſideas ciuitates ingentes, & ad cælum vſque muratas.* & lib. 3. Reg. cap. 10. v. 21. Salomonis tempore argentum dicitur nullius fuiſſe pretij. & v. 27. tanta fuiſſe dicitur abundantia argenti in Ieruſalem, quanta lapidum. Sic puto hic Tobiam hyperbolica vſum locutione, eximiam ſpeciem & pretium Hieroſolymæ reſtitutæ ſignificare voluiſſe. Similiter quod de Cantico *Alleluia*, prædicit, ſecundum litteram ſignificat quod ærumnoſæ Hieroſolymæ ſtatui alter poſt reditum opponetur fortunatus & lætus, de quo cantico feſtiuoque plauſu cecinit etiam Zacharias Propheta cap. 8. *Adhuc*, inquit, *habitabunt ſenes, & anus in plateis Hieruſalem; & viri baculus in manu eius pra multitudine dierum. Et platea ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.* Complebunt, inquit, plateas Ieruſalem vtriuſque ſexus plurimi natu vſque adeò grandes, vt decrepita ſenectute membra baculo ſuſtententur. Neque deerunt quoque inter ſenes infantium quoque ac puellarum feſtiui chori. Adeò vt hæc verba inſinuent hypotypoſim felicis, amplæ, atque pacatæ ciuitatis, vbi conuerſa fortuna atque benignior ex aduerſo reſpondet antiquæ calamitati: quà ſicut nihil ærumnoſius fingi potuit; ſic nihil hic potuit excogitari felicius. Singula oppone ſingulis, & diuinam quamdam eloquentiam intuebere. In Ierem. Thr. cap. 2. & 5. narrantur ſenes tacentes, ſqualliui, & habiti ab hoſtibus ludibrio; hîc verò quieti inducuntur; annis, & auctoritate graues, & ætatem grandem, & labentia præ ſenectute membra baculo ſuſtentantes. Illic proponuntur infantes exhalantes animas in materno ſinu extremâ fame, macieque confecti; virgines ſqualliuæ, ac gementes, & barbarorum hominum iniuriæ, ac libidini expoſitæ: iuuenes impudenter vexati, & ante ſuam maturitatem extincti; ceſſaſſe denique dicitur pſallentium chorus. Nunc verò commutata fortuna, habitaturi dicuntur ſenes, & anus in plateis Ieruſalem, & in plateis futuri feſtiui infantium, ac puellarum ludi.

Senſus Scripturæ duplex. Myſticus ſenſus triplex.

Hic locus Tobiæ litteraliter de Hieruſalem terreſtri intelligi debet.

Qua figura ſit hyperbole

Ingens lætitia in reſtitutæ Hieroſolymæ.

Hieruſalem vaſtata prius: deinde eadem magnificè reſtituta.

Senſus verò Allegoricus eſt ſenſus myſticus ſeu qui ſuppoſito ſenſu litterali, ex eo, & rebus per ipſum ſignificatis tanquam incluſus eruitur, & ſpectat Chriſtum & Eccleſiam militantem. Et hoc ſenſu hic locus Tobiæ multò magis de Eccleſia intelligi poteſt, quã Deus multo inſtruxit, & ornauit illuſtrius, & maiori illuminauit, ſplendore, quàm qui è pretioſis lapidibus emicare ſolet. De cuius ſtructura Iſaias cap. 54. v. 11. *Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione: Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris. Et ponam iaſpidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides ſculptos: & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles.* q.d. O Eccleſia, quã amoris ergo, pauperculam appello, quam non minus tyrannorum odia, ac potentia iactarunt, quam Noe arcam olim diluuij tempeſtas. Euge, ô paupercula, & rudi hactenus materia in ſpeciem extructa: Iam enim ſic ſplendidè, ac luculenter ædificaberis, vt eximia quadam arte diſponantur in pauimento lapides:

2.

Hic Tobias locus allegoricè de Eccleſiæ ſplendore myſtico intelligi poteſt.

pides: ſternanturque pro fundamento ſaphiri. Murorum tuorum pinnæ, & propugnaculorum eminentes coronæ è iaſpide conſtructæ, latè radiabunt: portæ è pretioſo, cælatoque lapide ædificabuntur. Denique in omnibus finibus nullus occurret lapis, niſi pretioſus & illuſtris.

Allegoria in Scripturis explicandis frequens.

Quod itaque ad litteram ſignificauit Iſaias Vates, hoc allegoricè Tobias hic ſignificat de Eccleſia. Quod mirum non eſt, cùm & Chriſtus Dominus & Apoſtoli hoc genere Scripturas interpretandi vſi ſint: nam Ionas, qui in ventre ceti tribus diebus fuit & noctibus, à Chriſto allegoricè explicatur, Matth. 12. & ænei ſerpentis figura à Moyſe exaltati, Ioan. 3. & Paulus ad Galat. 4. allegoriam tractat de duobus Abrahæ filiis. & 1. Cor. 10. allatis nonnullis è veteri Teſtamento figuris de nube, mari, eſca, potu, ait hæc omnia fuiſſe futurarum rerum figuras, & pro nobis ſcripta eſſe.

3. Anagogicus ſenſus quis hic ſit?

Anagogicus ſenſus eſt qui res alterius vitæ reſpicit, noſque ſurſum trahit, qui eſt hoc loco de Hieruſalem cæleſti, aut Eccleſia triumphante. Quam Ioannes Apoc. cap. 21. eadem penè ſtructura deſcribit, quali à Tobia hic terrena Ieruſalem: *Ego*, inquit Ioannes, *vidi ſanctam ciuitatem, Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo, paratam ſicut ſponſam, ornatam viro ſuo.* Fingit hic cælum empyreum, & Eccleſiã, ſiue cætum Beatorum, in terram deſcendere, vt homines terreſtres, ac præſertim eos qui cũ tyrannis & Antichriſto tanto agone & ſudore certabunt, ſiue ciues coopter. quod in re nihil aliud eſt dicere, quã quòd cæleſtis gloria & beatitudo hominibus terreſtribus obtingat cælitus, per Dei liberalitatem & gratiam. Vnde S. Auguſtinus lib. 20. Ciuit. 17. *De cælo*, inquit, *dicitur deſcendere, quia cæleſtis gratia eſt, quâ Deus eam fecit: & de cælo quidem ab initio ſui deſcendit, Spiritu ſancto miſſo de cælo.* Hieruſalem licet maneat in cælo, tamen per ſui communicationem deſcendit in terram. Simile eſt in ſole, qui eſt in cælo, & ſimul in terra: in cælo per ſubſtantiam, in terra per radios quos eò diffundit. Et in fonte qui eſt in ſummo, & ſimul in imo: in ſummo per originem; ſcaturit enim monte, in imo per riuulos; ex monte enim manat, indeque emanat & defluit in valles. Talis eſt hæc Ieruſalem, cuius opes, ſplendorem & gloriam deſcribere pergit cap. citato Ioannes: deinde eius muros & portas duodecim, fundamenta facta è totidem gemmis: demum eius claritatem & felicitatem.

4. Itaque quod ad litteram Ioannes in exilio intuitus eſt, & de beatorum patria eâ ferme ſpecie, quâ à Tobia terrena Hieruſalem deſcribitur, refert, hoc ipſum myſticè ex verbis Tobiæ ad cæleſtem Hieruſalem poteſt referri. Nam multa quæ de Sion & Hieruſalem terreſtri in Scriptura dicuntur, poſſe ad Eccleſiam ſeu militantem ſeu triumphantem ſenſu allegorico & anagogico trahi, conuincit illud Apoſtoli ad Galat. 4. *Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt; quæ eſt mater noſtra.* Vbi noui Teſtamenti Eccleſiam vocat *Ieruſalem quæ ſurſum eſt*, id eſt, Hieruſalem ſupernam, & vt loquitur Hebr. 12. cæleſtem: non quod ſolam triumphantem in cælis Eccleſiam hic intelligi velit: (totam enim Chriſti Eccleſiam hac notatione comprehendit) ſed quia etiam qua parte militat & peregrinatur in terris, tamen per fidem & ſpem ſurſum eſt, dum ea *quæ ſurſum ſunt, quærit & ſapit, non autem ea quæ ſuper terram*, Col. 3. cuius & conuerſatio in cælis eſt, Phili. 3. Vnde & Ioãnes in Apocal. loc. cit. hanc eandem ſanctam ciuitatem Hieruſalem videt deſcendentem de cælo à Deo. Ad cuius loci clariorem intelligentiam nota Apoſtolum docere Galatas, quantum aberrent à ſcopo, quod ex ſpeudoprophetarum ſeductione veterem legem cum Euangelio obſeruent, cùm Chriſtiani ſpiritu adoptionis agantur, & clament Abba, Pater: Iudæi quaſi paruuli & ſerui ſub lege quaſi tutore & pædagogo regantur; adeoque pudere eos debeat tam leuiter à prædicatione Apoſtoli, quam ſummâ auiditate & reuerentia antea complexi erant, reſilire, & ad infirma & egena elementa legis reuerti. Poſt quæ nouum argumentum adfert ex allegoria Abrahæ, cuius ex Sara libera, filius & Hæres Iſaac ſignificabat Chriſtianos quaſi ingenuos Dei filios liberos eſſe à lege veteri, & benedictionis Abræ fore hæredes: Iſmael verò ex ſerua Agar genitus & electus ſignificabat iudaizãtes à benedictione Abrahæ, Deiq; excludẽdos: *Hæc enim*, inquit, *ſunt duo teſtamenta. Vnum quidẽ in monte Sina, in ſeruitutem generans: quæ eſt Agar: Sina enim mons eſt in Arabia, qui conſũctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalem, & ſeruit cum filiis ſuis. Illa autem quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Quaſi dicat per Agar vetus teſtamentum ſignificari, & Eccleſiam veteris Teſtamenti, ſeu Synagogam quæ filios ſuos in ſeruitutem generabat. cogebat enim homines metu pœnæ, non amore iuſtitiæ Deo, & eius legi obſequi. Adhæc craſſis & corporalibus cærimoniis ad iuſtitiam & ſalutem inutilibus occupabat Iudæos, earumque multitudine quaſi ſeruos onerabat. Per Saram verò liberam allegoricè ſignificabat nouum Teſtamentum liberos generare, qui amore & ſpiritu ducerentur ad ſeruiendum Deo. Vnde vocat præſentem Eccleſiam per Chriſtum exemptam à ſeruili iugo legis Moſaicæ, Ieruſalem liberam, quæ ſurſum eſt, & matrẽ noſtram: quia Eccleſia per fidem & baptiſmum liberos gignit. Indeque concludit Galatas ſub Euangelio exiſtentes eſſe filios cæleſtis

Hieruſalem allegoricè idẽ eſt quod Eccleſia militans.

stis Hierusalem, ac proinde liberos, non autem seruos, quales sunt illi, qui legi Mosaicæ adhuc inhærent.

Ierusalem anagogicè idem quod cœlestis gloria.

Regius etiam Propheta Psalm.136. Anagogicè Ierusalem vocat gloriam cælestem, cùm ait: *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Ierusalem, in principio lætitiæ meæ.* Quasi dicat, tanti se facturum Ierusalem cælestem, vt lætitiam omnem aliam postponat lætitiæ de ipsa, & præ desiderio eiusmodi lætitiæ cæteras respuat. Nam summa iucunditas vbi Deo fruitur beatus; vbi de fraternitate cohærente, & ciuica societate securus est, vbi nullus tentator violat; vbi nullus vel ad aliquam illecebram percellere potest; vbi nihil delectat nisi bonum, vbi moritur omnis necessitas; vbi oritur summa felicitas. Hæc de sensu Anagogico.

5. *Cur cælum dicatur tãta magnitudinis.*

Restat quoad Tropologicum sensum, qui ad mores spectat, inquirere quare S. Ioannes ciuitatem illam Hierusalem cælestem tantæ dicat magnitudinis; & quare gemmis, sapphiro videlicet & smaragdo, aliisque, eius splendorem assimilet. Prima videtur ratio, vt significet ingentem & quasi innumeram fore beatorum multitudinem, quam ipse Ioannes cap.7. Apocal.vers.9. expressit: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Dixerat primò Ioannes se audiuisse *numerum signatorum centum quadraginta quatuor millium ex omni tribu filiorum Israel*, id est, ex Iudæis. Tum subiungit se ex omnibus gentibus vidisse innumeram multitudinem ad Christianismum conuersam, futuram in fine mundi sanctam, ideoque signatam & electã, ac intactam futuram à plagis septem Angelorum septimi sigilli, de quo agitur capit.8. Apocal. Licet enim adhuc illi militarent in terra, tamen Ioannes spiritu Prophetico præuidens eorum constantiam & victoriam vsque in finem vitæ, vidit pariter eorum gloriam & coronam, ipsosque quasi victores, & triũphatores in cælesti beatitudine, coronis, stolis, & palmis amictos. Vidit ergo Ioannes ex Christianis tantam turbam saluandam, quam nullus hominum numerare poterat.

6. *Maxima pars Catholicorum ad cœlestem Hierusalem perueniura est.*

Portò omninò credibile maximam partem Catholicorum ad cælestem Ierusalem peruenturam; tum quia plerique peneque omnes morituri suscipiunt Sacramenta, quæ ex attrito faciunt contritum: atque isto articulo peccatores deserunt concubinas, aliasque peccati illecebras ex timore gehennæ, & ad beatam vitam toto animo se comparant. Tum quia tertia, vel quarta pars hominum moritur in infantia, vel innocentia baptismali: Tum quia quamplurimi educantur bene in fide & timore Dei à parentibus; illa autem prima semina pueris impressa, hærent in eis per omnem vitam. Nam *quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.* Qui autẽ è Christianis Catholicis damnantur, cæterorum comparatione pauci sunt. nam vel carnerunt instructione, & ob ignorantiam rerum credendarum vel agendarum pereunt: vel vsuris, simonia, iniustis contractibus, fraudibus, &c. se suosque ditarunt, nec ea volunt restituere in morte, ne proles depauperent; vel odio & vindicta pertinaci laborant: vel in bello, rixa, alióue casu subitò occiduntur, &c. Sed hi, vt dixi, comparatione bene morientium pauci sunt. Quòd autem S. Chrys. homil. 40. ad pop. Sit. tempore existimaret Antiochiæ ex pluribus millibus vix centum saluandos, de quibus adhuc dubitaret, ratio erat, quod senes institutioni iuuenum non inhiarent, quodque illis essent scandalo, indeque iuuenes pessimi euaderent: *Quanta*, inquit, *quæso in iuuenibus malitia! quantus in senibus torpor! filij curam gerit nemo. Nemo zelum habet vt senem respiciens imitaretur. Exemplaria autem deleta sunt; propterea neque iuuenes euadunt laudabiles.* Sed hi defectus plurimis locis iam cessant, cùm sedula vbique sit puerorum institutio, & catechizatio earum rerum quæ ad salutem spectant.

Propter numerum ergo copiosum saluandorum Ioannes inquit quodlibet ciuitatis istius cælestis latus continere duodecim millia stadia vt ostenderet Ecclesiam Christi præsertim triumphantem longè superare veterem Ierusalem, ad cuius ambitum S. Ioannes alludit, qui complectebatur quinquaginta stadia: quæ si in quatuor partes & latera diuidas, habebis pro quolibet latere duodecim stadia cum dimidio.

7. *Cur cælum empyreum comparetur gemmis.*

Altera ratio, cur videlicet dicat structuram muri eius ex lapide Iaspide existere, ipsam verò ciuitatem esse aurum mundum simile vitro mundo, aliisque eò gemmis fundamenta cælestis Hierusalem constructa; est vt speciem & decorem illius ciuitatis hominibus insinuet. Sicut enim in terra nihil gemmis est pulchrius aut præstantius, sic per eas ciuitatis cælestis gloriam indicat. Secundò, quia gemmæ apud antiquos erant hieroglyphica rerum cælestium ac diuinarum.

Tertiò, quia in cælis videntur veræ fore gemmæ, non terrestres, sed cælestes, & longè his nostris præstantiores. Id colligitur ex S. Ioanne hic, qui eas se in cælo vidisse asseuerat, atque ex nostro Tobia, *Porta Hierusalem ex saphiro & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius alleluia cantabitur.* Ad quæ verba ibi alludit Ioannes. Verba enim Scripturæ *In cælo vere sunt gemmæ*

pro-

propriè vt ſonant accipienda ſunt, ait S. Auguſt. niſi quid abſurdi ingerant.

8. *Beatorum gloria ineffabilis.*

Cæterùm exiſtimo S. Ioannem pluribus rebus gloriam cæleſtem amplificare, vt oſtẽdat, quãtum poſſibile eſt, illam gloriã maiorem eſſe, quàm vlla ſimilitudine queat explicari. Vt enim inquit Apoſtolus, *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Licet ergo gemmis, auro, fluuio; aquæ vitæ, alijſque comparet Ioannes gloriam cæleſtem, nihil aliud indicat, quam illam eſſe incomprehenſibilem. Cùm S. Auguſtinus aliquando cogitaret de gloria beatorum apparuit illi S. Ieronymus, qui ex hac vita ad gloriam cæleſtem peruenerat, dixitque ad illum: *Auguſtine, quid quæris? putas ne breui immittere vaſculo mare totum, breui includere pugillo terrarum orbem, cælum firmare, ne vſitatos exerceat motus, infinita rei quis erit finis? immenſa qua menſura metieris? potius totum mare in artiſſimo clauderetur vaſculo, potius terrarum orbem paruulus teneret pugillus, potius cælum à motu continuo ſiſteret, quàm gaudiorum & gloria, quibus beatorum animæ ſine fine potiuntur, minorem intelligeres particulam, niſi, vti ego, experientia docearis: impoſſibilia ergo facere ne conetis.* Ita habet epiſt. 205. in antiquis, quæ eſt Auguſtini ad Cyrillum de laudibus Hieronymi, at verò in appendice in libris caſtigatioribus epiſt. 17.

Reuelatio D. Hieronymi Auguſtino facta de beatorum gloria.

Sancti ſtupent dum gloriam cõtemplantur, & ab illa opprimuntur.

Impoſſibile ergo eſt imaginari, ne dum effari, quæ Deus præparauit diligentibus ſe. Hærent ſancti, ſtupent, eloqui non poſſunt, à magnitudine maieſtatis obruuntur illius, ſi aliquando eam ſcrutari plus æquo audaces auſi fuerint. Propius accedere volens Moyſes ad indagandum perquirendumque, quæ à longe videbat, à voce protinus retẽtus, audiuit, Exod. 3. verſ. 5. *Ne appropies huc*, & tamen ibi non erat, niſi Angelus; quid eſſet, ſi ipſemet Deus? quomodo amplius ſcrutari auderet? immò tantum abeſt, vt ſcrutari vellet, quin audiens: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Iſaac, & Deus Iacob*, ſtatim inquit Scriptura, *quod abſcondit faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum.* Quod ſi tantus vir, & ad talia eligendus, non audet vnum Dei aſpicere ſeruum, in perſona Dei loquentem, neque illi licitum extitit gloriam eius perueſtigare, inſpicereque, quis audebit, aut quis poterit illius profundus magnitudinis, immenſitatemque illius gloriæ, aut imaginari, aut eloqui, tam ineffabilis illa eſt, tam indicibilis, tam ſupra denique captum humanum?

9. Veroſimile ergo eſt, quod S. Ioannes ſub rebus tam pretioſis, floridis, odoriferis, amœnis, quæ viſum, odoratum, alioſque paſcunt, & mirâ voluptate perfundunt, deſcripſerit, cæleſtem Hieruſalem & gloriam: vt ad eandem obtinendam frigida mortalium corpora incenderet, & inflammaret. Certè D. Auguſtinus recogitans gloriam beatorum, quæuis mala perpeti optabat, vt eâ frui poſſet: *Si quotidie*, inquit, *oportet omnia nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, vt Chriſtum in gloria ſua videre poſſemus, & ſanctis eius ſociari, nonne dignum eſſet pati omne quod triſte eſt, vt tanti boni tanteque gloriæ participes haberemur? Inſidientur ergo dæmones, parent ſuas tentationes, frangant corpus ieiunia, premant carnem veſtimenta, labores grauent, vigilia exſiccent, clamet in me iſte, inquietet me ille, frigus incuruet, conſcientia murmuret, calor vrat, caput doleat, pectus ardeat, infletur ſtomachus, palleſcat vultus, infirmer totus; deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Quæ enim erit iuſtorum gloria? quàm grandis ſanctorum lætitia, cùm vnaquæque facies fulgebit vt ſol? cum ordinibus diſtinctis populum ſuum Dominus in regno patris ſui cœperit recenſere, & meritis atque operibus ſingulorum promiſſa præmia reſtituet, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus ſempiterna.*

Tanta eſt gloria beatorũ, vt pro ea quæque aduerſa tolerare velit Auguſtinus

10. *Epiſt. 5. ad Theod. lapſ.*

S. Chryſoſtomus hac ratione hominem de ſalute deſperantem ſeriò ad pœnitentiam excitabat: *Dic obſecro*, inquit, *ſi quis in theatrum te induceret, vbi magna multitudo hominum ſederet, amicta ſtolis aureis, & in medio omnium oſtenderet alium quemdam adornatum eximiè gemmis, regio veſtitu inſignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te aſſumpturum in numerum eorum; num omnia faceres quæ ipſe iuſſerit? Euola nunc in cælos animo; in illud intende theatrum, quod non coit ex huiuſmodi viris. Conuentus eſt illic eorum qui exuperant omne pretium auri, lapidum pretioſorum, radiorum ſolis, & omnis viſibilis forma, non hominum, ſolum, ſed eorum qui hominibus antecellunt, Angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, poteſtatum. De Rege ipſo nihil ſatis idoneum dici poteſt, adeò ſermonem & mentem omnem excedit eius pulchritudo, formoſitas, ſplendor, gloria, maieſtas, magnificentia.* Etimmediatè poſt hominem incendit: *Tantumne*, inquit, *bonorum à nobis ipſis ſummouebimus, quo declinemus exigui temporis laborem? Quod ſi quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamẽ eſſet. Præterea gehennam, tormentaque omnia conuenit ſuſtinere, vt videre queas Chriſtum venientem in gloria ſua, & conſcribi ordini ſanctorum. Audi quid Petrus dicit, bonum eſt nos hic eſſe. Si Petrus qui vidit obſcuram quamdam imaginem futurorum, omnia continuò reiecit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali aſpectu; quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regijs cubiculis adapertis, contueri licebit ipſum regem, non per ænigma, nec per ſpeculum, ſed facie ad faciem; non amplius, inquam, per fidem, ſed per ſpeciem?*

Matth. 17.

SE-

SECTIO XII.

Quid significet vox ALLELVIA. Et quantus fuerit olim huius vocis vsus. Ac de vtilitate Cantus.

1. Halleluia *significatio & vsus.*

TOBIAS senior indicans festiuum plausum & gratulatorium canticum, quod canent Hierosolymâ restituta eius incolæ, per vocem *Alleluia* id futurum significat. Alleluia autem interiectionis apud Hebræos locum obtinet, quæ lætitiam significet ex felici aliquo successu ortam: quia prima exultantis animi vox, est gratiarum actio, & diuina laus, quæ à Deo profectum beneficium agnoscit. *Halleluia* idem valet, atque *laudate Deum*; sed vox ista Hebraica apud Hebræos præter significationem propriam iubilum indicat, triumphum, & quid simile, quod non semper facit illius interpretatio Latina. Ex eo fit, vt cùm idem sit *Alleluia*, & *laus tibi Domine*, à Septuagesima tamen ad Pascha in Ecclesia non audiatur *Halleluia*, sed eius loco, *Laus tibi Domine*, &c. Quia ex tempore in quo Christi recolitur passio, ita pro tanto beneficio gratias agimus, vt tamen dolentis potius quàm exultantis animi documenta præbeamus.

Quare à Septuagesima non audiatur.

Halleluia *pro Psalmis, quibus inscribitur.*

Verosimile est hoc loco *Halleluia*, pro Psalmis illis vsurpari, qui *Halleluia*, habent in principio, à quo Halleluiatici vocantur; qui omnes diuinas resonant laudes, & lætum aliquid significant, & antiquum prædicant, aut recens aliquod acceptum à Domino beneficium, cantandum tamen dicitur Halleluia: quia vox ista Psalmum inchoat, & in cantandis psalmis sæpiùs auditur. Adeoque prædicit Tobias, non illam vocem solum, sed cantica & hymnos gratulatorios decantandos à suis contribulibus. Frequens hoc fuit apud Hebræos, vt cantico aliquo diuina beneficia celebrarent ac recolerent, & Deo omnem victoriam attribuerent. Vnde veteres Patriarchæ magno aliquo beneficio accepto statim Deo grates per cantica rependebant. Sic Moyses post transitum maris rubri Exod. 15. dicebat: *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est.* Sic populus Israeliticus Numer. 21. postquam Deus adorationem Moyses puteum ostendisset, leuandæ eorum siti peropportunum, cecinit carmen istud: *Ascendat puteus*, quasi dicat, continuò ebulliat, & ascendat aqua à fundo putei, vt nos omnes ex eo bibere possimus æquè ac iumenta nostra: *Puteum quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datore legis, & baculis suis.* Est hoc carmen gratulatorium exultantium de tanto beneficio & miraculo, quo Deus ostendit Moysi fontem siue venam aquarum, quam Moyses siue principes populi suis baculis, id est, ligonibus terram circumfodientes dilatarunt, & profundiorem effecerunt, vt esset instar putei: Sic Debbora, post Sisaram interfectum, Iud. 5. vers. 1. Sic Iudith post Holofernem iugulatum, Iudith. 16. vers. 1. Sic Ezechias post sanitatem restitutam, Isa. 38. v. 10. Sic tres pueri post flammas fornacis Babylonicæ consopitas, Dan. 3. v. 52. sic alij post alia beneficia, Deo gratulatoria cantica reddiderunt.

Cantica gratulatoria Dei beneficium apud Hebreos consequebantur.

Ad quos alludens D. Ambrosius lib. 6. in Luc. cap. 7. *Cantauit*, inquit. *Moyses, quando in mari rubro, ad transitum Iudæorum fluctus obriguit, vnda circumsteterit, eodemq; equos Ægyptiorum, ascensoresq; refusa demerserit. Cantauit Isaias dilecti vineæ suæ canticum, significans asperam flagitijs fore plebem, qua secundis prius erat virtutibus fructuosa. Cantauerunt Hebræi, cùm vestigia eorum, tactu flammæ vorantis humescerent: & intus, extraq; ardentibus omnibus, solos ignis innoxius lamberet, nec adureret. Abacuc quoque cantico publicam doctus mulcere lætitiam, prophetauit dulcem Domini fore fidelibus passionem. Cantauerunt ergo Prophetæ, spiritalibus modulis publica salutis oracula resultantes.*

Ad rem nostram leguntur cælites post purpuratæ meretricis pura Babylonis excidium & damnationem, ingeminasse ter, *Alleluia*, Apoc. 19. vbi sic Ioannes: *Post hæc audiui vocem tubarum multarum in cælo dicentium Alleluia, Laus & gloria, & virtus Deo nostro est: quia vera & iusta sunt iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes, Amen, Alleluia.* Audiuit vtique viginti quatuor seniores, omnesque Sanctos in cælis hoc iubilum cæleste resonantes.

3. *Mira de Alleluia.*

Hæc vox *Alleluia* cælitus quasi aspirata animauit olim Christi Athletas ad Martyria, acerbissimaque tormenta cum gaudio subeunda. Lege acta S. Felicis, Fortunati, & Achillei Martyrum 23. Aprilis. Denique in publica & grauissima peste, quæ Romæ contigit an. 591. cùm S. Gregorius Pontifex ad eã sedandam publicam supplicationem instituisset, & B. Virginis imaginem cum litania circumtulisset, Angelo è cælis illi accinente: *Regina cæli lætare Halleluia*; lues omninò sedata est, visusque est Angelus alter gladium exsertum in homines vibrans, eum in vaginã recondere, visus est inquam in mole Adriani, quæ exinde castellum S. Angeli est appellata, vt referunt Sigonius lib. 1. de regno Italiæ S. Anto-

Antoninus 4.par.tit.15.c.24.§.2. Petrus Canisius lib.5. Marialis c.22. Testatur Hieronymus in vita S. Paulæ in eius Monasterio voce *Alleluia* altiùs decantatâ Moniales ad sacram synaxim vocari solitas. Et Epist.17. ad Marcellã docet Hierosolymis in omnium fidelium ore ita crebrum fuisse *Alleluia*, vt etiam agricolæ laboris molestias eo cãtico leuaret: *In Christi*, inquit, *rillula tota rusticitas, & extra psalmos silẽtium est: quocumque te verteris, arator stluam tenens, alleluia decantat, sudans messor, psalmis se auocat, & curua attondens vitem falcẽ vinitor aliquid Dauidicum canit. Hæc sunt in prouincia carmina: hæ, vt vulgò dicitur, amatoria cantiones, hic pastorũ fibulus, hæc arma cultura.* Id illis adeò curæ erat, vt à puero infantibus cùm fari inciperent, primam vocem quam sonarent, *alleluia*, id est, laudate Deum, instillarent. Vnde idem Hier. ad Lætam scribens, hæc ait: *Quis hoc crederet, vt Albini Pontificis neptis de repromissione Martyris fasceretur, vt præsente & gaudente auo, paruula adhuc lingua ballutiens Christi alleluia resonaret?* Et infra; *Cùm auum viderit, in pectus eius transiliat, de collo pendeat nolenti alleluia decantet.*

Franciscus Aluarez in Æthiopica legatione c.41. refert ad Tortetanam ditionem cœnobium visi Religiosorum, Halleluia, ab hoc euentu nuncupatum. Asceta vixerat in vicinia vigilijs, ieiunijs & orationibus assiduè vacans: is à beatis mentibus in cælo audierat sæpiùs ingeminari *Alleluia* suauissimo concentu, eaque voce ad præfectum Monasterij relata, illi auctor extitit monasterij tum inchoati hoc nomine appellandi, vt *Hallelujia* diceretur.

4. *Dauid quatuor cantorum principes instituit.*

Sancti viri non contenti sua voce prædicare Deum, etiam alios ad cantica & psalmos excitarunt. Dauid non solum suo, sed etiam alieno ore accepta diuinitus beneficia decãtauit, nam postquam arcam fœderis Hierosolymam introduxit, quatuor cantorũ principes instituit, Asaph, Aman, Athan, & Idithum, 1.Par.15.v.17. & 1.Paral.16.v.41. quorũ singulis, ter millenos alios subiecit, vt refert D. Chrysostomus 2. Proœm. in Psalmos, aut certè septuagenos binos, vt ipse potius D. Chrysost. arbitrantur, addita optimâ ratione, quam ipsius verbis licet exprimere: *Vnicuique* inquit, *tribuit cantores Septuaginta duos, pro septuaginta duabus gentibus, quæ congregata fuerant in turris ædificationem, prædicens fore, vt in vltimis temporibus omnis lingua laudet Dominum.* Cùm enim totum hominum genus, ab illa turri Babel, in reliquas mũdi plagas transfusum, in duo, & septuaginta capita diuideretur: dum Rex ille Propheta totidem cantorum ordines distinxit, planè significare voluit, seu potiùs prophetare, diuinas laudes non paucorum hominum linguis, sed omnium quarumcumque nationum, quæ in orbe recenserentur, vno veluti ore decantandas.

Diuinæ laudes omnium nationum linguis decantandæ.

5. *Spiritualibus canticis vtendũ est.*

D. Paulus Ephesianos ab ebrietate dehortans, ad cantica spiritualia incitauit. *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI *Deo & Patri*, quasi dicat: Studete nõ vt vino, sed vt gratia Spiritus sancti impleamini. Modum & viam subdit dicens: *Loquentes vobismetipsis* (scilicet dum in vnũ conuenitis siue in templum ad adorandum & agapem, siue in domum ad mensam & cibum) *in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus*, &c. S. Hieronymus ita hymnos a psalmis, & canticis distinguit: *Hymni*, inquit, *sunt, qui Dei fortitudinem, & maiestatem prædicant: & eiusdem semper, vel beneficia, vel facta mirantur: quod omnes psalmi continent, quibus Halleluia vel præpositũ, vel subiectum est. Psalmus autem proprie ad Ethicum locum pertinet, vt per organum corporis, quid faciendum, & quid vitandum sit nouerimus. Qui verò de superioribus disputat, & concentum mundi, omniumq; creaturarum ordinem atque concordiã subtilis disputator edisserit, iste spiritale canticum canit.*

Quid differant, psalmus, hymnus, & canticum.

Docet itaque Apostolus, qualis debeat esse Christianorum agape, mensa & cõuiua, scilicet, non vt carnibus, & vino corpus & mentẽ obruant, sed vt spiritu & spiritualibus sanctisque colloquijs & hymnis præsertim de Christo, Christique beneficijs inuicem se oblectent, pascant, impleant, sicque studeat ebrietati, non corporali sed spirituali. Rursum vt cantionibus non lasciuis, sed pijs & sacris se recreent, & Deum laudent. Solet enim in conuiuijs animus excitari, hilarescere, & in lepores, cantusque resolui. Hinc Zeno rogatus, cur cùm natura esset seuerus, & secta Stoicus, in conuiuio tamen hilarescere? respondit: & lupinum, cùm sit suapte natura amarum, tamen aqua maceratum dulcescit: ita naturale est, cibo potuque rigato corpore, discuti tristitiam, testis est Laertius l.7. cap.1.

Qualis deceat esse Christianorum agape & conuiuia.

Ad huius loci clariorem intelligentiam nota, Hebræos antiquissimos in conuiuiis ad communem recreationem solitos adhibere Musicam: *Vinum*, inquit Ecclesiasticus cap. 40. *& musica* (ecce musicam cum vino, scilicet in conuiuiis & sympotijs coniungit) *lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientiæ.* Et cap. 49. v. 2. *In omni ore quasi mel indulcabitur eius* (Iosiæ) *memoria, & vt musica in conuiuio vini.* Idem verò pulchrius cap. 32. v. 7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio* (id est, compositio, & concentus; hoc enim est Græcum σύγκριμα) *musicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri signum est Smaragdi sic numerus* (id est numerosa melodia musicorum) *in iucundo & moderato vino.* q.d. Sicut annulum.

Musica antiquitus ab Hebræis in conuiuijs adhiberi solita.

nulum aureum ornat pala ex carbunculo, vel signum Græcè φραγὶς, id est, sigillum ex Smaragdo; ita conuiuium ornat Musica. Clarius verò id docet Isaias cap. 5. v. 12. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris.* Quem morem suæ gentis secutus Christus, post vltimam cœnam paschalem procedens ad passionem in montem oliuarum hymnum cum Apostolis Deo cecinit, Marci 14. v. 26. Inde Christum imitantes Apostoli, vt patet ex dicto loco Pauli, & primi Christiani in suis agapis & conuiuiis musicam & cantica adhibebant, non lasciua, nec prophana, sed sacra, scilicet hymnos in laudẽ Dei. Testis est Cyprianus Epist. ad Donatum. *Et quoniam*, inquit, *nunc feriata quies, ac tempus est otiosum, quidquid inclinante iam sol. in vesperam diei superest, ducamus hunc diem læti, nec sit vel hora conuiuij gratia cælestis immunis: sonet psalmos conuiuium sobrium, vt tibi tenax memoria est, vox rauca aggredere hoc munus ex more, magis charissimæ pascas, si sit nobis spiritualis auditio. Proletet aures religiosa multitudo*; In historiis humanis plura sunt exempla, quæ insinuant musicæ tantam esse suauitatem, vt insanos motus vtriusque appetitus concupiscibilis & irascibilis sopiat, frænet, & in gyrum rationis compellat. Timotheus, teste Plutarcho, lib. de Musica, Alexandrum Leone diriorem, adhibito concentu reddebat agno mitiorem. Achilles, vt refert Homerus 9. Iliad. effrenes iras, tanquã procellas in animo debacchantes, vnius cãtus suauitate frænare, & compescere solebat Agamemnon, eodem Homero Auctor. Odyss. tertio Troiam profectus, vxorem suam Musico commisit, qui eam cantu ab adulteris tueretur: quo mortuo facilè expugnata est. Ac si harmoniæ suauitas, dum adfuit, alijs voluptatibus aditum occluderet; vbi defuit, reseraret. Pythagoras iuuenem vino calidum, amore percitum, & iam iam in libidinũ voragines ruiturum, præmisso cytharista, tranquillauit, & in mentem reduxit saniorem: vt post alios D. Thomas l. 4. de Regimine. Principis cap. 21. ex Aristotele, & Tullio testatur.

Apostoli & primi Christiani in agapis & conuiuijs musicâ vsi.

Musica virtutis appetitum frænat.

Qua ratione id fieri queat, vide Sect. 8. in c. 6. huius historiæ nu. 6. D. Iustinus Mart. lib. quæstionum ad Orthodoxos, qu. 107. de Ecclesiastica Musica loquutus: *Excitat*, inquit, *hæc cum voluptate quadam animum, ad flagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, amolitur: mentem ad fructificationem diuinorum bonarum rigat, pietatis decertatores generosos, & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit: omnium rerum, quæ in vita tristes, & luctuosæ accidunt, pijs affert medicinam.*

6. *Spirituales cantiones in*

Hinc S. Chrysostomus hom. in Psalm. 41. quosuis etiam agricolas, opifices, nautas, textores, & textrices hortatur ad Psalmos, aliaq; pia cantica concinenda: *Quoniam*, inquit, *hoc genus delectationis est anima nostra valde cognatum, & familiare, ne demones lasciua meretricia cantica introducentes, omnia euertant: Psalmos Deus constituit, vt ex eare simul capiatur voluptas, & vtilitas.* Et post multa de vtilitate psallendi hæc addit: *Hæc dico, non vt vos tantum, laudetis, sed vt filios & vxores doceatis talia cantare cantica, non solum in texendo, aliúue opere faciendo, sed maximè in mensa. Quando enim Diabolus vt plurimum insidiatur conuiuijs, cùm & ebrietatis, & inglumiei, risusq; profusi, & remissi animi auxilio vtitur, tunc maxime oportet, & ante mensam, & in mensa sẽ munire psalmorũ præsidio, & simul cum vxore ac liberis surgentes à conuiuio, hymnos sacros Deo canere.*

Quotuplex opera adhibenda.

Huic rei veteres magnopere inhiabant: sciebant vtique magnã in huiusce canticis spiritualibus positam vtilitatem. Nam D. Basilius præmio in Psalmos, *Psalmus*, ait, *est animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas & fluctus cogitationum compescens, tracundiam mollit. Psalmus amicitiæ conciliator, diß dentium coniunctio, inimicorum reconciliatio. Quis enim inimicum existimabit eum, cùm quo vnam ad Deum vocem emittit?* Et infernùs: *Psalmus dæmones fugat, auxiliares angelos aduocat, in nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus requies est: infantibus cutela, iuuenibus decor, senioribus solatium, mulieribus honestissimum ornatus: solitudines celebres facit*, &c.

Cantionum spiritualium & vtilitas.

7. *Cantus refocillauit Saulem dæmoniacũ.*

Sacra pagina quoque ostendit non ad vnã rem vtilem esse cantum, sed ad plures. Primum enim reficit dæmoniacos, vt patet 1. Reg. 16. vbi Dauide psallente citharâ refocillabatur Saul à Spiritu malo exagitatus, imò ab eo recedebat: *Quandocumque*, inquit textus, *spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & lenius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Appositè Chrysost. in Psalm. 14. *Psalmus*, ait, *est anima sanctificatio, est pulcher animi concentus, acutissimum telum contra dæmones: nam cerui ita tela fugiunt, vt psalmos Dauid dæmones. Sumpsit Dauid citharam, & pulsauit, & à Saule recessit malus spiritus, & recedens dæmon cecidit, vt cervus sagitta percussus, & in iecore sauciatus.* Secundò roborat Prophetas, vt suo munere benè & audacter fungantur, vt patet 4. Reg. 3. vbi in Elisæo, canente psalte, excitatus est spiritus Domini, vt prophetaret copiã aquæ futuram, sufficientem grandi exercitui, & fauorabilem belli successum: *Cùm caneret psaltes*, inquit Scriptura, *facta est super eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus, facite alueum torrentis huius fossas & fossas. Hæc enim dicit Dominus, Non videbitis ventum, neque pluuiam: & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familia vestra, & iumenta vestra. Parumq; est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras.* Cùm itaque caneret psaltes ad musicos numeros, soporati sunt Helisæi sensus, & animus

Musicâ canto Elias prophetauit

mus magis à corporeis impedimẽtis ſolutus, ſicut in ſomno contingit ſeipſum ad cæleſtiũ rerũ contemplationẽ afflatum q; diuinum excitauit. Tunc autẽ noua rerũ cognitione illuſtratus à Deo, & id quod quęrebat, aſſecutus, dixit: *Hæc dicit Dominus, facite alueũ*, &c. vt ſup.

Cantus Ioſaphato peperit victoriam de tribus hoſtilibus exercitu.

Tertiò parit victoriam admirabilem, vt videre eſt 1. Paral. 20. vbi Ammonitis, Moabitis ac Syris contra Ioſaphat Regem inſurgẽtibus, ipſe, q; rædicato ieiunio, vna cum populo ſuo ſupplex ad Deum confugit. Intellexit autem ex Iahaziele, *ſuper quem factus erat ſpiritus Domini in medio turbæ*, quod Deus pro ſe & ſuis dimicaret: vnde dedit *conſilium populo, & ſtatuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitum, ac voce conſonæ dicerent: Confitemini Domino quoniam in æternum miſericordia eius.* Cũq; cæpiſſent laudes cantare, vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos, filiorum ſcilicet Ammon & Moab, & montis Seir, qui egreſſi fuerant vt pugnarent contra Iudam & percuſſi ſunt: namque filij Ammon, & Moab conſurrexerunt aduerſus habitatores montis Seir, vt interficerent, & delerent eos: cumq; hoc opere perpetraſſent, etiam in ſemetipſos verſi, mutuis conciderunt vulneribus.

8. *Canentium clamor ad orationem excitat.*

Denique 1. Machab. 4. canentium clamor ad orationem excitat. Cùm enim offerrent ſacrificium ſecundum legem tempore dedicationis in canticis & citharis, & cinyris, & in cymbalis, *cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt.* Quaſi dicat textus: Ad ſonitum canentium, & pulſantium inſtrumenta muſica procumbebat in faciem populus, & Deũ adorabat, cui altare dedicabatur holocauſti, quod in dedicanda Nabuchodonoſoris ſtatua fecerunt Babylonij, Dan. 3. quẽ puto fuiſſe non Hebræorum ſolum, ſed aliarũ etiam gentium legitimum morem; quaſi pſallentium clamor & organorum modulatus ſonus ad precationem, ſeu ad orationem excitaret. Sic ſanè Ezechiæ temporibus factum legimus, l. 2. Paral. cap. 29. v. 28. *Omni autem turbâ adorante, cantores, & hi qui tenebant tubas, erant in officio ſuo.* Quid autem populus pronus orauerit habes 2. Machab. ca. 10. v. 4. *Quibus geſtis rogabant Dominum proſtrati in terram, ne amplius talibus malis incideremus, ſed etſi aliquando peccaſſent, vt ab ipſo mitius corriperentur, & nõ barbaris, & blaſphemis hominibus traderentur.* Hoc ipſum deſideraſſe Tobiam hoc loco, veroſimile eſt. Cùm enim prædixiſſet *Halleluia* cantandum per vicos Ieroſolymæ, ipſe ad gratiarum actionem pergit, oratq́ue, vt in ciuitate, vbi ſtabile ſibi domicilium parauerat Deus, perpetuò regnet, neque permittat ſic iterum; labi reſtitutum populum, neque rurſus abijciat, & in ſeruile, durumq́ue iugum iterum compingat. Et addit AMEN, quæ vox tunc vſurpari ſolet, cùm aliorum votis & precibus noſtras preces & vota coniungimus.

Maudens in Tobiam.

Quin & canticis audientium, deſideria maiori deuotione inflammari, docet D. Auguſtinus dum de ſe l. 9. Confeſſ. cap. 8. dicit: *Quantum, inquit, fleui in hymnis, & canticis tuis ſuauiſonantis, Eccleſiæ tuæ vocibus, commotus acriter? voces illæ fluebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat in eis.* Et lib. 10. c. 33. *Cùm venerunt in cor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, magnam huius inſtituti vtilitatem cognoſco.* Quare & S. Thom. 2. 2. q. 91. ar. 1. ad 2. & ar. 2. docet, cantum in diuinis laudibus meritò fuiſſe inſtitutum ad deuotionem in infirmorum animis excitandam.

9. *Cantu audientium diſſolutæ maiori deuotione inflammantur.*

Hic erat priſcorum mos, reportare nempe magnam vtilitatem ex diuinis hymnis & cãticis. Nos verò his parum intẽdimus, & quod peius eſt, à cæleſti illo iubilo nauſeantes, ad prophanos conuerſi ſumus, & impuris delectamur, maximè in conuiuijs. Quo iam abiuimus Chriſtiani? quantus in conuiuijs luxus; quæ non audiuntur colloquia & cantica impura & laſciua? Si Cyprianus, ſi Eſſæi, ſi Tertullianus, ſi Paulus ad nos rediret, & Chriſtianorum iam conuiuia ſpectaret, an non exclamaret: O domus antiqua, quàm diſpare Domino dominaris? Hinc ſunt priſci illi Chriſtiani, an vmbræ Chriſtianorũ? Hiſcæne Chriſtus, an potius Bacchus dominatur? Hinc Chriſtiani ſunt, an Antichriſtiani & Bacchiani? Hinc deicolæ ſunt, an ventricolæ & Ceteris Veneriſq́ue mancipia? Quãta nunc iuuentutis laſciuia, vt nulla re magis animum demulceat, quàm lubricis cantiunculis? Non ſic beata Virgo: *Magnificat, inquit, anima mea Dominum.* Non ſic priſci illi ſancti, qui in priuatis canticis animi laxandi causâ concini ſolitis, non amatoria, ſed pia & ſacra Chriſto canebant. D. Baſilius tradidit hymnum glorificationis Sanctiſſimæ Trinitatis, id eſt, *Gloria Patri, & filio, & Spiritui ſancto*, ſuo tempore à ruſticis etiam cantari ſolitum. Quantum mutati ab illis: præter turpiloquia enim vix nouerunt poritantes aliud euomere. Præter illud quod ſuperiùs recenſui ex cãtico *Alleluia* contigiſſe miraculum, memorabile eſt & illud, quod refert Conſtantius Epiſcopus, & ex eo Baronius, ſcilicet anno Domini 429. Britannos preſſos ab hoſtibus, monitu S. Germani inclamantes Alleluia, inſignem de eis obtinuiſſe victoriam. Cũ enim omnes vna voce clamarent, *Alleluia, Hoſtile, ait, agmen terrore proſternitur, & ruiſſe ſuper ſe non ſolum rupes circumdatas, verùm etiam ipſam cæli machinam contremiſcunt*, &c. Verùm quia hiſce non aliter intendimus, non ſolùm miraculis, ſed omni fructu caremus.

10. *Reprehenduntur modernorum conuiuiorũ luxus, & turpia cantica.*

Agmen hoſtile proſtratũ ex cantu

Reſipiſce ergo mi Chriſtiane, & Apoſtoli verbis autes præbe ad Epheſ. 5. dicẽtis: *Imple-*

nim Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Audite Regium Prophetam Pſalm. 32. *Cantate Domino canticum nouum, bene pſallite ei in vociferatione:* Deo, inquit, canendum eſt, non turpitudini, non immunditiæ. Cantandum ex corde Domino: hæc cantica ſpiritalia, inquit Apoſtolus; hi pſalmi non ex ſolis labijs, ſed ex imo corde prodeant. Hortatur nempe Chriſtianos Apoſtolus ad lætitiam & exultationem ſpiritualem, vt ſemper læti & exultãtes in ſua vocatione & Chriſtianiſmo iubilent, Deoq; gratias agant, eique in lætitia & amore ſeruiant, alioſque ad eandem lætitiã, amorem, & gratiarum actionem excitent. Hæc enim ſunt indicia Spiritus ſancti cor inhabitantis, qui hunc ſpiritum gaudij ſuis afflat. Beati qui illo fruuntur, illumque excitant, & augent. Illis nihil difficile, nihil triſte accidit, ſed læto ſpiritu, alacri & magno omnia ardua & triſtia ſuperant & tranſeendunt. Hunc audite, ſi veram deſideratis lætitiam. Iacobus Apoſtolus idipſum ſuggerit: *Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Æquo animo eſt? pſallat.* Quaſi dicat: Si contriſtaris; noli captare ſolatia ab amicis, ab epulis, à muſicis, à fabulis; ſed ab oratione & colloquio cum Deo: Si pacato, tranquillo, & alacri ſis animo, pſalmodia lætitiam conſerua: ea enim auget lætitiam, & excitat iubilum Deo.

Hortatio ad lætitiam & exultationẽ ſpiritualem.

Iacob. 5.

11. Inducta autem eſt in Eccleſiam pſalmodia. Primò, vt eâ fideles ad Dei amorem excitentur. Secundò, vt ſicut variæ voces in vnam harmoniam conſentiunt, ita in vnũ fidelium animi conſpirent, ait S. Athanaſius de Interpret. Pſalm. Tertiò, vt Angelos æmulemur & Seraphinos, qui perpetuò Deo laudes canunt, concinuntque, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth Iſa 6. 3. ita Cyrillus catechesi 13. Veriſſimè Chryſoſt. in Pſ. 134. *Pſalmus*, ait, *habet voluptatem cum utilitate. Principale eius lucrum eſt ad Deum hymnos dicere, animam expurgare, cogitationem in altum extollere, vera & accurata dogmata diſcere, de præſentibus & futuris philoſophari.* Et mox: *Nam licet millies petulans ſit is qui canit, dum pſalmum reueretur, ſepit tyrannidem ſuæ petulantiæ: licet oppreſſus ſit malis innumeris, & ab egritudine animi occupetur, dum demulcetur à voluptate, leuat animum, extollit cogitationem, & mentem in ſublime euehit.*

Pſalmodia in Eccleſia vſus & fructus.

Iudica modò mi Chriſtiane, quid tibi magis expediat, an lubricis canticis infernum mereari; an verò multis ſpiritualibus emolumentis augeri, & cumulari, & cæleſte iubilum in hoc ſæculo inchoare. Apoſtolus dicit: *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna.* Eſt diſpar præmium, pro peccato mors perpetua; pro opere bono ex Dei gratia exercito vita æterna. Hanc ſeligе, vt cum viginti quatuor ſenioribus æternum alleluia cantare valeas; quò aliqua ratione noſter Tobias reſpexit.

12.

Libri

Libri TOBIÆ Capitis decimi-quarti

SYNOPSIS.

TOBIAS ſenior cùm abſoluiſſet orationem, quæ diuinas continebat laudes, atque ad eaſdem alios fuiſſet adhortatus; ſimul etiam prædixiſſet illuſtre vaticinium de reſtitutione Hieroſolymæ, dicitur conſummaſſe ſermones ſuos: deinde additur, quem annorum numerum in floréti fortuna impleuerit, quamque honeſtè & piè vixerit, quodque moriturus accerſierit filium, atque nepotes, quibus prædixit imminere iam interitum Niniue, quem ciuium clamor, & impietas vehementer vrgebat: vnde inſtructionem filiorum in bonis operibus ſummoperè commendauit. Præterea monuit, vt cùm primùm mater è viuis exceſſiſſet, & in vno ſecum tumulo eſſet condita, euolarent aliò. Cumque iterum de captiuarum tribuum reditu, & gloria prophetaſſet, completis annis centum & duobus aſſeritur honorificè ſepultus in Niniue. Tobias autem iunior cum familia locuplete, & ampla, tumulatâ matre, ad Raguelem ſocerum reuerſus eſt, quocum vitam egit pacatam, & lætam, quam feliciorem reddidit religioſa poſteritas: quæ Deo hominibuſque probata ad longa vſque ſæcula in religione morumque ſanctitate permanſit.

VERSVS I.	PARAPHRASIS.
Et conſummati ſunt ſermones Tobiæ. Et poſtquam illuminatus eſt Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum ſuorum.	*Verſ.* 1. 2. 3. Conſummatis ſermonibus Tobiæ narrat ſacer Textus, quemadmodum à cęcitate depulſa, quadraginta duobus annis vixerit pius ſenex, auctus ingenuâ poſterorum ſobole, quam vidit ad tertiam vſque generationem propagatam. Quinquaginta ſex ante cæcitatis infortunium, & quatuor tantum annos in tenebris egiſſe adiungitur.
Verſ. 3. *Quinquaginta namque & ſex annorum lumen oculorum amiſit, ſexagenarius verò recepit.*	Et quod reliquum fuit vitæ lætus pacificuſque tranſegiſſe, auctus quotidie Dei timoris, & ſolidarum virtutum incremento.
Verſ. 4. *Reliquum verò vitæ ſuæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.*	

Nota benevole Lector, quòd non ſequar hìc ordinem verſuum, vt in Bibliis continentur, ſed differam verſum ſecundum vſque ad verſum decimum quartum: quia ille per anticipationem dumtaxat ſecundo loco poſitus eſt, quia impoſſibile eſt iuxta modum ordinarium poſt mortem filios ac nepotes accerſire, iſque prophetare, & ad virtutem hortamenta præſcribere.

SECTIO PRIMA.

Hominem, qui interioribus motus signis existimat se assecutum Dei voluntatem & sensum, ordinariè decipi, cùm certus esse non queat, nisi Deus reuelauerit.

1. TOBIAS senior vir sanctus cap. 3. feruentissimè orans, ex motione interiori, ex spe concepta firmissima putauit se exauditum, vnde & domui suæ disposuit, quasi moriturus: *Igitur cùm Tobias*, inquit textus, *putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum*, testamentum suum iam condens, & vltima præcepta illi tradens: sed deceptus fuit, quia Deus non exaudiuit illum in eo, quod expressè petijt, quod erat mori, sed secundum suam voluntatem. Dedit enim illi adhuc quadraginta duos annos vitæ, benefecit illi vltra captum & expectationem, misericordiam suam multiplicando. Vnde euidens fit neutiquam consultum esse, facilè credere internis suggestionibus & signis, vel sibi persuadere se ex eis absque Dei expressa reuelatione posse assequi consilium & voluntatem Dei; neque tutum esse motionibus aliorum vltra humanam prudentiam actus suos conformare, quandoquidem rarò assequantur quid Deus factum velit, vt expressè cernimus in Tobia nostro, qui putans Dei exauditionem, & gratiam quam cor intus ei suggerebat certissimam, vel iam circa id quod actu ipse petijt, videlicet mori; & non ad id, quod etiam habitualiter desiderabat, vt videlicet Deus secundum voluntatem faceret cum ipso. Ex quo factum est, vt se deciperet, & sensum internæ motionis non assequeretur: quia Deus exaudiuit eius orationem in primo volito, vt sic dicam, & non in secundo.

Tobias vt se decepit.

Voluntas Dei, ex sensu in oratione accepto, quàm difficulter percipitur.

2. Libet clarius astruere idipsum esse difficile, vt homo intelligat, quod non semper, expediat se motioni interiori conformare. Id autem clarè quis percipiet, si attendat reuelationes Dei claras, quoad sensum suum intimum, & quem Spiritus sanctus intendit, multoties obscurissimas esse, & non intelligi, cùm interiùs aliud recondant, quàm quod exterius sonant, & nisi Deus suum declaret sensum, decipiotur infallibiliter, qui tantum externam eorum corticem sumere velit. Exempli gratia: Dixit Deus Abrahamo Genes. 13. *Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo, vsque in sempiternum.* Quam si Abraham credidisset adimplendam in persona sua iuxta externam verborum speciem, infallibiliter fuisset deceptus: quia tensus erat, Illam promissionem de terra Chanaan non in ipsius persona, sed in posteris ipsius post quadringentos annos, nempe sub Iosue. Sic illud Isaaci ad Iacobum Genes. 27. *Esto Dominus fratrum tuorum*, non poterat intelligi de Esau, qui ipsi non seruiuit, sed potiùs dominatus est ei: verùm in Idumæis posteris eius, qui tempore Dauidis ab eo subacti seruierunt Hebræis, intelligendum est; quia in ipsis effectum habuit, vt notat Chrysostomus hom. 8. in Matth. & Eutymius in Matth. 2. Sic videmus similiter illud Noë maledicentis filio Cham, Genes. 9. *Sit Chanaan seruus eius*, in posteris eius, nempe Chananæis, qui sub Iosue seruierunt Hebræis impletum esse. Sic rursum clarum est verba Genes. 4. de reductione Dei quoad personam Iacobi ex Ægypto: *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem*, non de ipso Iacobo viuo, sed de eius semine esse intelligenda: quia posteros ipsius viuos inde reduxit, Iacobum verò mortuum, qui adiurauerat filium eum secum ferre in terram promissionis. Quæ si aliquis accepisset, vt sonabant, certissimè se decepisset, cùm tamen reuelatio veritissimum continuisset sensum. Si ergo in claris, si in manifestis, si in euidentibus elocutionibus & reuelationibus, sensus ita obscurus est, ita impenetrabilis, vt nullo modo assequi sit possibile; quid in motionibus non claris, quid in affectibus tantum quos multoties, aut propria imaginatio, aut proprius affectus, aut ipse dæmon potest nobis illos suggerere?

Clara Dei reuelationes, quoad sensū intimum obscurissima sunt.

Quàm fallibilis sit interna motio.

3. Secundò clarum euadit difficile esse assequi, quid Deus velit etiam post orationem hominem agere, cùm etiam viri sancti & Prophetæ vt intelligerent sensum verborum, quę Spiritus sanctus illis indicabat, illud à Deo instanter flagitare debuerint. Sic Abraham non intelligens quomodo dicta promissio de terra Chanaan in diebus suis sortiretur effectum, sicut extrinsecus sonabat; quandoquidem in dies iam processisset, & post aliquod tempus promissionis non vidisset illam expletam, Deusque illi iterato terram Chanaan promitteret, ait: *Domine Deus vnde scire possem quod possessurus sim eam?* Indica mihi modum, & similitudinem aliquam eius rei, quam credo, exhibe.

3.

3. Viri & Prophetæ suas reuelationes non intellexerūt, nisi explicante Deo per Angelū.

Genes. 15.

exhibo. Cuius petitioni Deus annuens, Abrahæ tale dat ſignum, quo modum & ordinem rei ob oculos ponit, & verum abſconditumque aperit ſenſum, nempe promiſſionem intelligendam de ſemine, & non de perſona ſua. nam verè illi eam dabat, quando propter eum ſemini ſuo. *Scito*, inquit textus, *prænoſce, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubjicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* quaſi dicat. Poſteri tui in terra Ægypti ſub ſeruitute erunt, & affligentur quadringentis annis, ſed gentem illam Ægypticam poſteros tuos affligentem grauiſſimâ plagâ afficiam, eaque ratione tuos liberabo, vt magnâ ſubſtantia cumulati ab iis egrediantur. Tu morieris morte placida, pacatâ, & lætâ, prouectæ ætatis, annorum videlicet 175. Interea fluent 400. anni, quibus Iſaac & poſteri tui partim peregrini erunt tum in Chanaan, tum in Ægypto, partim in Ægypto ſeruiēt & affligentur: quarto autem ſeculo eos reducam huc, quando Chananæorum peccata ad illam menſuram venerint, vt Dei vindictam, & excidium eorum debeant experiri, & à terra ſua expelli & deleri: in quorum locum & regionem vos ſurrogabo.

4 Daniel quoque cap. 7. vidit viſionem quatuor beſtiarum, ſed eam non intellexit: vnde verſu 16. ab Angelo petiit eius explicationem: *Horruit*, inquit, *ſpiritus meus, Ego Daniel territus ſum in his, & viſiones capitis mei conturbauerunt me. Acceſſi ad vnum de aſſiſtentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem ſermonum, & docuit me! Hæ quatuor beſtiæ magnæ, quatuor ſunt regna, quæ conſurgent de terra.* quaſi dicat. Acceſſi ad vnum de miniſtrantibus Angelis, qui aſſiſtebant antiquo dierum, qui ſedebat in throno; & ab illo quæſiui quid tot illæ rerum ſpecies deſignarent, à quo viſionum omnium ſignificationem edoctus ſum: Hæ quatuor, inquit, beſtiæ, quæ ex mari exagitato ventis prodierūt, quatuor ſunt imperia, quæ vt è terra conſurgant, ſic etiam erunt omninò terrena. Sic cap. 8. in viſione arietis & hirci etiam quæſiuit intelligentiam, eamque accepit à Gabriele, qui dixit illi: *Aries, quem vidiſti habuere cornua, Rex Medorum eſt atque Perſarum. Porrò hircus caprarum, rex Græcorum eſt, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipſe eſt rex primus. Quod autem fracto illo ſurrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius conſurgent, ſed non in fortitudine eius.* id eſt, Aries ille, cuius caput duobus cornibus inſtructum, intuebare, Regem Perſarum, ac Medorum adumbrat. Hircus autem ille tener adhuc qui arietem bicornem oppreſſit, Rex eſt Græcorum; cornu verò prægrande, quod medium inter oculos erumpit, eſt Rex ille, qui ex Græcis primus totius orbis obtinebit imperium. Quatuor verò cornua, quæ primo confracto cornu, quaſi ex eius radice pullularunt, totidem ſunt Reges, qui ex eadem Græcorum origine conſurgent, qui tamen à prioris virtute quàm longiſſimè aberunt.

Capite vero 10. ieiunans & orans auguſtâ atque horrificâ ſpecie occurrit illi Gabriel, vt illius ſatisfaceret votis, & de rerum quarumdam euentu doceret, quæ vel ad ſtatum pertinerent rei Iudaicæ, vel ad vniuerſi ſummam œconomiam, atque multiplicem. Corruit ad viſionem ſtupefactus Daniel, confortatus tamen ab Angeli attactu, erexit ſe paululum, ita tamen, vt ceptantis in modum genibus tantum niteretur, & manibus: poſt tamen altiùs eleuatus in ipſo ſteterit pedum veſtigio, ita tamen vt corpore toto contremiſceret. Cùm tamen bono animo eſſe iuſſiſſet Angelus, ait, ſtatim à principio illius eſſe à Deo preces exauditas; ſeque tunc legatum eſſe miſſum, legationis autem, ad illius vſq; tempus dilatæ cauſam fuiſſe Angelū, qui Perſicis rebus erat præpoſitus; qui ſe Gabrielis cōſiliis aduerſarium oppoſuit. Cùm hæc ab Angelo accepiſſet Daniel, deiecit in terram oculos, & diſſolutis renibus corporis vires, & linguæ facultatem amiſit: quæ tamen rurſus Angeli miniſterio recuperauit, à quo didicit quemadmodum ex ſummis negotiis aliquid temporis etipuerit, vt ipſum de maximorum rerum euentu doceret. Rurſum cap. 12. diſertè ait Daniel v. 7. & 8. ſe audiuiſſe virum indutum lineis, qui, vt verbis ſuis conciliaret fidem, vtramque manum eleuans in cælum, iuriſiurandi religionem interpoſuit, dixitque obteſtatus viuentis in æternum fidem, horribilem illam vexationem per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id eſt, per tres annos cum dimidio fore duraturam. Et addidit tunc hæc omnia fore complenda, quādo electi populi facta fuerit per ſolitudines, & occulta loca omnimoda diſperſio. Subdit enim: *Ego audiui, & non intellexi. Et dixi, Domine mi, quid erit poſt hæc? Et ait: Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignati, ſermones, vſque ad præfinitum tempus.* Quaſi dicat Daniel: Angelus, cùm prædicta non intelligerem, & ab eo intelligere deſiderarem, faceſſere me iubet ab illa interrogatione curioſa, edicitque ſermones illos fore claudendos, obſignandoſque, donec tempus illos reſignet, & aperiat, quod Deus illorum complemento præſcripſit.

Quemadmodum Danieli contigit, ſic & 6
alijs Prophetis, ita vt non intelligerent, quæ

SECTIO PRIMA.

Hominem, qui interioribus motus signis existimat se assecutum Dei voluntatem & sensum, ordinariè decipi, cùm certus esse non queat, nisi Deus reuelauerit.

1. TOBIAS senior vir sanctus cap. 3. feruentissimè orans, ex motione interiori, ex spe concepta firmissima putauit se exauditum, vnde & domui suæ disposuit, quasi moriturus: *Igitur cùm Tobias*, inquit textus, *putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum*, testamentum suum iam condens, & vltima præcepta illi tradens: sed deceptus fuit, quia Deus non exaudiuit illum in eo, quod expressè petijt, quod erat mori, sed secundum suam voluntatem. Dedit enim illi adhuc quadraginta duos annos vitæ, benefecit illi vltra captum & expectationem, misericordiam suam multiplicando. Vnde euidens fit neutiquam consultum esse, facilè credere internis suggestionibus & signis, vel sibi persuadere se ex eis absque Dei expressa reuelatione posse assequi consilium & voluntatem Dei; neque tutum esse motionibus aliorum vltra humanam prudentiam actus suos conformare, quandoquidem rarò assequantur quid Deus factum velit, vt expressè cernimus in Tobia nostro, qui putans Dei exauditionem, & gratiam quam cor intus ei suggerebat certissimam, versam circa id quod actu ipse petijt, videlicet mori; & non ad id, quod etiam habitualiter desiderabat, vt videlicet Deus secundum voluntatem faceret cum ipso. Ex quo factum est, vt se deciperet, & sensum internæ motionis non assequeretur: quia Deus exaudiuit eius orationem in primo volito, vt sic dicam, & non in secundo.

Tobias vt se decepit.

Voluntas Dei, ex sensu in oratione accepto, quàm difficulter percipiatur.

2. Libet clarius astruere idipsum esse difficile, vt homo intelligat, quod non semper, expediat se motioni interiori conformare. Id autem clarè quis percipiet, si attendat reuelationes Dei claras, quoad sensum suum intimum, & quem Spiritus sanctus immittit, multoties obscurissimas esse, & non intelligi, cùm interius aliud recondant, quàm quod exterius sonant, & nisi Deus suum declaret sensum, decipiantur infallibiliter, qui tantum externam eorum corticem sumere velit. Exempli gratia: Dixit Deus Abrahamo Genes. 13. *Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo, vsque in sempiternum.* Quam si Abraham credidisset adimplendam in persona sua iuxta externam verborum speciem, infallibiliter fuisset deceptus: quia sensus erat, Illam promissionem de terra Chanaan non in ipsius persona, sed in posteris ipsius post quadringentos annos, nempe sub Iosue. Sic illud Isaaci ad Iacobum Genes. 27. *Esto Dominus fratrum tuorum*, non poterat intelligi de Esau, qui ipsi non seruiuit, sed potiùs dominatus est ei: verùm in Idumæis posteris eius, qui tempore Dauidis ab eo subacti seruierunt Hebræis, intelligendum est; quia in ipsis effectum habuit, vt notat Chrysostomus hom. 8. in Matth. & Eutymius in Matth. 2. Sic videmus similiter illud Noë maledicentis filio Cham, Genes. 9. *Sit Chanaan seruus eius*, in posteris eius, nempe Chananæis, qui sub Iosue seruierunt Hebræis impletum esse. Sic rursum clarum est verba Genes. 4. de reductione Dei quoad personam Iacobi ex Ægypto: *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem*, non de ipso Iacobo viuo, sed de eius semine esse intelligenda: quia posteros ipsius viuos inde reduxit, Iacobum verò mortuum, qui adiurauerat filium eum secum ferre in terram promissionis. Quæ si aliquis accepisset, vt sonabant, certissimè se decepisset, cùm tamen reuelatio verissimum contimuisset sensum. Si ergo in claris, si in manifestis, si in euidentibus elocutionibus & reuelationibus, sensus ita obscurus est, ita impenetrabilis, vt nullo modo assequi sit possibile; quid in motionibus non claris, quid in affectibus tantum quos multoties, aut propria imaginatio, aut proprius affectus, aut ipse dæmon potest nobis illos suggerere?

Quàm fallibilis sit interna motio.

3. Secundò clarum euadit difficile esse assequi, quid Deus velit etiam post orationem hominem agere, cùm etiam viri sancti & Prophetæ vt intelligerent sensum verborum, quæ Spiritus sanctus illis indicabat, illud à Deo instanter flagitare debuerint. Sic Abraham non intelligens quomodo dicta promissio de terra Chanaan in diebus suis sortiretur effectum, sicut exterius sonabat; quandoquidem in dies iam processisset, & post aliquod tempus promissionis non vidisset illam expletam, Deusque illi iterato terram Chanaan promitteret, ait: *Domine Deus vnde scire possem quod possessurus sim eam?* Indica mihi modum, & similitudinem aliquam eius rei, quam credo, exhibe.

8. Viri & Prophetæ suas reuelationes non intellexerãt, nisi explicante Deo per Angelũ.

Genes. 15.

exhibe. Cuius petitioni Deus annuens, Abrahæ tale dat signum, quo modum & ordinem rei ob oculos ponit, & verum absconditumque aperit sensum, nempe promissionem intelligendam de semine, & non de persona sua. nam verè illi eam dabat, quando propter eum semini suo. *Scito*, inquit textus, *prænosce, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem cui servituri sunt, ego judicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.* quasi dicat. Posteri tui in terra Ægypti sub servitute erunt, & affligentur quadringentis annis, sed gentem illam Ægypticam posteros tuos affligentem grauissimâ plagâ afficiam, eaque ratione tuos liberabo, vt magnâ substantia cumulati ab iis egrediantur. Tu morieris morte placidâ, pacatâ, & lætâ, prouectæ ætatis, annorum videlicet 175. Interea fluent 400. anni, quibus Isaac & posteri tui partim peregrini erunt tum in Chanaan, tum in Ægypto, partim in Ægypto seruiêt & affligentur: quarto autem seculo eos reducam huc, quando Chananæorum peccata ad illam mensuram venerint, vt Dei vindictam, & excidium eorum debeant experiri, & à terra sua expelli & deleri: in quorum locum & regionem vos surrogabo.

4. Daniel quoque cap. 7. vidit visionem quatuor bestiarum, sed eam non intellexit: vnde versu 16. ab Angelo petit eius explicationem: *Horruit*, inquit, *spiritus meus, Ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me! Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.* quasi dicat. Accessi ad vnum de ministrantibus Angelis, qui assistebant antiquo dierum, qui sedebat in throno; & ab illo quæsiui quid tot illæ rerum species designarent, à quo visionum omnium significationem edoctus sum: Hæ quatuor, inquit, bestiæ, quæ ex mari exagitato ventis prodierũt, quatuor sunt imperia, quæ vt è terra consurgant, sic etiam erunt omninò terrena. Sic cap. 8. in visione arietis & hirci etiam quæsiuit intelligentiam, eamque accepit à Gabriele, qui dixit illi: *Aries, quem vidisti habuere cornua, Rex Medorum est atque Persarum. Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.* id est, Aries ille, cuius caput duobus cornibus instructum, intuebare, Regem Persarum, ac Medorum adumbrat. Hircus autem ille tener adhuc qui arietem bicornem oppressit, Rex est Græcorum; cornu verò prægrande, quod medium inter oculos erumpit, est Rex ille, qui ex Græcis primus totius orbis obtinebit imperium. Quatuor verò cornua, quæ primo confracto cornu, quasi ex eius radice pullularunt, totidem sunt Reges, qui ex eadem Græcorum origine consurgent, qui tamen à prioris virtute quàm longissimè aberunt.

Capite vero 10. ieiunans & orans augustâ atque horrificâ specie occurrit illi Gabriel, vt illius satisfaceret votis, & de rerum quarumdam euentu doceret, quæ vel ad statum pertinerent rei Iudaicæ, vel ad vniuersi summam œconomiam, atque multiplicem. Corruit ad visionem stupefactus Daniel, confortatus tamen ab Angeli attactu, erexit se paululum, ita tamen, vt reptantis in modum genibus tantum niteretur, & manibus: post tamen altiùs eleuatus in ipso stetit pedum vestigio, ita tamen vt corpore toto contremisceret. Cùm tamen bono animo esse iussisset Angelus, ait, statim à principio illius esse à Deo preces exauditas; seque tunc legatum esse missum, legationis autem, ad illius vsq; tempus dilatæ causam fuisse Angelũ, qui Persicis rebus erat præpositus; qui se Gabrielis cõtiluis aduersarium opposuit. Cùm hæc ab Angelo accepisset Daniel, deiecit in terram oculos, & dissolutis renibus corporis vires, & linguæ facultatem amisit: quæ tamen rursus Angeli ministerio recuperauit, à quo didicit quemadmodum ex summis negotiis aliquid temporis eripuerit, vt ipsum de maximorum rerum euentu doceret. Rursum cap. 12. disertè ait Daniel v. 7. & 8. se audiuisse virum indutum lineis, qui, vt verbis suis conciliaret fidem, vtramque manum eleuans in cælum, iurisiurandi religionem interposuit, dixitque obtestatus viuentis in æternum fidem, horribilem illam vexationem per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, per tres annos cum dimidio fore duraturam. Et addidit tunc hæc omnia fore complenda, quãdo electi populi facta fuerit per solitudines, & occulta loca omnimoda dispersio. Subdit enim: *Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt, signatiq; sermones, vsque ad præfinitum tempus.* Quasi dicat Daniel: Angelus, cùm prædicta non intelligerem, & ab eo intelligere desiderarem, facessere me iubet ab illa interrogatione curiosa, edicitque sermones illos fore claudendos, obsignandosque, donec tempus illos relignet, & aperiat, quod Deus illorum complemento præscripsit.

6. Quemadmodum Danieli contigit; sic & aliis Prophetis, ita vt non intelligerent, quæ

SECTIO PRIMA.

Hominem, qui interioribus motus signis existimat se assecutum Dei voluntatem & sensum, ordinariè decipi, cùm certus esse non queat, nisi Deus reuelauerit.

1. TOBIAS senior vir sanctus cap. 3. feruentissimè orans, ex motione interiori, ex spe concepta firmissima putauit se exauditum, vnde & domui suæ disposuit, quasi moriturus: *Igitur cùm Tobias*, inquit textus, *putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum*, testamentum suum iam condens, & vltima præcepta illi tradens: sed deceptus fuit, quia Deus non exaudiuit illum in eo, quod expressè petijt, quod erat mori, sed secundum suam voluntatem. Dedit enim illi adhuc quadraginta duos annos vitæ, benefecit illi vltra captum & expectationem, misericordiam suam multiplicando. Vnde euidens fit neutiquam consultum esse, facilè credere internis suggestionibus & signis, vel sibi persuadere se ex eis absque Dei expressa reuelatione posse assequi consilium & voluntatem Dei; neque tutum esse motionibus aliorum vltra humanam prudentiam actus suos conformare, quandoquidem rarò assequantur quid Deus factum velit, vt expressè cernimus in Tobia nostro, qui putans Dei exaudutionem, & gratiam quam cor intus ei suggerebat certissimam, versam circa id quod actu ipse petijt, videlicet mori; & non ad id, quod etiam habitualiter desiderabat, vt videlicet Deus secundum voluntatem faceret cum ipso. Ex quo factum est, vt se deciperet, & sensum internæ motionis non assequeretur: quia Deus exaudiuit eius orationem in primo volito, vt sic dicam, & non in secundo.

Tobias vt se decipit.

Voluntas Dei, ex sensu in oratione accepto, quàm difficulter percipitur.

2. Libet clarius astruere idipsum esse difficile, vt homo intelligat, quod non semper, expediat se motioni interiori conformare. Id autem clarè quis percipiet, si attendat reuelationes Dei claras, quoad sensum suum intimum, & quem Spiritus sanctus immittit, multoties obscurissimas esse, & non intelligi, cùm interiùs aliud recondant, quàm quod exterius sonant, & nisi Deus suum declaret sensum, decipientur infallibiliter, qui tantum externam eorum corticem sumere velit. Exempli gratia: Dixit Deus Abrahamo Genes. 13. *Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo, vsque in sempiternum*. Quam si Abraham credidisset adimplendam in persona sua iuxta externam verborum speciem, infallibiliter fuisset deceptus: quidem sus erat, Illam promissionem de terra Chanaan non in ipsius persona, sed in posteris ipsius post quadringentos annos, nempe sub Iosue. Sic illud Isaaci ad Iacobum Genes. 27. *Esto Dominus fratrum tuorum*, non poterat intelligi de Esau, qui ipsi non seruiuit, sed potiùs dominatus est ei: verùm in Idumæis posteris eius, qui tempore Dauidis ab eo subacti seruierunt Hebræis, intelligendum est: quia in ipsis effectum habuit, vt notat Chrysostomus hom. 8. in Matth. & Eutymius in Matth. 2. Sic videmus similiter illud Noë maledicentis filio Cham, Genes. 9. *Sit Chanaan seruus eius*, in posteris eius, nempe Chananæis, qui sub Iosue seruierunt Hebræis impletum esse. Sic rursum clarum est verba Genes. 4. de reductione Dei quoad personam Iacobi ex Ægypto: *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem*, non de ipso Iacobo viuo, sed de eius semine esse intelligenda: quia posteros ipsius viuos inde reduxit, Iacobum verò mortuum, qui adiurauerat filium eum secum ferre in terram promissionis. Quæ si aliquis accepisset, vt sonabant, certissimè se decepisset, cùm tamen reuelatio verissimum contineret sensum. Si ergo in claris, si in manifestis, si in euidentibus elocutionibus & reuelationibus, sensus ita obscurus est, ita impenetrabilis, vt nullo modo assequi sit possibile; quid in motionibus non claris, quid in affectibus tantum quos multoties, aut propria imaginatio, aut proprius affectus, aut ipse dæmon potest nobis illos suggerere?

Clara Dei reuelationes, quoad sensū intimum obscurissima sunt.

Quàm fallibilis sit interna motio.

3. Secundò clarum euadit difficile esse assequi, quid Deus velit etiam post orationem hominem agere, cùm etiam viri sancti & Prophetæ vt intelligerent sensum verborum, quę Spiritus sanctus illis indicabat, illud à Deo instanter flagitare debuerint. Sic Abraham non intelligens quomodo dicta promissio de terra Chanaan in diebus suis sortiretur effectum, sicut exterius sonabat; quandoquidem in dies iam processisset, & post aliquod tempus promissionis non vidisset illam expletam, Deusque illi iterato terram Chanaan promitteret, ait: *Domine Deus vnde scire possem quod possessurus sim eam?* Indica mihi modum, & similitudinem aliquam eius rei, quam credo, exhibe,

3.

5. Viri & Prophetæ suas reuelationes non intellexerūt, nisi explicante Deo per Angelū.

Genes. 15.

exhibe. Cuius petitioni Deus annuens, Abrahæ tale dat signum, quo modum & ordinem rei ob oculos ponit, & verum absconditumque aperit sensum, nempe promissionem intelligendam de semine, & non de persona sua. nam verè illi eam dabat, quando propter eum semini suo. *Scito*, inquit textus, *prænoscè, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subjicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* quasi dicat. Posteri tui in terra Ægypti sub seruitute erunt, & affligentur quadringentis annis, sed gentem illam Ægypticam posteros tuos affligentem grauissimâ plagâ afficiam, eaque ratione tuos liberabo, vt magnâ substantia cumulati ab iis egrediantur. Tu morieris morte placidâ, pacatâ, & lætâ, prouectæ ætatis, annorum videlicet 175. Interea fluent 400. anni, quibus Isaac & posteri tui partim peregrini erunt tum in Chanaan, tum in Ægypto, partim in Ægypto seruiēt & affligentur: quarto autem seculo eos reducam huc, quando Chananæorum peccata ad illam mensuram venerint, vt Dei vindictam, & excidium eorum debeant experiri, & à terra sua expelli & deleri: in quorum locum & regionem vos surrogabo.

4. Daniel quoque cap. 7. vidit visionem quatuor bestiarum, sed eam non intellexit: vnde versu 16. ab Angelo petiit eius explicationem: *Horruit*, inquit, *spiritus meus, Ego Daniel territus sum in hîs, & visiones capitis mei conturbauerunt me. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me! Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.* quasi dicat. Accessi ad vnum de ministrantibus Angelis, qui assistebant antiquo dierum, qui sedebat in throno; & ab illo quæsiui quid tot illæ rerum species designarent, à quo visionum omnium significationem edoctus sum: Hæ quatuor, inquit, bestiæ, quæ ex mari exagitato ventis prodierūt, quatuor sunt imperia, quæ vt è terra consurgant, sic etiam erunt omninò terrena. Sic cap. 8. in visione arietis & hirci etiam quæsiuit intelligentiam, eamque accepit à Gabriele, qui dixit illi: *Aries, quem vidisti habuere cornua, Rex Medorum est atque Persarum. Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.* id est, Aries ille, cuius caput duobus cornibus instructum, intuebare, Regem Persarum, ac Medorum adumbrat. Hircus autem ille tener adhuc qui arietem bicornem oppressit, Rex est Græcorum; cornu verò prægrande, quod medium inter oculos erumpit, est Rex ille, qui ex Græcis primus totius orbis obtinebit imperium. Quatuor verò cornua, quæ primo confracto cornu, quasi ex eius radice pullularunt, totidem sunt Reges, qui ex eadem Græcorum origine consurgent, qui tamen à prioris virtute quàm longissimè aberunt.

Capite verò 10. ieiunans & orans augustâ atque horrificâ specie occurrit illi Gabriel, vt illius satisfaceret votis, & de rerum quarumdam euentu doceret, quæ vel ad statum pertinerent rei Iudaicæ, vel ad vniuersi summam œconomiam, atque multiplicem. Corruit ad visionem stupefactus Daniel, confortatus tamen ab Angeli attactu, erexit se paululum, ita tamen, vt reptantis in modum genibus tantum niteretur, & manibus: post tamen altiùs eleuatus in ipso stetit pedum vestigio, ita tamen vt corpore toto contremiscceret. Cùm tamen bono animo esse iussisset Angelus, ait, statim à principio illius esse à Deo preces exauditas; seque tunc legatum esse missum, legationis autem, ad illius vsq; tempus dilatæ causam fuisse Angelū, qui Persicis rebus erat præpositus; qui se Gabrielis cōsiliis aduersarium opposuit. Cùm hæc ab Angelo accepisset Daniel, deiecit in terram oculos, & dissolutis renibus corporis vires, & linguæ facultatem amisit: quæ tamen rursus Angeli ministerio recuperauit, à quo didicit quemadmodum ex summis negotiis aliquid temporis eripuerit, vt ipsum de maximorum rerum euentu doceret. Rursum cap. 12. diserte ait Daniel v. 7. & 8. se audiuisse virum indutum lineis, qui, vt verbis suis conciliaret fidem, vtramque manum eleuans in cælum, iurisiurandi religionem interposuit, dixitque obtestatus viuentis in æternum fidem, horribilem illam vexationem per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, per tres annos cum dimidio fore duraturam. Et addidit tunc hæc omnia fore complenda, quādo electi populi facta fuerit per solitudines, & occulta loca omnimoda dispersio. Subdit enim: *Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt, signati, sermones, vsque ad præfinitum tempus.* Quasi dicat Daniel: Angelus, cùm prædicta non intelligerem, & ab eo intelligere desiderarem, facessere me iubet ab illa interrogatione curiosa, edicitque sermones illos fore claudendos, obsignandosque, donec tempus illos resignet, & aperiat, quod Deus illorum complemento præscripsit.

Quemadmodum Danieli contigit, sic & 6.
alijs Prophetis, ita vt non intelligerent, quæ

SECTIO PRIMA.

Hominem, qui interioribus motus signis existimat se assecutum Dei voluntatem & sensum, ordinariè decipi, cùm certus esse non queat, nisi Deus reuelauerit.

1. TOBIAS senior vir sanctus cap. 3. feruentissimè orans, ex motione interiori, ex spe concepta firmissima putauit se exauditum, vnde & domui suæ disposuit, quasi moriturus: *Igitur cùm Tobias*, inquit textus, *putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum*, testamentum suum iam condens, & vltima præcepta illi tradens: sed deceptus fuit, quia Deus non exaudiuit illum in eo, quod expressè petijt, quod erat mori, sed secundum suam voluntatem. Dedit enim illi adhuc quadraginta duos annos vitæ, benefecit illi vltra captum & expectationem, misericordiam suam multiplicando. Vnde euidens fit neutiquam consultum esse, facilè credere internis suggestionibus & signis, vel sibi persuadere se ex eis absque Dei expressa reuelatione posse assequi consilium & voluntatem Dei; neque tutum esse motionibus aliorum vltra humanam prudentiam actus suos conformare, quandoquidem ratò assequantur quid Deus factum velit, vt expressè cernimus in Tobia nostro, qui putans Dei exauditionem, & gratiam quam cor intus ei suggerebat certissimam, versam circa id quod actu ipse petijt, videlicet mori; & non ad id, quod etiam habitualiter desiderabat, vt videlicet Deus secundum voluntatem faceret cum ipso. Ex quo factum est, vt se deciperet, & sensum internæ motionis non assequeretur: quia Deus exaudiuit eius orationem in primo voluto, vt sic dicam, & non in secundo.

Tobias vt se decepit.

Voluntas Dei, ex sensu in oratione accepto, quàm difficulter percipitur.

2. Libet clarius astruere idipsum esse difficile, vt homo intelligat, quod non semper, expediat se motioni interiori conformare. Id autem clarè quis percipiet, si attendat reuelationes Dei claras, quoad sensum suum intimum, & quem Spiritus sanctus immittit, multoties obscurissimas esse, & non intelligi, cùm interius aliud recondant, quàm quod exterius sonant, & nisi Deus suum declaret sensum, decipiemur infallibiliter, qui tantum externam eorum corticem sumere velit. Exempli gratia: Dixit Deus Abrahamo Genes. 13. *Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo, vsque in sempiternum*. Quam si Abraham credidisset adimplendam in persona sua iuxta externam verborum speciem, infallibiliter fuisset deceptus: quia sensus erat, Illam promissionem de terra Chanaan non in ipsius persona, sed in posteris ipsius post quadringentos annos, nempe sub Iosue. Sic illud Isaaci ad Iacobum Genes. 27. *Esto Dominus fratrum tuorum*, non poterat intelligi de Esau, qui ipsi non seruiuit, sed potiùs dominatus est ei: verùm in Idumæis posteris eius, qui tempore Dauidis ab eo subacti seruierunt Hebræis, intelligendum est; quia in ipsis effectum habuit, vt notat Chrysostomus hom. 8. in Matth. & Eutymius in Matth. 2. Sic videmus similiter illud Noë maledicentis filio Cham, Genes. 9. *Sit Chanaan seruus eius*, in posteris eius, nempe Chananæis, qui sub Iosue seruierunt Hebræis impletum esse. Sic rursum clarum est verba Genes. 4. de reductione Dei quoad personam Iacobi ex Ægypto: *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem*, non de ipso Iacobo viuo, sed de eius semine esse intelligenda: quia posteros ipsius viuos inde reduxit, Iacobum verò mortuum, qui adiurauerat filium eum secum ferre in terram promissionis. Quæ si aliquis accepisset, vt sonabant, certissimè se decepisset, cùm tamen reuelatio veritissimum contimuisset sensum. Si ergo in claris, si in manifestis, si in euidentibus elocutionibus & reuelationibus, sensus ita obscurus est, ita impenetrabilis, vt nullo modo assequi sit possibile; quid in motionibus non claris, quid in affectibus tantum quos multoties, aut propria imaginatio, aut proprius affectus, aut ipse dæmon potest nobis illos suggerere?

Clare Dei reuelationes, quoad sensû intimum obscurissimæ sunt.

Quàm fallibilis sit interna motio.

3. Secundò clarum euadit difficile esse assequi, quid Deus velit etiam post orationem hominem agere, cùm etiam viri sancti & Prophetæ vt intelligerent sensum verborum, quæ Spiritus sanctus illis indicabat, illud à Deo instanter flagitare debuerint. Sic Abraham non intelligens quomodo dicta promissio de terra Chanaan in diebus suis sortiretur effectum, sicut extrinsecus sonabat, quandoquidem in dies iam processisset, & post aliquod tempus promissionis non vidisset illam expletam, Deusque illi itoratò terram Chanaan promitteret, ait: *Domine Deus vnde scire possem quod possessurus sim eam?* Indica mihi modum, & similitudinem aliquam eius rei, quam credo, exhibe,

3. *S. Viri & Prophetæ suas reuelationes non intellexerũt, nisi explicante Deo per Angelũ.*

Genes. 15.

exhibe. Cuius petitioni Deus annuens, Abrahæ tale dat signum, quo modum & ordinem rei ob oculos ponit, & verum absconditumque aperit sensum, nempe promissionem intelligendam de semine, & non de persona sua. nam verè illi eam dabat, quando propter eum semini suo. *Scito*, inquit textus, *prænosci, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem cui servituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.* quasi dicat. Posteri tui in terra Ægypti sub servitute erunt, & affligentur quadringentis annis, sed gentem illam Ægypticam posteros tuos affligentem grauissimâ plagâ afficiam, eaque ratione tuos liberabo, vt magnâ substantia cumulati ab iis egrediantur. Tu morieris morte placidâ, pacatâ, & lætâ, prouectæ ætatis, annorum videlicet 175. Interea fluent 400. anni, quibus Isaac & posteri tui partim peregrini erunt tum in Chanaan, tum in Ægypto, partim in Ægypto seruiēt & affligentur: quarto autem seculo eos reducam huc, quando Chananæorum peccata ad illam mensuram venerint, vt Dei vindictam, & excidium eorum debeant experiri, & à terra sua expelli & deleri: in quorum locum & regionem vos surrogabo.

4. Daniel quoque cap. 7. vidit visionem quatuor bestiarum, sed eam non intellexit: vnde versu 16. ab Angelo petiit eius explicationem: *Horruit*, inquit, *spiritus meus, Ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me! Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.* quasi dicat. Accessi ad vnum de ministrantibus Angelis, qui assistebant antiquo dierum, qui sedebat in throno; & ab illo quæsiui quid tot illæ rerum species designarent, à quo visionum omnium significationem edoctus sum: Hæ quatuor, inquit, bestiæ, quæ ex mari exagitato ventis prodierūt, quatuor sunt imperia, quæ vt è terra consurgant, sic etiam erunt omninò terrena. Sic cap. 8. in visione arietis & hirci etiam quæsiuit intelligentiam, eamque accepit à Gabriele, qui dixit illi: *Aries, quem vidisti habuere cornua, Rex Medorum est atque Persarum. Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.* id est, Aries ille, cuius caput duobus cornibus instructum, intuebare, Regem Persarum, ac Medorum adumbrat. Hircus autem ille tener adhuc qui arietem bicornem oppressit, Rex est Græcorum; cornu verò prægrande, quod medium inter oculos erumpit, est Rex ille, qui ex Græcis primus totius orbis obtinebit imperium. Quatuor verò cornua, quæ primo confracto cornu, quasi ex eius radice pullularunt, totidem sunt Reges, qui ex eadem Græcorum origine consurgent, qui tamen à prioris virtute quàm longissimè aberunt.

Capite vero 10. ieiunans & orans augustâ atque horrificâ specie occurrit illi Gabriel, vt illius satisfaceret votis, & de rerum quarumdam euentu doceret, quæ vel ad statum pertinerent rei Iudaicæ, vel ad vniuersi summam œconomiam, atque multiplicem. Corruit ad visionem stupefactus Daniel, confortatus tamen ab Angeli attactu, erexit se paululum, ita tamen, vt reptantis in modum genibus tantum niteretur, & manibus: post tamen altiùs eleuatus in ipso stetit pedum vestigio, ita tamen vt corpore toto contremiscereret. Cùm tamen bono animo esse iussisset Angelus, ait, statim à principio illius esse à Deo preces exauditas; seque nunc legatum esse missum, legationis autem, ad illius vsq; tempus dilatæ causam fuisse Angelū, qui Persicis rebus erat præpositus; qui se Gabrielis cōsiliis aduersarium opposuit. Cùm hæc ab Angelo accepisset Daniel, dejecit in terram oculos, & dissolutis renibus corporis vires, & linguæ facultatem amisit: quæ tamen rursus Angeli ministerio recuperauit, à quo didicit quemadmodum ex summis negotiis aliquid temporis eripuerit, vt ipsum de maximorum rerum euentu doceret. Rursum cap. 12. diserte ait Daniel v. 7. & 8. se audiuisse virum indutum lineis, qui, vt verbis suis conciliaret fidem, vtramque manum eleuans in cælum, iurisiurandi religionem interposuit, dixitque obtestatus viuentis in æternum fidem, horribilem illam vexationem per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, per tres annos cum dimidio fore duraturam. Et addidit tunc hæc omnia fore complenda, quādo electi populi facta fuerit per solitudines, & occulta loca omnimoda dispersio. Subdit enim: *Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique, sermones, vsque ad præfinitum tempus.* Quasi dicat Daniel: Angelus, cùm prædicta non intelligerem, & ab eo intelligere desiderarem, facessere me iubet ab illa interrogatione curiosa, edicitque sermones illos fore claudendos, obsignandosque, donec tempus illos resignet, & aperiat, quod Deus illorum complemento præscripsit.

5. Quemadmodum Danieli contigit, sic & 6. aliis Prophetis, ita vt non intelligerent, quæ

nimi Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Audite Regium Prophetam Pſalm. 32. *Cantate Domino canticum nouum, benè pſallite ei in vociferatione:* Deo, inquit, canendum eſt, non turpitudini, non immunditiæ. Cantandum ex corde Domino: hæc cantica ſpiritalia, inquit Apoſtolus; hi pſalmi non ex ſolis labijs, ſed ex imo corde prodeant. Horratur nempe Chriſtianos Apoſtolus ad lætitiam & exultationem ſpiritualem, vt ſemper læti & exultãtes in ſua vocatione & Chriſtianiſmo iubilent, Deoq; gratias agant, eique in lætitia & amore ſeruiant, alioſque ad eandem lætitiã, amorem, & gratiarum actionem excitent. Hæc enim ſunt indicia Spiritus ſancti cor inhabitantis, qui hunc ſpiritum gaudij ſuis afflat. Beati qui illo fruuntur, illumque excitant, & augent. Illis nihil difficile, nihil triſte accidit, ſed læto ſpiritu, alacri & magno omnia ardua & triſtia ſupetant & tranſeendunt. Hunc audite, ſi veram deſideratis lætitiam. Iacobus Apoſtolus idipſum ſuggerit: *Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Æquo animo eſt? pſallat.* Quaſi dicat: Si contriſtaris; noli captare ſolatia ab amicis, ab epulis, à muſicis, à fabulis; ſed ab oratione & colloquio cum Deo: Si pacato, tranquillo, & alacri ſis animo, pſalmodia lætitiam conſerua: ea enim auget lætitiam, & excitat iubilum Deo.

Hortatio ad lætitiam & exultationẽ ſpiritualem.

Iacob. 5.

11. Inducta autem eſt in Eccleſiam pſalmodia. Primò, vt eâ fideles ad Dei amorem excitentur. Secundò, vt ſicut variæ voces in vnam harmoniam conſentiunt, ita in vnũ fidelium animi conſpirent, ait S. Athanaſius de Interpret. Pſalm. Tertiò, vt Angelos æmulemur & Seraphinos, qui perpetuò Deo laudes canunt, concinuntque, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth Iſa 6. 3. ita Cyrillus catechеſi 13. Veriſſimè Chryſoſt. in Pſ. 134. *Pſalmus*, ait, *habet voluptatem cum vtilitate. Principale eius lucrum eſt ad Deum hymnos dicere, animam expurgare, cogitationem in altum extollere, vera & accurata dogmata diſcere, de præſentibus & futuris philoſophari.* Et mox: *Nam licet millies petulans ſit is qui canit, dum pſalmum reuereatur, ſopit tyrannidem ſuæ petulantiæ: licet oppreſſus ſit malis innumeris, & ab agritudine animi occupetur, dum demulcetur à voluptate, lenat animum, extollit cogitationem, & mentem in ſublime exhibit.*

Pſalmodia in Eccleſiæ vſus & fructum.

Iudica modò mi Chriſtiane, quid tibi magis expediat, an lubricis canticis infernum mereari; an verò multis ſpiritualibus emolumentis augeri, & cumulari, & cæleſte iubilum in hoc ſæculo inchoare. Apoſtolus dicit: *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna.* Eſt diſpar præmium, pro peccato mors perpetua; pro opere bono ex Dei gratia exercito vita æterna. Hanc ſeligе, vt cum viginti quatuor ſenioribus æternum alleluia cantare valeas; quò aliqua ratione noſter Tobias reſpexit.

12.

Libri TOBIÆ Capitis decîmi-quarti

SYNOPSIS.

TOBIAS ſenior cùm abſoluiſſet orationem, quæ diuinas continebat laudes, atque ad eaſdem alios fuiſſet adhortatus; ſimul etiam prædixiſſet illuſtre vaticinium de reſtitutione Hieroſolymæ, dicitur conſummaſſe ſermones ſuos: deinde additur, quem annorum numerum in floreti fortuna impleuerit, quamque honeſtè & piè vixerit, quodque moriturus accerſierit filium, atque nepotes, quibus prædixit imminere iam interitum Niniue, quem ciuium clamor, & impietas vehementer vrgebat: vnde inſtructionem filiorum in bonis operibus ſummoperè commendauit. Præterea monuit, vt cùm primùm mater è viuis exceſſiſſet, & in vno ſecum tumulo eſſet condita, euolarent aliò. Cumque iterum de captiuarum tribuum reditu, & gloria prophetaſſet, completis annis centum & duobus aſſeritur honorificè ſepultus in Niniue. Tobias autem iunior cum familia locuplete, & ampla, tumulatâ matre, ad Raguelem ſocerum reuerſus eſt, quocum vitam egit pacatam, & lætam, quam feliciorem reddidit religioſa poſteritas: quæ Deo hominibuſque probata ad longa vſque ſæcula in religione morumque ſanctitate permanſit.

VERSVS I.	PARAPHRASIS.
Et conſummati ſunt ſermones Tobiæ. Et poſtquam illuminatus eſt Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum ſuorum.	*Verſ.* 1. 2. 3. Conſummatis ſermonibus Tobiæ narrat ſacer Textus, quemadmodum à cęcitate depulſa, quadraginta duobus annis vixerit pius ſenex, auctus ingenuâ poſterorum ſobole, quam vidit ad tertiam vſque generationem propagatam. Quinquaginta ſex ante cæcitatis infortunium, & quatuor tantum annos in tenebris egiſſe adiungitur. Et quod reliquum fuit vitæ lætus pacificuſque tranſegiſſe, auctus quotidie Dei timoris, & ſolidarum virtutum incremento.
Verſ. 3. *Quinquaginta namque & ſex annorum lumen oculorum amiſit, ſexagenarius verò recepit.*	
Verſ. 4. *Reliquum verò vitæ ſuæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.*	

Nota benevole Lector, quòd non ſequar hîc ordinem verſuum, vt in Bibliis continentur, ſed differam verſum ſecundum vſque ad verſum decimum quartum: quia ille per anticipationem dumtaxat ſecundo loco poſitus eſt, quia impoſſibile eſt iuxta modum ordinarium poſt mortem filios ac nepotes accerſire, iiſque prophetare, & ad virtutem hortamenta præſcribere.

exhibe. Cuius petitioni Deus annuens, Abrahæ tale dat signum, quo modum & ordinem rei ob oculos ponit, & verum abscónditumque aperit sensum, nempe promissionem intelligendam de semine, & non de persona sua. nam verè illi eam dabat, quando propter eum semini suo. *Scito*, inquit textus, *prænosce, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* quasi dicat. Posteri tui in terra Ægypti sub seruitute erunt, & affligentur quadringentis annis, sed gentem illam Ægypticam posteros tuos affligentem grauissimâ plagâ afficiam, eáque ratione tuos liberabo, vt magnâ substantia cumulati ab iis egrediantur. Tu morieris morte placidâ, pacatâ, & lætâ, prouectæ ætatis, annorum videlicet 175. Interea fluent 400. anni, quibus Isaac & posteri tui partim peregrini erunt tum in Chanaan, tum in Ægypto, partim in Ægypto seruient & affligentur: quarto autem seculo eos reducam huc, quando Chanaanæorum peccata ad illam mensuram venerint, vt Dei vindictam, & excidium eorum debeant experiri, & à terra sua expelli & deleri: in quorum locum & regionem vos surrogabo.

4 Daniel quoque cap. 7. vidit visionem quatuor bestiarum, sed eam non intellexit: vnde versu 16. ab Angelo petiit eius explicationem: *Horruit*, inquit, *spiritus meus, Ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me! Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.* quasi dicat. Accessi ad vnum de ministrantibus Angelis, qui assistebant antiquo dierum, qui sedebat in throno; & ab illo quæsiui quid tot illæ rerum species designarent, à quo visionum omnium significationem edoctus sum: Hæ quatuor, inquit, bestiæ, quæ ex mari exagitato ventis prodierũt, quatuor sunt imperia, quæ vt è terra consurgant, sic etiam erunt omninò terrena. Sic cap. 8. in visione arietis & hirci etiam quæsiuit intelligentiam, eamque accepit à Gabriele, qui dixit illi: *Aries, quem vidisti habuere cornua, Rex Medorum est atque Persarum. Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.* id est, Aries ille, cuius caput duobus cornibus instructum, intuebare, Regem Persarum, ac Medorum adumbrat. Hircus autem ille tener adhuc qui arietem bicornem oppressit, Rex est Græcorum; cornu verò prægrande, quod medium inter oculos erumpit, est Rex ille, qui ex Græcis primus totius orbis obtinebit imperium. Quatuor verò cornua, quæ primo confracto cornu, quasi ex eius radice pullularunt, totidem sunt Reges, qui ex eadem Græcorum origine consurgent, qui tamen à prioris virtute quàm longissimè aberunt.

Capite vero 10. ieiunans & orans augustâ atque horrificâ specie occurrit illi Gabriel, vt illius satisfaceret votis, & de rerum quarumdam euentu doceret, quæ vel ad statum pertinerent rei Iudaicæ, vel ad vniuersi summam œconomiam, atque multiplicem. Corruit ad visionem stupefactus Daniel, confortatus tamen ab Angeli attactu, erexit se paululum, ita tamen, vt reptantis in modum genibus tantum niteretur, & manibus: post tamen altiùs eleuatus in ipso steterit pedum vestigio, ita tamen vt corpore toto contremisceret. Cùm tamen bono animo esse iussisset Angelus, ait, statim à principio illius esse à Deo preces exauditas; seque tunc legatum esse missum, legationis autem, ad illius vsq; tempus dilatæ causam fuisse Angelũ, qui Persicis rebus erat præpositus; qui se Gabrielis cõsiliis aduersarium opposuit. Cùm hæc ab Angelo accepisset Daniel, deiecit in terram oculos, & dissolutis renibus corporis vires, & linguæ facultatem amisit: quæ tamen rursus Angeli ministerio recuperauit, à quo didicit quemadmodum ex summis negotiis aliquid temporis etipuerit, vt ipsum de maximorum rerum euentu doceret. Rursum cap. 12. differè ait Daniel v. 7. & 8. se audiuisse virum indutum lineis, qui, vt verbis suis conciliaret fidem, vtramque manum eleuans in cælum, iurisiurandi religionem interposuit, dixitque obtestatus viuentis in æternum fidem, horribilem illam vexationem per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, per tres annos cum dimidio fore duraturam. Et addidit tunc hæc omnia fore complenda, quãdo electi populi facta fuerit per solitudines, & occulta loca omnimoda dispersio. Subdit enim: *Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt, signati, sermones, vsque ad præfinitum tempus.* Quasi dicat Daniel: Angelus, cùm prædicta non intelligerem, & ab eo intelligere desiderarem, facessere me iubet ab illa interrogatione curiosa, edicitque sermones illos fore claudendos, obsignandosque, donec tempus illos resignet, & aperiat, quod Deus illorum complemento præscripsit.

Quemadmodum Danieli contigit, sic & 6
alijs Prophetis, ita vt non intelligerent, quæ

viderent. Sic Zacharias cap. 4. vidit candelabrum cum ſeptem lucernis, & duas oliuas; nec tamen intellexit, quid hæc ſignificarent. Vnde dixit Angelo verſ. 5. *Quid ſunt hæc Domine mi?* Cui reſpondens Angelus eadem explicuit. Sic cap. 6. videns quatuor quadrigas variorum colorum dixit Angelo verſ. 5. *Quid ſunt hæc Domine mi?* Et ab eo audiuit: *Iſti ſunt quatuor venti.* Porrò qui & quales ſint hi venti, an litterales, an potius parabolici & myſtici, non audiuit. Si hi Prophetæ tam illuminati non perceperunt ſenſum eorum quæ viderunt, quomodo quis in ſpiritualibus vix conceptus, necdum natus audebit ſibi perſuadere ſe aſſecutum quid Deus poſt orationem de ipſo diſpoſuerit? Hinc, inquam, colligitur, quàm imprudenter & difficilè, ex interioribus ſignis certum iudicium, aut certam indagationem, aut certum elicere conſilium, ita vt in opus exeat, & ſecundum affectus illos foris quis aut conſulat, aut negotia perficiat.

7. *Prophetæ ſæpè fallantur.*

Tertiò euidenter patet, neminem ſibi eiuſmodi ſcientiam debere adſcribere, quandoquidem & Prophetæ ſæpè fallantur, & cùm exiſtimant ſpiritu loqui prophetico, interdum ſicut cæteri hominum ſuis ducantur, imò & abducantur conſiliis, & prudentibus agant dumtaxat coniecturis. Sic Nathan 2. Reg. 7. cùm Dauid illi communicaſſet meditationem quam habuerat in domo ſua nempe quod ipſe, cùm nullus obſtreperet bellorum motus ab hoſte vicino, in domo habitaret è materia cedrina, & luculenter ornata; Dei autem arca ſub tabernaculo exiſteret pellibus inſtrato, reſpondit illi, inquam, Nathã, *Omne quod eſt in corde tuo, vade fac, quia Dominus tecum eſt.* quaſi dicat. Rectè cogitas de conſtruenda domo Domini, quia illa eſt voluntas Domini. Sed deceptus fuit, nam reprehenſus à Deo legitur, vt indicat facer Textus, qui ſic habet: *Factum eſt autem in illa nocte: & ecce ſermo Domini ad Nathan dicens: Vade, & loquere ad ſeruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Quaſi diceret: Minimè. Et ſubdit rationes cur in præſens non vrgeret templi fabricam, poſt quas commemorat beneficia Dauidi præſtita, neque minora in poſterum beneficia promittit, inter quæ erit, quod vnus poſterorum eius, poſtquam è viuis exceſſerit, ædificabit Deo domum, de qua ipſe proximè ſecum cogitabat, quamque Nathan ſuadebat. In quam rem luculenter Greg. Magnus hom. 1. in Ezechielem: *Sciendum*, inquit, *quod aliquando Prophetæ ſancti, dum conſuluntur, ex magno vſu prophetandi quædam ex ſuo ſpiritu proferunt, & ſe ex Prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur. Sed quia ſancti ſunt, per ſanctum Spiritum citius correcti, ab eo, quæ vera ſunt, audiunt, & ſeipſos, quia falſa dixerint, reprehendunt. Nathan enim Prophetam ſanctum virum fuiſſe quis negat? Qui Dauid Regem & de culpa apertè reprehendit, & quæ ei pro culpa eadem eſſent uentura, nunciauit. Quem tamen dum idem Dauid, quia Templum Deo vellet conſtruere requiſiſſet, illicò reſpondit: Omne quod eſt in corde tuo, vade, & fac, quia Dominus tecum eſt. De quo illic ſtatim ſubditur: Factum eſt in nocte illa, & ecce ſermo Domini ad Nathan dicens: Vade & loquere ad ſeruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus Deus; numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* In quibus clarum eſt, Prophetam probaſſe Dauidis conſilium, illudque iuſſiſſe quamprimum ad opus conferre, & tamen Deum docuiſſe id à ſe non prodire, cùm iubet vt manus ab ædificando contineat, & alteri illius operis molitionem reſeruet.

Non omnia, quæ dicunt Prophetæ ſpiritu diuino dicere prophetico.

Exemplum Nathan.

8. *Exemplum in Abrahamo.*

Si placet, audi aliud huius rei argumentum; rem planè paradoxam. Geneſ 21. Sara vxor Abrahæ dixit marito, viſo filio Agar, eiuſdem Abrahæ vxoris quoad concubitum, ludente cum Iſaac filio ſuo: *Eiice ancillam hanc, & filium eius; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Certum eſt quod diuino inſtinctu & impulſu; ſed hoc latuit Abraham, vnde ſubiungit textus, *Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo.* Erat quippe contra paternam charitatem, naturalem ac legitimum filium, quem alere & educare debebat, eijcere domo, & paternâ curâ, inſtitutione, atque gubernatione abdicare. Agar porrò, quæ vera erat, vxor eius, contra coniugalem fidem & charitatem erat, thoro & contubernio ſuo priuare: & quam vtique ſuſtentare ac tueri, eique petenti debitum reddere debebat, eam in manifeſtum perdendæ pudicitiæ ac vitæ diſcrimen obijcere, ingens flagitium videri poterat. Sed Dominus dixit illi, *Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Et cognoſcens Dei voluntatem, non attendit amplius ad carnem & ſanguinem; ſed & promptè ſe conformauit vxoris dictis, & omnem vincens maritalem & paternum affectum, cõtinuò vxorem & filium eiecit, licet Dei ſciret præceptum ad Euam, Geneſ. 3. Appoſitè Hieronymus lib. 1. aduerſ. Heluidium fine. *Deficerunt*, inquit Scriptura, *Sara fieri muliebria: poſt quod dicitur ad Abraham:* Omnia quæcumq. dicit tibi Sara, audi vocem eius. Quæ non eſt in partus anxietatibus, & dolore, quæ deficientibus menſtrui cruoris officijs, mulier eſſe deſijt, à Dei maledictione ſit libera: nec eſt ad virum conuerſio eius, ſed è contrario vir ſubijcitur ei, & Domini voce præcipitur: omnia quæcumque dicit tibi Sara, audi vocem eius. *Geneſ. 16.*

D. Auguſtinus q. 51. in Geneſ. quærit. *Quomodo Abraham, cùm eſſet Propheta, non intellexerit dictum illud Sara de eijciendo Iſmahele, eſſe prophetiam, immò in dicto valde cõtriſtatus ſit, cum tamen*

prophe-

prophetiam illam, & mysterium verbis illis adumbratum, magis ipse quàm Sara nosse debuisset. Sed intelligendum, inquit Augustinus, *vel ex reuelatione hoc dixisse Saram, cui prius illud fuerat à Deo reuelatum, Abraham verò, quem de hoc postea Dominus instruxit, paterno affectu pro filio esse commotum. Vel existimare licet, ambos primo nescisse, quidnam illud significaret; sed per Saram nescientem, illud esse dictum prophetuè, cum illa muliebri animo esset commota propter ancillæ superbiam.* Sic Augustinus. Addat præterea Lector, nõ semper ipsis Prophetis præsto esse spiritum prophetiæ, vt vel ipsi quotiescumque volunt prophetare, vel aliorum dicta, sint prophetiæ nec ne, certo nosse ac diudicare possint.

9. Verùm enimuero mirum nõ est Abraham extra reuelationem vocem Saræ duriùs accepisse ob causas prædictas, & Dei ordinarium institutum; sed quod non sciret Dei peculiarem in hac re voluntatem, cùm esset Prophetа. Sed mirum non est priuato spiritu actum secreta Dei non capere. Ionas licet Propheta, actus spiritu naturali & humano, non diuino, quædam egit & dixit à charitate, æquitate & veritate aliena. Cùm enim videret Deum parcere Niniuitis pœnitentibus, ac consequẽter suum oraculum, quo Niniuem subuertendam prædixerat, reddi vanum & falsum, *afflictus est afflictione magna, & iratus est. Et orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Et nunc Domine, tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors, quàm vita.* En, indignatur Deum ad pœnitentiam Niniuitarum commoueri, & mortem sibi optat. Vehemens planè ambitionis æstus grauissimus ex violato nomine, aut obscurata æstimatione labor. Tolerandam mortem infinitæ multitudinis putat Propheta, neque tolerandam putat leuem ignominiam. Planè cæca est, & amens ambitio, quæ vbi hominum animos occupauit, omnem prudentiam, & humanitatem expectorat. Cùm de aliorum miserijs dolere debeamus, & quoad nostra tulerit facultas illorum inopiæ subuenire, maximè cum in eodem statu atque discrimine aliquãdo fuimus. Hic mihi, si vsquam, videre videor, quàm sit vehemens ambitionis studium quàm præceps æstus, quo neque in animis minorem excitat tempestatem, quàm in mari aut Aquilo, aut Notus, aut ventorum omnium conspirans furor, neque minus excæcat mentem, quàm profundæ noctis offusa caligo. Agebatur hic Dei gloria, quam rebus omnibus præferre Propheta debuit, à quo tot fuerat beneficiis cumulatus. Agebatur corporalis vitarum amplæ, atque frequentis ciuitatis, quantam in terris, ab ortu constituto, fuisse non legimus. Agebatur spiritualis salus infinitæ propè multitudinis. Huic opponebatur metus leuissimæ cuiusdam ignominiæ, ne videretur ab spiritu potiùs aut malo, aut suo, quàm inspiratus à diuino, quem metum fingebat potius sibi, quàm reuera adfuturus erat, vel à contribulibus, vel à Niniuitarum vulgo, cùm omnibus de illius Gentis pœnitentia constaret, quam seruare tantum apud Deum habere momenti, vt gladium eximat è manibus, & indignationis æstu feruentem animum ad tranquillitatem & clementiam traducat. Hic igitur metus, non tam verus, quàm falsâ existimatione conceptus, tantum valuit apud infirmum, & ambitiosum Prophetæ animum, vt longè post habuerit diuinam voluntatem, & gloriam, & tot hominum spiritualem, & animalem vitam, leuissimæ cuiusdam ignominiæ timori. Cumque ex ciuitate in proximum locum, quasi in speculam esset egressus, vt Niniuitarum pœnitentiæ, & vaticinij minacis euentum spectaret, umbraculum sibi contra orientalem ciuitatis plagam excitauit, iuxta quam Dominus incremento subito præparauit hederam, quæ opacaret locum & Prophetæ caput, à Solis inclementia defenderet. Quæ res incredibili affecit Prophetam voluptate. Sed cùm subitò corrosa à verme exaruisset hedera, & perijsset illa repentina commoditas, rursus indignatur Ionas, rursus incessit mortis desiderium. Vnde occasionem sumit Deus, vt iustam ipsius iram illi demonstret, eumque interrogat, *Putasne bene iratus es tu super hedera?* Ad quam interrogationem Ionas audacter respondet *Bene irascor ego vsque ad mortem:* Tam iustè, inquit, irascor, vt ad mortem vsque adigat me. En rursum ambitionis cæcitas in tanto Propheta. Cur arefacta hedera, non subit speluncam, aut vrbem ingreditur, vbi ad calorem euitandum magis erant apta diuerticula? Non credo, eripi sibi vitam & lucem postulatet, si tantum patereturà vento vrente, nisi intus multò grauius vreret ambitionis æstus, aut ignominiæ timor. Ferebat enim iniquissimè, eò existimationem suam esse deductam, vt vanus haberetur Propheta, atque delirus vates. Quod faciant hodieque quàm plurimi, qui vt ignominiam à se depellant, mortem oppetunt interdum sempiternam, & si quid ignominiosum patiuntur, aut timent, fulmen optant in suum caput vibrari; aut terram hiscere cupiunt, & precantur. Quis hæc à spiritu Prophetico emanare dixerit, quæ tam sunt à charitate aliena, tam amplæ ciuitatis ruinâ, & infinitæ propè multitudinis interitu veri Prophetæ opinionem & nomen velle seruare?

Ionas, licet Propheta, spiritu iniquo motus exit ab Niniuitas, quàm fumum fumus. Ion. 4.

Ambitio præceps & cæca.

Disce ex his, mi Christiane, verissimum 10.
esse

Voluntas Dei quàm difficulter percipitur ex ſenſu in oratione accepto.

eſſe quod orans dixit Sara cap. 4. huius hiſtoriæ : *Non eſt in hominis poteſtate Dei conſilium:* etiam illud Pauli, quod *nullus conſiliarius Dei ſit:* Illudque Saluatoris noſtri: *Nemo nouit quæ ſunt Patris, niſi filius; neque Filij, niſi Pater, & cui voluerit Pater reuelare.* Diſce, inquam, non te conformare interiori motioni, aut ſenſui quem in oratione recipis: quia in Tobia noſtro clariſſimè paret, quàm ſit difficile ex ſenſu, quem quis in oratione recepit, volũtatem Dei intelligere, quiuis ſit ſenſus Domini agnoſcere. Cornelius Centurio vir erat religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper. Iuſtus erat, vt pote quia Iudæis quibuſcum Cæſareæ verſabatur, didicerat & hauſerat fidem explicitam vnius Dei, & implicitam Chriſti mediatoris, colebatque intimè verum Deum, ſicut Iob, eiuſque amici ſeruans legem naturæ & charitatis, indeque eleemoſynas, aliaque pia opera præſtabat, & Deum, quantum per negotia domeſtica & militaria licebat, aſſiduè deprecabatur, veroſimiliter vt illa obtineret, quæ ad ſalutem ipſi & familiæ eius forent neceſſaria. Hic, inquã, cùm inuincibili laboraſſet ignorantia explicitæ fidei in Chriſtum non ſuis motionibus credidit, ſed Angelo illi apparenti, & dicenti: *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.*

S. Paulus 2. Cor. 12. plurimum rogauerat Deum, vt eum liberaret ab Angelo Satanæ ipſum colaphizantis, & in ea perſtitit, donec intellexit à Domino per reuelationem Angeli, quænam eſſet voluntas Dei. dicebat enim illi: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* O Paule, inquit, tibi petis ſtimulum carnis auferri propter gloriam meam, vt magis nomen meum manifeſtetur: ſcito id potius fieri iſto ſtimulo, & infirmitate tua durante. Nam virtus & potentia mea plus declaratur, quanto per infirmiora inſtrumenta maiora efficit. Atqui tunc propriàs motiones non reſpexit, ſed diuinæ reuelationi ſe in totum conformauit: *Libenter*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* quaſi dicat. Quandoquidem iuxta reſponſum Domini, virtus in infirmitate perficitur, libentiſſimè gloriabor in quouis dolore, & afflictione, quæ vel corpus, vel animũ premit, vt indies magis ſuper me confirmetur potentia Chriſti, qua nimirum potens ſum in Chriſto ad ſuperandas omnes infirmitates. Certus erat Apoſtolus per diuinam reuelationem: Nos autem qui longè abſumus à ſanctitate tanti Doctoris & Apoſtoli, neque cæleſtia vllarenus guſtauimus, internas motiones credimus Dei eſſe reuelationes: vnde ad ſtatum ſæpè aſpiramus, quaſi dixiſſet Dominus, quaſi indicaſſet ſuam voluntatem. Noui ego tales, & pro certo habebam ex prudentia & naturali diſcurſu, quod nihil aſſequeretur, vti & euentus comprobauit. Proinde nemo facilè ſecundum internas ſuas motiones operetur; ſed potiùs in directione negotiorum tam ſpiritualium, quàm corporalium prudentia vtatur, & naturali Diſcurſu, media applicet illa, quæ prudentia humana, & cordatus ſuggerit, ac præuidet diſcurſus, & comperiet ſe non facilè deceptum iri, atque illi qui interioribus ſignis moti, aut aliorum verbis, vltra humanam prudentiam quidpiam aggrediuntur: Niſi enim Deus reuelet, ſpeciem ſubit dementiæ ſecundum illas operari, vt ex facto Tobiæ quis facilè colliget, qui quaſi certus ſe morituru̇m, omnia ita diſpoſuit, quaſi mors eſſet in ianuis: Dei autem voluntas erat, vt quadraginta duobus annis adhuc inter mortales ageret, eiuſque prouidentiam erga iuſtos de facto experiretur.

Modus procedendi prudens quales ſit.

Enuc'ea igitur mi homo, verba Iſaiæ Prophetæ quæ dixit cap. 55. nomine Dei: *Non enim*, inquit, *cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ*, &c. *quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ a cogitationibus veſtris.* Illi exiſtimabant Deum offenſum eſſe vt hominem, qui in offendentem ſpirat minas & vindictam: ſed Iſaias nomine Dei aliter eos inſtruit: Ne diffidatis, inquit, de venia & amicitia Dei, ne terreamini multitudine, enormitate, iteratione, & aſſiduitate ſcelerũ veſtrorũ, maior his omnibus eſt Dei miſericordia, quã hic pœnitentibus offert & promittit: *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum: Secundum altitudinem cœli a terra*, inquit Regius Prophera, *corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe*, Pſal. 102. Ea eſt proportio miſericordiæ Dei ad homines, quæ cœli eſt ad terram, hoc eſt, circuli immenſi ad vnum punctum, & centrum quaſi dicat: In immenſum nos noſtraque merita, noſtras cogitationes, æquè ac miſerias ſuperat & ambit, firmat ſemper & roborat altiſſima Dei miſericordia. Præclarè S. Fulgentius alludens ad verba Iſaiæ: *Quoniam multus eſt ad ignoſcendum*, inquit epiſt. 7. ad Venantiam cap. 4. *In hoc multo*, ait, *nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors eſt. Tanta eſt autem & benignitas omnipotentiæ & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil ſit quod nolit aut non poſſit relaxare conuerſo.* Et cap 3. *Si peritus eſt medicus noſter, omnes poteſt infirmitates noſtras ſanare. Si miſericors eſt Deus noſter, vniuerſa poteſt peccata dimittere. Non eſt perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur: nec eſt perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis inuenitur. Scriptum vere tenetur in libris ſacris: Sapientiam autem non vincit malitia.* Et

11. *Alia ſunt cogitationes Dei, alia hominum.*

Quanta ſit miſericordia Dei.

tis. Et Psal. 102. *Benedic anima mea Domino*, &c. *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Hæc mastica, mi Christiane, hæc rumina, hæc tibi adapta, numquam sensui tuo credas, sed pete à Deo, vt cor tuum, sensus & actiones dirigat; numquam errabis.

SECTIO II.

Deum vltra vota in hominem esse munificum: Et tribulationem patienter ferentes in hac vita claros reddere.

1. *Liberalitas Dei Tobiæ patrimonium transcendit.*

TOBIAS senior orauerat cap. 3. Deum, vt secundum voluntatem reciperet in pace animam eius, verum Deus ex beneplacito suæ voluntatis iudicauit melius, vt ipsi vitam non solum ad metam diuinitus destinatam prorogaret, sed etiam eandem bonis omnibus cumularet, vt quod vitæ reliquum erat, cum gaudio perficeret. Nam tam liberalis erga illum extitit voluntas Dei cùm ille de morte cogitaret in variis angustiis positus, vt euidenter ostenderet cogitationes eius tantum distare à nostris, sicut cæli à terra. Quæ ille excogitare vix poterat, illi elargitus est, filium sospitem recepit, vxoratum, diuitem, pecuniâ receptam à Gabelo, & insuper visum, quando mortem sperabat, imò quadraginta duorum annorum vitæ lætos, pacificosque dies. Hæc vltra captum humanum, vltra imaginationem suam, vltra spem propriam & aliorũ: à Deo accepit ne mireris, Deus est qui dedit. Ex quibus duo docemur, Vnum, quod Deus merita supplicum excedat & vota, seu plura doner, quam homo meritò auderet petere. Alterum, quod post exiguam tribulationem faciet afflictos etiam in hac vita diu splendescere.

2. *Iacob à Deo recipit vltra vota sua.*

Primùm euidenter constat per exempla S. Scripturæ. Iacob Genes. 28. à domo extorris, fugiens à fratre suo Esau solus & pauper, in fide tamen diues, à Deo petiit, imò votum vouit, si Deus illi pauca tribueret, quod maiori cultu illi seruiret: *Si fuerit*, inquit, *Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum vocabitur Domus Dei: cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quasi dicat: Si Deus mihi dederit victum, vestitum, ac felicem reditum in patriam; ego ipsi voueo ac promitto, quod deinceps eum colam speciali & maiori cultu, quàm antè eum coluerim; nimirum, quòd dabo ei decimas, tum ad sacrificia, tum ad alium quemlibet eius cultum; quodque post meum ex Mesopotamia reditum, locum hũc Deo quasi aram & templum aut sacellum dicabo: ita enim hoc votum suum, in sequentibus explicat ipse Iacob. At Deus quid illi contulit? Audi ipsum cap. 31. *In baculo meo*, inquit, *transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior.* Solus baculo seu pedum pastorali innixus, egenus vt pastor sine grege; imò gregem pascendum quærens, ex patria iui in Haran: nunc Dei dono cum duabus prolium, famulorum, & pecudum turmis regredior. Non solum victum & vestitum illi dedit Deus, sed filios & filias, sed vxores & seruos, sed pecora & diuitias, quæ in tantum auctæ sunt, vt Moyses dicat c. 36. de Iacobo & fratre eius Esau: *Diuites erant valde & simul habitare non poterant; nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum pra multitudine gregũ.* Præterea effecit Deus, vt Esau, qui mortuo patre cum tota familia redierat ad patris funus in Hebron, quasi ibidem mansurus; in suam Idumæam rursus reciperet, fratriq; cederet Chananæam.

Idem Genes. 45. intelligens Iosephum filium suum cum magna gloria dominari in terra Ægypti, dicebat: *Sufficit mihi, si adhuc filius meus Ioseph viuit: vadam, & videbo illum antequam moriar.* Hoc vnicum vouebat, & desiderabat; sed Deus meritã supplicum excedens & vota, cum Iacob timeret iter in Ægyptum ob causas superiori capite explicatas, dixit illi: *Ego sum fortissimus patris tui, noli timere, descende in AEgyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde te reducam reuertentem.* Tantum videre Ioseph Iacobo erat in votis, at Deus non solũ illius concessit ei præsentiam, sed & suam societatem, & gentem magnam, imò ex Ægypto reuersionem, & insuper sic constantem sui filij visionem, sic sufficientem, vt sic dicam, vt ea vltra captum exsatiatus, non prius eius visionem amitteret, quàm terminus ipsius clauderetur vitæ, *Ego descendam tecum illuc, & ego inde te abducam reuertentem: Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Appositè Chrysostomus hom. 65. in Gen. *Vide quomodo ea quæ iustus ille desiderabat, ea illi Deus pollicetur: imò & multò maiora. Liberalitate enim sua nostras petitiones transcendit, seruans solitam suam misericordiam. Ne timeas inquit, descendere in AEgyptum. Quoniam anxius erat ob viæ prolixitatem, ideò dicit: Ne respicias ad infirmitatem senectutis, in gentem enim magnam faciam te illuc: & descendam tecum in AEgyptum, ego te comitabor & omnia tua prospera reddam. Aduerte quo modo verba humilitati nostræ attemperet: Descendam, inquit, tecum in AEgyptum. Quid hoc beatius fuerit, quàm Deum ipsum habere comitem itineris. Sequitur postea consolatio, quâ plurimum indigebat senex. Et Ioseph,*

inquit,

inquit, imponet manus ſuper oculos tuos. Ille dilectus tuus, ipſe te fouebit, & manus imponet ſuper oculos tuos. Gaudens itaq;, & totus ſecurus iter ingredi cœpit. Cogita hîc obſecro iuſtum, quàm iucundum fecerit iter, acceptis tam certis Dei promiſſionibus.

Dei liberalitas erga Iſraeliticum populum.

Populus Iſraeliticus 1. Reg. 7. per Samuelem obnixè rogabat Deum, vt ſaluaretur de manu Philiſtinorum: ſed tam eximia fuit Dei in populum liberalitas pluta votis conferentis beneficia, vt ſupra petitionem concederet eidem Philiſtinos ſpoliare, & ab eis captas vrbes extorquere: *Facta eſt vtique manus Domini ſuper Philiſtæos*, inquit ſacer textus, *cunctis diebus Samuelis, & reddita ſunt vrbes, quæ tulerant Philiſtini ab Iſrael, Iſrael ab Accaron vſque Geth, & terminos ſuos. Liberauitq; Iſrael de manu Philiſtinorum, eratq; pax inter Iſrael & Amorrhæum.* Senſus eſt, Samuel victor Philiſtinorum ab iiſdem vel vi eripuit nonnullas Hebræorum vrbes, quas antea occuparant: vel à Philiſtinis ſponte oblatas recepit, metuentibus ne amitterent proprias, ſi retinerent alienas, vel certè pacto inito, & propoſitis pacis conditionibus recuperauit. Vt vt eſt, nõ ſolum ſaluatus eſt populus de manu Philiſtinorum quemadmodum ſolum poſtulauerat; ſed etiam captas vrbes recuperauit.

Anna vxor Elcanæ filium petiit à Deo, & Prophetam accepit Salomon 3. Reg 3. petiit à Deo cor docile, vt populum ſuum iudicare poſſet, & diſcernere inter bonum & malum. quod ita placuit Deo, vt illi dixerit: *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias ſcilicet, & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in regibus retro diebus.*

3. *Deus dum differt poſtulata, maiora poſtea concedit; quàm poſtulemus.*

Macte igitur animo, mi homo. Sæpè inſiſtimus apud Deum ob vnam rem, & cùm ſtatim non annuit votis, cadimus animo: ſed non intelligimus Dei prouidentiam, qui dum differt minus quod petimus, decernit poſt tempus aliquod liberalius donum elargiri. Tobias aſſiduis precibus rogabat Deum, vt morte clauſulam faceret malorum, ſed Deus munificentiam ſuam oſtendit poſt annos quatuor, & liberalitate moram compenſauit, vt ſuperiùs recenſui. Dauid à Deo petiit filium, ſed Deus vlterius illi præſtitit Meſſiã, quem fecit longè poſt ex femine illius naſci, Daniel petiit liberationem populi Iudaici è captiuitate Babylonica; aſt Deus poſt tres ſeptimanas dedit illi oraculum & promiſſum de aduentu Meſſiæ ad redimendum totum mundum è captiuitate & tyrannide diaboli, Daniel. 9. Eique communicauit eundem citius venturum, quàm putabatur. Ezechias Rex petiit à Deo ſanitatem, ſed Deus cum illa adiecit ei quindecim annos vitæ, & victoriam contra inimicos promiſit; quod ille non rogauerat, eamque poſtea miraculoſam cæſis per Angelum centum octuaginta quinque millibus Aſſyriorum expertus eſt.

Quid dico? 4. Reg. 3. tres Reges laborantes aquæ pænuriâ cum exercitu eorum, quærebant Prophetam Domini, vt deprecaretur per eum Dominum pro aqua ad ſedandã ſitim; Et licet inter eos tantum eſſet Ioſaphat, cuius cauſa vellet Eliſæus deprecari Dominum; tamen impetrauit non ſolùm aquam, quod plurimum videbatur in conſpectu illorum Regum, qui eius defectu propemodum mortuos ſe exiſtimabant; ſed etiã victoriam Dei nomine contra Moabitas ipſis promiſit. Sic enim ait: *Facite alueum torrentis huius foſſas & foſſas. Hæc enim dicit Dominus, Non videbitis ventum, neque pluuiam, & alueus iſte replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ veſtræ, & iumenta veſtra, parumq; eſt hoc in conſpectu Domini. Inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras.* 4.

Latro in cruce tantum petiit, vt Chriſtus ipſius recordaretur in regno; ſed reſponſum accepit à *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quæ verba conſiderans S. Ambroſius meritò exclamat: *Pulcherrimum affectandæ conuerſionis exemplum, quod tam citò latroni venia relaxatur, & vberior eſt gratia, quàm precatio, ſemper enim plus tribuit Dominus, quàm rogatur: ille enim rogat vt memor ſui eſſet Dominus, cùm veniſſet in regnum ſuum, Dominus autem ait, Hodie mecum eris in paradiſo.* Simile quid accidit impio illi ſeruo, qui ſolum petebat, vt ſibi patientia ad tempus præſtaretur: & nihilominus bonus Dominus *omne debitum dimiſit illi*, Matt. 18. Vbi D. Chryſoſtomus hom. 17. in Matt. *Bonus*, inquit, *Dominus miſereatur noſtriq; curam gerens, non ſolum quantum petit: ſed quantum, ne cogitare quidem auſus fuit, dedit.* Hæc de priori.

Latro vltra votum accipit.

5. *Deus iuſtos poſt modicã tribulationẽ facit in hac vita etiam clareſcere.*

Alterum palam fit ex verbis ipſius Tobiæ Is cùm irrideretur ab amicis, quòd multa patiens in Deum ſperaret, mercedem dumtaxat ſperabat in altera vita. ſic enim reſpondet amicis eos increpans: *Nolite ita loqui, quoniam filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo.* At Deus præter exſpectationem fecit illum clareſcere etiam in hac vita, cùm quadraginta duos annos ad vitam reliquos illi conceſſit cum gaudio, ſeu proſperitate, lætiorique fortuna tranſigendos. Quod Deo cum plurimis iuſtis legitimum fuiſſe ſacra pagina manifeſtum facit. Abraham à Deo iuſſus immolare filium ſuum vnigenitum, Deo obedit, nec ægrè fert. Quòd conſiderans Deus admodum fuiſſe graue ipſi Abrahæ, cui vnicus tantum erat filius, ex cuius ſemine Chriſtum credebat proditurum, noluit hoc factum ſola expectatione regni cæleſtis præterire: ſed cùm vidit Patriarcham promptum in obſequio, euagi-

Exempla Scripturæ.

nantem

nantem gladium, & in pueri iugulum iam euibrantem, voluit Angelum Dei de cælo clamare, *Non extendas manum super puerum, neque facias illi quidquam; nunc cognoui quòd times Dominum.* Nunc per experientiam comperi, quòd Deo per omnia obsequaris, eique placere studeas: quapropter clamorem hunc edi volui, vt gloria tua coram hominibus magis splendesceret; imò obedientiæ mercedem, & benedictionem tibi paratam habeo, ex qua omnibus liquidò constabit, quanto honore apud me dignus sis: *Per memetipsum iurauí, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Per memetipsũ, inquit, iurauí, quia videlicet maiorem non habeo, per quem iurem; quod hàc tuâ obedientiâ, & filij victimâ in infinitum posteritatem tuam augebo. Inimicis tuis præualebis, eos expugnabis, eorumque vrbes & terras occupabis. Idque de congruo meruisti, vt ex tua stirpe potius quàm ex alia, imò ex eodem filio Isaac nascatur Christus, in quo quælibet gentes iustitiam, gratiam, salutem & gloriam assequentur.

Permisit Deus multa pati Iacob, sed tandem supra fratrem eum sustulit, adeoque magnum effecit, vt in partem totius populi Israelitici illum euexerit: vt etiam liqueret publicè, quanta gloria dignetur Deus illos, qui cum timore Domini aduersa tolerant. Hac de causa etiam post fratrum inuidiam, venditionem, &, quantum in ipsis fuit, homicidium, tandem fecit Iosephum Ægypti principem, eoque perduxit patrem & fratres, vt gloriam intuerentur, quam Deus tribulationem libenter sustinentibus etiam in hoc mundo præparauit. Quod de cæteris magnis præclarisque viris similiter comperies.

6. *Carcer & vincula Paulum & Silam claustris efficere.*

Certè D. Paulus in ipso carcere existens, Act. 16. publicè priùs flagellatus, noctu cum Sila orans, à Deo tantopere exaltatus est, vt subitò terræ motus fieret magnus, & mouerentur fundamenta carceris, omnia ostia statim aperirentur, & vniuersorum vincula operatione secreta Angeli soluerentur. Quorsum præstitit hæc Deus; nisi vt gloriam famulorum suorum manifestam faceret. Dixerant Romani eos conturbare ciuitatem, & annunciare morem, quem Romanis non liceret suscipere, nempe nouam fidem & religionem, nouum modum viuendi, noui Dei cultum: sciderant tunicas Pauli & Silæ ad execrationem sceleris, quòd eorum cultum abolere, & nouum Deum statuere satagerent; quin vt ipsos notarent ignominiæ: virgis cæsos miserunt in interiorem carcerem ad diligentiorem custodiam. Sed quid? Deus honori ipsorum consuluit, clarâ voce orantes & laudantes Deum miraculo illustrauit. Et cùm omnia vincula soluerentur, nemo tamen effugit, adeoque perculsi erant, vt nemo incarceratorum aduerteret se vinculis esse solutum; imò ille qui pedes antea strinxerat ligno, tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes, & producens eos foras, ait: *Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Videbat Deum pro Paulo & Sila quasi legatis suis pugnare; inde ab eis petit medium ad salutem, quod statim intelligit, lauit plagas eorum, baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò. Quanta hic rerum mutatio! Quid dico? territus etiam fuit Magistratus ex dicto terræ motu, miseruntque lictores dicentes: *Dimitte homines illos.* Qui antea iusserat custodi diligenter Paulum & Silam custodire, iam timet, tremit, & horret. Animaduertebat enim Deum preces Pauli & Silæ exaudijsse, eorumque curam gerere, ac ostendere se eos è carcere liberaturum, atque pro eis terram, omniaque elementa, si opus esset, concussurum. Deus hac ratione significabat, se esse præsentem suis ad opem ferendam contra omnes terrores, & hostes, qui suam præsentiam & magnificentiam solet ostendere per terræ motum, vt sui metum & reuerentiam hominibus incutiat. Hinc cùm descendit in Sina daturus legem Moysi & Hebræis, mota est terra à facie Domini, Psal. 113. 6. Exod. 19. v. 19. Hinc Psal. 74. v. 4. dicitur, *Liquefacta est terra* (à facie Dei in eam descendentis) *& omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.* Et Psalm. 103. *Qui respicit terram, & facit eam tremere.* Vide Eccles. 16. v. 18.

Terræ motus est symbolũ præsentiæ, & magnificentiæ Dei.

Veriſſimè Chrysostomus homil. 26. in 2. ad Corinth. *Quando ergo in carcere coniectus est* (Paulus) *tunc admiranda gessit, quando naufragium passus est, atque in barbaram regionem eiectus est, tunc maximè inclaruit, quando in tribunals vinctus accessit, tunc & iudicem vicit.* Vt semel videas exemplo Pauli ad quantam gloriam, quantumque splendorem euehit ipsa tribulatio, subiungit ibidem Chrysostomus: *Sic & in veteri testamento contingebat: in tentationibus insti florebant. Sic tres illi pueri, sic Daniel & Moyses & Ioseph. Omnes hinc clari, & magnis coronis digni iudicati sunt. Tunc enim & anima purgatur, cùm propter Deum affligitur: tunc maiori fruitur auxilio, cùm ampliore eget subsidio.* Et homil. 3. ad Romanos fructum tribulationum inculcans ad nostrum propositũ sic air: *Paulus inclaruit ab ijs, qui ei incommodum moliebantur, insidiasque struebant.* Et immediatè post pluribus Scripturæ exemplis probat Sanctos à tribulatione clariores effectos: *Sic Iob*, inquit, *à non*

7.

Maudenus in Tobiam.

paucis plagis illis, ſic Hieremias à lacu cœni, ſic Noe à diluuio, ſic Abel ab inſidijs, ſic Moyſes à Iudæorũ inuidentia, ſic Eliſæus, ſic vnuſquiſq; magnorum illorum virorum non à requie, non à delitijs, verum ab afflictione, à tentationibus clari effecti ſunt, & inſignes coronas reportarunt. Cur quæſo hoc? niſi quia quos Deus eleuat, præclaros facit per tribulationes.

8. *Paulus gloriabatur de claritate nominis, quam per Chriſtum accipiebat per tribulationes.*

Acutè notauit Chryſoſtomus homil. 5. in 2. ad Corinth. Paulum non ſolum ob ſpem futurorum gaudere bonorum, ſed ob claritatem, quam ex afflictionibus, perſecutionibuſque per Chriſtum etiam in hac vita accipiebat. Commentans enim ſuper verba ipſius eo loci, *Deo gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto*, id eſt, conſpicuos facit, & oſtendit, inquit; *Itaque ne videretur hæc dicens complorationem vti, ſubdit dicens, non ſolum non dolemus in his afflictionibus, verum etiam gaudemus, quodq; maius eſt, non tantum ſpe futurorum præmiorum, verum etiam horum gratia, quæ nunc contingunt, propterea quod hic quoque per has afflictiones clari reddimur & illuſtres. Itaque tantum abeſt, vt lugeamus, ac lamentemur, vt quod agitur appellemus triumphum, & erubeſcimus his quæ nobis accidunt, vnde & dicit; Deo gratias, qui ſemper nos triumphat: hoc eſt, qui nos omnibus facit conſpicuos & claros. Nam quod alijs videtur eſſe ignominia nimirum vndique eſſici, hoc nobis videtur ſummi honoris. Eoq; non dixit: Qui nos facit notos, ſed, qui triumphat: ſignificans quod eiuſmodi perſecutiones vbique terrarum aſſidua trophæa erigerent aduerſus diabolum.* Triumphus enim dicitur, per mediam vrbem cum trophæis, alijſque victoriæ ſignis proceſſio Imperatoris victoris. Sic & Deus nos victoria & trophæis de Diabolo relatis conſpicuos quaſi triumphare facit; quæ enim videntur paſſiones eſſe & contumeliæ, ſunt gloria & triumphus noſter, ait Theoph. 2. Videtur Apoſtolus in Macedonia acres perſecutiones pertuliſſe: Vnde cap. 7. verſ. 5. dicit ſe ibi omnem tribulationem paſſum: foris pugnas, intus timores: ſed Dei gratiâ hæc omnia ſuperauit cum gloria & triumpho.

10. *Iuſti per tribulationes ſunt clariores.*

Hoc ipſum prædixit Hebræus Sapiens de viris iuſtis à Deo per tribulationem probatis: *In paucis*, inquit, *vexati: in multis diſponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos ſe.* In paucis, inquit, probati & eruditi, magna beneficia conſequentur, & ſupra multa conſtituentur: quia Deus qui illos probauit, per experientiam comperit eos dignos ſe. Subiungit Sapiens, *Et in tempore erit reſpectus illorum.* In tempore tribulationis reſpiciet & viſitabit illos Deus: ita vt fulgorem ex illa accipiendo fulgeant & ſplendeſcant magis. Noluit Tobias probè ſciens paucas eſſe tribulationes noſtras reſpectu remunerationis de ea non fuit anguſtiatus, ſed de certa ſpe gaudebat triumphi, ac proinde liberaliter & conſtanter Deo ſeruiebat in omni genere virtutum. Diſcamus nos pariter liberales eſſe in Deum ei ſeruiendo, & viciſſim ipſum liberaliorem erga nos iugiter experiemur. Certat enim ipſe nobiſcum, & cùm ſit liberaliſſimus, non patitur ſe liberalitate noſtra vinci. Hoc eſt quod promiſit per Iſaiam cap. 66. verſ. 11. *Vt ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius: vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab earumoda gloria eius. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium, quam ſugetis; ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos.* Quaſi dicat: Vos ô fideles fouebimini & nutriemini, tum à Gentibus diuitibus & potentibus, imò regibus & principibus; tum a Deo & Eccleſia, eiuſque paſtoribus & præfectis tam largiter & blandè, quam ſolent paruuli à matribus; hoſce enim ſolent matres ad vbera portare, ſtatuere ſuper genua, ijs blandiri, eos exoſculari.

Deus ergo cultores ſuos liberaliſſimus eſt.

SECTIO III.

Tobiam non ſolum in aduerſis & proſperis eundem eſſe, ſed proſperitate gaudentem incrementa facere virtutum.

1. SACER textus poſtquam nobis communicauit ab anno ſexageſimo vſque centeſimum ſecundum dies Tobiæ fuiſſe in gaudio, proſperitate videlicet & abundantia bonorum temporalium, ſubiungit: *Et cum bene profectu timoris Dei perrexit in pace.* Quorſum quæſo poſt proſperitatem hæc addidit? Scio quod ad doctrinam noſtram: nihil enim habet otioſum S. pagina. Hoc notauit Chryſoſtomus homil. 35. in Ioan. explicans miraculum probaticæ piſcinæ, & multa quæ in eo myſterio continentur: *Quemadmodum*, inquit, *in auri metallis, ne minimam quidem venam, quiſpiam, qui rem intelligat, omittere patitur: vtpote quæ ad augendas diuitias multum faciat: ita & in diuinis ſcripturis, nec vnum iota, aut vnus apex; ſed ne dimidium quidem præmittendum eſt; ſed omnia diligenter explicanda. Nam à Spiritu ſancto omnia proueniunt.*

Nihil eſt in Scriptura ſuperfluum.

2. *Magnum eſt in felicitate retinere pietatem.*

Ita præterire non licuit; cur Scriptura hanc de pietate Tobiæ faciat mentionem. Magnus vtique theſaurus eſt, hominem abundantem opibus æquè pietati ſtudere, atque antea in maximâ afflictione; paradoxum enim eſt his non moueri. *Magna*, inquit Auguſtinus ſerm. 13. de verbis Domini, *virtutis eſt cum felicitate luctari, magnæ felicitatis à felicitate non vinci.* Inde laudatur ex priſcis illis

Ioseph vnus atque idem in vtrisque omni fortuna.

illis patribus Ioseph, quòd in omni fortuna idem atque vnus permanserit. Audi desuper Hieronymum in cap. 5. ad Ephes. *Ioseph*, inquit, *vnum habebat propositum, placere Deo. Hoc nulla varietate temporis immutatum est: nec fratrum invidia, nec conditione servitutis: nec aetatis illecebris, nec Dominæ repromissis, nec squalore carceris, nec postea tumore AEgyptia potestatis: sed semper vnus fuit, & veritatem temporum vt diximus filii redimens, malos dies vertit in bonos.* Iob toto cap. 31. latè docet, idque confirmat iurando, quid in florente, integraque fortuna religiosè fecerit ac piè, & illa præsertim se fecisse negat, à quibus magis abhorret Regem summa dignitas, & quæ minus horrere plerumque horrere solent, qui cum potestate sunt. Primùm docet vsque adeò se diligenter & cautè callicatè coluisse, vt severo supplicio sibi interd xerit fœminarum aspectum, ne vel tenui cogitatione macularet animam. Deinde se in legitimum iudicium venisse non grauatè, si quando cum ancilla, & seruo aliquid esset controversum, & dubium, quòd aliorum iudicio deberet expendi. Ostendit item quàm erga domesticos, & peregrinos, turbamque nudam, atque famelicam liberalem se humanumque præbuerit. Quomodo neque in diuitiarum magnitudine, quasi suo studio, atque labore comparata sibi gauisus fuerit, aut in aliorum, quos infensos habuit, infortunio lætatus. Denique neque externa atque inani sanctitatis vmbra simulasse, atque texisse scelera, quæ latèrent intrinsecus. Quorum omnium Deum iudicem esse cupit. & ab illo iudiciali ritu, librum conscribi, quem circumferret, & recitaret publicè, vt innocentiæ suæ publicum, & illustre testimonium. Res sanè præclarissima, in omnium rerum abundantia, quacumque occasione pietatis retinere candorem. Vnde Hieronymus loc. cit. tractans verba Apostoli, *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, postquam adduxerat exemplum Ioseph, subijcit hoc idem de Iob.

Iob in vtrâ abundantia à pietatis & iustitiæ tramite non defecit.

3.
Paulus tam in paupertate quam in abundantia Deo seruire voluerat.

Paulus dicit tanquam magnum quid: *Scio & humiliari, scio & abundare (vbique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati*, quasi dicat: Scio ferre penuriam, scio ferre & abundantiam, scio quomodo me in penuria geram, scio quomodo & in abundantia; in illa scilicet non tristari, non deijci, paucis esse contentus scio, in hac non dissolui, non delicijs, sed quæ supersunt in pauperes conferre. Ita institutus sum, vt vtrobique modum tenere valeam, animique quietem & patientiam conseruare. Dei gratia opitulante, vnde addit: *Omnia possum in eo qui me confortat.* D. Gregorius Magnus, *Ne elationis esse verba crederemus*, inquit, *adiunxit, In eo qui me confortat, &*

Mauden in Tobiam.

quæ sequuntur, hom. 19. in Ezech. Scitè Bernardus: *Magna & rara virtus est inter epulas esurire, inter vestes algere, inter homines humiliari. Scivit Annibal esurire, & penuriam pati, nescivit satiari & abundare, nam delicijs Capuanæ Annibalem inuictum enervarunt, & Romanis iam imbellem vincendum obtulerunt.*

Paulus ergo asserit se quasi mystam hoc Christianæ continentiæ mysterium tam in rerum copia, quàm penuria prius edoctum esse à Christo, iam verò illud ipsum exercere & in praxim redigere. Gregorius Magnus loc. cit. hanc Pauli virtutem magis enucleat: *Num quidnam*, inquit, *fratres ars est aliqua humiliari & abundare, satiari & esurire, abundare & penuriam pati; vt pro magno se ista scire tantum prædicator insinuet?* Respondet: *Ars omninò, & mira disciplina scientia, quæ toto nobis corde est adnisu discenda; quem enim penuria sua non frangit, à gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit, scit humiliari; Hoc enim loco apostolus, humiliari, dicit, penuriam pati: nam statim è contrario subiungit: scio & abundare. Qui enim accepta rebus non extollitur, qui eas ad vsum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer diuidit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quàm necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate virtutis agit aliquid, vnde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo, nec abundantia in superbiam eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriam pati.*

Ars maxima est æquè in felicitate continere, atque in paupertate.

4.
Tobias in prospera fortuna fecit progressus in virtute.

Talis fuit Tobias noster qui restitutus meliori fortunæ quadraginta duobus annis tanquam lapis probatus, & à Deo electus, non solum vnus & idem in florente fortuna permansit, atque erat in tristiori & vrente; sed intensior, & liberalior in omni virtutum genere exstitit. Quod sacra pagina omnibus testatum voluit, cùm post verba, *Reliquum verò vitæ suæ in gaudio fuit*, subnectit: *Et cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace. Semita iustorum*, inquit Hebræus Sapiens, *quasi lux splendens, quæ procedit, & crescit vsque in perfectum diem.* Hoc ipsa praxi tot annorum docuit Tobias facile esse, volupe & vtile.

5.
Dignitas & prosperitas pios reddit impios.

Nos verò vix prosperitatem olfacimus, quin in alterum hominem mutemur, à felicitate vincamur. Res lamentabilis, suspirio & gemitu digna, cùm omne ferè genus hominum experiamur à felicitate superari, & à priori calculo plurimùm deuiare: Certè si ad regiam dignitatem euectos à vilori fortuna, intueamur, ad oculum nimis verum esse comperiemus. Saul dum alienas alinas priuatus quærebat, singularibus moribus præstabat, vt videre 1. Reg. 9. *Erat*, inquit sacer textus, *ei,*

videlicet Cis, *filium vocabulo Saul, electus & bonus: & non erat vir de filijs Israel melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnem populum. Perierāt autem asinæ Cis patris Saul; & dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum vnum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. Qui cùm transissent per montem Ephraim, & per terram Salisa, & nō inuenissent, transierunt etiam per terram Salim, & non erant: sed & per terram Iemini, & minimè reperierunt.* Sollicitus autem ne pater anxius esset de ipso & puero, vbi manerent, sequitur consilium pueri de consulendo Samuele, scisciatur quid munusculi honoris ergò exhibebit Samueli, aliaque plura humilitatis signa edit, quæ eius innocentiam testantur. Et alibi ob eandem causam dicitur, fuisse *filius vnius anni cum regnare inciperet.* Vbi verò regios honores prægustauit, virtutes amisit. Quod expendens D. Gregorius 1. p. pastoralis curæ, cap. 3. *Plerumq;* inquit, *aduersitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quod si ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vsu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se prius considerans fugerat; mox vt regni gubernacula suscepit, intumuit.* Nam statim inobediens fuit præcepto Samuelis de expectando ad septidiuum completum, vnde reprobationis initia intellexit: mox præcepto Dei de Amelech interficiendo cum omnibus quæ ad ipsum pertinebant, contrauenit, hinc durè correptus à Samuele, audiuit se abiectum, ne esset Rex.

Saul antea bonus solo principatu intumuit.

Dauid, dum priuatam & pastoritiam vitam agebat, virtutibus eminebat; vbi ad regiam potentiam euasit, virtutum omnium fecit iacturam. Vnde D. Augustinus in Psalm. 50. prope initium, *Quando*, inquit, *Dauid sanctus Saulem inimicum patiebatur; quando illius persecutionibus agitabatur; quando per diuersa fugiebat, ne in manus eius incideret: non concupiscebat alienam, non adulterata vxore occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ tantò in Deum intensior, quantò miserior videbatur.* Subiungit: *Vtile quiddam est tribulatio; vtile Medici ferramentum, tanquam Diaboli tentamentum. Factus est securus, deuicto hostibus: pressura caruit; timor exercuit.* Ad hæc ipse Dauid ante regnum delicatam habebat conscientiam: nam vbi præscidit chlamydem Saulis, statim pupugit cor suum, 1. Reg. 24. v. 6. At verò post regnum, cauteriatam: nam iubens mortem Vriæ, exercitamque audiēs, nihil indoluit, nihil curauit, 2. Reg. 11. v. 25. sed dolenti Ioab renuntiauit: *Non te frangat istares, varius enim euentus est belli, nunc hunc, nunc illum consumit gladius.* Bellè dictum, nisi turpis amor, & studium celandi flagitij, quod regium ademerat spiritum, facinus probasset, numquam hæc Ioabo renunciasset. Vnde D. Gregorius proximè citatus, expendens hanc Dauidis in virum Vriam seueritudinem, & illam in vxorem Bethsabee mollitudinem; notat vtramque post regnum susceptum cōtigisse: cùm tamen ante regnum, neque in fœminam mollis fuerit, neque in militem seuerus: *Dauid*, inquit, *auctoris sui iudicio penè in cunctis actibus placens, mox vt pressura ponderis caruit, in tumorem vulneris erupit, factusq; est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuerat eneruiter fluxus. Et qui malis antè nouerat pietate parcere, in bonorum quoq; nec: post duxit ambitare. Prius quippe ferire deprehensum persequuterem nolunt; & post cum damno desudantis exercitus etiam deuotorum militem extinxit. Quem profectò ab electorum numero culpa longius raperet: nisi hunc ad veniam flagella reuocassent.*

Dauid antea virtuosus, Rex virtutum iacturam fecit.

Dauid conscientiam delicatam, post Regnū cauteriatam habuit.

Iam verò Salomon, antequam ad regnum veniret, *Puer*, inquit, *eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*, Sap. 8. vers. 19. Idem ad regnum euectus, licentiæ & incontinentiæ rotas habenas laxauit, 3. Reg. 11. Vnde D. Gregorius loco proximè citato, volens cæteros Principes ex vnius ruina, sibi vt caueant, erudire: *Admonenda sunt*, inquit, *vt considerent, quia Salomon, qui post tantam sapientiam vsque ad idololatriam cecidisse describitur, nihil in hoc mundo priusquam caderet, aduersitatis habuisse memoratur. Sed concessa sapientia sanctus cor deseruit, quod nulla, vel minima tribulationis disciplina custodiuit.* Vbi satis ostendit, extremum illud bonorum spiritualium naufragium, multorum scelerum infortunium, ex regia dignitate, præsertim coniuncta cum tanta felicitate Salomoni accidisse. Regem Oziam in Sacerdotis munus sacrilega temeritate irruentem hic arguit Scriptura: *Cùm*, inquit, *roboratus esset*; seu, vt legit ipse Chrysostomus, *cùm potens esset, elevatum est cor eius*: vt nimia potentia genuisse superbiam ostenderetur: *Non ferebat*, inquit, nempe Rex Ozias, *principatus magnitudinem: sed quemadmodum ex edacitate nascitur ignea inflatio, ex inflatione gignitur febris; deinde ex febri plerumq; mors: itidem & hic, exactionem eminentia, nata est superbia; mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium.*

Salomon in felicitate naufragium passus est.

Nimia potentia nimiam gignit superbiam.

D. Cyrillus Alexādrinus in epist. ad Theodosium Imperatorem pro libris suis contra Iulianum, notat, eundem Iulianum, antequam regnare inciperet, numeratum inter fideles, nutritum in monasteriis, eruditum in sacris Litteris fuisse: sed post quam ad regnum accessit, prauorum hominum vsu, consuetudineque inductum, ad gentilitios ritus degenerasse; & linguam alioqui disertam, contra Christum Dominum, & sacrosancta Euangelia, & Catholicam religionem acuisse.

Prosperitas mutauit Iuliani mores.

In illo apologo, seu parabola, quam Ioatham filius Gedeonis habuit ad viros Sichen; dicuntur omnes arbores fructuosæ à regimine inter alias suscipiendo se excusasse. Oliua quidem, ne perderet sui olei pinguedinem. Ficus, ne desereret suorum fructuum suauitatem

6.

Reges in imperio, vt arbores, pomis omnibus nudātur

tatem. Vitis, ne amitteret ſui vini iucunditatem & lætitiam. Iud. 9. à verſ. 8. Omnes, ſcilicet, quodammodo præuiderunt, non poſſe illam fructuum vberratem in illa dignitate conſeruari: ſed omnia bona naturalia, pariter ac moralia, miſericordiam, iuſtitiam, patientiam, manſuetudinem, benignitatem, cæteraque animorum & corporum ornamenta, in illo dignitatis faſtigio ruitura. D. Bernard. propterea monebat Eugenium ex Monacho Pontificem, epiſt. 237. *Aſcendiſti in altum, noli altum ſapere; ſed time: ne fortè contingat, ſerò miſerabilem emittere vocem: A facie ira & indignationis tuæ elæuans allidiſti me. Altiorem quippe locum ſortitus es, ſed non tutiorem. Terribilis prorſus, terribilis eſt locus iſte.* Et paulò antè: *Ego*, inquit, *etſi nomen patris depoſui, ſed non timorem, ſed nō anxietatem, poſtremò nec affectum, nec viſcera patris. Conſidero gradum, & cauſam vereor. Conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi tacentis deſuper. Attende celſitudinem honoris, & è vicino periculum reformido.* Hæc de Regibus.

Rom. 11. 20.

Pſal. 101. 21.

Gen. 28. 17.

7. *Hoc malum etiam populum & famulos inficit. Moabitarū excidium natum ex proſperitate.*

Quantum populus felicitatem à tramite virtutis deficiat, & Prophetas concionatore ſque contemnat, dixi Sect. penult. in c. 10. huius hiſtoriæ. Quibus adde quod de Moabitis recenſet Hieremias Vates cap. 48. Illi Iudæis cognatis ſuis, cùm à Chaldæis impeterentur, non ſolùm non tulerunt opem, ſed etiam ſuperbè inſerunt, vt colligitur ibidem verſ. 27. Abundantia in cauſa fuit. Vnde v. 11 inquit Propheta poſt denūtiatum eorum excidium: *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fœcibus ſuis: nec transfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abijt: idcircò permanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt immutatus.* Hic cauſam cladis aſſignat, ſcilicet fertilitatem, indeque laſciuiam, omnemque luxum. Comparat Moabitas vino, terram eorum dolio, pacem & abundantiam rerum fœcibus, mores eorum ſapori & odori vini, quaſi dicat. Sicut vinum, præſertim fortè, quale eſt in regionibus calidis, quamdiu in ſuis reſidet fœcibus, ſuum fortem, auſterum, & fœculentum ſa porem retinet & odorem, ſed vt eum mutet, & fiat purius & ſuauius, atque delicatius, de vaſe in vas aliud transfunditur: ſic Moabitæ, in ſua regione hactenus reſiderunt in ſumma pace & opulentia, nunquam capti vel abducti, ac conſequenter in germana ſua ſuperbia, ſolitiſq; peccatis, præſertim Sodomæ & Gomorrhæ, cui vicinißimi ſunt, remanēt, quaſi fœcibus. Ideoque addit Propheta, Moabitas ad inſtar vini ex vno dolio in aliud, id eſt, ex Moab in Chaldæam transferendos eſſe, verſ. 12. Id natum eſt ex proſperitate, & ſuperbia. Numquid videmus & famulos, & ancillulas, ſi noua veſtis contingat, ſi fauorem heri præ cæteris aucupentur, in alios mutari & turgere? Planè ſic eſt. Veriſſimè Chryſoſtomus aſſerit propterea nos in proſperitate egere prouidentia Dei, explicans illum locum Pſalmi noni: *Miſerere mei Domine, vide humilitatē meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Vide*, inquit, *eum perpetuò orationi affixum. A malis enim liberatus, & in tuto collocatus, non ceſſat rurſus orare, dicens: Miſerere mei Domine, & rogare eum pro futuris. Semper enim egemus Dei prouidentia, maximè autem dum liberamur à malis.* Et ad propoſitum noſtrum ſubiungit: *Aliud enim bellum excipit priori difficilius, ſocordia, & arrogantia. tunc enim ſpirat vehementius diabolus. Quare maximè poſtquam liberati ſumus à malis, illo opus habemus auxilio, vt facilè res ſecundas feramus. Nam Iudæi quoque ab Ægyptijs liberati, graniori bello vexabantur, arrogantiâ ſocordiâ. tunc itaque maximè moriebantur, vt qui non poſſent rectè ducere exercitum. Quia enim nec aduerſus inglunient, nec aduerſus puſilli ablecticq; animi vitium fortiter in acie ſteterunt, ſed Ægyptiorum vitia ſunt emulati: ea illos perdiderunt. Dauid quoque cùm & à Saulis difficultatibus, & ab alijs omnibus hoſtibus fuiſſet liberatus: poſtquam quietem & laxamentum aſſecutus eſt, difficilius bellum paſſus eſt incontinentiæ cupiditatis, quod eum etiam maiori ſupplicio affecit.* Deinde concludit: *Quocirca timendum eſt maximè, quando fuerimus liberati ab erumnis.* Et rem ſimilitudine illuſtrat: *Quemadmodum enim*, inquit, *alligatam beſtiam nō ita timemus vt emiſſam: ita etiam virum non eſt ita timendum in afflictione, tunc enim alligatum eſt anima ægritudine, & alijs vinculis, ſed poſt quietem & remiſſionem maximè timendum eſt. Et ideò ſæpè videbis rerum ſucceſſus maiora mala facere quàm res aduerſas.*

Diuino auxilio maximè opus eſt in proſperitate.

Proſperitas homini creat maius bellum cum diabolo quàm tribulatio.

Exod. 16.

2. Reg. 11.

Quid igitur facto opus? Hoc ipſum quod Tobias ſuo exemplo nos monuit, nempe profectum & perſeuerantiam in virtute ſuæ maximè exercendam, & à Deo aſſiduis precibus implorandam. Sciebat vtique iuſtus noſter, ſcriptum eſſe, *Semita iuſtorum quaſi lux ſplendens, quæ procedit & creſcit vſque in perfectum diem.* Sciebat nil eſſe incipere, niſi perſeuerater: *Incipere*, ait Hieronymus, *plurimorum eſt, perſeuerare paucorum: vide & grande præmium eorum, qui perſeuerarint.* lib. 1. contra Iouinian. Et epiſt. 10. ad Furiam: *Non quæruntur*, inquit, *in Chriſtianis initia, ſed finis. Paulus malè cœpit, ſed bēne finiuit: Iuda laudantur exordia, ſed exitus proditione damnatur.* Cogitabat illud, quod poſtmodùm Apoſtolus ſcripto reliquit ad Philip. 3. *Ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem: quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſuperna vocationis Dei in Chriſto IESV.* Philip. 3. Scitè Chryſoſtomus: *Etenim qui currit, non repetat, quantum ſpatij confecerit, ſed quantum adhuc deſit.*

8. *Tobias etiam in proſperitate perſeuerauit in virtute, quare?*

Et ſic perrexit in pace. Pax diuerſa ſignificat apud Hebræos. nam pacis vocabulo ſolent impre-

9. *Diuerſa pacis ſignificatio.*

imprecari bona omnia. Sic Chriſtus veniens ad diſcipulos clauſos præ metu Iudæorum, dixit: *Pax vobis*, Rursũ pacis vocabulo indicãt bonã conſcientiam: *Pax Chriſti*, inquit Paul. *quæ exuperat omnem ſenſum, exultet in cordibus veſtris.* Coloſ. 3. Deinde pacis vocabulo, pacifico tempore mori deſignant. Sic 4. Reg. 22. Holda Prophetiſſa, quæ dura Dei nomine populo denunciauerat, qui Dei præceptis minus diligenter inhæſerat, conſolatur tamen Regem Ioſiam, quod impendentem genti ſuæ interitum non videbit, quod ſua pietate id conſecutus ſit: *Idcirco*, inquit textus, *colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.* Demum ſignificant hoc vocabulo bonum beatitudinis. Sic Hebræus Sapiẽs de iuſtis dicit: *Illi autem ſunt in pace*, Sap. 3. Adeoque sẽſus huius loci Tobiæ eſt, quod ad mortem tanquam grande bonum, pertexerit pacificè Tobias noſter illa enim eſt via ad beatitudinem: *Mihi vivere*, inquiebat Apoſtolus, *Chriſtus eſt, & mori lucrum.* S. Cyprianus de mortalitate pluribus inculcat mortem eſſe appetendam, quòd videlicet ſit æruumnarum terminus, & melioris vitæ exordium. *Quid*, ait, *eſt in mundo, & vita hac niſi pugna cum ira, gula, libidine? hinc gratulatur Sapiens raptum eſſe iuſtum, ne malitia mutaret intellectum eius: ita & Simeon, Nunc dimittis, inquit, ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Fidem reſurrectionis non habet, qui ad meliora non feſtinat. Hinc Angelum quendam mori timentem alloquens, & increpans ait: Pars timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Si domus minaretur ruinam, nonne ex ea migrares? ſi nauis in procella periclitaretur, nonne ad portum confugeres? mundus hic ſeneſcit, & ruinam minatur, quin migras ad Patrem? vbi te charorum turba expectat de ſua ſalute ſecura, de tua ſollicita.*

Tobias libenter tetendit ad mortem.

Bona mortis.

10. Hanc tu imitare, mi Chriſtiane, ſi mercedem à Deo expectes: nunquam à felicitate vincaris, ſed proficiẽs de virtute in virtutem, ſedulò practica illud Saluatoris noſtri Apocalyp. 22. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Sanctus Bernardus epiſtol. 341. poſtquam exemplo Saluatoris proficientis ſapientiã & ætate, & gratiã apud Deum & homines, Luc. 2. & Apoſtoli Philip. 3. ad profectum ſpiritualem hortatus eſſet, rem magis vrget exemplo ſecularium, qui ſuis pravis affectibus numquam ſatisfeciſſe videntur: *Moueat nos*, inquit, *ipſum quoque ſecularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitioſum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Sic & curioſi cuiuſq; non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Quid eorum qui auaritiæ ſeruiunt, aut amatores ſunt voluptatum, ſeu vanæ hominum ſectantur laudes, nonne & ipſorum inſatiabilis deſideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè ſpiritualium nos bonorum minus cupidos inueniri. Erubeſcat anima conuerſa ad Dominum minori affectu ſectari iuſtitiam, quàm iniquitatem antea ſectaretur. Eſt enim cauſa valde diſſimilis. Stipendium quippe peccati mors, fructus autem ſpiritus vita æterna. Pudeat proinde negligentius nunc inuitam, quàm prius in mortem, & minori ſtudio ſalutis acquirere, quàm perditionis augmentum. Nam vt omninò ſimus inexcuſabiles, in via vitæ, quò citiùs, eò faciliùs currimus, & leue Saluatoris onus, quò creſcit amplius, portabilius eſt. Nonne & auiculas leuat, non onera pennarum, ſiue plumarum numeroſiora ipſa? Tolle eas, & reliquum corpus pondere ſuo fertur ad ima.*

Homines rebus mundanis ſunt inſatiabiles, ſpiritualibus quam pernimiũ ſatiantur.

Diu. Hieronymum pudet hanc differentiam cognoſcere: *Cogitare*, inquit, *pudet, quantus ſit feruor in ſeculo, quã curã ſingula quæque ſtudia hominum quotidie ad perfectiora, nuantur; diuitiarum amor explari neſcit, bonorum cupido inſatiabilis eſt, celerem habitura res finem, ſine fine quæruntur: nos diuinam ſapientiam, cæleſtes diuitias, immortales honores pigrã quadam diſſimulatione negligimus, & ſpirituales diuitias, aut ne attingimus quidem, aut ſi leuiter deguſtauerimus, continuo nos putamus exſatiatos.* Pudor certè eſt videre hominem ita ſitire res mundanas, & nunquam ſibi poſſe ſatisfacere: & pluſquam pudor eſt illum res ſpirituales, cùm vix attigerit, & libauerit, ſtatim extiatiari, imò faſtidire. Perpende finem coronari iuxta dictum Saluatoris: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Ne tubeamus ad ſcelus infelicium mercatorum, qui congregatas magno labore diuitias incuriã vel negligentiã tandem amittunt. Baſilius homil. 12. *Suam*, inquit, *quiſque & mercem & theſaurum ſuſcipiens, omni ſtudio ſecum, hanc vitam pertranſire conetur; Plures namque ab ipſa iuuentute multa congreganies, inſtantibus deinde malignorum ſpirituum incitamentis, tempeſtatis onus, arte gubernationis deficiente, ferre non valuerunt, ſed omnium iacturam fecerunt. Ex quo circa fidem alij naufragium fecerunt. Alij autem pudicitiam, quam vſque à pueris theſaurizauere, voluptate deinde peſtilenti, veluti procella quadam irruente perdiderunt.*

De iis qui bonè capeſſunt, nec tamen perſeuerant.

Et condolens huic infortunio, exclamat. *O miſerabile ſpectaculum, ô ſortem lugendam poſt ieiunia multa, poſt durum vitæ genus, poſt longas ad Deum preces, poſt vberes effuſas lachrymas, denique poſt annorum viginti ſeu triginta abſtinentiam, ob indulgentiam, inconſideratiamq;, nudum omnibus, ac tot laborum mercedo priuatum reperiri, & ſimilem omninò fieri mercatori cuidam diuiti, qui de multitudine commeatuum gloriatus, vento ſecundo nauem impellente, tumentia, tutò per mare currens præterit procellas. Naufragio deinde prope portum ſuperueniente omnium poſſeſſione acceruatim ſimulq; deſtitutus apparet. Itaque multis laboribus ſudoribuſq; parta vno tantum de-*

Perseuerantibus solum manet gloria cœlestis.

mentè impulsu facilè amittes; peccato velut acerbo quodam turbine depressus. Tene, inquit Ioannes Apocal. 3. *quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Et capite 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, æternam videlicet felicitatem. corona enim significat perfectionem & complexum bonorum omnium & gaudiorum, principio & fine carentem instar circuli & coronæ.

11. *Ea quibusdam in hoc mundo ostensa est.*

Hæc Sanctis in hac vita certantibus aliquando ostensa est, vt Actor. 7. Sancto Stephano, de quo ibidem dicitur, quod in agone suâ viderit gloriam Dei: quia nimirum oculus eius per Dei concursum supernaturalem eleuatus, cœlos omnes quasi patentes penetrauit, & porrectus fuit vsque ad cœlum empyreum, vt in eo clarè perspiceret Dei gloriam, & IESVM à dextris Dei. Sicut enim nos per aerem apertum videmus remota, putà solem, lunam, astra; ita Stephanus per cœlos apertos, id est, patentes & perspicuos, vidit gloriam Dei & Christi. Ad hoc enim tum taxat ei aperti sunt cœli. Porrò hoc magnæ puritatis, & feruoris Stephani fuit indicium; Ait enim: *Video cœlos apertos*, quasi dicat: Non timeo vestras, ô Iudæi, minas, nec mortem: quia video cœlum apertum, vt me in suum ciuem ad gloriam æternam suscipiat. Quadraginta etiam Martyribus ea ostensa, vt testatur Sanctus Basilius; eorum memoria recolitur 9. Martij, Sancto Nicolao Tolentinati, Sancto Francisco, Sancto Vitali. Vitalis enim cùm à persequentibus cogeretur, vt Christum negaret, audaciùs eum confitebatur: quare omni tormentorum genere excarnificatus est, vt non esset in eius corpore sine vulnere locus. Fortis autem animo cruciatus perferens martyr, precesque fundens ardentissimas dixit: *Domine IESV CHRISTE, seruator meus & Deus meus, tibe suscipe spiritum meum: quia tam desidero accipere coronam, quam angelus, tuus sanctus mihi ostendit.* His dictis euolauit in cœlum. testes sunt Ambrosius & Hieronym. exhort. ad Virgines.

13. *Modus perueniendi ad portum salutis.*

Diuus Basilius præscribit modum, quo rectè ad portum peruenire poteris, similitudine sumptâ à Naucleris nauem dirigentibus *Mos, est*, inquit, *naucleris in cœlum aspicere, interdiu in solem, noctu in arctos, vel aliud semper apparens astrum, ac per hoc rectam in pelago viam commentari. Tu quoque oculos ad cœlum attollens, secundum eum, qui ait: Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis: habitantem in cœlo solem iustitiæ respice, ac velut astra quædam splendentia Dei mandata obseruans, lumina vigilantia retine. Ne dederis somnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, vt idoneum itineris cursum ex diuinis præceptis habeas. Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Nam si vnquam ad claui moderationem constitutus obdormieris, & dum eris in hac vita, in huius mundi rerum natura instabili, adiumentum eorum, quæ sunt agenda à spiritu nos comitante acceperis, auris spiritualibus ac pacificis tutò nauigabis, donec incolumis ad portum eadem illum tranquillum ac sine fluctibus, diuinam scilicet voluntatem.* Id continuò præstitit Tobias, noster, vt patet cap. 1. & 2. & hoc loco

CAPITIS DECIMI-QVARTI

VERSVS V.

In hora autem mortis ſuæ vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum, & ſeptem iuuenes filios eius nepotes ſuos, dixitque eis.

Verſ. 6. *Propè erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini: & fratres noſtri, qui diſperſi ſunt à terra Iſrael, reuertentur ad eam.*

Verſ. 7. *Omnis autem deſerta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incenſa eſt, iterum readificabitur: ibique reuertentur omnes timentes Deum.*

Verſ. 8. *Et relinquent Gentes idola ſua, & venient in Ieruſalem, & inhabitabunt in ea.*

Verſ. 9. *Et gaudebunt in ea omnes Reges terræ, adorantes Regem Iſrael.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 5. 6. 7. 8. 9. Cùm iam adeſſet ſupremus vitæ dies vocauit ſenior Tobias filium ſuum, & ſeptem ex eo nepotes, & extremum ad illos hunc habuit ſermonem, nempe interitum Niniue non longè abeſſe, quòd verbum Domini non eſſet factum irritum aut caſſum: contribules verò ſuos captiuos, qui tunc exulabant apud Aſſyrios è decem tribubus ad terram Iſrael reuerſuros; terram, quam oculis propheticis deſertam viderat, & in ea exciſum Salomonis templum ad priorem ſtatum reuocanda, omniaque collapſa inſtauranda, eos autem qui eò reuerterentur fore illos, qui verum colunt Deum, quique religionis ſtudio patriæ, vbi pie viuant, deſiderio capiuntur: Gentiles etiam relictis idolis, Iudæorum ſacra complexuros, Reges quoque mirabiliter afficiendos erga Ieruſalem & templum, ac Iudæorum religionem.

SECTIO QVARTA.

Quare Tobias ſenior inſtante morte ratione interitus Niniuæ rurſum ad pietatem hortetur filium, & iuxta ipſum Nepotes omnes.

1. TOBIAS ſenior, cùm mors illi inſtaret, conuocat non ſolùm filium, ſed & ſeptem eius nepotes. Quænam huius conuocationis ratio? Numquid non ſatis inſtruxerat filium cap. 1. Numquid egregia documenta illi rurſum dedit cap. 4. cùm putaret mortem ſibi vicinam, licet erroneè? Ita eſt. Verùm cùm multum ſpatij interceſſiſſet, & filiorum competenti numero Deus familiam eius auxiſſet, noluit omittere quod vſitatum ſciebat in omni ſeculo apud viros, in quibus aliquid erat auctoritatis & conſilij. Illi enim cùm extremus iam immineret vitæ dies, alloquebantur filios, & eos quibuſcum arctior illis erat neceſſitudo, & vſus familiarior, illiſque commendabant, quæ magis exiſtimabant neceſſaria, ipſique curarent ſtudioſius cùm valerent adhuc corpore, & quæ illis maiori futura vſui meditabantur, aut quæ ipſos nouiſſe oportere exiſtimabant; vt tenaciùs inhærerent, quæ ad extremam vitæ clauſulam illis inculcabant.

Mos virûm cordatorum eſt, inſtante morte vltima præcipere filijs.

2. Sic Iacob moriturus Geneſ. 49. congregauit filios, illiſque verba extrema elocutus eſt; quæ ex poſterorum mente numquam exciderunt. Idem fecit Moyſes, Deuteron. 32. & 33. Ioſue cap. 24. Dauid ad Salomonem 3. Reg. 2. Mathathias 1. Machab. 2. qui cùm ſciret quantum extrema parentum verba in filiorum animis haberent momenti, alloquutus

eſt

eſt filios, vt ſuum in illos, quantum fieri poſſet, ſpiritum transfunderet. Nunc ergo, inquit, ô filij æmulatores eſtote legis & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum. Et ad quiduis pro religione ſubeundum hortatur, & antiquorum, qui pro Dei cauſa laborauere conſtanter, exemplo confirmat. Sic Chriſtus Dominus Matth. 5. cùm tempus inſtaret migrandi ex hoc ſæculo, longum inſtituit ad diſcipulos ſermonem in monte; quo eos ad omnem perfectionem hortatur.

3. Ita Tobias noſter, vt expleret officium veri & pietatis amantis patris, egit cap. 4. & hoc loco rurſum ſollicitus de publica atque domeſtica ſalute, filium & nepotes aduocat, & poſtremo ſpiritu quàm poteſt ſtudioſiſſimè commendat, vt pietatem, quam ipſe ad ſummam ſenectam religiosè ac zelosè ſectatus eſt, eam ipſi ætate florente & vegetâ, Deo fauente, etiam proſequantur. Ratio non vna illum mouit, ſed multiplex. Prima, quòd parentibus multum neceſſaria ſit filiorum bona inſtructio: vt enim ait Siracides Eccleſ. 11. *Ante mortem ne laudes quemquam, in filijs ſuis cognoſcitur vir.* Vbi D. Ambroſius citatus in Gloſſa: *Vnuſquiſq;*, inquit, *in filijs ſuis eſtimatur: ſi bene filios ſuos inſtituat, & diſciplinis erudiat: ſi quidem ad negligentiam patris refertur diſſolutio filiorum.* Huc ducit illud Apoſtoli 1. Timoth. 2. verſic. 15. *Mulier ſaluabitur per filiorum generationem.* Si nimirum eos probè erudiat, vt omnes communiter exponunt. Vnde D. Chryſoſt. homil. 9. ad eum locum: *Audite*, inquit, *iſta parentes, ac prorſus aſpicite huiuſmodi educationem, magnorum præmiorum cauſam fore.* Et paulò pòſt: *Neque enim parui meriti eſt indultos à Deo liberos ad ipſius exercere malitiam: eiq; ab ipſis infantia pannis dedicare. Nam ſi huius educationis fundamenta iecerint, maximis afficiendi ſunt præmijs: quemadmodum ſi neglexerint, grauiſſimis cruciatibus.*

Honor & merita filiorum redundant in parentes.

Bonæ educationis merces.

Et quod notandum eſt, non ſolum in futuro ſæculo, ſed etiam in præſenti, bonæ educationis præmium parentibus exhibetur. Vnde D. Ambroſ. in Epiſt. ad Lætam: *Salus*, inquit, *infantium maiorum lucrum eſt: vtique in hac vita.* Quòd iam oſtendo. Abrahamum voluit Deus diuinorum ſecretorum conſcium facere & participem. *Num*, inquit, *celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Geneſ. 18. Quodnam, quæſo, ob meritum patriarchæ? Planè ob diligentem filiorum inſtructionem Deo ipſo teſtante: *Scio enim*, inquit, *quod præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iuſtitiam, & iudicium.* Ibid. verſ. 19. In quem locum D. Chryſoſtomus homil. 42. *Non tantùm*, inquit, *mercedem accipit, quia ipſe bene egit, ſed quia præcepit natis ſuis: idq; meritò; is enim, qui principium præbet, etiàm eorum, quæ poſtea fiunt, auctor eſt.* Idipſum notauit, aduerſus vituperat. Vitæ monaſt. lib. 3. *Patriarcham*, inquit, *Abrahamum, cùm ex virtutibus reliquis, tum ex hac in primis diligentia, & cura laudauit atque honorauit: cùm enim dona illa plurima, & maxima proſequeretur, quæ ſe illi daturum pollicebatur, cauſam quoque adiecit, & dixit, Scio enim quod præcepturus ſit filijs ſuis.*

Econtrà ſcimus ex hiſtoria Heli filiorum ſcelera parentibus imputari, imò filios patribus aſcribere, quod in ſcelera ruerint præcipites. Celebre eſt illud quod Boetius lib. de diſciplina ſcholarium cap. 2 D Bernardin. de Euangelio æterno, ſerm. 17. cap. 5. Gerſ. 2. par. ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorum, & alij memoriæ prodiderunt, Romanum iuuenem ob innumera flagitia capite damnatum, antequam patibulo affigeretur; rogaſſe vti liceret parentem ſuum vltimum affari: & cùm venientem patrem per ſpeciem honoris velle exoſculari videretur; ſubitò eius naſum mordicus apprehenſum dentibus præſcidiſſe; cæteriſque mirantibus exclamaſſe: Tu me Pater ſuſpendis: tu me interficis: dum enim meam flagitioſam vitam non emendaſti, me in hanc contumelioſam mortem compuliſti. Quadrat in hanc rem illud Salomonis: *De patre*, inquit, *queruntur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrium.* Eccleſ. 41. v. 10. Ipſi, ipſi, in quos ſe patres indulgentes præſtiterunt; ſe in patres præſtabunt carnifices, & vltores.

4. *Parentes filiorum peccatis obnexij.*

5. Notum etiam eſt Deum parentes puniiſſe in filiis, quos per feras è medio ſuſtulit, vt eorum incuria ex cura belluarum durius arguceretur. 4. Reg. 2. inſultarunt pueri Heliſæo Prophetæ illis verbis: *Aſcende calue, aſcende calue.* Sed quid? illicò *egreſſi ſunt duo vrſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Hos exiſtimat D. Chryſoſtomus lib 3. aduerſus vituper. vitæ monaſticæ, decem tantũ fuiſſe annorum. Cur in illis tam atrox ſæuiit carnificina? Reſpondet Iuſtinus Martyr q. 80. ad Orthodoxos, vt in filiis patres, quorum illa culpa erat, plecterentur. *Quoniam*, inquit, *ea verba pueri à parentibus ſuis, qui ſemper in prophetas infeſto animo erant, didiciſſent. Idcirco Heliſæus cæde liberorum parentes, caſtigauit.* Cur potiùs ab vrſis, quàm à leonibus pueri laniati, præſertim cùm ea regio leonum quoque fuerit feraciſſima. Myſticus videtur ſenſus ad rem præſentem opportunus, quia vrſi parentes de bona filiorum ſuorum educatione ſollicitos adumbrant. Nam vt refert Plinius lib. 8. naturalis hiſtoriæ, cap. 39. & lib. 10. cap. 63. partus ſuos rudes, & informes, & vix vlla viuentium lineamenta præferentes lambendo fingunt, poliunt, & figurant. Huc pertinet illud Ambroſij lib. 6. Exam. cap. 4. *Vrſa*, inquit, *inſi-*

Parentes in filiis plectuntur quandoque.

Pueri Heliſæo irridentes ab vrſis dilacerantur, & quare.

insidians licet, vt scriptura ait (est enim plena fraudis fera) tamen fertur informes vtero partus edere, sed natos lingua fingere, atque in speciem sui, similitudinemq; formare. Non mireris in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrsa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem: tu filios tuos instituere similes tui non potes? Per vrsos igitur de natis sollicitos voluit Deus parentes de filiis negligentes punire, vt hominum incuria ex cura belluarum duriùs argueretur.

6. *Bona iuuentus in senectute fructificat.*

Altera ratio est, quod interfit filiorum, benè à parentibus instirui. Qui enim bonis moribus in iuuentute florent, magnis virtutibus in senectute fructificant. De iusto vaticinatur Ieremias, *Sedebit solitarius, & tacebit*, hoc est, totam vitam à mundi strepitu vacantem in magna cum Deo familiaritate collocabit. Et rationem reddit, *quia leuauit supra se.* Thren. 3. v. 28. Scilicet iugum Domini ab adolescentia sua: quasi ab optimis initiis, non nisi felices progressus, & exitus ducerentur. Multi legunt, *quia leuauit se supra se*, hoc est, vt D. Bernardus serm. 2. in festo Apostolorum Petri & Pauli interpretatur: *Quia*, inquit, *cùm adolescens esset, & ætatis lubricæ sentiret ardores: senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat: & non respexit ad se, sed ad illum, qui est supra se.* Quod Sect. 18. in cap. 1. Tobiæ exemplo Pauli Timotheum excitantis, senioris item Tobiæ, Eleazari ac Susannæ latiùs deduxi. Vnde, quæso, illa Iacobo fortitudo, vt cum Angelo totam noctem inuictus luctaretur, Genes. 32. v. 24. Nisi quòd ab vtero matris feliciter luctatus fuerat cum Esau? Genes. 25. v. 22. Quod Propheta Oseas mihi videtur significasse, *In vtero*, inquit, *supplantauit fratrem suum: & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum.* Oseæ 12. v. 3. Quasi ex priori lucta, vires hauserit ad posteriorem: & à puerilibus annis, suæ virtutis præsidia transtulerit in viriles. En quàm sit pueris necessarium, vt à prima ætate optimis disciplinis imbuantur. Quare rectè concludit D. Cyprian. tract. 2. de habitu Virginum: *Disciplina*, inquit, *est custos spei, retinaculum fidei, lux itineris salutaris, fomes, ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis.* Quasi à disciplina puerorum formatrice, omnes aliæ virtutes oriantur.

Vnde Iacob tanta fortitudo.

7. *Perdita Iuliani adolescentia, certum fuit perditæ senectutis præsagium.*

E contra ex mala institutione filiorum præmatura mors timenda exemplo puerorũ 4. Reg. 2. cit. neque quidquam boni in senectute exspectandum. Cùm olim. D. Gregorius Nazianz. Athenis commoratus vidisset Iulianum adhuc iuuenem; sed liberè, & illiberaliter viuentem: statim futura eius scelera, non quidem ex diuina reuelatione, sed ex mala institutione eius prophetauit. Nã orat. 2. contra Iulianum, *Me*, inquit, *morum ipsius inconstantia, atque incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat.* Et paulò post commemorans iuuenilia eius vitia, subdit: *Hæc*, inquit, *vt conspexi, statim proloquutus sum quale malum Romanorum terra nutris.* Ac si ex mala iuuentutis educatione certissimum malæ senectutis vaticinium desumeretur.

8. *Benè edocti pueri Resp. turres sunt.*

Tertia ratio est, quod sine bona puerorum institutione Respublica stare nequeat. Isaias Vates supremam Reipublicæ Hebrææ ruinã ostensurus: *Vbi est*, inquit, *literatus? Vbi legis verba ponderans? vbi doctor parvulorum?* Isa. 33. v. 18. Quasi diceret: De repub. Hebræorum actum est: quia boni iuuentutis doctores, institutoresque, nusquam comparent. Pro doctore parvulorum est in Hebræo, *Numerator turrium*; quasi paruuli benè ab infantia edocti, turres sint: & tot reipublicæ defendendæ turres erigantur, quot paruuli bonis moribus instituuntur. Vnde publica gymnasia, in quibus iuuenes ad pietatem, & doctrinam exercentur, turres, seu propugnacula in sacris literis dicuntur iuxta illud Salomonis: *Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Cant. 4. In Hebræo est, *quæ constructa est ad disciplinas*; seu vt legit Pagninus, *quæ ædificata est ad docendum transeuntes.* Ac si domus iuuentuti erudiendæ ædificata, validissimũ tuendæ reipublicæ propugnaculum videatur. Quare benè ad eum locum Theodoretus: *Habet*, inquit, *collum tuum omnes aliorum doctrinas, quibus tanquam iaculis, cunctos aduersarios transfigis: habet item clypeos multos, quibus protegeris, & ignita hostium tela extinguis.* Idcirco diuina sapientia modò ad arcem, modò ad domum disciplinæ paruulos inuitat. Ad arcem quidem Prov. 9. *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis est parvulus veniat ad me.* Ad domum vero disciplinæ, Eccles. 51. v. 31. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ.* Quasi nullum inter arces, quibus resp. defenditur, & domos disciplinæ, in quibus iuuentus eruditur; discrimen interesset.

Publica gymnasia resp. propugnacula.

9. *Inutile est virtutem patrisfamilias, si neglegat domesticos in eadem erudire.*

Hæ fuêre rationes, quare Tobias senior filium, non semel, sed ter in pietate, virtutibus & religione instruxerit. Porrò hoc peculiare notare in hac Tobiæ conuocatione, quod docuerit non sufficere patrisfamilias virtutem, sed necessum esse, vt etiam omnium suorum curam habeat, hoc est, non prodesse patrifamilias, si solus pietatem colat, nisi etiam adnitatur, quantum in se est, vt filij, aliique domestici eandem amplectantur: *Si quis suorum*, inquit Apostolus, *& maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5. Notabile quod Exod. 4. de Moysi legitur. Is iter aggressus ad Pharaonem cum filio nato minore incircumciso; occurrit illi Angelus, & voluit illum occidere. Animaduertit causam Sephora vxor eius, vel ex eo

quod

Vnica neglecta filij circumcisio periculum mortis creauit, Moysi aliquando sancto.

quod Angelus phantasiam eius regens, specié & cautam neglectæ circumcisionis filij ei obijceret, & suggereret: vel ex eo quod Angelus aut vultu, aut digito puerum incircumcisum notaret: vel certè ex mariti angustia coniectarit mortem illi interminari: vnde tulit acutissimam petram, qua circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes mariti sui, eosque aspersit sanguine præputio filij coram Angelo: vt hoc quasi pretio eum à morte seruaret, & redimeret, dicebatque: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Quæ verba hunc habent sensum: Nisi ego sanguinem filij mei in circumcisione effudissem, tu ab Angelo interfectore periisses: Te igitur denuò mihi sponsum acquisiui, & coemi non dote pecuniaria, sed profusione sanguinis filij mei. Quo facto Angelus dimisit Moysem, nec amplius ei mortem intentauit. Vides hic ad oculum non satis esse patrifamilias si ipse sit religiosus & sanctus, sed in hoc illi inuigilandum esse, vt & filij, totaque familia sit. Moyses enim erat vir sanctus; vnica tamen circumcisio filij neglecta periculum mortis illi creabat. In qua negligentia venialiter tantum peccasse credunt Authores, vel nullatenus. nam potuit vel ratione itineris, vel ratione infirmitatis, vel etiam dubiæ salutis, dilata fuisse infantis circumcisio absque vlla culpa: vel potuit contigisse, vt voluerit Moyses filium circumcidere, & vxor ac domestici id omnibus modis ante discessum impedierint; vel cum aliqua etiam veniali Moysis in factum conniuentia. Quia tamen non expediebat Moysem Israelitici populi Ducem futurum in eiusdem populi conspectum in Ægyptum venire filio incircumciso comitatum, ne vel eius missio tota ex hoc ipso facto suspecta esset, vel alias ea res occasio esset temerè violandi diuinas leges, ideirco voluit Deus per Angelum etiam cæde Moysi intentata Sephoram, aliàs renitentem, ad filij circumcisionem compellere.

Moyses omittendo filij circumcisionem quomodo peccauerit.

10. De Heli peruulgatum est, nihil illi profuisse pietatem apprimè colere, cùm propter neglectam filiorum seueram correptionem vsque adeo dura intellexerit à Samuele illi à Deo imminere supplicia, vt qui ex Israelitis hoc audiret, ambæ eius aures tinnirent. E contra ideò credo sacram paginam in laudem Estheris æternitati commendasse, quod non sola, sed cum ancillis suis simul ieiunaret, quemadmodum ab aliis in ciuitate Susan exigebat: *Non comedatis*, inquit, *& non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Nobilis, & vera Regina pro populi sui bono ieiunium promittit, non solum à se peragendum, sed à famulis, & ancillis. Sed quis credat gentiles ancillas tam grande ieiunium subituras. Gentiles erant ancillæ aui, aranisque gentilibus cùm ad Esther accesserunt, illas tamen Esther iam ad veri Dei cognitionem traduxerat. Id quod asserit Carthusianus ibi: non enim tulit nobilis fœmina fidem suam sterilescere, sed inde se fidelem ostendit, quod famulas suas Dei gregibus asscripserit.

Boni patrisfamilias est, domesticos ad veram fidem ducere.

Probatur ex implis Scriptura.

11. Cùm Ioan. 4. Regulus quidam post examen seruorum intellexisset, filium suum miraculosè à Christo sanatum, qui iam incipiebat mori, addidit Scriptura: *Credidit ipse, & domus eius tota*; quasi ipsius fidei assenserit domesticorum conuersionem. Non est bonus paterfamilias, qui familiam suam totam ad fidem Ecclesiamque non adducit. Cùm S. Lucas prædicat Cornelium Centurionem Romanum, inquit: *Vir erat quidem in Cæsarea, nomine Cornelius, religiosus ac timens Deū cum omni domo sua.* Quasi nulla fuisset iustitia eius, nisi etiam, quantum in ipso erat, curasset, vt tota domus coleret vnum Deum seruaret legem naturæ, & charitatis, eleemosynas, aliaque pia opera præstabat. Vnde Chrysostomus hom. 23. in Acta: *Audite omnes, qui regibus assistitis. Pius*, inquit, *erat, ac timens Deum. Et quod maius, talis erat cum omni domo sua. Ita erat huic rei intentus, vt non solum sua bene constitueret: sed etiam in ministris suis istud etiam faceret.* Hoc sit Christianorum Principum insigne, hoc singulare studium, vt & famuli venerentur Christum, & fulgeant Christiano cultu.

Custos ille carceris Act. 16. qui ex subito terræ motu *videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio* se voluerat interficere, *æstimans fugisse vinctos*, videlicet Paulum & Silam; ille inquam, cùm ab eis intellexisset necessariam esse ad salutem fidem in Christum, non destitit, donec baptizaretur ipse, & omnis domus eius continuò. Et additur in signum grandioris affectus: *Cumq; perduxisset eos*, Paulum & Silam, *in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua credens Deo.* Actuum quoque 18. Scriptura commemorans conuersionem Crispi Archisynagogi per prædicationem Pauli ad fidem, inquit: *Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua.* Quasi diceret eum non fuisse contentum quod ipse crederet, nisi tota eius familia ad eius exemplum etiam fidem Christi amplecteretur. Quid dico? Actorum 6. Lidia mulier quædam purpuraria, cuius Dominus cor illustrauerat, non contenta baptizari ipsa, omnem quoque domum suam baptizari voluit.

Reprehenduntur superiores, qui suos domesticos parùm curant impiè viuere.

12. Hoc fidelium omnium est insigne: hinc Tobias tam sollicitus fuit, vt filius eius & nepotes ab eo intelligerent instantem Ninive interitum, & restaurationem Hierosolymæ, quodque timentes Deum eò reuertetentur:

vt sic omnes & singulos suæ familiæ in pietate contineret. At modò multis in locis contrarium faciunt patresfamilias, & domesticorum præfecti, qui promiscuè patiuntur suos eam fidem amplecti, illamque pietatem sectari, quam cæco suo iudicio meliorem censuerint, licet ab Ecclesia Catholica alienam. Non video quomodo ista subsistant. & Catholicos se profiteri audeant, qui non solum vxores & liberos, sed & famulos, quos nullâ necessitudine naturæ coguntur in domibus retinere, hæreticos habeant, aut impios; Meminerint verborum Pauli Timoth. 5. citato. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior*, supple, quia factis negat, adeoque detetior infideli habendus est, qui fundamento salutis carens, secundum legem naturæ omnium probitatem saltem exteriorem in sua domo requirit. Metuant ne & propter famulorum crimina vapulent ipsi: nam Tertulliano teste lib. de idololat. cap. 15. quidam per visionem castigatus fuit, quod in signum idololatriæ serui ianuam coronassent. *Scio*, inquit, *fratrem per visionem eadem nocte castigatũ grauiter, quod ianuam eius subitò annuntiatis gaudijs publicis serui coronassent. Et tamen non ipse coronauerat, aut praeceperat: nam ante praecesserat, & regressus reprehenderat factum, adeò apud Dominum in huiusmodi etiam disciplina familia nostra aestimatur.*

Horum quidam pro seruis vapulant.

Reprehendantur Superiores connitentes, ad subditorum delicta.

D. Chrysostomus homil. 33. in Gen. prædicat Abrahamum, quia Genes. 13. rixas inter famulos suos & Loth compescuerit: & inde ad alios patresfamilias deducit documentum: *Audiam*, inquit, *hac qui se extra crimina putant esse, quando propter familiaritatem suis ministris permittunt, & connivent rapere, decipere, multa mala machinari, & in ciuitatibus, & in agris, & auferre vià vicinis, nunc agrum, nunc domum. Eaq; de causa maiori tales benevolentia prosequuntur. Nam licet iniustitia ille opus alienum tibi sint, tamen & ipse negotio communicas: non solum quod oblectaris fallis, & credis inde facultatibus tuis incrementum accedere: sed quod non prohibes, ne facinus committatur. Nam qui prohibere potest eum, qui iniuriam facit, & non prohibet, is non minorem luet penam, quàm qui iniuriam facit.*

13. *Vnius priuati peccatũ in totam communitatem redũdat*

Præterea non videtur alienum à pietate Tobiæ, quod idcirco voluerit omnes & singulos suæ familiæ in pietate continere, quòd sciret etiam vnius priuati hominis peccatum in totam communitatem redundare. Scriptura sacra id abundè testatur, cùm vnius peccatum toti communitati adscribat. Peccauerat Iosue 6. vnus Achan furripiens aliquid eorum in Ierechuntina strage, quæ Deus sibi consecrauerat, nihilominus ipso solo peccante & furante, dicit: *Filij autem Israel praeuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate.* Et Genes. 44. in sacco Beniamini tantum scyphus argenteus deprehensus fuit, & tamen Ioseph ad omnes eius fratres, inquit: *Cur sic agere voluisti?* Cùm solus Iudas Ioan. 12. de liberalitate ac religione Magdalenæ erga Christum Dominum murmuraret, absolutè tamen dicitur Matth. 26. *Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes: vt quid perditio haec?* Quasi vnius culpa in omnes effunderetur.

14. *Multo magis Principis in subditos, & patrisfamilias in totam posteritatem.*

Audite hæc, & masticate, quibus cura domus commissa est, quantumuis homines sitis priuati. Nam sæpè vnius patrisfamilias culpa in totam familiam imò seram posteritatem spargitur. Enucleate hæc multò magis viri principes: nam culpa Principis grauioribus supplicijs subditos inuoluit. Sic propter Pharaonis & Abimelech incontinentiam in Saram, tota vtriusque domus flagellatur, vt videre est Genes. 12. vers. 17. & Genes. 20. vers. 18. Sic propter negligentiam Heli tota domus patitur: *Loquens*, inquit, *locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, & praecidã brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua*, & plura quæ sequuntur. Sic propter Saulis perfidiam in Gabaonitas, tota eius posteritas ad supplicium reposcitur, 2. Reg. 21. Sic propter superbiam & elationem Dauidis populum numerare iubentis, ac de eius multitudine gloriantis; in totum regnũ, immissa à Deo pestilentia, desæuijt, 2. Reg. 24. 15. Quod ipse Dauid non ignorauit, Deũ sic deprecatus: *Ego sum, qui peccaui, & ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me; & contra domum patris mei.* Quamuis enim populus peccauerat non soluendo dimidium sicli, iuxta legem præscriptam Exod. 30. quæ in censendo populo seruari debebat: tamen huius numerationis auctor erat Dauid, adeoque fatetur se omnẽ sustinuisse culpam, atque sibi vni deberi supplicium. Ionas quoque dum extraordinaria tempestas in mari exurgeret, quæ Nautas omnes percellebat, sorte deprehensus agnouit illos sui causa pati: vnde dicebat capit. 1. *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim ego, quoniam propter me tempestas haec grandis venit super vos.* Hæc probè dignoscens Tobias, vt verosimile est, vt verus & impiger paterfamilias à singulis studuit auertere cuiusuis impietatis culpã, ne tota ipsius familia Dei indignationem experiretur, & à prosperis, quæ prophetico spiritu præuidebat Ierosolymæ reditura, excluderetur, vel sera posteritas.

1. Reg. 2.

SE-

SECTIO V.

Quid ex Tobiæ prædictione, de qua versus 6. loquitur, doceamur?

1. TOBIAS senior, dum mors illi instaret, filio ac nepotibus septem dixit in proximo futuram subuersionem ciuitatis Niniues, fratres dispersos à terra Israel reuersuros ad eam, aliáque quæ planiùs in textu videre est. Quæritur quid documenti pro encomio Tobiæ in illis existat, quidúe ad nostram instructionem. Primum occurrit Tobiam fuisse Prophetam eximium, qui mox futura ex instinctu Dei prædixit. Multi vtique Prophetæ dicuntur, quod illa dicant, quæ procul à communi captu, & intelligentia sunt, siue illa sint præterita, vt quæ Moyses prædixit de creatione mundi, de turri Babel, & diuisione linguarum; siue sint præsentia, vt cùm corda, & intima aliorum secreta cernuntur. Ita Saulí prædixit Samuel asinas à Patre Cis fuisse inuentas, & Helisæus seruo suo Giezi quid à Naaman Syro accepisset, & Christus Nathanaeli vbi esset, cùm à Philippo vocaretur, explicauit quod erat sub ficu. Samaritana etiam vocat Christum Prophetam, quòd secreta cordis sui detexisset. Petrus item partem huius Prophetiæ exhibuit, cùm fraudem ab Anania, & Sapphira excogitatam patefecit, & mortem illis imminentem declarauit. Verùm illi eminentius Prophetæ sunt, qui futura contingentia prædicũt, ideoque deorũ nomine insigniri solent. Cùm enim Deus Gentes, quas inanium Deorum fallax imbuerat religio ad iudicium vocasset, proponit quid, vnde Diuinitas explorari possit, nempe vt muta & inania eorum simulachra, quibus plurimum tribuebant, futura prædicerent. *Annuntiate*, inquit, *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos*, quasi dicat, Prædicite aliquid in præsens de futuris contingentibus liberis, quorum certus & exploratus erit exitus; & agnoscemus diuinitatis aliquid esse in vobis, imo Deos vos dicemus.

Tobias fuit Propheta eximius.
Genes. 1.
Quinam dicantur Prophetare.
1. Reg. 9.
3. Reg. 5.
Ioan. 1.
Ioan. 4.
alibi. 5.

3. Talis fuit Propheta Tobias, cùm prædixit subuersionem Niniues, quæ non longè post euenit. Cæterùm hoc peculiare fuit in Tobia, quod inter Assyrios existens illustratus fuit à Domino de ijs, quæ ciuitati Niniue, totique Assyriorum regno essent euentura (alijsque prosperis euentibus Israelitarum timentium Deum) idque in fauorem filij & nepotum, vt euadere possent cladem futuram. Nam propriam ac primariam vrbis Niniues subuersionem, quam prænuntiauerat longè priusquam eueniret Propheta Nahum, postea Tobias moriens non solum suo vaticinio confirmauit, sed etiam in proximo futuram prædixit: *Propè*, inquit, *est interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini.* Id autem de nullo Domini verbo verius accipi posse videtur, quàm de illo quod factum fuerat per Nahum vt rectè animaduertit Torniellus anno mundi 3321. *Nam*, inquit, *quod ibi 70. Interpretes exponunt de Iona, non videtur satis tutum; quia prænuntiatio interitus Niniue facta per Ionam, fuit ad certum tempus determinata, videlicet post quadraginta dies, & insuper conditionata, nimirum nisi intra præfictos dies, ad prædicationem Ionæ Prophetæ, qui ad ipsam mittebatur, conuersa esset. Secuta namque conuersione, statim euersionis sententia reuocata est. At verò Nahum neque vllum in sua prophetiâ præcisum tempus præfinit; neque vllam talem apponit conditionem; sed absolutè supponit Niniuem in peccatis suis omninò aliquando fore subuertendam. Tobias autem addidit: In proximo: Quare de vna eademq; subuersione ambo prophetasse videntur.*

Tobiæ prophetam subuersionē Niniues.

Nihilum breui futurum, prædictum à Nahum.

Verùm in captiuitate aliquem reperiri, qui dono prophetiæ polleat, (non commune est, sed quid eximium) qualis erat Tobias inter Assyrios degens. Nam tempore captiuitatis etiam pij queruntur, quod Prophetis destituatur. Daniel is vtique c. 3. v. 38. Tres pueri, dum in angusto illo rerum articulo Dei opem implorarent, inter alia dixerunt, *Non est in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta*, &c. per quem videlicet aut misericordiam tuam mereamur, aut modum euadendi malum nobis paratum ab impio Rege resciamus. Nam Daniel potius somniorum regiorum erat interpres, quam Propheta populi: Ezechiel autem Propheta aberat; agebatque in Chobar, alijsque Chaldææ locis, eratque is vnus & captiuus. Adeò quod illo tempore *sermo Domini erat pretiosus*, vt de tempore Samuelis dicitur 1. Reg. 3. quo Deus illi aperuerat euentura domui Heli: Quo dicendi modo patet sermonem Dei eo tempore fuisse rarum, & prophetiæ donum, quod Samueli conferebatur, fuisse præclarum & illustre, quale in hominibus illius temporis non inueniebatur. Pretiosum autem dicitur quod rarum est, licet minus, quã plurima alia, aut pulchrum sit, aut necessarium: hæc enim quantumcumque alioqui magna, assiduitate tamen, & frequentiâ vilescunt. Quia igitur eo sæculo pauci reperiebantur, quos Diuinus afflaret spiritus, quique verba Dei ad homines deferrent; vt verba Dei tunc apparebant rara; sic etiam magno habebantur in pretio. Sanè toto tempore, quo Israelitidi genti præfuere Iudices, vix vnum; aut alterum inuenies, per quem Deus hominibus, quid factum vellet, aut quid

4. *Est quid singulare, reperiri in captiuitate Prophetam.*

Pretiosum idem quòd rarum.

Prophetæ rari Iudicum tempore.

quid futurum eſſet, aperiret. Duos tantum reperies, videlicet, cap. 4. Iudic. Debboram Prophetidem, & c. 6. eiuſdem Libri Prophetam alium, qui Dei nomine Iſraelitas hortabatur ad meliorem frugem. Inter Aſſyrios autem vnus exiſtebat Propheta, Tobias noſter, licet non manifeſtus; ſed in vſum ſuorum prophetiæ gratia à Deo donatus. Vnde non legitur alijs intimaſſe euerſionem Niniues, quàm filijs & nepotibus.

5. *Documentū Quantum malum recidere in peccata.*

Porrò ex hac prædictione Tobiæ manifeſtum fit omnibus quantum malum ſit redire ad ſcelera, de quibus pœnituimus ſicut fecerunt Niniuitæ poſt peractam pœnitētiam ad prædicationem Ionæ Prophetæ: ita vt neceſſum fuerit per Nahum, alterum vatem, ijſdem intimare excidium, quod proximè inſtare hoc loco prænuntiat Tobias. Recidiuans enim primo multò grauius peccat. Planiſſimè id affirmat Apoſtolus Petrus epiſtolæ 2. c. 2. vbi fideles hortatur, vt caueant pſeudoprophetas Prophetis contrarios, puta hæreticos, quorum primò malignitatem, mox punitionem deſcribit quod ſcilicet puniendi ſint inſtar luciferi, & dæmonum; ac inſtar mundanorum qui merſi ſunt diluuio; atque Sodomæ & Gomorrhæ, quæ cæleſti igne conflagrarunt. Deinde eorum prauos mores, præſertim luxuriam, ſuperbiam, rebellionem, audaciam, philautiam, blaſphemiam, adulationem, auaritiam deſcribit. Tertiò eos comparat cum Balaam, cuius malitiam redarguit aſina, eò quòd illius inſtar pelliciant homines in errores, docendo luxuriam, & libertatem carnis; quæ mera, & fœda eſt ſeruitus. Denique inculcat, vt magis terreat, quantum ſit recidiuantium malum. *Si enim*, inquit, *refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris* IESV CHRISTI, *his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.* Senſus eſt, Illis qui fugientes inquinamenta, voluptates, & libidines mundi contulerunt ſe ad cognitionem, id eſt, ad fidem & cultum Chriſti, ſi ab eo apoſtatarantes ad gentiliſmum, vel potius hæreſin Gnoſticorum, rurſus ijs inquinamētis implicati ſuperantur, *quæ ante ſuperauerunt*, vti legit S. Hieronymus libr. 1. contra Iouinian. *Facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus*, tum quia grauius eſt malum recidiui; tum quia magis & profundius ſe vitijs priſtinis immergunt, habitumque validiorem induunt; tum quia ingrati gratiæ Dei ab ea deſeruntur. Vtiliter Chryſoſtomus homil. de lapſu primi hominis: *Noli*, ait, *peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam. Quare indulgentia ingratus eſt, qui poſt veniam peccat; ſanitate indignus eſt, qui ſemetipſum, poſtquam curatus eſt, vulnerat; nec mundari meretur, qui ſemetipſum poſt gratiam ſordidat.* Et paucis interiectis: *Grauius eſt hominem inſtructum delinquere, grauius abſolutum peccare; ſeruus peior eſt, qui patronum poſt datam libertatem offendit: beneficijs ingratus eſt, qui datorem tumoris arrogantia deſpicit.*

Relapſi grauius peccant

Recidiui ſimiles canib.

Subiungit D. Petr. loc. cit. *Melius erat illis nō cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit eis illud veri prouerbij. Canis reuerſus ad ſuum vomitum; & ſus lota in volutabro luti.* Comparat Apoſtolus Gentiles relapſos, in hæreſim Gnoſticorum, canibus; quia tales reuertuntur ſicut canes ad vomitum, id eſt, ad errores, gulas, & libidines, quas in Chriſtianiſmo euomuerant, & abiecerant. Vomitum autem reſorbere eſt fœdum & abominabile. Vnde S. Auguſtinus con. 2. in Pſal. 30. *Vide*, ait, *quàm horribili rei eos comparauerit. Horribilis profectò res eſt proprium reſorbere vomitum, nec in ſummâ quidem fame à quoquam vſurpatum.* Quantò vero canis ad vomitum regreſſus, turpius manducat: quanto ſus à lauacro in volutabrum deſiliens, turpius ſordeſcit; tantò quidem & homo ad crimina paulò ante abiurata reuolutus, turpius inquinatur. Vnde D. Bernard. ſer. 2. de Aſſumptione: *Reuerſus*, inquit, *ad vomitum canis, odibilis erit multo plus, quàm antè: & ſus lota in volutabro luti.* Quam doctrinam D. Cyrillus Alexand. lib. 5. in Ioā. cap. 17. illuſtrat ex verbis Chriſti Domini ad fœminam in adulterio deprehenſam, & ab ipſo Chriſto Domino abſoluram. *Vade, & iam amplius noli peccare*, Ioan. 8. *Vbi*, inquit, *reſpondit mulier ſe à nemine condemnatam eſſe, illico neque ſe eam condemnaturum promiſit, & benignitatis ſuæ dulcedine abſolutam abire iuſſit, id ſolum ei iniungens, quod amodo ſibi à peccato caueret, & ne in priora relaberetur mala, ſummo ſtudio vigilaret. Nam incaſſum*, ſubdit Cyrillus, *ſumitur medicina, ſi poſt inſtauratam ſanitatem; per vitia incontinentiam, qui conualuit, in priſtinum incidit morbum. Quinimò relapſus in ægritudinem periculoſior eſſe ſolet, & exitio propior, quàm prior ille languor: & quæ prima valetudo aduerſa non extinxit, ſæpiùs iterata poſt redditam incolumitatem ſuſtulit è vita. Haud ſecus fruſtra pœnitentiæ medicamentum ſumitur, ſi poſt eam peractam ad priorem vitæ ſordes reditur. Hæc enim ſecunda admodum periculoſa eſt animæ febricitatio.* Quod ſtatim clariùs illuſtrat exēplo languidi Ioan. 5; vnde ſubiungit: *Proinde Dominus noſter languido, qui octo & triginta octo annos decubuerat infirmus, iam ſanato, & iuſſo tollere grabatum ſuum, atque ambulare, deinde dixiſſe legitur: Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat. Quibus ſanè verbis ſignificauit per peccati iterationem hominem in deteriora prolabi mala. Quid prodeſt, obſecro, ſtudioſè veſtes abluere, & lotos rurſum luto inquinare? quid lauare manum, & ablutas iterum contaminare ſordibus:*

Peccator ad peccatum reuerſus vt ſus turpius inquinatur.

Sicut

Prou.26. *Sicut ſus lota, dicit Sapiens, in volutabro luti: ita ſtultus qui iterat ſtultitiam ſuam, eſt enim vt canis qui reuertitur ad vomitũ ſuum. Audi Eccleſiaſticum hanc peccatorum iterationem grauiter damnantem:* Eccleſ.34. *Vnus adificans, & vnus deſtruens: quid prodeſt illis niſi labor? Vnus orans, & vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? Sic homo, qui ieunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens quid proficit humiliando ſe?*

6. *Diuinæ vindictæ relapſi reus.*

Secundò duriùs à Deo puniendus venit, qui relabitur in peccata; quod per exempla Scripturæ quis facilè colliget. Pharao vtique cùm ſæpiùs peccaſſet, & in eadem peccata relaberetur, non iam ſanguine primogenitorum, non ranis, non muſcis, non cinipbibus mulctatus, ſed horrendo exitio cum ſuis in mari rubro vitam finiuit. Heb æi in Ægypto commorantes nullis à Deo plagis plectebantur: ſed ijdem ab Ægypto egreſſi, dum in Ægyptum redire moliuntur, aut certe præpoſtero Ægypti deſiderio tenentur, capitali à Deo ſupplicio damnantur. Nam, cùm deſiderarent Ægyptias carnes & piſces, & ad Ægyptios cucumeres, cepe & alia ſuſpitarent: *Ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis.* Numer.11. 33. Rurſus, cùm inter ſe deliberarent de eligendo duce, à quo in Ægyptum reducerentur, dicentes: *Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Numer. 14. ſtatim capitalis in eos ſententia promulgatur: *In ſolitudine hac iacebunt cadavera veſtra.* Ibid. ver.29. Cur in Ægypto commorantes nullis ſupplicijs mulctantur; & nihilominus in Ægyptum redire cupientes, grauiſſimis pœnis afficiuntur: nili, vt hoc exemplo palam fiat, grauiùs à Deo puniri peccatum repetentes, quàm primùm perpetrantes? Quod expendens D. Cyrillus loc. cit. pluribus exemplis confirmat, & ab exemplo vxoris Loth exordiens:

Genes. 19. *Vxor*, inquit, *Loth conuerſa retrò ad Sodomam, à qua diſceſſerat, in ſtatuam ſalis mutata eſt, & unde ſumendum eſſe nobis exemplum, ne ad deplorata reuertamur peccatorum illecebras admonuit Dominus: Memores, inquit, eſtote vxoris Loth.* Semei cum Luc 17. *prima offenſionis in Dauid impetraſſet veniam, &* 2. Reg.19. *iuſſus eſſet muros vrbis Hieruſalem non excedere: quia* 3. Reg.2. *ſecundo deprehenſus eſt deliquiſſe, & mandatum regis neglexiſſe, morte mulctatus eſt. Quid aliud nobis bit Semei caſus innuit, niſi timendam eſſe, & grauiter formidandam Dei iram, ſi iterum atque iterum eadem perpetremus flagitia? Ejectus immundus ſpiritus ab homine, non inuenta alibi requie, dixit: Reuertar ad domum meam, vnde exiui, & inueniens eam Deiprefidio non munitam, aſſumpſit alios ſeptẽ* Luc 11. *ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & ſunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Filij Iſrael* Numer.11. *in deſerto ſuſpirantes poſt ollas carnium Ægypti, &* Numer.14. *panem in fatuitate manducatum, quibus in mentibus*

venerunt pepones, cepe, & allia, proſtrati ſunt ab ira Dei. Qui dixerunt: Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum: proſtigati ſunt ab hoſtibus, illorum geremes typum, qui virtutis iter ingreſſi, ad præterita vitæ tenebras pedem retro ferre laborant. Luc 7. *Nemo enim mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.*

7. *Et Saulis.*

Miſer Saul ſic bonus erat, vt melior non eſſet in toto Iſraelis regno, & ſic perfectus, vt à Deo ſpiritualibus gratijs auctus, in familiaritatem, amicitiamque eius eſſet aſcitus, repleuit enim eum ſtatim, ac in Regem elegit, prophetiæ ſpiritu, toto admirante Iſraele, ac proclamante, *quænam res accidit filio Cis numquid & Saul inter prophetas?* 1.Reg.10.verſ. 12. at dum ſemel peccare cœpit, non equidem communibus peccauit flagitijs, nec communia eius fuerunt ſcelera, ſed horrenda, grauibus ſemper vndequaque cincta conditionibus: nam peccauit ex malitia, ex inuidia, ex hypocriſi, ex obſtinatione, & tandem non ſemel, nec bis, ſed ſæpiùs in ea reincidit. Quòd ſic vnicè Deo diſplicuit, vt penitiùs ſi inſpicias, tunc inuenies de eius electione Deum pœnituiſſe, quando de nouo in peccatum reincidiſſe proſpexit; ſemel enim miſer peccauit, quando ſacrificium, cõtra quod ex præcepto Domini inter ipſum & Samuelem ſtatutum erat, obtulit, & licet malè egiſſet, etſi iratus, tamen non minus Deus: vnde eum pœnâ tantum mulctauit priuationis regni poſt mortem ſuam, ſignaque doloris non oſtendit: at quando poſt gratiam acceptam, in peccatum iterum reincidit, iterumque in inobedientiam, ſic doluit Deus vt Samueli diceret, *pœnitet me quod conſtituerim Saul Regem.* Ibid.c.15.v 11. pœnitentiam dixit, quaſi malè aliquid egiſſet, & quaſi homo, qui extra ſe fuiſſet, quando illum elegit; vnde animaduertẽs factum, ab illo ſe reuocat, & in aliud commutare illud deſiderat: vnde Septuaginta legunt, *Renocaui me, quia regnare feci Saul in Regẽ.* Vt ſemel videas quãtum Deo diſpliceant reincidentiæ peccata, vt ſi poſſibile eſſet, ad pœnitudinem reducerent ipſammet impœnitudinem: *Si Deum*, inquit Ambroſius, *poſſibile eſſet pœnitere, pœniteret talem hominum feciſſe, & tales gratias ei impertiſſe, & etiamſi poſſibile eſſet contra ſeipſummet iraſci, & ad modum dolentis hominis ſe vocare, & planè confiteri, quod tunc extra ſe erat, quando illud fecerat contra ſe ipſum iraſceretur, & talem reuocaret.* Talis eſt Dei ſenſus, quando homo in peccata reincidit, & præcipuè quando amicus, & dilectus, de eoque benemeritus.

Reincidentia peccata quantũ Deo diſpliceant.

8. *Achab in bello occiditur quia relapſus.*

Peccantem olim Achab non puniuit Deus; immò pœnitenti veniam promiſit: *Non inducam*, inquit, *malum in diebus eius; ſed in diebus filij ſui* 3.Reg.cap.21. Et nihilominus Achab paulo poſt in bello victus & occiſus eſt: vt patet

ex cap.22.seq. vers.35. Quid ergo? Diuinum oraculum falsum est? Absit. Sed potius propositum humanum immutatum, & regius animus ad priora flagitia relapsus: vt rectè D. Ambrosius lib.de Naboth, cap. 17. aduertit: *Considera*, inquit, *quia Iezabelem habuit vxorem, cuius inflammabatur arbitrio; qua conuertit cor eius, & nimijs sacrilegijs execrabilem fecit. Et hunc ergo pœnitentia eius reuocauit affectum. Dominus autem non potest mutabilis æstimari, si confessionis immemori, non putabat esse seruandũ, quod promiserat confitenti.* Vbi cernitur peccatum primò commissum diuinas iras facile euasisse; in quas tamen iteratum incurrit: quòd grauius à Deo secundus, quàm primus lapsus puniatur

9. *Niniuitæ exisi qui in eadem scelera relapsi.*

Veniamus ad Assyrios in Niniue, & comperiemus, quàm grauiter reincidentes vapulauerint. Ionas contra Niniuem prædicans, eíque excidium post quadraginta dies intentans eandem ad pœnitentiam conuertit; per quam ipsa Ionæ minas & excidium euasit & auertit. Verùm postea ad ingenium, ac ad scelera & tyrãnidem suam rediens, Dei iram rursum in se concitauit, præsertim cum tyrannicè aliàs gentes, ac nominatim Israelitas, puta decem tribus, inuasit & excidit. Porrò exciſa non est ob primam in scelera recidiuam Niniue, quę post actam prędicante Iona pœnitentiam mox subsecuta est; sed Deus eam puniuit, dum permisit incolas ab Arbace Medo & Beloso Babylonio subiugari: qui Niniuem ceperunt, & Sardanapalum ad mortem sibi conscisendam compulerunt. Hæc autem Niniue ab Arbace vastata postea refloruit, pluresque habuit reges potentissimos, nimirum Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sẽnacherib, & Asarrhaddon, qui Israelitas vexarunt, & oppressérunt, vt patet ex lib. 4. Reg. ac sub ijs ad pristina scelera & tyrannidem redijt. Quocirca Dei vindictam & excidium ei, totique Assyriæ (huius enim metropolis erat Niniuę) rursum comminatur Nahum; qui quasi nouus Ionas cap. 1. nouum proclamans supplicium, excidium illi intentauit post abductas decem tribus in Assyriam. Quo loco Propheta Nahum amplificat Dei inflammatum animum, quo vult illius gentis scelera recidiua punire, & potentiam, qua possit quidquid designarit animo, facilè perficere. Et cap. 2. prophetat excidium Niniues per Medos & Chaldæos; quorum arma, castra, & milites feroces, celeres & terribiles instar fulguris; graphicè describit: adhæc eius desolationem; spoliationem, pauorem & consternationem depingit. Quæ omnia non longè abesse prędicit hic Tobias noster, dum ait: *Propè est interitus Niniue, non enim excidit verbum Domini*, prædictum nempe à Prophera Nahum. Quibus euidens fit, quantò acrius Dei ira inflammescat in relapsos. Quod etiam in Euangelio Dominus ostendit, quando ille, cui omne debitum dimiserat, durius tractauerat fratrem debitorem, pœnam carceris subire cogitur vsque dum soluat extremum quadrantem. Matth. 22.

10. *Relapsi difficilius reparantur.*

Tertiò constat recidiuos difficiliùs reparari, nam Luc. 11. infelicior conditio in relapsu, quàm in primo lapsu ostenditur. Diabolus enim in animam, à qua exierat, regressurus, *Assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* In primo vtique lapsu vnus aderat Dæmon, malus quidem: sed in secundo septem, & quidem nequiores. Rursus in primo, vnus tanquam hospes introierat: sed in secundo, plures tanquam domestici habitabant. Vnde actum, quod vnus in primo ingressu custodiuit: plures in secundo penitus dissipauit.

Animæ in relapsu à malorum dæmonum hospitium.

Eleganter D Bernardus serm. de Conuers. ad Clericos, cap. 7. comparat animam à peccato in gratiam, & à gratia in peccatum alterna vicissitudine recurrentem, cum sentina, ex qua, quãtum effluat, tãtum statim influat: vnde nullo tandem labore exhauriatur. Nam expendens illa Dei verba ad Cainum iuxta translationem Septuaginta: *Peccasti? Quiesce.* Genes. 4. v. 7. hoc est, si lapsus es, ne relabaris: rectè ostendit, non posse veteres culpas purgari, si nouæ accumulentur: sicut nec sentinam à priori confluge exhauriri, si posteriori aliqua ex æquo resarciatur. *Vanum*, inquit, *tibi est, dum adhuc sordes influant, sentinam exhaurire: dum peccare non desiteris, panitere. Quis enim eorum ieiunia probet, qui ad lites & contentiones ieiunant?* Isa. 58. Et item: *Claude fenestras mortis, obsera aditus, foramina obstrue diligenter, & sic demum non subeuntibus nouis, sordes poterit expurgare vetustas.* Vides, quàm misera sit illius animæ conditio, quæ tanquam sentina à vitiorum fæcibus, vel sorbendis, vel resorbendis, nunquam interquiescit? Seu tanquam æstuarium alternis subsidens & intumescens, sic egestis peccatorum sordibus exinanitur, vt statim aliis denuò ingestis repleatur? Imò D. Ambrosio teste, Difficillimum illis est redire: *Facilius*, inquit, *inueni, qui innocentiam seruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Lib. 2. de pœnit. cap. 20.

Quiescens labouratur sentina similis.

Omnis lepra in Scriptura immunda ac detestabilis est: sed illa, quæ in cicatrice nascitur, immundior ac detestabilior censetur. Vnde Sacerdos inspiciens leprosum, cui in loco vlceris, seu in cicatrice, noua lepra suboriatur: *Contaminabit eum*, inquit Legislator, Et causam reddit: *Plaga enim leprę orta est in vlcere.* Leuit. 13. v. 20. Quid aliud, quæso, significat lepra in cicatrice recrudescens, quàm peccatum post culpam iam sanatam reuiuiscens?

Relapsus in culpam execratur Deus.

Peccatum lapsa comparatur.

Vt

Vt enim illa rediens lepra; ita & hæc culpa renascens, turpior ac periculosior existimatur. Quare D. Hieronymus in cap. Michææ, recte monet hos in eandem culpam reditus maximè fugiendos: *Multò melius est*, inquit, *non habere vulnera, & Medico non egere. Curatio, non beatitudo sanatorum est, sed solatium post dolorem. Igitur, qui curatus est, caueat, ne iterum peccet, & rursum ei aliquid deterius fiat.* Et statim in hanc sententiam explicat citatum Leuitici locum: *Legimus*, inquit, *in Leutico, in vibice & cicatrice combustura lepram solere generari; & mutare colorem pili, & ad priorem deformationem cicatricis nouellam accedere fœditatem. Hoc propterea, ne quis securus de pœnitentia peccet, & cauterio indigeat, & sanatus iterum vulneretur.* Nam, sicut vulnus, quod sanatum recruduit, ægriùs curatur: ita peccatum, quod semel remissum, postea reuixit, difficiliùs aboletur.

Qui reincidit in morbum, Labor grauior.

Non multum differt ab hac, similitudo illa, qua vtitur D. Eligius Nouiomensis Episcopus hom. 15. petita ab ossibus, quæ suis locis semel mota, facilè restituuntur: si sæpiùs luxentur difficillimè instaurantur. *Si alicui*, inquit, *crus frangatur aut manus; cum labore solet ad pristinum reuocari officium: si verò secundo, aut tertio, eodem loco membra ipsa frangantur; potest intelligere charitas vestra, cùm quantis doloribus & cruciatibus vulnera ipsa curanda sunt. Et tamen post longos & multos labores vix erit vnquam, vt ad pristinum statum membra ipsa valeãt reuocari. Similis ratio in animarum fracturis existimanda est. Si ergo semel aliquis, aut secundò capitalia crimina admiserit, & ad pœnitentiæ fructum confugerit; incolumitatem, quam perdiderat recipiet: si verò crimina criminibus caperit addere, & animarum vulnera tegendo permiserit putrescere; timendum est nimium in modum, ne in illo impleatur illud Prophetæ: Computruerunt iumenta in stercore suo.* Ioël. 1. v. 17.

Peccata sæpius repetita difficilius emendantur.

Totus per gratiam non debet se iterum cum examinari.

Verissimè D. Bernardus serm. 3. in Cant. masticans verba Sponsæ Cantic 5. *Expoliaui me tunica mea; quomodo induar illa? Laui pedes meos; quomodo inquinabo illos? Si dixerit*, inquit, *mihi* IESVS: *Dimittuntur tibi peccata tua: nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam; si reduxero eam, quantùm profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram inquinauero; numquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum iacui dum in lecto facui: sed erit sine dubio recidenti, quàm iacenti deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es; vade, iam amplius noli peccare ne deterius aliquid tibi cõtingat. Qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus est, vt addat & continendi virtutem; ne iterum pœnitenda committam, faciamq; nouissima mea peiora prioribus.*

VI. *Deus non punit nisi præmonitos.*

Tertium documentum est hinc resultans, quòd Deus non soleat punire Gentem aliquam, nisi præmonitam. Hoc insinuant verba Tobiæ: *Non enim excidit verbum Domini, vi-*

Mauden in Tobiam.

delicet quod per Nahum prædixit, Niniuem ob recidiuam euertendam esse, nisi iterum pœnitèrent. Hæc est misericordia Dei: *Nota*, inquit Hieronym. in cap. 3. Amos, *quòd clemens & benignus Deus semper futura pronuntiet, ne cogatur inferre supplicia, Et quod hæretici calumniãtur in Creatore quasi seuero & truculento, crudeli: & tantum iudice (eo quod nullum sit malum in ciuitate, quod ille non faciat) hoc nos referimus ad magnitudinem misericordiæ, quod non inferat, nisi ante prædixerit. Qui autem prædicit, non vult punire peccantes.*

Amos Vates id clarissimè testatur cap. 3. *Non faciet*, inquit, *Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Quasi dicat, Non est malum in ciuitate quod non faciat Dominus, quia ipse omnia mala ciuitati euentura prius reuelat Prophetis, & per eos illas se ciuitati inflicturum comminatur, nisi resipiscat. Sic reuelauit Noe seruo suo, quòd esset inducturus diluuium. Cùm enim homines omnes & præsertim Gigantes libidinibus, omniq; scelere sese corrumperent, dixit Dominus: *Non permanebit spiritus meus in homine in aternum, quia caro est: eruntq; dies illius centum viginti annorum.* Genes. 6. Non patiar, inquit, hãc litem, inter meam misericordiam & iustitiam tamdiu durare; rursum, nolo amplius cum hominum pertinacia contendere. tædet me, angunt me, & discruciant tanti cõflictus sibi aduersantium affectuum: litem ergo dirimam, ac homines incorrigibiles, totosque carni deditos planè delebo. Seu clarius. Anima & vita homini à me insperata non permanebit in corpore quasi in hospitio in longum tempus, quale habuerunt homines ab Adam huc vsque: quia post centum viginti annos omnes delebo diluuio, quòd in vitia carnis sua culpa immersi sint. Possum eos hoc instanti delere; sed quia clemens sum do eis tempus pœnitentiæ idque largum centum viginti annorum: vt vel interea resipiscant, ni velint perire. Reuelauit autem Deus illud Noe, vt idipsum propalet mundo. Iussit illum aream conficere centum annorum spatio, vt per centum annos, homines sciscitantes fabricæ eius causam, monerentur de instanti diluuio, illudque pœnitendo auerterent, & euaderent, vti postea excidium euaserunt Niniuitæ prænoniti à Iona.

Diluuium antè centum annu & viginti quare prædictum.

Sic reuelauit Deus Abrahæ per Angelos 12.
instans excidium Sodomæ, quamuis sciret Sodomitis vt pote obstinatis prædictionem illam minimè profuturam. Verùm voluit illi aperire, quòd sciret eum, per punitionem Sodomorum, suos posteros eruditurum, vt ab eorum peccatis cauerent, ne similiter perirent. Deus igitur voluit ea reuelatione Abrahæ dare materiam charitatis, quem sciebat pro Sodomitis oraturum, simulque ostendere

oſtẽdere, quantum ipſius precibus tribueret, atque ex aduerſo patefaceret, quanta fuerit peruerſitas & corruptio Sodomorum, vt pote in qua ne decem quidem iuſti inuenti ſunt: adeò vt pro ipſis vlterius Abraham rogare non fuerit auſus: à quinquaginta enim iuſtis, quos Deus requirebat, quorum gratia ciuitatem incendio eripuiſſet, vſque ad decem deſcenderat. Denique illi reuelare voluit, vt ſaltem aliis poſſet eſſe proficuum mediante Abrahamo, quod præuidebat Sodomitis potius damnoſum, vt dixi.

Sic Deus per Moyſem nullam Ægypto plagam inflixit, niſi priùs per eumdem de ea Pharaonem & Ægyptios præmoneret, vt videre eſt Exod. 7. 8. & 9. Sic clades per Syros, Ammonitas, Madianitas & Philiſtæos, quæ narrantur in libris Iudicum Hebræis non intulit, niſi ijs præmonitis per Ioſue cap. 24. perque Debboram Iud. 4. & alios Prophetas. Sic Dominus per Amos ſeruum ſuum & Prophetam reuelauit quod facturus eſſet decem tribubus, vt ſi fuerint ad meliora conuerſæ, & idola deſeruerint; de imminẽti periculo liberarẽtur. Sic Niniuitis tempore Ionæ denuntiauit exactis quadraginta diebus impendere extremum ciuitatis exitium cap. 3. qui ea de cauſa mores mutarunt, & inaudito quodam pœnitentiæ genere diuinum à ſuo capite furorem auerterunt. Non tamen diu continuerunt ingenium ad omnem intemperantiam aſſuetum & pronum, atque adeò iterum in ſe diuinum furorem inflammarunt, & ſuſpenſam aliquamdiu iram rurſus ad minas & cædes conuerterunt. Vnde miſſus ad recidiuantes Niniuitas Propheta Nahum, qui centum triginta octo annis, antequam euerteretur Niniue, excidium illis intentauit prorſus horribile, vt ſuperius memini. Cauſa erat, quod in tantum malitiam auxiſſent, vt Niniue fuerit quaſi cubile leonum, id eſt, tyrannorum & prædonum cap. 2. v. 9. 10. 11. & 12. Sic excidium per Titum & Romanos Iudæis Deus non irrogauit, niſi ijs præmonitis per Chriſtum, qui præuidens ciuitatis excidium, eamque videns fleuit, & commiſerãs dixit: *Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtiabunt te vndiq;, & ad terram proſternẽt te, & filios tuos qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognouerit tempus viſitationis tuæ.* Vti fecit & per Apoſtolos. Sic, inquam, Deus cladem extremam orbi non inferet, niſi præmiſſis Prophetis & Angelis, qui ſeptem tubis inſonantes eandem toto orbe proclamabunt, Apocal. 16. v. 1.

Luc. 19.

13. Tu igitur, mi Chriſtiane, horum intuitu ſalubriora cogita, ne deſipias cum hominibus diluuio ſepultis, cum Sodomitis igne abſumptis, cum Ægyptijs aquis rubri maris horrẽdè & citò inuolutis. Caue recidiuare in peccata, quæ aliquando deteſtatus es. Rationem habe Prophetarum & Præpoſitorum ac Paſtorũ, qui tibi loquuntur verbum Dei. Ne dicas, Dura mihi ſemper prophetant; ſed attende ipſos nomine Dei plagas intonare. Sic Amos Vates populum inſtruebat, cùm exitium minaretur ciuitati Samariæ: *Leo, inquit, rugiet, quis non timebit? Deus loquutus eſt, quis non prophetabit?* quaſi dicat. Vos improperatis mihi & Prophetis, quaſi triſtia ſemper prophetantes Iſraeli, videamur de eius clade gaudere; perpendas me inuitum hæc prophetare, cogíque à Deo, nec poſſe me illi reſiſtere. Minæ meæ non ſunt meæ, ſed Dei: Deus enim quaſi leo rugit in mente noſtra, & inde in ore noſtro, vt vos percellat: ne ergo nobis hæc triſtia oracula imputetis. Deo enim loquente per mentem & os noſtrum, tacere non audemus, nec poſſumus. Rurſum ſi leo fame, vel catulis raptis fremens & rugiens è ſaltu incurrat in vrbem, quis eum eminus videns, non inclamet omnibus: Fugite, leo fremens imminet, proſpicite vobis: quin ergo ego Amos videns Deum iratum in Samariam incurrere, vt eam diſperdat, omnibus inclamem, vt ſibi caueant? Hoc eſt quod Deus Ezechieli edixit cap. 3. v. 17. *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, &c. ſi diſcente me ad impium: Morte morieris: non annunciaueris ei, &c. ſanguinem eius de manu tua requiram.* Ad hæc notare Deum eſſe quaſi leonem rugientem, qui Prophetam inobedientem, æquè ac populum rebellem, diſcerpat: ſicut per leonem diſcerpſit Prophetam illum in re modica inobedientem, ſcilicet quod cõtra iuſſum Dei, cibum ſumpſiſſet in Bethel, deceptus licet ab alio Propheta, qui Deum mandatũ ſuum, reuocaſſe aſſerebat, 3. Reg. 13. v. 24.

Prophetæ & concionatores inſtandũ Dei peccatoribus plagas intentant.

Non inuenuſtè aſſignat rationem Hieron. quare Prophetæ diuerſa phraſi vtantur ad explicandum Dei decretum, vt hîc v.g. Amos leonis rugitu Ezechiel Speculatoris ſimilitudine. Commentans vtique ad verba Amos 1. v. 2. *Dominus de Sion rugiet*, &c. inquit: *Naturale eſt, vt omnes artifices ſuæ artis loquantur exemplis, & vnuſquiſq; in quo ſtudio triuit ætatem, illius ſimilitudinem proferat: verbi gratia, qui nauta eſt & gubernator triſtitiam ſuam comparat tempeſtati: damnum naufragium vocat, inimicos ſuos, ventos contrarios appellat. Rurſum proſperitatem & lætitiam, auram placidiſſimam, & ſecundes nominat ventos, tranquilla maria, & æquora, campi ſimilia. Et regione miles quidquid dixerit: ſcutum, gladium, loricam, galeam, haſtam, arcum, ſagittam, mortem, vulnus & victoriam ſonat. In ore Philoſophorum ſemper Socrates & Plato, Xenophon, Theophraſtus, Zeno & Ariſtoteles, Stoici verſantur &*

14.

Artifices ſuæ artis phraſi vtuntur ad aliud ſignificandũ.

& Peripatetici. Oratores, Lyſiam & Hyperidem, Periclem & Demoſthenem, Gracchos, Catones, Tullios & Hortenſios, in cælum laudibus ferunt. Poëtæ, ſi Epici ſunt: Homerum atque Virgilium ſi Lyrici, Pindarum & Flaccum crebro ſermone concelebrant. Et immediatè pòſt ſubdit, quæ noſtro propoſito ſeruiunt. *Cur hæc*, inquit, *dicta ſunt? & reſpondet, vt ſcilicet oſtendamus etiam Amos Prophetam, qui paſtor de paſtoribus fuit: & paſtor non in locis cultis, & arboribus ac vineis conſitis, aut certè inter ſiluas & prata virentia, ſed in lata eremi vaſtitate, in qua verſatur leonum feritas, & interfectio pecorum, artis ſuæ vſum eſſe ſermonibus: vt vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum, & fremitum nominaret: euerſionem Iſraeliticarum vrbium, paſtorum ſollicitudini & ariditati montium comparans: Dominus, inquit, de Sion, rugiet, & de Hieruſalem dabit vocem ſuam.*

Leonis rugitus cur vſurpatur ab Amos.

15. Noli itaque Concionatori diras ob peccata intimanti inſultare; noli eius verba contemnere tanquam propria, ſed Dei eſſe cogita, qui Concionatoris animum, os & linguâ moderatur, cogitéque ea proferre ritu, aut forma maximè proficuis. Vitia antè acta deteſtare, & ad Deum eximo corde conuertere, qui te per Paſtores & Concionatores præmonet, & ad pœnitentiam expectat, facilis ad ignoſcendum, difficilis ad puniendum; celer in miſerendo, lentus in vlciſcendo. Is vno verbo condidit mundum, *Ipſe dixit, & facta ſunt*: cùm autem ciuitatem peccatricem vult exſcindere, ſeptem dies impendit, vt videre eſt Ioſ. 7. in excidio vrbis Iericho: *An diuitias*, inquit Paulus, *bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis. Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, Ponderat hanc Dei miſericordiam ad Rom. 2. Origenes: *Diuitias*, inquit, *bonitatis Dei ille agnoſcere poteſt qui conſiderat quanta in terris mala quotidie homines gerant, & quomodo pænè omnes declinantes & ſimul inutiles facti, latam & ſpatioſam perditionis ambulant viam: ſi quis conſideret quàm in Deum quotidie blaſphemant, & in cælum extendunt linguas ſuas. Iam quid de fraudibus, de ſacrilegiis & piaculis dicam? Si quis ergo hanc bonitatem Dei, & ſuſtentationem eius, & patientiam contemnit ignorat quod per hæc ad pœnitentiam prouocatur.* Et immediatè pòſt hortatur ad reſipiſcentiam, quod patientiæ Dei ſit certa menſura, cùm ſubiungit: *Sed nos non diſſoluat hæc, & tardos ad conuerſionem faciat: quia rurſus patientiæ eius, & ſuſtentationis certa menſura eſt.*

Sera Dei vindicta, & peccatorum tolerantia.

16. Hoc in Niniuitis, de quibus agit Tobias noſter, nimis manifeſtum eſt, quandoquidem centum & triginta octo annorum pòſt Prophetam Nahum illis reſipiſcendi tempus conceſſerit, antequam horribile illud excidium experti ſunt. Sub quod autem tyranno Niniue exciſa ſit, incertum eſt: ſed communior ſententia habet ſub Cyaxare & Nabuchodonoſore rerum mutationem inceptam, à quibus variis temporibus Niniue multa paſſa eſt. Nabuchodonoſor Magnus enim, iuxta aliquorum ſententiam, ſenſim creſcens armis & victoriis, exciſa Ieruſalem, tandem anno regni ſui 23. inuaſit Ægyptum: qua occupata, anno 24. auſus eſt tentare arcem Monarchiæ, puta Niniuem, adiutus à Cyaxare, eaque capta Monarchiam ex Niniue tranſtulit Babylonem, ſeque eius primum fecit Monarcham. Vnde ab hoc anno, vtpote primo Monarchiæ, annos eius numerat Daniel cap. 2. v. 1. Ita cenſet Ribera, Seraſius in Tob. 14. quæſt. 4. & Torniellus anno mundi 3452. qui & addit, Niniuem ſæpius captam eſſe. Nam ipſa rebellans identidem Chaldæis, vtpote iugi impatiens, quæ cæteris dominari aſſueta erat, primò capta eſt ab Arbace Medo, cùm ei rex eſſet Sardanapalus paulò pòſt prædicationem Ionæ ante tempora Nahum. Secundò capta eſt ſub Aſarrhaddon filio Sennacherib à Merodach Baladan rege Babylonis. Vnde poſt Aſarrhaddon in Scriptura nulli amplius nominantur Reges Aſſyriorum; ſed Babyloniorum dumtaxat. Hinc Aſarrhaddõ diuictum eſſe à Merodach Baladan, ſub annum 27. Ezechiæ Regis Iuda, cenſent Ioſephus lib. 10. Antiq. cap. 3. Bellarm. Genebrar. & Torniel. in Chron. anno mundi 3335. Tertiò capta, & ſubacta eſt plenè & planè Niniue à Cyaxare, & Nabuchodonoſore iuniore anno regni eius 14. Denique poſt reditum Iudæorum è captiuitate Babylonica, tempore Xerxis, vt vult Ribera vel Artaxerxis, vt alij, alius in Niniue regnauit Nabuchodonoſor, qui in Iudæam miſit Holoſernem, quem occidit Iudith, cap. 1. v. 5. Vide vt Deus premat vrbes ſuperbas & ſuperbos & peruicaces, idque toties quoties ceruices & cornua erigunt.

Quãdo & à quo exciſa Niniue.

SECTIO VI.

An filius & nepotes Tobiæ cùm fundamento crediderint illi futura præſertim proſpera prædicenti.

1. TOBIAS ſenior prædicit triſte excidium inſtãs Niniuitis, ijſdem antea à Propheta Nahum intimatum, quatenus tempeſtiuè è terminis eius egrediantur filius & nepotes; diſperſos verò fratres Deum timentes, reuerſuros in terram Iſrael. Gentiles relictis idolis verum Dei cultum amplexuros. Quæ duo licet diu poſt eſſent futura tamen filius eius cum nepotibus ea videtur admiſiſſe, & credidiſſe, ſicut excidium Niniues, breui futurum, ita alia duo, aliquando, euentura. Quæritur an rectè, maximè quia in hora mortis

hæc prædixit, neque prophetasse legatur nisi hoc & præcedenti capite. Moueor ad hanc quæstionem, quod in S. Scriptura pseudoprophetæ præsumpserint futura maximè prospera prædicere ex spiritu proprio quasi prophetico. Sedecias 3. Reg. 22. vnus ex Prophetis Baal asserebat Regem Israel feliciter expugnaturum Ramoth Galaat; cuius contrarium euentus docuit, quandoquidem iactu sagittæ vulneratus in prælio mox occubuit. Hananias asserebat populo Iudaico vasa templi, quæ abstulerat Nabuchodonosor post biennium remittenda esse in Ierusalem; sed falsò, quia Ieremias, Propheta Domini, asserebat non tam citò id futurum, Ierem. 28. Alij pseudoprophetæ præsignificabant populum mox reuersurum ex captiuitate Babylonica; sed ex proprio spiritu, quãdoquidem Ieremias vates contrarium illis in nomine Dei asserebat, videlicet eam duraturam septuaginta annis. Hinc iubebat eos incumbere ædificijs, hortos plantare, accipere vxores, & generationi prolium vacare: *AEdificate*, inquit, *domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructum eorum. Accipite vxores, & generate filios & filias: & date filijs vestris vxores, & filias vestras date viris, & pariant filios & filias: & multiplicamini ibi, & nolite esse pauci numero. Et quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non vos seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri: & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis: Quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo: & non misi eos, dicit Dominus.*

Pseudoprophetas euentus arguit falsitatis.

2. *Tobias iunior cum nepotibus rectè credidit patri.*

Dicam quod reseſt: Cum fundamento crediderunt filij seniori Tobiæ prospera prædicenti diu post futura, etiamsi tantum circa mortem de rebus futuris vaticinatus sit. Primùm, quia Deus aliquando spiritu prophetico donat moribundos, de quorum prophetia fama antea non extitit, vt videre est Genes. 49. vbi Iacob iam iam moriturus vocauit filios suos, vt eis futura tam prospera quam tristia enunciaret: *Congregamini*, inquit, *vt annunciem, quæ ventura sunt vobis in nouissimis diebus.* Moyses quoque Deuteron. 33. cùm eius mors instaret, multa Israelitis tribubus prædixit. D. Gregor. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 26. & 27. plurima exempla in medium adducit, quibus ostendit moribundos aliqua futura præsentire, & prædicere. *Aliquando*, inquit, *exitura de corpore anima per reuelationem futura cognoscunt. Aliquando verò iam dum iuxta sit, vt corpus deseruat diuinitus afflata in secreta cælestia incorporeum mentis oculum mittunt.* Id probat exemplo cuiusdam Aduocati, qui paulò ante, quàm moreretur, vocauit puerum suum, & præparari sibi vestimenta ad

Moribundi quandoque donantur spiritu prophetico.

procedendum iussit. Quem dum puer quasi insanire cerneret, eiusque præceptis minimè obediret, surrexit, vestimento se induit, & per viam Appiam ad beati Sixti Ecclesiã se esse processurum dixit: cumque post modicum ingrauescente molestiã esset defunctus, deliberatum fuerat, vt apud beatum Ianuarium Martyrem, Prænestina via, eius corpus poneretur, sed quia longum hoc ijs, qui funus eius curauerant, visum est, repentè orto consilio exeuntes cum eius funere per viam Appiam, nescientes quæ ille dixerat, in ipsa cum Ecclesia, quam prædixerat, posuerunt. Et postea idem probat in eodem capite quatuor alijs exemplis adhibitis, & quinto adiuncto in capite 27. de Theophanio comite, qui aeris serenitatem futuram, post suum obitum, prædixit vxori, cùm appropinquante mortis eius tempore grauissima aeris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum deferri posset. Quæ omnia pronuntiant moribundi, Deo eorum mentes diuinitus illustrante, vt loco citato probat idem Gregorius quatuor aut quinque exemplis in medium productis.

3. *Euentus prædictorum indicat veras Prophetas; & è contra.*

Deinde dedit olim Deus signum, quo veri Prophetæ à falsis discernebantur, quod erat, si breui eueniret aliquid, quod prædicebant. Expresse id consignauit Moyses Deuteron. 18. *Quod si*, inquit, *tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum. Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* Vnde D. Hieronymus in capit. 37. Isaiæ super illud: *Tibi autem hoc erit signum*, sic scribit: *Idcirco vel maximè Propheta apud populum habebant fidem, quia non solum de his, quæ multa post secula futura erant, sed etiam quæ in continenti, & post non grande temporis spatium essent implenda, memorabant: vt quod intra biennium Rex Assyrius interiret, & vrbi Hierusalem securitas redderetur.* Sic Elias prædixit tribus proximis annis non fore rorem & pluuiam. 3. Reg. 17. vers. 1. Sic Michæas Regem Achab infeliciter pugnaturum in Ramoth Galaat, 3. Reg. 22. vers. 17. Sic Helisæus post vnum diem tantam fore annonæ vilitatem, vt duo modij hordei emantur vno statere, 4. Reg. 7. ver. 1. Sic Isaias vates cap. 37. nomine Dei Ezechiam Regem à metu Sennacherib liberat, & blasphemum increpat, omniaque ei aduersa prædicit, ac Ezechiæ in famis periculo assignat alimoniam, eamque dat signum futuræ plenæ libertatis Iudæorum, ac stragis Assyriorum: *Tibi autem: hoc erit signum: Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, & in anno secundo pomum vescere: in anno autem tertio seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.* ■ *mittet id.*

id, quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt, radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum: quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion: zelus Domini exercituũ faciet iſtud. Quaſi dicat: Liberaberis, ô Ezechia à manu Sennacherib: quia audito aduentu regis Æthiopum contra ſe, differet obſidionem Hieruſalem, vt illi occurrat. Et licet frumentum germinans circum circa vaſtet, vel proculcando, vel demetendo, vt vrbem fame premat; reliqueritque militum præſidium in vrbibus Iudææ à ſe captis, qui infeſtent agrũ Ieruſalem, vt ſerere Iſraelitæ non queant, Deus ſua prouidentia illis occurret, promittitq; Iudæis quod eos primo anno alet granis ſponte naſcentibus, id eſt, ex radicibus conculcatæ, vel reſectæ ſegetis mox repullulantis, erumpentibus: ſecundo verò anno ex pomis arborum: Ita factum eſt. Tertiò denique anno victo Æthiope redijt Sennacherib ad obſidionem Ieruſalem, tumque ab Angelo cæſo eius exercitu, data eſt Iudæis copia ſerendi & metendi. Vnde ſequitur: *Et mittet id, quod ſaluatum fuerit de domo Iuda*, &c. id eſt, Prædico quod Deus reliquias Iudæorum ſeruatas ab incurſu Sennacherib mirè reflorereſcere, creſcere & propagari faciet inſtar arborum, quæ latè & profundè agunt radices, ideoque ſurſum ramos & frondes extollunt & dilatant, vt nec areſcere, nec vento conuelli poſſint, vti ex aduerſo facilè contigit ijs, quæ paruas & arctas habent radices, teſte Plinio lib. 16. cap. 31. Ita enim fert zelus Domini exercituum, quem oſtendet erga Ieruſalem. Sic Hieremias Propheta cap. 46. breui futurum dixit, quod Nabuchonoſor Rex vaſtaturus eſſet terram Ægypti: Verùm quia hæc omnia euenerunt vt à Prophetis prædicta conſtitit illos fuiſſe veros Prophetas.

4. Vnde colligitur moris fuiſſe, vt veri Prophetæ cùm aliquid prænuntiarent diu poſt futurum, ſimul etiam prophetarent aliquid breui euenturum; vt vnum per alterum intelligeretur ex ſpiritu Dei prænuntiatum. Notauit id etiam Rupertus in prologo in Oſeam: *Cùm Prophetæ*, inquit, *mitterentur ad pronuntiandum de longinquo Chriſti aduentum, vel iniunctum eſt illis, prophetare illud, in quo citius veraces comprobari poſſent, ſcilicet imminentem ab Aſſyrijs Iſraeli captiuitatem; itemq; inſtantem Iudæ quoque Babylonis tranſmigrationem, & præterea etiam nonnulla minora, quæ litteris eorum legimus inſerta. Cùm igitur citò euenijſſet captiuitas ſeu tranſmigratio illa, ſicut per illos veritas Prophetica prædixerat, palam conſtitit, quod veraciter fuiſſent locuti in nomine Domini, & quod Dominus miſiſſet eos. Atque ita completa prophetia parte, illud quoque, quod reliquum, vel maximũ erat de promiſſione & aduentu Meſſiæ, verum forè comminebat.*

Iam verò in Tobia noſtro, euidens eſt excidium per eum prædictum, Niniuitis breui inſtare, paulò poſt euenijſſe, illudque ſignum etiam fuiſſe comprobans proſperorum ſucceſſuum Iſraeliticorum, & Gentilium ad verum Dei cultum conuerſorum, quia & euentus id diu poſt probauit, vt docui cap. præcedenti Sect. 8.

Præterea eſt S. Scripturæ conforme, quod illis proſpera ordinariè eueniant, qui religionis ſtudio, & patriæ vbi piè viuant, deſiderio capiuntur, argumento eorum quæ Deus pijs fidelibus promiſit, Leuit. 26. & Deuteron. 28. vnde & Tobias ſignanter dicit, *ibiq; reuertentur omnes timentes Deum*, qui videlicet religionem retinent auitam, ac Deum colunt verum. Et competitum eſt, ſoluta alia captiuitate, videlicet Babylonica, quoſdam qui genio ſuo, ac voluptatibus indulgebant; cùm id apud gentes facere poſſet impunè, ac liberè, maluiſſe apud Babylonios remanere, vbi id licebat, quod cuique collibuiſſet, quam in patriam reuerti, vbi nõ erat facilis rapinis, ac libidini locus. Hoc indicauit Iſaias cap. 1. verſ. 27. *Sion in iudicio redimetur & reducent eam in iuſtitia*, id eſt, non temerè, ac ſine delectu. Præceſſerat autem: *Poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.* Quẽ locum licet Patres communiter de Eccleſia accipiant ex Iudæis & Gentibus collecta, quam Dominus redemit, iuſtamque reddidit, & gratam ſibi. Tamen valde probabile eſt, ſermonem etiam in illis verbis exiſtere de ijs, qui à captiuitate Babylonica reuerſi ſunt: *Nam & illi*, inquit eo loci Gaſpar Sanctius, *redempti dici poſſunt, quia nõ aliter plerumq; captiui, quàm pecunia redempti in libertatem aſſeruntur. Illi verò redijere in iuſtitia, & iudicio, id eſt, non temerè, & ſine delectu. Neque ſine cauſa puto ab Eſdra tradi lib. 1. cap. 1. poſt Cyri edictum egreſſos eſſe ſacerdotes & principes, & omnes, quorum Dominus ſuſcitauit ſpiritum. Et Tob. cap. vlt. illi dicuntur redituri, qui Deum timent. Sic enim Tobias moriturus ad filium ſuum. Domus Dei quæ incenſa eſt, iterum reædificabitur, ibiq; reuertentur omnes timentes Deũ. Adde quod familiare eſt, & penè legitimum Iſaiæ vt vbi typum aliquis inciderit Euangelici temporis, ad illud ſtatim migret ab hiſteria.* Quòd verò tradit Eſdras l. 1 c. 1. omnes egreſſos, quorũ Deus ſuſcitauit ſpiritum, hunc habet ſenſum, illos redijſſe, qui Deo inſpiranti obſecuti ſunt, alios verò minimè. Nam ſatis eſt probabile inſpiratum eſſe multis alijs inſtaurandæ, & habitandæ patriæ deſiderium, quos tamen aut bonorum, quæ in illa regione poſſederant, aut vxorum quas ibi duxerant, & filiorum, quos ex illarum conſuetudine ſuſceperant, amor à redeundo retardauit; quorum tamen ſpiritus non dicitur ſuſcitatus, iuxta illam regulam obſeruatam à patribus, cuius eſt vſus

in

Quæ inutilia sunt, dicuntur non fuisse.

in scriptura frequens, quæ negat esse factum, aut simpliciter esse, quod est inutile, aut quod effectum non obtinuit, quem sibi proposuit, proponereue debuit opifex, aut auctor. Quare ille se nihil fecisse dicit, cui ex suo labore nihil accessit lucri, & nullam fuisse medicinam, aut medicum, cùm neque pulsus est morbus, aut cõfirmata salus. Sic etiam multorum spiritus dicitur non suscitatus à Deo, quia illi inspiranti Deo obsecuti non sunt, aut à priore cogitatione depulsi.

7. Rectè ergo fidem adhibuerunt filius & nepotes senioti Tobiæ quandoquidé Deus eiusmodi signis famulum suum suo nomine locutum ostendit, qui suorum famæ & honori semper consulit, cùm facit euenire quæ prædicunt, aut aliàs cùm dubium, aliquod suscitari posset, per præsentem euentũ, causam dat, futuro vaticinio, fidem adhibendi, vel denique cum alicui Prophetæ vero, patitur aliquid contingere, quod famam eius labefactare posset, per aliam viam eandem resarcit. Nam 3. Reg. 13. erat Propheta quidam missus ad Ieroboam durus nuntius, qui contra præceptum Domini comedens in Samaria apud pseudoprophetam, qui eum sub specie Prophetæ Domini deceperat, subitâ ac violentâ morte punitus est. *Cùm enim abiisset, inuenit eum leo in via, & occidit*, 3. Reg. 13. ver. 24. Sed statim eundem leonem, quem vini tortorem & carnificem esse voluit, mortui custodem & defensorem constituit: *Leo*, addit Textus *stabat iuxta cadaver*. Quorsum tam benevolè seruat, quem tam seuerè damnarat? Non alia de causa, quam vt Prophetæ dignitati consuleret: ne quis de eo temerè sentiret, aut maleuolè derogaret; immò, qui pro inobedientia punitus cernebatur, pro pœnitentia saluus crederetur. Sic exponit & Lyranus per mortem à leone datam, Prophetæ inobedientiam ostendi: sed per custodiam à leone præstitã. Prophetæ pœnitentiam euulgari, ne cõtemner: tur inobediens Propheta, sed pœnitens exornaretur. De qua re Theod. q. 42. ad eum locum: *Deus*, inquit, *honorauit eum, etiam post decessum. Nam occisorem ei induxit custodem: honorans, vt Prophetam: puniens, vt transgressorem.* Non patitur igitur Deus, vt Propheta populi magister & Doctor vllam in populo infamiam, etiam post mortem patiatur.

Consulit Deus, ne Propheta post mortem vllam infamiam patiantur.

Pseudoprophetis verò multa prædicentibus nullus sequitur euentus, neque vlla Dei excusatio, qua à falsitate immunes sint, sed potius grauis punitio cum summo dedecore, vt videre est Ierem. 28. in pseu-propheta Hanania. Sic enim ait ad illum Ieremias: *Audi Hanania: non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus, Ecce, ego mittam te à facie terræ: hoc anno morieris: aduersum enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hanania Propheta in anno illo, mense septimo.* Id fusè ostendi euenire hæreticorum prophetis Disc. 63. in I. Præcep. n. 9. Et clarum est in omnibus sycophantis, qui se diuinos & veridicos vates annuntiant. Tu igitur, mi Christiane, attende ad huiusmodi personas, quæ futura prædicunt tam prospera, quàm aduersa, an noram habeant aliquam diuinitatis, antequam eis fidem adhibeas, eosque consulas, quos certum est, vel probabile, non esse Prophetas Domini. Non enim exiguum peccatum est eosdem consulere, vt latè deduxi dicto Discur. 64. in I. Præcep. n. 4. 5. 6. 7. quem tu consule, ibi comperies quàm sit execrabile, & damnosum eorum prædictioni se conformare.

8. *Falsos Prophetas semper Deus punit.*

CA-

CAPITIS VLTIMI

VERSVS X.

Audite ergo filij mei patrem veſtrum : Seruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis quæ placita ſunt illi.

Verſ. 11. *Et filijs veſtris mandate vt faciant iuſtitias, & eleemoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute ſua.*

Verſ. 12. *Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic: ſed quacumque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros vt exeatis hinc.*

Verſ. 13. *Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 10. 11. 12. & 13. Tobias ſenior poſtquam propheticè indicauerat breui futurum excidium Niniues, & proſpera timentibus Deum euentura; perbenignè hortatur filios ſuos, vt ſeruiant Domino in veritate, & inquirant quænam maximè placeant diuinæ voluntati, vt ijs ſeſe conforment. Filijs autem filiorum, imperat, vt filiorum ſuorum ſedulo curam gerant, ijſque mandent, vt omnia faciant diligenter quæ ſub nomine iuſtitiæ, & eleemoſynę comprehenduntur, Deum aſſiduè cogitent præſentem, eiq; in proſperis, & aduerſis gratias agant ex ſincero & intimo corde. Alteram deinde petitionem ſubiungit, vt videlicet verbis ipſius obedientes in Niniue non ponant diuturniorem moram, ſed ſtatim à ſepultura matris iuxta ipſum in eodem ſepulchro diſceſſum meditentur: quia ad oculum intuebatur eouſque iniquitatem graſſari inter Niniuitas, vt excidium cauſaret ciuitati.

SECTIO SEPTIMA.

Quare Tobias ſenior tam benignè hortetur filios ſuos, ſibi aures præbere. Et quid ſit Deo ſeruire in veritate.

1. PATRIARCHA Iacob filio ſuo Ioſepho Geneſ. 47. non imperauit, ſed rogauit eandem, vt ſe in terra promiſſionis ſepeliret, *Cumq; appropinquare*, inquit ſacer textus, *cerneret diem mortis ſuæ, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo, & facias mihi miſericordiam & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto*, &c. Ratio mihi videtur, quod nouerat filium ſuum ad obediendum, promptiſſimum, adeoque plus ſe poſſe obtinere precibus, quam imperio. Hæc mouit ſimiliter Tobiam ſeniorem, abſque vllo imperio perbenignè hortari filium, nepoteſque, ac eorum filios, vt ſeruirent Domino in veritate, & inquirerent, quæ placita eſſent illi: *Audite ergo*, inquit, *filij mei patrem veſtrum: Seruite Domino in veritate*, &c. Veriſſimè Hieronymus declarat hanc, apud ingenuos, exhortationem, plus habere ponderis, Epiſt. 62. ad Theoph. *Cito*, inquit, *indignatur libertas, ſi opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui ſeruire non cogit.* Cui conſonat Chryſoſtomus homil. 56. in Matth. *Sicut*, inquit, *qui vim affert, plerumque auertit: ſic qui liberos audientes conſtituit, multo magis attrahit: potentior enim eſt oratio mitis, quàm violenta.* Vnde Seneca lib. 1. de Clement. cap. 24. ait, humanos animos facilius ſequi, quàm duci: vt generoſos atque nobiles equos, qui facili fræno melius reguntur. Et Paulò poſt: *Remiſſius*, inquit, *imperanti melius paretur.*

Prudens Superior bonos ſubditos non vrget imperio.

Sponte pétitus quàm vi trahitus ſubdit.

Non vulgariter excelluit in hac prudentia Dauid, cùm dixit ad omnem populum Iſrael: *Si placet vobis, & à Domino Deo noſtro egreditur ſermo, quem loquor: mittamus ad fratres noſtros*, &c. 1. Par. 13. Ad quem locum Carthuſ. poſtquam conſulentis prudentiam commenda-

2. *Exemplum Dauidis.*

uit;

uit; commendat etiam humilitatem alloquentis: *Ecce*, inquit, *quàm humiliter loquitur subditis & ministris: non procaciter iubet, nec per se absolutè determinat, sed sub conditione loquens inferiorum iudicio verba sui committit proposiți. Quo multorum indiscretio, atque elatio reprimuntur, qui statim in verba iussionis prorumpunt, & gladium sua educunt auctoritatis sine necessitate; imò frequenter in grande periculum subditorum.*

Exemplum D. Pauli.

Clariùs hanc humilem prudentiam, & prudentem humilitatem expressit D. Paulus Epist. ad Philem. vers. 8. *Multam*, inquit, *fiduciam habens in* CHRISTO IESV, *imperandi tibi, quod ad rem pertinet; propter charitatem magis obsecro.* Quasi diceret, vt ibi Theod. paraphrasticè exponit; *Cùm possim audacter tecum agere, vt qui ardenter crediderit; & instar magistri iubere: hoc quidem non facio, sed adhortationem affero.* Credebat satis interpellare senium, & vincula carceris. Vnde subdit: *Cùm sis talis, vt Paulus senex: nunc autem & vinctus* IESV CHRISTI. Quasi diceret: Non impero, sed rogo: quia tu & probitate, & senectute, ac laborum tolerantiâ parem mecum laudem prometeris. Vnde D. Ambrosius: *Dignum*, inquit, *erat imperare discipulo magistrum, fiducia Apostolica auctoritatis: sed quia vir bonus erat Philemon, per affectum illum provocat obaudire, quasi coæuum ætatis, & vinctum* CHRISTI IESV. Ac si bonus subditus non sit imperio cogendus, sed prece exorandus. Aut vt alij volunt verba Apostoli hunc habent sensum. Non impero, sed rogo; quia ego & propter nomen Pauli, & propter ætatem senectutis, & propter labores Christi amore toleratos, dignus sum, vt meis non tantùm imperiis, sed etiam nudis precibus acquiescas. *Vide*, inquit Theod. *quis sit, qui petit. Sufficit nominis mentio, vt reuereatur, vel maximè aduersarius. Qui enim Paulum audit, audit Prædicatorem totius orbis terræ, terræ marisq; cultorem, & vas electionis; & alia, ad quæ narranda, vel decies mille linguæ opus esset. Adiecit etiam senem: ea etiam ratione fide dignam efficiens orationem. Adiunxit tandem vinctum* IESV CHRISTI. *Reuerere igitur Paulum, reuerere senem, reuerere vincula, quibus vt veritatis Prædicator, adstrictus est.*

3. *Ergo bonos subditos semper benignitate Prælato vtendum est, exemplo Apostoli.*

Vt verò est, constat perquam vtile esse benignitate vti erga promptos ad obediendum. Vnde hanc formam plurimum seruarunt Apostoli, vt facile patebit eorum epistolas consulenti. D. Petrus 1. Pet. 2. sic alloquebatur nouiter conuersos: *Charissimi obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Apostolus Paulus cum Romanis agens ad Christianismum conuersis, eosque monens vt iuxta Dei misericordiam, gratiam & iustitiam, quam consecuti erant, dignè Deo viuerent, opere præstarent, quod fides dictabat, & Christus ab ijs flagitabat: *Obsecro*, inquit, *vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem*, &c. Et Galat. 4. docens indignum esse si ad infirma & egena legis elementa reuerterentur, ipsius operâ Christianismum amplexi: *Estote*, inquit, *sicut ego, quia & ego sicut vos fratres, obsecro vos. Nihil me læsistis.* Quasi dicat: Ego Iudæus licet ducem liberatis vobis me præbeam: intrepidè ergo me sequimini quidquid alij Iudæi de necessitate legis veteris vobis suggerant & iactent; videritis me Iudaica festa, cæremonialésque negligere, præ Euangelica libertate, eadem mecum vramini: Ego gentiliter viuendo, me vobis Gentilibus accommodo quantum possum saluâ conscientiâ. Enixè vos rogo; non enim me læsistis, sed vos ipsos, non iratus hæc dico, sed vos amans, & vestri miserans. Blanditijs itaque, & obsecratione increpationem emollit. D. Hieronymus in loc. cit. *Discant*, inquit, *ab Apostolo errantes & insipientes Galatas, fratres vocari: discant post increpationem blanda verba dicentis, Obsecro vos.* Princeps Apostolorum hanc imperandi humilitatem omnibus viris Apostolicis præscribit, monens, vt gregem Dei pascant, *non coactè, sed spontaneè, neque vt dominantes in Cleris, sed vt forma facti gregis ex animo*, 1. Pet. 5. vers. 2. & 3. Hoc est: non per duras leges, sed per suaues preces: neque vt superiores, sed vt æquales. Quam doctrinam ne quis respueret, Christi passionum testem se esse dixit; significans se in hac re nihil aliud inculcare, quàm quod à Christo Domino testis auritus auscultasset, & quod in Christo Domino testis oculatus vidisset. Sic enim eum viderat imperantem, monendo potius, quàm vrgendo: sic eum audierat docentem, ne dominarentur vt Reges; sed hortarentur vt patres. Ex quibus D. Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium, ironicè concludit: *Ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Ab alterutro prohiberis: sivirumq; habere voles*, hoc est, Apostolatum, & dominatum, *perdes virumque.* Et paulò post: *Forma Apostolica hæc est; dominatio interdicitur, indicatur ministratio.*

Christi doctrina, & exemplum in facilitate imperandi.

Hoc vtique nouerat Tobias senior, filijs suis ad obediendum promptissimis magis proficuum: quia numquam melius humilia obsequia offeruntur, quàm cum superba imperia remouentur ab ijs, quibus prompta est facilitas obediendi. Verùm cum duris & obstinatis durius agendum, vt docet D. Gregor. lib 1. Registri, Epist. 24. *Necesse est*, inquit, *vt Prælatus, & bènè agentibus sit per humilitatem socius; & contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus: quatenus & bonis in nullo se præferat; & cùm delinquentium culpa exigit, prioratus*

4. *Cum bonis subditis suauiter, cùm malis duriter agendum.*

sui potestatem agnoscat. Et statim in exemplum adducit vtrumque Principem Apostolorum. Nam D. Petrus cum Anania & Saphira rebellibus duriter egit, vt ludex. Act. 5. à vers. 1. Cùm Centurione humili perhumaniter, vt frater. Act. 10. vers. 26. Cur ita? *Quia hic*, inquit Gregor. (hoc est, in Centurione) *communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis. Illic* (hoc est, in Anania & Sapphira) *zelus actionis viam aperuit potestatis.* Et statim exemplo Pauli non minus efficaciter confirmat: Paulus, inquit, bene agentibus fratribus Prælatum se esse nesciebat, dicens: *Non dominamur fidei vestræ; sed adiutores sumus gaudij vestri: nam fide statis.* 2. Cor. 1. vers. 24. Ac si diceret: Ideò non dominamur, quia fide statis: æquales enim vobis sumus, in quo vos stare cognoscimus. Sed, cùm culpam, quæ corrigi debuisset agnouit, illicò se magistrum recoluit, dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* 1. Cor. 4. 21.

5. *Varia significationes verbi, Veritas.*
1. *Pro vera Religione.*

Porrò, scire expedit quid moneat filios suos Tobias senior, cùm inquit. *Seruite Domino in veritate.* Id potius dignoscemus, si varias significationes verbi *Veritas*, in medium produxerimus. *Veritas* itaque primò capitur pro vera religione. Quòd expressit ipse Saluator noster cum Ioann. 9. dixit se venisse vt testimonium perhiberet veritati. Et Ioan. 1. Apostolus cum de Christo dixit, plenum esse gratiæ & veritatis, id est, cognitionis Dei. Itē Apostolus Paulus 1. Tim. 2. vbi ait, Christum velle omnes homines saluos fieri, *& ad agnitionem veritatis*, seu ad veram religionem peruenire. Rursum cum Galatas increpat à se Christianismo imbutos, quod pseudo-Apostolis aures præbuissent: *Quis*, inquit, *vos fascinauit, non obedire veritati?* Hac ratione Tobias noster constans in religione, captus sub Salmanasar Rege Assyriorum dicitur c. 1. viam veritatis non deseruisse. Adeoque primus horum verborum sensus est: Videte ô filij ne ad vitulos aureos, quos erexit Ieroboam, relicto vero Dei cultu diuertatis. Cogitate quomodo in tot vitæ discriminibus & periculis viam veritatis non deserui; sed solus fugerim consortia omnium, passim ad idola deflectentium. Videte ne Samaritanis similes efficiamini, qui cum Deo simul idola colebant; recogitate quomadmodum 3. Reg. 18. Elias Propheta docuerit non claudicandum in vtramque partem; quomodo ostenderit non Baal, sed Deum Israel verum esse Deum; quomodo miraculosè diremerit controuersiam illius temporis de vero Deo vel dolo Baal adorando. Ignis enim de cælo ad ipsius preces descendit, qui deuorauit holocaustum ab Elia positum, cùm frustrà inuocarent Deos suos Gētiles, vt sacrificium ex parte eorum præparatum igne consumeretur, ideoque euidenter causa caderent, cum applausu Israelitarum. Memores estote quomodo Arcam Dei à Philistinis captam, & honorificè, vt ipsi putabant in templo Dagonis constitutam noluerit Deus permittere. Dagō enim idolum ipsorum altera die deprehendum est pronum iacere in terra ante Arcam Domini; imò restitutum in locum sequenti die non solum deturbatum fuit; sed *& duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.* Præterea ipsi Azotij grauia passi sunt propter Arcam Dei detrimenta, donec ex meliori consilio tandem intelligerent remittendam arcam in pristinum locum apud Israelitas, vt videre est lib. 1. Reg. cap. 4. Deus vtique diuisus non est. Hæc sedulò inculcabat filijs Tobias noster. Quòd vtinam imitarentur parentes omnes, nam ex idololatria, & hæresi omne malum. Prius patet per Ieroboami exemplum, ob cuius falsum institutum destruendum omnes ferè Prophetæ missi sunt, & grauia populo Israelitico ex parte Dei interminarunt. Posterius euidens est ex malignitate huius temporis, quæ ortum suum habuit ab hæresi, vt vnicuique palam est.

Tobias senior confirmat filios in fide & vera religione.

6.

Rursum verbis huiscè hortatur filios suos Tobias senior benè operari iuxta fidem. Quousque enim veritatis significatio se in Scripturis extendit, eò duxisse filios bonum senē omninò est probabile, Significat autem *seruire Domino in veritate*, fidem operibus bonis tenere. Vnde est illud Ezechiæ Regis Deum obsecrantis: *Memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate*, Isa. 38. Et illud 1. Ioan. 3. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Non, inquit, habeamus dilectionem verbalem, sed realem, non otiosam, sed operosam. Fides enim sine operibus infructuosa est. Disertissimè & veritissimè Iacobus Apostolus hoc asserit cap. 2. *Quid proderit*, inquit, *fratres mei, si fidem quis dicat se habere; opera autem non habeat? numquid poterit fides saluare eum?* quasi dicat, Minimè. Et paulò pòst: *Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est. Et impleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum? Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via ejciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.*

2. *pro bonis operibus, ad quæ hortatur suos Tobias senior.*

Fides hominis est inutilis sine operibus bonis.

7.

Præclarè S. Gregorius lib. 5. in 1. Reg. cap. 3. *Arca*, inquit, *vacua esse non debet, hoc est, scientia sine bona operatione: ficulnea enim in qua sunt sola folia sine fructu, à Christo maledicitur, Matth. 21.*

19. *ac ſeruum piger, otioſus & deſes damnatur à Chriſto*, Matth. 25. S. Fulgentius lib. 2. de Remiſſ. peccat. cap. 1. *Vita*, ait, *bona non veraciter dicitur, quæ peruerſa credulitatis vitio depranatur; neque ſufficit ad ſalutem fides rectè credentis, ſi cõuerſatio moribus atque operibus turpatur obſcenis.* S. Bernardus ſerm. 51. in Cantica, explicans illud: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis*: fidem aſſimulat flori, opera fructui & pomo. Sicut enim inutilis eſt flos qui non excreſcit in fructum, ita inutilis eſt fides, quæ fructum bonorum operum non producit. Diſertè verò S. Gregor. hom. 29. in Euang. *Fortaſſe* inquit, *vnuſquiſque apud ſemetipſum dicat: Ego tam credidi, ſaluus ero. Verùm dicit, ſi fidem operibus tenet. Vera enim fides eſt, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc eſt enim quodde quibuſdam falſis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: Hinc Iohannes ait: Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Quod cum ita ſit, fidei noſtræ veritatem in vitæ noſtræ conſideratione debemus agnoſcere. Tũc enim veraciter fideles ſumus, ſi quod verbis promittimus, operibus complemus.*

8. *Operum neceſſitas ex hac fide probatur ſex argumentis.*

Vnde D. Iacobus loc. cit probat ſex argumentis, opera requiri vt fides proſit. Primum eſt v. 16. Sicut pauper non veſtitur, nec ſaturatur verbo, ſed opere eleemoſynæ, dando ſcilicet ei panem & veſtem; ita pariter animæ nuditas & inopia meritorum non veſtitur, nec ſaturatur fide, ſed bonorum operum exercitio. Secundum verſ. 17. Fides ſine charitate & opere eſt ſicut corpus ſine anima, putà mortua: ergo non tantum inutilis, ſed & fœda quaſi cadauer. Tertium v. 18. Fides non niſi per opera ſe oſtendere & communicare poteſt: ergo ſi demas opera, eſt inuiſibilis, inſenſibilis, ac conſequenter nulli vtilis. Quartum v. 19. Fides ſine operibus eſt dæmoniaca, nam & dæmones credunt & contremiſcunt. Quintum v. 21. Abraham fuit iuſtificatus non ex fide ſola, ſed & ex operibus, offerendo ſcilicet filium ſuum ſuper altare. Atqui Abraham fuit pater credentium, & norma iuſtificandorum & ſaluandorum. Ergo & hi quaſi Abrahæ filij, *iuſtitiam & ſalutem ſperare debent ex operibus, non ex nuda fide.* Sextum v. 25. Idipſum patet ex Rahab, quæ ex operibus iuſtificata eſt, excipiens & protegens exploratores miſſos à Ioſue cap. 2. verſ. 10. Confirmat hæc omnia Apoſtolus Paulus, cùm ad Galat. 5. Chriſtianis omnibus aſſerit in Christo IESV non circumciſionem valere, neque præputium, id eſt, Iudaiſmum aut Gentiliſmum, ſed fidem Chriſti, *quæ per dilectionem operatur.*

9. Tobias ſenior itaque per illa verba, *Seruiui Domino in veritate*, voluit non ſolùm ſuos exhortari ad conſtantiam in vera Religione ac fide, ſed iuxta eam ad exercitium bonorum operum, ſine quibus vacua eſſet eorum fides apud Deum, cùm ex operibus fides monſtranda ſit. Præterea mihi videtur bonus ſenex ad maiorem perfectionem adhuc filios ſuos cogere, quaſi vellet eos non ſolum in vno opere bono ſe exercere, in alijs verò deinquere, vel ad opera bona aliquid imperfectæ intentionis admiſcere; ſed illa debere eſſe omnibus modis abſoluta, ſicut Ezechiæ pij Regis opera, qui cùm dixiſſet: *Memento quod ambulauerim coram te in veritate*, mox ſubiungit, *& in corde perfecto.* Quaſi dicat: Non ſolum in operibus bonis tibi placere ſtudui, ſed etiam in corde perfecto, quod iuxta virtutem, nullum admiſerit peccatum. D. Hieronymus epiſt. ad Damaſum: *Si verè me quæris, dicit Dominus Eccleſiæ, opere oſtende quod me quæras, nec ſemel tibi quæſiſſe ſufficiat, ſed quem inueneris ſemper inquire, vt perfectum teneas.* Alludit ad illud Iſa. 21. *Si quæritis, quærite: conuertimini & venite*: hoc eſt, verè quærite, vtiliter, prudenter, aptè, & omnibus numeris abſolutè, nihil deſit. *Quale debeat eſſe opus bonum.*

10. *Opus bonum non nisi factum quantum Deo placeat.*

Iudæi exiſtimabant ſatis eſſe quod ſacrificia offerent à Deo inſtituta, licet interea legem Dei naturalem violarent: propterea Dominus Iſa. 1. ubi ea diſplicere, vti & Oſeæ 6. vbi ait: *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*, id eſt, magis quàm ſacrificium. Erant enim Iudæi, vti immiſericordes in proximos, ita miſericordes & propẽſi ad ſacrificia & oblationes externas, quaſi in illis tota pietas Deique reconciliatio conſiſteret, putantes ſi illa præſtarent, omnia ſibi fore ſecura, Deumque eorum ſcelera diſſimulaturum. Quin in errorem eis Deus adimit, aſſerens contrarium, nimirum: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Et Chriſtus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem* Et idem reprehendit cap. 1. Iſa. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? &c. quieſcite agere peruerſè, &c. ſubuenite oppreſſo.* & Ierem. 7. 22. *Holocauſtomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes: quia non locutus ſum cum patribus veſtris, & non præcepi eis, &c. de verbo holocauſtomatum & victimarum.* Iſaiæ verò 66. comparat eiuſmodi ſacrificia homicidio, mactationi canis, oblationi ſanguinis ſuilli & idololatriæ: quæ omnia Iudæis ex lege vel naturæ, vel Moſaica erant vetita & abominanda, idque ex eò, non quòd ſacrificia deteſtaretur Deus, cùm ipſe ea inſtituerit: ſed quòd ipſos offerentes & ſacrificantes execraretur, vt pote qui omnem pietatem in cultu ſacrificiorum ponebant & interim legem violabant, ac rapinis, libidinibus, alijſque ſceleribus vacabant. *Qui immolat bouem*, inquit, *quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum* *Quibus rebus comparetur in Scriptura.*

suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est. Quod idem est ac si dicat: Huiusmodi sacrificium res est Deo odiosissima, ac molestissima, iuxta illud Prou. 6. 16. *sex sunt, quæ odit Dominus*, inter quæ sunt *manus effundentes innoxium sanguinem.* Sequitur. *Qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem.* Canis enim in Scriptura sumitur pro re execrabili, & fœda, propter animalis impudẽtiam, & tetrum odorem, vnde eodem prorsus modo Deus renunciat pretium eius, ac prostibuli, Deuter. 23. v. 18. *Non offeres mercedem prostibuli, neque pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod voveris, quia abominatio est vtrumq; apud Dominum.* Cuius abominationis rationem adnotat Hieronymus, quia vtrumque animal pronum est ad libidinem: si ergo canis ex se odiosum est animal, quanto magis caput eius excerebratum, quod putidissimum, sordidissimumque; adeoque ingratum, vt nec oculos figere tantillum quis patiatur. Sed nec contentus S. Propheta, vt amplius denotet Dei fastidium ob talia subdit dicens. *Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat.* Per oblationes autem intelliguntur (vt optimè adnotat quidam hic) omnia illa, quæ sine sanguine offerebantur: hæc autem quæ Deo gratissima esse solebant, comparat sanguini illius animalis, quod fœdissimum, & abominabile in lege æstimabatur; Leuit. cap. 11. v. 9. & de quo præceptum, non solum ne aliquod illius offerretur, sed nec comederetur, tam abominabile erat. Quod cum ita sit, nihilominus talibus comparatur eorum oblatio, qui externâ tantum figurâ contenti, non perfectè, non integrè sacrificium, & oblationem offerebãt, sed quod caput est omnium, quæ diximus, non tantum suillo, cani, homicidæ talem oblationem comparat, sed sacrilego & idololatræ, quod cæterorum est maximum, & vltra quod amplius quid excogitari non potest: vnde & sequitur: *qui recordatur thuris*, id est, libar, pro opere enim sumitur, *quasi qui benedicat idolo*; id est, idolo sacrificat: quæ mira, & admirabilis amplificatio est, vltra quam alia excogitari nequit. Pondera ergo Dei odium, abominationemque contra idololatriam idololatraſque, & ex hoc perspicies etiam, quantum opus abhorreat sine modo debito factum, licet alias bonum.

Canis in Scriptura est Deo execrabilis.

Isaiæ 58. displicebat Deo Iudæorum ieiunium quod pauperes debitores duriùs tractarent. Multi videntur in specie bonum operari, sed in veritate non stant qui studio placendi Deo non operantur. Sic diabolus licet vera dixerit, vt Luc. 4. Act. 16. tamen quia ex odio, fraudulenter & malitiosè dixit, ait Ioannes cap. 12. eum in veritate non stetisse, quia in eo veritas non est, quia non est ad placendum Deo. Porrò vt opus nostrum sit verum, oportet vt ab eo remoueatur omnis sinistra intentio, simulatio & indebita circumstantia. Huc respiciunt verba senioris Tobię ad filios, si bona opera vellent esse meritoria apud Deum.

Opus bonũ non est verum, nisi fiat debito modo.

Nobis itaque Christianis magis conuenit horum verborum habere rationem, tum quoad fidem, quia teste Apostolo, *Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus.* tum quoad opera; nam clarissimè docuit Iacobus Apostolus in vno Deum offendi posse: *Quicumque*, inquit, *totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit, Et non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis.* Grassabatur tempore Apostoli error & hæresis Pharisæorum, qui vti in explicandis præceptis Decalogi multis modis errabãt, vti ostendit Christus Matth. 5. ita paritercensebant vnum aut alterum legis præceptum transgredi non esse graue peccatum, quo Deus offenderetur, nisi quis omnia præcepta, aut potiorem eorum partem transgrederetur: à potiore enim parte, quam seruat, censendum esse iustum potius, quàm ab vna violata iniustum: nec omne peccatum esse iniquitatem: nec vllum esse crimẽ si quis charitatis officium proximo denegaret, dummodo amorem erga Deum retineret. Similis fuit error tempore D. Augustini apud nonnullos Christianos: vti ipse refert Enchir. 75. qui putabant se sanctos & saluos fore si facerent eleemosynas, etiamsi cætera præcepta, violarent, & flagitiosè viuerent, ex eo, quod Christus dixerit Luc. 11. v. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Contra hos asserit Iacobus eum qui in vno offendit, fieri omnium reum, Deique offensam & iram incurrere, vt pote qui tam vnum, quàm alterum præceperit: qui enim vniuersam legem condidit, singula quoque eius præcepta condidit. Contra eosdem scribit S. Ioannes epist. 1. cap. 3. aitque: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas.* Rursum: *Qui non diligit fratrem suum, in tenebris est, & manet in morte: qui odit fratrem suum, homicida est.* Vti enim in Musica vnica vox dissona totã harmoniam corrumpit; ita qui vnam legem violat, totam legis vniuersitatem, quæ ex singulis legibus integratur, violat adeoque idem est ac si dicat perinde damnabitur in vno offendens, ac si omnium foret reus, licet non tam graui pœna, quia per vnum peccatum fit hostis Dei. vt rem clarius dignoscas similitudine eam illustrabo. Numquid qui vnam portam vrbis hosti aperit, æquè multum facit ac si omnes aperiret, quando hostis per vnam ingrediens totam vrbem occupat & vastat. Ita contingit in

Qui vnam legem violat fit reus omnium.

11.

hoc casu, & sicut *modicum fermentum*, teste Apostolo 1. Cor. 5. *totam massam corrumpit*, & vnum foramen in aggere totius fluminis facit eluuionem, vt omnes agros inundet, & vna scintilla ignis totam domum redigit in cineres; Ita ex vno peccato, fit quis omnium reus.

12. *Opus bonũ debet inchoari bona intentione.*

Nobis, inquam, Christianis bonum igitur opus aggressuris summa sit cura rectæ intentionis, seu voluntatis bonæ. Lex olim edicebat: *Omnis æstimatio sicle sanctuarij ponderabatur*, Leuit. 27. hæc enim sola pondera fallaciarum erant expertia. Ita prorsus & opera nostra, non ponderanda sunt, nec æstimanda ex opinione vulgi, aut nitore exteriori, aut oculorum fide & indicijs sæpè falsissimis, sed è sola cordis intentione. Quoties nobilissima opera vix vnius drachmæ censentur, quæ à Deo æquissimo rerum æstimatore velut centenarium argenti pondus recipiuntur? Æra duo minuta Hebrææ viduæ quantilli pretij credebantur, ad illam argenti molem, quæ à Pharisæis iactabatur? & tamen hanc illa longè superabant. Quàm ponderosæ videri poterát Pharisæi in templo se laudãtis preces, ieiunia, eleemosyna? vix æquabant discolorem lapillum: frigidissimis hominum elogijs omnia pensari poterant. De intentione seditiosi illi ducenti quinquaginta proceres synagogæ thus obtulerunt; quilibet horum suum habuit thuribulum. Dixisses tot esse sacerdotes, quot erant factionis huius capita. è regione horum vnicus stabat Aaron. Ita vtrimque idem fecerunt, tanquam certarét quis melius hoc officio fungeretur. Vtra pars ergo vicit? vtra magis Deo placuit? Illos omnes extremè auersatus est Deus, non quòd eorum thuribula parum pretiosa (nam Aaronis thuribulum ex auro purissimo erat, horum autem ænea) aut thus minus fragrans, sed quòd intentio illorum fuerit pessima, quâ Moysen & Aaronem in odium populi trahere conabantur. Quocirca omnes hausti sunt à terra vindice, *descenderunt*q; *viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Numer. 16. vers. 33. Thuribula eorum in laminas producta, & altari affixa, vt hoc æternum monimentum esset Israelitis, quo commonerentur, Deum non ad actionem, sed ad intentionem respicere.

Intentio æstimat opus hominum.

Exempla Scripturæ.

Optimè Publius Mimus: Non aspicias, inquit, quàm plenas quisque manus Deo, sed quàm puras admoueat. In huius rei testimonium duos simul oratores propono, Ezechiam, & Pharisæum, qui ex eodem precatorio libello Numini supplicant. Rex Ezechias: *Obsecro Domine*, inquit, *memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim*, 4. Reg. 20. vers. 3. Pharisæus; *Deus gratias ago tibi*, inquit, *quia non sum sicut ceteri hominum.* Quid hoc aliud est dicere, quàm ambulasse se coram Deo, in veritate & corde perfecto, quod & Ezechias de se dixit: Pergit Pharisæus: *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo* Luc. 18. Vterque se laudat, eadem vtriusque precatio. Cur ergo illius placuit, huius displicuit? Hoc dubium D. Gregorius vt aliàs dixi, explicans: *Sæpè*, inquit, *contingit vt iusti & iniusti habeant verba similia, sed tamen cor semper dissimile: & ex quibus dictis Dominus ab iniusto offenditur, in eisdem quoque à iusto placatur. Ecce Pharisæus iustificat se in opere, Ezechias etiam in cogitatione; vnde ergo hic offendit, & iste placat? Omnipotens Deus singulorum verba à cogitationibus pensat, & in eius auribus superba non sunt, quæ humili corde proferuntur.*

13. Propono tres alios homines, Matrem Christi, discipulum Christi, sed quem ipse diabolum vocauit, & Christi hospitam, quorum actio eadem penè, intentio fuit dissimillima. Mater Christi millies vtique in cuius filium reuerenti osculo saluauit: Magdalena pari reuerentia pedes Domini osculata est, cùm Simon Pharisæus ob neglectum hoc officium reprehensus est: sed & Iudas Iscariotes ori Dominico fixit osculum. Tam hic impar meritum, quàm Intentio. Mater diuini fauoris & amoris ingens augmentum obtinet: Magdalena delictorum veniam, Iudas gehennam. Vnde hæc tanta inæqualitas in matre, discipulo, famula, eundem prorsus hominem osculantibus? Mater amore castissimo; Magdalena affectu religiosissimo; Iudas prodendi studio nequissimo hoc fecit. Ille igitur sit vnus noster scopus, Omnia ad Dei gloriam facere, vt monet Apostolus: quia vt asserit Christus Dominus, *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti recipiet.*

SECTIO VIII.

Quàm salubris sit illa monitio, quâ voluit Tobias senior filios inquirere quæ Deo sint placita. Et qua ratione quis de placito Dei queat esse securus.

SIRACIDES Eccles. 2. inquit: *Protector est Deus omnibus exquirentibus se in veritate.* Hoc, inquit, Deo proprium est illos protegere, quos nouit illum ex toto corde exquirere. Ob eam rem monet Tobias senior filios nos solum seruire Domino in veritate, quemadmodum dixi præcedenti Sectione; sed etiam inquirere, quæ placita sunt illi. Saulus à Christo in terram prostratus cùm persequeretur Christianos dixit: *Domine quid me vis facere?* Verba animi plenè compuncti, humilis, resignati, & dedentis se Deo. Vnde S. Augustinus serm. 14. de

1.

48. 9.

14. de Sanctis *Iam parat se ad obediendum, qui prius sæuiebat ad persequendum. Iam formatur ex persecutore prædicator, ex lupo ouis, ex hoste miles. Quis audiat, quid facere debeat.* Ianitor carceris, Act. 16. videns Paulum & Silam in interiorem carcerem missos, strictoſque ligno pedes post orationem & laudem Dei, nocturno tempore à vinculis solutos, adhuc in ijs persistere, adeoque Deum pro illis pugnare, cernuus rogabat: *Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Quod ille terrore perculsus tandem inquirebat quoad fundamentum hoc voluit filios iam satis instructos, in decursu totius vitæ senior Tobias indagare vltrò, & ex charitate in genere mortis. *Inquirite*, inquit, *quæ placita sunt illi.* Quasi dicat: filij sæculi etiam credentes in Deum, multa inquirere solent parum vtilia, de vita videlicet proximi, cuius examen ad ipsos non spectat. Quos redarguit Hebræus Sapiens Prouerb. 14. *Ne insidieris*, inquit, *& non quæras impietatem in domo iusti, ne vastes requiem eius.* Alij inquirunt, & curiosè scrutantur de alijs, vt noceant, sicut Herodes Matt. 2. *vbi Christus nasceretur*, vt illum occideret: sicut Pharisæi à Christo, Matth. 22. an liceret censum dare Cæsari, an non: vt occasionem mortis in eo reperirent. Alij de rebus nouis in orbe terrarum accidentibus, quid videlicet agant Reges quique, quid moliantur, quibuscum paciscantur; & singula exquirunt; ad hoc dumtaxat, vt rerum nouarum sint gnari. Alij de nouis vestimentorum formis sunt apprimè solliciti, vt inter cæteros emineant. Alij denique vbi optimum vinum, præstantior cereuisia, & si quid ad vsum humanum spectat, vt palato, aut ingluuiei faciant satis, auersese ingurgitent, vel rerum humanarum videantur singularem habere experientiam; Dei verò notitiam non tantum non exquirunt, sed & istis post ponunt, ac negligunt. Vos aliter à me instituti estis, salubriora cogitate, & quæ ad æternam beatitudinem magis conducunt, omni studio exquirite, & practicate.

Varij inquisitionum modi.

2. *Studia nostra dirigida ad cognoscendam diuinam voluntatem.*

Hic scopus fuit viri sancti, in quo mihi visus est collimare ad metem illam D. Pauli, quam expressit Romanis, fide Christianâ imbutis, dum postquam egerat & disseruerat de fide & gratia iustificationis, ac prædestinatione Dei, alijsque eodem pertinentibus, inquit: *Obsecro itaq; vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Quasi dicat: post fidei fundamenta posita superinstruite ædificium sanctæ conuersationis, & bonorum operum: *nolite conformari huic sæculo, sed renouamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona; & beneplacens & perfecta*: Cauete, inquit, ne vita & conuersatione similes efficiamini ijs, qui sectantur huius mundi voluptates & commoda, suisque seruiunt cupiditatibus: sed studete quotidianæ renouationi mentis vestræ per mortificationem malorũ affectuum & cupiditatum, vt magis magisque transmutemini in nouos homines. Ad quam reformationem hoc pertinet, vt probetis, id est, exquiratis ac diligenter scrutemini, quæ sit Dei voluntas bona, beneplacita, & perfecta, id est, qua non præcipit nisi bona, ac sibi placita & perfecta, hoc est irreprehensibilia: probetis, inquam, eo fine vt illam Dei volũtatem cognitam amplectamini & impleatis. Hoc illo rerum articulo vrgebat sedulò Tobias senior, quòd apud Assyrios de Dei beneplacito admodum rara, vel nulla esset indagatio, quodque ab eorum studijs, filios, omninò alienos, desideraret perfectioni studere.

3. *1. Regula agnoscendæ diuinæ voluntatis. Deo placita est, diuina legis meditatio assidua.*

Sed qua ratione, inquies, dignoscet fidelis, quæ videlicet maximè placita sint Deo? Aliquas subiungemus regulas. Prima sit, Meditari assiduè diuinam legem, eamque executioni mandare est suas actiones cõformare; sic à beneplacito diuinę voluntatis nunquam aberrabitur. Eò nos ducit Regius Propheta Psal. 1. cùm illum virum beatum pronuntiat, *cuius in lege Domini voluntas*, quique in lege eius meditabitur die ac nocte. Siracides cùm Eccles. 3. ait: *Altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Et rursum Psalmista: *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt Deum*, Psal. 118. Christus Dominus olim opulento iuueni sciscitanti qua proxima via iretur ad cælum, hanc optimam diuinæ voluntatis regulam assignauit: *Mandata nosti*, Luc. 18 Vtiliter planè, teste Siracide Eccles. 23. *Nihil melius est*, inquit, *quàm timor Dei; & nihil dulcius quàm respicere in mandata Domini*: vt videlicet eorum intuitu homo semper à malo reuocetur, & ad bonum impellatur. *Obseruatio enim mandatorum Dei*, inquit eo loci Iansenius, *affert secum & summam vtilitatem, & summam voluptatem.* Paulus asserit amplius: *Pietas*, ait, *ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Et propterea Philippenses ad perfectionem exhortans cap. 4. inquit: *De cætero fratres, quæcumq; sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum.* Quasi dicat: Quod autem reliquum est, fratres, date, quæso, diligenter operam, vt quæcumque sunt vera, quæcumque veneranda, quæcumque iusta, quæcumque pura, quæcumque amabilia, quæcumque, bonam famam atque existimationem parere possunt, si quid honestum, si quid studiosum

Quàm vtilis, obseruatio mandatorum Dei.

dioſum, ac laude dignum videtur; hæc, inquam, & his ſimilia mente, & cogitatione ſedulò, diligenteréque verſetis. Quæ verò didiciſtis, & accepiſtis, auribus denique atque oculis veſtris à nobis hauſiſtis, hæc porrò imitatione ſectamini, hæc veſtris actionibus exprimite: nec enim dubito, Deum pacis auctorem, vobis hæc meditantibus, atque agẽtibus adfuturum. Ex quibus patet Paulum multa in particulari de habitu, veſtitu, menſa, colloquio, geſtibus, moribus, omniq; modeſtia in templo, in plateis, in conuiuijs, præſertim cum Ethnicis, obſeruanda Philippenſibus præſcripſiſſe, eaque verbo & exemplo (quomodo nimirum omnibus in rebus ſe gerere deberent) docuiſſe, quæ literis non ſunt conſignata; eaque ab illis voluiſſe ſeruari.

4. *Secunda in rebus dubijs conſulendi Sacerdotes.*

Secunda Regula ſit. In rebus dubijs accedere Sacerdotes, eorumque ſententiam ſequi: hi enim ſunt diuinæ voluntatis interpretes. nam hinc noluit olim Dominus, Regem ſuſcipere bellum aut aliam rem magni momẽti aggredi, niſi prius conſulto per Pontificem diuino Oraculo, vt colligitur ex Numer. 27. vbi *dixit Dominus ad Moyſen: Tolle Ioſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum. Qui ſtabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine: & dabis ei præcepta coram eis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omni Synagoga filiorum Iſrael. Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo, & cætera multitudo.* Hæc poſteriora verba huc ſpectant: Quorum ſenſus eſt: Ioſue, qui erit dux populi, non progredietur cum exercitu, nec ſuſcipiet bellum cum vicinis hoſtibus, nec vllam aliam rem magni momenti aggredietur, niſi ad mandatum & directionem Eleazari Pontificis, qui in huiuſmodi caſibus, quid faciendum ſit, à Deo ſciſcitabitur, & Ioſue deinde certiorem faciet.

Olim Reges non ſuſcipiebant rem magnam, vel bellum, niſi conſulto Deo per Pontificem.

5. *Et tales, feliciter illud perficiebant.*

Porrò non ſolus Joſue, ſed alij quoque Principes ac Reges, qui deinceps ſecuti ſunt, hoc præcepto obligabantur. Semper in negotijs arduis debebant recurrere ad Pontificem, & ex arbitrio illius vel agere quidpiam, vel omittere. Et bene cum ijs actum eſt, qui hoc fecerunt, malè cum ijs, qui neglexerunt. Exempla prioris generis ſunt hæc. Primò, Dauid Rex, cùm intellexiſſet inſidias ſibi parari à Saule, acceſſit Abiathar Pontificem, & per eum quæſiuit à Deo, an turò poſſit eſſe in vrbe Ceila? &, an Ciues Ceilitæ eſſent eum tradituri Sauli? 1. Reg. 23. 9. Secundò, idem Dauid, alio tempore, per eundem Pontificem conſuluit Deum, an deberet perſequi Amalecitas, qui ſpoliauerant & ſuccenderãt vrbem Siceleg, 1. Reg. 30. verſ. 6. Quod autẽ Dauidi familiare fuerit, hoc modo Deum interrogare, patet 1. Reg. 22. 15. vbi Achimelech Pontifex apud Saulem, quod Dauidi adhæreret, & pro eo Dominum conſuluiſſet, reſpondit Regi: *Num hodie cœpi pro eo conſulere Deum?* quaſi dicat, ſæpiùs ante hæc tempora id feci.

Probatur exemplis.

Negligentia conſilium Pontificis, peſſimè ſentiebant.

Exempla poſterioris generis ſunt hæc. Primò, Ioſue & alij Principes filiorum Iſrael, decepti ſunt à Gabaonitis, eò quòd fœdus cum illis pacti eſſent, non conſulto prius per Pontificem Deo, Ioſue 9 vbi ſit ſacer textus. *Suſceperunt igitur de cibarijs eorum, & os Domini non interrogauerunt.* Secundò Saul elatus victoriâ, & præfiſus ſuis viribus, cùm veller, inconſulto Deo, Philiſtæos perſequi, monitus à Pontifice eſt, ne id faceret. Et cùm poſtea conſuluiſſet Deum, nullum reſponſum ab eo impetrauit. Itaque non potuit vti victoria, ſicut animo deſtinauerat, 1. Reg. 14. Tertiò, filij Iſrael pugnaturi cum Beniamitis, conſuluerũt quidem Deum per Pontificem, ſed tamen quia magis confidebant ſuis copijs, quàm Dei oraculo, multi ex ijs cæſi ac fugati ſunt, Iud. 20. 22.

Exempla.

6. *Probatur ſententia ſequenda eſſe Sacerdotum in ijs quæ ad Deum ſpectant, & ad notitiam diuinæ voluntatis.*

Adhæc obligabantur fideles omnes, ſi quid difficile aut ambiguum occurreret ad fidem ſpectans, ad ſummum Sacerdotem recurrere, eiuſque decreto ſtare ſub pœna mortis, vt videre eſt Deuteron. 17. vbi nomine Dei agit Moyſes: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Hinc eſt illud Malachiæ caput 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Et cauſa mox additur: *Quia Angelus Domini exercituum eſt.* quaſi dicat. Sacerdos eſt nuntius ſeu interpres diuinæ voluntatis. Hinc cum Magi ab Oriente venirent Hieroſolymam, & inquirerent de Rege Iudæorum iam nato, cuius ſtellam iam viderant in oriente, Herodes Rex turbatus cum omnibus Hieroſolymitis, *cõgregauit omnes Principes ſacerdotum, & Scribas populi, & ab illis ſciſcitabatur, vbi Chriſtus naſceretur*, haud dubio memor illius Aggæi cap. 2 *Interroga Sacerdotes legem.* Abraham Luc. 16. epuloni roganti, vt fratres ſui monerentur, ne ſubijcerentur pœnæ, quam ipſe luebat, diuinæ voluntatis Interpretem commonſtrans, dixit: *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* Diuus Paulus interpres Dei fuit Theſſalonicenſibus, quibus cùm durum, vt apparet videretur, in aduerſis Deo gratias agere, ait: *In omnibus gratias agite; hæc eſt enim voluntas Dei*, ſupplet am in aduerſis, quàm in proſperis Deo gratias agere, qui vult hæc omnia nos pati. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, non ſolùm ab euidenter malis, ſed & ab ijs, quæ ſpeciem mali præ ſe ferunt, ſedulò vobis cauendum eſt, ne videlicet alijs præſertim puſillis ſitis occaſio ruinæ. Idem Apoſtolus monens

nens Theſalonicenſes ambulare, & placere Deo, quemadmodum ab ipſo acceperant, inquit: *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum IESVM*; id eſt, quaſi legatus IESV CHRISTI. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſq; veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore: non in paſſione deſiderij, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum: & nequis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.*

Imò ipſe Apoſtolus, quia ſciebat tantam eſſe Sacerdotum auctoritatem, licet Euangelium ſuum non ab homine accepiſſet, voluit tamen cõferre cum primarijs Apoſtolis, ne fruſtra laboraret. Sic enim ſcribit ad Galat. 2. *Poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem ijs, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* quaſi dicat. Monitus oraculo diuino aſcendi Ieroſolymam, & communicaui Euangelium meum Petro & Apoſtolis, illos quaſi iudices Euangelij mei conſtituens, vt quod illi de eo decernerent, ac communi conſilio probarent, improbarent, adderent, demerentque, id ego ſic crederdum, ſic docendum ſuſciperem. Non autem quod dubitaret de eius veritate, vel integritate, aut certè an concordaret cum Petri, aliorumque Apoſtolorum Euangelio; ſciebat enim certiſſimè, Deo reuelante, ſe idem cum cæteris Apoſtolis plenum & perfectum à Deo accepiſſe, vt patet cap. 1. verſ. 11. & 12. Contulit ergo cum Apoſtolis Euangelium non propter ſe, ſed propter alios ad Chriſti fidem conuerſos, apud quos à pſeudoapoſtolis Iudaizantibus diffamatus erat Paulus, quod apud Gentes legi Moyſis detraheret, cùm contrarium docerent & facerent Petrus, Iacobus & Ioannes, imò ipſe Paulus apud Iudæos iudaizaret: Paulus ergo vt contrarium oſtenderet, ſuamque doctrinam doctrinæ Apoſtolorum conſentientem, pariter, & auctoritatem tueatur, confert cum eis Euangelium: *Ne forte*, inquit, *in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Sic Orbis concionator per tot annos, tanquam diſcipulorum infimus, doctrinam ſuam in medium proponit, & primarios Apoſtolos illius quaſi iudices deſignat, vt quod illi de ea definirent, id ipſe ſic credendum & docendum ſuſciperet.

7. *D. Paulus Euangelium à Deo receptum cur cõtulit cum Apoſtolis.*

8. At quid ſi filij non potuiſſent accedere Sacerdotes, vt difficilis erat via Hieroſolymam verſus, cùm Ieroboam per gentilitium cultum Iſraelitas à vero Dei cultu auocarit? His tertiam regulam præſcribit Ieremias ca. 6. *State*, inquit, *ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus veſtris,* quaſi dicat: Speculamini & conſiderate vias, id eſt, viuendi rationes, *& ſemitas antiquas*, id eſt, quomodo vixerint maiores veſtri & patriarchæ, ac imitamini fidem Abrahæ, Iſaaci obedientiam, Iacobi labores, Ioſephi caſtitatem, Moyſis manſuetudinem, Iobi patientiam, Dauidis ſanctitatem. ità eo loci S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo & Vatab. Verè Poeta.

3. *Defectu ſacerdotũ, inquirenda maiorum viuendi ratio.*

Qui veteres linquit calles, ſequiturq; nouatos,
Sæpiùs in ſruſtis incidet ille ſuas.

Vel rurſum iuxta S. Thomam, Lyran. & Dionyſ. Speculamini quaſi ex edito loco, quæ ſit optima via ac viuendi ratio, conſiderate maiorum veſtrorum & bonorum & malorum bonos vel malos, felices vel infelices exitus; & videte, an bonos ſequi cum bono exitu, an malos cum malo velitis. Sin autẽ in alijs rebus conſiliũ petere, nec tẽpus permittat, nec locus, diſpiciat homo ſecum ipſe, & omnem dubitationem circa notitiam diuinæ voluntatis facili negotio poterit explicare. Huc ſeruit illud Siracidis Eccleſ. 37. *Cor boni conſilij ſtatuit tecum: non eſt tibi aliud plurius illo. Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Quaſi dicat: Tu tecum ipſe delibera, quia anima vniuſcuiuſque viri, ſi modò ſanctus ſit & timens Deum, iudicare ſolet melius in rebus agendis, quam ſeptem Doctores, quorum officium eſt ſpeculari, & alijs conſulere, hoc eſt, Nemo melius conſulere vt in plurimum poteſt, quàm quiſque ſibi, ſi modò Deum timeat. Quamuis autem hæc doctrina maximè concernat eos, qui in agendis nimis ab alijs pendent, proprium animum, affectum & ingenium examinare, & ſequi negligentes; tamen ad noſtrum propoſitum etiam conducit. Attendat ſolerter homo fidelis, vtrum è duobus, in quibus hæſitat, voluntati propriæ acceptius, quid gratius carnis appetitui, quid exiſtimationi propriæ optabilius: Vbi hoc, quod facile, indagauerit, & ferò ſecum ſtatuerit actiones ſuas voluntati diuinæ penitiſſimè conformare, tunc profectò ſecurus eliget illud, quòd voluntati ſuæ minus acceptum, quod minus gratum appetentiæ, quod denique ſplendoris ac pompæ minus habuerit. Nam illa electio ad propriæ voluntatis, ad carnis, ad exiſtimationis propenſionem, cuius meritò nimis quàm ſuſpecta, & erori proxima videri debeat hoc alterum proclivitati ſuæ repugnare, plerumque turiſſimum: *Damnon ſatis viat*

Etiam à propria conſcientia conſilium capiendum.

In duobus hominis dubio acceptandũ eſt, quod corporis ſenſibus minus acceptum.

tuas, inquit Isaias cap. 58. *& non inuenitur voluntas tua.* Sit hoc exemplo. Ei qui maligno aut frigido est stomacho, exploratè suaderi potest hoc modo: Id quod tu maximè appetis, hoc tibi minimè conducit; pepones, cucumeres, fungi, limaces, potus intemperanter frigidus, recentes ab horto fructus, & id genus edulij, gulæ irritamenta, plurimum nocent, quæ tamen non rarò cupidissimè ingeruntur. Idem in re propositâ; plerumque quod corporis sensibus tam gratum & suaue, noxium est spiritui; quod humanæ voluntati placet, Deo displicet: *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam,* &c. *propter quæ venit ira Dei,* ad Colos. ca. 3. Ergo *post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere*, monet Siracides Eccli. cap. 18. vers. 30. vt ad Dei voluntatem conuertaris.

Quod hominis concupiscentia placet, Deo displicet.

9. *4. Deum orandū esse, vt melius suggerat.*

Hisce necesse est adiungere quartam regulam, quam suggerit Siracides Eccli. 37. cit. cùm subnectit: *Et in his omnibus deprecare altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam,* Ita videlicet, vt libera sit ab errore, & iniustitia. Quomodo orabat Dauid dicens, *Dirige me in veritate tua, & doce me.* Similis huic loco est doctrina Tobiæ 4. ad eundem filium suum: *Consilium,* inquit, *semper à sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* D. Paulus in terram prostratus, docuit ad explorandam diuinam voluntatem orationem plurimum valere, cùm dixit: *Domine, quid me vis facere?* Moyses & Aaron in rebus dubijs & perplexis ex præcepto Dei confugiebant ad fœderis tabernaculum; rursum Saulus à subita tempestate medijs campis deprehensus, ad diuinum tribunal confugit, & exclamat: *Domine, quid me vis facere?* sed & audit: *Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid oporteat te facere*, ab Anania nempe, qui tibi diuinæ voluntatis erit paraphrastes. Cornelius Centurio orabat & eleemosynas faciebat, vt Deo exactè posset placere. Ascenderunt illę in conspectu Dei, & impetrant vt vir iustus intelligat, Petro interprete, fidem explicitam in Christum, ad salutem necessariam.

10. *Deus sua voluntatis notitiam concedit sincerè petentibus.*

Hoc cuique faciendum, & dicendum cum Saulo, *Domine, quid me vis facere?* Nemo enim mortalium diuinam voluntatem certius explorat, quàm qui sincerius ad illam in omnibus se conformare desiderat, idque intensis precibus flagitat. Hoc desiderium, profectò filum est ad omnium labyrinthorum errores extricandos, omnis hinc ambiguitas circa diuinam voluntatem tollitur; si quis ignoret quidem, quid velit Deus, aut vtrum malit è duobus licitis, ita tamen animo comparatus sit, vt mente sincerissimâ possit dicere: Domine, si scirem quid hac in re à me fieri velles, ego vtique hoc facerem. Hac sponsione factâ liberè, quod volet, faciat; & perturbare se desinat: diuinam voluntatem non facile offendet. Hunc talem filium non deserit amantissimus pater, nec à sua voluntate grauius aberrare permittit. Cùm Israelitæ Deo ingrati à Vate Michæa cap. 6. admoniti ad meliorem vitam, iam quasi conuicti, & compuncti hærerent quomodo offensum Deum & iratum placare possent, & tacitè secum meditarentur, Quid dignum, & gratum offeremus Deo? curuatisque genibus Deum excelsũ adorabimus supplices, aut holocausta pinguia, & anniculos vitulos immolabimus? Numquid placabitur nobis Deus, si multa hircorum atque arietum pinguium millia, ad diuinam aram cultro subijciamus? Numquid illi filium consecrabimus primogenitum, vt illius sanguine peccatum nostrũ expietur, & quem ex nostris visceribus genuimus; pro victima supponamus, vt quod pro scelere nostro subire debemus mortis periculum, ac supplicium effugiamus? Cumque hæc, inquam meditarentur, sic ad illos Michæas Propheta: *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Ostendam, inquit, tibi ô homo, qui placare tibi Dominum studes, quod gratum Deo sacrificium, & quid à te maximè requirat. Nempe, vt tribuas cuique quod suum est, quodque ipsa ratio, & æquitas præscribit, teque omnibus præbeas æquum, & innoxium: miserationibus assuescas, & aliorum benè merendo miseriam leues, diuinam explores voluntatem, illique quàm potes diligentissimè obsequare. Et subdit: *Vox Domini ad ciuitatem clamat, & salus erit timentibus nomen tuum?* Hæc vox, inquit, est Domini, quæ in ciuitate clamat, & quid Deo maximè placeat, vniuersis ostendit: quæ simul salutem, libertatem & pacem promittit iis, qui diuinam timuerint maiestatem & ipsius mandata humili atque alacri voluntate susceperint.

11. *Quo modo Deus illos erudiat?*

Si desit homo, per quem erudiet Deus, ipse non deerit, teste Apostolo, qui sic ad Philip. 3. *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit*, quasi dicat: Si de perfectione aliter sapitis, quàm ego; quia nimirum sentitis & putatis vos perfectionem apprehendisse, aut illi esse proximos, Deus suo tempore ostendet vos errare in isto sensu vestro, dum videlicet aliorum perfectorum exempla, quæ longè vos superant, ob oculos ponet, cũ per doctores & concionatores Christianæ perfectionis eminentiam & sublimitatem ad

viuum

vnum delineabit. Verùm si non hoc modo reuelet Deus, vtique per administrationem spiritus, per Angelos, quod necessum erit aperiet. Hoc vidimus Genes. 21. in Agar ancilla Abrahami, quæ demissa ab Abraham cum filio Ismaele, & inops consilii, illum dimittens, & relinquens, fatiscentem fame, sub arbore, putabat mox moriturum; sed aliter ad eam Angelus: *Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est. Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum*, &c. Cogitabat Iosephus Matth. 1. occultè dimittere B. Virginem, quæ *inuenta* erat *in vtero habens de Spiritu sancto*, sed *eo cogitante*, inquit sacer textus, *ecce Angelus Domini apparuit in somnis*, ei dicens: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*: quod antea ignorabat. Cùm tres ex Oriente Dynastæ post diuinũ infantulum in gramineis cunis adoratum, Herodianas potuissent subire fallacias; hoc periculum auertit ab ijs Deus: *Responso enim accepto in somnis ne redirent ad Herodem, reuersi sunt per aliam viam in regionem suam.* Ita solet Deus contra errores præsidium mittere, aut Angelum, aut vice Angeli, fidum hominem, quando de voluntate diuina securitatem sincerè experimur, eique nostram voluntatem conformare volumus, ac desideramus.

12. *Christianis maximè inquirenda Dei voluntas.*

Enucleatè hæc ô Christiani; ad vos enim maximè spectat, inquirere non solùm quæ sit voluntas Dei bona, quæ vtique Decalogo comprehenditur; sed etiam quæ beneplacens, id est, consilia Euangelica amplecti, ac executioni mandare; imò perfecta, qua desiderat Deus à se imperata perfici in terra sicut in cælo, quemadmodum quotidie precè flagitamus in Oratione Dominica: *fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Maior enim debet esse nostra perfectio, vti Christus latissimè docuit Matth. 5. Sic enim ait ad discipulos, *Matth. 5.* *Dico vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum.* Illi speciem sanctitatis præ se ferebant exterius, & interius prauis opinionibus Dei voluntari planè aduersabãtur; quę speciatim deinceps Christus ibidem corrigit. Iuuenis quidam Matth. 19. perierat à Christo, quid faciendo vitam æternam haberet, qui illi respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi, Quæ? Iesus autem dixit, Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum, & matrem tuam: Diliges proximũ tuum sicut teipsum.* Cùm verò adolescens adhæc responderet: *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest. Ait illi Iesus, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me: Antequam*, inquit Chrysostomus, *certaminis laborem ostenderet, brauium pra oculis posuit, dicens: Si vis perfectus esse: at tunc infert: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & mox iturum præmia inculcat: Et habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Non enim parua retributio est diligenter Dominum sequi. Et habebis*, inquit, *thesaurum in cælo. Nam quoniam magna illi cura de pecuniis erat, & quandoquidem ipsum cunctis denudari rebus consulebat, vt ostenderet nõ amissurum bona sua, sed tanto plura maioraq; inuenturum, quantum terrâ cælum præstabilius est, retributionis præstantiam thesaurum appellauit, & simul stabilitatem atque incorruptibilitatem præmij, vt fieri poterat, humano verbo signanter expressit.* Posteriora sunt consilij, priora præcepti, quæ vnicuique seruare necesse, si velit fidem in Christum sibi proficuam; Posteriora illis, qui perfectionis causa ad Euangelica consilia seruanda, voto se obstrinxerunt. Qui autem perfectissimè Deo placere satagit, hic eius non tantum iussa & præcepta, sed & nutus ac consilia amplexatur; quod vti arduum, ita Deo gratissimum est. Vnde S. Bern. serm. 1. de Dedic. Ecclesiæ, religiosum, vel monachum vocat perpetuum miraculum.

Si autem inter tot hæreseon errores & anfractus de vera fide capessenda aliquibus dubium inciderit, seriò persuasum sit illis, vnam dumtaxat esse fidem, quæ saluet. Christus dixit omnem religionis differentiam tollendam per Christianismum: *Erit*, inquit, *vnũ ouile, & vnus pastor.* Ioan. 10. Paulus asseruit, vnam fidem, vnum baptisma, vnum Deum. Monuit Hebræos, *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.* Multi hæretici circa vnam Catholicam, Apostolicam, Romanam fidem quotidie latrant: Variæ adhuc sectæ indies pullulant: Inquirite ergo, & solerter indagate quæ sit vnica illa à Deo fides, & religio instituta, extra quam nulli salus, dicente Apostolo: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Sed quomodo & vbi quærenda illa & retinenda inter tot diuersa hæreseum dogmata? Vincentius Lirinensis adest tibi fidelissimus nuntius: *Sæpè*, inquit, *magno studio, & summa attentione perquirens à quamplurimis sanctitate & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam, & quasi generali ac regulari via, catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli. Quod siue ego, siue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq; vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo, munire fidem suam Domino adiuuante, deberet. Primo, scilicet diuinæ legis auctoritate: tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* Hæc cap. 1. sui commonitorij: & cap. 2. addit rationem quare necesse sit Ecclesiæ Catholicæ traditionem sequi: *Quia videlicet*, inquit; *scripturam* *Catholicæ fidei retinendæ regula.*

pturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non vno, eodemq; ſenſu vniuerſi accipiunt: ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur: vt penè quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erus poſſe videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit; aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus. Pelagius, Celeſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Prophetica & Apoſtolica interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. Subiungit verò cap. 3. *In ipſa item Eccleſia Catholica magnopere curandum eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt etenim verè proprieq; Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioq; declarat, qua omnia verè vniuerſaliter comprehendit.* Veriſſimè quadrat quod ait Iſaias vates cap. 35. *Hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.* Quis enim quamuis hebes in plebecula, dummodò ſalutis cupidus parumque attenderit, ſemitam Eccleſiæ tam egregiè complanatam non videat, non teneat; vepres & cautes & auia deteſtatus. Erunt hæc etiam rudibus explorata, ſicut Iſaias vaticinatus eſt.

Contemne itaque hæreticorum voces, quibus ſemper in ore eſt: *Quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.* quod de oratione vtili dixit Chriſtus: id enim eſt inducere in labyrinthum. Præclarè Tertullianus cap. 11. Præſcript. *Nemo quærit, niſi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat vnam ex decem didrachmis anus illa, & ideò quærebat: vbi tamen inuenit, quærere deſijt. Panem vicinus non habebat, & ideò pulſabat: vbi tamen apertum eſt ei, & vt accepit, pulſare ceſſauit. Vidua à iudice petebat audiri, quia non admittebatur: ſed vbi audita eſt, hactenus inſtitit. Adeò finis eſt, & quærendi, & pulſandi, & petendi. Petenti enim dabitur, inquit, & pulſanti aperietur, & quærenti inuenietur. Viderit qui quærit ſemper, quia non inuenit. Illic enim quærit, vbi non inuenietur. Viderit qui ſemper pulſat, quia nunquam aperietur. Illic enim pulſat, vbi nemo eſt. Viderit, qui ſemper petit, quia nunquam audietur. Ab eo enim petit, qui non audit.* Adhæc palam eſt, eum qui fidem perdidit, apud hæreticos quærere non poſſe. nullus enim illic finis quærendi, quia nulla ſtatio credendi, nullus terminus inueniendi. Quotquot enim nouelli exurgunt, hiſce Scripturæ verbis, *Quærite, & inuenietis*, in biuio detinent: *Nobis & ſi quærendum eſſet*, inquit Tertullianus. cap. 12. *adhuc & ſemper, vbi tamen quæri oportet? Apud hæreticos? vbi omnia extranea & aduerſaria noſtræ veritati; ad quos vetamur accedere. Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus regibus, donatiuum & ſtipendium capiat; niſi planè deſertor & tranſfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectum ſuum dragmam requirebat: etiam pulſator ille vicini ianuam tundebat etiam vidua illa non inimicum, licet durum, iudicem interpellabat. Nemo inde ſtrui poteſt, vnde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur, Quaramus ergo in noſtro, & à noſtris, & de noſtro: idq; dumtaxat quod ſalua regula fidei poteſt in quæſtionem deuenire.*

14. *Qui quærendo vera doctrina.* *Luc. 15.* *Luc. 11.* *Luc. 18.* *Luc. 11.*

2. *Ioan. 1.*

Si ergo conſcientiæ tuæ benè conſultum deſideres, cõſule Dei & Eccleſiæ leges, Diuinæ quoque voluntatis interpretes, doctores, Paſtores. Confeſſarios ex animo conſule; & quidquid viri graues communi conſenſu tradunt eſſe ſequendum vel vitandum, ſequere vel deuita; quod viri docti & timorati horrent, tu horrendum crede: *Conſilium ſemper à ſapiente perquire*, Tob. 4. finaliter quicquid abducit à Deo, contra Dei voluntatem eſſe ne dubites. Quidquid ad Deum inuitat, ab eo profectum crede: *Hæc eſt enim voluntas Dei*, inquit Apoſtolus, *ſanctificatio veſtra.* Cùm ergo deprehenderis aliquam ſocietatem, & mercimonium, officiũ, aut aliud viuendi genus te à meliori calculo retrahere, certum eſt lentis greſſibus animam à Deo abduci, nec diuinæ voluntatis eſſe conſortium huiuſmodi: *Si*, inquit, *manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te: abſcinde eum, & proiice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum*, &c. Matth. 18. Hæc tua vox ſit: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus: volui, & legem tuam in medio cordis mei*, Pſal. 39.

10. *Quinam Chriſtianis in dubijs conſulendi ſint.*

SECTIO IX.

Quas & quare iuſtitias & eleemoſynas velit Tobias ſenior poſteros ſuos incalcare filijs.

IN ſacra Scriptura nomen *Iuſtitiæ* multiplicem habet ſignificationem; aliquando internam, qua homo iuſtus conſtituitur coram Deo, qua videlicet ipſe induit hominem, cùm iuſtificat impium. De qua ſermonem facit Apoſtolus Rõ. 3. *Iuſtitia autem Dei per fidẽ* IESV CHRISTI *in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* Aliquando ſignificat iuſtitiam externam, vel bona opera; vnde Ioannes 1. Ioan. 3. *Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt.* Aliquando verò quoduis opus virtutum, quatenus per illud diuinæ legi ac voluntati conformamur. In qua ſignificatione accepit illam Moyſes cum Deuteron. 4. dicit Iſraelitis: *Scitis quod docuerim vos præcepta, & iuſtitias*; Et Pſal. 17. de iuſtitiis ſeruatis gaudens regius Propheta,

1. *Varia ſignificationes vocis, Iuſtitia.*

pheta, inquit: *Iuſtitias eius non repuli à me.* Quas Dominus 2. Paral. 7. commendans Salomoni, ſi velit in regno perſiſtere, ait: *Si ambulaueris coram me ſicut ambulauit pater tuus, & feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, & iuſtitias meas, iudiciaq; ſeruauerit, ſuſcitabo thronum regni tui.* Hoc nomine etiam Chriſtus Dominus perfectionem in Euangelio commendauit, Matth. 5. *Niſi abundauerit*, inquit, *iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum*, non intrabitis in regnum cælorum. In quæ verba Chryſoſtomus homil. 16. in Matth. *Hic iuſtitiam vniuerſam dicit profectò virtutem. Sicut etiam de S. Iob loquens, ait: Erat homo iuſtus irreprehenſibilis. Iuxta hunc modum etiam Paulus ſignanter iuſtum vocabat, cui nec legem poſitam eſſe dicebat. Iuſto, inquit, lex non eſt poſita. Sapiſſimè quidem in Scripturis pro generali virtute poſitum hoc nomen inuenies.*

Denique ſignificat *iuſtitia* ſpecialem virtutem, cuius oppoſitum eſt iniquum, quod iniuriam alterius comparatione inuoluit. Quo modo ſumpta computatur inter virtutes cardinales, & non ſemel à D. Auguſtino in hunc modum definitur: *Iuſtitia*, inquit, *ea virtus eſt, qua ſuum cuique tribuit.* De qua Salomon Sap. 8. laudans ſapientiam, inquit: *Etſi iuſtitiam quis diligit labores huius magnas habent virtutes; ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus*, quaſi dicat. Si quis acquiſitionem omnium virtutum diligit, quæ expeditior via ad illas obtinendas eſſe poteſt, quàm ſapientiæ amor, & conuerſatio cum illa; nam labores illius, id eſt actus virtuoſi ab illa imperati, parturiunt illas quatuor magnas virtutes, nempè temperantiam, prudentiam, iuſtitiam, & fortitudinem, quibus vtilius nihil in vita hominibus.

Hæc virtus latè ſeſe extendit, nempe in 2. generalem, quæ & legalis dicitur, & particularem; in diſtributiuam & commutatiuam. Generalis eſt, quæ ſuum cuique tribuit habito reſpectu ad bonum commune Principis vel Reipub. Vnde Auguſtin. lib. 83. quæſtionum, quæſt. 31. *Iuſtitia eſt habitus animi, communi vtilitate conſeruata ſuum cuique tribuens dignitatem.* Legalis autem vocatur, quia conforme legibus eſt agere ea, quæ conducibilia ſunt communitati, Leges enim maximè, teſte Ariſtotele, ea præſcribunt, quæ communitati congruunt. Particularis verò eſt quæ ius ſuum alteri reddit in particulari: vt emens panem piſtori vendenti.

Diſtributiua eſt quæ in rectè diſtribuendo verſatur, ſecundum proportionem geometricam; vel remunerando benè acta, vt cùm honores, magiſtratus, beneficia, munera, aliaque id genus pro cuiuſque dignitate diſtribuit. Vel puniendo perperam geſta, vt cum nocentes ſupplicijs affici iubet. De qua ad Iudices Salomon *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Illis enim hæc neceſſaria, ſi velint bonum Reipublicæ. Vnde Auguſt. l. 2. de Ciu. c. 4. *Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? quia & ipſa latrocinia, quid ſunt niſi parua regna? Manus etenim ipſa hominum cum imperio Principis regitur, pacto ſocietatis adſtringitur, placitis lege præda diuiditur. Hoc malum, ſi in tantum perditorum hominum acceſſibus creſcit, vt & loca teneat, ſedes conſtituat, ciuitates occupet, populos ſubiuget, euidentius regni nomen aſſumit, quod etiam in manifeſto confert non ademptæ cupiditas, ſed additæ impunitas. Eleganter enim & veraciter Alexandro illi Magno quidam comprehenſus pirata reſpondit. Nam cùm idem Rex hominem interrogaſſet, quid ei videretur, vt mare haberet infeſtum? ille libera contumacia; Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? ſed quia id, ego exiguo nauigio facio, latro vocor; quia tu magna claſſe, Imperator.* Commutatiua verò eſt, qua quiſque rectè ſe habet in commutationibus rerum, ſua cuique reddendo ſecundum proportionem Arithmeticam, ad quam pertinent, contractus, emptiones, & venditiones, vadimonia, locationes, reſtitutiones, aliaque eiuſmodi.

Cicer. lib. 3. de Repu.

De iuſtitia in prima ſignificatione certum 3. eſt non egiſſe Tobiam ſeniorem, quòd prima gratia à Deo proueniat. De alijs quatenus filiorum ſtatus & conditio id exigebat, locutum fuiſſe extra omnem controuerſiam eſt. nam primò homini fideli neceſſarium eſt exercitium bonorum operum, ſi velit ſaluus fieri; ait enim Saluator Matth. 7. *Non omnis qui mihi dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt.* Altera ſpectans ad virtutes cardinales, ſeu proximum, nempe, *quæ ſuum cuiq; tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem cuſtodiat*, vt ait Ambr. primo de Officijs cap. 24. æquè eſt neceſſaria ad ſalutem. Vnde Iſaias Vates cap 56. *Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam, quia iuxta eſt ſalus mea vt veniat.* quaſi dicat. Seruate vos iuſtitiam quam debetis, & ego mittam vobis, quem promiſi Saluatorem. Siracides Eccleſ. 18. *Ante iudicium para iuſtitiam tibi.* Idipſum Matth. 22. clarè expreſſit Chriſtus Herodianis quærentibus num liceret cēſum dare Cæſari, dum reſponſum dedit viſa imagine & ſuperſcriptione numiſmatis. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Et Ioannes Baptiſta ad publicanos ſciſcitantes, *Quid faciemus?* reſpondit: *Nihil amplius, quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis.* & militibus dixit. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.* Lucæ 3.

De qua iuſtitia loquantur hic Tobias.

Iuſtitia vt eſt virtus cardinalis, eſt neceſſaria ad ſalutem.

Regius Propheta iuſti æquique tenaciſſimus eum ob oculus ponit virum iuſtum, cui fiducia ſit ad regnum cæleſte, inquit: *Qui non egit dolum in lingua, nec fecit proximo ſuo malum,* *Pſal. 14.*

&

& opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Qui iurat proximo suo, & non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit. Hanc posteris suis exactissimè voluit commendari Tobias senior, tum propter salutem æternam, tum propter bonum etiam temporale. Magna enim vtilitas est reposita in hac iustitia. Vnde Prouerb. 14. dicit Hebræus Sapiens: *Iustitia eleuat gentes.* Et *Iustitia firmatur solium.* Et rursum: *Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate.* Et Prouerb. 15. *Qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo*, id est, à Domino. Hinc Syracides Eccles. 4. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Clarissimè verò Saluator noster Matt. 5. pronuntiat. *Beati*, inquit, *qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* En quanta sedulitate, quanto appetitu voluit Christianos sectari iustitiam. Disertè Chrysostomus hom. 15. in Matth. *Non dixit, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, vt non vtiq; mediocriter, sed cum omni cupiditate iustitiam teneamus. Quia enim hoc est auaritiæ proprium, neque sic cibum desideramus & potum, vt possidere Latius, indulque pretiosius, concupiscentiam istam, qua habendi amore flagrat, iubet in meliora conuerti: deinde rursus sensibile præmium statuens ait, quoniam ipsi saturabuntur. Quia enim plurimos diuites facere putatur auaritia, dicit hoc esse contrarium, magisq; id præstare iustitiam. Noli igitur iustitiam exercens formidare pauperiem, neque famem timere, cùm certè illi magis omnibus bonis excidant, qui omnia diripiunt: vt ex aduerso ille, qui iustitiam diligit, tutissimè omnia bona possideat.*

Iustitia adfert vtilitatem temporalem.

Iusto non est timenda paupertas.

Adhæc meo iudicio non errabit, qui dixerit Tobiam hortari filios ad omne opus bonum, quòd illud faciat Deum exaudire orationes nostras, & satisfacere votis nostris qui teste Psalmistâ, *voluntatem timentium se faciet.* Psal. 144. Vnde confidenter loquitur Regius Propheta, *Tunc non confundar, cùm prospexero in omnibus mandatis tuis*, Psal. 118. De eo securos nos reddit Ioannes Apostolus 1. epist. cap 3. vbi postquam ostendisset præstantiam nouæ ex Deo natiuitatis, & filiationis, & præscripsisset ad illam retinendam, necessarium esse studium sanctitatis, diligere inuicem opere & veritate, docet fructum, hæc, aliaque Dei mandata seu iustitias seruantibus esse, impetrare omnia, quæ à Deo postulant. *Si cor*, inquit, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Causam verò assignat: *Quoniam mandata eius custodimus, & ea qua sunt placita coram Deo facimus.* Congruum enim est, & congrua merces obedientiæ & amicitiæ, vt si homo faciat voluntatem Dei, Deus vicissim faciat voluntatem hominis, iuxta illud cit. Psal. 144. *Voluntatem timentium se faciet.* Alludit ad illud prophetæ missum Christi. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis.* Ioan. 15. 7. Oratione enim operatio, & vicissim operatione fulciri debet oratio, iuxta illud Gregor. libr. 9. epist. 45. *Inanis sit oratio, vbi praua est actio: actio enim preces orationum superat.* Hoc est quod ait Ieremias Thenor 3. 41. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælos.* Nam vt explicat S. Hieronym. vel potiùs Rabanus: *Cor cum manibus leuat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor leuat & manus non leuat: quisquis verò operatur, & non orat, manus leuat, & cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem tunc cor fiduciam in oratione accipit, cùm sibi vitæ prauitas nulla contradicit, & bonorum operum oratio orationi concinit.*

Oratio iustorum efficax.

Inanis est oratio sine operibus.

E contra verò iniustitiam & fraudem erga proximum omninò auersatur Deus. Hinc Deuter. 15. Moyses mandat suis à falsis ponderibus abstinere: *Non habebis*, inquit, *in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior aut minor, pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus dedit tibi: & mox subiungit: abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam.* Adeóque in idem recidit hæc inculcatio iustitiæ atque si dixisset: Si eam colatis, eritis non solum filij mei, sed Dei ab ipso dilecti: si verò limites transgrediamini, Deo, & mihi abominabiles, iuxta illud Hebræi Sapientis: *Abominatio est Domino via impij, qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo.* Adhæc abominabiles eritis & hominibus, aliisque opprobrium & sibilus. Imò si quam domum construxeritis, aliaque sumptuosa ædificia iniusto ære condideritis, illa spectantes, contumeliosè vos tractabunt. Audi Chrysostomum disertè de hac re differentem hom. 30. in Genes. *Ædificium hoc, inquiunt, est illius auari, illius raptoris, illius viduarum & orphanorum spoliatoris. Igitur hoc non est memoriam assequi, sed perpetuis obijci criminibus & infamari etiam post mortem, & spectatorum linguas in sui accusationem, & blasphemiam acuere.* Tractat de illis, qui turrim Baal ædificarant, vt celebrarent nomen suum, & subdit: *Quid quod huiusmodi opera nomẽ & memoriam eius qui fecit aut possedit, non diu custodiunt? Etenim sic res habet: subinde ab hoc ad alium transeunt, & ab illo item in alium. Et hodie quidem domus dicitur huius, cras dicetur alterius. Itaque nos ipsi vehementer decipimus, dum putamus nos dominium quasi perpetuum habere, cùm vsu tantum fruamur: & siue velimus, siue nolimus, aliis, & nonnunquam ijs quos minimè amamus, aut etiam odimus, vel inuere cogamur.*

4 *Iniustitia Deo est abominabilis.*

Ædificium iniustè acquisitum etiam post mortem dedecorat ædificatorem.

Deinde esto nomen aliquod ex iniustè acquisitis sibi pararet, non durabit, Deo iniustitiam vindicante. Hoc respondit Michæas

5. *Furtum domui exitium parat.*

Vates

Vates populo Iudaico, peccatis, quæ à fraude & auaritia naſcuntur, infecto, cum illi propterea graue denũtiet ab hoſte victore, & barbaro ſupplicium: *Adhuc*, inquit, *ignis in domo impij theſauri iniquitatis, & menſura minor ira plena. Numquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſaccelli põdera doloſa?* quaſi dicat. Non eſt quod gloriemini in bonis iniuſtè acquiſitis: ego nihil horum fero, ſed ſecretiſſima iudico. Domi adhuc rapina eſt, & theſauri fraude atque violentiâ congeſti. Intus eſt menſura minor, & infidelis, familiare iniquæ negotiationis inſtrumentum, quæ diuini furoris plena eſt. Quare intus eſt ignis, qui domum inflammat, & ab ipſis vſque fundamentis euertat. Numquid is ego ſum, dicit Dominus, quem negotiatores illi fraudulẽti decipiant, quique ſtateram infidelem & doloſam, & inæquale põdus, quod geſtat in ſacculo mercator iniquus, aut ignorem, aut probare videar, dum abire patior impunita? Quamdiu enim domi theſauri clauduntur, quos iniquæ pactiones, corrupta iudicia, fraudes, & iniuria congregarunt, tamdiu in mediis penetralibus ignis eſt, qui domos iniquas, id eſt, multorum ſcelerum officinas, quamtumcumque firmas, in fauillas rediget. Quare iniqua pecunia non firmat domum, ſed euertit; non auget, aut nobilitat, ſed potiùs attenuat, & conficit familias. Dixit hoc idem Iacobus cap. 5. *Argentum veſtrum eruginauit, & erugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras, ſicut ignis.* Significauit hoc Propheta Abacuc cap. 2. cùm inquit Nabuchodonoſori: *Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua: Quia Lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* quaſi dicat. Cùm prædam meditaberis, & cædem, in domum tuam grauem videbaris perniciem meditatus; quia inde domui tuæ grauis accidit labes. Neque enim tunc tam in alienum, quàm in tuum caput, atque fortunas peccaſſe videbaris. Lapides enim, quos ex dirutis aliorum ædibus ad domum tuam ædificandam tranſtuliſti, tuam tyrannicam inclementiam, & rapinam accuſabũt; & ligna, quæ parietes ſuſtentant, & alligant, cum lapidum clamoribus ſuas quoq; voces, & querelas coniungent. Clarius hac de re Zacharias cap. 5. quem locum explicatum inueniet Diſc. 1. in V I I. Præceptum num. 7.

Mitheæ 6.

Rapina in domo ignis eſt, qui illam abſumit.

Opes alienæ contra inuaſiones poſſeſſorem clamant.

6. Hæc abſque dubio mouerunt bonum ſenem, quin & boni nominis fama: vnde dicebat aures filiorum erigens: *Audite filij mei patrem veſtrum.* quaſi dicat, Si velitis filij Tobiæ nominari, & verè tales dici, à bonis moribus & virtute id proueniet: quam ſi neglexeritis, alio nomine vos notabit Deus, qui à prauitate & fraude ſuos hequiſſimorum hominum nomine ſolet inſignire. Sic Oſeæ 12. E-

Eius aliquis dicitur filius cuius expreſſit mores & ingenia.

Mendax in Tobiam.

phraimitas vocat Chananæos, dum ait: *Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa calumniam dilexit.* Quaſi dicat per catachreſin, Ephraim eſt Chanaan, id eſt, mercator fraudulentus; in manu enim eius eſt ſtatera doloſa & iniuſta. Aut rurſum idem eſt ac ſi dicat: Iacob pater tuus ob ſanctitatem meruit vocari Iſrael, id eſt, dominans Deo; tu verò ô Ephraim non mereris hoc nomen, ſed potiùs vocandus es Chanaan, quia habes mores Chananæorum, & quia defraudas proximos in pondere, vti facit mercator, præſertim Chananæus, qui doloſa ſtatera defraudat ementes, vtens maiori pondere dum merces emit, minori dum vendit.

Ephraimitæ fraudulenti vocati Chananæi, quare.

Certè Ezechiel Vates cùm notarent Iſraeliticum populum ad beneficia ingratum, ad libidinem prurientem, ad quidlibet audendum proiectum, alienos ſecutum Deos, meretricium in modum proſtibulum erexiſſe, atque à primo ſtatu vili degeneratione decidiſſe; ſic eundem aggreditur: *Ieruſalem radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Talis, inquit, mihi viſa es, ô Ieruſalem, ac ſi nata eſſes non ex Abrahami præclaro ſemine; ſed ex alieno, atque impio, ex genere nimirum Chananæo, ex Amorrhæo videlicet parente, & Cethæa matre. Chanaan commune aliquid ſonat; nationes videlicet illas, quas Chanaam aperuerunt, atque habitarunt poſteri. Hi autem fuerunt qui Chanaanitidem terram, id eſt, terram promiſſionis incoluerunt, quoſque è ſuis finibus exegit Deus, vt eorum loco ſuccederent Iſraelitæ, Geneſ. 10. v. 15. *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum ſuum Hethæum & Iebuſæum, Amorrhæum, & Gergeſæum, & Heuæum*, &c. Chananæam ergo appellat Hieroſolymam, quia ex populis Chananæo nomini ſubiectis orta dicitur, ex Amorrhæo nempe patre, & matre Cethæa. Vti autem apud profanos eius quis dicitur filius cuius exprimit mores & ingenium; ſic in ſacris litteris, qui mores alunt viperinos, progenies dicuntur, aut genimina viperarum, primum à Ioanne Baptiſta Matth. 3. verſ. 7. deinde à Chriſto Matth. 23. verſ. 33. Apud prophanos qui ingenio ſunt tardo, atque ad ingenuam diſciplinam indocili, nati dicuntur ex robore, aut ilice. Virgilius lib. 8. Æneidos,

Genſq; virum truncò, & duro robore nata,
Quêis neque mos, neque cultus erat.

Qui inhumano, & barbaro, & leone nati, & tigride, & ex ſaxo, aut ſilice dicuntur. Ouidius lib. 9. Metam.

—— neque enim de tigride natus,
Nec rapidos ſilices, ſolidúmue in pectore ferrum
Aut adamanta gerit: nec lac bibit ille leæna.

Sic Seneca in Hercule Oetæo,

Qua cautes Scythia, qui genuit lapis?

7.

Ieruſalem cur dicatur nata ex patre Amorrhæo, & matre Cethæa. Ezech. 16.

Chanaan quid.

Num Tiſana ferunt? te Rhodope tulit,
Te praruptus Athos, vt fera Caſpia.

& omnium optimè Virgilius l. 4 Æneidos.

—— *Durus genuit te cautibus horrens*
Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

8. Sic Ieruſalem orta dicitur ex Chananæo atque Cethæo ſemine, propter vitæ genus turpe, abiectum & fœtidum, à vera religione alienum, adeoque nefarijs ſacris ac religionibus addictum; quòd vicinarum gentium ſuperſtitionibus ſeſe implicuerit incolarũ vagus atque verſatilis animus. Amorrhææ porrò gentis ſpecialem facit mentionem Ezechiel, quod Amorrhæi Chananæorum fuerint potentiſſimi, ac ſub illis aliæ ſeptem nationes Chananææ intelligantur; aut potius, ob eorum prauitatem, eò quod Geneſ. 15. dicat Dominus: *Nondum enim impleta ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Cethææ verò meminit, quia illa magis videbatur in Venerem, & in omnem intemperantiam procliuis, vt quo infiliam aliquid deriuatur ignominiæ, etiam ipſa ex materno ingenio traxiſſe videtur non abſimile in Venerem ſtudium. Quod ex eo videtur poſſe colligi, quia infra verſ. 49. Cethæa fœmina, cuius filia dicitur Ieruſalem, deſeruiſſe traditur virum ſuum, & alienum thorum iniſſe: *Filia matris es tu, quæ proiecit virum ſuum.* & quidem aliquid odorabatur, impurum, ac fœtidum Rebecca in Cethæa fœmina, cùm dicebat Geneſ. 27. de ſua filia Chet, quæ eadem eſt cum Cethæa, ſeu Chetæa: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: ſi acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere.*

Amorrhæi inter Chananæos potentiſſimi.

Cethæa fœmina libidinoſa.

Daniel quoque Propheta ſenem Suſannæ pudicitiæ inſidiantem compellans & compungens, cum excludit à generatione Iſraelitica, & à radice Chananitide prouenisſe fingit: *Semen*, inquit, *Chanaan & non Iuda, ſpecies te decepit, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* quaſi dicat. O ſcelerate, qui ex Iudæo ſatus es ſanguine, mores planè induiſti Chananæos; deliburos flagitijs, quibus nullo loco eſt pudor, fides ac religio: ex corde enim à concupiſcentia ſic in libidinem exarſiſti, atque inſani Chananæi, quorum immoderatum impetum nulla lex, aut pudor continuit. Iſaias cap. 1. Iudæos coarguens & increpans, ſic eos compellat: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum: percipite auribus legem Dei veſtri populus Gomorrhæ.* quaſi dicat. Audite verbum Domini olim Iſraelitæ, nunc Sodomitæ; olim Abrahæi & Iacobæi, nunc Gomorrhæi. Alludit ad Deuteron. 32. *De vinea Sodomorum vineatorum, & de ſuburbanis Gomorrha: vua eorum vua fellis & botri amariſſimi.* Principes Sodomorum itaq; vocat Principes Iudæorum, Iudæos autem populares populum Gomorrhæ, non quod inde originem traxerint, ſed primo vt iam de alijs dixi, quod eorum peccata imitati fuerunt, quæ Ezechiel caput 16. enarrat fuiſſe ſuperbiam, ſaturitatem panis, & abundantiam, ac otium ipſius Sodomæ, & filiarum eius, quodque manum egeno & pauperi non porrigerent. Vnde diſertè inquit loc. cit. verſ. 48. iuramento affirmans, eos ſuperare Sodomitas in peccatis: *Viuo ego, quia non fecit Sodoma, & filia eius ſicut tu.* Secundò, quia ipſi nefando vitio Sodomiæ Iudæi fuerunt obnoxij, vt patet cap. 2. v. 6. ita Cyrillus. Tertiò, quia in ſuis ſceleribus fuerunt effrontes & impudentes æquè ac Sodomitæ. hoc enim eſt quod dicitur cap. 3. v. 9. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt.* Quartò, quia vti in Sodomis pauci inuenti ſunt iuſti, puta Loth cum ſuis; ita & in Iudæa, inquit Cyrillus. Quintò, quia *Sedom* ſiue *Sodoma*, hebraicè, inquit Baſilius, ſignificat declinationem, *Gomorrha* rebellionem: hi autem principes cum populo Iudæorum erant præuaricatores, Deoque rebelles.

Iudæa dicta Sodoma cur?

Cauſa datur.

9. Atque in hunc modum à Prophetis mundus nunc vocatur Ægyptus ob ſuperſtitionis tenebras; nunc Edom, ob feritatis & maledictionis ſimilitudinem. Ita Euſeb. libr. 7. Demonſt. Euangelic. cap. 4. & Tertullian. libr. 3. contra Marcion. vbi & ſubdit: *Neque enim nouum eſt Creatori figuratè vti tranſlatione nominum ex comparatione criminũ.* Sic quarumdam gentium nomina in conuitium tranſierunt, vt Lacones, Leſbij, Ambrones, Oſci, Opici, Cilices, Sybaritæ, &c.

Mundus quibus nominibus nunc vocatur.

10. Ob has rectorationes Tobias ſenior vſque adeò amanter inuitat filios, vt patris mores ſequantur, ne progeniei ſuæ maculam inurant, ſed ſimul cum pietate æternum, bonum nomen Tobianæ familiæ conſeruent: *Audite*, inquit, *filij mei patrem veſtrum*, &c.

Addit autem bonus ſenex ſuos poſteros incitandos eſſe, vt faciant eleemoſynas, tum quòd ſciret ex lege naturali quantum boni dimanarent ab eleemoſynis, tum quòd ſpeciatim ex Angelo Raphaele iam diuinitus eſſet edoctus, liberalitatem erga pauperes iuxta alias virtutes omnes diuitias in ſinum eius effudiſſe.

11. Tu igitur, mi Chriſtiane, in his imitare bonum ſenem; cura ſedulò vt omnis iniuſtitia à domo tua exulet; inde enim omne malum. Vide dicta Diſcurſibus 1. 2. 3. & alijs, in ſeptimum Præceptum, vbi latè tractaui, quãtum mali à fraude, iniuſtitia commutatiua in homines exuberet. Iuſtitiam igitur tuis ſingulariter commenda, ſi poſteris & domui tuę bene velis; in ea enim Dominus ſedem ſuam figit. Præclarè hac de re Bernard. ſerm. 3. de Aduentu. *Beatus*, inquit, *in quo ſapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, beata anima, quæ ſedes eſt ſapientiæ. Quanam illa? anima vtique iuſti, Meritò planè, quia iuſtitia & iudicium*

Domus iuſti eſt ſedes Dei.

prepa-

præparatio ſedis eius. Et ad ſuos ſermones conuertens: *Quis in vobis eſt*, inquit, *fratres, qui deſiderat in anima ſua ſedem parare Chriſto? Ecce quænam illi ſerica, quæ tapetia, quod puluinar oporteat præparari: Iuſtitia, inquit, & iudicium præparatio ſedis tuæ. Iuſtitia virtus eſt, quod ſuum eſt, vnicuiq; tribuens. Tribue ergo tibimet quæ ſua ſunt. Redde ſuperiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes, & dignè celebras aduentum Chriſti, parans ei in iuſtitia ſedem ſuam.* Hæc de iuſtitia.

Neque minus ſollicitus ſis, vt eleemoſynæ largiter dent operam, cùm ob ea, quæ ſparſim cap. 1. 4. & 12. huius Hiſtoriæ annotaui, tum quia Propheta Regius eleemoſynam cum iuſtitiæ nomine connectit, quæ permaneat in ſæculum ſæculi: *Diſperſit*, inquit de timente Deum, eiuſque mandata obſeruante, *dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Diſertè D. Chryſoſtomus hom. 30. in Geneſ. *Si æternam*, inquit, *memoriam amas, ego tibi viam monſtrabo, quæ te celebrem omni ſeculo faciat, quia etiam tibi fiduciam in futuro ſæculo dabit: liberalitatem tuam & pecuniarum largitionem in pauperes confer, relictis villis, balneis, aliiſq; ædificiis, rebus nempe mutis, atque inanimatis. Larga eleemoſyna immortalem viri memoriam reddit, ſicut Scriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi? id eſt, liberalitatis & miſericordia æternùm eſt manſura memoria. Et rurſus ſcriptum eſt: In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit. Rectè: ab auditione mala non timebit. Nam ſicut improbi malè audiunt apud homines, omniumq; vituperatione & deteſtatione lacerantur: ſic contrà, boni omnium prædicatione celebrantur: O hominem, inquiunt, miſericordem, ô benignum, ô manſuetum, ô dignum immortalitate: cuius diſperſe diuitiæ non eum deſeruerunt, ſed perpetuò comitantur, ornant, & tuentur: ac demum in æterna deducunt tabernacula.*

Miſericors ſibi æternam memoriam comparat.

12. Chriſtus Dominus cum Judæos docere vellet ſe nihil committere accuſatione dignum, vt illi calumniabantur; ſed omnia ſe facere ſecundum Dei voluntatem, inquit Ioan. 8. *Qui me miſit mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Magnam parit fiduciam animæ fideli ſtudioſiſſimè Dei voluntatem ſemper adimpleuiſſe. Quapropter & Tobias haud dubio voluit filios continuò inquirere, quæ Deo eſſent placita, vt ea facientes nullorum calumniam curarent, & fiduciam haberent in die mortis. Præclarè Auctor oper. imperf. homil. 15. in Matth. *Sicut oleum*, ait, *accendit lumen lucernæ ita bona opera dant animæ confidentiam; nam inſtul, quaſi leo confidit.* D. Paulus plurimùm laborabat, vt fideles bonis operibus inhiarent ſciens multam inde vtilitatem. Is cùm intellexiſſet ex Epaphra, fideli Chriſti miniſtro, & Doctore Coloſſenſium fidem & dilectionem eorumdem, orat inceſſanter pro illis, vt ſtu-

Adimpletio Dei voluntatis parit magnam fiduciam animæ.

dificent in omni opere bono, & Domini placitum ac voluntatem in omnibus expleant: Nos, inquit, *ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali, vt ambuletis dignè Deo, per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei.*

Et hinc apertiſſimè viri ſapientes exemplo Tobiæ ſuos adhortantis ad inquirendum quæ Deo ſint placita, & Apoſtoli orantis pro Coloſſenſibus, vt ſupra, docent optimam eſſe praxim augendi Dei gratiam & merita, ſi qualibet hora cogites: quid hac hora à mè requirit Deus? quid hoc momento vult me facere. quid hoc inſtanti magis beneplacitum eſt: illudque agnitum ſtatim exequare, & opere compleas. Sic famuli Regis qualibet hora cogitant quid placeat Regi, quid ipſe velit, omneſque regis nutus obſeruant, & illicò quod innuit, perficiunt, vt non tàm ire quàm volare videantur: quantò magis nos Domini Dei noſtri nutus obſeruare debemus, illique in omnibus obſequi? Vtiliter S. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 12. vel 14. *In cunctis quæ agimus vim ſuperna voluntatis inquiramus.* Ammon Abbas apud S. Ephrem tom. 2. in cap. parant. c. 10. & ſeq. *Voluntatem Dei*, ait, *tanquam verè regnum cælorum, ac coronam vitæ perfectæ deſidera quouis tempore perficere credens toto corde illud omnem humanam prudentiam vtilitate ſuperare, & in quacunque re primùm probes oportet, an Dei ſit voluntas illa.*

Optima praxis augendi gratiam Dei.

SECTIO X.

Quare voluerit Tobias ſenior pronepotes ſuos eſſe memores Dei, Deóque gratias agere ex intimo corde tam in aduerſis quàm proſperis.

MICHÆAS Vates cùm monuiſſet ſuos, quid eſſet bonum, & quid Dominus ab illis requireret, nempe in poſterum per fas & nefas nullas corrogare opes & theſauros, & miſericorditer agere cum pauperibus, quos iniquè opprimebant, ſubiungit tertium; vt ſolicitè ambulent cum Deo ſuo. quaſi dicat. O Hieroſolymitæ, ô fideles ſolicitè ambulate cum Deo, in cuius præſentia ſemper ſtatis, & quem offendiſtis: vt eum vobis reconcilietis ſupplices, & pœnitentes, eiuſque gratiam recuperetis, ac recuperatam ſolicitè conſeruetis. 1.

Tobias noſter ſollicitus fuit nõ vt gratiam recuperarent ſui pronepotes; ſed in Dei gratia exiſtentes ſemper Dei eſſent memores. Quænam huius rei ratio? Vna occurrit, quod 2.

Deus ſui memoriam

assiduum aliquibus commendauit.

peculiaribus Sanctis hoc specialiter commendauerit Deus, vt Noe, cui Deus perfectionem commendans Genes. 6. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Similiter Abrahamo Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* A Dei enim gratia, salus & omne bonum, ab eius offensa, gehenna & omne malum expectandum est. Propterea Regius Propheta dicebat: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear,* Psalm. 15. Altera ratio, quod efficacior via non existat componendi gestus, motus, verba, & actiones hominum, quàm ambulare in conspectu Dei, Testatur hoc psalmistes, cùm inquit: *Seruaui mandata tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Psal. 118.

Memoria Dei moderatrix optima est actionum.

Parit etiam homini gaudium.

Parit etiam memoria Dei, homini gaudium. Hinc Isaias Vates cap. 26. *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio anima. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te.* quasi dicat. Nil aliud nobis magis est in votis, quàm vt nomen tuum sanctum esset apud omnes, & celebre. Interdiu noctuque de Deo cogitandum, desiderium illius, neque deponendum vnquam, neque laxandum, neque in maturinis vigilijs huic curæ quidquam est præuertendum, idque seriò, & ex animo. Baruch cap. 5. prophetice asserit se vidisse Israelitas ex Babylone redeuntes iuxta promissum & ordinationem Dei, gaudentes & lætabundos ex memoria Dei sui liberatoris, & ex recordatione diuinæ beneficentiæ, cùm inquit: *Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente Sole vsque ad occidentem in verbo sancti gaudentes Dei memoriâ* Esther Regina cap. 14. protestatur se non in omni gloria sua, nec pompa muliebri, sed in solo Deo omnem habuisse lætitiam. *Tu scis,* inquit, *necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum, &c. & nunquam lætata sit ancilla tua ex quo huc translata sum vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus meus:* Quasi dicat: Mutata conditio regni non fregit animum ad pietatem seueramque disciplinam informatum, aut molliores deliciæ, sed in vno Deo, quem coluit Abraham, meas posui delicias, ab eo castas & assiduas hausi voluptates; ab alijs nil nisi dolorem, nauseam, & omnibus modis intolerabile fastidium, Dauid Rex qui varijs affligebatur Regni curis, ex Dei memoria se recreatam asserit: *Memor,* inquit, *fui Dei, & delectatus sum.* Psal. 76.

3. *Deus sui memorem semper tuit à tribulationes.*

Quid ni? Eruit enim hominem ab omni tribulatione, eodem Rege teste, qui Psalm. 24. hoc testatum reliquit dicens: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Preclarè D. Augustinus c. 10. Meditat. *Nil aliud agit Deus, nisi vt mea saluti prouideat, & ideò totum ad mei custodiam occupatum videt, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit. semper præsentem mihi se exhibet Deus, semper paratum offert, quocunque me verto, me non deserit: vbicunq; fuero, non recedit: quidquid egero pariter assistit: & tunc tu tandem actionibus meis perpetuus inspector: &, quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit.*

Imò à peccato, quod maximè hominem inficit, deterret memoria Dei. Hinc Ioseph Genes. 39. incitatus ad adulterium cum domina sua, nequaquam operi nefario acquieuit, sed dixit ad eam: *Ecce,* inquit, *dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* In quibus verbis considerare est, deterritum Iosephum à tanto scelere admittendo, primò insigni beneficentia Domini erga se: cuius tot & tanta beneficia, si tanto maleficio rependat, ingratissimus & iniquissimus futuris sit, & nullo non dignissimus supplicio: *Ecce,* inquit, *Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es.* Deinde ab eo scelere deterritum se affirmat, contemplatione ac reuerentia Dei præsentis in omni loco, cunctaque inspicientis: cuius scientiam, vt nullum potest fallere peccatum hominis; ita nec iustitiam eius vindicem scelerum impunè potest effugere: *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Quem locum enucleans Philo Iudæus libr. de Ioseph sic Philosophatur: *Qua fronte potero post admissum tantum scelus, illum aspicere: Conscientia, carnifex intestina non finet me oculos in illum erigere, etiam si nemo alius prodat flagitium. Quanquam non deerunt qui prodant; præsto sunt enim latentes exploratores plurimi, quibus silere non licet. Tacco, quòd factum licet nemo enunciet, vel sentiat, ipse meum tero proditor, colore, aspectu, voce detegens conscientiam.* Et ad propositum nostrum immediatè post subnectit: *Sed fac, nullum delatorem esse; assidentem Deo iustitiam res cunctas inspicientem non timebimus, non reuerebimur, non perhorrescemus?* Tria vtique sunt quasi vincula, quibus viri Sancti fortissimè constrictos se, atque compeditos sentiunt, ne possint Deum offendere. Primùm vinculum est reuerentia diuinæ maiestatis vbique præsentis, & cuncta cernentis. Sancti enim viri semper in conspectu Dei ambulantes, videntur sibi non posse non omnia castè sancteque facere, & ne præsens numen vlla re offendant, ab ijs omnibus quæ displicent ei religiosissimè cauere debere. Alterum vinculum, quo ita viri sancti fortiter obstricti Deo tenentur, vt videantur sibi non posse

4. *Recordatio Dei hominem à peccato deterret*

Exemplum Iosephi.

Tribus vinculis continentur viri sancti à Dei offensione.

posse in eum peccare, est recordatio beneuolentiæ ac beneficentiæ Dei erga ipsos, & beneficiorum eius, partim iam acceptorum, partim in futurum promissorum. Tertium vinculum est timor Dei, quem generat in animis nostris contemplatio seuerissimi iudicij, & inflexibilis iustitiæ Dei incredibili rigore vendicantis peccata, nec vllum relinquentis impunitum. Ille retraxit castissimam Susannam à peccato, quod molirentur cum ea Seniores populi, Daniel. 13. *Angustiæ*, inquit, *sunt mihi vndiq; : si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.*

5. *Memoria Dei facit, ne homo peruersa intentione operetur bonum opus.*

D. Basilius planissimè testatur, persuasionem præsentiæ Dei hanc habere vim, vt ne rectum quid peruersa intentione agere præsumet: *Ex quo quidem*, inquit, *illud ego etiam necessariò existimo sequi, vt qui ita sit animatus, is ne mandata quidem Domini ad gratiam hominum exequi possit: neque enim est quisquam qui vbi verè præstantiorem adesse aliquem sibi persuasit, eo spreto, se ad minus præstantem conuertat.* Vnde rectè idem Basilius interrogat. 21. Concludit: *Quòd si nec eorum quidem quidquam, quæ etsi suapte natura bona sunt, ad fidei tamen ædificationem non pertinent, aliquid scilicet non audebit facere, quanto magis nõ faciet ea, quæ vetita sunt, & Deo nõ placẽt.*

6. *Sancti semper pauidi viuunt, quia Deum præsentem respiciunt.*

D. Gregorius Magnus lib. 21. Moralium cap. 4. asserit sanctos viros propter considerationem continuæ Dei inspectionis, semper pauidos viuere ac tremere, suamque vitam indies considerare. *Vnde sancti*, inquit, *viri tanto se subtilius in cogitatione constringunt, quanto à superno iudice districtius considerari perspiciunt; mentem quippe discutiunt, inuenire si quæ deliquerint quærunt, vt tanto fiant irreprehensibiles iudicij, quanto semetipsos quotidie, & sine cessatione reprehendunt; nec tamen hac de re iam gaudia securitatis sumunt, quia ab illo se videri considerant, qui in eu & illa videt, quæ videre ipsi in semetipsis non valent.* Et meritò: quia eius *oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddat vnicuiq; secundum omnes vias suas, & secundum fructum adinuentionum manuum eius*, vt testatur Propheta Ieremias c. 32. vers. 19.

7. *Oblitus Dei præsentia, omnia mala audet.*

Hæc mouerunt bonum senem, vt præsentiam Dei suis vellet semper ante oculos versari. Adhæc sciebat sanctus, ab eius obliuione nihil boni procedere; sed omne malum in nos irruere, quando Dei immemores sumus. *Quando peccamus*, inquit Hieronymus super illud Ezech. 8. *Non videt Dominus nos, si cogitaremus Deum videre, nunquam quod ei displiceret, faceremus.* Si aliquis Deum semper præsentem cerneret, numquam audeo dicere, quod peccaret. *Metueres non dicam facere, sed & loqui, aut cogitare*, inquit Ambrosius in Psal. 18. *quod præsumeres, si tibi diuina scriptura suasisset,*

Mauden in Tobiam.

quia Deus cogitationum arbiter, secretorum testis est verax. Multis enim licet diuina scriptura dicat Deum vbique præsentem, pactice tamen non suadet, ideò peccant, & ideò aliquis audet malum facere, quia Dei obliuiscitur, & vt præsentem ipsum non cernit. Cùm Aman Esth. 7. in genua procideret, intercessionem. Estheris deprecans ad auertendum furorem Regis Assueri, quem in se iratum dignouerat, existimabat Rex illum, se præsente, Reginam velle opprimere, & ait: *Etiam Reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea.* Statimque ad supplicium pertractus est: *Necdũ*, subiungit sacer textus, *verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem eius*: & sic ad patibulum suspensus est. Ea vtique erat Persarum consuetudo, vt illorum, qui mortis declararentur rei, velaretur facies, vt probat illa Romanorum familiaris & legitima forma; *I lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici suspendito*, id est, cruci. Si tantum offendat præsentia hominis, vt causâ indictâ temerè morti adiudicaret Amanum; quid nobis expectandum erit, qui homines veremur, Deum corda & renes scrutantem quasi non viderer contemnimus? hoc omni supplicio dignum est. Disertè & verè exclamat Chrysostomus homil. 12. in primam ad Corinth. *Hoc vniuersum orbem conturbat, quod ad homines aspicientes omnia agimus, & despecto Deo homines formidamus, præsente quidem homine, nemo voluerit scortari, sed etiamsi millies malo vratur, vincitur tyrannis vitij, ac perturbationis à pudore hominum: Deo autem vidente non solum adulterium admittitur, & scortatur, sed etiam alia multa grauiora multi admittere ausi sunt, & audent: hoc enim solum, an non sufficiet ad mille è cælo dejicienda fulmina?*

Aman suspenditur, quia Rege præsente Reginam opprimere falsò putatur.

Homines ad peccandum verecundi, ac non Deum; summo dignum supplicio.

8. *Homines omnes puniti, quia Adã peccauit, Deum præsentem non habens.*

Numquid in Adamo experti sumus, totius generis humani massam, indignationem Dei incurrisse, quòd ille vxori obediens contra præceptum Domini, eius præsentiæ non meminisset? Quod ille cum vxore prodidit, cùm Deum ambulantem persentientes, putarunt se ab illo latere posse: *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi*, Genes. 3. vers. 8. non equidem se abscondissent, si meminissent vbique Deum præsentem. Quod equidem grauiter dixit Hieronymus in cap. 29. Isa. lib. 9. super illa verba: *Væ qui profundi estis corde*, vbi sic: *Mali idcirco arbitrantur Deum sua nescire consilia, quia in tenebris sunt opera eorum, & dicunt, quis videt nos? & quis nouit nos? Hæc dicunt sapientes huius sæculi, non recordantes eius, quod ad eum dicitur, tenebræ non obscurabuntur à te. Hoc errore decepti Adam, & Eua, audientes sonitum pedum eius deambulantis absconderunt se sub arbore.* Cain etiam non peccasset, si Deum præsentem credidisset; nam rogatus, vbi esset Abel fra-

Cain peccauit, quia Dei oblitus.

ter eius; respondit: *Numquid custos fratris mei sum ego? sed audiuit à Deo, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Non occidit illum Deus, sed ad omnium exemplum voluit illum superesse, vt vitam haberet pro supplicio, & diu viuere illi aliud non esset, quàm diu torqueri.

9. *Iudæi grauia supplicia passim intentantur, quod Dei nõ recordarentur.*

Iudæi Ezechiel. 8. gentilitios ritus complexi, abominationes varias sectantes dicebant: *Non videt Dominus nos. Dereliquit nos Dominus*: sed propterea minatur Deus eis furorem suum & vindictam: *Ego*, inquit, *faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Isaias cap. 17. grauia interminat Samaritanis, obliuionis huius causa: *Quia*, inquit, *oblita es Dei salutaris tui & fortis adiutoris tui non es recordata; propterea plantabis plantationem fidelem, & germẽ alienum seminabis.* Quia, inquit, Dei tui oblitus es, qui te non semel ab hoste seruauit, eiusque fidem & religionem abiecisti. Neque recordatus es illius, qui tibi in aduersis, dubijsque temporibus præsidio fuit. Atque ideò in agros tua manu plantatos, & egregiè cultos grassabuntur alieni. Et licet fidelis planta sit, quæ nũquam spem, aut curam fallit agricolæ, nihilominus tibi infidelis erit; quia non tam tu fructum ex ea colliges, quàm alienus. Rursum Ezechiel cap. 23. cùm populus ad idola deflexisset ex obliuione Dei, inquit: Propterea hæc dicit Dominus Deus: *Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas*, id est, Propterea hæc dicit Dominus; quia mei memoriam immò & me ipsum post tergum abiecisti, portabis durum supplicij pondus, quod tua tibi scelera, & fornicariæ sordes, siue idololatriæ imposuerant. Hanc solet Deus vicissitudinem rependere, nempe obliuisci illorum, qui sui obliuiscuntur: vnde ait Osææ 4. postquam recensuisset causas iræ Dei & vindictæ fuisse peccata, quorum omnium origo fuerat, quod in ipsis nõ esset scientia Dei: *Oblita es legis Dei tui, obliuiscar & filiorum tuorum & ego*, quasi dicat. Iustũ est Dei iudicium, & populi peccatis attemperatum, vt qui oblitus est Dei, obliuionis Dei experiatur incommoda. Ego ita vos ab hoste iactari permittam, quasi omninò vestri memoriam & curam abiecissem. Vide Section. 2. cap. 4. vbi plura perquam vtilia de memoria Dei latè disseruntur.

10. *Tobias senior vult suos semper Deo gratias agere, cur?*

Cæterùm desiderat bonus senex pro nepotes suos ita instructos, vt laudent Deum in omnibus, prosperis & aduersis, beneficijs & pœnis, ex sincero & fideli corde. Nouerat vtique bona & mala, diuitias & paupertatem, omniaque nobis euenientia Dei iussu vel permissione contingere, vt expressit Siracides Eccles. 11. Sciebat haud dubio hanc fuisse perfectionem Iobi mala æquanimiter suscipientis de manu Dei; grandem imperfectionem vxoris egrè ferentis Dei visitationem, vti & vxoris propriæ, quam filet; quodque ipse gratias Deo egerit omnibus diebus vitæ suæ, licet plaga cæcitatis, & summa paupertas illi superueniisset. Hanc gratiarum actionem ipse credidit necessariam, sicut Dauid dicebat Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper Laus eius in ore meo.* D. Augustinus hæc verba enucleans: *Quid*, inquit, *est, benedicam omni tempore? & semper? siue in prosperis, siue aduersis. Nam si in prosperis, & non in aduersis, quomodo omni tempore? quomodo semper? Et audiuimus multas multorum tales voces, quando illis prouenit aliqua felicitas, exultant, gaudent, cantant Deo, laudant Deum: non sunt improbandi, imò gaudendum est illis, quia multi. Sed isti qui iam Deum laudare ex prosperitatis parte cœperunt, docendi sunt Patrem agnoscere & flagellantem, nec murmurare aduersus corrigentis manum, ne semper praui remanentes, exheredari mereantur.* Et S. Chrysostomus in psalm. 148. *Deus*, ait, *æquè est laudandus, cum & punit, & à supplicio eximit. Vtraq; enim sunt curationis, vtraq; sunt benitatis. Homines quidem hoc faciunt propter benitatem; illud verò propter iram & improbitatem. Deus autem vtraq; propter clementiam. Oportet ergo eum æquè laudare, & quod posuerit Adam in paradiso, & quod eum expulerit, & gratias agere nõ solũ pro regno, sed etiã pro gehenna: eã enim & fecit, & minatus est, vt à vitio liberaret. Sicut medicum non solum nutrientem, sed etiam fame excruciantem, non solùm vngentem, sed etiam vrentem & secantem obseruamus, & miramur; etsi enim contraria sint, quæ fiunt, vnum tamen finem respiciunt, hic salutis temporalis; Deus verò æterna.*

11. Hæc voluit bonus senex pronepotes suos omninò comprehendere, & ex intimo corde exequi, vt eandem cum ipso benedictionem assequerentur. Propterea inquit, ad suos: *Filijs vestris mandate vt faciant iustitias, & eleemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.* Et rectè. Sunt enim impij, qui Deo in prosperitate gratias agunt, sed in die visitationis blasphemant. In quorum persona inquit regius Prophera Psalm. 48. *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* Zacharias vates cap. 5. inducit superiores populi, qui in subditos impunè grassabantur, eosque vel in corpore, vel in anima expilabant, lucra sua quærebant, oues vendebant: & aucti opibus laudabant Deum quasi nullam culpam commisissent: *Benedictus Dominus*, inquiebant, *diuites facti sumus.* Ezechiel Propheta cap. 34. eiusmodi expilatoribus grauem pœnam indixit; & hi gratias agunt, quasi rem grandem, Deoque gratam exer-

Impij solum in prosperis Deo grati, alias blasphematores.

exercuiſſent: *Væ*, inquit, *paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos*, &c. *Quod craſſum erat occidebatis; gregem autem Domini non paſcebatis.*

Ex egregibus vtiq; tibi commiſſis quęſtum faciebant, illis, eorumque filijs, ſeruis, operis, agris, alijſque ad ſua lucra per vim & fraudem abutebantur: & interim Deo benedicunt, quaſi eiuſmodi gratiarum actio illi non diſpliceret; quod non eſt Deum benedicere in veritate. Verùm ſimiles cùm Dei manum experiuntur probantem vel caſtigantem, conqueruntur, obmurmurant, & Deum quaſi iniuſtitiæ accuſant: quod non eſt, Deum benedicere omni tempore.

12. Veteſtus quidam Auctor S. Antiochus homil. 117. tom. 2. Biblioth. Patrum, quæ eſt de gratiarum actione grauiter notat eos, qui Dei tantum meminerunt cum placida omnia, & Iudæis quibuſdam eoſdem comparat: *Quod ſi*, inquit, *tum gratias rependimus, tantiſper dum commodè habemus, felici rerum lætiſſimè cadentium ſucceſſu; nihilo deprehendimur ingratis illis Iudæis diſſimiles: qui, cum Domino ſuſpicienda miracula edente, in eremo veſcerentur panibus, dicebant: hic eſt verè Propheta: eumq; propè arreptum regem erant facturi. At vbi illis tam malè gratis dicebat: Operamini non cibum qui perit, ſed qui manet in vitam æternam. Subiunxere: Quod ſignum oſtendis nobis? Patres noſtri comederunt manna in deſerto. Sic enim meritò in nos appoſitè detorquebitur illud, confitebitur tibi cùm benefeceris ei: Qui planè talis comperietur; vſque in ſæculum non videbit lumen.* Et immediatè poſt enixè rogat, vt talium exemplum auerſemur, ſed memores ſimus præcepti Apoſtolici, quo mandat Coloſſenſibus ca. 3. in omnibus gratos Deo exiſtere: *Ne quæſo*, inquit, *tam auersè gratos repræſentemus morum ſimilitudine; magis autem diſcipuli gratiæ qui ſumus, ſimus per continentem actionem gratiarum illius exemplo; vt in nobis contemplati lumen ſplendeſcere piæ gratitudinis, queant à denſiſſima caligine ingratitudinis, quâ obuallantur emergere. Illud enim Pauli, In omnibus gratiæ eſtote, in genere vim obtinet præcepti; ſiue quis animi iucunditate perfruitur, ſiue tribulatione, ſiue nubilo tegitur triſtitiæ, afflictatur anxius, aut certè diffunditur gaudio; debet nihilominus agere gratiarum actionem.* Quod mox exemplo Iobi confirmat: *Qualis*, ait, *nihil obſcurè fuit eximius ille Iob. Is enim perditis ſemel omnibus, domo inſuper decem contignationibus faſtigioſa adæquata ſolo, ſed & filijs (interim dum geniali dum epulo inuitant ſe & indulgent) ruina oppreſſis: quam Domino pro his rependit gratiarum actionem? Nimirum accepto hoc nuntio, dicebat: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita & factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Nec tantum ſolum perſpicuum ſpecimen edidit ſuæ in Deum gratitudinis; ſed & in ſterquilinio ſedens, in vermium erumpentium ſanioſa conſiſtens putredine, ſimul atque contiuuam vxo-*

Iudæis ſunt ſimiles huiuſmodi. Ioan. 6.

Iobi in aduerſis gratus animus.

rem audiuit obiicientem illud: Dic verbum aduerſus Dominum, & morere: os impudenti obturauit, dicens: quaſi vna, de ſtultis mulieribus locuta es, ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quidni ſuſtineamus? Cui conſonat D Chryſoſt. homil. 3. de patientia Iob, cùm ait: *Merces calamitatum adoratio. pulſatus arumnis benedicit, oppreſſus arumnis gratias agit.* *Ingratitudinis in Deũ ſigna, & contra.*

Manifeſtum eſt hoc grati animi indicium, vexanti & flagellanti Deo benedicere, fauenti & blandienti etiam ingratus homo confitebitur, ſed gratitudine fucata, non ſincera, ſeu non in veritate, non ex intimo corde: Vnde veriſſimè, & planiſſime citatus Antiochus pronuntiauit, iuſtum & impium his indiciis diſcerni: *Hoc*, inquit, *inſigni argumento* videlicet gratias agendo in aduerſis) *internoſcitur qui nihil fucatè gratus eſt: dum inter medias deprehenſus calamitates, toto pectore gratias agit Domino. Contra; cognoſcibile iudicium viri malè grati; is dum angitur quapiam tribulatione, ſi eſt querulus, ſi murmure interſtrepit, ſi diſcruciatur ob hoc miſerè ſi tuetur cauſam ſuam, & excuſat innocentiam, & ſi qua his ſimilia.*

SECTIO XI.

Qua ratione Tobias ſenior videre quiuerit peccata Niniuitarum eſſe in eo ſtatu, vt Deus vrbem peſſumdaret. Et quatenus colligi queat ex Scripturis excidium alicui Genti imminere.

TOBIAS ſenior rurſum monet filios ſuos ad audientiam, monẽs eos ne hæreant in Niniue; ſed ſtatim ac matrem iuxta eum in vno ſepulchro inhumauerint, meditentur egreſſum ex Niniue: rationem addit: *Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei*, quod ſcilicet propter iniquitates ſuas iuſto Dei iudicio diſcerneret Niniuem deuaſtandam. Verùm qua ratione id diſcernere potuerit Tobias ſenior, quis dixerit? Exiſtimare poſſet aliquis, naturali præſenſione hæc à Tobia predicta fuiſſe filijs. Præter naturam enim non eſt, ſi quis quos impios videt, ijs cladem exitiumque impendere præmoneat? Quid mirum, ſi vrbem ſuperbia, iniuſtitia, luxuria, ſceleribuſque alijs perditam, funditus breui quis exſcindendam prænuntier? Ideoque mera tantum naturalis prudentia videtur, vt aliò illinc excedere filium præciperet. *Ruinis*, ait Plinius lib. 8. cap. 28. *imminentibus, muſculi præmigrant. Araneicum telis primi cadunt.* 1. *Excidium Niniuæ, quomodo prædixerit Tobias.*

Verùm enimuerò fieri non poteſt, vt quis certiſſimò prædicat, quantumuis ſceleratas vrbes, domos, homines videat, hoc aut illo 2.

tempore exscindendos absque vllo errore, nisi à superiori quadam vi adiuuetur. Solet enim interdum Deus vltionem hominum impiorum differre, quoad per eos, quasi per flagellum quoddam, peccata populi sui flagellauerit & castigauerit, aut etiam bonos viros, purgatione tamen aliqua & correctione indigentes purgauerit & emendauerit: quorum peccatorum castigatione peractâ flagellum ipsum proijcit in ignem, id est, impios, quorum ministerio & operâ ad castigadum populum suum vsus, meritis plectit suppliciis. Perillustre huius rei Lector habet exemplum in rege Assyriorum & Chaldæorum, per quos Deus primo decem tribus, denique tribum Iuda vehementer afflixit & puniuit; postea verò ipsos Assyrios & Chaldæos grauissimis calamitatibus, extremisque malis percussit, & contriuit. Audiat lector verba quæ dixit Deus de rege Assyriorum: *Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est: in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat predam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit: sed ad conterendum cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum.* Post hæc autem, interiectis quibusdam, subdit: *Et erit cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.*

Deus differt quandoque vindictam malorum ad populi sui castigationē.

Solet etiam Deus in longum prorogare scelerum vindictam, quo plus temporis det homini ad resipiscēdum & pœnitendum; non enim vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Quod si noluerit ille à peccato desistere, inde tamen & Dei patientia, & clementia tamdiu expectantis ad pœnitentiam, & obdurata eius malitia tamdiu bonitate Dei abutentis, illustrior existit Verùm post diutinam peccatorum dissimulationem Dei, longamque vltionis dilationem, cùm peccator longanimitatem Dei vertit in maiorem peccandi licentiam, tunc demum procedit Deus ad puniendum: & sanè eò grauius, quo tardius. Verùm hæc appositis diuinæ Scripturæ sententiis illustranda sunt. *Dedit ei Deus*, inquit Iob, cap. 24. *locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam. Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent, & sicut summitates spicarum conterentur.* In lib. Sapientiæ cap. 12. scriptum est, non statim Deum nec simul vindictam scelerum effundere; sed lentè ac per partes punire, dantem locum & spatium pœnitentiæ, etiam ijs quos inflexibiles, atque emendabiles fore nouit. *Poterat eos*, ait Scriptura, *verbo tuo simul exterminare: sed partibus iudicans, dabas locum pœnitentiæ: non ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Quod si homines iam morti debitos, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia:* & cætera quæ deinceps ibi sequuntur. Exemplum huius rei habes in Pharaone & Ægyptijs, quos Deus paulatim per nouem priores plagas puniens, ad obediendum voluntati & mandato suo de dimittendis Hebræis, quasi compellere voluit; sed cum ea non solùm ad emēdationem eorum non proficerent, sed magis contumaciam & pertinaciam eorum aduersus Deum augerent; denique per vltimam plagam patere sibi coegit, & postea demersos mari deleuit. Sic exspectauit Iudæos per multos centenos annos, donec illi complerent mensuram peccatorum suorum, eaque completa tandem puniuit eos per Titum & Vespasianum, Matth. 23. 32. Sic exspectauit Chananæos & Amorrhæos à Cham patre eorum, qui fuit tempore diluuij, vsque ad Iosue, qui eos excidit, per annos octingentos. Sic exspectauit alias gentes vsque ad Nabuchodonosorem, per quem eas euertit. Sed tum indignans patientiam suam contemni, tarditatem supplicij grauitate compensat, iuxta illud veterum: *Dij laneos habent pedes, sed ferreas manus.* Sic Niniuitis à vaticinio Nahum terminum dedit centum triginta octo annorum, quibus elapsis tandem Assyriorum regnum cum vrbe metropoli Niniue euertit.

3. *Deus quare tardus in puniendis impijs, etiā inemendabilibus.*

Vnde concludo, licet Prophetæ eiusmodi interitum prædicerent, tamen præcisum tempus exidij prædicere non potuerunt, nisi diuinitus afflarentur. Vnde & Abraham, cui Deus indicauerat semen eius fore innumerabile, idemque possessurum terram Chanaan, in qua ille per id tempus vt aduena versabatur; petijt à Domino, *Vnde scire possum quod possessurus sim eam?* idque non dubitans sed modum quo id fieri posset, inquirens. Disertè id explicat D. Chrysostomus homil. 36. in Genes. *Tametsi*, inquit, *testata prius fit Scriptura Abram credidisse Deo, & id fuisse reputatum illi ad iustitiam: attamen audiens sibi denuò promitti illius terræ possessionem, modum consequēdi eam scire cupit, & ita loquitur: ij quidem quæ à te dicuntur, Domine impossibile est vt non credam: verumtamen rationem perueniendi ad effectum huius tui promissi doceri vellem, video enim me ab extrema senectute nō procul abesse, & ad hunc vsque diē in hac terra peregrinari, & quasi erronem huc illuc vagari. Quocirca non possum humana ratione comprehendere, quemadmodum hoc tuum promissum adimplendum sit. Non enim dubito de veritate aut potētia tua, vt quem sciam ex nihilo produxisse omnia; & posse quicquid velit, nec posse quidquam obsistere voluntati tuæ. Interrogo igitur, non vt incredulus; sed quia iterum mihi possessionem huius terræ nominasti, vellem equidem etiam aliquod & clarius signum accipere,* quod

4. *Prophetæ præcisum tempus alicuius prophetiæ ignorant, nisi Deo reuelante.*

quod posſit infirmas cogitationes meas ſolidare. Theodoretus porrò veram esse hanc interpretationem probat ex proximè adiuncto ſacrificio Abræ, & ſermonem quem cum eo Deus habuit, qui modum, ordinem, & tempus complendæ illius promiſſionis diſtinctè ac dilucidè oſtendit. Prædicit enim Deus fore vt poſteri Abræ per quadringentos annos peregrinentur in terra aliena; quin etiam aſpertimo ſeruitutis iugo premantur, ſed, inde mirabiliter erepti, & inſuper hoſtium ſuorum bonis ac ſpolijs locupletati veniant ad obtinendam eius terræ poſſeſſionem. Tempus autem explendi huius promiſſi fore docet poſt quadringentos annos. Itaque multò ante poſſeſſionem eius terræ deceſſurũ Abram, ſed valde annoſum, & felicem. Cauſam autem tantæ dilationis, eſſe longanimitatem Dei expectantis dum habitatores illius terræ eo vſque procedant improbitate atque impietate, vt talem, tantamque vindictam & pœnam mereantur. *Tu autem*, inquit, *ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc: nondum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* Ex quo patet Deum vrbibus, regnis, & à pari proportione impijs priuatis certum ſtatuiſſe peccatorum cumulum, ad quem, pœnam, vel vindictam differt, donec impleatur, vt illo impleto, omnia ſimul & perfectè vindicet, & caſtiget. Hoc ipſum euidenter conſtat ex verbis Pauli 1. Theſſalon. 2. qui cum pluribus argumentis oſtendiſſet zelum prædicationis ſuæ, tandem ipſorum Theſſalonicenſium exemplo, eundem confirmat: quia videlicet euangelium eius acceperunt, non vt verbum hominum; ſed Dei, eamque ob cauſam dira paſſi à Cõtribulibus: *Vos enim*, inquit, *imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in* CHRISTO IESV: *quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis: qui & Dominum occiderunt* IESVM, *& Prophetas, & nos perſecuti ſũt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos Gentibus loqui, vt ſaluæ fiant, vt impleant peccata ſua ſemper.* Noto verba poſtrema, *vt impleant peccata ſua ſemper*, quæ non finem, ſed conſecutionem ſignificant; vnde hunc habet ſenſum, Hi Iudæi continuò peccata peccatis tam parentum, quàm ſuis, maximè illis, quibus Chriſtum occiderunt, accumulant quaſi hæreditariâ improbitate, quoad impleant menſuram, quam deſignauit Deus, vt eâ impletâ, omnia eorum peccata ſimul & plenè puniat, euerſione totius gentis per Titum, & Romanos. Sic Dominus Matth. 23. quibuſdam dixit: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum*, vt ſicut illi prophetas occiderunt, ita vos me & Apoſtolos occidatis, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barrachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Porrò terminum illum nemo mortalium naturaliter videre poteſt. Apoſtolus autem loc. cit. quia ex vaticinio Chriſti euerſionem vrbis Hieruſalem non ita multò poſt euenturam ſciebat, addit: *Peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem.* Quaſi dicat: Decretum Dei de vlciſcẽdo peccata Iudæorum, iam occupauit eos, eiuſque executio breui præueniet eos inopinatos, nihil ſcilicet tale expectantes, vt cùm ex toto orbe tempore Paſchatis Ieroſolymam Iudæi confluent, tũc ſubitò à Tito in ea concludantur, obſideantur, ac penitus deleantur; vti contigiſſe narrat Ioſephus, Græcum enim φθάνειν ſignificat aliquid ſubitum, & inexpectatum, quod metum & ſpem, cogitationemque hominis præuenit, ac præuertit.

Menſura peccantibus à Deo ſtatuta, vt eâ adimpletâ regna & Reſp. pereant.

Prophetæ Nahum quantumuis illuminatus à Deo, præciſum tempus excidij Niniues non præſciuit. Aliquando enim prophetiæ ſpiritus animum prophetantis ex futuro tangit pro parte, & pro parte non tangit: & quod vni non reuelauit Deus, alteri aperit. Sic quod celauit Nahum, reuelauit Tobiæ, qui non niſi ex prophetico ſpiritu interitum Niniues ſtatim à morte vxoris futurum aſſerere potuit. Nullus enim naturaliter præuidere ac præloqui poteſt futura, quæ à Dei ſententia, ac hominum arbitrio pendent. Adeoque diuina virtute vidit peccata Niniuitarum ad eum ſtatum peruenisse, vt Dei vindictam breui experirentur. Vnde Propheta fuit non ſolum quia prædixit breui futura, ſed quia prodidit occulta, nempe peccata Niniuitarum ad ſummum peruenisse; ita vt iuſtitia Dei neceſſario procederet ad vindictam. Inter triplicem modum prophetiæ ponit ſanctus Gregorius hom. 1. in Ezech. prodere occulta. *Sic*, inquit, *Giezi longè à Propheta receſſerat, cùm Naaman Syri munera percipiebat; cui tamen Propheta dicebat: Nonne cor meum in præſenti erat quãdo reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tibi?* 4. Reg. 5. Sic Ioannes Baptiſta Propheta fuit, quia Chriſtum incognitum mundo oſtendit dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi*, Ioan. 1. Sic Achias cæcus prophetauit, cùm vxorem Ieroboam aliam ſe eſſe ſimulantem ex Dei inſpiratione agnouit, dixitque: *Ingredere vxor Ieroboam, quare aliam te eſſe ſimulas? ego autem miſſus ſum ad te durum nuntium* 3. Reg. 14. Sic Elizabeth per prophetiæ ſpiritum, verbum in B. Mariæ vtero incarnatum agnouit, dum ei dixit: *Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me*: Luc. 1. Æqualis enim difficultatis & potentiæ ac ſapientiæ eſt, reuelare occulta, v. g. arcanas hominum cogitationes, ac prædicere futura: ad vtrumque enim lumen ſpiri-

Tobias duplicitèr fuit Propheta.

ſpirituale & ſuper naturale ac diuinum, puta reuelatio Dei, requiritur, vti docet S. Thomas 2. 2. q. 171. art. 3. Idem docet S. Chryſoſtomus proœmio in Pſal. tom. 1. *Vniuerſum*, ait, *prophetia genus tripliciter, diuiditur, in futurum, præſens, & præteritum. Quoniam prophetia eſt, eius quod eſt occultum, inuentio: vt à Petro factum eſt, qui furtum Ananiæ & Sapphiræ detexit*, Act. 5. Talis & fuit Tobias noſter, qui detexit ſtatum iniquum Niniuitarum.

6. Sed meritò quæres, quatenus extra prophetiæ ſpiritum colligi queat probabiliter alicui gẽti excidium imminere? Aperiam tibi candidè, quidquid ſacra pagina ſuggerit, ex cuius ſerie facilè colliges quod quæris. Tunc autem iniquitas finem dabit alicui Genti aut vrbi, cùm in eo viget graue aliquod peccatum: nec illud eſt paucorum, ſed adeò totiùs gentis commune, vt vix vnus & alter eius peccati expers reperiatur. Talis fuit gens illa Sodomorum; quorum excidio parciturum ſe Deus promiſit Abræ, Gen. 18. ſi vel decem homines iuſti eſſent in ea gente: & caput 19. narrat Moyſes, cum Loth duos Angelos iuuenili hominis forma & ætate hoſpitio accepiſſet: vniuerſum populum Sodomorum, à puero vſque ad ſenem, concurriſſe ſimul ad ædes Loth, dari ſibi iuuenes illos vehementer flagitantem, & compellentem.

Dantur cauſa, cur Deus puniat in hac vita alicuius gẽtis peccata

Prima. Quando fere omnes alicuius peccati grauis ſunt.

7. Secunda cauſa eſt quando improbitas & impietas alicuius gentis eouſque procedit, vt ſit admodum exitialis humanæ ſocietati, ipſam hominum communitatem, ac ſocietatem peruertens ac deſtruens. Humana verò ſocietas tribus maximè rebus & initio coaleſcit, & deinceps continetur atque conſeruatur, videlicet religione & pietate in Deum, ſecundò æquitate & iuſtitia, tertiò recta viuendi diſciplina, & bona morum conſeruatione. Quam ſi diſſoluant atheiſmus, idololatria, vel hæreſis, mirum dictu quantum iram Dei prouocent, eiuſque vindictam contra ſe accelerent. Chananæi inter alia ſcelera ob idololatriam è ſedibus ſuis expulſi ſunt, ita ut terra illos euomeret, vti inſinuat Dominus Leuit. 18. cùm prohibet Iudæis inſtar Chananæorum ſemen ſuum offerre Moloch ne ſimiliter intereant, *Cauete*, inquit, *ne & vos ſimiliter euomat terra, cùm paria fecerit is, ſicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos.* Hoc tropo ſignificat Scriptura enormitatem criminis, quod ſcilicet ipſæ creaturæ irrationales ſuo creatori ſemper obedientes, & pro illo pugnantes deteſtentur peccatores tales, eoſque terra quaſi enomat, cum illi expelluntur ab ea: deteſtentur, inquam, deteſtatione & appetitu naturali, quo in ordinem ſuum, totiuſque vniuerſi, ac Dei voluntatem adimplendam feruntur, atque auerſantur ea quæ ſunt his contraria; idem factura appetitu rationali, ſi eum haberent. Cùm Iudæi, relicto Dei cultu, ad idola more aliarum gentium ſeſe nihilominus conuerterunt, grauiter à Deo fuerunt afflicti, & in poteſtatem hoſtium ac ſeruitutem traditi, vt patet Iudic. 3. vbi propterea leguntur traditi in manus Chuſan Regis Meſopotamiæ, cui ſeruierunt octo annis. Monitu virorum ſanctorum intelligentes grauem illam admodum oppreſſionem ideò inflictam ad pœnitentiam conuerſi, ab eius iugo liberantur ab Othoniele. Quo mortuo ad idola rurſum redeuntes vehementer affliguntur annis octodecim ab Eglon Rege Moab, Amonitis & Amilechitis. Et ſic ſepties ſeruitutem experti ſunt, ad idola poſt pœnitentiam redeuntes Salomon 3. Reg. 11. ſe idolorum cultui in gratiam mulierum mancipauit: in vltionem tanti ſceleris Deus ſtatim ipſo mortuo ſcidit regnum in tres, decem tribus ad Ieroboam tanſl tis, & duabus tantum filio Salomonis Roboamo relictis, ſicut Salomoni ante mortem fuerat minatus: *Quia habuiſti hoc apud te*, inquit Dominus, *& non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo.*

Secunda. Dum turbantur ob peccata humana ſocietas. Tribus rebus conſeruatur Reſpublica, & quibus?

Idololatria ſummum exitium eſt alicuius gentis, vti aliena à Dei religione omnis.

Terra enomuit Chananæos quomodo?

Ieroboam ex humili ſtatu euectus ad regnum, religionem ſeruire fecit politiæ, & talem fidem ac religionem amplexus eſt, qualem regno retinendo putaret congruam. Itaque cùm metueret, ne ſi populus ſacrificij cauſa ter adiret templum Domini in Ieruſalem iuxta legem, ſenſim conuerteretur ad Roboam Regem Iuda, & ipſe regnum amitteret, aſtutum in ſpeciem excogitauit conſilium quo hoc impediret, formatis & in Deũ erectis duobus vitulis aureis, & excitatis phanis in Dan & Bethel, addito edicto, quo iuberetur populus non adire Ieruſalem, ſed in Dan & Bethel illis idolis ſacrificare. Videbatur hoc conſilium ad ſtatum politicum tuendum ſalutare; ſed reuera nihil ad illum labefactandum, & funditus ſubuertendum excogitari poterat accommodatius. Nam propter hanc cauſam venit ad illum Propheta Domini, qui minaci vaticinio facta nefanda, ſolemnitatemque turbauit, & ne propheticis minis videretur abfuiſſe pondus, quòd à Propheta fuerat prædictum, non dubijs ſignis confirmauit Deus. Nam diſturbatum eſt altare, & arefacta manus, quam rex furoris impatiens aduerſus Prophetam eleuarat, vti videre eſt 3. Reg. 13. vbi vltimò additur: *Propter hanc cauſam peccauit Domus Ieroboam, & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.* Propter eius peccatum Deus præcipuè miſit Prophetas ſuos quaſi antagoniſtas, vt idololatriam tollerent, plebem ad auitam religionem reuocarent: ni pareant, Aſſyriacam, & magis Babylonicam captiuitatem denuncia-

rent,

rent, atque Babylonijs contra Iudæos classicum canerent. Hoc est quod ait S. Chrysostomus in cap. 8. Isaiæ: *Prophetia est medicamentum à Dei clementia confectum, delinquentes erudiens expræscientia panarum, vt earum experientiam pœnitendo euaderent.*

8. Oseæ 5. Cùm Principes Iuda ad idola non solum Iudææ, sed aliarum Gentium confluerent, inquit Dominus: *Facti sunt Principes Iuda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam.* Id est, Quia Principes Iuda, quos cautos facere debuisset vicinorum extrema calamitas, sic expressere Israelitarum mores, quasi illorum assumpsissent terminos, & ijsdem, atque illi, legibus ac finibus vixissent: ideo in illos quoque sic furorem effundam, vt cum torrente, qui præceps, atque copiosè ruit, comparari possit: seu, Principes Iuda similes sunt raptoribus, qui terminos suos transferunt, vt alienos inuadant. Pari enim modo ipsi terminos fidei & cultus mei, meæque Ecclesiæ transferunt, voluntque sibi adiungere, & copulare Deos Gentium, eorumque cultus, templa & aras, ipsasque Gentes & Synagogam infidelium, ita Theoph. Theodoret. & Theodorus Antiochenus, qui ait: *Transferunt terminos meos & iura, honorem qui mihi debetur in idola transferentes, more eorum qui contra ius alienos terminos transferunt.* Hoc enim exigit vox *quasi*: hæc enim significat eos non esse propriè translatores terminorum, sed tantùm illis esse similes. Vnde conuenienter sic hunc locum explicat Ribera. *Principes Iuda, qui religiosiores, & cautores esse debebant, ita idolorum colendorum amore incensi sunt, vt more eorum, qui terminos transferunt, non contenti fuerint adorare ea in Galgalis, & aliis ditionis suæ locis, sed etiam ad alienos terminos transierint, & in Bethauen quoque ascenderint vrbem decem tribuum.* Adde & in Assyriam, vt earum idola colerent, templaque & aras victimis suis implerent; imò vt idola hæc ex Assyria traducerent in Iudæam, vti fecit Achaz 4 Reg. 16. vers. 10. & 18. Hunc sensum exposcunt sequentia sequitur enim: *Quoniam capit abire post sordes*, id est, idola. Et clarius vers. 13. *Et abijt Ephraim ad Assur, & misit ad regem vltorem.* Iudæi enim, æquè ac Israelitæ pressi ab hostibus, ad vicinas gentes, opem postulantes, confugiebant; vtque eam impetrarent, eis in fide & religione se sociabãt, eorumque idola colebant, imò transferebant in Iudæam: vnde hoc passim redarguit Ieremias, Ezechiel, Oseæ loco citato, alijque Prophetæ. Hac de causa vulgatus vertit, non *transferentes*, sed *assumentes terminum*: quia idola hæc Gentium assumebant sibi Iudæi quasi Deum suum tutorem & terminalem, qualis Romanis erat Deus *Terminus*. Et propterea subiungit Dominus: *Super eos effundam quasi aquam iram meam.* Quem locum sic interpretantur Hieronymus, Theodorus, & Theodoret. & Theophyl. & Ruffin. Sic iruam super ipsos, velut aqua impetuosa, & veluti torrens multis imbribus, & niue exasperatus, cumque vehementi impetu sese volutans. Ego ita etiam interpretor, vt metaphora ducatur ab aqua, quæ è vase effunditur. Si enim oleum, aut mel, aut simile quippiam effundas, non omninò effundis, quia aliquid restat in vase, & hæret, ac aqua omninò effunditur Deuteron. 12. *Comedes absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram, sicut aquam effundes*, id est, ita vt ne gutta quidem maneat. Et cap. 15. *Hoc solum obseruabis, vt sanguinem eorum non comedas, sed effundas in terram, quasi aquam.* Hinc Dominus quæritur Psal. 21. *Effusus sum sicut aqua*, id est, totum meum sanguinem effuderunt. Et Iacob Genes. 49. *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*, id est, totus in libidinem effusus es, totas libidini habenàs laxasti. Hieronymus in Tradit. in Gen. *Peccasti & sicut aqua qua vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu*, &c. Significat igitur vehemens supplicium, ac si dicat: Effundam iram meam, ita vt nihil ex ea in me remanear, sed tota feretur in vindictam.

Apud eundem Prophetam Oseam cap. 9. Deus ijs qui Hieroboamo obsecuti sunt, dispersionem in varias, dissitasque regiones denunciat: & ibi apud eos sordes, & interitum, à quibus in rebus angustis omne sibi subsidium promittebant. Causam deinde sordidi illius status, & vexationis eam esse dicit, quod adeò se in omnẽ intemperãtiam, & peccandi licentiam proiecere, vt multiplici scelerum profunditate cum Gaabitis Sodomaisque comparari possint, & quod cùm ipse tam fuerit in ipsos, eorumque parentes animo liberali, atque amanti, ipsi relictâ patriâ religione, ad inania fædaque simulachra deflexerint. Tandem sterilitatem, & orbitatem à liberis minatur, exilium longum, & nullum in nationibus domicilium stabile.

9. *Niniuitæ partim excisi ob idololatriam.* Sic quoque Niniuitis inter alia ob idololatriam excidium interminatum, Nahum cap. 3. quod & postea euenit. Et vt verbo dicam cùm Reges Israel & eorum populus nullum finem facerent idola colendi, spoliati sunt regno, vribibus, domicilijs, agris, possessionibus, libertate, & in perpetuam seruitutem redacti, & translati in Assyriam. Reges Iuda & populus eorum, quotiescumque ad idololatriam deflexerunt, varijs bellis & calamitatibus attriti sunt. Idem causat atheismus, idem hæresis, quæ in locum idololatriæ successit, & in atheismum ordinatiè desinit quemadmodum in Belgio & Germa-

nia

nia hoc & præcedenti ſæculo ipſa experientia,& euentus bellorum tragicorum abundè docuit.

10. *Iniuſtitia & iniquitas adfert exitium alicui regno.*

Porrò ſi contingat iuſtitiam & æquitatem, ſecundum humanæ ſocietatis vinculum, diſſolui per frequentes & immodicas bonorum rapinas, tyrannicas oppreſſiones, aliumque iniuſtitiæ modũ; extrema mala ob eam cauſam ſtatim comminantur Prophetæ quæ euentus ſæpè docuit non fruſtra intentata. Sic Ægyptij fatalem & horribilem vitæ periodum habuerunt,etiam aliquali compenſatione facta de fraudatis, ſicut videre eſt Exod.14.& 15.Iſaias Vates cap. 1. excidium minatur Iſraelitis inter alia ob iniuſtitiam: *Terra*, inquit, *veſtra deſerta,ciuitates veſtræ ſuccenſæ igne, regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili.* Quem locum alicubi explicuimus. Et cap.47. Babylonis excidium prædicit ob crudelitatem in Iudæos. *Sede*,inquit,*tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum:quia non vocaberis vltra domina regnorum*,id eſt, Sedebis, ô Babylon, Chaldæorum operâ, atque impendijs aucta, è tuo deturbata ſolio; neque hiſcere audebis præ confuſione ſub maiori dominatu. Tenebras amabis pudibunda, in eiſque ætatem ſordidam,& ignobilem perpetuò deges. Neque vllo iam tempore te quiſquam regnorum, Regumque dominam compellabit: Cauſam mox addit: *Iratus ſum*,inquit, *ſuper populum meum, contaminaui hereditatem meam, & dedi eos in manu tua. Non poſuiſti eis miſericordiam: Super ſenem aggrauaſti iugum tuum valde. Et dixiſti;in ſempiternum ero domina: Non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, neque recordata es noniſſimi tui. Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter,quæ dicis in corde tuo: Ego ſum,& non eſt præter me amplius: Non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem.* Quaſi dicat: Dignas planè pendis meritis pœnas; cùm enim ego populo meo ſuccenſerem, & à contaminato vellem pœnas exigere, eum tuæ potentiæ tradidi, non perdendum, ſed à contractis ſordibus expiandum. Tu verò illius vſque adeò miſerta non es, vt neque à ſenili ætate manus abſtinueris violentas, & duras.Graue etenim iugum incuruis à ſenectute ceruicibus impoſuiſti. Et dixiſti apud te, heu nimium tuis votis aſſentata: Nulla vis, aut tempus efficiet, quominus in æternum regnem. De his autem quæ à me de rerum tuarum viciſſitudine audis, nihil in mentem venit; neque quis eſſe poſſet extremus rerum tuarum exitus, recordata es.

11, Oſeæ ca.5.minatur Deus principibus populi,effundere in ipſos iram ſuã,idque iuxta Hieronymi ſententiam: quia cùm dolere debuiſſent cognatarum ſibi tribuum interitum, & illarum periculo doceri, quod ſibi deinceps inſtituendum viuẽdi genus, tamen eò magis illorum ſtudium ferebatur, vt relictos aliorum terminos occuparent, & ex aliorum incommodis captarent lucra, & fines amplificarent antiquos. Quæ Hieronymi ſententia ex eo confirmari poteſt; quia Deus antea ſeuerè præceperat, ne quis aut poſſeſſionis ſuæ ſigna reuelaret, aut in alienam poſſeſſionem irrumperet. Deuteron. ca. 19. verſ. 14. *Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua, quam Dominus Deus dabit tibi in terra, quam acceperis poſſidendam.* Et ibid. cap.27.17. *Maledictus qui tranſit terminos proximi ſui; & dicet omnis populus: Amen.* Hoc verò ſtudium fines amplificandi grauiter reprehendit Dominus Iſaiæ cap.5.verſ.8. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci.* Hic autem dicit: *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam* Quaſi dicat:Principes Iuda transferunt terminos agrorum, & alienos agros inuadunt, ſuiſque contra fas & ius adijciunt. Transferre autem terminum, id eſt, lapidem, ſtipitem, vel columnam terminalem(quo agri proprij limitantur, & ab alienis diuiduntur)ſcilicet ad hoc, vt eos,vel eorum partem ſuis agris & fundis adiungant: quod eſt peccatum iniuſtitiæ, & furti, vetitum lege Dei, Deuteron. loc. cit. Solebant enim veteres vel lapide in terrã defoſſo, vti etiamnum fit,vel erectà columnâ, aut titulo fundos ſuos limitare, vt conſtaret quouſque eorum fundus porrigeretur, ne ab alio inuadi aut occupari poſſet.Hic lapis, limes,& ſignũ diuidens agrum ab agro, vocabatur terminus.Hinc Terminus Gentilibus erat Deus,in cuius tutela credebant eſſe fines agrorum, cuius feſta dicebantur Terminalia. Quia verò hunc terminum confundere ſatagebant, Deus extrema minatus eſt principibus populi, vti ſuperius explicatum eſt. Cap. verò 12. eiuſdem vatis dura audit populus propter iniuſtitiam:Amos 2.& 8.audit imminere exitium propter fraudes & iniquitatem per vncinum pomorum,quem vidit Propheta. Vide Diſcurſ.7. in VII.Præcep.num.9. Vbi latè de hac re. Niniuitæ autem exciſi ſunt, quod ciuitas eorum metropolis eſſet cubile leonum, id eſt, tyrannorum & prædonum, vt videre eſt Nahum cap.2.verſ.11. *Vbi*,inquit,*eſt habitaculum leonum,& paſcua catulorum leonum, ad quam iuit leo vt ingrederetur illuc,catulus leonis, & non eſt qui exterreat? Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, & necauit leænis ſuis: & implenit præda ſpeluncas ſuas,& cubile ſuum rapina.* Quaſi diceret:In te,ô Niniue, ſunt luſtra illa, atque habitacula leonum,ad quę magnam vndecumque terrarum prædam comportabant: Vbi illa paſcua omni ex parte pinguiſſima, quæ leun-

Agrorum ſines non mutandi.

Iniuſtitia etiam cauſa fuit ruinæ Niniues.

leunculorum rabiem ad ſatietatem vſque, & vomitum explebant. Ad quæ ſic leo prædator maximus, & illius catuli ſic ingrediebantur, vt nullus illos timor aut pudor arceret. Sed audi: *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & ſuccendam vſque ad fumum quadrigas tuas, & leũculos tuos comedet gladius, & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur vltra vox nunciorum tuorum.* Id eſt, Iam verò, ô leo truculente, & ferox, non tibi cum infirma, ac timida plebecula futura res eſt: ſed mecum, qui ideò Deus exercituum appellor, quia in manu mea omnium exercituum vis eſt, & fortunatus exitus. Quare quadrigas tuas, in quibus præcipuum ſpectatur militiæ robur, ſic incendio tradam, vt in fumos abeant: leunculos, quos ex aliena præda tam delicatè, ac molliter alueras, ferrum conficiet. Et omnem prædam, quam tanto ſtudio, ardoreque collegeras, ad aliorum vſum, & regionem traducam. Neque audietur amplius vox ſuperba, atque impia, quam per nuntios tuos in Iudæa reſonare feciſti: Cumque vaticinaretur Propheta Nahum obſidionem & excidium Niniues per Medos & Chaldæos, eorum arma, caſtra & milites feroces, celeres, & terribiles inſtar fulguris, graphicè deſcribit.

11. *Promiſcua & inde ſtatis in populo luxuria patris grauiſſima mala.*

Venio ad tertium humanæ ſocietatis vinculum poſitum in recta viuendi diſciplina, & rationabili quadam morum inſtitutione, & compoſitione; quam ſi diſſoluant promiſcuæ & indifferentes virorum atque mulierum coniunctiones, nulla diſtinctione ac reſpectu cognationis vel affinitatis: vt patris & filiæ, filij & matris, fratris & ſororis: & quod multo deteſtabilius eſt, nefandæ commixtiones marium cum maribus, & hominum cum iumentis; mirum dictu, quam grauia ob hanc cauſam Deus infligat tormenta. Ob hanc enim Deus omne genus hominum & animalium, paucis exceptis, generali aquarum cluuione deleuit, propter effuſam & enormem in omni libidinis genere intemperantiam, immanemque crudelitatem. Sodomitarum, tota regio, & gens Pentapolitana propter hoc ſcelus nefandum, miſſo celitus igne deflagrauit penitus. Hoc vitium cõpleuit iniquitatem Chananæorum, vt propterea puniti ſint à Deo, & eiecti de terra ſua, Leuit. 18. Amos 2. iuſtitia Dei pergit ad vindictam, inter alia crimina, ob illud, quod filius ac pater iuerint ad eandem puellam, vt violarent nomen Dei. Vide plura in hanc rem Diſcurſu 2. in VI. Præcep. n. 3. 4. 5. ad quem Lectorem remitto breuitatis cauſa.

13. Oſeas Propheta hæc omnia ſimul videtur complexus, cùm cap. 4. graues intorquet minas contra decem tribus, eiuſque cauſas aſſignat varia peccata: *Audite*, inquit, *verbum Domini filij Iſrael, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra, Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Sed quid? *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in beſtia agri, & in volucre cæli: ſed & piſces maris congregabuntur*, quaſi dicat. O filij Iſrael, in quorum nomine meum etiam nomen eſſe volui, aures aduertite: quia grauis eſt mihi cum terræ veſtræ habitatoribus diſceptatio. Et cur amplius iudicij huius ſuſpendam, aut temperem grauitatem ac ſeueritatem? cùm clament pro veritate iam omninò ſublata, mendacium & dolus: cùm auaritia, atque crudelitas miſericordiam relegarit è populo, neque vlla ſit ſæuitia, quæ homines nimirum, aut genio, aut voluptati deditos, aut ad ſtudium pietatis impellat, aut deterreat paululum à peccando. Imò ſunt peccata, quæ à carne, & ſanguine naſcuntur, vſque adeò frequentia, vt nullum ſit tempus, nullus locus, tam abditus, tam publicus, tam religioſus, & ſacer, quem non inundet, atque contaminet illorum immenſa, & nunquam intermiſſa proluuies. Propter hoc habebit populus grauem lugendi cauſam, cum omni pecore, atque armento, atque adeò omni cæli volucre cõmunem: quia regio illa, quæ omnibus ad victum, & humanos vſus commodis abundabat, deficiente pluuia, ſic areſcat, vt non homines ſolum, ſed etiam volucres, ac pecora deficiant. Quæ etiam calamitas ad piſces quoque maris Tiberiadis pertinebit, in quo ipſi quoque, aut corruptis, aut deficientibus aquis extinguentur. Enucleet hæc fidelis Chriſtianus, & comperiet quanta neceſſitas vrgeat ab ijſdem cauere.

14. *1. Dum gloriantur in ſuis pecc.*

Tertia cauſa, quæ finem ſolet genti alicui inferre, eſt fædiſſima omnis generis ſuperſtitio. De qua vide Iſaiam c. 47. & Diſc. 67. in I. Præcept. nu. 5. & 4. Reg. 1. exemplum Regis Ochoziæ.

Quartam ſubiungo cauſam, cùm grauiſſima peccata non modò non ſunt pudenda, aut occultè fiunt, ſed inuerecundè publicantur, & de ijs tanquam de præclaris facinoribus miſeri gloriantur: &, ſicut ait Scriptura: *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*, Prouerb. 2. Propter hoc Iudæis Iſaias ſuprema minatur mala: *Peccatum*, inquit, *ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt: væ animæ eorum, quoniam retributa ſunt eis mala*, quaſi dicat. Receperunt pœnas, quas exigebant peccata, quæ ipſi apertè procaci vultu, externoque corporis habitu præ ſe ferebant. Neque contenti, ab hominum oculis ſuam intemperantiam remouiſſe, vſque adeò frontem perfricuere, vt ſicut Sodomæi flagitia *Iſa 3.*

publica euulgauerint, prædicauerintque, quasi laudi sibi esse duxerint diutissimè, atque grauissimè peccasse. Væ igitur illis, quia pro peccatorum suorum meritis pœnas exoluerunt.

15. 5. *Dum consuetudo peccandi alicuius gentis inducit difficultatem emendandi.*

Quintam denique addo cum gentis alicuius peccata diu multumque vsitata & inueterata, fiunt planè in emendabilia, nullaque amplius remedia & curationem admittunt. Quam ob causam de populis Chananæorum, siue Ægyptiorum in lib Sapientiæ cap.12. scriptum est, naturalem fuisse eorum malitiam, atque immutabilem in perpetuum. Nam quia longa consuetudo euadit, quodammodo in naturam, peccata etiam diu multumque inueterata & consueta, quasi naturalia efficiuntur: *Naturam* autem *expellas furcâ*, vt ille dixit, *tamen ipsa redibit*. Ob eãdem causam de Iudæis dixit Ieremias ca. 13. *Si mutare potest Athiops pellem suam, & Pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cũ didiceritis malum.* Quasi dicat. Sicut hoc est impossibile per naturam; ita istud est valde difficile, quia tua (inquit S. Hieron.) ô Iuda, peccandi consuetudo, quasi versa est in naturam; non quòd benè agere tibi sit omninò impossibile, sed quod sit difficile: in hoc enim tantum est similitudo, non in priori: quia nigredo in æthiope, & varietas in pardo, est naturalis, ideoque immutabilis; peccatum autem in homine non est naturale, sed voluntarium & liberum: semper enim manet in homine etiam sceleratissimo libertas arbitrij ad bonum & malum. Similis fere locus est Ierem.17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum*, quasi dicat: Peccatum Iudæ, puta idololatria, est indelebile, & irremissibile, estque indelebiliter exaratum in conscientia eorum, id est, vix deleri potest.

SECTIO XII.

Quænam ex hisce versibus, 12. & 13. vlterius documenta resultent.

1. ROMATA quo magis premuntur & contunduntur, vigorem suum amplius produnt. Eodem modo se res habet cum S. Scriptura; quo enim magis discutitur, & enucleatur, tanto plura edit documenta. Tobias senior hisce verbis ostendit se verum Prophetam, futura prænuncians, & occulta pandens: verum dum eosdem premo plura resultant documenta: & primum quidem coniugalis concordiæ inter ipsum & vxorem certissimum argumentum. Peccauerat aliquando Anna vxor eius, dum capit. 2. eius

2. 1. *Documentum.*

patientiam in plaga cæcitatis non ferret; quid spes in Deum, quid eleemosynæ illi profeciissent, audacter interrogaret; lachrymans cum gemitu ad Deum recurrit, vtque domum à maiori plaga eximeret, deuotus exorat. Ne autem putaret aliquis id non factum ex charitate, sed ex impatientia & fastidio vxoris, ille ostendere volens se non personam, sed peccatum in ea tantum odisse, Deum deprecatus, ne familia, propterea aliquod damnum pateretur cap. 3. mox cap. 4. existimans se morituum, monet filium, vt honorem habeat matri omnibus diebus vitæ suæ, eamque iuxta veterum morem post mortem iuxta se in vno condat sepulchro. Et eo non contentus, cùm hoc loco signum designaret Niniues breui perituræ, inquit: *Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in vno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros vt exeatis hinc: Video enim quia iniquitas finem dabit ei.* Quare non aliter tempus illud definiuit? Credo id factum, vt rursum concordiæ coniugalis daret filio & nepotibus argumentum, quod scirent eam ipsi cordi fuisse; vt inter coniuges illa seruaretur, initio mundi ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem. vt inter illos duos orbis principes firmior esset charitas, quam ipsa natura conciliasset. Hinc non ex alia materia Euam quàm ex costa viri coaugmentauit, vti significat Theodor. quæst. 63. in Genes. *Voluit*, inquit, *Deus ex vno viro, & vna muliere subsistere vniuersa hominum gentes, vt in concordiam coirent tanquam ex vnâ radice florentes.* Vxorem Loth, quam retrospicientem Dominus conuertit in statuam salis, ab incendio seruauit ob iusti viri contubernium, vt obseruat Auctor de Mirabilibus S. Script. lib. 1. cap. 11. apud Augustinum; idque vt ostendat, quanti faciat coniugalem nexum. Leuites ille, qui Iud. 19. vt magis malum caueret, exhibuerat hominibus libidinosis vxorem suam, vt in ea potius quàm in viro libidinem suam explerent. Quàm cum manè egredi volens comperit ante ostiũ mortuam. Tulit in domum suam, arripuitque gladium, & cadauer vxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel, vt videlicet iniuriam vxori factam significaret, ac vltionem peteret à primoribus, & senatoribus cuiusque tribus, ad quas frusta miserat. Rem sic narrat S. Athanasius Epist. ad Orthodoxos, quamuis in alium finem, vt ostenderet atrocissimas iniurias, quibus se Catholicosque Alexandrinos affecissent hæretici: *Vir*, inquit, *Leuita iniuriam in vxore passus, vimq; eius indignitatis secum reputans* (mulier enim Hebræa erat, & ex stirpe Iudæ) *tantisq; contume-*

Amor coniugalis Deo gratissimus.

his attonitus, quemadmodum diuina Iudicum Scriptura denunciat, vxoris corpus diuisum in partes ad omnes Israeliticas tribus misit, vt iniuria non ad se solum, sed ad omnes aquè pertinere crederetur, ritq; vel vicem eius dolentes, vindices se praberent, vel negligentes, eius sceleris pudore suffunderentur. Nuncij autem rem, vt gesta erat, enarrarunt: illi autem qui visu auditúq; id cognouissent, in hac verba proruperunt: Nunquam tale quid ex quo filij Israel ex AEgypto ascenderunt accidisse. Concitata igitur sunt vniuersæ tribus Israel, omnesq; quasi id peculiariter passi essent, in vnum coiere. In summa debellati sunt qui hoc scelus perpetrauerunt: non enim ad generis coniunctionem, qui in bellum coiere, sed ad facinus respexere. Quæ omnia sic commemorantur, vt vnicuique constaret coniugalis fides & amor, atque concordia Leuitis, qui post mortem publicè voluit punitum, quod in vxorem enorme fuerat peccatum. Dominus Matth. 10. dicens se venisse non pacem mittere, sed gladium, & *separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam*, de vxore non facit mentionem. Quod animaduertens Rupertus lib. 5. de Opere Spiritus Sancti lib. 1. de Conf. cap. 21. *Notandum*, inquit, *quod cùm cæteras affinitates dixerit, filium aduersus patrem, & filiam aduersus matrem, & nurum aduersus socrum, non dixerit virum aduersus vxorem, siue vxorem aduersus virum, ne videlicet Euangelica puritas occasionem adulterij dare videretur.*

3. *Vxoris imperfectio viro moderatè ferenda.*

Altera ratio mihi videtur, cur Tobias hic rursum faciat mentionem sepeliendi vxorem in vno sepulchro, fuisse, vt ostenderet lachrymas & preces, quas ad Deum fuderat, cum gemitu, & displicentiam, quam in facto vxoris ostenderat, fuisse charitatis, non prauæ voluntatis; illiique, si tale quid inter vxores & ipsos eueniret, non statim ad iurgia, aliaque indecentia recurrerent, sed potiùs veteres Patres imitarentur, qui vxores suas prudenter in tali casu monuerunt: Cùm Sara vxor Abræ deponeret querelam apud maritum de Agar ancilla sua superbiente ob conceptam prolem, eamque vellet ab eo castigari, modestè ei dixit: *Ecce ancilla tua in manu tua est.* Non dicebat ipse, tu mihi dedisti illam in vxorem, sed ancillam tuam tu ipsa tracta pro meritis: fortitui est, non mei. Pulchrè in hanc rem Chrysostom. loc. cit. *Perpende mihi iustos illos veteres. Ipsa Sara Patriarcha iusserat accipere Agar, ipsa imperauerat, ipsa coegerat: neque accessisset ad eam vir, sed maluisset nunquam fieri pater, quam contristare vxorem, quamquam multum temporis iam sine prole protraxerat: verumtamen post illa omnia quid dicit Sara; Iudicet Deus, inquit, inter te & me. Iam si istud cuiquam alteri contigisset, an non ad iram permotus fuisset? An non manus in eã extendisset, non tãtum dicens: Quid dicis? Ego nolebam congredi mulieri. Tuum est totum istud institutum, & iam me accusas? Verũ nihil tale dixit Abraham. Sed quid? Ecce, inquit, ancilla est in manibus tuis, vtere eâ quemadmodum tibi placuerit; sociam lecti tradidit, ne contristaret Saram. Quanquam nihil hac re ad benevolentia rationem magis facit. Si enim mensæ participem esse etiam latronibus vnanimitatem erga aduersarios conciliat, & Psaltes dicit: Qui simul mecum suauiter epulabatur, vnam fieri carnem (istuc enim lecti consortem esse) multò magis in vnum contrahere conciliareq; potest. Verùm nihil tale potuit illum constringere, quin tradiderit vxori ancillam, ostendens nihil sua causa hac in re commissum esse: & quod sanè maius est, prægnantem etiam dimisit. Quis non misertus fuisset eius, quæ ex se concepto puero iam prægnans esset? Sed nihil flexus est hic iustus. Dilectionem enim quam habebat ad vxorem prætulit omnibus.*

Dissidium aliquando fuit inter Iob eiusque vxorem. Illa ad blasphemiam illum vrgebat, ille ex charitate illam reprehendens, dixit; *Tanquam vna ex stultis mulieribus locuta es.* Hoc, inquit, stultorum est gentilium, Deos suos blasphemare, & maledicta euomere. nos fideles sumus, & bona & mala à Dei manu benignè & æquanimiter suscipere debemus. Tobias senior audit ab Anna vxore sua horrendam blasphemiam, *Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tua modò apparuerunt*, aliaque quæ Scriptura silet, idque quia verebatur, ne hædus, quem attulerat domum; furto ab ea esset surreptus; abstinuit à reprehensione quod infrugiferam crederet, correptionem vxori ira turgidæ, adde, & ad Deũ recurrit, suisq; & parentũ peccatis ascribit mala quæ euenerant, Dei iustitiã prædicat, cùm gemitu & lachrymis malum à domo sua arcere satagit ex amore erga Deum, ipsamq; vxorem. Vt autem id palam esset, filijque intelligerent nullam amaritudinem erga vxorem fouisse, designat interitum Niniues futurum post sepulturam vxoris iuxta ipsum in eodem tumulo.

5. *Reprehenduntur qui putant impossibile cum vxore non posse piè viuere.*

Audiant hoc illi, qui existimant cum prava vxore impossibile salutem operari. Disertè Chrysostomus hom. 4. de verbis Isaiæ. *Vidi Dominum*, &c. *Quoties*, inquit, *cum quibusdam de vulgo disserimus dicẽtes, Cur non rectè viuis? Quamobrem non præstas mores absolutos? Qui possum, inquiunt, nisi diuertam ab vxore, nisi valedixero liberis, nisi valere iussero negotia? Quam ob rem? Num obstat matrimonium? Adiutrix tibi data est vxor, non insidiatrix. An non habebat vxorem Propheta? Neque tamen spiritus gratiæ obstabat coniugium, sed cum vxore conuictum habebat, & erat nihilominus Propheta, Moyses nomine vxorem habebat, Et tamẽ is petram dirupit, aerem immutauit, cum Deo colloquebatur, diuinam iram cohibuit. Abraham nonne habebat vxorem? Et tamen pater factus est gentium & Ecclesiæ. Sustulit enim filium Isaac. Et hic illis fuit egregiorum facinorum materia? Nonne obtulit filium*

lium cuiusq; fructum? &c. Deinde adfert exemplum matris Machabæorum, Petri qui vxorem habuit, Philippi Diaconi, qui quatuor legitur habuisse filios, & tandem adducit *exemplum prauæ vxoris Iob, ne quis sese excuset: Ostendam, inquit, tibi mulierem & malam & improbam, neq; tamen nocuit viro. Vxor Iob prauа erat & improba, suasit illi vt blasphemias proferret. Quid igitur? Labefactauit turrim? Deiecit adamantem? Superauit petram? Depulit militem? Comminuit scapham? Eradicauit arborem? Nihil horum, sed illa impellebat, & arbor reddebatur flabilior: illa fluctus excitabat, at nauis non submergebatur, sed secundo nauigabat vento: fructus eius decerpebatur, & arbor commota non est; folia deciderunt, & radix manfit immota. Hæc loquor, ne quis accuset vxoris improbitatem.*

5. *Bonorum dissensio est iudicij non voluntatis.*

Præterea attendant & dignoscant viri fideles, dissidia esse posse inter bonos, iudicij, non voluntatis; cùm Tobiæ quidem displicuerit vxoris peccatum, sed voluntate ab ea non sit diuisus. Certè inter Paulum & Barnabam, Scriptura teste, *facta est dissensio, ita vt discederent ab inuicem*, Act. 15. sed illam dissensionem non discordia quidem, sed sua cuique virtus imperauit: dum Paulus iustitia ductus peccantem aliquando Marcum repellebat, quem Barnabas misericordiâ tactus, tandem resipiscentem sibi reconciliabat. Atque adeò suæ quique virtutis studio incensi, in diuersas partes recessêre: non quidem sine diuino aliquo instinctu, vt plurибus Gentibus à se inuicem, & à Deo separatis, prædicando Euangelium prodessent.

Angeli pugnant affectu, non intellectu.

Inter Angelos etiam aliqua dissensionis vestigia sacris in Literis exprimuntur. Nam Hebræorum custos Danielem allocutus: *Princeps*, inquit, *Regni Persarum restitit mihi, viginti & vno diebus*, Daniel. 10. Dum vterque contendebat: hic populum in captiuitate retinere, vt Persis prodesset: ille è captiuitate vendicare, ne inter Persas periret. Pugnabat illi Angeli, non affectu, sed intellectu: dum suo quisque populo consulebat: antequam de diuina voluntate certior redderetur. Vnde D. Athanas. in suis Quæstionibus, in respons. ad 51. *Ne ipsi quidem Angeli*, inquit, *inter se vnquam digladiantur, cognoscentes mutuæ dilectionis spiritualis vinculum.* Hæc de primo documento.

6. *2. Deus obstruxit vias peccatorum.*

Secundum est, quod Deus varijs modis sepiat & obstruat vias peccatoribus, vt malum excipiant finem. Ita Adamo superbienti, & ex ligno scientiæ boni & mali ambienti omni scientiam & diuinitatem, Deus sepiuit viam, ponens ante paradisum Cherubim, cum flammeo & versatili gladio, qui eum aditu paradisi prohiberet; ne ad lignum scientiæ boni & mali posset accedere. Sic sepiuit viam Israelitis fornicantibus cum filiabus Moab, occidendo viginti quatuor hominum millia, Numer. 25. & Sodomitis obduratis, afflando eos igne cælesti, Genes. 19. Et passim libidinosis omnibus, dum occultas eorum libidines orbi pandit & prodit; percutiens eos lue Gallica, vt publicè confundantur, subeantque grauem cruciatum æquè ac ignominiam & infamiam: hæc enim est sepes & maceria, quâ à peccatis cohibentur, vitamque emendant. Ita obstruit gulosis viam ad delicias & vina, dum eos paupertate, vel morbo affligit, vt ad omnem cibum nauseent, vti fecit filijs Israel, desiderantibus carnes pro manna, Num. 11. Ita minatur Dominus idololatris, qui spem omnem ponebant in idolis, derelicto Deo, Oseæ cap. 2. dum ait. *Sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam materia, & semitas suas non inueniet.* quasi dicat. Quia tu, ô synagoga, confugis ad Deos Gentium; quia frumentum, lanam, linum, omnéque bonum petis, non à me, sed à tuis amasijs, puta idolis & idololatris; idcirco ego tibi viam ad eos intercludam, nimirum tot calamitatibus te premam, tantâ hostium incursione & obsidione te cingam, vt ad tuos amasios egredi, opemque ab eis poscere non valeas. Fecit hoc Deus, cùm in Samariam immisit Phul, Teglathphalasar, & Salmanasar reges Assyriorum. Hi enim suis copijs omnes vias ita obsidebant, vt Israelitæ neque in Syriam, neque in Ægyptum, neque in Ammonitidem, Damascum, Idumæam profugere possent. Et tandem illos in peccatis obsurdescentes, Prophetarum vaticinia contemnentes, excidio ad finem peccatorum adduxit, & à cædibus ac rapinis, quibus inhiabant, durissimè auellit. Sic Deus etiam hoc tempore auaris viam ad lucra obstruit, dum merces per naufragium perdit, ac per Pyratas & latrones diripit. Sic ambitiosis sepit viam ad honores, dum eis patronorum, per quos promoueri sperabant, fauorem & gratiam aufert; vt eis sint odio, quibus antea erant in deliciis: dum eis æmulos opponit, dum eos alios maiori pollentes dexteritate, prudentia, gratia anteponit: vti quotidie in aulis & sæcularium, & Ecclesiasticorum principum fieri videmus. Hæ sunt sepes, hæ maceriæ, quæ assiduè eis inclamant: *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*, imò spinas & cruces? *Psal. 4.*

7. *3. Deus eximit iustos extraordinariè à communi clade seruat.*

Tertium documentum, quod hinc resultat, est, quod Deus eximiè iustos à communibus plagis eximat, præter & contra communem modum. Sic in communi clade Deus seruauit Noe cum suis à diluuio, Loth ab incendio Sodomorum, Genes. 7. & 19. Raab in Iericontina cæde seruauit cum integra familia, Ios. 6. Hoc loco ab excidio Niniues præseruatos voluit filium & nepotes Tobiæ, cùm per patrem illos admonet tempestiuè

Niniue

Niniue excedere: ita vt locum in illis habeat illud pſalmiſtæ: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* Quorum omnium Deo ſua eſt ratio: Noe enim & Loth ſeruauit ad ſeminarium. Hoc indicat Iſaias Vates, dum inquit cap. 1. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemẽ, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* id eſt, Niſi Deus ex illa communi & vniuerſali vaſtitate hoſtili (de qua immediatè ante egerat) paucos aliquos, quaſi reliquias & ſemen Gentis (vti Noe fuit ſemen generis humani) conſeruaſſet, & ſuperſtites feciſſet, nos omnes Iudæi fuiſſemus omninò, vt Sodoma deleti; deinde caruiſſent exemplo tum vniuerſus orbis, tum ciuitatum aliquot numerus, quo ad pietatem inſtruerentur. Simili commendationis genere vſus eſt profanus Poëta, qui vt Fabij Maximi merita extolleret, eius gratia dixit non omnes Fabios fuiſſe peremptos vna die. Hiſtoria nota eſt. Sic ergo Ouid. lib. 1. de Ponto, Eleg. 2. ad Maximum.

Qui naſci vt poſſis, quamuis cecidere trecenti
Non omnes Fabios abſtulit vna dies.

Ac ſi dicat, cùm decreuit Deus perire totam Fabiorum familiam, in te vnum intuebatur futurum aliquando patriæ columen, & præſidium; atque ideò ex tot viris lectiſſimis vnum ſuperſtitem eſſe voluit, ex quo naſceretis. quo de Fabio nihil dici potuit illuſtrius. Hac etiam de cauſa exiſtimo Dominum familiam Tobianam in communi clade ſeruare voluiſſe, quod eſſet ſanctitate illuſtris, & ad morum emendationem opportunum exemplar. Quod autem Raab ſeruaretur in excidio Iericho fuit ex pacto, propter ſeruatos exploratores à Ioſue miſſos, cap. 2. licet tota gens neci deſtinata eſſet. Vnde verba illa Ioſue cap. 6. ad omnem Iſrael, cùm ſeptimo die clangerent buccinis Sacerdotes: *Vociferamini, tradidit enim Dominus vobis ciuitatem, ſitq; ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt, Domino: ſola Raab meretrix viuat, cum vniuerſis, qui cum ea in Domo ſunt: abſcondit enim nuntios, quos direximus.* Hæc mihi documenta, publico bono vtilia, ex dictis verſibus elicere congruum videbatur: alius plura tanquam ex ſilice ignem excutiat.

CAPITIS VLTIMI

VERSVS II.

Completis itaque annis centum duobus ſepultus eſt honorificè in Niniue.

PARAPHRASIS.

Verſ. 2. Textus eſt clarus.

Nota benevole Lector, quòd poſt verſum 13. ad 2. redeam, quem hucuſque diſtuli, quod ſecundo loco per anticipationem in Biblijs poneretur.

SECTIO DECIMA-TERTIA.

Quare Scriptura commemoret grandem hanc Tobiæ ætatem, eiuſque honorificam ſepulturam in Niniue.

1. *Ordinarium vitæ terminus quis?*

REGIVS Propheta Dauid Pſalm. 89. inquit: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis: ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Tempus, inquit, vitæ noſtræ in ſeipſo concluſum & definitum, non tranſcendit vltra 70. annos, & in robuſtioribus vſq; ad octuaginta: ſi vlterius ætas ſeſe extendat, infirma eſt, & varijs malis, & ærumnis obnoxia. Tobias noſter qui trecentis quinquaginta & vno annis poſt Dauidem vixit, Spiritu ſancto teſte, vitam ad centum & duos annos produxit. Ea propter diſcutere libuit, quare hiſtoria ſacra huius ætatis præcisè meminerit.

2. *Ex dono Dei proueniet*

In ipſo mundi exordio homines plerumque ad grandem ætatem peruenerunt. Poſt diluuium verò aliqui ad quadringẽtos, aliqui ad trecentos mox tantum annos peruenere. Differentiæ rationem cenſent Auctores obtigiſſe non ex vi naturæ, & cauſarum naturalium

Inæqualitas vitæ hominum.

lium, sed ex dono Dei, quot statim in prima aut secunda generatione non potuerit vita hominum naturaliter decrescere à nongentis ad 400. 300. & minores annos. Interim aliqui post hæc tempora diutiùs vixerunt. De Moyse legitur Deuter. 34. quod vixerit centum & viginti annis sanus & vegetus: *Moyses*, inquit Scriptura, *centum viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt*; quod senibus familiare, Quasi dicat, Mortuus non est Moyses ex defectu virium, vel ex morbo, sed tantum ex Dei iussu, & voluntate. Validusque itaque ascendit super montem Nebo, ibique statim defunctus est, Deo eum dissoluente, ac animam à corpore separante, & ad patrum limbum ducente. *Vnde Moysi tantus vigor in senio.* Vnde illi tantus vigor, & vires in tanta senectute? Abulensis rectè censet, prouenisse ex familiaritate & præsentia Dei: quia moratus & collocutus fuit cum Deo bis per 40. dies in Sina, tumque non comedit, nec bibit, sola Dei præsentia sustentatus. Et inde habuit cornua, id est radios lucis in facie: inde etiam habuit vires perdurantes in omnibus membris; ita vt eo anno, quo mortuus est, ad bellum processerit contra duos reges, scilicet Og, & Sehon, Numer. 21. & 22. Vox etiam non defecit: quia voce maxima & stentorea, quæ à toto populo audiretur, totum Deuteronomium ingenti spiritu Hebræis promulgauit, paulò ante mortem. Eius vita extraordinariè itaque sic producta est. *Iosue, filius Nun, seruus Domini mortuus est centum & decem annorum*, vt habetur Iosue 24. Caleb emigrasse videtur ad patres suos anno centesimo decimo tertio vitæ suæ. Salianus anno Mundi 2617. num. 1. qui anno ætatis 85. declarat se ad omnia vitæ munia æquè idoneum, atque anno 40. vitæ suæ. Sic enim legitur Iosue 14. dixisse, cùm ab eo, portionem suam in terra promissa, peteret: *Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysem, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, vt eo valebam tempore quando ad explorandam missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum quàm gradiendum.* Tobias noster vitam produxit ad annos centum & duos, vt dixi.

3. Quænam tam bonæ senectutis ratio: Diuus Antonius disceptans, vnde vnius vita vsque adeò alterius excedat, tres eius rei rationes in medium adducit, nempe, dispositionem diuinam, de qua Iob 14. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Breue, inquit, homini definitum est viuendi tempus, neque de illo quicquam homini est exploratum, & certum, quod in tua, Domine, solius potestate esse voluisti. Quod homo quantumcumque adhibeat artis, atque solertiæ excedere non potest. Alteram, operationem causarum secundarum. iuxta enim constitutionem cæli, & influxus astrorum sub vno climate longior est vita hominis, quàm sub alio. Tertiam, Variationem actuum humanorum, id est, prout homines benè aut malè annos vitæ impendunt. Quod Scripturæ est conforme. Sic enim ait Hebræus Sapiens Prouerb. 10. *Timor Domini apponit dies, anni impiorum abbreuiabuntur.* Itaque ex virtute aut vitio contingit, vt plurimùm vitam esse aut longiorem, aut breuiorem. Vnde Dominus Exod. 20. promittit vitam longiorem ijs, qui honorãt parentes: *Honora*, inquit, *patrem & matrem, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi.* Et Psal 99. de iusto dicit: *Longitudine dierum replebo eum.* Et Prouerb. 3. sic inuitat Salomon iuniores ad obseruantiam legis diuinæ: *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Et rursum cap. 4. *Suscipe verba mea, & multiplicentur tibi anni vitæ.* Siracides planissimè testatur Eccles. 23. *Gloria magna est sequi Dominum; longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

Pietas prorogat vitam

Hanc caulam Tobiæ vitam promouisse ad tam bonam senectutem, certum est cùm scriptura eius in virtute profectũ æternitati tradiderit quin etiam colligitur ideò sacram paginam grandis Tobiæ ætatis facere mentionem quandoquidem illa iustis competat & Tobiæ contigisse credendum est peculiariter, quod eleemosynis tantam impenderit operam, iuxta ea quæ dixi cap. 12. *Conclude*, inquit Siracides, Eccles. 29. *Eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo: super scutum potẽtis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Et cap. 3. vers. 34. *Deus prospector est eius qui reddit gratiam, meminit eius in posterum: in tempore casus sui inuenies firmamentum.* Secundò, quod nunquam tristatus fuerit, cùm illum afflictio aliqua premeret: vt enim habetur cap. 2. *Non est contristatus contra Deum, quòd plaga cecitatis euenerit ei; sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Commisit itaque omnia diuinæ voluntati, quemadmodum iusti solent, iuxta illud Prouerb. 12. *Non contristabit iustum, quidquid illi acciderit.* Exemplum opportunum est in Machabæis, quibus in summa afflictione dixit Iudas: *Accingimini, & estote filij potentes, & estote parati in mane: vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt aduersus vos disperdere nos & sancta nostra: quoniam melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* 1. Machab. 3. Noto hæc posteriora verba, quibus omnem tristandi causam tollit: qui enim iuxta Dei voluptatem patitur, tristari non potest,

4. *Dantur particulares causæ longitudinis vitæ Tobiæ. Prima.*

Multos occidit eicitus tristitia.

teſt, cùm ſit iuſtus, & illam ſiue proſperam, ſiue aduerſam libenter experiatur. Quot bone Deus, nouimus ex triſtitia breuem vitæ feciſſe clauſulam? Nunquid Saul, nunquid Antiochus ante tempus præ triſtitia vitam finierunt. Hieronymus epiſt. 25. eò quod à triſtitia feſtinaret mors, Paulam nimis lugentem filiam præmaturè mortuam, licet ſanctam fœminam, acriter increpat: *Deteſtanda*, inquit, *ſunt iſta lachryma, plena ſacrilegio, incredulitate plenißima, quæ non habent modum, quæ vſque ad vicinium mortis accedunt. Vlulas, & exclamitas, & quaſi quibuſdam facibus accenſa, quãtum in te eſt, tui ſemper homicida es.* Vnde benè Siracides Eccleſ. 30. *Triſtitiam ne des animæ tuæ, & triſtitiam longè pelle à te: multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea.*

5. *Tertia.*

Tertiò, quod ad ſummam felicitatem ſubleuatus, cum magno profectu timoris Domini perrexerit in pace, id eſt, nulla ratione paſſus ſit ſe à recto tramite, ob bonum tẽporale, retrahi; ſed potiùs Deo tanto feruentius ſeruire ſemper in votis habuerit, ſciens quod Deus non initia, ſed finem reſpiciat; Cùm plerumque ſoleant homines in ſtatu florenti, non proficere, ſed deficere, genio & ventri indulgere, adeoque à felicitate vinci. Id optimis ſimilitudinibus docuit Seneca epiſt. 39. *Sic*, inquit, *ſegetem nimia ſternit vbertas; ſic rami onere franguntur; ſic ad maturitatem non peruenit nimia fecunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit.* Ita poma cùm maturrima ſunt, putreſcunt; flores cùm pleniſſimi, marceſcunt; animalia cùm iuſtam habẽt ſaturam & ætatem, ad ſenium & interitum declinant. Sol cùm in meridie eſt altiſſimus, mox declinat ad occaſum; cùm eſt in ſolſtitio æſtiuo, declinat ad hyemem. Idem ferè hominum eſt terminus & occaſus, maior felicitas.

Felicitas hominum occaſus eſt.

6. *Quarta.*

Sobrietas vitam prorogat.

Quartò, credo Scripturam longitudinis vitæ eius meminiſſe, quod ſobrietatis ſemper fuerit ſtudioſiſſimus. hæc enim vitam prorogat: *Qui ſobrius eſt*, inquit Siracides, *adijcit ad vitam.* Sanctus Antonius, teſte Athanaſio, læto ſemperanimo & vultu, vixit ad annum ætatis 105. perſiſtens ad extremum in eodem tenore & rigore abſtinentiæ & pœnitentiæ, *nec languore quicquam ætati aliquãdo conceſſit. Magis autem æqualitatem propoſiti tenens, nec veſtimentum mutauit, nec pedes lauit, nec eſcam ſectatus eſt molliorem: oculorum quoque aciem, & numerum dentium, licet paululum ob ætatem viderentur attriti; nec non & pedum inceſſum, totius etiam corporis firmitatem, ita & cõtra iura naturæ meritorum gratia cuſtodiuit, vt lauatorum corporum, quæ, balneis atque deliciis fouentur, hilarior eius caro videretur.*

S. Abraham Eremita, teſte S. Ephrem, in eius vita cap. 18. aſſiduis licet ieiunijs, vigiliis fletibus & pœnitentiis ſe macerans, in ſenio vegetus fuit ad mortem vſque: *Erat*, inquit S. Ephrem, *aſpectus eius quaſi ſtos quidam immarceſſibilis, atque in facie eius puritas animi noſcebatur. Sed & totum corpuſculum eius, quaſi nihil egiſſet, validum ac robuſtum apparuit, vt potè quæ diuina gratia in omnibus frueretur, & iucunditate ſpiritalis lætitiæ potiretur. In hora namque dormitionis ſuæ ita ſplendidiſſimus vultu apparebat, quaſi qui nequaquam vitæ ſuæ tempus in abſtinentia peregiſſet: ſed & in omnibus quinquaginta annis abſtinentiæ ſuæ, veſtem cilicinam, quâ indutus fuerat, non mutauit.*

7. *Exercitatio & temperãtia fortitudinis & virium conſeruatrix.*

Vt verò eſt, experientia docet, temperantiam & exercitationem in ſenectute poſſe roboris nonnihil fouere. & Cicero lib. de ſenectute ita ſentit: *Arbitror*, inquit, *te audire Scipio, hoſpes tuus auitus Maſiniſſa, qua facit hodie nonagintà annos natus: cùm ingreſſus iter pedibus ſit in equum omninò non aſcendere: nullo imbre, nullo frigore adduci vt capite aperto ſit: ſummam in eo eſſe corporis ſiccitatem: itaque exequi omnia regia officia & munera. Poteſt igitur exercitatio, & temperantia etiam in ſenectute cõſeruare aliquid priſtini roboris.* Lepidum eſt quod narrat Serrarius in cap. 14. Ioſue: Ante annos, inquit, quatuor aut quinque cùm Vogeſum, qui ab Alſatia Lotharingiam diſpeſcit; tranſirem, eſſemque in Senonenſi cœnobio, vocauit eius loci Abbas è neſcio quo eius montis pago, qui longiuſculè aberat, ruſticum natu grandem, annorum ſupra centum plurimum. Venit ille pedes citò ſatis: & ad prandium cæteris cum hoſpitibus adhibitus, vt aſſedit, & eſcis exſtructam menſam pluribus, conditioribuſque aſpexit, cœpit ſubmiſſiore ſecum voce, vt ab omnibus tamen ſonus audiretur, loqui ac veluti murmurare. Tum ei Abbas: Quid mi Pater (ſic reuerentiæ cauſa ſenem vocabat) loqueris? an deeſt quidpiam? eloquere clarius. Illhuc verò eſt, reſpondit ſenex, quod loquor; *Si tantam, talemq; menſam ſemper habuiſſem, tamdiu non vixiſſem.* Idem verò abeunti mihi abiturus ipſe Scipionem oſtentans, Hoc, aiebat, adhuc die, illuc, vnde huc ego manè, repedabo.

Exemplum facetum.

8.

Hanc ipſam coluiſſe Tobiam ſeniorem, lætoque vultu fuiſſe, ſuadent illa verba, *Reliquum verò vitæ ſuæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.* Neque reor erraturum, qui exiſtimet ideò bonam hanc ſenectutem commemorari, vt palam eſſet, quanto beneficio Deus filium & nepotes dignatus eſſet, cùm noluit ad illam vſque ætatem illis deeſſe & bonum exẽplum, & pium conſilium. Boni enim ſenes non ſolum familiæ vtiles, ſed & Reip. ſuſtentacula, & quaſi ſcipiones, quibus fulcitur. Vnde Deus Ieroſolymam demoliturus, abſtulit ab ea fortem, & virum bellatorem, Iudicem & Prophetam, & ariolum, & ſenem. Iſa. 3. v. 12. Vbi

Senes Reip. vtiles.

vltimo loco ponitur senex ; quasi maior ex illo, quàm ex cæteris vtilitas captetur; & certior ad ruinam via, ex illius, quàm ex aliorum iactura colligatur. Quam ob causam D. Ambrosius lib.2. de Cain & Abel. cap.3. gratulatur sibi, suæque Reip. ob seniorum vitam ; & eorum mortem lamentatur. *Quam, gaudeo*, inquit, *cùm aliquos mites ac sapientes diu viuere video? cùm virgines castas, viduas graues aspicio longæuas, velut quandam incanam Ecclesiæ Curiam prætendant ipso vultu, & specie grauitatis, quo ad omnem morum gratiam colerentur? Non enim ipsis gaudeo, quòd viuendo multa subeant tædia seculi huius; sed quia prosunt pluribus. Similiter, cùm aliquis huiusmodi decidit; quamuis longa senectute depositus, afficior: quia destituitur grex iuuenum, muro senili: Denique peritura vrbis, aut malorum imminentium, vel futuræ labis hoc primum indicium est; si decidant viri consultores. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum. Ergo vrbs tota solidatur, atque augetur cætu sapientium, vel obitu labefactatur.*

Seniorum senectus magnifacienda.

Addo quod in mundi exordio Deus permiserit diutiùs homines viuere, vt fidem de vno Deo creatore in credentium animis altiùs radicarent. Ita Lyranus Genes. 5. & Burgensis qui sic ibidem : *Deus disposuit illos tam diuturnè viuere, vt fides de Creatione Mundi, quam pagani pro maiori parte negabant, in cordibus fidelium magis radicaretur.* Non procul ab vtroque mihi videtur abire Eusebius Cesar. lib.9. de præpar.Euang. cap. 4. sub initium, sequutus Iosephum, dicens : *Priscos illos Dei amicos non iniuria longioribus temporum spatiis vixisse; & virtutis gratia, & vt res posteris perutiles, Astrologiam, Geometriamq; inuenirent.* Hoc est, vt suis posteris, & in spiritualibus, & in temporalibus prodessent, multos inducendo ad virtutem, & erudiendo ad scientiam. Quasi ad hunc finem vita hominum vsque ad senectutem prorogetur, vt in aliorum vtilitatem impendatur.

9. *Cur homines sub mundi exordio diu vixerint.*

D. Hieronymus in quodam sene sanctissimæ vitæ, hoc donum Dei putat prouenisse ex meditatione futuræ beatitudinis. Sic enim ait epist.21. scribens ad Paulum Concordiensem agentem centesimum annum virenti ac integro corpore : *Ecce iam centenus ætatis circulus voluitur; & tu semper præcepta Domini seruans, futuræ beatitudinem vitæ per præsentia exempla meditaris. Oculi puro lumine vigent; pedes imprimunt certa vestigia : auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum : cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt. non memoriæ tenacitatem, vt in pleriſq; cernimus, antiquior senectæ dissoluit. non calidis acumen ingenij frigidus sanguis obtundit. non contractam rugis faciem arata frons exasperat. non denique tremula manus per curuos ceræ tramites errantem stylum ducit. Futuræ nobis resurrectionis virorem in te Dominus ostendit, vt peccati sciamus esse, quod ceteri adhuc viuentes præmoriuntur ætati in carne; iustitiæ, quod tu adolescentiam in alienæ ætate mentiris.*

10.

Verùm enimuerò vnico verbo dicam, quod sentio, nempe grandem illam ætatem Tobiæ in sacro textu recenseri, quòd eâ piè peractâ, ad beatorum sedes migrarit. Quid enim aliud enuntiant verba huius capitis v. 4. *Et cum bono profectu, timoris Domini perrexit in pace?* Vide dicta ad eum versum supra, Genes. 25. Scriptura recensens felicitatem, quam senectutis bonæ sortitus est Abraham, inquit: *fuerunt autem dies vitæ Abraham, centum septuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum, congregatusq; est ad populum suum*, id est, ad societatem omnium iustorum. Verissimè affirmat Ambrosius benè agi cum iustis, cùm moriuntur. Sic vtique ait lib.2.de Abraham : *Patitur nos discedere ex hoc seculo Deus, vt secessione animæ, hoc corpus resoluatur in terram suam, & finis sit peccati : deinde per resurrectionem reformetur diuinæ liberalitatis gratia. Idèo dicit ad Abraham Tu ibis ad patres tuos. Nonnulli putauerunt patres esse elementa, ex quibus constat caro nostra dum vnimus, & in quam resoluimur. Sed nos, qui meminimus, matrem nobis esse Hierusalem, quæ sursum est, quæ liberæ est, sicut dicit Apostolus, illos asserimus patres, qui vita merito, & ordine præcesserunt. Erat illic Abel pia victima : erat pius & sanctus Enoch: erat Noe: ad eos promittitur Abrahæ transitus.* Hæc ille. Deinde iustorum mortem felicem transitum vocat ad meliorem vitam; addítque: *Vixit mens sapientis, & iusti viri, qui nutritus est in pace. Nam insipiens in bello nutritur, & in discordijs. Iustus in senectute bona viuit. Non dictum est longa, sed bona, quia iustus bene senescit: iniustorum autem nemo, quamuis cornicibus vinacibus, diuturniore vitâ vixerit.*

II. *Non dubitandum de sancto Tobia.*

Bene agitur cum iustis in morte.

Consolatur mortem iustorum memoria Sanctorum præcedentium.

Vita bona plenis fit quàm longa.

Gedeon quia Iudic 8. dicitur mortuus in senectute bona, Sanctorum cætui aggregatus creditur. Moyses & Iosue quia serui Domini vocantur, dum de eorum morte fit sermo; sanctè obijsse creduntur. Adstipulatur Salianus anno mundi 2600. numer. 23. Vbi de Iosue clausula loquens ait : *Quo mortis genere decesserit proditum non est, mortuum tamen in senectute bona, ex epitheto* serui Domini, *ad eius mortem addito, liquidò constat : sicut & Moysi idem attributus est titulus. Dies mortis eius in Martyrologio Romano proditur primo Septembris.*

Deut. 34.

Si Abraham, Moyses, Iosue, Gedeon ex illo capite beati pronuntiantur, quidni de Tobia licebit dicere Scripturam ideò expressisse grandem ætatem ipsius, cùm virtute coniunctam, vt de eius salute dubitaret nemo; cùm sacer textus pronuntiarit, eum cum bono profectu timoris Domini perrexisse in pace;

12.

In pace esse quid

pace; & in pace esse sit beatum esse, iuxta illud Sapientiæ 3. cap. de iustis defunctis pronuntiatum: *Illi autem sunt in pace.*

13. Improbi aliquando senescit, sed non bene.

Non ignoramus multos impios ad magnam senectutem peruenire, & multos pios in maturitate è medio tolli: sed illi cum magno profectu timoris Dei non perguntin pace; neque de ipsis dici potest, quod Deus inquit ad Abraham, Genes. 15. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Vbi senectutem bonam appellat, ne quis dubitet, & malam esse: In quem proinde locum D. Ambrosius lib. 2. de Abrahamo, capit. 9. *Non dixit,* inquit, *longa, sed bona: quia iustus bene senescit: iniustorũ autem nemo; quamuis cornicibus vinacibus diuturniore vita viuant.* Et paulò post: *Ille bene senescit, qui bene seruerit. Cani enim sunt sẽsus hominis.* Sap. 4. vers. Hi autem breui rapiuntur, vt melius quid accipiant, hoc est, pro cereuisia vinum, pro temporali æternum, vtq; in breui expleant tempora multa. Priores expectat ad pœnitentiam de singulari gratia: posteriores de medio tollit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animam illorum, vt inquit Salomon Sap. 4. Vbi addit: *Consummatus in breui explenit tempora multa placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum, populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordijs talia. Quoniam gratia Dei & misericordia in sanctos eius, & respectus super electos illius. Condemnat autem iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti.*

Cur improbi quandoq; in iuuentute moriantur.

14. Pranitas quæ ordinariè abbreuiat vitam.

Sed & hoc extra controuersiam est ob prauitatem vitæ plurimos annos suos dimidiare, iuxta illud Prouerb. 10. *Anni impiorum,* breuiabuntur.

Audistis quomodo vindicta Dei præmaturè abstulerit omnes ferè homines tempore diluuij, Genes. cap. 6. de quibus Iob. cap. 22. quidam amicorum ipsius ait: *Numquid semitam seculorum custodire cupis, quam calcauerunt viri iniqui: Qui sublati sunt ante tempus suum, & fluuius subuertit fundamentum eorum.* Numquid, inquit, ô Iob, illorum hominum renouare vis mores & ingenium, qui semitam calcauerunt sæculorum, id est, plenam rapinis, & miserorum sanguine redundãtem quos fuisse homines tam vastos immani corporis mole, quam stupore mentis, & ferino ingenio, exitus ipse docet. Nam illi antequam extingueret suo tempore naturæ necessitas, extincti sunt à manu Dei scelerum vltrice immisso fluuio, id est, inundatione communi, quæ illos ad vnum, solâ excepta Noe iusti familiâ, funditus subuertit. Numquid meministis eorum quos ignis cælestis in Sodoma & Gomorrha assumpsit, Genes. 19. Dathan & Abyron, quos terra dehiscens cum omni eorum familia terribiliter absorpsit, Numer. 16. Regij Prophetæ verbi sitis semper memores. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos,* Psalm. 54. Audi & Hebræum Sapientem, *Ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo,* quasi dicat: Noli peccata peccatis addere, ne prouoces Deum etiam hic tibi inferre iudicium. Caue ne laxes frænos passionibus, immemor penitus propriæ salutis, non animi solum, sed etiam corporis, mortisque discrimen apertum subiens, præcipuè sæuiendo, & Dei hominumque indignationem prouocando, itaque viuens lætus, securusque, & improuidus, ac si te mors adoriri vel non posset, vel non auderet. *Si sciret paterfamilias, quâ hora fur veniret, vigilaret.* Stultus est, si non vigilat, hoc ipso, quod is, quando veniat, ignorat: ille etiam qui non recogitat hac nocte ab ipso reperi animam posse, immò quolibet momento. *Ne moriaris in tempore non tuo.* hoc est, ne Magistratuum animaduersione, vel etiam diuinâ vltione de vita tollaris. Est enim duplex vitæ periodus, vna à natura, altera à Deo constituta: hæc semper est certa, & fixa, nec augeri, aut minui potest; illa à Deo breuiari potest, vel à Iudice nomine Dei gladium portantis ad impiorum vindictam Vnde tela vitæ, quæ secundum naturæ cursum protelanda erat præciditur iussu eiusdem Dei propter peccata, sicque moritur peccator in tempore non suo, nec dimidiat dies suos.

Duplex vitæ periodus.

Exempla habemus propè infinita, præter citata Core, Dathan & Abiron; quæ allegat D. Hieronymus in cit. Eccle. locum, quos in Moysen perduelli animo obfirmatos, ex Dei censura hiatu discedens terra mirabiliter assumpsit. Hebræi hominis exitium, quem cum infami Madianitide viudex Phineis traiecit gladius, fatale exhibet exemplum, quod lectulum genialem cum funebri miscuit, Numer. 25. Alia exhibent Saul, Architopel, sed miserrimum. Absalon, qui patri rebellanti quercus diuini furoris administra horrendè filum præcidit vitæ, 2. Reg. 18. Diserte hanc Dei vindictam enucleat Chrysostomus homil. de Absalone persequente patrem: *Respice,* inquit, *iam sceleratissime hostis, ac nefandissime respice parricida; respice, inquam, vsquequaque in te cuncta conuerti. Respice contra te ab ipsa natura repugnari, & quamuis contra te dimicet cælum, moueatur terra, exercitus pugnet, tamen aliud te ignotum, & inopinatum sustinet bellum, aliud vbi iam paratum prælium est, quod fugientem excipiat, properantem interimat, festinantem occidat. Adest,* inquit, *arbor in campo ramorum telis ornata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris iniuriam in parricidam defendat. Adest,* inquam, *arbor, quæ nec patrem, vt tibi parcatur,*

15.

Peccatum Absalonis quomodo punitum?

ter, audiuit, & iussa Dei instanter implere contendit.

16. *Mirum ex capillis Absalonem potuisse suspendi.*

Mirum hoc est, & singulare, aliquem ex capillitio potuisse suspendi, sicque implexam arboris ramis esse cæsariem, vt non extricari potuerit penduli corporis nõ exiguo pondere. Legimus in profana historia Theutonicas fœminas ex suis crinibus texuisse restes, quibus elisis faucibus vitam amisere. Quod sanè mirandum est, cùm in restes contorti, ac complicati crines maiora etiam pondera suspendere, ac sustinere possint. Legimus in Annalibus sacris fœminas à tyrannis, suis capillis è sublimi loco fuisse suspensas. At singulares crines, nec illos, vt apparet, multos sustinere pondus armati viri, neque illos ab incitato quadrupedis impetu fuisse dissciſsos, illud est mirabile. Et multo magis capillos sic momento temporis fuisse implicatos, vt inter cælum, & terram pendentem reliquerint. Deinde sic esse conglobatos, aut quasi in funem, cirrosque collectos, cùm à vento potius dissipati essent, atque diffusi, vt ramis implexi pondus sustinerent. Neque capillorum plexus in fasces coacti implicari solent; sed illi fortasse, qui diffusi sunt, & singulares. Adde, quod capilli paulò longiores cum in equestri, aut pedestri cursu diffunduntur, non eriguntur sursum, vt sese ramis intricent, vti experientia docet, sed reijciuntur ad tergum. Quare hic aliquid sine dubio fuit ab vltrici Domini prouidentia, quod non facilè sperari poterat à rerum natura, aut hominum consuetudine.

Sic pergat quis per omnia peccatorum genera, & reperiet quamplures tarâ Dei vindicta è medio sublatos in tempore non suo. Recogitet quis factum Ochoziæ Regis 4. Reg. 1. cui filum vitæ præcisum, quod, spreto vero Deo, nuntios miserit ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, num de infirmitate sua moreretur. Perpendat quoque censuram Dei in quinquaginta & quinquaginta satellites, quos in Eliam parum reuerentes, 4 Reg 1. cælum, flammarum globis armatum deuorauit: neque prætereat, quàm dirè parentum mores in filijs, ipsos imitantibus, ob irrisum Prophetam, Deus per vrsos duos vindicauerit.

Porrò horribile est quod Daniel Prophe- 4 Reg. 2. ta æternitati tradidit. De Rege Balthazare. Is conuiuium instruxerat splendidum, ad quod regni mille proceres, & vxores, & concubinas adhibuit. Cùm autem iam incaluisset vino, afferri iussit vasa, quæ ministerio olim sacro seruierant, vt illis in profana mensa concubinæ etiam, id est, ignobile, ac turpe mulierculatum genus abuteretur. Quo autem tempore in Deorum suorum laudes intenti essent, qui regiæ accubuerant mensæ, digiti apparuerunt, qui in aduerso pariete notas exararunt, ad quarum aspectum cohorruit Balthasar, & expalluit. Notæ autem erant hæ, *Mane, Thekel, Phares.* Quarum prima Daniele interprete indicabat definitum tempus, ad quod Deus produci voluit Balthazaris (adeoque Chaldæorum) imperium, cùm ipse Deo indignus visus esset, cui regni vsura prorogaretur. Altera indicabat merita Balthasaris expensa esse à Deo, vt pro illorum ratione ac pondere iustum attemperaret supplicij modum, sumptâ metaphorâ à mercatoribus, qui statera, & trutina metallorum: & mercium explorant momenta, quæ si minus habeant ponderis, quàm aut iubet legitima ratio, aut contrahentium instituta conuentio, abijciuntur, & reprobantur. Tertia indicabat ex illo seuero examine id ortum esse, vt Balthazar ex illo regno deturbaretur, quod ad vim libidinem, & prædam potiùs, quam ad æquitatem, & ciuium societatem fidelem accepisse videbatur. Quare cùm minus haberet, quàm in illo ordine præstare debuisset, imò cùm præstitisset nihil, quorum causa regibus potentia traditur, & imperium; ablatum est illi regnum, & ad Medos, Persasque translatum. Neque diu distulit nocturnas Deus minas, cùm nox ipsa quæ conuiuium præfatũ instruxerat, Regem oppressit, & Babylonicum splendorem extinxit: *Eadem nocte,* inquit sacer textus, *interfectus est Balthazar Rex Chaldæorum, & Darius Medus successit in regnum.* Horrendè ergo, & citò, & præter opinionem Balthazar indignus regno & vitâ deprehensus, miserè, è medio sublatus est.

Audite hæc ebrij, audite temulenti, qui assidetis mensis, gaudetis, ridetis, canitis, potatis. omnia vobis læta sunt, omnia iucunda: & non videtis extentam Dei manum super vos. *Mane,* numerauit Deus vitam tuam, & breui complebit illam, forsan in hac hora, forsan in hac ebrietate tua. Deus ab æterno decreuit tibi diem & horam mortis; dixit, Ista hora, isto momento morieris: fortè hæc ipsa est hora tua fatalis. *Tekel,* appensus es in statera, & inuentus es habere minus sobrietatis, minus rationis, minus virtutis; multum verò crapulæ, multum amentiæ, multũ vitiorum. *Phares,* diuisum est regnum tuum, diuisus es ipse tu: corpus tuum dabitur vermibus deuorandum anima dæmonibus: bona tua rapient vel heredes peruersi, vel executores cupidi, vel Superiores inſqui. Vide quibus corpus tuum saginasti; vide quibus tanto labore opes per fas & nefas coaceruasti.

Eat nunc aliquis, & liberè peccatis indulgeat, videbit iustam Dei vindictam, quod nõ solũ de medio execrationem ante tempus, ad quod

17. *Quæ hominibus vitia inferuntur infra-*

mortis instrumenta.

quod vixisset, nisi peccasset, tollat; sed etiam per quæ peccauit, per ea hominem puniat. Tria occurrunt exempla ad hanc cogitationem congrua. Cap. 2. lib. 2. Reg. pedum velocitas, qua plurimùm excellebat, & gloriabatur Asael, illi fraudi fuit: neque enim tam pertinaci studio insequeretur Abner, qui fugiebat eques, nisi pedestri cursu illum se assecuturum esse confideret. *Porrò Asael cursor velocissimus fuit, quasi vnus de caprè, quæ morantur in sylua.* Magni vir consilij censebatur Achitopel, sed singularis illum prudentia, & ingenij sagacitas ad suspendium adegit. Erat Absaloni aureaverè cæsaries, quæ magno ab alijs comparabatur pretio, quam ille sic amabat, vt nunquam deponeret, nisi cùm illius pondere grauaretur caput. sed ab illa tandem suspensus inimicorum ludibrijs, ac vulneribus patuit. Lorinus in cit. locum Eccle. addit: Maximè accommodatum est, quod accidisse narrat S. Bernardinus in Cataloniæ ciuitate Sui prope valentiam ætate sua. Duodeuiginti annorum adolescens parentũ non parens monitis, tandem ob latrocinia paubulo suspensus est. Ibi mox ei succreuit, populo inspectante, barba, ac sensim cum capillo incanuit, ipsáque facies decrepitum, senem exhibuit nonagenarium. Episcopus afflatus diuino spiritu, docuit tamdiu victurum fuisse, si se in paterna obedientia continuisset. Ita habet tom. 2. in Quadrag. de Euang. æterna, Dom. 2. Quadrag. serm. 17. a. 3. cap. 1. Huc spectat, quod Hebræus Sapiens inquit Prouer. 30. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despuit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant illum filij aquilæ.*

18. Hæc dicta sint ratione grandis & bonæ senectutis, in qua clausulam vitæ fecit Tobias senior, de cuius sepultura subiungit textus: *Et honorificè sepultus est in Ninive.* Quid illud? Numquid multi honorificè sepulti sunt? Saram vxorem Abrahæ scimus honorificè sepultam in spelunca duplici agri à filijs Heth ab Abraham coempti, Gen. 23. Abrahamum, Isaacum, Rebeccam & Liam in eadem sepultos, insinuat caput 10. Genes. & 49. Samuel, Saul, Ionathas, alij in sacra pagina honorificè inhumati leguntur. Quid ergo hic peculiare dicit Scriptura de sepultura Tobiæ? Dicam tibi breuiter quod res est. Notat S. pagina, quod in Niniue metropoli Assyriorum cum honore inhumatus sit Tobias senior, vt intelligas Deum ipsi Tobiæ etiam post mortem conciliasse gratiam apud Assyrios Gentiles Israelitarum inimicos, qui quidem valdè solliciti erãt pro suis, vt tumulo condérentur, vt ex eorũ legibus facilè quis colliget. Alexander Alex. l. 3. ca. 3. multa de variarum, gentium cura in mortuis sepeliendis congessit. Apud Athenienses autem lex erat, qua omnes iubebantur insepulta cadauera sepelire, si quæ fortè inhumata reperirentur. Sic Ælian. lib. 5. Quòd tanti fecerunt, vt summos duces, quia cętos nauali pugna milites in mare deiecerunt, grauibus pœnis, & summo supplicio afficere non dubitarint, vt Valer. Maximus lib. 9. c 8. Niciam ferunt iter faciẽtem cum exercitu, ne duorum militum cadauera inhumata relinqueret, totum subsistere agmen donec humarentur iussisse. Sic Plutarchus in Nicia, & Gyraldus in suis sepulchris: qui aliud ad idem illustrissimum exemplum affert. Cimon enim Miltiadis filius, vt pater sepulchro cõderetur, captiuum se præbere non dubitauit. Sic etiam Probus Æmilius in vita ipsius, & Valer. Max.

Quare virũ fuit Tobiam sepeliri in Ninive.

Gentilibus suorum sepultura, cura erat.

19. Porrò ipsi Gentiles maximè inuidebant Iudæis sepulturam, idque religionis ergo: ita vt pœnam mortis statuerint Assyrij in eos, qui inhumandis Iudæorum corporibus operam dabant, vt dixi cap. 1. Sect. 37. Secundò in captiuitate positis non solent permittere publicum mortuorum luctum, vt colligitur ex illo Ezechiel 24. *Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies.* Quibus verbis Deus nõ prohibet Prophetæ, ne doleat in vxoris interitu, sed ne publicè, &, vt in funeribus solet, lachrymetur & gemat. Hoc namq; signo hieroglyphico portendere debebat Propheta, quid futurum esset in Iudæorum clade & captiuitate, in qua deesset luctus ille, qui in publico atq; legitimo ritu mortuorũ funera, cohonestare solet. Vnde ridentur, Moabitæ in Chaldæam transferendi, quod illic honorifico ritu sepeliri non poterunt: *Date*, inquit Hieremias vates, *florem Moab, quia florens egredietur, & ciuitates eius deserta erunt, & inhabitabiles*, quasi dicat. Coronis floridis & odoribus, ô Moab, te, & tuum funus adorna; quia in Chaldæa sepelieris, & morieris. Solent enim diuites coronis & omni pompa suorum funera exornare.

Gentiles Iudæis inuidebant sepulturam.

Publicus mortuorum luctus Iudæis in captiuitate nõ permissus.

20. Ad cuius clariorem intelligentiam notã Gentiles solitos mortuorum corpora floribus & coronis redimire; imò si quis virtute sibi coronam aliquam peperisset, eadem etiam mortuus solebat condecorari, idque ex permissu legis duodecim tabularum, quæ extat apud Plinium lib. 21. ca 3. & Ciceronem l. 2. de Legibus: atque ita in funere Scipionis factum esse testatur ibidem Plinius: *Populus*, inquit, *funus locauit, quaque præferebatur, flores è prospectu omni sparsit.* Idẽ factum in funere Virginij filiæ, tradit Halicarnas. l. 11. *Ædibus*, inquit, *exibant mulieres & virgines, casum illum lugentes* (erat enim occisa à patre, ne à Clodio violaretur) *atque alia flores & coronas in lectum iaciebant.* Idipsum de funere Bruti narrat lib. 5. Vnde Clemens Alexand. lib. 2. Strom. cap. 8. *A turba*, inquit, *& negotio remota secu-*

Gentiles funera ornabant floribus.

securitatis signum est corona: quare ea mortuos cerenant. Plurib⁹ idipsum ex Liuio, Capitolino, Ouidio, Herodiano, & Virgilio probat Lipsius ad cap. 14 Taciti.

21. His autem ornamentis insinuat per ironiam Hieremias Vates Moabitas destituendos in Chaldæa.

Et quia paradoxum fuit idipsum permittere Tobiæ inter Assyrios degenti, idcirco reor Scripturam speciatim facere mẽtionem, quod honorificè sepultus sit in Niniue. Sicut enim tarum fuit Genes. 50 corpus Patriarchę Iacob à Ioseph & fratribus eius, magno comitatu Ægyptiorum, ex Ægypto honorificè in terram Chanaan deferri, vt ibi humaretur: sic extraordinarium, fuit Tobiam in Niniue honorificè sepeliri, Deo barbarorum illorum corda permouente, qui eximiè iustum hoc honore voluit cumulare.

22. *Pompa funeru cõsistit in magno hominum comitatu.* Ille autem honor consistebat in magno hominum comitatu. Sic explicat S. Hieronymus honorem, qui amicorum cineribus impendebatur: *Planctus*, inquit epist. 25. *non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris, & exequiarum intelligendus est.* Et talem esse dicit planctum, quo Ægyptij Iacobi funus prosecuti sunt. Neque enim Ægyptij, quorum magna frequentia interfuit sepulturæ, ita erant animo in Iacobum affecti, vt illachrymari, aut plangere debuerint; neque cùm habitatores terræ Chanaan dixerunt, *Planctus magnus est iste AEgyptijs*, audiebant gemitus, & vlulatus ipsorum, sed videbant currus, & equites, & ex Ægyptia nobilitate quàm plurimos, qui septemdiales exequias magno apparatu Iacobi cineribus impenderunt. Eodem modo explicat planctum, qui Act. 8. exhibitus esse traditur lapidato Stephano, de quo sic Lucas, *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eũ.* Qualis verò fuerit iste planctus, docet Lucianus in quadam Epistola, quam multi è Patribus citant, ac probant. Dicit autem Lucianus quæ in illa sunt epistola per reuelationem se accepisse à Gamaliele. *Ego*, inquit, *Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem à Domino, & partem cum sancto viro fi-*

Gamaliel Stephanò qualem planctum & honorem exhibet.

dei misi per noctem quantos potetam religiosos Christianos, & in IESVM CHRISTVM *fideliter credentes, habitantes Ierusalem in medio Iudæorum: & hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministraui ac persuasi illis ire occultè, vt portarent corpus eius, meo in vehiculo, ad villam meam*, &c. *Et ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta*, &c. *Et præcepi meis, vt quæcumque necessaria erant pro eius planctu, de meo darent.* Vnde colligitur planctum illum, à quo Ezech. 24. cit. iubetur abstinere Propheta, non esse dolorem, quem exprimit pietas, sed eum qui cadaueri solennes ac publicas exhibet inferias, atque ideò permittitur, vt tacens ingemiscat, domi videlicet, aut occultè; non verò vt mortuorum luctum faciat, legitimum videlicet, atque honorarium.

23. Hunc honorem aut si quis alius, apud Iudæos in vsu fuit, voluit Deus comitari seruum suum Tobiam etiam in terra captiuitatis, vt omnibus palam fieret, quanti faceret Deus sepulturam seruorum suorum. Et vt magis dignoscas hanc gratiam, recollige factum Domini erga Propheram illum, quem ob præceptum Dei violatum, dum comederet in Samaria apud pseudopropheram, in via occidit per leonem, & quem viui tortorem & carnificem esse voluit, mortui custodem & defensorem constituit, donec sepulturæ traderetur. *Inuenit* enim pseudopropheta ille, ad quem rumor peruenerat occisum Prophetam Domini, *cadauer eius proiectum in via, & asinum, & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit leo de cadauere, nec lasit asinum.* Subiungit textus: *Tulit ergo propheres cadauer viri Dei, & posuit illud super asinum, & reuersus intulit in ciuitatem prophetæ senis, vt plangerent eum. Et posuit cadauer eius in sepulchro suo: & planxerunt eum, Heu, heu mi frater.* Vti autem Dominus leonem compescuit, ne corpus deuoraret, & in cor pseudoprophetę immisit, vt Prophetam Domini, qui venialiter dumraxat peccauerat, & subitanea morte illud diluerat, tumulo conderetita videtur Deus tetigisse corda Assyriorum, vt honorificam sepulturam viro Dei permitterent.

Deus est curam seruorum suorum sepultura.

3. Reg. 13.

C A-

CAPITIS VLTIMI

VERSVS XIV

Factum eſt autem poſt obitum matris ſuæ Tobias abſceſsit ex Ninive cum vxore ſua, & filijs, & filiorum filijs, & reuerſus eſt ad ſoceros ſuos.

Verſ. 15. *Inuenitque eos incolumes in ſenectute bona: & curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum: & omnem hæreditatem domus Raguelis ipſe percepit: Viditque quintam generationem, filios filiorum ſuorum.*

PARAPHRASIS.

Verſ. 14. & 15. Cùm primum materno funeri Tobias iuſta perſoluiſſet, illicò cum familia tota ad ſoceros ſuos remigrauit: quos lætos reperit, & ſaluos in ſenectute bona, eorumque incolumitati ſeruiuit, & ſupremum pietatis officium oculos claudendo morientibus exhibuit. Et accepta illorum omni hæreditate locuples eouſque vixit, vt videret quintam generationem ſuæ progeniei.

SECTIO DECIMA-QVARTA.

Quare Scriptura ſacra promptam hanc iunioris Tobiæ obedientiam commemoret. Et vnde contingat alios monita Superiorum non audire.

TOBIAS iunior ſtatim poſt obitum matris ſuæ, monitis parentis & Prophetæ obediens direxit greſſus ſuos, vt exiret de Ninive cum vxore ſua, filijs, & filiorum filijs. Res quæ facis ardua alicui videri poſſet, quod è ſolo illo, vbi omnes res domeſticæ diſpoſitæ remeare deberet ad ſoceros ſuos, ſimiliter in captiuitate exiſtentes, præſertim cum locupleti grauia pericula poſſent occurrere. Verùm apparet Scripturam, ſacram gratis huius obedientiæ memoriam poſteris non reliquiſſe. Nam primò, obediendo patri oſtendit ſe eius præcepta tanquam diuinitus pronuntiata reſpexiſſe, qui dixit: *Honora patrem & matrem tuam, vt bene ſit tibi, & longæuus ſis ſuper terram.* Ita omninò faciendum cenſet Bernardus, De præcepto & diſpenſ. *Quidquid*, inquit, *vice Dei præcipit homo, haud ſecus accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus.* Obſeruare enim maiores, cùm loco ipſius Dei habeantur, Deo ſine dubio obedire exiſtimatur. Dicam amplius, Videtur Deus obſeruantiam Maiorum ſingularius inculcaſſe; cùm enim in Leuitico, Decalogi præcepta repetuntur, primo loco proponitur præceptum de obſeruantia erga maiores; ſecundò autem de obſeruantia erga Deum: *Vnuſquiſq;*, inquit Dominus, *patrem ſuum, & matrem ſuam timeat.* Et ſtatim: *Sabbatha mea cuſtodite, ego Dominus Deus veſter. Nolite conuerti ad idola*, &c. Leuit. 19. verſ. 3. & 4. Quaſi Deus non magis velit, vt ſibi, quàm vt hominibus à ſe præpoſitis obedientia & obſeruantia deferatur.

Præceptum colendi maiores, aliquando præponitur præcepto colendi Deum.

S. Bernardus acutè notauit Saluatorem noſtrum patris cæleſtis obſequia diſtuliſſe, vt matris obſequia maturaret. Voluntas patris erat, vt Chriſtus Dominus adhuc puer, Hieroſolymis in templo eſſet, Doctores audiens & interrogans; *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Luc. 2. verſ. 49. Voluntas Matris diuinam voluntatem nondum apertè cognoſcentis, erat, vt filius ſecum Nazareth, in patriam domum regrederetur; iuxta illud: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Ibid. verſ. 48. Quid ergo Chriſtus Dominus inter Patris & Matris obſequia quodammodo oppoſita conſtitutus? Quam in partem pronior inclinet? Cui velocior ac diligentior obſequatur? Patris obſequia differt, vt matris obſequia matu-

Dei præceptum aliquandò intermittendum, & Prælati obeundum, exemplo Chriſti.

Tobias iunior obedit Patri & Deo.

Qui obſeruat Maiores, Deum obſeruat.

maturet. *Descendit*, inquit Euangelista, *cùm eis: & venit Nazareth; & erat subditus illis.* In quem locum D. Bernardus serm. 19. in Cantic. *An*, inquit, *ignoratis, quia melior est obedientia, quàm victima? Non legistis in Euangelio, quam fermam obediendi pater Iesus pueris sanctis tradiderit? Nam cùm remansissent in Ierusalem, & dixisset: In his, quæ patris sui erant, oportere se esse: non acquiescentibus parentibus eius, sequi illos in Nazareth non despexit; magister discipulos, Deus homines, Verbum & Sapientia, fabrum & faminam.* Et rursus hanc singularem obedientiam admiratus serm. 3. in die Paschæ, *Attende*, inquit, *quid fecerit magni consilij Angelus: quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati muliebris vnius (beatam Virginem loquor) & fabri pauperis; ipse est Ioseph. Bonum erat illud consilium. In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse: sed quia illi non intellexerunt; mutauit illud consilium, vt nos mundaret ab ea lepra, quæ proprij consilij est: exemplum enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus. Quis iam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum sapientia ipsa deseruit?* Hæc Bernardus elegantly.

Proprium consilium deserendum, sequendum Prælatorum

2. *Tobias iuuat propria remittit commoditati, vt obediat patri.*

Secundò existimo Scripturam huius obedientiæ meminisse, vt constaret vnicuique Tobiam iuniorem etiam post mortem parentum, propriæ vtilitati, patris voluntatem præposuisse; existimans enim illam esse Dei voluntatem in eo imitatus est magnos illos Patriarchas. Isaac cùm habitaret in Geraris, & ibi fame valida vrgente descendere vellet in Ægyptum, vt sibi suæque familiæ, quæ magna erat, de victu consuleret, à Deo retinetur: *Ne descendas*, inquit, *in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi*, Gen. 26. obediuit ille, malebatque cum obedientia esurire, quàm sine obedientia epulari. Meminerat parentem suum Abraham in terra Chanaan non mediocriter egusse, Genes. 12. in Ægypto verò nō vulgariter abundasse, Gen. 13. Idem sibi euenturum non dubitabat; & nihilominus diuinum præceptum proprio commodo præferendum ratus, maluit mendicare in terra Chanaā, quàm in terra Ægypti locupletari: *Quare*, inquit Lyranus, *confidens de Deo, & volens illi obedire, remansit.*

Obedientia ejibus præferenda. Exemplum Abrahami.

Sanè Abraham pater eius, audiens Præceptum diuinum, *Egredere de terra tua*, &c. Genes. 12. separatus ab omnibus temporalibus bonis, diuinæ voluntati sese conformauit, temporali opulentiæ præferens obedientiam. Præclarè D. Chrysostom. homil. 31. in Genes. *Animaduertamus*, inquit, *quantum imperijs pondus. Egredere inquit, de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Quasi diceret: Relinque certa, & omnibus confessa, & elige magis incerta, & non apparentia. Considera quomodo ab initio exercetur iustus, vt præeligat non apparentia præ apparentibus, & futura præsijs quæ in manibus sunt. Neque enim vulgare & parvum aliquid erat, id, quod ei vt faceret, præcipiebat Deus: nempe vt terram relinqueret, quam inhabitarat tanto tempore, & omnem cognationem, & totam patriā domum: iterq; nesciens & ignorans quorsum. Non enim dixit ei, in quam regionem transferre eum velit, sed mandato indefinito opum patriarcham exercuit.* Et cùm multa recensuisset, quæ Abrahamum remorari potuissent, nempe consuetudinem in isto solo diuturnam, indefinitum iter deserere cum cognatione patris sepulchrum, filijs charam senectutem, erat vtique annorum 75. & quod Deus illic iuuare poterat, aliáque plura. Iterum expendit, quod ad magnitudinem eorum quę imperata erant respiciens, ijs quæ in manibus habebat, incerta prætulerit, & nihil ipsum illum remorari potuerit, *Omnibus præteritis*, inquit, *non curabat vel consuetudinem, vel domum paternam, vel sepulchrum, vel senectutem ipsam: sed in hoc dumtaxat figebat mentem, quo modo implere posset quod à Domino fuerat imperatum. Licebat his videre rem multis miraculis plenam, quod homo in profundissima senecta, cum vxore, etiam ipsa prouecta ætate, & multis famulis se aliò transferat, maximè quod nescius vbinam errandi futurus finis. Quod si quis & illud prudenter expendat, quanta per illud tempus viarum difficultates erant. Neque enim sicut nunc, licebat impauidè cum alijs versari, & tam facilè profectiones suscipere. Nam singula loca propris principatibus distincta erant, eratq; necesse iter agentibus ab alijs ad alios principes transire, & ferè quotidie de regno in regnum progredi. Erat igitur & hoc nonnihil obstaculi iusto, nisi tantum habuisset diuina mandata perficiendi desiderium.*

Vt autem diuino præcepto promptior obediret, non solùm opulento patrimonio, sed etiam exiguo viatico renunciauit: expeditior ad parendum volaturus, cum temporalibus bonis exueretur.

Lucè pauper à patre, Eliezer diues à Domino eo dimittitur.

Non minus quàm auus & pater, Iacobus filius diuitias contempsit, vt Deo obtemperaret. Misit Abraham in Mesopotamiam seruum suum Eliezer, diuitem, magnisque muneribus onustum Genes. 24. At verò Isaac in eandem regionem misit filium suum Iacobum, pauperem, & rerum omnium egenum. Genes. 28. à vers. 2. Cur, quæso liberalius cum seruo, quàm cum filio actum est? Ratio ad præsens institutum videtur, quod Eliezeris obedientia seruilis esset, Iacobi filialis, adeoque non propria vtilitate, sed sola voluntate paterna duceretur, qui profecturo suam benedictionem impertiuerat, Genes. 28. omniumque bonorum affluentiam illi apprecatus dixerat, *Deus omnipotens benedicat tibi & crescere te faciat*, &c. Spe itaque diuinæ, licet bonis temporalibus destitutus, magis confisus, patriæ voluntati

tati ſeſe potiùs conformauit.

Verum obedirus, vita contempter.

Naboth ille Iezraelita tanti fecit Præceptum diuinum, vt vitam in apertum diſcrimẽ profunderet, ne obedientiam negligeret. Vineam extorquere voluit Rex Achab à vicino ſuo Naboth Iezraelita. Quid verò Naboth? *Propitius*, inquit, *ſit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi*, 3. Reg. 21. Cur, quæſo, dare noluit: nam danti promittebatur à Rege melior vinea, vt videre eſt eodem loco; neganti mors ſine dubio intendebatur, vt ſucceſſus poſtea oſtendit: atque adeò Regi morigerãdo, & lucrum reportaſſet, & mortis periculum effugiſſet. Cur igitur Regis voluntati repugnauit? Planè, vt diuinæ obediret, cuius illud decretum erat: *Terra non vendetur in perpetuum; quia mea eſt.* Leuit. 25. Atque adeò neque ſpes lucri, neque mortis timor obedientis animum expugnare potuerunt. Vnde D. Ambroſ. in Pſalm. 36. *Abſit*, inquit, *vt apud mentem Domino ſeruientem præponderarit magis pœne formido, quàm forma pietatis.* Immò lib. 3. Offic. cap. 9. loquutus de Naboth: *Maluit*, inquit, *periculum cum honeſtate, quàm vtilitatem cum opprobrio.*

Itaque verum obedientem à præcepto exequendo, neque lucrum auocat, neque periculum exterret. Quod patet in Tobia iuniore, qui per varia diſcrimina maluit ad ſoceros remeare cum periculo vitæ & bonorum, quàm voluntati patris, vicem Dei gerentis, non obtemperare; credens, quod Deus generoſam obedientiam, periculi, mortiſque impauidam protegeret; vt quò audentior in periculum rueret, eò ſecurior à periculo euaderet.

Abrahami prompta obedientia nobis in exemplum proponitur.

Profectò vtile eſſet nobis mentem iuſti huius, vti & Abrahæ, imitari. *Abſurdiſſimum*, inquit Chryſoſt. loc. cit. *eſſet quod iuſtus ille, cum de terra in terram vocaretur, tamam præ ſe tulit obedientiam, & neque ſenectus, neque alia quæ enumerauimus prædimenta, neque temporum difficultas, neque vlla alia, quæ remorari ipſum poſſe videbantur ad obediendum tardiorem eum facere potuere: ſed omnibus vinculis ruptis, cucurrit & feſtinauit ſenex quaſi iuuenis reſumptis viribus, cum vxore, & fratris filio, & famulis, vt perficeret opere, quod ſibi à Deo demandatum erat. Nos autem qui non de terra in terram vocamur, ſed de terra in cælum, non eandem quam ille iuſtus alacritatem obediendo exhibemus, ſed frigidas plerumq; & inutiles præteximus cauſas. Et*

Terrena poſtponenda cœleſtibus.

neque nos promiſſorum magnitudo, neque viſibilium rerum vilitas, neque quod terrena ſunt, & momentanea, neque vocantis dignitas attrahit: ſed tanta ſumus negligentia, vt præferamus momentanea ſemper manentibus, terram cælo: ea quæ auolant antequam habeantur, eis quæ nunquam finem accipere poſſunt.

3. *Quam vtile Tobiæ obedientiæ meminiſſe, vt doceret*

Tertiò videtur ſacra pagina tam promptæ

Mauden in Tobiam.

Verum dicta obtemperare; quàm inutile ea negligere.

quàm vtile ſit verbis Prophetarum ſeſe conformare, quamque damnoſum ea contemnere. Geneſ. 19. dixerunt Angeli ad Loth, dum inſtaret incendium Sodomæ, *Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias; omnes, qui tui ſunt, educ de vrbe hac: delebimus enim locum iſtum.* Præſtitit hoc ſtatim Loth, generis ſuis futuris dicendo, *Surgite, egredimini de loco iſto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc.* Sed quid illi? Subiungit Scriptura: *Viſus eſt eis quaſi ludens loqui*, hoc eſt, iocari aut delirare. Vnde contigit Loth, vxorem, vt duas filias, credentes Angelis, egreſſos Sodomam ſaluari; generos verò, famulos & ancillas ipſi, non credentes manere in Sodoma, & cum alijs comburi.

Iudæi inobedientes ſibi laqueo fuerunt.

Iohanan, alijque Principes, timentes ne Chaldæi vlciſcerentur necem Godoliæ viri eminentis, Ierem. 41. conſulunt Deum per Ieremiam, an in Ægyptum fugere, an in Iudæa manere debeant? Ieremias reſpondet vt maneant in Iudæa, & obediant Chaldæis; ita ſaluos fore: ſi enim fugiant in Ægyptum, ibi interituros Chaldæorum gladio, fame & peſte. Vtrumque expreſſis verbis illis indicauit Ieremias nomine Dei: *Hæc*, inquit, *dicit Dominus Iſrael, ad quem miſiſtis me, vt proſternerem preces veſtras in conſpectu eius. Si quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam; plantabo, & non euellam; iam enim placatus ſum ſuper malo quod feci vobis. Nolite timere à facie regis Babylonis, quem vos pauida formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiſcum ſum ego, vt ſaluos vos faciam, & eruam de manu eius. Et dabo vobis miſericordias, & miſerebor veſtri, & habitare vos faciam in terra veſtra.* Poſterius ſubiungit, addens: *Si autem dixeritis vos: Non habitabimus in terra iſta, nec audiemus vocem Domini Dei noſtri, dicentes: Nequaquam ſed ad terram AEgypti pergemus: vbi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non ſuſtinebimus: & ibi habitabimus. Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiæ Iuda: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Si poſueritis faciem veſtram vt ingrediamini AEgyptum, & intraueritis, vt ibi habitaretis: gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Egypti; & fames, pro qua eſtis ſolliciti, adhærebit vobis in AEgypto, & ibi morieminini. omneſq; viri, qui poſuerunt faciem ſuam vt ingrediantur AEgyptum, vt habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peſte: nullus de eis remanebit, nec effugiet à facie mali, quod ego aſſeram ſuper eos.* Illi humanæ prudentiæ magis confiſi, contempſerunt verba Prophetæ: vnde hoc durum audierunt nuntium: *Non auditis*, inquit, *vocem Dei veſtri ſuper vniuerſis, pro quibus miſit me ad vos. Nũc ergo ſcientes ſcietis quia gladio, & fame, & peſte moriemini in loco, ad quem voluiſtis intrare vt habitaretis ibi.* Sic in obedientes ſibi periculum creant, & ſuo laqueo capiuntur. Sicut enim

Ionas Deum fugiens in ventrem cęti incurrit: sic Iudæi consilium Dei, & Ieremiæ varis fugientes, in ventrem magni illius draconis Nabuchodonosoris inciderunt. Quod idem Ieremias fugitiuis illis per Nabuchodonosorem futurum præ lixit cap. 43. à vers. 9. vsque finem. Sequebantur illi humanam prudentiam, quæ dictabat tutius esse, fugere in Ægyptum, quàm in Iudæa sese exponere periculo Chaldæorum: Cùm autem secus res esset in consilio Dei iuxta verba Prophetæ, prudentes sibi, & rebelles comprehendit Deus in sua prudentia.

4. *Achab in obedientiam mirè pertinax.*

Rex Achab 3. Reg. 22. recogitans in Syrotum potestate esse Ramoth Galaath, quæ ad Israeliticam ditionem pertinebat; de illa bello repetenda consilium cepit ascisens sibi in auxilium Iosaphat Regem Iuda, ex cuius cõsilio consulit Michæam Prophetam de belli euentu, qui aduersa omnia in eo bello Syriaco Regi Achabo euentura prædicit. Ille credulus pseudoprophetis, incredulus Michææ, eundem in vincula conijcit: in quibus illum hærere voluit, donec incolumis ex bello reuerteretur. Sed quid? Experitur suo malo verum fuisse Michææ vaticinium. nam euentum belli, & hostilem impetum timens, vulgarem gregarij militis habitum assumpsit, regium Imperatori Iosaphat reliquit. In quem propter regium decorem fit impetus, quod crederetur esse Rex Israelis. Et dum aliud significatur, reprimuntur armatæ, inimicorum manus, & telum in nullum certum scopum destinatum à quodam sagittario, defertur ad Achab in illam regij corporis partem, in qua vulnus erat lethale; ex quo ad vesperam decessit, non temerè, aut casu, sed Deo scelerum vindice ita disponente, ita vt linxerint canes sanguinem eius sicut prædictum fuerat ab Elia.

Cùm grauis fames Samariam vrgeret, neque illius leuandæ aliqua se spes, aut modus ostenderet, 4. Reg. 7. magnam Propheta Helisæus in diem crastinum abundantiam promittit. Cuius promissionem vir quidam nobilis, qui à Rege nusquam aberat, incredulus vanam æstimabat: *Respondens*, inquit sacer textus, *vnus de ducibus, super cuius manum Rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris?* Responsum accepit durum: *Videbis oculis tuis, & inde non comedes.* Nam cùm res eueniret iuxta Prophetæ verba, & tam opima præda ex Syrorum castris inferretur in ciuitatem à multitudine populi, vt non facile aut caperet, aut euomeret portas Samariæ, oppressus est à multitudine, & extinctus vir ille nobilis, erumpentis turbæ pedibus cõculcatus absq; eo quod libarat victoriæ fructũ eo quod nugacem appellarat Prophetam, & illius verba indigna censuerat, quibus à præsentibus haberetur fides. Assyrij, quia verbis Nahum Prophetæ fidem non adhibuerunt, experti sunt Dei in ipsos vindicem manum.

Quæres fortè, vnde contingat quosdam homines monitis Superiorum minùs obedire. Solutio in promptu est, Quòd Deo negante illis efficax auxilium permittantur sui sensui, ne mandatis Superiorum intendant. Exemplum habes quoad filios 1. Reg. 2. vbi Heli auditâ famâ, quæ de filiorum nequitijs percrebuerat, eos admonuit, dicens: *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, respessimas, ab omni populo? Nolite fili mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autẽ in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo:* Et immediatè post sequitur. *Nõ audierunt vocẽ patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Dicitur autem Deus voluisse illos interficere, & ideò eos paternũ respuisse consilium: quia Deus illis extraordinaria gratiæ auxilia non præbuit, quibus adiuti paternis mandatis obsecuti, abstinerent à rapina & à conculcando, & peruertendo legitimo victimarum ritu ac sacrilego concubitu: Adeoque non impulit in peccatum; sed tantum illos peccare permisit. Quomodo si pater opportunam correctionem, & flagellum intemperãti filio non adhibeat, vulgo hominum dicitur perdidisse filium, aut in crucem egisse; cùm tamen neque illum ad mortem, neque ad crucem adegerit; quia neque compedibus alligauit, aut seueriorem applicuit medicinam, quæ illum reuocaret à suspendio. Sic ergo Deus duos illos filios Heli interficere voluisse dicitur, quia extraordinarium, & indebitum auxilium negauit, quo peccatum, quod punire voluit, & supplicium, quod iam antè decreuerat, peccator effugeret. Vnde est illud Eccles. cap. 7. *Considera opera Domini, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit*, id est auxilio efficaci non adiuuerit.

5. *Subtrahit efficacia auxilij Dei, est causa inobedientiæ*

Quo sensu Deus dicatur hominem obdurasse.

Si verò particula, *quia*, rationalis non sit; sed idem valeat, quod *ideò*; quod aliquando in Scriptura sacra contingit; sensus erit expeditus magis; nempe duos illos filios non curasse, quid pater admoneret, & ideo Deum illos occidere voluisse. Certè illud Oseæ c. 9. v. 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos*; in hunc modum exponit Emanuel Sa. Neque alio fortasse sensu dixit de Magdalena Christus Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum*; id est, idcirco dilexit multum.

Quia, *idem quod* ideo.

Sic 3. Reg. 12. dicitur Roboam non acquieuisse populo, id est, consilium seniorum improbasse, qui cẽsebant mitius in vexatione tributorum in initio Regni agendum cum populo. *Quoniam auersatus fueras eum Dominus,*

vt,

vt ſuſcitaret verbum ſuum, quod locutus fuerat in manu Abiæ Siloniteæ ad Ieroboam filium Nabath. Quorum verborum hic eſt ſenſus, Roboam à Deo, non quidem poſitiuo influxu impulſum, vt inſipientes voces iuniorum amplecteretur, ſed labi permiſſum, vt id quod Ieboamo promiſerat, impleretur.

6. *Amaſias obediens vincit, inobediens vincitur.*

Amaſias Rex Iuda 2. Par. 25. ſtatuerat Idumæam, quæ ſub Ioſaphat olim iugum excuſſerat, ad illud iterum vi ſubactam adigere. Quamobrem è ſuo regno quam maximas potuit, collegit & armauit copias; & manum non exiguam ex Iſraele cognato ſibi populo mercede conduxit. Cumque iam eò res eſſet adducta, vt in Idumæos mouerentur caſtra, aduenit vir Dei, Propheta nimirum, de numero illorum fortaſſe, quos in ſuis collegiis inſtituit Heliſæus, qui prohibuit, ne ſibi Rex Iuda aliarum tribuum adiungeret vires, à quibus Deus, propter religionem iam antè prodiram, animum habebat alienum. Edixitque vt à Deo potiùs, quàm ab humana manu victoriam ſperaret, timeretque ne dum ſpem locat in viribus hominum, & in militari inſtructu putat ſitam eſſe victoriam, ſternatur ab hoſtibus, detque ambitioſi ſpiritus debitas pœnas, cùm ab eo non ſperet, aut petat, à quo ſolo ſpectari poteſt certa victoria. Rex ægrè patitur perire ſibi centum talenta, quæ in conducendo mercenario milite prius expenderat; cui Propheta reſpondet, Deo non eſſe difficile multo plura largiri. Quare non eſſe cur illum ea talentorum iactura cõturbet. Dimiſſus eſt ergo exercitus ex Iſraelitide gente conflatus, qui ea, ſic enim interpretabatur, iniuria grauiter affectus, quæ arma in Idumæos antè parauerat, in Iudæorum populum, id eſt, in cognata viſcera conuertit, & occiſis in ea prouincia tribus hominum millibus. opimas inde reportauit exuuias En quid præſtiterit Regi, obedire monitis Prophetæ: Sed quid? Paulò poſt ex illa victoria plus ſatis ſuis viribus, atque induſtriæ tribuens, idolorum monſtra, quæ coluerunt Idumæi, & ipſe coluit, & populo ſuo adoranda propoſuit, quaſi illorum beneficio victoriam illam obtinuiſſet: *Quam ob rem iratus Dominus contra Amaſiam, miſit ad illum Prophetam qui diceret, Cur adoraſti Deos, qui non liberauerunt populum ſuum de manu tua? Cumq; hæc ille loqueretur, reſpondit ei, Num conſiliarium regum? quieſce, ne interficiam te.* Diſceſſit quidem Propheta; ſed diſcedens ait illi à Domino ſeuero vindice decretam eſſe mortem, & quia tam impium admiſiſſet facinus, & Prophetam ab ipſo legatum tam ſuperbè atque ignominioſè repuliſſet: *Scio*, inquit, *quod conſtituerit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper non acquieuiſti conſilio meo.* Ex qua contigit victoriam, inſolentem Amaſiam prouocare Ioas Regem Iſrael, & quaſi ex condicto euocare in ſtadium. Quo audito Ioas paræmiam hanc per nuntios propoſuit. *Carduus, qui eſt in Libano, miſit ad Cedrum Libani, dicẽs: Da filiam tuam filio meo vxorem: & ecce beſtiæ, quæ erant in ſylua Libani, tranſierunt, & conculcauerũt carduum. dixiſti, Percuſſi Edom: & idcirco erigitur cor tuum in ſuperbiam: ſede in domo tua, cur malũ aduerſum te prouocas, vt cadas & tu & Iudas tecum?* Qua ſignificauit Ioas, nequaquam futurum vtilem Amaſiæ congreſſum illum, quem optabat; & errare, ſi velit cum Rege Iſrael certamen inire, & maiora tentare, quàm aſſequi, & ſuſtinere poſſit; quemadmodum inſanus iudicaretur Carduus, ſi Cedrum Libani laceſſeret, aut ad illius proceritatem aſpiraret, quod tunc videretur tentaſſe Carduus, cùm filiam Cedri filio ſuo deſpondere vult; matrimonium enim, aut æquales inuenit coniuges, aut æquales facit. Imò vir in coniugio eſt ſuperior vxore, qualis Amaſias videri vult, dum victoriam ex eo certamine promittit. Latini aliter explicant hunc diſparem congreſſum, aut prouocationem, cum leonem ab hinnulo, equum à teſtitudine, ab ſcarabeo aquilam, luſciniam à pica prouocari dicunt, ad pugnam, ad curſum, ad volatum, ad cantum. Vti autem ſiquid eſſet mentis in belluis, illæ ferrent iniquiſſimè impudentiam Cardui, qui eos ſibi aſſumpſiſſet ſpiritus, vt videri vellet Cedro ſuperior: & ideò cum offenſione, & ſtomacho conculcarent Carduum, & ſi fieri poſſet ab imis euulſum radicibus exterminarent è Libano. Sic Reges Iſrael ſerui viri fortes, & nobiles ſtomachabundi non ſolum à regno, ſed etiam è viuis Amaſiam eijcerent. Subdit autem Scriptura ad noſtrum propoſitum: *Noluit audire Amaſias, eò quod Domini eſſet voluntas, vt traderetur in manus hoſtium propter Deos Edom.* id eſt, permiſit Deus Amaſiam non acquieſcere monitis Regis Ioas, quia Deus propter peccatum idololatriæ cum decreuerat hoſtium manibus tradere. Quod ita contigit. Cùm enim illud conſilium optimum abijceret, & duriùs reſpondiſſet, quàm Regis Iſrael humanitas merebatur, & perſequi ſe velle diceret cogitata, aſcendit Ioas ad vrbem Bethſames, vel vt Amaſiam ad meliorem mentem traduceret, vel ſi in eodem obſtinaſſet conſilio, pertinacem animum, quidquid illud eſſet, quod Amaſias ſibi propoſuiſſet, ferro tranſigeret. Quare venit quàm optimè potuit armis inſtructus, vtpote prouocatus, & cùm decerni nihil diſceptando poſſet, res ad arma vocatur; & breui Rex Amaſias, & populus Iuda ſic fuit durè ab Iſraele vexatus, vt quiſque non niſi in fuga ſalutem ſuam ſeruandam putaret. Captus autem fuit Amaſias, & ductus Hieroſolymam, quam victor occupauit Ioas, diruitque

Amaſias cui Ioa monitis non acquieuit.

rutiſq; mœgno ſpatio manibus ad quadringentos nempe cubitos, quidquid pretioſum fuit in templo ac domo regia, Samariam abduxit.

7. *Deum deſerens, eius deſertione vicißim dignus eſt.*

Sic penè initium, & cauſa prima eſt ipſorum hominum peccatum & iniquitas, deinde ſubtractio auxilij efficacis ad obſequendum ſanis conſilijs & monitis. Qui enim peccando Deum deſerunt, merentur viciſſim à Deo deſeri, prout docet S. Auguſtinus lib. de bono perſeuer. cap. 6. & alibi; & ex multis alijs Scripturæ locis perſpicuè colligitur, vt Rom. 1. *Commutauerunt veritatem Dei in mendacium, &c. propterea tradidit illos Deus in paßiones ignominiæ.* Et poſtea: *Sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* 2. Theſſ. 2. ſimile quid inuenies eo, *quod charitatem veritatis non receperunt*, inquit Apoſtolus, *vt ſalui fierent, ideò mittit illis Deus operationem erroris.*

8. Tu igitur, mi Chriſtiane, & parentum & Prophetarum monitis ſalubriter acquieſce, ne ſeriùs deplores, quod in tantum malorum ex proteruia peruueneris; & dicas iuxta ſapientem Prouerb. 5. *Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magiſtris non inclinaui aurem meam?* Hinc enim omne malum. Noli ergo obſtrepere Prophetis, noli ſubſanate monitores, noli contemnere Paſtores; hinc enim plagæ executionem poſtulant. Vide Ierem. 38. Iſaiæ cap. 28. Oſeæ 12. & 4. Reg. 1. vbi planiſſimè dignoſces contemptum Prophetarum (quorum locum modò obtinent Paſtores, Confeſſarij, alijque pij monitores) Deum cogere ad vindictam.

SECTIO XV.

Quænam dicatur ſenectus bona.

1. REGIVS Propheta Dauid humanæ vitæ limites deſcribens, inquit Pſal. 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis: ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* quaſi dicat, In hominibus ſtrenuis, vegetis ac robuſtis, optimæque valetudinis & complexionis annus & octogeſimus, eſt vltimus humanæ vitæ limes: ſi autem vltra extendatur aliquando, maior octogenariæ vitæ pars miſera erit, & plena ærumnis. Vnde & Berſellai octogenarius, qui Dauidi Regi in neceſſitate auxilio fuerat, in iſta ætate ſe præmortuum putabat, & ſepulchro, quàm palatio aptiorem. Cùm enim Dauid rex memor beneficij, quo eum proſecutus fuerat, illum ad palatium inducerer: *Veni*, inquiens, *mecum, vt requieſcas ſecurus mecum in Hieruſalem.* Reſpondit: *Quot ſunt dies annorum meorum, vt aſcendam cum Rege in Hieruſalem? Octogenarius ſum hodie: numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue, aut amarum? aut delectare poteſt ſeruum tuum cibus & potus? vel audire poſſum vltrà vocem cantorum, atque cantatricum? quare ſeruus tuus ſit oneri domino meo Regi? Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac vicißitudine.* Quaſi dicat: Parum mihi ſupereſt vitæ, octogenarius ſum, & ſenex valde, qui aulicas delicias potius reſpuo, quandoquidem in hac ætate omnes hæbeſcunt voluptuarij ſenſus, neque ex aulicorum, aut Regis conſuetudine, muſiciſque cantibus aliquod ſentiam leuamentum. 2. Sam. 19.

Atas octogenaria multis ærumnis expoſita eſt.

Verùm hoc loco dicitur, quòd Tobias poſt ſepulturam matris, inuenerit ſoceros ſuos incolumes in ſenectute bona, qui tamen longè tranſcéderant octuageſimum annum. Quæritur ergo, an aliquando ſenectus bona dici poſſit. Aperiam tibi breuiter quod ſentio. Tripliciter exiſtimo ſenectutem bonam dici poſſe. Primò, quando pro ætate valet, integritáque vtitur ſenſibus, perfectam quamdam in ſermonibus, conſilijs, moribus, ſtudijs, & actionibus quaſi maturitatem habens, à qua conſilium in quouis rerum articulo alius accipere queat. Inquit enim Siracides, *Corona ſenum multa peritia*, Eccleſ. 25. & Tullius in Catone. *Temeritas eſt floreſcentis ætatis prudentia ſenectutis.* Hieronymus epiſt. 2. ad Nepotian. In ſenibus abundantiſſimum, & vltra humanam vocẽ diuini ſermonis tonitruum commoratur. Et Seneca libro 1. de Tranquill. vitæ cap. 3. ſatis inſinuat non eſſe bonam ſenectutem, à qua conſilium expectari non poſſit, Cùm, inquit, *Nihil turpius eſt, quàm grandis natu ſenex, qui aliud non habet argumẽtum, quo ſe probet diu viciſſe præter ætatem.* quaſi dicat. Alia clariora argumẽta habere deberet, nempe experientiam, ſapientiam & prudentiam, quæ ſeris ab annis colliguntur. Hanc ſenectutem intelligit ſacra Scriptura apud Iſaiam Vatem cap. 3. vbi Deus ſubmouere minitans præſidia, quæ laboranti Reip. magis opportuna ſunt, inquit, *Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda*, &c. *Iudicem, & Prophetam, & ariolum, & ſenem*; Iudicem videlicet, qui præſit, moderetque timidum, & tumultuantem populum: propheram, à quo in dubijs diuina ſciſcitemur oracula, & ariolum, qui acri, perſpicacique iudicio, quod à tempore ſiue hoſte timeri poſſit, odoretur, atque conijciet; neque relinquet ſenem, qui ſua prudentia, longo rerum vſu, atque experimento comparata, quid facto opus ſit, imperitæ rerum iuuentuti præſcribat. Et Ezech. 7. quando minatur Propheta Iudæorum populo proximum exitium. *Quo tempore*, inquit, *quærent viſionem de Propheta, & interibit à Sacerdote,*

2. *Senectus tripliciter eſt bona. Prima. Quæ prudentia & conſilio valet.*

te, & consilium à senioribus. quasi dicat. In eo autem rerum articulo, ac perturbationis æstu quærent à Prophetis, quodnam acceperit à Domino oraculum, sed nihil audient nisi minax & durum: neque in sacerdotibus erit vlla legis sana veraque conditio: neque seniores erunt, qui possint sua sapientia cladem auertere, vel dare consilium euadendi, cùm in grauibus malis aliquod solatij genus sit habere à quo consilium petas, & quid in rerum statu Reip. turbulento facto opus sit. In hac significatione existimo hoc loco dici, quod socceros suos inuenerit incolumes in senectute bona, taliter videlicet constitutos à quibus, Niniue pereunte in seruitute captiuitatis æquè possit consilium expectare Tobias ac à parentibus, qui ad aliud sæculum iam migrarant.

3. Quæ virtutibus detur.

Secundo bona senectus vocatur propter existimationem virtutis, vt enim nuper dixi ex D. Ambrosio lib. 2. de Abraham ad locum Genes. 15. *Sepultus in senectute bona*; ea à mala distinguitur, quia iustus bene senescit, iniustorum autem nemo, quamuis cornicibus viuacibus diuturniore viuant. Ille enim benè senescit, qui benè sentit, iuxta illud Sap. 4. *Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Philo Iudæus super verba, *Respuit Noe*, inde probare nititur eos qui virtutibus procedunt, seniores appellari. *Iam ostendimus*, inquit, *non ætate, sed honore præstantes, nuncupari seniores.* Et in primis ab illis duobus coniugibus, sanctissimis Patriarchis, Abraham & Sara exorditur; qui omniù primi in Scriptura senes appellantur: *Erant*, inquit textus, *ambo senes, prouectæq; ætatis.* Genes. 18. v. 11. Non, quòd ætate: sed, quòd sanctitate alijs præcesserint. Et rursus de Abraham dicitur: *Erat Abraham senex, dierumq; multorum; & Dominus in cunctis benedixerat ei.* Genes. 24. vers. 1. ad quē locum alludens Philo: *Quis ignorat*, inquit, *quod ille sapientissimus Abraham, breuioris ani, quā vllus penè omnium maiorum suorum inducitur? Illorum tamen, qui diutissimè vixerunt, nemo, quod sciam, sed solus hic scribitur senior. Dicunt igitur sacra Oracula, quòd Abraham erat senior ætatis prouectæ. Et Dominus benedixit Abraham, rebusq; ipsius omnibus. Quod mihi videtur subiunctum tanquam causa præcedentium cur senior dicatur ille sapiens. Cùm enim à benigno Deo benè afficitur anima pars rationalis, nec vnam modò, sed omnes benedictionis species accipit, semiliter sapit, atque sit senior.* Itaque Abraham & Sara, cùm multis antiquis Patriarchis ætate fuerint iuniores, omnium tamen primi senes appellantur; vt maturai illis fuisse, non tam ætatis, quàm sanctitatis: neque tam annorum, quàm benefactorum senectus ostenderetur.

Abraham & Sara primi in Scriptura cur dicantur senes.

4. Pueri benè morati dicuntur senes.

Quàm doctrinam de his quoque Patriarchis expressit idem Philo lib. de Abraham, seu de legibus non scriptis, versus finē: *Hunc* inquit, scilicet Abrahamum, *primum nominat:* diuina oracula, *seniorem; quamuis maiores eius triplo, & amplius longeuiores fuerint: quorum neminem legimus hac appellatione dignum habitum. Et meritò: nam reuera senior, non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita spectatur. Siquidem qui multum ætatis in corpore vixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi sunt, quia nunquam disciplinas attigerunt dignas canitie. Amator autem prudentiæ, sapientiæq;, iustè senior, siue primus vocari potest. Nam reuera primus est sapiens in humano genere, sicut gubernator in naui, magistratus in ciuitate, Imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima, cælum in mundo, in cælo Deus.* Et paulo post concludit: *Itaque senior, & primus, vir bonus dicendus est: omnis autem malus extremus, & nouissimus, vt nouator, & tractans res extremi ordinis.*

Origenes hom. 16. in Iosue veterum hunc esse calculum asserit. Sic enim ait ad verba, quæ Iosue cap. 13. dum illi præcepturus erat Dominus, diuidere terram promissionis, habentur, *Iosue senex, prouectæq; ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti & longæuus es, terraq; latissima derelicta est, quæ necdum forte diuisa est,* &c. *Etiam ante nos*, inquit, *quidam obseruantes notarunt in Scripturis, qui a presbyteri vel seniores non ex eo appellantur, quod longeuam duxerint vitam, sed pro maturitate sensus, & grauitate vitæ veneranda hac appellatione decorentur, maximè cùm additur ad presbyterum sermo iste, qui sequitur, plenus dierū. Si enim cui prolixitate appellandus, qui presbyter, vel senior videretur, quem magis oportebat alium hoc nomine censeri, quam primum Adam, vel certè Matusalem, aut Noe, qui vtrique pluribus quàm cæteri annis in hoc mundo vixisse declarantur? Sed nūc videamus quod ex illis quidem nullus refertur à Scriptura presbyter, aut senior appellatus, sed is qui longè breuioris temporis vitam duxit, primus in Scripturis sanctis Abraham presbyter vel senior appellatur.* Et paulò pòst: *Nescio ego si in hoc loco illud potest videri, quia hoc dicebat Dominus ad Iesum quod de ætate eius senili omnes videbant, & omnes nouerant. Et quæ sunt tam magna responsa istius diuina, quæ hominibus deferuntur, vt dicant seni homini, quia senex es, quod omnes videbant, & omnes nouerant? Sed mihi videtur magnum aliquod testimonium à Domino per hac dari filio Naue, cùm ei dicitur, quia prouectus dierum es. Et quantum quidem proloqui nobis, vel aperire de diuinis mysterijs fas est, ego arbitror quod sicut sol iste dies facit mundo huic, ita & sol iustitiæ faciat aliquos dies spirituales, qui fulgore veritatis, & lampade sapientiæ illustrentur, Si quis ergo in præceptis Dei vitam hanc præsentem, quæ (sicut Iacob dicebat) paucorum & malorum dierum est, transegerit, & immaculatum se ab hoc mundo custodierit, atque omnes aduersarios, & hostes suos subegerit spirituales, ab istis paucis & malis diebus proueniet & promouetur ad illos dies aeter-*

5. Granitas vitæ, non ætas senem virum signi ficat.

Iosue senex dicitur, quia maturus.

nos & bonos, æterni Solis luce signatos.

Vnde & Danieli iuueni dixerunt senes proterui: *Veni, & sede in medio nostrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis.* Suspiciebant enim seniores in Daniele senile iudicium, cùm viderent eum, quod non solum exclamantem voce magna, quod improbaret iudicium iam pronuntiatum ad Susannam lapidandum: sed etiam cohibentem repentè multitudinem in ipso ardore, quæ ad executionem procedebat. De quo sic Basilius hom. 21. in init. Prouerb. *Senior secundum animam est, qui prudentia perfectus est, qualis erat Daniel, quanquam corpore iuuenis sapientiam ac grauitatem omni canitie præstantiorem præ se ferens. Idcirco ei dicunt illi, qui erant pleni dierum malorum: Huc accede, sede in medio nostrûm, nuntiaq; nobis, quomodo senioris ac presbyteri honorem tibi dederit Deus.*

6. *Probitas, non ætas senes facit.*

In hunc quoque sensum inquit Deus ad Moysem, Numer. 11. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod seres populi sint.* Vbi planè senes non nominat ab ætate, quos omnes norunt, sed à probitate, quos solus Moyses distinguebat. Sic enim excitatis verbis rectè colligit Philo: *Ergo*, inquit, *non eos, quos vulgus senes existimat, sed quos solus hic sapiens nouit, seniorum appellatione dignatur. Quos enim hic reprobauerit, tanquam bonum mensurum, falsam virtutis monetam habentes, iuuenili, temerariog; sunt omnes animo: quos autem commendare voluerit, probati & iuxta prudentiam seniores censendi sunt.* Quam Philonis interpretationem sequutus D. Ambrosius serm. 2. in Psal. 118. vlterius docet, optimos Prælatorum electores, non tam ad corporis, quàm ad mentis senectutem, hoc est, prudentiam, consilium, probitatem spectare. *Et nunc*, inquit, *quibus hoc committitur officium, vt eligant seniores viros, eligunt sine dubio inter seniores iuuenem corrigentem viam suam in custodiendo verba Dei. Et si seniorum ætatis virum elegerint, non quasi longæuum vtique elegerunt; sed quasi custodientem verba Dei. Quod, si reperitur in iuuene vtique & ipse est eligendus.* Quod probat exemplo Moysis, iuniores senioribus præferentis: *Moyses*, inquit, *Iesum Naue & Caleb iuuenes præ cæteris approbabat; quorum consilium in terræ electione, magis quàm multorum seniorum, & ipse secutus est; & Deus præstulit.* Itaque seniores dicuntur, non qui annorum longæuitate, sed qui virtutum sanctitate in maius promouentur.

7. *Tempus vita est inutile quod virtutibus non transigitur.*

Vnde verissimè S. Hieronymus in Aggæi. cap. 1. *Omne tempus, in quo non virtutibus, sed vitijs deseruimus, perit, & quasi non fuerit, reputatur in nihilum. Si quis ergo de nobis vel in conualle habitat, vel in voluptate & luxuria sæculari suam consignat domum, ille templum Deo non ædificat, nec habet Dominum in eo, vbi caput suum reclinet.* Alludit ad Iudæos, qui sibi construebant domos egregias, delicatas, ac pretiosas, puta cælatas & laqueatas, neglecto templo Domini, ex quo omnis eorum labor potius erat nocuus quàm vtilis. Sancti viri propterea æstimabant se non vixisse annis, quos in mundi vanitate impenderant. Sic Barlaam apud Damascen. in Histor. roganti Iosaphat, quot nam esset annorum? respondit 45. quia licet, inquit, 70. vixerim tamen 45. tantùm Deo vixi: vnde hos solos annos vitæ computo, cæteros quos in vanitate transegi, mortis fuisse censeo, ideoque eos non numero, quos me perdidisse æstimo & deploro. Et quia Abraham optimè cum Deo vitam transegerat, hinc dicitur in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum, Genes. 25. De Gedeone Iudic. 8. dicit Scriptura, *Mortuus est Gedeon filius Ioaz in senectute bona; & sepultus est in sepulchro Ioas patris sui, in Ephra de familia Ephri.* Et vt constaret propter bonam vitæ clausulam, mortuus dici in senectute bona, addit Scriptura: *Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israel, & fornicati sunt cum Baalim*, quasi eius exemplo in vero Dei cultu permansissent. De Dauide similiter loquitur, *Mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & diuitijs & gloria*, 1. Paral. 29.

Vtiliter igitur Eucherius hom. 9. ad Monachos: *Solemus annos nostros, & temporum spatia, quibus nunc viuimus, supputare: non te fallat quicumque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti. Illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluptates proprias abnegasti, in quo malis desiderijs restitisti, quem sine vlla regulæ transgressione duxisti. Illum diem te vixisse computa, quem non malitia, non inuidia, non superbia commaculauit; qui peccato non cessit, qui diabolo repugnauit. Illum diem vixisse te computa, qui pietatis & sanctæ meditationis habet lucem. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cuius vsus peruenit ad animam tuam.* Hoc agat vnusquisque in statu suo. Propter virtutis itaque summam rationem, quam habuerunt soceri Tobiæ, dicuntur ab ipso inuenti incolumes in senectute bona. Imò Origenes loc. cit. existimat in sacris literis neminem nisi virtuosum, dici senem, & plenum dierum: *Obserua*, inquit, *tu ô auditor in omni Scriptura, si cubi inuenire potes hanc appellationem senior & plenus dierum, positam super aliquo peccatore. Nunc ergo sancti Spiritus vox est pronuntiantis Iesum presbyterum, vel seniorem, & prouectum in diebus. Ita enim dicit: Iesus enim erat presbyter, vel senior & prouectus dierum. Quod vtique de peccatore dici nõ potera: quia peccator non est prouectus dierum. Non enim se extendit ad ea quæ ante sunt, obliuiscens ea quæ retrorsum sunt, sed semper retrò conuertitur, & ad vomitum suum redit, & ideò non aptus est regno cælorum.*

8. *In Scriptura nulli peccatori tribuitur nomen senis.*

Quin imò S. Scriptura senes peccatores

9. vocat

Senes improbi, pueri vocantur.

vocat pueros, & maledictioni obnoxios, nempe Isaiæ 65. vbi Propheta loquens de gratia noui testamenti, dicit, quod renati per Baptismum non erunt infantes dierum paucorum, sed instar virorum, gratiâ & virtutibus pleni & validi; & addit: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Quasi dicat: Qui sensibus & vitiosâ vitâ erit puer, is non perseuerabit in Ecclesia; vt ex militanti eat ad triumphantem, sed punietur morte æternâ, & diuina eum configet maledictio. In quæ verba Gregor. Magnus lib. 17. Mor. cap. 14. *Puer centum annorum morietur, &c. ac si apertè nos deterreat dicens: Vita quidem pueri in longum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur; sed si à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate cõpescitur; hac ipsa vita longinquitas, quam per misericordiam accipit, eo ad cumulum maledictionis crescit. Vnde necesse est, vt, cùm nos diutius expectari conspicimus, ipsa prorogata peccatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus; ne ex clementia Iudicis crescat supplicium peccatoris, & vnde quisq; eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat.*

Præclarè in hanc rem Chrysostomus homil. 37. in Genes. ad illa verba, Domini, ad Abraham, quæ habentur Genes. 15. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona: Et qualis, inquit, senectus bona; fortasse dicet aliquis, ad quam tantis molestijs per omnem vitam venitur? Verùm ne hoc attendas homo, sed specta quæ illi omni tempore fuerit gloria, & quomodo glorioſius vixerit peregrinus, qui ciuitate focoq; carebat, & quanto frui ei datum est omni tempore Dei subsidio. Non igitur iuxta præsentem opinionem iudica res, neque senectutem esse bonam censeas, versari in luxu, deliciis & crapula, & possessione diuitiarum, & magna pecorum & mancipiorum multitudine. Non enim fecerunt ista senectutem bonam, sed & multam condemnationem attulerunt, neque in senectute continẽtiam nouisse, neque ad extremos spiritus de his quæ decebat consulere: sed quotidie indulgere ventri, & sectari conuiuia & ebrietates: de quibus omnibus non multò post reddenda rationes.*

Senectus delitijs abludens minimè bona.

10. *Senes deficientes à prima bona indole, quasi repuerascũt.*

Vnde & mali senes, qui à prima bona indole deficiunt, repuerascere dicuntur; quorum exempla refert aliqua Mayolus, scribens de hominis Creatione: *Extant*, inquit, *exempla generosæ indolis, quæ in prima statim pueritia sese feliciter exeruerunt: At enim sicut corpora ipsorum, decursu annorum in humoribus, sic ætates in moribus variarunt, imò turpiter haud rarò defecerunt. Exẽpla sunt notissima. Absalon filius Dauidis in pueritia bona fuit indolis, vnde etiam hoc nomen Absalonis, quod principem pacificum significat, inditum illi fuit, atque is prorsus in adolescentiæ progressu degenerauit: Sic Alexand. Magnus in ætatis flore placidissimus, at multis potitus victorijs multa egit proteruè ac tyrannicè. Nero in ætatis flore vsque adeò commiseratione afficiebatur erga facinorosos, adeoq; digna plectendos pœna, vt quotiès peteretur ab eo subscriptio sententiæ pœnalis executoriæ.* Vah, malim me nescire litteras, *ingemisceret. Is tamen per ætatem postea à pristinis adeò degenerauit moribus, vt non solum innumeros, eosq; citra omnem omninò culpam obtruncari iuberet, sed etiam optare se, vt se viuo vniuersus conflagraret orbis, palam dixerit.* Et immediatè post subnectit ad rem nostram: *Estq; adeò verum simile illud, quod nuper me legere memini. Vt arbores quædam bellè florent, verum nullum adferunt fructum, ita quorumdam puerorum indoles magnam vitæ frugem pollicetur, qui simulatq; adoleuerint, ad ineptissimas conuersi voluptates, fallunt expectationem omnium. Et vt Plinius hac similitudine vtitur. Est India gens dicta Pandora, quæ in pueritia cano est capillitio, in senecta nigrescunt capilli: ita nonnulli primis annis sobrij ac modesti grandiores iam ad nugas, & ineptissimas voluptates, abijciunt sese, & quasi repueraſcunt. ita Plinius l. 7 cap. 2.*

Similitudines.

D. Augustinus de eiusmodi sic pronuntiat serm. 246. *Tantus est in malis*, inquit, *senibus plerumq; gurges auiditatis, & insatiabilis vorago ventris & gutturis, vt quanta bonis senes prudentia serenantur, tanta isti violentia sepeliantur, quasi ad hoc in eis arida viscera, & succo exinanita curuentur, vt ad vigorem pristinum reparandum ebrietatis inundatione riganda sint. Quid auaritia quæ radix est omnium malorum? Nonne in frigidis senibus tanto ad acquirendum ferentius inardescit, quanto citius relictura est, quod acquirit mirabili sanè dementia? Grauioribus enim sumptibus se onerare æstimat, cùm iam peruenerit quò tendebat.*

Turpe, senem dedita esse voluptati.

Tertiò senectus bona dicitur, quæ licet proxima sit morti, quâ nihil omnium rerum horribilius est homini, se tamen ipsa consolatur, & sustentat, ac contra illam animat præteritæ vitæ prudenter atque innocenter exactæ conscientia, & iucunda rerum à se gestarum recordatione. Sic Apostolus Paulus, cùm seriò moneret Timotheum ad vigilantiam, vt hæreticos obseruaret, & quasi lupos à suo grege auerteret, iam morti proximus inquit: *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Ego prope sum, vt sanguinem, quasi libamen Deo profundam, consecrem, & sacrificem per martyrium, iamque imminere tempus sentio, quo mihi hæc breuis, mortalisque vita cum illa sempiterna ac beata commutanda erit. Hæc igitur vltima monita, ô Timothee, penitus tibi imprimas, atque in omnem vitam ob oculos ponas, quasi in ijs me monentem tanquam præsentem semper intueatis. *Sunt hæc verba Pauli*, inquit Augustinus in Psalm. 31. *exultantis magis ad mortis præsentiam, & ad coronam anhelantis, quàm timentis, & seipsum cruciantis.* Addit enim Paulus. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ,*

Senectus delitijs abludens minimè bona.

Exempla bominum degenerum.

11. *Quæ ob vitæ probè actam non timet mortem sed exultat.*

ſtitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Quaſi dicat Timotheo; Pro fide Chriſti diuulgandâ plurimos labores, ærumnas, perſecutiones & afflictiones generosè ſuperaui, à carceribus ad metam cucurri, victor ex ſtadio abeo ad coronam Lætare ergo, & me prætereuntem aſſectare, ô Timothee, tibi lampada trado. Suas præclaras actiones commemorat, cùm ex diuina reuelatione & inſtinctu præſentiret ſe morti proximum; quibus deberi coronam affirmat. Vnde triplici metaphora iam ſenex vitam à ſe probè actam deſcribit. Prima adducta eſt à militia: verè namque ſcriptum eſt à Iob: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, cap. 7. Et Sapiens Eccleſ. 4. 33. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Eandem ſimilitudinem ſecutus eſt Iudas cùm dixit verſic. 3. *Deprecans ſupercertare ſemel tradita Sanctis fidei.* Et Apoſtolus 1. Cor. 9. 26. *Sic pugno non quaſi aerem verberans.* Altera metaphora à ſtadio & curſu Olympico petitur; *Curſum*, ait, *conſummaui*, quomodo & ad Corinthios ſcripſit Epiſt. 1. cap. 9. *Neſcitis quod hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium, ſic currite vt comprehendatis.* Nec abhorret à Latinè conſequentium conſuetudine: ſic enim dixit elegantiſſimus Poeta Virgilius Æneid. 4.

Vixi, & quem dederat curſum natura peregi.

Ita olim Dauid Pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Tertia, ac poſtrema ducitur à numulatijs, vel bonæ fidei debitoribus, qui pecunias, aut res alias ſibi commiſſas, & creditas bona fide ſeruant, & creditoribus reſtituunt fidem igitur ponit pro fidelitate, de qua Chriſtus apud Matth. cap. 24. fidelis ſeruus, & prudẽs, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Et rurſus cap. 25. *Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.* Et Paulus 1. Cor. 4. *Hic iam quaritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Et in Apocalypſi cap. 2. 10. ſcriptum eſt. *Eſto fidelis vſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ*, & alibi Paulus; *Nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* fidelis, inquit, fui athleta, perſeueraui alacris in contenta hac pugna, & curſu ad finem vſque vitæ. Nemo mihi conſtantiam, nemo animos, nemo fidelitatem infregit, aut imminuit, nõ Iudæi, non Gentiles, non Reges, non Philoſophi, non dæmones, non vincula, non plagæ, non deliciæ, non tentationes, non terrores: quin potius hæc omnia certanti, & currenti vires animoſque addiderunt.

D Paulus morte non longè abſens triplici metaphora enarrat vitam à ſe probè actam

12. *Sancti viri mortem ap-*

S. Hieronymus teſtis eſt in vita Hilarionis, eum octogeſimo ætatis ſuæ anno, cùm modicus calor reperet in pectore, nec præter ſenſum quidquam viui hominis ſupereſſet, apertis oculis ſic fuiſſe locutum: *Egredere, quid times: Egredere anima mea, quid dubitas: Septuaginta propè annis ſeruiſti Chriſto, & mortem times?* Verba ſunt boni ſenis in Chriſto confidentis, & recordatione bonæ vitæ ſe ad mortem animantis. S. Martinus, vt auctor eſt Sulpitius in eius vita, magna fiducia in ſupremo ætatis, dixit diabolo in exitu adſtanti: *Quid hic adſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſti reperies: Abrahæ me ſinus excipit.* Talis fuit & conſcientia ſocerorum Tobiæ qui prioris vitæ memoria exultantes, dicuntur inuenti à genero in ſenectute bona: quia vt ex Platone ait Seneca ad Martiam cap. 23. *Sapientis animus totus in mortem promittet, hoc vult, hoc meditatur, hac ſemper cupidine fertur, in exteriora tendens.*

pertunt, non horrent.

Simus noſ etiam tales, cani ſenſibus: attendat vnuſquiſque bonæ ſenectutis gloriam; attendat ſoceros Tobiæ fideliter decertantes ſub captiuitate Aſſyriorum: Attendat Paulum exultantem proximum ad paſſionem: *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Recogitet quàm ſuaue & iucundum erit morituro, ſi cum Paulo in hora mortis, teſte conſcientia poſſit ſibi dicere: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Certemus ergo generoſe, curramus ſtrenuè, dũ viuimus & vigemus; vt illo vltimo vitæ articulo & puncto, in horizonte, in quam æternitatis, qui ſeparabit, & diſterminabit nos in perpetuum à vita hac temporanea, & in alteram, quæ totius eſt æternitatis, tranſcribet, de vita tranſacta gaudere, de futura quàm optimè ſperare poſſimus ac dicere: *Curſum conſummaui, fidem ſeruaui: In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, quam certo reddet Deus ijs omnibus, qui illuſtrem ipſius aduentum pijs votis experientur.

Perſeuerãdia quam ſuauis cuiibet moriturο.

SECTIO XVI.

Quare Scriptura meminerit curæ, quam geſſit Tobias ſocerorum ſenum.

VOTVM erat Dauidis in perſecutione filij Abſalonis, ne Deus illum ſenem deſereret, cùm robur ac vires debilitatæ etant: *Ne proijcias*, inquit, *me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me*: Ne deſeras, inquit, me hoc vltimo tempore, quo ſenio confectus auxilio tuo magis egeo. Hoc ipſum credo omnium parentum eſſe votum, vt à filijs ſenio confecti, quantum neceſſe eſt iuuentur. Perpendit hoc diligentiſſimè Tobias iunior; & quaſi vocem huiuſmodi ſocerorum in auribus ſuis ſonantem audiſſet, ijs auxi-

1. *Votum parentum ſenum filij à ſuis iuuari.*

2. *Socer ſenex curandi & parentis.*

auxiliaturus accurrit. Quod primùm exiſtimo à Spiritu ſancto notari, quòd præceptum diuinum exiſtat id ſingulariter commendãs: Inquit enim Siracides Eccleſ. 3. *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui.* Huius locum ſubeunt ſoceri, vt latiùs explicaui Sect. 8. cap. 10. Quinimò ſacra Scriptura non tantùm de parentibus ſenibus ſollicita fuit, ſed quibuſuis ſenioribus honorem haberi voluit: *Coram cano*, inquit Moyſes Leuit. 19. *capite conſurge, & honora perſonam ſenis, & time Dominum; Ego ſum Dominus*, quaſi dicat: Si ſenes non times, time ſaltem Deum, & propter timorem Domini ſenes honora, qui Deum parẽtem omnium repræſentant. Vnde omnes penè nationes inſtinctu naturæ ſenes honorarunt. Spartani, teſte Plutarcho, in theatro venientibus ſenibus conſurgebant omnes, & eos ſeſſum recipiebant. Romani adoleſcentes in curiam deducebant ſeniores, extra curiam eos præſtolabantur, vt domum reducerent. Audi Iuuenal. ſat. 13.

Quilibet ſenes ſunt honorandi.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat.

3. Et certà ipſa æquitas poſtulat, vt quis maximè parentum & ſocerorum curam gerat, quandoquidem ipſi in illa ætate vtilitatem ſedulò curent filiorum. Inde præclarum habemus exemplum 2. Reg. 19. vbi Berſellai Galaadites vir diues, quem ſecum retinere optabat Rex Dauid, vt gratè remetiretur officia, quæ ab illius acceperat liberali manu; negante ſibi in ætate grãdi in Principum aula aliquid poſſe audire iucundum, orat, vt, quidquid Rex ipſi indulgere velit, in filium trãſcribat: *Obſecro*, inquit, *vt reuertar ſeruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & ſepeliar iuxta ſepulchrum patris mei & matris mea. Eſt autem ſeruus tuus Chamaam, ipſe vadat tecum Domine mi rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.*

4. *Tobias non optauit mortem ſocerorum ad illorum bona poſſidenda.*

Deinde credo ſtylo indelebili ſolicitudinem Tobiæ commemorari, quod inter barbaros exiſtens ſedulò curaret ſoceros, cùm plerumque etiam apud fideles magnus ſit filiorum defectus, in cura parentum, quos è medio ſublatos vellent, vt bonis illorum fruerentur. Et fortè apud Aſſyrios barbarus ille mos locum habebat, quem apud pleraſque gentes inoleuiſſe multi Auctores tradũt videlicet vt filij parentes ſenio confectos interficerent. Ex Herodoto, de Indis, & Maſſagetis refert Rhodiginus lib. 11. cap. 18. idem lib. 11. c. 21. *Legimus*, inquit, *Caſpios gentem immanem, & feram parentes incluſos fame necare, cùm iam etatis annum ſeptuageſimum exceſſerint.* Eadem de ijſdem refert Strabo lib. 10. Euſebius de præpar. Euang. lib. 1. cap. 3. Hieronymus in Iouinian. libr. 2. Adſcribam huius tanti Auctoris verba, quo facilius dignoſcas errorem, qui apud pleraſque Gentes tanquam beneficium obſeruatur: *Maſſagetæ*, inquit, *& Derbices miſerrimos putant, qui agrotatione moriantur, & parentes, cognatos propinquos, cùm ad ſenectam venerint, iugulatos deuorant, reſtitui eſſe ducentes, vt à ſe potius, quàm à vermibus comedantur. Tibareni quos dilexerint, ſenes ſuſpendunt in patibulis. Hircani volucribus, & canibus ſeminuos proijciunt, Caſpij iiſdem beſtijs mortuos. Scythæ eos, qui à defuncto amati ſunt, viuos infodiunt cum oſſibus mortuorum. Bactri canibus ad hoc ipſum nutritis obijciunt ſenes. Quod cum Alexandri præfectus Nicanor emendare voluiſſet, penè amiſit prouinciam.* Hiperborei, vt Pomponius Mela lib. 3. cap. 5. Plinius lib. 4. cap. 12. Solinus cap. 26. poſt epulas ſertis redimitos patres è rupe in mare præcipitabant. In Inſula etiam Co, lex erat, vt veneno à filiis hauſto, ſenes patres vitam finirent; ſic Strabo lib. 10. Ælianus lib. de politijs. Qui etiam refert lib. 4. apud Sardos lege ſancitum, vt filij ſenes patres verberarent ad necem. Paradoxum ſanè, & enorme crimen, quod prudentiores Gentiles horruerunt: *Si audiatur*, inquit Cicero, *filium patri cauſam necis præſtitiſſe, quis id ferendum putet? portentum atque monſtrum eſt certiſſimum, eſſe aliquem humana ſpecie, ac figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, vt propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſimè luce priuarit.*

Crudelis aliquarum Gentium mos in ſuos parentes ſenio confectos.

Certè ſi hæc crudelis conſuetudo in gente Aſſyriorum locum habuit, non eſt exigua laus ipſius Tobiæ, quod eâ non obſtante, quodcumque viderit officij genus, ſoceris opportunum, ſedulò & piè exhibuerit, cùm etiam viri ſancti à populoribus imbibant. Iſaias Propheta deplorãs, dixit: *Va mihi, quia tacui, quia vir pollutus ego ſum.* Et ad noſtrum propoſitum ſubiungit: *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito*, quaſi dicat. Labia mea ſunt Deo conſecrata, deberem ergo loqui ſacra & diuina, vti decet Prophetam; at nunc cum populo verſans ab eo didici loqui, vt ipſe ſecularia, vulgaria, & communia. Notant S. Hieronym. & Cyrillus quàm noxia ſit etiam ſanctis, & Prophetis ſeculariũm præſertim improborum ſocietas, quæ tantum Prophetam inquinauit. S. Petrus agens inter miniſtros Pontificum, negauit Chriſtum. Quod etiamſi frequenter contingat, quicumque illi ſint, quibuſcum familiariter viuitur; tamen ſi illis accedat ſiue à doctrina, ſiue à nobilitate auctoritatis aliquid, vim habent ad polluendam linguam potentiſſimam. Didicere ab Ariſtotele balbutire diſcipuli, & ab Alexandro eius familiares vocis aſperitatem expreſſere, neque illi in balbutiente, ac hæſitante lingua, neque hi à voce aſperum aliquid, & horridum ſonante, aliquid indecorum eſſe exiſtimabant: vſque adeò rebus etiam abſurdis, & illiberalibus potentiorum exẽplum auctoritatem cõciliat.

5. *Quam noxia etiam ſanctis, improborum ſocietas.*

Subijcit

6. *Clarissimi olim extremo die, claudebant suorum oculos.*

Subijcit sacra historia ad encomium Tobiæ in signum, quod curam illam vsque ad vitæ finem continuauerit: *Et ipse clausit oculos eorum.* Solẽne hoc fuit quibusdam Gentibus, vt qui alios proximâ cognatione contingerent, morientium oculos clauderent, idque existimabatur supremum pietatis officium: quod filij parentibus, & parentes filijs plerumque præstabant. De quibus Plinius libr. 11. cap. 37. *Morientibus oculos operire*, inquit, *rursusq; in rogo patefacere. Quiritium magno ritu sacrum est, ita more condito, vt neque ab homine supremum eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas.* Hoc Romani multis modis explicant. Dicunt enim *claudere*, *operire*, *premere*, *sigillare*, *condere*, Varro apud Nonium in sigillo. *Contra lex Mania est in pietate, ne filij patribus sigillent oculos.* Quod officium cum abienti Eurialo mater præstare non posset, infelicem se clamabat apud Virgilium lib. 7.

—— *Nec te tua funera mater*
Produxi, præsine oculos, aut vulnera lavi.

Ouidius in epistola Ariadnæ ad Theseum.

Ergo ego nec lachrymas matris morientia vidi,
Nec mea, qui digitis lumina condat, erit.

Mille alia occurrent apud Latinos exempla, neque pauciora sunt apud Græcos. Homerus dabit plurima lib. 14. Odyss. Ὀφθαλμοὺς καθελοῦσα. Iliad. 11. ὅσσε καλαιρήσουτι. Quod in Hebræis quoque fuerit in vsu, docet planè hic locus, vbi legimus socerorum oculos à Tobia fuisse sigillatos, aut clausos; qui in eo fuit secutus morem Patriarcharum, apud quos ille erat legitimus. Prodit hoc Genesios cap. 47. vbi Deus eximens merum, Iacobo, meditanti iter in Ægyptum, inquit: *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem: Ioseph quoque ponet manus super oculos tuos.* Vtique ex more Hebræorum, quo charissimi charissimis suis morientibus oculos claudebant, quem postea imitati sunt Græci & Romani, vt paulo antè ostendimus, qui id officium à perquam coniunctissimis seriò exigebant. Vnde etiam Eurpides in Hecuba, Polixene Hecubæ matri, infelicitatis exemplum, tanquam solatium extremum promittit, Polydorum filium eius clausuram lumina.

Viuit, inquit, *præmetq; mortua tibi lumina.*

Et apud Lucanum lib. 3. in bello Iulij Cæsaris, contra Massiliam, Argus quidam lethaliter vulneratus, patrem suum iam ætate fessum cùm fortè vidisset, hoc ab eo erga se officium expetijt. De qua re memorabile etiam exemplum narrat Valerius Maximus libr. 1. cap. 6. exemplo septimo, ipso scilicet præsente, apud Istidam Græciæ oppidum; cum nobilis quædam fœmina redditis rationibus, vti inbi mos erat venenũ hausisset, *Sermone, significans*, vt ipse inquit, *quæsuam subinde partes corporis sui rigor occuparet, cùm iam visceribus eum, & cordi imminere esset locuta, filiorum manus ad supremũ opprimendorum oculorum officium aduocauit.*

Hoc ergo suppremum officium vltimæque charitatis certissimum experimentum promisit Deus Iacobo, nil de eo cogitanti. Idipsum noluit hic silere sacra pagina, vt perpetuum maneret memoriale Tobiæ nostri, qui, quamuis parentes essent locupletes, bonisque temporalibus abundarent, nihil magis in votis habuit, quam vt eis omne beneficium necessarium exhiberet, quo longiorem traherent spiritum, & bonis suis cum gaudio fruerentur, contentus ea portione quam in dotem acceperat; neque quidquam potiùs æstimans, quàm incolumitatem socerorum, reiectâ omni cogitatione, quam de hæreditate capessenda hostis humani generis alicui suggerere posset. 7.

Eheu, quo nostrum abit desiderium! Priscorum exemplа negligimus, parentum mortem optamus; neque quidpiam adhibemus, quod senio cõfectos solari posset. Abstrusum locum ex domesticis illis assignamus, vilissimo cibo contentos volumus, dum in delicijs immergimur, imò deterius quam ipsos famulos tractamus. Si verò illis, res angusta domi, fastidio sunt. Subuenire paradoxum videtur. Istine fideles? istine æmulatores legis diuinæ? Quis hoc dixerit? Audiant Siracidem, & agnoscent crimen. Ille planissimè edicit: *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius; & si defecerit senex, veniam da; & ne spernas eum in virtute tua.* Tria imperat; primùm touere parentes in necessitate. tenemur enim id officij senio confectis parentibus rependere, quod ab illis accepimus. Nam Plutarchus opusc. de piet. erga fratres: *Genitoribus*, inquit, *suis, & alioribus, vetera & noua fœnori data beneficia benignè, & promptè rependant.* Quod ab animalibus mẽte carentibus edocemur: ciconiæ enim senes alunt, vt Rhodig. lib. 11. cap. 17. Ambr. l. 5. examer. c. 16. Alciat. Embl. 30. Pier. l. 17. & Philo l. de Decal. *Ciconia*, inquit, *senes, impotes volandi, nido se continent. Ex his progenata terra mariq; volitant, & cibos parentibus afferunt, & postea non obuoluent pra pudore homines parentum contemptores, damnabuntq; suam iniuriam in re, qua vel sola erat curanda vel ante alias, præsertim cùm non tam conferatur, quàm referatur beneficium:* filiorum enim nihil est proprium quod non parentibus debeant, à quibus vel acceperunt, vel in acquirendo adiuti sunt? hæc ille. Quæ de ciconijs diximus, similia sunt ijs quæ de vpupis refert Pierius vbi supra & Olcot lect. 31. in Ecclesiasticum. Eadem de Ibidibus, Basilius orat 19. de parentum honore. Ælianus lib. 1. de natura animalium exemplum Elephantorum in medium adducit.

8. *Reprehenduntur filij, qui parentũ senectam non habent.*

Filius debet parentibus senibus sustentationem.

Pietas Ciconiarum in parentes

Quod

Quomodo iuniores elephantes se gerant erga seniores.

Quod genus animalium à principio, inquit, *hoc idem solo naturæ ductu sine Lycurgi, aut Solonis, aut Zeleuci præceptione sanctissimè obseruant; etate afflictis, nimirum iuniores de legitimo cibo cedunt, eosdemq; summa obseruantia colunt, & à periculis seruant in fossam delapsos iniectis fruticum fascibus subtrahunt, quibus tanquam scalis senectute graues ascendentes liberarentur.* Quare inobedientibus filijs dicere possumus verba Iob cap. 12. 7. *Interroga iumenta, & docebunt te; & volatilia cæli. & indicabunt tibi.*

9. *Non sunt contristandi parentes sunes à filijs.*

Secundum est quod mandat Siracides, Non contristare parentes per inobedientiam, derisionem, aut per subtractionem eorum quæ illis impendere tenentur. Quasi dicat: Occurrite vestra prudentia illorum malo, & cauete diligenter ne tristetur. Si sensibus fuerint alienati, boni consulite: quia vitium non est eorum, sed defectus naturæ. Ad hūc sensum alludere potuit Ioseph qui vt Bius. lib. 9. cap. 7. Ptolomæo Oniam accusanti: *Veniam*, inquit, *quæso, præsta; non enim ei latet senes puerosq; eandem mentem habere.* Non enim nouum, vt senes in aliqua corporis animique parte deficiant. Egregia est Dugonis Philonis sententia in Tiliano, vel de sententia bene moriendi; *Clanculum*, inquit, *ipsa subrepit senectus, in quam confluit quidquid habet infelicis, & incurabilis mali natura, & nisi quis protinus quasi alienum reddat vitam, natura more fœneratricis instat, & exigit pignora, ab hoc visum, auditum ab illo, & sæpè vtrumq;. Quod si pertinaciter restiterit, dissoluit, mutilat, exaruat, nonnulli ad extremam quidem ætatem vigent; sed hi pueri tandem iuxta prouerbium consenescunt.* hæc ille. Quare bene respondit Berzellai Dauidi Regi, honorare se cupienti, 2. Reg 19. *Quot sunt*, inquit, *dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum Rege in Hierusalem? Octogenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum.*

Mala senectutem comitantia.

10. *Non sunt contemnendi ob inobedientiam.*

Tertium, *non spernas eum in virtute tua*: Non, inquit, quia tu præstas viribus, & robustus es, senem patrem derelinquas. Eo sensu rogabat Deum Dauid senex in persecutione Absalonis, *Ne proijcias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me.* Asa Rex 2. Paral. 15. omnes idololatras interfici iubet; matrem verò quę Priap. idolum erexerat, non interfecit, sed ab augusto deposuit imperio, vt Reip. satisfaceret. Nos verò parentibus maximè innocentibus, & qui totius vitæ annos in nostram vtilitatem consumpserunt, nihil tribuimus: quænam hæc immisericordia? quænam crudelitas, illos fame necare, quos natura iubet præ alijs fouere? Qui plura volet, videat dicta Disc. 3. in IV. Præceptum, vbi plura de moderna obligatione vtilia reperiet. De honore senibus exhibendo plura tibi suppeditat Discursus 17. in dictum Præceptum.

Mauden in Tobiam.

SECTIO XVII.

Cur addiderit Spiritus sanctus Tobiam omnem hæreditatem socerorum recepisse. Et an aliquando filios aut filias exhæredare liceat.

QVANDOQVIDEM in sacra Scriptura nihil sit otiosum, neque iota, aut apex existat, in quo thesaurus non reperiatur, nolui silentio præterire verba hæc, *Et omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit.* Ea porrò addita existimo in signum quod Raguel pacto steterit, quod in contractu antenuptiali cum futuro genero stipulatus fuerat: vel idcircò æternitati relicta sunt, vt omnibus constaret, Tobiam de soceris optimè meritum, ac filium de parentibus. Nam extra pactum filijs tantum tenentur legitimam relinquere portionem; reliquum extraneo liberè dare, aut testamento legare possunt. Legitima verò portio apud Romanos olim erat quarta pars bonorum, quæ lege duodecim tabularum parentes suis filijs debebant, l. *Papinianus* 1. §. *Quoniam* & §. *Quarta*. De inofficioso testam. & l. *Parentibus*, & l. *Cùm queritur* C. de inofficioso testam. Sed postea legibus constitutum est, vt amplior, & maior filijs legitima deberetur: vt pote si quatuor, aut pauciores filij sint, eis debetur tāquam legitima portio, triens, id est, tertia pars hæreditatis, ex æquo in filios diuidenda: si quinque, aut plures filij sint, eis debent parentes semissem, hoc est, dimidiam partem bonorum inter eos ex æquo facta diuisione, l. *Nouissima*, & l. *Sipater*, C. de inofficioso testam. Authen. De triente, & semisse, §. *Hac nos*, collat. 3. constitut. 5. quæ lex nunc temporis communi iure seruatur; nisi quòd pro varietate prouinciarum, & locorum, Regum ac Principum legibus, statutis ciuitatum, vel populorum maior, minórue legitima filijs debita decernitur. Raguel verò omnem hereditatem reliquit filiæ & genero, in signum quod optimè sese gesserint, nec vlla in re offenderint soceros, neque quid parrarint, quod animum illorum à se alienare posset; quandoquidem liberè & affectuosè filijs omnem reliquerint hæreditatem; Neque obstare potuit pactum, de quo cap. 8. egimus: quia illud conditionem tacitam habet, si peccando causam non dederit aliter disponendi, eumque excludendi ab hæreditate.

1.

Quæ sit legitima portio hæreditatis filiis à parentibus debita.

Tobias cùm vxore non in minimo offendit soceros.

Porrò id mihi non solum exploratum, eo quòd sacra pagina præter virtutem Tobiæ nihil sinistri tradiderit, seu insinuauerit, vt 3. Reg. 15. facit de Dauide, vbi eius obseruan-

tiam commendat in omnibus, *excepto sermone Vriæ Hethæi*, & insuper hoc loco addat post declarationem hæreditatis omnis præceptæ, *Viditq; quintam generationem, filios filiorum suorum.* Quæ magna erat benedictio veteris Testamenti. Cùm enim Deus solari vellet Abrahamum conquerentem de semine posteritatis, inquit: *Suspice cælum, & numera stellas si potes, & dixit ei: Sic erit semen tuum*, Genes. 15. Quereris Abraham de posteritate, & arbitraris vernaculum tuum fore tibi hæredem; erras, instar enim stellarum, quæ innumerabiles sunt erit posteritas tua, quam efflagitas. Adeoque sensum habent verba prædicta, talem fuisse vitam Tobiæ, vt Deus iuxta ingentes facultates, mulctâ posteritate eum cumulauerit. Id, inquam, non solùm ex eo capite sartum & tectum est; sed etiam quia in omni fermè natione, & apud Hebræos maximè, filios qui degeneres à parentum suorum pietate, & nobilitate, fuerunt aut delicto grauique aliqua nota obscurarint parentes aut familiam, solere ab hæreditate depelli, tanquam à lege permissum, & vbiuis vsitatum. Genes. 49. aliquid tale insinuatur, vbi Iacob moriturus filijs benedicit, sed aliquorum benedictionem ob peccata in maledictionē & acrem obiurgationem commutat: & inter alia de Simeone & Leui, dicit: *Simeon & Leui fratres*, id est, in scelere socij, scilicet in Sichimitarū cede, *vasa iniquitatis bellātia*, seu authores & executores fuerunt iniqui belli, de quo Gen. 34. *In consilium eorum nō veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea: quia in furore occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.* Hoc est, Absit, vt ego consilium eorum, & facinus tam iniquum probauerim, aut probem, vt ex huius facinoris probatione aliquam gloriam capiem: quia sequentes animi impetum, & plus nimio cupiditati vindictæ indulgentes, Sichem stupri authorem occiderunt: & consque eorum indignatio exarsit, vt voluerint etiam ipsam vrbem depopulari vsque ad murorum subuersionē. Tantum abest, inquam, vt huiusmodi facto subscribam, vt potius eorum maledictionem pronuntiem: *Diuidam*, inquit, *eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Duplicem hæc verba habent sensum; vnum, fore vt hæ tribus non habitent simul vel coniunctæ, sed inter tribus Iacob dispergantur; idque ea causa, quia si rursum in simile aliquod facinus conspirarent, quemadmodum ipsi Simeon & Leui conspirarunt, omnia disperderent, essentque intolerabiles.

Parentum benedictio erat longæ posteritas.

Filij degeneres ab hæreditate olim exclusi.

Sed quia ad hoc suffecisset locorum distinctio, vel vnius tribus Leui per cæteras distributio, malo alterum sensum, vtpote meliorem, amplecti, videlicet futurum vt in tertæ promissæ diuisione Simeon & Leui nō accipiant certam portionem sibi propriam, sed inter cæteras tribus habitent. Hoc apertè factum in tribu Leui, quæ nullam possessionem accepit, sed per omnes tribus dispersa fuit, vt patet Iosue 21. In tribu Simeonis res non ita manifesta, partim tamen quia nec ipsa ita propriam sibi portionem accepit, sed in alieno quasi hospitio intra tribum Iuda recepta est, Iosue 19. initio, partim quia & ipsi angustius habitantes dispersi sunt alij in Gador, alij in montem Seir, vt habetur 2. Paralip 4. sub finem. Vnde & illi latis perfectè dictam maledictionem, quasi exheredationem experti sunt.

Iure quoque veteri filij & filiæ exheredantur ob impietatem, vt videre est in Authentica, *vt cùm*, de appellat. Vbi statuit Iustinianus Imperator non licere parentibus filios suos exhæredare, nisi causâ ingratitudinis, quæ videlicet in testamento specialiter assignanda est. Iustæ autem ingratitudinis causæ in iure communi censentur quatuor. Decem.

3. *Datur causa cur parentes filios exhæredare valeant.*

Prima est, quando aliquis parētes percusserit. Ius diuinum politiuum acriùs punit hoc scelus; nam Exod. 20. pœnam mortis in talem statuit. *Qui percusserit patrem suum*, inquit, *aut matrem suam, morte moriatur.* Hinc legimus 2. Reg. 18. Absalonem, qui contra Dauidem patrem arma sumpserat, miserè interijsse. Ethnici in tantum horruerunt hoc peccatum, vt nullam pœnam condignam satis huic peccato excogitare possent. Inde lege lata, filium, patrem occidētem primùm virgis cædi iubent, deinde in sacco corij cum cane, gallo, vipera & simia, longè diuidentibus animalibus consui, & sic in mare iactari, vel bestijs proijci. ff. de parricidio l. pen. Cod. eodem, lib. 1. Theologi mortale peccatum existimant, etiamsi percussio leuis fuerit.

1.

Quam grauiter puniendus percussor patris.

Altera causa est, si vitæ parentum suorum vel veneficio, vel alio modo insidiari conatus fuerit. Theologi lethale peccatum existimant, cùm solum manum quis eleuat ad percutiendum patrem, licet non percutiat.

2.

Tertia est, quando atrocem & indecentem contumeliam parentibus filij ingerunt; quæ etiam rationem habet in sacris litteris: Moyses enim Leuit. 20. & Exod. 21. dixit: *Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Patri matriq; qui maledixerit, sanguis eius sit super eum.* Si autem animo deliberato parentes verbis contumeliosis afficiens, aut probris & conuitijs lacerans, morte puniendus venit, multò magis bonorum priuatione licitè mulctandus erit. Quapropter Hebræus Sapiens statuta à Moyse retricare volens, specificat qua morte Deus huiusmodi de medio tollit, nempe vel subitaneâ morte, vt Prouer. 20. in-

3.

Quam pœnam mereatur filius parentibus maledicens.

20. inquit: *Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris*; vel suspendio, cùm Prouerb. 30. dicit: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Significans patibulum mereri, in quo solent carniuoræ bestiæ talium carnibus sese saginare quæ vti sunt duiturnioris vitæ, ita significant se iustas vindices à Deo constitutas, in illos, qui ob contumeliã parentũ præmaturâ morte de medio tolli merétur.

4. Quartâ, quando alicuius criminis patrem accusant, modò non sit crimen læsæ maiestatis diuinæ per hæresim, & læsæ maiestatis humanæ per coniurationem & traditionem. nam in his duobus casibus tantum potest accusare patrem. Ratio est, quod honorem patris cælestis filius teneatur præferre honori patris carnalis. Pro posteriori, quod teneatur bonum commune Reipub. anteferre bono priuato parentum. Adeoque iuxta Theologos id filius tantum valet ante factum, & non post: & iuxta Decium in c. 1. de officio deleg. potest filius dũtaxat eum hæresios accusare, quãdo pater est disseminator hæresis, & alios inficeret. Incertũ autem est an teneatur, quãdo hæresis est secreta, & solũ ipsi patri nociua. In alijs criminibus, etiãsi vera sint; non licet filio publico iudicio, agere cõtra patrẽ; licet possit petere alimenta à iudice, quando ipsi iniustè à patre negantur. Notaru dignum est, quod probat Abulensis quæst. 26. in 2. Paralip. cap. 15. nempe nulla ratione teneri filium iudicem matrem occidere. Quòd vt admittunt externi, etiam in causa dignitatis, & famæ, sic verum est etiam in causa religionis. Quare licet Asa dixerit 2. Paralip. 15. 13. *Si quis autem* inquit, *non quæsierit Dominũ Deum Israel, moriatur, à minimo vsque ad maximum, à viro vsque ad mulierem, iuraueruntq; Domino voce magna*; &c. matrem tamen quæ Priapo idolum erexerat, non interfecit. Quare subdit v. 16. *Sed & Maacham matrem Asa Regis ex augusto deposuit imperio, eo quod feciſſet in luco simulachrum Priapi.* Non tamen interfecit, quia, vt Abulensis, non tenebatur.

In quibus criminibus, & quando liceat filio patrem accusare.

Filius nullo in casu tenetur occidere matrem.

5. Adijce pro quinta, Si filius calumniator contra parentes extiterit, & delatione sua grauia eos dispendia sustinere fecerit.

6. Sexta est, si cum nouerca sua, aut patris concubina rem habuerit. Hoc enim graue malum esse satis indicat liber Leuit. qui cap. 20. in eum statuit pœnam mortis: *Qui dormierit*, inquit, *cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo; sanguis eorum sit super eos.* Eadem lex est de socero incestum committente cum nuru: *Si quis*, inquit Moyses, *dormierit cum nuru sua, vterq; moriatur: quia scelus operati sunt.* Rursum: *Qui coierit cum vxore patrui vel auunculi sui, & reuelauerit ignominiam cognationis sue portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur.* id est, portabunt pœnam iniquitatis suæ, scilicet mortem, quia incestuosi non sinentur in scelere permanere, donec liberos habere possint: sed statim vt scitum fuerit, per Iudicis sententiam occidentur. Quòd signum est, scelus hoc graue esse coram Deo: non enim solet nisi ob grauia peccata sterilitas à Deo infligi. Vide hoc latius extensum Disc. 2. in VI Præcep. exemplo eorum qui sterilitatem passi sunt, exemplo Absalonis, 2. Reg. 16. & Corinthiani 1. Cor. 5. quæ non opus hic repetere.

Mauden in Tobiam.

7. Septima censetur, quando filius parentem captiuum requisitus in fidem suam recipere, aut pro eo fide iubere noluerit.

8. Cui octauam adiunges, quæ est, quando captiuum parẽtem filius non festinat redimere. Quo casu etiamsi intestatus moriatur parens, adeoq; scripto causam hanc non assignauerit, tradenda tamen est ingrati filij portio Ecclesiæ in redemptionem captiuorum.

9. Similiter pro causa nona accipe, cùm filius parentem furiosum curare neglexerit. Quo casu etiam in amentia mortuo succedet extraneus, qui filij ingratitudinem post præuiam monitionem ei factam, & neglectam, suppleuerit.

Iure veteri maximè cautum est honoti parentum. Vnde lib. 1. *Cod. de his, quibus vt indignis hereditates auferuntur*, officium pietatis erga defunctum negligentes coguntur restituere hæreditatem recepram. Sic autem habet Lex: *Heredes quos necem testatoris inultam omisisse constiterit, fructus integros cogantur reddere: neque enim bona fidei possessores ante controuersiam illatam videntur fuisse, qui debitum officium pietatis scienter omiserunt.* Casus videtur fuisse talis: In ciuitate quadam erat mercator, qui habebat tres filios, qui iam vxorem duxerant, atque hic contulit se in domum viri nobilis ad ludendum. Contigitque vt inter ludendum rixarentur, & occisus est mercator, cuius rei admoniti liberi eius, nihil aliud curarunt, quàm vt eius bona arriperent: & non solùm non vlti sunt patris sui mortem, sed ne dolorem quidem ostenderunt, nec eum sepelire curauerunt. Dicit igitur Lex quod siquidem illi tam parum de patris sui honore curauerunt, & tam parum doloris ex eius morte perceperunt, paterna hæreditate priuentur.

10. Decima est, quando parentem testamentum facere prohibent de ijs videlicet, quibus potest disponere.

11. Vndecima, cùm inuitis parentibus inter arenarios, venatores, & mimos se recensent. Multa enim mala oriuntur ex prauo consortio. Qua de re pluribus locis, fusius tractaui, ad quæ Lectorem remitto.

12. Duodecima, quando cum veneficis vt veneficus conuersatur.

13. Decima tertia, cùm parens est Catholicus, & filius hæresim amplectitur.

Vltima. Decima quarta ad filiam spectat, quæ sine parentum consensu nuptias inijt. Ad quod tria requiruntur ex iure Cæsareo; Primum, vt parentes eam velint cum dote competenti in matrimonio collocare. Alterum, vt filia non solum illi matrimonio repugnet; sed simul etiam vitam luxuriosam eligat. Tertium, vt sit minor viginti quinque annis. Vide Sanchez libr. 4. de Matrimonio disp. 24. latè de hac re differentem, qui dis. 25. sustinet probabilius huiusmodi leges esse correctas in fauorem libertatis Matrimonij, quam Lector poterit consulere.

4. *Filij degeneres non solùm abhæreditate, sed etiã à familia dantur.* Quinimò tam apud Græcos, quàm apud Hebræos supra exhæredationem solent filij degeneres à filiorum censu expungi, & abdicari à familia. Id apud Græcos vsitatum fuisse satis ostendit Plato l. b. 11. de Legibus: *Si patres*, inquit, *velint filium per præconem coram omnibus abdicare, ne amplius secundum legem sit filius.* Et licet hoc abdicationis genus non admiserint Romani, tamen practicarunt aliquando alieni, qui propter filiorum delicta, illos è nobilium familiarum stemmate, seu imaginum lineis expungendos esse censuerunt. Sanè ex illustrium familiarum imaginibus sublati sunt, Cassius, & Brutus, quia Iulio Cæsari manus attulerunt violentas. Tacitus l. 3. in fine, cùm ageret de Iuniæ funere, quæ Cassij vxor fuit, & Bruti soror, ad extremum addit: Viginti clarissimarum familiarũ imagines antelatę sunt, Manlij, Quintij, aliaque eiusdem nobilitatis nomina. Sed præfulgebãt Cassius, atque Brutus, eo ipso quod effigies eorum non visebantur. Et idem lib. 4. longuisculè ante medium prodit, decretum esse, ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur, quasi alienus foret à nobili familia. Et ne quis Scribonius cognomentum Drusi assumeret. Hoc verò nihil videtur esse aliud, quam aliquem ex nobili familia deleri.

5. *Qua inauspicata sunt, & vilia in aliorum ordine, & censu numerari non solent.* Hoc abdicationis genus arbitror magis vsitatum fuisse apud Hebræos: nam quemadmodum sæpè alieni adoptabantur in filios, sic etiam abdicabantur filij, & abalienabantur à paterna domo tanquam extranei. Sic sæpè ad Hebræorum morem Deus, Israelitas, dicit, suos non esse filios. Sic quod aliquo nomine, aut turpitudinis nota infaustum est, & triste, inter illa, quæ in eodem ordine sunt, non putamus esse numeranda Sic Iob cap. 3. orat, ne nox, in qua natus est, cùm noctibus aliis numeretur, sed quasi damnata ex aliarum expungatur numero, & cursu. *Ne computetur*, inquit, *in diebus anni, nec numeretur in mẽsibus.* Neque alio fortasse sensu Iacob iam moriturus de Simeone, & Leui, qui aduersus Sichimitas arma sumpserunt, dixit Gen. cap. 49. cit. *Diuidam eos in Iacob, & dispergam in eos Israel.* Qui vt hos abalienauit à filiorum cætu, sic etiam duos in illorum numerum adoptauit, Ephraim & Manasse. Atqui ex hoc capite credo Saulem 1. Reg. 24. postquam deprehenderat Dauidis innocentiam, & animum à studio vindictæ alienum, eumque regnaturum, & habiturum in manu tua regnum Israel; obnixè supplicasse ne nomen ipsius de paterna domo deleret; idque mediante iuramento vult sibi caueri. Sic enim ait ad Dauidem: *Et nunc quia scio, quia certissimè regnaturus es, &c. iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* Suspicabatur Saul Dauidem regnaturum ex veteslundi aliqua causa; vel quòd videret Dauidem non sine diuina prouidentia semper elabi sibi è manibus: vel quòd eum animaduerteret inunctum esse à Samuele: vel quòd illi omnia feliciter succederent: vel postremò, quòd nunc se incolumem è manibus dimisisset. Nam propter tantam virtutem, & iustitiam, dignum eum esse iudicabat, qui regnaret. Vnde duo orare videtur Dauidem; prius, vt mediante iureiurando promittat non delere semen suum, seu filios suos post se. Quod solent facere, qui credunt se securos non posse regnare, nisi sublatis competitoribus, vt videre est 3. Reg. cap. 15. vbi Baaza postquam Nadab filium Ieroboam Regem Israel insidijs oppressisset, regnumque occupasset, *Percussit*, ait Scriptura, *omnem domum Ieroboam: non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum.* Zambri quoque cum Ela Regem Israel obtruncasset eiusdem libri cap. 16. vers. 11. *& regnasset, & sedisset super solium eius, percussit omnem domum Baaza, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos & amicos eius: deleuitque Zambri omnem domum Baaza.* Nec Iehu posteros Achab clementiùs habuit, de quo scriptum est 4. Reg. 10 vers. 17. *Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria vsque ad vnum.* Sed regnum Dauidis altioribus radicibus nitebatur, nimirum promissione Dei; vnde non erat, quod metueret. Is enim tantum abfuit, vt Saulis posteros internecione deleret, vt etiam vim allatam Isboseth, vlrus sit, & Miphiboseth filium alterum Saulis & debilem cruribus mensæ suæ adhibuerit. Sed Saul haud dubiè Dauidem metiebatur suo pede, ideoque enixè hoc postulabat.

Regum maxima cura competitorũ stirpem extinguere.

6. *Saul ex sua familia videtur expunctus.* Verùm illud ad propositum nostrum non pertinet: Sed posterius, quo flagitat nomen suum non auferri de domo patris. Considerans enim promerita sua optimè coniectabat, & timebat Saul, ne nomen ipsius

sius è paterna familia deleretur: quia id illius exigebant peccata) vt nomen ipsius tanquam emortuum nunquam audiretur in Israel. Illud verò deletum fuisse & expunctum ob facinora Saulis, non obscurè colligitur, quia in libro Estheris, vbi Mardochæi ex ipsius genere nati, fit mentio, eius nomen bis sit prætermissum. Cùm enim Mardochæi parentum enarrantur nomina, ad Cis, qui pater fuit Saulis, tantum se prodit genealogia. Estheris vtique cap. 2. vers. 5. sic habetur: *Erat vir Iudæus in Susan ciuitate vocabulo Mardochæus filius Iair filij Semei filij Cũ, de stirpe Semini.* Hoc idem repetitur cap. 11. vers. 4. Cùm ergo inter Semei, & Cis multi fuerint omissi ex Mardochæi maioribus; non tamen videbatur prætereundus Saul, nisi ille è paterna domo ab aliquo ex Dauidis posteris fuerit expunctus, cùm Regium illi nomen maximam supra reliquos è familia Cis auctoritatem conciliasset.

Hæc dicta sint ratione Raguelis, qui nulla parte hæreditatis Tobiam generum suum priuare voluit, neque alterius fidei, proprietatem bonorum, committere (vt solent pleriq; parentes) tum etiam, quod Deus honoti Tobiæ consultum voluerit, cùm absit, quod de nomine eius delendo aliquid hisceret Scriptura, vt potiùs addiderit post verba hæreditatis omnis perceptæ, *Vidit q; quintam generationem, filios filiorum suorum*, quâ videlicet nomen eius æternabit. 7.

CAPITIS VLTIMI

VERSVS XVI.

Et completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cùm gaudio sepelierunt eum.

Vers. 17. *Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius, in bona vita, & in sancta conuersatione permansit: ita vt accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.*

PARAPHRASIS.

Vers. 16. 17. Postquam compleuisset Tobias iunior annos nonaginta nouem, religiosè ac piè sepelierunt illum filij pace ac bona fortuna fruentes. Reliqua verba clara sunt.

SECTIO DECIMAOCTAVA.

Quæ documenta suppeditet nobis sacra Scriptura ætatem extremam Tobiæ iunioris recensens, in qua religiose mortuus est. Et quid significet, cum gaudio sepultum esse.

1. SACRA pagina recenset iuniorem Tobiam mortuum esse centenario proximum, & religiosè ac piè vixisse, ac denique à filijs cum gaudio sepultũ. Disciillione dignum est, quare hæc æternitati tradiderit Spiritus sanctus. Pluribus de causis id factum arbitror. Prima sit, vt nemo sibi promittat patris annos. Senior Tobias vixerat centum duobus annis; hic autem triennio citius è viuis excessit. Hoc ipsum non obscurè indicauit Iacob, qui interrogatus à Pharone, *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?* respondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Quasi dicat: Etsi ignorem quamdiu deinceps sim victurus, tamen ex ætate afflicta & deficiente satis colligo me non peruenturum ad annos Abrahæ vel Isaac: *Nemo sibi patris annos spondeat posteri.* Gen. 47.

2.

Isaac: quorum prior centum septuaginta quinque, alter centum octoginta annis vixit: Idem Iacob moriturus filium suum Ioseph sic affatus est; *Mortua est Raphel in terra Chanaan, in ipso itinere, eratq; vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & sepelivi eam iuxta viam Ephratæ.* Genes. 48 vers. 7. Quorsum hæc admonitio eo temporis ac loci. Relictis aliorum interpretationibus dicam quod sentio. Voluit bonus pater filium suum de mortis incertitudine admonere. Quasi diceret: Ne, quæso, ô Ioseph, annis iuuenilibus delusus longam patris tui vitam tibi promittas: sed brevissimam matris tuæ reformida. Nam, quamvis ego, canescente iam ætate, ex hac vita decedo: tamen Rachel, non nisi efflorescente, decessit. Mortua enim in primis est in itinere, cùm felicitatem optarer, non occuparet: verno tempore, cùm videret flores, non obtineret fructus: iuxta Ephratam, hoc est, frugiferam, non in Ephrata, cùm ad omnem abundantiam tenderet, non peruenire. Ne igitur sis propter patris felicitatem secutus; sed propter matris calamitatem sollicitus: hanc time; illam tibi ne spondeas.

Rachelis mors proponitur Iosepho, vt eius incertitudinem timeat

Hinc veteres solebant mortis cogitatione munire eos, qui ad statum euehebantur. Samuel postquam Saulem totius Israelis Principem ac Regem salutauit; ad Rachelis tumulum remisit: *Hoc*, inquit, *tibi signum, quia vnxit te Deus in principem cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel*, &c. 1. Reg. 10. vers. 1. & 2. Quasi diceret: Coronam tibi obtuli: sed tu ad sepulturam perge. Regnum fastidies, si sepulchrum mediteris; cui te fastus regius non eripiet, sed includet. Vt Dauid suum Regnum feliciter auspicaretur, imperatum à Deo est, vt in Hebron regiam sedem collocaret, 2. Reg. 2. vers. 1. & 11. At cur non potiùs Ierosolymæ, quæ totius Regni Metropolis erat, vel etiam in vrbe patria Bethlehem: vt natalem sedem regiâ illustraret? Rationem mihi videor aptam colligere ad rem præsentem ex Lyrano: Quia in Hebron sepulti erant principales Patriarchæ, Adam & Eua, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia. Vbi igitur erant veterum sepulchra Patriarcharum, ibi voluit Deus, vt regium palatium extrueretur: non solum, vt Dauid imitaretur eorum exempla, sed etiam vt eorum funera meditaretur.

3. *Rex prius electus, ad sepulchrum remittitur, vt mortis recordetur.*

Mortem Reges continuò meditentur.

Mirabile est, quod in hunc finem legitur egisse strenuissimus dux Simon Machabæus. Is *ædificauit super sepulchrum patris sui & fratrum suorum, ædificium altum visu, & circumposuit columnas magnas: & super columnas arma ad æternam memoriam: & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* 1. Machab. 13. Nam, coniunxit cum regiæ maiestatis insignibus, vt humanæ vitæ fugacitatem portenderent. Vnde veteres Imperatores, teste Strabone lib. 7. pictis naubus, pro regijs coronis vtebantur; vt illa imperatoria maiestas, non firmo solo stabilita, sed fluctuante salo exagitata ostenderetur: & sicut naues quàm ocyssimè perlabentes nulla sui in aquis expressa vestigia relinquunt; ita palam esset Regibus quàm citissimè morituris, omnem illorum memoriam apud homines penitus abolendam. Situs autem nauium, quas bonus ille dux Simon construxit, talis fuit, *vt viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* Nec immeritò. Vt qui in vita feliciter nauigabant, alias atque alias honorum & fauorum auras colligentes, subinde respicerent illas naues, ad sepulchrales moles, tanquam ad infelices scopulos allisas; & ex alieno naufragio monerentur, sibi quoque tandem esse in angustissimo mortis fræto naufragandum. Hæc prima.

4. *Cur in sepulchro naues sculpantur.*

Altera est, vt vnusquisque sibi persuadeat tunc moriendum quando Domino Deo placet. Tobias noster laudatissimi senis, non degener filius & cognominis, sed & ipse senex, ætate processit vsque ad annum nonagesimum nonum. Sacræ paginæ sic testantur: *Et completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.* Potuisset Tobias, sensu nostro, expostulare cum Deo, & queri: Cur Domine iam mihi abrumpis vitam, cur non pateris me complere annos centum? Sed, quid putas, respondisset illi Deus? Non aliud, quàm, Sic mihi visum; tu iam morere, & annos omnes præteritos in lucro pone. Tunc moriendum est, quando mihi placet, non quando Tobiæ, aut Ragueli, aliquè visum fuerit. Siracides Eccles. 41. postquam monuisset non metuendam legem de subeunda morte, subiungit: *Et quid superueniet tibi in beneplacito altissimi; siue decem, siue centum, siue mille annis: non est enim in inferno accusatio vitæ.* Quasi dicat: Quid accidere tibi poterit, quid excogitabis, aut facies in eo, quod ab altissimo semel statutum, siue illud sint pauci anni, siue multi: *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Neque post mortem quis conqueri poterit, de vita sua, quod vel nimis breuis fuerit, vel minus longa. Ad beatam vtique vitam nihil facit lõga series annorum; neque enim annis, aut rugis æstimanda est vita, sed actionibus præclaris.

5. *Libenter moriendum quando Domino visum.*

Iob. 14. *A bona non longa vita penàs jalet*

Conqueruntur plerique, quod anno vigesimo, trigesimo, quadragesimo è viuis: ollantur; sed malè. Tunc libenter moriendum est, quando necis & vitæ Domino placet. Excutienda vitæ cupido, discendumque nihil interesse quando patiaris, quod quandoque patiendum est. Quam bene viuas, refert, non

6.

non quamdiu. Tobias noster quia annos suos in timore Domini transegerat, nihil querelæ edidit. Hunc tu imitare mi Christiane, omnem tergiuersationem tolle: in maturam ætatem ne obtendas, sed animo sincero dic: Quando Domino visum fuerit, libenter moriar.

7. *Vigilanti semper, mors non est horribilis.*

Vis autem mortem non timere, neque inducias poscere, attende primùm, tibi necessariò esse vigilandum. Audi Christum ipsum proclamantem: *Vigilate, & orate.* Beato Marco narrante. Christus concionem habuit, in cuius solum epilogo, hoc ipsũ ter pronuntiauit: *Videte, vigilate, & orate; nescitis enim quando tẽpus sit.* Hæc prima Domini admonitio, Marc. 13. v. 33. Altera v. 35. *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane; ne cum venerit repentè, inueniat vos dormientes.* Tertia demum vers. 37. *Quod autem vobis dico, omnibus dico,* Vigilate. Idem sæpius monens, & quidem Matthæi ore nos inclamat: *Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ dominus vester venturus est.* Et repetit: *Vigilate itaque, quia nescitis neque diem, neque horam,* Matth 24. Nec aliud ad clinum Oliuarium inculcat: *vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Hoc ipsum beato Luca præcone promulgat cap. 21. *Vigilate itaque, omni tempore orantes.* Et immediatè ante: *Attendite vobis ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa,* &c. Ipsissimum istud, *Vigilate,* & quoties Paulus ingeminat? In nos fragores hi tonant, vt soporem nobis & torporem excutiãt. Surdi sumus, imò mortui, nisi ad has voces euigilamus. Quicumque vitijs indormis, euigila. Fatum Ægyptiorum nosti? Mediâ nocte percussor Angelus Ægyptum ingressus est, & stragem immensam dedit. Sortem illarum decem virginum recordaris? *Mediâ nocte clamor factus est,* & quæ paratæ, à sponso ad nuptias admissæ; stertentes aliæ sunt exclusæ. Sapientiam serui illius helluantis meministi. Venit Dominus illius die qua non sperauit, & hora qua ignorauit venturum bonum patrem familiæ consideras? Omni hora vigilat, vt nulla horâ fur suffossor domum irrepat. Seruatorem tutum cogitas? Media nocte natus est. Eundem post medium noctem (quod credibile) ad supremum Orbis iudicium venturum putat Barradius tom. 3. Concord. Euang. l. 10. cap. 16. Vigila itaque, vigila; & omnem diem tibi puta vltimum. Præclarè Hieronymus epist. 3. ad Heliodor. de morte Nepotiani, *Platonis,* inquit, *sententia est, omnem sapientium vitam, meditationem esse mortis. Laudãt hoc philosophi, & in cælum vsque ferunt. Sed multò fortius Apostolus: Quotidie,* inquit, *morior per gloriam vestram. Aliud est enim conari, aliud agere; aliud viuere morituram, aliud mori viciurum. Ille morituras est ex gloria, iste moritur semper ad gloriã. Debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, quod velimus, nolimus abesse longius non potest. nam si nongentos vitæ excederemus annos, vt ante diluuium viuebat humanum genus; & Mathusalem nobis tempora donarentur: tamen nihil esset præterita longitudo quæ esse desisset, etenim inter eum, qui decem vixit annos, & eum qui mille; postquam idem vitæ finis aduenerit, & irrecusabilis mortis necessitas; transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur.*

Plato in Phæd.

1. Cor. 15.

Mori semper meditanda.

Celebris est illa Dei sententia in primum parentem: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Gen. 3. v. 19. Vbi nullum certum tẽpus reuersionis præscribitur: vt omnibus incognitum relinquatur. Sic Ruper. l. 3. in Gen. c. 25. *Mortẽ,* inquit, *diem vel horam homini incognitam esse voluit, vt dum nescitur quando sit, quæ sine dubio futura est, semper sollicitum reddat, semperq; suspectũ superbire non sinat. Dixit enim indefinitè: Donec reuertaris,* &c. *& nõ dixit vsq; ad tot annos, vel tot dies, quibus transactis reuerteris in terram. Ita ergo hominem viuere voluit, quasi altera die iudicandum; & rationem de propriis factis redditurum.* Quam mortis incertitudinem primo parẽti Dominus iniecit, nequis filiorum certum aliquod viuendi spatium sibi promittere auderet. 8.

Mortis incertitudo hominem sollicitum reddat.

Noli ergo dicere, Cur tam citò? quare in hac ætate vitam finio? E schola dæmonis prodijt cur istud, & quare. Multos perdidit istud cur & quare. Quærebat olim fallacissimus coluber; aurem præbuerunt primi parentes suo & posterorũ malo. Rationem à Deo exigere piaculum est. Si seruus à patrefamilias, subditus à Principe rationes exigat, ille contumeliam putabit, hic rebellionem. Sufficit esse Dei voluntarem; cautæ voluntatis ipsius nobis minimè scrutandæ: *Quis,* enim *cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Salomon Sap. 4. plantissime dixit, iuuenes Deo placentes præmaturè è medio sublatos: *Placens,* inquit, *Deo, factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quasi dicat, Amoris diuini signum est, ex hoc mundo præmaturè tollere, quos sua scientia præuidet Deus peccaturos, si diutiùs viuerent. Hoc argumento consolatur Ambrosius seipsum de Satyri fratris morte in eius oratione, Gallam Fulgentius de obitu mariti eius, epist. 1. cap. 4. Paulinus Pachmachium de vxoris morte, & propterea, inquit Paulinus, postulauit Dauid scire numerum dierum suorum, quem sciens esse prolongatum, doluit ingemiscens, *Heu mihi, quia inquilatus meus prolongatus est, habitauit cum habitantibus Cedar,* Psal. 119. 9. *Morienti acquiescendum est diuinæ voluntati.*

Iuuenes è medio tolli, Dei beneficium est.

Quacumque ergo ratione cõtingat iustum 10.

Vitam aliquando dat Deus in pœnam, mortem in præmium.

præproperâ morte vitam finire, beneficium est, ne per occasiones in mundo obuias primùm bene institutus ad honores euectus, à iustorum tramite deuiet. E contra plaga est, illis vitam relinquere, quos scit Deus casuros in peccata. Exemplo Abel & Cain res fiet clarior. Abel maturè obiit, Cain diutiùs vixit; mors illi merces fuit, huic vita extitit pœna. D. Ambros. libr. 2. de Cain & Abel cap. 10. asserit hinc redargui putantes vitam vnicam hanc & solam esse. *Redarguuntur*, inquit, *ex hoc loco qui vnicam hanc vitam putant esse, vbi omnia plena ipsius, plena mortis sunt, & redarguuntur simplici serie gestorum.* Et immediatè post subiungit ad nostrum propositum: *Ecce enim iustus, innocens, pius, propter gratiam deuotionis multo fratris incurrens, immaturus ab hoc euo sublatus est fratricida, & iniquus, & sceleratus impius etiam fraternâ cede pollutus longæuam duxit ætatem: duxit vxorem, posteritatem reliquit, vrbes condidit, & factum est permissione diuina nonne in his aperte vox Dei clamat: Errasti, qui putasti hic esse omnem viuendi gratiam? non intelligis, non aduertis felicitatem hanc miseriarum esse veteranam, processionem ærumnarum stipendia? & Scyllæo quodam vsu circumsonari nos quotidianis naufragiis, mundi fluctibus, in speculosis habitaculis degere, & in his delectari. Ergo & illi Cain longanimitas indulta, vindicta est, eo quod vixit metu, & prolixum spatium multo cucurrit & infructuoso labore, quæ pœna nihil grauius, quàm vt quis ipse sibi maiorum causa pœnarum fit;* innuens mortem Abelis licet intempestiuam, fuisse Dei gratiam, vitam Cain, Dei vindictam.

11. *Exempla plurimorũ, quos præstitisset citius à vita tolli.*

Numquid Saul felicius vitam finisset, cum filius vnius anni propter innocentiam dicebatur, quàm postquam Deo & Samueli inobediens vitam cum amissione regni temporalis & cælestis, longius productam miserabiliter clausit? Absaloni beneficium fuisset citò mori; pœna fuit diutius viuere, quandoquidem miraculosè expertus est Dei vindictam ob rebellionem erga patrem. Et sanè nemo dubitaret de salute Salomonis, si vitam terminasset, cum bonæ erat indolis, & sortitus erat animam bonam, Sap. 8. Asa initio erat bonus, sed postmodum longè mutatus ab illo grauissimè in Deum peccauit. Pugnaturus namque contra Baazam Regem Israel habuit fiduciam in Rege Syriæ, & non potiùs in Domino Deo, sicut fecerat in bello contra Æthiopes. Deinde Prophetam Hanani propter eius facti reprehensionem in nervum compegit, & circa finem vitæ cùm laboraret podagrâ, *non quæsiuit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est.* Annis triginta optimorum Regum exemplar haberi potuit; sed non responderunt extrema principiis. Quis non videt reliquum vitæ fuisse vindictam? Ioas Rex, quamdiu vixit Ioiada Pontifex, ex eius

2. Paral. 16.

directione, & consilio præclarè se gessit. Primò, Curauit instaurari templum, quod sub Athalia, Ochozia, & Ioram, fuerat fere collapsum. Secundò, liberauit Ierusalem à periculo obsidionis. Misit enim Hazaeli Regi Syriæ magnam pecuniæ summam, partim ex thesauro templi, partim ex palatio regio, vt non obsideret Ierusalem, cùm ad eam obsidendam appropinquaret. At mortuo Pontifice, delinitus est obsequiis Principum Iuda, & hæc patrauit. Primò, concessit exercitium idololatriæ. Secundò, interfecit Zachariam, filium Ioiadæ Pontificis, qui ipsum in Principes Iuda, totumque populum increpabat propter idololatriam. Sed non impunè. Nam sequenti anno post mortem Zachariæ, tàm Rex ipse, quàm alij omnes, ab exercitu Syrorum puniti sunt. Et tandem Rex à seruis suis interfectus, 4. Reg. 12. & 2. Paral. 24. Amasias, de quo sectione 16. dictum, mutatus partem suam, initio fuit bonus, deinde malus. Vnde miserè tractatus à Rege Israel, qui fugato eius exercitu ipsum Amasiam cepit captiuum, & duxit in Ierusalem; ibique diripuit omnem thesaurum Templi, & Palatij Regis; ac tandem, relicto ibidem Amasia cum obsidibus reuersus est in Samariam. Interea moritur Rex Israel. Contra Amasiam verò conspirant ciues in Ierusalem, eò quòd propter ipsius defectionem à cultu Dei, & introductam idololatriam, multas calamitates paterentur. Ipse, cognitâ eorum conspiratione, fugit in Lachis: sed frustra. nam ibi à conspiratis interfectus est. Quis non illos omnes feliciores existimasset, si in primo feruore vitam laudabiliter cum morte commutassent, quàm cum permissi viuere, peccatis onerati, miserimè interierunt.

12. *Semper bene operandum in hac vita.*

Saluberrimè monet sapientissimus Concionatorum Eccles. cap. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Et ad Galat. 6. hortatur Apostolus: *Bonum ergo facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Cæpisti laborare, laborem cæptum industriâ vtgè continuâ: nunquam quiescè, nunquam nec interrumpe quidem laborem illum qui cælum potest meteri. Nam vitæ tuæ momentum nullum est quo non possis lucrari, & cælestem tibi thesaurum augere. Hoc igitur modo sine cessatione labora; veniet tempus quietis, quam labor nullus vnquam interrumpet; *Militia est vita hominis super terram & sicut dies mercenarij dies eius*, inquit Iob caput 7. nam magna illi manet remuneratio. Hoc fac, & nunquam citius moriendo quid perdes, quamuis ætas, & constitutio corporis longiorem vitam exigere videbatur, nam vt Sapiens

piens ait cap. 4. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

13. *Iusti quantum apud Deum moueantur.*

De iustis, qui in hac vita aduersis premuntur, & in Deo confidunt, inquit Isaias Vates c. 40. *Qui sperant in Domino, mutabũt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Metaphora sumpta est ab armis, quę fracta vel retusa cum nouis & integris commutamus: hoc enim significat (*tachalphu*) *fortitudinem*, tum animi, tum corporis. Huc alludit S. Paulus dicens: *Cùm infirmor tunc potens sum.* Nam infirmitas eius virtute Christi pẽsabatur. Rursum, *Licet*, ait, *exterior homo noster corrumpatur, interior tamẽ renouatur de die in diem.* Et *Omnia possum in eo qui me confortat.* Sensus ergo Prophetæ est, quasi dicat. In aduersis, ô Hebræi, nolite cadere animis, eos firmate in Deo, fixi in eius prouidentia state, sperate, & implorate eius opem: qui enim ita sperant in Domino, licet infirmi, lapsi & penè collisi sunt, priſtinam fortitudinem ab eo recipient. Rursum, vt explicat S. Gregorius 19. Moral. 16. *Mutant fortitudinem, quia fortes esse student in spirituali opere, qui dudum fortes fuerant in carne.* Sequitur, *Assument pennas* &c. Vide quantum gratia naturam superet, scilicet quantum aquila alias aues, præsertim in eo quòd infirma & senescens vires, pennas & iuuentutem renouet, quasi dicat. Qui sperant in Domino, ope gratiæ ab eo acceptæ ita fortiter & prompte labores, dura, & aduersa quælibet superabunt, atque viam diuinæ legis non tam ambulando, & currendo, quàm volando conficient, & in cælum contendent, ac si aquilæ, imò angeli essent, quibus Scriptura dat alas aquilæ, idque quia Christus pectora eorum fortitudine cõplet. Obserua hîc quoque quod Propheta plus promittat currentibus, quàm ambulantibus in via virtutis: plus enim est non laborare, id est, non sentire laborem, quàm non fatigari, & ex fatigatione non deficere. Currentes enim sũt feruidi, qui præ feruore cursus laborem nõ sentiunt: quia eum amant & ambiũt: *Vbi enim est amor, ibi non est labor, sed sapor*, ait S. Bernard. Ambulantes sunt minus feruidi, qui proinde in operibus virtutum laborem sentiunt, sed superãt. Ita in naturalibus videmus iuuenes alacres & feruidos sæpè in cursu, alijsúe laboribus, ipsis gratis & iucundis, non sentire laborem: tum quia delectatio, quam hauriunt, pellit sensum laboris: tum quia ingenti animo, vi & spiritu, eum capessunt. Hæc enim vis & spiritus, pondus laboris ita facilè sustinet, vt vix sentiat. Docet enim Aristot. in Physic. vim motricem, si magna sit & efficax, facilius mouere pondus alioqui magnum, quàm vis & virtus parua moueat põdus paruũ. Ita vir facilius portat onus decem librarum, quàm infans onus vnius libræ. Curre ergo in stadio virtutis, & magis proficies in ea, magisque merebere, & minus laboris senties. Idcircò B. Virgo, spiritu & Verbo Dei prægnans, *exsurgens abijt in montana cum festinatione, & salutauit Elyzabeth*, eique, æquè ac Ioanni iuos ignes & spiritus afflauit, Luc. 1. 39. Sic Christus, qui sol diuinus, *exultauit vt gigas ad currendam viam à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius*, Psalm. 18. Currentibus ergo Deus magnam gratiam & spiritum, magnos animos, & vires quasi alas aspirat, qui omnes laboris sensum exsufflant. Hinc Paulus currebat, & ad cursum incitans ait: *Sic currite vt comprehendatis*, &c. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum*, 1. Cor. 4. Accedit & alia causa, quam dat Pimenius Abbas in vitis Patr. libr. 7. cap. 39. *Sicut*, inquit, *ad succensam ollam musca non appropinquant: si verò tepida fuerit, insidant in eam, & faciunt vermes: sic & monachum succensum igne diuini spiritus dæmones fugiunt, tepidum verò illudant, & insequuntur.*

Feruor in bono opere quam Deo gratus.

Hac ratione vitæ Tobiæ iunioris, quæ tribus annis breuior extitit, quàm patris:

14. *Exponitur, quod Tobias iunior sit sepultus cum gaudio.*

Sed de illo subiungit Historia, quod eum filij cum gaudio sepulturæ mandarint. Quid illud? An filij de parentis decessu voluptatem cepêre? Quis hoc dixerit; quandoquidem statum eorum vita dicatur bona fuisse, & sancta conuersatio. Posset igitur dici, ea verba hanc habere significationem, quòd eo tempore patrem sepelierint, quo nihil à fortuna, vel ab hostium iniuria patiebantur aduersi. Et sicut pater in pace mortuus est; sic etiam ipsi eodem tempore pace & bonâ fortunâ fruebantur, quæ per gaudium significatur, vt patet v. 4. vbi de felici statu senioris Tobiæ Scriptura loquens, inquit: *Reli quum verò vitæ suæ in gaudio fuit.*

Et vsus omnium linguarum obtinuit, vt illi dicantur gaudere, quibus bene cum fortuna, aut natura conuenit, etiam cùm leuis aliqua incidat dolendi causa. Hæc autem non videtur fuisse grauis, cum centenario patri, & 99. annorum si quod accederet ætatis, labor futurus esset, & dolor. Neque leuis esset gaudendi causa videre parentis fortunatam mortem, & honestum funus, & omnia quæ ad illum rerum articulum desiderari poterant, accidisse secunda.

15. *Iustus à mundo eripitur, ne videat mala*

Secundò, quod filij gauisi fuerint, patrem malis subtractum, quæ illic timeri põterant, ob incolarum impietatem, vti in Niniue visum fuerat. Inquit enim Isaias Vates cap. 57. *A facie malitiæ collectus est iustus*, id est, cladis & calamitatis; quasi diceret: Auferet Deus iustos ex hac vita, ne videant mala, & clades suæ gentis & seculi. Sic Deus abstulit Iosiam, ne

Suæ gentis & facult.

ne videret regni excidium & captiuitatem Babylonicam, 4. Reg. 22. Sic abstulit S. Augustinum, Wandalis Hipponem obsidentibus. Sic felices illos, qui Troiæ occubuerunt, canit Virgil. 1. Æneid.

O ter quaterq́, beati
Queis antè ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Hinc S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 37. quærenti Petro, cur boni, qui alijs poterant esse ædificationi, è vita hac citiùs subtrahantur? respondet: *Malitia remanentium meretur, vt hi qui prodesse poterant, festinè subtrahantur; & cum mundi finis appropinquat, electi tolluntur, ne deteriora videant. Hinc enim Propheta ait: Iustus perit, & nemo est qui recogitet in corde suo; & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat.* Ita dum Alphonsus cognomento Catholicus. Galleciæ Rex, Ecclesiæ columen, & gloriosus Saracenorum triumphis, migrauit ad Dominum anno Christi 757. in eius obitu auditæ sunt in aëre voces laudantium Dominum, & dicentium: *Ecce quomodo tollitur iustus ablatus à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius*, vti refert Tudensis, & ex eo Baron. anno Christi 757. in fine.

Hoc sensu dixit Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Ioann. cap. 21. ad verba Iudæorum reprehendentium Christum, cum suscitaturus Lazarum lachrymaretur, *Ecce, quomodo amabat eum?* Ioann. 11. *Consuetudo*, inquit, *est hominibus mortuos lugere, quos prius charos habebant & amore coniunctos. Secundum hanc consuetudinem Iudæi Dominum flere putabant, dicentes: Ecce quomodo amabat eum? Quum tamen potius humanam Dominus miseriam deplorabat, duræ mortis seruituti subiectam, & tristem Lazari deflebat sortem, ad hanc vitam mortalem plenam miseriæ, & dolorum reuocandi.*

16. *Fortiter toleranda est mortis.*

Tertiò, posset quis ea verba interpretari hoc sensu: quod filij heroicum ostenderint animum in morte patris, cum eius obitum æquo & forti animo tulerunt. Inde laudatur Iob, quod bonis & prolibus vno tempore priuatus non ingemuerit, sed nomen Domini benedixerit. Mater septem Machabæorum 2. Machab. 7. S. Symphorosa, & S. Felicitas, æquè septem filiorum matres, & heroinæ: quæ in filiorum morte, pro Deo obita exultarunt, eosque ad mortem capessendam, & vultu, & verbis, ac exemplis incitarunt. Henricus Sextus Angliæ Rex, ab Eduardo æmulo suo regno priuatus, & in vincula coniectus, occiso insuper filio, gratias egit Deo quod hoc sibi in vita Purgatorium dedisset, quo peccata expiaret. Testis est Polyd. l. 24.

Exemplum profanum.

Multa sunt huiusmodi exempla apud profanos. Vnum dumtaxat adducam. Publius Æmilius duos habebat filios, quorum alter triumphum patris, funere suo, quartum ante diem præcessit: alter in triumphali curru conspectus, post tertium diem expirauit; quem casum Æmilius eo robore animi sustinuit, vt ad populum, de rebus à se gestis, verba faciēs, dixerit: *Cùm in maximo prouentu felicitatis vestræ, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Deos precatus sum, vt si aduersi quid pop. Rom. immineret, totum in domum meam conuerteret. Quæpropter bene se habet res: annuendo enim votis meis id egerunt, vt vos potius meum casum doleatis, quàm ego vestrum ingemiscerem.* Ita Valer Max. lib. 5. cap. 10.

Licet hæ interpretationes probabiles sint, veriorem tamē existimo, quod gaudii fuerint patrem in eo statu vitam finijsse, quo longè feliciori vita frueretur, iuxta illud Apocalyp. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Illis enim mors est dulcissima; non tormentum est, sed gloria. Appositè Bernardus in sermon. ex variijs: *Veniet quidem mors*, inquit, *sed somnus erit dilectis Domini, & ecce hæreditas eius, erit ianua vitæ, erit initium refrigerij, erit sanctis illius montis scala, & ingressus in locum tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus, & non homo.* Saluator noster discipulis suis in vltima cæna, discessū suum amarè flētibus, dixit: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrē.* Si, inquit, quod dilectio vestra erga me postulat, exhiberetis, gaudendum erat, non dolendum de meo recessu; qui enim diligit, de bono dilecti delectatur. Recessus autem iste mihi vtilis admodum est. D. Bern. hæc verba enucleās serm. 10. in Cant. *Quid ergo non diligebant eum, de cuius abscessu dolebant? diligebant quidem dulciter, sed minus prudenter, non rationabiliter: diligebant toto corde, non tota anima, dilectio eorum contra salutem eorum erat, vnde & aiebat, Expedit vobis, vt ego vadam, culpans consilium, non affectum:* debebant enim potius de eius recessu gaudere. Hoc mihi videntur filij Tobiæ egregiè imitati, recogitantes religiosam clausulam vitæ patris.

17. *Gaudendum est de iustorum morte.*

Mori iuste est gloria.

Ioan. 16. Discipulorū dolor de Christi recessu ex qua parte imperfectus.

Nepotianus presbyter diem suum, adhuc iuuenis, extremum obierat: illius mortem præmaturam auunculus eius & Episcopus Heliodorus, deplorabat. Consolatur illum D. Hieronymus epistol. 3. & docet laudabile esse, ex charitate iustum è viuis sublatum deflere; sed quærit modum, quod ad meliora concesserit. Sic enim ait: *Scimus quidem, Nepotianum nostrum esse cum Christo, & Sanctorum nixtum choris, quod hic nobiscum eminus rimabatur in terris, & æstimatione quærebat, ibi videntem cominus dicere: Sicut audiuimus, sic & vidimus, in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate*

18.

Modus adhibendus in iustis defunctis lugēdis.

Psal. 47.

Dei

Dei nostri: sed desiderium absentiæ eius ferre non possumus, non illius, sed nostram vicem dolentes. Quanto ille felicior, tanto amplius nos in dolore, quod talem virum boni flebant & sorores Lazarum, quem resurrecturum nouerant; & vt veros hominis exprimeret affectus; ipse Saluator ploranit, quem resuscitaturus erat. Apostolus quoque eius, qui dixit: Cupio dissolui, & esse cum Christo. *Et alibi:* Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: *gratias agit, quod Epaphroditum de mortis sibi victima, redditus sit; ne haberet tristitiam super tristitiam non incredulitatis metu, sed desiderio charitatis. Quanto magis tu & anunculus, & episcopus, hoc est, & in carne, & in spiritu pater, dolens abscessisse viscera tua, & quasi à te diuulsa suspiras? Et immediatè post subiungit: Sed obsecro, vt modum adhibeas in dolore, memor illius sententiæ. Ne quid nimis: obligatoq; paruum vulnere, an tuas laudes eius, cuius semper virtute lætatus es. Nec doleas, quòd talem amiseris, sed gaudeas, quòd talem habueris.*

Ioan. 11.

Philipp. 1. Philipp. 2.

Paula ob intemperantem luctum in filiæ morte reprehenditur à D. Hieronymo.

Blæsilla Paulæ matronæ Romanæ filia primogenita, septimo à nuptijs mense, dum marito amisso Monasterium cogitaret, obijt: dolet mater, eam reprehendit D. Hieronymus, quod nimis intemperanter eius mortem ploret; & in hæc verba sermonem texit: *Fauamus Blæsillæ nostræ, quæ de tenebris migrauit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem, consummati operis percepit coronam. Reuera, si secularem desiderium, & quod Deus à suis auertat, delitias vitæ huius cogitantem mors immatura rapuisset; plangendaerat, & omni lachrymarum fonte deploranda. Nunc verò cum propitio Christo, ante quatuor fermè menses, secundo quodam modo proposito se baptismo lauerit. & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo semper monasterium cogitarit: non vereris, ne tibi Saluator dicat: Irasceris Paula, quia tua filia, mea facta est filia? indignaris de meo iudicio, & rebellibus lachrymis facis iniuriã possidenti? scio enim: quid de te, quid de cæteris tuis cogitẽ.* Et paulò post: *Si viuentem cerneres filiam, nunquam plangeres ad meliora migrasse. Hoc est, quod per Apostolum meum nolueram, ne de dormientibus infirmitudinem gentium contristaremini. Ecce desce, et hinc comparatione speraris. Melior diaboli ancilla, quàm mea est.* Illa infidelem maritum translatum fingit in cælum: *te mecum tuam filiam commorantem, aut non credis, aut non vis.* Et multis intermedijs inducit filiam contra matrem expostulantem: *Quas*, ait, *nunc existimas Blæsillam nostram pati tenebras, quæ ferre tormenta, quod tibi Christum videat febricitantem? Clamat nunc illa lugenti: si vnquam me amasti mater; si tua vbera suxi; si tuis institutis fui monitis; ne inuideas gloriæ meæ; nec hoc agas, vt in perpetuum à nobis separemur. Putas esse me solam? Habeo pro te Mariam, matrem Domini. Multas hic video, quas antè nesciebam. O quanto melior est ille comitatus! Habeo Annam, quondam in Euangelio prophetantem: & , quo magis gaudeas, tanto-*

Iustis in morte gaudendum.

1. Thessal. 4.

Luc. 2.

rum annorum labores ego in tribus mensibus consecuta sum. Vnam palmam castitatis accepimus. Misereris mei, quia mundum reliqui? At ego vestri sortem doleo, quos adhuc seculi carcer includit, quos quotidie in acie pralijantes nunc ira, nunc auaritia, nunc libido, nunc variorum incentiua vitiorum pertrahunt ad ruinam. Si vis, vt mater mea sis, cura placere Deo. Non agnosco matrem, meo Domino displicentem. Hæc & similia perpendisse, & animo volutasse Tobiæ filios, omninò credendum est, ideoque cum gaudio sepelisse parentem.

Diuus Hieronymus qui alios monuerat à luctu nimio abstinere, manibus de hoc mundo ad Christum, fertur totus iam lætus & alacer ad fratres dixisse: *Abijcite vestimenta luctus, & tristitiæ, Psalmum dicite nomini Domini, quoniam huusque transiui per ignem, & aquam, & ecce nunc induxit me in refrigerium.* Et fortè tale quid fecit & dixit pro illius temporis coniunctura Tobias noster, atque gaudium indixit filijs, neque enim omnia scripta sunt. Sanè Diuus Bernardus eo respectu noluit plangi S. Malachiam mortuum in Claraualle. Sic enim scribit in eius vita: *Et reuera quid rationis habet, immoderatius plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors eius, quasi non sit mortis portus, & porta vitæ? Malachias amicus noster dormit, & ego lugeam? Luctus iste vsu, se, non ratione tuetur. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, & talem somnum in quo hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris, quid horum videtur fletum inducere? Egone fleam illum qui fletum euasit? Ille triumphat, ille triumphat, ille introductus est in gladium Domini sui, & ego eum plangam? Cupio mihi, non illi inuideo.* Quis dubitat, quin filios filiorum Tobiæ hoc dictauerit, imò mandauerit, vt & ipsi luctum & fletum missi facientes, gauderent de tali recessu patris ad Cælites?

Euseb in epistol. ad Damasum, de eius morte.

Immoderatum est flere mortem iusti.

Claudam hanc Sectionem, exemplo inaudito, & narratu iucundo. Ludouicus Cortusius Iureconsultus Patauinus, lamentationes & lachrymas testamento, suis omnibus interdixit, voluitque adesse ad funus ipsius aulædos, citharædos, & omnis generis muticos, qui vnà cum cãdidato clero funeris pompam partim præirent (numero quinquaginta) partim sequerentur: singulis dimidium aureum dari præcepit. At ferretrum portari iussit à duodecim innuptis puellis, quæ pratinâ aut viridi veste indutæ, alta voce cantarent, quidquid lætitia suggereret. Harum virginum singulis certa pecunia, dotis loco, destinata. Ita sepultus est in templo S. Sophiæ Patauij, centum funalibus, dum efferretur, stipatus, præeunte omni Clero, & totius vrbis monachis, ijs tantum exclusis, qui nigri habitus essent; hos enim testamento à suo funere amouit, ne lutulentam publicam atris cucullis

19. Exemplum lepidum huius rei.

cucullis funestarent. Atque hac ratione exequiæ in nuptias migrarunt. Obijt nuptialis hic homo, Anno Christiano 1418. 17. Iulij, die diui Alexij.

Impiè mortuos deplorãdi solum sunt.

Præclarè dixit D. Bernardus serm. 70. de modo benè viuendi: *Illi mortuos suos lugeant, qui Resurrectionem negant. Illi sunt plorandi, qui post mortem à dæmonibus sepeliuntur in inferno, non illi qui ab Angelis collocantur in cælo.* Et loc. cit. de tranlitu Malachiæ: *Pretiosa* inquit, *mors sanctorum, pretiosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressio.* D. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio tom. 8 disertè asserit beatitudinis fruitionem vnius diei, plurimi æstimandam, quàm innumerabiles in hac vita felicitatis annos: *Tanta est incunditas lucis æternæ*, ait, *vt etiamsi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solum, innumerabiles anni huius vitæ, pleni delicijs, & circumfluentia omnium bonorum rectè, meritoq; contemnerentur: non enim falso aut prauo affectu dictum est, quoniam melior est dies vna in atriis tuis super millia.*

Cælestis gloriæ fruitio vnius diei plus valet, quàm omnia mundi bona.

SECTIO XIX.

Quorsum Spiritus sanctus recenseat perseuerantiam totius Tobianæ cognationis in bona vita, & sancta conuersatione.

1. *Tobiæ tota progenies à parentũ sanctitate non defecit.*

MIRABILE est quod finis historiæ in medium producit videlicet sanctam fuisse, & Tobiæ genere dignam, posteritatem omnem quæ non solum à parentibus nomen & facultates, sed etiam bonam mentem, & morum probitatem quodammodo hæreditauit. Quod Spiritum sanctum grauibus de causis recensere arbitror, prima, quòd planè sit paradoxum omnem alicuius cognationem & generationem in bona vita, & sancta conuersatione permanere; quandoquidem sæpissimè contingat, & Heroum, & magnorum principum filios esse ignobiles, viles, & planè nebulones, & qui parentibus nati sunt sanctissimis, sceleratos esse, neque virorum bonorum habere pilum, quantumlibet apud eos vigilet etiam disciplina domestica: Noe, licet esset vir iustus, inter octo domesticos vnum habuit reprobum Abrahæ domus nota non caruit; de ea enim dictum est, *Eijce ancillam, & filium eius.* In domo Isaac vnus filiorum dilectus fuit, alter odio habitus. In domo Iacob lectum patris vnus filiorum incestauit. Moyses mirificus diuinæ gloriæ zelator & vindex, posteros genuit non solum idololatras, sed etiam idolorum antistites, Samuelis filij tam fuerunt profligatæ vitæ quasi à sanctissimo patre non fuissent prognati, sed ex vitiorum omnium colluuione concreti; adeò vt neque domestica disciplina potuerit illorũ cohibere manus à rapina, aut animos, à peruertendo iudicio: *Non ambulauerunt*, inquit Scriptura, *filij illius in vijs eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperunt; munera, & peruerterunt iudicium.* In domo Dauid filius vnus cum sorore concubuit, alter contra patris sanctam mansuetudinem rebellauit Salomon primò bonus, in senectute deprauatus ex mulierum contubernio idololatra factus. Tempus deficeret recensendæ seriei eorum qui à parentum pietate longè deuiarunt, vel qui primò pietatem coluere, & tandem à Deo defecerunt. Roboam filius Salomonis primò verus Dei cultor, postea sua malitia dedit occasionem diuisionis regni, quã Salomon suo peccato erat promeritus, dum spreto consilio senum, secutus est consilium iuuenum. Imo post tres annos defecit Deum, idololatriam, & multas alias impuritates concessit. Abias filius eius initio regni coluit Deum, & spem suam in illo collocauit, 2. Par. 13. at postea ambulauit in omnibus peccatis patris sui quæ fecerat ante eum, nec erat cor eius perfectũ cum Domino Deo suo, 3. Reg. 15. Ioas primò fuit bonus, postea pessimus. A pio Ezechia ortus est impius Manasses, qui abrogauit cultum Dei, quem pater eius instauraverat, & reuocauit idololatriam, quam Achaz introduxerat. Speciatim hæc fecit mala, 1. ædificauit excelsa, 2. erexit aras Baal. 3. fecit lucos, & adorauit omnem militiam cæli. 4. Exstruxit aras idolorum in templo Domini. 5. Traduxit filium suum per ignem 6. Ariolatus est, obseruauit augutia fecit pythones, multiplicauit aruspices. 7. Fudit sanguinem innoxium. Similiter à Iosia religiosissimo principe nati sunt filij scelerati, atque impij, qui colentes idola diuinum furorem eò adegerunt, vt ciuitatem & templum sibi consecratum omninò vastaret. Hinc abiit in prouerbium, familiam nullam esse, quæ in cognatione sua non habeat vel furem, vel meretricem. Vnde sanè mirabile est, quod Scriptura hoc loco de cognatione & generatione tota prædicat, neque de vlla generatione tam apud Ecclesiasticos, quàm profanos Auctores puto idem reperiri. Hæc vna ratio.

2. *Principum, & Sanctorũ filij sæpè pessimi.*

Exempla Scripturæ.

Altera mihi videtur, quod cognatio hæc & generatio Tobiæ talis permanserit inter barbaros & homines impios degens: quòd tantò maiorem laudem meretur, quanto difficilius est. Appositè Bernardus Epist. 24.

3. *Tobiæ tota progenies inter malos bona quod magnum, sed difficilius laus est.*

Inter

Inter bonos bonum esse, salutem habet: inter malos verò & laudem. Illud tantæ facilitatis est, quanta & securitatis: hoc tantæ virtutis, quanta & difficultatis. Quale nempe est illud, tangere picem, & non inquinari ex ea: in igne sine læsione versari? & in tenebris absque caligine esse? Vbi alludit ad tria illa Scripturæ loca: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13. *In medio ignis non sum æstuatus.* Eccles. 51. *Facta sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus: vbicumq; autem habitabant filij Israel, lux erat.* Exod. 10. Quasi non minoris difficultatis sit, in consortio peccatorum, non peccare, quàm in pice, non infici: in igne, non comburi: in tenebris, non caligare. Et in eandem rem ponderat ibidem D. Bernardus hoc prodigium sanctitatis in tenebris collucentis, & in Christo Domino, & in Dauide extitisse. nam de Christo Domino dicitur: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt.* Ioan. 1. quia inter tam multa hominũ peccata extitit ἀ-ναμάρτητος, hoc est *sine peccato.* Dauid autem de se canit: *Habitaui cum habitantibus Cedar.* Psal. 119. v. 5. Hoc est, cùm habitantibus tenebras. Vbi non dicit, se habitare tenebras, sed cum habitantibus tenebras: ac si alijs vitiorum tenebris offusis, sibi vni diuinæ lucis radius splenderet.

Christi Domini virtus inter tenebras collucebat.

Quid difficilius, quàm inter salsos Oceani fluctus venam aquæ dulcis inueniri? non minus planè difficile videtur inter medios impiorum greges pium aliquem hominem versari. Vnde D. Chrysostomus in Psalm. 111. asserit veteres Patriarchas tantam sibi à Deo gratiam inijsse, tantamque beneuolentiam conciliasse, quod inter improbos probè vixerint, inter peccatores à peccato abstinuerint: *Ideò*, inquit, *sunt vel maximè beati iudicandi veteres, non quod recte se gesserint; sed quòd tunc, cùm magna esset virtutis sterilitas, & nusquam appareret, qui se rectè gererent.* Et statim rem exemplis illustrans: *Hoc*, inquit, *significans scriptura dicebat, Noe iustus in generatione sua*, Genes 6. Quasi non ipsa per se iustitia; sed iustitia in generatione sua, hoc est, inter improbos homines præcipuè commendetur: *Propterea*, addit Chrysost. *admiramur Abraham propterea Lot, propterea Moysen, quod veluti in profunda nocte stella apparebant: & tanquam rosæ inter spinas, & oues inter lupos innumerabiles. Versati inter spinas*, inquit Bernard. *& minimè læsi, diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.* D. Chrysostomus homil. 23. in Genes. *Est*, inquit, *virtus etiam per seipsam, admirabilis. Quod si quis illam in medio prohibentium colat, multo admirabiliorem se ostendit. Et propterea diuina scriptura, quasi admirando iustum, dicit, quod in medio eorum, qui indignationem Dei sensuri erant, Noe inuenerit gratiam coram Domino.* Quid enim laudabilius,

4. *Veteres Patriarchæ commendãtur, quod inter improbos probè vixerint.*

quàm vbi multi gratiam perdiderant, ibi vnum hominem inuenisse.

Quid dicemus de cognatione & generatione Tobiæ, vbi omnes omninò inter barbaros degentes pietatem vsque ad extremum vitæ coluerunt? Maxima sanè laus in pietate perseuerasse: quia illa sola est quæ vincit, & triumphat, ac gloriam parit. Planissimè hoc dixit Bernardus Epist. 129. *Perseuerantia*, inquit, *sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Absque perseuerantia, nec qui pugnat, victoriam; nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est; nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium; soror est patientiæ constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet; nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.*

5. *Maxima laus Tobiæ posteritatis, in pietate perseuerasse.*

Magna laus est iustorum, feliciter incipere, maior felicius processisse, maxima, parta virtutum incrementa feliciſsimè conseruasse. Diserte Cyprianus lib. 1. Epist. 5. *Parum est adipisci, plus est, quod adeptum est, posse seruare: sicut & fides ipsa, ita & ipsa natiuitas salutaris, non incepta, sed custodita vinificat: nec statim consequutio, sed consummatio hominem Deo seruat.*

Parum est sine perseuerantia incepisse.

Forrè subibit animum hæc cogitatio, Quod in laudem parentum Scriptura commemoret omnis cognationis & generationis Tobiæ dignam conuersationem & perseuerantiam, quòd parentes iusti in filios iustitiam transfuderint; aut certè plurimum illis profuerit parentũ bona vita. Audi mi Christiane, & noli credere ob priorẽ causam Scripturã meminisse dignæ ac probæ cõuersationis progeniei Tobianæ; sed proijce longè abs te cogitationem illam de transfusione iustitiæ in filios tanquam omninò impiam. Illud enim exploratum est, & in confesso apud omnes, parentum iustitiam non transmitti in filios, vt parentes iusti iustos filios generent, cùm siue iusti, siue peccatores parentes sint, generent peccatores filios, omnes enim nascimur filii iræ, & in peccato concepti.

Iustitia parentum quo modo transfundatur in filios.

Nec iustitia Tobiæ senioris ac iunioris, eiusque vxoris efficere potuit, quo minus generatio eorum in peccato originali concipereturSolis vtique primis parentibus concessum fuit, si à peccato cauissent, filios in iustitia originali gignere.

De cætero possunt quidem filij à parentibus prauos aut bonos habitus hæreditate. Experientia enim sæpè docuit malos habitus, & prauos mores, seu consuetudines in filios transferri. Ex ebriosis non tarò ebriosi filii, & in id vitium inclinati nascuntur: Similiter ex furibus, & assuetis ad alia vitia, nascuntur filii ad eadem propensi: quæres at-

Quatenus modis parentum sanctitas filijs prodesse solet.

gumento fuit quibuſdam antiquis exiſtimãdi animas fieri ex traduce, vt refert Auguſtin. lib. 2. de origine animæ cap. 6. Quod autem in vitijs euenit, id etiam in virtutibus conſpicimus; nam parentes dediti exercitijs quibuſdam bonis, filios in eadem inclinatos generant. Quamuis autem hæc non ſemper, plerumque tamen fiunt. Iuxta illum modum parentum iuſtitiam vel iniuſtitiam immiſti in filios, eiſque prodeſſe, vel nocere dici poſſet. Sed quia inclinatio praua, ratione debellari poteſt, & bona ex prauo conſortio, planè inutilis redii; hinc certum eſt S. paginam hac de cauſa bonæ conuerſationis non meminiſſe. Rurſum parentum iuſtitia filijs prodeſſe poteſt, cum eoſdem benè inſtituerint, & educauerint. Idque mirum in modum. boni enim patres, educant filios in ſanctitate, vt à primis annis diſcant timere Deum, quantum autem hoc profit, ſenſere Gentiles, quorum quidam dixit: *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu.* Experimur etiam nos, quot enim nunc Chriſtiani ſi parentes habuiſſent infidelés, in eadem nunc infidelitate inuenti eſſent, quotque nunc ſunt inter infideles, qui fideles eſſent, ſi tales obtinuiſſe parentes eis datum eſſet? Donum enim & magnum Dei eſt parentes fideles, & inter fideles, habere propter educationem. Quod Paulus nos docens 1. Timoth. 1. dicit: *Gratias ago Deo meo, cui ſeruio à primogenitoribus meis.* Idem Apoſtolus dans cauſam, cur magno teneretur videndi Timotheum deſiderio: *Recordationem*, inquit, *accipiens eius fidei, quæ eſt in te non ficta; quæ* (fides) *& habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus ſum autem quod & in te.* Quaſi dicat: Quod tantopere cupiam frui ante mortem tuo aſpectu, altera cauſa eſt (alia enim præceſſerat) quod recorder ſinceræ tuæ fidei, quam ab auia tua Loide, deinde etiam à matre Eunice hauſtam certò mihi perſuadeo te conſtantiſſimè retinere. Tertiò prodeſſe poteſt filijs patrum iuſtitia, & bona vita, cùm illam imitantur; nam quales patres filij experiuntur, tales & ipſi ſæpè ſunt, plurimùm enim refert exemplaria recta, & bona habere quotidie ante oculos: nam conuerſatio filiorum, & parentum continua, & diuturna eſſe ſolet, & eorum memoria retinetur. Iuſtitia ergo parentum, imitatione, quodam modo tranſmittitur in poſteros, ſicut etiam malitia, de qua Act. 7. dicitur: *Spiritui ſancto vos ſemper reſtitiſtis, ſicut & patres veſtri.* Quartò bona vita parentum filijs prodeſſe poteſt, quòd multum valeant eorum merita apud Deum. Iuſti enim parentes multa bona filijs impetrant, & temporalia, & ſpiritualia: de temporalibus habemus 3. Reg. 11. Peccantibus filijs Dauid, Salomone & Roboam, propter iuſtitiã Dauid, Salomoni non abſtulit Deus integrum regnum, ſed Roboamo reliquit duas tribus Iudam & Beniamin; quod etiam ſæpiſſimè Deum facere dubitandum non eſt. De hac autem vtilitate hoc loco non agitur.

Vnde tertiò exiſtimo S. Scripturam bonæ vitæ & ſanctæ conuerſationis, in laudem poſterorum Tobiæ, mentionem facere, tum quòd imitati ſint pium parentum exemplum; tum quòd pia Tobiæ exhortatio ſuum vigorem ſeruaret, & vim haberet etiam poſt mortem patris; quod magnæ obedientiæ ſignum eſt. Neſarius ille Eſau dicebat: *Venient dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum Iacob.* Genes. 27. Senſus eſt: veniet tempus mortis patris mei, illoque defuncto interficiam fratrem meum. Non auſus fuit Eſau opprimere & obruere patrem nimio dolore ob filij necem, quod horreret eius maledictionem; matrem verò non curauit, paratus ipsâ viuente necem fratri afferre. 7.

Multi eum imitantur, qui cùm parentes viuunt, timor reuerentialis eos continet in bono: à morte illorum laxant habenas iniquitati. Poſteri Tobiæ memores diſciplinæ boni ſenis conſtanter in timore Domini permanſerunt. Quod planè paradoxum. Samuel 1. Reg. 7. id effecit ſua exhortatione, vt Iſraelitæ cultum idololatriæ deteſtarentur; ſed non perſeuerarunt. Eſdras facili oratione diuortia perſuaſit Hebræis cum fœminis alienigenis illicita coniugia contrahentibus; ſed apud multos paterna admonitio ſine fructu manſit. Ionas breuiſſima concione ſceleratiſſimam vrbem ad pœnitentiam reuocauit; ſed mox ad priſtina redit vitia. Hi continuò pietatem coluerunt. In parabola ſeminis, Luc. 8. verbum Dei apud quartam hominum partem dumtaxat fructificauit: Senioris Tobiæ verbum apud omnes eius poſteros. Nemo excipitur. Omnes *in bona vita & ſancta conuerſatione permanſerunt: ita vt accepti eſſent tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Elogium inauditum. *Plurimi imitantur patrem boni, in malo tamen paſſimi.*

Obſerua hîc mi Chriſtiane, quandoquidem Tobiæ poſteri & cognati matrimonium amplexi ſint, neminem excuſari à pietate & perſeuerantia in bono ob Matrimonium: non enim illud obeſt virtutem ſectanti: quod tùm ex veteribus Patriarchis, tum ex his Tobiæ poſteris perſpicuum eſt. Nonne Geneſ. 5. dicitur? *Henoch, vixit ſexaginta quinque annis, & genuit Mathuſalem.* Numquid & ſtatim additur? *Et ambulauit Henoch cum Deo.* Nonne ibidem iterum ſubditur genuiſſe filios & filias; & in ſignum quod Matrimonium 8. *Nuptiæ non officiant ſalutis exulanti.* *Exemplum Henoch.*

nium virtuti eius non obstiterit, subnectitur? *Ambulauitq; cum Deo, & non apparuit: quia tulit eũ Deus*, nempe in paradisum, ante diluuium: post diluuiũ verò, quo inundatus & sublatus videtur paradisus, translatus est in locum aliquem amœnum, quem Deus illi siue in aere, siue in terra præparauit: ad quem etiam post diluuium raptus est Elias. Ibi simul agunt vitam quasi beatam, immunem à concupiscentia, & à nostris æruminis, in altissima Dei contemplatione: Prouocat meritò Diuus Chrysostomus homil. 21. in Genes. Christianos, vt hoc speculum intuiti, iustitiam amplectantur, & ab errore auellantur: *Audiant*, inquit, *viri, & mulieres: & discant iusti virtutem, nec putent nuptias in causa esse, quominus quis Deo placeat. Nam idcirco diuina Scriptura semel, & iterum id significauit*, dicens, *Genuit Mathusalem, & tunc placuit: & idem ingeminat, ac repetit dicens, & placuit postquam genuit: vt ne quis arbitraretur obstaculum virtutis esse coniugium.* D Gregorius homil. 15. in Ezechiel ostendens omnium virtutum exempla in sacris literis reperiri, *mentio*, inquit, *munditiæ cum coniugali copula eligitur. Henoch debet imitari, qui & in coniugio positus ambulauit cum Deo, & non apparuit: quia transtulit eum Deus.*

Alia exempla. Profectò Abraham vxorem habuit; habuit & Moyses, item Isaias Propheta, spectator ille cælestium Seraphin: neque in illis coniugium extinxit gratiam; nam Abraham factus est pater Gentium & Ecclesiæ; Moyses petram diuipit, aerem immutauit, cùm Deo locutus est, ac diuinam iram cohibuit. Isaias in re nobis absurdissima obedientiam Deo exhibuit singularem, cum nudus incessit per plateas, & concionabundus ad Dei voluntatem. Hi Tobiæ posteri tam sanctè vixerunt, vt in iustorum numerum ex Dei testimonio eos redactos esse apertissimè colligitur.

9. *Lib. 2. de gemitu Co.* Cardinalis Bellarminus plangit ex secularibus, tam paucos Sanctorum Catalogo asscribi. *Ex Episcopis*, inquit, *& Sacerdotibus multos nouimus ad eam vitæ sanctitatem peruenisse, vt mererentur publico Ecclesiæ testimonio in Sanctis numerari, nec pauciores scimus ex Regularibus diuersorum Ordinum ad eamdem gloriam peruenisse. Ex laicis tam raros nouimus publico Ecclesiæ iudicio Sanctos declaratos, vt vix vnum aut alterum, in singulis maioribus prouincijs, demptis Martyribus, in historijs legamus. Nostris certè temporibus partim ex Episcopis, partim ex Regularibus numeramus non paucos Catalogo Sanctorum adscriptos; & non pauciores ita miraculis florent, vt sperandum sit breui gloriam eandem assecuturos. De secularibus & laicis mirum silentium.* *Lumb. c. 7.*

Pauci sunt, qui ex secularibus canonizantur

Spiritus sanctus hoc loco omnes, & quoscumq; posteros Tobiæ, viros & mulieres sæculares cælo asscriptos, omnibus palam fecit. Laudemus itaque, & in numero felicium reponamus eos, qui, quod vitæ habuerunt, bene collocarunt. *In memoria æterna erit iustus*, inquit, Regius Propheta Psalm. 111. *Et memoria iusti cum laudibus*, inquit Hebræus Sapiens Prouerb. 10. Imitentur ergo sæculares omnes Tobianam posteritatem, & vitam vsque ad mortem virtutibus ornatam ducant, & sic ad eam gloriam, ad quam posteri Tobiæ peruenere, aspirare poterunt: *Vtinam ista consideratio*, inquit Bellarminus loc. cit. *impelleret Reges & Principes, vt sanctum Ludouicum Francorum Regem, sanctum Casimirum Regem Poloniæ sanctum Eduardum Regem Anglorum, & S. Stephanum Regem Hungariæ, & alios similes imitari cuperent, atque ad celsitudinem gloriæ, omnium longè maximam aspirarent! Vtinam priuati homines Laici vitam legerent, & mores imitarentur sancti Homoboni Cremonensis, qui cùm esset alligatus vxori, & patersamilias, sic tamen vitam integrè pieq; traduxit, vt ab Innocentio III. Pontifice sapientissimo, inusitato more, statim ab obitu beatus & sanctus declaratus fuerit. Sed ista magis optanda, quàm speranda sunt.* *Tobiæ posteri omnes cælo sunt asscripti.*

SECTIO XX.

Quomodo quis placere possit Deo & hominibus.

1. *S. Scriptura quædā sunt obscura.*

DIVVS Apostolus Petrus loquens de Epistolis S. Pauli, docet S. Scripturam partim obscuram, & intellectu difficilem. Sic enim ait Epist. 2. cap. 3. *In quibus quædam sunt difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant.* Quòd experti sunt discipuli Christi, qui multa eorum, quæ à Christo dicebantur, non intelligebant. Vnde Matth. 13. dicitur. Accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Et Luc. 18. ipsi nihil illorum intellexerunt, quæ de passione, morte, & resurrectione sua Christus proposuerat. Discipuli in Emaus euntes non intelligebant Scripturam, nisi Christus interpretaretur, vt testatur Lucas cap. 24. Eunuchus etiam Reginæ Æthiopum rogatus à Philippo an intelligeret Isaiam Propheram; quem legebat? respondit: *Quomodo* possum, si non aliquis ostenderit mihi; Act. 8.

2. *Figuratæ locutiones in S. Scriptura sine Dei revelatione impossibiles intellectu.*

Quòd illi fatui sunt, hoc Scriptura variis locis satis prodit. Cùm in ea enim multæ sunt locutiones figuratæ impossibiles sunt intellectu, nisi sigillatim à Deo, & sanctis hominibus, Spiritu sancto inspirante, explicarentur. Quis enim caperet virgam vigilantem; quam vidit Ieremias, significasse celerem vltionem diuinæ sententiæ contra Iudæos, & Gentiles? Et ollam succensam fuisse typum aduentus Nabuchodonosoris, nisi Deus ipse explicasset, Ierem. 1. dicens ad Propheram: *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Ab Aquilone enim significat à Babylone. Quis, inquam, per Ieremiam prohibitum ducere vxorem, intelligeret præfiguratam fuisse imminentem Iudææ vastitatem, Ierem. 16. nisi Spiritu sancto dictante? Quis per calicem furoris Domini, potentiam & furorem Regis Babyloniæ? Ierem. 25. Et per lumbare computrescens, interitum populi in captiuitate? Ierem. 13. Et per lagunculam implendam vino, habitatores Ierusalem inebriandos vino furoris Domini? Ibid. vers. 12. Et per duos calathos ficuum optimarum & pessimarum duo genera hominum: quorum alij felices erant, qui transmigrabant cum Rege; alij miseri, qui remanebant Ierosolymis? Ierem. 24. Et per lutum in manu figuli, populum Iudæorum in manu Dei? Ier. 18. Et per catenas & vincula Ieremiæ, captiuitatē variarum gentiū? Ier. 27. Et per contractionem lagunculæ testeæ, confractionē populi, & Ciuitatis Ierusalem? Ier. 19. Et per quatuor bestias, quatuor regna seu imperia. Daniel. 7. Et per arietem, regem Medorum ac Persarum: Per Hircum, regem Græcorum? Daniel 8. vers. 20. Cui, inquam, horum & similium verus sensus constaret, nisi sigillatim à Deo explicarentur.

3. *Apparentes contradictiones in Scriptura.*

Deinde occurrunt in Scriptura sacra apparentes sæpè contradictiones, quæ Lectori magnam pariunt difficultatem. Gen. 32. dicit Iacob Patriarcha: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Exod. verò 33. dicit Deus: *Non videbit me homo, & viuet.* Item Exod. 20. dicit Moyses nomine Dei: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Christus contra Lucæ 14. *Qui non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus.* Plurimæ existunt huiusmodi contradictiones, quas lubens omitto. Illas tamen adducam quæ ad rem præsentem faciunt, vt sensum assequamur vltimorum verborum Historiæ Tobiæ. Sirac. Eccles. 35. dicit de Moyse, *Dilectus Deo, & hominibus.* De Samuele 1. Reg. 2. inquit Scriptura: *Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat & placebat tam Domino, quàm hominibus.* De Tobiæ generatione, omnique cognatione: planissimè dicitur, quod tam sanctè vixerint, *vt accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* De Christo Domino, inquit Lucas cap. 2. *Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Idem testatur de Ioannis Baptistæ parentibus: *Erant ambo iusti apud Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.* nempe aliorum hominum, qui ipsorum iustitiæ & sanctitati contradicerent. At in aliis Scripturæ locis videtur planè contrarium asseri. Matt. 6. dicit Dominus: *Nemo potest duobus Dominis seruire, Et nō potestis Deo seruire & mammonæ.* Et 1. Cor. 10. dicit Apost. *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum: mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Regius Propheta dicit Psalm. 52. *Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent: Confusi sunt, quia Deus spreuit eos.* Lucæ cap. 6. inquit Christus: *Væ cùm benedixerint vobis omnes homines.*

Impossibile Deo, & omnibus hominibus placere, probatur ex Scriptura.

4.

Deinde exemplis abundè illud constat. Moyses enim adeò displicuit hominibus, vt periculum mortis incurrerit, quando voluerunt illum lapidare. Samuelem contempsit populus, & in ipso Deum quando illum etiam innocentissimum repudiarunt, & Regem voluerunt instar aliarum gentium. Tobiam certum est, ad mortem fuisse quæsitum pro-

propter sepulchralem operam, quam Iudæis concaptiuus impendit: Irrisum & irritatum ab vxore, ab amicis, quòd pietatem tantopere cordi haberet. Dauid Satrapis Regis Achis placere nullatenus potuit, Rege testante: *Sed tu*, inquit, *quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei, sed Satrapis non places.* 1. Reg. 29. Daniel placuit Deo & Dario Regi, sed Consiliarijs vsque adeò displicuit, vt eum ad lacum leonum redegerint. Daniel 6. Elias plurimùm Deo placuit, sed Achabo Reg. maximè inuisus, vti & Ochoziæ Regi, 3. Reg 18. & 4. Reg. 1 Christus Dominus verbo, exemplo, & miraculis, clarus, Phariſæorum & populi inuidiam, & furorem vsque ad mortem expertus est Apostolus Paulus Gal. 1. inquit: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Rursum Dominus ad Discipulos, Ioann. 15. capit. *Quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus* Et Apostolus 2. Timoth. 3. *Omnes qui piè volunt viuere in* CHRISTO IESV, *persecutionem patientur.* Planissimè Chrysostomus homil. 23. in Gene. *Impossibile*, inquit, *est vt qui angustam & arctam virtutis viam ambulat, & mandata sequitur Christi, ab omnibus laudetur, & in admiratione sit. Nam celebrari ab omnibus, maximum fuerit argumentum, non magnam haberi virtutis rationem.* Cùm enim multa hominum pars, talis sit, cui placeant mala: qui his placet, conuincitur planè non esse bonus: cùm à malis vt plurimum non nisi mala approbentur. Resigitur noua est, Deo & hominibus placere, nam, vt bene D. Ambrosius ad locum Luc. 1. cit. *Plerumque*, inquit, *iustitia durior hominum querelam excitat:* cùm homines frequenter, *iustum aut odio prosequantur, aut maledicto deiiciant.*

Nouum est Deo & hominibus simul placere.

5. *Quo pacto posteri Tobiæ Deo & hominibus placuerint, exquiritur.*

Quæritur ergo quo sensu verum sit, quod posteri Tobiæ, & Deo & hominibus, & cunctis habitantibus in terra, potuerint placere. Non enim potest Scriptura mentiri, aut fallere. Breuiter tibi explicabo quod sentio.

Primo sic intelligi potest locus hic, quod placuerint Deo & hominibus, quantum in ipsis fuit, vita vt iure illorum vita culpari non potuerit, licet fortè aliquibus propter eorum malitiam displiceret.

Quæ fuerit iustitia in parentibus Ioannis baptistæ commendata.

Sic omninò intelligendum est quod D. Lucas testatur de parentibus Ioannis Baptistæ, Zacharia & Elyzabeth: *Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Dei, sine querela.* Verba enim illa hunc sensum habent, Parentes Ioannis baptistæ erant omni virtute perfectiores, seu verâ iustitia insignes, quæ hominem iustum facit apud Deum, & peccatum graue excludit: Hinc enim commendat Euangelista eius parentes; neque solum dictum est, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus; quod ad exteriorem iustitiam pertinet, sed præmissum illud etiam est, iustos esse coram Deo, quod præcipuum & primũ est, & vt id etiam argumento comprobemus, fieri non potuisset, vt in omnibus mandatis & iustitijs incederent nisi iustitia vera, quæ per fidem, & dilectionem est, præessisset interius. Doctè igitur Greg. lib. 35. Moral. cap. 6. de cordis etiam iustitia hunc locum intellexit, & Chrysost. homil. 4. in Matth. hanc iustitiam omnem virtutem amplecti affirmat.

Et quod additur, *sine querela*, significat ita eosdem omnibus virtutum operibus, & cultui ac religioni erga Deum incubuisse, vt irreprehensibiles essent ab hominibus, qui vix parcunt cuiuis etiam sancto, quin oblatrent, & detrahant ei. Seu clarius; Iustitia parentum Ioannis fuit ita perfecta, & accepta, ac nota, vt nemo occasionem habuerit iure illos reprehendendi in aliquo.

Sic Apostolus monuit Titum Episcopum in omnibus se præbere, *exemplum bonorum operum, in doctrina integritatem, grauitatem, verbum sanum, irreprehensibile: vt ù*, inquit, *qui ex aduerso est, vereatur nihil habens, malum dicere de vobis.* Quasi dicat commentante Ieronymo, Sic se se gerat Titus, *vt nihil dignum reprehensione dicat, aut faciat, vt aduersarij vitæ, & doctrinæ nostræ sanitate perterriti, non audeant accusare, hoc est nihil verisimile in accusatione confingere: nemo est enim tam immoderatæ impudentiæ, vt solis radios possit accusare tenebrosus, & clarum lumen caligine noctis offendere.* *Tit. 2.*

Sic rursum Apostolus monens Romanos, vt prouideant bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, adiunxit: *Si fieri potest, quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* quasi dicat. Ita honestè, amicè, iustè & sanctè viuite, vt vita vestra, & conuersatio bona & amicabilis non tantùm Deo, sed & hominibus probetur, nec à quoquam iure culpari possit, ne ansam habeant calumniandi. Addit autem, *Si fieri potest quod ex vobis est. Contingit enim subinde*, inquit Chrysostomus hom. 22. ad Roman. *vt possibile non sit. Nimirum, quando de pietate sermo est, quando certatur de iniuria adfecta. Et quid mirarù, si inter alienos homines hoc non vbique fieri possit, quandoquidem etiam inter virum & vxorem necessitatem illam & vinculum pacis dissoluat, cùm diuis: Si verò infidelis abscedit, abscedat. Quod autem dicit tale est: Quantus sunt officia, præsta, nemini dans ansam seu belli seu dissidij, siue Iudæo, siue Græco. Si verò alicubi pietatem labefactari videris, ne proponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem vsque. Et neque tamen sic animo eius erga aduersarium hostili, neque mente illum auersaberis, sed in rebus tantummodo pugnabis. Hoc enim sit quod dicit, quantum in vobis est,*

cum omnibus hominibus in pace viuentes. Quod si ille pacem non seruauerit, tu vide ne animum tuum inimicitiâ, quasi tempestate oppleas, sed voluntate sis amicus: ita tamen, quemadmodum dixi, vt veritatem non prodas.

6. *Hoc modo D. Paulus studebat omnibus placere.*

Hoc ipsum latiùs explicat Apostolus, cùm Corinthios suo exemplo ad idipsum hortatur: *Sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Sensus est. Ita studiosè Dei gloriam promouete in omnibus (quod est consilij) vt omninò caueatis, ne quid faciatis, quod gloriæ Dei aduersetur, aut scandalum in idolothytorum commestione, aut alia re detis, quo Deus vituperetur. Nam & ego non solum caueo ne cuiquam præbeam offendiculum, verùm etiam me per omnia, omnibus accommodo, & quantum in me est, placere conor, & satago, vt omnes ædificem. Placeo enim ibidem significat actum inchoatum, siue studium placendi quatenus possibile. Vnde subdit, *Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Vtile*, inquit Chrysostomus eo loci, *est ab idolorum sacrificijs abstinere.* Et immediatè pòst subiungit, qua ratione id fategerit Apostolus: *Ego*, inquit, *multa quæ non debebam, feci, inquit: videlicet cùm circumcisus sum, cùm sacrificaui. Hæc si quis suapte natura inquireret, & prosequentes perdit, & à salute decidendi causa est. Sustinui tamen hæc propter eorum lucrum. Verùm hoc in loco nihil eiusmodi. Illic enim nisi accederet vtilitas, & aliorum causa fieret, sequeretur detrimentum: hic autem quamuis nemo scandalizetur, est tamen prohibitio abstinendum. Atqui non solum damnosa, verùm & laboriosa perpessus sum. Alias autem Ecclesias spoliaui, inquit, accipiens stipendium. Cùm liceret mandducare, & non operari, non tamen id quæsiui, sed fame consumi malui, quàm alium scandalizare. Propterea inquit, Per omnia omnibus placeo. Sine præter legem aliquid, siue laboriosum, siue periculosum facere oporteat, omnia in proximorum vtilitatem perpetior. Cùm igitur omnium diligentia supremus sim, humilitate omnium abiectissimus effectus sum.* Itaque sensus est: ego me sic exhibeo, vt omnibus placeam ad profectum. Si quis verò sine causâ me odisse voluerit, ego non sum in culpa. Hoc modo nec aliter Diu. Paulus ad Galat. 1. clarissimè dicit se placere velle: *An quæro*, inquit, *hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Quasi dicat: Non curo quid de me Iudæi, alijue homines censeant, quasi rigidior sim, aut patriæ & Iudaismi hostis; quæro enim vni Deo placere; cùm enim illis olim placui, Deo displicui; quod si adhuc eis placere vellem, Deo displicerem, quia legem Moysis statuerem, Christique gratiam destruerem.

Act. 6.

2. *Cor. 11.*

Neque aliter voluit Romanos aliis placere, cùm ad Rom. 15. inquit: *Vnusquisq; vestrum proximo placeat in bonum ad ædificationem.* Hoc modo Moysem, Samuelem, posteros, omnes Tobiæ, aliósue Deo & hominibus placuisse, certum est.

Secundò. Placendo duntaxat bonis omnibus, non malis.

Secundò intelligi potest hic locus, contrahendo eum duntaxat ad melioris vitæ homines. Nam malis hominibus, & Deo placere nemo potest. Qua ratione verum est, quod dixit Christus Matth. 6 *Nemo potest duobus Dominis seruire; non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Matth. 6. vers. 24. & illud Diui Pauli: *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* 1. Corinth. 10. Vnde Diuus Gregorius Magnus libr. 8. Regist. epist. 36. ad Maximum Episcop. Salonitanum: *Hoc*, inquit, *certissimè scito, quia placere Deo, & prauis hominibus nullus potest. In tanto ergo te existimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse: quanto se peruersis hominibus displicuisse cognouerit.* Tamen bonis hominibus non potest bonus displicere. Vnde D. Bernard. epistol. 248. ad Eugen. Papam sperans prælatum in Ecclesia Valentina nuper electum, suo officio egregiè functurum: *Scire vultis*, inquit, *vnde id sperem? Boni hoc volunt, nec potest bonus non esse, qui bonis placet.* Et statim à contrario argumentatus: *Nec minus*, inquit, *validum argumentum mihi videtur, quod bonus sit, si malis è regione displiceat.* Itaque licet bonus displiceat malis, non potest tamen non placere bonis. Vnde Diuus Augustinus non à malis, sed à bonis laudes aliquas admittebat: sciens illaudatum non fore apud Deum, qui in hac vita à bonis laudaretur. Nam in lib. 50. hom. 25. *Laudari*, inquit, *à male viuentibus nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est, non voluptati. Laudari autem à bene viuentibus, si dicam, nolo; mentior: si dicam, volo; timeo, ne sim inanitatis appetentior, quam solliditatis. Ergo quid dicam? Nec plenè volo: nec plenè nolo: non plenè volo, ne in humana laude periclitet; non plenè nolo: ne ingrati sint, quibus prædico.* Ita ille. Sed adhuc potior ratio, cur se à bonis laudari vellet, illa erat, vt se optimo bonitatis suæ testimonio consolaretur: quale erat, quod ei à bonis reddebatur. Hac ratione Moysen, Samuelem, Tobiæ posteros, alios Deo & hominibus nempè bonis placuisse, extra controuersiam est.

Nemo Deo, & malis hominibus placere potest, potest tamen bonis.

Tertiò. Placendo bonis per affectionem, malis per admirationem.

Tertiò exponi potest hic locus, vt sensus sit Tobiæ posteros non solum Deo sed & hominibus bonis per affectionem, quin etiam malis per admirationem placuisse. *Tanta*, inquit Chrysostom. homil. 5. in Genes. *virtutis potentia est, vt reuereantur, & multum laudent eam, etiam qui illa carent: sicut & vitium etiam ab his, qui mali sunt, subinde accusatur, & carpitur.*

Et

Virtus etiam malis laudabilis, & admirabilis.

Et turſus homil. 13. Geneſ. ſibi vbique ſimilis. *Non amici*, inquit, *ſoli, ſed & inimici reuerebuntur virtutis eminentiam. Tanta eſt enim virtutis potentia vt & compeſcat ora, & linguas eorum, qui ipſi infeſti ſunt.* Concinit D. Bernard. ſerm. 7. in Pſalm. Qui habitat: *Pſeudoprophetam*, inquit, *Balaam recolite. Et ipſe iniquus mortem iuſtorum optabat: & nouiſſima ſua horum ſimilia fieri precabatur. Tantus eſt pietatis fructus, tanta iuſtitiæ merces, vt ne ab ipſis quidem non deſiderari queat impijs, & iniuſtis.* Nec multò aliter idem Diuus Bernardus ſermon. 2. in natali S. Vict. docet bonos, ſi non amabiles, & laudabiles: malis certè terribiles, ac formidabiles eſſe: nec minus ex vno, quàm ex altero virtutis excellentiam ſpectari. *O venerandam*, inquit, *etiam ipſis Angelis ſanctitatem: quam pari ſtudio, & ſi diſpari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni. Nec facilè dixerim, quid virum adſtruat ſanctiorem horum fauor, aut pauor illorum.* Et ex hoc capite ſcimus magno in honore fuiſſe apud exteros Abraham, Iſaac, alios, adeoque formidabiles ipſis fuiſſe, vt cum illis fœdus initent, ne nocerent. Exempla adduxi quamplurima Sect 27. in caput Tobiæ primum. Atque ſic credibile eſt, omnibus placuiſſe Tobiæ poſteros, quia additur, *Et hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Inter quos, malorum numerum præualuiſſe, nemo dubitat. His finio explicationem moralem in Tobiæ Hiſtoriam. Eà fruere mi Lector ad maiorem Dei ter Opt. & Maximi, eiuſque beatiſſimæ Matris gloriam, ac tuam & aliorum ſalutem.

Tobiæ poſteri malis admirabiles & formidabiles.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM
ET SENTENTIARVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Quæ partim explanatæ, partim ad probationem, confirmationemque veritatis adductæ, in hoc opere continentur.

Prior numerus faciem, posterior lateralem numerum, sub quo Scripturæ locus citatur, designat.

EX LIBRI GENESEOS

Primo Capite.

Fiat lux. pag.137.num.10.
Vidit Deus quod esset bona. pag. 466.15.
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. 713.11.
Masculum & fœminam creauit eos, benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram. 445.2.
Crescite & multiplicamini. 44.2.

Ex Secundo Capite.

Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. 485.1.
Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hac vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. 44.3.
Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. 201.1.344.2.

Ex Tertio Capite.

Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi? 510.4.
Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum. 510.4.
Eritis sicut dij scientes bonum & malum. 427.9. 315.5.
Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. 845.8.
Vbi es. 427.9.
Vocem tuam audiui in paradiso, & timui eò quod nudus essem, & abscondi me. 712.8.
Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi. 162.7.774.5.
Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. 195.1.
Ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. 199.10.
Quia audisti verba vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, &c. 202.5.
In sudore vultus tui vescêris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es. 883.8.189.3.

Ex Quarto Capite.

Adam cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit & peperit Cain, dicens; Possedi hominem per Deum. 45.1.
Factum est post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ Domino, Abel quoque de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò & ad munera illius non respexit. 38.5.
Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain verò & ad munera eius non respexit. 30.3.
Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies, sin autem malè statim in foribus peccatum aderit? 754.13.
Si benè egeris recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? 697.15.
Vbi est Abel frater tuus? & Num custos fratris mei sum ego. 657.17.
Numquid custos fratris mei sum ego? 279.11. 195.8. 355.4. 846.8.
Quid fecisti vox sanguinis fratris tui clamat ad me? te terra, nunc igitur maledictus eris super terram &c. 69715. 97.6.
Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 279 15. 97.6.
Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. 785.1.
Ecce eiecis me hodie à facie tua & ego ero vagus & profugus in terra. Omnis qui inuenerit me occidet me. 190.8. 536.5.
Omnis qui inuenerit me occidet me. 512.8.
Seth natus est filius, quem vocauit Enoch: Iste cœpit inuocare nomen Domini. 47.6.

Ex Quinto Capite.

Ambulauit, Enoch, cum Deo, & non apparuit quia tulit illum Dominus. 278.8.

Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum. 46.4.

Ex Sexto Capite.

Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, erunt q; dies illius centum viginti annorum. 8.1.11. 303.4.26.4.

Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant. 448.1.459.5.

Noe verò inuenit gratiam coram Domino. 649.2.

Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis. 19.4.

Ex Septimo Capite.

Ingreſſus eſt Noe & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcum, propter aquas diluuij. 44.3.

Ex Octauo Capite.

Portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo. 651.9.

Tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare. Odoratuſq; eſt Dominus odorem ſuauitatis. 646.7.

Ex Nono Capite.

Benedixitq; Deus Noe, & filijs eius, & dixit ad eos: creſcite & multiplicamini, & replete terram. 44.3.

Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. 415.7.

Quicunque effuderit humanum ſanguinem fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. 320.4. 51.6.

Erant filij Noe qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham & Japhet: porrò Cham ipſe eſt pater Chanaan. 649.2.

Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. 183.2 649.2. 4.2. 379.3.

Benedictus Dominus Deus, Sem & dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem. 386.3. 389.9.

Sit Chanaan ſeruus eius. 799.2.

Ex Decimo Capite.

Gen.10.15. *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum ſuum Hetheum & Iebuſæum, Amorrhæum, & Gergeſæum, & Heuæum,* 841.7.

Ex Vndecimo Capite.

Gen.11.7. *Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* 713.11.

Ex Duodecimo Capite.

Gen.12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* 20.5. 866.2.

Faciam te in gentem magnam. 23.11.

Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. 7.8.6.8. 227.8.

In Egyptum vt peregrinaretur ibi. 749.3.

Cùm itaque ingreſſus eſſet Abraham AEgyptum, viderunt AEgyptij mulierem quod eſſet pulchra nimis. Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis. 3.9.6.

Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis & domum eius propter Sarai vxorem Abram. 359.6. 121.3.

Sed præcepit etiam Pharao ſuper Abram viris, & deduxerunt eum & vxorem illius & omnia quæ habebat. 359.6.

Ex Decimo-tertio Capite.

Fratres enim ſumus. 583.7. Gen.13.

Eleuatis Loth oculis vidit omnem circa Regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam ſubuerteret Dominus Sodomam, & Gomorram, ſicut Paradiſus Domini. 774.5.

Omnem terram quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. 799.2.

Ex Decimo-quarto Capite.

Benedictus Abraham Deo excelſo qui creauit cælum Gen.14.
& terram, & benedictus Deus excelſus qui protegente, &c. 386.1. 215.5. 562.3.

Ex Decimo quinto Capite.

His itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Gen.15.1.
Abraham per viſionem dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. 514.3.

Suſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes, & dixit ei: Sic erit ſemen tuum. 878.2. 478.9.

Domine Deus vnde ſcire poſſum quod poſſeſſurus ſim eam. 372.2. 799.4. 848.4.

Scito præneſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua. &c. 800.3.

Tu autem ibis ad patres tuos ſepultus in ſenectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc: nondum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus. 849.4. 871.3. 861.13.

Nondum enim impletæ ſunt iniquitates Amorrhæorum. 841.8.

Ex Decimo ſexto Capite.

Sarai habens ancillam AEgyptiã nomine Agar dixit Gen.16.2.
marito ſuo: Ecce concluſit me Dominus ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. Cumq; ille acquieſceret deprecanti, tulit Agar AEgyptiam ancillam ſuam, &c. & dedit eam viro ſuo vxorem. Qui ingreſſus eſt ad eam. 211.5.

Dixit Sara marito ſuo, ecce concluſit me Dominus ne parerem: ingredere ad ancillam meam, &c. 382.5.

Iniquè agis contra me, ego dedi ancillam meam in ſinum tuum: quæ videns, quod conceperit, deſpectui me habet, &c. Ecce ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea, vt libet. 201.2. 394.8.

Ecce ancilla tua in manu tua eſt. 855.3.

Agar ancilla Sarai vnde venis, & quo vadis, &c. à facie Sarai Dominæ meæ ego fugio. 493.5.

Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. 25.2.

Ex Decimo-ſeptimo Capite.

Ambula coram me, & eſto perfectus, ponamq; fœdus Gen.17.
inter

inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. 68.2. 276.1.277.1.

Ego Deus tuus, & seminis tui. 10.3.278.8.844.2. 858.20.

Ex Decimo-octauo Capite.

Gen 18. *Cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram.* 134.2.

Domine si inueni gratiam in oculis tu, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ & lauate pedes vestros & requiescite sub arbore, ponamq; buccellam panis, & confortate cor vestrum, & postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. 480.1 403.1.

Reuertens veniam ad te tempore isto vitâ comite, & habebit filium Sara vxor tua, &c. 482.4. 377.6.

Erant ambo senes prouectæq; ætatis. 871.3.

Desierant Saræ fieri muliebria. 800 8.

Quare risit Sara, Nunquid Deo est quidquam difficile. 256.7.

Tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditq; puero: qui festinauit & coxit illum, &c. 5 1.3.

Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. 253.4.98.9.223.5.

Num celare potero Abraham quæ gesturus sum; scio enim quod præceperus sit filijs suis & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, &c. 295.2.815.3.

Loquar ad Dominum meum cùm sim pulùs, & cinis. 716.3.

Nunquid perdes iustum cum impio?

Obsecro ne irascatur Domine si loquar adhuc semel. 578.1.

Ex Decimo-nono Capite.

Gen.19. *Surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitq; pronus in terram & dixit. Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri & manete ibi: lauate pedes vestros & manè proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt minimè, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum, ingressiq; domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma & comederunt.* 480.1.

Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. 180.6.

Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac: delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos. 727.2. 867.3.

Egressus itaque Lot locutus est ad generos suos: surgite egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc, &c Et visus est eis quasi ludens loqui. 354.2.

Surgite egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem istam, &c. visus est eis quasi ludens loqui. 571.2.

Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, eduxeruntq; eum. 354.2.

Ex Vigesimo Capite.

Vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. 383.5. Gen.20.

Concluserat Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ. 598.5.

Venit enim Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: Et morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. 121.3.

Redde viro suo vxorem, & orabit pro te, & viues. 559.12.35.4.

Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocunque perrexeris: mementoq; te deprehensam. 281.13. 631.14.

Alias autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam, &c. 382.5.

Ex Vigesimo-primo Capite.

Eijce ancillam & filium eius. 503.2.888.2. Gen.21.10.

Eijce ancillam & filium eius; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac, &c. Durè accepit hoc Abraham, &c. non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. 800.8

Tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradidit q; puerum, & dimisit eam. 413.1.

Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est, &c. 837.1.

Deus tecum est in vniuersis, quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis; stirpiq; meæ, sed iuxta misericordiam quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es aduena. 71.2.

Deus tecum est in vniuersis quæ agis. 341.5.

Ex Vigesimo-secundo Capite.

Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum, &c. Pater mi ecce ignes & ligna vbi est victima holocausti, &c. Deus prouidebit sibi victimam holocausti. Pergebant ergò pariter, 357 5 & 349.6. 216.7. Gen.22.

Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & offer eum in vno montium quem monstrauero tibi. 393 7.

De nocte consurgens abijt. 364.6. 134.2.

Abijt ad locum quem præceperat ei Deus: die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul. 478 8.

Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit, 32.1.

Non extendas manum tuam super puerum. 246.7.

Non extendas manum super puerum, neque facias illi quidquam, &c. nunc cognoui quod times dominum, &c. Per memetipsum iurauj, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, &c. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. 805.5.

Nunc cognoui quod times Deum & non pepercisti vnige-

vnigenito filio tuo propter me. 259.4. 393.7. 479.12. 700.1.

Ex Vigesimo-quarto Capite.

Gen.24 1. *Erat Abraham senex, dierumq; multorum & Dominus in cunctis benedixerat ei.* 871.3.

Pone manum tuam super femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ, &c. 583.4.

Dominus Deus cæli qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, &c ipse mittet angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo, 589.7.

Dominus benedixit Domino meo valde. 402.1

Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? præparauit domum & locum camelis, & introduxit eum in hospitium: ac destrauit camelos, deditq; paleas & fænum & aquam ad lauandos pedes eius & virorum qui venerant cum eo. 480.1. 403.1.

A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam & proficiscere, & sit vxor filij Domini tui sicut locutus est Dominus, 441.1.456.15.

Dominus Deus cæli mittet angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo, &c. Non comedam donec loquar sermones meos. 356.2.507. 757.2.

Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum. 525.8.

Festinus reuertebatur ad Domum suam. 134.2.

Introduxit eam in tabernaculum Sare matris suæ: & accepit eam vxorem. 628.5.

Ex Vigesimo-quinto Capite.

Gen.25. *Fuerunt autem dies vitæ Abraham centum septuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum, congregatusq; est ad populum suum.* 860.11.

Cùm quadraginta esset annorum duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia sororem Laban, deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ, &c. Sexagenarius erat quando nati sunt eiparuuli. 711.3.

Duæ gentes in vtero tuo sunt, & maior seruiet minori. 32.4.

Iacob autem erat vir simplex. 256.7.

Ex Vigesimo sexto Capite.

Gen.26. *Apparuit illi Dominus, & ait, nec descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, & peregrinare in eam & benedicam tibi,* 121.3. 866.2 342.7.

Quare imposuisti nobis? potuit concumbere aliquis de populo cum vxore tua, & induxeras super nos peccatum grande. 310.9.

Benedixerunt ei Dominus & locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens donec magnus vehementer effectus est. 341.5.

Habuit quoque possessiones ouium & armentorum & familiæ plurimum. 121.3.

Ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus. 71.2.

Quid venisti ad me, hominem quem odisti, & expulisti a vobis? (Responderunt:) Vidimus tecum esse Dominum, & ideirco nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali. 121.3.230.4.341.5.

Apparuit illi Dominus in ipsa nocte dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. 514.3.

Ex Vigesimo septimo Capite.

Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre Gen.27. *tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, &c.* 460.8.

Fili mi; quæ respondit, Vdsum, cui pater: Vides quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ: sume arma tua pharetram, & arcum, & egredere foras, cumq; venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, &c. 273.2.

Tu es filius meus Esau, &c. Ego sum. 385.6.

Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam, &c. 386.3.

Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. 625.6.

Este Dominus fratrum tuorum. 799.2.

Cui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. 786.8.

Qui maledixerit tibi sit ille maledictus. 227.8.

Benedic etiam & mihi pater mi. 389.9.

Veniem dies luctus patris mei & occidam Iacob fratrem meum. 380 6.570.1.609.8.890.7.

Fuge, &c. in Haran, &c. donec requiescat furor fratris tui. 570.1.

Dixit Rebecca ad Isaac: Taleat me vita mea propter filias Heth; Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ nolo viuere. 457.15.571.1 842.8.

Ex vigesimo octauo Capite.

Deus omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat. Gen.28. 866.2.

Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Eritq; semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem: benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus, quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam, nisi complevero vniuersa, quæ dixi. 68.3.

Ero custos tuus quocunque perrexeris. 408.7. Gen.28.

Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Et: Quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi Domus Dei, & porta cæli. 32.2.

Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, &c. erit mihi Dominus in Deum, & Lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. 803.2.567.3.

Ex Vigeſimo-nono Capite.

Gen. 29. *Videbamur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* 445.4.

Vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias. 527.

Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. & infra. *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios.* 46.2.

Ex Trigeſimo Capite.

Cernens autem Rachel quod infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait: da mihi, liberos alioquin moriar. 394.8.

Da mihi liberos, alioquin moriar &c. num pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui? 104. 8. 398.1.

At illa (Rachel) habeo inquit famulam Balam, ingredere ad illam vt pariat ſuper genua mea, & habeam ex illa filios: dedítq; illi Balam in coniugium &c. 45.1.

Comparauit me Deus cum ſorore mea, & inualui: vocauitq; eum Nephtali. 45.1.

Idcirco vocauit nomen eius Gad. 46.1.

Recordatus quoq; Dominus Rachelis exaudiuit eam & aperuit vuluam eius: quæ concepit & peperit filium dicens: abſtulit Deus opprobrium meum. 206.1.

Abſtulit Deus opprobrium meum. 222.2.

Experimento didici quia benedixit mihi Deus propter te. 502.1.

Quid tibi dabo? Reſpondit Iacob: Nihil volo: ſed ſi feceris quod poſtulo iterum paſcam & cuſtodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, ſepara cunctas oues varias &c. Tollens ergo Iacob virgas populeas virides &c. 589.7.

Ex Trigeſimo primo Capite.

Dixit Angelus Dei ad me in ſomnis &c. vide vniuerſos maſculos adſcendentes ſuper fœminas varios, maſculoſos atque reſparſos: vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. 589.7.

Animaduertit faciem Laban quod non eſſet erga eum ſicut heri & nudius tertius. 488.1.

Ipſa noſtis quod totis viribus meis ſeruierim patri veſtro: ſed & pater veſter circumuenit me & mutauit mercedem meam decem vicibus. &c. 589.7.

Ego ſum Deus Bethel vbi vnxiſti lapidem. 383.8.

Vocauit Rachel & Liam in agrum vbi paſcebat greges, dixitq; eis: video faciem patris mei quòd non ſit erga me ſicut heri & nudius tertius &c. nunquid habemus reſidui quidquam in facultatibus & hæreditate domus patris mei? nonne quaſi alienas reputauit nos? &c. 619.1. 522.3.

Quare ita egiſti vt clam me abigeres filias meas quaſi captiuas gladio? &c. 423.2.

Et nunc quidem valet manus mea tibi reddere malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius. 72.5. 121.3.

Caue ne quidquam durius loquaris contra Iacob. 35.2. 319.5.

Mauden in Tob.

Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis. &c. 402.4.

Niſi Deus patris mei Abraham & timor Iſaac adfuiſſet forſitan modo nudum me dimiſiſſes. 35.2. 48.1.

Intueatur & iudicet dominus inter nos quando receſſerimus à nobis ſi afflixeris filias meas & ſi introduxeris alias vxores ſuper eas: nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo qui præſens reſpicit; indeq; locus vocatus eſt Galaad, id eſt tumulus teſtis. 524.6.

Ex Trigeſimo ſecundo Capite.

Deus patris mei Abraham &c. qui dixiſti mihi, Reuertere in terram tuam &c. erue me de manu fratris mei Eſau quia valdè eum timeo: ne fortè percutiat matrem cum filiis &c. tu locutus es quod benefaceres mihi &c. 407.3.

Minor ſum cunctis miſerationibus tuis & veritate tua quam expleuiſti mecum. 578.2.

In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum & nunc cum duabus turmis regredior. 803.2.

Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. 41.2.

Non dimittam te niſi benedixeris mihi. 418.11.

Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? 570.1.

Vidi Dominum facie ad faciem & ſalua facta eſt anima mea. 718.11. item 892.3.

Ex Trigeſimo tertio Capite.

Noli ita, obſecro: ſedſi inueni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis: ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderem vultum Dei: eſto mihi propitius. 179.6. 488.2.

Noſti Domine mi quòd parvulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecũ, quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vno die cuncti greges. 580.10.

Ex Trigeſimo quarto Capite.

Quæcunque ſtatueritis dabo; augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantũ date mihi puellam hanc vxorẽ. 522.3.

Turbaſtis me & odioſum feciſtis me, delebor ego: & domus mea. 510.4.

Nos pauci ſumus: illi congregati percutient me, & delebor ego & domus mea. 582.15.

Ex Trigeſimo quinto Capite.

Surgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ. &c. 32.2.

Noli timere, quia & hunc habebis filium. 46.2.

Ego Deus omnipotens, creſce, & multiplicare. 68.2.

Ex Trigeſimo ſexto Capite.

Diuites enim erant valde, & ſimul habitare non poterant, nec ſuſtinebat eas terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. 803.2.

Ex Trigeſimo ſeptimo Capite.

Ioſeph cùm ſedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer. 42.5.

Pater rem tacitus conſiderabat. 381.8.

Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos,

eo quod in ſenectute genuiſſet eum, fecitq; ei tunicam polymitam. 114.6.

Cumq; fratres illius in paſcendis gregibus morarentur in Sichem dixit ad eum Iſrael, &c. veni mittam te ad eos &c. præſto ſum. 581.11.

Fratres tui paſcunt oues in Sichimis, veni, mittam te ad eos, quo reſpondente præſto ſum ait ei, Vade, & vide. &c. 345.1.

Vade, & vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi quid agatur. 556.6.

Cum vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce ſomniator venit: venite occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem &c. 177.2.

Sciſſis veſtibus induit cilicium, lugens filium ſuum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit. &c. 617.4.

Congregatis cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere, ſed ait, deſcendam ad filium meum lugens in infernum. 610.10.

Ex Trigeſimo octauo Capite.

Producite eam vt comburatur. 310.9.

Iuſtior me eſt, quia non tradidi eam Sela. 194.6.

Ex Trigeſimo nono Capite.

Igitur Ioſeph ductus eſt in AEgyptum, emitq; eum Putiphar eunuchus Pharaonis, &c. fuitq; Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſperè agens. 42.5.

Inuenitq; Ioſeph gratiam coram Domino ſuo, & miniſtrabat ei, a quo præpoſitus omnibus, gubernat creditam ſibi domum. 69.5.

Nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eã: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis &c. quomodo ergo poſſum hoc malum facere & peccare in Dominum meum? 402.4.844.4.

Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? 278.8.

En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me, at coiret mecum: cumque ego ſuclamaſſem, & audiſſet vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras. 42.5.

Ex Quadrageſimo Capite.

Sciſcitatus eſt eos dicens: cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra? qui reſponderunt Somnium vidimus, & nõ eſt qui interpretetur nobis &c. 415.7.

Memento mei cum bene tibi fuerit, & facias quæſo mecum miſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere: quia furtim ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum. 663.4. 254.1.

Et tamen ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui. 663.4. 676.4.

Ex Quadrageſimo primo Capite.

Ioſeph autem erat triginta annorum quando ſtetit coram Pharaone. 664.5.

Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantum regni ſolio te præcedam &c. Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram AEgypti, &c. 103.2.

Vocauitq; nomen primogeniti Manaſſes, dicens: Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum & domus patris mei nomen quoque ſecundi appellauit Ephraim, dicens: creſcere me fecit Deus in terra paupertatis mea. 47.52.

Ex Quadrageſimo ſecundo Capite.

Interrogans eos Vnde veniſtis &c. recordatus ſomniorum, quæ aliquando viderat ait ad eos, Exploratores eſtis, vt videatis infirmiora terræ, veniſtis. 491.2.

Datis ſuper cibariis in viam, 413.1.

Mutuo dixerunt: Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus. 662.1.

Ex Quadrageſimo tertio Capite.

Commota ſunt viſcera Ioſeph ſuper fratre ſuo Beniamin, & lachrymæ erumpebant. 607.1.

Sederunt coram eo primogenitus, iuxta primogenita ſua. 153.1.

Et introductis in domum attulit aquam, & lauerunt pedes ſuos. 403.1. 677.9.

Biberuntq; & inebriati ſunt cum eo. 519.5.

Ex Quadrageſimo quarto Capite.

Cur ſic agere voluiſtis. 816.13.

Ex Quadrageſimo quinto Capite.

Nolite pauere, neque vobis durum videatur quod vendidiſtis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in AEgypto. 585.2. 816.13.

Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. 22.10.

Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis, & Dominum vniuerſæ domus eius, ac principem in omni terra AEgypti. 751.7. 662.1.

Præmiſitq; me Deus, vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuendum habere poſſitis. 2.10.

Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit: vadam, & videbo illum antequam moriar. 669.7. 203.2.

Ex Quadrageſimo ſexto Capite.

Audiuit eum per viſionem noctis, vocantem ſe, & dicentem ſibi: Iacob. Iacob: ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, deſcende in AEgyptũ: quia in gentem magnam faciam te ibi, 514.3.

Iacob Iacob, ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, deſcende in AEgyptum. 624.2.

Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, deſcende in AEgyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde abducã te reuertentem. 68.3. 803.2.358.5.

Ego deſcendam tecum illuc; & ego inde adducam te reuertentem: Ioſeph quoque ponet manus ſuper oculos tuos. 876.6. 799.2.

Deſcende in AEgyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. 669.7.

Ex Quadrageſimo ſeptimo Capite.

Eme nos in ſeruitutem regiam, & prabe ſemina, ne peremte cultore, redigatur terra in ſolitudinem. 341.6.

Adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos ſi pretium non habetis. 594.4.

Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ? Reſpondit, Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt, vſque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati ſunt. 881.2.

Cumq; approquinquare cerneret diem mortis ſuæ vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo, & facias mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in AEgypto. 827.1.

Pone manum tuam ſub femore meo, &c. vt non ſepelias me in AEgypto. 583.4.

Ex Quadrageſimo octauo Capite.

Mortua eſt Rachel in terra Chanaan in ipſo itinere, eratq; vernum tempus, & ingrediebar Ephratam & ſepeliui eam iuxta viam Ephrata. 882.2.

Benedixit Iacob filiis Ioſeph, & ait: Deus, in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei Abraham &c. benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Iſaac, & creſcant in multitudinem ſuper terram. 386.2.

Ex Quadrageſimo nono Capite.

Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia adſcendiſti cubile patris tui. 360 8. 851.8.

Diuidam eos in Iacob & diſpergam eos in Iſrael. 878.2. *item* 880.5.

Simeon & Leui fratres: vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. 878.2.

Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper & benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum & vuluæ. Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius. 339 8.

Sepelite me cum patribus meis &c. 275.10.

Gen.50.11. *Planctus magnus eſt iſte AEgyptijs.* 864.22.

Ex Libro Exodi.

Exod.1. *Surrexit interea rex nouus ſuper AEgyptum qui ignorabat Ioſeph, & ait ad populum ſuum: Ecce populus, &c.* 105.7.

Ecce populus filiorum Iſrael multus & fortior nobis eſt. 88.2.

Venite ſapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, &c. 88.2.

Oderantq; filios Iſrael AEgyptij & affligebant illudentes eis. 88.2.

Exod.2. *Egreſſus eſt poſthac vir de domo Leui, &c.* 7.3.1.

Deſcendit filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem alnei: quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit vnam e famulabus ſuis, & allatam aperiens, cernenſq; in ea paruulum vagientem, miſerta eius, ait: de infantibus Hebræorum eſt hic. 161.3.

Quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum vt comedat panem. Iurauit ergo Moyſes, quod habitaret cum eo, accepitq; Sephoram filiã eius vxorem. 675.2.

Peperit ei filium, quem vocauit Gerſam, dicens: Aduena fui in terra aliena. Alterum quoque peperit, quem vocauit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis. 47.5.

Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus eſt fœderis, quod pepigit cum Abraham Iſaac & Iacob: & reſpexit Dominus filios, & Iſrael cognouit eos. 207.1.

Cùm minaſſet gregem ad interiora deſerti apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. 267. 1. 680.2.

Ne appropries huc, &c. Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Abſcondit faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum. 791.8.

Abſcondit faciem ſuam, non enim audebat reſpicere contra Dominum. 716.3.

Solue calceamenta de pedibus tuis. 362.1.

Vidi afflictionem populi mei in AEgypto, & clamorem eius exaudiui: propter duritiam eorum qui præſunt operibus, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum de manibus AEgyptiorum. 717.7. 1742.20.

Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es. 477.5.

Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum impediioris, & tardioris linguæ ſum. 716.3.

Filius meus primogenitus Iſrael: & dimitte filium meum vt ſeruiat mihi. 499.13. 504.4.

Sponſus ſanguinum tu mihi es. 815.9.

Audierunt quod viſitaſſet Dominus filios Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem illorum, & proni adorauerunt. 396.71.

Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam. 93.3.

Videat Dominus & iudicet, quoniam fetere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſeruis eius, & præbuiſtis ei gladium, vt occideret nos. 396. 11. 553.1.

Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. 36.7.

Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, &c. & multiplicabo ſigna, & oſtenta mea in terra AEgypti, &c. immittamq; manum meam ſuper AEgyptum, & educam exercitum & populum meum, filios Iſrael de terra AEgypti per iudicia maxima, & ſcient Aegypti, quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper AEgyptum, & eduxerim filios Iſrael de medio ipſorum. 761.2.

Orate Dominum vt auferat ranas à me & populo meo. 549.6.

Digitus Dei eſt hic. 559.12.

9. *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues, peſtis valde grauis.* 745.4.

Grando & ignis miſta ferebantur, tantæq; fuit magnitudinis quanta ante numquam apparuit in Aegypto. 534.3.

Cum egreſſus fuero de vrbe, extendam manus meas ad dominum, & ceſſabunt tonitrua. ibid.

10. *Facta ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus: vbicunque autem habitabant filij Iſrael lux erat.* 889.3.

11. *Morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio eius vſque ad primogenitum ancillæ.* 114.7.

Maleficos non patieris viuere. 128.6.

12. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia?* 733.6.

13. *Coarctati ſunt in terra, & concluſit eos deſertum.* 742.20.

14. *Nolite timere: ſtate, & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie: AEgyptios enim, quos nunc videtis nequaquam vltra videbitis, vſque in ſempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* 743.20.

Timuerunt valde: clamaueruntq; ad Dominum, & dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in AEgypto, ideo tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex AEgypto? nonne iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in AEgypto dicentes: Recede à nobis vt ſeruiamus AEgyptijs multo enim melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine. 743.20.

Forſitan non erant ſepulchra in AEgypto, ideò tuliſti nos vt moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti vt educeres nos ex AEgypto? &c. 167.4.

Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. 71,2.

15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt: equum & adſcenſorem proiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* 563.6. 566.2. 734.7. 792.1.

Dominus regnabit in æternum, & vltra. 734.7.

Sumpſit ergo Maria prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua, egreſſæq; ſunt omnes mulieres poſteam cũ tympanis & choris, &c. 251.2.

16. *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra AEgypti quando ſedebamus ſuper ollas carniũ, & comedebamus panem in ſaturitate; cur eduxiſti nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* 167.4.

17. *Quid faciam populo huic? adhuc paululum & lapidabit me* 234.4.

Venit autem Amalech, & pugnauit contra Iſrael in Raphidim. 187.12.722.8.

Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Ioſue. Delebo enim memoriam Amalech ſub cælo. 187.12.

18. *Qui egreſſus in occurſum cognati ſui adorauit, & oſculatus eſt eum: ſalutauerunt q; ſe mutuo verbis pacificis.* 362.4.

Non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris. 636.2.

Prouide de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam. 683.4.

Fac tibi tribunos, centenarios, quinquagenarios, decanos, & ſi res aliqua grauior fuerit, deferant ad te; ſin leuior, diiudicent ipſi. 636.6.

19. *Vade ad populum & ſanctifica illos hodie & cras.* 541.3.

Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris. 476.3.

20. *Non habebis Deos alienos coram me.* 23.2.

Honora patrem tuum, &c. & ſis longæuus, &c. 858.3.892.3.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium, 457.1.

Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur. Et infrà. Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis. 49.4.

Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrem ſuam, morte moriatur. 878.3.

Qui maledixerit patri ſuo aut matri, morte moriatur. 878.3.

22. *Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritq; cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam, &c.* 456.14.

Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. 38.4.

23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum.* 31.6.

Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis: ſed ſublenabis cum eo. 328.18.

Nec accipies munera quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. 683.4.

Non coques hædum in lacte matris. 320.4.

Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. 356.2.

Non erit ſterilis in te. 560.13.

Cunctorum inimicorum coram te terga vertam: emittes crabrones prius, qui fugabunt Heuæum & Chananæum. 315.10.

24. *Omnia verba quæ locutus eſt Dominus faciemus.* 396.11.

31. *Vocauit ex nomine Beſeleel, impleuitq; enim Spiritus Dei ſapientia, & intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina, ad excogitandum & faciendum opus in auro, &c.* 622.6.

32. *Dixeruntq; Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra AEgypti.* 396.11.564.10.

Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. 530.6.

Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, &c. Placatuſq; eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum. 550.6.265.3.

Recordare, Domine, Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum. 35.3.

Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. 614.3.

Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur nobis benedictio. 614.6.

Obsecro peccauit populus iste peccatum maximum, fecerunt q; sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. 207.4.

Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo. 614.3.

33. *Si inueni gratiam in conspectu tuo ostende mihi faciem tuam vt sciam te & inueniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum gentem hanc.* 206.1.

Non videbit me homo & viuet. 892.3.

34. *Esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Sinai: stabisq; mecum super verticem montis, nullus ascendet tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boues quoque & oues non pascantur è contra, &c. Cúmque descendisses Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo.* 268.1.

Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ fornicari faciant & filios tuos in Deos suos. 517.2.548.6.

Nullus infidiabitur terræ tuæ. 39.8.

Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas, & ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. 581.12.

Leuit.2. *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* 419.1.420.5.

10. *Egressi q; ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* 55.6.

12. *Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum.* 296.6.

13. *Contaminabit eum; plaga enim lepræ orta est in vlcere.* 820.10.

18. *Cauete ne & vos similiter euomat terra cùm polluta fecerit vos, sicut euomuit gentem quæ fuit ante vos.* 650.7.

19. *Nec ab ariolis aliquid sciscitemini.* 376.5.

Vnusquisq; patrem suum & matrem suam timeat. 865.1.

Sabbatha mea custodite, ego Dominus Deus vester. Nolite conuerti ad idola. 865.1.

Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid scisciteritis, vt polluamini per eos, ego Dominus Deus vester. 662.13.

Coram cano capite consurge, & honora personam senis, &c. 875.2.

Cumq; messueris segetes terræ tuæ non tondebis vsque ad solum superficiem terræ, &c. 291.3.

Coram cano capite consurge, & honora personam senis. 13.2.

Non morabitur opus mercenarij apud te vsque mane. 318.2.

Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam: & interficiam illam de medio populi sui. 662.13. 20.6.

Qui maledixerit patri suo aut matri morte moriatur; patri, matriq; qui maledixit sanguis eius sit super eum. 878.3.

Qui dormierit cum nouerca sua, &c. 879.3.

Si quis dormierit cum nuru sua, &c. 879.5.

Qui coierit cum vxore patrui vel auunculi sui, &c. 879.3.

Si filia cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, & de primitijs non vescetur. 627.2. 22.

Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, 23. *& messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad Sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis, altero die Sabbathi, & sanctificabit illum.* Et infrà: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtuleris manipulum primitiarum, septem Hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis Hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini, &c.* 37.2.

Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis quem pepererat de viro AEgyptio inter filios Israel, &c. 93.2. 24.10.

Vocabatur autem mater eius Salumith, filia Dabri, de tribu Dan. 93.2.

Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput, & lapidet eum populus vniuersus. 93.1.

Ad filios Israel loqueris: homo qui maledixerit Deo suo portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur. 93.2.

Homo qui maledixerit Deo suo portabit peccatum suum. 213.9.

Ne contaminetur sacerdos in mortibus ciuium suorum, Leu 21. *nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, &c.* 621.2.

Terra non vendetur in perpetuum; quia mea est. 25. 867.2.

Si in præceptis meis ambulaueritis &c. Dabo vobis 26.3. *pluuias temporibus suis, &c. apprehendet messim tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem, &c.* 778.1.

Et comedetis panem vestrum in saturitate &c. Dabo pacem in finibus vestris, hostes, nec bella metuetis, pauci de vestris multos sternent. 780.1.

Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis: persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis 783.12.

Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ponam faciem meam contra vos, &

corruetis coram hostibus vestris, & subiicientur his qui oderunt vos. 753.12.

Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, &c. 67.1.

Propter peccata patrum suorum & sua affligentur: donec confiteantur iniquitates suas, & maiorum suorum quibus prauaricati sunt in me, & ambulauerunt ex aduerso mihi. 207.3.

27. Omnis æstimatio sicle sanctuarij ponderabitur. 832.12.

Ex Libro Numerorum.

6. Loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filiis Israel & dicetis eis, Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suũ ad te, & det tibi pacem. 386.1.

Inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. 387.4.

10.10. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis. 126.9.

Veni nobiscum, vt benefaciamus tibi, 637.2.

Noli nos relinquere, etc. & eris ductor noster. Cumq; nobiscum veneris, etc. 637.2.

Noli nos derelinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus: & eris ductor noster. 543.5.

11.15. Si aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. 220.5.

Vt det vobis Dominus carnes, etc. vsque ad mensem dierum donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam. 397.12.

Vulgus quippe promiscuum quod adscenderat cum eis, flagrauit desiderio, sedens & flens, etc. & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, etc. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. 397.11.

Et ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magnâ nimis. 397.12. 819.6.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, etc 397.12.

Sepulchra concupiscentiæ. 710.1.

Vocatumq; est ille locus sepulchra concupiscentiæ, ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat. 397.12.

Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd seues populi sint. 872.6.

Quis dabit nobis ad vescendum carnem? recordamur piscium, quos comedebamus in AEgypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrig;, & cepæ & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. 752.10.

Cur afflixisti seruum tuum, etc. & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me, etc. 372.3.

Dixit Dominus ad Moysen: congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod seues populi sint, ac magistri. 16.7.

Seruus meus Moyses qui in omni domo mea fidelissimus est. 12. 354.1.

Vtinam mortui essemus in AEgypto: & in hac vasta 14.3. solitudine vtinam perearnus, & non inducat nos Dominus in terram istam ne cadamus gladio & vxores ac liberi nostri, etc. 511.6.

Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem ita eos possumus deuorare; recessit ab eis omne præsidium; Dominus nobiscum est, nolite metuere. 511.6.

In solitudine hac cadent cadauera nostra. 819.6.

Vtinam perearnus, & non inducat nos Dominus in terram istam, etc. ne vxores & liberi nostri ducantur captiui. 58.5.

Constituamus nobis ducem & reuertamur in AEgyptum. 819.6.

Morte moriatur homo iste, obruat eum omnis lapidibus omnis turba extra castra. 15. 54.5.

Vtinam mortui essemus in terra AEgypti, quando 16. sedebamus super ollas carnium, & comedebamus in saturitate. 607.3.

Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est; & in ipsis est Dominus cur elevamini super populum Domini? 180.2.

Descenderunt q; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. 832.12.

Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involuamini in peccatis eorum. 20.5.

Egressus est ignis à Domino & interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. 397.12.

Ne respicias sacrificia eorum, tu scis quod ne asellum quidem vnquam acceperim ab eis. 682.1.

Turgentibus gemmis erumpant flores, qui fœtus dila- 17.8. tatis in amygdalas deformatis sunt. 670.7.

Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Do- 18. mini separabitis, optima & electa erunt, etc. ne polluatis oblationes filiorum Israel, & moriamini. 39.5.

Vniuersa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur cedent in vsus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis. 37.1.

Omnes primitias sanctuarij quas offerunt filij Israel Domino, tibi dedi & filiis ac filiabus tuis iure perpetuo, etc. pactum salis est sempiternum coram Domino tibi ac filiis tuis. 421.5.

Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. 38.3.

Cuncta tribus Israel in Ecclesiam conuenerunt. 20.2. 291.4.

Num de petra hac poterimus vobis aquam eiicere. 690.2.

Quia non credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israel non introducetis hos populos in terram quam ego dabo eis. 264.7.

Audite rebelles & increduli: num de petra hac vobis poterimus aquam eiicere. Et infrà. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel,

Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. 55.7.

22. 17. *Aſcendat puteus. Puteus quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis, in datore legis, & in baculis ſuis.* 792 1.

Tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutuſq; contra Deum & Moyſem, ait: cur eduxiſti nos de AEgypto, etc. quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, etc. 167.4.

23.8. *Quomodo maledicam cui non maledixit Deus? quâ ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur.* 227.8.

25. *Vnus de filiis Iſrael intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem videntè Moyſe & omni turba filiorum Iſrael, qui flebant ante fores tabernaculi.* 472.5.

26. *Factum eſt grande miraculum ut Core pereunte filij eius non perirent.* 349.7.

27. *Tolle Ioſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum, etc. Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipſe & omnis Iſrael cum eo & cætera multitudo.* 834.4.

Si quod agendum erit Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. 492.3.

32. 5. *Precamur ſi inuenimus gratiam coram te vt det nobis famulis tuis eam in poſſeſſionem, ne facias nos tranſire Iordanem.* 87.2.

36. *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua; & cuncta femina de eadem tribu maritos accipient; vt hæreditas, permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, vt à Domino ſeparatæ ſint.* 517.1.

Ex Libro Deuteronomij.

Deut. 1. *Portauit te Dominus Deus tuus vt ſolet homo portare paruulum filium ſuum in omni via per quam ambulaſtis donec veniretis ad locum iſtum.* 360.6.

4. *Eritis quod docuerim vos præcepta, & iuſtitias.* 838.1.

Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens gens magna. 684.4.

Anno tertio, ſeparabis aliam decimam ex omnibus, quæ naſcuntur tibi eo tempore, & pones intra ianuas tuas. Venietq; Leuites, qui aliam non habet partem, nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas ſunt, & comedent & ſaturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus. 38.3.

5.16. *Honora patrem & matrem tuam, vt bene ſit tibi, & longæuus ſis ſuper terram.* 865.1.

6. *Hæc ſunt præcepta, & cæremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter, vt doceremi vos, & faciatis ea in terra, ad quam tranſgredimini poſſidendam, vt timeas Dominum Deum tuum.* 48.3.

Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, etc. 48.3.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. 345.13.

Non ſociabis cum eis coniugia; filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat dijs alienis. 517.2. 7.3.

Sculptilia comburite, quia populus ſanctus es Domino Deo tuo. 180.2.

Veſtimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt. 417.9.

Mittet Dominus Deus tuus crabrones in eos donec deleat omnes atque diſperdat. 315.10.

Filiam tuam non dabis filio eius nec filiam eius accipies filio tuo. 456.14.

Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus. 44.2. & 3.560.13.

Vt cùm comederis & ſatiatus fueris benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. 528.2. 8.10.

Recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum, etc. 72.1.

Pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt. 404.3.

Audi Iſrael, tu tranſgredieris hodie Iordanem, vt poſſideas ciuitates ingentes, & ad cælum vſque muratas. 788.1. 9.1.

Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſeruies. 48.1.

Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus Deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, qui perſonam non accipit nec munera. 683.4.

Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes Deos ſuos ſuper montes excelſos, & colles, etc. Non facietis ita Domino Deo veſtro, ſed ad locum quem elegerit Dominus, etc. venietis. 30.2. 12.

Comedes abſq; eſu duntaxat ſanguinis, quem ſuper terram, ſicut aquam effundes. 851.8.

Et comedetis ibi in conſpectu Domini Dei veſtri, ac lætabimini in cunctis, ad quæ miſeritis manum vos, & domus veſtra. 126.9.

Hæc eſt benedictio quâ benedixit Moyſes homo Dei filijs Iſrael ante mortem ſuam. 386.2. 13.

Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia, ſine vxor quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, etc. 2406.10.3.

Non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo: quoniam populus ſanctus es. 180.2. 14.v.2.

Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis, qui naſcuntur in terra per annos ſingulos, & comedes in conſpectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, etc. 38.3.

Quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo, & te elegit, vt ſis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ ſunt ſuper terram. Ne comedatis quæ immunda ſunt. 63.2.

Cum

Cùm longior fuerit via, & locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibiq; benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare, vendes omnia, & in pretium rediges, portabisq; manu tua, & proficiscēris, etc.

Non coques hædum in lacte matris suæ, 320 4.

Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui siue aduenæ, etc. 318.2.

15. *Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* 85.1.291.3.

Hoc solum obseruabis vt sanguinem eorum non comedas, sed effundas in terram quasi aquam. 85.8.

Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ ideo ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, &c. 291.3.

Caue ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis, & auertas oculos tuos à fratre tuo paupere, nolens ei quod postulat mutuum commodare, &c. 291.3.

16.3. *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem quoniam in pauore vt egressus de Ægypto, vt memineris diei egressionis tuæ.* 770.8.

17. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* 834.6 23.2.

18. *Dabunt Sacerdoti primitias frumenti, vini & olei.* 37.1.

Nec inueniatur apud vos, &c. qui ariolos scisciteur, &c. nec qui pythones consulat, nec diuinos, &c. omnia enim hæc abominatur Deus. 376.5.

Propter eiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. 376.5.

Quod si tacitâ cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum. 814.3.

19. 14. *Non assumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam.* 852.11.

20. *Si videris maiorem, quam tu habes, aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos.* 23.11.

21. *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus in manus tuas, captiuosq; duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam voluerisq; habere vxorem, introduces eam in domum tuam; quæ radet capillum & circumcidet vngues, & deponet vestem in qua capta est: sedensq; in domo tua, flebit patrem & matrem suam vno mense, & postea intrabis ad eam, dormiesq; cum ea, & erit vxor tua.* 518.4.445.4.

Si habuerit homo vxores duas vnam dilectam & alteram odiosam genueritq; ex ea liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerit q; substantiam inter filios suos diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, &c. 114.6.

Si ambulans per viam, in arbore vel in terra, nidum auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis desuper incubantem, non tenebis eam cum filijs. sed abire permittes captos tenens filios, vt bene sit tibi & longo vitæ tempore. 310.4. 22.

Si inuenerit vir puellam virginem quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit, dabit qui dormiuit cum illa patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem, &c. 456.14.

Non videbis bouem fratris tui aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo: etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, &c. 321.6.

Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo: cúmque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies. 649.4. 13.

Dominus enim tuus ambulat in medio castrorum vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos. Et sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. 649.4.

Non offeres mercedem prostibuli, neque pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voueris, quia abominatio est vtrumque apud dominum. 831.10.

Quando compleueris decimam cunctarum frugum, tuarum, anno decimarum tertio, dabis Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, & viduæ, vt comedant intra portas tuas, & saturentur. 38.3.

Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini in æternum: quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via quando egressi estis de Ægypto, &c. 291.4.

Non fenerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam nec fruges, nec quamlibet aliam rem. 85.2.593.1.

Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor, &c. abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. 840.4. 15.

Cùm Dominus Deus tibi dederit requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes, in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub cælo, &c. 187.12.

Pergesq; ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, accedesq; ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, &c. 37.2. Deut.16.2.

Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartello, en Deus elegit te hodie, &c. vt sis populus sanctus Domini Dei tui. 180.2. 16.

Dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, & adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus dederit tibi. 645.5.

Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum anno decimarum tertio dabis leuitæ, & aduenæ

aduena, & pupillo, & vidua vt comedant intra portas tuas, & saturentur. 291.3.

27.17. Maledictus qui transit terminos proximi sui, &c. 852.11.

28. Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra: benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro, 67.1.

Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi, si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in viis eius, vid. huncq; omnes terrarum populi, quod nomen Domini inuocatum sit super te, & timebunt te. 71.1.

Comedes fructum ventris tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum. 341.6. 753.12.

31.17. Derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab illo, & erit in deuorationem: 290.8.

32.6. Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit, & creauit te? 504.4.

Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. 61.2.

Inuenit eum in terra deserta in loco horroris, & vastæ solitudinis: circumduxit eum & docuit, & custodiuit, quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis. 608.3.

Gens absque consilio est, & sine prudentia: vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent. 142.9.

Non enim inquit est Deus noster, vt dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. 782.8.

De vinea Sodomorum vinea eorum & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amaritudinis. 842.8.38.8.

Mea est vltio, & ego retribuam. 322.9.

Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. 64.5.176.10.

Videte quod ego sum solus, & non sit alius Deus præter me. 23.2.

Laudate Gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vltiscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum. 786.6.

33. Nephthali abundantia fruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem possidebit. 5.1

34. Moyses centum viginti annorum erat quando mortuus est: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. 858.2.

Ex Libro Iosue.

Iosue 1. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ, sicut fui cum Moyse ita ero tecum: non dimittam te nec derelinquam te. 386.3.562.3.

2. Noui quod Dominus tradiderit vobis terram: cecidit timor vester in nos, & contabuerunt omnes habitatores terræ coram vobis. 460.8.

Noui quod Dominus vobis tradiderit terram, &c. audiuimus enim quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Iordanem, Sehon, & Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum. 751.6.

5. Cùm autem esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium. 41.2.

Noster es an aduersariorum? Qui respondit Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. 494.6.495.7.357.3.

6.2. Dixit Dominus ad Iosue: Ecce dedi in manus tuas Iericho, & regem eius, omnesq; fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus; Septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in iubileo, & præcedent arcam fœderis, septiesq; circuibitis ciuitatem, & sacerdotes clangent buccinis. Cumq; insonuerit vox tubæ longior, atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione: magna, & muri subuersi corruent ciuitatis, ingredienturq; singuli per locum, contra quem steterint. 717.7.

Vociferamini: tradidit enim Dominus vobis ciuitatem: sitq; ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino: sola Rahab meretrix viuat cum vniuersis qui cum ea in domo sunt: abscondit enim nuntios, quos diximus. 817.7.

Filij autem Israel præuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate. 816.13.

7.19. Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. 180.6.

Quia anathema in medio tui est Israel. 493.4.

Scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vsque ad vesperam, tam ipse quam omnes seniores Israel, miseruntq; puluerem super capita sua, & dixit Iosue Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium, vt traderes eos in manus Amorrhæi, & perderes? vtinam vt cœpimus, &c. 513.1.

Heu Domine Deus! quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? vtinam vt cœpimus, &c. 372.3.73.4.

Quid facies magno nomini tuo? 175.8.

Fili mi da gloriam Domino Deo, & confitere, &c. 548.7.

Væ vobis: quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga deserto. 751.6.

Tulerunt sibi cibaria saccos veteres asinis imponentes, & vetres vinarios fissos atque consutos. Panes quoque quos portabant obduruerant, & in frusta comminuti. 413.1.

De terra longinqua venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui audiuimus enim famam potentiæ eius, &c. 460.8.751.6.

Tollite in manibus vestris cibaria ob longissimã viam, etc. Expanes quando egressi sumus de domibus nostris, etc. 413.1.

Susceperunt igitur de cibarijs eorum, & os Domini non interrogauerunt. 834.5.

Os domini non interrogauerunt, feciq; Iosue cum eis pacem. 492.3.

Tauri illico corruerunt, & ascendit vnusquisq; per locum qui contra se erat, ceperuntq; ciuitatem, & interfecerunt omnia quae erant in ea, à viro vsque ad mulierem, ab infante, vsque ad senem: boues quoque, & oues, & asinos in ore gladij percusserunt. 751.6.

19.11. Ecce tibi Dominus misit super eos Lapides magnos de calo, & mortui sunt multòplures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel. 559.12.562.5.698.16.

13. Iosue senex prouectaq; ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti, & longæuus es, &c. 871.5.

14. Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysem, &c hodie octoginta quinque annorum sum sic valens, vt eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseverat, tam ad bellandum quàm gradiendum. 858.2.

24. Misi ante vos crabrones, & eieci eos de loco suo. 315.10.

Iosue filius Nun, seruus Domini mortuus est centum & decem annorum. 858.2.

Ex Libro Iudicum.

Iud.1. Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. 52.6.

2. Ego non delebo gentes quas dimisit Iosue, & mortuus est, vt in ipsis experiar Israel, vtrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. 157.5.

3. Clamauerunt ad Dominum qui suscitauit illius saluatorem, & liberauit eos. 476.5.

Tradidit eos in manus Chusan Resatbaim Regis Mesopotamiæ. 244.3.

Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos, &c. ibid.

Qui confortauit aduersum eos Eglon regem Moab, &c. Postea clamauerunt ad Dominum: qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod, &c. ibid.

Dixitq; ad viros Soccoth: Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valde defecerunt, &c. Forsitan palmæ manuum Zebee, &c. Salmana in manu tua sunt, &c. Cùm tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis, tribulisq; deserti, &c. 183.2.

5.20. De calo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt 698.16.

Zabulon & Nephthali obtulerunt animas mortui in regione Merome. 586.3.

Audite reges, auribus percipite principes, ego sum, ego sum qui Domino canam, & psallam Deo Israel. 566.2.

Eleuauerunt vocem suam, & fleuerunt, & vocatum 6.
est nomen loci illius, locus flentium, siue Lachrymarum. 608.6.

Dominus tecum virorum fortissime. 728.5.

Heu mihi Dominus Deus, quia vidi Angelum Domini. 718.11.

Pax tecum: nec timeas, non morieris. 718.11.

Dominus tecum. 362.1.

Dominus tecum virorum fortissime, &c. Obsecro mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia? vbi sunt mirabilia eius, &c. 372.5.

Obsecro mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt hæc nos omnia? vbi sunt mirabilia eius? &c. Obsecro mi Domine in quo liberabo Israel? ecce familia mea infima est in manasse, & ego minimus in domo patris mei, Dixitq; ei Dominus: Ego ero tecum, &c. 425.7.

Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei, &c. Ego ero tecum, & percuties Madian quasi vnum virum. 717.7.

Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian: scito quod. misserim te. 373.4. 78.5.

Obsecro mi Domine, in quo liberabo Israel. 728.5.

Ego ero tecum: & percuties Madian, quasi virum vnum. 728.5.

Humiliatus est Israel valde in conspectu Madian, & clamauit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas, qui misit ad eos virum prophetam. 476.5. 7.

Surge, cur iaces pronus in terra: peccauit Israel, & preuaricatus est pactum meum: tulerunt de anathemate, & furati atque mentiti, &c. 373.4.

Dixit Dominus ad eum (Gedeonem) tolle taurum 8.
patris tui, & alterum taurum annorum septem, &c. Assumptis ergo Gedeon decem viris de seruis suis, sicut præceperat ei Dominus: timens autem domum patris sui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complcuit. 139.3.

Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? nonne melior est racemus Ephraim, vindemijs Abiezer? in manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb. quid tale facere potui quale vos fecistis? 176.6.

Mortuus est Gedeon filius Ioas in senectute bona, & sepultus est in sepulchro Ioas patris sui in Ephra de familia Ephri, &c. Postquam autem mortuus est Gedeon auersi sunt filij Israel, &c. 372.7.

Occidit Abimelech fratres suos filios Ierobaal, septuaginta viros, & super lapidem vnum 27.4.

Post hunc iudicauit Israel Abessan de Bethlehem, qui 12.8.
habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras marito dedit, & eiusdem numero filijs suis accepit vxores introducẽs in domũ suã. 618.1

Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum 13.
terribilis

terribilis nimis. 488.2.
Morte moriemur, quia vidimus Deum. 718.11.
Concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula, erit enim Nazareus, &c.11.6.
Ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum, &c. Creuitq; puer, & benedixit ei Dominus, &c.12.2.
Cumq; adscenderet flamma in cælum, Angelus Domini pariter adscendit in flamma. 702.7.
14. Videnſq; ibi mulierem de filiabus Philistiim, adscendit, & nuntiauit patri suo, & matri suæ dicens: vidi mulierem in Thamnata: de filiabus Philistinorum; quam quæso mihi accipiatis vxorem. 525.9.
Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo quia vis accipere vxorem de Philistiim, qui incircuncisi sunt? &c. hanc mihi accipe, &c. parentes autem eius nesciebant quod res à Domino fieret. 441.1.
Parentes autem eius nesciebant quod res à Domino fieret. 519.7.
De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. 689.10.
Fundebat apud Sampson lacrymas, & querebatur dicens: Odisti me, & non diligis idcirco problema, &c. non vis mihi proponere, &c. 423.2.
Odisti me, & non diligis, septemq; diebus ante ipsum flebat. 628.6.
Si non arasses in vitula mea non inuenisses propositionem meam. 689.10.
Quidnam est hoc quod facere voluisti, vt pueros saluares tu. 423.2.
Tunc Achior videns virtutẽ, quam fecit Deus Israel relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israel: & omnis successio generis eius vsque in hodiernum diem. 781.5.
Qui cùm venisset ad locum Maxillæ, & Philistiim vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus Domini super eum, &c. inuentamq; Maxillam, id est, mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, &c. 156.2.
15. In maxilla asini deleui eos, & percussi mille viros, &c. Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam. 562.4.
16.31. Descendentes fratres eius, & vniuersa cognatio tulerunt corpus eius, & sepelierunt inter Saraa, &c. 99.2
Ac de tecto, ac solario circiter tria millia virorumq; sexus erant spectantes ludentem Sampson. 99.2.
Multosq; plures interfecit moriens quàm ante viuus occiderat. 99.2.
19. Nullus sub tectum suum nos vult recipere, &c. nulla re indigemus nisi hospitio, &c. respondit Pax tecum, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum quæso ne in platea maneas. Introduxitq; eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit. 480.1.
Non ingrediar oppidum gentis alienæ quæ non est de filiis Israel. 355.3.

Mauden in Tob.

Postquam lauarunt pedes suos recepit eos in conuiuium. 403.1.
Miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis; & decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus, &c. Vnde laudauerunt Deum filij Israel, & nequaquam vltra dixerunt, vt ascenderent contra eos, &c. 194.7. 22.13.
Dij non detrahes. 36.7.

Ex Libro Ruth.

Eleuata voce flere ceperunt, & dicere, tecum pergemus ad populum tuum, &c. 607.2. Ruth. 1.9.
Egressa est manus Domini contra me. 215.6.
Ne aduersẽris mihi vt relinquam te, & abeam: quocunque enim perrexeris pergam, &c. quæ te terra morientem susceperit in ea moriar, &c. 401.3. 218.10.671.3.
Populus tuus populus meus Deus tuus, Deus meus. 518.4 2.
Benedicat tibi Dominus itẽ Dominus vobiscũ. 362.1.
Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, &c. quæ cadens in faciem suam, & adorans super terram dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem? 579.3.
Nunciata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri sui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram, in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea nesciebas. 627.3.
Reddat tibi Dominus pro opere tuo, &c. plenam mercedem accipias à Deo Israel, ad quem venisti, & ad cuius confugisti alas. 518.4.
Lauare, & vngere, & induere cultioribus vestimentis. 530.7. 3.
Ego sum Ruth Ancilla tua, expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. 475.2.
Et ecce, nocte iam media expauit homo, & conturbatus est, vidit; mulierem iacentem ad pedes suos. & ait illi: quæ es? illa; respondit: ego sum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. 523.5.
Benedicta es à Domino filia & priorem misericordiam posteriore superasti; quia non es secuta iuuenes pauperes siue diuites. Noli ergo metuere: sic quidquid dixeris mihi faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas domus meæ, mulierem te esse virtutis. 449.15.

Ex Libro primo Regum.

Fuit vir vnus de Ramathaimsophin, de monte Ephraim. 3.1. 1.Reg.1.
Anna cur fles, & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum quàm decem filij. 399.4.234.2.
Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino. 19.3.
Et surrexerunt mane, & adorauerunt coram Domino, 645.5.
Domine exercituum si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, &c. 254.1.
Vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo

mades. 193.3.

Vsquequo ebria eris, &c. nequaquam Domine mi: nam mulier infelix ego nimis sum, &c. 254.1.

Vade in pace. 194.6.

Et recordatus est eius Dominus. 206.1.

Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum, precorq; vt Dominus impleat verbum suum. 201.2.

Obsecro mi Domine, viuit anima tua: ego sum illa mulier quæ stetit hic coram te orans Dominum. 578.1.

2. Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo, &c. donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. 598.8.

Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. 341.6.

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, &c. 249.4.

Suscitat de pulueregenum, & de stercore eleuat pauperem. 623.7.

Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. 742.18.736.6.222.2.

Pedes sanctorum suorum seruabit. 404.3.

Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Domino quàm hominibus 8.42.3.

Magnificatus est puer Samuel coram Domino. 4.5.

Heli erat senex valde, & audiuit omnia quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli, & quomodo dormiebant, cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, &c. 557.8.

Si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus: si autem in dominum peccauerit vir, Quis orabit pro eo. 97.8.197.5.

Quare facitis res huiusmodi quas ego audio res pessimas, ab omni populo: Nolite filij mei, &c. non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. 868.5.5.615.8.

Non audierunt vocem patris sui. 559.11.

Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi vt offerentur in templo: & magis honorasti filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnes sacrificij Israel populi mei? propterea ait Dominus Deus Israel, loquens, locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum: nunc autem dicit Dominus Absit hoc à me, sed quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum qui autem contemnunt me erunt ignobiles: ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israel: & non erit senex in domo tua omnibus diebus 759.6.

Qui me glorificauerint, glorificabo eos. 761.1.

Loquens locutus sum vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum: nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me, &c. 816.14.

Sermo Domini erat pretiosus. 817.4. 3.

Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 641.3. 134.3.

Ecce ego facio verbum in Israel quod quicunq; audierit tinniunt, ambæ aures eius. 2. 10.4.

In die illa suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius, incipiam, & complebo, &c. 210.4.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. ibid.

Prædixi ei, quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. 615.8.

Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis sermonem ab omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. 583.3.

Dominus est quod bonum est in oculis suis faciat. 246. 8.612.3.637.4.

Cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini 354. 1.12.1.259.4.

Asseramus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & 4. veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. 766.12.

Confortamini, & estote viri Philistiim, ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis: confortamini, & bellate. 41.1.

Væ nobis, quis nos saluabit de manu deorum sublimium istorum? Hi sunt dij qui percusserunt Ægyptum omni plaga. 3,1.8.

Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistiim. 754.13.73.5 765.12.

Cor eius erat pauens pro arca Dei, &c. Cùm ergo introduxisset arcam Dei captam, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. 190.1.

Dixerunt: Ne timeas, quia filium peperisti. 46.2.

Non manet Arca Dei Israel apud nos: quoniam, dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum. 766.12.

Non maneat arca Dei apud nos quoniam dura est 5. manus eius super nos, & super Dagon nostrum. Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas Philistinorum ad se & dixerunt. Quid faciemus de arca Dei Israel. 571.2.

Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israel, vt interficiat nos, & populum nostrum. 192.2.

Cumq; surrexissent diluculo Azotij alteradie, ecce Dagon iacebat, &c. 557.9.

Et duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. 829.5.

Videntes viri Azotij huiusmodi plagam, dixerunt: non maneat Arca Domini, &c. 41.3.

Siquidem per viam finium suorum ascendit contra 6. Bethsames ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minimè scimus, quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit. 161.2.

Hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa atque dixerunt: 7.v.6. pecca-

peccatimm Domino. 80.5.

Ne ceſes pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt ſaluet nos de manu Philiſtinorum. 549.5.

Intonuit Dominus fragore maximo in die illa ſuper Philiſtijn, & exterruit eos, & caſi ſunt à facie Iſrael. 562.5. 767.15.

Tulit lapidem vnum & poſuit eum inter Maſphat & Sem, & vocauit nomen loci illius: Lapis adiutorij, dixitq;, Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus. 562.3.

Facta eſt itaq; manus Domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis, & reddita ſunt vrbes quas tulerant Philiſtijm ab Iſrael, Iſraeli, ab Accaron vſque Geth & terminos ſuos, etc. 804.2.

8. *Et non ambulauerunt filij illius in viis eius, ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntq; munera & peruerterunt iudicium.* 503.2. 380.4. 683.4. 858.4.

9. *Hac ipſa hora, qua nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael.* 622.7.

Ingredientes vrbem ſtatim inuenietis eum antequam adſcendat excelſum ad veſcendum: neque enim comeſturus eſt populus, donec ille veniat, quia ipſe benedicet hoſtiæ & deinceps comedent. 527.2.

Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac vir nobilis, omne quod loquitur ſine ambiguitate venit. 32.

Dixit Saul ad puerum, qui cum ipſo erat: Veni, & reuertamur, ne fortè dimiſerit pater meus aſinas, & ſollicitus ſit pro nobis. 618.1.

Electus & bonus, & non erat vir de filiis Iſrael melior illo ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. 446.6.

Erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus: & non erat vir de filiis Iſrael melior illo, etc. 808.5.

10.2. *Hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in principem: cùm abieris hodie à me inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel.* 882.3.

Num ſaluare nos poterit iſte? 139.3.

Diſſimulauit ſe audire. 231.6.

Quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter Prophetas? Reſponditq; alter ad alterum dicens: Et quis eſt pater eorum. 348.6. 379.2. 819.7.

11.25. *Non ita frangat iſta res; varius enim euentus eſt belli, nunc hunc, nunc illum conſumit gladius.* 808.5.

12. *Nunc graditur Rex ante vos, quem deſideraſtis, ego autem ſenui, etc.* 12.2.

Nolite declinare poſt mala, quæ non proderunt vobis. 168.7.

Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt nõ moriamur. 550.6.

Abſit à me hoc peccatum, vt ceſſem orare pro vobis. 164.12.

Conuerſatus coram vobis ab adoleſcentia mea, etc. loquimini, etc vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum, etc. 682.1.

Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſdam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, etc. 190.1. & 191.5.

13. 1. *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpiſſet.* 808.5. 16.3.

Stultè egiſti, etc. nequaquam regnum tuum vltra conſurget. 24.4. 415.5.

Nequaquam regnum tuum vltra conſurget. 59.9.

Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum ſuum, eò quòd non ſeruaueris quæ præcepit Dominus. 117.1.

14 24. *Maledictus vir qui comederit panem vſque ad veſperam donec vlciſcar de inimicis meis.* 507.2.

15. *Abiecit te Dominus ne ſis Rex.* 614.6.

Pœnitet me quod conſtituerim Saul Regem. 819.7.

Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua, & in fruſta concidit eum. Samuel coram Domino in Galgalis. 51.6.

Pro eo quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus. 609.9. 129.6.

Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porrò Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur. 609.9.

Peccaui; ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum. 609.9.

Peccaui quia prauaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. 609.9.

16. *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me.* 140.3.

Pacificusne eſt ingreſſus tuus. 363.4.

Ait Dominus: Surge, vnge eum, ipſe eſt enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, & directus eſt ſpiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps. 622.7.

Sanctificauit Iſai, & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium. 51.8.

Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam. 428.3.

Vnde dicebant ſerui Saul ad eum, Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te. ibid.

Spiritus Domini malus exagitat te. Iubeat Dominus noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt quærent hominem ſcientem pſallere citharâ, vt, quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua & leuius ferat, etc. 430.7.

Quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus. 794.7.

Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſrael? 219.3.

17.18. *Curre ad caſtra, & fratres tuos viſitabis, ſi rectè agant, & cum quibus ordinati ſunt diſce.* 556.6.

Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem & veniebat leo vel vrſus, etc. 374.1.

Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus. 581.12.

Quis eſt hic Philiſtæus incircunciſus qui exprobrauit acies Dei viuentis. 124.10.

Cùm ergo ſurrexiſſet Philiſtæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid; feſtinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſtæi. 134.2.

De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, etc. interroga tu cuius filius ſit ille puer, etc. De qua progenie, etc. ô adoleſcens? 379.2.

De qua progenie es ô adoleſcens? 103.3.

18. *Cùm reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid egreſſa ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael cantantes, choroſq; ducentes in occurſum Saul Regis, etc.* 56.3. 173.2. 251.2.

Egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael, cantantes choroſq; ducentes in occurſum Saul Regis in tympanis lætitiæ & in ciſtris, & præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis eius, etc. 103.3.

Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia. 672.10.

Timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus eſſet cum eo, & à ſe receſſiſſet. Et infrà. *In omnibus quoq; viis ſuis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo. Vidit itaq; Saul, quòd prudens eſſet nimis, & cœpit cauere eum.* 71.2.

In omnibus quoque viis ſuis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo. 337.7.

Tantummodo eſto fortis, & præliare bella Domini. 41.1.

Ecce filia mea maior Merob ipſam dabo tibi vxorẽ: tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini: Saul autem reputabat dicens: Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorum, etc. 623.7.

Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea aut cognatio patris mei in Iſrael, vt fiam gener Regis, etc. num parum videtur vobis generum eſſe Regis? ego autem ſum vir pauper & tenuis. 581.12.

Michol autem filia Saul diligebat eum. 396.10.

Ego ſum vir pauper & tenuis, etc. non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſtinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis. 522.3.

19. *Locutus eſt ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem ſuum dixitq; ad eum: ne peccet Rex in ſeruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi & opera eius bona ſunt tibi valdè, etc. Quod cum audiſſet Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit viuit Dominus quia non occidetur.* 497.7.

Vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane. 140.3.

Niſi ſaluaueris te nocte hâc cras morieris. 571.1.

Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit ſuper lectum, & pellem pilоſam caprarum ad pedes eius opertam veſtimentis. 623.7.

Factus eſt ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vſque dum veniret in Naioth. 596.3.

Ecce calendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſolео 20.
etc. Si dixerit benè: pax erit ſeruo tuo. Si autem fuerit iratus, ſcito quia completa eſt malitia eius. 258.2. 126.8.

Dixit ergo Ionathas ad Dauid Vade in pace, etc. 401.3.

Fili mulieris vltrò virum rapientis. 491.5.

Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panẽ 21.
ſanctum; ſi mundi ſunt pueri maximè à mulieribus. 542.3.

Si mundi ſunt pueri maximè à mulieribus, etc. & ſuerunt vaſa puerorum ſancta: porro via hæc polluta eſt, ſed ſanctificabitur in vaſis. 540.2.

Numquid non iſte eſt Dauid Rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes Percuſſit Saul mille etc. immutauit os ſuum coram eis, & colabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, deſtillabantq; ſaliuæ eius in barbam. 140.3.

Mane mecum ne timeas; ſi quis quæſierit animam 22.
meam quæret & animam tuam, mecumq; ſeruaberis. 402.3.

Surrexit Ionathas filius Saul, abiitq; ad Dauid in 23.
ſyluam, quæ erat in deſerto Ziph, etc. 672.7.

Ne timeas neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael. 408.3.

Feſtina, & veni, quoniam inſuderunt ſe Philiſtiim ſuper terram. Reuerſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid, & perrexit in occurſum Philiſtinorum. 122.4.

Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te: ego tra- 24.
dam tibi inimicum tuum, etc. propitius ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum quia Chriſtus Domini eſt. 650.6.

Abſit à me, vt mittam manum meam in Chriſtum Domini. 165.12.

Pater mi vide & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea, quoniam, etc. nolui extendere manum meam in te, etc. Quem perſequeris Rex Iſrael, etc. canem mortuum perſequeris & pulicem vnum & ſit Dominus iudex, etc eruat me de manu tua, etc. 323.10. 607.2.

Leuabit ſimul vocem ſuam & fleuit. 179.6.

Numquid hæc vox tua eſt fili mi Dauid? 179.9.

Numquid vox tua eſt fili mi Dauid, etc. leuauit Saul vocem ſuam & fleuit. 110.6.

Numquid vox hæc tua eſt fili mi Dauid, etc. Iuſtior es tu quam ego, tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, etc. iura mihi in Domino ne deleas, etc. 650.6.

Scio quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael. 408.3.

Et nunc quia ſcio quod certiſſimè regnaturus ſis, etc. iura mihi in Domino ne deleas ſemen meum poſt me, etc. 880.5.

Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & 25.
omnibus quæcunque habes. 362.1.

Quodcunque inuenerit manus tua da ſeruis tuis & filio

filio tuo Dauid, etc. Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai? hodie increuerunt ſerui qui fugiunt Dominos ſuos. 287.4.

Tollam panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonſoribus meis & dabo viris quos neſcio vnde ſint, etc. vnde emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis, etc. Cumq; pertranſiſſent decem dies, percuſſit Dominus Nabal & mortuus eſt. 291.4.

Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo: & accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis, accinctuſq; eſt Dauid enſe ſuo, etc. 98.10.

Feſtinauit & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, etc. & poſuit ſuper aſinos, dixitq; pueris ſuis: præcedite me ego poſt tergum ſequar vos: viro autem ſuo Nabal non indicauit. 134.2.

Loquatur obſecro, ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ, etc. 635.4.

Faciens enim faciet Dominus Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, Domine mi tu præliaris. 98.11.

Si enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te & quærens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium, etc. Cùm ergo fecerit tibi Dominus Domino meo omnia quæ locutus eſt bona de te, non erit tibi in ſingultum quod effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris. 98.11. 544.2.

Niſi citò veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam mingens ad parietem. 288.4.

Vade pacifice in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam. 571.1.

Ecce famula tua ſit in ancillam vt lauet pedes ſeruorum Domini mei. 403.1.

27. *Dixit in corde ſuo aliquando incidam vna die in manus Saul: Nonne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſtinorum?* 408.3.

28. *Conſuluit Dominum & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per prophetas, etc. Quærite mihi mulierem habentem pythonem & vadam ad eam & ſciſcitabor per illam.* 665 9.

Et non reſpondit ei (Dominus) neque per ſomnia, neque per ſacerdotes neque per Prophetas. 105.11.

Dixitq; ei mulier, quem ſuſcitabo tibi? qui ait Samuelem mihi ſuſcita. Cùm autem vidiſſet mulier Samuelem exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: quare impoſuiſti mihi, tu es enim Saul. 725.9.

Quid vidiſti: Deos vidi aſcendentes de terra. 25. 9.

Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum? faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, etc. 723.4.

Cras tu, & filij tui mecum eritis. 725.11.

Cecidit porrectus in terram, extimuerat enim verba Samuelis, & robur, etc. 233.2.

Coarctor nimis, ſi quidem Philiſtiim pugnant aduerſum me & Deus receſſit à me. 665.9.

Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & poſui, animam meam in manu mea, & audiui ſermones tuos, quos locutus es ad me, nunc ergo audi, & tu vocem ancillæ tuæ, etc. 696.10.

Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: viuit Dominus 29. *quia rectus es tu & bonus in conſpectu meo, etc. ſed ſatrapis non places. Reuertere ergo & vade in pace, & non offendas oculos ſatraparum Philiſtiim.* 104.3.

Scio quia bonus es tu in oculis meis ſicut Angelus Dei. 104.3. 230.4.

Scio quia bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei, ſed ſatrapis non places. 893.4.

Scio quia bonus es tu in oculis meis ſicut Angelus Dei: ſed principes Philiſtinorum dixerunt, non aſcendet nobiſcum in prelium. 604.4.

Non enim comederat panem neque biberat aquã tribus diebus & tribus noctibus. 30. 12. 233.1.

Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me illudentes mihi, etc. Arripuit itaque Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum. 31. 173.2.

Ex Libro II. Regum.

Nolite annuntiare in Geth. neque annunietis in 1. *compitis Aſcalonis, ne fortè lætentur filiæ Philiſtiim, etc.* 173.2.

Vnde ſcis quia mortuus eſt Saul, & Ionathas filius eius, etc. ait ad eum Dauid: Quare non timuiſti mittere manum tuam, vt occideres Chriſtum Domini, etc. 644.2.

Miſit ergo Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, 2. *dixitq; ad eos: benedicti vos Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul & ſepeliſtis eum. & nunc retribuet vobis Dominus miſericordiam & veritatem: ſed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud.* 132. 3.

Confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortitudinis. 41.1.

Porrò Aſael curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de capris quæ morantur in ſylua. 863.17.

Ego autem adhuc delicatus, & vnctus rex: porrò filij 3. *Saruiæ duri ſunt mihi.* 140.4.

Mundus ego ſum & regnum meum apud Dominum vſque in ſempiternum à ſanguine Abner, etc. Nec deficiat de domo Ioab fluxum ſeminis ſuſtinens, etc. 228.10.

Et Dauid percutiebat in organis armigatis & ſaltabat totis viribus ante Dominum. 6. 251.2.

Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi nudetur vnus de ſcurris. 204.8. 396.10. 398.1.

Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum, etc. ibid. 398.1.

Filia Saul non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ. 225.1.

Extimuit Dauid Dominum in die illa, dicens: *Quomodo ingredietur ad me arca Domini? & noluit diuertere ad ſe Arcam Domini in ciuitatem Dauid: ſed diuertit eam in domum Obededom Gethæi.* 462.11.

Singulis collyridam panis vnam, & aſſaturam bubulæ carnis vnam, & ſimilam frixam oleo, &c. 571.3.

7. *Omne quod eſt in corde tuo vade, fac quia Dominus tecum eſt.* 800 7.

Factum eſt autem in illâ nocte: & ecce ſermo Domini ad Nathan dicens: Vade, & loquere ad ſeruum meum Dauid: hæc dicit Dominus. nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? 800.7.

Ingreſſus eſt autem Rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit. 33.4.

Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. 759 7.

8.9. *Audiuit Thou rex Emath, quod percuſſiſſet Dauid omnem robur. Adarezer miſit Ioram filium ſuum ad regem Dauid vt ſalutaret eum congratulans, & gratias ageret eò quod expugnaſſet Adarezer,*

9. *& percuſſiſſet eum.* 670 2.

Miphiboſeth autem filius Domini tui comedet ſempanem ſemper menſam meam.

10. 117.1.

Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam. 671.3.

Eſto vir fortis, & pugnemus pro populo noſtro, & ciuitate Dei noſtri, Dominus autem faciet quod bonum eſt in conſpectu ſuo. 215 3.41.1.

Dominus Faciat quod bonum eſt in conſpectu ſuo. 246.8.

12. *Duo viri erant in ciuitate vna vnus dives, & alter pauper, dives habebat oues, & boues plurimos valde, &c.* 81.3.

Pauper habebat ouem paruulam quam emerat, & enutrierat. 522.3.

Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc: Ouem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum iſtud, & non pepercerit. Dixit autem Nathan ad Dauid; Tu es ille vir. 6;4.3.

Viuit Dominus quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc: Ouem reddet in quadruplum, &c. 81.3.

Tu es ille vir: hæc dicit Dominus Deus Iſrael, &c. Quare ergo contempſiſti verbum Domini, &c. 81.3.

Peccaui domino. 81.3.

Peccaui, &c. Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. 257.7.259.5.322.8.

Quare ergo contempſiſti verbum Domini, vt faceres malum in conſpectu meo, &c. Peccaui Domino. 637.3.

Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, quamobrem non recedet gladius à domo tua. 51. 6.

Ecce ego ſuſcitabo ſuper H *malum de domo tua,* 110.6.

Veruntamen quia blaſphemare feciſti inimicos Domini propter hoc, &c. deprecatuſq; &c. peccaui Domino. 219.3.

Propterea gladius non recedet à domo tua in æternum. 510.4.

Miſit in manu Nathan Prophetæ. 637.3. 13.12.

Noli frater mi, noli opprimere me neque enim hoc fas eſt in Iſrael: noli facere ſtultitiam hanc. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quaſi vnus de inſipientibus in Iſrael quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi. 457.15.

14. *Obſeruate cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: percutite eum, & interficite, &c.* 703.8.

Omnes morimur, & velut aquæ delabimur in terram quæ non reuertuntur. 72;.3.635. 4.295.5.

Sicut Angelus Domini ſic eſt Dominus meus rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur. 498.10.

Sicut Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus eſt tecum. 543. 2.179.6. 229.1.

Tu autem Domine mi rex ſapiens es ſicut habet ſapientiam Angelus Dei. 498.10.

Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat. Et infrà: *Sicut Abſalon vir non erat pulcher in omni Iſrael.* 43.6.

15.2.&c. H *mane conſurgens Abſalon ſtabat iuxta introitum portæ, &c. videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti; ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à rege, &c. quis me conſtituat iudicem ſuper terram vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuſte iudicem? Sed & cùm accederet ad eum homo vt ſalutaret illum extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum.* 656.16.

Vadam & reddam vota mea quæ vouit Domino in Hebron. Votum enim vouit ſeruus tuus cùm eſſet in Geſur Syriæ dicens: Si reduxerit me Dominus in Ieruſalem ſacrificabo Domino. 656.16.

Ait Abſalon: videntur mihi ſermones tui boni & iuſti, ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege, &c 26.1. & 27.4.

Reporta arcam Dei in vrbem: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum. Si autem dixerit mihi, &c. 191 2.210.4.

Si dixerit mihi Dominus, non placet; præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe. 246.8.210.4.

Viuit Dominus, & viuit Dominus meus rex, quoniam in quocunq; loco fuerit Domine mi rex ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus. 672. 8.402.3.

Surgite fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Abſalon: feſtinate egredi ne fortè veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. 110.6.

Infatua

Insatua quaso Domine consilium Achitoph. 332.6.

16.1. *Apparuit (Siba puer Miphiboseth in occursum Dauidis) cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & centum massis Palathurum, & vtre vini.* 106.12.

Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. 104.6.

Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi, Vadam & amputabo caput eius. 239.6.

Quid mihi, & vobis filij Saruiæ. 373.5.

Quid mihi, & vobis est filij Saruiæ? dimittite eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid, &c. 662.1.

Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis est, qui audiat dicere, Quare sic fecisti? 211.4.

Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum, pro maledictione hodierna. 239.7.

Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionē meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictionē hac hodierna. 612.4.

Ecce filius meus qui egressus est de vtero meo quærit animam meam quantò magis nunc filius Iemini? dimitte eum vt maledicat iuxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, &c. 113.4.

Consilium autem Achitophel quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum sic erat, &c. 332.6.

17. *Domini enim nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile vt induceret super Absalon malum.* 332.6.

Surgite, & transite citò fluuium. 643.1.

18.3. *Tu vnus pro decem millibus computaris.* 23.10.

Contristatus Rex ascendit cenaculum portæ, & fleuit: & hic loquebatur vadens: Fili mi Absalon, &c. 190.2.

Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te Absalon fili mi, fili mi Absalon. 111.7. 644.3.

19. *Iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac; & peius erit hoc tibi, &c.* 644.3.

Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: cur vos estis nouissimi ad reducendum regem in domum suam, &c. fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducitis regem? 141.7.

Et Amasæ dicite, Nonne os meum, & caro mea es? hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore Ioab. 141.7.

Inclinauit, cor omnium virorum Iuda, quasi viri vnius. 141.7.

Reuertere tu, & omnes serui tui. 141.7.

Tu autem Domine mi rex sicut Angelus Dei es; fac quod placitum est tibi. 498.10.

29. *Fixum est quod locutus sum: Tu & Siba diuidite possessiones.* 106.12.

Veni mecum vt requiescas securus in Ierusalem, &c. quot sunt dies annorum meorum, vt adscendam cum rege in Ierusalem? Octogenarius sum hodie, &c. 70.1.

Quot sunt dies annorum vitæ meæ vt adscendam cum rege in Ierusalem, &c. 1. 877.9.

Obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, &c. 578.1. 875.3.

Melius est vt incidam in manus Domini: multa enim misericordiæ eius sunt, quàm in manus hominum. 24. 746.5.

Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. 113.3.816. 14.208.

AEdificauit Dauid altare Domino, & obtulit holocausta, &c. Et propitiatus est Dominus terræ, &c. 245.4.

Propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel. 323.

Ex Libro III. Regum.

Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, &c. & calefaciat Dominum nostrum regem, &c. erat enim puella pulchra nimis, dormiebatq; cum rege, & ministrabat ei, & rex non cognouit eam. 3.Reg. 1.2. 521.1.

Adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatq; cum rege, & ministrabat regi. 446.6.

Et non cognouit eam. 475.2.

Adonias filius Haggith eleuabatur, dicens Ego regnabo. faciq; sibi currus, & equites, &c. nec corripuit eum pater suus aliquando dicens, &c. 558.10.

Ecce Adonias regnat, te Domine mi rex ignorante. ibid.

Neque corripuit eum pater suus aliquando dicens: quare hoc fecisti? 114.8.

In te oculi respiciunt totius Israel, vt indices eis, quis sedere debeat in solio tuo. 114.7.

Ego ingredior viam vniuersæ terræ. 2. 340.3.

Confortare, & esto vir. 41.1.

Obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, &c. vt cõfirmet Dominus sermones quos locutus est de me dicens: Si custodierint filij tui vias meas, &c. non auferetur tibi vir de solio Israel. 117.1.

Tu nosti quid fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, &c. facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos. 140.4.

Et surrexit Semei, iuitq; ad Achis in Geth ad requirendum seruos suos. 116.11.

Affinitate coniunctus est Salomon Pharaoni regi AEgypti, accepit namq; filiam eius, & adduxit eam in ciuitatem Dauid, &c. dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauid patris sui, &c. 3.1.& 3. 518.4.

Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte dicens Postula quod vis, &c. 1. 519.4.

Ego

7. *Ego sum puer parvulus, & ignorans egressum, & introitum suum.* 360.6.

Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. 804.2.

5.10. *Misit quoque Hiram rex Tyri seruos suos ad Salomonem; audiuit enim quod ipsum vnxissent regem pro patre eius quia amicus fuerat Hyram Dauid omni tempore.* 670.2.

Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium sapientissimum &c. 351.8.

11. *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, &c. de gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israel non ingredientini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos, &c.* 517.1.

Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum. 20.5.

Et auerterunt mulieres cor eius: cumq; iam senex esset deprauatum est cor eius per mulieres. 473.6.

Dixit itaque Dominus Salomon: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo. propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi. 504.6.

Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum, &c. 203.5. 850.7.

Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum. 118.3.

Suscitauit autem Dominus aduersarium Salomoni Adad Idumæum. Ragon filium Eliadæ, & Ieroboam quoque seruus Salomonis leuauit manum contra regem. 117.1.

12. *Quoniam auersatus fuerat eum Dominus vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ ad Ieroboam filium Nabath.* 868.5.

Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. 316.13.

Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, tu releua nos sic loqueris ad eos: minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. 141.8.

Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei dicens: Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Beniamin, & reliquos de populo dicens: hæc dicit Israel: reuertatur vir in domum suam à me enim factum verbum hoc, &c. 504.6.

Dixitq; Ieroboam in corde suo: nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, &c. 117.2.

Altare, altare hæc dicit Dominus: ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum qui nunc in te. Thura succenduntur, & ossa hominum super te incendet. 118.2.

13. *Et exclamant contra altare in sermone Domini, & ait. Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, &c.* 257.

Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem neque bibam aquam in loco isto, &c. sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: non comedes panem neque bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti. 507.3.

Cùm enim abijsset, inuenit eum leo in via, & occidit, &c. Leo stabat iuxta cadauer. 826.7. 736.3.

Inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum, & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit Leo de cadauere, nec læsit asinum, &c. Tulit Propheta cadauer viri Dei, & posuit illud super asinum, & reuersus intulit in ciuitate propheta senu, vt plangerent eum. Et posuit cadauer eius in sepulchro suo: & planxerunt eum, Heu, Heu, mi frater. 864.23.

Propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terra. 850.7. 78.43.

14. *Vade & dic Ieroboam: hæc dicit Dominus Deus Israel: quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel, & scidi regnum domus Dauid, &c. idcirco ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, &c.* 118.2.

Constituet sibi Dominus Regem super Israel, qui percutiet domum Ieroboam in hac die, & in hoc tempore: & percutiet Dominus Deus Israel, sicut moueri solet arundo in aqua, & eradicabit Israel de terra hac bona quam dedit patribus eorum, & dispergam eos trans flumen, eo quod fecerint sibi lucos, vt irritarent Dominum. 24.4.

Ingredere vxor Ieroboam, quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius. 849.5.

Plangent eum omnis Israel, & sepelient: iste enim solus inferetur de Ieroboam in sepulchrum: quia inuentus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israel in domo Ieroboam. 135.6.

15. *Excepto sermone vrie Hethæi.* 257.7. 878.1.

Percussit omnem domum Ieroboam: non dimisit ne vna quidem animam de semine eius donec deleret eum. 830.5.

Ne periret lucerna Dauid, & propter Dauid seruum suum. 118.3.

Tribus annis regnauit in Hierusalem ambulauitq; in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante

ante Deum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo sicut cor Dauid patris eius. Sed propter Dauid dedit ei Dominus suus lucernam in Hierusalem vt suscitaret filium eius post eum, & statueret Hierusalem. Et quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ. 504.6.

16.17. *Percussit omnem domum Baaza, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos, & amicos eius: deleuitq; Zambri omnem domum Baaza.* 880.5.

17.6. *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes vesperi.* 343.10.

Factus est sermo Domini ad eum dicens: Surge & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ vt pascat te. 383.6.

1. *Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Eliæ.* 394.9.

Ægrotauit filius mulieris, & erat lãguor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus: dixit ergo ad Eliam: Quid mihi, & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. 717.6.

Quid mihi, & tibi vir Dei? ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. 394.9.

Domine Deus meus, tiamne viduam apud quam ego vtcunq; sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius. 373.3.

Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius, &c. & exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. 373.4.

18. *Manus Domini facta fuit super Eliam, accinctusq; lumbos currebat ante Achab.* 744.1.

Vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus sequimini eum: si autem Baal, etc. 345 13. 764 9 23.2.

Ego remansi Propheta Domini solus: Prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frusta cadentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant: & ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam: Inuocate nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei. Et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus: respondens omnis populus ait: Optima propositio. 764.9.568.5.

Clamate voce maiori, Deus enim est. & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit vt excitetur. 176.10.

Dominus ipse est, Deus Dominus ipse est Deus. 765.9.

Tune es ille qui conturbas Israel? 775.7.23.1.

Non ego turbaui Israel sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. 775.7.

Seruus tuus timet Dominum ab infantia sua. 49.6.

Petiuit anima sua vt moreretur: & ait Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. 245.6.732.3. 19.4.

Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, Surge, & comede. 343 10.

Quid hic agis Elia? 515.6.

Cumq; venisset Elias ad eum posuit pallium suum super eum. 523.5.

Egredere, & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis, etc. quod cùm audisset Elias operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ. 728 5.

Percute me, etc. percutiet te Leo. 541.3. 20.

Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis, quia ego Dominus, etc. percusserunt de Syris centum millia peditum vna die. 94.3.

Ecce audiuimus quòd reges domus Israel clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel, &c. 461.8.

Occurrit Regi in via, & mutauit aspersione pulueris os, & oculos suos. Cumq; Rex transisset, clamauit ad Regem, & ait. etc. Qui ait ad eum: hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, &c. 81.3.

Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua; erit anima tua pro anima eius. 615.6.

Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi 867.2. 21.

Projciens se in lectum suum auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. 233.1.

Quia occidisti insuper, & possedisti, etc. In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 203.5.

Innem, eo quod venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini. 203.5.

Igitur non fuit alter talis, sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor sua, & abominabilis factus est. 203.5.

Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua. &c. 203.5.

Nonne vidisti humiliatũ Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. 185.6.819.7.

Vir quidam tetendit Arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel, inter pulmonem, & stomachum. 162.9. 22.

Ex Libro IV. Regum.

Surge, & adscende in occursum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos, Numquid non est Deus in Israel vt abeatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?

Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: de lectulo, super quem adscendisti, non descendes, sed morte morieris. 659 9.

Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini quem locutus est Elias. 659.9.

Homo Dei rex præcepit vt descendas, etc. si homo Dei sum descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos, etc. 462.11.

Homo Dei hæc dicit rex, festina & descende, &c. Si homo Dei ego, sũ descẽdat ignis de cælo, etc. 462.11

Curuauit genua cõtra Eliam, & precatus est eum, & ait Homo Dei Nolo despicere animam meam, & animas seruorum tuorum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cælo. & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant, sed nunc obsecro vt misereatis animæ meæ, &c. Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam dicens. Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem. 462.11.

Ibant Elias, & Eliseus de Galgalis. Dixitq; Elias ad Eli, eum: Sede hic, quia Dominus misit me vsque in Bethel, etc. 335.5.

Pueri parui, egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Ascende calue. 184.4.

Egressi sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis, quadraginta duos pueros. 184.4. 813.5.

3. Viuit Dominus exercituum in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iuda erubescerem, etc. 231.8.

Dixit autem Heliseus ad Regem: Quid mihi & tibi est? vade ad prophetas patris tui & matris tuæ. 597.3.

Dixitq; ad eum Heliseus: Viuit Dominus exercituũ, in cuius conspectu sto quod si non vultum Regis Iosaphat erubescerem, etc. nunc autem adducite mihi psaltem, etc. hæc dicit Dominus facite alueum torrentis huius fossas & fossas, etc. 597 3.

Cum caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: hæc dicit Dominus, etc. 794.7.

Facite alueum torrentis huius fossas & fossas: hæc enim dicit Dominus: Nõ videbitis ventum neque pluuiam: & alueus iste replebitur aqua, etc. Insuper tradet etiam Moab in manus vestras. 804.4.

Cum caneret psaltes, facta est super eum, manus Domini. & ait: hæc dicit Dominus, Facite alueũ torrentis huius fossas, & fossas hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neq; e pluuiam: & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra, parumq; est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras. 744.1.

Audiuit itaque omnis Israel iudicium, quod iudicasset Rex. & timuerunt Regem. 482.

Arripiensq; filium suum primogenitum qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum. 814.7.

4. Comparate vasa vacua non pauca. 543 5.

Dixit ad virum suum: Animaduerto quod vir Dei sanctus est iste qui transit per nos frequenter, etc. 390.11.

Loquere ad eam ecce, sedulò ministrat nobis quid vis vt faciam tibi? nunquid habes negotium, & vis vt loquar regi, siue principi militiæ? 675.2. 136. 8.

In tempore isto & in hac eadem hora si vita comes fuerit, habebis in vtero filium. 377.6.

Vocauit virum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, vnum de pueris, & asinam, vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar, etc. 617.5. 201.2.

Si occurrerit tibi homo non salutes eum: & si salutauerit te quispiam non respondeas illi. 362. 2. & 363. 5.

Obsecro itaque vt accipias benedictionem à seruo tuo. 683. 2.

Viuit Dominus ante quem sto, quia non accipiam. Cumq; vim faceret, penitus non acquieuit. 683. 2.

Mors in olla vir Dei, & non potuerunt comedere. 571. 4.

5. Vtinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria: profectò curasset eum à lepra, quam habet, etc. 635.4.

Accesserunt ad Naaman serui sui, & locuti sunt ei: Pater si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras, etc. 335.12.

Vade lauare septies in Iordane. 543.5.

Verè scio quod non sit alius Deus in vniuersa terra nisi tantum in Israel, etc. Obsecro, vt accipias benedictionem à seruo tuo, etc. non vltra faciet seruus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino. 350.8. 675.2.

Non faciet vltra seruus tuus holocaustum aut victimas diis alienis, nisi Domino. 345.13.

6. Quare non indicatu mihi quis proditor meus sit apud Regem Israel. 423. 686 2.

Dixitq; vnus seruorum eius: nequaquam Domine mi Rex, sed Eliseus Propheta qui est in Israel, indicat Regi Israel omnia verba quæcunque locutus fueris in conclaui tuo. Dixitq; eis: Ite & videte vbi sit, vt mittam & capiam eum. 423.2.

Non est hæc via vestra, non ciuitas, sequimini me, & ostendam vobis virum quem queritis: duxitq; eos in Samariam. 382.2.

Da filium tuum vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. 342 6.

7. In tempore hoc cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno in porta Samariæ, etc. Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo nunquid poterit esse quod loqueris, etc. videbis oculis tuis, & inde non comedes. 344.12.

Respondens vnus de ducibus, super cuius manum rex incumbebat, homini Dei ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, nunquid poterit esse quod loqueris, etc. Videbis oculis tuis, & inde non comedes. 868.4.

Sonitum audire Dominus fecerat in castris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi; qui coegit fugere cum tenebris, animas tantum suas saluare cupientes. 621.5.

In-

Ingressi sunt vnum tabernaculum, & comederunt, & biberunt: tulerunt q; inde argentum, & aurum, & vestes. etc. Non rectè facimus: hac enim dies boni nuntij est, etc. 644.1.

8. 19. *Fecit Ioram malum in conspectu Domini, noluit autem Dominus disperdere Iudam propter Dauid seruum suum.* 118.3.

Praeterentes dicebant: haccine est illa Iezabel. 772.2.

10. 15. *Numquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo? & ait Ionadab, Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam.* 523.4.

Et percussit omnes, qui reliqui fuerant de Achab in Samaria vsque ad vnum. 880.5.

12. *Fecit Ioas rectum coram Domino cunctis diebus quibus docuit eum Ioiada sacerdos.* 333.7.

13. *Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius.* 163.11.

Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam, percutiesq; Syriam in Aphec, donec consumas eam. & ait, Tolle sagittas, & percute iaculo terram, etc. si percussisses quinies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam. 164.11.

Reuixit homo & stetit super pedes suos. 164.11.

18. 10. *Transtulit Rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocauitq; eos in Hala, & in Habor fluuio Gozan in ciuitatibus medorum.* 714.13. 58.6.

In Domino Deo Israel sperauit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda sed neque in his qui ante eum fuerunt. 491.8.

Siluerunt, & non responderunt ei verbum. Mandauerat enim Rex dicens, Ne respondeatis. 205.11.

19. 23. *In multitudine curruum meorum adscendi excelsa montium, in summitate Libani, & succidi sublimes cedros eius, etc. & siccaui vestigijs pedum meorum omnes aquas clausas.* 313.7.

Ascendit in domum Domini & expandit eas coram Domino. Et orauit in conspectu eius, etc. 205.11.

Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. 551 8. 328 17.

Et reuersus est Sennacherib Rex Assyriorum & habitauit in Niniue. Et factum est cùm adoraret in templum Nesroth Deum suum, Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio. 112.1.

20. *Audi sermonem Domini: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quae sunt in domo tua, & quae condiderunt patres tui vsque in diem hanc in Babylonem, etc.* 625.5.

Dispone domui tuae quia morieris tu, & non viues, etc. Obsecro Domine, memento quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. 248.3.

Ezechias conuertit faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine etc. 612.4.

Obsecro Domine, memento quaeso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto & quod placitum est coram te fecerim. 831.12.

Haec dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas, & Ecce sanaui te: die tertio adscendes ad templum. 516.7.

Iosias fecit quod placitum erat coram Domino, etc. 17.5. 22.

Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui mala, quae inducturus sum super locum istum. 810.9.

Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur 23. 25. *ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua & in vniuersa virtute sua iuxta legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* 492.8.

Subleuauit Euilmerodach Rex Babilonis, anno quo regnare coperat caput Ioachim Regis Iuda de carcere. & locutus est ei benignè: & posuit thronum eius super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone, & mutauit vestes eius quas habuerat in 25. 27 *carcere, & comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vitae suae. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quae & dabatur ei à Rege per singulos dies, omnibus diebus vitae suae.* 127.2.

Ex Libro I. Paralippomenon.

Si benedicens benedixeris mihi, & dilataueris terminos meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris me à malitia non opprimi. 4. 744.1.

Quod cum vidisset armiger eius videlicet mortuum 10. *esse Saul: irruit etiam ipse in gladium suum & mortuus est etc. Saul & filius eius mortui dereliquerunt filij Israel vrbes suas, & fugerunt, huc illucq; dispersi sunt, etc.* 351.10.

Interrogauit Saul in ventriculo ad quaerendum, & respondit ei Samuel Propheta. 725.9.

Tuus sumus ô Dauid, & tecum filij Isai: Pax, pax 12. *tibi, & pax adiutoribus tuis: te enim adiuuat Deus.* 363.4.

Si placet nobis & à Domino Deo nostro egreditur 13. *sermo, quem loquor: Mittamus ad fratres nostros.* 827.2.

Leuansq; Dauid oculos suos, vidit Angelum Domini 21. *stantem inter caelum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem, etc* 244.4. *Ait Angelo percutienti populum, Sufficit, etc. ibid.*

De filius meis, etc. elegit Salomonem filium meum, vt 28. *sederet in throno regni Domini super Israel.* 114.7.

Tu autem Salomon fili mi scito Deum patrem tui, & servito ei corde perfecto & animo voluntario. 340.3.

Mortuus est in senectute bona, plenus dierum, etc 29. 872.7.

Benedixit omnis Ecclesia Domino Deo patrum suorum: & inclinauerunt se, & adorauerunt Deum, & deinde Regem. 37.7.

Vniuersi Principes & potentes, & cuncti filij Regis Dauid dederunt manum & subiecti fuerunt Salomoni Regi. 522.3.

Ex Libro II. Paralippomenon.

2. Paral. 2. *Benedictus Dominus Deus Israel, etc. qui dedit Dauid Regi filium sapientissimum.* 351.8.

Fuit Dominus cum Ioſaphat qui ambulauit in viis patris sui Dauid, etc. confirmauitq; Dominus regnum in manu eius, etc. factaq; sunt ei infinita diuitiæ & multa gloria. 117.1.

7. *Si ambulaueris coram me sicut ambulauit pater eius, & feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, & iustitias meas, iudiciaq; seruaueris, suscitabo thronum regni tui.* 839.1.

11. *De cunctis tribubus Israel, quicunque dederant cor suum, vt quærerent Dominum sum Israel, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Deo patrum suorum.* 18.1.

12.6. *Cùmq; roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israel.* 351.10.

Iustus est Dominus, etc. Quia humiliati sunt non disperdam eos. 212.7.

Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac. Consternati Principes Israel, & Rex dixerunt: Iustus es Domine, etc. Factum est sermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, etc. 185.6.

13. *Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum, ipsi & filiis eius in pactum salis.* 421 5.

Roboam erat rudis & corde pauidus. 18. 6.

15. 13. *Si quis autem non quæsierit Dominum Deum Israel moriatur à minimo vsque ad maximum; à viro vsque ad mulierem, iurauerunt q; Domino voce magnâ, etc. Sed & Maacham matrem Asa Regis ex augusto deposuit imperio, eò quòd feciſſet in luco simulachrum Priapi.* 8 9.3.

16. 14 *Et sepelierunt eum in sepulchro suo quod foderat sibi in ciuitate Dauid: posueruntq; eum super lectum suum, plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimiâ.* 99.2.

Ægrotauit etiam Asa anno 39. regni sui dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in arte medicorum confisus est, etc. 412.5. 52.6.

Neque in infirmitate sua quæsiuit Deum, sed magis in medicorum arte confidit. 655.10. 884 11.

Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua nonne Æthiopes & Libyes multo plures erant, etc. 605.5.

19. 2. *Impio præbes auxilium & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco quidem iram Dei mereberis etc.* 329.2.

Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium sed Domini, etc. non est enim apud Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 683.4. 685.7.

Amasias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Rabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. 23.3.

20. *Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te.* 337.7. 606.7.

Deditq; consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis & antecederent exercitum, ac voce consonâ dicerent: Confitemini Domino, etc. cùmq; cepissent laudes canere versa Dominus insidias eorum, in semetipsos, etc. cùmq; hoc opere perpetraßent etiam in semetipsos versi mutuo cõcidere vulneribus. 795.7.

1. *In nobis quidem non est tanta fortitudo vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos: sed cùm ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te.* 408.4.

Post hæc iniit amicitiam Ioſaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Israel, cuius opera fuerunt impiissima, etc. Prophetauit autem Eliezer ad Ioſaphat dicens: Quia habuisti fœdus, etc. 330.2.

21. *Mortuus est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morem combustionem exequias sicut fecerat maioribus eius.* 99.2.

Deditq; vir (Ioſaphat alius filius fuit) pater suus multa munera argenti & auri, & pensitationes cum ciuitatibus munitissimis in Iuda. 114.8.

Constituerunt autem habitatores Israel Ochoziam filium eius minimum regem pro eo: omnes enim maiores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones. 114.8.

22. *Fecit Ochozias malum in conspectu Domini sicut domus Achab. Ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui, etc.* 333.8.

Constituit verò (Roboam) in capite Abiam filium Maacha, ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat, quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios eius. 114.7.

24. *Postquam autem obiit Ioiada ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem qui delinitus obsequijs eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt templum Domini, etc.* 333.8.

25. *Quam ob rem iratus Dominus contra Amasiam misit ad illum Prophetam qui diceret. Cur adorasti Deos, etc. Scio quod cogitauerit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo.* 869.6.

Carduus, qui est in Libano, misit ad Cedrum Libani, etc. 869.6.

Noluit audire Amasias eò quòd Domini esset voluntas, vt traderetur in manus hostium propter Deos Edom. 869.6.

26. *Nam cùm roboratus esset, elevatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum.* 625.5.

Exquisiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis, & videntis Deum: cumq; requireret Dominum direxit eum in omnibus. 333.7.

28. *Cùm roboratus esset elevatum est cor eius.* 808.5.

Direptis omnibus vasis domus Dei atque confractis clausit

clausit ianuas templi Dei. 352.10.

29. *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus, etc.* 563.6.

30. *Nolite indurare cervices vestras: tradite manus vestras, Domino servite.* 522.3.

16.12. *Fecit Sedecias malum in oculis Domini Dei sui, etc. sedet vniuersi principes sacerdotum, & populus prevaricati sunt.* 352.10.

Nec erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ loquentis ad se ex ore Domini, etc. At illis subsannabant nuntios Dei, & parui pendebant sermones eius, illudebantq; Prophetis, etc. Adduxit super eos Regem Chaldæorum, & interfecit, etc. 185.7.

Ex Libro I. Esdræ.

Esdræ 1. *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa, etc.* 71.5. 780.3.

Nos autem memoris salis quod in palatio comedimus, & quia lasiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus & nuntiauimus regi. 421.5.

6. *A me præceptum est, vt de Arca Regis, id est de tributis quæ dantur de regione trans flumen studiosè sumptus demtur viris illis ne impediatur opus.* 781.7.

A me ergo positum est decretum, vt omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur. 781.7.

7. *A me decretum est, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, & de sacerdotibus eius, & de leuitis, ire in Ierusalem tecum vadat: à facie enim regis, & septem consiliatorum eius missus es.* 714.12.

Ego Artaxerxes Rex statui atque decreui, etc. & vsque ad bates olei centum: sal verò absque mensura. 419.1.

9. *Non est separatus populus Israel, & sacerdotes, & Leuitæ à populo terrarum & abominationibus earum, etc. tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, etc. commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. Manus etiam principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima.* 351.10.

Cumq; audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mœrens. 615.7.

Ex Libro II. Esdræ.

2. Esdr. 2 *Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Deus dedisset in corde meo vt facerem in Ierusalem, etc.* 556.6.

5. *Memento mei Deus meus in bonum secundum omnia quæ feci populo huic.* 248.3. 117.2.

8. *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: ite, comedite pinguia, & bibite mulsum: & mittite partes his qui non præparauerunt sibi: gaudium enim Domini est fortitudo nostra.* 515.5. 124.1. 217.2.

9. *Quadraginta annis pauisti eos in deserto, etc. & pedes eorum non sunt attriti.* 404.3.

Patres nostri non fecerunt legem tuam, & non acquieuerunt ad mandata tua, & testimonia tua quæ testificatus es in eis. 207.3.

Hæc sententia desumpta est ex tertio Libro Esdræ, qui alioquin extra canonicorum librorum numerum habetur.

Et conuenerunt ibi ex aliis nationibus terræ, & erexerunt sacrarium in loco suo omnes gentes terræ, & offerebant hostias, & holocaustomata Domino matutina. 781.5. 3. Esdr. 5. v. 50.

Ex Libro Judith.

Tantusq; metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores, principes & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis. 176.9. 3.

Adorantes Dominum & communi lamentatione ac fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt, dicentes: Domine Deus cæli & terræ intuere superbiam eorum, etc. 680.2. 6.

Domine Deus cæli & terræ intuere superbiam eorum, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende, 562.2.

Contestamur hodie cælum & terram, etc. vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, vt sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis. 664.6. 7.

Æquo animo efflote fratres, & hos quinque dies exspectemus à Domino misericordiam, forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo. Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba quæ locuti estis. 664.6.

Erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè: nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. 347.4. 8.

Quod est hoc verbum in quo consensit Ozias, etc posuistis vos templum miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei, etc? Dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum citò misericordiam suam: exspectemus humiles consolationem eius. 664.6.

Qui estis vos qui tentatis Dominum? non iste est sermo qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat: posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. 711.5.

Et nunc, fratres, etc. vt memores sint, quia tentati sunt patres nostri vt probarentur, etc. 2.3.

Dixerunt illi Ozias & presbyteri: Omnia quæ locuta es vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio, nunc ergo, etc. 347.4.

Nihil aliud fiat quàm oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. 547.3.

Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. 606.7.

Lauit corpus suum, & vnxit se myrro optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram

tram ſuper caput ſuum,etc. 530.7.

Impoſuit Abra ſua aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt. 64.4.

Circa ortum diei occurrerunt ei exploratores Aſſyriorum, & tenuerunt eam dicentes: Vnde venis? aut quo vadis. 494.6.

Conſiderabant faciem eius: & erat in oculis eorum ſtupor, quoniampulchritudinem eius mirabantur nimis. Et dixerunt ad eam: Conſeruaſti animam tuam, eò quòd tale reperiſti conſilium, vt deſcenderes ad Dominum noſtrum. 447.9.

Quis contemnat populum Hebræorum qui tam decoras mulieres habent,vt non pro his merito pugnare contra eos debeamus.

Indicatum eſt omni ſæculo, quoniam tu ſolus bonus,
11. & potens es in omni regno eius, & diſciplina tua omnibus prouincijs prædicatur. 505.8.

11. Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius 505 8.

13. Angustiatus (Achior) pra pauore cecidit in faciem ſuam ſuper terram, & æſtuauit anima eius, etc. 568.5.

14. Videns Achior virtutem quam fecit Deus Iſrael, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij ſui,& appoſitus eſt ad Iſrael. 568.5.

15. Benedixerunt Iudith omnes vnâ voce dicentes: Tu gloria Ieruſalem,tu lætitia Iſrael,etc. 567.2.

Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, etc. 251.2.

16. Dominus conterens bella, Dominus nomen illi, 593.6.

Ex Libro Eſther.

1. Cùm eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero,præcepit ſeptem conſiliarijs ſuis, vt introducerent Reginam Vaſthi coram rege poſito ſuper caput eius diademate,vt oſtenderet cunctis populis,& principibus pulchritudinem illius, erat enim pulchra valde. 508.5.

Non ſolum regem læſit Regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes qui ſunt in cunctis prouincijs regis Aſſueri, etc. ſi tibi placet egrediatur edictum à facie tua,etc. 106.13.

2. Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate vocabulo Mardocheus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini. 881.6.

Noluit ei indicare populum ſuum,& patriam ſuam. Eſther. 382.2.

Necdum prodiderat Eſther patriam, & populum ſuum, &c. Quidquid ille præcipiebat,obſeruabat &c.407.2.

Mardocheus, &c. qui fuit nutricius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther, & vtrumq; parentem amiſerat: pulchra nimis, & decorâ facie,mortuiſq; patre eius ac matre,Mardocheus ſibi eam adoptauit in filiam. 668.3.

Cùm autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum,vt intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat vt ſex menſibus oleo vngeretur Myrtino, & alijs ſex quibuſdam pigmentis,& aromatibus vngerentur. 530.7.

Euoluto tempore per ordinem, inſtabat dies quo Eſther,&c.deberet intrare ad regem. Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcunq; voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum hæc ei ad ornatum dedit,&c. 531.9.

Poſuit diadema regni in capite eius, & iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus,& ſeruis ſuis pro coniunctione,& nuptijs Eſther;& dedit requiem vniuerſis prouincijs,ac dona largitus eſt iuxta munificentiam principalem. 527.1.

Dona largitus eſt iuxta munificentiam principalem. 676.7.

Ne putes quod animam tuam tantum liberes quia in domo Regis es pra cunctis Iudæis. Si enim nunc ſilueris per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi, & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore pararetis. 442.1.

Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore pararetis? 519.6.586.2.

Vade,& congrega omnes Iudæos, quos in Suſan reperies, & orate pro me:non comedatis neque bibatis &c.& ego, &c.ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar,&c. 349.8.691.5.

Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo. 815.10.

Die autem tertia induta eſt Eſther regalibus veſtimentis,&c. Cumq; vidiſſet Eſther reginam ſtantem,placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream. 447.8. 5.

Dixitq; ad eam rex: Quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem regni petieris dabitur tibi. 447.8.

Extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu, etc. Quid vis Eſther Regina; quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. 676.7.

Conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorẽ ſuam, & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum. 604.4.

Reſponderuntq; ei Zares vxor eius,& cæteri amici: Iube parari excelſam trabem,etc. 333.9.

Quomodo nunciaſſet Mardochæus inſidias Bagathæ, & Tharæ eunuchorum, Regem Aſſuerum ingulare cupientium,interrogauit: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardocheus conſecutus eſt? 675.5. 6.

Hoc honore condignus eſt quemcunque rex voluerit honorari. 675.3.

Quis eſt iſte,& cuius potentiæ,vt hæc audeat facere? 557.8. 7.

Etiam Reginam vult opprimere me præſente in domo mea, &c. necdum verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius. 845 7.

Apud

8. *Apud omnes populas, vrbes, atque prouincias, quocunq; Reges iuſſa veniebant, mira exultatio, epule, atque conuiuia, & feſtus dies: in tantum vt plures alterius gentis, & ſecte eorum religioni, & ceremonijs adiungerentur grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.* 780.4.

9. *Scidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti: & in platea media ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui, & hoc eiulatu vſque ad fores Palatij gradiens.* 607.4.

Igitur duodecimi menſis, quem Adar vocari ante iam diximus, tertiâ decimâ die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguini, versâ vice Iudæi ſuperiores eſſe ceperunt, & ſe de aduerſarijs vindicare. 116.12

10. *Conuerte luctum noſtrum in gaudium vt viuentes laudemus nomen tuum Domine.* 567.3.

Et recordatus eſt Dominus populi ſui, ac miſertus hereditatis ſuæ. 206.1.73.3.

13. *Domine Domine rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati ſi decreueris ſaluare Iſrael.* 218.1.& 244.2.

Domine Deus rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, etc. 544.2.

Cuncta noſti, & ſcis, quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem, etc. ſed timui ne honorem Dei mei, &c. 249.3.

14. *Nos autem libera manu tua, & adiuua me, nullum aliud auxilium habentem, etc. & habes omnium ſcientiam, & noſti quia oderim gloriam iniquorum, &c. Deus ſortis ſuper omnes.* 249.3.

Domine qui habes omnium ſcientiam, & noſti quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorum, etc. 544.3.

Tu ſcis neceſſitatem meam, etc. quod nunquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum vſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus meus. 844.2.

Peccauimus in conſpectu tuo, & idcirco tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum, colutmus enim Deos eorum. 207.3.

Audiui à patre meo quod tu tuliſſes Iſrael de cunctis gentibus, & patres noſtros ex omnibus retro maioribus ſuis vt poſſideres hæreditatem ſempiternam, feciſtiq; eis ſicut locutus es. 461.8.

15. *Roſeo colore perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis triſtitiam celabat animum, & nimio terrore contractum.* 488.3.

Cumq; eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput, &c. conuertit Deus ſpiritum regis in manſuetudinem & feſtinus ac metuens exſiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam vinis ſuis donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur, &c. 446.7. 488.2.

Mauden in Tob.

Conuertitq; Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus, & metuens exiluit de ſolio: & ſuſtentans eam vinis ſuis, donec veniret ad ſe, &c. 72.5.

Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum pre timore gloriæ tuæ: valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum. 488.2.

Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum pre timore gloriæ tuæ. 498.10.

Ex Libro Iob.

Vir erat in terra hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex ac timens Deum, & recedens à malo. 497. 642 5.19.4.

Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent, & biberent cum eis. 125.3.3.4.

Cumq; in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos. Conſurgenſq; diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis. 52.8.

Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. 550.6.

Cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino. 385.7.

Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius vniuerſamq; ſubſtantiam eius per circuitum, operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra. 502.1.

Numquid Iob fruſtra timet Deum? Numquid tu vallaſti eum, ac domum eius? etc. Sed extende paululum manum tuam, & tange, etc. 194.5.

Irruerunt Sabæi tuleruntq; omnia. 754.13.

Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaſerunt camelos. 754.13.

Ignis cecidit de cælo, & tactas oues puerosq; conſumpſit, &c. Repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, &c. 590 9.

Ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt. 754 13. 463.1.

Dominus dedit, Dominus abſtulit. 662.1.

Sicut Domino placuit ita factum eſt. 215.6.

Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. 162 7.210 369.12 611.3.

In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt. 168.3.

Nec ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt. 231 6.

2. *Pellem pro pelle, & omnia quæcunq; poſſidet homo dabit pro anima ſua.* 371.14.

Veruntamen ſerua animam eius. 695.7.

Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo & morere. 391.10.

Item. 398.1.167.4.

Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. 398.1.205. 11.615.7 855.4.

Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala, &c. 204.7.

Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſcipiamus. 756.4.

3. *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.* 880.5.

Antequam comedo, ſuſpiro, & tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus.

Quare miſero data eſt lux, & vita his qui in amaritudine animæ ſunt? qui exſpectant mortem, & non venit quaſi effodientes Theſaurum gaudentq; vehementer cùm inuenerint ſepulchrum. 245.6.

4. *Ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* 269.5.

5. *Voca ergo ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere.* 35.2.

Nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo non oritur dolor. 157.4.

Stultum interficit iracundia. 96.5.

Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia prauorum diſſipat. 338.10.

Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum. 188.2.

Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipſe vulnerat, at & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt. 263.6.

Ipſe (Deus) vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt. 663.3.736.5.

In fame eruet te de morte, & bello de manu gladij, etc. in vaſtitate, & fame ridebis, etc. 342.7.

Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, & viſitans ſpeciem tuam non peccabis. 446.5.

Scies quoniam multiplex erit ſemen tuum: & progenies tua quaſi herba terræ. 447.10.

6. *Terrores Domini militant contra me.* 708.10.

Nunquid rugiet onager cùm habuerit herbam, etc. Aut poterit comedi inſulſum quod non eſt ſale conditum. 420.4.

Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. 146.2.

10.2. *Quis det vt veniat petitio, & quod exſpecto tribuat mihi Deus? & qui cœpit ipſe me conterat: ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me? Et hoc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus ſancti, etc. Quæ eſt enim fortitudo mea, &c.* 219.4.

Non fortitudo lapidum fortitudo, mea nec caro mea ænea eſt. 313.7.

Ecce non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me. 287.3.

Qui tollit ab amico ſuo miſericordiam, timorem Domini derelinquit. 287.3.

Qui timent prumam, cornet ſuper eos nix. 154.9.

Militia eſt vita hominis ſuper terram, &c. & ſicut mercenarij dies eius. 884.12.874.11.708.10

Etiamſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo ei, ſed iudicem meum deprecabor. 757.4.

Deus non proiicit ſimplicem, nec porriget manum malignis donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo. 371.15.

Etiamſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, 9. *ſed meum iudicem deprecabor.* 21.311.

Nam ſi iuſtificare me voluero os meum condemnabit me. ibid.

Deus cuius iræ nemo poteſt reſiſtere, & ſub quo curuantur, qui portant orbem. 745.3.

Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me ſi innocentem oſtendero, prauum me comprobabit etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. 757.4.

Dicã Deo, etc indica mihi cur me ita iudices. 514.2. 10.

Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduerſum me, & pœnæ militant in me. 754.13.

Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. 450.11.

Si ſubuerterit omnia vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei? 240.1. 11.

Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia: tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis: miſeriæ quoque obliuiſceris, & quaſi aquarum quæ præterierunt recordaberis. 766.14.695.8.

Si iniquitatem quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non manſerit, etc. tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis, &c. & habebis fiduciam propoſitã tibi ſpe. 248.1.

Qui deridetur ab amico ſicut ego, inuocabit Deum, 11. *& exaudiet eum: deridetur enim iuſti ſimplicitas.* 186.11.205.1.

Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum. 625.5.

Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi; & narrabunt piſces maris. 651.8.877.8.

In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. 12.1.

Nunquid faciem Dei accipitis, & pro Deo iudicare 13. *nitimini.* 223.5.

Etiamſi occiderit me in ipſo ſperabo. 665.9.

Veruntamen vias meas in conſpectu eius arguam, & ipſe erit ſaluator meus, etc. Verebar enim omnia opera mea ſciens quod non parceres delinquenti. 257.8.

Obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti. 28.8.

Homo natus de muliere breui viuens tempore. 14. 119.5.

Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt conſtituiſti terminos eius, qui prætereri non poterunt. 858.5.

Conſtituiſti terminos eius, qui prætereri non poterunt. 882.5.

Quis mihi hoc tribuat vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus, & con-

conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei. 206.1.

Cunctis diebus, quibus nunc militio, exſpecto donec veniat immutatio mea. 708.10.

Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus? 360 8.

15. *Quid eſt homo, vt immaculatus ſit? Et vt iuſtus appareat natus de muliere? Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu eius, quanto magis abominabilis, inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem.* 717.5.

Ladetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proijciens florem ſuum. 300.9.

Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. 685.6.

16. *Ecce enim in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* 679.1.

17. *Poſt tenebras ſpero lucem.* 135.5.

19. *Miſeremini mei miſeremini mei ſaltem vos amici mei.* 328.19.

Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. 216. 6. 744.3.

Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det vt exaretur in libro ſtylo ferreo & plumbi lamina vel celte ſculpantur in ſilice! Scio enim quod Redemptor meus viuit, etc. 2.4.

Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, etc. repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. 369.12. 716.13. 259.5. 181.4.

21. *Quare impij viuunt, ſublenati ſunt confortatiq; diuitijs?* 704.1.

Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. 709 13.

Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat. 280.11.

Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat. 680.2.

Nunquid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcauerunt viri iniqui: qui ſublati ſunt ante tempus ſuum, & fluuius ſubuertit fundamentum eorum. 861.14.

24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam. Elenati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent, & ſicut ſummitates ſpicarum conterentur.* 848.3.

27. *Viuit Dominus qui abſtulit iudicium meum, etc. quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis non loquentur labia mea iniquitatem nec lingua mea meditabitur mendacium.* 384.9.

Nunquid Deus audiet clamorem eius cum venerit ſuper eum anguſtia? aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare Deum omni tempore. 369.12.

Hæc eſt pars impij hominis apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente ſuſcipient, etc. AEdificauit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum. 191.5.

29. *Quis mihi tribuat vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat me.* 550.7.

In circuitu meo pueri mei. 379.2.

Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum. 286.1.

Pater eram pauperum, etc. 380.6.

Nunc deridebit me iuniores tempore quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. 222.3. 30.

Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium: Abominantur me, etc. 222.3.

Pharetram enim ſuam aperuit & afflixit me, & frænum poſuit in os meum. 232.6.

Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, etc. 90.1.

Frater fuit draconum, & ſocius ſtruthionum. 19.4.

Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine, etc. Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, etc. 380.7. 31.

Nunquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniuſtitiam. 309.7. *& hoc nefas eſt, & iniquitas maxima ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* 309.8.

Quam enim partem haberet in me Deus deſuper. 307.13.

Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat? 278.8.

Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum: ſcortum alterius ſit vxor mea, & ſuper illam incuruentur alij. 308.3.

Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea cum diſceptarent aduerſum me, etc. Numquid non in vtero fecit me qui & illum operatus eſt, & formauit me in vulua vnus? 311.2.

Si comedi buccellam ſolus, & non comedit ex ea pupillus, etc. quia ab infantia mea mecum creuit miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. 323. 10.

Quia ab infantia mea mecum creuit miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. 91.5. 12.1.

Si deſperi pereuntem eo quod non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem: ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt. 324.2. 91.5.

Si leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta ſuperiorem, etc. 288.5.

Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. 288.5.

Humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur. 51.7.

Si lætatus ſum ſuper multis diuitijs, etc. Si vidi ſolem cum fulgeret & lunam incedentem clarè: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum. 565 11.

Si gauiſus ſuero ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inueniſſet eum malum. 566.1.

Si non dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus

nibus eius vt ſaturemur? 578.3.
Foris non manſit peregrinus: oſtium meum viatori patuit. 480.1.
Si aduerſum me terra clamat, & cum ipſa ſulci eius deflent: ſi fructus eius comedi abſque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina. 318. 4.
32. *Sperabam quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam: ſed vt video, ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non ſunt longæui ſapientes, nec ſenes intelligunt iudicium.* 15.7.
Annorum multitudo doceret ſapientiam 13.1.
33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, vt annuntiet hominis æquitatem, miſerebitur eius.* 31. 2.
34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* 89. 6.
36. *Non te ſuperet ira vt aliquem opprimas, nec multitudo donorum inclinet te.* 684.6. 95.1.
In manibus abſcondit lucem, & annuntiat de ea amico ſuo. 718.9.
37. *Sta, & conſidera mirabilia Dei.* 543.1.
38. *Accinge ſicut vir lumbos tuos, interrogabo te & reſponde mihi. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam.* 437.11.
Vbi eras cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? 383.7.
Quis præparat coruo eſcam ſuam quando pulli eius clamant ad Deum vagantes eò quòd non habeant cibos? 414.2. 417.9. 344.11.
39. *Vnum locutus ſum quod vtinam non dixiſſem, & alterum quibus vltra non addam.* 437.11.
42. *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.* 497.6.
Iratus eſt furor meus, quoniam non eſtis locuti contra me rectum, ſicut ſeruus meus Iob, etc. Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia. 559.12.
Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non imputetur vobis ſtultitia. 36. 4. 551. 8.
Addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia, etc. 259.5.
Venerunt ad eum omnes fratres ſui, & vniuerſæ ſorores ſuæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius, etc. 670: 1.
Et dederunt ei vnuſquiſque ouem vnam, & inaurem auream vnam. 259.5.
Dominus autem benedixit nouiſſimis Iob magis quã principio eius. 551.7. 502.1.
Et mortuus eſt ſenex & plenus dierum. 466.6.

Ex Libro Pſalmorum.

1. *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum.* 623. 8.
Sed in lege Domini voluntas eius. 833.3.
Filius meus es tu. 499.11. 516.6. 2.
Filij hominum, etc. vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. 856.6. 4.
Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachymis meis ſtratum meum rigabo. 608.6. 6.
Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis: Perſequatur inimicus animam meam, etc. 174.6. 7.
Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem tuam, vt deſtruas inimicum, & vltorem. 10.5. 8.
Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis. 593 15.
Confitebor tibi Domine in toto corde meo. 111.6.
Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. 161.2. 9.
Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. 465.5 742.19.
Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius. 279.10.
Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam 699.10. 10.
Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. 698.18.
Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus. 20. 5. 11.
Diſperdet Dominus linguam magniloquam. 315.7.
Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me, Reſpice, & exaudi me Domine Deus meus. 206.1. 12.
Reſpice, & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, nequãdo dicat inimicus meus, Preualui aduerſus eum, qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero. 173.2.
Ibi trepidauerunt timore vbi non erat timor. 509.1. 511.6. 511.8. 13.
Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo. 509.2. 14.1.
Qui non egit dolum in lingua ſua. ibid. Ibid. 3.
Qui munera ſuper innocentem non accepit. 684.6.
Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos, &c. 839.3.
Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi. 563.6. 15.
Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. 155. 11.72.278 7.288.17 844.2.
Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. 258.1. 16.
Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. 356.1.
Sattabor cum apparuerit gloria tua. 120.4. 17.
Circumdederunt me dolores mortis, &c. dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. 742.18.

Iuſtitias eius non repuli à me. 839.1.

18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam à ſummo cælo egreſſio, & occurſus eius vſque ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* 885.13.

Lex Domini immaculata conuertens animas. 451.3.

Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis. 515.6.

Delicta quis intelligit. 124.10.

Ab occultis meis munda me Domine. 512.9.

21. *Deus meus vt quid dereliquiſti me.* 373.5.

In te proiectus ſum ex vtero de ventre matris meæ Deus meus es tu. 406.8.

Effuſus ſum ſicut aqua. 851.8.

Saua me ex ore leonis, vt enarrem nomen tuum. 405.8.

Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. 518.2.

22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* 68.4.

Parasti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. 721.8.

24. *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas, &c.* 337.5.

Dirige me in veritate tua, & doce me. 836.9.337.5.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. 207.2.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu. 206.1.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ſuum vt manifeſtetur eis. 718.8.

Oculi mei ſemper ad Dominum quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. 844 3.73.3.278.7.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. 612.5.

25. *Lauabo inter innocentes manus meas.* 596.2.

26. *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis.* 567.4.

Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. 360.6.668.2.

29.6. *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate Dei.* 740.9.

Ego dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. 706.6.

Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. 290.8.

30. *Miſerere mei Domine quoniam tribulor, &c. Factus ſum tanquam vas perditum, &c. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, &c. quoniam inuocaui te.* 245.5.

Ego in te ſperaui Domine, dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. 162.6.

In manibus tuis ſortes meæ. 619.3.

31. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus.* 560.13.

Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. 470.1.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. 564.2.

Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio 32.
769,3.

Cantate Domino canticum nouum, bene pſallite ei in vociferatione. 796.10.

Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum, &c. 330.10.

Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius: vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. 342.7.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus 33.
eius in ore meo. 748.1.846.10.169.1.

In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. 768.1.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. 768.1.748.1.

Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum. 345.12.758.4.

Oculi Domini ſuper iuſtos. 357.5.

Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. 341.5.

Vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. 74.7.

Diuites egerunt, & eſurierunt: timentes autem Dominum non minuentur omni bono. 341.5.

Multæ tribulationes iuſtorum. 705.4.707.9.

Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. 408.5.

Iudicia tua abyſſus multa. 273.2.148.4. 35.7.

Non veniat mihi pes ſuperbiæ, &c. ibi ceciderunt qui 36.
operantur iniquitatem. 313.6.

Spera in Domino, & bonitatem, & inhabita terram, & paſcere in diuitijs eius. 68. 340. 4. 542.5.

Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet, & educet quaſi lumen iuſtitiam, &c. 234. 4.610.11.

Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit quod veniet dies eius. 703.8

Iuſtus miſeretur, & commodat. 593.1.

Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, &c. cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. 404.3.

Non vidi iuſtum derelictum nec ſemen eius quærens panem. 342.8.

Declina à malo, & fac bonum. 646.7.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt 37.
pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. 212.6.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. 173.3.

Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt: & qui iuxta me erant, de longe ſteterunt.

Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens, etc. Quoniam in te ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. 234.4.

In

In te Domine ſperaui tu exaudies me Domine Deus meus. 549.6.

Ego in flagella paratus ſum, & dolor meus, in conſpectu meo ſemper: inimici autem mei viuunt. 742.19.

38. *Poſui ori meo cuſtodiam cùm conſiſteret peccator aduerſum me, obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* 229.1.

Poſui ori meo cuſtodiam cùm conſiſteret, &c concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. 237.1.

Obmutui, & ſilui à bonis cùm conſiſteret peccator aduerſum me. 381.2.

Vniuerſa vanitas omnis homo viuens, veruntamen in imagine pertranſit homo, &c. 378.7.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti [illegible] *amoue à me plagas tuas.* 239.7.

Item 240.1.663.2.

Exaudi Deus orationem meam, auribus percipe lachrymas meas. 517.7.

39.6. *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua.* 562.5.767.15.

In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. 838.15.217.10.

Circumdederunt me mala, quorum eſt non numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ. 754.13.

40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* 693.13.291.5. 298.4.594 3.

Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. 157.5.

Homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes, meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. 173.3.

41. *Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus?* 175.8.

43. *In inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis: non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me.* 566.13.

Exſurge quare obdormis. 373.5.

Speciоſus formâ præ filijs hominum. 485.1.

44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum, & domum patris tui.* 626. 2. 150.3.

Fundatur exultatione vniuerſa terra mons Sion. 771.1.

47. *Audiam quid loquatur in me Dominus quia loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* 269.4.

48. *In multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.* 314.7.

Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem. 741.13.

Sepulchra eorum domus illorum in æternum. 698.18.

Confitebitur tibi cùm benefeceris ei. 846.11.194.5. 172.8.

Immola Deo ſacrificium laudis. 567.4. 49.

Inuoca me in die tribulationis honorificabis me, & exaudiam te. 234.4.

Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum. 769.3.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. 242.4. 50.

Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. 259.5.

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. 646.6.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. 567.4.

Cor contritum, & humiliatum non deſpicies. 567.4.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ. 567.4.

Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent: confuſi ſunt quoniam Deus ſpreuit eos. 892.3. 52.

Deus in nomine tuo ſaluum me fac. 122.4. 54.8.

Elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. 269.5.

Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, &c. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus: qui ſimul, mecũ dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. 174.3.

Viri ſanguinum, & dolоſi non dimidiabunt dies ſuos. 466.6.861.14.

In Deo ſperaui: non timebo quid faciat mihi caro. 405.6. 55.

In me ſunt Deus vota tua: quæ reddam, laudationes tibi. 647.9.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. 534 2. 56.

In terra iniuſtitias manus veſtræ concinnant. 101.7. 57.

Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit? Tu Domine derideбis eos, &c. 183 2. 58.

Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus. 857.7. 59.6.

In terra deſerta, inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. 270.5. 62.

Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & pſallite. 770.6. 65.

Pſallite Domino in cithara, & voce pſalmi, in tubis ductilibus, & in voce tubæ cornеæ. 770.6.

Currus Dei decem millibus multiplex. 762.3. 67.8.

Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuenculorum tympaniſtriarum. 251.2.

Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, &c. ego autem orationem meam ad te Domine, &c. 235.4. 68.

Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inueni. 91.4.

Obſcurentur oculi eorum ne videant. 337.4.

Ego autem ſemper ſperabo, & adiciam ſuper omnem laudem tuam. 665.9. 70.

Ne proijcias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. 874. 1. 877.10.

71.9. *Coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent.* 715.1.

72. *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in celum os suum, & lingua eorum transiuit in terra, &c. & dixerunt: quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* 279 10.

Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei. 256.4.

Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram. 720.5.

Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum? 720.4.

Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. 181.4.

73. *Vt quid Deus repulisti in finem. Iratus est furor tuus super oues pascuæ, &c.* 373.5.

Pauper, & inops laudabunt nomen tuum. 499.12.

74.4. *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.* 805.6.

75. *Iusti epulentur, & exsultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* 601.7.

76. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei: & delectatus sum.* 616.1.

Memor fui Dei, & delectatus sum. 844.2.73.2.

Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet vt complacitior sit adhuc? &c. 241.3.

Vox tonitrui in rota. 762.3.

77.2. *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* 344 10.416.7.

Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei adscendit super eos, & occidit pingues eorum. 610.5.

Cùm occideret eos quærebant eum, & reuertebantur. 327.13.

Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum. & non disperdet eos, &c. & abundauit vt auerteret iram, & non accendit omnem iram suam & recordatus est quia caro sunt. 265.4.

Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem. & iram, & tribulationem immissiones per angelos malos. 458.3.

Eligit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, &c. pascere Iacob seruum suum, &c. 585.2.

Posuerunt mortuorum seruorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.

Cibabis pane lachrymarum. 146.1.

79. *Non audiuit populus meus vocem meam, & Israel*
80. *non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* 261.3.778.12

Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibant in adinuentionibus suis. 262.4.

81. *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.* 36.7.

Venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltra. 89.3. 82.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. 708.11. 83.

Dirige me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. 57.3. 85.

Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. 771.1. 86.

Sicut lætantium omnium habitatio est in te. ibid.

Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in vmbra mortis. 742.18. 87.

Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præterijt. 735.9. 89.

Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat.

Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor: 857.1.866.1.

Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione 90.
Dei cæli commorabitur, &c. Susceptor meus es tu & sperabo in eum. 357.4.

Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. 404.3.

Angelis Deus mandauit de te vt custodiant in te omnibus vijs tuis. 357.2 & 5.

Angelis suis mandauit de te, &c. in manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum. 407.5.

Longitudine dierum replebo eum, &c. 858.3.

Dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus 93.
Iacob. 280.11.

Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? &c. 280.11.

Nisi quia Dominus adiuuit me paulò minus habitasset in inferno anima mea 742.18.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. 365.5.

Deus tu propitius fuisti eis, & vltiscens in omnes ad- 98.
inuentiones eorum. 264.7.6033.

Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non dixerit in conspectu oculorum meorum. 630.11. 100.

Non habitabit in medio domus qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, &c. 355.3.315.8.

Cinerem tanquam panem manducabam, & potum 101.
meum cum fletu miscebam. 146.2.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum. 466.6. 101.

Benedic anima mea Domino, &c. qui propitiatur 102.
omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. 803.11.

Secundum altitudinem cæli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se. 802.11.

Pulvis sumus, homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri efflorebit, & non subsistet, & non cognoscet locum suum amplius. 723.3.

Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum. 515.5.

Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum

uum super timentes eum: & iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius, & memores sunt mandatorum eius ad faciendum ea. 68.3.

In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino. 29.1.

103. *Vt educas panem de terra, & panis cor hominis confirmet.* 145.1.

Vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet. 529.4.

Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. 529.4.

Qui respicit terram, & facit eam tremere. 805.6.

104. *Pertransierunt de gente in gentem, etc.* 120.2.

Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph. 749.3. 42.5.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum misit rex, & soluit eum princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. 749.3.

Et intrauit Israel in AEgyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham. 749.3.

Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius. 88.2.

Eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus. 669.6.

105. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* 655.13.

Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt averteret iram eius ne disperderet eos. 208.4.

Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei ad iustitiam. 256.7.

Commisti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum, etc. & factum est illis in scandalum. 270.6. 50.5.

Dedit eos in misericordiam in conspectu omnium qui ceperant eos. 72.6.

106. *Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* 138.13.

Misit verbum suum, & sanauit eos. 615.12.

Posuit terram fructiferam in salsuginem à malitia, etc. 422.7.

Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem à malitia

107. *inhabitantium in ea.* 341.6. 774.5.

Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. 129.6.

108. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* 505.7.

Deus laudem meam ne tacueris quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. 498.8.

Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. 234.4.

Nutantes transferantur filij eius, & mendicent.

110. 228.10.

111. *Initium sapientiæ timor Domini.* 68.4.

Iucundus homo qui miseretur, & commodat, etc. 85.2.

In memoria æterna erit iustus. 891.9.

Dispersit, dedit pauperibus iustitia eius manet in sæculum sæculi, etc. 693.13. 843.11.

112. *Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* 623.7.

113. *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* 562.3.

Da gloriam nomini tuo, ne dicant gentes, Vbi est Deus eorum. 562.2.

Deus noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit. 273.3.

114. *Tribulationem & dolorem inueni, etc.* 236.5.

Pericula inferni inuenerunt me. 742.18.

115. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* 682.8.

117. *Non moriar, sed viuam; & narrabo opera Domini. Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* 242.3.

118. *Beati qui scrutantur testimonia eius in toto corde exquirunt eum.* 843.3.

Tunc non confundar cum perspexero in mandatis tuis. 840.5.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. 874.11.

Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam. 685.8.

Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. 736.2. 237.1.

Defecit in salutare tuum anima mea, etc. defecerunt oculi mei in eloquium tuum, etc. 584.6.

Omnia mandata tua veritas. 57.3.

Iurani, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. 9.159.

Humiliatus sum vsquequaque Domine. 159.9.

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem. 544.4.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. 149.1.

Confige timore tuo carnes meas à iudicijs enim tuis timui. 544.3.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. 515.6.

Redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua. 245.5.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. 337.5.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, etc. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt, verba tua inimici mei. 607.5.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. 210.3.

Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. 191.4.

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. 515.6.

Pax multa diligentibus legem tuam. 364.7.

Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer, etc. Seruaui mandata tua, & testimonia tua. etc. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, etc. 549.6.

Seruaui mandata tua, & testimonia tua quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. 276.4. 844.2.

Fiat manus tua vt saluet me quoniam mandata tua

elegi

tiegi. 744.2.

119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* 236.5.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, etc. 383.9. 466.6.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar : multùm incola fuit anima mea. 219.4.

Habitaui cum habitantibus Cedar. 889.3.

120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi : auxilium meum à Domino.* 663. 2. 240.1.

123. 8. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* 123.8.

124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* 75.8.

125. *Tunc dicent in gentes : Magnificauit Dominus facere cum eis.* 499.13.

Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua : venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. 157.6.

Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. 708.11.

126. *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat, etc.* 621 6.

Sicut ſagittæ in manu potentis ita filij excuſſorum. 379.2.

127. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut nouella olivarum, etc.* 307.1. 630.13. 448.10.

Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut nouella olivarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. 525.8. 389.8.

Filij tui ſicut nouella olivarum in circuitu menſa tua, & videas filios filiorum tuorum, &c. 452. 6.

Benedicat tibi Dominus. 362.2.

129. *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit.* 214.

130. *Domine non eſt exaltatum cor meum, etc. Si non humiliter ſentiebam, etc. ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, etc. ita retributio in anima mea.* 312. 2.

133. *Ecce nunc benedicite Dominum, Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* 768.2.

134. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra.* 214.3.

135. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.* 682.8.

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea, etc. 176.9.

136. *Si oblitus fuero tui Ieruſalem obliuioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ. Memor eſto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem.* 279.9.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui : ſi non propoſuero Ieruſalem, in principio lætitiæ meæ. 790.4.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo; elevatio manuum mearum, ſacrificium veſpertinum. 567.4. 702.6. 140.

Cum hominibus operantibus iniquitatem : & non communicabo cum electis eorum. 20.5.

Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio. 234.4. 141.

Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. 73 2. 144.

Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. 242. 4.

Oculi omnium in te ſperant Domine : aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. 5:8.3.

Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, etc. 242. 5.

Deus voluntatem timentium ſe faciet & deprecationem eorum exaudiet & ſaluos faciet eos. 418.11. 695.8. 840.3.

Nolite confidere in principibus, in filijs hominum in quibus non eſt ſalus. 107.16. 604. 4. 145.

Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius ſpes eius in Domino Deo ipſius. 604.4.

Beatus vir cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius, etc. 120.2.

Dominus cuſtodit aduenam, pupillum & viduam ſuſcipiet. 122.4.

Et pullis corvorum inuocantibus eum. 414.2. 417.9. 146.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. 314.7.

Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis: laudate eum omnes Angeli eius. 768.1. 148.

Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. 499.13. 149.

Ex Libro Proverbiorum.

Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret : Ego quoque in interitu veſtro ridebo. 137.9.

Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis : ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit. 186 8.

Fili mi ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea, inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam. 139. 3. 2.

Conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris à via mala, & ab homine quiperuerſa loquitur, etc. vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea quæ mollit ſermones ſuos. 331.2.

Lætantur cùm malefecerint, & exſultant in rebus peſſimis. 853.14.

Fili mi ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat : longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. 858.3. 3.

Miſericordia, & veritas te non deſerant; circunda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo, & hominibus. 294.2.
Ne imitaris prudentiæ tuæ. 331.2. *item* 335.11.
Ne ſis ſapiens apud temetipſum. 335.12.
Diſciplinam Domini fili mi ne deſpicias, nec deficias, cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. 263.6.
Beatus vir qui inuenit ſapientiam, & affluis prudentia. melior eſt acquiſitio eius, etc. 139.2.
Ne dicas amico, Vade, & reuertere, cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare. 318.3.
Abominatio enim Domini, omnis illuſor: & cum ſimplicibus ſermocinatio eius. 619.1. 184.4.
Cum ſimplicibus ſermocinatio eius. 716.8.
4. *Suſcipe verba mea vt multiplicentur tibi anni vitæ.* 858.3.
Semita iuſtorum quaſi lux ſplendens, quæ procedit, & creſcit vſque in perfectum diem. 807. 4. 809.8. 149.1.
Fili mi, attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, &c. Ne attendas fallaciæ mulieris fauus: enim diſtillans labia meretricis, & nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei, &c. 301.1.
Fauus diſtillans labia meretricis, nitidius oleo guttur eius, nouiſſima autem illius amara quaſi abſinthium, &c. 301.3.
Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. 304.6.
Ne forte impleantur extranei viribus tuis & labores tui ſint in domo aliena. 304.7.
Et gemas in nouiſſimis quando conſumpſeris carnes tuas & corpus tuum, & dicas: Cur deteſtatus ſum diſciplinam, &c. 307.14. & 335.11.
Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magiſtris non inclinaui aurem meam? 870 8.
Bibe aquam de ciſterna tua, & fluentam putei tui. 307.1. 541.2.
Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. 587.4.
Cerua charisſima, & gratisſimus hinnulus. 399.4.
Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur, &c. 109.9.
6. *Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, &c. Fac ergo quod dico tibi fili mi, & temetipſum libera, &c.* 86.3.
Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo vt veſtimenta illius non ardeant; aut ambulare ſuper prunas, vt nõ cõburantur plantæ eius. 551.10
Vade ad formicam ô piger. 401.3.
Homo apoſtata, vir inutilis graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. 395.9.
Sex ſunt quæ odit Dominus, &c. manus effundentes innoxium ſanguinem, &c. 831.10. 311.2
Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, &c. 198.7. 7.
Non eſt enim vir in domo ſua: abiit via longiſſima. 279.11.
Via inferi domus eius. 742.17.
Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. 332.3. 8.
Per me reges regnant. 89.6.
Per me reges regnant, & legum conditores, &c. 224.10.
Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mania ciuitatis. Si quis eſt paruulus, veniat ad me. 814.8. 9.
Non affliget Dominus animam iuſti. 343.10. 10.
Benedictio Domini ſuper caput iuſti: os autem impiorum operit iniquitas. 504.7.
Memoria iuſti cum laudibus. 891.9.
Qui profert contumeliam, inſipiens eſt. 787.11.
Timor Domini apponit dies, anni impiorum abbreuiabuntur. 858.3.
Anni impiorum ab breuiabuntur. 861.14.
Statera doloſa abominatio eſt apud Deum. Ibidem. 11.
Abominabile Domino cor prauum, &c. 51.4.
Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana. 688.9.
Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo, qui autem cauet laqueos, ſecurus erit. 86.3.
Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra, & fatua. 450.16.
Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Anima quæ benedicit impinguabitur, & qui inebriat ipſe quoque inebriabitur. 294.3.
Anima quæ benedicit impinguabitur. 241. 2.
Qui abſcondit frumenta maledicetur; benedictio autem ſuper caput vendentium. 691.9.
Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius, & peccator. 709.13.
Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, viſcera 12. *impiorum crudelia.* 286.1. 574.10.
Via ſtulti recta in oculis eius: qui autem ſapiens eſt audit conſilia. 331.2.
Non contriſtabit iuſtum quidquid illi acciderit. 611. 2. 858.4. 364.1. 368.10. 369.12.
Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo. 167.3. 213.10.
Abominatio Domino labia mendacia, qui autem fideliter agunt placent ei. 385.11.
Filius ſapiens doctrina patris. 596.2.
Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: qui autem agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapienter. 331.3.
Spes quæ differtur affligit animam. 32.8.
Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur. 22.9.
Vult, & non vult piger. 361.8.
Qui cum ſapientibus graditur ſapiens erit. 596.2.
Qui miſeretur pauperis beatus erit. 693.13.
Qui calumniatur egenũ exprobrat factori ſuo. 287.4.
Iuſtitia elenat gentes, & iuſtitia firmatur ſolium, etc. Melius eſt parum cum iuſtitia, quàm multi fructus

Eius cum iniquitate. 840.3.

15. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.* 176.6

Os fatuorum ebullit stultitiam. 334.9.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos. 277.6.

Item 281.13. *Item* 284.17.

Abominatio est Domino via impij, qui sequitur iniustitiam, diligitur ab eo. 840.4.

Qui increpationes odit, morietur. 638.9.

Qui sequitur iustitiam diligitur ab eo. 840.3.

Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes gradietur. 639.9.

Secura mens quasi iuge conuiuium. 249.5.534.3.

Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam, qui autem ad munera viuet. 685.8.

Lux oculorum latificat animam. 666.5.

16.2. *Omnes viæ hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.* 278.6.

Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius, &c. Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. 339.10.

Abominatio Domini est omnis arrogans. 311.2.315.8.

Misericordia, & veritate redimitur iniquitas. 298.2.

Cùm placuerint Domino viæ hominis inimicos, quoque eius conuertet ad pacem. 75.8.777.8.

Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus. 315.8.

Doctrina stultorum fatuitas. 334.9.

Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo expugnatore vrbium. 232.7.

Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. 162.6.

17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterq; apud Deum.* 514.

Stultus homo plaudet manibus cum spoponderit pro amico suo. 86.3.

Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit. 314.7.

Qui meditatur discordias, diligit rixas, & conuitia denudabit. 688.9.

Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. 488.1.

Oculi stultorum in finibus terræ. 488.1.

18. *Qui mollis est ac dissolutus in opere suo, frater est operis dissipantis.* 138.13.

Qui despicit deprecantem sustinebit penuriam. 288.4.

Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino. 442.2.

19. *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens.* 442.2.161.4.

Audi consilium, & suscipe disciplinam vt sis sapiens in nouissimis tuis. 331.2.

Parata sunt derisoribus iudicia, & malleis percutientes stultorum corporibus. 183.2.

20. *Virum autem fidelem quis inueniet?* 354.1.

Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris. 879.3.

Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. 138.12.

Ne dicas reddam malum, expecta Dominum, & liberabit te. 322.9.

Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu 21.
Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. 72.5

Cor regis in manu Domini quocunq; voluerit inclinabit illud. 488.2.

Qui sequitur iustitiam, & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam. 693.13.

Melius est nomẽ bonum quàm diuitiæ multæ: super argentum enim, & aurum est gratia bona. 553.1. 22.

Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, cùm senuerit, non recedet ab ea. 49.5.

Qui diligit cordis munditiem, habebit amicum Regem. 69 5.

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. 329.1.

Noli esse cum his qui defigunt manum, & qui vades se offerunt pro debitis. 86.3.

Vidisti virum velocem in opere suo coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. 136.7.

Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter 23.
attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, &c. 600.7.

Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius, &c. 329.1.

Ne attingas parunlorum terminos, & agros pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis est, ipse iudicabit contra te causam illorum. 320.4.669.5.

Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. 329.1.125 6.

Præbe mihi fili mi cor tuum. 766 14.

Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, ne- 24.
que vastes requiem eius. 424.2.458.2.833.1.

Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius: septies enim in die cadet iustus, & resurget. 703.8.

Iustus septies in die cadit, & resurgit. 603.2.53.1.

Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas in ruina eius ne exultet cor tuum; ne forte videat Dominus, & displiceat ei. 566.2.

Misericordia, & veritas præparant bona. 298.4.

Ne dicas quomodo fecit mihi sic faciam ei. 322.9.

Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum inue- 25.1.
stigare sermonem. 687.7.

Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extranei ne reuelet. 689.11.

Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa, & iracunda. 197.4.

Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. 434.4.

Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium. 184.

Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum in quem-

piam superuenies. 227.8.

Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis, &c. Responde stulto iuxta stultitiam, ne sibi sapiens esse videatur. 421.6.

Os lubricum operatur ruinas. 184.3.

27. Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua. 313.7.

Melior est vicinus iuxta, quàm frater procul. 30.4

28. Iustus quasi Leo confidens absque terrore erit. 248.1. 122.5.

Qui declinat aurem à Dei lege, oratio eius fiet execrabilis. 696.9.

Beatus vir qui semper est pauidus. 756.2.

Vir fidelis multum laudabitur; qui autem festinat ditari, non erit innocens. 138.12.

Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. 576.14.684.5.

29. Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecantem sustinebit penuriam. 296.5.

Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superuenit interitus. 638.9.

Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. 316.12.

30. Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar: vanitatem, & verba mendacij longè fac à me. 385.11.

Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? 624.2.

Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant illum filij aquilæ. 863. 17. 879.3.

Oculum, &c. qui despicit partum matris suæ effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. 275.9.

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adolescentia. 11.1.

Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Per seruum cùm regnauerit, &c. 222.4.

Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe populum sibi. 417.9.

Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebat occursum. 122.5.

31. Quid dilecte mi, quid dilecte veteris mei, quid dilecte votorum meorum? Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & diuitias tuas ad delendos reges, &c. 179.6.

Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo. 325.5.

Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum, &c. Stragulatam vestem fecit sibi. 189.4.

Considerauit semitas domus suæ, &c. 557.7.

Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. 630.12.

Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Deum ipsa laudabitur. 448.14.

Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Eccl. 1.4. 735.9.

Cuncta res difficiles non potest eas homo explicare sermone. 592.15.

Risum reputaui errorem, & gaudio, quid frustra deciperis? 2. 616.1.

Omnia quæ desiderarunt oculi mei non negaui eis: nec prohibui cor meum quin, &c. & hanc ratus sum partem meam. 143.11.

Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam deuitaremq; stultitiam donec viderem, quid esset vtile filijs hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. 415.5.66.9.

Cognoui quod non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua. 3. 770.6.

Laudaui magis mortuos quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. 4. 246.6.

Nec temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo: Deus enim in cælo, & tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui. 5. 267.1.

Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. 314.7.

Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaq; careat de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortiuus. 133.6.

Quid necesse est homini maiora se quærere cum ignoret, quid conducat sibi in vita sua numero dierum 7.1. peregrinationis suæ, & tempore quod velut vmbra præterit? aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sole sit? 433.1.

Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. 128.4.

Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. 615.7.

Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. 95.1.

Calumnia perturbat sapientem, & perdit robur cordis illius. 245.3.

Considera opera Domini quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit. 868.5.

In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue: sicut enim hanc, sic, & illam fecit Deus vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias. 395.9.

Ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. 7.18. 861.14.

Iustus perit in iustitia sua. 469.11.

Virum de mille vnum reperi. 43.5.

Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit. 8. 488.2.

Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. 9. 757.4.

Nescit homo an odio an amore dignus sit. 207.2.

Vade, & comede in lætitia panem tuum. & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. 515.5.

Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare. 699.20.

Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. 885.12.

9. *Vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortiũ bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumq; in omnibus.* 215.4.620.4.314.7.

20. *In via stultum ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* 451.2.

Labia insipientis præcipitabunt eum. 225.1.

Væ tibi terra cuius rex puer est. 89.7.

Væ tibi terra cuius rex puer est, & cuius Principes mane comedunt. 17.5.& 18.6.

In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. 307.13.

11. *Mitte panem tuum super trãseuntes aquas; quia post tempora multa inuenies illum.* 295.5.

Dulce lumen, & delectabile est oculis, videre solem. 666.5.

12. *Quando mouebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosi erunt molentes in minuto nostro.* 650.5.

Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo. 68.4.43.6.49.4.345.14.

Ex Cantico Canticorum.

1. *Nolite me considerare quòd fusca sum, quia decoloranit me sol. Filij matris meæ pugnauerunt aduersus me: posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* 177.1.

Dum esset rex in accubitu suo, &c. 710.10.

2. *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi.* 523.5.

Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis neque euigilare faciatis, &c. 584.4.

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, formosa mea, & veni. 135 5.

Capite nobis vulpes parulas, quæ demoliuntur vineas, nam vineæ nostræ floruit. 53.2.& 4.

Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. 445.5.

Dilectus meus mihi, & ego illi. 628.6.

3. *Quæ est ista quæ adscendit per desertum.* 531.8.

4. *Turris Dauid collum, tuum quæ ædificata est cum propugnaculis.* 814.8.

Veni de libano sponsa mea: veni de libano: veni coronaberis. 531.8.

5. *Expoliaui me tunica mea; quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo coinquinabo illos?* 821.10.

Adiuro vos filiæ Ierusalem si inueneritis dilectum meum vt nuntietis ei, &c. 584.8.

6. *Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Ierusalem.* 772.1.

Decora sicut Ierusalem. 772.1.

Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt. 437.10.

7. *Vẽter tuus sicut acerus tritici vallatus liliis.* 448.10.

8. *Quæ est ista quæ adscendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum.* 511.8.

Fortis est vt mors, dilectio; & aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam. 628.6.

Ex Libro Sapientiæ.

1. *Diligite iustitiam qui iudicatis terram.* 839.2.

In maleuolam animam non introibit sapientia; nec habitabit in corpore subdito peccatis. 303.5.

Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest. 268.7.

Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum; quoniam Deus mortem non fecit nec lætatur in perditione viuorum. 264.1.

Et nescierunt sacramenta Dei neque mercedem speraverunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum. 686.1. 1.11.

Deus creauit hominem inexterminabilem. 464.4.

3. *Illi autem sunt in pace.* 810.9.861.12.

In paucis vexati: in multis disponentur: quoniam deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se, &c. & in tempore erit respectus eorum. 806.10. 705.4.

Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se. 707.8.

Fulgebunt iusti, & quasi scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt dominationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. 733.4.

Qui confidunt in illo intelligent veritatem. 358.5.

4. *Ex iniquis omnes qui nascuntur testes sunt nequitiæ aduersus parentes, in interrogatione sua.* 496.4.

Iustus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. 885.12.

Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata, &c. 15.5.& 16.7.

Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. 871.3.861.13.

Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. 883.9.

5.8 *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* 317.15.

Consummatus in breui expleuit tempora multa placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum, &c. 861.13.

Cogitatio illorum apud Altiſſimum. 658.20.

Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. 709.13.

6. *Malignitas euertet ſedes potentium.* 117.1.118.4.

Melior eſt ſapientia, quàm vires, & vir prudens quàm fortis. 141.7.

Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. 161.1.

Quid eſt autem ſapientia aut quemadmodum facta ſit referam, & non abſcondam vobis ſacramenta Dei. 686.1.

7. *Præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi, nec comparaui illi lapidem pretioſum, &c. venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, &c Et lætatus ſum in omnibus quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabã quoniam omnium bonorum mater eſt.* 342.8.68.4.

Super ſalutem, & omnem pulchritudinem dilexi ſapientiam. 575.12.

Lætatus ſum in omnibus quoniam antecedat me iſta ſapientia. 534.3.

Sine fictione didici, & ſine inuidia communico. 411.2.

Ipſe dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram: vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, &c. 411.2.

Vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſyncera, &c. 303.5.

8. *Attingit ergo à fine vſque ad finem, & diſponit omnia ſuauiter.* 416.7.

Quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia. 342.8.

Et ſi iuſtitiam quis diligit labores huius magnos habent virtutis; ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. 839.1.

Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. 808.5

9.4. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, &c.* 337.6.

Cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ. 337.5.

Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. 331.1.

10. *Hæc (ſapientia) iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, &c. Hæc venditum iuſtum non dereliquit, &c. donec afferret illi, &c.* 337.7.

Deſcendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. 560.12.

Reddidit Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum, &c. 319.5.

11. *Per quæ quis peccat per hæc, & torquetur.* 444.7. 516.

12. *Miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, vt illos paulatim exterminarent,* 315.10.

Acerbo luctu dolens pater citò ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat nunc tanquam Deum colere cepit. 392.5.

14. *Acerbo luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cepit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia.* 617.5.

Neque verba, neque malagma ſanauit; ſed tuus Domine ſeruo, qui ſanat omnia. 655.12. 16.12.

17. *Magica artis appoſitis erant deriſus, & ſapientia gloria cum contumelia, &c.* 430.7.

Ex Libro Eccleſiaſti.

Fili ne acceſſeris ad Dominum duplici corde. 345.13. 1.

2. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* 705.4.

Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum homines verò receptibiles in camino tribulationis. 706.6.747.7.

Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo, & ſuſtine. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, &c. 665.8.

Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. 711.6.

Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. 123.8.

Quis permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt. 142.5.

Protector eſt Deus omnibus exquirentibus ſe in veritate. 832.5.

Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei. 515.5.

3. *Filij ſapientiæ Eccleſiæ iuſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio: iudicium patris audite filij, & ſic facite vt ſalui ſitis.* 346.2.

Deus, &c. iudicium matris exquirens firmauit in filios. 275.9.

Sicut qui theſaurizat ita, & qui honorificat matrem ſuam. ibid.

Maledictio matris eradicat fundamenta. 275.9.

Qui honorat patrem iucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur. 351.9.

Qui obedit patri refrigerabit matrem. 275.9.

In opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo manebit. 389.9.

Benedictio patris firmat domos filiorum. 389.8.

Fili ſuſcipe ſenectam patris tui. 875.2.

Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius; & ſi defecerit ſenex veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua. 876.8.

Fili mi in manſuetudine operare tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris. 579.4.

Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. 316 12.579.4

Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. 433.4.440.14.833.3.

Non eſt tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis. 426.8.434.4.

Quæ præcepit Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. 424.4.

Qui amat periculum peribit in illo. 381.8. 354.12.

In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter. 426.8. 433.1.

Deus proſpector eſt eius qui reddit gratiam meminit eius in poſterum, & in tempore caſus ſui inuenit firmamentum. 295.5. 858.4.

Sicut aqua exſtinguit ignem ita eleemoſyna exſtinguit peccatum. 297.1.

9. *Fili eleemoſynam pauperis non defraudes, & oculos tuos ne tranſuertas à paupere.* 387.3.

Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopia ſua. 287.4.

Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti. 318.3.

Rogationem contribulati ne abijcias, & ne auertas faciem tuam ab egeno. 287.3.

Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram: & non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine anima exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum qui fecit eum. 288.4.

Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. 874.11. 840.3.

5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* 756.2.

Non te extollas in cogitatione tua velut taurus: & elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo. 315.11.

Conſiliarius ſit tibi vnus de mille. 332.4.

Eſt amicus qui conuertitur ad inimicitiam, & eſt amicus qui odium, & rixam, & conuitia denudabit. 689.9.

Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. etc. Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis. 671.5.

Si videris inſipientem euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius extrahet pes tuus. 596.2.

7. *Noli facere mala, & non te apprehendent, diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te.* 24.4.

Noli quærere fieri iudex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates. 42 3.

Ne irrideas hominem in amaritudine animæ ſuæ: eſt enim qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus. 183.1.

Non iteres verbum in oratione tua. 267.1.

Non ladas ſeruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam. 319.5.

Filiæ tibi ſunt ſerua corpus earum, & ne oſtendas hilarem faciem tuam ad illas. 456.14.

Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam. ibid.

Et pauperi porrige manum tuam vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua, etc. Gratia dati in conſpectu omnis viuentis, & mortuo ne prohibeas gratiam. 315.6.

Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. 325.5. 125.2. 90.1.

Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. 463.11. 142.9.

Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Nec glorieris in craſtino ignorans quid ſuperuentura pariat dies. 378.8.

Multos enim perdidit aurum, & argentum. 685.8. 8.2.

Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum, etc. 289.6.

Noli de mortuo inimico tuo gaudere ſciens quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire. 566.1.

Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas, in deſertum. 329.2.

Cum ſatuo conſilium non habeas: non enim poterunt diligere niſi qui eis placent. 332. 4. item 333. 8.

Viri iuſti ſint tibi conuiua, & in timore Dei, ſit tibi 9.
gloriatio. 601.7. 125.6.

Secundum iudicem populi ſic & miniſtri eius, & 10.
qualis rector eſt ciuitatis tales inhabitantes in ea. 352.10.

In manu Domini proſperitas hominis, & ſuper faciē ſcribæ imponet honorem ſuum. 620.3. 488.2.

Odibilis coram Deo, & hominibus ſuperbia, 311.2.

Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. 118.4.

Quid ſuperbit terra, & cinis. 360.8.

Omnis potentatus vita breuis. Languor prolixior grauat medicum Breuem languorem præcidit medicus: ſic & rex hodie eſt, & cras morietur. 19.5.

Initium ſuperbiæ homines apoſtatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum receſſit cor eius, etc. quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia. 312.4.

Initium omnis peccati eſt ſuperbia. 315.8.

Qui tenuerit eam adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. 316.11.

Radicem gentium ſuperborum arefecit Deus. 316.11.

Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu. 316.11.

Semen hominum honorabitur hoc quod timet Deum. 515.5.

Vir prudens, & diſciplinatus, non murmurat correptus. 167.3.

Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & 11.1
tanto magis non abundabit. Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Et oculus Dei, etc. 619.3.

Bona, & mala vita, & mors paupertas, & honeſtas à Deo ſunt. 138.3. item 239.6. 444.7. 620.3. 736.2. 164.11.

Ante mortem ne laudes hominem quenquam quoniam in filiis ſuis agnoſcitur vir. 495.1. 496.4. 813.3.

Attende à peſtifero ſabricat enim mala ne forte inducat

ducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum. 301. 1.

13. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea. 889.3.
Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. 20.5.
Qui communicauerit ſuperbo induet ſuperbiam. 354 1.
Diues iniuſtè egit, & fremet; pauper autem laſus tacebit. 319.6.
Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi iungetur, & omnis homo ſimilis ſibi ſociabitur. 486. 1.
Cor hominis immutat faciem illius, ſiue in bona, ſiue in mala. 488.1.
Veſtigium cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies, & cum labore. 488.2.
15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. 769.3.
16. Melior eſt vnus timens Deum, quàm mille filij impij. 22. 10.
Melior eſt vnus timens Deum, quàm multi filij impij. Et ab vno inſenſato inhabitabitur patria, tribus impiorum deſeretur. 693.3.
Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum, & ſecundum intellectum peregrinationis ipſius. 299.6.
Non dicas à Deo abſcondar, & in ſummo quis mei memorabitur. 280.11.
18. Fili in bonis ne des querelam, etc. 289.6.
Nonne ardorem refrigerabit ros, ſicq; verbum melius quam datum, nonne verbum ſuper datum bonum ſed vtraque cum homine iuſtificato. 289.6.
Ante iudicium para iuſtitiam tibi. 839.3.
Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari: quoniam merces Dei manet in æternum. 182.7.
Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. 856.8. 51.3.
19.2. Vinum, & mulieres faciunt apoſtatare ſapientes. 473. 7.
Qui ſpernit modica, paulatim decidet: 53.2.
Qui citò credit leuis eſt corde. 381.8.
Audiſti verbum aduerſus proximum tuum, commoriatur in te ſidens, quoniam non te diſrumpet. 461.9.
A facie verbi, parturit fatuus, quaſi gemitum partus infantis. 688.9.
Sagitta infixa in femore carnis, ſic verbum in corde ſtulti. 688.9.
Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & egreſſus hominis enuntiant de illo. 488.1.
20.32. Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus quæ vtilitas in vtriſque. 294.1.
Quaſi à facie colubri fuge peccata, & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quaſi romphæa bis acuta, omnis iniquitas, plaga illius non eſt ſanitas. 53.8.
21. Qui adificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides in hyeme. 191.5.
Non eſt ſenſus vbi eſt amaritudo, 321.7.
Verbum Sapiens quodcumq; audierit ſtulti, laudabit, & ad ſe adijciet: audiuit luxurioſus & diſplicebit illi, & proijciet illud poſt dorſum ſuum. 472.5.
Verbum ſapiens audiuit luxurioſus, & diſplicebit illi, & proijciet illud poſt tergum ſuum. 303.4.
Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam. 226.3.
Sicut pali in excelſis, & cæmenta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt: ſic & cor timidum in cogitatione ſtulti contra impetum timoris non reſiſtet. 154.9. 22.
Ad amicum ſi aperueris os triſte non timeas: eſt enim concordatio, &c. excepto conuitio, & improperio, & ſuperbia, & myſterij reuelatione & plaga doloſa. In his omnibus effugiet amicus. 689.11.
Eſt & alia loquela contraria morti; non inueniatur in hereditate Iacob. 93.1. 23.
Homo aſſuetus in verbis improperij, in omnibus diebus ſuis non erudietur. 231.6.
Quis me videt? tenebræ circumdant me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. 657. 17.
Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt, & nemo circumſpicit me, quem vereor delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus: & non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à ſe timorem Dei huiuſmodi hominis timor. 280.11.
Nihil melius eſt quàm timor Dei, & nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Domini. 853.3.
Gloria magna eſt ſequi Dominum; longitudo enim dierum aſſumetur ab eo. 858 3.
In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier ſibi bene conſentientes. 202. 4. 618. 6. 25.
Corona ſenem multa peritia. 870.2.
Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris 202. 4.
Pars bona mulier bona in parte bona, timentium Deum, dabitur viro profactis ſuis 442.2.161.4. 26.
Sicut viator ſitiens ad fontem os aperiet, & de omni aqua proxima bibet. 307.1.
Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ. 307. 31.
Propter inopiam multi deliquerunt. 194 8. 27.
Vaſa figulis probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. 603.2.708.11.
Qui denudat arcana amici fidem perdit. 688.9.
Maledicti eſt reconciliatio denudare autem, amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis. 689.11.
Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. 322.8. 28.2.
Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe cùm caro ſit reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo? 202 4.

Vir peccator turbat amicos, & in medium pacem habentium immittit inimicitias. 228.9.

19. *Fœnera proximo tuo in tempore necessitatis illius.* 593.1.

Multi quasi inuentionem æstimauerunt fœnus, & præstiterunt molestiam his qui se adiuuerunt. Donec accipiant osculantur manum dantis, &c. 594.7.

Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. 299.7.

Conclude eleemosynam in corde pauperis & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit. 295.5.858.4.

Initium vitæ hominis aqua & panis. 571.3.

30. 4. *Mortuus est pater eius, & quasi non esset mortuus: similem enim reliquit post se. In vita sua vidit & lætatus est in illo: in obitu suo, &c.* 597.5.

Non est oblectamentum super cordis gaudium. 534.3.

Melior est mors, quàm vita amara, & requies æterna quàm languor perseuerans. 245.6.

Bona absconditæ in ore clauso quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro. Quid proderit libatio idolo; neque enim manducabit neque oderabit. 324.2.

Bona absconditæ in ore clauso quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro. 326.10.

Miserere animæ tuæ placens Deo. 697.12.

Miserere animæ tuæ placens Deo: & contine & congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitiam longè expelle à te splendidum cor bonum in epulis est, epulæ enim illius diligenter fiunt. 515.5.

Tristitiam ne des animæ tuæ, & tristitiam longè pelle à te: multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in ea. 859.4.

Tristitiam longè repelle à te; multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. 610.11.

31. *Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* 499.12.

In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. 136.7.

31. 7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri signum est Smaragdi, sic numerus in iucundo & moderato vino.* 793.5.

Peccator homo vitabit correptionem, & ad voluntatem suam inueniet comparationem. 382.4.

Fili sine consilio nihil facias & post factum non pœnitebis. 331.3.338.12.455.13.

33. *Et ego nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit racemos post vindemiatores. In benedictione Dei, & ipse speraui, & quasi qui vindemiat repleui torcular.* 587.4.

Respicite quoniam non mihi soli laboraui, sed omnibus exquirentibus disciplinam. 588.4.

Filio & muliери, fratri & amico non des potestatem super te in vita tua, & non dederis alij possessionem tuam, ne fortè pœniteat te, & deprecеris pro illis. Dum adhuc superes & adspires, non immutabit te omnis caro. Melius est enim vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum, &c. In omnibus operibus tuis præcellens esto, ne deferis maculam in gloria tua. 575.13.

Mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas. 189.2.

Multam malitiam docuit otiositas. 193.10.

Vana spes & mendacium viro insensato, & somnia 34. *extollunt imprudentes.* 564.10.

Qui enim non est tentatus, quid scit. 367.7.

Qui enim non est tentatus quid scit? vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus pauca recognoscit: qui autem in multis factus est multiplicat malitiam. Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est abundabit nequitiâ. 706.6.

Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius. 341.4.

Immolatus ex iniquo oblatio est immunda. 286.5.

Dona iniquorum non probat Altissimus. 685.7.

Qui affert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. 285.2.

Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in fudere panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. 318.5.

Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor? vnus orans & vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus? Qui Baptizatur à mortuo & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? Sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? 819.5.

Retribuit gratiam, qui offert similaginem, & qui 35. *facit misericordiam offert sacrificium.* 285.1.

Deprecationem læsi exaudiet. non despicies preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. nonne lachryma ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas. 288.4.

Speciosa misericordia Domini in die tribulationis sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis. 242.5.

Omnem masculum excipiet mulier: & est filia melior filiâ. 36. 446.6.

Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. 446.6.

Cum viro sancto assiduus esto quemcunque cognoueris obseruantem timorem Dei. 37. 596.2.

Cum viro sancto assiduus esto quemcunque cognoueris obseruantem timorem Dei, cuius anima est secundum animam tuam. 336.2.

Cor boni consilij statue tecum: non est enim tibi aliud pluris illo. 455.13.

Cor boni consilij statue tecum: non est tibi aliud pluris illo. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores. sedentes in excelso

excelſo ad ſpeculandum. 835.8. 836.1.
Et in his omnibus deprecare altiſſimum, vt dirigat in veritate viam tuam. 337.5.455.13.836.9.
Vir Sapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt. 70.6.
Ante omnia opera verbum verax precedat te. 385.11.
Fili in vita tua ausa animam tuam, & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem. 706.6.
Fili in vita tua tenta animam tuam: & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem: non enim omnia omnibus expedient. 42.4.
Qui abſtinens eſt adijciet ad vitam 859.6.
Honora medicum propter neceſſitatem: etenim illum creauit Altiſſimus. A Deo eſt omnis medela, etc. Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit ab ea. 411.4.
38. *Honora medicum propter neceſſitatem etenim illum creauit Altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela, etc. Da locum medico, etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat à te quia opera eius ſunt tibi neceſſaria.* 958.2.
A Deo eſt omnis medela. 663.3.
Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara, ad agnitionem hominum, &c. & dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis, &c. Fili & in tua infirmitate non deſpicias te ipſum, ſed ora Deum, & ipſe curabit te. 412.4.
Fili & in tua infirmitate non deſpicias te ipſum, ſed ora Deum, & ipſe curabit te. 235.4.
Auerte à delicto & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. 412.5.
Et da locum medico etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. 412.7.
39. *Non eſt dicere, quid eſt hoc, aut quid eſt iſtud: omnia enim in tempore ſuo quaruntur.* 168.8.
Non eſt dicere, hoc nequius illo eſt. 168.8.
40. *Vinum, & muſica lætificant cor, & ſuper vtraque dilectio ſapientia.* 793.5.
Non eſt in timore Domini minoratio, & non eſt in eo inquirere adiutorium: Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis. 515.5.
41. 3. *O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti & qui minoratur viribus.* 245.6.
41. *Et quid ſuperueniet tibi in beneplacito Altiſſimi; ſiue decem, ſiue centum, ſiue mille anni: non eſt enim in inferno accuſatio vitæ.* 882.5.
De patre impio queruntur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio. 813.5.
42. 14. *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & confundens in opprobrium.* 198.7.
Non præterit illum omnis cogitatio, & non abſcondit ſe ab eo vllus ſermo. 283.17.
43. *Qui nauigant mare enarrant pericula eius.* 533.1.
44. 17. *Noe inuentus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factum eſt reconciliatio.* 550.7.
Abraham Magnus pater multitudinis gentium, & non eſt inuentus ſimilis in gloria, qui conſeruauit legem Excelſi. 67.2.
Dilectus Deo & hominibus. 892.3.
Inuocauit Dominum omnipotentem, in oppugnando hoſte circumſtantes vndique in oblatione agni inuiolati, & intonuit de cælo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit vocem ſuam, & contriuit principes Tyriorum, & omnes Duces Philiſtiim. 767.15. 46.
Ante tempus finis vitæ ſuæ, & ſeculi teſtimonium præbuit in conſpectu Domini & Chriſti, pecunias, & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſauit illum homo. 682.1.
Et poſt hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ. 723.4. 47.
Cum leonibus luſit quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit quaſi cum agnis ouium, in iuuentute ſua. 581.12.375.1.
Finem habuit Salomon cum patribus ſuis: & dereliquit poſt ſe de ſemine ſuo gentis ſtultitiam, & imminutum à prudentia Roboam, qui auertit gentem conſilio ſuo. 333.8.
48. *In his omnibus non pœnituit populus, & non receſſerunt à peccatis ſuis, vſque dum eiecti ſunt de terra ſua, & diſperſi ſunt in omnem terram, & gelida eſt gens perpauca.* 56.1.
49. *In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini.* 793.5.
50. *Præter Dauid Ezechiam, & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt: nam reliquerunt legem Altiſſimi reges Iuda.* 106.11.492.8.
51. *Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum ſaluatorem meum: quoniam adiutor, & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione.* 742.18.
Ab altitudine ventris inferi. 742.18.
In medio ignis non ſum æſtuatus. 889.3.
Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ. 814.8.
Aperui os meum, & locutus ſum. 75.23.

Ex Libro Iſaiæ Prophetæ.

Viſio Iſaiæ Filij Amos. 3.1. Iſaiæ 1.
Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit. 402.6.
Vegeti peccatrici populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum, etc. ſuper quo percutiam vos vltra, addentes preuaricationem. 262.4.
Vegenti peccatrici populo graui iniquitate, ſemini nequam filijs ſceleratis, &c. Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram alieni coram vobis deuorant: & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili, etc. 494.5.
Terra veſtra deſerta ciuitates veſtræ ſuccenſæ igne: regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur, etc. 852.10.
Relinquetur Filia Sion, vt vmbraculum in vinea: & ſicut tugurium in cucumerario. 192.7.
Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. 857.7.
Audite verbum Domini principes Sodomorum: percipite

cipite auribus legem Dei veſtri populus Gomorrha. 842.8.383.8.

Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? etc. quieſcite agere peruersè, etc. ſubuenite oppreſſo. 830.10.

Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. 696.9.267.1.

Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, ab oculis meis quieſcite agere peruersè. Diſcite benefacere: Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo: defendite viduam: & venite, & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra; vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. 776.9.

Quieſcite agere peruersè, & diſcite benefacere. 646.7.

Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. 776.6.

Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicida. 984.5.

Principes tui infideles ſocij furum, omnes diligunt munera, etc. Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij, etc. 402.4.

Principes tui infideles ſocij furum omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. 684.5.685.8.

Cauſa viduæ non ingreditur ad illos. 576 14.

Poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis. 825. 5.

Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia. 825.5.

Et qui dereliquauerunt Dominũ conſumẽtur. 775.6.

Et erit fortitudo veſtra, vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla. 775.7.

3. *Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda, & Iudicem, & Prophetam, & ariolum, & ſenem.* 870.2.

Auſert fortem, & bellatorem, iudicem & prophetam, ariolum, ſenem, principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de architectis. 622.6.

Dabo pueros Principes eorum. 18.5.

Et dabo pueros principes eorum, & effæminati dominabuntur eis. 89.6.

Agnitio vultus eorum, reſpondit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt. 486.3.

Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala. 853.14.842.8.

Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. 358.8: 774.4.

Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis. 203.6.

Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Ibid.

Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio Et mærebunt, &c. 203.6.

Eleuatæ ſunt filij Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant. 489.3.

Mulieres dominatæ ſunt eis. 505.8.

Rapina pauperis eſt in domibus veſtris. 127.3.

Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. 52.6.

Væ qui coniungitis domum, ad domum, & agrum 5. *agro copulatis, vſque ad terminum loci, numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* 774.6. 85. 2.

In auribus meis ſunt hæc dicit Dominus exercituum, niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes, & pulchræ abſque habitatore. Decem enim iugera vinearum facient lagunculam vnam, & triginta modij ſementis facient modios tres. 774.6.

Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem, & potandũ vſque ad veſperum vt vino æſtuetis. 599.5.

Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris. 794.5.

Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia in conuiuiis veſtris: & opus Domini non reſpicitis: nec operamanuum eius conſideratis. 599.1.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. 161.9.

Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes. 335.12.

Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes, etc. propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flamma exurit: ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcendet. 142.10.

Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferetis ab eo. 684.6. 512.7.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum 6. *plena eſt omnis terra gloria eius.* 762.3.770.4.

Sanctus, Sanctus, etc. væ mihi quia tacui, qui vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis. 716 4.

Væ mihi quia tacui quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. 354.2. 770.4. 875.5.

Vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os eius, & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuũ mundabitur. 727.1.

Quem mittam? & quis ibit nobis, dixi: Ecce ego, mitte me. 770.4.

Excæca cor populi huius, & aures aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. 159.12. 337.4.

Et commotum eſt cor eius, & cor populi eius, ſicut mo- 7. *uentur ligna ſiluarum à facie venti.* 24.4.

Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. 160.12.

Ecce virgo concipiet, & pariet filium. 376.3.

Et erit in die illa, Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum AEgypti, & api quæ eſt in terra Aſſur, & venient, & requieſcent, etc. 186. 10.

Sume

8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, cito prædare.* pag. 1. 1.

Non dicatis Cõiuratio: omnia enim quæ loquitur populus iste coniuratio est: & timorem eius ne timueritis neque paueatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, etc. 151. 4.

Dominum ipsum exercituum sanctificate, ipse pauor vester. 48. 1.

Abscondit faciem suam à domo Iacob. 290. 8.

Quod si non dixerint iuxta verbum hoc non erit eis matutina lux, etc. 376. 5.

10 5. *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea, etc. & erit cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, etc.* 248. 2.

Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse, in manu eorum indignatio mea. 96. 2. 238. 3.

Ipse autem non sic arbitrabitur, etc. 96. 2.

Et erit cùm impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. 123. 7.

11. *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauernam reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet.* 409. 6. 11. 7.

12. *Confitebor tibi Domine, quia iratus es mihi* 172. 8.

Hauritetis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. 171. 6.

Confitemini Domino, inquit, & inuocate nomen eius. Notas facite in populis adinuentiones eius. Mementote, quoniam excelsum est nomen eius. 748. 1.

13. *Et pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis.* 532. 9.

14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* 373. 5.

Et quid respondebitur nuntiis gentis? etc. Quia Dominus fundauit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi eius. 671. 2.

17. *Quia oblita es Dei saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis.* 846. 9. 73. 3.

20. *Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus.* 641. 4. 4. 2.

21. *Si quæritis quærite: conuertimini, & venite.* 830. 9.

22. 4. *Recedite à me; amarè flebo: nolite incumbere, vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei.* 607. 4.

Et Aelam sumpsit pharetram currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus. 714. 15.

Et ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus, & bibamus cras enim moriemur. 574. 11.

Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum; si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini dicit Dominus exercituum. 574. 11.

Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi. 688. 9. 24.

Extendet manum suam sub eo sicut extendit natans ad natandum. 91. 4. 25.

Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator ponetur in ea murus, & antemurale. 75. 8. 26.

Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te. 844. 2.

Misereamur impio, & non discet iustitiam, in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. 263 7.

Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis. 563. 6.

Vade populus meus intra cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio. 111. 9.

Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. 66. 9. 12. 1. 28.

Manda remanda, exspecta reexpecta, etc. Propter hoc audite verbum Domini viri illusores, etc. Quandocumque pertransierit, tollet vos: quoniam mane diluculo pertransibit in die, etc. 1.

Væ Ariel, Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid: additus est annus ad annum, solemnitates euoluta sunt. 708. 11. 29. 1.

Humiliaberis, de terra loqueris. 715. 1.

Væ qui profundi estis corde. 845. 8.

Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos, & quis nouit nos? etc. 279. 11.

Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consiliũ, & non ex me, etc. 605. 5. 30.

Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. 76. 1.

Et dat opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium. 70. 8. 32.

Væ qui prædaris, nonne, & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? cùm consummaueris depredationem, depredaberis, cùm fatigatus defieris contemnere, contemneris. 123. 8. 33.

Vbi est literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor parnulorum? 814. 8.

Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? quis habitabit cum ardoribus sempiternis? 684. 6.

Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem: qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. 684. 6. 685. 8.

Deus ipse veniet, & saluabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: 35.

tunc

tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. 507.4.

Erit ibi ſemita & via, via ſancta vocabitur, non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit nobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam. 61.2.

Hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam. 838.13.

37.7. *Ecce ego dabo ei ſpiritum, & audiet nuntium, & reuertetur ad terram ſuam, & corruere eum faciam gladio in terra ſua.* 784.3.

37. *Hæc dicetis Ezechiæ Regi: Iuda loquentes non decipiat te Deus tuus, in quo III confidis, etc.* 94.4.

Pro quibus rogaſti me de Sennacherib Rege Aſſyriorum, hoc eſt verbum quod locutus eſt Dominus ſuper eum. Deſpexit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion, etc. 94.4.

Numquid non audiſti quæ olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plaſmaui illud, & nunc adduxi, & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & ciuitatum munitarum. 215.5.

Habitatores earum breuiatâ manu contremuérunt, & confuſi ſunt: facti ſunt ſicut fœnum agri, etc. ibid.

Tibi autem hoc erit ſignum: comede hoc anno quæ ſponte naſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere, etc. 824.3.

Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. 785.4.

Ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus, & protegam ciuitatem iſtam, vt ſaluem eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. 35.3.

38. *Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non viues.* 725.10. 57.3. 466.6.

Obſecro Domine, memento, quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. 57.3. 278.8. 657.19.

Memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate. 829.6. 536.4.

Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: Ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos, etc. 266.5.

Scriptura Ezechiæ Regis Iudæ cùm ægrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua. 681.4.

Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. 466.6.

Præciſa eſt velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer ſuccidit me. 378.8.

Sperabam vſque ad mane, etc. Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, etc. Quid dicam aut quid reſpondebit ei cum ipſe fecerit? etc. 240.1.

Vt pullus hirundinis ſic clamabo. 360.6.

Tu autem eruiſti animam meam, etc. proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea. 466.6.

39. *Oſtendit ei cellam aromatum, & argenti, & auri, & aromentorum, etc. non fuit verbum quod non oſtenderet ei Ezechias in domo ſua, etc. Audi verbum Domini exercituum: Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, etc. bonus ſermo Domini quem locutus es.* 211.4.

Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt patres tui vſque ad diem hanc in Babilonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus. Et de filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis. 752.9.

Bonum verbum Domini quod locutus eſt. 752.9.

Conſolamini, conſolamini populo meo, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius: ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. 40. 266.5. 613.6.

Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis dicit ſanctus? 507.4.

Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. 885.13.

Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe? Dabit in conſpectu eius Gentes, & & Reges obtinebit. Dabit quaſi pulverem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius, etc. 41. 621.4.

Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos. 817.1.

Noli timere quia redimite, & vocaui te nomine tuo meus es tu. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. 43. 356.1. 709.14.

Cùm tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te, etc. fol. 74.7.

Ego Dominus, etc. formans lucem, & creans tenebras faciens pacem, & creans malum, Ego Dominus faciens hæc omnia. 45.7. 752.10. 736.3. 258.3.

Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. 477.5.

Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus, &c. 46. 238.3.

Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus: Accinxi te, & non cognouiſti me. Vt ſciant hi qui ab ortu ſolis, & qui ab Occidente, quoniam abſque me non eſt. Ego Dominus, & non eſt alter, &c. 45. 620.3.

Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. 273.3. 413.2.

Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis vltra Domina regnorum, &c. Iratus ſum ſuper populum meum, &c. & dedi eos in manu tua. Non poſuiſti eis miſericordias, &c. 47. 85.2.10.

Iratus ſum ſuper populum meum: contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua: Non poſuiſti eis miſericordias. Super ſenem aggrauaſti iugum tuum valde. 96.3.

Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. 48.17. 777.10.

Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris; & fuisset quasi arena semen tuum, & stirps uteri tui, ut lapilli eius. Non interijsset, & non fuisset attritum nomen eius à facie mea. 70.8. 717.10.

49. *Etiamsi mater obliuiscatur infantem uteri sui, &c.* 360.6.

50. *Quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret.* 43.5.

Linguam habet à Domino eruditam, vt sciat quando oporteat dicere sermonem. 232.6.

51. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quae peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, ac multiplicaui eum.* 3.5.

Consolabitur Dominus Sion, & ponet solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium, & laetitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. 682.8.

Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum sic comedet eos vermis, &c. salus autem mea in sempiternum erit, etc. Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis: qui quasi fenum ita aresces? 151.4.

Oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit celos? & fundauit terram: & formidasti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat, &c. Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, &c. 151.4.

52. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, mundamini, qui fertis vasa Domini.* 21.5.

54. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui; dixit redemptor Dominus tuus.* 663.4.

Paupercula tempestate commulsa, absque vlla consolatione: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos: & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. 788.2.

55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum, &c.* 802.11.

Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae, &c. quia sicut exaltantur caeli à terra, sic exaltatae sunt viae meae à viis vestris, & cogitationes meae à cogitationibus vestris. 802. 11.255.4.439.14.

Quomodo descendit imber, & nix de caelo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, &c. 243.2.

56. *Custodite iudicium, & facite iustitiam, &c.* 839.3

Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia haec dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint quae ego volui, & tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum. 452.6.

A facie malitiae collectus est iustus. 885.15. 57.

Neque cogitasti in corde tuo? quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es. Ego annuntiabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi. Cùm clamaueris liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura. 280.12.

Humiliata est vsque ad inferos. 741.17.

Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque, &c. 241.3.

Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest. 773.3.

Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, &c. 73.5. 58.

Rogant me iudicia iustitiae, appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non adspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? 696.11.

Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. & omnes debitores vestros repetitis esse ad lites, & ad contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, &c. 696.11.288.5.

Carnem tuam ne despexeris. 292.6.

Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te, &c. 74.7.

Si desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. 395 9.

Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebrae tuae erunt sicut meridies. 125.2.

Aggrauata non est auris eius vt non exaudiat, sed iniquitates vestrae diuiserunt inter vos, & Deum vestrum. 696 9. 59.

Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine. 697.13.

Vidit quia non esset vir. 43 6.

Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. 781.6.

Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longe venient, & filia tua de latere surgent. 781.6.

Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te: Dromedarij Madian, & Epha: Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. 781.6.

AEdificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi, &c. Gens, & regnum quod non seruierit tibi peribit, & gentes solitudine vastabuntur, &c. 586.3.

Super muros tuos Ierusalem posui custodes. 75.8. 62.

Vtinam diruperes caelos, & descenderes. 477.5. 64.1.

Numerabo vos in gladio, & omnes cade corruetis, pro eo quod vocaui, & non respondistis locutus sum, & non audistis: & facitebatis malum in oculis meis. 511.6. 65.

Non erit ibi amplius infans dierum. 10.4.

Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. 18.6.

66. *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus quasi qui excerebret canẽ, etc* 830.10

Vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius: vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius, &c. 806.10.

Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. 45.1.

Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui prauaricati sunt.

Vermis eorum non morietur. 698.18

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem omni carni. 740.13.

Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. 431.9.

Ex Prophetia Ieremiæ.

Ierem.1. *Verba Ieremiæ filij Helciæ de sacerdotibus qui fuerunt in Anatoth, in terra Beniamin.* 3.1.

Priusquàm te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te, &c. 14.5.

Priusquam te formarem in vtero noui te, &c. dixit Aaa Domine Deus, Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. 716.4.

Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ. 892.2.

Tu accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. 135.4.

3.3. *Frõs meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* 489.1

Scito iniquitatem tuam. 582.15.

4 *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi, ista malitia tua, quia amara, quia tetegit cor tuum.* 775.7.

Sapientes sunt vt faciant malum; bene autem facere nescierunt. 143.11.

Vocem enim quasi parturientis audiui, angustias vt puerperæ. Vox filiæ Sion inter morientis expandentisq; manus suas. 91.4.

5. *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* 43.6.402.4.

Equi amatores, & emissarij facti sunt vnusquisq; ad amorem proximi sui hinniebat. 470.2.

5.8. *Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima mea à te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.* 778.12.

State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris. 835.8.61.2

Nolite confidere in verbis mendacij dicentes: templum Domini, templum Domini, templum Domini est. 775.7.

7.4. *Si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra, si feceritis iudicem inter virum, & proximum eius, aduenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & post Deos alienos non ambulaueritis in malum vobismetipsis: habitabo vobiscum in loco isto: in terra quam dedi patribus vestris à sæculo, & vsque in sæculum.* 777.9.

Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sũ: ego vidi, dicit Dominus. 281.14

Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc dicit Dominus; Et locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis, & vocaui vos, & non respondistis: faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco quem dedi vobis, & patribus vestris sicut feci Silo. 775.8.

Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiã te. 197.5

Nonne vides quod isti faciunt in ciuitatibus Iuda, &c. 281.14.

Nunquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus? Nonne semetipsos in confusionem vultus sui? 282.14.

Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes: quia non locutus sum cum patribus vestris, & non præcepi eis, &c de verbo Holocaustomatum, & victimarum. 830.10.

8. *Ejcient ossa de sepulchris, & extendent ea ad solem.* 460.7.

9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei.* 607.4.

Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis, &c. Confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt dicit Dominus. 101.8.

Vnusquisq; se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. 689.10.179.5

Habitatio tua in medio doli. 505.1.

Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias, &c. Nunquid super his non visitabo dicit Dominus? aut in gente huiusce modi non vlciscetur anima mea? &c. Super montes assumam fletum ac lamentum, & super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt, eò quòd non sit vir pertransiens: & non audierunt vocem possidentis à volucre cæli vsque ad pecora transmigrauerunt, & recesserunt. 510.3.

Quis est vir sapiens qui intelligat hæc, &c. quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum, eò quòd non sit qui pertranseat. Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea, &c. 73.6.

Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, &c. 496.5.425.6.316. 13.565.13.

A signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes 48.1.

Scio Domine, quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. 378.6. 338.8.

Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, &c. 241.3.

11. *Mittamus lignum in panem eius.* 145.1.

12. *Quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt.* 704.1.

Fratres tui, & domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce. 177.2.

13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas; & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis mala* 854.15.

14.7. *Si iniquitates nostræ responderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, &c.* 244.4.

Tu in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, &c. 562.2.

Noli orare pro populo isto in bonum. Cùm ieiunauerint non exaudiam preces eorum: & si obtulerint holocaustomata, & victimas, non suscipiam ea: quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos. 208 550.6.

15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: ejice illos à facie mea, & egrediantur.* 208.550.6.551.8.

Non sedi in concilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ, Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. 252.4.

Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. 19.3.

Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. 77.6.

16.5. *Ne ingrediaris locum conuiuij, neque vadas ad plangendum.* 325.4.

Neque consoleris eos quia abstuli pacem meam à populo isto dicit Dominus misericordiam, & miserationes. 325.5.

17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum.* 854.15.

Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. 605.4.606.6.

Erit quasi myrica in deserto, & non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis, & inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. 606.6.

Prauum est cor hominis, & inscrutabile, qui cognoscet illud? Ego Dominus. 376.3.757.4.

Dominus scrutans corda, & probans renes. 224.10.

Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum. 775.9.

Saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es. Et ego non sum turbatus te pastorem sequens, &c. 563.6.

Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es. 606.6.

18. *Repente loquar aduersum gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam, & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei, & subitò loquar de gente, & de regno: vt ædificem, & plantem illud.* 738.8.

20. *Maledicta dies in qua natus sum.* 112.2.

Maledicta dies in qua natus sum dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. 245.6.

21. *Post hæc ait Dominus: Dabo Sedeciam regem Iudæ, & seruos eius, & populum eius, & quos derelicti sunt in ciuitate hac à peste, & gladio, & fame, in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & in manu quærentium animam eorum, & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur, neque parcet, neque miserebitur.* 773.4.

Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. 773.4.

Posui enim faciem meam super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum ait Dominus: in manu regis Babylonis dabitur, & exuret eam igni. 773.4.

Domus Dauid hæc dicit Dominus: Iudicate mane iudicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis: ne forte egrediatur, vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum. 773.4.

Quis percutiet nos, aut quis egredietur domos nostras? 773.4.

Visitabo vos iuxta fructum studiorum vestrorum, & succendam ignem in saltu eius, & deuorabit omnia in circuitu eius. 774.569.7.

25. *Cumq; impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus iniquitatem eorum, & super terram chaldæorum: & ponam illam in solitudines sempiternas.* 123.7

27. *Gens autem, & regnum quòd non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, etc.* 246.7.

28. *Audi Hanania: non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus, Ecce ego mittam te à facie terræ: hoc anno moriêris: aduersum enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hananias propheta in anno illo mense septimo.* 8.6.8.

29. *Ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructum eorum, &c. Non vos seducant prophetæ vestri, etc. Quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus.* 824.1.

30. *Faciam consummationem in cunctis gentibus, etc.* 241.3.

31. *Vox in excelso audita est, Lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis*

lentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt. 617.4.

Caſtigaſti me, & eruditus ſum quaſi inuenculus indomitus: Conuerte me, & conuertar, &c. 262.4.

Vſquequo delicijs diſſolueris filia Vaga? quia creauit Dominus nouum ſuper terram: Fœmina circundabit virum. 435.8.

32.14. *Intellexit, quod verbum Domini eſſet, etc. Vt permanere poſſent in diebus multis, &c. Adhuc poſſidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra iſta.* 162.5.

Poſſide agrum meum, qui eſt in Anatoth in terra beniamin: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es, vt poſſideas. 162.5.

Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu: cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuiq; ſecundum vias ſuas, & ſecundum fructum adinuentionum eius. 278.6.

34. *Non morieris in gladio, ſed in pace morieris, &c.* 99.2.

38. *Rogamus vt occidatur homo iſte, etc. Ecce ipſe in manibus veſtris eſt; nec enim fas eſt regem vobis quidquam negare.* 511.6.

Ecce omnes mulieres, quæ remanſerunt in domo Regis Iuda, educentur ad principes Regis Babylonis, & ipſæ dicent: ſeduxerunt te, & preualuerunt aduerſum te, viri pacifici tui demerſerunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & receſſerunt à te. 173 3.

39. *Occidit q; Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha in oculis eius, & omnes nobiles Iudæ; oculos quoque Sedeciæ eruit: & vinxit eum compedibus vt duceretur in Babylonem.* 112.3.

42. *Acceſſerunt omnes principes bellatorum, &c. Et dixerunt ei: Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo, & ora pro nobis apud Dominum Deum tuum, &c.* 549.5.

Hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad quem miſiſtis me vt proſternerem preces veſtras in conſpectu eius. Si quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam, &c. à verſ. 9. vſq ad 10.18.

Non audiſtis vocem Dei veſtri ſuper vniuerſis, pro quibus miſit me ad: vos nunc ergo ſcientes ſcietis, quia gladio, & fame, & peſte moriemini in loco, ad quem voluiſtis intrare vt habitaretis ibi. 867.3.

44. *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro.* 144.12.

O mucro Domini vſque quo non quieſcis? 736.3.

47. *Date florem Moab, quia florens egredietur, & ciuitates eius deſertæ erunt, & inhabitabiles.* 863.19.

48.9. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* 128.6.

Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. 614.6.

Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fœcibus ſuis, nec transfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abijt: idcirco permanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt immutatus. 809.

49. *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui, etc.* 565 12.

51. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* 778.12.261.3.

52. *De pauperibus verò terræ reliquit Nabuzardan Princeps militiæ vinitores, & agricolas.* 56.1.

Ex Threnis ſeu lamentationibus Ieremiæ Prophetæ.

1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo.* 19.3. 373 5.

Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo? facta eſt quaſi vidua Domina Gentium: Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo. 772.2.

Plorans plorauit in nocte, & lachryma eius in maxillis eius: omnes amici eius ſpreuerunt eum, & facti ſunt ei inimici. 91.3.

Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem. 31.5.77.5.569.7.

Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius. 774.4.

Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. 773.3.697.14.

Depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem. 91.4.

Quia Dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatum eius. 773.3.

Expandit Sion manus ſuas, non eſt qui conſoletur eam: mandauit Dominus aduerſum Iacob in circuitu eius hoſtes eius. 91 4.

Iuſtus eſt Dominus quin os eius ad iracundiam prouocaui. 210 3.544.2.

2. *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilauerunt, & mouerunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem? Hæccine eſt vrbs dicentes perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?* 772.2.

Conſurge lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini. 543.1.

Cibauit me Cinere. 146.1.

Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. 777.8.

3. *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua.* 40.12.49.5.

Sedebit ſolitarius & tacebit, ponet in puluere os ſuum ſi forte ſit ſpes. 232.6.268.2.814.6.

Ponet in puluere os ſuum, ſi forte ſit ſpes. 715. 1.

Dabit percutienti ſe maxillam; ſaturabitur opprobrijs. 367.6.

Non repellet in ſempiternum Dominus, quia ſe abiecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. 266.5.

Quid murmuranit homo viuens, vir pro peccatis ſuis. 736. 2.

Leuemus corda noſtra, cum manibus ad Deum in cælos. 840.3.

4. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: factæ*

facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. 342.6.

Ægypto dedimus manum vt saturemur pane. 523 4.

Ex Prophetia Baruch.

1. *Pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccauimus Domino Deo nostro, & non est auersus furor eius vsque in diem hanc.* 549.5.

2. *Propter quod statuit Dominus Deus noster, verbum suum, vt adduceret Dominus super nos mala magna, qua non sunt facta sub cælo, quemadmodum facta sunt in Ierusalem, secundum quæ scripta sunt in lege Moysi.* 753.12.

Vt manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ. 753.12.

Et dedit eos sub manu Regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in improperium, & in desolationem, in omnibus populis, in quibus nos dispersit Dominus. 754.12.

3. *Audi Israel mandata vitæ; auribus percipe vt scias prudentiam.* 142.9.

Audi Israel mandata vitæ: auribus percipe vt scias prudentiam. Quid est Israel quod in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum. Deleliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace sempiterna. Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus: vt scias simul vbi sit longitudinitas vitæ & victus; vbi sit lumen oculorum & pax. 69.7.

Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi intellectus vt scias simul vbi longitudinitas vitæ, & victus: quibus sit lumen oculorum & pax. 142.9.

4. *Venundati estis gentibus, non in perditionem, sed propter quod in ira ad iracundiam prouocastis Deum, traditi estis aduersarijs.* 754.12.

Exui me stola pacis, indui me sacco obsecrationis, & clamabo ad Altissimum in diebus meis. 755.18.

Animæquieres estote filij, clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum. 755.15

5. *Exsurge Ierusalem, & sta in excelso: & circumspice ad orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente Sole vsque ad occidentem in verbo sanctis gaudentes Dei memoriâ.* 844.2.72.1.

Iudicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria, quia nihil possunt, sicut cornicula inter medium cæli & terræ. 619.2.

Ex Prophetia Ezechielis.

Ezech. 1. *Factum est Verbum Domini, ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem in terra Chaldæorum.* 3.1.

(Animalia) non reuertebantur cùm incederent, sed vnum quodque ante faciem suam gradiebatur &c. 149 1.

Ezech. 2. *Aperui os meum, & cibauit me volumine illo* 732 3.

Ezech. 3. *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus mei: manus enim domini erat mecum confortans me.* 774.1.

Veni ad transmigrationem ad acerbum nouarum frugum, ad eos, qui habitabant iuxta fluuium Chobar, & sedi, vbi illi sedebant, & mansi ibi septem diebus, mœrens in medio eorum. 58 6.

Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, etc. si dicente me ad impium: morte morieris: non annuntiaueris ei, &c. sanguinem eius de manu tua requiram. 822.13.

Facta est super eum ibi manus Domini. 774.1.

Ezech. 5. *Sume tibi gladium acutum, radentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam, & assumes tibi stateram ponderis, & dividens eos.* 43.6.

Ezech. 7. *Quo tempore quærunt visionem de Propheta, & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.* 870. 2. & 14. 3.

Ezech. 8. *Certè vides fili hominis quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, &c. dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* 282.14. 736. 2. 846. 9.

Ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos. 846 9.

Ezech. 9. *Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius.* 701.3.

Iniquitas domus Israel & Iudæ magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione: dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. 180.11.

Ezech. 10. *Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem.* 406. 11.

Ezech 14. *Numquid interrogatus respondebo ei propter hoc loquere ei, & dices ad eos, hoc dicit Dominus, etc. ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum.* 336.4.

Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel & Iob, etc. viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios nec filias liberabunt. 550.6. 551.8.

Ezech.15. *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ sunt inter ligna siluarum, etc. ecce igni datum est in escam.* 422.7.

Ezech.16. *Ierusalem radix tua & generatio de terra Chanaan.* 494.5. 840.7. & 383.8.

Quando nata es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec pannis involuta. 419.3.

Expandi amictum meum super te. 523.5.

Denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenamq; ignominiâ. 774.4.

Zelus meus recedet à te, & non irascar tibi amplius. 261.3. 262 4. 778.11.

Filia matris es tu quæ projecit virum suum. 842.8.

Viuo ego, quia non fecit Sodoma, & filij eius sicut tu. 842 8.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, etc. Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius: & manum egeno non porrigebant. 574.10. & 313 6. 287.2.

Ne fortè ponam te desertam, & inhabitabilem. 778.12.

Ezech.18. *Qui nudum operuit vestimento, etc. vitâ vivet.* 915.

Qui vsuram & superabundantiam non acceperit, non morietur in iniquitate patris sui, sed vitâ vivet. 85.2.

Numquid est voluntatis meæ mors impij, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? 264.1.

Et quare moriemini domus Israël, quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus! reuertimini & viuite. 264.1.

Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. 77.6.

Ezech.20. *Vnusquisque offensiones oculorum suorum obijciat.* 667.7.

Ezech.20. *Educam vos de populis, & congregabo vos de terris in quibus dispersi estis, etc. & adducam vos in desertum populorum, etc.* 269.5.

Stilla ad Africum. 265.4.

Et dices saltui meridiano: audi verbum Domini, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego succēdam in te ignē, & conburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum: non exstinguetur flamma succensionis. 698.19.

Ezech.22. *Quæsiui virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam.* 561.1.265.3.43.6.

Ezech.23. *Quorum carnes sunt vt carnes asinorum, & sicut fluxus equorum fluxus eorum.* 471.2.

Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum. 73.3 846.9.

Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te. 133.1.

Ezech.24. *Ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum, in plaga, & non planges.* 446.5.

Ezech.24. *Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies.* 863.19 & 325.5.

Hæc dicit Dominus: Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, etc. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus, non plangetis neque flebitis. 176.9.

In die illa cùm venerit fugiens ad te, vt annuntiet tibi: etc. aperietur os tuum cum eo qui fugit, & loqueris, & non silebis vltra. 732.2.

Ezech.29. *Ecce ego ad te Pharao Rex Aegypte draco magne, etc. & extrahamt te de medio fluminū tuorum & vniuersi pisces tui squammis tuis adherebūt.* 409.7.

Ezech.34. *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, etc. Quod crassum erat occidebatis; gregem autem Domini non pascebatis.* 847.11.

Ezech.36. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbiæ, saturitas panis, & otium eius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant.* 293.10.

Ex Prophetia Danielis.

Dan. 1. *Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius.* 64.6. & 65.2.

Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio. 416.7.

Porro Malasar tollebat cibaria, & vinum potus eorum: dabatq; eis legumina. Puero autem his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro, & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. 414.4.

Tunc Daniel mysterium per visum nocte reuelatum est. Dan. 2. 686.2.

Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis. 676.5.

Quis est Deus qui vos eripiat de manu mea? 93.3.

Non oportet nos de hac re respondere tibi. 151.5.

Ecce Deus noster quem colimus, potest eripere nos de Dan. 3. *camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex liberare.* 151.5.

Nabuchodonosor repletus est furore, & aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach & Abdenago, & præcepit vt succenderetur, etc. Et non cessabant qui miserant eos ministri regis, etc. Et exciisit flammam ignis de fornace & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, etc. 366.5.

Aperiensq; os suum in medio ignis ait: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in sæcula, etc. 735.4. 564.9. 544.2. 169.2.

Iustus es Domine in omnibus quæ fecisti nobis. 210.3.

In veritate, & in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra: peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus. 207.3.

Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuū, & Israel sanctum tuum. 35.3.

Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, Dexcussit flammam ignis, etc. 406.7.

Non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta. 817.4.

Ecce video viros quatuor, etc. & aspectus quarti similis est filio Dei. 366.5.

Serui Dei excelsi, egredimini, & venite. 72.5. 665.7.

Benedictus Deus eorum Sidrach videlicet, & Misach, & Abdenach qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt: & tradiderunt corpora sua, ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum excepto Deo suo. 82.8.

A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus tribus, & lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenach disperdat, & domus eius vastetur: Neque enim est alius Deus qui possit ita saluare. 782.8.

Nabuchodonosor rex omnibus populis, &c. Pax multiplicetur. Signa, & mirabilia fecit apud me

Deus excelſus, placuit ergo mihi predicare ſigna eius, quia magna ſunt: & mirabilia eius quia fortia ſunt, & regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generationem, & generationem. 782. 8.

Dan. 4. *Vigil, & ſanctus de cælo deſcendit. Clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, etc.* 697.15.

Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei. 762.4.

Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex: Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum beſtijs, & fera habitatio tua: fœnum quaſi bos comedes, etc. 314.7. 762.4. 943.

Quamobrem rex conſilium meum tibi placeat, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet delictis tuis. 298.3. 692.13.

Nonne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui in regnum Dei, in robore fortitudinis meæ? 313.7.

Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium. 762.4.

Quia poteſtas eius ſempiterna, & regnum eius in generationem, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt, etc. 735.1.

Nunc igitur, ego Nabuchodonoſor, laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare. 745.3. 763.7.

Dan. 5. *Præcepit iam temulentus vt afferrentur vaſa aurea, & argentea quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo, etc. Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſq;, & lapideos, etc.* 529.5.

Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos argenteos, æreos, etc. 599.3.

Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, etc. 697.13.

Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da: ſcripturam autem legam tibi rex, & interpretationem eius oſtendam tibi. 683.2.

Tu quoque filius eius Baltaſſar, non humiliaſti cor tuum, cùm ſcires hæc omnia. Sed aduerſum dominatorem cæli elatus es, etc. 118.4.

Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non glorificaſti. 620.3.

Mane, Thecel, Phares, & hæc eſt interpretatio ſermonis. 119.4.

Hæc eſt interpretatio ſermonis: Mane: numeranit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel, etc. 698. 15.

Eadem nocte interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſſit in regnum. 119.4. 862.16.

Dan. 5. *Superabat omnes principes, & ſatrapas, quia ſpiritus Dei amplior erat in illo.* 104.3.

Rex cogitabat eum conſtituere ſuper omne regnum: vnde principes, & ſatrapæ quærebant occaſionem vt inuenirent Danieli ex latere regis, etc. Viri ergo illi curioſius inquirentes inuenerunt Danielem orantem, & obſecrantem Deum ſuum. 423.2.

Omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo, & homine vſque ad triginta dies niſi à te rex, mittatur in lacum leonum. 333.8.

Quod cùm Daniel comperiſſet, id eſt conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cenaculo ſuo contra Ieruſal. in tribus temporibus in die flectebat genua, & orabat, confitebaturq; coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat. 23.3. & 270.7.

Deus tuus, quē colis ſemper, ipſe liberabit te, etc. quia coram me iuſtitia inuenta eſt in me, etc. nulla læſio inuenta eſt in eo quia credidit Deo ſuo. 404.4. & 331. 8. & 107. 14.

Miſit Deus Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi. 405.6. 727.2.

Et omnia oſſa eorum comminuerunt. 407.12.

Eductuſq; eſt Daniel de lacu, etc. quia credidit Deo ſuo. Et infrà. *Porrò Daniel perſeueranit vſque ad annum Darij, regnumq; Cyri. Perſæ.* 69.5.

Horruit ſpiritus meus, ego Daniel territus ſum in hoc etc. hæ quatuor beſtiæ magna quatuor ſunt regna, etc. 800.4. & 716.4. Dan. 7.

Aries quem vidiſti habere cornua Rex Medorum eſt atque Perſarum. Porrò hircus capraram. 800.4. Dan. 8.

Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis, etc. 207.3. Dan. 9.

Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodiè viro Iuda, etc hîs qui prope ſunt, & hîs qui procul in vniuerſis terris, ad quas eieciſti eos propter iniquitates eorum in quibus peccauerunt in te. 776.8.

Domine nobis confuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, patribus noſtris qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia, & propitiatio, quia receſſimus à te. 564.9.

Stillauit ſuper nos maledictio, & deteſtatio quæ ſcripta eſt in libro Moyſis ſerui Dei, quia peccauimus ei. 265.4.

Cùm adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael, & proſternerem preces meas ecce vir Gabriel, etc. 207.3.

Ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio tetigit me. 41.2.

Occidetur Chriſtus, & ciuitatem cum ſanctuario diſſipabit populus cum duce venturo. 511.6.

In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum. 414.4. Dan. 10.

Panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum. Et infrà. *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conſpe-*

ctu

Eu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos. 65.4.

Non remanſit in me fortitudo, etc. emarcui, nec habui quidquam virium: & audiui vocem ſermonum eius, & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus herebat terræ. 716.4. 718.11. 716.2.

Daniel vir deſideriorum intellige verba; quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim ſum miſſus ad te, etc. quia ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres, etc. 701 1.

Noli metuere Daniel. 719.11.

Ex die primo, etc. & ego veni propter ſermones tuos. Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, etc. 704.1. 856.5.

Nunquid ſcis quare venerim ad te? & nunc reuertar vt prælier aduerſum principē Perſarum. Cùm ergo egrederer, apparuit princeps Græcorum. Veruntamen annuntiabo tibi quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis. 717.7.

Daniel 11. *Vt conflentur, & eligantur, & dealbentur.* 260. 6.

Dan.12. *Multi de his qui dormiunt in terra puluere exigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant ſemper.* 740.13.

Dan. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt vt ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* 78.8.

Tu autem Daniel claude ſermones tuos, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum. Plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia. 687.4.

Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi: Domine mi quid erit poſt hæc? Et ait: Vade Daniel quia clauſi ſunt, ſignatiq; ſermones vſque ad præfinitum. 800.5.

Dan.13. *Accepit vxorem nomine Suſannam filiam Helciæ pulchram nimis, & timentem deum.* 450.16.

Qui videbantur regere populum. 508.5

Cum autem populus reuertiſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomario viri. 508.5.

Et videbant eam ſenes quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarſerunt in concupiſcentiam eius, & euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos vt non viderent cælum neque, recordarentur iudiciorum iuſtorum. 473. 6. 279.10.

Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt, aſſentire nobis. 219.10.657.17.

Quod ſi nolueris: dicemus contra te teſtimonium quod fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam dimiſeris puellas à te tunc. Ingemuit Suſanna, & ait: Angustiæ mihi ſunt vndiq;. 553.1.

Angustiæ mihi ſunt vndiq;, &c. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. 8 15.4.278.8.

Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. 154.8. 384.8.

Et exclamauit voce magna, &c. Et exaudiuit Dominus vocem eius. 235.4.

Cùm duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus ſpiritum ſanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel. 14.5.

Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis. 872.5.

Semen Chanaan, & non Iuda ſpecies decepit te, &c. 842.8.

Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, fecitq; maſſas, & dedit in os draconis, & diruptus eſt draco, & dixit: Ecce quem colebatis. Dan.14. 429.4.

Et intriuerat panes in alueolo. 414.3.

Fer prandium quod habes Danieli, qui eſt in lacu leonum, &c. Domine Babylonem non vidi, & lacum neſcio. 342.11.

Daniel, ſerue Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus. 642.7.

Recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. 206.1. 642.8.

Ex Prophetia Oſeæ.

Vade ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Oſeæ 1. 443.3.

Vocabis eam, Abſq; miſericordia: Quia non addam vltra miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum. 73.3.

Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inuenit. Oſeæ 2. 856 6.

Idcirco conuertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum in tempore ſuo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius. 625.6.471.4.

Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. 169.5.

Fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei. Oſeæ.3.2. 521.2.

Audite verbum Domini filij Iſrael, quia iudicium Domino cum habitatoribus terra, &c. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in beſtia agri, & in volucre cæli: ſed & piſces maris congregabuntur. Oſeæ 4. 853.13.

Audite verbum Domini filij Iſrael, etc. Non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. 102 10.

Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, etc. 102.10.

Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in beſtia agri, & in volucre cæli, & piſces maris congregabuntur. 51.5.

Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor. 473.6. 303.5.

Oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum, & Ego. 73.3 846.9.

Peccatum populi mei comedent. 50.1.

Non viſitabo ſuper filias veſtras cùm fornicatis, & ſuper

ſuper ſponſas veſtras cùm adulterauerint. 261.3.

Oſee 5. *Non dabunt cogitationes ſuas vt reuertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationis in medio eorum, & Deum non cognouerunt.* 473.6. 303.4.

Facti ſunt principes Iuda quaſi aſſumentes terminum, etc. Quoniam cepit abire poſt ſordes, etc. Et abijt Ephraim ad Aſſur, & miſit ad regem vltorem ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam. 851 8.852.11.

Super eos effundam, quaſi aquam iram meam. 158.7 185.7.

Oſee 6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium.* 830.10.

Oſee 7. *Ephraim in populis ipſe commiſcebatur.* 20. 5.

Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit. 304.7.

Oſee 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.* 51.4.

Da eis Domine, quid dabis eis? Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia. 597 5.

Da eis vuluam ſine liberis. 225.1.

Omnes nequitiæ eius in Galgal, quia ibi exoſos habui eos. 868.5.

Oſee 11. *Et ego quaſi nutritius Ephraim.* 404.3.

Oſee 12. 3. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum: & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad Angelum.* 814.6.

Oſee 12. *Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa calumniam dilexit.* 841.6.

Diues effectus ſum, inueni idolum mihi. Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui, etc. Locutus ſum ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicaui, etc. Ad iracundiam prouocauit me Ephraim in amaritudinibus ſuis, etc. 185.7 624.4.

Oſee 13. *Perditio tua ex te ô Iſrael: tantummodo in me auxilium meum.* 264.1.

Dabo tibi regem in furore meo. 89.6.

Ex Prophetia Ioelis.

Ioel. 2. 6. *A facie eius cruciabuntur populi omnes vultus rediguntur in ollam.* 290.8.

Quare dicunt in populis: vbi eſt Deus eorum? 175.8.

Dedit vobis doctorem iuſtitiæ. 516.6.499.11.

Ex Propheta Amos.

Amos 1. 2. *Dominus de Sion rugiet.* 822.14.

Amos 2. *Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quatuor non conuertam eum, eò quod incenderit Oſſa regis Idumeæ vſque ad cineres.* 100.3.

Peribit fuga à velocè, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animã ſuam. Et tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam. 621.4

Amos 3. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras.* 261.2.

Nunquid cadit auis in laqueum terræ abſque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit? ibid.

Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit. 238.3.736.2.

Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. 821.11. 265.2.

Leo rugiet, quis non timebit? Deus loquutus eſt: quis non prophetabit? 822.13.

Amos 4. 9. *Percuſſi vos in vento vrente, & in aurugine, multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum: oliueta veſtra, & ficeta veſtra comedit eruca: Et non rediſtis ad me, dicit Dominus, miſi in vos mortem in via Ægypti, percuſſi in gladio iuuenes veſtros, vſque ad captiuitatem equorum veſtrorum, & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras, & non rediſtis ad me, dicit Dominus.* 777.10.

Amos 4. 11 *Subuerti vos ſicut ſubuertit Deus Sodomam, & Gomorram, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio, & non rediſtis ad me, dicit Dominus.* 777.10.

Audite verbum iſtud, quod ego leuo ſuper vos planctum: Domus Iſrael cecidit, & non adijciet vt reſurgat, virgo Iſrael proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam. 738.9.

Amos 5. *Virgo Iſrael proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam.* 78.9.

Quærite Dominum, & viuite. 739.

Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt. 639.9.

Quærite bonum, & non malum, vt viuatis. 24.4.

Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingrediatur domum, & innitatur manus eius ſuper parietem, & mordeat eum coluber, 154.9.

Amos 6. *Væ qui opulenti eſtis, etc. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* 574 10.

Comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti, etc. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. Quapropter nunc migrabunt in capite tranſmigrantium, & auferetur factio laſciuientium. 287.2.

Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, etc. Bibentes vinum in Phialis, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. 127.3.

Quid cantitis ad vocem Pſalterij ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. 765.12.

Amos 7. *Tu dicis Non prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtillabis ſuper domum idoli, propter hoc hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur, &c.* 308.3.

Amos 8. *Mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ: Sed audiendi verbum Domini.* 146.1.

Amos 9. *Ecce enim mandabo Ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael: ſicut concutitur triticum in cribro, & non cadet lapillus ſuper terram in gladio morientur omnes peccatores populi mei:*

mei: qui dicunt: non appropinquabit, & non veniet super nos malum. 739.8.

In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid quod cecidit: & readificabo aperturas murorum eius, & ea qua corruerant inſtaurabo: & readificabo illud, ſicut in diebus antiquis. 739.8.426.1.

Ex Propheta Abdia.

Qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram. 565.12.

Omnes viri fœderis tui illuſerunt tibi. Inualuerunt aduerſum te viri pacis tuæ; qui comedunt tecum, ponent inſidias ſuper te. 173.3.

Et adſcendent ſaluatores in montem Sion, iudicare montem Eſau, & erit Domino regnum. 77.7.

Ex Propheta Iona.

Ionæ 1.7. *Venite, & mittamus ſortes, & ſciamus quare hoc malum ſit nobis.* 514.2.

Indica nobis cuius cauſa malum iſtud ſit nobis, quod eſt opus tuum? qua terra tua? & quo vadis? vel ex quo populo es tu? Et dixit ad eos: Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare, & aridam. Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & ceſſabit mare à nobis. 493 4.

Qua terra tua: & quo vadis: vel è quo populo tu es: 5.1.

Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare, & aridam. 48.1.68.5.

Mare ibat, & intumeſcebat ſuper eos. 493.4.

Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim ego, quoniam propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos. 746. 6. 816. 14. 209.

Ion. 2. *Cùm anguſtiaretur in me anima mea Domini recordatus ſum.* 262.4.

Ion. 3. *Pernenit verbum ad regem Niniue.* 557.8

Si forte ignoſcat Deus. 242.4.

Ion 4. *Afflictus eſt afflictione magnâ, & iratus eſt. Et orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine, nunquid id non hoc eſt verbum meum cùm adhuc eſſem in terra mea? propter hoc præoccupani vt fugerem in Tharſis, etc.* 801.9.

Putaſne bene iraſceris tu ſuper hedera? & dixit, Benè iraſcor ego vſque ad mortem. 82.4.801.9.

Et dixit Dominus tu doles ſuper hederam in qua non laborasti, neque fecisti vt creſceret, etc. 82 4.

Bene iraſcor vſque ad mortem. 776 8.

Tu doles ſuper hederam, in qua non laborasti, neque fecisti vt creſceret: qua ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit, & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ. 776.8.

Egreſſus eſt de ciuitate, & ſedit contra Orientem ciuitatis, & fecit ſibimet umbraculum ibi, & ſedebat ſubter illud in umbra donec videret, quid accideret ciuitati, etc. 605.4.

Ex Propheta Micheæ.

Micheæ 3. *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abſcondit faciem ſuam ab eis in tempore illo ſicut nequiter egerunt in adinuentionibus ſuis.* 290.8.

Et tu Bethlem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. 7.6. Micheæ 5.

Et egreſſus eius ab initio æternitatis. 337.4.

Auferam maleficia quæ ab illis accepiſti de manu tua, & diuinationes non erunt in te, & faciam in furore, & indignatione vltionem in omnibus gentibus quæ non audierunt. 661.13.

Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. 836.10. Micheæ 6.

Vox Domini ad ciuitatem clamat, & ſalus erit timentibus nomen tuum. ibid. Ibid.

Adhuc ignis in domo impij Theſauri iniquitatis, & menſura minor, iræ plena. Numquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacculi pondera doloſa? 841.5.

Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, etc. Quæ filium contumeliam facit patri, &c. Et inimici hominis domeſtici eius. 148.4.689.10. Micheas 7.

Filius contumeliam facit patri; & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, & nurus aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. 177.2.

Ego, autem ad Dominum adſpiciam exſpectabo Deum ſaluatorem meum: audiet me Deus meus. 222.3.

Iram Domini portabo: quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet. 211.51

Item 212.8.

Ex Propheta Nahum.

Vbi eſt habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum, ad quam iuit leo vt ingrederetur illuc catulus leonis, & non eſt qui exterreat? Leo cæpit ſufficienter catulis ſuis, & necauit leænis ſuis, & implenit prædâ ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapinâ. 852.11. Nah. 2.11.

Et ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, & ſuccendam vſque ad fumus quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius, & exterminabo de terra prædam tuam, etc. 853.11. Nah. 3.4.

Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ, & gratæ, & habentis maleficia quæ vendidit gentes in Fornicationibus ſuis, etc. 301.2.

Item 310.10.

Ex Prophetia Habacuc.

Aſpicite in gentibus, & videte: admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur, quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur. 709.13. Abacuc. 1.5

Propterea immolabit ſagenæ, & ſacrificabit reti ſuo. 565.12.

Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua: Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit. 841.5. Abac. 2.

Ve qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians vt adſpiciat nuditatem eius. 703.8. 130.13.

Dominus autem in templo ſancto ſuo: fileat à facie eius omnis terra. 735.1.

Abac.3. *Audiui auditionem tuam, & timui.* 48.2.

Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud. 736.6.

Cùm iratus fueris miſericordiæ recordaberis. 241.3.

Aſpexit, & diſſoluit gentes. 615.7.

Qui aſcendens ſuper equos tuos, & quadriga tua ſalnatio. 762.3.

In Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. 369.12.

Ex Sophonia.

Sophon.3. *Noli timere Sion, non diſſoluantur manus tuæ,* etc. 242.5.

Ex Aggæo.

Aggæi 1. *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflauit illud: quam ob cauſam,* etc. 138.12.

Aggæi 2. *Interroga ſacerdotes legem.* 834.6.

Cùm accederetis ad acerui viginti modiorum, & fierent decem, etc. Percuſſi vos vento vrenti, &c. Et non fuit in vobis qui reuerteretur ad me dicit Dominus. 778.11

Ponite corda veſtra ex die iſta, & in futurum, etc. Nunquid iam ſemen in Germine eſt. Et adhuc vinea, & ficus, & malo granatum, & lignum Oliua non floruit rex die iſta benedicam. 778.11 138.12.

Ex Zacharia.

Zachar. 1. *Ira magna ego irascor ſuper gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum: ipſi verò adiuuerunt in malum.* 96.4.

Zachar.3.2 *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu,* &c. 74.7.

Et in gloria ero in medio eius. 75.8.

Mach.2. *Dixit Dominus ad Satan: increpet Dominus in te Satan.* 226.4.

Et dabo tibi ambulantes de his quæ nunc hic aſſiſtunt. 713.9.

Zach.4.10 *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in vniuerſam terram.* 713.10.712.8.

Zach.6. *Quid ſunt hæc Domine mi, &c. Iſti ſunt quatuor venti.* 800.6.

Zachar. 8. *Adhuc habitabunt ſenes & anus in plateis, Ieruſalem, & viri baculus in manu eius pra multitudine dierum, & platea ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.* 788.1.

In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi: dicentes ibimus vobiſcum, audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt. 780.4.

Zachar.9. *Ecce rex tuus venit.* 499.11.

Zachar.11. *Benedictus Dominus, diuites facti ſumus.* 846. 11. 529.6.

Zach.13. *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* 178.3.

Ex Prophetia Malachiæ.

Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. 503.2. Malac. 1.3.

Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? 755.2.

Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? 758.4.

Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Malach. 1. 33.6.

Maledicam benedictionibus veſtris. 696.9. Malach. 2.

Et dixiſtis, quam ob cauſam? Quia Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti: & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. 73.5.

Quia Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti. 524.6.

Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, etc. Quia Angelus Domini exercituum eſt. 834.6.80.1.

Ipſe quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui: & colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum. Malac.3.2. 266.5.

Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris, etc. Nec timuerunt me, dicit Dominus. 282.14.

Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, etc. Et qui calumniantur mercedem mercenarij. 318.5.

Et dixiſtis: In quo configimus te? In decimis, & primitijs, & in penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam. 38.4.

Orietur vobis timentibus Deum nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, & egrediemini, & ſaltetis ſicut vituli de armento. Malach.4. 708.11.

Ex Libro I. Machabæorum.

Reſpondit, & dixit voce magna: Et ſi omnes gentes Regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnuſquiſque à ſeruitute legis Patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius: Ego & filij mei, & fratres mei obediemus legi Patrum noſtrorum, etc. 1.Mach.1. 25.6.

Væ mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ? etc. & ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt. & coinquinauerunt ea Gentes. Quò ergo nobis adhuc viuere? 175.9. 1.Mach.1. 112.2. 246.6. 732.3.

Nunc ergo, ô filij æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, & mementote operum patrum, etc. 2.3.

Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam. 180.3. 711.6.

Et ita cogitate per generationem, & generationem, quia omnes qui sperant in eo non infirmantur. 180.3. 711.6.

Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consilij est, ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater, etc. 332.6.

3. *Expanderunt libros legis de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulachrorum suorum.* 205.11.

Non est differentia in conspectu Dei liberari in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. 621. 5.

Reliquit Antiochum Lysiam hominem nobilem de genere regali super negotia regia à flumine Euphrate vsque ad fluuium Ægypti: & vt nutriret Antiochum filium suum donec rediret. 3.2.

Venerunt in Maspha contra Ierusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel. 33.5.

Accingimini, & estote filij potentes, etc. quoniam melius est nos mori in bello quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat. 858.4. 214.3.

Sicut voluntas fuerit in cælo sic fiat. 246.8. 217.9. 534.2.

4. *Renouatum est in canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis. Et cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, etc.* 795.8.

7. *Et venerunt ad eum viri iniqui, & impij ex Israel: & Alcymus Dux eorum, qui volebat fieri Sacerdos. Et accusauerunt populum apud Regem, dicentes: perdidit Iudas, & fratres eius omnes amicos tuos, & nos disperdit de terra tua.* 27.3.

Caput Nicanoris amputauerunt, & dexteram eius quam extenderat superbè, & attulerunt, & suspenderunt contra Ierusalem. 567.2.

9. *Renuntiatum est Ionathæ, & Simoni fratri eius, quia filij Iambri faciunt nuptias magnas, etc.* 531.8.

12. *Nos cum nullo horum indigeremus habentes solatia sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* 206.11.

13. *Is ædificauit super sepulchrum patris sui, & fratrum suorum, ædificium altum visu, & circumposuit columnas magnas: & super columnas arma ad æternam memoriam: & iuxta arma, naues sculptas quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mari.* 882.4.

14. *Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filiis eius? restituit enim ipse fratres suos, & expugnauit inimicos Israel ab eis, & statuerunt ei libertatem, & descripserunt in tabulis æneis, & posuerunt in titulo in monte Sion.* 675.1.

Ex Libro II. Machabæorum.

1. *Benefaciat vobis Deus, & memineris testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob, seruorum suorum fidelium: & det vobis cor omnibus vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti.* 69.5.

3. *Fiebat vt, & ipsi reges, & principes locum summo hono-*

rent dignum, & templum maximis muneribus illustrarent, ita vt Seleucus Azia Rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. 351.8.

Sacerdotes ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt, etc. se, & inuocabant de cælo, etc. alij etiam gregatim de domibus confluebant publicâ supplicatione obsecrantes, etc. Accinctæ mulieres per plateas confluebant, etc. 547.3.

Cùm hæc agerentur contigit Tharsenses, & mallotas seditionem mouere, eò quod Antiochidi Regis concubinæ dono essent dati. 677.7.

5. *Et qui insepultos multos abiecerat, ipse & inlamentatus, & insepultus abiicitur, sepultura neque peregrina vsus, neque patrio sepulchro participans.* 151. 2.

6. *Obsecro autem eos, etc. sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri, etc.* 262.4.

Ne cum iudicij dies aduenerit in plenitudine peccatorum puniat. 709.13.

Eleazarus vnus de primoribus scribarum vir ætate prouectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille gloriosissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium, etc. 554.2.

Cogitare cæpit (Eleazarus) ætatis suæ ac senectutis eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optima conuersationis actum, & secundum sanctæ, & à Deo conditæ legis constituta, respondit cito dicens, præmitti se velle in infernum. 49.6.

Nam & si in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam. 51.4.

7. *Quid quæris, & quis vis discere à nobis? parati sumus mori magis, quàm patrias Dei leges præuaricari.* 152.5.

Irridens crudelem tyrannum ait patria voce: Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, etc. 25.6.

Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, etc. suscipe mortem vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. 593.7.

Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. 152.5.

9. *Isq; qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius, & fætore exercitus grauaretur. Et qui paulò antè sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intoleratiam fætoris portare.* 765.10.

Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. 765.10. 735.1.

Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. 609.9. 766.13.

Non deſperans memetipſum, ſed ſpem multam habens effugiendi infirmitatem. 610.9.

10. *Quibus geſtu rogabant Dominum proſtrati in terram, etc.* 795.8.

Cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante mod. cum temporis, diem ſolemnem tabernaculorum, in montibus, & ſpeluncis more beſtiarum egerant propter quod thyrſos, & ramos virides, & palmas præferebant ei qui proſperauit mandari locum ſuum. 771.8.

Sed cùm vehemens pugna eſſet apparuerunt aduerſarijs de cælo viri quinque in equis frenis aureis decori, etc. 590.8.

12. *Ad preces conuerſi roganerunt vt id quod factum erat delictum obliuioni traderetur.* 327.13.

Benè & religiosè de reſurrectione cogitans, niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Et quia conſiderabat, etc. 327.14.

Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. 133.6.

13. *Sed Rex Regum ſuſcitauit animos Antiochi impeccatorem, & ſuggerente Lyſia hunc eſſe cauſam omnium malorum iuſſit (vt eis eſt conſuetudo) apprehenſum in eodem loco necari. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, ageſtum vndique habens cineris, etc.* 116.13.

15. *Eſt ne potens quiſpiam in cælo qui imperauit agi diē Sabbathorum? & reſpondentibus illis eſt Dominus vium, ipſe in cælo potens qui iuſſit agi diem ſeptimam. At ille ait: & ego potens ſum ſuper terram qui impero ſumi arma, & negotia regis impleri.* 94.3.

Accipe ſanctum gladium, munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſrael. 723.4.

Erant manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes proſtrauerunt non minus triginta quinque millia, præſentia Dei magnificè delectati. 279.9.

Omnes, igitur, cæli, benedixérunt Dominum, dicētes, Benedictus qui locum ſuum incontaminatum ſeruauit. Suſpendit autem Nicanoris caput in ſumma arce, vt euidens, & manifeſtum ſignum auxilij Dei. Itaque omnes communi conſilio deuenerunt nullo modo diem iſtum abſque celebritate præterire. 771.9. 567.2.

Ex Euangelio Matthæi.

Matth. 1. *Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* 193. 3.

Ioſeph autem vir eius, etc. cogitauit occultè dimittere eam, etc. hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens, etc. 837. 11.

Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt. 514.3.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum, etc. Cùm inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Matth. 2. 657.16.

Clam vocatis magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethleem dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, etc. 424.2.

Congregās omnes principes ſacerdotum ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. 833.1. & 834.6.

Congregans omnes principes ſacerdotum, & Scribas populi ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. 336.4. *& tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es, etc.* 337.4.

Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, etc. 837.11.

Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Matth. 3. 32. 182.7. 268.3.

Progenies viperarum quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? 544.3.

Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cælorum. Matth. 4. 544.3.

Continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum. 134.3.

Aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu, etc. Matth. 5. 733.3.

Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. 544.4.

Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit in quo ſalietur? Ad nihil valet vltra niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. 422.7.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, etc. Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, etc. 182.7.

Ipſorum eſt enim regnum cælorum. 330.3.

Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 298.4.

Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. 840.3.

Beati qui perſecutionem patiuntur, etc. 365.3. 367.7.

Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. 631.16. 754.5. 758.4. 569.7.

Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti, etc. & dixerint, etc. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. 367.9.

Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. 78.8.

Dico vobis niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum. 837.12. 839.1.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, etc. 202.4.

Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam iam ma-

machus est in corde suo. 667.7.
Ego autem dico vobis non resistere malo. 321.7.
Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros. 321.7.
Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, etc. 321.7.
Matt. 6. Estote perfecti, sicut & pater vester caelestis perfectus est. 149.1.
Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. 284. 18.
Cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora. 255.2.
Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio exaudiantur. 267.1.
Fiat voluntas tua sicut in caelo, & in terra. 837. 12. 214.1. 217.10. 361.8.
Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 322.8.
Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester caelestis delicta vestra. 321.7.
Nemo potest duobus Dominis seruire, etc. Non potestis Deo seruire, & mammonae. 892.3. 894.6.
Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? 416.7.
Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, etc. Nonne vos magis pluris estis illis? 418.8. 344.10.
Et Pater vester caelestis pascit illa. 417 9.
Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent, etc. 417.9.
Scit pater vester quae bus omnibus indigetis. 344.10. 418. 9.
Quaerite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & haec omnia adiicientur vobis. 70.9. 341.4. 343.9.
Quaerite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. 838. 14.
Matt. 7. In quo iudicio iudicaueritis etiã iudicabimini. 224.8.
Omnia ergo quaecunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. 319.2.
Haec est lex, & propheta. 320.2.
Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. 37 8. 301.1.
Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est. 839.3.
Matt. 8. Non sum dignus vt intres sub tectum meum. 581.14.
Sequere me: demitte mortuos sepelire mortuos. 136. 6.
Matt. 9. Confide fili, & remittuntur tibi peccata tua. 647.11.
Turbatimiserunt, & glorificauerunt Deum. 662.1. 48. 2.
Sequere me, & surgens secutus est eum. 137.10.
Confide filia, fides tua te saluam fecit. 647.11.
Non est mortua puella, sed dormit. 186.9.
Matt. 10. Intrantes domum, salutate eam dicentes pax huic domui, & si quidem fuerit domus illa digna veniet pax vestra super eam. 387.7. 363.4.
Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae, 17.5. 143.12.
Eritis odio omnibus hominibus. 19.3.
Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. 810.11. 59.11.
Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? 186.9.
Cùm vos persequentur in ciuitate ista, fugite in aliã. 109 4.
Nihil est opertum quod non reuelabitur, & occultũ quod non sciatur. 283.16.
Nolite timere eos qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt occidere. Timete autem magis eum qui potest animam, & corpus perdere in gehennam. 511.7.
Timete eum qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam. 544.3.
Nonne duo passeres asse venerunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. 417.8.
Nonne duo passeres asse venerunt, etc. vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere multis passeribus meliores estis vos. 344.10.
Vnus passer non cadit super terram sine patre vestro. 651. 9.
Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est. 25.6.
Veni enim separare hominem aduersus patrem, etc. inimici hominis domestici eius. 148.4.
Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam. 855.2.
Qui recipit vos me recipit, & qui recipit me, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, etc. 545. 5.
Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti recipiet. 831.13. 184.12.
Quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedẽ suã. 647 10.
Matth. 11. Tu es qui venturus es, an alium expectamus. 274.6. 507. 4.
Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam. 497.6.
Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. 11 7.
Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista, etc qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo. 276.1.
Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere paenitentiã egissent. veruntamen dico vobis, Tyro, & Sydoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capharnaum nunquid vsque in caelum exaltaberis, vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem, veruntamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die iudicij quàm tibi. 729.7.

Confitebor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita pater quoniam sic placitum fuit ante te. 273.4. 718.9.

Matth. 12. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis: remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, etc.* 197.5.

Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. 327.15.

Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali: ex abundantia enim cordis os loquitur. bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala. 787.11.

Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est. 214. 2.

Matth. 13. *Fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* 314.7.

Superseminavit Zizania in medio tritici. 559.11.

Matt. 14. 1. *In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu.* 557.8.

Matth. 14. *Navicula in medio mari iactabatur fluctibus.* 21.7.

Modicæ fidei quare dubitasti. 344.11. 690.2.

Matth. 15. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum. Quare vos transgredimini mandatum Dei?* 373.5.

Non quod intrat in os coinquinat animam, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. 63.1.

Non est bonum sumere panem filiorum, etc. 499.13.

Mulier magna est fides tua. 499.12.

Matth. 17. *Bonum est nos hic esse.* 182.7.

Nemini dixeritis visionem donec filius hominis à mortuis resurgat. 688.7.

O generatio incredula, quousque ero vobiscum, etc. 373.5.

Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic Transi hinc, illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. 538.6.

Matth. 17. *Hoc autem genus dæmoniorum non eiicitur nisi per orationem, & jejunium.* 428.2.

Matth. 18. *Amen dico vobis nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non introibitis in regnum cælorum.* 16.3.

Videte ne contemnatis unum de pusillis istis. 5.5.

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui credunt in me, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, etc. 631.15. & 16. 306.12.

Necesse est ut veniant scandala. 705.2.

Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. 22.8. 835.15. 352.11.

Si oculus tuus scandalizat te erue eum, 667.7.

Dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omnire quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo. 202.4 548.3.

Quæcunque alligaveris super terram. 719.2.

Redde quod debes. 288.6.

Omne debitum dimisi tibi. 670.7. 804.4.

Sic, & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiserit unusquisque fratri suo de cordibus vestris. 321.7.

Matth. 19. *Si talis est causa hominis cum uxore ni expedit nubere, etc. non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: Sunt enim eunuchi qui de utero matris ita sunt, etc.* 452.6. 455.12.

Qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. 70.10.

Ut manus eis imponeret, & oraret. 386.2.

Si vis ad vitam ingredi serva mandata, etc. quæ? etc. non homicidium facies, etc. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, etc. 837.12.

Habebis thesaurum in cælo. 720.6.

Matth. 19. *Et ipsi habent thesaurum in cælo, & cum Christo indices sunt futuri in novissimo die.* 330.3.

Matth. 20. *Conventione autem facta cum mercenariis ex denario diurno misit eos in vineam suam.* 317.1.

Cùm serò esset factum dicit procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem. 318.3.

Hi novissimi una hora fecerunt, & pares nobis illos fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus. 167.4.

Matth. 21. *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* 398.12.

Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet. Et omnia quæcunque petieritis credentes, accipietis. 647.11.

Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus ejicite eum in tenebras exteriores.*

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. 839.3. 24.4.

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anetum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis judicium, & misericordiam, & fidem. 830.10.

Matth. 23. *Circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum.* 63.2.

Matth. 23. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum* 849.4.

Matth. 24. *Qui in Judæa sunt fugiant ad montes.* 109.4.

Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. 883.7.

Si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret. 861.14.

Matt. 25. 3. *Quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* 646.7.

Media nocte clamor factus est. 883.7.

Matt. 25. 13 *Vigilate quia nescitis diem neque horam.* 378.8. 883.7. 751.2.

Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. 874.11.

Serve male, & piger, sciebas quia metto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi, etc. tollite ergo ab eo talentum, etc. 587.3.

Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, etc. hospes eram, & collegistis me. 484.10. 502.1.

Esurivi, & dedisti mihi manducare, sitivi & dedisti mihi potum, etc. Domine quando te vidimus esurientem, & pavimus te sitientem, etc. 582.13.

Discedite à me maledicti in ignem aternum, vbi erit fletus & stridor dentium. 698.nu.17.& 18.

Ite in ignem eternum. 740.12.

Ibunt hi in supplicium eternum.

Matt.26. *Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes vt quid perditio hac?* 816.13.

Melius esset homini illi si natus non fuisset. 547.8.

Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo; etsi omnes scandalizentur; non ego. 706.6.

Tristis est anima mea vsque ad mortem. 236.5.

Sustinete hic, & vigilate mecum. 549 5.

Pater transeat à me, calix iste. 172.9.

Cepit contristari, & mastus esse, etc. & progressus pusillum procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste. 465.4.

Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. 883. 7.

Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. 247.8.

Convertę gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. 130.13.

Tu cum Iesu Galilæo eras. Ipse autem negavit. 21. 6.

Matt. 27. *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* 373.5.

Ex Euangelio S. Marci.

Marc. 6. *Vnde huic hæc omnia, & quæ est sapientia quæ data est illi? etc. nonne hic est faber filius Mariæ?* 348. 6.

Metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. 104.6.

Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi: & iurauit illi, quia quidquid petieris, dabo tibi licet dimidium regni mei. 677.

Volo vt protinus des mihi. 664.6.

Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. 250.1.

Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. 647. 11.

Marc. 9. *Vidimus quendam in nomine tuo dæmonia eicientem.* 431.10.

Vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. 698.18.

Ignis eorum non extinguitur. 740.12

Omnis in igne salietur, & omnis victima sale salietur. 420.5. Item 423.9.

Habete in vobis sal. 420 5.

Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. 421.5.

Marc.11. *Hosanna benedictus qui venit in nomine Domini.* 398.12.

Marc.11.24 *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* 690.1.

Marc. 13. *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli de cælo, neque filius, sed solus pater, & cui pater voluerit reuelare.* 376.3.

Videte vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Vigilate ergo: nescitis enim quando Dominus domus veniat: serò an media nocte, an galli cantu, etc. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. 467.8. 83.7.

Crucifige eum. 398.12. Marc. 15.

Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Marc. 16. 752.8.

Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eicient, etc. 431.10 433.14. 538.6.

Si mortiferum quid biberint non eis nocebit. 467.7.

Ex Euangelio S. Lucæ.

Erant autem iusti ambo ante Deum. 560.13. Luc. 1.

Erant ambo iusti apud Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. 892.3. 893.5. 378.2.

Erant ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela, & non erat illis filius. 394.8.

Ne timeas Zacharia quoniam exaudita est deprecatio tua. Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium. 701.2.

Erit magnus coram Domino. 4.5.

Ego sum Gabriel qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. 729.6. 713.9. 727.1.

Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. 727.1.

Vbi impleti sunt dies officij eius abiit in domum suam. 476.3.

Quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. 598.6. 222.2.

Ave gratia plena, Dominus tecum. 361.3.

Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. 729.5.

Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. 4.5.

Dabit illi Dominus, sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. 734.7.

Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco, 372.2.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, etc. Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. 437.11.

Exsurgens abiit in montana cum festinatione, & salutauit Elisabeth. 885.13. 136.6.

Factum est, vt audiuit vocem salutationis Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elizabeth. 387.6.

Vnde mihi hoc vt veniat mater Domini mei ad me? 489.5.

Magnificat anima mea Dominum, etc. 563.6.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. 515.5.

Factus est timor super omnes vicinos. 48.2.

Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. 744.2.

Tu quoque puer propheta Altiſſimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. 13.3.

Luc. 2. *Eò quod eſſet de domo & familia David.* 7.6.

Et turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum. 718. 11.

Gloria in excelſis Deo. 171.6.

Fili, quid feciſti nobis ſic? 373.5.

Fili, quid feciſti nobis ſic? etc. Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. 865.1.

Neſciebatis, quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe? 272.4.

Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. 866.1.

Proficiebat ætate, & ſapientia. 13.1.

Ieſus autem proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines. 892.3.

Luc. 3. 8. *Genimina viperarum ne ceperitis dicere: Patrem habemus Abraham.* 504.4. 380.5. 4.3.

Quid faciemus? etc. nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis, etc. neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. 839.3.

Luc. 4. 4. *Quia ex ſilius Dei, increpans, non ſinebat ea loqui.* 769. 3.

Luc. 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* 582. 14.

Exi à me, quia homo peccator ſum Domine, ſtupor enim circumdederat eum in captura piſcium. 717. 5.

Luc. 6. *Væ cùm benedixerint vobis homines.* 892.3.

Omni petenti tribue. 289.7.

Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter 319.2.

Mutuum date, nihil inde ſperantes. 593.1.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. 213.4.

Dimitte, & dimittetur vobis. 321.7.

Date, & dabitur nobis. 296.8. 692.9.

Quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis. 290. 9. 322.8.

Amen dico vobis nec in Iſrael tantam fidem inueni. 497. 6.

Accepit omnes timor, & glorificabant Deum. 662. 1.

Luc. 7. *Timor omnes accepit, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* 48.2.

Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt, etc. Symon habeo tibi aliquid dicere, etc. Magiſter dic, etc. 580.9.

Hic ſi eſſet Propheta, ſcirent vtique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum: quia peccatrix eſt. 230.4.168.7.

Videns hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit, 501.13.

Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. 259 5. 868.5.

Luc. 8. 17. *Non eſt occultum quod non manifeſtetur, nec abſconditum quod non cognoſcatur.* 284.18.

Cùm egreſſus eſſet Ieſus ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat demonium iam temporibus multis, & veſtimento non indubatur, &c. Multis temporibus arripiebat eum, &c. Et ruptis vinculis agitabatur à demonio in deſerta. 428.3.

Luc. 9. *Dedit eis poteſtatem ſuper omnem virtutem inimici,* 433.14.

Domine vis dicimus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos: neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. 82.5.

Neſcitis cuius ſpiritus ſitis. 290.7.

Filius hominis non habet vbi caput reclinet. 371.15.

Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. 325.3.

Nemo mittens manum ad aratrum, & adſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. 819. 6. 136. 9. 149. 1. 422.8.

Luc. 10. *Neminem per viam ſaluaueritis.* 362.2. & 363.5.

Dignus eſt operarius mercede ſua. 319.10

Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. 431.10. 538.7.

Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici. 538.7.

Appropians alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum. 656.14. 613.2.

Domine non eſt tibi cura, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? 394.9.

Reſpondens dixit illi Dominus: Martha Martha ſolicita es, &c. Porrò vnum eſt neceſſarium Maria optimam partem elegit, &c. 395.9. 230.4.

Luc. 11. *Quærite, & inuenietis.* 438.12.

In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. 256.5. 428.2.

Aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. 810.10.

Si oculus tuus ſimplex fuerit totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. 484. 12. 656.16.

Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. 831.11.

Luc. 12. 4. *Dico vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, &c. Illum timete qui poteſt corpus, & animam occidere in gehennam.* 152.6.

Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare, &c. Stulte hâc nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem paraſti cuius erunt? 378.8.

Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem paraſti cuius erunt? 454.9.725.10.

Luc. 13. *Quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum.* 147.4.

Putatis quod hi Galilæi præ omnibus galilæis peccatores fuerint; quia talia paſſi ſunt? Non dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis omnes ſimiliter peribitis. 148.4.

Niſi pœnitentiam habueritis omnes ſimul peribitis. 705.2.

Luc.14. *Et factum est cùm introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum.* 703.8.

Cùm vocatus fueris ad nuptias recumbe in nouissimo loco. 527.1.

Cùm facis (inquit) prandium, aut cænam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte te, & ipsi reuniuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & beatus eris quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. 126.8.

Cùm facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris. 600.7.

Amen dico vobis, Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cænam meam. 137.9.

Si quis venit ad me, & non odit patrem, nec matrem, & vxorem, & filios, & fratres &c. Non potest meus esse discipulus. 393.7.892.3.

Nec enim in terram nec in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur. 422.7.

Luc.15. *Maius est gaudium Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super 99. iustis, qui non indigent pœnitentia.* 701.2.

Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. 319.6.

Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. 670.7.

Cùm enim filius senior appropinquaret domui, audiuit Symphoniam, & chorum, &c. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo egressus, &c. 1159.

Luc.16. *Quantum debes Domino meo.* 1431.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. 286.5.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. 330.3.1432.

Mortuus est diues, & sepultus in inferno. 287.3. 741.17.698.19.

Crucior in hac flamma. 431.9.

Habent Moysen, & Prophetas audiant illos. 834.6.

Luc.17. *Domine adauge nobis fidem.* 34.6.647.11

Præcinge te, & ministra. 135.4.

Vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, & hic erat Samaritanus. 681.7.

Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo nisi hic alienigena. 681.7.

Memores estote vxoris Loth. 422.8.819.6.

Luc.18. *Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in Sabatho: decimas do omnium quæ possideo.* 656. 15. 957. 19.529.6. 832.11.

Deus propitius esto mihi peccatori. 230.4.

Amen dico vobis, Descendit hic iustificatus ab illo. ibid.

Neque sicut publicanus iste. 312.3.

Amen dico vobis descendit hic iustificatus in domũ suã ab illo: quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. 566.14.314.7.

Omnis qui se exaltat humiliabitur. 312.4.

Zache festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, &c. 136.9. Luc.19.

Hodie salus domui huic facta est. 482.4.137.9.

Hodie huic domui salus à Deo facta est: quoniam, & hic est filius Abrahæ. 547.8.

Euge serue bone, & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens, &c. 589.6.

Si cognouisses, & tu. 219.3.

Quia si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, &c. 822.12.

Non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognouerit tempus visitationis tuæ. 511.6.

Verè dico vobis, Quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit. 646.7. Luc.21.

Trademini à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, &c. 178.4.

Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa, &c 883.7. 30.1.

Vigilate itaque omni tempore orantes. 883.7.

Positis genibus orabat dicens: pater si vis transfer calicem istum à me, verumtamen non mea voluntas sed tua fiat. 714.15. Luc.22.41.

Pater si vis transfer calicem istum à me: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. 217.8.

Amice, osculo filium hominis tradis. 547.8.

Nihil respondebat. 231.6. Luc.23.

Crucifige eum. 398.12.

Pater dimitte illis. 322.8.

Hodie mecum eris in Paradiso. 804.4.

Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. 705.3. Luc.vlt.

Finxit se longiùs ire. 382.2.

Coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum Domine quoniam aduesperascit. 390.10.

Accepit panem, & benedixit ac fregit. 528.2.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas. 670. 8.516.7.

Eleuatis manibus benedixit eis. 387.5.

Ex Euangelio B. Ioannis.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. 889.3. Ioan.1.

Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri. 504.5.

His qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, &c. Sed ex Deo nati sunt. 10.4.

Plenum gratiæ, & veritatis. 57.1.

Confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. 311.2.

Quid ergo Baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? 495.7.

Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi. 849.5. 727.1.

Quem scripsit Moyses in leges & Prophetas, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et dixit ei Nathanael. A Nazareth potest aliquid boni esse 6.1. 560.13.

Inuenimus Iesum filium: Ioseph à Nazareth, &c. A Nazareth potest aliquid boni esse? 498.11.

Inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazaret, &c. Priusquam te Philippus vocaret cùm esses sub ficu vidi te: Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel. 515.6.

Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verus Israelita, in quo dolus non est. 498.11.

Ioan.1. 48. *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.* 560. 13. 383.8.

Vnde me nosti? &c. Priusquam te Philippus vocaret cùm esses sub ficu vidi te, &c. Rabbi tu es filius Dei tu es rex Israel. 499.11.

Ioan.2. *Et crediderunt in eum discipuli eius.* 34.6.

Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* 10.4.

Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? numquid potest in ventrem matris sua iterum introire, & renasci? 434.5.

Omnis qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. 582.4.

Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera illius, quia in Deo sunt facta. 57.3.

Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, &c. Ecce hic Baptizat, & omnes veniunt ad eum, &c. Illum oportet crescere, me autem minus. Qui de sursum venit super omnes est, &c. Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo, &c. Ipsi, vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. 311.1.

Ioan 4. *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* 63.3.

Si scires donum Dei, &c. Vade voca virum tuum. 399.4.

Puteus altus est, & in quo haurias non habes.

Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis: Quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet. 34.6.

Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæ ego feci: Nunquid ipse est Christus, &c. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, &c. 670.8.

Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. 719.3.214.2.

Rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. 661.11.

Credidit ipse, & domus eius tota. 815.11.

Ioan.5. *Quinque porticus habens in quibus iacebat multitudo magna languentium, &c. Expectantium aquæ motum, & qui primus descendisset in piscinam, sanus fiebat à quacunq; detinebatur infirmitate.* 410.1.

Qui primus descendisset in piscinam, sanus fieret à quacunque detinebatur infirmitate. 32.3.

Vis sanus fieri? 656.13.

Hominem non habeo. 319.

Surge tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim (inquit Euangelista) sanus factus homo ille, &c. 137.10.

Ecce iam sanus factus es, noli peccare, ne deterius aliquid contingat. 212.5.

Ioan.6.1. *Cùm remigassent ergo, quasi stadia viginti quinque, aut triginta, vident Iesum ambulantem super mare, & proximum naui fieri.* 743.10.

Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. 545.5

Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. 347.8

Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur. 710.7.

Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, &c. 145.1.

Sed quid hæc sunt inter tantos? 344.10.

Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare, &c. 439.14.

Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. 434.5.

Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. 705.2.

Qui manducat meam carnem, &c. Habet vitam æternam. 760.9.

Qui manducat hunc panem, viuit in æternum, &c. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. 721.9. 721.8.

Ioan 7. *Non adscendam ad diem festum istum, vt autem adscenderunt fratres eius tunc, & ipse adscendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* 384.8.

Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit, &c. Doctrina mea non est mea. 679.1.

Si quis sitit veniat ad me, & bibat. 512.8.

Nunquid à Galilæa venit Christus? 6.1

Ioan.8. *Vade, & iam amplius noli peccare?* 818.5.

Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei facio semper. 843.12.

Nonne nos benedicimus, quia, &c. Demonium habes? 156.5.

Ioan.9. *Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? (Respondit) Neque hic peccauit, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* 138.8.

Neque hic peccauit neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. 653.5.

Da gloriam Deo, nos scimus, quia homo peccator est, &c. 584.7.

Et eiecerunt eum foras, &c. Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras; &c. 669.3.

Tu credis in filium Dei, &c. Quis est Domine, vt credam

credam in eum. 373.5.

Ioan.10. *Erit vnum ouile, & vnus pastor.* 837.12.

Dæmonium habet, & insanit quid eum auditis. 256.5.

Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura. 56.7.

Ioan.11. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* 158.8.

Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus. 497.6.

Ecce quomodo amabat eum? 886.15.

Nonne dixi tibi quoniam si credideris videbis gloriam Dei? 158.8.

Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. 682.8.

His homo multa signa facit, &c. Venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. 411.6.

Ioan.12.5. *Quare hoc vnguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis, &c. Sine illam vt in die sepultura mea seruet illud: pauperes enim, &c.* 291.5.

Benedictus qui venit in nomine Domini. 398.12.

Ioan.13. *Cum iam misisset diabolus in cor Iudæ vt traderet eum.* 428.2.

Erat recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. 582.15.

Domine hic autem quid, sic eum volo manere donec veniam; Quid ad te? tu me sequere. 426.7.

Ioan.14. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* 150.2.

Ego sum via, veritas, & vita. 57.1.

Ioan.15.7. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* 840.3.

Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. 718.8.

Quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus. 893.4.

Nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & patrem meum: sed vt adimpleatur, &c. Quia odio habuerunt me gratis. 89.3.

Ioan.16. *Absque Synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* 178.4.

Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. 656.15.

Quia hæc locutus sum vobis tristitia implenit cor vestrum. &c. Ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. 399.4.

Plorabitis, &c. Flebitis vos, mundus autem gaudebit. 601.7.

Mulier, cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundo. 46.2.

Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 606.7.

Ioan.17.1. *Clarifica me tu pater, &c. Clarifica nomen tuum, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* 498.8.

Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. 705.2. 425.6.

Quem quæritis? 373.5. Ioan.18.

Sequebatur Iesum Symon Petrus, & alius discipulus. 582.15.

Crucifige eum. 398.12. Ioan.19.

Venit autem Nicodemus qui venerat ad Iesum nocte primùm. ferens mixturam myrrhæ, & aloës quasi libras centum, &c. Sicut mos est Iudæis sepelire. 99.2.

Domine si tu sustulisti eum dicito mihi, &c. 407.8. Ioan.20.

Et hæc dixit mihi. 636.5.

Pax vobis, nolite timere. 719.11.362.1.

Quorum remiseritis peccata remissa sunt. 705.2.

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, etc. Non credam. 782.9.

Noli esse incredulus sed fidelis, respondit Thomas, & dixit: ei Dominus meus, & Deus meus. 782.9.

Mane facto stetit Iesus in littore, &c. Nunquid pulmentarium habetis? Ioan.21. 215.5.

Dominus est. 543.5.

Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. ibid.

Pasce oues meas. 646.6.

Amen amen dico tibi cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, &c. 465.4.

Ex Actis Apostolorum.

Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel, etc. Act.1.

Non est vestrum nosse tempora, & momenta, &c. 426.7.

Tu Domine qui nosti corda omnium. 376.3.

Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri Act.2. *religiosi ab omni natione quæ sub cælo est.* 780.3.

Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? & quomodo audiuimus eos loquentes nostris linguis, &c. 348.6.

Omnes isti Galilæi sunt. 7.6.

Quia multo pleni sunt isti. 256.5.86.9.

Non sicut vos æstimatis hi ebrij sunt. 255.2.

Solutis doloribus inferni. 740.11.

Cùm orassent discipuli vnanimiter, &c. 548.3.

Respice in nos, &c. Argentum, & aurum non est mihi; quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Act.3. *Iesu Christi surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera allevauit eum.* 679.1.

Surrexit ambulans, & exsiliens, & laudans Deum. 662.1.

Impleti sunt stupore, & extasi, in eo quod contigerat illi. 484.

Viri Israelitæ quid miramini in hoc, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare, 679.1

Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Act.4. *Deum, iudicate, non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui.* 152.6.

Factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in Act.5. *omnes*

omnes qui audierunt hæc. Et infrà. Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. 71.3.

Augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum ita vt in plateas ejicerent infirmos, &c. Vt saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, &c. Afferentes agros, & vexatos à spiritibus immundis qui curabantur omnes. 430.8.

Interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens, præcipiendo præcepimus vobis, ne docuerit in nomine isto: &c. respondens autem Petrus, & Apostoli, dixerunt: obedire oportet Deo magis quàm hominibus. 152.6.

Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. 244.

Et nunc itaque dico vobis discedite ab hominibus istis, & finite illos quoniam si est ex hominibus consilium hoc, &c. 339.10.

Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. 365.1.

Act. 6. *Qui autem erant in concilio viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* 535.3.

Actor. 7. *Cùm esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris: Et ait: Ecce video cælos apertos, &c. Positis enim genibus clamauit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* 181.5.

Vos semper spiritui sancto restitistis sicut, & patres vestri. 890.6.

Stephanus vidit cælos apertos; & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. 36.5.

Ne statuas illis hoc peccatum. 321.8.

Act. 8. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes sunt dispersi, per regiones Iudææ, & Samariæ: igitur qui dispersi erant pertransibant Euangelizantes verbum Dei.* 750.4.

Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. 864.12.

Angelus autem Domini locutus est ad eum: Surge, & vade contra Meridianum, ad viam quæ descendit ab Hierusalem in Gazam, hæc est deserta, &c. 663.3.

Surge, & vade contra Meridianum, &c. 641.5.

Act. 9. *Saule, Saule, quid me persequeris? Quis es Domine? Ego sum Iesus, &c.* 817.10.

Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. 97.8.

Saule, Saule, quid me persequeris? (respondit) Domine quid me vis facere? 137.10.832.1.

Et abijt Ananias, & introiit in domum, & imponens ei manus dixit, Saule frater, &c. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squammæ, & visum recepit. 654.8.

Act. 10.1. *Vir erat quidem in Cæsarea, nomine Cornelius, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua.* 815.11.640.1.

Vidit in visu manifestè, quasi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Cornceli, &c. Orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. & nunc mitte viros in Ioppen, &c. 272.1.701.7.

Vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti, &c. Dixit Spiritus ei. Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, descende, & vade cum eis nihil dubitans, &c. 640.2.

Surge, & ego ipse homo sum. 581.12.

Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam. 63.2.

Aperiens autem Petrus os suum dixit: in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus. 733.3.

In omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. ibid.

Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. 760.9.

Act. 11. *Disceptabant aduersus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introistis ad viros præputium habentes, & manducastis cum illis?* 63.2.

Erant autem quidam ex eis, viri Cypri, & Cyrenæi qui cùm introissent Antiochiam, loquebantur, & ad Græcos, annuntiantes Dominum Iesum: & erat manus Domini cum eis. Multusq; numerus credentium conuersus est ad Dominum. 44.2.

Hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino, quia erat vir bonus, & repletus spiritu sancto, & fide. 505.9.

Act. 12. 8. *Præcingere, & calceate caligas tuas.* 135.4.

Et exeuntes processerunt vicum vnum, & continuo discessit Angelus ab eo. 727.2.

Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Iudæorum. 727.2.406.9.159.4.

Act. 13. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas.* 57.2.

Ecce manus Domini super te, & eris cæcus. 744.1.

Suadebant vt permanerent in gratia Dei. 80.3.

Iudæi concitauerunt mulieres religiosas, & honestas, &c. Et primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, &c. 198.8.

Act. 14.21. *Cùm Euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium.*

Per multas tribulationes oportet nos introire in regni Dei. 705.3.

Congregarunt Ecclesiam, & retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset gentibus ostium fidei. 670.8.

Act. 15. *Facta est dissensio ita vt discederent ab inuicem.* 856.5.

Act. 16. *Tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus Iesu.* 377.6.

Cùm autem ipsa Baptizata esset, & domus eius deprecata est dicens: si iudicastis me fidelem Domino

mine esse introite in domum meam, & manete, &c. 48.5.

Si iudicastis me fidelem esse Domino, introite in domum meam, & manete, & coegit nos. 390.11.

Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis, dolens, autem, & conuersus spiritui dixit: præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. 769.3.198.9.

Subitò terræ motus factus est magnus: ita vt mouerentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt, &c. 71.3.

Expergefactus custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere æstimans fugisse vinctos. 815.11.

Domine quid me oportet facere, vt saluus fiam. 815.6. 833.1.

Cùmq; perduxisset eos in domum suam apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua credens Deo. 815.11.

Dimitte homines illos. 805.6.

Act.17. *Fratres verò confestim per noctem dimiserunt Paulum, & Sylam in Beroeam. Qui cùm venissent in Synagogam Iudæorum introierunt: Hi autem erant nobiliores eorum qui erant Thessalonicæ, etc.* 3.2.

Quidam autem Epicurei, & Stoici Philosophi disputabant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere: Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse, &c. 186.9.

Quidam Epicurei, & Stoici Philosophi disserebant cum eo, &c. Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. 423.2.

Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis. 427.1.

Possumus scire quæ hæc est noua, quæ à te dicitur doctrina: noua enim quædam infers auribus nostris: volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. 507.4.

Stans in medio Areopagi ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. Prætereuns enim, & videns simulacra vestra & inueni Aram in qua scriptum erat, Ignoto Deo; Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. 50.4.

Quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. 189.9.

Act.18. *Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua. Vir eloquens, & potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu, &c.* 636.5.

Act.19. *Virtutes non medicas quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* 430.8.

Multi autem qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretijs illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. 424.3.

Act.20. *Nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem qua in ea ventura sunt mihi ignorans, nisi quod spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur dicens: quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent.* 274.4.158.9.

Mundus sum à sanguine omnium; Non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. 81.2.

Attendite vobis, & vniuersi gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. 24.4.

Argentum, & aurum aut vestem nullius concupiui, &c. 685.2.

Beatius est magis dare quàm accipere. 685.8.

Act.21. *Salutatis fratribus mansimus die vna apud illos.* 363.4.

Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu. 181.6. 534.1.

Voluntas Domini fiat. 217.9.

Senioribus narrabat per singula quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. Qui cùm audissent magnificabant Deum. 670.8.

Ego sum homo quidem Iudæus à Tarso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps. 8.8.

Act.22. *Festina, & exi velociter ex Ierusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me.* 135.4.

Act.23. *Deuouerunt se dicentes neque manducaturos neque bibituros, donec occiderent Paulum.* 507.2.

Festinabat si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis. 33.4.

Act.24. *In hoc, & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad hominem semper.* 350. 8 536.4.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 603.2.

Act.25. *Ad tribunal Cæsaris sto; ibi me oportet iudicari.* 141.5.

Act.26,24. *Insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam conuertunt.* 186 9.

In modico suades me Christianum fieri. 186.9.

Act.27,21. *Tunc stans Paulus in medio eorum dixit: Oportebat quidem ô viri audito me non tollere à Creta, &c. Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis præterquam nauis. Astitit enim, &c.* 597.3.

Nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis præterquam nauis. Adstitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet astare; & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. 534.2.

Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. 209.

Act.28. *Barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis. Accensa enim pyra receptabant nos omnes*

nes propter imbrem. 483.7.
Homicida eſt homo hic: qui cùm euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere. 180.1.
Videntes mihil mali fieri in eo, conuertentes ſe dicebant eum eſſe Deum. 405.4.
In locis autem illis erant pradia principis inſulæ nomine Publij, qui nos ſuſcipiens triduo benignè exhibuit. 483.7.
Ad quem Paulus intrauit, & cùm oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſanauit eum. Quo facto omnes qui in inſula habebant infirmitates, &c. 483.7.
Propter Iſrael catena iſta circumdatus ſum. 58.8.

Ex Epiſtola B. Pauli ad Romanos.

Rom.1. v.7. *Omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis.* 180.2.
Gratia vobis, & pax. 364.7.
Obſecrans ſi quo modo tandem proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad eos. 377.6.
Sæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc. 641.5.
Græcis ac barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum. 587.4.
Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum. 261.4.
Commutauerunt veritatem Dei in mendacium, &c. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, &c Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. 870.8.
Rom.2. *Inexcuſabilis es, ô homo, omnis qui iudicas: in quo enim iudicas alium te ipſum condemnas, &c.* 226.4.
An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 474.8.823.5.
Theſaurizas tibi iram in die ira. 102.11.
Rom.3. *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* 838.1.
Rom.4. *Contra ſpem in ſpem credidit. Confortatus eſt fide, dans gloriam Deo.* 642 5.
Rom.5. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum, Dei non ſolum autem ſed, & gloriamur in tribulationibus, &c.* 370.13.371.14.
Rom.6. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius.* 51.3.313.6.
Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. 137.11.
Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita æterna. 796.12.695.7.139.3.
Rom.7. *Si quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et infrà. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* 50.2.
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. 456.13.732.3.
Rom.8.6. *Prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus vita pax.* 143.11.
Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram. nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus. Sed ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 455.12.
Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus. 376.3.
Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 693.1.623.8.
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an periculum, an perſecutio, an gladius? 618.2.
Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. 259.3.
Rom.9. 1. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in ſpiritu ſancto.* 499.13.
Optabam ego ipſe Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. 499.13.
Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. 305.2.
Rom.11. *Si delibatio ſancta eſt, & maſſa, & ſi radix ſancta, & rami.* 379.2.
O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. 255.4.112.1.
Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? 373.5.273.1.
Rom.12.1. *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* 833.2.828.3 567.4.579.5.
Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter nos, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. 440 14.843.2.
Benedicite, & nolite maledicere. 228.10.
Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. 90. 1.670.1.
Ne ſitis prudentes apud vosmetipſos. 616.6.
Prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam omnibus hominibus. 555.4.
Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes. 893.5.
Mihi vindicta, & ego retribuam. 323.9.
Si eſurierit inimicus tuus ciba illum: ſi ſitit potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ipſius. 322.9.
Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. 322.9.
Rom.13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* 89.6.
Si malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. 129.6.
Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. 594.7.
Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. 699.20.
Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, &c. 130.13.
Carnis curam ne feceritis in deſideriis. 306.11.

Rom.14. *Qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* 224.10.

Rom.15. *Vnusquisq; vestrum proximo placeat in bonum ad ædificationem.* 894.6.

Quæcunq; scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. 683.4.12.

Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam, & ipsi pleni estis dilectione, &c. 259.3.

Sanctificans euangelium Dei vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. 567.4.

Proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis. 180.2.

Ex Epistola prima B. Pauli ad Corinthios.

1.Cor.1. *Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.* 388.7.

Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? 434.7.

Qui gloriatur, in Domino glorietur. 679.1.

2.Cor.2. *Si cognouissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 95.6.

Oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor, &c. 329.141.2.791.8.

Quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita, & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. 375.2.

Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. 455.12.

Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? 883.9.

1.Cor.3. *Non enim qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 411.4.

Dei adiutores sumus. 77.6.

Si cuius opus arserit detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. 127 15.

1.Cor.4. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* 874 11.

Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me Dominus est. 213.11.

Nolite ante tempus iudicare. 223.4.

Spectaculum enim facti sumus mundo, Angelis, & hominibus. 350.8.

Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis. 314.7.

Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti? &c. 317.13.

Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam mortis destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. 160.13.

Blasphemamur, & obsecramus. 135.4.

Rogo vos imitatores mei estote sicut ego Christi. 352 11.

Veniam autem ad vos citò si Dominus voluerit. 377.6.

Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? 614. 3.829.4.

1.Cor.5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* 852.11.

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Ne commisceamini fornicariis. 21.6.

Nunc autem scripsi vobis non commisceri; si is, qui frater nominatur est fornicator, aut auarus, &c. 226.3.

Si is qui frater nominatur est fornicator aut auarus, &c. Cum eiusmodi nec cibum sumere. 329.2.

Neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, &c. regnum Dei possidebunt. 226.2. 1.Cor.6.

Qui adhæret Domino vnus spiritus est. 452.6.

Omne peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 540.2.

Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. 758.4.

Bonum est homini mulierem non tangere. 476 3. 1.Cor.7.

Vnusquisq; vxorem suam habeat propter fornicationem, & vnaquæq; suum virum 545.6.445.2. 307 1.

Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir, &c. 453.7.

Iterum reuertimini in idipsum ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram. 476.3. 445.2.

Qui non se continent nubant. 445.2.545.6.

Melius est enim nubere quàm vri. 455.12.

Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 10.3.

Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 549.5.

De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino vt sim fidelis, &c. 453.7.444.1.

Tribulationem carnis habebunt huiusmodi. 193.4. 454.8.

Tempus breue est: reliquum est vt qui vxores habent tanquam non habentes sint. 454.9.734.9.

Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est sollicitus est quæ Domini sunt quomodo placeat Deo, &c. 453.7.

Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt vt sit sancta, & corpore, & spiritu. 540.2.

Igitur, & qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit. 456.14.

Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 330 3.

Non autem hæc scripsi, vt in me fiant: bonum est enim mihi magis mori quàm vt gloriam meam quis euacuet. 554.3.

Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, &c. 79.1. 588 5.

Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite, vt comprehendatis. 874.11.

Sic currite vt comprehendatis. 60.12.

Sic curritis vt comprehendatis, &c. Ego igitur

sic curro.&c. 885.13
Sic currite, vt comprehendatis: omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam, accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro non quasi in incertum: sic pugno non quasi aerem verberans. Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. 757.4.
Sic pugno non quasi aerem verberans. 874.11.
Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. 652.
Ne fortè cùm aliis prædicauero ipse reprobus efficiar. 84.7.
1.Cor.10. *Neque murmurauerit is, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* 169.9.
Qui se existimat stare, videat ne cadat. 543.1.
Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. 747.7
Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum vt possitis sustinere. 709.14.
Sed faciet etiam cum tentatione proventum, vt possitis sustinere. 747.7.
Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus. 125.5.
Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quòd ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid aut quod idolū sit aliquid? Sed quæ immolāt, gentes dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autē vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 64.5.
Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 894.6 892.3.
Sive ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 545 5.124.1.
Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, &c. 894.6.
1.Cor.11. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant.* 705.2 26.7.
Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. 760 9.
Qui enim manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Et idèo inter vos multi infirmi: & imbecilles, &c. Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. 261.1.
Idèo multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. 312.5.
Itaque fratres mei dum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. 127.3.
1.Cor.12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, &c. alij gratia sanitatum in vno spiritu, &c. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* 658.3.
Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. 749.3.
Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 696.12. 1.Cor.13.
Cùm essem parvulus, loquebar vt parvulus, sapiebam vt parvulus, &c. 9.1. & 16.1.
Fratres nolite pueri fieri sensibus, sed malitia pueri estote, sensibus autem perfecti estote. 16.3. 1.Cor.14.
Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis si omnino mortui non resurgunt? vt quid & Baptizantur pro illis? 327.15. 1.Cor.15.
Corrumpunt bonos mores colloquia prava. 600.7. 354.2.
Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt. 306.11.
Nolo enim vos modò in transitu videre: spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. 377.6. 1.Cor.16.
Salutate inuicem in osculo sancto. 363.4.

Ex Epistola secunda ad Corinthios.

Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, &c. Quoniam sicut abundant Passiones Christi in nobis, sic, & per Christum abundat consolatio nostra. 366.5.502.1. 2.Cor.1.
Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, &c. 536.4.249.5.
Non dominamur fidei vestræ; sed adiutores sumus gaudij vestri. 819.4.
Ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas. 608 5. 2.Cor.2.
Christi bonus odor sumus. 553 1.
Quod si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus fuit in gloria; ita, vt non possent, &c. 390.10. 2.Cor.3.
Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. 76.4.
In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur, &c. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris, &c. Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. 370.13. 2.Cor.4.
Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecro pro Christo reconciliamini. 583.2. 2.Cor.5.
Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. 50.1.
Nolite iugum ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate. 443.3.21.5. 23.2. 2.Cor.6.
Mundemus nos ab omni inquinamento carnis. 306 11. 2.Cor.7.1.
Foris pugnæ intus timores. 503.2.
Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 364.1.345.14.168.6.

Sæculi autem triſtitia mortem operatur. 610.10. 616.3.138.13.

2.Cor.9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, &c. Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia aut ex neceſſitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* 691.8.294 3.

Non ex triſtitia ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus. 289.6.

2.Cor. 10. *Ipſe ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti.* 580 7.583.2.

Qui gloriatur in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, &c. 317.13.

Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat. 314.7.

2.Cor.11. *Hebræi ſunt, & ego; Iſraelitæ ſunt, & ego.* 57.

Ibid. *Inſipiens factus ſum, vos me coegiſtis.* ibid.

Aut numquid peccatum feci meipſum humilians, vt vos exaltemini ? Quoniam gratis euangelium Dei euangelizaui vobis, &c. 555.3.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? 209.141.4.

Quis infirmatur, & ego non infirmor, &c. Optabam anathema eſſe pro fratribus. 456.13.

2.Cor. 12. *Scio hominem ante annos quatuordecim, ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum.* 582.15.

Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. 706.6.157.5.

Sufficit tibi gratia mea. 272.1.551.9.802.10.

Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis vt inhabitet, &c. 246.7.710 2.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. 802.10.

Placeo mihi in infirmitatibus in contumelijs, &c. pro Chriſto. 370.14.

Ne cùm rurſus venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditijs, quas geſſerunt in impudicitia, & fornicatione. 608.5.

Ex Epiſtola ad Galatas.

Gal.1. *Licet angelus de cælo Euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* 24.4.

An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. 893.4. 894.6.

Galat. 2.1. *Poſt annos quatuordecim iterum adſcendit Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto, & cito. Adſcendit autem ſecundum reuelationem. &c.* 835.7.

Et cùm cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi: Iacobus Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis. 523.4.

In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, &c. Dixi Cephæ coram omnibus; ſi tu cùm Iudæus ſis, &c. 637.5.

Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. 137.10.

Mauden in Tob.

Galat.3. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati.* 57.2.829.5.84.6.

Galat.4. *Eſtote ſicut ego quia, & ego ſicut vos fratres, obſecro vos. Nihil me læſiſtis.* 828.3.

Tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis; ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Ieſum Chriſtum vbi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, &c. 500.13.

Sicut Angelum Dei accepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum, &c Teſtimonium enim perhibeo vobis: quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. 675.2.

Hæc enim ſunt duo teſtamenta: vnũ quidem in monte Sina, in ſeruitutem generans, quæ eſt Agar. Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalem, & ſeruit cum filijs ſuis, illa autem quæ ſurſum eſt Ieruſalem libera eſt. quæ eſt mater noſtra. 789.4.

Illa autem quæ ſurſum eſt Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra. 789.

Ad Gal.5. *Vos in libertatem vocati eſtis fratres; tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem.* 76.4.

Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis, &c. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, &c. Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs. 306.11.

Galat. 6. *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* 580.9.79.10.

Alter alterius onera portate, &c. Sic adimplebitis legem Chriſti. 328.18.

Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. 564.10.

Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. 774.4.

Bonum ergo facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. 884 12

Dum tempus habemus bonum operemur ad omnes. 699.20.292.6.

Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. 646 7.

Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri, &c. Per quem mihi mundus crucifixus eſt, &c. 367.8.

Ego ſtigmata Ieſu Chriſti in corpore meo porto. 58.8.

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Eph 1.v.15 *Audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Ieſu, & dilectionem in omnes ſanctos; non ceſſo gratias agere pro vobis.* 180.2.

Epheſ.2. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo Angulari lapide Chriſto Ieſu.* 24.4.

Epheſ.3. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare inueſtigabiles*

diuitias Christi, & illuminare omnes, &c. 375.3. 180.2.

Secundum reuelationem notum mihi factum est Sacramentum, &c. Data est mihi gratia illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo. 986.1

Ephes. 4. *Obsecro ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis.* 58.7.580.8.

Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. 24.4. & 31. 6, 851.11.

Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. 24.4.

Ephes. 4. v. 15. *Vtinam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* 773.3.

Veritatem facientes crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, 385.11.

Ad Ephes. 5.5. *Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicater aut immundus, &c. Non habebunt hereditatem in regno Christi.* 303.3.

Sed magis gratiarum actio. 682.8.

Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. 472.4.

Quæ ab ipsis in occulto fiunt turpe est, & dicere. 472 5.

Videte fratres quomodo cautè ambuletis vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes. 536.6.

Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. 144 12.699.20.

Redimentes tempus quoniam dies mali sunt. 807.2.

Nolite inebriari vino in quo est luxuria sed implemini spiritu sancto loquentes vobis metipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes in cordibus vestris Domino, &c. 793.5. 795.10.600.7.

Mulieres viris suis subdita sint, sicut Domino. 629.8.

Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. 567.4.

Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia. 44.3.686.2.

Vxor autem timeat virum suum. 195.11.

Ephes. 6. *Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, etc. Cùm bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus,* 657.19.

Ex Epistola ad Philippenses.

Phil. 1. 21. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* 810. 9. 137.10.

Coarctor è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos, &c. 588.5.

Cupio dissolui, & esse cum Christo. 219.5.456.13.

In nullo terreamini ab aduersarijs: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo. 785.6.751.7.

Phil. 1. 7. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* 485.1.

Cùm metu, & tremore vestram salutem operamini. 157.4.155.11.

Deus qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. 218.10.

Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei. 169.9.

Neminem habeo qui germanè de vobis solicitus sit, omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. 503.2.

Philipp. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* 5.7. & 8.8.

Non quod iam acceperim aut perfectus sim, sequor autem si quo modo comprehendam. 276.1.

Ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. 809.8.

Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. 836.11.

Multi ambulant quos sæpè dicebam vobis, nunc autem flens dico inimicos crucis Christi, &c. Quorum Deus venter est. 599.5.574.12.

Phil. 4. 4. *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.* 364.1.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. 487.2.

De cætero fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, &c. Hæc cogitate, &c. 833.3.440.14

Scio humiliari, scio, & abundare (vbique, & in omnibus instructus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. 807.3.

Omnia possum in eo qui me confortat. ibid.

Ex Epistola ad Colossenses.

Coloss. 1. 9. *Nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, & in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei.* 843.12.

Gaudeo in passionibus meis. 213.9.

Colos. 3. *Quæ sursum sunt quærite, & sapite; non autem ea quæ super terram.* 789.4.

Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, &c. 836.8.

Deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam. 95.7.

Nolite mentiri inuicem. 585.11.

Induite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, &c. 657.18.294.2.

Pax Christi exsultet in cordibus vestris. 810.9.

Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini Iesu Christi gratias agentes Deo, &c. 545.5.

Ad Col. 4. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere.* 421.6.

Ex Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes.

1.Theſſ.2. *Cùm poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli, ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrùm, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* 17.4.

Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, &c. Et omnibus hominibus aduerſantur prohibentes nos gentibus loqui vt ſaluæ fiant, vt impleant peccata ſua ſemper. 849.4.

Vt impleant peccata ſua ſemper. 102.10.

Peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem. 849.4

1.Theſſ.3. *Quoniam nunc viuimus ſi vos ſtatis in Domino.* 742.19.

1.Theſ.4.2. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, &c. Itaque qui has ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis.* 835.6.

Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra vt abſtineatis vos à fornicatione, &c. 214.2.838.15.

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij ſicut, & gentes quæ ignorant Deum. 540.2.

Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. 540.2.

1.Theſſ.5. 27. *Sine intermiſſione orate in omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis.* 682.8.170.3.

In omnibus gratias agite; hæc eſt enim voluntas Dei. 834.6.240.2.172.8.

Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. 526.2.555.4. 685.7.834.6.631.17.

Ex Epiſtola II. ad Theſſalonicenſes.

2.Theſſ.1. *Qui non obediunt Euangelio pœnas dabunt æternas.* 740.12.

2.Theſſ.2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, idèo mittet illis operationem erroris, etc.* 337.4.870.7.90.8.

2.Theſſ.3. *De cætero fratres orate pro nobis vt ſermo Dei currat, & clarificetur ſicut & apud vos.* 549.5.

Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, &c. 293.8.

Nam, & cùm eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes. 189.2.293.9.

Quod ſi quis non obedit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur. 329.2.

Salutatio mea manu Pauli quod eſt ſignum in omni Epiſtola: ita ſcribo Gratia Domini noſtri Ieſu Ieſu Chriſti cum omnibus vobis Amen. 588.7

Ex Epiſtola I. ad Timotheum.

Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. 536.4. 1.Tim.1.

Lex iuſto non eſt poſita. 76.4.

Gratias ago ei qui me confortauit, Chriſto Ieſu, &c. 682.8.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed idèo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus omnem patientiam ad informationem eorum, qui creditури ſunt illi in vitam æternam. 84.8.

Milites in illis bonam militiam habens fidem, & bonam conſcientiam, &c. 536.4.

Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ vt diſcant non blaſphemare. 95.5.

Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 57.1. 1.Tim.2.

Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 77.6.

Et ad agnitionem veritatis. 829.5.

Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus. 270.8.

Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum. 16.2.9.

Saluabitur mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. 629.11.546.6.813.3

Habentes myſterium fidei in conſcientia pura. 536.4 1.Thim. 3.

Magnum eſt pietatis ſacramentum quod manifeſtatum eſt in carne. 686.1.

Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſciẽtiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cùm gratiarum actione recipitur. 65.2. Item. 528.3. 1.Thim.4.

Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. 528 3.

Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. 70.10.

Pietas ad omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. 833. 3. 783. 10. 341.4.

Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, &c. 14.5.

Exemplum eſto fidelium in verbo in converſatione, &c. 348.5.

Seniorem ne increpueris, ſed obſecra, vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate, 13.2. 1.Thim. 5.

Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli eſt deterior. 558. 10.355.4.630,11.814.9.816.12.

Infideli eſt deterior. 505.8.

Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens: ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. 481.1.403.1.

Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum. Et frequentes tuas infirmitates. 66.8.

1.Thim.6. *Habentes victum, & amictum his contenti ſumus.* 572.6.

Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes multas, & in laqueum diaboli. 138.12.

Ex Epiſtola II. ad Timotheum.

2.Tim.1. *Gratias ago Deo, cui ſeruio à progenitoribus in conſcientia pura.* 11.5.536.4.682.8.

Gratias ago Deo meo, cui ſeruio à progenitoribus recordationem accipiens eius, fidei quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus ſum autem quod, & in te, &c. 890.6.

Recordationem accipiens eius fidei quæ eſt in tē non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus ſum autem quod. & in te, &c. 498.9.

Ob quam cauſam etiam hæc patior, & non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. 181.6.

Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. 260.7.

2.Thi.2.5. *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit.* 874. 11.705 3.

Ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt dicentes reſurrectionem iam eſſe factam, & ſubuerterunt quorundam fidem. 57.2.

2.Thim.3. *Erunt homines ſe ipſos amantes cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, &c. Ingrati, &c.* 676.4.

Omnes qui piè viuere volunt in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur. 705.3.893.4.

Tu verò permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris: & quia ab infantia ſacras litteras noſti. 50.6.

Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, &c.

2.Thim.4. *Tempus reſolutionis meæ inſtat, bonum certamen certaui, &c. Feſtina ad me venire citò.* 274.6.

Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, &c. 260.7.536.4.873.11.

Ex Epiſtola ad Titum.

Ad Tit.1. *Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta: Cretenſes ſemper mendaces.* 6.2.

Infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum mens, & conſcientia. 536.4.

Tit.2. *Domus curam habentes.* 630.12.

In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, &c. Vt is qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. 348.5.

In omnibus tē præbe exemplum bonorum operum, &c. 893 5.

Seruos Dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes. 402.5.

Tit.3. *Hæc ſunt bona, & vtilia hominibus: Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, ſunt enim inutiles, & vanæ.* 416.8.433.2.

Ex Epiſtola ad Philemonem.

Ad Phile. verſ.8. *Multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu, imperandi tibi, quod ad rem pertinet magis obſecro.* 828.2.

Ibid. *Cùm ſis talis vt Paulus ſenex: nunc autem, & vinctus Ieſu Chriſti.* ibid.

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Hebr.1. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus: & miniſtros ſuos flammam ignis.* 135.4.

Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. 702.5.728.3.

Hebr.2. *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus eſt videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum.* 593.15.

Hebr.4. v.11. & 12. *Feſtinemus ingredi in illam requiem, vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum: viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, &c. Et diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius; omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius, &c.* 277.5.

Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius. 284.17.

Hebr.5. *Conſummatus, factus eſt cauſa ſalutis omnibus obtemperantibus ſibi.* 760.9

Hebr 6. *Et hoc faciemus ſi quidem permiſerit Deus.* 377.6.

Hebr.9. *Ideò noui Teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earum prænaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* 36.5.

Hebr.10. *Habentes itaque fratres, fiduciam in introitu ſanctorum, in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis, viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam.* 365.

Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem quædam expectatio iudicij. 57.2.

Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis. Cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem, &c. 176.11.

Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati,

ma-

magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum: & in altero quidem opprobrijs, &c. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis. 174.8.

Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis. 171.4.

Vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem. 214.2.

Hebr. 11. *Fide plurimam hoſtiam Abel, &c.* 2.3.

Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. 837.12.

Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes. 36.5.

Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, &c. 707.8.

Arbitrans quia, & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. 358.6.39.8.

Fide obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur: & vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones, ad quem dictum eſt: quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen, arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. vnde eum, & in parabolam accepit. 159.11.

Moyſes grandis factus negauit ſe filium filiæ Pharaonis eſſe, magis eligens affligi cum populo Dei, &c. Adſpiciebat enim in remunerationem. 544.4. 181.5.677.9.

Fide reliquit AEgyptum (Moyſes) non veritus, &c. 278.8.

Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis. 518.4.

Obturauerunt ora leonum. 405.6.

Quibus dignus non erat mundus. 7.4.16.14.

Hebr. 12. *Cogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes.* 51.4.

Quem enim diligit Dominus caſtigat. Flagellat autem omnem filium quem recipit. 365.2.368.9.

Flagellat Deus omnem filium quem recipit. 603.2. 158.9.217.10.

Ne quis fornicator, aut profanus vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua. 609.8. 380.7.

Scitote quoniam, & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. 609.8.322.8.

Hebr. 13.1. *Charitas fraternitatis maneat in vobis: hoſpitalitatem nolite obliuiſci.* 481.2.

Ibid. v. 2. *Per hanc enim latuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis.* 481.2.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. 470.2.

Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. 472.4.

Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. 837.12.

Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtijs promeretur Deus. 285.2.

Orate pro nobis, confidimus enim, quia bonam conſcientiam habemus, in omnibus bene volentes conuerſari. 536.4.

Ex Epiſtola Iacobi.

Omne gaudium exiſtimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis. 364.1.365.2.371.15. 706.5. Iacob. 1.

Si quis autem veſtrum indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. 337.5.690.2.

Dat omnibus affluenter, & non improperat. 289.

Poſtulet autem in fide nihil hæſitans, &c. 64.11.

Beatus vir qui ſuffert tentationem, &c. 371.15.182. 6.258.1.260.6.

Sit omnis homo velox ad audiendum tardus ad loquendum, & tardus ad iram; ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur. 95.1.

Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea non auditor obliuioſus factus; ſed factor operis, hic beatus in ſuo facto erit. 76.

Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. 39.9.92.6.567.4

Quicunq; totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, &c. 831.11.

Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. 322.8.740.12. Iacob. 2.

Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum. 819.6.

Similiter autem, & Rahab meretrix nonne ex operibus iuſtificata eſt? 518.4.

In multis offendimus omnes. 53.2. Iacob. 3.

Quæ autem deſurſum eſt ſapientia primum quidem pudica eſt. 303.5.

Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? 594.7. Iacob. 4.

Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis. 710.1.

Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. 409.6.

Vnus eſt legiſlator, & iudex qui poteſt perdere, & liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum? 224.9.

Ecce nunc qui dicitis hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, &c. Pro eo vt dicatis ſi Dominus voluerit, &c. 377.6.

Nolite mendaces eſſe aduerſus veritatem. 385.11.

Vita noſtra vapor eſt ad modicum parens. 378.7.

Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra tinea comeſta ſunt. 314.7. Iacob. 5.

Argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. 841.5.

Merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. 318.5.

Exemplum accipite, fratres, exitus mali laboris, & patientiæ Prophetas. 2.3.

Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. 180.3.
Tristatur aliquis vestrum? oret. AEquo animo est, psallat. 796.10.
Multum valet deprecatio iusti assidua. 694.5.
Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. 77.7. & 78.8.

Ex Epistola I Petri.

1. Petri 1. *Electis aduenis, &c. Gratia vobis, & pax multiplicetur.* 388.7.
In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus. 260.6.
In quem desiderant Angeli prospicere. 485.1.
1. Petr. 2. *Sicut modo geniti infantes, &c.* 16.3.
Charissimi obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, &c. Vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes gl ificent Deum in die visitationis fol. 350.8.828.3.
Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam vt in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus. Ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum. 759.5.
Hæc est enim gratia si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè, &c. 707.9.
Qui peccatum non fecit nec inuentum est dolus in ore eius. 509.2.
1. Petr. 3. *Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est, &c.* 196.2.
Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum vocans, cuius estis filiæ benefacientes. 196.2.
Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem tanquam, & coheredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. 101.3.
Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto. 232.7.
In hoc vocati estis vt benedictionem hæreditate possideatis. 502.1.
Et quis est qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis. 693.1.
Sed etsi, quid patimini propter iustitiam beati. Timorem autem eorum ne timueritis vt non conturbemini: Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris. 152.7.
Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe. 434.6.
His qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit qui increduli fuerant aliquando: quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë. 740.11
1. Petr. 4. *Vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis.* 741.15.
In quo mirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem. 451.3.
Mortuis Euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne: viuant autem secundum Deum in spiritu. 740 11.
Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat; sed communicantes Christi passionibus, gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. 708.11.
Communicantes Christi passionibus gaudete. 364.1. 364.9.
Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis quoniam quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescit. 367.9.
Nemo patiatur vt homicida, &c. Si autem vt Christianus non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine, quoniam tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. 708.11.
Si primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelio. 709.13.
Et si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt. ibid.
Pascite qui in vobis est gregem Dei, non coactè, sed 1. Petr. 5. 2.
spontanè, &c. Neque vt Dominantes in clero, &c. 828 3.

Ex Epistola II. ad Petri.

2. Petri 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, &c.* 51.5.538.4.
Aspectu, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. 19.4.
Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. 818.5.
Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato, &c. ibid.
Satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace; 2. Petr. 3. *& Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini; sicut & clarissimus frater noster Paulus, &c.* 638.7.
In quibus quædam sunt difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant. 892.1.

Ex Epistola I. B. Ioannis.

1. Ioan. 1. *Si dicimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nō est* 53.1.603.2.
1. Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, in hoc charitas perfecta est.* 276.3.
Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. 311.1.
1. Ioan. 3. *Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas.* 831.11.
Ibid. *Qui non diligit fratrem suum in tenebris est, & manet in morte: qui odit fratrem suum homicida est.* 831.11.228.9.

In hoc cognouimus charitatẽ Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. 81.2.287.2.

Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo. 291.5.287.2.

Filioli mei non diligamus verbo neque lingua, sed opere, & veritate. 57.4.824.6.

Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Dominum, & quidquid petimus accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. 695.8.250.5.418.11.248.1.840.3.

1.Ioan.4.1 *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex Deo sint.* 728.5.

1.Ioan.5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem.* 197.5.

Est peccatum ad mortem non pro illo dico vt roget quis. 3.1.7.

Ex Epistola II. B. Ioannis.

1.Ioan.1. *Sit vobiscum gratia misericordia, pax à Deo patre, & à Christo.* 388.7.

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec, Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis. 330.2.362.2.

Ex Epistola tertia.

Gauisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. 57.3.

Charissime fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos. 39.10.

Ex Epistola B. Iudæ.

Deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. 874.11.

Angelos qui non seruauerunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reseruauit. 538.4.

Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, &c. 226.6.

Non ausus fuit iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit imperet tibi Dominus. 227.6.

Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore. 600.7.

Ex Libro Apocalypseos B. Ioannis.

Apoc.1. *Ioannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. Gratia vobis, & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo.* 388.7. 713.11.

Apocal.2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 59.12.260.6.811.11.874.11.

Scio vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ, & tenes nomen tuum, & non negasti fidem meam. 20.4.

Vincenti dabo manna absconditum. 720.6.

Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, &c. 306.12.

Apoc.3. *Ecce venio citò tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam.* 80.3.60.12.811.11.11.260 8.

Scio opera tua, quia neque frigidus est, neque calidus: vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus neque calidus, incipiam te euomere ex ore meo. 80.4.138.13

Quia dicis quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. 656.15.

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris. 657.18.

Collyrio inunge oculos tuos vt videas. 657.18.

Septem lampades ardentes ante thronum Dei. Apoc.4. 712.8.

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est, &c. Adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes, &c. Apoc.4. 563.7.

Septem cornua agni. 712.8. Apoc.5.

Qui sunt septem spiritus emissi in omnem terram. Apoc.5.6. 713.10.

Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria. 502.1.

Vsquequo Domine (sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant o in terra, &c. Apoc.6.10 465.5.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Apoc.7. 790.5.

Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro. 502.1.

Et alius angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum; & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, &c. Apoc.8. 702.6.

Vox vna audita est ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei dicens sexto Angelo qui habebat tubam Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate, & soluti sunt, &c. Apoc.9.13. 537.1.

Aperuit os suum in blasphemias ad Deum blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant. Apoc.13. 213.9.

Qui in captiuitatem duxerit in captiuitatem vadet, qui in gladio occiderit oportet eum in gladio occidi. 290.9.

Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Apoc.14. 740.1.

Beati mortui qui in Domino moriuntur à modo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. 886.17.

Et habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis eius. Apoc.17. 310.10.

Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Apoc.18. 444.7.

Sedeo

Sedeo regina, vidua non sum, & luctum non videbo. 313.7 315.8.

Ideo in vna die venient plagæ eius, & luctus, & fames, & igne comburetur. 315.8.

Apoc.19. *Post hæc audiui vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia, laus, & gloria, & virtus Deo nostro est, &c. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes Alleluia, Alleluia.* 791.2.

Apoc.20. *Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem Abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, &c. Et ligauit eum, &c.* 537.1.

Missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi bestia, & pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. 431.9.

Apoc. 21. *Ego vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo paratam sicut sponsam, ornatam viro suo.* 789.3.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. 154.10.

Qui vicerit possidebit hæc; & ero illi Deus. Et ille erit mihi filius. ibid.

Pars illorum erit in stagno ardenti, igne & sulphure. 699.20.

Apoc.22. *Qui nocet noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* 102.10.

Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua, 182.7.810.10.

Finis Indicis locorum, & Sentent. S. Scripturæ.

INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
IN HOC OPERE CONTENTARVM.

Prior numerus paginam designat; posterior numerum marginalem.

Abraham.

ABraham mirè protegitur à Deo. 121.3.
Abrahami hospitalitas. 132.2.
Obedientia, ibid. & 159.11. & 210.3. & 216.7. & 364.6. & 641.3. & 642.6. & 866.2.
Abrahæ mira in Deum fiducia. 357.5. & 6.
Abraham amori filij amorem Dei præposuit. 393.7.
Querimoniis vxoris impetitus fuit. 394.8.
Cur Deus voluerit Abraham post tres dies filium immolare. 478.8.
Abrahæ hospitalitas. 480.1, & seqq.
Abraham intelligit sensum prophetiæ promissionis sibi factæ de terra promissionis. 799.3. & 848.4.
Abraham & Sara omnium primi dicuntur in S. Scriptura senes. 871.3.

Absalon.

Absalonis libido dominandi. 26.1. & 556.16.
Ad quæ mala ipsum adegerit. 26.1 & 4.
Absalonis parricidium exaggeratur. 97.7. & 111.7.
Absalonem quare fugerit Dauid. 110.6 & 7.
Absalonis mors magis afflixit Dauidem quàm persecutio. 190.2.
Absalonis punitio admiranda. 861.15. & 16.

Abstinere, abstinentia.

Abstinere ex causa à certis cibis laudabile. 63.1. & seq. & 65.3.
Iudæi cur abstinuerint à certis cibis. 63.2. & seqq.
Diuersa ratione abstinetur à cibis. 65.1. & 9.
Abstinentiæ commoda. n.4. & seqq.
Sine abstinentia impossibile vacare sapientiæ. n.5. & seqq.

Acedia.

Acedia quid. 138.13.
Est mortale grauissimum peccatum. ibid.

Adam.

Adæ à terra nomen inditum. quare. 360.8.
Adam in statu innocentiæ habuit scientiam clarissimam omnium rerum naturalium, quę post peccatum multum defecit. 411.2.

Adiuratio.

Qualis fuerit adiuratio facta à Raguele erga Tobiam. 583.2.
Adiuratio quid sit. 583.2. est varia ibid.
Quænam adiuratio oblig t alium. 584.7.

Admonitio.

Admonitionis vis. 80.5.

Adolescentia.

In adolescentia panci à peccatis immunes 207.2.

Adoratio.

Adoratio non soli Deo, sed & aliis fit. 36.7. Qua ratione. ibid.

Aduersa, aduersitas. Vide *Tribulatio.*

Aduersa patienter toleranda. 611.3.
Aduersitas fecit Hebræos Dei cultores, felicitas contemptores. 624.3.
Aduersa omnia Diuinæ voluntati asscribenda. 662. & seqq.
Aduersa peccatis asscribenda. 775.7. & seqq.
In aduersis diuinam opem implorantes non deficient. 885.13.

Adulator.

Adulatoribus facilè aurem præbent Principes. 106.12.

Adulterium.

Adulterium fugiendum. 307.1. & seqq.
Adulterium summè exasperat vxores, & ad atrocia facta impellit. n.2.
Exempla profana. ibid.
Bruta quædam animalia illud detestantur. ibid.
Viris durissimum habere vxorem adulteram. n.3.
Adulterium est cunctis malis perniciosius. n.4.
Et crimen inexcusabile. 309.6.
Patet grauitas adulterij ex seueritate supplicij. n.9. & 310.11.

AEgrotus, ægritudo.

Ægrotus nec desperare debet de sanitate recuperanda, nec nimiùm fidere in medicinis. 412.5.
In ægritudine primùm ad Deum confugiendum, deinde ad medicum. n.6. & 7.
Æger cor suum mundare debet à peccato. 412.6.

AEgyptius.

Ægyptij olim habebantur impostores. 8.8.

AEtas.

Ætate iuuenes, moribus maturi magni fiunt apud Deum. 14.4. Ab eo ad magna destinantur. n.5. nulla ætas virtuti præmatura. ibid.
Ætatum differentia vnde. 857.2.
Ætas maior octogenaria æruumnis plena. 870.1.
Ætatem patris nemo sibi promittere debet. 881.2.

INDEX

Agape.

Agape olim inter Christianos mutuæ charitatis causa celebrari solita. 125.5.

Agenda actio.

Agenda omnia velut coram arbitro. 283.15.

Bona est actio cum manus est in opere, oculus in Deo. 283.17.

Alexander Magnus.

Alexander Magnus miraculosè ab Hierosolyma inuadenda aceritur. 122.5.

Alleluia.

Quid per canticum Alleluia significet Tobias prædicans eximium statum Ierosolymæ restitutæ. 788 1.

Significatio & vsus vocis, Alleluia. 792.1.

Mira de Alleluia. n.3. & 795.10.

Ambitio.

Ambitio quæ mala pariat. 26. 2. & seqq. Deo ipsi bellum mouet. n. 6.

Ambitio præceps, & amens. 801.9.

Amicitia, amici.

Amicitia fouetur consuetudine. 30.4.

Amici à virtute deterrentes contemnendi. 149.2.

Ab amicis pati durum. 173.3.

Amici Iobi, & Tobiæ non fuerunt veri amici. 670.2. & 671.5.

Veri amici in aduersis non desunt. 671.3.

Amicitia qualis esse debeat? n.5.

Veræ amicitiæ exempla. 672.7.

Amor.

Amor nimius erga aliquod creatum per aduersa in hoc mundo quandoque resecatur. 603. 2. & seqq.

Amoris nimij exempla. 616.3.

Amor nimius in proles absentes consolationem non admittit. n.4.

Hinc idololatria nata. 617.5.

Ancilla.

Ancilla Saræ conuiciis Dominam lacessit, maledictione cruciat, & temerario iudicio grauissime pungit. 222.4. & 225.2.

Angelus.

Angelus iubet Tobiæ scribere hanc historiam. 1.1. Cur n.2.

Angelorum apparitiones in veteri Testamento frequentes. 35.2.

Non solis Iudæis, sed & aliis factæ. ibid.

Angeli boni de hominum salute solliciti. ibid.

Angeli dicuntur in Scripeura viri ob fortitudinem. 41.2.

Angelus instar iuuenis splendidi, & ad ambulandum parati Tobiæ iuniori se offert. 356.1.

Solet Deus per Angelos tueri iustos. n.2.

Præter Angelum custodem deputatur alius peculiaris iustis ad negotia ardua concedentibus. ibid.

Pro qualitate officiorum Angeli sese transformant. 357.3.

Assumunt formam suorum clientum vt eorum negotia gerant. 360.7.

Huius rei exempla. ibid.

Mira Angelorum humilitas quod corpus assumant. n. 8.

Ex aere illud formans, quomodo. ibid. & 728.4.

Angeli ignorant futura contingentia. 375.2.

Multo magis libera Dei decreta. ibid.

Licet Angeli à principio suæ beatitudinis nouint mysterium Incarnationis secundum substantiam, non tamen secundum omnes eius partes. n.3.

Angeli prædicunt futura contingentia ex Dei reuelatione. ibid.

Angelus ad Tobiam missus cur se Angelum esse dissimulant. 381.1.

Angelus peccati expers. 382.3. & 383.7.

Angelus Raphael quomodo absque mendacio vocetur Israelita, Azazias, & Ananiæ magni filius. 383.7.

Angelus seruauit Tobiam, iunioretn à pisce ipsum deuoraturo. 405.3.

Angelorum circa homines custodia. ibid. & seqq.

Angelus concluſit ora Leonum tripliciter. n.6.

Angeli diuinæ voluntati sunt obsequentissimi. 406 11.

Non inquinatur Angelorum pietas, quia puniunt malos. ibid.

Angeli plures infirmos curarunt. 410.1.

Cur Angelus aperuerit Tobiæ vim medicam partium piscis capti. 411. 2.

Angelis cur consuluerit Tobiæ statum matrimonialem? 454.10.

Deus per Angelos punit flagitia, aut iustos exercet. 458.3.

Angelus solemne est iustos perplexos corroborare. 514.3.

Angelus adhibito fumo iecoris piscis teliganr dæmonium in deserto superioris Ægypti. 558.3.

Curtali modo vsus? n.5.

Angeli dona sua impendunt in vsum humani generis. 585.2.

Iuuant genus humanum, & iam in temporalibus. 589.7.

Varia exempla. ibid. & seqq?

Circa corporea operantur per motum localem. 590.9.

Angelorum humilitas. 592.15.

Quantum differat Angelica dignitas ab humana? ibid.

Cur Angelus non transtulerit familiam Tobiæ de itinere in Niniuem? 642.7.

Cur Angelus non sinit Tobiam, redeuntem ante omnia patrem osculari, sed orationem ad Deum & gratiarum actionem iubet præmittere? 643.1.

Docet Tobiam curam proximi. 645.6.

Orare cum fiducia. 647.11.

Angelus omnia mirabilia à se facta Deo asscribit. 679. 1.

Quare occultè reuelarit seipsum, & diuina mysteria Tobiæ? 680.2.

Cur nonniſi poſt ſex ſeptimanas? 688.7.
Angeli annotant iuſtorum bona opera. 700.1.& ſeqq.
Quid opus ſit Angelos preces noſtras offerre? 702.5.
Ex omnibus ordinibus mittuntur Angeli. ibid.& 712.9.
Angeli offerendo preces noſtras, eaſdem reddunt magis efficaces. 702.7.
Angelus adſtat celebranti. 703.7.
Angeli interdum à ſe mutuo diſſentiunt. 704.1.& 750.6.& 856.5.
Angelus ad Tobiam miſſus, fuit vnus ex præcipuis. 712.7.& 714.13.
Septem Angeli peculiari modo aſſiſtunt ante Deum. 712.8.
Pro diuerſitate functionum aliter atque aliter nuncupantur. ibid.
Septem Angeli ſunt, quibus vniuerſi adminiſtratio, & res magnæ commiſſæ. 713.10.
Sunt Dei conſiliarij. 11.
Angeli boni primò terrent, deinde conſolantur. 718.11.
Quæ ſit cauſa iſtius terroris? ibid.
Angeli poſſunt in Aſſumptis corporibus exercere varias operationes, ſimiles vitalibus. 719.1.
Non poſſunt conficere & adminiſtrare Sacramenta. n.2.
Angelorum cibus quis ſit. n.3.
Angelorum apparitiones variæ. 722.1.
Quiſque habet ab ortu ſuo habet Angelum cuſtodem ſibi deputatum. 727.1.
Singuli Angeli præponuntur ſingulis Prouincijs. ibid.
Ad ſpeciales effectus quandoque peculiares mittuntur Angeli. ibid.
Etiam ex ſupremis Hierarchijs extraordinariè mittuntur ad hominum miniſteria. 728.3.
Angelus Sathanæ transfigurat ſe in Angelum lucis. 5.

Anima.

Anima alligatur corpori vt vinculis aut cadaueri. 219.5.
Animorum defunctorum ſtatus contra Gentiles probatur. 324.1.
Pro ipſarum refrigerio conuiuium inſtrui voluit Tobias. 325.6.
Multiplex eſt gratia quæ illis impenditur. ibid.
Priſcorum patrum in animas purgatorij pietas. 327.13.
Anima humana graniter vulnerata per peccatum originale. 331.1.
Animæ beatorum quandoque ad vitam redierunt. 713.2.
Tales animæ certæ ſunt de ſua ſalute. ibid.
Animarum apparitiones aſſerere non eſt ſuperſtitioſum. n.3.
Animæ defunctorum poteſtate diabolica ſuſcitari nequeunt. 725.9.
Apparent quandoque animæ ſumendæ vindictæ cauſa. n.11.
Animarum apparitiones de rebus granibus nos admonet. 726.14.
Anima eſt ſpiritualis. n.15.

Animal.

Animalium in fœtus amor. 392.6.
Muta animalia homines ſuperant gratitudine. 402.6. Exempla ibid.
Animalia bruta norunt ſibi noxia, & horum remedia. 411.3.
Horum plurima exempla. ibid.
Animalia bruta nos docent gratitudinem erga Deum, eiuſque prouidentiam. 651.8.& 9.

Anna vxor Tobiæ.

Anna opere ſuo manuali maritum ſuſtentauit. 189.6.
Annæ impudentia erga maritum. 197.4.
Anna peccatum blaſphemiæ committit diabolo inſtigante. ibid.
Imperfectio Annæ lugentis abſentiam filij. 392.4.
Anna quam querula fuerit? 394.8.& inconſtans? 396.10.
Quare Deus Annam vehementer affligi paſſus fuerit ob abſentiam filij? 603.1.
Anna irremediabilibus lachrymis deplorat filij abſentiam. 611.1.
Præſenſuali nimiùm amore non admittit mariti conſolationem. 616.1.
Anna vehementer lętatâ de aduentu filij eundem accurrens marito nunciat. 643.1.

Antiochus.

Antiochus orans Dominum cur miſericordiam non conſecutus? 609.9.& 766.13.

D. Antonius.

D. Antonius animo & corpore vegetus, in eodem rigore pœnitentiæ vixit annos centum quinque. 859.6.

Apoſtata.

Apoſtatæ quibus rationibus reuocandi? 80.4.

Apoſtoli.

Apoſtoli cur vocentur à Domino ſal terræ? 422.7.

Ars.

Artibus malis ſe promouentes ijſdem pereunt. 115.11.12.& 13.
Ars abſque Deo inanis. 622.6.

Aſpectus.

Aſpectus iuſtorum torquet improbos. 486.2.
Aſpectu ſolo quandoque vitia corriguntur. 615.7.

Aſtrologus.

Aſtrologos iudiciarios conſulere abominabile Deo. 377.5.& 424.3.& 433.3.
Aſtrologi ſe conuertentes libros ſuos, licet magni pretij, igni tradiderunt. 424.3.

Attendere.

Verbum, Attende, ſolet ad res graues inſinuandas adhiberi. 301.1.

Auarus, auaritia.

Auari faciliùs vitam prodigunt, quàm pecuniam. 87.6.
Auaritia ſcopulus naufragandæ ſalutis. ibid.

Auari appetunt terrena cælestibus contẽptis.n.7.

Audita.

Ex auditis sibi prouidendum. 460.8.
Audita proximi crimina apud se continenda. 461.9.

Augurium.

Per augurum bona vel mala præsagire fatum. 619.2.

Augustus.

Augustus ademit Romanis licentiam conuiuiorum. cur? 128.4.

Aulicus, aula.

Aulicorum fautor inconstans. 103.1.
Exempla. n.2. & seqq.
Æmulatio latè dominatur in aula Principum. 104.3.
Inconstantiæ aulicorum causæ. 105. 9.12. & 15.
Pietas exultat ab aula. 105.10.
Aula omnium vitiorum officina.106.11.& 107.16.
Aula fugienda, cur? 107.16.
Aulici notantur, quorum verba non respondent animo. 657.16.

Auxilium.

Auxilij efficacis subtractio quomodo causa peccati. 868.5.& 850.7.

Babylonia.

Est regio calidissima. 404.1.& 530.7.

Beatitudo.

Beatitudo animarum incompleta donec corpus resurgat. 465.5.

Benedictio.

In veteri Testamento tria hominum genera recensentur, qui benedictionem alijs impertiri solent. 386.1.
Huiusmodi benedictiones solent esse efficaces. 387.4. Quomodo? n. 6.
Sacerdotum benedictio quàm expetenda. 387.4. & 389.10.
Viri etiam Principes olim à sanctis Patribus & Anachoretis benedictionem postularunt. 360.11.
Tres significationes vocis, Benedictio. 502.1.
An Benedictio filio eueniat ob merita patris? n.2.
Quam benedictionem apprecetur Raguel Tobię & Saræ? 525.8.
Benedictio Sacerdotum noui Testamenti in coniugibus efficaciter operatur. Mensa ante benedictionem censebatur profana apud Hebræos. 527.2.
Benedictionis mensæ vsus. ibid. & seqq.
Per benedictionem cibi mundantur. 528.3.
Benedictio cur vocetur vebum Dei? ibid.
Plures rationes cur mensæ præmittatur. n. 4.
Benedicentes Deo. Tob. 7. idem est quod Deo gratias agentes. 529.5. & 6.
Pleniùs benedicere, idem est quod sanctiùs viuere. 567.3.
Benedictio veteris Testamenti erat copiosa soboles. 597.5.878.2.
Item abundantia bonorum temporalium. 625.6.

Beneficium, benefacere.

In beneficijs vitanda est largitori arrogantia vultus, tumorque verborum. 289.6.
Beneficijs Dei ad luxum abutentes reprehenduntur. 569.7.
Benefaciendum proximis. 585.2 & seqq.
Benefacere alijs Deo gratissimum. 645.6.
Benefacere æquè datur pauperibus ac diuitibus. 646.9.
Beneficijs Dei recensendis vacare præclarum. 670.8.
Beneficiorum immemores notantur. 676.4.

D. Bernardus.

D. Bernardi castitas quàm acriter impugnata. 302.3.

Bethleem.

Bethleem natiuitate Principum facta illustris. cur? 7.6.
Quare in ea Christus nasci voluerit ibid. Omnes metropoles superat. n.8.

Blasphemia.

Blasphemia est vitium pœna mortis dignum. 93.1. & 2.
In veteri testamento manus testium capiti rei blasphemiæ imponi solitæ. cur. ibid.
Exempla blasphemiæ punitæ ibid. & seq. & 783. 2. & seqq.
Pax & victoria exulat, vbi blasphemia regnat. 93.5.
Blasphemi pessimum hominum genus. n.6.
Mos blasphemandi inter Christianos maximè deplorandus, grauiterque puniendus. n.7.
Blasphemia peccatum grauissimum. 197.5.
Blasphemare Deum in pœnis ab ipso immissis maximè alienum sit à Christiano. 212.8.
Blasphemare in aduersis impiorum est. 846.11.

Bonus, bonum.

Bonum esse inter malos maximè laudabile. 8.7. & 19.4.& seqq. & 60.13.
Bonus vnus præfertur malis innumeris. 22.10.
Exempla eorũ qui inter malos boni fuere. 60.13.
Bona temporalia sunt scopulus naufragandæ salutis. 87.6.
Bona per fas & nefas acquisita citò pereunt. 138.12.
Bona auidiùs acquirere non caret culpâ. ibid.
Bonorum iacturam patienter ferens comparatur facienti eleemosynam. 271.6.
Triplicia sunt bona illicitè acquisita. 285.1.
An de illicitè acquisitis eleemosyna danda sit?
Bonus vir quis dicatur? 505.8.
Bonum publicum anteferendum priuato. 586.3. & seqq.
Nihil boni facere est malum facere. 587.3.
Consortium bonorum amplectendum iuuenibus. 596.2.
Quàm illud sit vtile? n.3.
Bonis frui non debemus, nisi priùs adorato Deo, eique gratijs actis. 945.5.
Bona promissa in cælis erunt spiritualia. 720.6.

Cadauer.

In hominum cadauera sæuire facinus inauditum. 99.1.3.4!4.

Cadauera Iudæorum in exequijs non cremabantur, sed cum aromatibus & suffimentis sepeliebantur. cur? 99.2. & 6. *Vide verbo* Sepultura.

In cadauera Iudæorum, cur sæuierit Sennacherib. 100.5.

Cæcitas, cæcus.

Cæcitate multi percussi varias ob causas. 156.3. & 158.8.

Cur Tobias vir iustus cæcus redditus. 156.3.

Cæcitas Tobiæ an sancta supernaturaliter an naturaliter. 653.1.

Diuersæ sunt causæ cæcitatis. n.5.

Cæcitas Tobiæ secundum communem opinionem fuit extrinseca, proueniens à causa naturali, ordinatiuè vero à Deo. 954.6.

Tres sunt cæcitates spirituales admodum noxiæ. 656.15.

Illarum remedium. 657.18. & seqq.

Multi ægrè tulerunt se à cæcitate liberari. 665.1.

Cæcitatis incommodum etiam Philosophis leue visum, cùm eâ, ab exercitio bonarum artium minimè retardemur. 666.3.

Cæcitas aliquando infligitur à Deo ad salutem. n.4.

Non semper est à peccato. ibid.

De cæcitate curata rectè gauisus est Tobias. 667.5.

Cæcus non indigneturob cæcitatem corporis, sed oculum mentis seruet Deo. n.6.

Calumnia.

A calumnia liberari optant pij. 245.5.

Calumniæ sensus tenerimus. 245. 6. *Vide* Irrilio.

Candela.

Candelarum vsus in festo Purificationis, vnde proueniat? 326.11.

Canis.

Canes fidi domus & Domini sunt custodes. 400.1 & 403.7.

Et medici. 401.2. ac vindictæ diuinæ ministri. ibid.

Canis Tobiæ proponitur in exemplum fidelitatis. n.3.

Et gratitudinis. 651.8.

Blandimentum caudæ canis significat nihil in domo Tobiæ fuisse expers lætitiæ. 652.10.

Historia huius canis pertinet, ad articulos fidei. n.11.

Canis sumitur in Scriptura pro re execrabili, & fœda, cur. 831.10.

Cantus, canticum, cantor.

Quomodo cytharæ Dauidicæ cantus refocillare potuerit Saulem à spiritu malo? 429.6. & 539. & 794.7.

Cantica obscœna abesse debent à conuiuio. 600.7.

Per cantica solebant Deo grates rependi. 792.1.

Dauid quatuor cantorum principes instituit, quorum singulis septuaginta duos alios subiecit, cur? 793.4.

In conuiuiis canticis spiritualibus ad recreationẽ vtendum. ibid.

Differentia inter canticum, hymnum, & psalmum. ibid.

Quisuis in quocunque opere ad cantica pia hortandus. 794.6.

Horum canticorum vtilitas. ibid. & seqq.

Reprehenduntur delectantes impuris canticis. 745.10.

Captiuitas, captiuus.

In captiuitate à bono non retardari laudabile. 58.7. Exempla. ibid.

Captiuitas iustos reddit feruentiores. n.8. & 805.6. & seqq.

Captiuis compati, eosque consolari, magni meriti est. 90.1.

Captiuitatis mala. n.3.

Carolus Magnus.

Carolus Magnus filios, & filias mechanicam discere voluit. 189.2.

Carolus Quintus.

Carolus Quintus Imperator Regius spretis temporalibus in monasterio se abdit, mortemque assiduè meditatur. 120.6. & 269.5.

Deo dirigente prosperè bella gessit. 338.7.

Dum armabatur, expallescere, armatus nihil timere solebat. 465.4.

Castitas.

Castitatis frustra impugnatæ exempla. 301.3.

Castitati nihil comparandum. 307.13.

Castitas Christianorum in primitiua Ecclesia Gentilibus fuit admirationi. 451.3.

Ab Apostolo vocatur sanctitas. 540.2.

Casus.

Casu nihil contingit sed diuina prouidentia. 161.1. & 736.1.

Exempla. 161.1. & seqq.

Catholicus.

Catholicorum maxima pars saluabitur. 790.6.

Cato.

Cato Censorinus de quibus doluerit. 128.4. & 533.1.

Eius frugalitas. 572.5.

Causa.

Concinnatores causarum qui dicantur. 101.7.

Causæ apud plerasque gentes ante meridiem iudicabantur, cur. 508.5.

Certitudo, certus.

Certitudo quædam est coniecturalis. 258.2.

Quędam confidentialis. 259.3.

Quædam experimentalis. n.4.

Quædam fidei. n.5.

Quando censeatur certitudo moralis de morte coniugis absentis. 258.2.

Nemo certus esse potest de remissione peccatorum. 756.3.

Et, an sit in gratia Dei, necne. 757.4.

Item de sua perseuerantia. ibid.

INDEX

Chariſtia:

Chariſtia, genus conuiuij, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur. 125.4.
Concordiæ cauſa inſtituebantur. ibid.

Charitas.

Charitatis proximi exempla. 207.4.

Chorea.

Choræ ad bonum finem inſtitutæ ſunt licitæ. 251.2. & 3.
Quæ & quando choreæ ſint illicitæ. n.3.
Choreæ caſtitatis hoſtis. 253.8. & 531.9.
Choreæ deſcriptio. 253.8.
Choreæ à Chriſtianorum nuptiis arcendæ. 531.9.
Dæmonibus ſunt familiares. ibid.
Choreas ducentes quandoque funeſtus ſequitur exitus. 532.9.

Chriſtus Chriſtianus.

Chriſtus cur natus in Bethleem. 7.6.
Chriſtiani nomen ad virtutem excitat. 47.9.
Nomen Chriſtiani exoſum quondam gentilibus & dignum morte iudicatum crimen. 89.4.
Chriſtus cur natus tempore deſcriptionis orbis. 163.10.
Chriſtianum eſt æquo animo ferre aduerſa. 168. 6.
Et in illis gratias agere. 170.3.
Chriſtus Deo Patri obtemperantiſſimus fuit. 217.10.
Chriſti in iniuriis ſilentium eius innocentiam teſtabatur. 231.6.
Chriſtus ſubiit crebra, & iniqua Phariſæorum iudicia. 256.5.
Chriſtus iudex & cenſor cogitationum noſtrarum. 277. 5.
Chriſti humilitas in aſſumendo corpore humano vnione hypoſtatica. 361.8.
Chriſtus mentiri non poteſt. 384.8.
Chriſti benedictio efficax. 178.5.
Chriſtus factus homo vt eum magis amaremus. 485.1. & 568.6.
In Chriſti humana facie relucebat majeſtas diuinitatis occultæ. 486 2.
Chriſtiani hominis officium eſt declinare à malo, & facere bonum. 646.6.
Cur Chriſtus increpauerit dæmonia ipſum laudantia. 769.3.
Chriſtus Patris cæleſtis obſequia diſtulit vt matris maturet. 865.1.
Fuit lux in tenebris. 889.3.

Cibus.

Ciborum delectus quare Iudæis præceptus. 63.1.
Deus miraculosè aluit quandoque iuſtos, non tamen lautioni cibo ſed viluſculo. cur? 414.3.
Cibi viliores magis conducunt ad virtutem, & contemplationem. n.4.
Quoſdam robuſtiores, & pinguiores effecerunt. 416.7.
Nulli cibi natura ſua immundi, & Chriſtianis interdicti. 528.3.
Cibi mundantur per benedictionem. ibid.
Vt medicamenta ſunt ſumendi. 529.4.
Poteſtas dæmonis in cibos ante Chriſtum. ibid.
Ciborum parcimonia à Deo dimanat. 571.3.
Quantopere Romani illi fuerint dediti. n.5.
Noſtri temporis deliciæ ciborum taxantur. 572. 6.
Varietas ciborum cauſa morborum, & mortis. ibid. & ſeqq.
Deliciæ ciborum Reipublicæ ſunt damnoſæ. 573.10.
Quando ſint mortale peccatum. ibid.
Gignunt immiſericordiam. 574.10.
Et contemptum Dei. n.11.
Ciborum diſcretio Monacho vitanda. 575.12.

Cinis.

Cinis eſt ſignum luctus. 146.2.

Clades.

Clade ſuorum quiſque acerbius, quàm propria cede affligitur. 112.2.

Cæleſtia, cælum.

Cæleſtia quærenti non deerunt temporalia. 7.9. & ſeqq.
Cælum quare deſcribatur in Apocalypſi tantæ magnitudinis, & pulchritudinis. 790.5.
Modus dirigendi curſum vitæ ad portum cæli. 811.13.

Cognatus Vide *Propinquus.*

Comeſſatio.

Comeſſationes quas vetuerit D.Paulus. 130.13.

Compati, compatiens.

Compari tribulatis laudabile. 901.2. & 6. 67.4. & 671.4.
Exempla Scripturæ. 90.2.
Compatientem non habere magna damnatorum pæna. 91.4.

Concionator.

Concionatores nomine Dei plagas intonant. 822.13. & ſeqq.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia vocatur ab Apoſtolo peccatum, ob varias rationes. 50.2.
Eſt renatis relicta ad agonem. ibid.

Confeſſio, confeſſarius, confiteri.

Confeſſio peccatorum licet dura, tamen neceſſaria. 512.9.
Confeſſionis tribunal mitius quàm forenſe. 513. 10.
Confeſſarius arctiſſimè tenetur ſigillo confeſſionis. ibid.
Adhortatio ad confeſſionem. n.11.
Iſraelitæ publicè peccata confitebantur. 768.17.
Confeſſarij in dubiis conſulendi. 838.15.

Coniugium, coniux.

Mutua coniugum officia poſtulant, vt vna viuât; vir quidem res externas, femina autem domeſticas curet. 201.2.
Coniugum concordiam mirè amat Deus. 202.4.
Coniugis futuræ virtus, & mores ſpectari debent. 445.3. & 448 13. & ſeqq.
Ipſius pulchritudo poteſt eſſe motiuum matrimoni

monij ineundi. n.4.
Coniugibus facilis est continentia per gratiam diuinam. 474.2.
Exempla. ibid.
Coniugalis continentia quæ præstet. 478.8. & 541.3.
An coniuges ante matrimonij consummationem triduo orare teneantur. 561.3. & 551.10.
Coniuges cur sese fratrum ac sororum nomine appellent. 627.2.
Concordia inter coniuges quantopere seruanda. 399.4. & 628.6. & 854.2.
Quomodo conseruetur. 628.6.
Est bonorum domesticorum causa. 629.7.
Coniuges ob mutuas imperfectiones non recurrant ad iurgia, sed prudentem monitionem. 855.3.

Consanguinei.

Mos erat Iudæis consanguineos vocare fratres. 382.5.

Conscientia.

Securitas & efficacia bonæ conscientiæ. 249.5. 248.1. & 249.5. & 534.3. & seqq.
Exempla. 249.5.
Præconia bonæ conscientiæ. ibid.
Conscientiæ examen continuò faciendum. 257.8.
Bona conscientia parit gaudium in tribulationibus. 368.11. & 371.14.
Bona conscientia summum vitæ gaudium: mala conscientia summum supplicium. 534.3.
Semper timet cui mala conscientia. 536.5.
Exigua conscientiæ habetur ratio. n.6.
Fructus bono conscientiæ. ibid.

Consilium consiliarius.

Consilium cur à Deo sapiente petendum. 331.1. & seqq.
Consilium est medium ad prudentiam. n.2.
In rebus arduis semper adhibendum. n.3.
Consiliarij boni descriptio: 332.4.
Respublica bono consilio viget, malo perit. n.5. & seqq.
Malum consilium consultori pessimum. 333.9.
Quorum consilia vitanda. ibid.
Quales Principibus adhibendi consiliarij. 334.10.
Quales ciuibus, & personis priuatis. n.11.
Alienum consilium potiùs sequendum quàm proprium. 335.11.
Ad salubre consilium accipiendum necesse est primò discusso proprio animo adire virum timoratæ conscientiæ. 335. & 2. Deinde orare Deum. 337.5.
Qui mala fide aliquem consulunt, veritatem audire non merentur. 336.4.
Consilium impiorum illudit Deus. 338.8.
Illo ad piorum gloriam vtitur. n.9.
Consilia Regum celare necessum. 686.2.
Consiliarius Regius potius debet grauia supplicia subire, quam secretum vergens in graue Reipublicæ damnum prodere. ibid.
Quàm multi consiliarij sint proditores. n.3.
Consilia Euangelica amplectenda. 837.12.

Consolari, consolator.

Consolari afflictos valde meritorium. 90.2. & 125.2. & 613.6.
Consolatorem habere magnum miseris beneficium est. 90.3.
Exemplum eorum qui in consolando mœstos excelluerunt. 613.6.
Consolandi afflictos optimus modus. 399.4.
Consolationes terrenas renuit afflictus in Deo spem ponens. 616.1.
E contra terrenus consolationes diuinas respuit, sed languet desiderio concupiti. n.3.

Consortium.

Consortium bonorum aut malorum quàm vtile aut damnosũ. *Vide* Bonus, Malus & Societas.

Constantia, constans.

Constantia in bono plurimùm laudabilis. 58.7. & seqq. Idque Deus miraculis contestatur. n.9.
Constantes in fide quomodo adhortandi. 79.3.
Constantia cuiusdam feminæ in resistendo Tyranno Dunaan. 153.7.
Ad constantiam adhortatio. 157.8.
Sal est symbolum constantiæ in bono. 420.5.

Consuetudo.

Consuetudo peccandi transit in naturam. 854.15.

Contemnens.

Contemnentes Deum ab hominibus etiam contemnentur. 750.7.

Contractus.

Contractus ineundi ante pocula. 509.5.

Contumelia, contumeliosus.

Contumelia silentio sopitur. 229.2.
Contumelias referens pari culpa cum inferente, immo maiori tenetur. 230.5.
Contumeliosus flagellatur silentio. 230.3. & 231.6.
Monitio ad contumelias patienter ferendas. 232.6.
Fortitudo Christiana in illis tolerandis consistit. n.7.
Contumelias regerens suspicionem de se confirmat. 255.1.
Illata contumelia modestè diluenda. n.2.

Conuiuium.

Apud Hebræos moris erat diebus Festiuis conuiuia celebrare, cur. 124.1. & 126.9.
Conuiuio mœstos consolari res magni meriti. 124.1. & 2.
Item conuiuia instruere ad confirmandam charitatem inter conuiuales. n.3.
Conuiuio charistico olim nemo præter cognatos & affines interponebatur. n.4.
Mutuæ charitatis & concordiæ causa instituebatur. ibid.
Eadem de causa instituit Christus conuiuium Corporis & Sanguinis sui. n.5.
Et olim inter Christianos agape celebrari solita. ibid.

Pij & pauperes ad conuiuium inuitandi. n.6.
Reprehenduntur qui moriones, ſcurras alióſue vitioſos homines ad conuiuium vocant. ibid. & n.7.
Magna merces manet eos qui pauperes inuitant. 126.8. & 127.2.
Non eſt illicitum pauperes à conuiuijs excludere. 127.1.
Varijs de cauſis ſolent inſtrui conuiuia. ibid.
Conuiuia plures damnant ob eorum abuſum. n.4.
Rigida nimis ac inhumana ita ſentiẽtium opinio. n.5.
Conuiuiorum abuſus ſolum taxandi. 130.12.
Conuiuia peruerſo fine exſtructa damnantur. n.13.
Conuiuia ſæpè morte infeſtantur. 147.3.
Conuiuium ferale *Vide verbo* Sepultura.
Conuiuium nuptiale apud omnes Gentes vſitatum. 527.1
In conuiuijs Dij à Gentilibus laudati. 529.5.
Conuiuij finis quis? 599.1.
Quid conuiuari cum timore Dei. n.2.
Conuiuium primorum Chriſtianorum quale. n.4.
Quæ exulare debeant à conuiuio? 599.5. & ſeq.
Conuiuio peracto de rebus pijs & honeſtis ſermo inſtituendus. 601.7.
In conuiuijs canticis ſpiritualibus vtendum. 795.5.
Muſica antiquitus in cõuiuijs adhiberi ſolita. ibi.
Reprehenditur modernorum cõuiuiorum luxus. 795.10.

Cooperari.

Cooperandum Deo. 542.5.
Exempla. ibid.

Cor.

Cor hominum in manu Dei. 72.6.

Cornix.

Ex cornicum cantu præſagire faruum. 619.2.
Cornix amoris coniugalis ſymbolum, quod ex ſuperſtitione ortum. ibid.

Corpus.

Corporis ſtatus nota eſt mentis. 487.2. & 488.1. & ſeqq.
Corporum ſimilitudo & diſſimilitudo, *Vide verbo* Similitudo & Diſſimilitudo.
Corpus vocatur vas. cur? 540.2.
Corporis ſtatura exili ſæpè format Deus viros eximios, vt humilitatis eos admoneret. 678.12.

Correptio.

Correptio interna ordinariè ſpectat ad Prophetas & Sacerdotes. 80.1.
Sæcularis tamen quãdoque tenetur quoſuis corripere. ibid. etiam cum periculo vitæ. n.2. Exempla. ibid.
Correptio prudenter inſtituenda ſecundum vitij naturam, & corripiendi affectum. n.3. Exempla ibid.
Quæ obſeruanda corripienti. n.6.
Verecundi leniter corripiendi, duri & impudentes duriùs. ibid.
Vtiliter proximum corripere volens, culpa carere debet. n.7.
Peccator tamen ratione ſui ſtatus non excuſatur à correptione fraterna. ibid.
Vtilius multo correptio fit à iuſto, quare? ibid.
Correptio fiat cum lenitate. 179.6. & 580.7. & ſeqq.
Ceſſare debet correptio vbi maioris mali eſt periculum. 205.11.
Correptio Dei eſt ſignum diuini amoris. 261.1. & ſeqq.
Correptionis defectus in Heli grauiter punitus. 615.8.
Reprehenduntur qui ab inferioribus corripi nolunt. 636.6. & 638.8.
Corripientem contemnens ruinæ proximus eſt. 638.9.

Cornus.

Coruus eſt auis vorax, & in pullos crudelis. 414.2.
Miraculosè quibuſdam attulit cibos. ibid.

Credere.

Non credendum omni ſpiritui. 495.7. & 728.5. & 799.1. & ſeqq.

Crimen.

Crimina aliena detegendi varij modi. 457.1.
Qui liciti? ibid.
Audita proximi crimina apud ſe continenda. 461.9.

Crux.

Crucis ſignum à quocunque expreſſum fugat dæmones. 432.12.

Curare morbos, donum curationum.

Conditiones requiſitæ in aliquo artis medicinæ imperito morbos curante. 658.3.
Donum curationum ab homine alteri communicari nequit. ibid.

Curioſitas, curioſus.

Curioſitas grauiſſimè punita. 223.8.
Turpis curioſitas eſt velle aliqua ſcire vt ſcias. 423.1.
Graue curioſitatis eſt vitium aliena inueſtigare, ſe neſcire. 424.2.
Chriſtus taxat curioſitatem diſcipulorum. 426.7.
Curioſitas abſcõdita rimantium retunditur. n.8.
Curioſæ quæſtiones deuitandæ. ibid. & 433.2.
Curioſitas omnis mali origo. 427.9. & 430.14.
In quo differat curioſus à ſtudioſo? 427.9.
Diuina myſteria non ſunt curiosè indaganda. 433.4.
Curioſus ſcrutator veritatem minimè aſſequitur. 437.11.
Periculoſa eſt curioſitas, maximè in cauſa religionis. 438.11.

Dæmon.

Dæmon idem eſt quod ſciens. 427.1.
In Scriptura ſemper accipitur in malam partem. ibid.
Diuerſum eſt genus dæmoniorum. 428.2. & ſeqq.

Inter dæmones ordo aliquis ſeruatur. n. 2.
Dæmonia corpora hominum obſident. ibid.
Extrinſecus etiam malis plurimis hominem afficiunt. ibid.
In intellectu eius multa mala operantur. n.3.
Inclinant interdum humanam voluntatem ad amores in honeſtos. ibid.
Dæmonium meridianum vnde dicatur? ibid.
Non eſt eis tanta poteſtas in animas, quanta in corpora. ibid.
Fumus piſcis quomodo extricet omne genus dæmoniorum? 429.4.
Res corporeæ conſecratione & benedictione à Deo eleuatæ valent in dæmones. 430.7. & 431.10.
Dæmonia eijcere eſt ſignum miraculoſum verè fidei. 431.9.
Dæmones pelluntur inuocatione nominis IESV. n.10.
Reliquijs Sanctorum. 432.11.
Signo Crucis. n.12.
Et exorciſmus. n.13.
Dæmoni permittitur aliquando homini vitam eripere. quare. 458.4.
Dæmones poſſunt coire cum mulieribus. ibid.
Dæmon excitauit ventum qui domum filiorum Iob ſtrauit. 463.1.
Habet poteſtatem ſuper libidinoſos. 470.1.
Dæmones poſſe ligari cõſtat ex S. Scriptura. 537.1.
Quibus modis id poſſit fieri. n. 2.
Aſmodæus religatus fuit in deſerto ſuperioris Ægypti ad vitam Tobiæ & Saræ. 538.3.
Modi compeſcendi dæmones ſolent vincula appellari. n. 4.
Vide Exorcizare.
Dæmon obſeruat hominum opera mala. quo fine? 703.3.

Damnum.

Damnum temporale nihili faciendum præ damno ſpirituali. 190.1.

Dauid.

Dauidis fuga à facie Saulis, & Abſalonis decora. 110.6.
Quæ cauſæ illum impulerint fugere Abſalonem. ibid. 7. & 113. 4.
Dauid clade ſuorum acerbius punitur, quàm propria cæde. 113.3.
Manibus Saulis eripitur miraculosè. 112.4.
In bono ſibi aduerſantes odio proſequebatur. 149.1.
Dauidis manſuetudo duritiam Saulis emolliuit. 179.6.
Dauid vehementer indoluit de Abſalonis morte. cur? 190.2.
Dei ſupplicia patienter tulit. 210.4.
Moribundus vltima ſua exhortatione optimæ vitæ capita exactiſſimè complexus eſt. 340.3.
Confidenter ſibi perſuaſit de felici ſucceſſu certaminis cum Goliath. 374.1.
Dauidis fidelis amicitia cum Ionatha. 401.3. & Abiathar. ibid.
Dauid quomodo citharæ cantu refocillarit Saulem à ſpiritu malo. 429 6.
Cum vnctione regia multa & rara dona accepit à Deo. 430.7.
Dauid non cognouit Abiſag per gratiam diuinam. 475.2. & 476.4.
Dauidis humilitas. 581.12.
Dauidis charitas. 585.2.& 7.
Dauid vberrim peccatum deflet. 608.6.
Dauidis patientia. 912.4.
Dauid non indignatur ſe doceri ab inferiore. 634.3.&.4.& 637.3.
Dauidis in Saulem clementia. 650.6.
Dauid non ferro ſed Dei gratia munitus deuicit Goliath. 755.16.
Dauid priuatus virtuoſus extitit, Rex factus virtutum omnium iacturam fecit. 808.5.

Debitum.

Debitum à pauperibus rigidè exigere Dei indignationi ſubiacet. 288 5.
Debita ante mortem hæredibus reuolanda. 339.1.
Debita ſtatim petenti ſoluenda. 594.7.
Ingratitudo ſummè debitorum creditoribus credita repetentibus ſuccenſentium. ibid.

Decimæ.

Decimarum erant tria genera apud Hebræos. 38.3
Tenebantur Iudæi illas ſtatim ſoluere. n. 4. Qua de cauſa decimæ præceptæ. ibid. Fraudatores decimarum à Deo puniuntur. ibid. & n. 6. & 11.& ſeqq.

Deliberare.

Deliberandi regulæ de diuino beneplacito & fide capeſſenda. 833.3.& ſeqq.

Delicie.

Deliciarum malum. 118.5.

Depoſitum.

Depoſito vtens abſque Domini licentia furtum committit. 86.5.
Depoſito vti quando liceat. ibid.

Detractio, detractor.

Detractio in conuiuijs frequens. 125 6.& 7.
Detractores reprehenduntur. 461.9.
Detractoris lingua triceps. ibid.
Detrahẽtes ſine iuſta cauſa non ſunt curãdi 556.5.

Deus.

Pro Dei honore omne periculum paruipendendum. 23.4.
Dei mandata violare ob ſtatus politici conſeruationem impium. ibid.
Deus peculiaribus locis eligit adorari. 31.1.& ſeq.
Protegit ſeruantes mandata ſua. 39.8.& 72.5.
Dei præſentia eſt omnium bonorum cauſa. 72.1. & 844. 2.
Verum parit gaudium 72. 2. & 844. 2. à tribulatione liberat. n. 3 & 155.11. & 844.3.
Dei vero obliuio omnium malorum mater. 73.3. & ſeq. & 845.
Dei mirus amor & prouidentia in populum ſuum. 75.8. & 9.& 76.1.

INDEX

Deus cur permittat Reges impios regnare. 89.6.
Dei ira lenta, tarditatem vindictæ grauitate compensat. 97.8.113.4.185.7.& 848.3.
In Deo solo quies. 107.16.
Iudicia Dei scrutari piaculum. 102.12. & 255.4. 439.14.
Sunt abyssus multa. 102.12.& 112.1.& 148.4.& 255.4.
Voluntati diuinæ se conformare res Deo gratissima. 214.1.& seqq.& 246.8.
Voluntas Dei alia signi alia beneplaciti. n.2.& 243.2.
Voluntati beneplaciti libenter acquiescendum, etiam in aduersis. 214.3.& 218.2.
Omnium rerum moderatrix est voluntas Dei. 216.6.
Est miseris solatium. 116.8.
Ignorantia voluntatis signi causat rebellionem contra voluntatem beneplaciti. 217.10.
Voluntati Dei absolutæ nemo resistere potest. 218.1.& 243.2.& 246.7.& 273.3.
Licet tamen nobis conari auertere quod fieri vult voluntate beneplaciti. ibid & 244.3.
Probatur exemplis Scripturæ. 218.3.
Optans à se depelli malum, non resistit Dei voluntati, sed culpæ vnde malum prouenit. 246 8.
Voluntati Dei se conformans certissimis eripitur periculis. 534.2.
Electorum est Dei voluntati se conformare. ibid. & 662.1. & 714.15.&
Dei voluntas inquirenda. 837.1.
Variæ regulæ agnoscendæ diuinæ voluntatis. 833.3.
Dei voluntatis impletio patit magnam fiduciam. 843.12.
Deus est protector iustorum, & vindex. 120.2. & 357.4. & seqq.
Exempla. 120.2. & 3.
Vult coli cum gaudio spirituali. 126.9.
Deo vocanti illico obtemperandum. 134.2.
Quidquid Deus absolutè vult, absolutè fit. 218.1. & 243.2.& 246.7.& 273 3.
In Deo spes omnis ponenda. 151.4.& 159. ii. & 357.4. & seqq.
Deo obediendum præ Rege, & hominibus. 23.2. & 151.4.
Deus vtitur quandoque instrumentis inidoneis. 156.3.
Dei ira cur aquæ comparetur. 158.7.
Diuina prouidentia cuncta fiunt. 161.1.& 273.3.
Magna Dei virtus in rebus minimis ostenditur. 187.10.
Deo authore omnia fiunt excepto peccato. 237.3. *Vide* Permissio diuina.
Deus per improbam voluntatem malorum suam implet. 238.4.
Dei ira non sæuit in iustos vsque ad mortem. 241.3.
Deo facilius iram continere quàm misericordiam. ibid.
Dei misericordia quanta. 241.4.
Deus protector in se sperantium. n.5.404.3.
Deus non auxiliatur nisi precibus aduocatus. 244.3.
Multa prædestinauit nonnisi precibus obtinenda. 245.4.
Ab ipso quærendum auxilium. n 5.& 408.4.
In Deo solo delectandum. 252.4.
Deus vno cadente alium eius loco, & præmio substituit. 260.8.
Deus quem corripit diligit. 261.1.& seqq.
Deum recedere ab aliquo quid sit. n.3.& 778.12.
Graue supplicium à Deo deseri. 261.3.
Errant qui putant se à Deo deseri dum corripiuntur. 263.7.& 365.3.
Multis argumentis probatur Deum non delectari in perditionibus nostris. 264.1.& seqq.
Deus præmonet antequam puniat. n.2.& 821.11.
Excitat deprecatores ne puniat. 265.3.
Lentè & gradatim ad plagas procedit. n.4. & 823 15.
Post tristitia læta concedit. 266.5.& 738.8.
Diuinæ præsentiæ est stimulus ad perfectionem, & peccati fugam. 276.4.& seqq.& 658.20.
Dei omni scientia Gentilibus non fuit incognita. 277.6.
Cum Deo ambulare quid. 278.8.
Præsentia Dei in laboribus roborat, in doloribus erigit. 279.9.
E contra, credere se non videri, ad omne flagitiũ vrget. n.10.
Vbique cogitandum : Memento te deprehensum. 281.13.
Deus in nobis est, & nos in ipso. ibid.
Deus ictu oculi potest hominem perdere & saluare. ibid.
Deum auertere faciem suam ab homine quid sit. 290.8.
Deus per res viles regna debellat, & superbos humiliat. 187.10.& 315.9.& 10.
Deo dirigente omnia prospere succedunt. 337.7.
Deus suis miraculosè de cibo prouidet. 343.10.
Mira prouidentia in auribus alendis. 344.10. & 11.
Deus diligendus ex toto corde. 345.13.
Quanta sit Dei prouidentia præcipuè super iustos. 356.1.& seqq.& 413.8.& n.3.& 416.7.
Quàm vtile illud frequenter vsurpare : Deus prouidebit. 358.5.& seqq.
Si Deus nobiscum, nihil contra nos. 362.3. & 387.3.
Deus martyres solatur in tormentis. 366.5. & seqq.
Dei directioni nostra committenda. 377.6. & 480.4.
Deo ita fidendum vt humana præsidia non negligantur. 407.3.
Promissiones Dei de felici successu non eximunt à periculis, & molestiis intermediis. 408.5.

Cur

Cur Deus miraculosè prouiderit ſuis de annona, & non potiùs ab iis arcuerit famem & ſitim. 413.2.
Cur iiſdem non lautum, ſed vilem procuret cibum. 414.3.
Deus cur aliquando interrogatione vſus? 427.9.
Tria non poteſt Deus facere meliora. 435.8.
Diſputatio de Deo quo perfectior, eo difficilior, 439.13.
Dei donis non abutendum. 471.4. & 615.6.
Dei patientia ad pœnitentiam nos adducit. 474. 8. & 9.
Deus quandoque inſolito modo hîc punit. n.9.
Deus non ſolet promiſſa concedere ſine præuia oratione. 476.5.
Quare Deus homines pene diſſimiles creauit. 487.3.
Olim neceſſe Deum conſulere in re magni momenti. 492.3.
Dei iuſſu inurbanum fit vrbanum. 507.3.
Deus ignotus Athenis fuit Deus verus. 507.4.
Illuminat corda hominum bonæ voluntatis. 514.4.
Dubiis & anxiis dat intellectum. 515.6.
Stulta, & paradoxa imperat homini vt ipſum doceat ſui perfectum contemptum, & obedientiam. 541.3.
Conſulit ſuorum famæ. 559.12.
Cur Deus cæli, & terræ dicitur. 561. 2.
Deo tribuenda omnis victoria. 562.3.
Hinc cæleſtibus præſidiis potius ſuos iuuat. n.5.
Deo merita, & coronas hic, & in cælo offerunt Sancti. 563.6. & ſeqq.
Dona Dei impendenda vtilitati publicæ. 585. 2. & ſeqq.
In illum finem diuerſa concedit Deus dona. 586. 3.
Deus felicitatis vel infelicitatis humanæ eſt cauſa. 619.3.
A diuina prouidentia omnia proficiſcuntur, non à fato aut fortuna. 620.3. & ſeqq.
Deus mirabiliter præuenit nos in rebus à ſe deſtinatis. 640.2.
Non ſolet facere miracula ſine neceſſitate. 642.8.
Dei præſentia cuius efficaciæ in Moyſe. 650.5.
Dei prouidentia ab animalibus brutis nobis proponitur. 651.9.
In Dei prouidentiam omnia reiicienda. 662.1.
Deus ſuos modico tempore affligit vt glorioſius erigat. 663.4.
Dei auxilium longanimiter expectandum. 665.7. & 8.
Deus in rebus deſperatis potentiam ſuam, & auxilium maximè declarat. n.7. & 711.6 & 737.6 & ſeqq.
Diuinum auxilium ante humanum aduocandum. 665.10.
Deus protector derelictorum. 668.2 & ſeqq.
Maiora nobis concedit quàm poſtulemus. 669.7. & 714.15.
Deus per viles perſonas quandoque magna operatur. 677.11.
Tales ad magna ſæpè euehit. 678.11.
Deo omnia noſtra aſcribenda. 679.1.
Deus cæli quare dicatur? 680.2.
Dei myſteria populo celanda. 687.4.
Deus ad peccata punienda vigilat. 697.15. & 861.14. & ſeqq.
Deus cur aliquando poſt preces differat auxiliari. 710.1.
Deo non eſt præfigendum tempus miſerendi. 711.5.
Dei cognitio parit humilitatem. 716.3.
Deus arcana ſua amicis ſuis reuelat, non ſapientibus huius ſæculi. 718.8. & 9.
Solus poteſt ſatiare animam. 719.4.
Dominatur viuis, & defunctis. 726.14.
Dei æternitas. 733.4.
Dei æternitas eſt fons viciſſitudinis temporum. 734. 8.
Dei maieſtas, & poteſtas quanta. 735.1.
Deum bonum, & malum diſtinguebant Manichæi. 736.2. & 737.4.
Deo permittente omnia fiunt. 736.2.
Deus eſt medicus. 737.5.
Nemo effugere poteſt manum Dei probantem aut vindicem. 744.3.
Diuinæ iræ reſiſti an poſſit. 746.6.
Deus non patietur nos tentari vltra id quod poſſumus. 747.7.
Diſpergit iuſtos ad aliorum ſalutem procurandam. 748.2.
Ex malis elicit bonum. 751.7.
A Deo malum omne pœnæ. 753.10.
Cur Deus dicatur beneficium facere, ſupplicium verò creare. ibid.
Deus punit citra condignum. 754.13.
Ad Dei miſericordiam in ſuppliciis confugiendum. 755.15.
Deus afficit malos aſſiduis incommodis vt eum timeant. 755. 1.
Solus ſcrutatur corda. 757.4.
Glorificatur bonis operibus. 758.4.
Magnum quid in laudibus Dei ſemper verſari. 761. 1.
Deus multipliciter oſtendit maieſtatem in peccatores. n. 2. & ſeqq.
Præſto eſt verè pœnitentibus. 766.14.
Dei maieſtas maximè prædicatur per teſtimoniũ hoſtium fidei. 782.8.
Dei miſericordia quanta. 803.11.
Deus merita ſupplicum excedit, & vota. 803.1.
Exempla. n. 2. & ſeqq.
Deus verus non fert ſe coli cum idolis. 829.5.
Deus inquirentibus ſe reuelat neceſſaria quandoque per Angelos. 836.11.
Dei præſentia exercenda, cur. 843.11
Deterret hominem à peccato. 844.4.
Deus quare differat vindictam. 848.2. &
Deus obiicit impedimentum peccatoribus,

malum accipiat finem. 855.6.
Eximit eximiæ iuſtos à communibus plagis modo extraordinario. 856.7.
Deo cordi eſt ſepultura iuſtorum. 131.5. & 864.23.
Deum deſerentes merentur deſeri. 870.7.

Diabolus.

Diabolus myſticè ſignificatur per piſcem Tobiã deuorare conantem. 408.6.
Diabolus ſuperatur à paruulis. ibid.
Diabolo reſiſtendum. ibid.

Diffidentia.

Diffidentia de prouidentia Dei culparur. 344.10. & ſeqq.

Digitus.

Digitum extendere quid ſit. 395.9.

Dilectio Dei.

Dilectio Dei ex toto corde etiam bona temporalia confert. 67.1. Non tam ipſos diligentibus, ſed eorum quoque filiis. n.3. Reddit iuſtos aliis formidabiles. 70.1. & ſeqq.
Exempla. 71.2. & ſeqq.
Diligendus Deus ex toto corde. 345.13.

Diligentia, diligens.

Diligentiæ fructus. 136.7.
Diligens dignus eſt honore. ibid.
Reprehenduntur diligentes in temporalibus, torpentes in ſpiritualibus. 137.12.

Diſſenſio.

Diſſenſio inter bonos eſt iudicij non voluntatis. 704.1. & 750.6. & 856.5.

Diſſimulatio.

Diſſimulatione vti ad veritatem quandoque occultandam licitum eſt. 381.2. & 509.1.

Diuinos conſulere.

Diuinos conſulere quàm ſtultum. 376.4. & 816.8.
Illos conſulentibus minatur Deus exitium. 376.5.
Diuinos conſulentes idololatriæ accuſantur. 424.3.

Diuitiæ, diues.

Diuitiæ per fas, & nefas acquiſitæ citò pereunt. 138.12.
Feſtinans ditari non erit innocens. ibid.
Diuites omnia iuſta, & licita exiſtimant. 185.7.
Diuitiæ vocantur Mammona iniquitatis, cur. 286.5.
Quanta crudelitas diuitum immiſericordiam in pauperes. 287.3.
Vide verbo Pauperes, & Miſericordia.
De diuitiis ſuperbire inane. 314.7. & 316.13.
Diuites impij ſæpè ad inopiam rediguntur. 341.6.
Diuitiæ alienant à Deo. 624.2. & ſeqq.
Illis bene vtentibus ampliores comperiunt. 625.6.
In diuitiis æquè pietati ſtudere atque in penuria magnus theſaurus eſt. 806.2.

Docere, Doctor.

Doctores degeneres ad nihil valent niſi vt pœnas luant. 422.7.
Nemo eſt qui doceri non egeat. 634.1.
Rectè aliquando ſuperior ab inferiore cum modeſtia docetur. n.2.
Exempla. ibid. & ſeqq.
Extremæ dementiæ eſt non velle doceri ab inferiori. 636.6.

Dolere, dolor.

Dolendum de peccatis, non jactura bonorum temporalium. 608.7. & ſeqq.
Dolor de peccatis debet eſſe ſummus appretiatiuè. 610.10.
Dolor ingens quo dicendi modo optimè explicetur. 752.3.

Dolus, doloſus.

Dolo malo ſe promouentes, eodem pereunt. 115.11.12. & 13.
Doloſi Deo deteſtabiles. 509.3.
Doloſa locutio multa mala in orbem inuexit. 510.4.

Dubius.

Dubius de placito Deo quibus regulis illud agnoſcet. 833.3.
Dubius de fide quomodo illam ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernet. 837.12.

Ebrietas, ebrioſus.

Ebrietatis mala. 128.5. & 130.11. & 508.5. & 530.6.
Ebrioſus quomodo admonendus? 130.12.
Ebrioſi reprehenduntur quòd operibus Dei contemplandis non vacent. 599.2.
Ebrietas abeſſe debet à conuiuio. n.5.
Ebrietas quid. ibid.
Quando ſit mortale peccatum. ibid.
Eius mala ſunt infinita. 600.6.
Horribilia exempla. ibid. & 862.16.

Eccleſia.

Eccleſiæ Catholicæ notæ. 61.21.
Eccleſia ab hæreticis, licet fratres ſint multum patitur. 178.4.
Eccleſia perſecutionibus creſcit. 751.7. & 786.7.
De Eccleſia ſub typo Ieroſolymæ quædam prædixit Tobias ſenior. 783.10. & 788.2.
Eccleſiæ perſecutores omnibus penè ſæculis diro mortis genere perierunt. 785.6.
Eccleſiam propugnantibus quanta diuinitus felicitas affulſerit. 786.8.

Eleemoſyna.

Eleemoſynarũ largitio ſit eò amplior, quo maior filiorum numerus. 209.4. & 299.6.
Eleemoſyna danda ex propriis bonis. 285.1.
Eſt Deo ſacrificium. ibid.
An de illicitè acquiſitis eleemoſyna danda ſit. ibid.
Species furti eſt alienum dare pauperibus. n.2.
Non eſt eleemoſyna, ſed ſæuitia. ibid.
Quando vxores licitè vel illicitè dent eelemoſynas. n.5.
Eleemoſyna data ex alieno duplici nomine diſplicet Deo. 286.5.
Eleemoſyna ex turpi lucro meritoria eſt. n.7.
Eccleſia tamen ad altare illam non admittit. ibid.

Eleemoſyna quando facienda. 287.2.
Eleemoſyna danda hilariter, & benigne. 289 6. & 691. 9.
Eleemoſyna mixta verbis iniurioſis vix eſt meritoria. 289.6.
Cuius citra diſcretionem perſonarum facienda. n.7.
Fructifera eſt eleemoſyna. 294 1. & 297.1.
Eſt ſignum prædeſtinationis. 294.2.
Nundinæ mirabiles. n.3.
Ars quæſtuoſiſſima. 295.4.
Eſt ſubſidium in neceſſitate temporali. n.5. & 297.1.
Liberat à peccatis, & in die iudicij fiduciam confert. 296.6. & 7. & 297.1. & ſeqq.
Eleemoſynario non deficit patrimonium. n.8.
In eleemoſynam non ſunt danda putida. n.9.
Defectu mediorum ſufficit pauperem iuuare miti alloquio, & bona voluntate. ibid,
Eleemoſyna non ex pretio, ſed bona voluntate æſtimatur. 297.10.
A Sanctis patribus comparatur baptiſmo. 297.1.
Qua ratione eleemoſyna liberet à peccato, & morte. n.2.
Diſponit peccatorem ad gratiam iuſtificantem. ibid. & 692.13.
Meretur ex condigno remiſſionem pœnæ culpa remiſſa. 298.2.
Differt pœnam temporalem peccatori. n.3.
Liberat etiam à morte corporali. n.4. & 692.12.
Officium boni patris eſt peccata filiorum purgare eleemoſynis. 299.7.
Ingrata Deo eleemoſyna affectu libidinoſo facta n. 8.
Item ex vana gloria. 300.9.
Eleemoſyna Deum facit debitorem. ibid.
In peccato perſeuerantibus non ſuffragatur. n.10. & 696 12.
Eleemoſyna impenſa bono vtilior. 330.3.
Eleemoſyna in vita danda, non poſt mortem differenda. 339.2.
Elemoſyna ditat, auaritia depauperat. 691.9.
Impetrat vitam æternam. 693.13.
Eleemoſyna immortalem viri memoriam reddit. 843. 11.

Emere.

Emens alicui rem minoris, quàm alibi emiſſet pluris, non poteſt commodum illud ſibi retinere. 192.6.

Epulo.

Dives Epulo an condemnatus, quia epulabatur quotidie ſplendidè. 127.3. & 287.3. & 754 10.

Equus.

Equus eſt animal libidinoſum, 470.2.

Euchariſtia.

Euchariſtia eſt vinculum pacis. 125.5.
Cur vocetur panis. 145.1.
Puniuntur multi ob indignam Euchariſtiæ ſumtionem. 261.1.
Euchariſtiæ Sacramentum eſt ratione imperſcrutabile. 436.9.
Euchariſtia vitam corporalem ſine alio cibo conſeruare poteſt. 720.7.
Exempla. ibid.
Euchariſtia eſt frumentum electorum. 721.8.
Roborat aduerſus impugnationes dæmonum. ibid.
In præliis dat victoriam. 722.8.
Et poſt mortem vitam æternam. n.9.

Euentus.

Euentus omnes rei Dei prouidentiæ aſſcribendi. 620.4. & ſeqq.
Felix euentus non ſemper reſpondet perito authori. ibid.

Examen conſcientiæ.

Examen conſcientiæ quale confeſſioni præmittendum. 512.9.

Excidium.

Excidium gentis alicuius vnde cauſetur. 850. 6. & ſeqq.

Excubias agere.

Excubias agens tempore obſidionis ſub pœna capitis aduentantes explorare tenetur. 494.6.

Excuſare, excuſatio.

Excuſare ſe oportet abſque alterius accuſatione. 254.1.
Exempla ibid.
Aliena culpa, quamuis manifeſta, eſt excuſanda. 255.3.
Excuſationes in peccatis quæruntur.

Exemplum.

Exempla ſunt virtutum hortamenta. 1.2. & 180. 3. & 347.3. & ſeqq. & 759.5.
Sunt quaſi leges ſcriptæ. 1.2. & 4. & nauis gubernaculum. n.5.
Exempla malorum non excuſant peccata. 60.13.
Ignauus eſt qui alieno exemplo cautior non eſt. 461.10. & 11.

Exorciſmus, exorcizare, exorciſta.

Per exorciſmos Eccleſiæ pelluntur dæmones. 432. 13.
Effectus iſte producitur ex opere operato. n.14.
In primitiua Eccleſia quilibet Chriſtianus habebat poteſtatem exorcizandi. 538.6.
In Euangelio illa poteſtas Apoſtolis ſpecialiter conceſſa. n.7.
Succeſſu temporis ſolis exorciſtis. ibid.
Exorciſtis non licet vti remediis veteris Teſtamenti, ſed illis quę Eccleſia probauit. 539.8.

Exhortatio.

Exhortationis vtilitas. 80.5.
Exhortatio ſtimulus eſt ad virtutem. 616.1.

Ezechias.

Cur Ezechias morte inſtante fleuerit. 466.6.
An Ezechias omnibus Regibus ſanctior. 492. 8.

Fama.

Magna famæ ratio habenda. 553 2.
Præcipuè authoritate, ætate & doctrina præſtantibus. ibid.
Bona fama vocatur bonus odor. ibid.

Nul-

Nulli licet famam negligere nisi iustae x causa 555. 4.
Conscientiam Deo debemus, proximo famam. ibid. & 556. 5.
Famam negligere signũ est animi dissoluti. 556. 5.
Famæ suorum Deus consulit. 559. 12.

Familia.

Familia scrutanda, dum plagæ immittuntur. 493. 4.
A familia abdicari solent degeneres. 880. 4.
In quaque familia tales reperiuntur. 888. 2.

Fauor.

Fauor humanus vmbræ comparatur. 605. 4.

Fel.

Fel piscis sanat cæcitatem Tobiæ. an naturaliter, an supernaturaliter? 653. 1.
Fel Callionymi piscis, & hyænæ medetur albugini oculorum. n. 3.

Felicitas.

Felicitas Vide *Verbo Fortunatus.*

Felicitatis terrenæ inconstantia. 495. 2.
Deus felicitatis humanæ est causa. 619. 3.
Felicitatem nimiam timuerunt Sancti. 624. 2.
Nimia felicitas fecit Hebræus Dei contemptores. n. 3. & seqq.
Reges alioquin probos aulsit à Deo. 625. 5. & 807. 5.
Magnæ felicitatis est à felicitate non vinci. 806. 2.
In felicitate quid facto opus? 809. 8. &
Felicitas immoderata rumpit animos. 859. 5.

Ferdinandus Castellæ Rex.

Ferdinandus Castellæ & Legionis Rex sine digno Catholico Rege diem claudit extremum. 120. 6.

Festinare.

Festinandum ad Dei vocem. 134. 2. *Vide* Opus bonum.

Festum.

Voluit Deus Iudæos sua festa celebrare cum gaudio cur. 124. 1. & 126. 9.

Fides, fidelis.

Fidelium filios nasci sanctos, error est Caluini. 9. 2
Fides vna. 31. 6. Fides tribus modis perficitur. 34. 6.
Fidelium duo sunt genera. 60. 1.
Fidei controuersiæ huius temporis. 61. 3.
In fide constantes, tepidi, & apostatæ quomodo adhortandi. 79. 3. & seqq.
In fide nouellos reuocare obnoxium est vindictę. 187. 12.
Indubitata apud Deum fides ardua reperitur. 213. 12.
Fidelis quis dicatur? 354. 1.
Fidelitatis exempla. 401. 3.
Pauci fideles. n. 4. & 5.
Fidei mysteria non sunt curiosè scrutanda. 433. 4.
In rebus fidei rationis euidentia esse nequit. 434. 7. & 438. 12.
Fidei resolutio est in Ecclesiæ authoritatem. 435. 8.
Fides humanis rationibus multùm illustratur, & aduersus infideles defenditur. 437. 11.
Fidelis iudicatur moribus. 490. 4.
Fidei Christianæ hostes interitum sibi certum parant. 785. 5.
Fides sine operibus infructuosa. 819. 6.
Fides Catholica est vna. 837. 12.
Quomodo & vbi quærenda. ibid.

Fideiubere.

Fideiubere est scopulus euertendæ familiæ opportunus. 86. 5.

Fiducia.

Fiducia bonorum operum *Vide* Opera bona.
Fiducia in Deo ponenda. 357. 4. & 408. 4. & 604. 4. & seqq.
Fiducia in Deo ita collocanda, vt humana præsidia non negligantur. 407. 3.
Fiduciæ in Deo exemplum. 408 4.
Fiducia in oratione necessaria. 647. 11.

Filius Vide *Parens.*

Filium nasci parentibus gratum. 45. 1.
Filiorum peccata à parentibus eluenda eleemosynis. 209. 4.
Filij debent honorem matribus, cur. 275. 8.
Filium à moribus parentum deflectere paradoxũ videtur. 348. 6. & 379. 2. & 496. 4.
Filiis prouidendum de sodalibus, & pedagogis probis. 354. 1. & seqq. & 379. 3.
Filij viris grauibus olim committebantur erudiendi. n. 2.
Auidè experunt benedictionem patris. 389. 9.
Filia cur petenda à patre in vxorem. 456. 14.
An filio eueniat benedictio ob merita patris. 502. 2.
Filio bono turpe non est patrem habere impium. 503 3.
Filiis destituti olim infelices, & vt legis transgressores reputabantur. 595. 5.
Filiorum interest bene à parentibus institui. 10. 5. & 814. 6.
Filij ab infantia bene instructi turres sunt Reipublicæ. 814. 6.
Filius quæ debeat parentibus. 876. 8.
Filij degeneres apud omnes fermè nationes solent exhæredari. 878. 2.
Filij & filiæ nonnisi causa ingratitudinis exhæredantur. n. 3.
Quando filius possit accusare patrem. 879. 3.
Filij degeneres solent quoque abdicari à familia. 880. 4.
Filia sine parentum consensu nubens exhæredari an possit. 880. 5.
An filiis liceat gaudere de morte patris? 885. 14.
Filij tæpissimè à parentibus degenerant. 888. 2.

Forma.

Forma corporis quàm fragile bonum. 313. 7.

Fornicatio Vide *Libido.*

Fornicatio fugienda. 42. 5. & 301. 1.

Fortitudo.

Fortitudo Christiana consistit in tolerandis malis

lis. 232.7. & seqq.
Fortitudo corporis fragilis est. 313.7.
Bestiæ illa superant. ibid.
Non est in illis vanè gloriandum. ibid. & 316.13.

Fortunam.

Nihil in mundo fortuitum. 161.1.
Exempla. ibid. & seqq.

Fortunatus, fortuna.

Vnde contingat vnum altero esse fortunatiorem. 619.2.
Fortunam Gentiles censet esse Deam cæcam, quæ fortuito felicitatem aut infelicitatem tribuat. ibid.
Illa est inanis ex orco larua. 620.3.
Quod nos fortunam dicimus ipsissima Dei prouidentia est. ibid. & 622.6.

D. Franciscus.

D. Franciscus voce, & vita quid concionaretur. 487. 2.

Frater Vide *Propinquus.*

Vis vocis, fratres. 579. 5.

Frugalitas.

Frugalitas à Deo dimanat. 571.3.
Romani quantopere frugalitati studerent. n.5.

Fugere, fuga.

Fugere persecutores quando licitum. 108.1.
Fuge exempla ex sacra Scriptura. n.2.
Saluator noster Discipulus suis fugam suasit. n.4.
Qui persecutorem non fugit, facit. ibid.
Sanctorum fuga à fortitudine imperata fuit. n.5.
Fuga è prælio quando decora. n.6.
Exemplum Dauidis. ibid.

Fumus.

Fumus piscis quomodo extricet omne genus dæmoniorum. 429.4. & 538 4.

Furtum.

Cur Tobias tam attentè cauerit à re furtiua. 190.1.
Res furtiua comparatur domui tineæ, & rei breui peritura. 191.5.
Furtum deprehensum per horologium in caligis absconditum. 283.16.

Gaudere, gaudium.

Gaudere de hoste priuato prostrato non licet.
De publico verò licet. n.2.
Gaudium inopinatum quandoque affert mortem. 644 4.

Genus.

Ex genere manifesta morum indicia desumuntur. 378.2.

Gentiles.

Gentilium quidam ritus piè in Ecclesiam translati sunt. 326.11.
Gentilium multi simul cum idolis Deum verum coluerunt. 350 8.
Gentiles sibi persuadebant impuras voluptates esse licitas. 451. 1.
Gentilium immunditia. 340.1.
Gentiles ante lucanas Diis suis preces offerebant. 558 9.
Eorundem honori inuigilabant. ibid.
Gentiles plurimi ex auditu mirabilium operum Dei intellexerunt maiestatem ipsius eminentẽ super suos Deos. 751.7.
Gentiles multos ad Iudaismum conuertendos prædixit Tobias. 780 4.
Gentis alicuius imminens excidium vnde colligatur? 850 6. & seqq.
Gentiles quàm sollicíti de suorum sepultura. 863. 18.
Inuidebant illam Iudæis. cur? n.19.
Solent mortuorum corpora floribus, & coronis redimire. n. 20.

Gladius.

Gladius à Deo datus est in vindictam malefactorum. 128.6.
Ea de causa illis, qui necessarium habent imperiũ gladius nudus præfertur. ibid.
Gladius tollendus non est propter abusum. n.7.

Gloria, gloriari, glorificari.

De gloria cælestu hic cognoscimus, quantum paruuli de maioribus negotiis. 9.1.
Gloria cælestis stimulus est ad quiduis tolerandũ. 180.4. & seqq. & 791. 9.
Quanta sit? 182.7. & 791.8. & 888.19.
Illam non assecutum esse maius tormentum est quàm gehenna. 182.8.
Gloriari in Deo oportet. 317.13. & 568.13.
Vana gloria quàm noxia. 497.5 & 501.17.
Inanem gloriam spernere magnum. 501.16.
Gloria illa citò euanescit. 502.18.
Reprehenduntur, qui ex vana gloria sibi aliquid præclari asscribunt. 564.10.
Nihil inanius vanâ gloriâ. ibid.
Qui sua sibi asscribit nihil differt ab idololatra. ibi.
Gloriari de peccatis quanta mala causet. 853.14.
Glorificatur Deus bonis operibus. 758.4.
Multi modi glorificandi Deum. ibid.
Glorificare Deum bonis operibus vtile est ad bonum temporale consequendum. 759.6.
Deo gratum est, se à fidelibus vnanimiter glorificari. 768.1.
Gloria cælestis sola satiat animam. 719.4.

Gratia, gratus, gratitudo.

Gratiæ vocationis Dei promptè obtemperandũ. 135.3 9.10. & 11.
Gratiæ diuinæ quanta sit efficacia. n.10.
Gratias agere in aduersis illustre. 169.1. & seqq. & 240. 2. & 846. 10. & seqq.
Est gratissimum sacrificium. 169.3.
Gratiæ agendæ in omnibus beneficiis generalibus, & particularibus. ibid.
Deo gratias agens in aduersis illum sibi constituit debitorem. 171.6.
Magnum thesaurum acquirit. n.8.
Adhortatio ad gratiarum actionem in aduersis. n. 9.
Deo gratias agere in aduersis familiare est martyribus. 241.2.
Quale premium maneat agentem gratias in ad-

nersis. ibid.
Multiplex est gratia quæ mortuis impenditur. 325.6.
Gratiæ agi solitæ post cibum. 528.2.
Gratitudinis animalium exempla. 402.6.
Gratitudinis officium quod sit? 675.2.
Exempla. ibid.
Quomodo contra gratitudinem peccetur? 676. 4.
Gratiarum actio præcepta est in nostrum commodum. 680.3.
Vsus fidelium obtinuit publicè gratias agere pro beneficiis obtentis. 681.4.
Gratiarum actio est Deo gratissima. n.7.
Vnde illa Christus in plerisque mirabilibus vsus fuit, eaque multum boni nobis præstitit, 682. 8.
Gratiarum actio est propria dos noui Testamenti. ibid.
Gratitudo est beneficiorum custos. 681.6.
Gratiæ Deo agendæ antequam fruamur beneficiis acceptis. 645.5.
Gratus maiotibus cumulatur beneficiis. ibid.
Gratitudo docetur à bruris animalibus. 651. 8. & seqq.

Gratulari.

Gratulari sibi mutuò vetus consuetudo. 670.2.

D. Guilielmus.

D. Guilielmus Aquitaniæ Dux monitorum suorum irrisor, & persecutor à D. Bernardo miraculosè conuertitur, & in posterum acerrimus vindex priorum noxarum existit. 639.9.

Gula.

Gula incentiuum libidinis. 508.5. & 529.4. & 530.6.
Gula animæ & corpori nociua. 572.6. & seqq.
Abesse debet à conuiuio. 599.5.
Eius mala. ibid.

Gymnasium.

Gymnasia pietatis, & doctrinæ sunt Reipublicæ propugnacula. 814.8.

Hæreticus, hæresis.

Hæretici quamprimùm vitandi. 54.4.
Illorum cum Catholicis dissidium quomodo sopiri posset. 61.2.
Hæreticorum huius temporis quædam absurda in doctrina fidei. n.3.
Illorum in tuenda hæresi pertinacia palmam fidei non assequitur. ibid.
Hæreticos nimis in Catholicos fœuientes diuina manet vindicta. 123.8.
Hæretici, licet fratres sint, Ecclesiam acriter impugnant. 178.4.
Perperam se dicunt securos de perseuerantia, & vita æterna. 260.8.
Hæreses ex superbia pullularunt. 313.5.
Hæreticus dogmatista fugiendus. 330.2.
Est peior sale infatuato. 422. 7. similis cimicibus. ibid.
Hæretici ad disputationem de Scripturis non admittendi. 495.7.
Hæretici non habent veram religionem, eò quòd victoria aut opibus præualeant, sed eos manent æterna flagella. 709.13.
Ex hæresi omne malum. 829.5. & 851.9.
Apud Hæreticos non est quærenda vera fides. 838. 14.

Halitus.

Halitus quorundam pestilens. 458.2.

Helisæus.

Helisæus quare petierit sibi dari duplicem spiritum Eliæ. 614.2.

Herus Vide *Paterfamilias.*

Herus mansuetudine amorem serui sibi conciliat. 5783.
Herus quidam ob factum famulorum vapulauit. 816.12.

Hierosolyma.

Quanta fuerit olim gloria Hierosolymæ. 772.1.
Eiusdem desolatio peccatis imputatur. n.3. & seq.
De Hierosolymæ splendore quædam spiritu prophetico prædicuntur à Tobia seniore. 780. 3. & seqq. & 788.1.
Hierosolymæ hostes puniti. 784.3. & seqq.
Hierosolyma typus est Ecclesiæ militantis, & triumphantis. 783.10. & 788.2. & seqq.

D. Hilarius.

D. Hilarius quam imperterritè Constantio Imperatori Arriano restiterit? 153.7.

Hirundo.

Hirundinum stercora quomodo infecerint oculos Tobiæ. 156.5.

Homicidium.

Homicidium peccatum in cælum clamans. 97.6.

Homo.

Hominum similitudo *Vide Verbo* Similitudo & Dissimilitudo
Homo in creatione sua solus abiit illaudatus ne superbiret. 496.5.
Homo mortalitatis suæ semper sit memor. 361.8.
Homo non sibi soli natus. 585.2.
Humana vilis conditio comparatione Angelicæ dignitatis proponitur. 582.15.

Honor.

Honores non debent mutare mores. 677. 9. & 807.5.

Hospitalitas.

Hospitalitatis commendatur. 132.2.
Hospitalitas veteribus Patriarchis cordi fuit. 480.1
Quæ ratio. 481.1.
Merita hospitalitatis. n.3. & seqq.
Hospitalitas Gentilium. 482. 6. Christianorum. 483. 8. & seqq.
Hospitalitatis tessera apus hos quæ, & quis vsus n. 8.
Hospitalitas antiquis ordinibus multum curæ fuit. 484.9.
Curiosa exploratio peregrini vitanda. n. 10.
Hospitalitas exercenda sine murmuratione. n. 11.
Et bona intentione. n. 12.

Hoſtis.

Hoſtis triplex. 566.1.
De hoſte proſtrato gaudere quando licitum. ibid.
Hoſtes peccatis noſtris fortes ſunt. 753.11.
Ipſorum vires quomodo confringendę. 754.14. & ſeqq.

Humilitas, humilis.

Humilitas eſt ſignum prædeſtinatorum 311.2.
Humilitas Deo grata. 316.12.& 14. & 583.14.
Humilis multum meretur apud Deum. 566.13.
Humilitas Sanctorum. 580.10. & ſeqq.
Eſt ſanctitatis principium. 582.15.
Humiles perſonæ magna ſæpè patrarunt. 678.11.
Ad magna quandoque euehuntur. ibid.
Humiles merentur cognitionem rerum diuinarum. 717.7. & ſeqq.
Humilitas in ſublimibus operibus difficilis. 718.10.

Hyperbole.

Hyperbole eſt vſitata in Scriptura. 788.1.
Quid ſit? ibid. Exempla. ibid.

Iacob.

Iacob mirè protegitur à Deo. 121.3.
Cur voluit Deus vt Iacob per deceptionem patris benedictionem obtineret? 273.2.

Iacobus minor.

Iacobus vocatur frater Domini, tum quia cognatus, tum quia ei ſimilis moribus, forma & vultu. Hinc Chriſto & Apoſtolis fuit percharus. 485.1.

Iactantia.

Iactantiæ modi. 313.7.

Idolum, idololatria.

Idola quomodo ſuſtulerit Ioſias. 17. 6. Ieroboam illa erexit libi ſine dominandi. 28. 6.
Ab idololatria quibus rationibus deterreat Hieremias. 80.3. & 619.2.
Idolatria quare vocetur fornicatio? 348.6.
Idola à Deo deſtructa, & idolatriæ afflicti ad maieſtatem ſuam oſtendendam. 763.8.
Idolatria ſummum exitium alicuius gentis. 850.7.

Idolothytum.

Ab idolothytis quare abſtinuerint Iudæi. 63.4.
Idolothyta comedentes à Deo puniti, n.5.

Ieiunium, ieiunare.

Ieiunium Sanctorum veteris Teſtamenti quàm durum. 65.4.
Ieiunij commoda; meretur viſionem Dei. ibid. & n.5. eiuſque patrocinium, & gratiam. eodem n.5.& 6.
Diuerſa ieiunantium motiua. 233.1.
Ieiunium motuum iræ frænum. 234.2.
Quatuor difficilia impetrat. n.3.
Ieiunio tentationes dæmonis ſuperantur. 415.6.
Ieiunium hominem diuinum efficit. ibid.
Ieiunij laus. 690.4.
Afflicti olim orationi iungebant ieiunium. n.5.
Ieiunium eſt mater pacis. 691.6.
Infructuoſum eſt ieiunium ſine eleemoſyna. n.7.
Ieiunium opus eſt ſatisfactorium. 768.17.

Manden in Tob.

Ieiunium in peccatis perſeuerantium inefficax. 696.11.

Ieſus.

Nomen IESV expellit dæmones. 431.10.

Imaginatio.

Imaginatio materna miras naſci facit proles. 477.7.
Imaginationis vitiatæ exempla. 762.2.

Impatientia.

Impatientia gignit multa mala. 398.3. & 664.6. & 665.9.

Impius Vide *Peccator.*

Impiis vtitur Deus vt flagello. 96.2. & ſeqq. & 123.7 & 848.2.
Impios cur diu viuere permittat Deus. 102.12. & 861.15. & 884.10.
Impiorum conatus à Deo repelluntur. 141.4.
Impij prudentiam carnis amplectuntur. 143.11.
Impij cur vocentur in Sacra Scriptura Chananæi aut Amorrhæi. 383.8.
Impij ſemper timent. 536.5.
Impij tacitis Sanctorum moribus arguuntur. 717.6.
Impij cur indulgentius viuere permittantur à Deo. 737.5.
Sed, & anni impiorum breuiantur. 861.14.

Incarnatio.

Incarnatio Chriſti ratione humana capi nequit. 455.8.
Noua, & mira facta in Incarnatione Chriſti. Ibid.

Inconſtantia.

Inconſtantia in bono vituperatur. 54.10.
Inconſtantia aulicorum. *Vide verbo* Aulici.
Inconſtantia humana quanta? 103.2.
Inconſtantiæ humanæ cauſæ. 105 8.& 9.
Inconſtantia mulierum. 395.10.
Et vulgi. 396.11.
Inconſtantiæ punitæ exemplum in vxore Loth. 422.8.

Indifferens.

Indifferentia non ſunt tollenda propter abuſum. 128.5.

Induſtria.

Induſtria humana ſine Deo inefficax. 621.6.

Infernus.

Inferni pœnas timens vix poteſt peccare. 463.11.
Ignis inferni corporeus cruciat ſpiritus malos, quomodo. 431.9.
Deſcriptio pœnarum inferni. 698.18.
An in inferno vlla redemptio. 740.11.
Exempla damnatorum qui ex inferis per preces Sanctorum euaſiſſe referuntur. Ibid.
Inferni pœna æterna. n.12.
Infernus tripliciter ſumitur. 741.17.

Ingenium.

Ingenium præclarum eſt pretioſa animi ſupellex 314.7.
Feliciſſima ingenia plerunque turpiſſimè exorbitant. Ibid.

Ingratus, ingratitudo.

Ingratitudine quomodo peccetur? 676.4.
Gradus ingratitudinis. Ibid.
Ingratitudo per se fugienda. Ibid.
Ingratos non dignatur Deus beneficijs. 682.9.
Ingratitudo in Deum grauiter punienda. 729.7.
Ob ingratitudinem tantummodo exhæredantur filij. 878.3.
Ingratitudinis iustæ causæ censentur quatuordecim. ibid.

Inimicus.

Inimici lenitate lucrandi. 179.6.
Exempla. ibid.
Inimicus diligendus. 321.6.

Iniuria. Vide Contumelia.

Iniuria postulat vindictam apud Deum. 254.1.
Iniuriæ obliuioni tradendæ. 322.9.

Iniustitia.

Iniustitia quantopere à Deo puniatur. 774. 6. & 8.
Iniustitia Deo est abominabilis. 840.4.
Ab iniustitia omne malum. 841.11.& 852.10

Inquisitio.

Varij inquisitionum modi. 833.1.

Instructio, instruere.

Instructio multum conducit ad cælestia à primis annis capessenda. 10.5.
Exempla. ibid.
Instruere pueros ab infantia vtile. 49.5.
Memoria illius instructionis in rebus arduis constantiam parit. n.6.

Instrumentum.

Instrumenta felicis successus aliquibus pro Dijs habita. 568.12.

Intentio.

Intentionem alicuius dijudicare extremæ audaciæ est. 256.7.
Intentio opus probat, & reprobat. 214.12.& 256. 7.& 544.3.& seqq.& 657.19. & 832.12.
Varia huius rei exempla. 256.7.
Intentio mala potens est venenum. 546.8.
Intentione mala opus bonum facientes cæci sunt. 656.16.

Interrogatio.

Interrogationes in sacra Scriptura multiplici sensu fiunt. 373.5.
Cur Deus aliquando interrogatione vsus. 427.9.

Israeliticus populus.

Israeliticus populus quam inconstans fuerit. 397.12.
Quæ illius murmurantis super manna pœnæ. ibid.

Inuidia, inuidere.

Inuidiæ malum. 115.9.
Reprehenduntur qui bonis proximi inuident. 672.10.
Graue peccatum inuidere alicui bonum spirituale. ibid.
Inuido nihil scelestius. 673.10.

Inurbanum.

Inurbanum iussu Dei fit vrbanum. 507 5.

Iob.

Iob cur quædam stylo ferreo conscripta optarit. 2.4.
Est sinceræ religionis exemplar. ibid.
Iobi cura pro salute filiorum. 52.8. & 209.4.& 299.7.& 529.6.
Iob quare horruerit, quando necessitas capiendi cibi. 146.2.
Rerum vicissitudinem continuo cogitabat. ibid.
Iob tentationibus probatus fuit, vt ampliorem reciperet mercedem. 158.9.
Iob patientiæ exemplar. 165.13.& 611.3.
A Iob longè abfuit murmuratio. 167.5.& 9.
In aduersis gratias egit. 169.2.& 5.& 846.10.
Patentia sua deuicit diabolum. 170.5.
Iob optat mori, ne doloribus nimis excruciatus peccet. 219.4.
Derisus fuit è vili iuuentute. 222.3.
Certissimè de resurrectione propherat. 259.5
Misericordia pauperum fuit Iobo naturalis. 323.1.
Iobi constantiam labefactare conatus est diabolus per vxoris inconstantiam. 395.10.
Iob merus in hospitalitatis officio. 480.1.
Laudatur ab ipsa veritate ad institutionem aliorum. 497.6
Iobi oratio efficax. 550.7.
Iobi sanctitatem defendit Deus. 559.12.
In corripiendo seueritas. 615.7.
Iob quo dicendi modo vitam suam ærumnosam significarit. 723.3.
S. Iob per septennium afflictus est. 743.10.
Agnouit probantem Dei manum. 744.3.
Iob in florente fortuna religiosè vixit. 807.2.

Ionas.

Plura circa Ionam in ventre ceti contigerunt miracula. 406.8.& 534.3.
Ionæ in Deum fiducia. 534.3.
Ionas Dei manum effugere non potuit. 746.5.
Ionæ tempestas fuit miraculosa. 493.4.
Ionas, licet Propheta, spiritu humano quædam egit, & dixit à charitate, æquitate, & veritate aliena. 801 9.

Iosaphat.

Iosaphat castitatis, & religionis constantia. 301.3.

Ioseph.

Ioseph quomodo dictus Saluator? 594.4.

Ioseph sponsus B. Mariæ.

Ioseph non sine causa suspicatur malum de B. Virgine. 195.8.
Docetur ab Angelo veritatem ob tres rationes. ibid.

Ira.

Ira iustitiæ inimica. 95.1.
Hominem amentem reddit. ibid.
Exemplum Sennacherib. n.2.5.6.8.
Xerxis irati vesania. 97.8.

Ira ſtatim deponenda, cur? n.9.
Efficaciſſimum iræ remedium eſt vindictæ dilatio. ibid.
Ira Dei lenta tarditatem pœnæ grauitate compenſat. 97.8.& 113.4.& 185.7.
Ira Dei cur aquæ comparetur? 158.7.& 185.7.
Reſponſio mollis frangit iram. 179.6.
Exempla. ibid.
Ira impedit orationem. 202.4.
Ira feminarum ad modum eſt impotens. ibid.
Iracundia frangitur ſilentio. 219.2.
Ira Dei non ſæuit in iuſtos vſque ad mortem. 241.3.

Irridere, irriſio.

Irrideri ab inimicis graue. 172.2.
Ab amicis grauius. n.3.
In cauſa religionis duriſſimum. n.8.
Irriſio iuſtum facilè à virtute auocat. 175.3. & 187.11.
Ingentis meriti eſt irriſiones patienter ferre. 176.11.
Irrideri ab amicis frequens eſt. 177.1.
Irriſores grauiter à Deo puniuntur. 183.2.
Exempla. ibid.& ſeqq.
A vili perſona irrideri duriſſimum. 221.3.

Iſaias.

Iſaias quàm promptè Deo obedierit. 4.2.& 641.4.
Iſaias portentum fuit Iſraeli. 159.12.

Iudæi.

Iudæi tenebantur ter in anno adire Templum Hieroſolymitanum, cur? 29.1.& ſeq.
Extra illud ſacrificare non poterant. 30.3 & 31.1.
Iudæis cur delectus ciborum præceptus. 63.2.
Iudæi quare exoti Pharaoni. 88.1.
Iudæis mos erat diebus feſtiuis conuiuia exſtruere: cur? 124.1.& 126.9.
Iudæos exercuit Deus per hoſtes vicinos: cur? 157.5.
Iudæis, & Templo qualis ignominia ad Antiocho illata? 175.9.
Iudæis eſt naturalis quidam fætor, indeque putatur ipſis familiare ſibi pedes lauare, & vnguentis vti. 404.1.& 458.2.& 530.7.
Iudæis ſterilitas odioſa. 451.4.
Iudæi appellati Sodomæi, & Chananæi ob impietatem. 494.5 & 842.8.
Iudæorum octo prærogatiuas narrat Paulus, vt eos incitet ad fidem. 499.13.
Iudæi tenebantur filiam vnicam, ad quam deuoluebatur paterna hæreditas, tradere contribuli, ne tribus, & poſſeſſiones illarum confunderentur. 515.4.& 517.1.
Iudæis veritum ducere alienigenas. 517.1.
Quibuſdam tamen caſibus licebat. 518.4.
Iudæi, qui in ciuilibus cum Romanis pacta inierunt, morte puniti. 520.8.
Iudæos non donauit Deus perfecta pace; cur? 624.3.
Iudæi putabant ſatis eſſe ſacrificia à Deo inſtituta offerrent, licet interim legem naturalem violarent. 830.10.

Mandeni in Tobiam.

Iudicium, iudex.

Iudicium venale habentes grauis manet vindicta. 142.10.
Ancilla Saræ in temerarium iudicium impingit. 222.4.
Iudicia temeraria declinanda. ibid.
Peccatum iudicij temerarij frequentiſſimum. 223.6.
Ex vno iudicare omnes quàm iniquum. ibid.
Temere iudicans Dei tribunal conſcendit. 223.6. & ſeqq.
Impiè de alio iudicas qui propria perſpicere non vales. 224.10.& 257.8
Temerarium iudicium quantorum malorum ſit cauſa. ibid.
A Deo datus eſt iudicij gladius in vindictam malefactorum. 128.6.
Negligenter exercentes iuſtitiam vindicatiuam, maledictioni Dei obnoxij ſunt. ibid.& 142.10.
Iuſtitia vindicatiua eſt ſol mundi. ibid.
A iudicijs euidentium delictorum etiam abſtinendum. 224.10.& 255.3.
Iudicium alieni facti relinquendum Deo. 255.4.
Nemo non temerarijs ſubeſt. 256.6.
Magnæ temeritatis eſt aliorum facta iudicare. num.7.
Noſtra vilius iunicijs iudicamus. 257.8.
Exemplum de fuga temerarij iudicij. ibid.
Suprema iudicij dies abſcondita omnia reuelabit. 384.18.
Iudicia apud pleraſque gentes ante meridiem fiebant. 508.5.
Iudici non licet accipere munera. cur? 984.5.
Tales iudices vocantur fures, homicidæ, latrones. 684.5.
Tenentur ad reſtitutionem ante omnem ſententiam. n.6.
Iudices corruptibiles manet æterna pœna. ibid.
Iudicium proprium in rebus agendis quandoque ſequendum. 833.8.

Iudith.

Iudith vitæ ſanctitate authoritatem ſibi apud populum conciliauit. 347.3.

Iuſtus, iuſtitia.

Iuſti coram Deo magni. 4.5.& 22.10.
Iuſtus afflictos conſolatur ſpes reſurrectionis. 111.9.
Iuſtorum protector, & vindex Deus. 120.2. & ſeqq. & 151.4.& 356.1.
Iuſtus, etſi ſibi nihil conſcius, non tamen iuſtificatus eſt. 213.11.
Iuſtorum eſt ſemper tendere ad perfectionem. 149.1.
Conatus propinquorum contrarium ſuadentium contemnere. n.2.
Iuſto cur afflictio neceſſaria. 157.5. & ſeqq & 164.12.
Iuſti ſunt portentum, & ſpectaculum mundo. 159.11.
Iuſtorum exemplo ad virtutem animamur. 1.2. & 3.& 180.3.

Iustus non murmurat correptus. 167.3.
Iusti plurimi calumniam passi ad solatium fidelium afflictorum. 225.12.
Iusti afflicti Dei benignitatem experiuntur. 341.6.
Iustos Deus miraculosè pauit. 343.10.
Quare Deus permittat quandoque iustos fame affligi? 345.14.
Iustorum in periculis protector est Deus. 404.3.
Iustis etiam barbari Principes fauent. 69.5.
Iustos Deus reddit formidabiles. 70.1. & seq. & 894.6.
Exempla. 71.2. & seq.
Iustos sed immediatè protegit Deus. 72.5.
Iustos Deus tribulationibus eripit, iniustos obruit. cur? 74.7.
Mirus Dei amor in iustos. 75.8. & 9. & 76.2.
Illis elementa, & creaturas irrationales seruire compellit. n.9.
Iusti aliqui quocunque desperato sæculo relinquuntur aliorum saluti procuranda. 76.2.
Iustos præmatura morte hinc discedere quandoque permittit Deus. cur? 463.1. & 864.13. & 863.9. & 886.15.
Cur iusti formident violentam mortem. 464.4.
Iustus morte instante partim lætatur, partim horret. 465.4.
Iustorum aspectus torquet improbos. 486.2.
Ipsorum exterior forma sanctitatem interiorem manifestat. ibid.
In domo iusta contingit esse iniustum. 503.2.
Iusti perplexi corroborantur ab Angelis. 514.3.
Iusti non timent in medijs periculis. 534.3.
Iustorum humilitas. 580.10. & seqq.
Iusti ad extremum periculorum labi permittuntur, antequam illos eruat Deus. 665.7. & 711.6. & 737.6. & seqq.
Differentia inter iustum, & peccatorem. 693.1.
Iustis omnia mala prosunt. ibid.
Vnus iustus multis iniustis præualet. n.3.
Vnius iusti preces sunt valde efficaces, & toti familiæ proficuæ. 694.5.
Immo, & integro cuipiam populo. n.6.
Iusti cur grauibus premantur afflictionibus præ impijs? 704.1.
Iustitia humana Dei iustitiæ collata nulla est. 716.4.
Iustorum magna felicitas est habere Regem perpetuò regnantem. 733.4.
Iustorum dispersio, & captiuitas inseruit aliorum saluti procurandæ. 748.2.
Iusti impiorum causa spè puniuntur. 749.3.
Non sunt in hoc mundo securi de sua salute. 756 3. & seqq.
Iustis calamitatis causa attribuitur ab impijs. 775.7.
Iustè solent alios hortari ad collaudandum Deum. 768.1. & 793.4.
Iusti per afflictiones clarescunt etiam in hac vita. 804.5.
Iustitia varia significat. 838.1.
Definitio Iustitiæ vt est virtus cardinalis. 839.1.
Diuiditur hæc in generalem, & particularem; ita distributiuam, & commutatiuam. n.2.
Quid hæ sint. ibid.
Iustitia hæc est ad salutem necessaria. n.3.
Eius vtilitas. 840.3.
Anima iusti est sedes Dei. 842.11.
Iusti extraordinariè eximuntur à communibus plagis. 856.7.
Iustus eripitur ex hac vita ne videat mala gentis suæ. 885.15.
Iustitia parentum non transfunditur in filios. 889.5.
Quo sensu dici posset transfundi. 890.6.

Iuuenis, iuuentus.

Iuuenes moribus maturi magni fiunt apud Deum. 14.4. & 49.6.
A Deo ad magna destinantur. n.14.5.
Immaturi ad Ecclesiasticas dignitates non admittendi. n.6.
Quare iuuenum studia reprehendantur? 16.2.
Iuuentutis anni præueniendi bonis monitis. n.7.
Iuuentutis descriptio. 207.2.
Iuuenes boni quandoque in ætate præmatura moriantur. 861.13. & 883.9.

Lachryma.

Lachrymas orationi, & ieiunio addere est coronidem imponere. 136.6.
Lachrymæ quàm efficaces apud Deum. 516.7.
Lachrymæ ex diuersis causis solent fundi. 607.1.
Quando fundantur vtiliter? n.4.

Lætitia.

Lætitiæ signa hoste prostrato exhiberi solita. 566.1
Vide Gaudere.
Cur Tobias inuitet solos electos ad dies lætitiæ agendos. 770.6.
Olim pro insigni beneficio dies lætitiæ decerni consueuerunt. n.7.
In lætitia cordis Domino seruiendum. 796.10.

Laicus.

Laici pauci canonizati. 891.9.
Imitari deberent Tobianam posteritatem. ibid.

Laudare, laus.

Nemo laudandus in exordio, sed in fine. 496.3.
In hac vita non potest quis absolutè laudari. 497.6.
Vtiliter tamen aliquis laudatur absens de bono opere ad institutionem aliorum. ibid.
Deinde ad detractionem aut iniustam necem à proximo auertendam. n.7.
Tertiò ad animandum proximum in bono. 498.9.
Præsens verò laudari potest ad periculum aliquod euitandum. n.10.
Deinde eum quis incitandus ad fidem, & virtutem. n.11. & seqq.
Quomodo peccetur obscurando laudem proximi. 500.15.
Appetitus propriæ laudis refrænandus. 501.16.
Laudes alienæ libenter audiendæ. 502.18.

Laudes

Laudes humanæ non sibi, sed Deo asscribendæ. 680.1.
Laudare Deum *Vide* Glorificare.
Non est speciosa laus in ore peccatoris. 769.3. & seqq.
Laudes diuinæ omnium nationum linguis decantandæ. 793.4.
Non nisi à bonis laudari quis vellet debet. 894.6.

Legitima portio.

Legitima debetur filijs. 877.1.
Quæ sit legitima portio. ibid.

Leo primus.

Leo primus miraculosè auertit Attilam Hunnorum Regem à Roma inuadenda. 122.5.

Lex Vide *Mandatum.*

Quid præscribat filio suo Tobias ista lege? Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. 319.1.
Ex ista lege decalogus deriuatur. 320.2.
Illam Tobias, & omnes eius cognati ad prodigium obseruarunt. n.3.
Huius legis pauci obseruatores. n.4.
Huius præmaticario causam dedit præscriptioni cæterarum legum. ibid.
Legem seruantibus promittitur benedictio. 779.1.
Qui legem vnam violat factus est omnium reus. 831.11.
Diuinam legem assiduè meditari, eamque obseruare est regula agnoscendi diuini beneplaciti. 833.

Liber.

Libri veterum quales. 1.15

Libertas.

Libertate Christiana plurimi abutuntur. 76.3.
Libertas Christiana in quo consistat. n.4.
Libertas à tributo aut hostie quibusdam noxia. num.5.
Libertas puellarum deploranda. 253.6. *Vide verbo* Puella.

Libido.

Libidinis occasiones vitandæ. 252.5. & 307.13.
Vix vlla ætas à libidine immunis. 301.2.
Venerea libido latronum more omnia deprædatur. 303.3.
Iuuenes plerunque ob illam damnantur. ibid.
Vitium libidinis pertinacissimè restitit Spiritu sancto. n.4. & 472.5.
Libidinosus sapientiæ incapax. 303.5.
Exempla Gentilium. ibid.
Libido decoquit facultates. 304.7.
Vitiorum grauissimorum mater est. n.8.
Defenda tragœdia Iuuenis libidinosi. 305.9.
Libido monita non admittit. 306.11.
Cogitatio libidinosa mox animo proferibenda. 307.13.
In libidinosos potestatem dæmoni concedit Deus. 470.1.
Libidinosus comparatur equo, & mulo. ibid.
Libido nimia à coniugio arcenda. 471.2.
Aufert cor. 473.6.
Libido sine gula monstrum. 509.5.
Libidinis æstus quomodo extinguendus. 699.10
Libido maximam habet cum inferno similitudinem. 741.17.
Dominandi libido quæ mala pariat. 26.1. & seq.

Lingua.

Lingua effrenis instar nauis sine clauo est. 225.1

Locus.

Loca quædam peculiariter cultui diuino dicantur. 31.1. & seq. & 36.6.
Illa omni tempore fuit, & multum æstimata, & frequentata. ibid.
Tribus de causis solent Christiani peregrinari ad terram sanctam. n.6.
De peregrinatione ad loca sancta hæreticorum calumniæ. 34 1.
Ipsa verò astruitur consuetudine. ibid.
Locus natiuitatis *Vide* Verbo Patria.
Loca sacra ob peccata profanantur. 775.8.
Locus Passionis Christi sanctus habitus. 783.10.

S. Ludouicus.

S. Ludouici Regis Franciæ rebus erga iustitiam. 129.6.

Ludus.

Ludi varij sunt. 250.1.
Ludus honestus non tolum licitus, sed quandoque necessarius. ibid.
Ludum vanitatem aliquam præseferentem vitauit Sara Tobiæ vxor, & Ieremias Propheta. 252.4.

Lumbos accingere.

Lumbos accingere quid significet? 135. 4. & 365.6.

Luxuria, luxuriosus.

Luxuria patit mentis cæcitatem. 303.5.
Ab honoribus excludit. 304.6.
Luxuriosus ebrio aut energumeno similis. 309.7.
Luxuria causa excidij Gentis alicuius. 853.12.

Magistratus.

Magistratus non coercentes pœnis maleficos lapidibus obruendos censebat Cato. 129.6.
Magistratus quanta debeat esse innocentia, temperantia, iustitia. 304.6.

Maledictus, maledictio, maledicere.

Maledici regno cœlesti indigni. 226.2.
Maledicentia exitiale est vitium. n.3.
Angelus horruit diabolo maledicere. n.4.
Maledictio sæpè in authorem redundat. 227.8.
Rarum exemplum. ibid.
Maledicus plurium peccatorum reus. 228.9.
Quæ & qualis maledictio Dauidis in Ioab? n.10.
Deus solet tripliciter maledicere creaturis irrationabilibus. 783.1.
Maledicentes ex inuidia creaturis punitioni diuinæ sunt obnoxij. n.2.
Item maledicentes Templo aut ciuitati ex contemptu Dei, & huiusmodi sunt blasphemi.

Declaratur per exempla. 784.3.& ſeqq.
Maledicere Eccleſiæ hæreticorum eſt. 787.11.

Malus, malum.

Inter malos bene viuere rarum. 8.7.& 19.4.& ſeq.& 60.13.& 888.3.
Malorum conſortium fugere innocentiæ conſeruandæ remedium ſingulare. 20.5.& ſeq.
Malorum ſocietas quàm noxia. ibid.& 116.7.& 329.1.& 354 1.& ſeqq.& 752.10.& 875.5.
Malorum ſocietas non excuſat delinquentem. 60.13.
Plurimorum exempla, qui inter malos fuere boni. ibid.
Malum temporale nihili faciendum præ ſpirituali. 190.1.
Mala omnia pœnæ, & naturæ à Deo ſunt. 237.3. & 736.2.
Plurimorum error naturæ tantum mala ab ipſo prouenire putantium. 239.5.
Multa mala ex hoc errore gignuntur. n.6.
Permittit Deus mala vt inde bona eliciat. n. 7.
An liceat malis reſiſtere cum Dei beneplacito fiunt. 243.1.& 246.7.
Mali ſpecies vitanda. 554.2.& 555.4.
Mala quæuis patienter toleranda. 612.5.
Mali exercentur incommodis vt Deum timeant. 755.1.

Mandatum.

Mandatum Dei cohoneſtat actum alias indecorum. 4.2.
Mandatorum Dei impletio diuitias confert. 67.2.
Eſt vera ſapientia. n.4.
Negotiatio quæſtuoſiſſima. n.5.
Conciliat amicitiam Principum alieniſſimorum. ibid.
Mandata Dei negligentes grauiſſimè puniuntur. n.7.& 73.4.
Mandata Dei ſeruantibus felicitas,& tutela diuina promittitur. 748.
Mandatis Deo contrarijs non obediendum.151.4. & ſeqq.
Quàm vtilis obſeruatio mandatorum Dei. 833.3.

Manſuetudo.

Manſuetudo amoris conciliatrix. 578.3 & ſeqq.
Eſt vtilis ſtimulus ad impetrandum quod petis. 579.5.
Et ad impios conuertendos. 580.9.
Manſuetudo mixta ſeueritati eſſe debet ſuperioribus. 613.2.& ſeqq.

Manus.

Manus expandere quid ſignificet? 91.4.
Manus imponere capiti rei ſolebant teſtes in veteri lege,cur? 93.1.
Manum dare quid ſignificet? 522.3.
Manus inter ſe conſertæ ſymbolum ſunt amicitiæ ac fidei. 523.4.
Manum venerati ſoliti Gentiles,cur? 568.12.
Manus Dei varia ſignificat. 474.1.

Maritus.

Mariti vxoribus nimis obſequentes vulgari prouerbio notantur. 201.1.
Marito ſubinde diſſimulandum in rebus domeſticis pacis cauſa. n.2.
Maritus diſcretè agat cum vxore. n.3.
Illam honoret. ibid.
Præditus ſit prudentia œconomica. ibid.
Morem non gerat vxori in illicitis. 202. 5.& 205.10.
Laudantur qui vxoribus in malis reſtiterunt. 204.7.
Marito quandoque ſeueritate vtendum. 615.7.
Mariti ab vxoribus diligendi. 628.6.

Martha.

Marthæ querela de ſorore ipſam non adiuuante à Domino tanquam iuſta non admittitur. 594.9.

Martyr.

Martyres in tormentis ſolatur Deus. 366.5.& ſeqq.
Hinc in ijſdem mirè gaudebant. ibid.
Martyrum animæ quam optent vindictam? 465.5

Mater.

Matribus honorem debent filij,quare? 275.8.
Matrum quantus dolor in conceptu, & partu? ibid.
Matres nimium filios amantes beſtijs ſunt peiores. 392.5.
Ingenuæ matres ablegant filios dum pietas aut neceſſitas vrget. 393.7.
Exempla matrum filios ad martyrium hortantium. ibid.
Qualis mater talis proles. Vnde? 490.5.
Monita matrifamilias tradi ſolita. 626.2.
Matrisfamilias eſt honorare ſoceros vt proprios parentes. ibid.
Diligere maritum. 628.6.
Regere familiam. 629.11.
Gubernare domum. 630.12.
Hinc matrisfamilias ſymbolum eſt teſtudo. n.13.
Item eius eſt irreprehenſibilem ſe exhibere. 631.14.

Matrimonium.

Matrimonij ſtatus non temerè eligendus. 42.42 & 455.11.
Matrimonium timore Dei carens plerunque deploratum habet exitum. 44.6.
Matrimonij incommoda. 44.1.& 193.4.& 453.7.
Matrimonium præcipi error eſt nouantium. 44.2.
Idem error refutatur. ibid.& ſeq.
Matrimonium quandoque præſtat virginitate,& licitè vouetur. n.5.
Matrimonium tanquam præſentiſſimum libidinis remedium conſulitur. 307.1.
Quædam matrimonia à Deo deſtinantur. 441.1.
Exempla. ibid.
Matrimonium cum diſpari an etiam à Deo proueniat? 442.3.

Cauſæ cur Deus iuſſerit Oſeæ Prophetæ ducere fornicariam. 443.4.
Permittit Deus quandoque matrimonia infami, & litigioſa in pœnam peccatorum. 444.7.
In matrimonio acceptando rem totam Deo committe. n.8.
Matrimonium *Vide* vxor.
Multi ſunt fines matrimonij. 445.2.& 545.6.
In matrimonio ineundo virtus, & mores coniugis futuræ ſpectari debent. 445.3. & 448.13. & ſeqq.
Matrimonium contrahere ex ſola concupiſcentia malum. 448.12.& 545.6.
Recta intentione matrimonium ineundum. 450.17.& 551.6.
Matrimonium omnium ordinum eſt rigidiſſimus. ibid.
Matrimonium non bono fine initum inferni eſt Ectypon. ibid.
Matrimonium alij conſulere an bonum? 451.1.
Matrimonio iunctis conſulit Apoſtolus vt ſint tanquam non coniugati. 454.8.
Suggeritur quid faciendum nupturienti. ibid.
In matrimonio omnis, vitetur immunditia. 470.1.
Congreſſus matrimonialis non ſolum eſt licitus ſed etiam meritorius. ibid.
Quando ſit illicitus? ibid. & ſeqq.
Immunditiam, & abuſum matrimonij grauiſſimè punit Deus. 472.4.& ſeq.
De matrimonio inter pocula non tractandum. 508.5.
Matrimonia dolosè contracta infauſta, ideoque cum timore admittenda. 510.4.& 6.
Matrimonium cum alienigenis vetitum erat Iudæis. 517.2.
Exceptis quibuſdam caſibus. 518.4.
Matrimonium Catholici cum hæretica quando licitum? 519.6.
Modus contrahendi matrimonij olim quis. 521.1. & ſeqq.
Matrimonium auſpicatum quod Deus conciliat. 524.8.
Validè, & licitè matrimonium quandoque contrahitur abſque conſenſu parentum. 525.9.
Ternæ matrimonij denunciationes à Concilio Lateranenſi præceptæ. 525.1.
Matrimonium clandeſtinum olim validum. 529.2
Modò irrita ſunt iuſtiſſimis de cauſis. ibid.
Eccleſia potuit matrimonia clandeſtina irritare dupliciter. n.3.
Ad validitatem matrimonij quid requiratur? 527.5.
An tempore conſummandi matrimonij ſtultum ſit orare? 541.3.& 551.10.
Matrimonij felicem optans ſucceſſum ab oratione debet incipere. 542.3.
Matrimonium prole carens reputabatur olim infelix, & ignominioſum. 597.5.& ſeqq.
Matrimonium non efficit pietati. 890.8.

Media.

Medijs illicitis ſe promouentes, ijſdem pereunt. 115.11.
Exempla. ibid.& ſeq.
Medijs naturalibus in rebus noſtris vtendum, ne tentemus Deum. 407.3.
Illis medijs deficientibus recurrendum ad Deum. 408.4.

Medicus, medicina.

Medicina à Salomone ad poſteriores medicos deriuata. 411.1.
Medicina à Deo eſt adeoque ab ea non abhorrendum in neceſſitatis articulo. n.3.
Ægrotus nec deſperare debet de ſanitate recuperanda, re nec nimium fidei in medicinis. 411.5.
In ægritudine primum ad Deum confugiendum deinde ad medicum. num.6.& 7.& 655.10.& 661.11.& 663.3.
Medici periti operâ vtendum. 638.2.& ſeqq.
Quid notandum in aliquo artis medicinæ non perito, qui profeſſionem facit morbis medendi. n.3.

Melancolia.

Melancholia laborantes in aliorum animalium formas ſe mutatos interdum imaginantur. 763.5.

Melitenſes, Melita.

Melitenſium hoſpitalitatem erga D. Paulum magnis beneficijs remunerauit Deus. 483.7.
Melitæ nullum ſerpentis genus maleficum. ibid.

Mendacium.

Mendacium quandoque licitum quidam ex S. Scriptura probare contendunt, ſed falsò? 382.4
Sancti omnes mendacium horrent. 384.8.
Tragici euentus leuis mendacij. n.10.

Menſa.

Ad menſam ſedere antiquius quàm accumbere. 133.1.
Menſa eſt vna beneficientiæ Dei concio. 518.4.
Menſæ benedictio *Vide* Benedictio.
Menſæ pia lectio adhiberi ſolita. 519.4.
Gentilium ritus ante menſam. 599.3.

Merces, Mercenarius.

Mercedem operarij differre vſque mane an malum? 317.2.
Illam defraudare nunquam licuit. 318.4.
Sed peccatum eſt in cælum clamans. n.5.
Exempla. ibid.
Mercenarij faſtidientes reprehenduntur. 676.5. & 677.8.

Meretrix.

Meretricum conſuetudo vitanda. 301.3.
Meretrices ſæuitia ſuperant feras. 304.6.
Sunt patrimoniorum syrtes. n.7.
Proprium eſt meretricum Philtris amorem conciliare, 310.10.
Meretricis domus aſſimilatur inferno. 741.17.

S. Michael.

Michael Archangelus horruit maledicere diabolo. 216.4.

Cur

Cur inter ipsum, & diabolum certamen ortum super corpore Moysis? n.6.
Docuit facto suo à maledictionibus abstinendum. ibid.
Archangelus Michael docet Iosuæ diuina ope expugnandam Iericho. 494.6.
Iuuit Argonautas, inde Constantinus Sosthenium conuertit in Michaelium. 507.4
Cur Michael cum statera depictus. 713.11.

Mirabilia.

Exempla plurima rerum mirabilium, quarum ratio solertiam humanam latet. 437.12.

Miraculum.

Miracula seruiunt ad conuersionem infidelium ad fidem. 568.5.
Et flagitiosorum ad sanam mentem. n.6.
Miracula non sunt facienda sine necessitate. 642. 8.
Miraculum vnde dignoscendum. 655.10.
Gratia miraculorum donatur aliquis eximius, vt illis peccatores conuertat. 761.2.

Misericordia.

Misericordiæ præstantia. 39.9. & 11. & 86. 4. & 90.1.
Misericordia in pauperes extollitur. 386. 1. & 290 1.
Quanta crudelitas immisericordium in pauperes. 287.3.
Diuinum numen grauiter succenset hominibus à misericordia alienis. 291.4.
Misericordia est signum prædestinationis. 294.2.
Prouocat misericordiam Dei. 298.4.

Missa.

Missæ sacrificium pellendis dæmonibus efficacissimum remedium. 539.8.

Modestia.

Modestiæ vis. 486.2.

S. Monica.

Monica reuerentiæ maritalis exemplar. 196.3.

Monitor.

Monitore quisque eget. 634.1.& seqq.
Monitio lubenter suscipienda. 636.1.
Monitorem spernens ruinæ proximus. 638.9.
Tota animæ salus consistit in monitore, cui quis se totum tradat, illique credat. 640.10.

Mons pietatis.

Montes pietatis mixti sunt liciti. 593.2.
Montes pietatis in Belgio liciti. 594.3.
Rectè vocantur montes pietatis. n.4.

Morbus.

Morbus sine murmuratione tolerandus. 168.8.
In ipso gratiæ Deo agendæ. 169.2.3.
Morbi subinde immittuntur à Deo vt pœnæ peccatorum, quorum ab ipso solo speranda medicina. 211.5.
Morborum remedium est oratio. 235.4.
Quousque æger morbo remedia quæret? 246.8.

Mores.

Mores conuersantium imbibuntur. 20.5. & 125.7. & 875.5.
Morum dissimilitudo dissociat amicitias. 486.1.
Morum similitudo conciliatrix amoris. n.2.
Mores ex vultu hominum dignoscuntur. 486.2. & seq. & 488.1. & seqq.
A moribus fidelis iudicatur. 490.4.
Qui moribus dissolutus est nec homo, nec fidelis dici potest. ibid.

Mors, mortuus, moribundus.

In mortuos sæuire facinus paradoxum. 99. 1. 3. & 4.
Vide verbo Sepultura mortuis maledicere turpe. 100.4.
Assidua mortis cogitatio modus bene moriendi. 120.7. & 883.7.
Mors impiorum magis affligit iustos quàm ipsorum persecutio. 190.2. & 191.4.
Mortem optare licet tribus de causis. 219.4
Mortem optant miseri. 245.6.
Sancti morituri solent suorum curam gerere pietatemque præcipere. 274. 6. & 340.3. & 812.1.
Varia huius rei exempla. ibid.
Mortuis necessarios esse cibos putarunt quidam Gentiles. 324.2.
Mors aliorum improuisa nos cautos reddere debet. 463.11. & 467.8.
Iustos præmatura morte è viuis eripit quandoque Deus, cur? 463.1.
Cur iusti formident violentam mortem? 464.4.
Mors homini violenta, vtpote à peccato nata. ibid. & 465.5.
Mors repentina cur malis contingat? 467.8.
Mortis hora incerta. ibid. & 881.2. & seqq.
Mors diuersimodè aggreditur. 467.9.
Plurima repentinæ mortis exempla. ibid.
Mors repentina inter voluptates amarior. 644.4.
Mortuum dicitur, quod pristinum splendorem amisit. 738.7.
Mori dicitur qui miser est. 742.19.
Mors est via ad æternam beatitudinem. 810.9.
Moribundi quandoque donantur spiritu prophetico. 824.2.
Mors iustorum est transitus ad meliorem vitam. 860.11. & 886.17.
Quid gignat confidentiam in morte. 873.11. & seqq.
Morientium oculos claudere supremum pietatis officium. 876.6.
Mortis incertitudo timenda. 881.2.
Mortis memoria Regibus inaugurandis proponi solet. n.3.
Ad moriendum quisque resignatus esse debet. n. 4. & seqq.
Mors non est formidabilis vigilanti. 883.7.
Cur quandoque aliqui præmaturè moriantur. 861.13. & 883.9. & 886.15.
Mors suorum forti animo ferenda. 886.16.
Impiè mortui deplorandi. 888.19.

Motio.

Motionibus internis non facilè credendum. 799. 1. & seqq.

Internæ illæ motiones temerè putantur reuelationes. 802.10.

Moyses.

Moyses mansuetudine sua per quadraginta annos obtinuit principatum. 142.9.

Moyses non casu sed Dei prouidentia, è flumine seruatus. 161.3.

Moyses spe remunerationis maluit cum Hebræis affligi quàm cum Ægyptijs in delicijs viuere. 181.5.

Moysis charitas desiderantis pro populo deleri de libro vitæ. 207.4.

Moyses optat mori ne magnis afficiatur malis. 220.5.

Super corpore Moysis cur certamen ortum inter S. Michaelem, & diabolum. 226.6.

Moyses assiduâ præsentiæ Dei veneratione tantus euasit. 278.8.

Moysis humilitas. 581.12.

Charitas. 586.3.

Moysis lenitas cum seueritate coniuncta. 614.3.

Moyses prudentissimus non detrectauit doceri à socero barbaro. 634.2.& 636.6.& 2.

Moyses nullis senectutis miseriis fuit obnoxius ex familiaritate Dei. 649.5.& 858.2.

Moysi circumcisio filij neglecta periculum mortis causabat. 815.9.

Mulier.

Mulieris tactus contagiosus. 42.5.

Mulieres non sunt indifferenter criminandę propter malas. 129.9

Mulieres malæ sunt instrumentum diaboli, bonæ verò Dei. 129.9.

Exempla. ibid.

Mulier mala merces iniquitatum viri. n.10.

Mulierum genus loquax. 196.2. *Vide* Vxor.

Illarum ornatus est maritis subesse. ibid.

Mulieris malæ descriptio. 198.6.

Mulier mala est instrumentum diaboli ad ruinam virorum. n.7.

Diabolus mulieribus vtitur ad seminandas hæreses. n.8.

Mulieres an teneantur abstinere ab omnibus ludis. 230.1.

Mulierum formæ amor quàm noctuus? 301.3.

Hinc diabolus piorum exorditur ruinam. ibid.

Mulierum contubernium Clericis licitum aliqui ex Scriptura probare contendunt. 382.3.

Mulieres præ ceteris querulæ. 393.8.

Mulierum inconstantia. 395.10.

In mulieribus pulchritudo magis expetenda quàm viris. 446.6.

Mulieres ob formæ elegantiam extorserunt à viris alias non impetranda. n.7.

Illis pulchritudo magnum est præsidium contra vim hostilem. 447.8.& 460.6.

Mulier pulchra, & fatua comparatur sui circulo aureo decoratæ. 450.18.

Mulierum pulchritudo pissimos, & fortissimos prostrauit. 459.5.

Inuectiuæ in mulieres pulchritudine sua abutentes. 460.7.

Quantum periculum mulierem tangere? 474.1. & 476.3.

Mulier saluabitur per liberorum generationem, & educationem. 545.6.

Mulier proba rarò in publicum prodire debet. 631.14.

Reprehenduntur mulieres mundanæ. n.17.

Mundus.

Mundi fugax vanitas. 735.9.

Mundus ex comparatione criminum varijs nominibus indigitatur. 842.9.

Munus.

Exempla plurimorum qui munera contempserunt. 682.1.

Non accipere munera est opus præstantissimum. 685.3.

Iudicibus illicitum accipere munera. n.4.

Munerum acceptio, & iniustitia sunt vicina. ibid.

Deus ipse dicitur non accipere munera. ibid.

In authoritate Ecclesiastica constitutus non accipiat munera. 685.8.

Murmuratio, murmurare.

Murmurans in tribulationibus regno cælorum indignus est. 167.3.

Israelitæ grauiter puniti ob murmurationem, n.4. & 397.12.

Plerique correpti murmurant. 617.7.

Opus bonum murmuratione factum inutile. n.9.

Non murmurandum in aduersis. 776.8.

Musica.

Musica ab Hebræis in conuiuijs adhiberi solita. 793.5.

Vide Canticum.

Item ab Apostolis, & primis Christianis. 794.5.

Sedat insanos motus vtriusque appetitus. ibid.

Melodia quomodo valeat contra dæmones? 429.6.

Mutuare.

Mutuare alicui grandem pecuniæ summam an consultum. 86.3.

Mutuare proximo pium. 593.1.

Ex mutuo lucrum sperare an illicitum? ibid.

Mysteria.

Mysteria diuina curiosè non indaganda. 433. 4. & seqq.

Licet tamen illa conari intelligere, & explicare. 434.5.

Nabuchonosor.

Nabuchonosoris Metamorphosis. 762.4.

Quomodo, & quare contigerit. ibid. & seqq.

Nazarei.
Nazaræorum ſtatuta, & eorum ratio. 11.6.
Neceſſaria, neceßitas.
Neceſſaria non deerunt quærentibus regnum Dei. 413.1.& 416.7.
Neceſſitas apud Theologos multiplex. 705.2.
Negotia.
Negotia Dei nutu proſperè geruntur. 620.3
Nephthali.
Nephthali fuit Tobiæ patria. 3.1.
Erat ciuitas opima, præcoces producens fructus, mercatura celebris. 5.1.
Ninive.
Ninive ciuitas erat luxuriæ dedita. 301.2.& 310.10 & maleficio. 310.10.
Tobias prædicit ſubuerſionem Ninives. 817.1.& 847.1.
Quare fuerit ſubuerſa. 820.9.& 851.9.& 852.11.
Quando, & à quo. 823.16.
Nobilis, nobilitas.
Qui nobiles Deo placeant. 3.2.
Nobiles præ alijs eliguntur ad grauiſſimi ponderis negotia virtus nobilitat. ibid.
Nobilitas generis ſæpè adfert nobilitatem animi. ibid.
Triplex genus nobilitatis. n.4.
Plurimi nobiles martyrium ſubierunt. n.6.
Nobilitatis oſtentatio ſtulta eſt. 314.7
Auita nobilitas nihil prodeſt poſteris vitioſis. 504.4.& 5.
Nobilitate olim priuabantur in Regem inſidioſi. 650.6.
Nomen.
Nomen proli imponere, cuius ſit, ambiguum eſt. 46.3.
Cur illud imponi ſoleat. ibid.& ſeq.
Peccatores nomine indignè cenſentur. n.4.
Nomen Chriſtiani ad virtutem excitat .9.
Nomen alicuius tribuitur in S. Scriptura alteri ob ſimilitudinem morum aut muneris. 383.8. & 841.6.
Nota Eccleſia.
Notæ Catholicæ. 61.2.
Naues.
Naues cur ſepulchris inſculptæ? 882.4.
Nauibus pictis veteres pro regijs coronis vtebantur, cur? ibid.
Nudos operire.
Nudos operire magni meriti eſt. 91.5.& 314.2.
Idipſum miraculis Deus comprobauit. 91.6.
Nunciare, nuncius.
Nuntiare quamprimum noua quandoque neceſſarium. 643.1.
Quandoque idipſum alijs ingratum. 644.2.
Inopinatus nuncius de ſoſpitate amicorum aliquando enecat. n.4.
Nuptiæ Vide *Matrimonium.*
In nuptijs multæ ſolemnitates apud Hebræos obſeruari ſolitæ. 530.7.
Nuptialis ſolemnitas apud eoſdem peragebatur ſeptem diebus. 595.1
Nupta cenſetur de coniugis familia. 626.2.
Obedientia, obedire.
Obedientia Abrahami ad immolandum filium extollitur. 134.2.& 159.11.
Quis fructus illius promptitudinis? 136.7.8.& 9.
Obediendum Deo præ hominibus. 23.2.& 151.4. & ſeqq.
Obedientiæ exempla. 346.1.& 641.4.
Tobiæ Iunioris exacta obedientia. Quod motiuum eius. 346.2.
Obedire Deo oportet etiam in viliſſimis munijs. 641.4.
Obedientia quàm grata Deo. 865.1.& ſeqq.
Obedientia generoſa pericula non timet. 867.2.
Vnde contingat quoſdam monitis Superiorum minus obedire? 868.5.
Obſeruare.
Quo fine actiones proximi obſeruandæ? 703.8.
Obſeruantes alios malo fine ſimiles ſunt dæmoni. n.9.
Obſidio Hieroſolymitana.
Obſidionis Hieroſolymitanæ calamitas quanta? 148.4.& 341.6.
Occaſio.
Occaſio lapſus vitanda. 139.3.& 381.8.
Occaſio boni non prætereunda? 507.4.& 699.10
Oculus.
Oculis apertis quidam dormiunt. 156.1.
Stercora hirundinum quomodo infecerint oculos Tobiæ. n.3.
Oculi peccandi occaſio. 158.8.
Oculorum cuſtodiæ ratio habenda. 473.7
Oculus indicat animum hominis. 488. 1. & ſeqq.
An oculi Tobiæ ſenioris curati fuerint ſuper naturaliter an naturaliter? 655.1.
Quidam ſibi oculos eruerunt, ne eſſent occaſio ruinæ. 667.7
Odium.
Odium Ægyptiorum in Iſrael, fuit cauſa afflictionis eius. 88.1.
Quomodo Deus dicatur conuertiſſe cor eorum vt odirent populum eius. ibid.
Odium Dei deteſtabile reddidit nomen Iudæorum gentilibus. n.3.
Odio publico erat in initio naſcentis Eccleſiæ confeſſio nominis Chriſtiani, vt nunc Catholici apud hæreticos. n.4.& 5.
Odio laborans animus non facilè ſanatur. 311.7.
Odor.
Grauis quorundam odor. 404.1. & 458.2. & 530.7.
Opprobrium.
Opprobrium *Vide* Irriſio.
Opprobrium res eſt idonea ad animam ſubuertendam. 175.8.
Deus voluit aliquando ſanctas feminas opprobrium pati, cur? 212.2.

RERVM MEMORABILIVM.

Opus, operari.

Opus bonum promptè faciendum. 133. 2. & 885. 13.
Exempla. 133.2.
Opus bonum cum murmuratione factum inutile. 169.9.
Operari tenemur variis de cauſis. 188.2.
Opus textrinum Annæ vxoris Tobiæ quale fuerit incertum. 189.4.
Opus textrinum mulieribus commune. 189. 4. & 5.
In opere bono intentionem puram habere rarum. 214.12.
Opera bona dant animæ confidentiam. 248.1.
Opera bona recenſere licet, cum gloria Dei aut vtilitas proximi id exigit. n.1.
Item ad depellendum noxium timorem. n.3.
Operarius quis dicatur. 317.1.
In veteri lege præceptum erat operariis ſtatim ſoluendi. n.2.
Operario indigenti ſoluenda eadem die merces. n. 3.
Olim ſupra conſtitutum adiiciebatur aliquid operariis pauperibus. 319 6.
Lege ciuili ſoluenda integra merces operario, per quem non ſtetit, quo minus operas præſtet. ibid.
Opus bonum intentione bona faciendum. 256.7. & 544.3. & ſeqq. & 657.19. & 831.12.
Operibus bonis glorificatur Deus. 758.4.
Bonis operibus Deum exaltare vtile eſt ad bonum temporale conſequendum. 759.6.
Opera requiruntur vt fides proſit. 819.6. & ſeqq.
Opus bonum quale eſſe debeat. 830.9. & ſeqq.
Opus bonum reddit orationem iuſti efficacem. 840.3.
Opera bona gignunt confidentiam in morte. 873 11. & ſeqq.

Oratio, orare.

Oratio concordium placet Deo. 202. 4. & 547. 3.
Orationem à laude incipere conſueuerũt Sancti. 209. 1.
Oratio ex vera fide procedens quam feruens. 213. 12.
Oratio ad vincendas afflictiones conueniens eſt remedium. 234.4.
Plurimi oratione impetrarunt. 125.4.
In morbis ad orationem ante omnia recurrendum. ibid.
Neglectus orationis cauſa eſt infortuniorum. 236.5.
Orationi lachrymas addere eſt coronidem imponere. n.6. & 5:6.7.
Deus non auxiliatur niſi precibus aduocatus. 244.3.
Oratio prolixa, quæ procedit ex defectu fidei, diſplicet Deo. 267.1.
Item peccatorum in peccatis perſeuerantium. n.2. & 695.8. & 762.14.
Oratio prolixa quæ Deo placeat. 267.3.
Oratio aptiſſimè fit in loco ſolitario. 268. 3. & 270. 7.
Non tamen neceſſario locum talem requirit. 270. 8.
Vbiuis bene oriatur. ibid.
Oratione diuina directio impetranda. 337.5.
Spiritus ſanctus nos docet quid orare debeamus. 455. 13.
Oratione promiſſa Dei conceduntur. 476.5. & 542. 3.
Orationis Tobiæ iunioris fructus. 477 6 & 7.
Optima eſt oratio quæ orditur à laude Dei. 543.1. & ſeqq.
Orantis congruus habitus. ibid. Intentio. 546.8.
Orare licet pro rebus priuatis. 547.2.
Oratio publica efficacior priuata. 548 4.
Reprehenduntur qui ſibi præſumentes aliorum oratione indigere ſe non æſtimant. 549 5.
Oratio virtutibus orantis deſtituta Deo non appropinquat. n.6. & 695.8.
Nec oratio iuſti pro peccatore obſtinato. 550.6.
Triduana oratio vtilis. 551.9.
Orationis iuſti magnus valor apud Deum etiam pro impiis. 561.2.
Oratio multum valet in omni negotio, & periculo. 606.7.
Ad orationis efficaciam neceſſaria eſt fides. 690. 1.
Deinde fiducia impetrandi quod petitur. n. 2. & 647.11.
Oratio verò ornata ieiunio, & eleemoſyna eſt efficaciſſima. 690. 3. & ſeqq. & 840.3.
Oratio iuſti etiam pro toto populo eſt valde efficax. 694.5. & 6.
Orantes multi non exaudiuntur ad voluntatem, cur. 710.1. & ſeqq.
Orandus Deus in deliberatione. 836. 9.

Os.

Os operire quid ſignificet. 731.2.

Oſeas.

Oſeas Propheta iuſſu Dei vxorem fornicariam ducit, cur? 443.4.

Otium.

Otium malorum omnium mater. 293.10.
Eſt caſtitatis ruina. ibid.

Pallium.

Pallij expanſio à viro ſuper feminam ſignum fœderis nuptialis. 523.5.

Panis.

Panis quadrupliciter ſumitur in Scriptura. 1.145.
Apud Hebræos ſignificat quemque cibum. n. 3.

Parentalia.

Parentalia celebrari ſolita à Gentilibus, & Hebræis. 325.4.
Quo fine ab Hebræis? 5.
Tobias intendit in illis animarum refrigerium. n. 6.

Parentes.

Parentum inſtructio pueris admodum conducit

ad cęleſtia citò capeſſenda. 10.5. Exempla ibid.
Parentes boni felicitas magna. ibid.
Parentes præferendo aliquem filiorum plurima mala pariunt. 114.6.&9.
Erga meritos tamen amoris excellentia non prohibetur. n.10.
Parentum affectibus à virtute deterrentium renunciandum. 149.2.
Increpantur parentes filium à Religione auocantes. ibid.
Parentibus mos eſt inſtante morte filiis vltima dare monita. 274.6. & 340.3. & 812.1.
Parentum mala vita filiorum eſt ruina. 348.6. & 378.2.
Parentes non honorantes ſimiles ſibi experiuntur filios. 351.9.
Parentum eſt plus inuigilare filiis ſaluandis quàm ditandis. 341.4. & 355.3.
Parens cur filiorum centrum. 379.2.
Filiorum virtus in parentibus laudatur. ibid.
Parentum eſt filiis prouidere de ſodalibus, & pædagogis probis. 354.1. & ſeqq. & 379.3.
De virtute pædagogi, & ſodalium magis inquirere quàm genere. 380.7.
Ex optimis parentibus peſſimi nati filij. 379.3. & 502.2. Et contra. 380.6. & 503.3.
Parentes filiis benedictionem impertiri aſſueuerunt. 386.3.
Huiuſmodi benedictio efficax eſt. 389.8.
Hac de cauſa filij auidè illam expetunt. n.9.
A filiis pendet hæc efficacia. 390.12.
Parentum nimiùs erga filios amor quàm noxius. 392.4. & 617.5.
Deus tentat parentes in filiis an ipſum diligant, 393.7.
Ex malis parentibus mali naſcuntur filij. 448.12.
Ob parentum merita mitius agit Deus cum filiis impiis. 504.5.
Parentes honorantes vita longæua donantur. 505.7.
Parentum conſenſus in matrimonio contrahendo an requiratur. 525.9.
Parentum piorum eſt liberos procreare vt honor Dei augeatur. 545.6.
Et illos bene inſtituere. 546.7. & 813.3.
Parentes inconſultè omnia bona ſua filiis tradunt ante mortem. 575.13. Lepidum huius rei exemplum. 14.
Parentum mores elucent in filiis. 596.2.
Numeroſa proles, & pia fortunat parentes. 598.7.
Parentes prole aut matrimonio impiè abutentes filiorum orbitate puniuntur. n.8.
Quare parentes pios afflici triſtitia interdum permittat Deus. 903.1.
Parentes quidam ex amore pænè inſano erga liberos non ferunt illorum abſentiam. 616.4. & ſeqq.
Parentum ignauia in corripiendis liberis reprehenditur. 616.9.
Notantur parentes filias ſuas dotare nolentes. 619.1.
Parentes faſtidientes reprehenduntur. 676.5.
Parentes in filiis plectuntur. 813.5.
Parentum monitis acquieſcendum. 870.8.
Parentum ſenum vorum eſt à filiis iuuari. 874.1.
Æquitas poſtulat parentum curam habere. 875.3. & ſeqq.
Crudelis aliquarum Gentium mos parentes interficiendi. n.4.
Reprehenduntur mortem parentum optantes, ipſoſque contemnentes. 876.8.
Parentes tantum tenentur filiis relinquere legitimam. 877.1.
Non poſſunt filios exhæredare niſi cauſa ingratitudinis. Quæ illa? 878.3.
Pæna percuſsionis parentum qualis? ibid.
Leuiter percutere parentes, immò manum tantum eleuare ad percutiendum eſt peccatum mortale. ibid.
Parentum iuſtitia quomodo prodeſt filiis. 889 5.

Parricidium, parricida.

Parricidij malum exaggeratur. 97.6. & 111.7. & 113.4. & 5.
Parricidæ furor. ibid.

Paruuli.

Paruuli à parentibus crudeliter expoſiti, ab aliis humaniter collecti, vel à brutis animantibus nutriti fuere. 669.4.

Pater, paterfamilias Vide *Superior.*

Boni Patris eſt filiorum peccata eleemoſynis purgare. 299.7.
Bis delinquit, qui filiis ſolum de terrenis conſulit. ibid.
Patrum mores imitantur liberi. 348.6 & 378.2. & 390.5.
Cur filia petenda à patre in vxorem. 456.14.
Virtus patris non prodeſt filio degeneri. 503 4
Patresfamilias diligentem familiæ habeant curã. 556.6. & ſeqq. & 814.9.
Ipſis dormientibus mala impudentius graſſantur. 557.7. & 559.11.
Patrum in filios indulgentia in ſupplicia eoſdem adigit. 558.11.
Patrifamilias lenitati permixta ſeueritas neceſſaria. 615.8.
In neceſſitate patri ſuccurrendum prę vxore. 642. 6.
Reprehenduntur patrisfamilias ad ſubditorum delicta conniuentes. 815 12.
Quantum malum ex patrisfamilias culpa in totã familiam redundet. 816.14.

Patientia, pati. Vide *Tribulatio.*

Patientiæ exempla proponuntur iuſti. 159. 10. & 164. 12.
Pati ab amicis durum eſt. 173.3. & 178.3. Non tamen infrequens. 177.1.
Patiendum fortiter ſpe remunerationis. 180. 2. & 3.
Patientiæ in aduerſis exempla. 210.3.
Pati à vili perſona, & domeſtica grauiſſimum. 222.3.

222. 5.
Patientia patronum habet Deum. 230.4.
Patiens verè fortis. 232.7.
Patientia in aduersis magna turbato animo medela. 611.3.
Est occasio exercendi præclarissimas virtutes. 612. 5.
Patienter quæuis mala ferenda. 662.1. & seqq. & 776. 8.
Patienter ferenda Dei probans manus. 747.7.

Patria.

Patria an aliquod encomium homini concedat. 5. 1.
Quæque suas habet proprietates, & mores. ibid. & n.3. & 8.8.
Diuersa gignit ingenia. 6.2.
De eius nobilitate non gloriandum. n.4.
In nobili patria vilissimos mores reperiri indignum. n. 5.
Vilis patria nobilitatur illustri vita indigenarum. n. 6. & 7. & 8.8.
Nemo ob patriæ vilitatem impeditur à virtute. n.6. & 8.
Miraculo tamen simile inter malos bonum reperiri. 8.7. & 19. 4.
Interrogatio de patria alicuius ad multa vtilis. 492. 2. & seqq.
Ex patria mores innotescunt. 493.5.

D. Paulus.

D. Paulus virtutum omnium exemplar. n.3.
Paulus cur se glorietur Israelitam. 5. 7. Cur ex Tarso natum. 8.8.
Quomodo omnibus omnia factus. 79.1. & 588.5. & 894.6.
D. Pauli repentina conuersio. 137.10.
D. Paulus ex instituto veterum didicit opificium. cur. 189 2.
Licet nobilis labore manuum vixit. ibid.
Non recusauit quiduis pro Christo pati. 217.10.
Optat mori, & esse cum Christo. 219.5.
Pauli charitas proximi. 209.4. & 219.3. & 588.5.
Paulus corpore paruus, factis magnus. 314.8.
D. Pauli erga Melitenses beneficia. 483.7.
Eius figura, & statura. 486.1.
Paulus conformans se voluntati Dei pericula non metuit, sed euadit 534.2.
De bona conscientiæ maximè fuit sollicitus. 536.4.
Vt famæ suæ consuluerit. 554.3. & 555.4.
D. Pauli mansuetudo. 579.6.
Humilitas. 582.15.
Eius anima mansit vnita corpori in raptu suo. 583. 15.
D. Paulus verè, & humiliter dixit se nescire an in corpore raptus fuerit. ibid.
D. Pauli obedientia cæca. 641.5.
Admirabilis D. Pauli paupertas, & S. Scripturæ amor. 650,7.
Cur D. Paulus multas conscripserit epistolas, alij Apostoli paucas. 782.9.

Mauden in Tob.

Plurimùm rogat liberari à stimulo carnis donec intelligit voluntatem Dei. 801.10.
Quare dicatur vas electionis. 706.5.
Etiam in ipso carcere clarior euadit. 805.6.
Hinc de illa claritate gloriabatur. 806 8.
In prosperis, & aduersis modum tenere valebat. 807. 3.
Cur Euangelium suum contulerit cum Apostolis 835. 7.
Anhelans ad mortem in senectute triplici Metaphora vitam à se probè actam describit. 873.11.

Pauper.

In pauperes multi inueniuntur immisericordes. 286. 1.
Talis est, qui non succurrit pauperi omni ope destituto. 287.2.
Durius tractans pauperes incurrit indignationem Dei. n.4.
Talis quandoque in similem incidit paupertatem. ibid.
Imprecatio pauperis subinde exauditur à Deo. ibid.
Peccant grauiter qui à pauperibus debitoribus rigidè solutionem exigunt. 288.5.
Beneficium in pauperes conferendum benigne, & hilariter. 289 6.
In benefaciendo non oportet curiosè scrutari pauperes. n.7.
Grauis inuectio in eos qui pauperes negligunt. 289.7. & 291.5.
Lex naturæ præcipit cuicumque extremè indigenti subueniendum. 290.2.
Lex item Moysaica. n.3. & 85.1.
Et Euangelica. 291.5.
Tempore famis pauperes peregrini non sunt arcendi ciuitate. 292.5.
Id tamen rectè fit, dum indigenis simul succurri non potest. n 6.
Item propter morbos, & morum dissolutionem. 293. 8.
Deinde arceri possunt mendicantes, validi, n.9.
Pauperes per templum mendicare conueniens non est. 294, 11.
Pauperes iusti sæpè temporalibus bonis replentur. 341.6. & seqq.
Pauperem vitam agere in abundantia mira laus. 347.4.

Pax.

Pax diuersa significat. 809.9.
In pace esse est beatum esse. 860.12.

Peccator, peccatum, peccare.

Peccator tot habebit iudices, quot in opere bono præcessores. 3.5.
Peccatum hominem paruum facit. 5.5.
Peccatores nomine indigni censentur. 46.4.
Peccatum tripliciter accipitur in Scriptura. 50. 1. & seqq.
Propriè dictum peccatum quid sit. n. 2.
Peccati triplex gradus. n.3
Peccati effectus. n.4. & seqq.

Peccatum eſt ſummum naturæ mundiſque malum. ibid.
Nulli peccatori parcit Deus. n.5.
Per quæ quis peccat, per eadem punitur. n.6. & 51.6. & 190.9. & 863.17.
A peccatis venialibus nemo liber, abſque ſpeciali Dei gratia. 53.1.
A peccatis etiam minimis abſtinendum. cur? n.2. & ſeqq.
Probatur ſimili. ibid. Et exemplis. n.3.
Periculoſius quandoque in paruis, quàm in magnis peccatur. ibid.
Sæpè leuia exiſtimantur, quæ coram Deo grauia ſunt. 53.5.
Deus aliquando grauiter punit veniali peccata. n.6.158.
Peccata non excuſantur ob aliquorum ſocietatẽ. 60.13.
Peccata punitionis diuinæ cauſa. 74.6.
In peccato perſeuerantium infelix ſtatus. 101.7.
Tales peccata peccatis accumulant. ibid. & n.8.
Illoſque graue ſupplicium continuò comitatur. n.9. & 10.
Cur peccatorum concatenationem permittat Deus? n.13.
Peccata omnia regnant in aula. 106.11.
Peccata leuiora eluuntur afflictionibus. 158.7. & 603.2.
Peccatum radix amaritudinis. 163.8.
Peccatum quantumuis graue delet Pœnitentia. 184.6.
Quid ſit peccatum ad mortem? 197.5.
Peccata parentum ſæpè puniuntur in poſteris. 207.3.
Peccator ad ſupplicia vtpote vtilia paratus ſit oportet. 211.5.
Peccator rebus abundans à Deo deſeritur. 262.4.
Peccatorum duo genera alterum miſerum, alterum fortunatum ob correptionem diuinam. ibid.
A peccando compeſcit Dei præſentia. 276.4. & ſeqq.
Peccator quærit excuſationes in peccatis. 381.4.
Peccata aliorum, & propria deflere vtile. 607.5. & ſeqq.
Peccantes quidam adeò cæci, quòd non credant Deum ſibi eſſe præſentem. 657.18.
Peccatores occidunt animam ſuam. 695.7.
Peccatum eſt omnium malorum mater. ibid.
Peccatorum orationes ſunt inutiles. n.8.
Peccatum ieiunia reddit caſſa. 696.11.
Eleemoſynas inutiles. n.12.
Diuidit inter Deum, & hominem. 697.13.
Per peccatum inſtabiles fiunt ciuitates. n.14. & 772.1. & ſeqq.
Deus prouocatur ad vindictam. 967.15.
Peccatum cauſat bella, & ſtrages. 698.16. & 753.11. & ſeqq. & 772.5. & ſeqq.
Peccatores æterna manet mors. 698.17.
Peccatoribus pœnæ infernales ruminandæ. 699.10.
Peccatores deliciis affluentes deflendi. 709.12.
In extremo iudicio Sanctis collaq; quam immandi apparebunt. 717.5.
Multipliciter ſignis maieſtatis diuinæ percelluntur. 761.2. & ſeqq.
Seriò ſe debent conuertere, vt miſericordiam Dei conſequantur. 765.12.
Peccata cauſa ſunt ſterilitatis terræ. 774.5.
Peccata occultiſſima reſpicit, & punit Deus. 775.9.
Peccatores experiuntur vindicem Dei manum. 745.4.
Morum mutatione tantummodo illam effugere valent. 747.8.
Peccatum vnius priuati etiam in totam communitatem redundat. 816.13.
In peccata relabens multo grauius peccat. 818.5. & ſeqq.
Per vnum peccatum ſit quis omnium reus. 851.11.
Peccatorum certa menſura præfinita à Deo. 849.4.
Peccata quæ cauſent excidium alicuius gentis. 850.6. & ſeqq.
Peccatores quandoque cohibentur à Deo, vt ſit finis mali. 856.6.
Peccatum abbreuiat vitam. 861.14.
Nulli peccatori in S. Scriptura tribuitur nomen ſenis. 872.2.

Pedes lauare.

Pedes hoſpitibus lauare olim moris fuit. 403.1. & non comedere niſi lotis pedibus ibid.

Peregrinari.

Peregrinari ad terram ſanctam tribus de cauſis ſolent Chriſtiani 34.6. *Vide verbo* Locus.
Peregrinantium diuerſa motiua. 875.1.
Peregrinus *Vide* Hoſpitalitas.

Perfectio.

Perfectio Chriſtiana non in ſcientia, ſed charitatis magnitudine conſiſtit. 274.4.
Perfectionis ſunt tres gradus. 276.1.
Perfectio Chriſtianorum quanta eſſe debeat. 837.12.

Periculum.

Periculum lapſus vitare eſt prudentiæ 139.3
Alieno periculo cauti eſſe debemus. 461.10. & 533.1.

Permiſſio diuina.

Sine permiſſione diuina nihil fit. 237.2.
Illud cogitare eſt efficax conſolatio in tribulationibus. n.2.
Permittit Deus mala vt inde bona eliciat. 239.7.
Qui ſibi perſuadet omnia Deo permittente fieri, facilè conformabit ſe diuinæ voluntati. 240.1.
Excitatur ad gratiarum actionem etiam in aduerſis. n.2.
Erigit ſe, ſciens Dei iram in iuſtos non ſæuire vſque ad mortem. 241.3.

Perſa.
Perſę temuléti de rebus grauiſſimis cõſultãt. 508.5.
Perſicæ puellæ anno integro ſe diſponebant ad Regis concubitum. cur? 530.7.
Perſarũ Regibus ſeptẽ erant conſiliarij. 714.12.
Eotidem pueri atrienſes, & præcipui duces. ibi.
Perſæ, & Medi ſub tempora Tobiæ ſubiecti primùm Aſſyriis, deinde Chaldæis. n.13.
Perſarum Reges adorandi mos. 716.1.
Prodigalitas Regũ Perſarũ in concubinas. 676.7.
Perſecutio, perſecutor.
Perſecutiones cedunt in bonum Eccleſiæ. 751.7. & 786.7.
Perſecutores Eccleſiæ omnibus penè ſæculis diro ſupplicio perierunt. 785.6.
Perſeuerantia, perſeuerare.
Sine perſeuerantia pereunt acquiſita. 59.10.
Perſeuerantes duntaxat coronantur. n.11. & 80.3.
Perſeuerantia partim donum Dei, partim eſt liberi arbitrij. 59.12.
Perſeuerandũ in bono. 809.8. & 810.10. & 884.2.
Perſeuerare in pietate maxima laus. 889.4.
Perſeuerantium in peccato infelix ſtatus. *Vide verbo* Peccatum.
D. Petrus.
D. Petri humilitas. 581.12. & 637.5.
Deus mirâ viſione docuit D. Petrum vocationem Gentium. 640.2.
Philtrum.
Philtra ad amorem conciliandum vitiata meretricibus. 310.10.
Pietas.
Pietas exulat ab aula. 105.5.
Roborat regnum. 217.1.
Quanta bona emanent à pietate in Deum. 779.1. & 783.10. & 825.5.
Pietatem in proſperis colere magnum. 806.2.
Pietas prorogat vitam. 858.3. & 860.10.
Pietas animalium quorundam in parentes. 876.8.
Placere.
Placere Deo, & hominibus quomodo contingat. 883.5.
Planctus.
Planctus publicus mortuorum non ſolebat permitti captiuis. 869.19.
In quo conſiſteret. 864.12.
Planctus defunctorum ſit moderatus. 886.18.
Piſcis.
Quis fuerit piſcis Tobiam iuniorem deuorare conatus? 404.2.
Per hunc piſcem myſticè ſignificatur diabolus. 408.6. & Tyranni. n.7.
Pœna.
Pœna timetur, culpa non emendatur. 74.6.
Pœnæ tarditatem grauitate compenſat Deus. 97.8. & 113.4. & 158.7. & 212.5.
Pœnæ à Deo immiſſæ lubenter acceptandæ. 211.5.
Pœna non ſemper remittitur. 242.4.
Pœna damni grauior eſt pœna ſenſus. 698.18.
Diabolicum eſt pœnas, quas patimur, creaturis aſſcribere. 754.13.
Pœna peccati quomodo auertenda. 754.14.
Pœnitentia.
Pœnitentia quoduis delet peccatum. 184.6.
Pœnitentia vera miſericordiam Dei conſequitur. 765.12. & ſeqq.
Pœnitentiæ veræ exemplum. 767.15.
A pœnitentia vera dependet felicitas ſpiritualis, & temporalis. 776.9.
Pœnitentia dilata facit mala ſuccreſcere. 777.10.
Et Deum tandem peccatorem deſerere. 778.11.
Politici.
Politici refutantur. 24.4. & ſeqq. & 79.2. Obſtatus politici conſeruationem Dei mandata non violandi. 24.4.
Politicis non ſuffragatur D. Paulus omnibus omnia factus. 79.2. & 588.4.
Pontifex.
Pontificem Iudæorum adoiat Alex. Mag. 122.5.
In veteri Teſtamento Pontifex erat conſulendus in rebus arduis. 834.5.
Erat Iudex controuerſiarum fidei. n.6.
Prædicare.
Quomodo abſque diuina reuelatione poſſit probabiliter prædici excidiũ alicuius gentis. 850.6.
Prælatus.
Prælatis ineſſe debet miſericordia, & ſeueritas. 615.1. & ſeqq.
Præſumere de miſericordia Dei.
Præſumens de miſericordia Dei pelago iuſtitiæ eius ſe committit. 542.4.
Primitiæ.
Primitiæ in veteri Teſtamento, quæ, & quando ſoluendæ. 37.1. Illarum differentia. n.2.
Primogenitus.
Primogenitus apud Gentes ſolet patri ſuccedere in regno. 114.7.
Apud Hebræos aliquo tempore alia fuit conſuetudo. ibid.
Princeps.
Principes adulatoribus maximè præbent aures. 106.11.
Principum perpetuum malum eſt tantummodo placentia audire. n.13.
Ipſorum fauorem ambientes contempto Deo, facilè eundem amittunt. 107.15.
Principibus quales conſiliarij adhibendi. 334.10.
Principum exemplum pro imperio eſt. 349.8.
A malis Principib. induũt malitiã ſubditi. 351.10.
In Principe eligendo licet ſpectare formæ elegantiam. 446.6.
In vultu principum aliquid maieſtatis concedit Deus. 488.2.
Princeps Catholicus quando licitè ducat vxorẽ hæreticam. 518.6.
Principum manſuetudo animis ſubditorum eſt conciliatrix. 579.4.
Principibus neceſſaria ſeueritas mixta lenitati. 614.6.
Principis culpa grauibus ſupplicijs ſubditos involuit

uolnit. 816.14.

Prodigium.

Notantur prodigi circa mulieres, nebulones, & similia, circa mercenarios, & pauperes parcissimi. 677.8.

Proficere.

Praxis proficiendi. 843.121 In virtute semper proficiendum. 149.1. & 809.8. & 810.10.

Proles.

Proles mirè nascuntur ex imaginatione in & post conceptum. 477.7.

Proles contrahit vitia matris. Vnde? 490.5.

Quibus assuescat perspiciendum. 491.6.

Promissio Dei.

Promissiones Dei sunt conditionatæ. 760.8.

Propheta, prophetia.

Prophetæ solent primò terrere, deinde consolari. 266.5.

Grauiora quandoque Deus reuelat Prophetis, minora abscondit. 273.4.

Item voluit illos religioso quodam cultu adhibito prophetare. cur? ibid.

Prophetiæ spiritus dicitur manus Domini. 744.1.

Prophetas dignatur Deus magnificâ visione, ad maiestatem suam ostendendam. 762.3.

Prophetæ sensum reuelationis diuinæ instanter flagitare debuerunt. 799.3.

Sæpè falluntur. 800.7.

Non semper illis præsto est spiritus prophetiæ. 801.8.

Prophetæ qui dicantur? 817.1. & 849.5.

Tempore captiuitatis Prophetam reperire est quid eximium. 817.4.

Prophetæ nomine Dei plagas intonant. 822.13.

Diuersa phrasi vtuntur ad explicandum Dei decretum. n.14.

Pseudo Prophetæ præsumunt futura prædicere. 824.1.

Moribundi quandoque donantur spiritu prophetico. n.2.

Signum quo discernuntur veri Prophetæ à falsis. n.3. & 826.7. & 8.

Prophetis quando aliqua ex parte reuelantur. 848.4. & 849.5.

Prophetarum dictis obtemperare quàm vtile, contemnere quàm damnosum. 867.3.

Propinquus.

Propinquia bono deterrentes conténendi. 149.1.

Quantum ipsorum lachrymæ ad persuadendum valeant. ibid.

A propinquis pati durum est. 173.3. & 178.3.

Non tamen infrequens. 177.4.

Grauissimæ calamitates, & inimicitiæ nobis plerumque excitantur à propinquis. n.2.

Propinquorum perfidiæ exempla. n.4.

Prostituere filiam.

Prostituentes filias grauiter punientur. 306.12.

Prouidere, prouidentia.

Tempestiuè prouidendum rebus suis. 571.1.

Prouidentia Dei admirabilis in permutendis malis. 139.8. *Vide* Permissio diuina, & Deus.

Prudentia.

In bonis operibus prudentia adhibēda. 139.1. & 15.

Prudentia quid sit, eiusque necessitas. 139.1.

Est princeps virtutum. n.2.

Exempla Prudentiæ. n.3 & seqq.

Prudentis est periculum lapsus vitare. n.3.

Item dissimulare malefacta suorum, correctionem differre exemplis Saulis & Dauidis. ibid. & n.4.

Item malum declinare aut tacere. n.4. 5. & 6.

Prudentia præstat fortitudini. 141.7. 8. & 9.

Prudentiæ spiritus effectus. 142.9. & 11.

Prudentiam carnis plerique amplectuntur. n.10. 12. & 13.

Prudentiæ carnis à prudentia spiritus differentia. n.11.

Prudentia spiritus amplectenda. 144.13.

Prudentiæ symbolum sal. 421.6.

Prudentia in locutione, & actione pacis est conciliatrix. ibid.

Prudentiæ propriæ non innitendum. 634.2. & seqq. & 640.10.

Prudentia vrendum in directione negotiorum tam spiritualium quàm temporalium. 802.10.

Psalmodia, psalmus.

Psalmus *Vide* Cantica.

Psalmodia cur in Ecclesiam introducta. 796.18.

Puella.

Puellarum libertas modò deploranda. 253.6.

Quàm malè intot delitias secura. n.7.

Puellæ institutio. ibid.

Puellæ vagæ reprehenduntur. 253.6. & 254.9.

Puella nubens non tenetur ex iustitia aperire inueni defectus suos, quandoque tamen tenetur ex charitate. 509.2.

Pueri Vide *Iuuenes.*

Pueri quidam cirò se dant cæsitibus qua ratione? 9.2. & seqq.

Puerorum vtiles gestus solent portendere præclaram indolem. 11.1. & seq.

Pueri non admittendi ad Ecclesiasticas dignitates. 5.6.

Puerorum exercitia vana. 16.1.

Malitiâ pueri omnes esse debent. n.2.

Pueros ab infantia instruere vtilissimum. 49.3.

Memoria institutionis puerilis in rebus arduis constantiam parit. 49.6.

Pulchritudo.

Pulchritudo potest esse motuum matrimonij expetendi. 445.5.

Pulchritudinem attendere licet in principibus eligendis. 446.6.

Pulchritudo magis expetenda in mulieribus quàm viris. ibid.

Pulchritudo sedat iracundos. 7.

Est feminis præsidium contra vim hostilem. 447.8. & 460.6.

Mundum perdidit. 448.12.

Pulchritudo in viris est admirabilis. 459.6.

Mulieres vulgares animos illaqueat. ibid.

In

In feminis est multo admirabilior, & potentior. ibid.
Pulchridudo est Dei donũ & instrumentũ. 460.7.

Punire.

Punitur quisque clade suorum acerbius quàm propria cæde. 112. 2. 3. & 4.
Malefactores puniri mandat Deus. 128.6.
Princeps non puniens crimen coram Deo reus est. ibid.
Puniri peccata à Deo est signum diuini amoris. 261.1. & seqq. & 365.3.
Punitio diuina *Vide Verbo* Deus.
Non statim punire ad prouidentiam Dei spectat. 474.8. & 9.
In puniendo iustitia, & misericordia conseruari debet. 740.10.

Purgatorium.

Quædam peccata igne purgatorij purgantur. 127. 15.
Suffragia viuorum defunctis in purgatorio prosunt. n.16.
Acerbitas pœnę sensus in purgatorio superat omnes pœnas huius sæculi. 328.19.
Pœna autem damnatorum horribilior est priori. n.20.

Querulus, querula.

Querulum maximè mulierum genus. 393.8.
Mariti ab vxorum querelis vix vnquam liberi. ibi.
S. Scriptura duorum coniugum tantùm meminit, qui sine querela vixerunt. ibid.
Mulier querelis etiam Prophetas lacessit. 394. 9. & Christum. ibid
Querimonia quæ in Scriptura reprehendatur? 395. 9.
Hebræi qualiter ob querimonias fuerint puniti. 397. 12.

Quæstio.

Quæstiones inutiles vitandæ. 426.8. & 433.2.

Raguel.

Raguel socer Tobiæ iunioris quam hospitalis. 480. 1. & seqq.
Laudat Tobiam seniorem. 495.1.
Iuniorem Tobiam dignoscens illi osculo omne bonum apprecatur. 502.2.
Non tenebatur Raguel aperire infortunium filiæ suæ Tobiæ matrimonium eius ambienti. 509 1.
Raguel vir doli expers. 509.2.
Iustè timuit tradere filiam in coniugem. 510.5.
Cur tam promptè consenserit in coniugium filiæ cum Tobia. 513.1.
Illicitè tradidit filiam alienigenis. 520.8.
Saram Tobiæ copulauit inuocato Deo. 524.8.
Quam benedictionem illis imprecetur. 525. 8.
Sub nuptiali conuiuio Deum ex toto corde benedicit vt eum propitium reddat. 530.6.
Raguel honori suo, & filiæ consulens. 552.1.
Domus suæ diligentem habuit curam. 556.6.
Gratias agit Deo pro liberatione filiæ à dæmonio, Deoque soli non suis meritis illam asscribit, cur? 1.& 2.
Dei gloriam desiderat promoueri. 567.3.

Mandata in Tob.

Non iussit repleri fossam nisi securus de incolumitate nonorum coniugum. 570.1.
Frugalitati studuit. 571.5.
Fecit tabulam de dimidio bonorum dando in præsentia, reliquum sibi vsque ad mortem reseruauit. 575.15.
Raguel stetit pacto in contractu ante nuptiali cũ genero inito. 619.1.& 877.1.
Cur Raguel optet nouos coniuges omnia prospera inuenire circa parentes ad quos properabant. 625.6.
Ipse & Anna vxor dant filiæ suæ discedenti monita quæ matrifamilias tradi solent. 626.2.

Raptus.

Raptus quid, & quorum sit? 583. 15.

Recidiua peccati.

Recidiua peccati quantum malum? 818.5.
Durius punitur à Deo. 819.6.
Difficilius reparatur. 820.9.
Recidiua peccati vitanda. 822.13.

Recordari.

Recordari Deum alicuius est ipsum beneficio cumulare. 206.1.

Religio.

Religio est vna. 31.6.
Religionis negotium spectat ad summum Pontificem, non ad Reges. 23.2.
Religio ad placitum Principum non mutanda. n.4.& 422.8.
Peruersa religio longo tempore nõ firmatur. 23.7.
A religione auocantibus parentibus viriliter resistendum. 150.2.
In causa religionis ignominiam pati durissimum. 174.8.
Anceps de religione capessenda, doctores orthodoxæ fidei consulere debet non hæreticos. 335. 11. & 837. 12.
In Religione aliquid noui producentes explorandi. 495.7.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum expellunt dæmones. 432.11.

Remedium.

An licitum sit consulta à quouis remedia morbis adhibere. 658.1.
Remedia superstitiosa ex quibus deprehenduntur. n.5.
Talibus remediis minimè vtendum. 659.6.
Huiusmodi vtentes grauis manet pœna. 662.13.

Res.

Rebus paruis quandoque vis data efficiendi admiranda. 156.2. & 187.10. & 315.9. & 10.
Res corporeæ non possunt agere in spiritus incorporeos. 429.5.
Quomodo egerit fumus cordis piscis in dæmonem. n. 6.
Res sensiles elevatæ supernaturaliter consecratione benedictione, &c. valent contra dæmones. 430.7. & 431.10. & 538.5.
Res magni momenti ante pocula tractandæ. 508. 5.

Respicere.

Respicere Deum est propitium esse. 206.1.

Respublica.

Reipublicæ vtilitas quærenda. 586.3. & seqq.
Reipublicæ vtiles cælo digni. 587.4.
Respublica maximè floret pietate. 779.1. & 850. 7.
Stare nequit sine bona puerorum institutione. 814. 8.
Tribus maximè conseruatur. 850.7.
Sustentatur senectute proba. 859.8.

Resurrectio, resurgere.

Resurget quilibet comitatus grege, quem Deo parturiit. 78.8.
Resurrectionis spes consolatur iustos afflictos. 111. 9.
Resurrectio asseritur contra Gentiles ex ipsorum parentalibus. 324.1.
Resurrectionis mysterium rationem omnem superat. 436. 9.
Resurrectio corporum possibilis. 726.14.

Reuelatio.

Reuelationes fiunt semotis à turba. 680.2.
Vide Solitudo.
Reuelationes Dei multoties sunt obscurissimæ. 799.2.
Illarum sensum Sancti, & Prophetæ instanter à Deo petere debuerunt. n.3.

Rex, Regere, Regnum, Regimen, Vide *Princeps.*

Regni status miserabilis sub Rege sensu puero. 17.5. & 89.6.
Regi illicita mandanti non obtemperandum. 23.2. & 151.4.
Ad ipsum non spectat Religionis negotiũ. ibid.
Regnandi libido quæ mala pariat. 26.1. & seqq.
Regimen nulli nisi apto credi debet. 42.3.
Cur Deus permittat Reges impios regnare. 89.6.
Exempla Regum in pœnam subditorum regnare à Deo permissorum. 90.8.
Rex alienus esse debet à vindicta priuata. 98.11, & 174. 5.
Regno succedere solet primogenitus apud Gentes. 114.7.
Apud Hebræos quandoque alia fuit consuetudo. ibid.
Reges plurimi seditione creuerunt, seditione euanuerunt. 116.11.
Regni & Regum incolumitas à pietate pendet. plaga ab impietate. n 7.1. & seqq. & 850. 7.
Regnum Salomonis cur seruo datum. 117.4.
Regni priuatio ordinaria pœna Regum impiorum. n.3.
Reges etiam iusti breui tempore viuunt cur? n.5.
Nihil in mundo difficilius, quàm malum regem diu viuere. n.6.
Series Regum violenta morte oppressorum. ibid.
Assidua mortis cogitatio Regibus est modus bene moriendi. 120.7.
Regnum non tam fortitudine quàm prudentia conseruatur. 141.7. 8. & 9.
Reges in S. Scriptura quandoque dicuntur potentes aliqui. 174.5.
Turpe Regé regni sui statũ serò perdiscere. 557.8.
Exempla Regum diuinitus seruatorum. 620.3.
Regnorum inconstantia. 733.5.
Regnum Messiæ cùm semper in Scriptura dicatur æternum? 734.7.
Regum externorum liberalitas erga Ierosolymã. 781.6. & 7.
Regimen magna virtutum iactura. 808.6.
Regibus inaugurandis mortis memoria proponi solet. 882.4.
Regni excidium vnde. 850.7. & seqq.
Regnum cęleste *vide* Gloria cælestis.

Sacramentum.

Sacramenti nomen dupliciter accipitur. 686.1.

Sacrificium, Sacerdos.

Sacrificium noui Testamenti in omni loco offerendum prædixit Malachias. 33.6.
Ad Sacerdotes ordinariè spectat corripere proximum. 80.1.
Sacerdotes tam in lege naturæ quàm Moysis benedicere aliis consueuerunt 386.1.
Sacerdotes etiam indigni benedictio efficax est. 387. 4.
Sacerdotum noui Testamenti benedictio maioris est efficaciæ, quã veteris Testaméti. 389.10.
Differentia vtriusque Sacerdotij. ibid.
Sacrificium laudis quid? 567.4.
Sacrificij decem species. ibid.
Soli summo Sacerdoti licitum intrare Sanctum sanctorum. 687.4.
Sacrificium vituli cur præcederet sacrificium arietum. 770.5.
Sacrificia quæ Deus detestetur. 830.10.
Sacerdotes in rebus dubiis consulendi. 834.4.
Sunt legis diuinæ interpretes. n. 6.

Sal.

Sale sacrificia omnia olim condiebantur. 419.2.
Recens natos sale inspergere cur moris erat, cur. n.3.
Sal est quasi naturæ balsamum. ibid.
Recens baptisatis cur detur sal? 420.4
Sal obsoniorum est obsonium. ibid.
Qualem salem velit Christus discipulos in se habere? n.5.
Sal symbolum amicitiæ, prudentiæ, sapientiæ, & perpetuitatis. ibid. & seqq.
Euersio salis olim ominosa. 421.5.
Apostoli cur vocentur à Domino sal terræ? 422.7.
Sal corruptum ad nihil vtile. ibid.
Vxor Loth statua salis effecta monimentum est perenne inconstantiæ punitæ. n.8.

Salomon.

Post lapsum Adæ vnicus Salomon rerum omnium medicinalium habuit scientiam. 411.2.
Medicina à Salomone ad posteriores medicos deriuata. ibid.
Salomon grauiter punitus quia vxores multas duxit, & alienigenas. 472.4. & 6.

An

An Salomon filiam Pharaonis duxerit poſt abiuratam patriam religionem? 518.5.
Ob bonum commune eamdem duxit. 519.6.
Salomon Deum contemnens ſui quoque contemptores expertus eſt. 759.7.

Salus.

Saluti proximi conſulens Deo clariſſimus. 77.6. & 645.6.
Saluator dici poteſt. n.7.
Salutem aliorum procurare opus eſt diuinum. 77.n.6.
Ingens præmium meretur. n.8.
Non propriæ ſolum, ſed & proximi ſaluti inuigilandum inculcatur multis ſimilitudinibus.n.9.

Salutare.

Salutandi formulæ variæ moduſque diuerſus. 362.1.
Bonum,& pium eſt alios ſalutare. n.3.
Quid ſit ſalutatio. 363.5.
Explicantur loca Scripturæ quibus videtur ſalutatio prohiberi. n.6.
Apoſtoli gratiam impertiendo ſalutabant 388.7.
Id Pontifices & Epiſcopi ſecuti. ibid.

Samuel.

Samuel non fuit ſuſcitatus à Pythoniſſa, ſed à Deo. 725 9.
Vera eius anima apparuit. n.10.

Sancti, Sanctitas:

Sanctorum vita virtutum exemplum.1.2.180.3.& 490.4.
Eſt quaſi lex viua. 1.2.& 3.
Ex nauis gubernaculum. n.5.
Sanctorum inuocationem calumniantur hæretici. 34.1. & ſeq. *Vide verbo* Locus. Sancti in veteri Teſtamento non inuocabantur ſicut Angeli.n.5. Non fruebantur ſtatim à morte viſione beatificâ duplici ex cauſa. ibid.
Sancti qua ratione adorentur. n.7.
Sanctorum corpora qualiter Deo curæ ad illa ſepelienda. 132.5.
Sancti minas Tyrannorum contempſere. 141.4
Sanctorum patientia nobis eſt exemplum. 159.10.& 164.12.
Sancti variæ dicuntur. 180.1.
In primordijs Eccleſiæ omnes Chriſtiani dicebantur ſancti. n.2.
Solent Sancti de modo oraculi diuini inquirere. 372.2.
Suas querimonias Deo humiliter exponere vt conſolationem accipiant. n.3.
Sancti morituri ſolent ſuorum curã agere? 274.6.
Viri ſancti alijs benedicere conſueuerunt. 386.2.
Illa Sanctorum benedictio efficax eſt. 387.6.
Sancti olim curam geſſerunt infirmorum. 410.1.
Similiter ſuperiores deprecantur. 578.1.
Hortuerunt nimiam felicitatem. 624.2.
Sanctitati ſtudendum. 540.2.
Sanctitas quid? ibid.
Sancti omnes tam in hoc mundo quã in cælo ſua merita,& coronas offerunt Deo.563.6.& ſeqq.
Sibi ſemper tribuunt confuſionem, & opprobrium. 564.9.
Sanctorum nimij affectus erga creatum aliquod per aduerſa reſecantur. 603.2.
Ipſorum virtus per aduerſa exercetur. 604.4.
Sancti quidam grauiter lapſi. 757.4.
Tribus vinculis conſtringuntur ne Deum offendant. 844.4.
Non reputabant ſe vixiſſe annis, quos mundi vanitati impenderant. 872.7.
Mortem non horrent. 874.12

Sapientia.

Sapientia huius mundi à Deo ſtulta in quibus oſtendatur? 434.7.& 437.11.

Sara Vxor *Tobiæ.*

Sara ludos vanitatem præſeferentes, & indecentes, vti omnes occaſiones libidinis planè reſpuit. 152.4.& 5.
Quam calumniam perpeſſa fuerit ab ancilla, & cur illam commemoret Scriptura, 221.1.
Non fuit cognita à ſeptem viris à dæmonio ſuffocatis. 222.4.
Sara melius fecit tacendo quam reprehendendo ancillam. 231.6.
In quem finem confugerit Sara in ſua afflictione ad ieiunium,& orationem. 234.2.& 235.4.
Gratias agit Deo in ſua tribulatione, agnoſcitque ipſo permittente illam immitti ob bonum melius. 237.1.
Solatur ſe Dei miſericordia. 242.4.
Orat Deum aut vt liberet eam ab calumnia, aut vita priuet. An licite? 243.1.
Eius patientia. 245.6.
In bona conſcientia fiduciam locat Impetrandi à Deo liberationem à calumnia. 249.4.
Non retulit iniurias. 229.2.
Non iudicat etiam de manifeſtis, verum illa Dei iudicio relinquit. 255.3.
Solatur ſe certitudine fidei, quâ ſcit ſe coronandam poſt certamen. 260.7.
Sara filia Raguelis vnica, diues pulchra,& prudẽs à Deo deſtinatur Tobiæ vxor. 441.1.& 445.1.
Angelus ſuadet Tobiæ illam ſibi petere à patre in coniugem. 451.5.
Saræ infortunium non tenebatur pater eius aperire Tobiæ matrimoniũ illius ambientis. 509.1.
Sara nubit Tobiæ. 522.3.
Nuptiales pompas cur repudiarit? 531.9.
Lachrymatur memor infortunij maritorum. ſed mater illam conſolatur. 532.10.
Saræ mariti videntur fuiſſe gentiles. 540.1.
Saræ obedientia erga maritũ in re inuſitata. 547.1.

Scire, Scientia.

Quo fine quæque ſcire oporteat, multum refert. 423.1.
Graue curioſitatis eſt vitium aliena ſcire velle, ſe neſcire. 424.2.
Appetenda ſcientia rerum vtilium deteſtanda inutilium. n.4.& 426.8.& 433.1.
Nemo tam ſimplex, qui non poſſit ſcire neceſſaria

ria ad salutem. 414.5.
Velle scire ea quæ ad salutem proximi spectant charitas est. 425.7.
Abscondita velle scire reprehenditur. 426.8.

Scriptura.

Scripturarum studium ad virtutem via est. 2.2.
S.Scriptura est solatium afflictorum. 206.11
S.Scriptura Sanctorum peccata non reticet, vt veritas eiusdem confirmetur. 391.2.
Est tabula hydrographica. 392.4.
Etiam minuta commemorat, quare? 400.1.
In S.Scriptura multa inutilia contineri aliqui falsò putant. 648.1.& 806.1.
Omnis Scriptura vtilis. 648.1.& 652.11.
Arcana multa continet. 648.1.
In S.Scripturæ profundo grãdis est thesaurus.n.2.
Ratio cur ne vna quidem eius syllaba superflua sit. ibid.
S.Scriptura est singulare myrothecium ad pellendos morbos animi. 655.12.
Omnia refert, qualiacunque illa sint,quæ ad veritatem historiæ sunt necessaria. 668.1.
Scripturam esse obscuram spectat ad Dei gloriam. 687.7.
S.Scripturæ sensus duplex: litteralis, & mysticus. 788.1.
Mysticus rursus triplex: Allegoricus, Tropologicus,& Anagogicus. ibid.
Quis sit sensus litteralis. ibid.
Quis Allegoricus. n.2.
Christus, & Apostoli Allegoricè S.Scripturam interdum interpretati sunt. 789.2.
Anagogicus sensus quis. n.3.
Quis Tropologicus. 790.5.
S.Scriptura obscura ob figuratas locutiones, & apparentes contradictiones. 892.1.& seqq.

Secretum.

Secreta Regum celanda, quare? 686.2.
Item secreta quædam Dei. 687.4.
Secreti reuelatione inter amicos nihil turpius. 688.9.
Supplicia ijs inflicta qui secreta reuelabant. ibid.
Secretum nemini fidendum. 689.10.
Secreti reuelatio humanam societatem dissoluit. n.11.

Senex, Senectus.

Senes ordinariè superant iuuenes virtute.13.1. In muneribus, & honoribus sunt præferendi.n.2. Patres appellandi. ibid. Illorum consilium prævalet n.3. An virtute senes appellare consueuit Scriptura. 16.7.
Senectus bona dicitur tripliciter. 870.2.
Prudentia senectutis est. ibid.
Senex quis dicitur à virtute. 871.3.& seqq.
Senes peccatores in S. Scriptura vocantur pueri, & maledictioni obnoxij. 872.9.
Senes mali plerumque dediti auaritiæ, & ebrietati. 873.10.
Senes honorandi. 875.2.
Senectutis mala. 877.9.
Senes sunt Reipublicæ sustentacula. 859.8.
In senectute bona mori quid sit? 860.11.

Sennacherib.

Sennacherib quare oderit Israelitas? 88.1.& 96.2. & seq. Eius blasphemia. 94. 4. Ob blasphemiam suam qualiter à Deo punitus.ibid.& 112. 1.4. & 118. 3. Dei flagellum puniendis Iudæis constitutus potestate sua abusus est, ideoque vltioni diuinæ subijcitur. 96.2.5.8.& 9.& 123. 7.& 8. In mortuos sæuit 99.1.Cur.n.5.Ipse cur superstes cladis suorum. 112.1.& 2.
Cur Sennacherib à filijs occisus. 113.5.
Allegoricè significauit hostes Ecclesiæ. 123.8.

Sepultura, Sepelire, Sepulchrum.

Sepulturam ne hostis quidem inuidet. 99.2.
Exempla. ibid.
Sepeliebantur Iudæorũ cadauera cum aromatibus,& suffimẽtis nõ cremabãtur,cur? ibid.& 6
Sepultura maiorum promissa in ærumnis solatio est. n.2.
Sepulchra mortuorum etiam hostium violare scelus Deo abominabile. n.3.& 4.
Sepulturam Iudæorum cur tam seuerè prohibuerit Sennacherib? n.5.
Priscis Patribus magna fuit cura sepulchri, cur? 131.1.
Mortale est nolle sepelire corpora fidelium. n.2.
Pœna non sepelientium cadauera. ibid.
Laudantur qui cum suo incommodo,& vitæ periculo corpora sepelierunt. n.3.
Feræ à Deo excitatæ ad corpora Sanctorum sepelienda. n.5.
Cauendum ne ob peccata honore sepulchrali careamus. n.6.
Quinam sepulturâ priuari soliti. ibid.
Commune sepulchrum coniugalis fidei signum. 275.10.
Super sepulturam iusti panem, & vinum constituere quid sit? 324.1.
Sepulchrale epulum à Gentilibus,& Hebræis instrui solitum. 325.4.
Quo fine ab Hebræis. n.5.
Tobias illos instrui voluit ad animarum defunctorum refrigerium. n.6.
Mos instruendi illud apud omnes ferè nationes viget. 326.12.
Quare Tobias ad illud vocari noluerit peccatores? 329.1.
Sepelire corpora fidelium in sepulchris gentilium olim habebatur idololatricum. 701.3.
Sepultura Gentilibus erat cordi. 863.18.
Quare Gentiles inuiderent Iudæis sepulturã.n.19
Sepulturæ honor in quo consisteret? 864.22.
Sepulturam Iustorum quanti faciat Deus? n.23.
Sepulchris cur naues insculptæ? 881.4.

Seruitus, Seruire.

Seruitus ipsa morte durior. 57.5.
Seruire Deo metu supplicij bonum, melius spe præmij,optimum propter ipsum. 544.3.4.& 5.

Silentium.

Vtile silentium aliquorum in conuitijs aut detra-

detractione. 229.1.
Silentium in iniurijs vtile ad frangendam iracundiam. n.2.
Ad contumelioſum flagellandum. 230.3.&231.6.
Meretur diuinum patrocinium. 230.4.
Silentium quandoque ſupplet vices grauis reprehentionis. 231.6.
Eſt probatiſſimum medicamentum omnium iniuriarum. 233.7.

Similitudo.

Similitudo duplex, nempe corporis, & morũ. 485.1
Similitudo conciliat amorem. ibid.& ſeqq.
Hic dicendi modus: Nullus huic ſimilis, hyperbolicus eſt. 492.8.

Sobrietas.

Sobrietas prorogat vitam. 859.6.

Socer.

Soceri honorandi vt parentes proprij. 626.2. & ſeqq.& 875.2. *Societas.*

Societas malorum *Vide* Malus.
Societas humana multis abundat malis. 193.4
Tribus maximè coalescit, & conſeruatur. 850.7.

Solicitudo.

Sollicitudo nimia animo eliminanda. 416.7.

Solitudo.

Solitudo facit mentem quietam, & collectã. 267.1
Myſteria non reuelãtur niſi in locis ſolitarijs. ibid.
Solitudo aptiſſima orationi ac meditationi. 268.3.& 270.7.
Vtilis eſt ad deliberandum de vitæ ſtatu. 269.4.
Et emergendum à peccato. n.5.
Vberior doctrina ex ſolitudine quàm ex Bibliotheca deriuatur. 270.5.
In ſolitudine ſãctus Dauid, in ciuitate peccator. ib
Solitudinem corporis comitari debet ſolitudo mentis. 255.3.& 270.6.

Spes, Sperare.

Spes in Deo collucanda. 711.6.
In rebus deſperatis maximè ſperandum. 712.6.

Sphengites.

Sphengitis lapidis mira virtus. 281.15
Lapidum huius lapidis exemplum. ibid.

Spiritus.

Non credendum omni ſpiritui. 495.7.& 718.5 & 799.1.& ſeqq.
Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 455.15.

Status.

Ab humili ſtatu ad altiorem euectio prouidentiæ Dei eſt aſſcribenda. 621.7.
Exempla. ibid.
Status vitæ non temere eligendus. 42.4.

S Stephanus

Stephanus fuit vultu ſpecioſiſſimus. 535.3.
Supernaturaliter contulit illi Deus nouum mirumque ſplendorem. ibid.

Sterilitas.

Sterilitas pœna apud Hebræos erat acerbiſſima. 225.1.
Sterilitas olim erat opprobrium. 597.5. & ſeqq.

Subditus Vide, *Superior.*

Subditorũ clade puniũtur ſuperiores. 112.2.3.& 4.
Subditi in neceſſitatis articulo honorãtur. 407.1.
Subditus bonus non cogendus imperio, ſed prece exorandus. 827.1.& ſeqq.

Superbia.

Superbia Deo odibilis. 311.1.& 315.8.& 9.
Eſt vitium reproborum. 311.2
Caſus varij in quibus ſuperbia eſt peccatum mortale. 312.3.
Superbia eſt ſumma ſtultitia. ibid.& 4.
Eſt hominum, & angelorum ruina. n.5.
Peccatorum grauiſſimorum origo. 315.6.& 315.8.
Superbia in verbis frequentius, & pluribus modis ſe prodit. 313.7.
Remedium ſuperbiæ. 316.12.& 361.8.
Superbia humana confunditur. 360.8.

Superior.

Superioribus Deo contrarij præcipientibus non obediendum. 151.4.& ſeqq.
Superioribus licet ſuſpicari malum de ſubditis, vt illi medeantur. 194.7.
Illorum eſt ſedulam ſuorum gerere curam. 195.8.
Illorum eſt inuigilare vt plagas à ſubditis auertant. 207.4.
Superiores non iudicent ob ſolos vulgi rumores. 255.4.
Superiorũ malitiã induãt ſubditi. 352.10.& 631.15.
Tales ſuperiores ſũt Antichriſti præcurſores. 353.11
Mala exempla ſuperiorum perniciosiſſima 553.2.
Superiores ſuorum curam quam diligenter gerere debeant. 556.& ſeqq.
Ipſorum ſocordia nutrit malã. 559.11.
Superiorum maieſtas humilitatem poſtulat ſubditorum. 578.10.
Superiorum eſt ex zelo animarum manſuetè cum ſubditis agere, 580.8.
Superioribus ineſſe debet lenitas, & ſeueritas, 613.1.& ſeqq.
Superiores rectè docentur quandoque à ſubditis. 624.1.& ſeqq.
Superiorum onus graue reddendi rationem pro animabus commiſſis. 757.4.
Superior bonum ſubditum non cogat imperio, ſed prece exoret. 827.1.& ſeqq.
Cùm obſtinatis verò durius agat. 828.4.

Superſtitio.

Superſtitio cauſa excidij Gentis alicuius. 853.14.

Suſpicio, ſuſpicari.

An rectè ſuſpicatus fuerit Tobias hædum, quem vxor domum detulerat, eſſe furtiuum? 192.1.
Maleuolorum eſt ſine cauſa malum ſuſpicari. n.2.
Boni etiam quandoque malum ſuſpicantur. n.3.
Differentia ſuſpicionis bonorum, & malorũ 193.5
Suſpiciones malæ de ſe ſtarim intercidendæ 555.4.

Tabernaculum Dauid.

Quod tabernaculum Dauid, ex quo tempore dicatur ſuſcitandum. 739.8.

Tactus.

Tactus mulierum contagioſus. 42.5.

Talentum.
Talentum variè consideratur. 86.3.
Templum.
Templi structuram negligentes puniuntur sterilitate agrorum. 138.12.
Templa ob peccata profanari sinuntur. 775.8.
Temporalia, tempus.
Temporalia non deerunt quærenti cælestia 70.9
Reprehenduntur temporalia sola sectantes ibid. & 137.12.
Temporalibus inhiantes puniuntur sterilitate alijsque malis. 138.12.
Tempus vitæ benè impendendum. 699.10.
Tentatio.
Tentationum carnalium remedium præsentissimum est fuga. 42.5.
Tentationibus initijs resistendum. 53.2.
Tentationibus viriliter resistendi media 154.10.& 11.
Tentatio est signum dilectionis Dei. 705.3.& seq.
Tentationum commoda. 706.6.
Nemo Sanctorum à tentatione immunis. 707.8. & seqq.
Tepidus.
Tepidi quomodo adhortandi? 80.4.
Hærent in graui lapsus periculo. ibid. & 138.13.
Non tepidè opus bonum faciendum. 133.2.
Quæ mala ex tepiditate oriantur. 136.7.& 13.
Terminus.
Terminos agrorum transferentes vltioni diuinæ subiacent. 851.11.
Terminus Gentilibus erat Deus. ibid.
Terra.
Terræ sanctæ à Ierosolymis allatæ efficacia. 783. 10. Omnis terra, ex vsu S. Scripturæ limitatè quandoque accipitur. 780.3.
Terræmotus.
Terræmotus symbolum præsentiæ Dei. 805.6.
Testis.
Testes in vereri lege solebant manus imponere capiti rei, cur? 93.1
Thomas Apostolus.
Plus nobis profuit dubitatio Thomæ quàm certissima fides Mariæ. 780.9.
Thomas Morus.
Thomæ Mori constantia. 205.9.
Timere, timor.
Timere Deum, varia in Scriptura significat. 48. 1.& seq.
Timor Dei tribuit necessaria. 52.8.& 68.1.& seq.
Timor hominum noxius. 154.9.
Timor Dei comparatur memoriæ præsentiæ eius. 155.11.
Timenti Deum bona temporalia abundè succedunt. 340.4.& seqq.
Vanus timor reijciendus. 510.ibid.
Vanè timere Deum spernentibus familiare. ibid.
Plerique timent peccatum timore seruili. 512.8.
Alij non timent peccatum, sed exomologesin. ib.
Deus fauet timentibus se. 515.5.
Timendum donec periculum cesset. 570.1.
Timor vilis est. 756.2.& seqq.
Timor Dei deterret Sanctos à peccato. 845.4.
Timor Domini prorogat vitam. 858.3.& 860.10.
Timor reuerentialis continet multos in bono. 890.7.
Tobias virque.
Tobiæ genus, & patria. pag 1. Angelus hanc historiam ei scribere iubet. ibid. n.1. cui in 3. Quare dicatur ortus de nobili familia. 3.1. Cur eius patria commemoretur. 8.7. Ab auia Debbora instructus etiam maioribus natu virtute antecelluit. 9.2.& seq & 13.3.
Tobiæ constantia in religione. 18.1.& seq.& 29.2. & 59.1.3.& 7.& 151.4.
Tobias primitiua, & decimas suo tempore fideliter solitus offerre. 29. in Parap.& 38.4.& seq.
Tobiæ misericordia. 139.58.7.& 85.1
Tobias cur laudetur quod matrimonium iniens. 45.5. Cur nomen suum filio imposuerit. 47.7. Docuit filium ab infantia timere Deum. 49.4. Peccatũ vitare varias ab causas. 51.4. Captiuus ductus est in Niniuem tempore Salmanasar. 56.1. Abstinet à cibis gentilium 63.1. Regi Salmanasar fuit clarissimus, annonæ eius præfectus, atque ditissimus. 69.6. Mirè protegitur à Deo. 75.8.& 337.7. Obtentam libertatem quocunque eundi impendit saluti proximi, congruas cuique dans admonitiones. 76.2.& seq.& 79.3. Vtiliter intendit proximi correptioni. 82.5. Vsuram odit. 85.2. An verò prudenter mutuarit Gabelo decem talenta argenti. 86.3. Compatiens captiuus eos consolabatur verbis, & opere. 90.1.& seq. Nudos operire satagit. 92.6. Ob sepulturam mortuorum à Sennacherib iubetur occidi, bonisque spoliari. 99.1. Cùm vxore, & filio fugit, aclaret apud Assyrios. 108.1.
Tobiæ fuga non timiditati, sed charitati proximi asscribenda. n.3.4.5.& 8.
Tobias post cædem Sennacherib reuertitur in domum suam, omnemque facultatem recuperat. 120.1.& 6.
Contribules suos recreat cõuiuio, cur? 124.1.2.& 3
Pios, & pauperes ad prandium vocat. 125.6.
Cur laudetur à sepultura mortuorum? 132.3.
Promptus fuit ad opus bonum. 133.2.
Item prudens. 139.1. Cur cum mœrore comederit panem? 146.2.& 3.
Nullo amicorum hortatu à pietatis officio deterreri potuit. 149.1.
Plus timuit Deum quàm Regem. 151.4.
Quomodo cæcus redditus per stercora hirundinum? 156.1. & seq. Quam ob causam id permiserit Deus? n.3.& 164.1. Quomodo dicatur non contristatus super cæcitate sua. 166.1. In aduersis gratias agebat Deo omnibus diebus vitæ suæ. 172.8. A propinquis irrisus illorum irrisiones Hoccipendit. 172.1. In quibus similes fuerint Iob, & Tobias. 174.4.
Tobias ob vxoris blasphemiam lachrymatus est. 175. 8. Suaui admonitione irrisores suos ad meliora hortatus est. 177.1. & 180.1. Opere manuali

manuali vxoris viuere coactus fuit.189.3. Quã ſollicitus fuerit de damno ſpirituali cauendo. 191.3. Non ſine cauſa ſuſpicatus fuit hædum domi ſuæ balantem eſſe furtiuum.194.8. Vt bonus pater familias ſuorum ſedulam geſſit curam.195.8. Qua de cauſa maledicam vxorem non reprehenderit? 205.11.& 855.4. Cur oret, vt Deus non ſumat vindictam de peccatis ſuis ac parentum.117.2. Vxoris conuitijs, & blaſphemijs appetitus Deum laudat. 209.1. Timet ne in ſuis operibus aliquid lateat mali. 213.12. Conformat ſe voluntati diuinæ.214. 1.& 220.5. Licitè orat Deum, vt per mortem eum liberet à malis. 219.3.

Tobiæ quare non fuerit reuelatum preces ſuas eſſe exauditas. 273.1.

Tobias, ratus ſibi mortem inſtare, filio extrema dat monita. 274.7. & 812.1. Se & vxorem à filio voluit ſepeliri, cur? ibid.& 275.10. Commendat illi honorem matris. 275.8. Præſentiam Dei,& fugam peccati. 276.1.& ſeqq. Eleemoſynam. 285. 1. & 333.1. Et conſiderationem fructus eiuſdem. 294.1.& ſeq.

Tobiæ quæ ſubſidia tulerit eleemoſyna in neceſſitate temporali. 295.5.

Tobias monet filium abſtinere ab omni fornicatione.301.1. Adulterio.307.2. Et ſuperbia. 311.1.Vt mercedẽ operarijs ſtatim ſoluat.317.1 Legem naturalem obſeruat. 319.1. Parentalia celebrari voluit pro animarum defunctarum refrigerio. 325. 6. Monet filium conſilium petere à ſapiente. 331.1. Deinde modum ſalubriter illud obtinendi docet. 335.1.& ſeqq. Cur cum filio tam parce agat de re temporali, ſolumque debitum Gabeli illi reuelet? 339.1. Dei cultum præ omnibus ſingulariter commendat. 340.4.& 345.13.

Tobiæ iunioris exacta obedientia. Et qua ratione ad illam motus fuerit? 346.2.& 865.1. Quare Tobias iuſſerit filio ſuo quærere fidelem peregrinationis comitem? 354 1.

Tobiæ iuniori quærenti comitem Angelus inſtar iuuenis ſplendidi. & ad ambulandum parati ſe offert.356.1. Angelus Tobiæ in tribulatione gaudium apprecatur, cur? 364.1.& 7.

Tobias moderatè de miſeria ſua Angelo conqueritur ad conſolationem ab ipſo recipiendam. 372.3. Ipſi Angelus ex reuelatione diuina prædicit cæcitatem curandam, filiumque incolumen reducendum. 375.2.& 3.

Tobias excuſatur à leuitate animi quam videri poſſet perpetraſſe in committendo filio ei quẽ à natalium ſplendore ſolùm nouerat. 381.8. Efficaciter benedicit filio itineraturo. 389.9. Vxorem triſtantem de filij diſceſſu blandis verbis conſolatur. 398.3. Quare Tobias iunior in fluuio Tigri lauerit ſibi pedes. 404.1. Illum immanis quidam piſcis inuadit. ibid. Qua ratione ab ipſo ſeruatus fuerit? n.3. Diſcit ab Angelo vim medicam iſtius piſcis 410.2.& 416.7.

Ab eodem iubetur ſalire reliquum piſcis, vt in itinere ipſi eſſet pro cibo. 413.1.

Cur deuulerit ſecum ſalem? 420.4.

A curioſitate fuit alienus, 453.3.

Ipſi à Deo deſtinatur vxor Sara. 441.1.

Angelus ſuadet Tobiæ eandem petere à patre in coniugem. 451.1.

Quare? 454.10.

Tobias ſuper eo conſultat. 457.2.

Eius animum non deuicit Saræ ſpecies. 458.5.

Tobias cur timuerit mortem? 467.7.

Angelus ei conſulit præuia continentia, & oratione ad vxorem accedere. 477.6.

Quis huius orationis fructus? ibid.& ſeqq.

Tobias patri ſimilis forma vultu,& moribus. 485.1.& 487.2.

Cur patri dicatur ſimilis non matri præſertim in moribus? 490 5.

Tobias ſenior lõge filium virtute ſuperauit.491.7

Laudibus extollitur à Raguele. 495.1.

Eſt vir bonus. 505.9.

Tobiam iuniorem dignoſcens Raguel, illi oſculo omne bonum apprecatur. 502.2.

Tobias iunior non petijt inurbanè Saram in coniugem. 507.2

Raguel promptè tradidit illam Tobiæ, cur? 513.1. & ſeqq.

Tobias iunior Saram ducit vxorem dextræ conſertione,& Deo inuocato. 522.3.& 524.8.

An validè, & licitè matrimonium contraxerit abſque conſenſu parentum? 525.9.

In nuptijs eius conuiuium exhibitum. 527.1.

Solemnitates Hebræis vſitatæ item tripudia à nuptijs his exularunt, cur? 531.9.

Tobias cur non timuerit ab Aſmodæo necari, veluti contigerat ſeptem Saræ maritis? 533.1.

Fumo iecoris piſcis fugat dæmonem. 538.3.

Cur ante matrimonij conſummationem oret pro felici illius ſucceſſu cum Saram diuinitus ſciret ſibi deſtinatam? 540.1.

Orationem à laude Dei incipit. 543.1.

Patefacit intentionem qua matrimonium inijt. 544.3.

Coniugem ad ſecum orandum inuitat. 547.1.

Quare Tobias humiliter obſecret Angelum, quem mercenarium putat? 578.5

Inanis gloriæ fuit contemptor. 580.10

Mittit Angelum ad Gabelum, quare? 583.1.

Adiuratus à ſocero deſiderium eius non vi iuramenti obligatus, ſed obſeruantia facetè implenit. 584.8.

Laudatur ſenior Tobias, quod egens pecuniam Gabelo mutuo datam non repopoſcerit. 593.1.

Quare illum Deus paſſus fuerit vehementer affligi ob abſentiam filij. 603.1.

Tobias ſenior conſolatur Annam vxorẽ ſuã. 611.1.

Eius patientia. ibid.& 617.6.

Conſolatorijs verbis ſeueritatem quandam miſcuit. 613.1.

Tobias junior domum redire accelerauit vt patris negotia perageret. 618.1.

Deus

Deus ipſum honoribus,& pecuniâ auctum ad patrem remeare concedit. 623.8.
Humiliter correptionem ſuſcipit. 636.1.
An inurbanum fuerit Tobiam præcedere in reditu ad patrem vxore relicta? 640.1.& ſeqq.
Quare Deus voluerit ipſum præcedere? 642. 6.
Tobias iunior felle piſcis cæcitatem patris ſanat. 653.1.
An temere applicarit iſtud remedium? 661.11.
Tobias ſenior reſtituto viſu glorificabat Deum. 662.1.
Breui tempore probatus copioſam ſenſit medelam. 663.4.
Rectè gauiſus fuit de viſu reſtituto. 666.5.
Tobias iunior plura obtinuit quàm deſiderauit. 670.7.
Hinc totus eſt in beneficijs Dei recenſendis. n.8.
Liberalitas vtriuſque Tobiæ in recognoſcendis beneficijs mercenarij ſui. 676 6.
Vnde Tobiæ tanta bona temporalia? 691.8.
Tobiæ opera obtulit Angelus Deo. 700.1.
Quia Tobias acceptus erat Deo, neceſſe erat vt tentatio illum probaret. 704.1.
Tobiæ quadriennalis conſtantia mundo eſt exemplum. 711.4.& 5.
Ad Tobiam deſtinatus fuit vnus ex præcipuis Angelis. 712.7.& 714.13.& 14.
Vterque Tobias cognito Angelo ſeſe proſtrauit in terram,cur? 715.1.& 729.7.
Humilitate ſua meruit reuelationem Angelicam. 718.7. Prudenter ſibi perſuaſit Angelum ad ſe miſſum eſſe bonum. 729.6.
Tobias ſenior mirè Deum laudat. 733.4.& 736.2.& 744.1.& 761.1.
Reſtitutus meliori fortunæ quadraginta duobus annis virtutem intenſius coluit. 807. 4.
Hortatur concaptiuos in Niniue ad laudandum Deum ſecum, & maieſtatem illius prædicandum Gentilibus. 748.1.& 755.1.
Vnde ſciuerit ea ratione bonos cum impijs in Aſſyriam abductos. 749 3. Vult peccatores ſeriò ſe conuertere. 765.12. Quare ſolos electos ad laudem Dei inuitet. 768. 1. Dicit peccata eſſe cauſam ruinæ ciuitatis Ieruſalem, & ad pœnitentiam contribules hortatur, cur? 772.1.& ſeqq. Spiritu prophetico quædam prædicit. 780.3.& ſeqq.& 783.2. & 788.1. Precatur ſecunda diligentibus Ieruſalem, lætaturq; præuiſo proſpero eius ſtatu. 787.11. Vtitur Hyperbole in prædicanda eximia ſpecie Ieroſolymæ reſtitutæ. 788.1.
Credens motioni internæ, deceptus eſt. 799.1.
Liberalitas Dei Tobiæ vota tranſcendit. 801.1. & 804.5.
Tobias pacifice perrexit ad mortem tanquam ad grande bonum. 810.9. Ter filium in pietate inſtituit. 814.9. Prædicit ſubuerſionem Niniues,& quædam alia. 817.1.& 847.1. Fuit Propheta eximius. 817.1.& 849.5. Ipſi prophetanti prudenter crediderunt filij. 824.2.& 826.7. Quare dicat Omnes timentes Deum reuerſuros ad terram Iſrael. 825.5.
Perbenigne abſque vllo imperio hortatur filium & nepotes ad ſeruiendum Domino in veritate,cur? 827.1. Ad inquirendum quæ Deo ſunt placita. 834.1. Quas iuſtitias, & eleemoſynas inculcet filijs. 838. 1. & ſeqq. Inuitat filios ad imitationem ſui ne progeniei ſuæ maculam inurant. 841.6. & ſeqq. Vult ſuos pronepotes ſemper Dei eſſe memores. 843.2. Laudare Deum in proſperis,& aduerſis. 846.10. Excedere Niniue, cur? 847.1. Quomodo ſcierit peccata Niniues eſſe completa, ipſamque ſubuertendam. ibid. Quare præcisè tempus non indicat. 854.2. Cur velit vxorem iuxta ſe ſepeliri. 854. 1.& ſeqq. Vixit centum duobus annis. 857.1. Quænam tam bonæ ſenectutis ratio. 858.3. Quare commemoretur in Scriptura. 860.11. Quare dicatur honorifice ſepultus in Niniue. 863.18.
Tobiæ iunioris laus in ſoceris iuuandis. 874.1.& ſeqq.& 877.1
Quam benedictionem ob vitæ merita conſecutus fuerit Tobias iunior. 878.2.
Cur S. Scriptura narrat Tobiam iuniorem obijſſe centenatio proximum, religioſè vixiſſe, ac denique à filijs cum gaudio ſepultum. 881.1.
Item Tobianam poſteritatem omnem à parentibus morum probitatem hæte ditaſſe. 888.1.
Spiritus ſanctus palam fecit poſteros omnes Tobiæ cælo aſſcriptos. 891.9.
Tobiæ poſteri placuerunt Deo hominibus, quomodo. 893.5.

Traditio.

Traditiones Eccleſiæ ſequendæ,cur? 837.12.

Tribulatio, tribulatus.

Tribulatio reddit iuſtus ſeruentiores. 58.8.
Tribulatis compati valde meritorium. 90.1. & 125.2. Exempla. 90.1.
A tribulatione liberat Dei memoria. 73.3. & 153. 11.& 844.3.
Tribulatio à Deo immittitur ob diuinæ legis obliuionem. 73.4.
Tribulationibus eripit Deus bonos, immergit malos,cur? 74.7.151.
Tribulatio cur iuſto neceſſaria? 157.5.& ſeqq.
Vir iuſtus in tribulationibus à murmuratione abſtinet. 167.3. Chriſtianum eſt æquo animo tribulationem pati. 168.6.
Item gratias in illa agere. 170.3.
Vide Gratias agere.
Tribulationes patienter ferendæ propter mercedem regni cæleſtis. 180.4.
Sunt vnica via ad cælum. ibid.& 367.9.& ſeqq.
Eadem tribulatio diuerſimodè afficit bonos, & malos. 209.2. Exempla, 210. 3. & ſeqq.
In tribulationibus blaſphemare Deum maximè alienum ſit à Chriſtiano. 111.8 & 776.8.
Tribulatis in ſe ſperantibus adeſt Deus. 242. 5. & 343.10.
Tribulatos manet corona in hoc, & alio ſæculo. 258,1.& 5.& ſeqq.

Iuſtis tribulatis certa eſt expectatio æternæ beatitudinis. 160.7.
Tribulationem vtilem eſſe exemplo aurificis probatur. 266.5.
Iuſti tribulati Dei benignitatem, & conſolationem experiuntur. 341.6.& ſeqq. & 365.5.
In tribulationibus gaudendum. 364.1.
Exempla. ibid.
Gaudij huius rationes. 365.2.& ſeqq.
Tribulatio eſt ſignum dilectionis Dei, & omne bonum. ibid.
Deus tribulati gerit curam. n.3.
Quæ cauſa impatientiæ in tribulationibus. 368.9. & ſeqq.
In tribulatione conformamur Chriſto. 370.13.
Iuſti Tribulationis cauſam ſolent à Deo inquirere. 513.1.
Tribulationibus exercetur virtus piorũ. 604.4.
In illis implorandum auxilium Dei. 606.7.
Tribulationes nullæ diuellunt animam deuotam à Deo. 616.2.& 693.1.
Tribulatio probat hominem. 706.6.
Tribulatio animum purgat. 757.5.
Tribulatio clareſcere facit iuſtos etiã in hac vita. 804.5.

Triſtitia, triſtari.

Triſtitia quæ non cadat in virum iuſtũ. 166.2.3.4.
Triſtibus læta ſubiunguntur. 266.5.& 738.8.
Triſtandum de peccato non de iactura bonorum temporalium. 608.7.& ſeqq.
Triſtitia ſæculi operatur mortem corporis, & animæ. 610.10.& 11.& 616.3.
Triſtis ſua committere debet Deo. n.11.
Triſtitia abbreuiat vitam. 858.4.

Turpiloquium.

Turpiloquium arcendum à conuiuio. 600.7.

Tutor.

Tutores vt parentes honorandi. 407.2.

Tyrannus.

Tyrannis vtitur Deus vt flagello ad puniendum populum ſuum. 96.1.& ſeq. & 123.7. & 848.2.
Ipſi verò nimium ſæuientes vltionem diuinam in caput ſuũ retorquẽt. 96.2.& 238.4.& 848.2.
Tyrannus ſenex difficulter inuenitur. 119.5.
Probatur exemplis. ibid.

Vas.

Vas varia ſignificat. 540.2.

Vendere.

Vendens rem pluris, quã à Domino erat præſcriptum, nõ poteſt ſibi aliquid ex pretio retinere.

Verbum Dei.

Verbum Dei vocatur panis in Sacra Scriptura. 146.4.

Veritas.

Veritatis viam non deſerere, quid in Scriptura ſignificet? 57.1.
Veritatem quandoque occultare ſub aliqua diſſimulatione prudentiæ eſt. 381.2.
Variæ ſignificationes verbi Veritas. 829.5.

Veſtis.

Veſte ſexum mentiri turpe, & probroſum. 320.5.

Viciſſitudo rerum.

Viciſſitudo rerum timenda. 147.2.

Victoria.

Victoria omnis Deo aſſcribenda. 562.3. & 621.4 & 5.
Hinc per infirma inſtrumenta quandoque tribuitur ne qua victoribus ſuperbia oriatur. n.5.

Vidua.

Viduarum collegium in primitiua Eccleſia inſtitutum, quæ omnium fœminarum curam haberent. 481.1.
Quælibet ex his eſſe debebat ſexaginta annorum, & in bonis operibus exercita. ibid.

Vigilare.

Vigilandum ad mortis incertitudinem? 882.7.

Vincula.

Vincula reddunt iuſtos feruentiores. 58.8. *Vide* Captiuitas.

Vindicta.

Vindicta nunquam expetenda. 322.8.

Vinum.

Vinum potandum ſolebat olim Dijs præofferri. 64 5. Vinum deteſtabile non eſt propter eius abuſum. 128.5 & 130.11. Datum eſt ad lætitiam corporiſque refectionem. 130.11.
Vinum ſapientiæ inimicum. 414.5.

Vir.

Triplex viri ſignificatio. 41.1.& ſeq.
Pauci inueniuntur nomine viri digni. 42.6.
Barbarus viri à Deo deſpiciuntur. ibid.
Viri graues vxores malej conquerentes obiurgare ſolent. 398.1.
Viri eſt extranea curare, non domeſticis ſe immiſcere. 630.12.
Viri eximij ſæpè paruo corpore ſunt, vt humilitatis admoneantur. 978.12.

B Virgo.

D. Virgo opus manuale exercuit, quale? 189 5 cur aliqua myſteria ignorarit? 273 4. Licet verbis Angeli ſtatim credula, modum tamen Incarnationis Verbi inquiſiuit. 372 2. & 437. 11. & 729.5.
B. Virginis ſalutatio quàm efficax fuerit? 387. 6.
Eius elogia. 406.2.
Variæ apparitiones. 724.5.& ſeqq.

Virginitas, virgo Vide *Puella.*

Virginitas nemini præcipitur, ſed omnibus conſulitur, cur? 44 1.& ſeq. In veteri lege plures virginitatem coluerunt. 451.5. Etiam tunc temporis Deo gratior fuit matrimonio, ibid.
Tempore Euangelij Chriſtus virginitatem, & induxit, & matrimonio prætulit. 452.6.
Virginibus datur nomen æternum. ibid.
Virginitas ab Apoſtolo conſulitur. 453.7.
Non omnes poſſunt aſſequi virginitatem. 455.12.

Virtus.

Virtus nobilitat. 3.1. Prævalet in ſenibus. 13.1.
Nulla ætas virtuti præmatura. n.4.& ſeq. A virtute ſenes appellare conſueuit Scriptura. n.7. & 871.3.
In virtute ſemper proficiendum. 149.1.& 809 8. 810.10.
Propinquis à virtute deterrentibus viriliter obſtandum. 149 1

Virtus conſeruatur afflictionibus. 157.5.
Virtutis labor,& ſolatium. 157.6.
In virtute nouellos auocare obnoxium vindictæ. 187.12.
Virtus propria non parentum venuſtat. 380.5.
Vita, viuere.
Vita Sanctorum exempla virtutum. 1.2.& 180.3. & 347.3.& ſeqq. Eſt quaſi lex viua. Ibid.& n.3. & gubernaculum nauis. n.5.
Vitæ ſtatus non temere eligendus. 42.4
Vitæ perfectioris ſtudium negligens in grauia peccata facilè ruit. 80.4.
Vitæ fugacitas. 378.7.& 735.9.
Maiorum viuendi ratio attendenda in deliberatione. 835.8.
Vita eſt mercatus. 699.20
Bona vita Chriſtianorum infidelibus fuit cauſa conuerſationis. 759.5.
Recta viuendi diſciplina humanam ſocietatem coaleſcere facit, & conſeruat. 850.7.& 853.12.
Vitæ tempus vnde inæquale? 857.2.& ſeqq.
Cur homines in mundi exordio diu vixerint? 857 2.& 860.9.
Vitæ prauitas abbreuiat vitam. 861.14.
Vitæ periodus duplex. ibid.
Vitæ omne tempus, in quo virtuti non deſeruitur,perit. 872.7.& 882.5.
Vitæ bene actæ conſcientia facit mortem non timere. 873.11.
Vitæ paternæ annos ſibi nemo promittere debet. 881.2.
Vita longa quibuſdam pœna eſt. 884.10.
Volumen.
Volumen vnde dicatur. 1.1.
Voluntas.
Propria voluntas eſt regula erga alterum. 310.1.
Voluntas benefaciendi apud Deum habet meritum. 646.7.& ſeqq.
Voluptas Vide *Libido.*
Voluptates impuras eſſe licitas ſibi perſuadebant Gentiles. 451 1.
Voluptas vmbræ comparatur. 605.4.
Vſura.
Vſura repugnat rationi naturali. 85.2.
Gentilibus fuit exoſa. ibid.
Parricidio comparatur. ibid.
Vſura eſt aliud latrocinium. 593.1.
Vulgus.
Vulgus quàm inconſtans? 396.11.
Cupidum eſt rerum nouarum. 397.12
Vultus.
Vultus indicat mores hominis. 486.2.& ſeq. & 488.1.& ſeqq.
Eſt indicium non certum ſed probabile. n.2.
Aliquid maieſtatis in vultu potentum concedit Deus. ibid.
Vxor.
Vxorum aliquot inſignia facta. 189.6.
Vxorum eſt obedire maritis, eoſque reuereri.195. 1.& ſeqq.
Vide Maritus,Coniunx.
Lex vitæ vxori ſunt mores mariti. 196.3.
Vxores bonæ, & ſedulæ facilè in peſſimas transmutantur. 197.4.& ſeqq.
Multum meretur vxor obſequens viro. 198.10.
Pœnæ vxorum inſtigantium maritos ad malum. 202.5.& ſeqq.
Quando vxores licitè vel illicitè dant eleemoſynas? 285.3.
Mariti ab vxorem querelis vix vnquã liberi.393.8.
Vxor blandè conſolanda in querelis, non acriter obiurganda. 399.3.
Vxor bona à Deo datur. 442.2.161.4.& 442.2.
Eſt magnus Theſaurus, & perennis voluptas. 442.2.
An vxor diſconueniens etiam à Deo detur? n.3.
In vxore diligenda res tota Deo committenda. 444.8.
Vxorem ducere cauſa pulchritudinis aut bonorum aliorum fortunæ an liceat? 445.1.
Virtus, & mores vxoris futuræ ſpectari debent. n.3.& 448.13.& ſeqq.
Vxor per formæ elegantiam virum oblectat,& in amore conſeruat. 446 6.
Ex vxore pulchra naſcitur pulchra proles. 447.10
Vxor pulchra difficulter cuſtoditur. 449.14
Probroſum eſt ab vxore ditari. 450.15.
In vxore amor nimius turpis. 471.3.
Vxore moderatè eſt vtendum. n.4.& 541.2.
Vxores vſu quæſitæ quæ? 521.1.
Vxoris nimius affectus in liberos parit mariti contemptum. 617.5.
Vxor diligere debet maritum, hoc eſt, concordiam coniugalem ſeruare in omnibus licitis,& honeſtis. 628.6.
Quædam vxori obſeruaru neceſſaria vt pax domeſtica ſeruetur. 629.8.
Vxor *Vide* Materfamilias.
Res domeſticæ ſpectant ad vxorem. 630.12.
Vnde domi ſe continere debet. ibid.
Ab omnibus ſcandalo ſis abſtinere. 631.15.
Vxor ob imperfectionẽ prudẽter monẽda.855.3.
Reprehenduntur qui exiſtimant cum vxore prauа ſe ſalutem non poſſe operari. n.5.
Zacchæus.
Zacchæus ſua promptitudine ſibi, & familiæ ſalutem procurauit. 137.9.
Zelus.
Zelus indiſcretus diſplicet Deo. 825.

FINIS.

INDEX MATERIARVM

PRO CONCIONIBVS

DOMINICARVM, ET FESTIVITATVM

TOTIVS ANNI, AC QVADRAGESIMÆ,

quæ in hoc Opere continentur.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Lucæ 21. ERunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium, *&c. Deum præmonere, antequam puniat, Sect.18. in caput 3.n.2.& Sect.5.in cap.14.à num.11.vsque finem. Rursum, Deum afficere malos assiduis incommodis, vt eum timeant, Sect.5.in cap.13.n.2.*

Arescentibus hominibus præ timore. *Quid sit timere Deum, Sect.18. in cap.1.Tobiæ, nu.1.2.3.4. Deinde, quàm vtile sit cuicumque homini timere, Sect.5.in c.13.à n.1.vsque 5.Item in die iudicij, omnia tam bona, quàm mala detegenda, Sect. 2. in cap.4. num.18.*

His fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. *Præmium cæleste animum addere homini iusto ad quæuis perpetienda; peccatori calcar ad conuersionem, Sect.14.in c.2.num.4.5.6.& 7. Iterum, Deum post tristia, læta subiungere, Sect.18.in c.3. n.5.& Sect.2.in c.13.n.8. Deum populum nunc terrere, nunc demulcere.*

DOMINICA II. ADVENTVS.

Matth.11. Cùm audisset Ioannes in vinculis, *&c. Quare Deus iustos aduersitatibus exerceat, Sect.8.in c.2.à n.5.vsque 11. Rursum, Deum ad solatium fidelium afflictorum scribis voluisse, quæ iusti perpessi mala, Sect.6.in c.3.n.12.*

Mittens duos ex discipulis suis, ait illis, *&c. Sanctos etiam moribundos suorum curam gerere, Sect.1.in cap.4.n.6.& 7.ac Sect.22.in cap.1.nu.7. Item, iustos in vinculis feruentius studere aliorum saluti, ibid.n.8. Denuò, Deum propter constantiam iustorum miracula facere, ibid.n.9.*

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? *Iustos oblatam sibi alicuius boni occasionem non præterire, Sect.7.in cap.7.n.4.*

Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? *Subinde vtile esse, subinde necesse, laudare alios in absentia, Sect.5.in cap.7.n.6.7.8.& 9. Rursum, Deum de fama suorum esse sollicitum, Sect. 6.in cap.8.n.12.& 13.*

DOMINICA III. ADVENTVS.

Ioan.1. Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? *Ad Sacerdotes spectare examen rerum fidei, Sect.8.in c.14.n.6.7.*

Et confessus est, & non negauit, *&c. Iustorum proprium esse se deprimere, Sect.10. in c.4.n.2.*

Et confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. *Quia Ioannes noluit cum præiudicio Christi exaltari, tractari hic potest infelix planè esse dolis malis, aut iniusto modo ad promotionem tendere, Sect.40. in cap.1. n.11.12.& 13.*

Quid ergo baptizas si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? *Nullam nouitatem in religione admittendam absque diuina auctoritate, Sect. 4.in c.7.n.7.vsque finem.*

Cuius non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. *De se parum sentire, multum mereri apud Deum, Sect.7. in cap.8.nu.14. Rursum Sanctos modestè de se loqui, Sect.1.in cap.9.n.10.11. 12.& 14.*

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Anno quinto decimo Imperij, *&c.* factum Lucæ 3. est verbum Domini super Ioannem. *Ratione ætatis D.Ioannis hic tractari potest, senieres ordinariè iuniores superare in sapientia, Sect.6. in cap.1.n. 1.2.& 3. Rursum, iuuenes non esse contemnendos, cum ipsis adest virilis maturitas, ibid.n.4.5.6.7.8.*

Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. *Pios viros in solitudine, cælesti doctrinâ imbui, Sect.20. in cap.3. n.2.& 3.*

Prædicans baptismum pœnitentiæ. *Quàm vtile pœnitentiam agere, Sect.8.in cap.13.n.9.& 10.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM Natiuitatis Domini.

Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirantes Lucæ 2. super his quæ dicebantur de illo. *Opera Dei miranda non scrutanda, Sect.9.in cap.6.n.4.*

Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. *Deum non delectari in perditionibus nostris, Sect.18. in cap.3.à n.1. vsque 6.*

Et in signum cui contradicetur. *Hic tractari potest, Deum suos ad aliorum bonum tanquam portentum constituere. Sect.8.in cap.2.num.11.vsque finem.*

Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel, *&c. Necessum esse, vt mulieres sese irreprehensibiles exhibeant, Sect.8.in cap.10.n.14.15.16.17.*

Non discedebat de templo, ieiuniis, & ob-

ſecrationibus ſeruiens noctu ac diu. *Vide de vtilitate ieiunij & orationis, Sect.9.in cap.3.à n.2. vſque 6.& Sect.5.in cap.12.n.3.vſque 6.*

Et hæc ipſa hora ſuperueniens confitebatur Domino. *Pium eſſe Dei beneficia recenſere, Sect.10.in cap.11.n.8.*

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Lucæ 2. Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti. *Deum certis locis coli velle,Sect.12.in c.1.n.4.& 5. An Chriſtiani ex eo capite peregrinentur in Ieruſalem, quo fideles veteris Teſtamenti, ibid.n.6.vſque finem.*

Requirebant eum inter cognatos & notos. *Quantam parentes filiorum debeant habere curam. Vide toto cap.4.ex monitionibus Tobiæ.*

Inuenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum audientem illos & interrogantem. *Deum interrogatione aliquando vſum ad publicum bonum,Sect.7.in cap.6.n.9.*

Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad illos. *Deum quandoque Sanctis minora abſcondere, licet maiora reuelauerit, Sect.1.in cap.4.n.2.3.4.5. Rurſum neminem certum eſſe de Dei voluntate, & ſenſu in quibuſdam, niſi ipſe reuelauerit,Sect.1.in cap.14.n.2.3.4.5.6.& 7.*

Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. *Secreta Dei ſæpè celanda, Sect.4.in c.12.à n.4.vſque 9.*

Ieſus proficiebat ſapientia & ætate. *Pueros in iuuenili ætate viriles induere mores, quid magnum præſagire,Sect.5.in c.1.per totum.*

Ieſus proficiebat,&c.& gratia apud Deum & homines. *Quomodo quis placere poſſit Deo & hominibus, Sect.20.in cap.14.à n.3.vſque finem.*

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

Ioann.2. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. *An matrimonia à Deo deſtituantur, Sect.10.in cap.6. per totum. Rurſum an bonum ſit alicui matrimonium conſulere,Sect.12.in c.6.à n.1.vſque 12. Vide plura perquàm vtilia queſita ad matrimonium ſpectantia,Sect.11.& 15.in cap.6. Sect.10.11.& 12.in cap.7. Conuiuium nuptiale apud omnes gentes vſitatum,Sect.13.in c.7.n.1.*

Et deficiente vino. *Sobrietatem ſeruandam in conuiuiis,Sect.9.in cap.8.à n.3.vſque 12.*

Vinum non habent. *Proximorum curam gerere, Deo perquam gratum, Sect.4.in cap.11.nu.6. Alienis neceſſitatibus compati, Deo acceptabile, Sect.3 4.in cap.1.n.1.2.3.4.& Sect.12.in c.11.n.4.*

Quid mihi & tibi eſt mulier? *Interrogationes in ſacra Scriptura multiplici ſenſu fieri, Sect.5. in c.5.n.5.*

Quodcumque vobis dixerit, facite. *Deo ita fidendum eſſe,vt humana præſidia non negligantur, Sect.3.in cap.6.n.3.*

Implete hydrias aqua. *Deum requirere noſtram cooperationem,Sect.3.in c.8.n.5.vſque finem.*

Et cùm inebriati fuerint. *Ebrietatem propriè dictam abeſſe debere à conuiuiis, non autem hilaritatem,Sect.6.in cap.9.n.5.6.*

Hoc fecit initium ſignorum. *Miracula facienda, cùm neceſſitas ea exigit, Sect.3.in cap.11. n.7.8.9.*

Et crediderunt in eum diſcipuli eius. *Fidem tribus modis creſcere, & perfici, Sect.12.in cap. 1.n.6.*

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Et ecce leproſus veniens adorabat eum, Matth.8. dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. *Alia ratione Deum, Angelos & homines adorari, Sect.16.in cap.1.n.7 Item ad Deum pro ſanitate recurrendum, maximè in grauioribus infirmitatibus, Sect.7.in cap.11.n.9.10.& 11.*

Extendens manum Ieſus, tetigit eum, dicens, Volo mundare. *Quæ conditiones requirantur in curante non medico. Multi enim à ſuperſtitioſis hominibus in breui curantur, dicta Sect.7.n.3.4. 5.6.7.& 8.*

Offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. *Hic tractari poteſt, grauius illos iudicandos à Deo, qui plura dona acceperunt, & gratis illi obſtrepunt, vt faciebant Phariſæi, quos ex munere Leuit.14.præſcripto, & ab eis accepto, Deus voluit redargui, cùm Chriſti curationem malenolè negarent, Sect.15.in c.2.n.7.*

Acceſſit ad eum Centurio rogans eum, & dicens, Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. *Domeſticorum cura habenda, Sect.6.in c.8.n.10. & Sect.4.in cap. 14.n.9. vſque 13. & Sect.2.in cap.5.n.4. Rurſum, patribusfamilias incumbere, infortunia, ac plagas à ſuis auertere, Sect.2.in cap.3.n.4.vſque finem.*

Reſpondens Centurio, ait: Domine non ſum dignus. *Deo gratiſſimum eſſe, quod homo ſe deprimat, Sect.1.in c.9.n.14.*

Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. *Cur Chriſtus laudaueris fidem Centurionis, Sect.5.in c.7.n.6.*

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, &c. *Nulli fidendum, quòd optimo parente natus ſit, Sect.8.in cap.5.n.5.6.& 7. Deum vno excidente, alium eius loco & præmio ſubſtituere, Sect.16.in cap. 3.n.8.*

DOMINICA IV. POST EPIPHAN.

Ecce motus magnus factus eſt in mari. *Deo* Matth.8. *acceptos neceſſariò probari, Sect.8.in cap.12.n.1.2.3. 4.& 5.*

Et ſuſcitauerunt eum dicentes, Domine, ſalua nos perimus. *In neceſſitate Deum orandum, Sect.1.in c.10.n.7. Prauum conſortium cauſare pericula, Sect.8.in cap.1.n.7.*

Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. *Deum in rebus deſperatis potentiam ſuam, & auxilium maximè declarare, Sect.8.in cap.11.n.7. & Sect.9.in cap.12.n. 6.& Sect.2.in cap.13.n.6.7.*

Quid

Quid timidi eſtis modicæ fidei. *Ad orationem neceſſariam eſſe fiduciam impetrandi, Sect.5.in cap.12.n.2.& Sect.3.in cap.5.n.5.6.Non formidandum etiam in arduis per exempla demonſtratur.*

Quid timidi eſtis modicæ fidei? *Chriſtum ſæpius diffidentiam in ſuis deprehendiſſe, Sect.19.in cap.4.n.11.& 12.*

Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei. *Deum contra naturam elementa ſubiicere homini iuſto, Sect.28.in cap.1.n.9.*

DOMINICA V. POST EPIPHAN.

Matth.13. Cùm autem dormirent homines venit inimicus eius, *&c. Incuria Superiorum multa mala irrepere in familiam, Sect.6.in cap.8.n.10.& 11.*

Accedentes autem ſerui patrisfamilias dixerunt ei: Domine nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania. *Homines plerumque præpoſterè cogitare de auertendis malis domeſticis, Sect.6.in c.8.n.7.8.9.*

Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea? *Zelum indiſcretum eſſe importunum, Sect.31.in cap.1.n.4.& 5.*

Et ait, Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis & triticum. *De rebus dubiis non eſſe iudicandum, Sect.6.in cap.3.n.4.5.6.7.8.& Sect.15.in idem cap.n.4.vſque 7.*

Colligite zizania. *Malos in grauius iudicium ſeruari, Sect.40.in cap.1.n.1.2.& 3.*

DOMINICA VI. POST EPIPHAN.

Matth.13. Simile eſt regnum cęlorum grano ſinapis, *&c.* quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus. *Fidelium eſſe proprium, creſcere in virtute, Sect.22.in cap.1. & Sect.3.in cap.14.n.8.10.& 11. Rurſum, fideles iuſtos etiam inter prauos proficere, Sect.22.in cap.1.n.13. Item, ſicut laudabile eſt paruum ſinapi granum excreſcere, ita in homine vel minima vitia reſecare, ne profectus magnus impediatur, Sect.20.in cap.1.n.1.2.3.4.5.*

Sine parabolis non loquebatur eis. *Scripturam eſſe difficilem intellectu ob varias cauſas, Sect.20.in cap.14.n.1.2.3.*

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Matt.20. Qui exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam. *Maximum eſſe negotium, inuigilare aliorum ſaluti, Sect.29.in cap.1. à n.6. vſque finem, & Sect.30.in idem cap.n.4.*

Vidit alios ſtantes in foro otioſos. *Omnium malorum matrem eſſe otioſitatem, Sect.5.in cap.4. num.10.*

Ite & vos in vineam meam. *Deo vocanti illicò obtemperandum, Sect.4.in cap.2.n.3.4.5.*

Voca operarios, & redde illis mercedem. *Quando oporteat hominem ſollicitum eſſe de mercede operarij, Sect.11.in cap.4.n.1.2.& 3. Rurſum, beatitudinis præmium acriter ſtimulare ad virtutem, Sect.14.in cap.2.à n.4.vſque 7.*

Murmurabant aduerſus patremfamilias,

dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerũt, *&c. Murmur in Deum graue eſſe peccatum, Sect.10.in cap.2.à n.4.vſque finem.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Luc.8. *Qualiter Deus puniat contemnentes verba Prophetarum, Sect.15.in cap.2.n.7.8.& 9.*

Quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Conſtanter agere in aduerſis, Deo gratiſſimum, Sect.22.in cap.1.n.6.& 7.*

A ſollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur. *Proſperitas temporalis anima nociua, Sect.7.in c.10.à n.1.vſque 6. Rurſum multos à felicitate vinci, Sect.3.in cap.14. n.5.6.7. Item, de diuitiis ſuperbire, quàm inane, Sect.10.in cap.4.n.7.§.* Ecquis.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam. *Hic tractari poteſt ratione Saluatoris cum gaudio ad crucem pergentis, quomodo queat homo in tribulatione gaudere, Sect.5.in cap.5.à n.1.vſque 9.*

Ipſi autem nihil horum intellexerunt. *Plurimos nihil capere de vtilitate tribulationis, dicta Sect.5.n.9.*

Et clamauit, *ſupple cæcus*, Ieſu, fili Dauid, miſerere mei. *Multos laborare cæcitate ſpirituali, de remedio parum ſollicitos, Sect.4.in cap.11.n.15. 16.& 17.*

Ipſe verò multò magis clamabat, Fili Dauid, miſerere mei. *Non audiendos qui dehortantur à bono, Sect.7.in cap.2.n.1.2.3. Item perſeuerandum in oratione, Sect.19.in c.1.n.3.& Sect.5.in cap. 8.n.97.*

Nota, quandoquidem Euangelium hoc tempore Bacchanalium proponitur, vt diſcant mortales vitare malum, in quod incidimus per Adami inobedientiam & gulam, hic tractari poſſe, quod debeamus alieno periculo cauti eſſe, Sect.13.in cap.6.n.10.11.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum, vt tentaretur. *Omnibus iuſtis neceſſarias eſſe tentationes, Sect.8.in cap.12.n.2.& 3.*

Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, accedens tentator, dixit, *&c. In primo ingreſſu ad pietatem, hominem maximè tentari, ibid.n.4. Rurſum Chriſtum Dominum, ieiunium conſtituiſſe telum ſingulare aduerſus tentationes, Sect.5.in cap.12.n.4.5.*

Non in ſolo pane viuit homo. *Quotuplicem ſignificationem habeat in Scriptura vocabulum panis, Sect.6.in cap.2.n.1.*

Si filius Dei es, mitte te deorſum. *Nouellos in fide offendere, vindictæ eſt obnoxium, Sect.11.in cap.2.n.12.& 13.*

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. *Deum diligere ex toto corde, vtile etiam ad rem temporalem, Sect.26.in cap.1.per totum.*

INDEX PRO CONCIONIBVS.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Matth.17. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. *Celeſtis aliquando claritas in vultu Sanctorum apparuit, Sect.2.in cap.7.n.2.latè.*

Apparuerunt illis Moyſes. *Animas Beatorum in corpore proprio ad nos aliquando venire rebus diuinis, vel humanis adiuuandis, Sect.12.in cap.12.à n. 4.vſque 8.*

Reſpondens autem Petrus, dixit ad Ieſum: Bonum eſt nos hic eſſe. *Beatitudinis præmium ad ardua iuſtis calcar addere, Sect.14.in c.2. à n.5.vſque 7.*

Bonum eſt nos hic eſſe. *Præſentium amor homines ad deuia trahit, Sect.7.in c.10.n.1.2.3.*

Surgite & nolite timere. *Solemne eſſe diuinis ſpiritibus, iuſtos perplexos corroborare, Sect. 9.in cap.7.n.3.*

Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat. *Vanam gloriam fugiendam eſſe, Sect.5.in c.7.n.16.& 17.*

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Lucæ 11. Erat Ieſus eiiciens dæmonium. *Quid valeat in homines dæmonium Deo permittente vel puniente, Sect.13.in cap.6.n.3.4.*

Et illud erat mutum. *Diuerſa eſſe genera dæmoniorum, Sect.8.in cap.6.n.2.& 3.*

Et cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus. *Dæmonia eiicere ſignum eſſe miraculoſum veræ fidei, Sect.7.in cap.6.n.9. Rurſum, quibus mediis queant ab homine eiici dæmonia, Sect.7.in c.6. n.8.vſque finem.*

Quidam autem ex eis dixerunt, In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. *Inter dæmones ordinem aliquem ſeruari, Sect. 8.in cap.6.n.2. Rurſum, Chriſtum crebra & iniqua iudicia Phariſeorum ſubiiſſe, Sect.15.in cap.3.nu.5. Item, dæmones ligari poſſe, Sect.2.in cap.8.n.1.2.3.4.*

Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. *Quantum malum reincidere in peccata, Sect.5.in cap.14.n.5.6.7.8.& 9. Rurſum relapſos difficilius reparari, ibid.n.10.*

Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud. *Vnde contingat, quoſdam monita ſacra non curare, Sect.14.in cap.14.n.5.6.7.*

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Ioan.6. Cùm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, *&c. An ex corporis habitu, animus dignoſci queat, vide Sect. 3.in cap.7.à n.1.vſque 5.*

Vnde ememus panes, vt manducent hi. Hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. *Deus vt ſuis prouideat, rerum videtur immutare naturas, Sect.19.in cap.4.n.10.& 11.*

Quid hæc ſunt inter tantos. *Homines plerumque diffidunt circa vitæ neceſſaria, ibid.* §. Eamdem, *&* §. En multo.

Facite homines diſcumbere. *Cooperandum Deo, Sect.3.in cap.8.n.5.*

Vt autem impleti ſunt, *&c. Solicitudo ſuperuacanea à corde fidelium eliminanda, Sect.5.in cap. 6.à n.8.vſque finem.*

Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis. *Cur Deus ſuos viliori cibo paſcat, ibid.n.3.4.5.6.7.*

Fugit iterum in montem ipſe ſolus. *An fuga aliquando ſit laudabilis, Sect.*

Rurſum, Chriſtum fugiſſe, quòd eum non recta intentione quærerent, Sect.4.in cap.8.n.5. Iterum, Iudæis ſimiles eſſe fideles, qui gratias agunt Deo, cum placida omnia, Sect.10.in cap.14.n.12.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis arguet me de peccato? *Chriſtum hoſtes ſuos facere Iudices, vt teſtimonium haberet pro ſe validius, Sect.9.in cap.13.n.8.* Ioan.8.

Si veritatem dico, cur non creditis mihi? *Pſeudoprophetas malè veris proponi, Sect.6.in c.14. n.1.& 8.*

Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. *Iuſtos cenſuram impiorum non euadere, Sect.15.in cap.3.n.5.6. Et quàm temerè impij bonos iudicent, ibid.n.7. Rurſum, graue eſſe à ſuis irrideri, præſertim in cauſa religionis, Sect.12.in cap.2.n.3.4.5.vſque 11.*

Ego dæmonium non habeo. *Contumelias contumeliis non vindicandas, Sect.8.in cap.3.à n.1. vſque finem.*

Ego non quæro gloriam meam. Eſt qui quærat, & qui iudicet. *Animus cum Deo compoſitus quidquid eum afficit, tamquam dubium Dei iudicio relinquit, Sect.15.in cap.3.à n.1.vſque 5.*

Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. *A iactantia omnino cauendum, Sect.5.in c.7. n.16.& Sect 10.in c.4.n.7.*

DOMINICA IN RAMIS PALMAR.

Dicite, quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos. *Futura prædicere opus eſſe diuinitatis, Sect.6.in cap.14.n.2.3.4.& 5. Vide etiam, ſi placet, Diſcurſ.2.in 7.Decal.præcept.n.4. vbi reperies, quòd Chriſtus clarius ſeipſum reuelarit circa Paſſionem.* Matth.21.

Dicite, quia Dominus his opus habet, *&c. Deum inclinare corda hominum, quò vult, Sect.26. in cap.1.n.5.6. Rurſum, Deum non indigere operâ hominum ad conuertendos homines, Sect.27.in cap.1. n.5.latè.*

Hoc autem totum factum eſt, vt impleretur, *&c. Quare Dominus voluerit aſinam & pullum, dixi cit. Diſcurſu 2.n.4.5.*

Et adduxerunt aſinam & pullum. *Deus ſuæ voluntati obtemperanti facit & elementa, & creaturas irrationales ſeruire, Sect.28.in cap.1.n.9. & 10.*

Turbæ autem quæ præcedebant, & ſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna filio Dauid. *Chriſtum voluiſſe ab iis teſtimonium ſanctitatis*

tatis audire, à quibus crucifigendus, Sect.9.in cap.13. n.8. Rursus, vulgus esse mutabile, Sect.11.in c.5.n.11. vsque finem.

DOMINICA PASCHATIS.

Marci 16. Maria Magdalene, & Maria Iacobe, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. *Apud Iudæos aliquando in vsu fuisse cadauera vngere, & aliquando aromata in funere cremare, Sect.35.in cap.1.n.2.*

Et valdè manè vna Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. *Ad opus bonum festinandum esse, Sect.4.in c.2.à n.2.vsque 12.*

Et valdè manè, *&c. Prudentia opus esse in bono opere, Sect.5.in cap.2.n.3.& 4.*

Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti. *Constantiam in perplexitate esse laudabilem, Sect.22.in cap.1.n.6.7.& 9.*

Et respicientes viderunt reuolutum lapidem; erat quippe magnus valdè, *&c. Angelica ope difficultates tolli, Sect.1. in cap.6. n.6.7.8.& 9.*

Et introëuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertũ stola candida. *Angelos sese transformare in eas formas quas diuersitas officiorum requirit, Sect.3.in cap.5. n.3.& 7.*

Nolite expauescere. *Angelis solemne esse, instos perplexos corroborare, Sect.9.in cap.7.nu.3.* Iesum quæritis Nazarenum crucifixum. *Quo vsque se extendat Angelorũ scientia, Sect.7.in c.5.à n.2.& 3.*

Surrexit non est hic. *Deum subinde per Angelos homines instruere, Sect.8.in cap.14.n.11.*

Surrexit non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum. *Mysterium resurrectionis sola fide capi posse, Sect.9.in cap.6.n.4.& 9.10.*

DOMINICA I. POST PASCHA.

Ioan.20. Cùm esset sero die illa, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum. *Multi Sanctorum fugientes, & latebras quærentes non id timore mortis fecerunt, sed ne temere, & ante tempus, morti se offerrent, aut ne peccandi persecutoribus darent occasionem, vel vt saluti aliorum se conseruarent, Sect.39.in cap.1.n.1. 2.3.4. Rursum Sanctorum fugam à fortitudine & prudentia fuisse imperatam, constat, quia tempore opportuno mortem non timuerunt, ibid.n.5.*

Vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum. *Quia Discipuli (licet actum facerent prudentem, quia verè eos conseruari oportebat prædicationi & manifestationi nominis Christi per orbem propagandi) magis ex timiditate & formidine quadam imperfecta, quàm ex prudentia latebras quæsierunt; hic tractari potest aliquos iustè timere, aliquos verò, vbi non est timendum, Sect.8. in cap.7.n.5.6.7.& 8. Iterum neminem metu aliorum à recto tramite, vel latum vnguem posse discedere, Sect.7. in cap.2.n.4.5.6.7.*

Venit Iesus, & stetit in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis. *Qua de causa Christus pacis salutatione vsus, Sect.4.in cap.5.n.4.*

Deinde dicit Thomę, Infer digitum tuum huc, *&c.* & noli esse incredulus, sed fidelis. *Deum absentium quæuis dicta & facta non latere, Sect.2.in cap.4.à num.10.vsque 18. Rursum, quare Scriptura peccata Sanctorum non supprimat, Sect. 11.in cap.5.n.1.& 2.*

Beati qui non viderunt & crediderunt. *Mysteria fidei non esse scrutanda, sed credenda, Sect. 9.in cap.6.n.11.12.13.& 14. Rursum aliis profuisse dubitationem Thomæ, Sect.9.in cap.13.n.9.*

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum pastor bonus. *Quando necessum sit suas laudes narrare, Sect.2. in c.1.n.7. & Sect.1. in cap.9.n.14.§.Ac propterea.* Ioan.10.

Bonus pastor animam dat pro ouibus suis. *Qua intentione & fine, bonum opus aggrediendum sit, Sect.15.in cap.3.n.7. & Sect.4. in c.8. n.3.4.5. ac Sect.4.in cap.11.n.19.item Sect.7.in c.14.n.12.*

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas. *Quanta res sit inuigilare animarum saluti, Sect.29.in cap.1.à n.6.vsque finem, & Sect.3.in c. 9.n.5.6.*

Erit vnum ouile, & vnus pastor. *Vnam duntaxat esse fidem, quæ ad salutem ducat, Sect.8. in cap.14.n.12.§.Si autem.*

DOMINICA III. POST PASCHA.

Quid est hoc, quod nobis dicit modicum? Nescimus quid loquitur. *Scripturam esse difficilem intellectu, Sect.20. in cap.14.num.1.2.3. Vide etiam Sect.1.in idem cap.per totum.* Ioan.16.

Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare. *Deo cogitationes nostras esse prospectas, Sect.2.in cap.4.à n.10.vsque 18.* Plorabitis & flebitis vos. *Omnes Dei amicos tribulatione exerceri, Sect.8.in cap.12.nu.8.* Mundus autem gaudebit, *scilicet propter Christum occisum. An gaudere liceat quouis hoste prostrato, Sect.8.in c.8. n.1.2.3.* Tristitia vestra vertetur in gaudium. *Promissione Dei de felici successu, non eximere iustos à periculis & molestiis, intermediis. Sect.3.in cap.6. num.5.* Cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressurę propter gaudium, quia natus est homo in mundum. *An mascula proles gratior parentibus, quàm feminina, Sect.17.in c.1. n.1.2.* Natus est homo in mundum. *Homines non sibi, sed aliis nasci, in epist.dedicat. circa finem, & Sect.3.in cap.9.num.2.& 3.* Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Quomodo tribulati queant semper gaudere, Sect.5.in cap.5.per totum.*

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis. *Vtilia inquirenda esse, Sect.7.in cap.6.n.7.8.& 9.* Ioan.16.

Ego veritatem dico vobis, Expedit vobis vt ego vadam. *Tristes suauiter & consolandos & instruendos, Sect.12.in cap.5.n.3.4.* Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. *De qua re vtiliter quis tristetur, Sect.2.in cap.10.n. 4.5.6.7.8.* Veritatem dico vobis. *An prudenter*

veritas ſubinde non occultetur, Sect.9.in cap.5.n.1.2. Veritatem dico vobis. *Veritas varia ſignificat in ſacra Scriptura, Sect.7.in cap.14.n.5.6.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

Ioan.16. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. *Deum in afflictione orandum, Sect.5.in c.10.n.7.* Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. *Deus non auxiliatur, niſi precibus aduocatus, Sect.12.in cap.3.n.3. & 4. Cetera hic tractatu opportuna vide in Indice Diſcurſuum in precepta.*

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Ioan.16. Abſque Synagoga facient vos. *Raram eſſe fratrum gratiam & charitatem, Sect.16.in cap.2. n.2.3.4.* Vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. *Magna cacitas palam alios laceſſere, & nullum exiſtimare peccatum, Sect.4.in cap.11.n.15.* Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. *Multos ex ignorantia affectata aut craſſa, multos ex ſola malevolentia iuſtos odio habere, & perſequi, Sect.33. in cap.1.n.2.3.& 4.*

DOMINICA PENTECOSTES.

Ioan.14. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. *Filios in cauſa ſalutis magis Deum audire debere, quàm parentes, Sect.7.in cap.2. n.2.& 3. Rurſum, gaudendum eſſe de iuſtorum morte, Sect.18.in cap.14.n.17.*

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Matt.28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *Diuina myſteria non eſſe curiosè ſcrutanda, Sect.9.in cap.6.n.1.2.3. vſque n.9.*

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Lucæ 14. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. *Quando meritoriè extruantur conuiuia, Sect.1.in cap.2.n.1.vſque 7.* Villam emi, & neceſſe habeo exire. *Peſſimè præponi temporalia ſpiritualibus, Sect.19.in c.4.à n.4.vſque 10.* Alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire. *Prauam vxorem iuſto non eſſe impedimentum ſalutis, Sect.12.in cap.14.n.5.* Amen dico vobis, Nemo virorum illorum qui vocati ſunt guſtabunt cœnam meam. *Confeſtim diuina gratiæ reſpondere & auſcultare, omninò neceſſarium, ſepoſitis excuſationibus, Sect.4.in cap.2.n.9.*

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Lucæ 15. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. *Murmur in Deum, quàm ſit graue, Sect.11.in cap.5.n.11. Item, quia Phariſæi & Scribe ſine vlla exceptione vituperale exiſtimabant cum peccatoribus manducare, tractari hic poteſt, quàm deteſtabilis ſit lingua detrahentium, Sect.13.in c.6. n.9.* Quis ex vobis qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam? *Hic tractari poteſt tantum eſſe Chriſti amorem erga ſalutem peccatorum, vt propterea iuſtos diſpergat ad eorum ſalutem, Sect.4.in cap.13.à num.3. vſque 9.* Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. *Ex hoc patet euidenter verè iuſtos ob malorum conſortia non inſici, Sect.* Quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? *Hereticos non eſſe conſulendos de vera fide capeſſenda, ſed doctores orthodoxos, Sect.8.in cap.14.n.14.* Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. *Angelos exactiſſimè notare actus & bona opera, Sect.7.in cap.12.nn.2. & 3.*

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Lucæ 5. Præceptor per totam noctem laborantes, *&c. Humana media nihil proficere ſine auxilio diuino, Sect.6.in cap.10.à num.3. vſque 7.* In verbo autem tuo laxabo rete: & cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. *Humana præſidia non eſſe negligenda, etiamſi ſubeſſet diuina promiſſio, Sect.3.in cap.6.n.3. Rurſum, omnem fiduciam in Deo ponendam in quouis rerum articulo, Sect.19.in cap.4. n.9.10.& 11.* Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus, *&c. Deum ſubinde permittere iuſtos tedio affici, vt eorum probet reſignationem, amorem, & fiduciam in Deum, Sect.1.in cap.10.n.4.& 5.* Quod cùm vidiſſet Simon Petrus procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum Domine. *Multum mereri apud Deum ſeipſum deprimere, Sect.1.in cap.9.à num.14. vſque finem.* Exi à me quia homo peccator ſum Domine; ſtupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piſcium quam ceperant. *Hic tractari poteſt quantam Dei cognitio pariat humilitatem, Sect.10.in cap.12.num.3. & 4. Rurſum, quantum Chriſti & Sanctorum præſentia torquebit malos in iudicio, cùm Petrus ad vnum potentia diuina ſignum, & ſocij oppreſſos ſe agnoſcant à Chriſti maieſtate, ibidem num.5.& 6.* Et ait ad Simonem Ieſus, Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. *Deum per viles perſonas aliquando magna operari, eaſq; ad culmen euehere, Sect.1.in cap.12.n.11. Rurſum hic tractari poteſt de vtilitate hoſpitalitatis, quandoquidem Dominus Petrum vſque adeò remuneranit pro naulo tantillo hoſpitio, Sect.1.in cap.7.num.4.5.6.& 7.* Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum. *Deo vocanti illicò obtemperandum, Sect.4.in cap.2.n.2.*

DOMI-

INDEX PRO CONCIONIBVS.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Matth.5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Maiorem exigere Deum à Chriſtianis perfectionem, quàm Scribæ & Phariſæi ſectabantur, Sect.8. in cap.14. n.12. Rurſum, de qua iuſtitia loquatur hic Chriſtus, Sect.9. in cap. 14. num.1. & 3.* Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. *Quàm ira ſit execrabilis apud Deum, Sect.36. in cap.1. à num.1. vſque 5.* Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio. *Maledicentia quàm exitiale vitium, Sect.7. in cap. 3. à num.2. vſque 9.* Qui dixerit fratri ſuo Fatue, reus erit gehennæ. *Ex his manifeſtè conuincitur, iraſcentem fratri, in ordine ad homicidium, ſiue conuitio, ſiue contumelia, aut maledicto iram externè demonſtrantem, vel quod in idem recidit, vnam Dei legem violantem, damnationi obnoxium, Sect.7. in cap.14. n.11.* Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo. *Iram & indignationem animo retentam orationi magnum adferre impedimentum, Sect.1. in cap.3. n.4.* Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, *&c.* *Fortitudinem Chriſtianam conſiſtere in patienter ferendis contumeliis, Sect.8. in cap.3. n.7.8.9.*

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Marc.8. Cùm turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis ait illis: Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. *Perſeuerandum in bono, Sect.3. in cap. 14. num.8.11. & 12. & Sect.18. in cap.14. num.12.* Et reſponderunt ei diſcipuli ſui, Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? *Homines plerumque diffidere circa vita neceſſaria, Sect.19. in cap. 4. num.11. Et quàm imperitè, ibidem num.12.* Accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent; & appoſuerunt turbæ, *&c.* Et manducauerunt, & ſaturati ſunt. *Omnem diffidentiam eſſe deponendam, quia Deus vna menſura & pauperem, & copioſam familiam ſufficienter paſcit, Sect.5. in cap.6. num.8.10. & 11.* Et manducauerunt, & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas. *Deum ob perſeuerantiam in operibus bonis miracula operari, Sect.22. in cap.1. num.9. Vide ſi placet dicta in Dominica quarta Quadrageſima.*

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falſis Prophetis, *&c.* *Nouantium calumnias non eſſe curandas in rebus fidei, Sect.13. in cap.1. per totum.* Item, *hoc verbum* attendite, *non niſi ad res magnas vſurpari, Sect.8. in cap. 4. num.1.* Attendite à falſis Prophetis, *&c.* *Cauendum omnino à conſortio hæreticorum, vt hæreticorum, Sect.15. in cap. 4. num.2.* Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? *Quòd homo bonus à malorum ſocietate corrumpatur, Sect.2. in cap.5. num.1. & 2. & Sect.4. in cap.13. num.10. ac Sect.16. in cap.14. num.5.* Non omnis qui dicit mihi Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem, *&c.* *Bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, Sect.7. in cap.14. num.6. 7. & 8. & Sect.9. in idem cap.14. num.3.* Non omnis qui dicit mihi Domine, intrabit, *&c.* *Nihil boni facere, eſſe malum facere, Sect.3. in cap.9. ante n.4.* Non omnis qui dicit mihi Domine, *&c.* *Officium hominis Chriſtiani eſſe, vitare malum & facere bonum, Sect.4. in cap.11. num.7. & 8. Rurſus, fidelem à moribus iudicari, Sect.3. in cap.7. num.4.* Matth.7.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Iam non poteris villicare. *Deus aufert bona temporalia iis, qui in prauum vſum illa impendunt, Sect.7. in cap.10. num.6. vſque finem.* Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo, Quantum debes domino meo? At ille dixit, centum cados olei, dixitque illi: Accipe cautionem tuam, ſede citò, & ſcribe quinquaginta. *Prudentia carnis ſubtiliter quidem, nequiter tamen, & violatis iuſtitiæ legibus ad conſulendum ſibi, de alieno ludit corio, Sect.5. in cap.2. num.11.* Scio quid faciam vt cùm amotus fuero, *&c.* Tu verò quantum debes, qui ait: Centum coros tritici, ait illi: Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. *Infelix planè eſſe per fas & nefas ſibi conſulere, Sect.40. in cap.1. num.10.11.12. & 13.* Filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in ſua generatione ſunt. *Licet prudentia carnis & prudentia ſpiritus, non magis ſe inuicem compatiantur, quàm idolum Dagon & arca fœderis, tamen multi prudentiam carnis ſectantur, quam Chriſtus Dominus longè voluit à ſuis diſcipulis exulare, Sectione 5. in cap.2. num.12.* Ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. *An de alieno eleëmoſynam dare licitum, Sectione 3. in cap.4. num.1.3. & 5. vbi ſimul explicatur, cur diuitiæ* mammona Luæ 16.

appellentur iniquitatis. *Rursus, in vita beneſaciendum eſſe de bonis temporalibus, neque differendum vſque poſt mortem eleëmoſynas erogare, Sect.* 19. *in cap.* 4. *n.* 2. Vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Quare vtilius ſit eleëmoſyna homini iuſto impenſa, quàm peccatori, Sect.* 15. *in cap.* 4. *n.* 3. Recipiant vos in æterna tabernacula. *Quomodo eleëmoſyna à morte liberet, & faciat inuenire vitam æternam, Sect.* 5. *in cap.* 12. *à n.* 11. *vſque finem.*

DOMINICA IX. POST PENTEC.

Luc. 19. Cùm appropinquaret Ieſus Ieruſalem, videns ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens, ſi coguouiſſes & tu. *Lachrymas quæ procedunt ex compaßione erga proximum, eſſe vtiles, Sect.* 2. *in cap.* 10. *num.* 4. 5. Quia ſi cognouiſſes & tu. *Licitum eſſe precibus & ſanctis operibus auertere plagam, quam Dominus alicui ciuitati, aut genti inſinuat, Sect.* 5. *in cap.* 3. *n.* 2. *&* 3. Quia venient dies in te, *&c. Deum non punire gentem aliquam niſi præmonitam, Sect.* 5. *in cap.* 14. *n.* 11. *&* 12. Eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. *Salubria cogitare oportet, cùm intimantur mala, & patientiæ diuinæ habenda ratio, eadem Sect. n.* 13. 14. 15. *Rursum, omnia mala hinc oriri, quod vbi timendum eſt, non timeamus, Sect.* 8. *in cap.* 7. *n.* 6. *&* 7. Scriptum eſt, quia domus mea, domus orationis eſt. *Orationem publicam, quæ fit in Eccleſia, magis eſſe vtilem, quàm priuatam, quæ domi fit, Sect.* 5. *in cap.* 8. *n.* 4.

DOMINICA X. POST PENTECOST.

Luc. 18. Dixit Ieſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant, tamquam iuſti. *Magnam eſſe cæcitatem ſe iuſtum exiſtimare, Sect.* 6. *in cap.* 11. *n* 15. *& Sect.* 3. *in cap.* 3. *n.* 11. *&* 12. *quia alia Dei iudicia, alia hominum.* Duo homines aſcenderunt in templum, vt orarent, vnus Phariſæus, & vnus Publicanus. *Hic tractari poteſt, olim oraturos ſuperiora domus aſcendiſſe, & quare, Sect.* 20. *in cap.* 3. *num.* 7. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat, Deus tibi gratias ago quia non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, *&c. Quænam gratiarum actio Deo ſit accepta, Sect.* 13. *in cap.* 7. *num.* 6. Velut etiam hic Publicanus. *Seipſum magnificare cum alterius damno, impium, Sect.* 10. *in c.* 4. *n.* 3. *&* 7. Et publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. *Vilis de ſe ipſo exiſtimatio principium eſt exaltationis, Sect.* 10. *in c.* 4. *n.* 2. Sed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto, *&c. Nihil regerere in contumelia afficientem, Dei patrocinium aduocat, Sect.* 8. *in cap.* 3. *n.* 4. *&* 5.

Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo. *Deus in oratione non tam verba attendit quàm mentem. Ex quo contingit eum reiici, qui recto corde & pura intentione Deum non orat, Sect.* 7. *in cap.* 14. *num.* 12. *&* 13. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. *Superbia hominum & Angelorum fuiſſe & eſſe ruina oſtenditur, Sect.* 10. *in cap.* 4. *n.* 5. *Rursum, neminem quantumuis magnum apud Deum poſſe inuenire gratiam, niſi ſeſe humilies, ead. ſect. n.* 12. *&* 13. Et omnis qui ſe humiliat exaltabitur. *Qui de ſe humiliter ſentit, magni æſtimatur apud Deum, Sect.* 7. *in cap.* 8. *n.* 14.

DOMINICA XI. POST PENTECOST.

Exiens Ieſus de finibus Tyrij venit per Sy- Marc. 7.
donem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, & adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum. *Condolere tribulatis, res eſt magni meriti, Sect.* 34. *in cap.* 1. *n.* 1. 2. 3. *Rursum, verus amicus & iuſtus proprium eſſe pro quibuſuis afflictis dolere, Sect.* 11. *in cap.* 11. *n.* 3. *&* 4. Et deprecabantur eum vt imponat illi manum. *Orationē aliorum nobis ſæpè eſſe neceſſariam, Sect.* 5. *in c.* 8. *n.* 5. Et apprehendens eum de turba ſeorſum. *Neceſſarium eſſe reſipiſcentibus à turba aliquantiſper declinare, Sect.* 20. *in cap.* 3. *n.* 5. *&* 6. Et apprehendens eum de turba ſeorſum. *Noxium eſſe viuere cum peccatoribus, Sect.* 2. *in cap.* 5. *n.* 2. Miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & ſuſpiciens in cælum, ingemuit. *Nullus verè ſperantium in Deum decipitur, etiam in rebus maximè deſperatis, Sect.* 9. *in cap.* 12. *n.* 6. *Item, lachrymas, & ſuſpiria, quæ à viris iuſtis emittuntur ob peccata aliorum, eſſe admodum vtilia.*

DOMINICA XII. POST PENTEC.

Luc. 10. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. *Diligere Deum ex toto corde non ſolùm gratiam promereri apud Deum, & ſalutem, ſed etiam cumulatam compenſationem in temporalibus, Sect.* 26. *in cap.* 1. *n.* 1. 2. 3. 4. Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus. *Acceptionem perſonarum Deo eſſe ingratam, cùm quis noſtro auxilio indiget, Sect.* 4. *in cap.* 4. *num.* 7. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum, & videns eum, miſericordia motus eſt. *Inimicis benefaciendum eſſe, Sect.* 12. *in cap.* 4. *à num.* 7. *vſque finem.* Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. *Hic tractari poteſt, cuique animi infirmitati in Scriptura conueniens eſſe remedium, Sect.* 6. *in cap.* 11. *n.* 12. 13. *&* 14. *vbi hic locus adducitur.* Alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. *Ex hoc firmari poteſt, Superioribus ineſſe debere, & iuſtè conſolantem miſericordiam, & piè ſaluientem diſciplinam, dum ſubditorum volunt curare vulnera, Sect.* 4. *in cap.* 10. *à n.* 2. *vſque* 9. *Rursum, cùm proximus noſtra opera eget non tranſeundum, ſed feſtinãdum eſſe, ne alius nos præueniat, Sect.* 12. *in c.* 4. *n.* 6. *& Sect.* 4. *in* 4. *n.* 7. *& vide Chryſoſt. orat.* 5. *contra Iudæos alicubi in hoc opere citatum, quin etiam*

etiam diſcurſ.7.prauium in 4.precept. n.3. vbi exemplo Samaritani vrget aliospraeuenire in curatione proximi.

Et imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum,& curam eius egit. *Deo motore non fortè fortuna contingit aliquem ad medelam proximi promptum adeſſe, Sect.8.in c.11.n.3.*

DOMINICA XIII. POST PENTEC.

Lucæ 17. Cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longe. *Hic tractari poteſt, quod ſicut leproſi expræſcripto veteris legis ab hominum conſortio abſtinere iubebantur in ſignum quod à ſpiritualis leprae ſeu peccatorum conſortio cauendum eſſet, impiorum conſuetudinem eſſe admodum periculoſam, Sect.8.in cap.1.à n.5.vſque 7.* Et leuauerunt vocem ſuam dicentes, Ieſu præceptor miſerere noſtri. *Plurium preces ſimul conſpirantes eſſe perquam vtiles, Sect.5.in cap.8.n.3.& 4.* Quos vt vidit, dixit, Ite oſtendite vos Sacerdotibus: & factum eſt, dum irent, mundati ſunt. *Peccata quantumuis grauia, ad pœnitentiam delet Deus, Sect.15.in c.2. n.6. Rurſum, peccatores ſerio ſeſe debere conuertere, ſi miſericordiam Dei velint conſequi, Sect.6.in cap.13. n.12.* Vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce, magnificans Deum, & cecidit in faciem ſuam ante pedes eius gratias agens: & hic erat Samaritanus. *Quam neceſſarium magno beneficio obtento, Deo gratias agere, Sect.2.in c.12.n.4.5.6.* Reſpondens autem Ieſus dixit: Nónne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? *Chriſtum conqueri de gratiarum actione neglecta, & quàm id pernicioſum, eadem ſect.n.7.8.9.*

DOMINICA XIV. POST PENTEC.

Matth.6. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget. *Impoßibile eſſe placere Deo & hominibus, Sect.20. in cap.14.n.3.& 6. Rurſum Deum quarere fidelem integrum, non diuiſum, Sect.19.in c.4.n.13. Item, ſtatus politici conſeruandi cauſa, non licet Dei mandata praeuaricari, Sect.9.in cap.1.à num.2.vſque 7.* Aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. *Tobias, Iudith, Daniel, aliiq; viri ſancti à cibis Gentilium abſtinuerunt, ne Deo ſeruirent & idolis, Sect. 24.in cap.1.à n.2.vſque finem. Rurſum, Apoſtolus ob hanc cauſam etiam nimium affectum reſecauit erga vxorem, Sect.12.in cap.6.n.9.* Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. *Auaritia, quam Apoſtolus vocat, idolorum ſeruitutem, ſcopulus eſt naufraganda ſalutis, Sect.32.in cap.1.n.6.7.* Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis; neque corpori veſtro, quid induamini. *Sollicitudo ſuperuacanea eliminanda, & quare, Sect.5.in cap.6.à n.8. vſque finem, vbi praecipuae rationes à Chriſto adductae in hoc Euangelio explicantur.* Scit enim Pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indigetis. *Diffidentiam omnem à nobis arcendam, & quare, Sect.19. in cap.4.n.11. & 12.& Sect.5.in cap.6.n.7.& 8.* Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. *Caleſtia quaerenti non deerunt temporalia, Sect.26.in c.1.n.8.9.10. & Sect.19.in cap.4.n.4.8.& 9.ac 14.*

DOMINICA XV. POST PENTEC.

Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: Lucæ 7.
& ibant cum illo diſcipuli eius, & turba copioſa. *Quia Euangeliſta docet Chriſtum ſecutos eſſe prius diſcipulos, & poſtea turbam copioſam, videlicet eorum exemplo, hic tractari poteſt, maiorum exempla, quanta ſint virtutis, Sect.1.in cap.5.à n.4.vſque* 11. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, *ſcilicet ſepeliendi cauſa. Priſcis patribus magnam fuiſſe curam ſepulchri, & quare, Sect.3.in cap.2.n.1.& 2. Rurſum cauendum ne ob peccata honore ſepulchrali careamus, ibid.n.6.* Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ. *Iuſtos praematura morte è vitis eripit quandoque Deus, & quare, Sect.14.in cap.6.à n.1. vſque 4.vbi tres eius rationes traduntur.* Filius vnicus matris ſuæ. *Cùm hic in adoleſcentia vitam finierit, meritò incertitudo mortis vnicuique ante oculos ponenda, maximè cùm infinitos habeat aditus, Sect.14.in cap.6.à n.8.vſque finem. Rurſum hic tractari poteſt, mortem repentinam inter voluptates eſſe amariorem, Sect.4.in cap.11.n.4. Et iterum, aſſiduam mortis cogitationē viam ſtruere ad bene morendum, Sect.41.in cap.1.n.7. & Sect. 18.in cap.14.n.8. Denique moriendum eſſe, quando Domino placet, qui nullam aetatem reſpicit, ead.ſect. n.5.6.& 9.* Et hæc vidua erat, *&c.* Quam cùm vidiſſet Dominus; miſericordia motus ſuper eam dixit illi, Noli flere. *Compati tribulatis, opus pium viris familiare, Sect.34.in cap.1.à n.1. vſque 4. Rurſum, gaudendum eſſe de iuſtorum morte potiùs quàm intemperanter flendum, Sect.18.in cap. 14.à n.16.vſque finem.* Adoleſcens tibi dico, Surge; & reſedit, qui erat mortuus. *An beneficium ſit reſuſcitari ad hanc vitam mortalem, Sect. 12.in cap.12.n.2.* Accepit autem omnes timor, & magnificabant eum dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis. *Hic tractari poteſt, quantam Dei cognitio pariat humilitatem, Sect.10.in cap.12.à n.3.vſque 6.*

DOMINICA XVI. POST PENTEC.

Cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam Lucæ 14.
Principis Phariſæorum. *Prauitas malorum non contaminat niſi volentem; proinde non excuſat inter malos peccantem: quia ignauia ſua id aſcribere debet, maximè cùm viri ſancti innocentiam inter eos ſeruarint, Sect.22.in cap.1.num.13.vſque finem. Rurſum, quibus de cauſis ſoleant inſtrui conuiuia, Sect.2.in cap.2.n.1. & Sect.1.in cap. idem n.2.3. 4.& 5. Iterum, reprehenſibiles eſſe, qui vitioſos homines ad conuiuium vocant, ibid.n.6.& 7.* Sabbatho manducare panem. *Cur in die feſto apud Hebraeos*

Hebræos inſtrui ſolita, ibid.n.9. Rurſum, quid ſignificet manducare panem, Sect.6.in cap.2.n.1. Et ipſi obſeruabant eum. *Quænam obſeruatio erga proximum licita & illicita, Sect.7.in cap.12.n.8.& 9.* Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum: & reſpondens Ieſus dixit ad Iuriſperitos & Phariſæos, dicens: Si licet Sabbatho curare? *Cur Deus aliquando interrogatione vſus, Sect.7.in cap.6.n.9.* At illi tacuerunt, ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit. *Deum vbique præſentem cogitationes noſtras non latere hic opportunè tractari poteſt, quia Chriſtus ſciens cogitationes Phariſæorum proceſſit ad curandum hydropicum in ſabbatho, Sect.6.in cap.4.n.11.& 17.* Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur. *Vide dicta ad hæc verba Domin.X.poſt Pentecoſten.*

DOMINICA XVII. POST PENTEC.

Matth.22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Vide dicta ad hæc verba Dominica XII. poſt Pentecoſten.* Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Paucißimos hanc legem obſeruare, Sect.12.in cap.4.n.4.5.6.* Congregatis autem Phariſęis, interrogauit eos Ieſus dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt. *Quandoquidem Phariſæi maligno animo Chriſtum interrogarent, eum tentantes, quod eſſet mandatum magnum in lege, & Chriſtus aliam quæſtionem ipſis præpoſuerit, qua magis confuſi ipſum non ſolum purum hominem & Deum agnoſcere tenebantur, tractari hic poteſt, eos qui prauo animo alios conſulunt, veritatem ipſam ſæpè non aſſequi, Sect.18.in cap.4.n.4.*

DOMINICA XVIII. POST PENTEC.

Matth.6. Aſcendens Ieſus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam, & ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. *De aliorum malo auertendo curam gerere, Deo perquam charum, Sect.2.in cap.3.à n.4.vſque finem. Rurſum hic tractari poteſt, quod optans à ſe depelli malum, non reſiſtat Dei voluntati, ſed culpæ, vnde malum prouenit, Sect.12.in cap.3.n.7.& 8.* Videns autem Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Hic tractari poteſt, quibus peccatoribus oratio iuſtorum ſit proficua, Sect.5.in cap.8.n.6.7.& 8.* Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Fiduciam in Deo eſſe neceſſariam, Sect.4.in cap.11.n.11.* Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. *Quid ſit blaſphemia, & quàm grauiter à Deo puniatur, Sect.35.in cap.1.per totum.* Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris. *Omnia Deo aperta eſſe etiam abditißimas cogitationes, Sect.2.in cap.4.n.17.& 18.* Videntes autem turbæ, timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. *Timere Deum, aliquando idem ſignificare, quod admirari, Sect.18.in cap.1.n.2. Rurſum glorificare Deum, ſubinde ſignificare gratias agere, Sect.8.in cap.11.n.1.*

DOMINICA XIX. POST PENTEC.

Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, *&c.* Matth.22. *Conuiuium nuptiale apud omnes gentes vſitatum, Sect.13.in cap.7.n.1.* Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum miſit alios ſeruos dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui; tauri mei & altilia mea occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. *Varia allegari hic delitioſa cibaria, inſinuat gloria cæleſtis voluptates tantas eſſe, vt omnem delectationem terrenam ſuperent, Sect.14.in cap.2.n.6.& Sect.10.in cap.13.n.8.9.10.ac Sect.18.in cap.14.num.19.circa finem, vbi docetur, gloriam cæleſtem pretioſis rebus æſtimari, vt liqueat, quantum poßibile eſt, illam gloriam maiorem eſſe, quàm vlla ſimilitudine queat explicari.* Ecce prandium meum paraui, *&c. Hic per modum digreſſionis diſcuti poteſt, an delitioſa conuiuia inſtruere, expediat Reipubl. Sect.9.in cap.8.à n.5.vſque 13.* Illi autem neglexerunt, & abierunt; alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam. *Vide dicta Dominica II.poſt Pentecoſten. Rurſum, quàm damnoſum ſit, Prophetarum ac ſeruorum Dei, dicta contemnere, Sect.14.in cap.14.n.3.4.5.* Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. *Malenolentia infectatur viros iuſtos gratis, Sect.33.in c.1.n.3. Rurſum Chriſtum, eiuſq; diſcipulos à contubernalibus maximè paſſos. Sect.13.in cap.2.n.3.& 4.* Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum ſuccendit. *Dei ira quomodo tandem ſæuiat in contemptores Prophetarum, Sect.15.in cap.2.n.7.& 8. Rurſum peccata cauſare ſtrages, Sect.4.in cap.13.n.14.& Sect.8.in idem caput, n.3.& 4.* Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? at ille obmutuit. Tunc dixit Rex: Ligatis manibus, *&c. Bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, Sect.7.in cap.14.n.6.7.8.& Sect.9.in idem cap.n.3.* Mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. *Quænam erunt pœna infernales: & quantum illæ percellere debeant peccatores, Sect.6.in cap.12.n.18.& 20.* Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. *Hic tractari poteſt, licet hæc verba vera ſint reſpectu totius vniuerſi, omninò credibile eſſe maximam partem Catholicorum ſaluandam, Sect.10.in cap.13.n.6.*

DOMINICA XX. POST PENTEC.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Ioan.4. *Hic tractari poteſt, iuſtos coram Deo magnos dici, virtute autem infirmos, paruos vocari, Sect.2.in cap.1.n.5.* Hic accedit Toletus, qui cum Ioan.4. dubium poſuiſſet, an Gentilis eſſet,

eſſet, an Iudæus hic regulus, ſubiungit: Hinc deduci poteſt, quàm parui momenti ſit apud Deum nobilitas & diuitiæ, quando deeſt fides & Dei gratia. *Ecce hic regulus & diues, ſed modica fidei, quis & qualis fuerit, ignoratur.* Hic cùm audiſſet, quia Ieſus veniret à Iudæa in Galilęam, adiit ad eum, & rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius; incipiebat enim mori. *Regulus hic oblatam ſibi magni boni occaſionem, quam ex fama aduentus Chriſti perceperat, noluit praterire (Chriſtus enim ex miraculo facto in Cana, & ex iis quæ fecerat tempore Paſchæ Ieruſalem, celebris erat, & magna pollere virtute credebatur) Sect. 7. in cap. 7. n. 4. vbi docetur, viros pios fuiſſe familiare alicuius boni occaſionem non negligere.* Abiit ad eum, & rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius. *Hic tractari poteſt, quòd regulus licet imperfectioris fidei ad Deum recurrerit, non ad veridicos, aut ad ſuperſtitioſas mulierculas, quod illicitum & infauſtum, Sect. 7. in cap. 11. n. 6. 7. 8. & 9.* Dicit ad eum regulus, Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. *Nimius amor erga proles multis modis eſt noxius, & prolibus, & nimium amanti, Sect. 11. in cap. 5. n. 4. & 5. vti & huic regulo, qui imbecillitatem fidei ſuæ manifeſtat, cùm ex nimio amore erga filium, ſollicitat Chriſtum, vt citò deſcendat, ne interim filius eius moriatur, quaſi ſi moreretur, iam amplius à Chriſto ſanari non poſſet, vnde inquit Chryſoſtomus hom. 34. in Ioan.* Regulus filij dolore affectus, non multum tunc Ieſu verbis attendit; ſed in ſolius filij cura verſabatur, poſtmodum ea reputaturus, Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. *Licet Deus non ſtatim petitioni noſtræ annuat, tollerandam eſſe cum patientia, Dei viſitationem exemplo aliorum, qui plura & diu paſſi, ad illicita remedia non confugerunt, Sect. 7. in cap. 11. n. 10. &* 11. Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. *Solent parentes aliqui ob incredibilem in filios amorem, licet perperam, non modò quibuſuis diffidere medicis, ſed & quoſlibet compellare ſuperſtitioſos, ne filij moriantur; quod minimè Chriſtianum eſt, eadem Sect. 9. n. 11. 12. & 13. vbi oſtenditur, quàm id inſulſum & damnoſum.* Dicit ei Ieſus, Vade, filius tuus viuit. *Oſtendit Chriſtus filium miraculosè ſanari:* Non enim, *inquit Chryſoſt. loc. cit.* per ſucceſſionem & diuturnitatem conualetudinis, vt aſſolet, liberatus eſt; ſed repentè, ne naturalis valetudo, ſed Chriſti operatio videretur. *Ex quibus ratione dignoſcere licet, quando curatio cenſeatur miraculoſa, Sect. 6. in cap. 11. n. 10.* Vade, filius tuus viuit. *Moralis cauſa à D. Gregorio homil. 28. in Euangelia datur quare Chriſtus ad Centurionem Matth. 8. accedere pollicebatur, & huic regulo roganti vt deſcenderet, non annuerit, vt daret nobis exemplum in benefaciendo conſiderandam eſſe Dei imaginem in homine, cui benefacimus, vt propter Deum operemur bonum. Sunt enim multi qui nobilitate, aut diuitiis, aut dignitate hominum mouentur, vt pro eis aliqua operentur: at Dominus hæc negligens noluit ire cum eo, ne quia regulus erat, id facere videretur. Vnde liquet, religionem noſtram perſonas noſtras non accipere, & ſummam apud Deum nobilitatem eſſe, clarescere virtutibus, Sect. 2. in cap. 1. n. 2. &* 5. Cognouit ergo Pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus: Filius tuus viuit. Et credidit ipſe, & domus eius tota. *Cùm ex ſeruorum reſponſione cognouiſſet hora ſeptima febrem filium reliquiſſe, qua hora Chriſtus dixerat regulo,* Vade, filius tuus viuit, *credidit ipſe in Chriſtum, nec ſolus ipſe, ſed etiam domus eius tota, fortè ipſo adlaborante, quod familiare colligitur in Scriptura primò conuerſis, Sect. 4. in cap. 14. n. 10. 11. &* 12. Et credidit ipſe, & domus eius tota. *Aut fortè docetur ex hoc, quantum importet fides & boni mores maiorum, quod facile inferiores eos ſequantur, quandoquidem conuerſo patrefamilias tota ſimul eius domus conuerſa eſt, Sect. 1. in cap. 5. n. 4. 5. & 6.* Credidit ipſe, & domus eius tota. *Hinc videre licet tribulationis bonum, & Deum temporalia mala permittere, vt maiora bona accumulet. Infirmatur enim filius vſque ad mortem diuino conſilio, vt occaſio potioris ſalutis fieret familiæ vniuerſæ, Sect. 18. in cap. 3. n. 5. & Sect. 2. in cap. 13. n. 5.*

DOMINICA XXI. POST PENTEC.

Procidens autem ſeruus ille, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. *Tantam eſſe Dei miſericordiã, vt plura largiatur, quàm homo petat, Sect. 10. in cap. 11. n. 7. & Sect. 2. in cap. 14. à n. 1. vſque* 5. Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et procidens conſeruus rogabat eum dicens: Patientiam habe, *&c.* Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. *Fruſtra nos veniam à Deo petere, cùm iram in proximum conſeruamus, Sect. 1. in cap. 3. n. 4.* Tunc vocauit illum Dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam omne debitum dimiſi tibi, *&c.* nónne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, *&c.* Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. *Quantam Dei indignationem incurrant qui inopes duris & contumelioſis verbis excipiunt, Sect. 4. in cap. 4. n. 4. Item quantis malis ſe involuant, qui pauperes debitores, cùm ſoluendo non ſunt, rigidè & inhumanè ad ſolutionem compellunt, ibid. n. 5. &* 6. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, *&c. Durius à Deo puniri in peccata relabentem, Sect. 5. in cap. 14. n. 6. 7. 8.* Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. *Iudicium ſine miſericordia expectare debet, qui fratri miſericors non eſt, Sect. 12. in cap. 4. num. 7. 8. &* 9.

Matth. 18.

DOMI-

DOMINICA XXII. POST PENTEC.

Matth.22. Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſermone. *Cùm ſua auctoritate Phariſæi Dominum perterrefacere non poſſent, & ab eo ſæpe varias parabolas notari aduerterent, ac ſignificari pro Iudæis gentes ad gratiam Euangelicam admittendas, nec tamen manus illi iniicere auderent, conſilium inierunt, vt proprio ſermone illaqueatum deferrent, aut captum opportunè traderent principatui & poteſtati Præſidis Pilati, ſine cuius auctoritate & ſententia non poterant deſideratam illi mortem inferre. Ex quo dignoſcitur, odio laborantem animum, non facile ſanari, Sect.12. in cap.4. nu.3. Et, vt inquit Auctor Oper. Imperf. homil.42. in Matth.* Quemadmodum ſi aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, ſi vna ex parte excluſa fuerit aqua, violentia aliunde ſibi ſemitam rumpit: ſic & eorum malignitas ex vna parte confuſa, aliunde ſibi aditum inuenit. Sicut enim non poteſt fieri, vt ligna mittendo extinguas ignem; ſic non poteſt fieri, vt rationem dicendo places hominem malum. Sicut enim ignis quantò amplius ligna ſuſceperit, in maiorem flammam erigitur: ſic animus malus quanto magis veritatẽ audierit, eo amplius, in malitiam excitatur.

Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis. *Cùm à ſapientibus conſilium quærere deberent, ad Herodianos confugiunt. Infeliciter procedit, qui imprudenti conſilio vtitur, Sect.17. in cap.4. ante n.10. §. hinc perquam.* Vidiſti, *inquit Auctor Oper. Imperf.* aliquando euntem ad furtum, Deum orare, vt benè proſpereretur in furto? Aut qui vadit ad fornicationem, numquid ſibi ſignum crucis ponit in fronte? vt non comprehendatur in crimine? Quod ſi fecerit, non ſolùm non adiuuatur, ſed & adhuc amplius traditur: quia neſcit iuſtitia Dei patrocinium dare criminibus. Sic & iſti Chriſtum expugnare cupientes, conuenienter non ad ſeruos Dei, viros religioſos, ſed ad Gentiles, id eſt Herodianos ſe contulerunt. *Quos videlicet Phariſæi cum diſcipulis miſerunt, vt vtrumnis Dominus reſponderet, ad proponendam quæſtionem de tributo ſoluendo, eſſent, qui illum calumniari, & accuſare poſſent, aut Phariſæi apud populum, aut Herodiani apud Pilatum.*

Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum. *Adulari nouerunt, qui alijs inſidias ſtruunt, Sect.4. in cap.11. n.16.* Dic ergo nobis: quid tibi videtur: Licet cenſum dare Cæſari, an non? *Inquiſitiones rerum diuerſas fieri à iuſtis, diuerſas ab impijs, Sect.8. in cap.14. n.1. Rurſum, pietatem apud aulicos exulare, qui nihil intentatum relinquunt, vt proprio honori conſulant, Sect.38. in cap.1. n.10. & 11. Hac ratione Herodianorum, qui Cæſari fauebant.* Cognita autem Ieſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? *Hominum dicta & facta Deum non latere, Sect.2. in c.4. à n.12. vſque 15.* Tunc ait illis: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. *Cùm ſola quæſtio eſſet de danda Cæſari pecunia, eamq; fatentur miſsi à Phariſæis, eſſe eius numiſma; reſpondit Chriſtus, mirum non eſſe, ſi Cæſari reddant, quod ab eo acceperunt. Item cenſus ſolutionem non eſſe contrariam his quæ debentur Deo. Ex quibus patet, quomodo impiorum conſilium illudat Deus, Sect.18. in cap.4. n.8.9.10. Item cum fatuis conſilium non habendum, Sect.16. in cap.4. num.8. & 9. Rurſum, eos qui animo ficto & vafro tale reſponſum audire, quale ipſorum immunditia ac ſcelera merentur, Sect.17. in cap.4. n.4.* Et quæ ſunt Dei, Deo. *Ad Regem non ſpectare negotium religionis, Sect.9. in cap.1. n.2. & 4.*

DOMINICA XXIII. POST PENTEC.

Ecce Princeps vnus acceſſit ad Ieſum, & Matth.9. adorabat eum dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt. *Mors diuerſimodè, & repentinè homines aggreditur, Sect.14. in cap.6. n.6.7.8. & 9.* Sed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. *Quid ſignificet, imponere manum, Sect.3. in cap.13. n.1. & 2.* Et cùm veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dixit: Recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit: & deridebant eum. *Prophetæ, Chriſtus, & Apoſtoli frequenter irridebantur, Sect.11. in cap.2. n.9. Rurſum, an gratis irrideantur viri ſancti, ead. ſect. per totum.* Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & ſurrexit puella.

DOMINICA XXIV. POST PENTEC.

Cùm videritis abominationem deſolatio- Matth.24 nis, tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. *Quando decorum fugere perſecutores, Sect.39. in cap.1. n.1.2. & 3. & vide dicta de hac re Dominica I. poſt Paſcha.* Orate, vt fuga veſtra non fiat in hieme, vel in Sabbatho. *Quæ monita tepidis conueniant, Sect.30. in cap.1. num.4.* Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet. *Mirabilis eſt vindicta Dei in peccatores, Sect.3. in cap.13. n.3.4. & 5. & Sect.6. in idem caput, n.4. vſque 8. Rurſum, Deum per improbam voluntatem malorum ſuam implere, Sect.10. in cap.3. n.4. & 5.* Sed propter electos breuiabuntur dies illi. *Preces & lachrymæ iuſtorum plurimum valere ad aliorum conſeruationem, Sect.7. in cap.8. n.1.*

Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. *Conſtantiam & perſeuerantiam homini neceſſariam eſſe ad ſalutem, cùm periculum fidei imminet, & ad quamuis virtutem, maximè cùm inter prauos verſamur, Sect. 22. in cap.1. n.6.7. & 12. ad 13.*

Sequitur

Sequitur materia pro Concionibus Feſtorum totius anni.

IN FESTO S. ANDREÆ.

Ad Euangelium.

Matth. 4. AMbulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres; Simonem qui vocatur Petrus, &c. mittentes rete in mare (erant enim piſcatores,) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. *Deum per viles perſonas aliquando magna operari, eaſq; ad culmen euehere, Sect. 1. in cap. 12. n. 11.* At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum. *Deo vocanti illicò obtemperandum, Sect. 4. in cap. 2. n. 2. & Sect. 4. in idem cap. n. 3. & 4. Rurſum, quem regnum cælorum etiam pauperem bona voluntate lucrari poſſe, Sect. 4. in cap. 11. n. 6. 8. 9. 10.*

Ad hiſtoriam S. Andreæ.

Hiſtoria. *Diuerſis nationibus D. Andreas prædicauit Euangelium, Scythis, Sogdianis, & Sacis, & Aethiopibus; quin etiam Euangelij lumine illuſtrauit Capadociam, Galaciam, Bythiniam, quemadmodum diuerſi Auctores atteſtantur.* Morale. *Salutem aliorum procurare, eſſe opus diuinum, Sect. 29. in cap. 1. n. 6. 7. & 8. vbi etiam oſtenditur ingens præmium manere alios ſaluantes.*

Hiſtor. *Cùm S. Andreas Corinthi degeret inuiſit eum Nicolaus quidam grandeuus, faſſus eidem ſe quatuor & ſeptuaginta totos annos Veneris fuiſſe mancipium, nulli non vitio non aſſuetum, ſe Euangeliorum codice inſtructum, lupanar ingreſſus à femina, cum qua peccare decreuerat abductum, atque hanc prorſus territam, rogaſſe hominem, ne ſe contingeret, neque ſuam cellam meritoriam ſubiret, quod in eo quædam mirabilia plenaq; myſterijs notaret. Tum dein Nicolaus S. Andream precatus eſt, vt huic infirmitati tantæ, & conſuetudini inueteratæ remedium quoddam præſcriberet. Cumq; ſanctus Apoſtolus ad precandum ſe compoſuiſſet, & quinque totos dies ieiunus exegiſſet, Dominumq; oraſſet, vt illi miſero ſeni, peccatorum veniam, donumq; caſtitatis impertiret, audiit haſce voces cælo demiſſas. Ego tibi quodcumque pro ſene petiiſti liberaliter concedo, ſed volo, vt quemadmodum tu pro illo ieiunaſti, ſic etiam ieiunet, ſuumq; corpus affligat, ſi fieri ſaluus deſiderat.* Morale. *Vnius iuſti preces apud Deum valdè eſſe efficaces, Sect. 6. in cap. 12. num. 5. & 6. Rurſum Deum requirere noſtram cooperationem, Sect. 5. in c. 8. n. 6.*

Hiſtoria. *Abdias in vita S. Andreæ refert S. Andream impediuiſſe matrimonium in proximo conſanguinitatis gradu contrahere, quod quidam meditabantur, vt in eorum familia facultates & memoria conſeruarentur, eoſdemq; ad pœnitentiam adhortatum eſſe, quod eiuſmodi cogitatione peccaſſent.* Morale. *Matrimonia nulla eſſe valida, quæ contra impedimenta dirimentia contrahuntur, Sect. 12. in cap. 7. num. 2. & 3.*

Mauden in Tob.

Hiſtor. *Cùm glorioſus Apoſtolus alias prouincias ſupra memoratas, Euangelij luce colluſtraſſet, conceſſit Patras, vrbem prouinciæ Achaiæ, vbi radios Euangelij diffundere & animos ab Orci tyrannide cœpit vindicare. Cognouit id fortè quidam Proconſul Aegeas, qui variis technis, tormentis, & mortis generibus perſuadere nitebatur, Chriſtianis ſuos Deos adorare, ſed S. Andreas pro religione ad foces & aras conſtans liberè ſeſe oppoſuit.* Morale. *Minas infidelium non eſſe curandas, Sect. 7. in cap. 2. à n. 5. vſque 8.*

Hiſtor. *Apoſtolus etiam cum magno affectu crucem ambiuit.* Morale. *Sanctos anhelaſſe ad tormenta, Sect. 5. in cap. 5. n. 2. 3. 4.*

Hiſtor. *Corpus S. Andreæ collegit ſancta, diues, princepſq; matrona nomine Maximilla, collectumq; honorificè pretioſis, & fragrantibus vnguentis delibutum ſepeliuit.* Morale. *Cur tantopere priſci curarint ſepulturam, Sect. 3. in cap. 2. n. 1. & 2. Sepulturam iuſtorum quanti faciat Deus, Sect. 13. in cap. 14. n. 21. 22. 23.*

Hiſtor. *Cùm Aegeas id intellexiſſet, idipſum vindicaſſet, niſi inter alia populi ſeditionem veritus fuiſſet.* Morale. *Quantum ſcelus ſit, in defunctorum cadauera ſæuire, Sect. 37. in cap. 1. n. 1. 2. 3. 4.*

IN FESTO S. NICOLAI.

Ad Euangelium.

Matth. 25. Homo quidam peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij autem vnum, vnicuique ſecundùm propriam virtutem, &c. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. *Deus hominibus dona ſua largitur in vtilitatem publicam, Sect. 3. in cap. 9. n. 2. 3. & 4.* Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo. *Iuſtorum eſſe proficere in virtute, Sect. 3. in cap. 14. n. 2. 3. 4. 8.* Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui. *Gratiam acceptam otioſam & inutilem retinere, condemnationis mereri ſententiam, Sect. 3. in c. 9. ante n. 4.* Euge ſerue bone & fidelis: quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. *Præclaris actionibus competere coronam gloriæ, Sect. 14. in cap. 14. n. 11. & 12.*

Ad hiſtoriam vitæ S. Nicolai.

Magnus Nicolaus ſimul atque in hanc lucem fuit editus, oſtendit indicijs ſe à Deo eſſe electum, qui mox vt viuere, ſimul etiam eumdem colere cœpit; & ſimul atque cœpit manducare, cœpit & ieiunare. Nam quamuis omnibus aliis diebus lac vberibus exſuxerit ſæpius, tamen die Veneris & Mercurij non niſi ſemel, & quidem ſub creperam ſeri veſperis horam, neque, quamdiu lactatus eſt, vt ſæpius his diebus ſugeret, potuit induci. Morale. *Vnde contingat pueros ſubinde citò ad cæleſtia aptari, Sect. 4. in cap. 1. à n. 2. vſque finem. Rurſum, pueros in prima ætate viriles induere mores, præſagium eſſe eos aliquando ſingulares euaſuros, Sect. 5. in c. 1. per totum.*

Hiſtoria. *Magnus hic Nicolaus diſſolutos & diſcolos, ſibiq; coætaneos iuuenculos, qui non niſi vanitatibus vacabant, ſedulo fugitabat, ſeq; ſtudioſis, & honeſtis adoleſcentibus aſſociabat.* Morale. *Fugere prauorum conſortia, innocentiæ conſeruandæ eſſe remedium ſingulare, Sect.8. in cap.1. à n.5. vſque 7. Rurſum, hominem ex conſortio æſtimari, ibid.n.9.*

S.Nicolaus ſacris initiatus, & in omni virtutum genere progreſſus faciens ſingulares, parentibus peſte obeuntibus relinquitur ex aſſe heres; ſed quaſi non fuiſſet heres bonorum, ſed diſpenſator tantùm & œconomus, omnia in pauperes erogare decreuit, atque ita ſibi cæleſtia regna comparare. Morale. *Propriam Sanctorum eſſe virtutem, eleemoſynas erogare indigentibus, Sect.6. in c.4.n.2. & 5. & Sect.7. n.4. Quin etiam iuſto parare gloriam æternam, Sect. 5. in cap.12.n.12. & 13.*

Inter alias eius eleëmoſynas admodum illuſtres, vna ſingulariter eminuit, digna perenni memoria, cum tribus ſubuenit virginibus, extrema pauperie laborantibus, deq; integritate ſua pudicitia periclitantibus. Morale. *Quemadmodum hoc præclarum eſt S.Nicolai factum, ſic è contra ſeuerißima pœna dignum, eleëmoſynas dare in damnum pudicitiæ, Sect. 7. in cap.4.n.8.*

D.Nicolaus ſolitudinis fuit amator. Morale. *Solitudo facit mentem quietam & collectam, & aptam diuinis inſpirationibus, Sect 20. in cap.4. à num.1. vſque 4.*

Idem Ieroſolymam appulſus, inuiſit loca ſancta. Morale. *Qua de cauſa Chriſtiani Ieroſolymam peregrinentur, Sect.12. in c.1.n.6.*

S.Nicolaus nauigium, quod Ægyptum petebat, conſcendens, dum ad loca ſancta Ieruſalem tenderet, nauigatione proſpera aliquantiſper vſus, ſereno q; cælo, ac tranquillo pelago, prauidit magnam tempeſtatem, quam mox ortam ad inſtantiam nautarum propemodum exanguium, ſeriis apud Deum precibus, ſedauit. Morale. *Vnius iuſti preces valere non ſolùm ad iuſtorum, ſed & impiorum conſeruationem, Sect. 7. in cap.8.n.1. & latiùs Sect.6. in cap.12. n.5.6.*

Magnus Nicolaus factus Epiſcopus Myrenſis, honori non ſtuduit, ſed perfectioni. Morale. *Præclarum eſt in honore priſtinam ſeruare comitatem, Sect.1. in cap.12.n.9. & 10. E contra omninò vituperabile, nactam prouinciam prauis moribus commaculare, Sect.3. in c.13. à n.5. vſque 7.*

Quamuis eſſet ſingulari ſapientia inſtructus Nicolaus, ſibi tamen, ſuoq; ingenio diffiſus, duos ſibi conſiliarios delegit, viros ſanctos, nempe Paulum Rhodium, & Theodorum Aſcalonitam, quibuſcum omnia ſua conferebat. Morale. *A ſapiente conſilium inquirendum, Sect.16. in cap.4.n.1.2.3.4.5. & 10.*

Annonæ caritatem mirè populum affligentem prodigioſè leuauit, cum precibus, firmaq; in Deum fiducia fretus apparens mercatori frumento nauigium onuſtum habenti, nocturno tempore in Myram, Lyciæ vrbem, iuſſit deportari. Quod ita factum eſt. Morale. *Deum mirè ſuis prouidere, etiam cùm nullum medium apparet, Sect.19. in cap.4.n.11. & 12.*

Rurſum, dum aliquis inopinatò adeſt auxiliator, non caſu, aut fortuna adeſſe, ſed Dei inſtinctu, Sect.8. in cap.11. n.3.

Mirus innocentium fuit patronus & liberator. Hiſtoria. *Intellexerat S.Nicolaus, Mirentij præfectum nomine Euſtachium pecunia corruptum, tres honoratos omninò ciues, eoſq; innocuos, ad mortem damnaſſe, eamq; ob cauſam ciues omnes triſtitia affici; quare ſeſe vir ſanctus repentè proripuit, treſq; tribunos illos, vt ſe comitari dignarentur, orauit. Porrò cùm didiciſſet miſeros illos ad locum ſupplicij deſtinatum ductos, & iam iamq; ictum carnificis excepturos, eò conuolauit, vbi tres illos ciues manibus colligatis, oculiſq; obligatis genuflexos, & carnificem ſublato ferro iam iamq; percuſſurum, populumq; innumerum ſuſpirantem, & fero huic ſpectaculo illachrymantem inuenit. Improuiſus hic S.Nicolaus aſſuit, ſuaq; præſentia carnificem terruit, & ei gladium manibus extorſit, innocuos erexit, erectiſq; vitam donauit, nemine quidquam aduerſus hiſcere auſo.* Morale. *In hoc tam heroico & illuſtri facinore D.Nicolaus non ſolùm Danielis perſonam induit, Suſannam à morte liberantis, ſed & Deum imitatus eſt, qui nunc legibus, nunc mirabili ſua prouidentia innocentes protegit, Sect.12. in cap.4.n.4. & Sect.11. in cap.11.n.5.*

IN FESTO CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

Quantum ad Euangelium vide dicenda in feſto Natiuitatis eiuſdem Beatiſſimæ Virginis. Quantum verò ad hiſtoriam attinet immaculatæ Conceptionis eiuſdem vide, ſi placet, Florem vitæ Sanctorum P.Petri Ribadineira octaua Decembr. qui copioſè materiam ſubminiſtrat de ea dicendi; & omnium manibus teritur. Matt.1.

IN FESTO S. THOMÆ.

Ad Euangelium & hiſtoriam.

Fuit S.Thomas vnus duodecim Apoſtolorum, natione Galilæus. Morale. *Quare Chriſtus Apoſtolos elegerit ex humili patria, Sect.3. in c.1.n.6.7.* Ioan.20.

Pauper fuit piſcator. Morale. *Deum per minus æſtimatas perſonas aliquando magna operari, Sect.1. in cap.11.n.11.*

D.Thomas cùm Saluator noſter Chriſtus in Iudæam reſuſcitaturus Lazarum rediturus à reliquis diſcipulorum prohibitus eſſet, ne rediret, eumq; à lapidationis periculo haud procul abfuiſſe dictitaſſent, ſolus S.Thomas fortiter agens, ait: Eamus & nos, & moriamur cum eo. *Quod maximum amoris eſt argumentum, imò & conſtantiæ & fortitudinis.* Morale. *Quòd Sancti nulla pericula formident pro Chriſto, Sect.14. in cap.2.n.6. & 7. Rurſum Sanctos, cùm tempus opportunum fuit præſentiam mortis non formidaſſe, etſi ob aliquas rationes in certis articulis eam fugerint, Sect.39. in c.1.n.5.*

Glorioſus Apoſtolus in ſuprema cœna, cùm Dominus Apoſtolos Sacerdotes creaſſet, eoſq; ſacra ſynaxi refeciſſet, ſuauiſſimumq; inſtituiſſet colloquium, inter alia dixit eis: Vado parare vobis locum, & quo Hiſtoria.

ego

ego vado, ſcitis, & viam ſcitis. *Tum verò S. Thomas ſciendi proficiendiq; deſiderium declarans ait:* Domine, neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire? Morale. *D. Thomas non quæſiuit curioſa, ſed viam cæli, ſed vtilia. Multum refert, quo fine quis ſcire ambigat, Sect. 7. in cap. 6. à n. 1. vſque 8. Rurſum, curioſitatem reum efficere, non peritum, præſertim in cauſa religionis, Sect. 9. in cap. 6. ante n. 13. Quia verò vtiliter quæſiuit, audiuit à Chriſto:* Ego ſum via, veritas, & vita: *nam* Chriſtus, *vt inquit S. Cyrillus lib. 9. in Ioan. c. 33.* eſt nobis via, dum nos docet, quid facto opus ſit. Eſt veritas, quæ nos luce fidei illuminat. Eſt vita, quæ nos ſanctificat. *Humiles mereri inſtructionem, & cognitionem rerum diuinarum, Sect. 10. in cap. 12. n. 7.*

Hiſtoria. *D. Thomas abſens fuit, cùm Chriſtus poſt reſurrectionem reliquis Apoſtolis in cœnaculo congregatis apparuit. Cumq; poſtea reuerſus ad alios Apoſtolos, audiret ab illis ſe vidiſſe Dominum, reſpondit:* Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum in locum clauorum: & mittam manum meam in latus eius, non credam. Morale. *Quando quis cenſeatur leuiter credere, Sect. 8. in cap. 5. n. 8.*

At Thomas ſine cauſa rationabili fidem ceteris Apoſtolis non adhibuit. Audierat enim teſtimonium Chriſti reſurrectionis, à mulieribus, à Petro, à duobus diſcipulis, à decem etiam Apoſtolis, ceteriſq; ſimul diſcipulis; quod pertinacia videtur potiùs & ſuperbia. Vt enim ſine cauſa rationabili credere, leuitatis eſt. Qui citò credit, *inquit Syracides,* leuis eſt corde, *Eccli. 19. Ita cauſis & argumentis rationabilibus credendi adhibitis fidem non habere, pertinacie & obdurationis vitium eſt. Superbia etiam fuit diſcipulos omnes teſtificantes arguere, eoſq; contemnere, quaſi credere non opportuiſſet, illos niſi digitum miſiſſent in loca clauorum, & manum in latus, & probaſſent an verum eſſet corpus. Fides Chriſtiana, non nititur rationibus, neque iis mutatur, Sect. 9. in cap. 6. n. 12. §. Sic ille. Quædam etiam fuit irreuerentia in Chriſtum, dum ſe dignum iudicabat, qui digitum & manum mitteret in loca vulnerum ipſius. Cur Scriptura ſacra recenſeat imperfectiones Sanctorum, Sect. 11. in cap. 5. n. 1. 2. 3. & 4. Rurſum, cur dubitare permiſſus Thomas Apoſtolus, Sect. 9. in cap. 13. n. 9. Ac propterea S. Ioannem ſcripto conſignaſſe verba, quæ pronuntiauit, poſtquam miſiſſet manus in latus Chriſti,* Dominus meus, & Deus meus. *Quæ hunc ſenſum habent: Non credidi priùs, quia neſciebam te eſſe Deum meum: at nunc credo te eſſe Deum, quia reſurrexiſſe te video: prius, quia non credidi tuam diuinitatem, negabam reſurrectionem; at nunc videns reſurrectionem, confiteor tuam veram diuinitatem, qua teipſum à mortuis ſuſcitaſti.*

Ceterùm cùm Chriſtus dixit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis; *ſignificauit ſe abſentem ſcire facta & dicta, quin etiam cogitationes hominum, ſeq; vbique eſſe præſentem, Sect. 2. in cap. 4. n. 5. 6. Cùm verò Chriſtus ad Apoſtolum dixit,* Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: Beati, qui non viderunt, & crediderunt, *ſignificauit, beatiores eſſe, qui in rebus fidei, à ſcrutatione abſtinent, & Deum aliquid facere poſſe credunt, quod iudicium eorum ſuperet, Sect. 9. in cap. 6. n. 14.*

Poſtquam verò S. Thomas Apoſtolus, cum reliquis Hiſtoria. *collegis, accepto Spiritu S. Ieroſolymis, & in Iudæa cæleſtem doctrinam, quam à magiſtro ſuo hauſerat prædicaſſet, diuiſus ab aliis varias prouincias & nationes peragrauit, quas Euangelij lumine colluſtrauit.* Morale. *Quantum bonum aliorum ſalutem procurare, Sect. 29. in cap. 1. à n. 6. vſque finem.*

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Ad Euangelium temporis Nocturni.

Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. *Non caſu contigiſſe, quo tempore Natiuitatis Chriſti deſcriberetur pars illa, quæ Romani Imperatoris parebat imperio, Sect. 9. in cap. 2. n. 10. Ex quo vlterius per modum digreſſionis tractari poterit, nihil caſu contingere in hoc mundo.* Et ecce Angelus Domini ſteterit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. *Angelos bonos primùm terrorem monere hominibus, deinde eoſdem erigere, Sect. 10. in cap. 12. num. 11.* Et dixit illis Angelus, Nolite timere. *Angelis ſolemne eſſe, iuſtos perplexos corroborare, Sect. 9. in c. 7. n. 3.* Ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus. *Angeli de hominum ſalute ſunt ſolliciti, Sect. 13. in cap. 1. num. 2. Rurſum Angelos totum quod acceperunt à Deo, in vſum humani generis impendere, Sect. 3. in cap. 9. n. 2. Iterum, Angelos nos inſtruere de rebus diuinis, Sect. 10. in cap. 12. n. 7.* Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo. *Angeli diuinæ voluntati ſunt obſequentiſſimi, tam vt bonum nuntient, quàm vt malum, Sect. 2. in cap. 6. n. 11.*

Ad Euangelium diei.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Chriſtiani poſſunt rectius profiteri cognationem cum Deo, quàm Iudæi, Sect. 6. in cap. 7. n. 5.* Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. *Neminem naſci ſanctum, etiamſi fideles habeat parentes, ſed per baptiſmum ſanctificari, & fieri filium Dei, Sect. 4. in cap. 1. n. 4.* Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Myſterium Incarnationis diuinæ eſſe abyſſum inperſcrutabilem, Sect. 9. in cap. 6. n. 8. vbi ſimul noua, & mira facta in Chriſti Incarnatione recenſentur. Rurſum, Deum tria non poſſe facere meliora, quorum primum eſt Incarnatio Chriſti, ibid.* §. Denique. *Adhæc acumen rationis cacuire*

Ioan. 1.

Mauden in Tob.

in Dominica Incarnatione, & myſterium Incarnationis, Sanctiſſimæ Trinitatis arcano comparari, ibid. ante n.9.

IN FESTO S. STEPHANI.

Matth.23. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. *Deus impiis certum ſtatuit peccatorum cumulum, ad quem pœnam, vel vindictam differt, Sect.11. in cap.14.n.4.*

Ad eius vitæ hiſtoriam.

Cùm S. Stephanus, ſuperari non poſſet à diſputantibus cum ipſo, & propterea calumniis appeteretur, ac ſummus Sacerdos interrogaret, num obiecta ſe ita haberent, intuentes eum omnes, viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli. Morale. *Quibus pura eſt conſcientia, eiſdem vilis eſt pœna, Sect.1. in cap.8.n.3. Rurſum, impios tacitis Sanctorum moribus argui, Sect.2. in cap.7 n.2. Sed hi calumniatores nihil hiſce commoti ſunt.*

Hiſtoria. *D. Stephanus* cùm eſſet plenus Spiritu S. intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Morale. *Sanctus Stephanus propter æternam mercedem ſpreuit minas Iudæorum, vti & alij Sancti, Sect.14. in cap.2. n.5. 6.7. Rurſum nunc purè Sanctos ſtatim à morte ad Deum euolare, Sect.13. in cap.1.n.1.*

Poſitis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Morale. *Sanctos in carcere conſtitutos, & circa mortem aliorum curam gerere, Scriptura non ſilet, Sect.22. in cap.1. num.7. &* 8. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. *Iuſtos iniuriarum facile obliuiſci, conſtat; quandoquidem circa mortem obſtinatis veniam deprecentur. Nos verò continuò vindictam ſpirare, Sect.12. in cap.4.n.8.9.10.*

IN FESTO S. IOANNIS EVANGEL.

Ad Euangelium.

Ioan.21. Dixit Ieſus Petro, Sequere me. *Cùm Chriſtus Dominus Petrum timentem, & ſuſpicantem poſt trinam interrogationem, an diligeret ipſum, ne in eo amore, quo declarabat Chriſtum ſcire amorem, quo ei adhæreret, perſeueraret; confirmaſſet ſignificando, qua morte eſſet Deum clarificaturus, dicit illi:* Sequere me, id eſt, *etiam corpore ante omnes me ſequaris; neque durum tibi videatur, ſi duceris quo tu non vis. Sequere me, & conſidera me priorem crucifixum eſſe, & vitam pro ouibus poſuiſſe. Deo vocanti illicò eſſe obtemperandum, Sect.4. in cap.2. num.3. &* 4. *Rurſum, Chriſtum hoc modo Petrum confortaſſe, quod maximè vrgere ſoleat exemplo ad imitationem, Sect.1. in cap.5. num.3.4.5.6. Denique, ſpem omnem in Deo ponendam, Sect.9. in cap.12. n.6. Ad hæc tractari hic poteſt, iuſtos tribulatos manere coronam gloriæ cæleſtis, Sect.16. in cap.3.nu.6. &* 7.

Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem, *&c. Hic tractari poteſt, quando liceat parentibus plus amare vnum filium, quàm alterum, Sect.40. in c.1.n.10. Vide etiam ad clariorem intelligentiam n.6.* Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dixit Ieſu, Domine hic autem quid? *Petrus Ioannem videns, quem Chriſtus multum amabat, de illo eumdem interrogat,* Hic autem quid? *quod idem eſt dicere, At ſcio iam, qua morte ego ſum te clarificaturus, ſcire vellem, qua morte Ioannes dilectus tuus vitæ huius tempus concludet. Cyrillus hanc interrogationem Petri videtur ad quamdam curioſitatem referre. Sic enim ait lib.12. in Ioan. cap.66.* Sed quoniam curioſa magis, quàm vtilis rerum alienarum inquiſitio eſt, reſpondet quidem, ſed ita vt roganris animum abducat ad auia, nec mortis expertem futurum Ioannem ait: ſed ſic eum volo manere donec venio, quid ad te? id eſt, Audiſti Petre, quæ ad te pertinent, cur alia quæris? cur diuinæ iuſtitiæ ſecreta rimaris? Nam ſi etiam vellem minimè iſtum mori, quid tu vnquam emolumenti, aut quid conſolationis conſequereris? Non erit ergo prudens curioſus, ſi quid paſſurus ſit, vtrum etiam alij eadé ſubibunt, an non, cùm aliorum calamitate pericula ſua non mitigentur. *D. Chryſoſtomus homil.87. in Ioan. refert cauſam interrogationis in amorem, quo Petrus Ioannem proſequebatur,* Præterea, *inquit,* ſuam in eum præ ſe fert dilectionem. Diligebat enim maiorem in modum Ioannem Petrus, *&c.* nam cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet, cùm vellet Petrus Ioannem ſocium, & collegam, inquit: Hic autem quid? Numquid eamdem viam aggredietur? *Vt vt eſt ſiue ex curioſitate, ſiue ex amore quæſierit Petrus, docetur ex reſponſo Chriſti,* Sic eum volo manere, donec veniam; quid ad te? *vitioſum eſſe aliena inueſtigare, ſe neſcire, Sect.7. in cap.6. ante n.3. Item Chriſtum inutilem curioſitatem diſcipulorum taxare, ead. ſect.n.7. à §. Sic ad aliorum. Si verò ex amore proceſſerit interrogatio, etiam docemur, multa ignorari poſſe abſque diſpendio ſalutis, ead. ſect.n.6. quo reſpexiſſe videtur Chryſoſtomus. Sic vtique ait:* Si eum volo manere, quid ad te? Hiſce verbis nos erudiens, neque dolendum, neque curioſius præter diuinam voluntatem inueſtigandum. *Rurſum ex hoc colligitur, curioſum ſcrutatorem veritatem minimè aſſequi, Sect.9. in cap.6. n.10. Quin etiam vanas quæſtiones euitandas, eadem ſect.n.1.* Tu me ſequere. *Hic tractari poteſt, diuina voluntatis rationes non eſſe examinandas, Sect.3. in cap.11.n.5. & 6.* Exiuit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Ieſus, quia non moritur, ſed ſic eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Cùm ex hiſce verbis nonnulli diſcipuli errenè interpreta-*

pretarentur Ioannem non moriturum, ipſe ne ceteri omnes, qui audituri erant illa verba, eumdem concíperent errorem à verbis Chriſti, talem ſenſum repellit; viros pios etiam ſenſum verborum Dei obſcuriorum non aſſequi, niſi Deo, aut Sanctis nomine Dei explicantibus, Sect. 1. in cap. 14. n. 3. 4. 5. 6. Rurſum, Sanctos verè & humiliter de ſe ſentire, Sect. 10. in cap. 4. n. 2. Rurſum, cùm Ioannes hoc reſponſo aquitatem Dei laudet, tractari hic poteſt, iuſtitiam Dei cùm in oratione, tum in rebus diuinis vtiliter laudari, Sect. 4. in cap. 8. n. 1. & 2.

Ad hiſtoriam ſubiungi poteſt, S. Ioannem inſtar aquila acutè videntem, & Chriſto familiariorem agnouiſſe ſuum magiſtrum, cùm ceteri diſcipuli illum in littore ſtantem, eiſq; loquentem non cognouerunt; vnde dicebat Petro, poſtquam multitudinem piſcium comprehendiſſet, ita vt rete, quod in dextram nauigij ex præcepto Saluatoris immiſerant, præ multitudine non poſſent extrahere, Dominus eſt. *Quo audito Simon Petrus* tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. *Qua ratione peruenit primus omnium ad Chriſtum. Ex quo dignoſcimus vtiliter aliquando Superiorem ab inferiori doceri, Sect. 1. in cap. 11. à n. 1. vſque 6. vide etiam n. 11. Rurſum, ex hoc conſtat quantum diuina eloquia hominem illuminent, Sect. 9. in cap. 7. n. 6. Scio hunc locum Scripturæ alicubi in hoc Opere ad aliud documentum citari; cùm verò non occurrat vbi, libuit annotare, vt Lector obſeruans, eius haberet rationem.*

Hiſtoria. *Prædicauit S. Ioannes in Aſia illam cæleſtem doctrinam, quam de pectore noſtri Saluatoris hauſerat, ſeptemq; Eccleſias in præcipuis vrbibus fundauit, videlicet Epheſi, Smyrni, Pergami, Thyatiræ, Sardis, & Philadelphiæ, & in omnibus Sacerdotes creauit, qui Sacramenta* Chriſtianis illic degentibus *adminiſtrarent. Porrò cùm Epheſi capite & metropoli Aſiæ, idololatria prius addictiſſima vſque adeò profeciſſet, vt prouinciam illam, quaſi in paradiſum conuertiſſet, & crudelis* Imp. Domitianus *alteram mouiſſet in Eccleſiam perſecutionem (prima enim fuerat concitata à Nerone) philoſophi aliquot, & impij homines religionis hoſtes ea commoditate vſi Proconſulem Aſiæ ſollicitarunt, vt eum comprehenderet, Romamq; deſtinaret. Quò nempe coram Domitiano ſeſe purgaret, aut vindices pœnas daret, velut Imperij, Deorumq; hoſtis, & nouæ religionis magiſter & præco. Romam in ætate grandæua ductus eſt Apoſtolus, & quia obedire Domitiano idololatriam imperanti detrectaſſet, ad bullientis olei lebetem damnatus eſt, vt non quocumque, ſed prorſus atroci ſupplicio è medio tolleretur; quod Ioannes in fide & religione conſtans non exhorruit.* Morale. *Sanctos Dei legibus poſtpoſuiſſe minas & imperia tyrannorum, Sect. 7. in cap. 2. à n. 5. vſque 8.*

Hiſtoria. *Simul ac S. Euangeliſta lebetem ſubiit, ſua igni & oleo vis adempta eſt, atque in cæleſtem temperiem rerum conuerſa.* Morale. *Quantum exuberant aduerſa, tantum exuberare conſolationes diuinas, Sect. 5. in cap. 5. n. 5. vbi diſcutitur trium puerorum exemplum, in fornace ſuccenſa immiſſorum, ac in ea prægaudio geſtientium.*

Vt autem intelligeret impietas, elementa ſubſeruire ſuo Creatori, & iuſtis, mox vt impietatis ſatellites pyram ſuccenderunt, fomitemq; lebeti ſubiecíſſent, Hiſtoria. *ignis vindices crudelitatis flammas eiaculatus, eorum multos exuſſit, & Apoſtoli ne pilum leſit. Primum teſtatur Tertullianus lib. de præſcript. aduerſus hæreſes, cap. 37. vbi inter alia, vt oſtendat Eccleſiæ doctrinam eſſe Eccleſiæ, quæ fuit Apoſtolorum, & ablegans ad eorum cathedras, inquit:* Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Statu infelix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſuo ſanguine profuderunt, vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. *Vide, ſi placet, integram ſententiam Sect. 23. in cap. 1. n. 3. Poſterius teſtatur Hieron. lib. 1. aduerſus Iouinian. vbi ait: Tertullianus refert,* quòd Romæ miſſus in feruentis olei dolium purior & vegetior exierit, quàm intrauerit. *Ex quibus hæc ſequuntur documenta, tantam videlicet Dei in ſuos bonitatem, & potentiam, vt cùm voluntati eius ſeſe conformant, elementa, aliaſq; creaturas irrationales, contra ſuam naturam, illis ſeruire compellat, Sect. 28. in cap. 1. n. 9. & 10. Secundò docemur, impios contra naturam ſentire Dei vindictam, Sect. 5. in cap. 5. ante n. 6. quo numero per exempla alia oſtenditur, quantis mirabilibus ſuos in tribulatione ſæpè dignetur Deus.*

Porro illo euentu turbatus Imperator Domitianus, tantoq; obſtupefactus miraculo, non auſus eum occidere, iuſſit illum in exilium proficiſci, in inſulam Pathmos, haud procul Creta, qua decem leucas ambitu ſuo complectitur, vt illic (quemadmodum Victorinus Pictauienſis, & Primaſius ſcribunt in Comment. in Apocal.) in latomiis & metalli fodinis operaretur; ſed Deus, qui fruſtra nihil permittit, eius operæ vſus eſt ibidem ad conuerſionem barbarorum incolarum iſtius inſulæ, quos Euangelij luce illuſtrauit. Morale. *Diuini eſſe conſilij, iuſtos diſpergi ob aliorum ſalutem, Sect. 4. in cap. 13. n. 3. 4. 5. 6. & 7.*

Quamdiu verò Pathmos Ioannem tenuit, multorum eumdem diuinorum myſteriorum cognitione Dominus donauit, infinitis enim illic, cæleſtibuſq; à Domino fauoribus auctus ſcripſit Apocalypſim, Infinita (*vt loquitur S. Hieron. epiſt. ad Paul.*) futurorum myſteria continentem. *Vnde tractari hic poteſt, ſolitudinem facere mentem aptam rebus diuinis, Sect. 20. in cap. 3. à n. 1. vſque 4.*

Sublato Domitiano è medio, Senatus eius acta reſcidit. Nerua moderatioris ingenij vir in imperium ſucceſſor, omnibus exulibus poſtliminio in patriam redeundi fecit poteſtatem. De quorum numero erat magnus hic Apoſtolus; qui nihilominus hærebat in Pathmo. Hic tractari poteſt, Deum apud infideles ſuis conciliare gratiam, Sect. 26. in cap. 1. n. 5. & 6. Item, cor regum in manu eſſe Dei, Sect. 27. in cap. 1. n. 5.

n.5.& 6. Diuino autem nutu Ioannem manſiſſe in Pathmo verosimile eſt, & diutius vitam protraxiſſe, vt tandem poſtulantibus Aſiæ Epiſcopis ſcriberet ſuum Euangelium ad confutandum Ebionis, Cherinti q̃ errores, qui Chriſti diuinitatem negabant. Hic tractari poteſt, Deum quantumuis deſperata occaſione, dare doctores, & præceptores ad ſalutem aliorum, Sect.29.in c.1.n.1.& 2. Cetera Apoſtoli acta, charitatis feruorem, encomia, & martyrium videre licet in vita S.Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ apud Patrem Ribadineira 27.Decembris.

IN FESTO SS.INNOCENTIVM.

Ad Euangelium.

Matth.2. Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. *Angelos Domini iuſtos defendere, & conſilio ſuo ab inſidiis tyrannorum præſeruare, Sect.3.in cap.9 n.8. vbi varia exempla ex ſacra Scriptura deſumpta opis Angelicæ recenſentur.* Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. *Fugere perſecutores, quandoque licitum eſſe, & decorum, Sect.39.in cap. 1.à n.1.vſque 4.vbi locus hic n.3.in medium adducitur.* Futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *An Angeli ſciant futura contingentia, quæ ab hominis dependent libera voluntate, & ex quo capite illa predicere valeant, Sect.7.in cap.5.à n.2.vſque 4.* Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Ægyptum. *Iuſtorum cæcam eſſe obedientiam, quandoquidem Ioſeph ne muſitans quidem ad angelicam vocem, feceßit in Aegyptum, Sect. 3.in cap.11.n.3. Rurſum, potuiſſet reſpondere Ioſeph, Hoccine gaudium, quod Angelus annuntiauit vniuerſo mundo, vt fugere oporteat ſtatim, matrem cum filio, qui venit ſaluum facere populum à peccatis? Et ſimilia, à quibus planè abſtinuit; vnde dignoſcimus diuini precepti rationes non eſſe examinandas, Sect. 3.in cap.11.n.5.* Et erat ibi vſque ad obitum Herodis. *Hic tractari poteſt, promiſſiones Dei, non eximere ab intermediis difficultatibus, licet felicem ſucceſſum illa impedire non valeant, Sect.3.in cap.6. n.5.* Tunc Herodes videns, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè. Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, *&c. Iram, hominem reddere amentem, maximè qua in Deum armata manu procedit, Sect.36.in cap.1. n.1.2.5.6.7.8.* Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus magnus. *Hic tractari poteſt lachrymas numquam vtiliter ob inconuenientium accidentia fluere ab homine, niſi cum peccatis medendis eas quis adhibeat proficuum malagma, Sect.2.in c.10.n.7.& 8.* Et noluit conſolari, quia non ſunt. *Quare Deus patiatur aliquando pios parentes plurimum triſtari de filiis, Sect.1.in cap.10.n.2.3.4. Rurſum hic tractari poteſt, qua ratione homo in amiſſione filiorum ſeſe conſolari debeat, Sect.3. in c.10.n.4.5.6.*

Ad hiſtoriam hic nihil dico, quia differo vſque ad Euangelium, quod legitur in feſto trium Regum. Si quis verò huic feſto magis propria requirat, conſulat P.Petrum Ribadineira in flore Sanctorum 28.Decembris.

IN FESTO CIRCVMCISIONIS DOMINI.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatũ eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Luc.2. *Hic tractari poteſt, ad quem ſpectet filiis imponere nomina, Sect.17. in cap.1.n.3. Verùm Saluatori noſtro nomen non fuit ab hominibus inditum, ſed ab æterno Patre donatum, ab Angelo celitus allatum, nimirum cùm virginem ſalutauit, eiq̃ prædixit,* Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. *Quin etiam cum Ioſepho dixit cauſam,* Ipſe enim ſaluum faciet populum à peccatis eorum: *vt vel hinc colligamus omnis peccati fuiſſe expertem, qui ſaluaturus eſſet à peccatis. Ex ſe namque Ieſus, id eſt Saluator, erat; at circumciſionem admiſit, & perſonam vitioſi hominis egit noſtrorum cauſa peccatorum, qua ſuo ipſe ſanguine venerat expiatum. Si placet, vide de cauſis Circumciſionis latè Ribadineira prima Ianuarij, vbi octo eiuſdem myſterij cauſas recenſet.* Vocatũ eſt nomen Ieſus. *Hic tractari licet qua de cauſa hominibus nomina imponantur, dicta Sect.17.in cap.1.n.4.5.6.7.8. Rurſum, opportunè hic dicetur Chriſtiani nomen incitamentum eſſe opportunum ad virtutem, ibid.n.9. Qui plura volet de nomine Ieſu adeat prafatum Ribadineira prima Ianuarij, vbi latè de hoc ſanctiſſimo nomine tractat. Vide etiam, ſi placet, de nomine Dei, quando vtiliter pronuntietur Diſcurſ.1.in 2.precept. Operis mei in Decalogum.*

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, *&c.* Et congregans omnes principes Sacerdotum & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur: at illi dixerunt ei, In Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam, Et tu Bethlehem terra Iuda, *&c. Eos, qui vaſro animo alios conſulunt, veritatem non conſequi, Sect.18.in cap.4.n.4. vbi hic locus allegatur.* Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. *Filios huius ſeculi multa inquirere parum vtilia, Sect.8.in cap.14.n.1. Rurſum ex hoc colligitur euidenter ad Sacerdotes ſpectare notitiam rerum fidei; quin etiam eorum iudicium eſſe ſequendum, Sect.8.in cap.14.n.4.5.6.7.* Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero. *Inuidos exactè ſingula inquirere, vt alios nocent, Sect.7.in c.6.n.1. & 2.* Et cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens, adorem eum. *Magnam eſſe cæcitatem*

Matth.2.

tatem opus bonum putare, quod mala quis intentione aggreditur, Sect. 4. in cap. 11. n. 16. Rursum hic tractari potest, intentionem cordis opus externum probare vel reprobare, Sect. 15. in c. 3. n. 7. Et responso accepto in somnis ne rediret ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionē suam. *Deum sæpè contra errores præsidium mittere, aut Angelum, aut vice-Angeli fidum hominem, quando de voluntate diuina securitatem sincerè expetimus, Sect. 8. in cap. 14. n. 11. Rursum, ex hoc dignoscimus nullam esse industriam, nullamq; diligentiam humanam, qua Dei possit impediri consilium. Quidquid enim Herodes tentauit, fuit irritum & inane. Deus impiorum consilium contra iustos demolitur, Sect. 17. in cap. 4. n. 8. & 9. Iterum tractari hic potest, dirigente Deo feliciter ad finem peruenire, ead. sect. n. 7. Denique hic opportunè dicere licebit, regni vim sine Deo esse inualidam, Sect. 41. in c. 1. à n. 2. vsque 5. Demum tractari hic potest, eos qui dolis malis ad alienum euersionem, aut suam conseruationem vtuntur, infelicem sortiri exitum, Sect. 40. in cap. 1. n. 11. 12. Idq; ea ratione quòd Herodes diuinitus punitus miserè interierit.*

Cetersùm quoad historiam Magorum seu trium Regum vide Rbadinetram sexta Ianuarij, vbi latè de iis disserit.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI.

Matt. 19. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. *Homo qui Deum quærit super omnia, non solùm præsentibus gaudebit bonis, sed & æternis, Sect. 26. in cap. 1. n. 9. & 10. Rursum, plurimum valere, quod homo toto amore in Deum feratur, Sect. 11. in c. 12. n. 4. & 5.*

Ad historiam Conuersionis.

Act. 9. Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas: vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem. Morale. *Hic tractari potest, ratione furoris Pauli in Christianos ex zelo legis Mosaicæ, ignorantiam voluntatis signi causare rebellionem erga diuinum beneplacitum, Sect. 4. in c. 3. n. 10*

Cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi, Saule, Saule quid me persequeris. *Qui membra Christi persequitur, in Deum ipsum procedit armata manu, Sect. 36. in cap. 1. n. 8. De qua persecutione vide si placet diserte & verè differentem S. Bernardum de conuersione eiusdem.*

Et tremens, ac stupens dixit, Domine quid me vis facere? Morale. *Quanta sit efficacia diuinæ gratiæ, Sect. 4. in c. 2. n. 10. 11.*

Domine quid me vis facere? *Summam esse perfectionem diuinæ voluntati sese per omnia conformare, Sect. 4. in cap. 3. à n. 10. vsque finem. Rursum, nihil vtilius inquiri posse, quàm ea quæ Deo placent, Sect. 8. in cap. 14. n. 1.*

Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. *Per mirabilia Dei subinde peccatores conuerti, Sect. 27. in cap. 1. n. 3. Rursum neminem Dei vindicem aut probantem manum effugere, Sect. 3. in cap. 13. n. 3. 4. 5. Demum hinc tractari potest, Deum sæpè absque opera hominum, alios conuertere, Sect. 27. in c. 1. n. 5. Imò in hac conuersione Pauli, virtus & potentia ac gratia Christi cognoscitur, qua ipsum ferocientem, & furentem in ipso æstu furoris fistit, fregit, & immutauit; nec expectauit, donec furor hic sanièdo subsideret:* Vt ostenderet, *inquit Chrysost.* potentiam suam, vincens & superans persecutorem in media insania. Sic enim medicū maximè admiramur, quando febrim, cùm infestior; & flammam morbi, cùm vehementior est, extinguere, & penitus abolere potest. *Et maximè notandum, quòd Paulus non coactè, & necessariò, quamuis prostratus in terram, sed liberè & sponte conuersus sit, vt rectè animaduertit idem Chrysost. homil. 19. in Acta per exempla Scripturæ, ad verba,* Et erat tribus diebus non videns. *Sed clarius & luculentius hom. de ferendis reprehensionibus, & conuersione Pauli, vbi egregiè de eius conuersione disserit: & longè post medium, hanc quæstionem discutit, an vi & necessitate ipsum attraxerit Deus.*

Porrò notatu dignum est, quòd Deus voluerit audire vocem Pauli sese verè conuertentis, vt per ipsum, hostem acerrimum Christianorum iam conuersum, confunderet Iudæorum incredulitatem, eamq; per ipsum reuinceret. Opportunè igitur hic tractari potest Deum verum etiam ab inimicis commendari, Sect. 9. in cap. 13. n. 8. & 9. Quis autem non crederet Christo, & Christianismo, cui hostis Saulus tam luculentum perhibuit testimonium? Ceterùm Paulus suo exemplo hortatur quantumuis peccatorem non desperare, atque vtiliter iam conuersum alium corripere, Sect. 31. in cap. 1. n. 8.

Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. *Iustorum proprium esse, ac prius conuersorum, tentationibus probari, Sect. 8. in cap. 12. n. 4. & 5.* Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamæ, & visum recepit. *Quanam cæcitas naturaliter, quanam supernaturaliter curetur, Sect. 6. in cap. 11. à nu. 4. vsque 10.*

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS.

Postquam impleti sunt dies purificationis Luc. 2. B. Mariæ, secundùm legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinū adaperiens vuluam, sanctū Domino vocabitur: & vt darēt hostiam, *&c. Quandoquidē Christus Dominus, & beatissima Virgo ad legem Mosaicam Leuit. 12. non tenerentur, hic tractari potest, conuenienter præter Dei præcepta,*

etiam consilia Euangelica obseruari, Sect.8. in cap. 14.n.12. Rursum exemplo Christi, & B. Mariæ docemur non solùm magna, sed etiam minima peccata vitare, Sect.20. in cap.1. per totum. Suo quoque exemplo docuerunt nos Christus, & Maria neminem testimonio conscientiæ contentum esse debere, dum aliis interim murmuris, ac offensionis ansam subministrat, Sect.6. in cap.8.n.3. & 4.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iustus, & timoratus. *Homo fidelis à moribus dignoscitur, Sect.3. in cap.7. n.4. Rursum,* Ecce homo erat in Ierusalem, *quæ videlicet metropolis erat, & regni caput, ac omnibus eo tempore vitiis & flagitiis scatebat; quod hic explicari verosimile est, vt laus Simeonis tantò esset præclarior, quòd inter malos benè viueret, Sect.8. in cap.1.n.4.*

Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. *Vocabuli* pacis, *diuersam esse significationem in sacra pagina, Sect.3. in cap.14.n.9. Hoc loco verò significat Simeonem latum à vinculis huius corporis liberari, quod suo promisso Deus satisfeciisset, quod non moreretur, nisi viso Saluatore mundi, adeoq; nihil esse, quod præter illum desideraret, vel exoptaret reliquum. Cæterùm de candelarum vsu in hoc festo Purificationis, vnde proueniat, vide Sect.14. in cap.4. num.11.*

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Matt.16. Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit discipulos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? *Famæ propriæ magnam habendam esse curam, Sect.6. in cap. 8.n.2. & 3.* Vos autem, quem me esse dicitis. *Negligere famam, signum est animi dissoluti, eadem sect.n.5.* Vos autem, quem me esse dicitis. *Neminem tam esse simplicem, qui non possit scire necessaria scitu ad salutem, Sect.7. in cap.6.n.5. & 6. Rursum, quòd ab eo cui plus datum est, multum requirat Deus, Sect.10. in cap.4. num.12.*

Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, *&c. Magnam à Deo Sacerdotibus datam esse potestatem, Sect.11. in cap.12.n.2.*

Cæterum ad historiam huius diei, qua ad conseruandam memoriam Cathedra celebratur, quam D. Petro Antiocheni constituerunt, post multos exantlatos labores, vt tam quam magister & Doctor alios doceret, tractari potest, non solùm propriæ, sed aliorum saluti inuigilandum, Sect.29. in cap.1.n.9. & 10.

IN FESTO S. MATTHIÆ.

Matth.11. Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus; & reuelasti ea paruulis. *Deum aliquando mineribus reuelare, quæ magnis abscondit, Sect.13. in cap.4.n.4. & 5. Rursum, diuinis mysteriis cognoscendis, non ingenij felicitatem, sed mentis cæcitatem, duritiem & arrogantiam, aditum præcludere, Sect.10. in cap.12. n.9. & 10.* Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. *Voluntati beneplaciti diuini libenter in omnibus obtemperandum esse, Sect.4. in cap.3.n. 3.4.5. Iterum, voluntas diuina regula esse debet voluntatis humanæ, ead. sect.n.10. Rursum, electorum esse, se Dei voluntati integrè conformare, Sect.1. in cap.8.n.2.* Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. *Multa sciri non posse absque reuelatione, Sect.7. in cap.5.n.2. & 3. Ex quo ibidem n.4. & 5. reprehenduntur, qui veridicos de matrimoniis, honoribus, statu ac conditione vitæ, futuris, consulunt.* Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. *Cuique animi infirmitati, conueniens in Scriptura reperiri remedium, Sect.6. in cap.11. num.12. & 13. Rursum hic tractari potest, Deum medicum esse corporalem & spiritualem, imò eximium, Sect.2. in cap.13. n.5. 6.7.* Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Vim exempli maiorem esse, quàm vocis, Sect.1. in c.5.n.8.*

Ad historiam electionis Matthiæ in Apostolum.

Notare conuenit causam dedisse huic electioni casum Iudæ Iscariotis, Christi proditoris. Vnde hic tractari potest, nullam tam sanctam esse societatem, in qua non sit aliquis peccator, Sect.6. in cap.7. n.2.

Et cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis. *Quandoquidem duos statuerant, Iosephum cognominatum Iustum, & Matthiam, & ex illis certo signo ostenderit Deus se eligere Matthiam, hic tractari potest, Ad officia non semper aptiores iustos & sanctos, sed qui talentum regendi & gubernandi habent, quod magis in prudentia & gratia, quàm in sanctitate consistit. Vide Sect.5. in cap.2. vbi de prudentia homini necessaria latè disseritur. Et speciatim de ea quæ in regimine necessaria est, n.7. Denique in hoc exemplo electionis Matthiæ in locum Iudæ, constat Deum vno cadente alium eius loco & premio substituere, Sect.16. in cap.3.n.8. Quandoquidem Apostoli orarunt, vt Deus eligeret vnum ex duobus, ab ipsis constitutis, hic tractari potest, diuinam directionem oratione impetrandam, Sect.18. in cap.4.n.5. 6. & 7.*

IN FESTO S. IOSEPHI.

Ioseph vir eius cùm esset iustus. *Hic tractari* Matth.1. *potest, iustitiæ varias esse significationes in Scriptura. Et quænam cuiuis fideli omnino necessaria, Sect.9. in cap.14.n.1.2. & 3. Iosephus autem non sola præditus fuit virtute iustitiæ, quæ quatuor cardinalium virtutum quadriga censetur, & suum cuique tribuit; sed vniuersali quoque iustitia, quæ omnes virtutes complectitur.* Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. *Bonos subinde malè suspicari de proximo,*

proximo, Sect.18. in cap.2.n.3. Rursum hic opportunè tractari potest, quenam diuersitas sit in suspicione bonorum & malorum, ead. Sect.n.5.6.& 7. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis dicens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. *Deum subinde per Angelos instruere homines, Sect.8. in cap.14. n.11. Rursum Angelos subinde perplexos corroborare, Sect.9. in cap.7.n.9.*

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Lucæ 1. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. *An vtile sit alios salutare, Sect.4. in cap.5.num.1.2.3.& 4.* Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius: & cogitabat, qualis esset ista salutatio. *Iustos non statim credere omni spiritui, Sect.13. in cap.12.num.5.* At ait Angelus ei, Ne timeas Maria. *Angelos metum eximere perplexis, Sect.9. in cap.7.num.3.* Inuenisti enim gratiam apud Deum, Ecce concipies, & paries filium. *Angelos in rebus extraordinariis aliquando homines instruere, Sect.8. in cap.14. n.11.* Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. *Hic tractari potest iustos coram Deo magnos esse, Sect.2. in cap.1. num.5.* Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. *Deum laudari à regni ipsius æternitate, & quare, Sect.1. in cap.13.n.4.5.6.7.& 8.* Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *Solent Sancti, etsi non increduli de verbis Angeli, nihilominus de modo inquirere, Sect.5. in cap.5.num.2.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Sancti ex humilitate aliquid rogantes, à Deo parumper instructi, acquiescunt, Sect.9. in cap.6. n.11. Rursum, nihil melius esse, quàm diuina voluntati sese conformare, Sect.4. in cap.3.n.3.7.& 8.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Proprium esse iustorum, sese tantò magis deprimere, quantò magis attolluntur, Sect.10. in cap.12.n.10. Appositè in hanc rem Bernardus homil.4. super Missus:* Quæ est, *inquit*, hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocris reuera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria, obliuisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata. *Iterum, quandoquidem B. Virgo iuxta D. Bernardum hisce verbis orauit submissè, vt Deus cum illa quidquid liberet, ageret, hic tractari potest, Deum pleraque non concedere, nisi præmissâ oratione, Sect. vlt. in cap.6.n.5. Addo sententiam Bernardi ex hom. cit.* Audiamus, *inquit, &c.* quid illa responderit; quæ Dei mater eligebatur, sed humilitatem non obliuiscebatur. Ecce, ait, ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum. Fiat, desiderij signum, non dubitationis indicium. Et per hoc quod dicit, Fiat mihi secundùm verbum tuum, magis intelligenda est affectum exprimere desiderantis, quàm effectum requirere merè dubitantis: quamquam nihil obstet intelligi, fiat, esse verbum orantis. Nemo enim orat, nisi quod credit, & sperat. Vult autem à se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo fortè multa quæ dare disposuit, prius pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur; sicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, merita nobis extorquet à nobis, & dum nos præuenit tribuendo quod retribuat gratis, agit ne gratis tribuat. Hoc vtique prudens virgo intellexit, quando præuenienti se muneri gratuitæ promissionis, iunxit meritum suæ orationis: Fiat, inquiens, mihi secundùm verbum tuum.

FERIA II. PASCHATIS.

Lucæ 24. Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Loquebantur, *inquit Augustinus serm.144. de temp.* de iis quæ acciderant in Ierusalem, de iniquitate Iudæorum, de morte Christi: ambulabant fabulantes, & quasi mortuum dolentes, resurrexisse nescientes. *Colloquebantur verò quærentes exitum rei, quid illa omnia quæ acciderant, sibi vellent, num resurrexisset Christus, cùm eum in sepulchro, nec mulieres, nec Petrus reperissent, nescientes quam in partem illud interpretarentur. Disceptandi igitur causa fuit, incredulitas. Hominem sapere debere ad sobrietatem, non autem plusquam oportet, Sect.9. in cap.6.n.12.& 14. fine.* Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, ambulantes; & estis tristes? *Cur Dominus Deus sæpè interrogatione sit vsus, Sect.7. in cap.6.n.9. Ad propositum nostrum Augustinus serm. 144. de tempore,* Quærit ab eis quæ inter se loquerentur, vt quod ipse sciebat, illi faterentur. *Sciebat nimirum Christus, quid loquerentur; sed propterea rogat, vt se peregrinum simulet, & vt ansam arripiat de sua loquendi, eosq; docendi, resurrectione. Propterea addit,* Et estis tristes, *vt vicus tangat, vt ostendat se aliquid habere eorum, quæ loquerentur, indicium, & vt significet se consolari eos velle, quo facilius, liberiusq;, qua de re loquerentur, declararet.*

Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, ambulantes; & estis tristes? *Quandoquidem Christus in hisce discipulis reprehendit inutilem sermocinationem, tractari hic potest, prudenter ac circumspectè fidelibus esse loquendum, Sect.10. in cap.6.n.6.* O stulti & tardi corde ad credendum

dum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. *Hic tractari poteſt, rectè ſtultos vocari, qui Scripturas negligentes, in Dei operibus rationem quærunt, Sect.8. in cap.6. n.8. & Sect.9. in idem cap. n.10.* & 11. Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? *Dilectos à Deo, mediante tentatione, & tribulatione diſponi ad gloriam cæleſtem, Sect.8. in cap.12. n.3.4.5.7. &* 8. Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. *Delibans ex ſingulis Scriptura libris, ea quæ de Chriſto erant, illis explicabat, vt viderent omnia in eum, de quo dubitabant, conuenire. Hic tractari poteſt, Deum tum per Prophetas, tum per Angelos explicare quæ homini vtilia ſcitu, Sect.8. in cap.14. n.10.11.* Et appropinquauerunt caſtello, quo ibant, & ipſe ſe finxit longius ire. *Diſſimulare quandoque veritatem, non tantùm licitum, ſed etiam prudentia eſſe, Sect.9. in cap.5.n.2.* Et coëgerunt illum dicentes: Mane nobiſcum quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. *Non ſine fructu ſanctos viros à pijs imitari, Sect.10. in cap. 5.n.11. Addo ex Bernardi hom.74. in Cantica:* Et fortè, *inquit*, ideo ſubtraxit ſe, quo auidius reuocaretur, teneretur fortius. Nam & aliquando ſimulabat ſe longius ire, non quia hoc volebat, ſed volebat audire, Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit. Et rurſum alia vice ſuper mare ambulans, cùm Apoſtoli nauigarẽt & laborarẽt in remigando, quaſi volens præterire eos, nec tunc quidem iſtud volebat, ſed magis, probare fidem, & elicere precem. *Rurſum,* Ex quo exemplo, *inquit Venerabilis Beda*, colligitur, quia peregrini ad hoſpitium non ſolùm inuitandi, ſed etiam trahendi. *Iuſtũ fuiſſe legitimum peregrinos cogere ad hoſpitium, & quare, Sect.1. in cap.7. à n.1. vſque* 9. Et factum eſt cùm decumberet cum eis, accepit panem, ac benedixit, & fregit, & porrigebat illis. *Menſam non benedictam ab Hebræis recenſitam tanquam prophanam, & de vſu benedictionis menſæ, Sect.13. in c.7. à n.2. vſque* 5. Et dixerunt ad inuicẽ, Nónne cor noſtrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? *Eloquia diuina magnum adferre ſolamen, Sect.9. in cap.7. n.6. Appoſitè Bernardus hom. de duobus diſcipulis,* Clauſula iſta, *inquit*, non eſt exponenda, ſed ruminãda. Quoties in nobiſmetipſis marceſcit anima noſtra, & poſſident nos dies afflictionis, quoties tædiis, vel tentationum vulneramur ſagittis: ad memoriam reuocemus quid aliquando in oratione ſenſerimus, quid in meditatione guſtauerimus, qualiter locutus ſit nobis Dominus cùm ſcilicet tranſmigraremus in delicias contemplationis. Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis de Ieſu? O dulcis ardor, dulcis ſplendor, dulcis amor! Ardor confortans, ſplendor illuminans, amor inebrians. Quàm dulciter ardes, quàm mirabiliter ſplẽdes, quàm ſufficienter totum cor hominis imples? Quis poterit habitare de nobis cum igne deuorante, cum ardoribus ſempiternis, cùm iam non erit ignis in Sion, ſed caminus in Ieruſalem in ſplendoribus æternitatis? Tunc etiã recordabimur de hoc paruo igniculo, quem ſentimus in conualle plorationis, cantabimus, & pſallemus, & dicemus ad inuicem: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis de Ieſu? Cùm ſub paupertate degeremus militię regularis, & ſtaremus ad pſallendum in nocturnis vigiliis, & poſt vigilias abſconditi incumberemus orationibus illis beatiſſimis interuallis, quàm magna tunc erat in cordibus noſtris multitudo dulcedinis! Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis de Ieſu? Nónne nox erat illuminatio in deliciis? Nónne cor noſtrum tunc ardens erat in nobis, cùm in clauſtro reſidentes meditaremur in ſilentio, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo noſtro, cùm ſuper Ieruſalem cor aſcenderet, & cogitaremus patriæ gaudia', cùm concentus cæli reſonaret in conſcientia? Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis de Ieſu, cùm diuinarum Scripturarum dulcedine noſtras reficeremus animas, inuenientes in illis mirabiles delectationes ſuper omnes diuitias?

Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. *Pium eſſe Dei beneficia recenſere, Sect.10 in cap.11.n.8.*

FERIA III. PASCHATIS.

Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum, & dicit eis, Pax vobis. *Qua de cauſa Chriſtus hac ſalutatione vſus ſit, Sect.4. in cap.5. num.4.* Ego ſum, nolite timere. *Hic tractari poteſt Angelis eſſe legitimum primum terrere, & mox erigere, Sect.10. in cap.12. num.11.* Conturbati verò, & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre. *An Angeli, & animæ beatorum, aliquando rebus noſtris interſint, Sect.12. in cap.12. à n.1. vſque* 14. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? *Vna ex parte ſpiritum putabant, qui clauſis ingreſſus ianuis de improuiſo in medio conſtitiſſet; altera ex parte dubitabant, num eſſet Chriſtus. Oſtendit itaque Saluator noſter ſe eſſe Chriſtum, qui eorum cogitationes videat, quæ ne ſpiritus quidem Angelicus videre poſſit; Deum cogitationes hominum non latere, Sect.2. in c.4. n.17. Rurſum, ſolius Dei eſſe ſcire cogitationes hominum, Sect.7. in cap.5. n.2. &* 3. Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. *Qualia corpora ſibi Angeli formant, cùm hominibus apparent, Sect.3. in c.5. n.7. & Sect.13. in cap.12. n.4.* Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod mãducetur? *Scribis Euangeliſta diſcipulos non credidiſſe, vt culpam extenuare* Luce 24.

uuere videatur: ſi enim aliquatenus non credidiſſent, non fuiſſent mirati præ gaudio; hinc colligitur fidem aliquot modis perfici, Sect.12. in cap.1.n.6. Appoſitè Maldonatus hoc loco: Sæpè, *inquit,* quod maximè optamus minimè credimus. Sic Iacob cùm audiſſet Ioſeph filium ſuum viuere, quaſi de graui ſomno euigilans filiis affirmantibus credere non poterat, Geneſ.45. Sic Petrus à carcere præter opinionem per Angelum liberatus, neſciebat quia verum erat, quod fiebat per Angelum, ſed exiſtimabat ſe viſum videre, Act.12.9. Sic interpretantur Hebræi, quod ſcribit Dauid Pſal.125.1. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati, in Hebræo, ſicut dormientes, ſicut ſomniantes, id eſt, non credebamus, ſomniare nos potiùs putabamus, quàm verum eſſe, quod tam diu, ac tantopere optaueramus, Dominum à captiuitate populum ſuum liberaſſe. Quia ergo credebant Apoſtoli, non credebant. Quia credebant Chriſtum, quem videbant, eſſe gaudebant: vnde enim gaudebant, niſi quia credebant? & quia gaudebant, non credebant. Et quia fieri non videtur poſſe, vt credentes non credant, poſſumus interpretari non credidiſſe, non quia non crediderunt, ſed quia magis ac magis credere voluerunt. Similes enim erant ſitibundis, qui cum, quantum ſatis eſt, biberint, ſatis ſe bibiſſe non putant, adhuc ſitire ſibi videntur, adhuc volunt bibere. Sic Apoſtoli, cùm veram haberent fidem, argumentis tamen fidei ſatiari non poterant; viderant, inſpexerant, contrectauerant, adhuc ſitiunt, adhuc plura deſiderant. Hoc illud nimirum eſt: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, Pſal.41.3. & ſitiuit in te anima mea, Pſal. 62.2. hoc eſt, Qui bibunt me, adhuc ſitient, Eccleſ.24.

At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis, & cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis. *An Chriſtus ſatis probauerit edendo, verum ſe habere corpus, cum Angelis non veris, ſed aſſumptis corporibus ederint, Sect.11. in cap.12. n.1. vbi oſtenditur operationes Angelorum non eſſe vitales, coſq; quidem videri edere, reuera autem non comedere, vti ergo vera corpora videbantur habere, & qua vera non erant, ſed aſſumpta: ita apparenter tantum comedebant;* Chriſtus autem verè proprieq; edit: *&, vt ait Auguſtinus ſerm.147. de temp.* Quod manducauit poteſtatis, fuit, non egeſtatis. *Quod ipſum omnibus poſt reſurrectionem corporibus, commune fore dicit lib.13. de ciuit. Dei, cap.22. Sufficienter ergo probabat* Chriſtus *ſe verum habere corpus. Quod autem reliquias diſcipulis dedit, fuit vt cognoſcerent ipſum verè aliquid ediſſe, non ſimulatè, eumq; eſſe, qui cum illis ante mortem edere ac bibere ſolebat; quin etiam vt diſcipuli verè poſſent dicere, quod poſt eius reſurrectionem prædicantes dixerunt, Act.11.* Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexiſſet à mortuis.

Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas. *Deum illuminare corda hominum bonæ voluntatis, Sect.9. in cap.7. n.4. & 6. Iterum,* Præbuit ſe videndum oculis, *inquit Venerab. Beda,* præbuit manibus contrectandum. Parum eſt: lege, Commemorat Scripturas, & hoc parum eſt: Aperuit ſenſum, vt quod legis intelligas. *Scripturam eſſe intellectu difficilem, Sect.20. in cap.14. n.1.2. & 3.* Et dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertia. *Tribulationes viam ſternere ad cæleſtem gloriam, Sect.5. in cap.5. n.9. Rurſum, electos à Deo cognoſci, quòd libenter patiantur, Sect.8. in cap.12. n.3. & 5.*

IN FESTO S. MARCI.

Neminem per viam ſalutaueritis. *Moram* Lucæ 10. *Chriſtum prohibere in opere bono, Sect.5. in cap.5. n.6.* In quamcumque domum intraueritis primum dicite, Pax huic domui: & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra: ſin autem, ad vos reuertetur. *Salutationes iuſtorum eſſe tacitas preces, & benedictiones potentes, quæ efficiunt, quod apprecantur, Sect.10. in cap.5. n.7.* In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt. *Et paulò poſt,* In quamcumque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quę apponuntur vobis. *Ciuiliter hæc verba intelligenda eſſe, non autem, quod nullo tempore delectus haberi debeat ciborum, quandoquidem viri ſancti ob cauſas à cibis gentilium abſtinuerint, alij ex præcepto, alij ex deuotione, Sect.24. & 25. in cap.1. per totum.*

Dignus eſt enim operarius mercede ſua. *Operario indigenti ſoluendam eſſe eadem die mercedem, Sect.11. in cap.4. n.3.* Et curate infirmos, qui in illa ſunt. *Sanctos morbos curare miraculosè, Sect.7. in cap.6. n.8. & 10.*

Ex hiſtoria S. Marci hæc pauca accipe, Euangelium Cyrene & Pentapoli, aliiſq; nonnullis vrbibus, proſperis omninò ſucceſſibus prædicauit, ſuaq; tum doctrina, tum vitæ ſanctimonia, patratis multis, ſtupendiſq; miraculis, multos idololatras, & à Chriſto prius auerſos ad Chriſtum conuertit. Morale. *Non ſolùm propria, ſed & aliorum ſaluti inuigilandum, Sect.29. in cap.1. n.9. & 10.*

Ea fuit exempli à S. Marco prælati, doctrinaq; ab eodem tradita vis, vt innumeri prædicatione illius ad Chriſtum conuerſi, vaſta ſolitudinum, & ardua montium in Ægypto frequentarint, adeoq; ſanctis commendatam moribus vitam inſtituerint, vt non tam mortales, quàm cælites immortales, carnis mortalitate veſtiti viderentur. Morale. *Exemplum plus valere ad pietatem, quàm voces, Sect.1. in cap.5. à n. 4. vſque 9.*

Alexandrini exoſiſſimum habuerunt S. Marcum tamquam

tamquam deorum falsorum hostem, & euersorem Phanorum profanorum, eumq; 24. Aprilis, dum celebrarent solemniter festum diem Serapidis Aegyptij, ara assistentem, missaq; operantem, laqueo eius cervicibus iniecto, immaniter per celebriora vrbis compita raptarunt. S. verò Marcus tamquam pro eminenti beneficio singulares gratias agebat. Morale. *Nihil vtilius esse, quàm Deo gratias agere in aduersis. Vide Sect.11.in cap.2.per totum.*

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI.

Ioan.14. Non turbetur cor vestrum. *Multa discipulorum mentes & corda timore & mœrore turbabant, Christum nempe discedentem audire, rursus se non posse, quò ille ibat, venire, sicut nec Iudæi poterant; præterea vnum eorum Christi proditorem futurum: adhæc Petrum, qui primus erat eorum, ante galli cantum ter negaturum Dominum; ex his omnibus tristia, & formidabilia concipientes, contristati sunt, & timuerunt. Tristitiam ob magistri ac Domini discessum conceperunt; timorem verò, ob ea quæ sibi iam iam superuentura metuebant. Dominus autem eos consolari, & instruere volens, diuino sermone ad eos habito, qui omnibus fidelibus in huius mundi pressuris degentibus maximam & consolationem animi, & mentis illustrationem adferre natus est, ipsos sedat:* Non, *inquit,* turbetur cor vestrum. *Deponite, discipuli, timorem & tristitiam, quam de meis verbis concepistis. Cauete ne his passionibus succumbatis, sed si turbatur, & commouetur inferior pars & sensus; cor tamen & mens recto & vero inhæreat, & immobilis perduret. Hic tractari potest, consolari afflictos esse valdè meritorium, Sect.34. in cap.1.n.1. & Sect.1.in cap.2.n.2. & latiùs Sect.3.in c.10.n.6. Rursus, quanam tristitia fuerit iustorum in aduersis, Sect.10.in cap.2.n.1.2.3.4.6.* Creditis in Deum, & in me credite. *Tristitia, & timor, omnisq; turbatio discipulorum maximè ex eo procedebat, quia ea solùm considerabant in Christo, quæ erant humana, discessus nempe eius, ipsorum in hoc sæculo mansio, & alia, quæ ex his consequi videbantur; idcirco accommodatum, & optimum Christus adhibet medicamentum, nempe vt remotâ consideratione rerum humanarum, mentem figant in diuinis: sicut qui transit fluuium, dum aquam labentem intuetur, caput eius & spiritus necesse est turbari; at si conuertat oculos in montem stabilem, cessat turbatio: ita nunc monet Dominus, vt non ea quæ humanitatis sunt, respiciant; sed quæ diuinitatis sunt, intueantur: tunc enim cessabit timor omnis, cùm credent eum, qui moritur, & qui vadit, Deum esse, ab omni periculo liberare potentem, qui si noluisset mori, aut pati, eum nemo cogere potuisset, quo protegente nihil eis nocere poterit. Dicit ergo, sicut vos creditis in Deum, & fatemini ab omni eum posse periculo, & malo liberare, credite in me etiam, quia Deus sum. Hinc colligitur, humanum timorem esse abiiciendum, & in Deo omnem spem esse ponendam, Sect.7.in cap.2.n.4. §. Audiit. Rursum, Deo numquam media deesse, quibus in se confidentibus prouideat, Sect.3.in cap.5.n.5. & 6. Adhæc per modum digressionis hic tractari potest, ad sedandam turbationem rerum humanarum nihil esse efficacius, quàm persuasissimum sibi habere, nihil in hoc mundo contingere absque diuina permissione, Sect. 11.in cap.3.n.1. & Sect.8.in c.11.n.1. & 2. Christus enim videns turbationem discipulorum ex eo procedere, quòd deorsum respicerent, iubet sursum oculos attollere, ne illis contingat, quod scalam altam ascendenti, qui horrorem concipit, cùm ad inferiora respicit.*

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Consolatur Christus alio argumento iterum discipulos, tristes aut propter negationem Petri, aut propter suam, vel ipsorum mortem, aut potius quod se abiturum diceret, & quò ipse iret, eos venire non posse. Ne igitur putarent, numquam se illum visuros posthæc, aut excludendos ab eius regno esse, siquidem abeuntem eum, & regnum capessentem non sequerentur, iubet eos æquo esse animo, patienterq; moram istam ferre, etiamsi modò non sequantur, secuturos postea, vt dixerat Petro: nec defuturum illis, quandocunque venirent, in regno suo locum: in domo enim Patris sui multas esse mansiones, suam cuique seruari, quæ ab alio nemine occupari possit. Magnum beneficium esse afflictis habere consolatorem, Sect.34.in cap.1.n.3. & 4.* Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? *Thomas nomine suo & aliorum, ignorantiam, & discendi desiderium proponit Christo, à quo intelligit, se esse viam, quæ perueniri queat ad Patrem, dum ait:* Nemo venit ad Patrem nisi per me. *Appetendam esse scientiam eorum, quæ conducunt ad vitam æternam, Sect.7.in cap.6.n.4.* Ioan. 3

Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. *Ac si diceret,* Tu Domine nos de tuo discessu, & aliis quæ dixisti, tristes & timidos consolari, & confirmare cœpisti, promissione aduentus tui, & assumptionis nostræ à te, & præparationis mansionum; at ostende nobis Patrem: Et sufficit nobis, *vt timore & tristitia depositis non opus sit plures rationes in medium adducere. Existimabat Philippus Patrem esse alterius substantiæ à Christo: idcirco eum videre cupiebat ad suorum etiam consolationem, dum ait:* Et sufficit nobis. *Hic tractari poterit, saltem ex ea parte Philippum esse laudabilem, quod istius rei scientiam appetierit, quæ ad vtilitatem proximi spectat, eadem Sect. num.7.*

Quod ad historiam spectat, S. Philippus Apostolus fuit Galilæus natus Bethsaidæ. Vnde colligimus vilem & infœcundam patriam, qualis erat Galilæa, & pessimam ciuitatem, qualis erat Bethsaida non nocere volenti virtuosè viuere, Sect.3.in cap.1.n.6. Vt primùm S. Philippus Christum agnouit, cœpit Apostolico diligenter officio fungi; cœpit videlicet aliorum saluti se penitus impendere, & quoscumque poterat, diuini amoris facibus inflammare. Inter alios adduxit etiam Christo Nathanaëlem, Ioan.1. vnde opportunè

hic

hic tractari poteſt, dona à Deo accepta publicæ vtilitati impendenda venire, Sect.3.in cap.9.n.2.& 3.

Poſt Chriſti ad cælites aſcenſum, & S.Spiritus in Apoſtolos deſcenſum, obtigit S. Philippo prouincia Aſiæ ſuperioris, ad quam tamquam legatus Chriſti profectus, ſua tum doctrina, tum vita ſanctimonia rudes illos populos feliciter eruditos, ad Chriſtum conuertit. Itaque idola ſubuertit, Eccleſias & aras erexit, ac ſacerdotes creauit, & omnibus exactã vitæ Chriſtianæ formulam tradidit. Ex quo patet, Deum diſpergere iuſtos ad aliorum ſalutem procurandam, Sect.4.in cap.13.n.3.& 4.

Quantum ad hiſtoriam S.Iacobi ſpectat, frater Domini dictus fuit, quod Chriſti ſimilitudinem vultu referret, adeò vtnam, vt poſt eiuſdem ad cælos aſcenſum, quamplurimi Chriſtianorum Ieroſolymam conceſſerint, eum videndi cauſa. Ex quo tractari poteſt, an aliquid efficiat ſimilitudo vnius cum alio, Sect.2.in cap.7.n.1.& 2.

Tanta fuit abſtinentia S.Iacobus, vt carnem nunquam guſtauerit, exiguis panis cruſtulis, & frigida aqua contentus vitam rigidam trahebat. Hic tractari poteſt, ſine abſtinentia, impoſsibile eſſe vacare ſapientiæ, Sect.25.in cap.1.n.5.6.7.8.9.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

Ioan. 3. Amen, amen dico vobis, Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. *Venit Nicodemus ad Chriſtũ conſcientiæ ſtimulo agitatus, ſibi neceſſarium exiſtimans Chriſtum recipere, & eum confiteri; tamen conſcientiæ ſatisfacere ſibi videbatur, ſi nocte, & ſecretò veniret, ac Chriſtum doctorem à Deo miſſum confiteretur; nihilq; amplius faciendum credebat. Chriſtus autem ipſum inſtruit, & conſtanter docet, neceſſarium eſſe ad ſalutem baptiſmo initiari, ſi videlicet de numero Eccleſiæ velit eſſe, & tandem æternam ſalutem conſequi. Regnum Dei, appellat Eccleſiam ſequentium Chriſtum; Iudæi enim tempus & ſtatum aduentus Meſſiæ hoc nomine appellabant. Sic Luc.14.dicitur,* Beatus qui manducabit panem in regno Dei, *id eſt, qui fruetur aduentu Meſſiæ, & Matth.* 21. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. *Ex quo primùm dignoſcimus neceſſitatem baptiſmi, de qua vide Sect.3.in cap.1.n.4.*

Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? *Non intelligens Nicodemus nouam illam generationem, de carnali generatione verba Chriſti interpretatur, & fieri non poſſe iudicat; Dominus autem propterea eam generationem per aquam & Spiritum S. fieri reſpondet, & Nicodemum reprehendit. Ex quo docemur, intellectu penetrari non poſſe myſteria diuina, & illud* Quomodo *longè abeſſe debere à fideli, Sect.9.in cap.6. n.5.13.& 14.* Et ſicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Docuerat Chriſtus quàm neceſſarium eſſet, vt ſibi omnes credent, qui ſalui eſſe vellent, idipſum nunc exemplo ſerpentis à Moyſe olim erecti declarat, atque confirmat. Sicut enim tunc à ſerpentibus morſus ſanari non poterat, niſi in ſerpentẽ æneum intueretur; ita nunc neminem ſalutem eſſe poſſe, niſi in ſe credat. Vſus autem eſt figura ex Scripturis ſumpta, vt facilius Nicodemus doctrinam aſſequi poſſet: erat enim legiſperitus: nam Moyſes factum myſterium aliquod magnum ſignificare, dubitare non poterat; illud autem mortem Chriſti, & crucifixionem ſignificabat, qua eſt ratio quare in feſto Inuentionis S. Crucis Eccleſia hoc Euangelium legat.*

De eius inuentione videre licet Breuiarium Romanum hoc die, vbi miraculoſa eius inuentio recenſetur, quam Deus poſtmodum pluribus miraculis illuſtrare dignatus eſt. Vide præter alios Auctores P. Petrum Ribadineiram 3.Maij. Neque id mirum eſt, quandoquidem eius ſigno crucis abigi dæmones, probatiſsimi Auctores certo affirmant. Vide Sect.8.in cap.6.n.12.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit eis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiem cordis; quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt. Marc.16.

Apoſtoli poſt Chriſti reſurrectionem durioris fuerunt fidei, ita vt neque Maria Magdalena dicenti Chriſtum ſibi apparuiſſe, neque duobus illis diſcipulis, qui in fractione panis eum cognouerant, crederent. Vnde Dominus illos corripuit: vnde hic tractari poteſt, qua ratione vtiliter delinquens corripiatur, Sect. 31. in c.1.à n.3.vſque 7. Euntes in mundũ vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. *Quàm vtile ſit iuſtis in peregrinas regiones diſpergi, Sect.4. in c.13.n.8.* Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient. *Antiquitus quilibet Chriſtianus poterat dæmoniacos curare, Sect.2.in cap.8.n.6. Rurſum, diuerſis mediis dæmones pelli, docetur Sect.7.in cap.6. n.10.11.12.& 13.*

Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. *Hæc verba non de omni tempore intelligenda ſunt, ſed de illo quando ad fidei propagationem, & confirmationem miracula neceſſaria fuerint; alias enim quis Deum tentat, & ſeſe grauiſsimo periculo exponit, Sect.14. in cap.6.n.7.*

Quantum ad hiſtoriam Aſcenſionis attinet, nihil in hoc opere tractatur, quàm quòd Chriſtus aſcenſurus in cælum oſtenderit magnum theſaurum in benedictione contineri, dum ad extremum vale, teſte Luca, eleuatis manibus ſuis benedixit. *Vide dicta Sect.10.in cap.5.n.5.*

Et quia Chriſtus eleuatis manibus *benedixit, addo quadruplici modo manus componi ſolere in benedictionibus. Primus fuit, manus in crucis formam tranſponendo commutare. Sic Iacob Geneſ.48.extendens* manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim, minoris fratris, ſiniſtram autem

ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus, benedixitque Iacob filiis Ioſeph. *Secundus fuit per manuum extenſionem ad populum. Sic Aaron Leuit. 9. celebratis primitiis extendens manus ad populum benedixit ei; cuius benedictionis exemplum & fructus extat 2. Paralip. 30. 27. Eius autem figura veritas in Chriſti benedictione tum aliàs, tum in aſcenſione ad cælos patuit. Tertius fit, manuum impoſitione ſuper capita benedicendorum, ita Marci 10. Chriſtus egiſſe declaratur, cùm paruulis, quos tulerat ad ſe venire*, Et imponens manus ſuper illos, *inquit ſacra pagina*, benedicebat eos. *Quartus fuit, elevatione manuum in cælum, vt conſtat Luc. vlt.*

FERIA II. PENTECOSTES.

Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Cùm Filium hominis, vt ſerpentẽ ligno exaltandum dixiſſet Chriſtus, cauſam huius exaltationis exponit, ac ſi dicat, O Nicodeme, dixi Filium hominis oportere exaltari; ne arbitreris hanc exaltationem ratione culpæ meæ, & peccati futuram, quia exaltandum dixi, vt ſerpentem in ligno: nec tribuas neceſſitati fati alicuius, quaſi id vitari non poſſet, quia dixi, oportet; nec impotentiæ diuinæ adſcribas, quaſi aliter ſaluti hominum nequiret Deus conſulere; nec infirmitati adſcribas, quaſi me defendere non valeam, quia dixi me Filium hominis; ſed ſcito cauſam eſſe, quia ſic Deus dilexit mundum, vt me vnigenitum Filium, factum Filium hominis dederit exaltandum pro mundi ſalute. Non igitur culpa, non neceſſitas, non impotentia, non infirmitas, ſed Dei immenſus amor cauſa eſt tanti myſterij. Hic tractari poteſt tantum fuiſſe amorem Dei, vt homines ad ſanam mentem ab errore reducendos per mirabilia multa tentarit vſque ad incarnationem Filij Dei, Sect. 8. in cap. 8. n. 6.*

Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. *Exemplum eſt non ſolùm de præterito, ſed etiam de futuro, nempe qui malè vult agere, lucem fugit, & tenebras quærit. Multi erant Gentiles, quibus ebrietas, carnis peccata, & alia iniqua placebant, quæ in ſua ſecta erronea illis licebant: tamen Euangelica veritate damnabantur: noluerunt hi Euangelium recipere, vt rectè dicit Cyrill. lib. 2. cap. 55. ne lux Euangelica malam eis induceret conſcientiam eorum, qua placebant, & licere exiſtimabant. Mala enim conſcientia accuſatrix eſt, & quietem perturbat, quam in ſuis illis operibus, quibus delectabantur, habebant. Sic faciunt plerique Chriſtiani, dum peccatis inhærere volentes, etiam correpti technas quærunt, Sect. 9. in cap. 5. n. 4.*

Omnis enim qui malè agit, odit lucem. *Hic tractari poteſt, quoſnis Dei legem preuaricantes in pratextu tenebrũ malè conquieſcere, Sect. 2. in cap. 4. n. 10. 11. & 12.*

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius: quia in Deo ſunt facta. *Quid ſignificet vocabulum*, veritas, *in Scriptura, Sect. 22. in cap. 1. n. 1. 2. 3. & 4. hic autem ſignificat, bene operari iuxta legem iuſtitiæ, rectitudinis & honeſtatis:* Quia in Deo ſunt facta, *ergo idem eſt, ac dicere, quòd bene operantes non pudeat venire ad lucem, quia eorum opera diuinæ voluntati, & legi conformia ſunt. Ita experientia docet eos, qui benè agere ſtudent, libenter amplecti doctrinam veritatis, per quam intelligant ſe rectè, & ſecundùm Deum operari. Hic opportunè etiam doceri poteſt, conſiderationem præſentiæ Dei plurimum valere ad virtutem, Sect. 2. in cap. 4. à num. 4. vſque 10.*

FERIA III. PENTECOSTES.

Amen amen dico vobis, Qui non intrat per Ioan. 10. oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. *Phariſæi facto illo impio, quo cæcum à natiuitate à Chriſto reſtitutum, propter eius confeſſionem eiecerunt, duo mundo ſignificarunt. Vnum erat, eos Chriſtum non verum Meſſiam, ſed pſeudo-prophetam, ac ſeductorem reputare, & talem ab omnibus eſſe habendum iudicare, quales tunc proximis diebus aliquos experti erant ſeditioſos, & ſeductores, de quibus Act. 5. & apud Ioſeph. lib. 20. de Antiq. cap. 4. & 5. facta eſt mentio. Alterum erat, quod ex priori conſequebatur, omnes eos qui ipſum confitebantur, & in eum credebant, eſſe ſeductos, & errantes, quales apud nos ſunt hæretici, aut apoſtata à fide, idcirco eos a Synagoga veluti à fidelium numero ſeparatos eiiciebant. Dominus ergo cauſam hanc, tamquam rem magni momenti ſuſcipiens, docet propter bonum aliorum fama magnam habendam rationem, Sect. 6. in cap. 8. n. 5. Et propterea docet omnes ſeductores, non autem veros paſtores, qui per ipſum non intrant in ouile; quin etiam illos qui in eum credunt, eſſe de ipſius ouili.*

Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis. *Non intellexerunt Phariſæi, quid Dominus illa parabola furis & paſtoris, ac oſtij ſignificare voluerit. Quamuis enim verborum corticem perciperent, tamen ſenſum prætenſum non ſunt aſſecuti. Sacram Scripturam eſſe obſcuram, & quare, Sect. 20. in c. 14. n. 1. & 2. Quibus adde hanc parabolam de fure, paſtore, & oſtio, quam nemo intelligeret, niſi Chriſtus explicaſſet.*

Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. *Deus in noſtrum bonum homo factus eſt, Sect. 2. in cap. 7. n. 1. & Sect. 8. in c. 8. n. 6.*

IN FESTO VENERABILISSIMI SACRAMENTI.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus Ioan. 6. verè eſt potus. *Dixerat Dominus*, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã. *Hiſce verò verbis cauſam reddit, quare caro eius manducanda ſit, videlicet, quia parabolicè, nec enigmaticè, ſed verè & realiter, caro & ſanguis ipſius ſint cibus & potus, ex diuina potentia, qua ſub nocte cœnæ Sacramentum mirabile inſtituit, in quo carnem propriam ſub ſpeciebus*

bus panis, & ſanguinem ſub ſpeciebus vini inſtituit, vt realiter manducari & bibi poſſit, & ore ſumpta cibus animarum fiat. Euchariſtia Sacramentum eſſe inperſcrutabile, Sect.9.in c.6.n.7.9. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. *Hiſce verbis intendit ſignificare Dominus efficaciam Venerabilis Sacramenti, quam latius explicat in ſequentibus verbis,* Sicut miſit me viuens Pater, *&c. Quod idem eſt ac ſi dicat, Sicut ego qui ſum Filius Dei, eandem vitam habens cum Patre, factus tamen homo, mea humanitati propter vnionem, vt Deus do vitam; ita ei qui me manducat, quia mihi vnitur & coniungitur per carnem meam, dabo vitam. Hic tractari poteſt, de vtilitate ſumptionis huius Sacramenti, Sect.11.in cap.12.à n.7.vſque finem.*

Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. *Chriſtus modò ſeipſum, modò carnem ſuam vocat panem: non enim caro à ſua perſona vnquam ſeparata eſt: propterea vbi caro eſt, ibi & ipſe Chriſtus Filius Dei eſt, qui ratione ſuæ carnis nobis eſt panis vita factus, quatenus ſub ſpeciebus panis, nobis ſeipſum in carne ſua cibum præbet. Hic tractari poteſt, quare Euchariſtia nominetur panis, tum hoc loco, tum apud Apoſtolum, Sect.2.in cap.2.n.1. Rurſum, quamuis caro & humanitas de cælo non deſcenderit; is tamen qui vnitus eſt carni, de cælo eſt, propterea dicitur, deſcendiſſe panis de cælo. Hic tractari poteſt, in hoc myſterio non eſſe quærendam rationem, Sect.9. in cap.6.n.14.* Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. *Hanc promiſſionem eſſe conditionatam licet hoc loco non explicetur, Sect.5.in c.13.n.9. Rurſum, neceſſarium eſſe aliquando ſumere Euchariſtiam, Sect.8.in cap.12.n.2.*

IN FESTO S. IOANNIS BAPT.

Luc. 1. Elizabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. *An faciat aliquid, ad bonorum cumulum genuiſſe filium, Sect.17.in cap.1.n.1.& 2.* Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei. *Veterem eſſe conſuetudinem ſibi mutuo congratulari in rebus proſperis, Sect.11.in cap.11.n.2.* Et factum eſt in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam. *Ex quo capite, ipſo circumciſionis die nomen filio impoſui ſolitum, & quare nomina imponantur, Sect.17. in c.1.à n.3.vſque 9.* Et reſpondens mater eius dixit, Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. *Cognouit mater voluntatem eorum, qui nomine patris filium vocabant, ſiue quia interrogata eſt, ſiue cùm adeſſet, voces colloquentium audiuit; & ſtatim prohibet nomen patris imponi filio, & Ioannem vocari iubet. Vnde ſciuit mater Ioannis Baptiſtæ filium eo nomine inſigniendum, potiùs quàm alij, incertum; credo id factum ex Spiritus ſancti reuelatione. Sicut enim ſalutante eam B. Virgine nouit myſterium Verbi Incarnati; ita etiam quidquid de filio ſuo ab Angelo dictum fuerat Zachariæ intellexit, & S. Spiritu illuminata puero nomen Ioannis vult imponi, vide dicta Sect.1.in cap.4.n.2.3.4.& 5. vbi rationes aſſignantur, quare Deus vni reuelet, quod alterum celat.* Apertum eſt autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. *Angelus Zachariam ſibi non credentem pœna eius incredulitati conuenienti corripuerat, præcens, quod loquendi facultate priuaretur, donec fierent, quæ illi nuntiauerat. Cùm verò poſtulato pugillari ſcripto annuiſſet filium vocandum Ioannem, loquelam recuperauit. Præclarè Tertullianus lib. de idololatr.* Zacharias temporali vocis orbatione mulctatus, tamẽ animo collocutus, linguam irritam tranſit, manibus ſuis à corde dictat, & nomen filij ſine ore pronuntiat. Loquitur in ſtylo, auditur in cera, manet omni ſono clarior, littera omni ore vocalior. *Hic tractari poteſt, ad ſalutem hominum, Deum aliquando mittere peculiares Angelos, Sect.13. in cap.12.n.1.2. Rurſum, quia Zacharias poſt tantum ſilentium verba, Deum benedicendo, ipſumq; laudando profert, vt auctorem ſuæ vocis profiteatur, ipſiq; gratias rependat, opportunè hic dici poteſt, ante omnia Deo gratias agendas eſſe pro beneficio accepto, Sect.4.in cap.11.n.5.* Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum. *Homines mortales, & Deo longè inferiores, quando eum potentiam ſuam exerere aduertunt, timent, non ſolùm illius maieſtatem reuerentes, quod etiam cæleſtes poteſtates faciunt; ſed etiam ne eam contra peccatores conuertat, magnopere formidant. Hinc prodigia, & portenta, quæ certo Dei potentiam referunt, terrere homines ſolent. Hic timor factus eſt in omnes vicinos Zachariæ, & Elizabeth, qui Dei potentiam in tot, ac tantis geſtis clarè animaduertunt; idcirco non in natiuitate timuerunt, quia non ita clarè Dei potentia ac virtus in ea exerebatur. De hoc timoris genere ſcriptum eſt Marc.4.* Timuerunt timore magno, & dicebant alterutrum, Quis putas eſt iſte, quia venti, & mare obediunt ei? *& cap.5.* Venerunt ad Ieſum, & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, ſedentem, & veſtitum, & ſanæ mentis, & timuerunt, *vide Sect.18. in cap.1. vbi inter varias timoris ſignificationes, vna eſt, admirari, n.2.* Et poſuerunt omnes, qui audierant, in corde ſuo dicentes: Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. *Cogitabant, & animo voluebant, quid ea ſibi vellent, & quid portenderent; magnam enim opinionem ac ſpem euentus alicuius admirandi conceperant, vti reuera euenit. Vnde quis præſagire poſſit aliquem magnum euaſurum, Sect.5.in c.1.per totum. Sic hoc loco, quod animo conceperant, verbo exprimentes, inuicem dicebant:* Quis putas puer iſte erit? *ſeu, Magna profectò, & illuſtria noua, hæc & ſingularis pueri natiuitas portendit, inſignis eſt, & egregius euaſurus, cuius in ortu talia, ac tanta diuinæ potentiæ argumenta præcedunt, quanta in nullo antè propheta facta ſunt.* Etenim manus Domini erat cum illo.

Quid ſignificet in Scriptura ſacra, manus Dei, *Sect.3.in cap.13.n.1.& 2.*

Ad hiſtoriam natiuitatis S.Ioannis Baptiſtæ.

*Deus S.Ioannem Baptiſtam,quem honoratißimo deſtinaret officio, voluit ab iiſdem prorſus hiſtoricis celebrari,à quibus ipſemet deſcribitur. Vnde S.Lucas de ipſo inter alia ſcribit,*Erit magnus coram Domino,& vinum & ſiceram non bibet,& Spiritu ſancto replebitur, adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum. *Qua ratione quis dicatur magnus coră Domino,Sect.2.in c.1.n.4.5.6.*

Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ. *Nomen vnius hominis alteri aliquando tribui,& quare? Sect.5.in cap.5.n.8.*

S.Ioannes Baptiſta à teneris mox vnguiculis in ſolitudinem ſeceßit, rigidumq́,in corpus ſuum egit cenſorem. Hic tractari poteſt,vnde contingat pueros, relictis infantilibus iocis, tam immaturè ad cæleſtia aptari, Sect.4.in cap.1.n.2.3.vſque finem. Rurſum hic diſceptari poteſt, ad quid ſolitudo ſit vtilis, Sect.20.in cap.3.per totum.

S.Ioannes Baptiſta rigidam hanc vitam tenuit in eremo,donec præcurrere,neceſſum fuit Altißimo. In qua functione miris encomiis à Deo donatus eſt. Propheta dictus fuit, Angelus, ac talis, vt inter natos mulierum maiorem Ioanne Baptiſta, non ſurrexiſſe pronuntiarit Chriſtus.Hic tractari poteſt,quando conuenit, alium tum præſentem, tum abſentem laudare,Sect.5.in cap.7.à n.1.vſque 15. Rurſum hic diſceptari poteſt, an reſpectu Beatorum aliquis ſit S.Ioannes,Sect.2.in cap.4.n.1.

IN FESTO SS. PETRI ET PAVLI.

Matth.14. *Vide quæ dixi ad Euangeliũ in Cathedra S.Petri: idem enim hic recurrit. Quantũ ad hiſtoriam S.Petri attinet, fuit Galilæus natione, natus Bethſaida. Ex quo tractari poteſt, vile ſolum, ac peruerſißimam patriam non nocere virtutem colenti, Sect.2.in cap.1.n.5.& 6. Quin etiam patriam illuſtrari,quòd viros illuſtres in pietate producat, ead.Sect.n.7.& 8.*

S.Petrus vocatus à Chriſto, cum Andrea fratre continuò relictis retibus eum ſequitur. Deo vocanti illicò eſſe obtemperandum, Sect.4.in cap.2.num.3. Tanto Chriſtus affectu Petrum proſecutus fuit, vt Apoſtolorum reliqui, quaſi fratrem natu maiorem agnoſcerent,& venerarentur,Chriſto ſemper indiuiduus adhæſit comes, admiſſus ad omnia eius arcana, Chriſtus eundem creauit in terris Vicarium; quem primatum ipſe agnoſcens, cùm Apoſtoli repleti ſancto Spiritu muſto pleni dicerentur, ille eorum cauſam ſuſcepit,Sect.15.in c.3.n.2.

*Petrus adeò humilis fuit, vt non indignaretur à minori reprehenſus, Sect.2.in cap.11.n.5.6.7. Petrus miracula faciens nihil ſibi, ſed totum Deo adſcribit,Sect.2.in cap.12.n.1. Petrus ſanaturus claudum à natiuitate,dixit,*Reſpice in nos. *Vnde colligitur etiam aſpectum Sanctorum eſſe vtilem, Sect.2.in cap.7.n.2. Docuit Act.4.Deo, pra Pontificibus contraria Deo præcipientibus, eſſe obediendum, Sect.7.in cap.2.n.5.6.7.8. Vmbra Petri eiicit dæmones, & qua ratione,Sect.8.in cap.6.num.8. Rurſum hic tractari poteſt, Deum per res exiguas magna efficere, Sect.8.in cap.2.n.2.& 3. Petrus Angelica apparitione in carcere honoratus, & excitatus, ac iuſſus ſurgere velociter,ſtatim obediuit: hic tractari poteſt, Deo feſtinationem in arduis operibus placere, Sect.4.in cap.2.n.4.& 5. Denuò, Angelos extraordinarios mitti,vt homini auxilientur,Sect.13.in cap.12.n.2.& 3. Deum laudat,quòd non ſit perſonarum acceptor,Sect.1.in cap.13.num.3. Qui plura volet,conſulat Hiſtoricos.*

Quantum ad S.Paulum attinet, Hebræus fuit de tribu Beniamin, natus Tharſis,parentibus nobilibus. Hic tractari poteſt, quænam nobilitas Deo grata, Sect.2.in cap.1.n.2.3.4.6.7. Paulus cùm à Deo vocatur,ſimul conuertitur,Sect.4.in c.2.n.10. D.Paulus ex inſtituto veterum didicit opificium, & quamuis nobilis labore manuum vixit,& quare? Sect.16.in cap.2.n.2. Paulus omnia omnibus factus,& quomodo,Sect.30.in cap.1.n.1.2.& Sect.3.in cap.9.n.5. ac Sect.vlt.in c.14.n.6. Non recuſauit quidquid pro Chriſto pati,Sect.4.in cap.3.n.10. Dicitur vas electionis,& quare,Sect.8.in cap.12.n.5. Conformans ſe voluntati Dei pericula non metuit,ſed euadit,Sect.1.in cap.8.nu.2. De bona conſcientia maximè fuit ſollicitus,Sect.1.in cap.8.n.4. Summa fuit ipſius humilitas,Sect.1.in cap.9.n.14.& 15. Eius modeſtia & ſuauitas laudatur, Sect.1.in cap.9.n.5.vſque 10. Eius obedientia fuit cæca,Sect.3.in cap.11.n.5. Magna fuit eius charitas erga proximum, Sect.3.in cap.3.à n.4.vſque finem,& Sect.5.in cap.3.n.3.& 5. & Sect.3.in cap.9.n.5. Gloriatur maximè in tribulationibus,& quare, Sect.5.in cap.5.n.8.9.13.& 14. Vide plura in Indice rerum in Tobiam, verbo Paulus, *& ſparſim Scripturas de eo in Indice actuum tractantes.*

IN FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS.

Luc.1. Exurgens Maria abiit in Montana cum feſtinatione. *Beata Virgo poſt Angeli annuntiationem,& Filij Dei conceptionem, audito nuntio de Elizabeth, conceptione ex Spiritus ſancti impulſu, feſtinauit,vt illam viſitaret:*Neſcit,*inquit Ambroſ.* tarda molimina ſancti Spiritus gratia.*Hic tractari poteſt,in opere bono feſtinare,Deo gratißimum, Sect.4.in cap.2.n.2.3.4.& 5.* Abiit in montana cum feſtinatione. *Deum feruorem deſiderare ad opus bonum, Sect.18.in cap.14.n.13. B.Virgo prolixum iter circa octoginta millia paſſuum aggreditur pietatis ergò:nam,vt rectè Ambroſius,*non quaſi incredula Dei oracula, nec quaſi incerta de nuntio, nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio in montana perrexit. *Ex quo tractari hic poteſt, quanam cauſa ſit maxima Deo grata,*

grata, longinquas peregrinationes ſuſcipiendi, Sect. 4. in cap. 13. n. 8. Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth. *Cùm eſſet Elizabeth cognata B. Virginis, ea familiaritate vſa eſt, qua ſolent homines vti cum cognatis, ad quorum domos diuertere ſolent, etiam non inuitati. Preuenit autem ipſam Elizabeth ſalutatione ex feruenti charitate, & profunda humilitate. Hic diſceptari poteſt, an alios ſalutare ſit pium & licitum, Sect. 4. in cap. 5. n. 2. 3. & 4.* Et factum eſt, vt audiuit vocem ſalutationis Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth. *Quibus verbis vſa ſit B. Virgo in ſalutando neſcimus, quanta verò ſalutationis eius fuerit virtus ex Euangelio diſcimus.* Tanta, *inquit Ambroſ. lib. inſtitut. Virgin. cap. 7.* gratia Mariæ, vt non ſolùm in ſe virginitatis gratiam reſeruaret, ſed etiam iis quos viſeret, integritatis inſigne conferret. Viſitauit Ioannem Baptiſtam, & in vtero matris, priuſquam naſceretur, exultauit. Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obſecutus antequam genitus. *Sicut enim per os matris locutus eſt Chriſtus, ita per aures Elizabeth Ioannes perſenſit præſentiam Chriſti, ita vt in vtero matris exultaret. Diſertè Petrus Chryſologus ſerm. 91. fine.* Videtis quemadmodum Ioannes antè peruenit ad cælum, quàm tangeret terram; antè accepit diuinum Spiritum, quàm haberet humanum; antè ſuſcepit diuina munera, quàm corporis membra; antè cœpit viuere Deo, quàm ſibi ipſi: imò antè vixit Deo, quàm Deus viueret illi, iuxta illud Apoſtoli: Viuo autem non ego, viuit verò in me Chriſtus. Sexto menſe ſuæ matris exultat in vtero, & in vterum Virginis veniſſe nuntiauit Chriſtum. Feruens nuntius, qui antè geſtiuit nuntiare, quàm viuere: impatiens dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem; antè rapuit arma, quàm membra; antè aciem petiit, quàm lucem, & vt vinceret mundum, vicit antè naturam: ipſe ſine viſceribus, viſcera matris exſuſcitat, & quia tardabat corpus, ſolo ſpiritu implet officium Euangelizantis. Quid dicam? Ioannes antequam Chriſtũ præcederet, ſe præceſſit. *Aliud per ſalutationem B. Virginis virtus Chriſti exiſtentis in vtero effecit, repleuit vtique Elizabeth Spiritu ſancto, nempe fide, vt agnoſceret Saluatorem; & prophetia, vt occulta, & quæ ventura erant, myſteria prænuntiaret: prius tamen impletur filius, poſtea impletur & mater. Reuelato enim Chriſto Ioanni, reuelatur etiam ipſi Elizabeth. Audiuit vocis ſonum prior mater, ſed vocis virtutem prior recepit filius: vterque tamen à Chriſto per verbum Virginis. Vnde diſcuſſione dignum eſt, an ſalutationes Sanctorum ſint efficaces, Sect. 10. in cap. 5. à n. 4. vſque 8.* Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum. *Cùm Elizabeth B. Virginem & filium commendaſſet, & ſuam indignitatem prædicaſſet, quòd à matre Dei viſitaretur; quin etiam fidem B. Virginis commendaſſet, quam Angelo nuntianti adhibuerat, confitetur, & prædicat palam ineffabilem Dei virtutem, ac magnitudinem, quam ex ipſo opere, in ſe facto, experta erat; quaſi diceret, Magna in me agnoſco; ſed ea non in me, verùm in Deum, qui magnus eſt, & ea præſtitit, refero. Ex quo cognoſcimus Sanctos merita ſua Deo aſſcribere, Sect. 7. in cap. 8. n. 6.* Magnificat anima mea Dominum. *Frequens fuiſſe apud Hebræos cantico aliquo diuina beneficia celebrare, ac recolere, Sect. 12. in cap. 13. n. 1.*

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. *Singulare quid denotat Euangeliſta, nempe quòd mulier proſtituta vita, vt animæ incolumitatem acquireret, Chriſtum acceſſerit in conuiuio; quod de nullo alio ante ipſam ſcriptum legimus: non enim vt Chananea illa Dominum acceſſit, quò filiam liberaret à demonio, neque ſicut Centurio, quò ſeruum paralyticum ſanaret, neque quemadmodum regulus, vt vitam filio prorogaret, neque velut princeps Synagogæ Iairus, neque quemadmodum alij, qui vndique accurrebant, vt ab eo curarentur, neque Chriſtum acceſſit, aut lucri gratia, ſed vt peccata ſua deſleret, ſuſpiriis & lachrymis, intimum cordis dolorem ſignificaret, & erigeret ſpem in Dominum Ieſum, qui ſaluum facere poterat à peccatis, reamq; priſtinæ gratiæ, & amicitiæ reſtitueret. Vnde exemplo ſuo oſtendit lachrymas maximè vtiles, quando educuntur ob peccata propria, Sect. 2. in cap. 10. à n. 6. vſque finem.* Luc. 7.

Maria Magdalena accepto alabaſtro vnguenti pretioſi, domum Phariſæi ſubiit, vbi adeò lachrymas habenis laxauit, vt iis etiam Seruatoris abluerit pedes, quos deinde capitis ſui capillis abſterſit. Quin imò nec hoc officij genere contenta cœpit eoſdem pretioſo, quod ſecum detulerat, vnguento delibutos exoſculari. Adeoq; omnia quæ peccati prius ei fuerant inſtrumenta, conuertit in peccati remedia. Adducta fallacium oculorum ſupercilia, quibus proceſ antea captarat, conuertit in lachrymarum flumina, quibus animam ſuam tot peccatis fœdatam emacularet; capillum mutauit in linteum, quo ſordes à ſe contractas abſtergeret; os vertit in pacis ſymbolũ, quo Chriſti pacem ſuſciperet; vnguentum quo prius abuſa fuerat ad peccandum, vſurpauit in peccati medicamentum, & amuletum; vnxit & hoc ipſo Chriſtum, quo ſcilicet infamis vitæ ſuæ fœtorem procul arceret, vide Sect. 12. in cap. 7. n. 7. & 9. vbi ad longum videre licebit, quantum apud Hebræas, aliaſq; nationes vnguentorum fuerit vſus, & quo fine.

Voluit Maria Magdalena, quam primum ad mentem rediit, peccati inſtrumenta conuertere in peccati remedia, ſciens haud dubiũ ſcriptum eſſe, Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, *vide*

dicta Sect. 19. in cap. 1. n. 6. 7. vbi de crinibus Abſalon, & filiarum Sion fit mentio.

Videns autem Phariſæus, qui inuitauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet Propheta, sciret quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. *Hic tractari poteſt, ex qua cauſa ſoleant murmura prodire, Sect. 10. in cap. 2. n. 7. &* 8. Et reſpondens Ieſus dixit ad illum, Simon habeo tibi aliquid dicere. *Mansuetudo maximè neceſſaria eſt ad vtilem correptionem, Sect. 1. in cap. 9. n. 9. Rursum hic tractari poteſt, quod non retalidntes, diuinum patrocinium mereantur, Sect. 8. in cap. 3. n. 4.* Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque. *Duorum debitorum ſimilitudine, Chriſtus Dominus Phariſaum inciuilitatis arguit, & mulierem à falſa imputatione tuetur, ac eam illi proponendam eſſe demonſtrat. Oſtendit Chriſtus Dominus cauſam afflictorum defendendam eſſe, Sect. 5. in cap. 7. num. 15.*

Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Quando certus quis eſſe queat de peccatorum remiſſione, Sect. 16. in cap. 13. n. 5.* Cui autem minus dimittitur, minus diligit. *Temerè proximum iudicantibus grauis iudicium imminere, Sect. 6. in cap. 3. n. 10.*

Quantum ad hiſtoriam attinet, charitas Mariæ Magdalenæ in vngendo Chriſto iam mortuo eminuit. Sepulto enim Domino pretioſa ſibi comparauit aromata, quibus corpus eius vngeret, & honore ſupremo decoraret. Quis vſus fuerit aromatum in ſepultura apud Iudæos, Sect. 37. in cap. 1. n. 2. Rursum eius charitas emicuit in perſeuerantia ad ſepulchrum, ita vt neque ignominia crucis, neque obſcuritas noctis, neque ſepulchri diſtantia, neque militum cuſtodia, neque Principum & Sacerdotum inſania, neque alia quæcunque pericula, eam potuerunt vel terrere, vel à ſancto propoſito dimouere. Perſeueraſſe in pietate, maxima laus eſt, Sect. 19. in cap. 14. n. 5. & Sect. 3. in idem cap. n. 8. 10. & 11.

Magdalena Maſſiliam cum ſociis ingreſſa, admirabili virtutis exemplo, & ardentioribus verborum facibus, & ſtupendis miraculis, omnes eius prouincia oras, Chriſtiana fidei lumine illuſtrauit; nihil ergo putauit ſe facere, niſi aliorum etiam ſaluti inuigilaret, vide Sect. 19. in cap. 1. n. 9. Maria Magdalena plurimos iam Chriſto lucrata, deinceps rurſus ſua peccata, lachrymis expiatura, quaſi numquam ea defleuiſſet, in ſolitudinem ſeceſſit, vbi dies noctesq; cæleſtium rerum commentationibus intenta diuinis identidem ſolatiis eſt recreata. Hic tractari poteſt ſolitudinem aptiſſimam eſſe orationi ac meditationi rerum cæleſtium, Sect. 20. in c. 3. n. 1. 2. & 3. ac 6. 7. Maria Magdalena triginta annos in dicta ſolitudine exegit, ſic vt radicibus arborum, & obuiis herbis vitam dumtaxat foueret. Abſtinentiæ opportunum medium ad vacandum ſapientiæ, Sect. 25. in cap. 1. à n. 5. vſque finem.

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis adorans & petens aliquid ab eo. Matth. 20. *Cùm Dominus prædixerat diſcipulis mortem ſuam iam iam imminere, & tertia die reſurrecturum, exiſtimauerunt illum regnum ſuum poſt reſurrectionem in terris auſpicaturū, quod temporale fore inſtar regnorum huius mundi cum reliquis Iudæis ſuſpicabantur. Promiſerat autem paulò ante ipſis duodecim, quod in generatione cùm ſederet Filius hominis in ſede ſuæ maieſtatis, etiam ipſi ſeſſuri eſſent ſuper ſedes duodecim, &c. Proinde hi duo carnaliter adhuc affecti, commoti ſunt vt modò primas ſedes inter duodecim ſedes ſibi precarentur. Videbant enim ſe præ aliis ferè honorari, & familiarem ſibi eſſe Dominum, ſed Petrum timebant ſibi præferri, qui & ipſe cum illis à Domino quandoque extra alios aſſumebatur, cùm ſecretiora quædam Dominus communicare voluit. Cùm verò nomine filiorum mater primas ſedes prætenderit, tractari hic poteſt, quid non tentet ambitio & libido dominandi, Sect. 10. in cap. 1. à n. 1. vſque finem, & Sect. 1. in cap. 14. n. 9.*

Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis adorans, & petens aliquid ab eo. *Acceſſit ergo ſupplicabunda mulier, dixitq;, Volo aut Rogo, vt quidquid petiero à te quantumuis magnum concedas.* Aliquid *enim hoc loco ſignificat quid magnum. Vnde Apoſtolus Act. 23. poſtquam intellexiſſet, ex filio ſororis, quadraginta viros ipſi inſidias ſtruere ad mortem, dum iturus eſſet ad Tribunum, vocauit ad ſe vnum ex centurionibus, & ait illi,* Adoleſcentem hunc perduc ad Tribunum; habet enim aliquid indicare illi, *nempe quadraginta Iudæos Paulo inſidiari, qui ſe deuouerant non manducare, nec bibere donec interficerent eum, & Galat. 2. Paulus dicit ſe contuliſſe ſeorſum Euangelium cum iis qui videbantur aliquid eſſe, id eſt, qui magni erant, vt colligitur ex ſequentibus verbis, quæ Paulus ſubiungit,* Ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem. *Ex quo rectè notari poteſt præpoſtera parentum cura, qua de re temporali pro filiis nimium ſunt ſolliciti, Sect. 2. in cap. 5. n. 2. 3. & 4. & Sect. 19. in cap. 4. n. 4.*

Qui dixit ei: Quid vis? ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexterã tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. *Filij Zebedæi Iacobus & Ioannes primas cathedras poſtulare non auſi, matrem ſubmiſerunt, quæ pro illis poſtularet, dicens:* Dic vt ſedeant hi duo, *&c. Rationem reddit Toſtatus Abul. quæſt. 54. in Matth. cap. 20.* Quia facilius concederet Chriſtus matri, quàm filiis: quia fortè illa aliquando adiuuerat Dominam noſtram, ſororem ſuam ad nutriendum Chriſtum. *Ita ille. Hoc verosimile eſt, hos fratres matrem ſubornaſſe, quæ eorum nomine Dominum oraret, quod illa eſſet inter eas mulieres, quæ Domino ſeruiebant, & miniſtrabant de facultatibus ſuis.*

ſuis, & ſecutæ eum fuerant de Galilæa. Ex eo itaque ſperabant illius preces non facilè paſſuras apud Dominum repulſam: ſed reſpondens Ieſus dixit: Neſcitis quid petatis. *Sciebat namque Chriſtus ex filiorum voluntate hanc ſupplicationem proceſſiſſe. Vnde non importunè hic tractari poteſt, in homine non eſſe ponendam nimiam fiduciam, Sect.1. in cap.10. à n. 4. vſque 7.*

Neſcitis quid petatis. *Etſi non tantùm craſſa & carnalis, ſed & ambitioſa, eſſet diſcipulorum poſtulatio, Dominus tamen ſua manſuetudine illorum imperfectionem tolerans nihil aliud, quàm ignorantiam illis obiicit, ex qua neſciebant, quid petere deberent, iuxta illud Roman.8.* Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, *vide Sect.12. in cap.6. n.13. vbi docetur, Deum rogandum eſſe non vt ad certum ſtatum hominem promoueat, ſed ad eum, quem nouit Deus illi maximè ſalutarem.* Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum. *Dominus vt ab illa imprudenti ſatisfactione animos Iacobi & Ioannis reuocaret, & admoneret, quid tum illis potius cogitandum eſſet, & qua ratione ad conſortium regni ipſius peruenirent, rogat num poſſent bibere calicem, quem ſe bibiturum prædixerat, priuſquam reſurrecturus eſſet, & feliciter regnaturus, Hebraica phraſi ſupplicium paſſionis & mortis denotans, quod ex Patris decreto ſubiturus erat, ſeu, an talia pati poſſent, qualia ipſum ex Patris decreto pati oporteret. Diſertè Chryſoſtomus homil.66. in Matth.* Perpendis quomodo ſtatim ab hac cupiditate ipſos remouit, contraria eis differens. Nam vos, inquit, de honoribus, & coronis cogitatis; ego verò de luctamine atque ſudore diſſero. Non præmiorum hoc tempus eſt, nec illa gloria mea modò apparebit, ſed bella, pericula, & necem præſens continet vita, *Inſinuans vnicam viam ad gloriam cæleſtem eſſe tribulationem, Sect.8. in c.12. à n.3. vſque 11.* Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum. *Quod Chriſtus roget Apoſtolos Ioannem & Iacobum, an poſſent calicem bibere, quem ipſe bibiturus eſſet, non ignarus rogauit, ſed hominum more, qui triumphum petentem rogare ſolent, an poſſit arduа ſuſtinere, an hoſtium inſultus retundere, an eoſdem debellare. Viam oſtendens, qua ad honorem, quem ambiunt, peruenire queant, idq; & verbis & exemplo. Verbis cùm rogat,* Poteſtis bibere calicem; *exemplo cùm dicit,* quem ego bibiturus ſum. *Præcedit enim tanquam bonus dux ad pugnam inuitans; ex quo doceri poteſt, exempla plurimùm valere ad inſtructionem ſubditorum, Sect.1. in cap.5. à n.4. vſque 10. Porrò nota, Dominum ſuo exemplo inuitaſſe diſcipulos per paſſionem ad coronam, vt auſteritatem potionis ſocietate compotoris dulcoraret. Præclarè Chryſoſt. homil. 66. in Matth.* Perſpice, *inquit,* qualiter ipſo interrogationis modo & hortatur, & allicit: non enim dixit, Poteſtis veſtrum effundere ſanguinem? ſed quonam pacto poteſtis bibere calicem? Deinde alliciens, inquit, Quem ego bibiturus ſum, vt communicatione laborum cum ipſo, promptiores redderentur. *Medici ergo perſonam Chriſtus induit, qui videns egrum faſtidio laborantem, & à potione medicata hauriendа refugientem, ipſe prius ebibit, ſuoq; exemplo faciliorem reddit ad bibendum. Quod expendens D.Bernardus ſerm.11. ex parvis,* Ipſe, *inquit, id eſt Chriſtus,* tamquam pius & laudabilis medicus, prius bibit potionem, quam parabat ſuis; id eſt, paſſionem & mortem ſuſtinuit: & ſic ſanitatem immortalitatis accepit, & impaſſibilitatis, docens ſuos, vt confidenter biberent potionem, quæ generat ſanitatem & vitam. *Et quidem ita factum. Nam ex hoc Chriſti Domini in laboribus conſortio, tantum laborantibus ſolatium confertur, vt ſenſus, qui paulò antè multa ad labores nauſea torpebat, poſtea mira quadam laborum appetentia ſuſcitetur & acuatur. Quod mirum nemini videri debet, cùm Deus eos, qui amore ſui patiuntur, ita amplectatur, vt fel paſſionis melle conſolationis dulcoret; quod latè deducitur, Sect.5. in cap.5. à n.5. vſque 8.*

Dicunt ei, Poſſumus. *Licet aliqui Auctores exiſtiment Iacobum & Ioannem nimia conſequendi, quod optabant, auiditate, temerè reſpondiſſe, ſe paratos eſſe pro Chriſto mori: malo tamen credere amantur & verè reſpondiſſe ſe paratos eſſe pro Chriſto mori, tum quia exitus id poſtea docuit, tum quia Auctorem habeo D.Baſilium: Is reg.23. de conſtit. Monaſt. de Apoſtolis & filiis Zebedæi mentione facta, declarat eorumdem promptitudinem, qua contra ſuam opinionem audientes ſpei contraria parati fuerunt ſubire quæuis:* Porro, *inquit,* illi re audita ſpei ſuæ ſummè contraria, nequaquam dixerunt, Alia adducti ſpe ad te acceſſeramus, & tu contraria nobis atque ſperauimus, imperas? Nos requietem ſperauimus, & tu nos in pericula protrudis: honores nobis propoſuimus, & tu ex tranſuerſo ignominias ingeris: regnum expectaueramus, & tu vt exagitemur, & omnium ſerui ſimus, iubes. Horum omninò nihil dixerunt, licet his, quæ memorauimus, plura & grauiora etiam audiſſent, veluti illud, Tradent vos in tribulationes, & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et ad præſides, & reges ducemini propter me. His igitur illi omnibus auditis, ſubmiſſa mentis ceruice, obedientiæ iugum ſubierunt, alacriq́ue animo in pericula, fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces proceſſere: tantaq́ue hæc alacritate ſuſtinebant, vt magnificè lætitia efferrentur, cùm digni habiti ſunt, qui pro Chriſti nomine illa paterentur. *Ex quo dignoſcimus, perfectè obedientes contra naturam poſſe gaudere in tribulatione, Sect.5. in cap.5. n.1.2.3.4. Imò tribulationem viam ſternere ad cæleſtem gloriam, ibid n.9.*

Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à Patre meo. *q.d. Non eſt meum*

dare vobis præeminentiam in regno meo, propterea quòd petatis, aut propterea quòd cognati mei sitis. Non est meum dare vobis, qui nondum meruistis, sed quibus paratum est à Patre meo, id est, qui meruerint, & vt Remigius apud D. *Thomam interpretatur, Non est meum dare superbis, & ambitiosis, quales vos estis, sed humilibus, quibus paratum est à Patre meo. Hic tractari potest, in humilitate maximè gloriandum, Sect.* 11. *in cap.* 4. *à n.* 12. *vsque finem.* Sed quibus paratum est à Patre meo. *Significat Euangelista illis verbis gloriam à Deo parari benè operantibus, quod Chrysostomus, Euthymius, & Theophyl. accommodato admodum exemplo declararunt. Si quis, inquiunt, rex auream coronam ei, qui in stadio currendo, ceteros vinceret, proposuisset, eamq; manu teneret; aliquis verò ex iis, qui non solùm non vicisset, sed ne cucurrisset quidem, coronam ab eo peteret, rectè responderet, currere quidem poteris, coronam autem non est meum dare tibi, sed quibus parata est, id est vincentibus; non enim significaret se dare non posse, cùm ipsius sit; sed dare non debere, nisi vincentibus, quibus eam destinasset, vide Sect.* 17. *in cap.* 1. *n.* 8. 9. *vbi docetur, Christianos ex solo nomine debere fortiter pugnare, si velint triumphare, & Sect.* 8. *in cap.* 12. *n.* 11. *&* 12. *vbi docetur, quanta beatitudo maneat iustos afflictos.*

Quantum ad historiam vlterius attinet, D. Iacobus expertus est reipsa, quod Christus prædixit in verbis Matth. 20. Calicem meum quidem bibetis. *nam Herodes Act.* 12. *volens quosdam affligere de Ecclesia occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio (more videlicet Romanorum) quòd esset vnus è primariis Apostolis, & Ecclesiæ columnis, tum vt Iudæos magis sibi conciliaret, tum quia Iudaismi, quam S. Iacobus impugnabat, erat amantissimus. Hic tractari potest, qua de causa persequantur Tyranni iustos, Sect.* 33. *in cap.* 1. *à n.* 1. *vsque* 5.

S. Iacobus vadens ad supplicium, accusatorem suum nomine Iosiam, sua constantia & sanctitate ita obstupefecit, vt eum ad Christum converterit, Martyremq; effecerit. Audi ex S. Clemente Euseb. lib. 2. *Histor. cap.* 19. Is sanè qui eum ad tribunal duxerat, cùm martyrium subiturum cerneret, ea re motus, & se Christianum esse, vltrò confessus est. Ducti sunt igitur simul vterque. Ille verò in itinere petiit, vt ignosceretur sibi à Iacobo. Hic cùm parumper deliberasset: Pax tibi, inquit; & osculatus est eum: atque ita simul vterque decollatus est. *Addit S. Isidorus S. Iacobum euntem ad martyrium paralyticum, suam opem inclamantem, membris & sanitati restituisse. Opportunè hic tractari potest, iustos in carceribus aliena salutis fuisse sollicitos, Sect.* 22. *in cap.* 1. *n.* 7. *&* 8. *Si quis plura velit, de S. Iacobo legat Cornelium in Actorum cap.* 12. *v.* 2.

IN FESTO S. LAVRENTII.

Ioan. 12. Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Ante hæc verba dixerat Dominus,* Venit hora, vt clarificetur Filius hominis, *significans maximam gloriam, quam consecuturus erat, tam per suam ex mortuis gloriosam resurrectionem & ascensionem in cælum, quàm per manifestationem sui nominis, quod per discipulos suos in vniuersum mundum prædicandum, & glorificandum erat: per verba autem citata significauit qua via ipse ad tantam gloriam tenderet ac peruenire deberet, nempe per passionem & mortem; ad hoc autem declarandum pulcherrimam adhibet similitudinem grani frumenti, quod multa pati debet, vt sic loquar, antequam hominem nutrire queat. Primò, in terram iacitur, terraq; obruitur, & quasi sepelitur. Secundò, perductum vsque ad spicas, falce demetitur. Tertiò, in area discutitur ac teritur. Quartò, molitur in pistrino. Quintò, in massa subigitur atque contunditur. Sextò, coquitur in furno. Septimò, factus iam panis esui idoneus, vel cultro scinditur, vel manibus frangitur. Octauò, ore ac dentibus comminuitur. Nonò, in stomacho concoquitur atque conficitur. Decimò, denique corruptum secundùm suam substantiam, in alienam substantiam conuertitur. Consimili quadam ratione Christum plurima & acerbissima pati oportuit, vt panis fieret alens hominem ad vitam æternam. Ex quo dignoscimus, iustis mortem esse viam ad gloriam, Sect.* 3. *in cap.* 14. *n.* 9. *&* Sect. 13. *in idem cap. n.* 11. *&* 12. *item Sect.* 18. *in idem cap. n.* 17. *&* 18.

Vnde Dominus, similitudine grani frumenti in terram iacti idipsum illustrans, inquit: Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. *Verissimum & euidentissimum est, neque ad opulentiam nisi per paupertatem, neque ad sublimitatem, nisi per humilitatem, neque ad gloriam nisi per ignominiam, neque ad generationem nisi per corruptionem, neque ad vitam nisi per mortem peruenire. Vnde celebris est illa apud Philosophos sententia,* Generatio vnius, est corruptio alterius, *quod manifestum est, tum ex rebus animatis, ex elementis, & plantis, tum ex medicina, tum ex rebus humanis, & politicis, vbi vnius rei casu, ac deiectione alia res exeruntur, & extolluntur, vnius debilitatione, ac diminutione alia roborantur, & amplificantur. In viris iustis, qui per tribulationem maximè euehuntur, Sect.* 4. *in cap.* 13. *n.* 7. *In Ecclesia, quæ persecutionibus creuit, & cædibus Martyrum, tanquam seminibus in terram iactis, per orbem terrarum multiplicatur, Sect.* 10. *in cap.* 13. *n.* 7. Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animã suam in hoc mundo, in vitam æternã custodit eam. *Cùm egisset Christus de fructifera sua morte, & insinuare vellet, multos & innumerabiles futuros, qui propter ipsum sanguinem funderent, eorumq; mortem non inutilem, sed maximè cum fœnore futuram, ac lucro incomparabili, verba citata subiungit; quorum sensus est, Qui vitam hanc temporalem conseruare vult, potiùs quàm in me credere, & qui vult appetitui suo indulgere, & desideria huius vitæ perficere, potiùs quàm mea mandata exequi, mihiq; obedire, perdet eam,*

quia

quia mortem æternam contrahet; qui verò odit eam in hoc mundo, exponendo eam pro me, mortemq; eligendo potiùs, quàm negare me, quiq; ſuis deſideriis, & appetitibus contradicit, vt meis obediat mandatis, hic profectò cuſtodit eam in vitam æternam; non enim eſt odium hoc, ſed potiùs cuſtodia; nam ſic conſeruat eam, vt in æternum viuat. Hæc probè intelligentes viri fideles ſanguinem ſuum profundere ob legem Dei non horruerunt, Sect. 9. in cap. 1. n. 6.

Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. *Hic tractari poteſt, an aliquibus de cauſis liceat ſine peccato optare mortem, Sect. 5 in cap. 3. n. 3. 4. 5. vide etiam Sect. 12. in idem cap. n. 6.*

Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit. *Exhortatur his verbis diſcipulos Chriſtus, & omnes, qui miniſtri, & ſerui eius eſſe volunt, vt ipſum ſequantur, quaſi dicat, Nemo horreat mortem ſubire ob nomen meum; non enim erit via error, nec terminus mors, vbi dux ego, qui vita ſum, præeo: nam perueniet, qui me ſequitur, ad cæleſtem gloriam. Vnde B. Laurentius aliiq; Sancti nullas pœnas pro Chriſto formidarunt, Sect. 14. in cap. 2. à n. 4. vſque 7.*

Quantum ad hiſtoriam vlterius attinet, S. Laurentius ambiens martyrium cum Sixto Pontifice ſubire, eius iuſſu theſauros Eccleſiæ in vſum pauperum expendit, quos Imperator Valerianus ab ipſo poſcebat. Tridui terminum eidem concedens. Laurentius verò latus, congregatiſq; cæcis, claudis, & quoſcunque habere potuit pauperibus, eiſq; in camelos & currus ab Imperatore ſubmiſſos (vt auctor eſt Metaphraſtes) quo theſauros promiſſos aduheret, impoſitis, acceſſit Imperatorem, dixitq; ei: Ecce iſti ſunt theſauri Eccleſiæ, teſte enim Ambroſ. lib. 2. Offic. cap. 28. Verè theſauri, in quibus Chriſtus eſt, in quibus Chriſti fides eſt; quorum manibus noſtræ eleëmoſynæ cælum penetrant, & nos theſauris potimur æternis. *Hic tractari poteſt, de vtilitate, & fructu eleëmoſynæ, Sect. 6. & 7. in cap. 4. vide etiam, ſi placet, Diſc. 3. premium in 4. præceptum n. 8. §. D. Ambroſius, vbi inuenies in vſum pauperum, aliquando licitum eſſe, vaſa Eccleſiæ, etiam initiata confringere, conflare & vendere.*

Tyrannus vt vidit ſe à Laurentio deceptum, iuſſit è veſtigio S. Leuitam veſtibus nudatum lancinari, omniaq; adferre inſtrumenta, quibus torqueretur, vt eum terrore percelleret. Verùm tantum abeſt, vt terribilium tormentorum ſpectaculo Martyr expaueſceret, vt impauidus illis reſponderet, Ego in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti non reformido tormenta tua, quæ ſunt ad tempus, fac quod facis, noli ceſſare. *Cùm verò Tyrannus ex hoc immani furore percitus tam dirè plumbatis cædi iuſſiſſet Leuitam, vt velut in mortario contuſus videretur, Deum precatus eſt Laurentius, vt ſuum dignaretur ſpiritum ſuſcipere: ſed audiuit vocem de cælo clarè dicentem:* Adhuc multa certamina tibi debentur; *quod oraculum & ab omnibus fuit exauditum circumſtantibus, & ab ipſo iudice. Hic tractari poteſt, Deum ſuos ad aliorum bonum tanquam ſpectaculum & portentum conſtituere, Sect. 8 in cap. 2. à n. 10. vſque finem.*

Tyrannus audita voce prætacta multo efferatior factus exclamauit: Viri Romani, audiſtis vt dæmones ſolentur ſacrilegum, qui nec deos, nec principes veſtros timet, nec exquiſita tormenta formidat? Extendite eum, & ſcorpionibus flagellate. *Sed hoſce cruciatus Martyr virtute inuicta perpeſſus, Deo gratias egit in hæc verba:* Benedictus es Domine Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nobis immerentibus impendiſti miſericordiam tuam. Et tu Domine propter pietatem tuam largire nobis gratiam tuam, vt cognoſcant circumſtantes, quòd tu conſoleris ſeruos tuos, *vide Sect. 11. in cap. 2. vbi luculentè tractatum inuenies, Sanctis fuiſſe familiare, Deo gratias agere in aduerſis.*

Poſt multa ſæuus Iudex, & ſupra naturam crudelis, conſcenſo tribunali, interrogauit Laurentium, cuias eſſet; cui Leuita reſpondit; quod ad genus attinet, Hiſpanus ſum: Romæ autem nutritus & eruditus, atque à cunabulis Chriſtianus, doctus omnem legem ſanctam & diuinam. *Hic tractari poteſt, recogitare inſtructionem bonam ab infantia, virilem addere animum in rebus arduis, Sect. 18. in cap. 1. n. 6. 7.*

Laurentius à crudeli tyranno, lecto ferreo inſtar craticulæ formato, & ſubiectis prunis accenſo, ſuperimpoſitus, delicijs omnibus affluebat, & conſtanter ad tyrannum conuerſus, inquit: Ecce miſer: Aſſaſti vnam partem, verſa aliam, & manduca. *Hic diſcuti poteſt, vnde contingat Sanctos gaudere in tribulationibus, Sect. 5. in cap. 5. à n. 4. vſque 9. Quibus adde verba Ambroſij ſerm. 1. tom. 3.* Quamuis Rex improbus ligna ſubiiceret, incendia maiora ſupponeret; tamen S. Laurentius has flammas fidei calore non ſentit, & dum Chriſti præcepta cogitat, frigidum eſt illi omne quod patitur. Nec enim poteſt viſceribus ignium tormenta ſentire, qui ſenſibus paradiſi refrigeria poſſidebat.

Ceterùm cùm iam ſuprema vie mete Martyr propius adeſſet, & ad accipiendam cæleſtis gloriæ coronam ſeſe à Domino mox ſentiret euocandum, ad eumdem conuerſus dixit: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, quod merui ianuas tuas ingredi. *Ita dicere, & viuere deſiit, victrixq; anima dignè coronanda, cælos petiit. Hinc cognoſcimus conſortes Dominicæ Paſſionis certos ac ſecuros eſſe de promiſſa beatitudine, Sect. 16. in cap. 3. n. 6. & 7.*

IN FESTO ASSVMPTIONIS BEATISSIMAE VIRGINIS.

Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. *Cùm Chriſtus proſequeretur iter quoddam cum diſcipulis, factum eſt, vt diuerteret in quoddam caſtellum, vt videtur Martha & Maria, vbi Martha, aut quia natu maior, aut* Luc. 10.

quia

quia domus ad ſolius Marthæ partem ſpectabat, dicitur Chriſtum hoſpitio excepiſſe. Magna ſanè virtus hoſpitalitas eſt, & Deo grata; *Chriſtum autem excipere magis commendabile erat apud Iudæos, qui eum ſummo proſequebantur odio, vide Sect.1. in cap.7. vbi n.1. comperies quare priſci ſoleant cum gaudio ſuſcipere peregrinos, & ibid.* §. Extitit, *in femina non defuiſſe hanc charitatem. Rurſum hic tractari poterit, qua ratione tanto feruore priſci coluerint hoſpitalitatem, in ead. Sect. à n.2. vſque 6.*

Huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. *Dominus ſimul ac intrauit caſtellum, doctrinæ ſuæ verbum effudit, Maria aſſidua erat audiendo verbo; Martha verò frequenter diſtrahebatur ad miniſterium eorum, quæ præparabantur ad conuiuium Chriſti, & diſcipulorum eius.* Quæ ſtetit & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, vt me adiuuet. *Ex quo tractari poteſt, ægrè admodum inueniri feminam etiam ſanctiſſimam à querela immunem, Sect.11. in cap.5. à n.8. vſque 10.*

Et reſpondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. *Reprehendit Dominus Martham, non quidem de opere, quod bonum & laudabile erat, ſed nimietatis in rebus, & ſuperfluæ ſollicitudinis, dicens: Martha, Martha ſollicita es, & diſtraheris in multis pluſquam oportet præparandis; ſi pauciora & quæ ſatis eſſent parares, non ita ſollicita, & diſtracta eſſes. Modum ergo non tenes, nec in ſollicitudine & diſtractione, nec in ipſis rebus quas ad eſcam præparas. Hic in primis tractari poteſt præpoſteram ſollicitudinem eſſe damnoſam, Sect.4. in cap.2. n.12. & Sect.8. in cap.13. n.11. Rurſum, ferculorum luxum multis modis eſſe nociuum, Sect.9. in cap.8. à n.3. vſque 13.*

Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. *Hic tractari poteſt, homines ſæpè malle miniſterio priuari, quam murmurantes ſuſtinere, Sect.10. in cap.2. n.9.* Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Vide, *inquit Bernardus ſerm.3. de Aſſumptione Virginis*, prærogatiuam Mariæ, quem in omni cauſa habeat aduocatum. Indignatur ſiquidem Phariſæus, conqueritur ſoror, etiam diſcipuli murmurant, vbique Maria tacet, & pro ea loquitur Chriſtus, *vide Sect.8. in cap.3. n.4. vbi tractatum reperies Dominum defendere eorum cauſam, qui nihil regerunt in querulоſos.*

Porrò vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Vnum, inquit, eſt neceſſarium, quaſi dicat, Turbatio ſuperflua eſt erga plurima, cùm vnum dumtaxat ſit neceſſarium, id eſt, cùm ad vſum vitæ ſatis ſit vnum atque alterum, nec tam multis indigeamus. Docet hiſce verbis Chriſtus, ſollicitudinem nimiam animo eliminandam, Sect.5. in cap.6. n.8.* §. Omnia ergo. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Senſus eſt, Non eſt quod queraris de ſorore, quòd te ſolam reliquerit miniſtrare, quaſi in hoc minus benefecerit, ſcito optimam partem elegiſſe. Bonum eſt quod tu facis, miniſterium melius tamen, & eligibilius eſt, quod facit Maria. Hac de cauſa iuſtè alios monentes parcè ad rem temporalem inſtigarunt, ad ſpiritualem liberalius, Sect.vlt. in cap.4. n.4. & 5. Eadem ratione Dominus hoc loco vſus eſt, nam Scriptura phraſi Hebræa poſitiuum aliquando vſurpat pro comparatiuo. Vnde* 1.Corinth.7 *inquit Apoſtolus*, Dico non nuptis & viduis, bonum eſt ſi ſic permanſerint, *id eſt, melius eſt; & Oſea* 6. Miſericordiam volo, & non ſacrificium, *id eſt, plus quàm ſacrificium. Hoc exemplo Apoſtoli Act.6. prætulerunt prædicationem verbi, miniſterio erga pauperes: dicunt enim*, Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. *Hoc quidem bonum eſt: ſi enim non eſſet, non elegiſſent diaconos, qui ei officio incumberent; illud tamen melius, ac magis neceſſarium. D. Bernardus ſerm.5. de Aſſumpt. Virg. videtur hoc vnum neceſſarium referre ad eos, qui præ aliis vel beneficium aſſecuti ſunt, vel Deo grati fuerunt; vel etiam ad cæleſtia contenderunt:* Niſi enim, *inquit*, opus tuum in vnitate feceris, Deo qui vnus eſt, acceptum profectò non erit, &c. Hinc eſt quod in vna piſcina mouebatur aqua, & ſanabatur vnus, *Ioan.5.* Hinc eſt quod decem leproſis mundatis vnus regreſſus eſt, cum magna voce laudans Deum: cui etiam Dominus ceteris reprobatis, teſtimonium laudis adſcribit dicens: Nónne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Luc.17. Paulus quoque ait, Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium, 1.*Cor.*9. His itaque, & aliis quamplurimis Scripturarum eloquiis, docemur quàm vnitas probabilis ſit, maximè autem ex præſenti loco, vbi Dominus ait: Porrò vnum eſt neceſſarium. *Hac ille. Angelicum porrò eſt præter Deum nihil quærere, Sect.11. in cap.12. n.5.* Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Ob hæc verba credo Euangelium hoc accommodari ad Aſſumptionem B. Virginis, quæ gloriam cæleſtem hodie aſſecuta eſt, quæ ei in æternum manebit. Sic vtique Bernardus ſerm.1. de Aſſumpt. Virg.* Si eam diligimus, gaudebimus vtique, quia vadit ad filium. Planè, inquam, congratulabimur ei, niſi fortè, quod abſit, inuentrici gratiæ omnimodis inueniamur ingrati; quem enim in caſtellum mundi huius intrantem prius ipſa ſuſceperat, ab eo ſuſcipitur hodie ſanctam ingrediens ciuitatem. *Quia verò hac mediante morte contigerunt, tractari hic poteſt, mortem eſſe viam iuſtis ad æternam beatitudinem, Sect.3. in cap.14. n.9. & Sect.13. in idem cap. num.11. & 12. item Sect.18. in idem cap. n.17. & 18. Quibus adde, tunc moriendum eſſe, quando Domino placet, Sect.18. in cap.14. n.5. & 9. Nemo ergo mortem refugiat, quam ſine culpa Chriſtus & Maria libentes exceperunt. Gloria Beatorum quanta ſit nemo explicare poteſt, Sect.10. in cap.13. n.8.*

n.8.& 9. De gloria *autem B.Virginis, inquit Bernardus ſerm.4.de Aſſumpt.Virg.* nec ſilere deuotio patitur,nec dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio, aut inerudita poteſt locutio parturire.Hinc eſt quod & ipſi curiæ cæleſtis Principes in conſideratione tantæ nouitatis clamant, non ſine admiratione, Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto , deliciis affluens? *Cant.*8. . *Et alibi*: Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cælis regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius ſublimauit: *vnde exclamat paulò poſt*:Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ adepta eſt in terris præ ceteris,tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis. Quod ſi oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe: quod præparauit gignenti ſe, & (quod omnibus certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur? *ſerm.1.de Aſſumpt.B.Mariæ.*

IN FESTO S.BARTHOLOMÆI

Lucæ 6. Exiit Ieſus in montem orare. *Chriſtus Dominus de die turbis prædicans, & miracula faciens; noctu verò ſecretiora loca, relictâ turbâ adeuns, vt orationi vacaret, docet ſolitudinem mentem facere quietam & collectam,orationi & meditationi aptiſſimam, Sect.*20.*in cap.*3.*n.*1.2.3. Et erat pernoctans in oratione Dei.*Perſeuerandum eſſe in oratione, vide Sect.*19.*in cap.*3 *n.*3. *ibiq; aſſignata.* Et cùm dies factus eſſet,vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis. *Quandoquidem Dominus electurus,ex turba diſcipulorum,duodecim Apoſtolos,orationem præmiſit,Rectè hic doceri poteſt, à Deo antequam aggrediaris rem arduam, directionem petendam,Sect.*18.*in cap.*4.*n.*5.6.7. *Deinceps Euangelium nominat aſſumptos in Apoſtolos, & inter alios Bartholomæum, ac tandem Iudam Iſcariotem*, qui fuit proditor. *Quæri hic poteſt, quare Deus permittat impios regnare,Sect.*33.*in cap.*1.*n.*6.7.& 8. *D.Cyrillus Alexandrinus lib.*9.*in Ioan.cap.*10.*ad verba Euangeliſtæ Ioannis,quæ habentur c.*13. Non de omnibus vobis dico: Ego ſcio quos elegi; ſed vt impleatur Scriptura, Qui manducat meum panem , leuabit contra me calcaneum ſuum. *Vbi Chriſtus tacitæ obiectioni reſpondet, quam quis poſſet allegare, ſi ſciebat omnes, quos elegiſti, quales futuri eſſent; quare proditorem elegiſti? hanc quæſtionem ponit,* Sed quæret, *inquit*, aliquis, primò, cur Iudam, qui futurus proditor erat, elegerit. Cur enim cum aliis eum connumerauit, quem non ignorabat quæſtus cupiditate captum, in diaboli laqueum eſſe caſurum. Deinde ſi calcaneum ſuum aduerſus Chriſtum leuauit, vt adimpleretur Scriptura: non fuit ſanè ipſius rei cauſa, ſed vis illa quæ adimplere Scripturam omninò cogebat. Adhæc nos breuiter propter communem vtilitatem reſpondentes, primum illud dicimus, numquam huiuſmodi nobis rationes defuturas, nec finem vnquam nos eſſe facturos increpandi, carpendiq́ue Deum, qui propter immenſam ſuam miſericordiam à nihilo,ad eſſe, omnia vocauit:ſi ſic imperitè affecti erimus, vt in omnibus quæ à Deo facta ſunt, ſimilia velimus excogitare. Quid enim prohibebit incuſare Deum, ac dicere: Cur in regem Saulem elegiſti, quem ſciebas gratiam tuam ſpreturum: imò cur primum à terra hominem formaſti, quem non ignorabas mandata non ſeruaturum? Aſcendet hæc oratio etiam ad ſuperiora. Cur enim Angelorum naturam creaſti, quum vt Deus præuideris futuram nonnullorum rebellionem? *Hæc ille.Sed verbo dicendum eſt,nullum à Deo creatum hominem,aut Angelum vt peccet,aut malum faciat: non eſſe etiam electum Iudam vt proderet; ſed ipſorum fuiſſe vitium, & liberi arbitrij culpam, quòd peccauerint, vt latè deducit loco cit.Cyrillus. At Deus noſter malo illorum ad bonum vtitur: Iudæ enim proditione, cuius ipſe Iudas ſuo vitio fuit cauſa vſus eſt Deus, vt inſtrumento quodam, ad Filij mortem, quæ mundum redimeret, ſicut etiam odio & iniquitate Iudæorum vſus eſt, vt ipſis Chriſtum occidentibus morte ſua noſtram mortem ſuperaret. Deus enim malis etiam ipſis in bonum vtitur, ideoq; ea permittit, vt bona ex ipſis eliciat, vide Sect.*4.*in cap.*13.*n.*7. *vbi hoc ipſum per plura Scripturæ exempla probatum inuenies.*

Et deſcendens cum illis ſteterit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, *&c.* qui venerant, vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis, & qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur; & omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. *Hic tractari poteſt, quòd vt Chriſtus vexatos à dæmoniis curauit, & ad modum herbæ ſalutiferæ, quæ applicata corporibus ægris morbos depellit, ſine vlla diſtinctione tangentium,infirmos ſanauit; ita per Apoſtolos ad inuocationem nominis Ieſu dæmones pulſos, quin etiam ad Sanctorum reliquias,vt latè probatur Sect.*7.*in cap.*6.*à n.*10.*vſque finem.*

*Inter quæ ſpectatim ad hiſtoriam S.Bartholomæi ſpectat,quod num.*11. *dicitur, oraculum Apollinis nulla potuiſſe dare reſponſa ſepulto iuxta eius phanum ſancto martyre Babyla; nam in metropoli Armeniæ templum fuit,in quo idolum quoddam,nomine Aſtharothum,diuinis honoribus colebatur.Circumiacebat ibi ingens ægrorum turba,priſtinam ſanitatem,iſtius Cacodæmonis fauore, præſtolantium, quos variis modis illudebat,vt ſeſe ab illo curatos exiſtimarent, etiam oracula reddebat, futura prædicebat, ſic vt ſubinde propius à vero, ſubinde procul aberraret,& non niſi mendacia venditaret. Porrò vt hoc Aſtharothi templum Bartholomæus eſt ingreſſus,*

ſus, mox cacodemon obmutuit, neque agrotũ quemquam deinceps curauit.

Cùm verò mutus permaneret, ſacrificuli coacto concilio conſulendum decreuere aliud damonium vicina ciuitatis, cui nomen erat Beritus. Quod reſpondit Aſtharothum ſilere eò quòd Bartholomæum veri Dei Apoſtolum, eam ciuitatem, templumq́, fuiſſet ingreſſus, à quo catenis igneis captiuus detineretur. Ex quo tractari poteſt, in hoc S. Bartholomæum imitatum fuiſſe Angelum Tobiæ, qui apprehendit damonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Aegypti. Vide de his vinculis latè Sect. 2. in cap. 8. n. 1. 2. 3. 4.

S. Bartholomæus energumenum quendam ſuis precibus liberauit. Peruenerat fama miraculi iſtius ad Regem Polamonem, cui filia erat lunatica, & grauiter agra, quam nec Aſtharothum ſanare potuerat. Quin & alio quodam cacodæmone ſic exagitabatur, vt oporteret eam vinculis compeſci, ne fortè rabientis inſtar canis morſicaret, aut obuios quoſcumque dilaniaret. Itaque Rex accerſitum Apoſtolum orauit, pro ſanitate filiæ reſtituenda. Annuit Apoſtolus, facileq́, energumenam ſanauit. Rex in vicem gratæ mentis affectum declaraturus, pretioſum munus ei deſtinauit. Sed enim famuli regij, muneris deſtinati portitores cùm nequiſſent Apoſtolum reperire, ſuo retulere munus Regi. Qui cùm noctu ſolus eſſet in cubiculo, Apoſtolum obſeratis oſtiis ad ſe venientem vidit, auditq́, negantem, propterea eum in oras appulſum, vt aurum gemmaſq́, ſibi compararet, ſed vt eius, ſubiectorumq́, illi populorum animas lucraretur. Ex quo hic tractari poteſt opportunè, virum Eccleſiaſticum vtiliter abſtinere à muneribus, Sect. 6. in cap. 12. n. 8. Quibus adde, quòd D. Bartholomæus poſt ſpreta munera Polamonem Regem cum ſuis omnibus conuerterit ad Chriſtum.

IN FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

Matth. 1. *Ad hiſtoriam natiuitatis B. Virginis, & Euangelium hodiernum, primò notandum, parentes B. Virginis fuiſſe Ioachimum Nazarethem, & Annam Bethlemitem, vtrumque de tribu Iuda, & ſtirpe Dauid, diuites, nobiles, ſanguine illuſtriſſimo ſatos, vtpote, qui genus ducerent à multis regulis, iudicibus, & gubernatoribus gentis Hebræa, imò & à ſanctiſſimis Sacerdotibus, Patriarchis, Deiq́, amicis; qui annos omninò viginti ſine prole in matrimonio tranſiuerunt. Vnde hic queri poteſt, quare Deus voluerit ſanctas feminas longo tempore ſteriles eſſe, cùm parentum benedictio tunc temporis eſſet copioſa ſoboles, Sect. 5. in cap. 9. n. 5. & 6. Sic Deus ſingulariter Annam ſterilem voluit, vt B. Virginis natiuitas miraculo illuſtraretur, nec ortus eius naturæ, ſed gratiæ tribueretur; & quemadmodum S. Ioannes Damaſcenus ait, vt hoc miraculo ad aliud omnium miraculorum mirabilimum, videlicet, ad incarnationem Filij Dei quadam quaſi methodus expediretur. Volens enim Deus paulatim emollire incredulitatem Iudæorum, & à minoribus miraculis ad maiora credenda velut manu ducere, permiſit plures ſanctas mulieres ſteriles eſſe ad tempus, vt poſtea earum partus nativitatem Chriſti Domini ex matre virgine antecederet. Acutè notauit idipſum Chryſoſtomus homil. 49. in Geneſ. vbi ſterilitatis cauſam pronuntiat hanc fuiſſe,* Vt cùm, *inquit*, videris virginem noſtrum Dominum parientem, ne ſis incredulus. Exerce enim hic tuos ſenſus in vulua ſterilium, vt cùm didiceris ligatam & emortuam vuluam, diuina virtute ad procreationem aperiri, inde copioſis argumentis acceptis non admireris, audiens quod virgo peperit. Imò admirare, & obſtupeſce: ſed ne ſis incredulus miraculo. Quando igitur tibi dicit Iudæus, Quomodo peperit virgo? dic ei, Quomodo peperit ſterilis? Sterilitas igitur viam parat virginitati. *Et immediatè poſt ſubiungit:* Et vt ſcias quod propter hoc ſteriles prius fuerunt, vt credatur virginitatis partus, audi verba Gabrielis, quæ ad Virginem dixit, *&c. Ac multis interiectis poſt ſermonem Angeli de conceptione in vtero, & partu Altiſſimi, addit, miraculum natiuitatis ex ſterili:* Quoniam, *inquit*, prior demonſtratio maior erat cogitatione Virginis, audi quomodo & humiliorem ſermonem affert, per ſenſibilia ipſam manuducens. Et ecce, inquit, Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt ei, quæ vocatur ſterilis. Vides quòd ſterilis propter virginem? Quoniam cuius gratia alicui retuliſſet partum cognatæ, cuius item gratia dixiſſet, quæ vocatur ſterilis. Planè per omnia manuducebat eam ad credendum annuntiationi: propterea & tempus dixit, & naturæ ſterilitatem: propterea & tempus diſtulit conceptionis. Non enim ſtatim à principio ei annuntiatum, ſed præterito tempore ſemeſtri, vt vteri ſarcina conceptionem doceat.

Quandoquidem genealogia B. Virginis in Euangelio deſcripta ſignificet illam magnis & nobilibus parentibus natam, tractari poteſt, an nobilitas gentis per ſe ad cælum ducat, Sect. 1. in cap. 1. n. 2. vſque finem. Rurſum hic queri poteſt, quandoquidem parentes B. Virginis diuino timore præditi, & magna diligentia diuinas leges obſeruauerint, & à pietate, à probatis Auctoribus laudentur, an parentibus filiorum probitas adſcribenda, Sect. 8. in cap. 5. n. 2. vide etiam Sect. 19. in c. 14. vbi ad longum tractatum inuenies, quatuor modis parentum ſanctitatem filiis prodeſſe ſolere, n. 5. & 6. Denique hic tractari poteſt, an vtile ſit genealogias texere, quandoquidem Paulus Timotheum & Titum hortetur fabulas quæſtiones & genealogias tanquam inutiles deuitare, vt videre eſt Sect. 7. in cap. 6. n. 8. & Sect. 9. in idem cap. n. 2. Reſpondeo quamdiu Chriſtus non venerat, neceſſe fuiſſe vt Iudæorum genealogiæ diſtinguerentur, quatenus veritas Scripturæ dicentis Chriſtum Dominum de tribu Iuda naſciturum clarior appareret, & propterea in ſacris litteris genealogiæ Iudæorum tanquam veiles paſſim referuntur: quin etiam olim à

Iudæis

Iudæi in ſuis tabellariis & archiuis diligenter ſeruabantur, vt colligitur ex 1. *Eſdræ* 2. *v.* 62. *vbi dicitur quoſdam repulſos à ſacerdotali cenſu & ordine, quòd Scripturam genealogiæ ſuæ inuenire non potuerint. Hac de cauſa credo genealogias Melchiſedech, Iob, Cyri, Aſſueri, Nabuchodonoſoris, & aliorum qui extra populum Iſraëliticum fuerunt, à ſacra pagina non recenſeri: Matthæum verò & Lucam, Euangeliſtas, Domini noſtri genealogiam exactiſsimè expoſuiſſe, vt Chriſto nato euidentiſsimè pateret illum eſſe de quo Scriptura longè ante prædixerat. Cùm verò hæc fides ſatis eſſet propagata, & Iudæi ex primis Patriarchis Abraham, Iſaac & Iacob genealogias, non quidem ſecundùm diuinas litteras, ſed ſecundùm ſuas traditiones, multis mendaciis corruptas, recenſerent, partim vt ſuam doctrinam, & antiquitatis peritiam venditarent, partim vt ſuam quiſque nobilitatem præferret, dum ſe optimæ de ſtirpe ſatum teſtaretur; partim vt veram Chriſti Domini à Dauide genealogiam prauerterent, & adulterarent, eamq; à dignitate Meſſiæ excluderent, tunc Apoſtolus rectè monuit, Iudæorum genealogias penitus abolendas; quandoquidem non ſolùm inutiles eſſent, ſed etiam perniciоſæ, quod de genealogijs Chriſti à Matthæo & Luca recenſitis dici nullatenus poteſt, quæ ad hoc æternitati tradita ſunt, vt conſtaret Chriſtum Dominum ab Abrahamo & Adamo deſcendiſſe, & omnium gentium ſalutem vnicam, ſpem vnicam & redemptionem à Chriſto prouenire crederetur. Ceterùm genealogijs inquirendis & diuulgandis, ad inanem gloriam, nimium ſtudium interdicitur. Ad hoc ſpectant loca Pauli, locis citatis, allegata.*

IN FESTO S. MATTHÆI.

Matth. 9. Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. *Matthæus cùm in telonio ſederet haud procul à mari, tributis Imperatori ſolui conſuetis, recipiendis, vacans, tranſiit illac Dominus, fixiſq; in illum ſuæ clementiæ oculis, ipſi diuinitus illuminato, & internis inſtinctibus vocato, etiam exteriori voce dixit,* Sequere me. *His primò tractari poteſt, nullum peccatum eſſe tam magnum, quod vera pœnitentia non deleat, Sect.* 15. *in cap.* 2. *n.* 6. *Cui adde locum Pauli Sect.* 31. *in cap.* 1. *n.* 8. *Rurſum, miſericordiam Dei omnia eius opera tranſcendere, Sect.* 11. *in cap.* 3. *n.* 4.

Et ſurgens ſecutus eſt eum. *Chriſti Domini verba non eſſe tantùm ſuaſoria, ſed gratiæ efficientia, Sect.* 4. *in cap.* 2. *n.* 10. *vbi verba citata allegantur. Rurſum hic tractari poteſt, iuſtorum ſolum aſpectum arguere improbos, & ad meliorem vitam perducere, Sect.* 2. *in cap.* 7. *n.* 2. Et factum eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius: & videntes Phariſæi dicebant diſcipulis eius, Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter? *Hic tractari poteſt, murmur in Deum peccatum eſſe admodum graue, Sect.* 11. *in cap.* 5. *n.* 11. *Rurſum ratione Phariſæorum omnem cum peccatoribus manducationem deteſtantium, hic doceri poteſt, quàm deteſtabilis ſit lingua detrahentium, Sect.* 13. *in c.* 6. *n.* 9.

At Ieſus audiens ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. *Chriſtus Dominus à communi exemplo Phariſæos officio medici confutat, & inſinuat ſe cum peccatoribus conuerſari, non vt eos in peccatis foueat, ſed vt à peccatis ſanet: hæc enim de cauſa medici infirmis adſunt, vt videlicet à morbo ſanent; atqui melius eſt in ægritudine primùm ad Deum confugere, deinde ad medicum, vide dicta Sect.* 4. *in cap.* 6. *n.* 6. *&* 7. *& Sect.* 8. *in cap.* 11. *n.* 3. *vbi oſtenditur à Deo omnem eſſe medelam, vide etiam Sect.* 6. *in cap.* 11. *vbi dicitur Chriſtum per curationes corporales hominem ducere ad ſpiritualem.*

Euntes autem diſcite quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. *Scripturæ teſtimonio eoſdem Phariſæos confutat Chriſtus, oſtendens ex Oſea* 6. *ſe quidem rem Deo facere gratiſſimam, dum infirmis, & medici curâ egentibus, miſeretur, & ſubuenire ſtudet, illos notans de neglectu Scripturæ, ac præpoſtera religione, quam arbitrabantur conſiſtere in ſacrificijs externis, aliiſq; legis cæremonijs neglectâ curâ miſericordiæ & pietatis in proximos: exiſtimabant enim ſatis eſſe, ſacrificia externa Deo offerre, licet interea legem Dei naturalem violarent; quod graue peccatum eſſe apud Deum, vide latius tractatũ Sect.* 7. *in c.* 14. *n.* 10. Nõ veni vocare iuſtos, ſed peccatores. *Aliqui cẽſent hîs verbis notatos Phariſæos, quod malè ſeipſos iuſtos reputarẽt, quaſi dixiſſet: Non veni vocare tales iuſtos, quales vos eſtis: ſi ita eſt, liquet magnã eſſe cæcitatẽ ſe iuſtum exiſtimare, Sect.* 6. *in cap.* 11. *n.* 15. *& Sect.* 3. *in c.* 3. *n.* 11. *&* 12. *Quia alia ſunt Dei iudicia, alia hominum.* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. *Senſus eſt, Etſi venerim ad docendum perfectius iuſtos, eoſq; ſaluandum, & in iuſtitia confirmandum; non tamen veni eos vocare ad pœnitentiam, qua videlicet non indigent; ſed peccatores, inſinuans quando cum peccatoribus congredi liceat, nimirum quatenus morbis eorum medendi id eſt vtile; numquam enim Scriptura interdixit conſortium cum peccatoribus, niſi quando illis aut nobis eſt neceſſarium, vide dicta Sect.* 15. *in cap.* 4. *per totum.*

Quantum ad hiſtoriam pertinet, cùm Matthæus ſeipſum vocet publicanum, exemplum reliquit modeſtiæ & humilitatis. Iuſtos modeſtè de ſe loqui, Sect. 1. *in cap.* 9. *à n.* 10. *vſque* 14. *& expreſsiùs n.* 15.

S. Matthæo obtigit Aethiopia prouincia valdè remota atque difficilis ad prædicandum Chriſti Euangelium: nihilominus omnes ærumnas & afflictiones in delicijs, deſolationes in ſolatijs, arduа ac difficilia in facillima computauit. Vnde contingat iuſtos in ærumnis gaudere, Sect. 5. *in cap.* 5. *n.* 5. 8. 9. 13. 14.

S. Matthæum teſte S. Clemente Alexandr. leguminibus & herbis veſci ſolitum carnibus abſtinuit. Sine abſtinentia impoſsibile eſt vacare ſapientiæ, Sect. 25. *in cap.* 1. *n.* 5. *Iphigenia vnica Regis Aethiopiæ filia, rariſsima venuſtatis, virginitatem perſuaſit. Quare virginitas pro matrimonio amplectenda tempore Euangelij, Sect.* 12. *in cap.* 6. *à n.* 5. *vſque* 10.

INDEX PRO CONCIONIBVS.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Matth.18. Amen dico vobis, Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. *Quales parvulos velit Chriſtus eſſe fideles, Sect.7. in cap.1. à n.1. vſque 6.* Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. *A ſcandaloſis abſtinendum eſſe, Sect.8. in cap.4. n.12. & Sect.8. in cap.14. n.6. & 7.* Væ mundo à ſcandalis: neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala. *An abſolutè neceſſarium oriri ſcandala, Sect.8. in cap.12. n.2.* Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te abſcinde eum, & proiice abs te. *Malorum conſortium omnino vitandum, Sect.8. in cap.1. n.8. & Sect.2. in cap.5. num.10. & 11. vbi latè oſtenditur prauum ſuperiorum exemplum acrem eſſe ſtimulum ad peccatum.* Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te. *Oculum mentis ſeruare oportere, Sect.9. in cap.11. n.6. & 7.* Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis. *Infirmos in virtute vocari puſillos, Sect.2. in cap.1. n.5.* Dico enim vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. *Duo videtur Chriſtus his verbis inſinuare; primum, humiles & puſillos, quos mundus contemnit, tanta eſſe dignitatis, vt Angelos habeant cuſtodes, qui diuinum vultum aſſiduè contemplantur; ſecundum, humiles & puſillos etſi per ſe impotentes ad vindicandum tamen habere Angelos, qui eorum cauſam agant apud Deum, deferentes, & accuſantes apud illum eos, qui ipſis iniuriam aliquam intulerint, & ſcandala obiecerint. Prius vide latè tractatum, Sect.1. in cap.6. à n.5. vſque 10. Poſterius verò, Sect.3. in c.5. per totum, & Sect.10. in cap.11. n.5.* Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. *Ex hoc patet Angelos ad nos miſſos non carere beatificâ Dei contemplatione, vide dicta Sect.11. in cap.12. n.6. vbi Raphaël Angelus hoc clariſſimè pronuntiat, cùm ait:* Ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor. *Ceterum egregia quoad S. Michaëlem, hoc Opus, Lectori ſuppeditabit documenta.*

Primum, quòd S. Michaël ſuo exemplo nos docuerit à maledictionibus abſtinere, Sect.7. in cap.3. à n.4. vſque 9.

Secundum, quòd ipſe apparuerit Ioſue, eumq; docuerit diuina ope expugnandam vrbem Iericho, Sect.4. in cap.7. n.6.

Tertium, D. Michaëlem iuniſſe argonautas, & ex eo Conſtantinum Soſthenium conuertiſſe in Michaëlem, Sect.7. in cap.7. n.4.

Quartum, conſilium & conſultationem inter Deum & Angelos intercedere, eaq; de cauſa D. Michaëlem cum ſtatera & lance ab antiquo depingi ſolitum, Sect.9. in cap.12. n.11.

Quintum, D. Michaëlem & alios ex ſuprema hierarchia Angelos extraordinariè mitti ad hominum vtilitatem, Sect.13. in cap.12. n.1.2.3.

IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

Vide dicta ad Euangelium in feſto S. Marci, eiſq; adde ſequentia.

Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam. *Hic tractari poteſt, quanta res ſit coram Deo ambulare, Sect.2. in cap.4. à n.7. vſque 10.* In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: & manducate quæ apponuntur vobis. *Viros ſanctos abhorrere à gula & medicâ viuendi methodo, Sect.9. in cap.8. n.12. Item quòd Deus viliori cibo ſuos paſcat, quòd magis conducat ad virtutem & contemplationem, Sect.5. in cap.6. n.4.5.6.*

Ad hiſtoriam quod attinet S. Lucas parentibus nobilibus & copioſis ortus Antiochiæ, à puero bonarum litterarum ſtudiis & virtuti addictus fuit. Hic tractari poteſt, qua ratione pueri ſubinde citò ab infantilibus iocis abſtineant, & ad cæleſtia aptentur, Sect.4. in cap.1. per totum. Rurſum, pueros in infantili ætate viriles induere mores, quid magnum præſagire, Sect.5. in cap.1. per totum.

S. Lucas virginitatem in omni vita coluit. Hic tractari poteſt, cælibatum, tum in veteri teſtamento, tum etiam & magis in nouo teſtamento, matrimonio apud Deum fuiſſe gratiorem, Sect.12. in cap.6. à n.5. vſque 10.

S. Lucas multum poſuit opere in eloquentia, aliarumq; ſcientiarum ſtudiis, maximè tamen Medicina, in qua potiſſimùm verſatus fuit, ideoq; S. Paulus eum Medicum chariſſimum appellat, Coloſſ.4. Ex quo collige, medicinam & medicos magnifaciendos, Sect.4. in cap.6. n.4. & Sect.7. in cap.11. n.2.

Didicit etiam S. Lucas artem pingendi, non vt illam exerceret, nomenq; pictoris obtineret; ſed vt eam calleret, illaq; ſubinde ſe recrearet. Qua de cauſa viri nobiles aliquando artem mechanicam didicerint, vide tractatum Sect.16. in cap.2. num.2.

D. Lucas fuit Euangeliſta; ſcripſit enim Euangelium, in quo præ ceteris documenta Chriſti ad mores & perfectionem ſpectantia enarrat. Morale. *Quàm meritorium ſit, alios vtilia docere, vide in Epiſtola Dedicatoria. Ergo D. Lucas ex medico corporum factus eſt medicus animarum, vide dicta Sect.4. in c.6. n.5. & 6. vbi reperies vtile conſilium, quod ſuggerit Syracides fideli infirmanti, ad animæ & corporis curationem.*

D. Lucas fuit Apoſtolus, tum quia Apoſtolatus Pauli, laborum & periculorum fuit comes & cooperator, idq; ex ſuffragiis & electione Eccleſiarum, vti aſſerere videtur Apoſtolus 2. Corinth.8. adeoq; Spiritu Dei præ ceteris plenus; quod patere ex miraculis, quæ nunc per illum fiunt, ait D. Chryſoſtomus, tum quia poſtquam Roma diſceſſit, ait Oecumen. prooem.

in

in Lucam, in Orientem eſt reuerſus, rurſumq; Libyam petiit, & Thebanos Chriſtiana religione inſtituit, & vt ait Epiphan. hæreſi 51. prædicauit primùm in Dalmatia, ac Gallia, & in Italia, ac Macedonia. Multos ergo labores, ærumnas, perſecutiones in hoc ſuo Apoſtolatu pro Chriſto ſuſtinuit vſque ad annum ætatis 84. teſte S. Hieron. Quocirca hoc ei elogium dat Eccleſia, Qui crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore pro tui nominis honore portauit. *Ex quo conſtat, Sanctos nulla vitæ diſcrimina pro Chriſto formidaſſe, Sect. 14. in cap. 2. n. 5. 6. & 7.*

IN FESTO SS. APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDAE.

Ioan. 15. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. *Mandat Dominus diſcipulis ſuis, vt inuicem diligant, nempe ea dilectione, quam Chriſtiani inter ſeipſos, eò quòd Chriſtiani ſunt, habere tenentur, de qua dixit cap. 13.* In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. *Illa enim mutua inter Chriſtianos charitas, ſeu dilectio, ſymbolum & ſignum erat, quo Chriſtus ſuos diſcerni volebat à ceteris gentibus & populis. Qualis olim diu viguit inter primæuos Chriſtianos, iuxta illud Act. 4.* Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, *adeò vt fideles ex vno patre & matre nati viderentur, quos nec lingua, nec natio, nec patria conſuetudo, nec natiui loci diuerſitas diuidebat, quam proinde gentiles cum murmure admirabantur, vt communis vox eorum eſſet de Chriſtianis.* Vide vt ſe inuicem diligant, & vt pro alterutro mori ſint parati.. *De qua mentionem facit Tertullianus Apolog. cap. 39. Hanc Chriſtus Dominus hoc loco inculcat diſcipulis, quia hac vnio fortes & potentes facit ad vtilem præſectum. Porrò quia hæc dilectio proximi ſubſiſtere non poteſt, ſine dilectione illa, qua tenemur omnes diligere, ſicut noſmetipſos propter Deum, hic tractari poteſt, Deum proximi dilectionem miris modis olim ſeruandam fidelibus præſcripſiſſe, Sect. 12. in cap. 4. à n. 1. vſque 7.*

Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. *Poſtquã adhortatus eſſet Dominus diſcipulos ſuos, ad tolerantiam & patientiam, ab exemplo ſuo eoſdem induxit: vt eum fructum in mundum, ad quod electi erant, adferrent, quia neceſſaria erat illis tolerantia & patientia, ſine qua mutua dilectio conſeruari non poteſt; diligere enim diligentes & benefactores facile eſt; diligere etiam eos, à quibus nec diliguntur, nec odio habentur, non eſt difficile: at eos diligere, à quibus perſecutionem patiuntur, & odio habentur, quales experturi erant Apoſtoli, difficile & arduum eſt; practicandum tamen. Ex quo hic tractari poteſt, inimicos eſſe diligendos, vide Sect. 12. in cap. 4. n. 7. & 8. vbi latè agitur de dilectione inimicorum.*

Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. *Eſt magna energia in his verbis, quaſi dicat Dominus, Non debet vòs à mutua dilectione remouere odium Iudæorum, quo vos proſequuntur, neque à patientia diuellere, quia me, qui innocens ſum, qui Dei Filius, qui tot beneficiis eos cumulaui, qui de cælo propter eos deſcendi, qui carnem ex Iudæis ſumpſi, priùs perſecuti ſunt. Ex quo hic opportunè tractari poteſt, ab amicis & propinquis pati, durum eſſe, maximè in cauſa religionis, Sect. 12. in cap. 2. n. 3. & 8. Sed quia Dominus ad tolerantiam Apoſtolos hortatur, opprobriis, aliiſq; malis reſiſtendum non eſſe, quando conſtat Deum velle, nos ea perpeti, Sect. 12. in cap. 3. num. 7. & 8.*

Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, eligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *q. d. Si cauſam & originem odij conſideratis, magna vos conſolatione afficiemini, & Iudæorum odium conſtanti animo tolerabitis; id enim procedet, quia boni eſtis & iuſti, & meam cauſam acturi. Hac ratione vſus eſt in ſuis afflictionibus Paulus 2. Corinth. 12. qui eas non patienter ſolùm ferebat, ſed in eis etiam lætabatur:* Placeo, *inquit*, mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto, *id eſt, cauſam conſiderans, quia pro Chriſti iuſtitia eas patior. Et paulò antè:* Libenter, *inquit*, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. *Hac etiam ratione vſus eſt Ioannes 1. Ioan. 4.* Nolite mirari, *inquit*, fratres, ſi odit vos mundus, nos ſcimus, quia translati ſumus de morte ad vitam. *Hinc duo elicere licet documenta; primùm, impoſſibile eſſe Deo placere & hominibus, de quo vide Sect. 20. in cap. 14. n. 4. Poſterius, non eſſe nouum iuſtos magis pati quàm iniuſtos, de quo vide Sect. 8. in cap. 12. n. 11. 12. Nec id fieri ſine diuina prouidentia, ibid. n. 13. & 14.*

Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur; ſi ſermonem meum ſeruauerint, & veſtrum ſeruabunt. *Præclarè Cyrillus Alexandr. lib. 10. in Ioan. c. 28.* Futuras autem omninò, *inquit*, perſecutiones ideo oſtendit, quia non eſſe maiorem ſeruum Domino ſuo confirmat. Vidiſtis igitur, inquit, atque audiſtis, quomodo me perſecuti ſunt, quomodo furioſa, infernáq; oratione dæmoniacum, temulentum, Samaritanum, ceteraque huiuſmodi me vocabant, & vocant: ſed numquam ego vices reddidi, nec ſalubri ſermone illos alloqui deſiui; quare nec vobis aliter in perſecutionibus faciendum eſt, nec maior quædam conditio quærenda. Ita eos ſuperiores omni odio, & perſecutione reddit. *Chriſto conformari eſſe conſolatorium, Sect. 5. in cap. 5. n. 13. & 14.* Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Æquo animo eſſe monet, *inquit Cyrill.* quando ſermo docentis contemnitur. Puderet enim quiſpiam amiſſum eſſe prædicationis laborem, ſi auditoribus non perſuaſit; quod

ita non eſt. Nam qui probè conſulit, & conſulere non deſinit, fecit quod potuit, & præmio non carebit. Credere autem, aut non credere, non in ipſo, ſed in audientium voluntate poſitum eſt. Non ergo in ſeminando verbo Dei deſperare debemus: ſed quæ nobis poſſibilia non ſunt, diuinæ maieſtati relinquenda ſunt. Quod probè figura talentorum didicimus. Alius enim quinque, alius duo acceperunt, alius vnum: qui mercaturæ, commutationiſque dare operam renuens, in terram Domini ſui pecuniam obruit, & idcirco audiuit: Nequam ſerue ac piger, oportuit te nummulariis talentum meum commendare, & ego veniens cum vſura exegiſſem. Et certè, quemadmodum qui agrum colunt, terram aratro ſcindunt, ſemina deponunt, nihil quod ſuum eſt, non faciunt; Dei autem gratiæ relinquunt, vt, inde fructus veniat: ſic prædicantibus verbum Dei diligenter ſeminandum eſt: vtrùm autem fructus ſequatur nec ne, quamuis opprimendum ſit, diuinæ tamen gratiæ relinquendum, præſertim cùm agri ſterilitas, detrimentum agricolis afferat; prædicantes autem, laboris & propoſiti mercedem amiſſuri non ſint. Quare quamuis etiam, inquit, ſermo veſter contemnatur, memores tamen quia meus etiam contemnitur, nolite maiorem vos gloriam quærere. Talibus Apoſtolos muniuit Saluator, quos doctores orbis conſtituit. Quæ omnia beatus quoque Apoſtolus Paulus ad apoſtolatum à Chriſto miſſus, apprimè ſeruauit. Vos, inquit, prudentes eſtis in Chriſto, nos autem fatui propter Chriſtum; nos infirmi, vos autem fortes: nos ignobiles, vos nobiles: vſque in hanc horam eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus. Vides quomodo gloriam mundi calcauerat propter Chriſtum: robur etiam animi oſtendens dicit: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius. Et alibi: Eadem, inquit, dicere, nec mihi moleſtum, & vobis cutum. Et ad Galatas: Filioli quos iterum parturio, quouſque Chriſtus in vobis formetur. Vides quum non admiſſus primum penitus ſermo fuerat, quomodo eadem reuoluere nequaquam eum pigebat: ſed omnem laborem & dolorem ferebat, quouſque Chriſtus in eis formaretur. *Hic conſiderandum venit, neuum non eſſe quod Apoſtoli, eorumq; ſermo contemnatur, Sect. 15. in cap. 2. n. 9. vbi per multa exempla Scripturæ id ipſum probatur. Rurſum hic tractari poteſt, vnde contingat quoſdam Superiorum monita contemnere, Sect. 14. in cap. 14. à n. 5. vſque finem.* Sed hæc omnia facient propter nomen meum, quia neſciunt eum qui miſit me. *Non aliam ad perſequendos Apoſtolos, quàm nomen Chriſti, futuram impiis cauſam aſſerit Dominus. Multos ex ignorantia affectata aut craſſa, multos ex ſola maleuolentia iuſtos odio habere & perſequi, Sect. 33. in cap. 15. n. 2. 3. & 4.* Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. *Chriſtus Dominus docet perſecutores Apoſtolorum non fore excuſabiles à peccato infidelitatis, quandoquidem efficaciſſimè prædicarit, & docuerit, ſe eſſe Chriſtum:* Cùm verò, *inquit Cyrillus Alexandr. c. 30. lib. 10.* abſque venia ſuos perſequi, & vexari ab illis dicat, mœrorem audientium minuit, qui facilius iniurias nonnumquam perferunt, quando certiores ſunt, non impunè iniuriantes, euaſuros. *Hic tractari poteſt, eos contemptores Prophetarum & Apoſtolorum aliquando à Deo puniendi venire, vide Sect. 15. in cap. 21. n. 7. & 8.*

De vita SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ nihil habemus ſingulare, quam quod in Euangelio inter duodecim Apoſtolos recenſeantur, & pauciſſima omninò ſunt, quæ circa eoſdem nobis certò conſtent, præterquam quod in Euangelio prædicando, & propagando, multas arumnas tolerarint, multa miracula patrarint, multoſq; mortales ad Chriſtianæ fidei veritatem conuerterint. Inter canonicas autem epiſtolas vna eſt S. Iudæ, qua breuiter multa dogmaticè adſtruit, nimirum myſterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis Chriſti, Angelorum bonorum à malo diſcretionem, & ſtudium pro ſalute hominum, denique fidem & metum futuri iudicij: Ethicè verò docet plurima, quæ Lectori ſunt obuia.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Et aperiens os ſuum docebat eos dicens, Matth. 5. &c. *Quid ſignificet in ſacra Scriptura*, os aperire, *vide latè tractatum Sect. 1. in cap. 13. à n. 1. vſque 5.* Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *Chriſtus Dominus ſummam angelicæ vitæ & perfectionis complexus, primùm docet, viam ad beatitudinem, eſſe humilitatem, & voluntariam paupertatem; commendat enim eam virtutem, quæ eſt omnium fundamentum, vt poſt Chryſoſtomum intelligit etiam Theophylactus:* Primùm, *inquit*, modeſtiam & humilitatem animi ceu fundamentum iacit. Nam quoniam propter ſuperbiam Adam cecidit, per humilitatem erigit nos Chriſtus. Significatur, inquam, hæc cum voluntaria paupertate. Nam abiectio omnium facultatum propter Chriſtum, neceſſariò prouenit ex animi humilitate, eamque coniunctam habet. Sicut enim diuitiæ appetuntur ferè propter mundi honorem: ita qui omnes abiicit facultates, omnes item honores ſe contemnere declarat. *Iuxta hunc ſenſum, qui eſt etiam D. Auguſtini, hic tractari poteſt, vilem ſui æſtimationem, exiſtere principium exaltationis, Sect. 10. in cap. 4. n. 2. 12. 13. & 14. Ait etiam Dominus Iſa. vlt.* Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. *Porrò videtur intuitio*

Domini

Domini fuiſſe diſcipulos ſuos ob id predicare beatos, quod propter ſe iam omnia abiecissent, & reliquiſſent. In quem ſenſum Baſilius quæſt.205.inquit: Hi ſunt pauperes ſpiritu, qui non ob aliam cauſam pauperes facti ſunt, niſi propter doctrinam Domini, qui dixit: Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. *D.quoque Hieronymus religioſiores pauperes videtur intelligere, cùm vult piis pauperibus elargiri eleëmoſynam, eoſq; pauperes ſpiritu appellat, vide dicta Sect.15.in cap.4. vbi probatur melius eſſe impertiri eleëmoſynam ſanctioribus, quorum eſt regnum cælorum.*

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. *Quanta ſit virtus manſuetudo, & quid boni non efficiat, Sect.1.in cap.9.à n.3. vſque* 10. Beati qui lugent, quia ipſi conſolabuntur. *Beati dicuntur viri iuſti, qui propria vel aliena peccata deflent, Sect.2.in cap.10.n.4.5.6. Vel etiam beati dicuntur illi, qui calamitates aliquas à Deo ſibi immiſſas patienter perferunt, iuxta illud Iacobi :* Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Dominus diligentibus ſe, *vide dicta Sect.16.in cap.3.n.6.& 7. vbi docetur iuſtos tribulatos manere coronam gloriæ cæleſtis, vide etiam Sect.8.in cap.12.n.9.10.& 11.* Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. *Quanto appetitu Dominus voluerit Chriſtianos ſectari iuſtitiam, Sect.9.in cap.14.n.3.* Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, *vide dicta Sect.7.in cap.4. n.4.5.& 6. vbi tractatur, quantum præmium maneat eos, qui ex miſericordia pauperibus ſubueniunt.* Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *Fideles ab omni ævo intellexerunt tentationes ad beatitudinem ducere, Sect.8.in cap.12.à n.5. vſque* 9. Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti, *&c.* & dixerint, *&c.* gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. *Gloria cæleſtis ſtimulus eſt ad quoduis tolerandum, Sect.14.in cap.2.à n.5.vſque* 8. *Rurſum, gaudendum in tribulatione, quia viam ſternit ad cæleſtem gloriam, Sect.5.in cap.5.à n.6.vſque* 10. *Item, Beatorum gloriam explicari non poſſe, Sect.10.in c.13.n.8.& 9. & Sect.18.in cap.14.n.* 19. *Adhæc, inter tria, quæ Deus meliora facere non poteſt, eſſe beatificam viſionem, vide Sect.9.in c.6. n.8.§.* Denique.

Rationes verò, quare Eccleſia feſtum omnium Sanctorum inſtituerit, plures ſunt; præcipua eſt, vt nos excitet ad omnes Sanctos imitandos, vide Sect.1.in cap.1. vbi latè docetur, Sanctorum vitam nobis in exemplum proponi; aliam Eccleſia proponit in publico officio, his verbis: Vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus, largiaris. *Hic tractari poteſt, Deo non fieri iniuriam, cùm ſuffragij cauſa Sanctos interpellamus, Sect.13.in cap.1.à n.4.vſque* 8. *Quia verò innumeri ſunt Sancti, neque ſingulari ſolemnitate poſſint omnes celebrari, decentiſſimum fuit, vnum aliquem diem decernere, quo cunctos veneraremur, eorumq; ſubſidia flagitaremus, vide de cultu Sanctorum, Diſcurſus in Præcepta aſſignatos dictâ Sect.13.n.6.*

IN COMMEMORATIONE FIDELIVM ANIMARVM.

Vide Sect.14. in cap.4. vbi ſtatus animarum defunctorum probatur contra Gentiles n.2. Ibidem n.6. docetur, Tobiam pro animarum refrigerio conuiuium inſtrui voluiſſe, vti & n.8.9.10.& 11. docetur, vnde vſus conuiuiorum in Eccleſia inualuerit. Rurſum n.6. deſcribitur multiplex gratia, qua animabus fidelium impenditur. Tandem à n.13. vſque finem, priſcorum Patrum in animas Purgatorij pietas declaratur, & motiua adducuntur, ad pietatem illam, inter nos promouendam.

IN FESTO S. MARTINI.

Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Luc. 14.

Docet hiſce verbis Dominus diſcipulos, ob quorundam excæcationem non ſupprimendam veritatem, ſed lucis ſuæ claritatem oſtendi debere, cuius videlicet cognitio plures excitatura eſſet ad ſalutem. Hinc rectè hic tractari poteſt, omnes qui ſcientiæ donum & lumen à Deo acceperunt, in alios illud derivare debere inſtar lucernæ, quæ ſine diſcrimine omnibus ſuæ lucis radios adminiſtrat, vide Sect.3.in cap. 9.n.2.3.4.& 5. vide etiam Sect.31.in cap.1.n.1.2.

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus : ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. *Quoniam lucerna facta fuerat mentio in hac parabola, Dominus hinc occaſionem cepit aliam parabolam de lucerna adiungere: quia notat Phariſæos, ſignificans ex vitiato oculo mentis eorum proficiſci iniqua illa de ipſo iudicia, ex quibus illum dicebant in Beelſebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia; & ſimilia : nec poſſe fieri vt bene vel loquantur, vel faciant, quamdiu oculum mentis, inuidiâ, faſtu, auaritiâ, ceteriſq; vitiis obtenebratum non purificaſſent. Vnde hic tractari poteſt, intentionem rectam opus bonum probare, Sect.15.in cap.3.n.7.& Sect.4.in cap.8.n.3.4.& 5. & Sect.4.in cap.11. num.16. quin etiam Sect.7.in cap.14.n.12.*

Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit, *vide Sect.4.in cap.11.à n. 8.vſque finem; vbi egregiè tractatum inuenies, intentionem malam venenũ potens eſſe, & malignum, & Sect.1.in cap.7.n.12.* Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. *Hic doceri poteſt, oculorum habendam eſſe cuſtodiam, Sect.15.in cap.6.n.7. vide etiam Sect.8.in c.2.n.8. §.* Sic affliguntur, *& Sect.9.in cap.11.n.6. vbi docetur hominem peccatorem non indignari debere, ſi, Deo ita lubente, ei contingat cæcitas corporalis: &*

n.7. vbi habetur aliquos ſibi oculos eruiſſe, ne eſſent occaſio ruinæ.

Quantum ad hiſtoriam attinet, S. Martinus decennis, parentibus inuitis, Eccleſiam ingreſſus, albo catechumenorum voluit adſcribi. Oppidò pietatis operibus afficiebatur, frequens erat in templis, ſæculi ſtrepitus fugitabat, familiares hominum congreſſus vitabat, Deiq; conſortio gaudebat, vide Sect. 4. & 5. in cap. 1. vbi vtilia inuenies ad hanc rem, quomodo videlicet quis, relictis ſæcularibus, diuinis addictus fiat, & quid illud præſagiat. Rurſum vide Sect. 20. in cap. 3. n. 3. 4. 5. & ſeqq. quàm vtilis ſit ſolitudo.

Martinus iuſſu Imperatoris Conſtantij ad militiam inuitus conſcriptus, cunctorum neceſſitatibus conſulebat, magna charitate deſolatos conſolabatur, eoſq; ſingulari affectu proſequebatur. Vnde dignoſcimus primò, malorum conſortium bonos non inficere, inuitos, Sect. 22. in cap. 1. n. 13. Secundò, condolentes afflictis magno præmio dignos eſſe, Sect. 34. in cap. 1. n. 1. Item, magni meriti eſſe apud Deum nudos operire, ibid. à n. 5. vſque finem.

Porrò D. Martinus in hoc pietatis genere pulcherrimum nobis reliquit exemplum. Cùm enim forte ſeuiente bruma cum ſociis ad Ambiani (ciuitas eſt Galliæ, & Piccardiæ metropolis) portam conſtitiſſet; ecce ibi pauper acceßit nudus, eleëmoſynam precatus, qua nuditatem poſſet operire: ſed à reliquis militibus repulſam paſſus, Martinus intuitus, vt hanc ſibi nouit diuinitus oblatam occaſionem merendi, gladium eduxit, chlamydemq; mediam diſcidit, alteramq; eius partem pauperi erogauit, alteram ſibi ſeruauit. Placuit egregiæ pietatis opus Domino, qui ſequenti nocte partem chlamydis indutus, ad Angelorum coronam, qua cingebatur, conuerſus ait: Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit. *Adeò Dominus eſtimat, qua ſui cauſa pauperibus eroganter. Hic tractari poteſt, quo caſu cenſeatur quis auertere faciem ſuam à paupere: ita vt timendum ſit, ne Deus auertat faciem ſuam ab eo, vide Sect. 4. & 5. in cap. 4. vbi multa & præclara in hanc rem.*

IN FESTO S. CATHARINÆ.

Matth. 25. Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ: quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes; ſed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum, prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. *Dominus ac Saluator noſter monuerat ſuos, vt ad diem iudicij inopinatum ſe pararent, ſobrietate, vigilantia, oratione, &c. Vtq; eius vim magis inſinuaret, parabolam adiecit de iudice iniquo, quem cùm Dei hominumq; metus non moueret, vidua conſtantes preces vicerunt: vt autem ad vigilantiam, & diligentiam magis prouocaret, ſubiungit parabolam alteram de decem virginibus, quarum ſolùm quinque prudentes in nuptiarum thalamum cum ſponſo ac ſponſa receptæ ſunt, aliis quinque fatuis excluſis ob oſcitantiam, & olei carentiam. Propheras olim vti & Chriſtum Dominum in Euangelio vſos eſſe parabolis, vt efficacius homines mouerent, Sect. 31. in cap. 1. n. 3. 4. 5.*

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes; ſed quinque fatuæ, *&c. Ad intelligentiam huius parabolæ, prænotandum eſt, moris fuiſſe apud Hebræos, vt ſponſus veſpertino tempore comitatus adoleſcentium ſocietate, accederet ſponſæ ſuæ domum, celebraturus ibi cum illa nuptias; ac tum è ſponſæ domo, virgines quædam, ſponſæ aßidentes, ſponſæ domi aduentum ſponſi præſtolante, prodirent obuiam ſponſo, deducturæ illum cum lampadibus in domum ſponſæ, & ibi cum illo nuptialibus fruituræ gaudiis. Decem autem, id eſt, multæ ſe præparauerant ad exeundum obuiam ſponſo: harum decem virginum quinque dicuntur fatuæ, quod quemadmodum experientia docuit, malè ſibi proſpexerint. Quinque enim ex his cùm accepiſſent lampades, præter oleum quod erat in lampadibus, non ſumpſerunt in vaſculis oleum, quod lampadibus infundere, conſumpto lampadum oleo, poſſent; ſi fortè contingeret aduentum ſponſi diutius prorogari. Aliæ verò quinque perpendentes incertam eſſe horam aduentus ſponſi, ſimul cum oleo lampadum acceperunt in vaſis ſuis aliud oleum, quod, priori conſumpto, infundere poſſent: nam & quæ fatuæ dicuntur, oleum ſecum ſumpſerant, ſed in lampadibus tantùm. Hic docemur ratione virginum prudentum, quæ ſibi proſiderunt, fidelibus prudentiam non carnis, ſed ſpiritus amplectendam eſſe, Sect. 5. in cap. 2. à n. 9. vſque finem.*

Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt: media autem nocte clamor factus eſt, Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas: fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat vobis & nobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Nouiſſimè verò venerunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, Neſcio vos. Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. *Quòd dormientibus omnibus, & media nocte clamor exortus ſit vocans ad occurſum ſponſi, ſignificat Dominum, tempore, quo minimè putabitur, & quo iam omnes homines mortis ſomno grauati iacebunt, venturum, ac tum voce Archangeli omnes ex ſomno mortis excitandos, & euocandos fideles, vt venienti ſponſo veniant obuiam. Hoc exemplo monere Dominus nos voluit, vt propter incertitudinem aduentus ipſius ſiue ad iudicium, ſiue ad mortem, vigilemus ſemper, & parati ſimus ipſi occurrere, venienti, vide Sect. 7. in cap. 5. à n. 6. vſque finem. Vbi docetur ob incertitudi-*

nem

nem vitæ noſtræ nihil nobis arrogandum eſſe, ne nimiùm ſecuri nos deceptos inueniamus. Porrò per hoc quod virgines fatuæ excluduntur à nuptiis, eò quòd oleum non haberent in vaſis ſuis, cum lampadibus, ſignificatur opera bona iuxta fidem eſſe neceſſaria ad ſalutem, vide Sect. 7. in cap. 14. n. 6. 7. & 8. & Sect. 4. in cap. 11. n. 7. vbi docetur, officium hominis Chriſtiani eſſe non ſolùm vitare malum, ſed etiam facere bonum.

Per illud autem, quod virgines fatuæ ſerius de oleo cogitantes excluſas ſe audierunt, ſignificari poteſt, dilationem boni operis, aut pœnitentiæ eſſe admodum nocuam, vide Sect. 8. in cap. 13. à n. 10. vſque finem. Porrò quod in fine cõcludat Dominus, Vigilate itaque, quia neſcitis neque diem, neque horam, *indicat optimum remedium ad ſalutem eſſe ſemper vigilare, vide Sect. 18. in c. 14. à n. 5. vſque 9. & n. 12. vſque 14. vbi præclara inuenies ad concluſionem, quam Chriſtus addidit in hoc Euangelio.*

Verùm enimuerò rectè notauit Lanſenius parabolam hanc, quæ ab aliquibus, virginibus corpore, accommodatur, etſi non adæquet intentionem Domini, qui de fidelibus, illã intelligit; tamen ſicut particulare includitur in vniuerſali, ita illam parabola intelligentiam includi in generali illo ſenſu, quem Dominus intendit, atque ob id non incongruè Eccleſiam in feſtis Virginum eam parabolam intra Miſſarum ſolemnia legere, eamq; particulariter accommodare Virginibus, quæ ſunt in Eccleſia. Et fortè hoc ſpectauit Chryſoſtomus, qui per prudentes virgines intelligit eas, quæ præter veram animi corporiſq; virginitatem, charitatem etiam & miſericordiam habent, eamq; largiendo eleëmoſynas exercent: per fatuas verò eas, quæ iuxta virginitatem, charitatem non habent, quæ indigentibus ſubueniant, ac virginitatem ſeruantes, quod eſt difficile, faciliora negligant. Sic autem philoſophatur hom. 79. in Matth. Quoniam igitur & magna res erat (*virginitas*) & maioris apud multos exiſtimationis, ne quis eâ re peractâ, quaſi nullo indigens, negligentior in aliis ſit, hanc parabolam poſuit, vt oſtendat, quia ſi cetera vniuerſa virginitas habuerit, & caruerit eleëmoſynæ fructibus, cum fornicatoribus eiicitur: & inhumanum, ac immiſericordem cum ipſis collocat. Idque haud immeritò. Fornicator enim corporum; iſtæ verò pecuniarum cupiditate vincuntur. Non eſt autem corporis & pecuniæ par cupiditas, ſed acrior multò atque vehementior corporum eſt. Quantò igitur imbecilliori reluctamur, tantò minus, ſi vincimur, venia digni ſumus. Idcirco & faruas appellauit, quoniam, difficilioribus ſuperatis, faciliora perdiderunt. Lampades autem, hic ipſius virginitatis nominat donum, & munditiam ſanctitatis: oleum verò benignitatem, eleëmoſynam, patrocinium indigentium. *Ex quo docemur primò, offendentem in vno fieri omnium reum, vide Sect. 7. in cap. 14. n. 11. Deinde colligimus quanti valeat apud Deum oleum miſericordiæ, Sect. 6. in cap. 4. à n. 2. vſque 9. & Sect. 5. in cap. 12. n. 7. 8. 9. & 11.*

Quantum ad hiſtoriam attinet, Catharina cùm Imperator Maximinus impium edictum publicaſſet, de idolis, ſacrificio colendis, & cultum religionis Catholicæ ſub graui pœna interdixiſſet, mota Chriſti amore adiit ipſum Imperatorem, eumq; ſumma libertate allocuta, omnium cauſam ſuſcepit, ipſiq; Imperatori ſignificauit, quantis tenebris caligaret, quòd ſacrificaret idolis, hominum vitioſorum ſimulachris, quodq; ſuo exemplo tot ad impietatem populos ſecum raperet, quos ipſe tamquam caput & princeps ab errore vindicare debuiſſet, & in veritatis dirigere ſemitam. Ex quo docemur primò, in neceſſitatis articulo etiam cum periculo vitæ proximorum curam habendam, vide Sect. 31. in cap. 1. n. 2. Rurſum hic tractari poteſt, Catharinam imitatam eſſe Eſtherem, & alios qui agnouerunt dona à Deo accepta in aliorum ſalutem impendenda, vide Sect. 3. in c. 9. n. 2. & 3. vbi admodum vtilia reperies in hanc rem. Vide etiam, ſi placet, qua ratione deterruerit Ieremias vates Iudæos ab idololatria, Sect. 30. in cap. 1. n. 3. & Sect. 6. in cap. 10. n. 2.

Imperator turbatus ex alloquio virginis, aliquamdiu velut elinguis hæſit, tandem ſic illam affatus eſt, Die nobis, quęnam es tu, aut quæ ſunt ea verba, quæ es nobis locuta? *Cui Catharina*, Notum eſt in hac vrbe genus meum, vitam Rhetorices & Philoſophiæ ſtudiis exegiſſe: ſed id, in quo potiſſimùm glorior, eſt quod ſum Chriſtiana, Chriſtoque meo crucifixo, vero Deo, veroque homini deſponſata. *Ac ſimul ſuæ fidei rationem reddidit, adeo ſingulari ſapientia, eloquentia, & gratia, vt Imperator verborum pondere obſtupefactus, nequierit reſpondere. Hic primùm tractari poteſt, fideles nobiles potiſſimùm gloriatos eſſe, quod Chriſtiani eſſent, Sect. 2. in cap. 1. n. 5. 6. 7.*

Catharina, aduocatis quinquaginta Philoſophis, ex parte Imperatoris, qui cum virgine diſputarent, eamq; ſuis argumentis conuincerent, eorumdem argumenta diſſoluit, ipſoſq; Philoſophos ad fidem Catholicam conuertit, vide Sect. 1. in cap. 11. n. 4. & 5. vbi comperies mulieres ſuæ tum ſolertiæ, tum conſilio, tum eruditione, viros, apud ſe prudentes, quin & alios inſtruxiſſe, & in ſuam induxiſſe ſententiam, vide etiam Sect. 6. in cap. 12. vbi comperies, quod vnus iuſtus tantum apud Deum valeat, quod integram gentem poſſit vel reſtituere, vel ad Chriſti fidem perducere, ſiue vir ſit, ſiue fœmina, & n. 5. & 6. plurimis exemplis Scripturæ idipſum aſtruitur. Rurſum hic tractari poteſt, quomodo ſtultam fecerit Deus ſapientiam huius mundi, Sect. 9. in cap. 6. n. 7.

Maximinus, vt erat crudelis & ferox, inſtructo igne, iuſſit quinquaginta Philoſophos exuri. Illi flammas conſpicati, S. Virginis pedibus accidêre, cum lachrymis precati, vt pro ſe Deo ſupplicaret, oraretq; veniam peccatorum, quæ cæci patrarant; nam ſe iam diuinitus illuminatos eſſe, baptiſmo, mortiq; paratos. Exultauit in Domino S. Virgo, miriſq; geſtiit gaudiis, vt vidit mendacium à veritate; vanam philoſophiam

loſophiam à Chriſtiana ſapientia; falſoſq; deos à vero Deo triumphari, hominesq; illos, qui prius audiebant ſapientes, revera tunc ſeſe ſubmittere Chriſto, æterna ſcilicet ſapientia Patris, eoſq; tamquam generoſos Chriſti milites alacriter certamen, ipſamq; mortem ſubire. Quamobrem comi, ridentiq; eos, ore conſolata, corroborauit, nihilq; eos ambigere iuſſit, quin à Deo ſuorum peccatorum veniam impetrarint, quod pluris æſtimarent cœli quàm terræ regem. Addidit & ignem fore illis inſtar baptiſmi, eoq; animos eorum expiandos, quo candidi, omniſq; labis puri coram diuina maieſtate ſiſterentur, recepturi cruciatus illius brauium, victoriaq; adeò illuſtris diadema ſempiternum. His & id genus ſermonibus admodum corroborati, cùm ſe ſapiùs ſigno crucis armaſſent, & identidem Ieſu nomen inuocaſſent, flammis iniecti, ſuas animas Deo reddiderunt. Hinc primò diſcimus tyrannorum iram ſæuire in Deum, dum fideles perſequitur, Sect.36.in cap.1.n.4.5.6.7.8. Ratione verò S.Catharinæ Philoſophos conſolantis, plurimum valere apud Deum afflictis condolere, Sect.34.in cap.1. à n.1.vſque 5. Rurſum ratione Philoſopherum plus timentium Deum, quàm Imperatorem, vide Sect.7.in cap.2.n.5.6.7. vbi comperies latè quomodo Sancti Dei legem præpoſuerint tyrannorum imperio, minis & tormentis. Denique Philoſopherum ad fidem conuerſorum exemplo diſcimus, ſpem remunerationis fideles ſingulariter animare ad mortem lubenter ſubeundam, pro Chriſto, vide Sect.14. in cap.2.n.4.5. & 6. Quod & ipſa Catharina oſtendit, cum nullis neque blanditiis, neque minis à propoſito deterreri potuit; ſed virili animo quauis tormenta pro Chriſto ſubiit. Cùm autem Deus crudelem machinam, quam tyrannus in necem Catharinæ applicari iuſſiſſet, diſſipaſſet magno impetu, multi paganorum hoc ſpectaculo moti, altè clamarunt, Magnus Deus Chriſtianorum. Sic Deus miraculosè idolorum vanitatem oſtendit, & fidem Chriſtianam hoſtium teſtimonio prædicari facit, vide Sect.6.in cap.13.n.9.

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIAE.

Luc.19. Ecce vir nomine Zachæus, *&c.* & quærebat videre Ieſum quis eſſet, *&c.* ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans, deſcendit, & ſuſcepit eum gaudens. *Feſtinandum eſſe, cùm Deus vocat, Sect.4.in cap.2.n.3.4.5.& 9. Rurſum, qua de cauſa olim tanto affectu peregrini excepti hoſpitio, Sect.1.in c.7.à n.1.vſque 8.* Hodie ſalus domui huic facta eſt. *Quem fructum retulerit Zacheus eò quòd feſtinanter exceperit Chriſtum, Sect.4.in cap.2.n.9. Iterum, vnde meruerit hæc audire Zacheus, & non Herodes, qui Chriſtum æquè libenter videre voluit, ac ille, Sect.4. in cap.8. circa finem.*

Quandoquidem verò eò verba, dicta Zacheo, Hodie domui huic ſalus facta eſt, *Euangelium hoc in Eccleſia legatur, quod per dedicationem templo materiali plurimum ſanctitatis accedat, hic tractari poteſt, orationem, quæ fit in Eccleſia, ſeu publicam, efficaciorem eſſe priuatâ, Sect.5.in cap.8.n.3.4. Rurſum, Eccleſiam impugnantes magna diuinitus felicitate donari, Sect.10.in cap.13.n.8. quin etiam Eccleſiæ perſecutores malè periiſſe, ibid.n.5.& 6. Deum templi ſtructuram negligentes puniſſe ſterilitate agrorum, Sect.4.in cap.2.n.12. Denique Deum propter peccata hominum permittere ſacrorum prophanationem, Sect.8.in cap.13.n.8.*

Sequitur materia pro Feriis Quadrageſimæ.

FERIA IV. CINERVM.

Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: extenuant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. *Diuerſa eſſe ieiunantium motiua, Sect.9. in cap.3.n.1.& 2.* Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans; ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito. Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. *Docet Chriſtus ieiunium aliter à nobis exercendum, quàm Phariſæis, qui oſtentationis ergò ieiunabant; & intentionem rectam bonum opus probare, Sect.15. in cap.3.n.7. & Sect. 4. in cap.8.n.3. 4.5.& Sect.4. in cap.11.n.16. quin etiam Sect.7.in cap.14.n.12. Rurſum inanem gloriam contemnendam eſſe ob rationes aſſignatas, Sect.5.in cap.7.à n. 16.vſque finem. Quod verò ſubiungitur,* Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, *&c. non ſic eſt accipiendum, quaſi vnctionem capitis, & lotionem faciei, præcipere velit Dominus ieiunanti: ſed metaphorica eſt locutio, qua ſignificare vult, diſſimulandum eſſe ieiunium. Mos enim Paleſtinæ terræ (vt notauit Hieronymus, & Scriptura vbique demonſtrant) erat, vt qui lugerent, vnguentis & lotione abſtinerent: contrà verò qui lætiores erant, vngerentur, maximè in capite, & facies ſuas accuratè lauarent. Sic Dauid poſt ieiunium & luctum pro puero, quem pepererat Bethſabee, dicitur lotus & vnctus. Sic Ruth dictum eſt,* lauare & vngere, & induere veſtimentis cultioribus. *Et mulieri Thecuitidi dixit Ioab:* Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri: & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier plurimo iam tempore lugẽs mortuum. *Igitur quoniam vnguẽtis delibuti & loti nihil minus quàm ieiunare, & lugere videntur, diſſimulationem ieiunij per hæc Dominus ſignificare voluit.* Matth.6. 2.Reg.12. Ruth 3. 2.Reg.14.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur: theſaurizate vobis autem theſauros in cælo, *&c.* Quoniam ieiunij tres ſunt comites, *inquit Dionyſius Carthuſianus,* ſcilicet

ſcilicet, eleëmoſyna, humilitas, & oratio, vnde in Tobia legitur, Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleëmoſyna: ideo conſequenter Chriſtus docet vitia extirpare, auaritiamque vitare per eleëmoſynarum largitionem. *Auaritiæ cæleſtibus renuntiare, vt fruantur terrenis, Sect. 32. in cap.1.n.6.7. Rurſum eleëmoſynam ad plurima vtilem eſſe, Sect.7 in c.4.à n.1.vſque 7. & Sect. 5.in cap.12. n.7.8.& 9. Denique idcirco iuſtos ad rem temporalem parcè, ad ſpiritualem verò liberaliter adhortatos, Sect. 19. in cap. 4. n.8.9.& 13.*

FERIA V. POST CINERES.

Vide dicta ad Euangelium Dominica tertia poſt Epiphaniam.

FERIA VI. POST CINERES.

Matth.5. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos, *vide Sect.12.in cap.4.n.6.7.& 8. vbi latè agitur de dilectione inimicorum. Rurſum, inimicos lenitate lucrandos eſſe, Sect.13.in c.2.à n.6.vſque finem. Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Vult nos Chriſtus omnibus in rebus quàm ſimillimos eſſe Patri, ſed in ea maximè, qua illi eſt ſingulariter propria, miſericordia. Vnde quod Matthæus dicit*, Eſtote perfecti, *Lucas cap.7 dicit:* Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. *Hic tractari poteſt, miſericordiam in pauperes, prouocare miſericordiam Dei, Sect.7 .in cap. 4.n.4.* Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. *Deus in extremo iudicio retribuet mercedem bonis operibus, in occulto, factis, Sect.2.in cap.4.n.18.*

SABBATHO POST CINERES.

Marc.6. Cùm ſerò eſſet factum, erat nauis in medio maris, & Ieſus ſolus in terra, & vidit diſcipulos ſuos laborantes in remigando; erat enim ventus contrarius eis, & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos. *Ad quæ verba ſic Lanſenius Concordiæ* 58. Obſeruandum autem quod dicit Marcus, Dominum, cùm iam deſcendiſſet rurſum è monte, & ſtaret ſolus in littore, vidiſſe, etſi tenebræ eſſent, Apoſtolos laborantes in remigando, cùm non videretur ab eis. Eo enim docemur, quòd quamquam ad tempus Dominus videatur ſuos deſtituere, eoſque relinquat in multis periculis, & laboribus, nequaquam tamen auertit oculos ſuos ab eis, ſed eorum labores conſideret, etiamſi ſeipſum illis necdum oſtenteret; vt ob id nemo meritò animum deſpondere debeat in rebus quantumlibet turbatis & commotis, *vide Sect.2. in cap.13. vbi docetur, Deum etiam charißimos ad extremum periculorum labi permittere, antequam ornet, à n.20. vſque finem.* Et volebat præterire eos, *vide dicta Feria II. Paſchatis ad verba Euangelij*, Et ipſe finxit ſe longius ire.

At illi vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt; omnes enim eum viderunt, & conturbati ſunt. *Ambulando ſuper mare, ac ſimulando Chriſtum, ſe eos velle præterire, permiſit eos exiſtimare, ſe eſſe phantaſma, hoc eſt, ſpectrum ſeu terriculamentum aliquod, quale in nocte apparere ſolet ex dæmonis illuſione, credentes non poſſe fieri, vt graue & ſolidum hominis corpus, liquidum elementum ſuſtineret, ac ob id vulgari timore, ac vana correpti exclamauerunt inſtar trepidorum & timiderum. Deum ſuos è malis eruere poſt pericula intermedia, Sect.3.in cap.6.n.5. Ratione Chriſti ambulantis ſuper mare, & Petri, vt habetur Matth.14. colligitur, Deo volente ſeruire homini elementa, quod multis Scripturæ exemplis adſtruitur, Sect.28.in cap.1.n.9. & 10. Demum vanum timorem reiiciendum eſſe, vide dicta Sect.8.in c.7 .à n.5.vſque 11. Quia verò immiſſa tempeſtate, & vana ſpectri nocturni exiſtimatione ſuorum fidem tentauit Deus, tractari hic poteſt, tentationem eſſe cotem virtutis, Sect.8. in cap. 12.à n.6.vſque 9.* Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis, Confidite, ego ſum, nolite timere. *Deum ac diuinos ſpiritus corroborare perplexos, eiſq; metum eximere, vide dicta Sect.9.in cap.7.n.3.*

FERIA II. POST DOMIN. PRIMAM QVADRAGESIMAE.

Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Matth.25. Venite benedicti Patris mei, poſſidete vobis paratum regnum à conſtitutione mundi. Eſurijui enim, & dediſtis mihi manducare. *Cùm Dominus ſub variis parabolis de ſuo aduentu, & hominum, in ſuo aduentu iudicio, fuiſſet locutus, ſubiungit quod in eodem, cum Angelis venturus, ſtatuet oues à dextris, hœdos à ſiniſtris, id eſt, fideles miſericordes à fidelibus immiſericordibus ſeparabit. Miſericordibus verò dicet:* Venite benedicti, *&c.* Eſurijui enim, *&c. Vnde colligimus, Deum nullius magis meminiſſe, quàm miſericordiæ in pauperes, Sect.5. in cap.12.à n.11.vſque finem.* Nudus fui, & operuiſtis me. *Quanti meriti ſit apud Deum nudos operire, Sect.34. in cap.1.à n.5.vſque finem.* Infirmus, & viſitaſtis me. *Angelos & ſanctos curam geßiſſe infirmorum.*

Tunc reſpondebunt iuſti, ei dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & paſuimus te? *&c. Omnes iuſti in extremo iudicio à Chriſto laudati, adhuc ſe laudabiles non agnoſcent, Sect.1.in c.9 n.13.* Et reſpondẽs Rex dicet illis, Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. *Quantumuis paruum pauperi impertitum, imò ſpeciem bonam, & benignum alloquium, ac bonam voluntatem defectu mediorum magni æſtimari apud Deum, Sect. 6. in cap.4.à n.9. vſque finem.*

Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris eius erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſurijui

ui enim, & non dediſtis mihi manducare. *Quando negata pauperibus eleëmoſyna hominem damnationi ſubiiciat, Sect. 4. in cap. 4. à n. 1. vſque 4. Rurſum quando incurrat Dei iram magiſtratus à finibus ſuis pauperes peregrinos arcens, Sect. 5. in c. 4. à n. 6. vſque finem.* Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. *Æternos eſſe damnatorum cruciatus, Sect. 2. in cap. 13. à n. 12. vſque 17. Denique ſingulariter notandum eſſe, quòd eleëmoſyna fidelibus aliàs ſceleratiſſimè viuentibus non ſuffragetur ad ſalutem, Sect. 7. in cap. 4. n. 10. Adhæc eleemoſynas ob malum finem præſtitas, aut ob vanam gloriam hominis tum eſſe damnoſas, tum etiam inutiles ad futuram gloriam, in ead. Sect. n. 8. & 9.*

FERIA III. POST DOMIN. PRIMAM QVADRAGESIMAE.

Matth. 21. Cùm intraſſet Ieſus Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? *Cùm Chriſtus intraſſet gloriosè Ieruſalem, commota fuit ciuitas, non gaudio, non admiratione, non metu; ſed inuidia, & maligna quadam indignatione, quòd videret Chriſto tantum honoris tribui. Quantum mali moliatur inuidia, & ambitio, Sect. 10. in cap. 1. per totum. Et ad propoſitum noſtrum præcipuè n. 5. vide etiam Sect. 12. in cap. 11. n. 10. Rurſum, hic tractari poteſt, propriam gloriam quærentes maleuolè eos ignorare, quos honore dignos conſpiciunt, Sect. 38. in cap. 1. n. 3.*

Porrò quia ſub nomine vniuerſæ ciuitatis intelliguntur & maior pars, & qui auctoritate primi erãt, Scribæ & Phariſæi, ſubdidit Euangeliſta, Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Prophetа à Nazareth Galilææ. *Opponit autem ruſticam turbam ciuibus Ieroſolymitanis, quod illa per fidem reſponderet,* Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth; *cùm illi per inuidiam & contemptum dicerent:* Quis eſt hic? *Hic tractari poteſt, fideles obligari eorum famam defendere, quos vident calumniam pati, Sect. 5. in cap. 7. n. 7. & 15.* Et intrauit Ieſus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes è templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & dixit eis: Scriptum eſt, Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. *Quandoquidem Dominus hos vendentes eiecit è templo, quod cum fraude, dolo, vi aut pretij inæqualitate negotiationem exercerent in templo, vt colligitur ex verbis,* Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum, *hic tractari poteſt, Deum omnem iniuſtitiam erga proximum auerſari, Sect. 9. in cap. 14. n. 4. & 5. vbi ſimul de plagis, quæ iniuſtitiam ſequuntur, ſit ſermo. Item hic tractari poteſt, iuſtorum affectum redarguere impios, vide Sect. 2. in cap. 7. n. 2. Mirum hoc multis meritò videri poterat, quomodo videlicet nummularij, & reliquum hominum genus auariſſimum Chriſto non reſtiterint. Verùm expedit hanc difficultatem D. Hieronymus, dicens:* Plerique arbitrantur maximum eſſe ſignorum, quod & Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cæcus ex vtero lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audita ſit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam oſtendit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad vnius flagelli verbera, totam eiicere multitudinem, menſaſque ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. *Et tunc reſpondet:* Igneum enim quiddam, atque ſydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie.

Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, & ſanauit eos. Videntes autem principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Oſanna filio Dauid; indignati ſunt, & dixerunt ei: Audiſti quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Vtique. Numquam legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? *Cùm viderent Scribæ & Phariſæi non ſolùm grandiores natu Chriſto acclamare ſanctæ, eumq; appellare Meſſiam; ſed & pueros maiorum exemplo prouocari, diſcrutiati ſunt; neque illam puerilem acclamationem vel cohibere potuerunt, vel contemnere, vnde callidè Dominum compellant,* Audis, quid iſti dicunt? *vt videlicet attributum ſibi Regis nomen agnoſceret, & haberent vnde eum accuſare poſſent apud Præſidem: ſi verò non agnoſceret, haberent vnde turbam refellerent, tanquam falsò acclamantem. Sed Dominus profert exemplum ex octauo Pſalmo, vt ſe tacente, teſtimonio ſcripturarum puerorum dicta confirmaret, & ſcripturarum peritos per ſcripturam refelleret, vide Sect. 4. in cap. 1. n. 5. vbi docetur, ex inſtructione parentum paruulos Dei laudem edicere. Rurſum, ex Scripturis conſtare, quòd Chriſtus innocentiam ſuam laudari velit aduerſus calumniatores, Sect. 5. in cap. 7. n. 8. Denique hic tractari poteſt, Deum paruulorum & pupillorum eſſe vindicem, Sect. 10. in cap. 11. n. 3. & 5. Item Deum mira præcipiſſe ad præſidium paruulorum, Sect. 12. in cap. 4. n. 4.*

FERIA IV. POST DOMIN. PRIMAM QVADRAGESIMAE.

Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ & Phariſæi dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre? Matth. 12. *Cùm quidam calumniati eſſent eiectionem dæmonum, tanquam factam virtute Sathanæ, & apertis rationibus calumniam illam Chriſtus redarguiſſet, nec haberent Phariſæi quod contradicere poſſent, tunc quidam Scribarum & Phariſæorum alia ratione Chriſtum aggrediuntur, & arroganter dicunt:* Magiſter, volumus à te ſignum videre, *videlicet*

videlicet è cælo, quod præterita miracula, & auctoritatem Domini confirmet, quaſi omnia ſigna quæ in terris fiunt, præſtigiis, & diaboli virtute fieri poſſent, eò quòd mundi huius inferioris princeps, & rector ſit diabolus; ſigna verò cæleſtia nequaquam fieri poſſent, niſi à Deo, qui cæli eſſet Dominus, aut quaſi ſigna quæ Chriſtus fecit, non eſſent ſimilia, aut æqualia multis ſignis, quæ à cælo feciſſe leguntur Prophetæ in veteri teſtamento. Itaque blaſphemantes miracula Chriſti, petunt vt vel in morem Eliæ ignem de ſublimi venire iubeat, vel in ſimilitudinem Samuelis tempore æſtiuo contra naturã loci faciat mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere, vel mãna de cælo pluat, vt apud Moyſem: aut ſolem ſiſtat, vt Ioſue; aut retrogredi faciat, vt nomine Dei Iſaias: aut ſimile aliquod ſignum datum è cælo; quaſi non illa quæ Chriſtus fecerat, his eſſent maiora, & vtiliora, aut quaſi non poſſent & illa cæleſtia ſigna ſimiliter, & magis calumniari, & dicere, ex occultis, & variis aëris paſſionibus ea accidiſſe, aut certè diabolica virtute ea perfecta eſſe, quemadmodum & fiunt aliquando. Ex his primùm conſiderandum venit, ſuperbiam diuinam maieſtatem contemptu petere, eamq; grauia mala in orbem inducere, Sect. 10. in cap. 4. n. 3. 4. 5. Secundò, blaſphemiam peccatum eſſe grauiſſimum, Sect. 35. in cap. 1. n. 1. 2. 3. & Sect. 19. in cap. 2. n. 4. & 5.

Qui reſpondens ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. *Quoniam Phariſæi ex variis Domini miraculis ſatis intelligere potuiſſent, modò voluiſſent, eius auctoritatem, & quia non pro affectu, ſed animo tentandi ſignum cæleſte petiiſſent, neque Dominus alia miracula facere vellet ad oſtentationem, dicit in ſubſtantia turbis: Generatio hæc rurſum quærit ſignum, ego verò calumniosè petentibus aliud ſignum non dabo præter illud, quod olim eis conſtitui, videlicet Ioan. 2. Cùm poſt eiectionem vendentium è templo, facto flagello de funiculis, dixerunt,* Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis, *eiſq; reſpondit:* Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. *Quibus verbis ſignificabat ſuam reſurrectionem in Ione ſigno præfiguratã. Ex quo docuit Chriſtus, miracula facienda non eſſe, niſi cùm neceſſitas aut cauſa iuſta vrget, vide Sect. 3. in cap. 11. n. 7. 8. & 9. Secundò Chriſti exemplo docemur, ob hominum calumnias diſcedendum non eſſe à via perfectionis intenta. Sicut enim Chriſto calumnia irrogata ſunt; ſic viam veritatis & perfectionis amplexos plures calumniæ ſequuntur: quidam enim eos velut inſanos reputant, alij verò, qui peiores ſunt, eos calliditate quadam diabolica, nempe hypocriſi vti clamitant. Qui enim contemptis rebus omnibus terrenis, atque ipſã totã vitã cæleſtẽ philoſophiam toto pectore amplectũtur, inſani videntur iis, quibus nihil ſapit niſi terrenum & caducum. Qui patrimonium infundit in vſus pauperum, inſanit ei, qui vita præſidium in diuitiis collocauit. Qui ob Euangelium volens ſemet in exilium, paupertatem, cruciatus, ac mortem immittit ſpe felicitatis æternæ, furit ei, qui poſt hanc vitam non credit eſſe vitam feliciorem piis. Qui ſpernit Principum ac populi honores, vt gloriam aſſequatur apud Deum, inſanit his, qui verè inſaniunt, largitionibus, frandibus, per fas nefaſq; regnum, ac dignitates mox eripiendas ambientes, vide Sect. 1. in cap. 3. à n. 11. vſque finem. & Sect. 2. in idem cap. vbi deprehendes Tobiam ob blaſphemiam vxoris à recto tramite non deflexiſſe, ſed rem Deo commiſiſſe, & ſua humilitate, ac precibus ſtuduiſſe auertere à domo ſua omne infortunium, quod ex peccato vxoris, illi potuiſſet creari.*

Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, *&c.* Sic erit & generationi huic peſſimæ, *vide dicenda Dominica III. Quadrageſimæ ad verba,* Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus, *&c.* Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei: dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te. At ipſe reſpondẽs dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea? & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. *Ex his tractari poteſt, Deum neminem magni facere, niſi pietati incumbat, Sect. 2. in cap. 1. n. 2. & 3. Rurſum hinc doceri poteſt, cognatorum affectibus ſic eſſe renuntiandum, vt eorum gemitibus ab incepto non retardemur, Sect. 7. in cap. 2. n. 1. & 2.*

FERIA V. POST DOMIN. PRIMAM QVADRAGESIMAE.

Ecce mulier Chananæa à finibus eius egreſſa clamauit dicens: Miſerere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15.
Hic tractari poteſt primò, quanta debeat eſſe ſedulitas parentum ad auertendas plagas à domeſticis, vide dicta Sect. 2. inc. 3. à n. 4. vſque finem. Secundò docemur ad Deum confugere in neceſſitatibus, non ad ſuperſtitioſa media, vide dicta Sect. 7. in cap. 11. à n. 6. vſque finem. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum dicentes, Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſraël. At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine, adiuua me; qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Ieſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora. *Ex his inſtruimur, Deum non niſi grauibus de cauſis differre exauditionem precum noſtrarum, Sect. 9. in cap. 12. à n. 1. vſque 8.*

O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. *Vtile eſſe alium laudare, vt tertius excitetur ad fidem*

fidem orthodoxam & pietatem, Sect. 5. in cap. 7. n. 11. 12. & 13. Denique ex efficacia orationis Chananeæ pro filia, clarè intuemur, quàm sint reprehensibiles, qui ex præsumptione inutili, æstimant se aliorum oratione non indigere, Sect. 5. in cap. 8. n. 5.

FERIA VI. POST DOMIN. PRIMAM QVADRAGESIMAE.

Ioan. 5. Est autem Ierosolymis probatica piscina, *&c.* quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, *&c.* Angelus autem Domini secundùm tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua; & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate. *Angelos & viros sanctos plures infirmos curasse, vide Sect. 4. in cap. 6. n. 1. Rursum doceri potest, fideles semper magni fecisse loca à Deo singulariter illustrata, Sect. 12. in cap. 1. à n. 1. vsque 4.* Sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. *Hic tractari potest, cuique animi infirmitati in Scriptura conueniens esse remedium, Sect. 6. in cap. 11. n. 12. 13. 14.* Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua: hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cùm nouisset, quia iam multum tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo. *Hic primum tractari potest, multos detineri in pœnis purgatorij, quod non habeant, qui precibus illos iuuent, Sect. 14. in cap. 4. à n. 18. vsque finem. Rursum, exemplum accipi debere ab hoc paralytico, & alijs, qui ob morbi diuturnitatem Deo adhæserunt, neque de illicitis remedijs cogitarunt, Sect. 7. in cap. 11. n. 10. Deinde, quia mira fuit huius languidi tolerantia, qui tot annis patienter tulit ægritudinem suam, donec Christus veniret eum sanitati restituere à morbo, quem in pœnam peccatorum tamdiu tulerat, doceri hic potest, pios agnoscere in pœnis iustitiam Dei, impios autem blasphemare, & quo exitu, Sect. 3. in c. 3. à n. 1. vsque 11.*

Dicit ei Iesus: Surge, & tolle grabbatum tuum, & ambula: & statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabbatum suum, & ambulabat. *Hic doceri potest, quanta sit efficacia vocis diuinæ, Sect. 4. in cap. 2. n. 10.* Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ratione huius paralytici, quem triginta annorum infirmitate Deus visitauit, & tandem curauit, euidenter conspicimus, signum esse diuini amoris, quando à Domino corripimur, Sect. 17. in cap. 3. per totum.* Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Quantum malum sit reincidere in peccatum, Sect. 5. in cap. 14. à n. 5. vsque 10. Rursum, relapsos difficilius reparari, ibid. n. 10.*

SABBATHO POST I. DOMINICAM QVADRAGESIMAE.

Vide dicta ad Euangelium Dominicæ secundæ in Quadragesimæ. Matth. 17.

FERIA II. POST DOM. SECVNDAM QVADRAGESIMAE.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. *Sensus est, vanus est conatus vester, quo me comprehendere quæritis: nihil enim in me efficere potestis, nisi quod volo, & quando volo. Christus autem mortem suam hoc verbo frequenter significabat, tum vt suam mortem voluntariam indicaret, eamq; non Iudæorum potestati, sed diuinæ dispensationi adscriberet. Hic tractari potest, sine permissione diuina nihil fieri, Sect. 10. in cap. 3. n. 3. 4. Rursum, Deum permittere mala vt inde eliciat bona, ibid. n. 7.* Et in peccato vestro moriemini: *Nemo enim peccatorum suorum remissionem habere potest nisi credat in Christum. Hic tractari potest, solerter indagandum esse, quæ sit fides illa vnica, extra quam nulla salus, Sect. 8. in cap. 14. n. 12. §. Si autem, & n. 14.* Ioan. 8.

Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. *Christus Dominus his verbis significat se ita missum à Patre, vt semper sit cum eo, ita operari vt filium, vt simul Pater cum eo operetur; quin etiam ex effectu, quòd illa, quæ placita sunt Patri, semper fecerit, vt ostendat non solam operationis vnicatem, sed etiam voluntatis, ac talibus verbis Iudæos doceret se nihil committere accusatione dignum; sed omnia esse secundùm Deum, non vt illi calumniabantur. Hic tractari potest, adimpletionem voluntatis diuinæ, magnam parere fiduciam, Sect. 9. in cap. 14. n. 12.*

FERIA III. POST DOM. SECVNDAM QVADRAGESIMAE.

Locutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos suos dicens: Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm opera verò nolite facere. *Cùm Scribarum & Pharisæorum esset iam desperata correctio, Dominus ne alij prauis moribus, & exemplo eorum corrumpantur, monet suos, obedire eis qui ex auctoritate docent, & iubent non habito respectu vitæ ipsorum; sed respectu auctoritatis, qua funguntur, & propter Deum, cuius sunt legati, quando videlicet ea docent, quæ Dei institutis non sunt contraria. Ex quibus primùm docentur, exemplum imitantes prauorum non excusari à peccato, quod inter illos degant, Sect. 22. in cap. 1. à n. 13. vsque finem. Secundò, non iuuare excusationem, quod Superior mandauerit contraria Deo, Sect. 8. in cap. 2. n. 8. & 9. Christus enim volebat, facienda esse, quæ docerent, & iuberent Scribæ & Pharisæi, quamdiu contra cathedram Moysi non docerent.* Matth. 23.

Omnia

Omnia verò opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. *Hic doceri poteſt, quàm ſit noxia vana gloria, Sect.5. in cap.7. n.6. & 16. ac 17. Rurſus hic doceri poteſt, Deum reſpicere quo fine, qua intentione quis opus bonum faciat, vide Sect. 4. in c.11. à n.8. vſque finem, & alia loca in feſto S. Martini ad Euangelium annotata.* Qui autem ſe exaltauerit, humiliabitur: & qui ſe humiliauerit, exaltabitur. *Vide de malo ſuperbiæ, & bono humilitatis, Sect. 10. in cap. 14. vbi magna ſeges in hanc rem.*

FERIA IV. POST DOM. SECVNDAM QVADRAGESIMAE.

Matth.20 Ecce aſcendimus Ieroſolymam. *Vide dicta de his verbis Dominica Quinquageſima.* Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo, &c. *Vide dicta ad Euangelium in feſto S. Iacobi, vbi ad longum comperies, qua ad hanc hiſtoriam pertinent.* Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus. *Sicut duo fratres carnaliter petierunt, ita & reliqui decem carnaliter indignati ſunt de petitione illorum, quod ſcilicet peterent, præponi aliis, cùm ceteri non minus primatum ambirent, cumq; ſibi quiſque ſperaret. Hi nimirum ſunt affectus eorum qui viuunt in aulis Principum. Sibi quiſque placet, ſibi quiſque pollicetur primes honores, & aliis prælatis inuidet. Hic tractari poteſt, aulam eſſe vitiorum officinam, vide Sect.38. in cap.1. à n.10. vſque finem, vbi multa de aulicorum vitiis.*

Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes Gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos: non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui vult inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis. *Dominus volens ſuos ab ambitionis malo liberare, ex ſolita ſua manſuetudine carnalem indignationem non ſeuerè inſectatur, ſed admonet eos modeſtè exemplis duobus, inter ſe diuerſis, videlicet Regum terræ, à quibus ipſos conueniebat diſcrepare moribus; tum ſui ipſius, quem ipſos omninò conuenitbat imitari, ſi cum illo vellent regnare. quaſi dicat, An neſcitis hoc quod facitis proprium eſſe ambitioſorum Principum, nec omnium quidem, ſed gentium, apud quas non virtus, non iuſtitia, non dignitas, ſed ambitio, ſed vis, ſed tyrannis, regna, & principatus obtinet: & vbi Principes, non qua ſuis populis, ſed qua ſibi vtilia, & honorifica ſunt, quærunt. Non ita erit inter vos, qui ſcilicet ad regni cæleſtis conſortium, & præeminentiam vocati eſtis, qui potius me imitari debetis, qui omnibus me ſubieci, & mortem ſubire veni pro omnibus. Ex hoc autem docemur manſuetudine lucrandos eſſe animos malè diſpoſitos, tanquam remedio efficaciori, quod multis Scripturæ exemplis docetur, Sect.1. in cap.9. à n.9. vſque 10.*

FERIA V. POST DOM. SECVNDAM QVADRAGESIMAE.

Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. *Quæſtio eſt, qua de cauſa diues Epulo damnationem ſubiit, vide Sect. 4. in cap. 4. n. 2. & 3. vbi illa dilucidè explicatur. Vide etiam Sect. 2. in cap. 2. n. 3. & Sect. 9. in cap. 8. n. 9. 10. & 11. vbi comperies latè tractatum, quàm ſint nocua delitiæ corpori & animæ, & qua mala generent in Repub.* Luæ 16.

Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. *En qualia palatia ſibi ſtruant impij, vbi videlicet æternùm pœnas luent, vide Sect. 6. in cap. 14. n. 18. & 19. Item hic tractari poteſt, infernum in Scriptura ſacra triplicem habere ſignificationem, Sect. 2. in cap. 13. n. 17. &* 18. Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. *Ex hoc loco conſtat, ignem inferni, & ſi ſenſibilis ſit, & corporeus, torquere Angelos malos, & animas apud inferos conſtitutas, Sect. 7. in cap. 6. n. 9. vbi ea ratione probatur, res corporeas ex diuina conſtitutione valere ad compeſcendos dæmones.*

Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos. *Sequendam eſſe ſententiam Sacerdotum in iis, quæ ad Deum ſpectant, & ad notitiam diuinæ voluntatis, Sect. 8. in cap. 14. n. 6. & 7.* At ille dixit, Non pater Abraham; ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moyſen & Prophetas non audiunt: neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. *Dives ex communi impiorum hominum opinione, qui Scripturæ teſtimonia non credunt, qua de præmiis atque ſupplicijs alterius vitæ narrantur, locutus eſt. Illi enim ſolent dicere, facile ſe credituros ſi quem viderint inde redeuntem, qui ſic ſe habere confirmaret: quod negat illis Abraham. Quæritur an hic locus officiat animarum apparitionibus, vide Sect. 12. in cap. 12. n. 13. vbi probatur illum locum potius confirmare animarum apparitiones. Addi in hanc rem etiam Maldonatum:* Abraham, inquit, reſpondet, quod res eſt, eos, qui Scripturis non credunt, nec mortuis ſi reſurgant, credituros. Qua enim incredulitate, & elatione animi Scripturas rident, aut ad libidinem quiſque ſuam interpretantur: ea ſi quis illis mortuus excitaretur, aut phantaſma eſſe dicerent, vt noui dicunt hæretici, aut illi certè non crederent. Experientia ſub illud ipſum

tempus hoc docuit. Exſuſcitauerat Chriſtus Lazarum, quem credendum eſt, multa de altera vita conſentanea iis, quæ Chriſtus docebat, commemoraſſe. Tantum abeſt vt Scribę & Phariſæi, qui Chriſto non credebant, illi crediderint, vt occidere etiam voluerint, Ioan.12.10.vt Chryſoſt. & Euthym. obſeruarunt. Docuit etiam in Chriſto, vt Gregorius, & Beda notant, qui cùm paulò poſt occiſus à Scribis & Phariſæis, propter quos iſta dicebat, reſurrexiſſet, nihilo magis poſt reſurrectionem, quàm antè, illi crediderunt.

FERIA VI. POST DOM. SECVNDAM QVADRAGESIMAE.

Matth.21. Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. *Dominus hac parabola de vinea, quæ cultoribus fructum negat, inſuper & ſeruos, & filium Domini occidit, ſignificat eam aliis locandam, & ſe à Iudæis occidendum, poſt Prophetas; ac regnum Dei ab ipſis Iudæis ad Gentes transferendum. Per ſeruos miſſos, vt acciperent, inquit Lanſperius Concordia* 114. *à vinitoribus fructus vineæ, Prophetæ ſignificantur miſſi vt commonefacerent principes ſuę debiti, quod non ſolùm ſibi, ſed etiam Domino deberent vineam colere, quodq; Dominus per illos à populo requireret fructum bonorum operum, & veræ religionis. Hic tractari poteſt, præclarum eſſe aliorum etiam ſaluti inuigilare, Sect.3. in cap.9. n. 3. & 4. Rurſum bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, Sect.7. in cap.14.n.6.7. & 8. Vide plura in hanc rem annotata Dominica VII. poſt Penteceſten.*

Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. *Iudæi non ſolùm non dederunt debitos fructus, ſed etiam Prophetis iniecerunt manum, variis modis eos indignè tractantes: & vnum quidem ceciderunt, vt Ieremiam, alium etiam occiderunt, vt Iſaiam, alium lapidauerunt, vt Zachariam filium Barachiæ, quem occiderunt inter templum & altare, vide dicta ad verba Euangelij Dominica XIX. poſt Penteceſten.* Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.

Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra ſe, Hic eſt heres: venite occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Et apprehenſum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt. *Hiſce verbis ſignificat Dominus ſe à Iudæis occidendum. Ex hoc autem loco conſiderare quis debet infelicem ſtatum in peccato morantium. Nam & Iudæi primò occiderunt diuerſos Prophetas, ſecundò plures ad ipſos miſſos, tertiò Filium Dei, vide dicta Sect.37. in cap. 1.n.7.8. & 9. vbi clarè docetur peccatum ſuo pondere mox ad aliud trahere, & n.12. ac 13. quare Deus permittat peccatorum concatenationem.*

Cùm ergo dominus vineæ venerit, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi, Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. *Hic tractari poteſt, quæ pœna maneat accumulantes peccata, Sect.37. in cap.1.n.10. & 11. Rurſum hic tractari poteſt, vtiliſſimum eſſe ad correptionem artificium, quo quis ſeipſum condemnat, Sect.31. in cap. 1.n.5.* Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti, facienti fructus eius. *Significat Dominus abolendam ſynagogam, & Dei Eccleſiam, quæ regnum Dei hic appellatur, & ſuprà per vineam fuerat ſignificata, ad Gentes transferendam, quemadmodum Act.13. Paulus & Barnabas Iudæis dixerunt:* Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes. *Hic opportunè tractari poteſt, Deum vno cadente alium eius loco & præmio ſubſtituere, Sect.16. in cap.3.n.8.*

SABBATHO POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMAE.

Homo quidam habuit duos filios, & dixit Lucæ 15. adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam. *Cùm pater nulla lege, vel conſuetudine hereditatem ſuam filiis diuidere cogeretur, ſed in arbitrio eius poſitum eſſet, nec ne, diſcuti hic poteſt, an prudenter faciant, qui in vita ſua, filiis ſubſtantiam partiuntur, vide dicta Sect.9. in cap.8. n.13. & 14.* Et non poſt multos dies congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxuriosè. *Collectis omnibus ſuis bonis adoleſcentior, quæ ſibi hereditate obtigerant, & in pecuniam redactis, ſumptaq; omni pecunia ſecum, more iuuenum perditorum longè à paterna domo diſceſſit:* Regio longinqua, *inquit Auguſtinus*, obliuio Dei eſt. *Et Ambroſius in comm.* Quid eſt longinquius ire, quàm à ſe recedere, nec regionibus, ſed moribus ſeparari? ſtudiis diſcretum eſſe, non terris? & quaſi interfuſo luxuriæ ſæcularis æſtu diuortia habere factorum? Etenim qui ſe à Chriſto ſeparat, exul eſt patria, ciuis eſt mundi in regione longinqua; *vt ait Auguſt.* Illi erant, qui ſedebant in tenebris, & vmbra mortis, cum lux orta eſt illis, *Iſaiæ 9. Et, vti Theophylactus ait*, de quibus dictum eſt, Qui elongant ſe à te, peribunt, *Pſal.72. Hic doceri poteſt, obliuionem præſentiæ Dei ſtimulum eſſe ad omne flagitium, Sect.2. in cap.4. à n.10. vſque 15.*

Et ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxuriosè. *Libido prodigit ac decoquit facultates, & patrimonia ingentia; omniumq; vitiorum mater eſt, Sect.8. in c.4. à n.7. vſque 11. Rurſum hic tractari poteſt, enorme eſſe peccatum fornicationis, & meretricum conſuetudinem eſſe fugiendam ob varias rationes, eadem Sect. à numer. 2. vſque 7.*

aſſigna-

assignatas. Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus. *Olim solitum supra constitutum aliquid adiici operariis, quos fortuna aduersa affligebat, Sect.11. in cap.4. n.6.* Iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. *Hoc postulat à patre reuersus filius, qui misericordia motus ipsum inter filios annumerauit. Ex quo doceri potest, maiora nobis concedi à Deo, quàm postulamus, Sect.10. in cap.11. n.7.* Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, *&c.* Et cœperunt epulari, erat autem filius eius senior in agro, & cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit vnum de seruis, *&c. Senior filius cùm intellexisset ex seruo, patrem vitulum saginatum occidisse fratri reuerso, indignatus est, & nolebat introire. Hic quari potest, an liceat patri, liberalitatem ostendere vni filio pra alio, Sect.40. in cap.1. n.6.9. & 10.*

FERIA II. POST DOM. TERTIAM QVADRAGESIMAE.

Luc. 4. Dixit Iesus Pharisæis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice cura te ipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. *Christum crebra Pharisæorum subiisse iudicia, Sect.15. in c.3. n.5.* Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. *Postulant Pharisæi si non verbis, saltem tacitis cogitationibus, vt Christus, qui miracula in alijs fecisset ciuitatibus, in sua etiam faceret patria; & vt ex Christi responsa colligitur, non fide, vt crederent; sed ambitione & incredulitate: ambitione quidem dum ciuitatem suam aliis præferunt, quasi magis miraculis digna esset, qua Christum aluisset. Ex quorum sententia tractare licet, patria vilitatem neminem impedire à virtutis culmine; imò patriam ab incolarum virtute illustrari, vide Sect.3. in cap.1. n.5.6.7.* Air autem: Amen dico vobis: Quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. *Dixi quod ex ambitione, & incredulitate miracula petierint: ex incredulitate enim dicebant apud se, non esse vera, qua de miraculis à Christo in alijs ciuitatibus facta narrarentur. Si enim alibi miracula fecisset, multò magis in patria sua facturus fuisset. Propterea Christus respondit:* Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. Et in veritate dico vobis, Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, *&c. Docuit itaque Christus, qui vidit incredulitatem eorum, miracula non esse facienda sine necessitate, aut iusta causa, vide Sect.3. in cap.11. n.7.8. & 9. Quam ergo rationem afferebant Pharisæi, quare miracula facere deberet in patria, eandem Christus vicissim retorquebat, vt doceret nusquam se minus, quàm in patria miracula facere debere: debere enim fieri miracula, vbi ea creduntur, cùm miraculorum finis, spectantium fides sit: minimè autem credi, vbi ei, qui ea facit, ne minimum honoris tribuatur: nusquam minus sanctis viris, qui miracula possunt facere, quàm in patria sua honoris tribui: nusquam igitur minus, quàm in patria sua miracula eos facere debere. Vltimam propositionem duobus è sacris litteris sumptis probat exemplis. Alterum est, quod Elias ad nullam Iudæam viduam, vt temporis fame aleretur, sed ad gentilem in Sarepta, Sidoniorum gentilem vrbem, à Deo missus fuerit, 3.Reg.17.9. quod sciret nimirum Deus eum gratiorem apud alienigenas, quàm apud suos ciues hospitem fore. Alterum Helisæi, quod eius tempore multi vtique leprosi inter Iudæos fuerint: sed nemo eorum tantum illi honoris tribuit, vt ad eum petenda curationis causa veniret, cùm Naaman homo alienigena, & secundum Regem Princeps, à Syria vsque venerit, vt ab eo curaretur, 4.Reg.5. Quibus verbis ac exemplis non solùm docet Christus, quod probare volebat, se nusquam minus quàm in patria sua gratum, & acceptũ esse: sed etiam causam indicat, cur ibi miracula non faceret, quod ciues sui increduli essent; quemadmodum olim propter Iudæorum incredulitatem neque Elias ad vllam Iudæam viduam missus fuisset; nec Elisæus vllos Iudæorum leprosos curauisset. Rectè prorsus Ambrosius:* Cur igitur non curabat fratres? non curabat ciues? non sanabat Propheta consortes, cùm sanaret alienos, sanaret eos, qui obseruantiam legis, & religionis consortium non habebant? nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur. Disce Christiane rogare, quod cupias impetrare: fastidiosos viros cœlestium profectus munerum non sequuntur.

Et repleti sunt omnes in Synagoga irâ, hæc audientes: & surrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. *Irascuntur Christo subita & impotenti ira, vel quod adducto duorum Prophetarum exemplo, veteribus se Prophetis comparasse videretur, vel quod eorum vicus tetigisset Christus, & propositis exemplis eorum arguisset incredulitatem, iniuriam reputantes, quod ad doctrinam, resipiscentiam, & salutem institutum erat. Ex quo docemur primum, neminem irâ turgidum, & vindicta cupidum de alijs rectè iudicare posse, Sect.36. in cap.1. n.1.2.3.4. ac propterea iram statim esse deponendam, ibid. n.9.10. Docemur secundò, graue esse vitium corripientem odisse, Sect.2. in cap.11. n.8. & 9. Tertiò docemur mirabilem esse mutationem, cùm enim omnes in principio Christum docentem, & explanantem Scripturas admirarentur, & commendarent, & qui in illo vel ob generis humilitatem, vel ob miraculorũ raritatem scandalizabantur, nondum auderent ipsum aperte incessere, postquam summa cum modestia, atque admodum ciuiliter & se purgasset, & illos incredulitatis notasset, & indignitatis; non solùm non receperunt purgationem, sed in manifestam indignationem accensi sunt,*

ſunt, atque ad extremam etiam impietatem parati, niſi Chriſto placuiſſet euadere. Docemur igitur tertiò Phariſæos imitatos vulgi morem, quod facile mutatur, vide dicta Sect. 11. in cap. 5. à n. 11. vſque finem, vbi de vulgi mutabilitate latè agitur.

Cùm facta eſſet fames magna in vniuerſa terra, ad nullam illarum miſſus eſt Elias niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. *Hic ratione Eliæ ad Sareptam miſsi tempore famis, tractari poteſt, quare Deus permittat aliquando iuſtos fame opprimi, Sect. 19. in cap. 4. n. 14.*

FERIA III. POST DOMIN. TERTIAM QVADRAGESIMAE.

Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. *Ad quem ſpectet peccantes corrigere, Sect. 31. in cap. 1. n. 1. & 2. ac 7.* 8. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos. *Correptionem prudenter inſtituendam eſſe ſecundùm vitij naturam, & corripiendi affectum, eadem Sect. n. 3. Rurſum hic doceri poteſt, quanam neceſſaria ſint ad vtilem correptionem, ibid. n. 6. vide etiam Sect. 1. in cap. 9. n. 8. & 9. vbi docetur, ad impios conuertendos lenitatem eſſe maximè vtilem.* Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos. *Quemuis iuſtè monentem eſſe libenter audiendum, Sect. 2. in cap. 11. à n. 1. vſque* 8. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. *Hic tractari poteſt, patremfamilias acrimoniam adhibere debere in domeſticis corripiendis, Sect. 4. in cap. 10. n. 8. & 9. Rurſus hic conuenienter tractari poteſt, quando à correptione abſtinendum, Sect. 1. in cap. 2. n. 11.* Iterum dico vobis, Quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. *Chryſoſtomus & Theophylactus eò pertinere putant hæc verba, vt Chriſtus concordiã, de qua loqui cœperat, cùm dixit:* Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum; *magis commendaret, eaq; addidiſſe, vt ſignificaret tantum valere concordiam, vt quotieſcumque duo ad aliquid à Deo petendum conſpirarint, id obtenturi eſſent, vide Sect. 5. in cap. 8. n. 3. vbi docetur de vtilitate precum plurium iuſtorum ſimul conſpirantium.*

FERIA IV. POST DOMIN. TERTIAM QVADRAGESIMAE.

Matth. 15. Acceſſerunt ad Ieſum ab Ieroſolymis Scribæ & Phariſæi dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? non enim lauant manus ſuas, cùm panem manducant. Ipſe autem reſpondens, ait illis: Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? *Scribæ & Phariſæi, qui iuſtiores habebantur, calumniandi cauſa Dominum aggrediuntur; cùm verò anſam quærerent, nec iuſta aliqua ſuppeteret calumniandi Chriſtum, non verentur eam arripere ab externis quibuſdam obſeruationibus, non à lege Moſaica introductis, ſed ex maiorum inſtituto; qualis erat lotio manuum ante cibum, à lege non præcepta, quam ipſi ſcrupulosè introduxerant. Quoniam enim lex ex variis contactibus, & accidentibus ſtatuerat contrahi immunditiam, eamq; lotionibus purgari: & Dominus in lege toties ad ſanctitatem & munditiam Iudæos hortatus fuerat dicens:* Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, & lauamini, mundi eſtote. *Hinc, ne fortè in congreſſu inſcij, ex aliquo contactu, immunditiam contraherẽt, Phariſæi ſuperinduxerunt lotiones diuerſas, vt videre eſt apud S. Marcum c. 7. easq; obſeruabant ſtrictiſsimè, ne ex cibo, non ſatis mundè ſumpto, coinquinarentur, & Deo abominabiles fierent. Ex inutilibus illis maiorum inſtitutis, in quibus nihil erat aut vtilitatis, aut pietatis, vendicabant ſibi laudem ſanctimoniæ. Quia verò diſcipuli Chriſti ea negligebant, aliter ab eo inſtituti, non cum diſcipulis expoſtulant, ſed velut in graui facinore Dominum ipſum adoriuntur, in illum torquere volentes totam ſuam calumniam; quaſi dicant: Cur diſcipuli tui, qui te ſequuntur, & ex tua pendent inſtitutione tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Hic doceri poteſt, Chriſtum Dominum crebra & iniqua Phariſæorum iudicia ſubiiſſe, neque diſcipulos ab eis fuiſſe immunes, Sect. 15. in cap. 3. n. 5.*

Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? *Clauum clauo retundit Dominus. Si diſcendi cauſa petiiſſent rationem factis diſcipulorum, vtique Dominus illis eam aperuiſſet; verùm quoniam criminando & inuehendo in Chriſtum quæſierunt rationem; idcircò Dominus prætermiſſa cauſa, ob quam diſcipuli hoc facerent, retorquet calumniam in calumniatores, ſignificans illos non rectè criminari diſcipulos, etiam ſiquid peccaſſent tranſgrediendo traditionem maiorum, vtpote qui grauiora, & minus tolerabilis tranſgreſſionis eſſent rei, idq; in ea re, in qua culpabãt diſcipulos: grauius enim peccabant ſeruando ſeniorum traditionem, quàm diſcipuli negligendo. Adhæc offendebat Dominus ipſos non zelo iuſtitiæ ad arguendum conſurrexiſſe, ſed præpoſtero religionis ſtudio aut zelo propriæ auctoritatis tuendæ. Hic doceri poteſt, eos qui maligno animo doctores conſulunt, tale reſponſum referre, quale ipſorum iniquitas meretur, Sect. 17. in cap. 4. n. 4.*

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? *Quare Deus interrogatione aliquando vſus ſit, cùm omnia illi ſint notiſsima, Sect. 7. in cap. 6. n. 5. Item, interrogationes in ſacra pagina multiplici ſenſu fieri, Sect. 5. in cap. 5. n. 5.* Deus dixit, Honora patrem & matrem. Et, qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. *Quàm grauiter puniendus veniat percuſſor parentum, aut contumeliam parentibus*

bus ingerens, Sect.17. in cap.14. num.1. §. Prima est, §. Altera, & §. Tertia est.

Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Iſaias, dicens: Populus hic, labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. *Senſus eſt, Cùm filij teneantur parentibus in omnibus periculis, in egeſtate, in ſenio, in aduerſa valetudine, & quibuſcumque poſſunt remediis, operibus, conſiliis, ac conſolationibus, ſubuenire; vos docetis eos parentibus egentibus, & ſubſidium à filiis poſtulantibus, ſine crimine, imò religiosè poſſe negare, iiſq; reſpondere: Munus quodcumque in cultum Dei contulerimus, etiam vobis proderit, quia illud eo animo offerimus, vt eo non minus vos, quàm noſipſos adiuuare, & Deum propitium vobis reddere velimus. Sic docebant qua mandatis Dei expreßè aduerſabantur, ac iuri naturali: & propterea adduxit Dominus locum Iſaiæ 29. vbi cauſam dat excæcationis Iudæorum, quod eum non colerent iuxta præcepta ſua, ſed iuxta ſuorum traditiones partim futiles, partim peruerſas, & ſua legi contrarias, quale eſt hoc loco vnum de parentibus egenis non ſubueniendis. De illis mandatis hominum loquitur etiam Paulus, cùm præcipit Tito Iudaizantes, & hæreticos ſeuerè & rigidè increpare*, vt ſani ſint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium ſe à veritate. *Vide, ſi placet, Diſcurſum 61. in Præcepta, vbi dilucidè tractatum comperies, qua traditiones ſeruanda ſint, qua reprobanda, & ſpeciatim n. 8. 9. & 10. vbi plura documenta offendes de obligatione filiorum erga parentes.*

Et conuocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, & intelligite, Non quod intrat in os coinquinat hominẽ, ſed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. *Quia putabant Phariſæi cibos à lege vetitos, & immundos, vocatos, per ſe immundos eſſe, & ob id neceſſariò homines polluere coram Deo, aſſerit Dominus coram plebe, cibum per ſe hominem non inquinare, quod Phariſæi ſuſtinebant; neque ſuos diſcipulos manuum illotarum ſordibus, ſed ipſos Phariſæos maximè inquinari malignis, & calumniatoriis verbis, qua ex ore eorum procedebant, vide Sect. 24. in cap. 1. vbi ratione huius loci diſcutitur, quare ergo viri ſanctißimi à cibis gentilium abſtinuerint; & Sect. 25. vbi abſtinentia Chriſtianorum à certis cibis prædicatur. Ad quorum vtiliorem intelligentiam nota Eccleſiam non interdicere cibos quoſdam tamquam per ſe coinquinantes, ſed ad melius bonum; quod & hæretici prætendunt, cùm ieiunia in certo caſu indicunt, licet ſciant omnem creaturam Dei per ſe bonam; qui nihilominus præceptum Eccleſiæ de ciborum delectu videre non ceſſant. Appoſitè Maldonatus eò loci.* Qui ieiunium indicit, cibum vtique certo tempore prohibet: atqui non modo Eccleſia Catholica, ſed Caluiniſtarum etiam ſathanica Synagoga, cùm aliqua molienda proditio eſt, cùm rex inſidiis appetendus, cùm de regno deturbandus, cùm crudeliſſima, & ſceleratiſſima bella mouenda, cùm plurimus innocentum fundendus eſt ſanguis, ieiunium indicit. Quid ergo? potuit Eccleſia Apoſtolorum tempore ſanguinem, & ſuffocatum tum, cùm minimè prohibere videre videbantur, id eſt, cùm abroganda, non confirmanda vetus lex erat, prohibere, vt ſuauius abrogaretur: & non poterit nunc meliori de cauſa, vt caro dometur, certis diebus carnem delicatiſſimum cibum prohibere? Potuit D. Paulus, ne vel minimum fratrem offenderet, carnem ſibi in perpetuum prohibere: & non poterit Eccleſia, ne nos noſtra caro peius offendat, non iam in perpetuum, ſed ad breue tempus carnem nobis prohibere? Poteſt medicus propter ſalutem corporis: non poterit Eccleſia propter ſalutem animæ? Poteſt hæreticorum Synagoga, vt malè agat: non poterit Dei Eccleſia, ne malè agat? Legant Auguſtinum, qui Manichæis hoc ipſum, quod illi obiiciunt Catholicis, obiicientibus lib. 30. contra Fauſtum cap. 5. *ita reſpondet:* Et Chriſtiani non hæretici, ſed Catholici edomandi corporis cauſa propter animam ab irrationabilibus amplius humiliandam, non quod illa eſſe immunda credant, non ſolùm ab carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper ſicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes. *Hæc noſtra ſententia eſt; nos illi Catholici ſumus: Caluiniſta illi hæretici. Hactenus Maldonatus.*

Tunc accedentes diſcipuli eius dixerunt ei, Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt? at ille reſpondens ait: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. *Dominus audiens diſcipulos Phariſæorum curam gerere, ac pro ſuo honore ſollicitos eſſe, docet his verbis, quandoque offendiculum & ſcandalum quorumdam fortiter eſſe contemnendum, nimirum cùm quidam obſtinati, peruersè, ex prædicatione veritatis, aut factis planè diuinis, ſcandala ſubiaciunt, ſeu occaſiones alienandi ſe à veritate, vel perſequendi veritatem, aut iuſtitiam, deſumunt. Vide, ſi placet, Diſcurſum 10. prænium in 4. Præceptum n. 6. vbi hic locus adducitur, & planißimè docetur, quando ob ſcandalum Phariſaicum, ſiue ex malitia, aliquid omitti poßit.*

FERIA V. POST DOMIN. TERTIAM QVADRAGESIMAE.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Compati **Lucæ 4.**

tribulatis, magno premio dignum, Sect. 34. in cap. 1. n. 1. & 2. Exibant autem à multis dæmonia clamantia, & dicentia, Quia tu ▪ Chriſtus filius Dei. Et increpans non ſinebat ea loqui. *Quare Chriſtus noluerit à dæmonibus prædicari, Sect. 7. in c. 13. n. 3. 4. & 5.* Facta autem die, egreſſus exibat in deſertum locum. *Quid in deſerto fecerit Chriſtus Marcus ſignificauit, dicens:* Abiit in deſertum locum, ibique orabat. *Deſerta enim loca contemplationi eligebat; ad turbas autem & ciuitates ſe conuertebat Chriſtus, vt miſericordia opera, & miracula faceret. Solitudinem aptiſſimam eſſe orationi, ac meditationi, Sect. 20. in cap. 3. n. 3.*

FERIA VI. POST DOMIN. TERTIAM QVADRAGESIMAE.

Ioan. 4. Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. *Fatigatus Dominus ex itinere, quod pedes confecerat, in ciuitate Samaria, ſedit ſupra fontem Iacob; ad quem videtur veniſſe caſu mulier de Samaria haurire aquam; ſed qui omnia diſpenſat, mentem illius eò tamen ducebat impulſu, vt tunc veniret, quando fons vitæ, Chriſtus ibi eſſet præſens, vide Sect. 9. in cap. 2. à n. 1. vſque 11. vbi pluribus docetur, nihil caſu contingere in hoc mundo: atqui exemplo huius Samaritanæ dignoſcimus actiones humanas, à Deo, dirigi, ita diſponente, qua proponimus agenda, vt plerumque aliud agentes incidamus in ea, quorum nulla erat cogitatio. Rebecca veniebat ad fontem, non vt ibi Abrahæ inueniret ſeruum, qui vt ipſam hero ſuo deſponderet, venerat: ſed vt aquam ouibus potandis hauriret. Et quamuis caſu veniſſe ſit viſa, diſponente Deo veniebat, & quem neſciebat, in hunc ignara incidit, Geneſ. 24. Venerat Rachel ad fontem, non vt futurum ſponſum Iacob inueniret, ſed vt paternas oues adaquaret: verum Deus ſuo conſilio omnia ordinabat, Geneſ. 29. Et Purpuriſſa illa in ſacellum, quod iuxta flumen erat, paterna religionis gratia venerat, de Paulo & Barnaba Apoſtolis prorſus neſcia, & tamen ſalutem, diſponente Domino, per illos inuenit. Quæ enim ſalutis noſtræ ſunt, ſæpè nobis inſciis à Domino diſponuntur.*

Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere. *Prudenter Dominus Samaritanam lucraturus ad fidem, opportunitatem captat, cùm neceſſitas potus eam trahit ad fontem, & nemo adeſſet, qui poſſet impedire colloquium: diſcipuli enim abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Hic doceri poteſt, oblatam alicuius boni occaſionem non eſſe prætereundam, Sect. 7. in cap. 7. n. 4.* Dicit ergo ei mulier illa Samaritana, Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? *Oderant, & contemnebant Iudæi Samaritanos, vt idololatras, qui cum vero Deo, idola colebant. Mulier ergo hoc exprobrat Chriſto, contemptumq́, communem ſuæ gentis in Chriſtum retorquet dicens: Vos Iudæi commercium nobiſcum refugitis, omne; quomodo tu Iudæus cùm ſis, modò petis bibere à me, quæ ſum Samaritana, quandoquidem Iudæi Samaritanis non coutuntur. Hic tractari poteſt, quare Iudæi menſam Gentilium refugerint, Sect. 24. in cap. 1. n. 1. 2. 3. 4. & 5. vbi rationes huius rei traduntur.* Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. *Hic tractari poteſt, an omne conſortium hæretici Catholico omninò vitandum ſit, vide Sect. 15. in cap. 4. vbi hæc res diſcutitur.* Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. *Samaritana prætexens Iudæorum in Samaritanos deteſtationem, & auerſionem, aquam Chriſto negauit, cui Chriſtus appoſitè reſpondet, Si intelligeres iam non eſſe iſtam ſeparationem Iudæorum, & Samaritanorum, & Gentilium; ſed vnum communem redemptorem, & ſaluatorem, in quo nec eſt diſtinctio Iudæi, & Samaritani, & Gentilis, ſed omnes in vna fide, & religione iam ſunt conſociatis non prætexeres profectò cauſam hanc, quod Iudæi non communicent Samaritanis; imò tu ipſa à me, quem Iudæum appellaſti, & verè ſecundùm carnem ſunt, peteres, nec communicare refugeres. Ego autem quia Saluator omnium ſum, & neminem excludo ſiue Iudæum, ſiue Samaritanum, darem tibi aquam viuam, quam peteres, ſime cogneſceres: nec facerem ſicut tu, qua negaſti propter hanc Iudæorum, & Samaritanorum diſtinctionem. Hic doceri poteſt, benignam correptionem, & manſuetudinem plurimum valere ad lucrandum animas, Sect. 12. in cap. 5. n. 4. & Sect. 1. in cap. 9. num. 9.*

Dicit ei mulier, Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt. Nihil, inquit Cyrillus, præter communia dictu mulier intelligit, atque ideo putabat repentè ipſum ſine aliquo inſtrumento, artibus, vt nonnulli faciunt, magicis, ab ipſis fontibus putei aquam hauſturum; viuam enim communi pacto, quæ modò à fontibus hauſta ſit, aquam appellari putauit. *D. Bernardus applicat hæc verba ad incomprehenſibilem Incarnationem Filij Dei, vide Sect. 9. in cap. 6. n. 8. vbi ſententia ipſius recitatur.*

Dicit ei mulier, Domine, video quia Propheta es tu. Et vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet. Dicit ei Ieſus: Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando nec in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem. *Cùm Dominus modeſtiſſimè peccatum Samaritanæ manifeſtaſſet, quod quinque viros habuiſſet, & cum altero nunc viueret in adulterio, agnoſcit illum vera dixiſſe, & ex ſpiritu diuino locutum eſſe. Magnum ſalutis eſt argumentum, correptionẽ acceptare, & veritatẽ ſubmiſſè recognoſcere. Sicut è contrario correptionem contemnere, damnationis eſt indicium. Vnde Syracides Eccleſ. 21.* Odiſſe correptionem, veſtigium eſt peccatoris, *vide Sect. 2. in c. 11. à n. 2. vſque 9. vbi præclaris exẽplis, ex ſacra Scriptura deſumptis, docetur, plures correptionem ab inferiori humiliter tuliſſe: veſtigium verò eſſe peccato-*

peccatoris pœnas agnoſcere, & non culpam docetur, Sect.28. in cap.1. n. 6. & Sect.4. in cap.13. n.14. quin etiam Sect.6. in idem cap.n.12.

Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, *&c. Mulier hæc Samaritana credens Chriſtum eſſe Prophetam, reſolutionem quæſtionis inter Iudæos & Samaritanos ventilatæ de loco ſacrificij exigit. Iudæi dicebant iuxta Scripturam Deuteron.12. Ieroſolymis eſſe ſacrificandum: Samaritani verò in monte Garizim. Chriſtus verò reſpondens, prædicit vtrumque cultum & Samaritanorum & Iudæorum tollendum, & Chriſtianos vbiuis locorum ſacrificaturos. Hic doceri poteſt, ſacrificium noui Teſtamenti verum, non vmbraticum vbiuis terrarum offerendum, vide Sect.12. in cap.1. n.6.*

Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. *Præclarè Cyrillus Alexandr. lib.2. in Ioan. cap.100.* O mirabilem, *inquit*, mulieris prudentiam! O ineffabilem virtutem Chriſti! Artificiosè iam loquitur, quæ paulò antè nihil intelligens audiuit: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Operæ certè pretium eſt inſpicere, quàm artificiosè loquatur: non enim inueniſſe ſe Chriſtum dicit, neć ſtatim incipiens narrationem de Saluatore texit, ne à Samaritanis, qui mores eius cognouerant, tamquam deſipiens, & quaſi maiora, quàm intelligere poſſet, dicens derideretur. Miraculi ergo narratione præpoſitâ, præparauit auditores ad fidem: Venite, inquit, & videte. Sufficiet enim ſolus viſus ad fidem: faciet vos ille multis, ingentibuſque miraculis certiores. Nam qui cordium nouit ſecreta, & hanc diuinam poſſidet dignitatem, quomodo cuncta non efficiet, quæ voluerit? *Exiſtimo hanc mulierem omnia ſigillatim narraſſe ſuis ciuibus, nempe, qualiter ei dictum ſit, ipſam quinque habuiſſe viros, & hunc non eſſe ſuum; nec ſuo honori pepercisſe, vt nomen Chriſti celebraret. Sicut Paulus, qui vt Dei miſericordiam magnificaret, anteacta vita mala, quæ contra Chriſtum fecit, aperuit. Vnde tantum effecit, vt ciues Samaritani relictis omnibus extra ciuitatem ad videndum Chriſtum conuolarent: & quem ſui non receperunt, alienigenæ & extranei amplecterentur. Hic conuenienter doceri poteſt, vtile eſſe recenſendis Dei beneficiis operam dare, Sect.10. in cap.11. n.8. D. Cyrillus Alexandr. ex hoc capite Samaritanos extollit præ Iudæis, quod illi vnica muliere, illaq; peccatrice ac vili narrante, curſim ad Chriſtum contenderent: hi verò per Prophetas Chriſtum edocti, eius eadem meditentur, iniuſtè, & à ſe pellant Saluatorem, lib.2. in Ioan. cap.101.*

Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis, *&c.* Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me. *Rogantibus diſcipulis, vt cibo corporali ſe reficeret Chriſtus, reſpondet animarum conuerſionem ſuum eſſe cibum, eumq; cibo corporis præferendum. Ex quo dignoſcimus cæleſtium ſpirituum cibum eſſe metaphoricum, Sect.11. in cap.12. n.3.* Hinc diſcimus, *ait Cyrillus Alexandr. l.2. in Ioannem cap.103.* quanta ſit erga homines Dei charitas, quaſi enim cibum ſuum putat, perditorum hominum conuerſionem.

SABBATHO POST DOM. TERTIAM QVADRAGESIMAE.

Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem deprehenſam in adulterio, & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio; in lege autem Moyſes mandauit nobis eiuſmodi lapidare. *Quàm deteſtabile ſit crimen adulterij, vide latè tractatum Sect.9. in c.4. per totum.* Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, vt poſſent accuſare eum. *Experiri volebant ecquid contra Moyſem pronuntiaret Chriſtus.* Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra. Antequam, *ait Cyrillus*, aperiret ſententiam, inclinauit ſe, & digito ſcribebat in terra: quo nobis oſtendat, quod antequam iudicium feramus de proximo, ad veritatis inueſtigationem conſcendere, & animum inclinare debemus, & diſcretionis digito ſingula ad rem propoſitam attinentia prius diſcutere: alioqui rectè iudicare non poſſumus, ſi prætermiſſa indagatione veritatis, & examine diligenti, præcipiti, & inconſiderato animo proximum in publico iudicio, aut abſoluimus, aut damnamus. *Idq; exemplis Scripturæ deinceps illuſtrat:* Id, *inquit*, faciendum Scriptura nobis inſinuat, cùm deſcribit in Geneſi, poſt diluuium volentes ædificare excelſam turrim ad ſui nominis celebrationem, cuius culmen cælos contingeret, & deinde ſubdit: Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam. Numquid deſcenſu indiguit Dominus ad videndam turrim, cui omnia antequam fiant, ſunt agnita, & qui cælum & terram implet? An non ideo deſcendiſſe ſcribitur, vt nobis ſignificet examinandam priùs eſſe cauſam criminis, quàm feratur ſententia? Et eodem libro cum nefanda Sodomitarum flagitia vindice ira eſſet puniturus, dixit ad Abraham: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: deſcendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, annon eſt ita, vt ſciam. Cognouit vtique Dominus Sodomitas & Gomorrhæos tanti criminis eſſe reos, cuius oculis abſconditum eſt nihil, deſcenſurum tamen ſe, & viſurum rei veritatem dixit: quo nobis exactâ oſtendat trutinâ prius diſcutiendam eſſe cauſam, quam feratur ſententia in aliquem. Idem quoque Moſaica lege caueri, accuratam ſcilicet inquiſitionem de obiecto crimine præcedere debere

Ioan.8.

Geneſ.11.

Geneſ.18.

bere iudicium, & damnationem in reum ferendam, innuit paulò ſuperiùs Nicodemus, vir prudens & maturus, cùm in Phariſæorum conſilio, atque conſeſſu dixit: Numquid lex veſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat? Quinimò & apud Romanos, iuſtitiam Dei ignorantes, illum etiam morem ſeruari, quod in nullum ferri debeat ſententia damnationis, niſi prius diſcuſſa fuerit exactius cauſa illius, oſtendit Portius Feſtus, præſes Iudææ à Romanis conſtitutus, cum principibus Sacerdotum, & ſenioribus Iudæorum poſtulantibus aduerſus beatum Paulum damnationem, reſpondit: Quod non eſt Romanis conſuetudo, damnare aliquem hominem (id eſt, aliorum voluntati permittere ad ſumendum de ipſo ſupplicium, inferendamque punitionem) priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obiiciuntur, *vide etiam Sect. 6. in cap. 3. n. 10. & Sect. 15. in idem cap. n. 3. 4. quibus locis docetur à iudiciis euidentium delictorum etiam abſtinendum.*

Ioan. 6.

Act. 25.

Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra. *Quid ſcripſerit Chriſtus, incertum eſt; probabile autem ſcripſiſſe eos eſſe legis tranſgreſſores, iuxta illud Ieremiæ 17.* Recedentes à te in terra ſcribentur. *Confirmatur quia cùm factum non intelligerent, Dominum erexit ſe, & dixit eis:* Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat. *Quaſi dicat: Vos accuſatis mulierem deprehenſam in adulterio, qui maiora profectò ſcelera commiſiſtis: vos zelum legis, & Dei pratexitis, qui grauius contra legem & Deum, quàm hæc mulier, peccaſtis. Hic doceri poteſt, eos qui maligno animo conſulunt, illa audire, quæ flagitia eorum mereantur, Sect. 17 in cap. 4. n. 4.* Vade, & iam amplius noli peccare. *Hic tractari poteſt, peccatorem recidiuantem, vt ſuem turpius inquinari, Sect. 5. in cap. 14. n. 5.*

FERIA II. POST DOMIN. QVARTAM QVADRAGESIMAE.

Ioan. 2.

Propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymâ: & vidit in templo vendentes, & ementes oues, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit, *&c. Vide dicta ad Euangelium feria III. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.*

Et crediderunt Scripturæ, & ſermoni quem Ieſus dixit. *Senſus eſt, Diſcipuli crediderunt non ſolùm ſermoni Chriſti de ſua reſurrectione; ſed etiam Scripturæ, in qua & mors & reſurrectio Chriſti prænuntiatæ ſunt. Hic tractari poteſt, eloquia diuina magnum adferre ſolamen, Sect. 9. in cap. 7. n. 6. Quod & hic patet vbi Scriptura reſurrectionem Chriſti prædicentes, poſtea intellecta, Apoſtolorum fidem, & noſtram maximè roborarunt. Cyrillus Alexandr. id probitati Apoſtolorum adſcribit:* Sicut, *inquit,* ſapiens facile ſapientiæ verba retinet, ſic in diſcipulis Chriſti, tamquam in meliore cera ſermo Saluatoris impreſſus conſeruabatur. Probi ergo viri, vt contentioſi non ſunt, ita veræ doctrinæ tenaces: duræ autem ceruicis homines, non iniuria maligni nuncupantur: vt ergo probi, faciliſque animi diſcipuli diligenter Scripturarum ruminant verba, ad maiorem pietatis cognitionem quotidie conſcendentes. *Suppleudum reliquit, ita obſtinati homines ſublimia Chriſti dogmata contemnunt, tamquam inſani aduerſus ſalutem ſuam irruentes. Vide etiam dicta ad Euangelium feria II. Paſchatis circa finem.*

FERIA III. POST DOM. QVARTAM QVADRAGESIMAE.

Mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit? Reſpondit ei Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. *Ieſus in templo docuit, ſed quid docuerit Euangeliſta prætermiſit, doctrinam tamen inſignem fuiſſe inſinuat admiratio Iudæorum. Qui cùm doctrinam negare non poſſent, laudare fugientes, quomodo eam habuerit, mirantur, & in dubium reuocant, an ex Deo ſit, quia omne humanum ingenium excedere cognoſcebant. Hic doceri poteſt, propria laudis ſtudioſos, aliorum laudes obſcurare, Sect. 5. in cap. 7. n. 15. Rurſum ad reſponſionem Chriſti hic doceri poteſt, iuſtos ſua opera Deo adſcribere, Sect. 2. in cap. 12. n. 1.* Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, vtrùm ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar. *Quandoquidem Dominus malitiam Iudæorum arguit eſſe cauſam, cur non intelligant eius doctrinam, neque credant; hic tractari poteſt, quid faciendum vnicuique ſit ad dignoſcendam Dei voluntatem, Sect. 8. in cap. 4. n. 5. 6. 7.*

Ioan. 7.

FERIA IV. POST DOM. QVARTAM QVADRAGESIMAE.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? *Præclarè Cyrillus Alexandr.* Præteriens vidit cæcum: quia eius miſertus eſt. Videre enim Chriſti, eſt miſereri: vt conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Hinc Propheta miſerationem à Deo ſibi præſtari petens, orat, Domine Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Et alio loco: Oculi Domini ſuper iuſtos. Vidit etiam, quia ſtudioſè eum reſpexit, quaſi aliquid circa ipſum operaturus: & ea occaſione intentæ defixionis oculorum Domini in cæcum, inducti ſunt diſci-

Ioan. 9.

Luc. 22.

Pſal. 79.

Pſal. 33.

puli

puli ad inquirendam cauſam illius cæcitatis. Sanè quia meminerunt, languido ad probaticam piſcinam à diuturna ægritudine curato
Ioan. 5. dictum eſſe à Domino: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat. Et paralytico iacenti in grabato, qui in domo eius
Matth. 9. oblatus fuerat: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Arbitrati ſunt cæcitatem huic homini inflictam fuiſſe propter peccatum aut ſuum, aut ſuorum parentum. Itaque percontantur à Domino, an peccauerit ille cæcus; vt in ſui peccati pœnam cæcitate percuteretur: an eius parentes quidquam admiſerint, ob quod filio eorum ſit inflicta cæcitas. *Arbitrabantur enim non infligi pœnas, niſi propter peccata, ſed Dominus reſpondit illis: Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. q.d. Quod hic cæcus natus ſit, cauſa eſt, vt me Deum eſſe, in eo ſanando, oſtendam: quia tale opus faciam, quod à ſolo Deo eſſe poteſt. Deum ſubinde ſolere calamitates immittere, non vt noxas puniat, aut errantes corrigat, ſed vt potentiam ſuam oſtendat, ipſeq; glorificetur, Sect. 8. in cap. 2. n. 8. Appoſitè Cyrillus Alexand. lib. 6. in Ioan. cap. 14.* Reſpondit, *inquit*, Dominus, neque ipſius cęci peccato, neque ſuorum parentum factum eſſe, vt cæcus naſceretur; non tamen omninò negat hac reſponſione ipſum cæcum, aut parentes aliquod peccatum contraxiſſe. Habuerant enim labem originalis contagij, & viuendo aliquid peccatorum ſuperaddiderant. Quis enim vitam hic aget inſons criminis? Sed non illo ipſo illorum peccato factum eſt, vt à natiuitatis exordio viſu priuaretur, quin potius, vt manifeſtentur opera Dei in illo: vt ſcilicet per illius illuminationem declaretur gloria diuinitatis Domini: & illius ſplendor, eorum qui nouerunt ſignum, oculos feriat. *Vnde hic conuenienter quari poteſt, vtrùm ex aliqua cauſa parentum contingat, naſci proles gibboſas, claudas, cæcas, &c. vide Sect. vlt. in c. 6. n. 6. 7. vbi præclara in hanc rem. Vide etiam Sect. 6. in c. 31. n. 5. & 6. vbi præcisè declarantur cauſæ cæcitatis corporalis.*

Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloë, quod interpretatur Miſſus. Abiit ergo, & lauit, & venit videns. *Hic tractari poteſt, vnde quis ſcire queat curationem cæcitatis eſſe miraculoſam, eadem Sect. 6. n. 7. 8. 9. 10.* Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nónne hic eſt qui ſedebat, & mendicabat? Alij dicebant, Quia hic eſt; alij nequaquam, ſed ſimilis ei eſt. *Hic tractari poteſt, quare Deus homines penè diſſimiles creauerit, Sect. 2. in cap. 7. n. 3.* Ille verò dicebat, Quia ego ſum. *Præclarè Cyrillus cap. 15.* Quia aperti eius oculi, vultum eius & ſpeciem oris aliquantulum mutauerant: nonnulli dicebant non illum eumdem eſſe, qui cæcus fuerat, ſed alium eius ſimilem. Ipſe verò neque verecundatus eſt de priori cæcitate, neque formidauit furorem plebis, neque renuit ſeipſum oſtendere, vt prædicet benefactorem. *Hic tractari poteſt, cæcum hunc natum & iam ſanatum ingratitudinem refugiſſe, ſed beneficium agnouiſſe, vide Sect. 1. in cap. 12. à n. 1. vſque 5. vbi officium gratitudinis explicatur. Notat Cyrillus in curatione huius caci mendici Dei clementiam viliores homines ſanantem:* Animaduertendum, *inquit*, nobis eſt, ad cuius ſortis viros mirabilis Dei clementia ſe inclinabat. Eos qui mendicabant, cum multa miſeratione, curabat: & hinc Iudæorum os obſtruens, quoniam non præclaros, non inſignes, neque principes, ſed ignobiles ſua dignos ducebat prouidentia: etenim pro ſalute omnium venerat. Ita etiam deſcendens à Ieruſalem in Ierico, cæcum ſedentem ſecus viam, & mendicantem ſanauit: vocatumque ad ſe benigniter illuminauit. *Hic per modum digreſſionis tractari poteſt, vtrùm cæcitatibus ſpiritalibus etiam remedia deſcribat ſacra pagina: & quænam ſint cæcitates ſpiritales, quæ plurimum inficiunt, Sect. 6. in cap. 11. à n. 11. vſque finem.*

Da gloriam Deo, nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. *Phariſæi non credentes cæcum à Chriſto reſtitutum, ſub prætextu religionis volunt idipſum negare ab eo factum. Hic tractari poteſt, quotuplex ſit adiuratio, & quænam adiuratio obliget obtemperare aliorum præceptis, Sect. 2. in cap. 9. à n. 2. vſque 8.* Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras, & cùm inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? *Cùm vident cæcum reſtitutum in veritatis confeſſione conſtantem, ignominioſè eum eiiciunt; ſed Dominus illum ſuſcipit, & quod ei ad perfectam deerat fidem, magnificentiſſimè donauit. Hic tractari poteſt, Deum derelictorum eſſe protectorem, Sect. 10. in cap. 11. n. 2. & 3.*

FERIA V. POST DOMIN. QVARTAM QVADRAGESIMAE.

Vide dicta ad Euangelium Dominica XV. poſt Pentecoſten: idem enim eſt, quod hodie recurrit. Lucæ 7.

FERIA VI. POST DOM. QVARTAM QVADRAGESIMAE.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam. Ioan. 11.
Deum aliquando noxas immittere, vt gloriam ſuam oſtendat, Sect. 8. in cap. 2. n. 8. Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. *Nondum ſciebat Martha, Dominum etiam abſentem ſanare poſſe, ex imperfecta fide. Hinc tractari poteſt, cur Deus aliorum fidem laudauerit, non autem Martha, Sect. 5. in cap. 7 n. 6.* Ieſus ergo vt vidit eam plorantem (*Mariam ſororem Marthæ*) & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum. *Videns Ieſus Mariam*

& Iudæos plorantes, omnibus omnia factus, & dolentibus condolens, ac patientibus clementissimè compatiens, excitauit in parte sensitiua affectus, & propassiones corporeas, quibus modis & turbatus interius vsque ad exteriorem vultus commotionem prorupit, quod condolentis, & compatientis fuit. Quare Scriptura exempla compatientium afflictis recenseat, Sect.34.in c.1.n.1.2.3. Et lachrymatus est Iesus. *Vt videlicet misericordiæ suæ daret argumentũ.* Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum? *Qua de causa Dominus fleuerit mortem Lazari, Sect.18.in cap.14.n.15.* Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. *Gratiarum actionem, Deo esse acceptissimam, Sect.2.in cap.11.n.8. & 9.* Voce magna clamauit, Lazare veni foras: & statim prodiit qui fuerat mortuus. *Hic tractari potest, Deum variis modis mortificare, & viuificare, deducere ad inferos, & reducere, vide Sect.2. in cap.23.n.11.15. & 18.*

SABBATHO POST DOM. QVARTAM QVADRAGESIMAE.

Ioan.8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ. *Docet Christus se esse lucem mundi, ac sine fide neminem Deo placere posse; quandoquidem verò Christum hac Pharisæis aperuit, ne oblatrarent, quod adulteram à peccatis absoluisset, & liberam permisisset abire, Tractari hic potest, solerter inquirendum esse, quænam sit vnica fides illa, extra quam nulla salus, ne in tenebris ambulemus, Sect.8.in cap.14.n.11.* Vos secundùm carnem iudicatis, ego non iudico quemquam: & si ego iudico, iudicium meum verum est. *Multa signa fecerat Dominus apud Iudæos; Scriptura enim testimonijs eos conuicerat; in seipsis illi diuinam experiebantur virtutem, dum omnes suos contra illum conatus irritos, vanosq; effectos cernebant: ministros proprios testimonium reddentes intrepidè, numquam sic locutum esse hominem, audierant; se in adulterę iudicio omninò confusos, & conuictos nouerant; & tamen in tanta perstiterunt nequitia, vt in media luce cæcutiant; neque admittunt Christum esse mundi lucem, & ideo Dominus praui iudicij ipsos arguit. Hic tractari potest, iudicia temeraria esse declinanda, Sect.8. in cap.3. à n.5. vsque 8.* Præclarè *Cyrillus:* Qui oculos habent, *inquit*, corporis, lippitudine, aut hebetudine imbecilles, non rectè de coloribus diiudicant, quinimò aliter quàm res sese habeat, ob insitam infirmitatem ferunt iudicium, de candido quod nigrum, & de nigro quod sit candidũ, dictitantes. Ita videntur affecti Pharisæi, ob grauem enim animi morbũ, zelum, inuidiam, odium, quo in Christum concitabantur, aciem mentis obtusam, & obnubilatam habuerunt; neque ad cognoscendum in carne delitescentem diuinitatem, sese tamen multifariis signis liquido prodentem, penetrare valuerunt. Et hærentes duntaxat in eo quod in Christo exterius contuebantur, affixiq́ue soli eius figuræ corporeæ, nudum ipsum hominem esse rati sunt, propterea dixit Christus eos secundùm carnem iudicare: quia vltra carnis, humanamq́ue naturam nihil in eo reliquum esse putarunt. Christus autem hoc pacto secundùm carnem & faciem se quemquam iudicare negat; quia etiam intima cordis perscrutatur, & scit quid est in homine. Aut se quemquam modò, præsentiq́ue suo aduentu iudicare denegat. Non enim venit, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. In secundo verò suo aduentu iudicabit omnes per discussionem, examinationemq́ue operum, prius in vita gestorum. De quo quidem venturo in consummatione sæculi iudicio subiungit: Et si iudico ego, iudicium meum verum est. Aut de præsenti iudicio discretionis, hoc secundo loco facit sermonem, quo bonos à malis examine occultæ suæ cognitionis secernit, & fideles ab improbis internoscit, quemadmodum inquit Paulus ad Timotheum: Nouit Dominus qui sunt eius. 2.Tim.2. Vtrumque autem iudicium Christi, & discussionis operum, quod in finem mundi differtur; & discretionis meritorum, quod præsenti tempore semper exercetur, verum est: quia à summa veritate, & æquissima lance iustitiæ profectum. Quî enim fieri possit, vt suprema veritas non rectè occulta, cuiusque merita dignoscat, aut prima iustitia à recta iudicij lege exorbitet?

Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius. *Hic tractari potest non esse consilium contra Dominum, Sect.18.in cap.4.n.8.9.10.*

FERIA II. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Quæretis me, & non inuenietis. *Prædixit Christus, & comminatur Iudæis incredulis, eiusq; doctrinam contemnentibus, quod post eius à Patre reditum, Christum in lege promissum inquirent, sed non inuenient: adeoq; loco veri Christi in pseudo-Christos, inciturus. Hic tractari potest, hæreticos qui veram fidem deseruerunt, numquam veritatem assecuturos, quamdiu videlicet eam quærunt apud hæreticos, Sect.8.in cap.14.n.14. Sic* Christus hic dicit, *quod Iudæi ad ipsius agnitionem non perueniant, quia reiecto vero Christo alium quærunt.* Ioan.7.

Quæretis me, & non inuenietis. *Qui peccando Deum deserunt, merentur vicissim à Deo deseri, vide Sect.14.in cap.14.n.7. & 8. Item, quàm damnosum, Prophetarum monita contemnere, Sect.14.in cap.14.n.3. & 4.* In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. *Optimè Cyrillus:* Rectè dicit Ecclesiastes: Omnia

nia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Tempus enim tacendi, & tempus loquendi. Quam temporis opportunitatem commodè hic ſeruauit Dominus. Nempe primus dies ſolemnitatis paucos adhuc habuit præſentes exteros, & infrequens auditoriũ. Medij dies feſti, voluptatibus, & mundi negotiis potiùs, quàm Dei cultui adhibebantur. Nouiſſimus autem dies, & maiorem habuit præſentem auditorum numerum, & deliciis finem impoſuerat, quum iam de reditu foret cogitandum. Itaque eo die tamquam ceteris commodiore, ipſe fons vitæ exuberantiſſimus, omnes vetam ſitientes doctrinam, & Dei cognitionem habere deſiderantes, dulciter inuitat, vt ad ſe veniant, & bibant potum illum ſalutarem, qui animam reficiat, & omnem æſtum cupiditatum huius mundi reſtinguat. *Hæc Chriſtus clamans dicebat, vt oſtenderet ſe neminẽ timere, quod ipſum Chriſtiani Doctoris documentum eſt. Hic tractari poteſt, non timendos homines, ſed Deum, Sect.7. in cap.2.n.4.*

FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ioan.7. Ambulabat Ieſus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. *Poſtquam Dominus curaſſet paralyticum triginta octo annorum ambulabat Chriſtus Dominus per loca & oppida Galilæa, neque in Iudæam redire volebat propter Iudæorum odium, qui quærebant eum occidere. Qui poteſtatem habuit omnes ſuperandi perſecutiones voluit declinare propter ſuos fideles, quibus talis non ineſt poteſtas, vt doceat aliquando eſſe declinandas, vide Sect.39. in cap.1. vbi latè docetur, quando licitum, & decorum ſit fugere.* Non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. *Chriſtus Dominus tempus à Patre prædefinitum paſſioni & morti expectans, vt Iudæorum furori locum daret, Iudæam refugit. Hic doceri poteſt, prudentis eſſe, occaſiones inſidiarum imputare, Sect.5. in cap.2.n.3.4.5.* Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum, quia tempus meum nondum impletum eſt. Hæc cùm dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa. Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto. *Cùm videlicet proximè inſtaret feſtum Scenopegiæ. Conſanguinei Chriſti monuerant Dominum, vt tranſiret in Iudæam, ibiq; in loco, & tempore celebri, opera ſua faceret, vt ab omnibus reciperetur tamquam Meſſias: Dominus autem reſpondet at illis, tempus ſuum nondum adueniſſe, vt videlicet ad diem feſtum illum aſcenderet; & tamen poſtea aſcendit: ita vt primo die feſtiuitatis adfuerit, ſed occultus, & non manifeſtus. Hic tractari poteſt, an ex illis verbis mendacium defendi poſſit, vide Sect.9. in cap.5.n.4.7.& 8.*

Iudæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant: Vbi eſt ille? Ex nimio odio, *ait Chryſoſt. hom.48. in Ioan.* eum nominatim appellari non patiebantur. *Cyrillus verò Alexandr. lib.4. in Ioan. cap.37. ex arrogantia locutos vult:* Quomodo, *inquit*, non contemnebant *(Chriſtum)* ſic imperitè de ipſo dicentes, Vbi eſt ille? Arrogantium enim hoc dictum eſt, nam quamuis propter miracula magnam debuiſſent opinionem habere, nondum tamen magnum quid de ipſo dicere videntur. *Hic tractari poteſt, inuidiam ignorare, quos magnificare deberet, Sect.38. in cap.1.n.3.* Et murmur multum erat de eo in turba. Quidam enim dicebant, Quia bonus eſt; alij autem dicebant, Non; ſed ſeducit turbas. Qui dicebant, Seducit turbas, *inquit Auguſtinus*, ſonitus eorum audiebatur tamquam aridorum foliorum. Seducit turbas clarius ſonabant: Bonus eſt, preſſius ſuſurrabant, *tract.28. in Ioan. Turba dicebat, Bonus eſt. Principes dicebant, Non, ſed ſeducit turbas, vt Chryſoſt. & Theophyl. animaduertunt. Hic tractari poteſt, quàm ingratum ſit Deo murmur, Sect.10. in cap.1.à n.7. vſque finem. Videatiam Sect.11. in cap.5.n.11.& 12.§.* Rectè Saluſtius. *vbi conſuetæ vulgi murmurationes erga ſuperiores ex Scripturis recenſentur.*

Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorũ. *Rectè Cyrillus eo loci:* Præcipuè hic Iudæos, Iudæorum principes appellauit. Indignum enim *(vt mihi videtur)* iudicauit homines adeò à pietate remotos, Sacerdotes aut ſeniores populi appellare: quos per Prophetam, vt ſpiritalis vineæ corruptores Deus accuſat, dicens: Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meam; dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis, poſuerunt eam in diſſipationem. Quomodo enim dominicam vineam ipſi iniquitate ſua non deuaſtarunt, qui non modò nihil ad cultum ipſius conducunt: verum etiam ſtudio & opera faciunt, vt populus timore preſſus, non pareat rectè docenti? Argumentum autem eſt, nimium illis plebem ſubiectam fuiſſe: quia nec laudare quidem, quod laudandum putant, palam audebant. Quemadmodum igitur gubernator, ſic cùm ipſe gubernandi rationem habeat, ceteriq́ue omnes, qui in eadem ſunt naui ſibi apprimè obtemperent, ipſe ſolus culpam habebit, ſi nauem in cautes & ſcopulos illiſerit: aut auriga ſi agens in inuia currus fregerit: ita certè Iudæorum principes, quia ſubiectam parentemq́ue plebem habeant, non iniuria perditionis omnium rationes relaturi ſunt. Quod autem ipſi perditionis populi cauſa fuerint, Ieremias etiam teſtatur, dicens: Stultè paſtores egerunt, & Dominum non quæſierunt: propterea non intellexerunt omnis grex, & diſperſi Hebr.12. Ierem.10.

diſperſi ſunt. *D.Gregorius Nyſſenus vanum timorem notat turbæ metuentis Sacerdotes, Phariſæos & Scribas, vbi videlicet timere non deberent, Tract. 2. in Pſal.c.13. vide Sect.8. in cap.7. n.8.& 9. vbi de vano timore præclarè,& ſententia Nyſſeni recitatur.*

FERIA IV. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ioan.10. Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Non vnum, *inquit Toletus, hoc loco*, ſed tria mendacia fraudulenta hæc verba continent: Vnum eſt, dic, inquiunt, nobis palam; quaſi dicerẽt: Hactenus non es palam, aperteque locutus, te eſſe Chriſtum; hoc verò mendacium ſuperiora capita manifeſtant. Alterum eſt, dic palam, quaſi dicerent, Si dixeris palam, credemus tibi, nec amplius ſuſpenſo animo erimus: hoc etiam eſſe mendacium, vel quod paulò poſt ſecutum eſt, probat. Tertium eſt, Si hactenus non credidimus, id fuit in cauſa, quod tu non es locutus palam; iam enim credidiſſemus tibi, ſi locutus fuiſſes. *Hæc tria mendacia verbis ipſis ſignificari, facile eſt vnicuique intelligere. Hic tractari poteſt, mendacium hominem magis intricare, vide Sect.9. in cap.5. n.10. & 11. vbi idipſum tractatur, & mendaces oſtenduntur Deo odibiles. Sic Chriſtus hoc loco vnico verbo veritatem aperit, & omnia Iudæorum repellit mendacia, ſimulq; eorum laqueum declinat: reſpondit enim ipſis*, Loquor vobis, & non creditis; *q.d. Ego nihil aliud facio, quàm loqui, & manifeſtare quod petitis. Non igitur verum eſt, quod inſinuatis, me non eſſe locutum palam: nec eſt verum, ſi locutus fuiſſem, vos credidiſſetis; nam dixi, & tamen non credidiſtis; nec modò creditis; nec eſt verum, à me vos teneri ſuſpenſos, & anxios; nam iam ante hunc ſermonem locutus ſum apertè & palam.*

De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum. *Cùm Chriſtus ſe pariter cum Patre feciſſet poteſtatis, voluerunt ipſum lapidare, execrabilem exiſtimantes blaſphemiam, quod ſe Deum, aut Deo æqualem eſſe dixerat: vnde Chriſto interroganti propter quod opus bonum ipſum lapidarent, reſponderunt in ſubſtantia, Nullum bonum opus habes, propter quod te lapidemus: aut ſi quod bonum opus feciſti, quod modò non diſputamus, propter illud te non lapidamus, ſed propter blaſphemiam. In quibus verbis duo notanda veniunt, primum, ingratitudinis vitium, quo Iudæi laborabant, cùm miracula Chriſti in fauorem eorum facta non ſolùm negarent, ſed etiam benefactorem ſupplicio afficere eſſent parati, vide Sect.13. in cap.12. n.7. vbi ingratitudo noſtra erga Deum exaggeratur; & Sect.1. in idem cap. n.4. vbi ingratitudo ob mala, quæ parit, docetur fugienda. Verißimè aſſerit Cyrillus*, Summi eſſe vitij, & ingratitudinis, mala pro bonis retribuere, & pro beneficio rependere ſupplicium, *lib.7 in Ioan.cap.11. Alterum, quod notandum venit, eſt quod animaduertit Cyrillus, nempe Chriſtum Dominum placidis ac mitioribus verbis voluiſſe Iudæorum iracundiam mitigare, qui aliàs Ioan.8. eumdem voluerant lapidare.* Ieſus autem, *inquit*, tunc nullo ipſis communicato ſermone, datóve reſponſo abſcondit ſe, & exiuit de templo: vt per ſuam abſentiam reſideret, & deferueſceret ebulliens ipſorum ira. Hoc verò loco, cùm Iudæi eadem laborarent phreneſi, ac inſania, more peritiſſimi medici, aliud ipſis adhibuit medicamentum: vt nihil non tentatum relinqueret, quod eorum ſaluti conducere putaretur: & quos vno pharmaco prius ad mentis ſanitatem reducere non potuit, aggreditur nunc alio curare antidoto, placida, inquam, interrogatione, & rectè rationi innixa, qua ab eis quærit, cur præter omne ius, & fas attentant mala, pro bonis, ipſi tribuere, & quamplurima ipſis præſtita beneficia tumultuaria lapidatione compenſare, atque rependere. *Deinceps rem ſimilitudine & exemplo illuſtrans, ſubiungit:* Sicut enim aqua gelida efferuenti iniecta continuò totum illius feruorem, ac ebullitionem ſedat, reſidentemque reddit illam, quæ rapido prius æſtu intumuit: haud ſecus placida verba ac mitia, iracundiâ concitatum animum, mitigare ſolent, & ad manſuetudinem reducere. Quod nobis ipſe Dauid ſuo prodit exemplo, cuius diſtrictum mucronem in totius domus Nabal exterminium ipſa Abigail vxor eius ſua ſuaui loquentia, & humanitate vagina recondidit, & à cruoris effuſione immunem reddidit, *vide Sect.13. in cap.2. n.6. vbi pluribus docetur, mollem reſponſionem frangere iram.*

De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia. *Licet hi Iudæi graniter errarent, Chriſto Domino affigentes blaſphemiam, tamen vtiliter quæri poteſt, an blaſphemia ſit tanto ſupplicio digna, vide Sect.35. in cap.5. vbi pluribus hoc ipſum adſtruitur.* Reſpondit eis Ieſus: Nónne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, Dij eſtis. Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura: quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis: quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum. *Blaſphemiæ notam ſibi inuſtam Dominus repellit, & infirmitati Iudæorum ſe accommodans, argumento vtitur à lege eorum ſumpto, vbi illi vocantur Dij, quibus lex, & doctrina Dei data eſt; indeq; concludit, non eſſe blaſphemiam dicere filium Dei eſſe, ſi non eſt blaſphemia, appellare Deos, aut Dei filios, eos, qui ſermonem Dei receperunt. Quandoquidem Pater Filium ſanctificauerit, ſanctitate, qua ipſe ſanctus eſt, eidem communicata. Ex quo tractari hic poteſt, hæreticos grauiſſimè errare, qui Sanctorum inuocationem impugnant, quod dij non ſint, cùm aliqua ratione dij à Scriptura nuncupentur, vide Sect.13. in cap. 1. n.7. vbi eorum inſania caſtigatur. Appoſitè Cyrillus*

lus lib.7.in Ioan.c.12. Noſcere operæ pretium eſt, nomen Dei trifariam in Scriptura dici.
Deut. 6. Primò natura; vt, Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt, & rex omnis terræ Deus. Secundò adoptione, & participatione, qui in filios Dei adoptantur, & participes fiunt
Pſal.81. diuinitatis, dij dicuntur, vt eo in loco: Deus ſtetit in Synagoga deorum, in medio autem
Pſal.49. deos diiudicat. &: Deus Deorum Dominus locutus eſt. & in præſenti etiam Prophetæ dicto. Tertiò, falsò & ſola nuncupatione: quemadmodum dæmones, & idola, de quibus
Pſal.9. Pſalmus: Quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Et
Philip.3. Paulus: Quorum Deus venter eſt. Et alio in loco: In quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium: vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti. Si igitur, inquit, Chriſtus, idcirco homines dij appellati ſunt, quia ſermo Dei ad ipſos factus eſt, & non poteſt Scriptura falſitatis argui: ipſum verbum Dei, quod erat in principio apud Deum, quomodo non eſt Deus? Si illi dij vocari meruerunt, qui participes facti ſunt ſermonis Dei: ipſe ſermo Dei vnde participant, cur non ſit Deus? Semper enim vnde aliquid participatur, magis & verius id habet quod participatur, quam ipſa participantia: vt ſol, à quo lucis eſt participatio in ſubiecta corpora, magis lucidus eſt, quàm aër & aqua, luce participantia: & ignis, à quo tamquam fonte quodam, calor in externa deriuatur corpora, verius & vehementius habet calorem, quàm ea quæ ab eo calorem participant. Verbum igitur Dei, cuius participatione alij denominationem Dei ſortiuntur, verius & ſublimius Deus eſt, quàm homines, aut Angeli: nam hi gratia ſolum, adoptione & participatione dij ſunt, & dicuntur: ille verò natura, origine, & ſubſtantia Deus eſt.

FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Luce 7. *Vide dicta in feſto S. Maria Magdalenæ.*

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ioan. 11. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit, ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. *Tarditatis ſuæ periculum, & neceſſitatem citò capiendi conſilium, & remedium proferunt Iudæi, reſuſcitato Lazaro, ob cuius reſuſcitationem multi ex Iudæis credebant in Ieſum; quaſi dicant: Iſte homo non ceſſat ſigna facere, continuò maiora ac maiora, in ſui teſtimonium, miracula edendo. Si autem vos dimittamus eum ſic, & negligamus hoc negotium, omnes in eum credent:* Mauden in Tob.

quod ſi omnes in eum crediderint, maius malum euenit nobis, nimirum venient Romani, occupabunt ciuitatem, tollentq; gentem, noſq; omnes in captiuitatem redigent, quaſi alium regem ſequamur præter Cæſarem. Vnde dignoſcimus vanum fuiſſe timorem Iudæorum, & conſilium, quod inierunt contra Chriſtum, vide Sect.8. in cap.7.n.6. vbi plura in hanc rem. Vides, *inquit Cyrillus*, quod id quàm maximè timent, ne omnes in Chriſtum credant, ne doctrina eorum neglecta pereat, & ipſi tamquam inhonorati deſerantur à populo, atque inglorij degant. Verum vt recta quadam ratione videantur moueri ad obſiſtendum Chriſti conatibus dicunt Chriſtum res nouas moliri velle, rebellionem in Romanos excitare poſſe, & Iudæorum regnum ſibi vendicare: ob quod, inquiunt, imminet periculum loco & genti. Nam Romani accepto nuntio, & comperta rei fama, quod innouandis rebus ipſis ſtuduerit, & Iudæorum ſibi voluerit vſurpare imperium, collecto venient exercitu, & tollent noſtrum locum, & gentem. His profectò incommodis tempeſtiuè, aiunt, occurrendum eſt, his tantis malis maturè & obuiandum, dum adhuc res in integro eſt. Suſtollendus eſt è medio tanti auctor incendij. Hoc quidem dicentes, populum volunt concutere, vt pericula ſubiturum hac occaſione ex ſuſpicione tyrannidis, quaſi dicant: Si Romani viderint eum turbas ducentem, ſuſpicabuntur nos in tyrannidem velle conſurgere, & deſtruent noſtram ciuitatem. Sed ficticia erant, & commentitia, quæ dicebantur. Quid enim Dominus demonſtrabat tale, vnde huiuſmodi de eo poſſet haberi ſuſpicio? an milites circumferebat, & equitaturas trahebat? nónne deferta perſequebatur? Sed vt non putentur ob paſſionem ſuam inuidiæ, & prauum affectum hoc dicere, totam ciuitatem periclitari dicunt: & non modò ciuitatem Ieruſalem, ſed & totam Iudæorum gentem pericula deſtructionis ſubiectum iri dicitabant. Quid enim aliud ſibi his verbis volunt, quàm totum populum concitare, tamquam tyrannidè periclitaturum? Si viderint, inquiunt, Romani turbam ipſum ſequentem, ſub tyrannide, propriiſque regis principatu nos eſſe conſtitutos arbitrabuntur, & diruent noſtram ciuitatem, & populum. *Ex quo tractari licet, quantum mali pariat lingua doloſa, Sect.8. in cap.7.n.3. & 4.* Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Cùm refert Euangeliſta, *inquit Cyrillus*, de Caipha, quòd erat Pontifex anni illius: magnitudinem impietatis, & grauitatem ſceleris eius perſpicuè demonſtrat. Quia enim ceteros dignitate pontificali præſtabat,

& auctoritate, debuiſſet maiori pietate, & religione in Deum effulgere, quo ceteris eſſet exemplo virtutem colendi, & diuina mandata ſeruandi. Ipſe verò reliquis immanior, præcipitatior ad ſcelus, & ad cædem paratior, alios quaſi tardius agentes hortatur ad facinus, dicens: Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vnius hominis ſalutem pro tota republica negligi: quandoquidem bonum priuatum publico eſt poſthabendum, & commune bonum priuato, atque particulari eſt præferendum. Id autem praua dixit intentione volens inducere totum illum conſeſſum in eam ſententiam, quod expediret reipublicæ Iudæorum, Chriſto necem inferre: qua quidem illata, tota gens à Romanorum timore aut incurſu futura eſſet libera, quaſi ſi non occideretur ab eis Chriſtus, immineret ipſis Iudæis excidium à Romanis: ſi verò occideretur, vt præconceperant, & animo ſecum conſtituerant, futura eſſet gens Iudæorum libera ab interitu & exitio, quod à Romanis impendere formidabant. Verum longè ſecus atque conſultauerant, res euenit. Nam ob mortem Chriſto à Iudæis illatam, tota Iudæorum natio miſerabile paſſa eſt exterminium, captiuitatem, interitum, & diſperſionem. Quam eis prædixerat Dominus his verbis: Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Et cùm ſuper ciuitatem Ieruſalem piis obortis lachrymis flerent, dixit: Quia circumdabunt inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Quæ omnia à Domino prædicta, ipſo rei exitu iam pridem comprobata ſunt. *Ex quo hic tractari poteſt, eos qui doloſis artibus, & iniuſto modo promoueri, aut ſe tueri volunt, ſibi creare exitium, Sect. 40. in cap. 1. n. 11.*

Luc. 21.

Luc. 19.

SABBATHO POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ioan. 11. Cogitauerunt principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent: quia multi abibant propter eum ex Iudæis, & credebant in Ieſum. Multa ſigna, *inquit Cyrillus*, fecerat Ieſus, ſed nullum eos ita efferauit *(quàm videlicet Lazari à mortuis reſuſcitati)* non paralyticus, non cæcus, curati. Hoc enim natura admirabilius erat, & poſt multa factum & mirandum erat, mortuum quatriduanum ambulantem, & loquentem videre. Idcirco quamplurimi, etiam omiſſo feſto, Bethaniam ad ipſum viſendum concurrebant. Hoc eos *(principes)* angebat quod Lazari occaſione multi Iudæorum diſcedebant ab eorum ſecta, & traditionibus, & credebant in Chriſtum. Inuidebant enim gloriæ Chriſti, & non mediocri dolore torquebantur, quod populus in eum credebat. Itaque ſuccidere volentes, & ſuſtollere materiam illam credendi in Chriſtum, cogitarunt interficere & Lazarum: vt eo interempto, non amplius, ipſius occaſione, populus ad Chriſtum conuerteretur. O inuidiam omni fera crudeliorem, & exitium omnibus intentantem: quem auctor vitæ reduxit ad vitam, ipſi liuore ſtimulati perdere volunt: charitas enim viuificat, & beneficia largitur: at liuor edax perniciem infert, & mortem, ſuique tabe veneni, omnia commaculat, & enecat, *lib. 8. in Ioan. c. 8. Ex quo euidenter cognoſcimus, graue peccatum eſſe alicui inuidere bonum ſpirituale, vide Sect. 12. in cap. 11. n. 10. vbi illud malum exaggeratur. D. Cyrillus Alexandr. loc. cit. idipſum alijs Scripturæ exemplis proſequitur:* Nónne illa *(inuidia)* nefarium Cain concitauit in cædem innocentis fratris Abel? cuius cruore imbuta terra, à Domino maledicta perhibetur. Sed quid eum in tam crudele impulit parricidium, vt innoxium & iuſtum fratrem tam diro fato ſuſtolleret? Sola inuidia excrucians ipſius animum quod munera fratris, ſuis oblationibus erant Domino acceptiora. Eadem quoque fera peſſima exaſperauit fratres Ioſeph in ipſius interitum grauiter ob id indignatos, quòd à patre plus ceteris amaretur, & quòd ſomniorum enarratione præſagire videretur ſuum ſuper eos principatum. Venite, inquiunt, occidamus eum, & videamus quid proſint ei ſomnia. O leone ſæuo & Hyrcana tigre crudelior inuidia. Non eos mouit reuerentia patris, non germanitas ſanguinis, non denique forma, & gratia optimi adoleſcentis, quin in eius conſpirarent mortem, & conſilium de inferenda illi nece captarent. Adde quod eadé truculenta belua perpulit Ioab principem militiæ Dauid, in ſubdolam fraudulentamque cædem Amaſæ, quem præfecerat etiam rex ipſe ſuæ militiæ, quod inuideret illum ſibi deſignatum collegam in eodem magiſtratu, timeretque ne tandem ſibi præferretur Amaſa, & ſolus militiæ regiæ præficeretur. Demum eadem infernis paludibus egreſſa furia, animauit Iudæorum pontifices, Scribas, & Phariſæos in mortem Chriſti, qui ſecundùm oracula Prophetarum ad ipſos ſaluandos venerat, & plurimis, iiſdemque maximis eos beneficiis cumulauerat. Quorum omnium immemores, & ingratiſſimi in crucem egerunt ſaluatorem mundi. Neque id ſubticuit Euangeliſta dicens de Pilato: Sciebat enim, quod per inuidiam tradidiſſent eum. Sed quid multis moror? eadem immanis fera totum perdidit genus humanum, cùm inuidia ſtimulatus dæmon primos parentes callida ſuggeſtione ſubuertit, atque ad diuini mandati præuaricatio-

Genes. 4.

Genes. 37.

2. Reg. 20.

Matth. 27.

cationem inductos, immortales gloria ſolidauit: Inuidia, inquit Scriptura, diaboli mors intrauit in orbem terrarum, *vide etiam Sect. 40. in cap. 1. n. 11.*

In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiiſſet, quia venit Ieſus Ieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant: Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael. *Occurrit Chriſto turba multa extra ciuitatem cum ramis palmarum in ſignum lætitiæ & triumphi, acclamationibuſq; perhonorificis; verum Regem regum recepit, cùm principes Chriſto omnem gloriam inuiderent. Hic tractari poteſt, veterem fuiſſe conſuetudinem illis gratulandi, quibus aliquid acciderat ex voto, Sect. 11. in cap. 11. n. 2. Rurſum hic tractari poteſt, ſanctos viros non contentos ſua voce prædicare Deum, etiam alios ad cantica, & Pſalmos excitaſſe, Sect. 12. in cap. 13. n. 4. vide ibid. n. 8. quid canentium clamor efficiat.* Rami palmarum, *inquit Cyrillus*, laudes ſunt ſignificantes victoriam, quâ erat Dominus mortem moriendo ſuperaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Solent enim victores palma victrici
Apocal. 7. coronari. Et in Apocalypſi, beati illi & ſancti ciues ſupernæ Ieruſalem, qui hoc in mundo legitimè certauerunt contra multiformes hoſtes, palmas manibus tenere deſcribuntur. Inſuper Spiritu ſancto agitata turbæ mens, laudes Chriſto debitas concinebat dicens: Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael. *Toletus Cardinalis in cap. Ioan. 12. annot. 4. diſceptans quare cum ramis palmarum turba obuiam venerit Chriſto, inquit:* Mihi non improbabile videtur Iudæorum more etiam palmarum ramos afferri ad lætitiam magnam ſignificandam, licet non præceſſiſſet hoſtium victoria: ſic Simon in arcem templi ingreſſus eſt in hymnis, & canticis, & ramis palmarum, vt habetur 1. Machab. 13. & feſtum tabernaculorum celebratum fuit cum ramis palmæ, 2. Machab. 10. & Ioſephus lib. 3. antiquit. cap. 10. refert Iudæos ſolitos celebrare hoc tabernaculorum feſtum cum ramis myrthi, ſalicis, & palmæ; hoc enim Hebræis lætitiæ magnæ, & communis, ſignum erat; nec ſolius palmæ, ſed aliarum etiam arborum ramos portabant, vt ex aliis etiam conſtat Euangeliſtis. *Ratio quare id cenſeat, eſt, quia turba eo tempore non intelligebat victoriam, quam de morte conſecuturus erat Chriſtus ſuſcitato Lazaro, aut de diabolo, & morte, & peccato in cruce.*

Et inuenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum. *Vide dicta in hanc rem, Dominica in ramis palmarum.* Erant autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ: & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Ieſum videre. Prius, *inquit Cyrillus*, officioſo turbæ in Dominum ſtudio, & obſequioſo occurſu damnata eſt principum, & Phariſæorum impietas, qui indignè ferebant Dominum tanto affici honore: nunc Gentilium, qui legis & Prophetarum erant ignari, deuotione, & diligentia condemnatur Phariſæorum malitia, qui Scripturam ſanctam edocti venientem in propria Dominum non receperunt, toties auditam eius doctrinam reiecerunt, toties viſa eius opera parui fecerunt. Gentiles eum videre cupiunt, Iudæi occidere. Et hi planè Gentiles præſignant futuram Gentium plenitudinem in ouile Chriſti intraturam, ac iugo fidei colla ſua ſubmiſſuram. Hic tamquam primitiæ conuerſionis Gentium, & prælibamenta quædam oſtendunt gentilem populum Chriſti fidem cupidè amplexaturum, ac deſiderio videndi ipſum vehementius inarſurum, *vide Sect. 9. in cap. 13. num. 4. & 5. vbi tractatur, multos ex gentilica ſuperſtitione ad Iudaiſmum conuolaturos.*

Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, *&c.* & rogabant eum dicentes: Domine volumus Ieſum videre. *Hi gentiles venientes, & deſiderantes Chriſtum videre, erant velut oratores tacitæ totius Gentilitatis ſignificantes tempus imminere iam mortis & paſſionis, vt per eam gentes videant Saluatorem. Hic tractari poteſt, gentiles plurimos ex auditu mirabilium operum Dei intellexiſſe maieſtatem ipſius eminere ſuper omnes Deos, Sect. 4. in cap. 13. n. 6.* Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſus & Philippus dixerunt Ieſu. Audierat, *inquit Cyrillus Alexandr.* Philippus à Domino: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Idcirco ne Dominum fortaſſe hoc facto offenderet, non adduxit gentiles ſtatim ad Chriſtum: ſed rem prius cum condiſcipulo communicat, & vnà cum eo, magiſtro eamdem refert ſubmittens illius arbitrio negotium, & cum debita reuerentia illi deferens: hoc enim pacto quaſi explorat voluntatem Domini, & rem totam illi committit. *Hinc autem videtur nobis exemplum dare Philippus, nihil leuiter, nihil niſi communicato cum viris prudentibus conſilio agendi, etiam in rebus bonis. Hic tractari poteſt, conſilium à ſapiente perquirendum, Sect. 16. in cap. 4. à n. 3. vſque 9.* Matth. 10.

Amen dico vobis, Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, *&c. vide dicta ad hæc verba in feſto S. Laurentij.* Nunc anima mea turbata eſt, *q. d. Chriſtus, Iſti gentiles mihi ſuo aduentu mortem meam proximam prænuntiant, & ſignificant, eorumq; occaſione, mortis imminentis conſiderationem aſſumo, meq; timore & horrore turbo; quod præ nimio amore, deſiderióq; noſtræ ſalutis, & Gentium vocationis factum eſt: volebat enim Chriſtus idcirco pati, & mori geſtiebat. Quæſtio*

eſt, quare Chriſtus timuerit? D. *Auguſtinus, & Venerabilis Beda reſpondent, Chriſtum non ſua, ſed noſtra perſona timuiſſe, id eſt, infirmitatem ac timorem noſtrum à nobis in ſe, firmitatem & fortitudinem ſuam à ſe in nos tranſtuliſſe; itaque ne nos mortem timeremus, ipſum timuiſſe.* Nos, *inquit*, in ſe tranſtulit, nos in ſe ſuſcepit, caput noſtrum membrorum ſuorum accepit affectum, & ideo ab aliquo non eſt turbatum; ſed ſicut de illo dictum eſt, cùm Lazarum ſuſcitaret, turbauit ſemetipſum. Oportebat enim vt vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſicut nos excitauit ad ſumma, ita nobis compateretur ad infima. *Et rurſum propoſitâ ſuperiore quæſtione:* Videor, *inquit*, mihi audire in cogitatione mea reſpondentem mihi Dominum meum, & quodammodo dicentem: Magis ſequeris, quia ſic me interpono, vt ſufferas. Audiſti ad te vocem fortitudinis meæ, audiſti in me vocem infirmitatis tuæ: vires ſuggero, vt curras: nec reprimo, quod acceleras, ſed transfero in me, quo trepidas, & ſubſterno, qua tranſeas. *Hic tractari poteſt, cur iuſti formident violentam mortem, Sect.14.in cap.6.à n.4.vſque 8.*

FERIA II. POST DOMINICAM PALMARVM.

Ioan.12. Ante ſex dies Paſchæ venit Ieſus Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus; fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat. Lazarus verò vnus erat ex diſcumbentibus cum eo: Appropinquante tempore, *inquit Cyrill.lib.8.in Ioan.cap.6.* in quo Dominus pati diſpoſuit, appropinquauit ipſe loco, in quo eiuſdem paſſionis diſpenſationem perficere voluit. Venit enim prius in Bethaniam, deinde Ieroſolymam. In Ieroſolymam quidem, vt vbi patereretur, quemadmodum diſcipulis ſæpius illum ſuæ paſſionis locum prædixerat: in Bethaniam verò, vt reſuſcitatio Lazari memoriæ omnium arctius imprimeretur. *Meminit autem Euangeliſta miraculi narrati, tum vt cauſam, cur Bethaniam primò venerit, reddat; tum etiam vt cauſam, cur tam honorificè ſuſceptus, cenaq; ſit ei facta, indicet. Hic tractari poteſt, qua de cauſa olim conuiuia inſtrui ſolita, Sect.1.in cap.2.à num.2. vſque 6. Chriſto autem Domino hoc loco conuiuium vel ſorores Lazari, vel ciues Bethaniæ inſtruxerunt in recognitionem, & celebritatem miraculi erga Lazarum præſtiti.* Fecerunt autem ei cœnam ibi. *Morem autem fuiſſe congratulari iis, quibus aliquid boni ſucceſſerat, vt dixi Sabbatho præcedente, vbi aſſignaui Sect.11.in cap.11.n.1.*

Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi. *Cùm ſororem miniſtrare, & fratrem diſcumbere menſa Chriſti Maria videret, indignum iudicauit, ſi ipſa otioſa maneret: accepit igitur libram vnguenti ex nardo para & pretioſa confecti, vt Dominum vngeret. Hic tractari poteſt, optima in Chriſti vſum, eſſe expendenda, vide Sect.11 in cap.1.n.3. & Sect.4.in cap.2.n.12.* Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu. *Hic tractari poteſt, pauperibus ſana, non putida eſſe porrigenda, Sect.7.in cap.4.n.9.* Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non væniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? *Omnes diſcipuli ſimplici animo propter pauperum curam murmurarunt de vnguenti pretioſi effuſione; ſed Iudas, quia fur erat, & cupiditatis ſuæ ſtimulo exagitatus; nouerat enim vnguenti præſtantiam, quod effuſum domum totam odore repleſſet, indeq; doluit quod ad manus eius non peruenifſet, vt potuiſſet vendere, & pretij partem ſibi vſurpare, ideoq; indignatus dixit:* Quare hoc vnguentum, *&c. Facile vitia virtutum ſpecie operiunt mali, & ouina veſte ſe contegunt lupi: auarus & raptor miſericordiæ viſcera in pauperes fingit: ambitioſus ſacrificium & peregrinationem prætexit, vide Sect.4.in cap.11.n.16.* Dixit ergo Ieſus: Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. *Potuiſſet Dominus & Iudæ malitiam detegere, & diſcipulorum indiſcretum zelum reprehendere, tamen eos rationi voluit potius inſtruere, quàm reprehenſione eorum animos exulcerare, cùm inquit:* Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. *q.d. Hæc vnctio loco illius eſt, quam corpori meo in ſepulturam exhibitura erat. Hic tractari poteſt, zelum indiſcretum diſplicere Deo, vide dicta Sect.31.in cap.1.n.4. & 5.* Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud: pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. *Ceteri Euangeliſtæ ſenſum Ioannis de prioribus verbis magis explicant. Matthæus inquit:* Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit. *Et Marcus inquit:* Præuenit vngere corpus meum in ſepulturam. *Spiritu ſancto ducebatur Maria, vt id faceret quod ſepultura erat officium, & mortis indicium. Præclarè Cyrillus lib.8.in Ioan.cap.7.* Cùm verò Dominus noſter dicit: Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud; ſignificat ſe haud multò poſt moriturum, & ad ſepeliendum, aromatibus eſſe vngendum. Ideo Mariæ, cui ad vnctionem mortui corporis multum deſiderandi peruenire non liceret, donatum ſic adhuc viuenti impendere obſequium, quod poſt mortem, celeri reſurrectione præuentâ, nequiret. *Loquitur autem Chriſtus more communi, nam erat citò moriturus, & vnctio illa mortis præſagium erat, & ſignum: atqui ſic ſolemus ſubinde loqui, quando euentus rerum tribuimus iis, quibus euenerunt, tamquam ſi fuiſſent effectuum illorum cauſa. Exempli gratia, mulier illa 3.Reg.17. ægrotante filio dixit ad Heliam:* Quid mihi, & tibi, vir Dei, ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? *Et tamen*

men Helias non ea de cauſa ingreſſus erat. Sic Geneſ. 20. *dixit Abimelech Abrahæ, afflictus à Deo ob raptam vxorem eius:* Induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande: *nec tamen Abraham id intendebat. Et Caiphas prophetaſſe dictus eſt, cùm non intelligeret quod futurum erat. Ita nunc Maria in ſepulturam hoc vnguentum ſeruaſſe dicitur: quia reuera ita erat, quamuis ipſa non ea intentione ſeruaſſet nec effudiſſet. Hic tractari poteſt, fideles quædam agere impulſu diuino neſcientes, Sect.* 1. *in cap.* 4. *n.* 2. *Exemplo Iſaac benedicentis Iacob: & Sect.* 1. *in cap.* 14. *n.* 8. *exemplo Saræ dicentis:* Eiice ancillam, *&c.*

Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. *Quaſi dicat: Opportunitas pauperibus benefaciendi continua eſt, & durabit; at mihi benefaciendi, non ſemper erit opportunitas: iam enim morti ſum proximus. Dum igitur hoc breue ſupereſt mihi tempus, finite illam mihi benefacere; non deerit tempus, & occaſio ceteris benefaciendi.* Cùm de ſe dixit, *inquit Cyrillus loc. cit.* Me autem non ſemper habebitis, loquebatur Dominus de præſentia corporis ſui *(viſibili, qua inter nos vixit mortalis & paſsibilis, & hominum obſequiis egens)* nam ſecundùm maieſtatem ſuam, ſecundùm prouidentiam, ſecundùm ineffabilem, & inuiſibilem diuinitatis gra-
Matth. 28. tiam, impletur quod ab eo dictum eſt, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. *Hic conuenienter doceri poteſt, ex omni lege conſtare numquam defuturos pauperes, adeóq; fruſtra à quibuſdam omnes artem pauperes, Sect.* 5. *in cap.* 4. *à n.* 2. *vſque* 6.

Feria III. & IV. legitur Paſſio Domini, vnde è pulpito ad populum illis diebus dici non conſuenit: ſi tamen concionaturus aliter velit, poterit legere Indices Scripturæ & rerum, & multa reperiet ſibi opportuna.

FERIA V. POST DOMINICAM PALMARVM, SEV COENÆ DOMINI.

Ioan. 13. Et cœna facta cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotis. *Indicat Dominus, diabolum cogitationem in cor Iudæ immiſiſſe, vt eum traderet; non quod non alias quoque malas cogitationes immittat: ſed quod tam nefaria, & execrabilis fuerit cogitatio, vt non ab alio, quàm à diabolo profecta venire poſſit; neque vllum tam ſceleratum ac flagitioſum eſſe mortalium, vt tantum facinus, niſi auctore diabolo, in animum inducere potuiſſet. Hic tractari poteſt, diuerſa dici genera damoniorum, quod quædam ſint, quæ corpora hominum obſident, & ſic variis modis affligunt; alia, quæ abſque obſeſſione plurimis malis afficiunt: alia quæ multa mala operantur in intellectu: alia quæ ad turpia, & nefanda alliciunt, vide Sect.* 8. *in cap.* 6. *à n.* 2. *vſque* 4. *vbi variis Scripturæ exemplis idipſum probatur.* Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotis. *Hic tractari poteſt, diabolum non poſſe immediatè afficere, ac mouere voluntatem hominis, eiq; facilè reſiſti poſſe, Sect.* 3. *in cap.* 6. *n.* 6. *Rectè igitur Bernardus de Iuda:* Ego maius exiſtimo, magiſque admiror, quod potuit immiſiſſe in cor eius, vt traderet Dominum, quàm vt ſemetipſum ſuſpenderet, *ſerm.* 66. *in Cant. Hoc autem dixit contra eos,* qui minus aduertunt, quanta ſit poteſtas diaboli, non modò in corpora hominum, ſed etiam in corda, quæ ſemel permiſſus poſſederit. *Nota verbum,* permiſſus, *& vide Sect.* 19. *in cap.* 2. *n.* 6. 8. *& 9. vbi plura comperies inſtigatione diaboli facta.*

Cùm diabolus iam miſiſſet in cor eius, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotis. Cogitauerat, *inquit Toletus*, iam ante inſtigante, & ſtimulante dæmone Iudas Chriſtum inimicis, & perſecutoribus tradere, priuſquam à cœna ſurrexit, & lauit pedes: non tamen abſque diuino myſterio Euangeliſta hoc verbum interſerit, & præmittit ante tanti operis narrationem; ſed vt Chriſti dilectionis magnitudinem, & humilitatis profunditatem commendet, qui & eius, qui iam eum tradere decreuerat, pedes lauare non recuſarit, & ei ſeipſum in cibum miniſtrare dignatus ſit. *Hinc tractari poteſt, inimicos etiamnum diligendos, Sect.* 12. *in cap.* 4. *n.* 8. Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua. Et cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe, deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. *Sciens Ieſus hominum ſalutem, & redemptionem ſibi eſſe à Patre commiſſam, exemplo, doctrina, & opere hominibus conſulit, ſurgit à cœna, & lauare incipit pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus: vt ſumma humilitatis præbeat exemplum, & ad cæleſtis cibi inſtituendi, diſcipulos diſponat, ſumptionem. Vnde primò hic doceri poteſt, humilitatem eſſe ſanctitatis principium, Sect.* 1. *in cap.* 9. *à n.* 13. *vſque finem.* Oportebat profectò, *inquit Cyrillus*, vt humilitatis exemplum ſeipſum Chriſtus illis præberet *(Apoſtolis)* quo imitatione Domini ad voluntatem Dei mentes ſuas conformarent, nec funditus aliter depellere hunc morbum, docendo, perſuadendoque quis poſſet, niſi re ac verbis oſtenderet, adeò humiliter de ſe quoſque opinari oportere, vt ſerui locum lubenter ex animo ſibi attribuant. *Secundò, opus eſſe bona conſcientia, vt vtilis ſit venerabilis Sacramenti ſumptio, vide Sect.* 5. *in cap.* 13. *n.* 9. *& Sect.* 11. *in cap.* 12. *à n.* 7. *vſque finem.*

Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modò; ſcies autem poſtea. *Fides & reuerentia Petri non ſecundùm ſcientiam, ſed ex myſterij ignoratione orta, inducebant eum, vt ſe à pedum ablutione excuſaret, & ab illo officio Chriſtum*

remouere conaretur ; vnde Christus ignorantiam illam repellit. Voluit autem Dominus, discipulorum animos inducere, vt sibi crederent , obedientiamq; prius præstarent, quàm rationes obediendi intelligerent, vide Sect.8.in c.2.n.11. vbi de promptâ Abrahæ obedientiâ.& Sect.1. in cap.5.n.1.& 2.& Sect.3. in cap.11. vbi exempla eorum citantur , qui præcepti diuini rationes non examinarunt,à num.4.vsque 6. Vera obedientia, *inquit Gregorius Magnus lib.2. in 1.Reg.cap.3.*nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, nescit iudicare quisquis perfectè didicerit obedire. *Et propterea dixit Christus Petro in sua excusatione perstitenti,* Si non lauero te , non habebis partem mecum. *Nisi enim totus esset,corporis, & sanguinis Christi sumptione primatus fuisset , per quam Christus in eo,& ipse in Christo manserum erat. Ad hoc enim præcipuè lauabat suorum pedes,vt dispositis & mundis seipsum in cibum daret , & realiter cum eis viueretur. Et hoc est quod Petro minatur ; si non te lauero , non eris particeps mei ; nam conuiuium mei ipsius modò præparo,iis solis, quos lauero, daturus.*

Exemplum dedi vobis,vt quemadmodum ego feci vobis,ita & vos faciatis. *Cùm Christus Dominus pedes discipulorum lauisset , & à lotibus culpis mundos per lotionem purgari significasset , & Iudam proditorem immundum insinuasset,prouocat discipulos sua humilitatis exemplo , ne dedignentur opus etiam seruile pro salute animarum subire, ipsosq; monet , reliquis ad res omnes honestas præbere exemplum. Vnde hic conuenienter tractari potest, exempla maximè vrgere ad imitationem, Sect.1.in cap.5.à n.4.vsque 9. Rursum hoc loco tractari potest, superiorum ac parentum vltima monita multum ponderis habere in subditorum ac filiorum animis,Sect.1. in cap.4.n.6.& 7. & Sect.4.in cap.14. n.1.& 2.*

Beneuole Lector,hunc indicē in subleuamen Concionantium magno labore confeci:non tamen omnia indicare potui, quæ ex hoc Opere Euangeliis & Festis totius anni applicari poterant, tum quod non omnia occurrerent,tum quod Bibliopola,communi bono laborantem, nimium vrserit. Quod monere volui Lectorem,vt indices,occasione exigente,perlustret ; & si quid amplius requiret,quàm in hoc Opere suppeditatur, consulat nostrum indicem pro Concionibus confectum ad Discursus morales in Decalogum: spondeo quod ex vtroque tantam segetem comperiet, vt exigui temporis studio mediante licebit concionatore in vtramque aurem dormire.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-2

Digitized by Google